
C T
Bibliotheca Palatina

GALLIA CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

IN QUA SERIES ET HISTORIA


ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM ET ABBATUM

REGIONUM OMNIUM QUAS VETUS GALLIA complectebatur, ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.

Operâ & studio Monachorum Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti.

TOMUS SEXTUS,

Ubi de Provincia Narbonensi.



PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCXXXIX.

GALLIA CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

IN QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM ET ABBATUM

REGIONUM OMNIUM QUAS VETUS GALLIA complectebatur, ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.

Opera & studio Monachorum Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti.

TOMUS SEXTUS,

Ubi de Provincia Narbonensi.

Gallia Christiana 6



PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCXXXIX.

MONITUM.

CONTINET sextus Galliæ Christianæ tomus Narbonensem provinciam; nec erit deinceps, si unum forsan aut alterum excipias, qui plures complectatur. Quod nulli mirum videri debet. Opus enim, ut fama, eundo vires acquirit, tum per infinitam documentorum, quæ in dies è tenebris prodeunt, suppellectilem, tum quia identidem exoriuntur, qui commodis publicis consulentes, manus porrigunt adjutrices. Non possumus tamen non queri de nonnullorum injuria, quos nominare vetat pudor, qui non tam nostræ, quam ipsiusmet patriæ felicitati invidentes, gazas, sic enim appellare amant, minimi, pene dicam, nullius pretii impertire denegant, aut luculente vendunt. Cur autem hic tomus solito tardius in lucem exierit, nostrum non est excusare: a multo enim tempore parati, nec labori pepercimus, nec precibus, ut nostra votis publicis cito responderet diligentia. Quin & septimus de Metropoli Parisiensi jam prælum exspectat. Sed occurrendum forsan quorumdam querelis de omissis hac vice animadversionibus, emendationibus, mutationibus & vocabulario. Quod enim præmissæ non fuerint emendationes, haud inde inferas, lector, nullas a nobis de novo fuisse detectas, nullasque factas fuisse ab edito quinto tomo mutationes: sic velim potius existimes tot esse ac tantas, ut confusionem visi fuissemus parere magis quam perspicuitati consulere. Melioribus usi consiliis, has ad calcem operis reservamus, utpote quæ seriatim dispositæ, toti operi veluti facem, extremamque, ut ita dicam, manum præbituræ sunt. Vocabulario autem opus non esse arbitrati sumus, perfecto a nostris Cangii glossario, in quo pleræque, si non omnes, exotericæ voces explicantur. In summa qui lacessere nos non cessant precamur, ut quadripartitam Sammarthanorum Galliam a clero sic prædicatam cum nostris qualibuscumque elucubrationibus conferre non graventur, attendant nos quæ scimus loqui, non excogitare, sed, ut plurimum, ab aliis exscripta referre, & ad nos missa reddere, memirintque illius Horatiani:

Sin melius quid habes, arcesse, vel imperium fer. *Lib. I. ep. V.*



HOC IN TOMO CONTINENTUR

INDEX VETERUM MONASTERIORUM
ad hanc Provinciam ſpectantium.





GALLIÆ CHR
NARBONENSES
PROVINCIA ECC
NARBONE
Continens Diœc
Narbonensem, Tome
Electensem, Bite
Agathensem, Nem
Alesiensem, Magal
Monspeliensem, Car
Lutevensem, Uceti
et Helenensem
Perpinianense
Descripta a J.B. Nolin G.
PROV. VIENNENSIS
Vivarium
S. Paulus Tricastinensis
PARS PROV.
PARS
PROV.
S. Saturninus de Portu O. Clun. P. du S. Esprit
Gordanicus Gourdargues
Vallis salva
Bagnols
Arausio C.
S. Privatus de Gartio
S. Firminus
S. Stephanus
S. Julianus
UCETIA
S. Andreas
ETICENSIS
CE.
AVENIO
AVENIONENSIS
Pons du Wardenem
S. Salvator et S. Maria de Fontibus O. S. B.
S. Baudilius O. S. B.
Faustinus Clarissæ
NEMAUSUS Nismes
Bouillargues
Bellicadrum
Cabellio
SENSIS
ARELATE C.
ARELATENSIS
S. Egidius O. S. B.
Francæ Valles O. Cist.
Portu psalmodium O. S. B.
Aquæ Mortuæ
Ostia Fluvii Rhodani
PARS
Mons Niger
Papulopolis
PROVINC.
Castrum novum Arrianorum
Lauracum
TOLOSANÆ
DIOEC
NEUM
ELECT
Quillanum
S. Jacobus Jocundensis O. S. B.
Podium Ceritaniæ
Occidens
Oriens
Sequentes Designant
ates Ecclesiasticas.
les Archiepiscopales.
es Episcopales.
les olim Episcopales.
batias Virorum.
batias Mulierum
batias non amplius
antes vel loco mutatas
oratus
Litteræ Sequentes designant varia Nomina ordinum &c.
O. S. B. Ordinem S.ti Benedicti.
O. Cist. Ordinem Cisterciensem.
O. Præmonst. Ordinem Præmonstratensem
O. S. Cl. Ordinem S.æ Claræ.
C. Designat loca ubi habita sunt Concilia.
Scala Leucarum.
Leucæ Provinciæ
Leucæ Majores Gallicæ
Leucæ Horariæ
PARS PROVIN



GALLIA CHRISTIANA IN PROVINCIAS DISTRIBUTA.

PROVINCIA NARBONENSIS, CUJUS METROPOLIS CIVITAS NARBONA.

NARBO, Narbo Martius, Narbona, civitas Atacinorum & colonia Decumanorum, varia sunt ejusdem civitatis nomina, quibus eam Latinis scriptoribus, Eutropio, Ammiano, Suetonio, Straboni, Martiali & Plinio placuit appellari. A Claudio Ptolemæo in Volcis Tectosagibus Galliæ Narbonensis *Narbo colonia & urbs clara* ponitur; ad quam Porcio Marcioque consulibus deducta est colonia Romana a Licinio Crasso oratore anno Urbis conditæ DCXXXVI. prima omnium in Gallia, post triennium, quam Carthago extra Italiam prima deducta fuerat. *Civitas* vero *Atacinorum* dicitur, & inde coloni ac incolæ *Atacini*, quod ad fluvium Atacem sit posita, sicuti *Narbo Martius* a Romanis cognominari cœpit, sive a Marte cognomine deducto, ut plerique existimant, sive potius a Martia decima legione: Narbo enim *Decumanorum colonia* erat, & populi Narbonenses dicti sunt *Decumani* a militibus decimæ legionis, Julii Cæsaris jussu eo deductis, sicuti etiam a Julio *colonia Julia* dicta est Narbona, ut videre est apud Scaligerum & Sirmundum. Sane Sidonius *Narbonem nuper Martium factum* ob Gothos a mœnibus repulsos dicit. Unde etiam Cicero orat. pro Fonteio: *Est in eadem provincia Narbo Martius colonia nostrorum civium, specula populi Romani, ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum & objectum.* Et revera tutissimum olim contra Hispanos præsidium fuit: unde ab Ademaro *fortissima Gothorum metropolis* dicitur, cujus ambitus aliquando latius, quam hodie protendebatur. In nummo Tiberii *col. Narbo Mart. Decumanor.* id est *colonia Narbo Martius Decumanorum* appellatur. Pomponius Mela in cap. V. lib. II. de Narbone sic refert: *Urbium quas habet* (Gallia Brachata, seu Narbonensis) *opulentissimæ sunt Vasio Vocontiorum, Vienna Allobrogum, &c. sed antestat omnes Atacinorum Decumanorumque colonia, unde olim his terris* (id est Galliæ Narbonensi) *auxilium fuit, nunc & nomen & decus est Martius Narbo.* Strabo Narbonem ponit ad ostium *Atacis lacusque Narbonensis*, qui Melæ & Plinio, *lacus Rubresus* aut *Rubrensis* dicitur, vulgo *l'Estang de la Rubine* vel *Robine*; & si quidem Plinio creditur, *Narbo Martius Decumanorum colonia XII. millibus passuum a mari distat*: sed nihilominus a mari ope Atacis fluvii, ad cujus ramum in planitie posita est civitas, oneratæ mercibus naves urbem subeunt; quo fit ut celebre sit emporium, non Straboni tantum & Stephano, sed etiam Ausonio, qui poëta sui sæculi facile princeps sic habet carmine 12. de claris urbibus:

> *Nec tu, MARTIE NARBO, silebere: nomine cujus*
> *Fusa per immensum quondam provincia regnum,*
> *Obtinuit multos dominandi jure colonos.*

. . . . . . Tu Gallia prima togati
Nominis attollis latio proconsule fasces.
Quis memoret portusque tuos, montesque, lacusque!
Quis populos vario discrimine vestis & oris:
Quodque tibi Pario quondam de marmore templum
Tantæ molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius, Catulusque iterum, postremus & ille
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar!
Te maris Eoi merces, & Iberica ditant
Æquora: te classes Libyci, Siculique profundi:
Et quicquid vario per flumina, per freta cursu
Advehitur, toto tibi navigat orbe κατάπλους.

Sidonius quoque ita in laudes urbis excurrit carmine 23. ad Consentium Narbonensem:

Salve NARBO *potens salubritate,*
Urbe & rure simul bonus videri,
Muris, civibus, ambitu, tabernis;
Portis, porticibus, foro, theatro,
Delubris, Capitoliis, monetis,
Thermis, arcubus, horreis, macellis,
Pratis, fontibus, insulis, salinis,
Stagnis, flumine, merce, ponte, ponto;

Narbo igitur habuit & theatrum, seu potius amphitheatrum, & capitolium, & monetam, thermas, porticus, arcus, horrea publica, quorum operum Romanorum nulla pridem exstant vestigia. Capitolium quidem quod habuit ex marmore egregium, sua ætate non durasse scribit Ausonius, quanquam anno 1068. questus est Guifredus Narbon. archiepiscopus, quod Bernardus Berengarius vicecomes civitatis *auferret ei ipsum capitolium;* & in actis concordiæ anno 1251. initæ inter Guillelmum Narbonensem archiepiscopum & Amalricum vicecomitem urbis, *dominus vicecomes capitolii civitatis Narbonensis a Bertrando de Capitolio recognitionem recepisse & illud emisse ab eodem* dicitur. Petrus etiam archiepiscopus de Amalrico vicecomite questus est, quod per vim occupasset *medietatem tinctura pannorum granet & medietatem monetæ;* quorum alterum ad *baphium Narbonense*, alterum ad monetam ibi olim cudi solitam pertinet. Unde in notitia dignitatum Imperii, antequam Gallia a Gothis obtineretur, inter XI. Galliæ præsides Narbonensis primæ septimo loco recensetur, inter procuratores baphiorum *procurator baphii Narbonensis.* Quibus omnibus titulis adde tanto Romanis fuisse in pretio hanc civitatem, ut proconsulum sede illam decoraverint, missis etiam prætoribus, qui toti provinciæ jus dicerent: tantam scholarum ejus celebritatem, ut in his duo Constantini imperatoris ex fratre nepotes Rhetoricæ studuerint sub famoso rhetore Exuperio circa annum Christi 335. Ex his patet quare a Martiali lib. VIII. epigram. LXXII. *pulcherrima* nominetur, a Prudentio in hymnis *speciosa*, a Theodulfo *decora, nullo ornamento carens civitas* a Sidonio, & *celeberrima* ab Aymoino lib. IV. cap. LVII. In veteribus notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *metropolis civitas Narbonensium* vocatur, *& ponitur in provincia Narbonensi prima, caput ac mater* urbium.

Et quidem a *Narbone* nomen accepit pars Galliarum IV. eaque nobilissima, *Narbonensis provincia* veteribus dicta, & *Narbonensis Gallia*, quæ una diutissime fuit, ac postremo in provincias quinque divisa est, Narbonensem primam, Narbonensem secundam, (Aquisextiensem) Viennensem, Alpes Graïas, Alpesque maritimas. Nomen dedit Narbo & mari Gallico ante Narbonensem provinciam, quod *mare Narbonense* Strabo appellat.

Primum itaque paruit Romanis, uti jam diximus, sub quorum imperatore Antonino Pio arsit, sed ejusdem curis reædificata fuit; deinde in potestatem Visigothorum devenit sub Ataulfo, qui post Alarici affinis mortem a Gothis salutatus Rex, anno 412. in Gallias irruptione facta, Narbonem caput provinciæ cognominis debellavit anno 413. sed brevi, anno videlicet sequenti, a Constantio generali copiarum Honorii imperatoris præfecto, pulsis in Hispaniam Gothis, recipitur. Verumtamen an. 466. hanc urbem obtinuit Theodoricus II. Visigothorum rex, pacta, Agrippini comitis favore, cum Severo imperatore conventione, eaque successores potiti sunt usque ad obitum Roderici ultimi Visigothorum regis, quorum regni fuit caput post captam a Clodoveo rege Tolosam anno 507. usque ad annum 533. vel circiter. At interemto Roderico anno 712. Sarracenorum armis Narbona occupatur sub annum 719. usque ad annum 759. quo, faventibus Gothis, qui sub gravi Sarracenorum infidelium jugo in urbe Narbona gemebant, urbs tradita est Pipino regi Francorum, & sic tota Septimaniæ provincia cessit Gallicæ coronæ non tam bello, quam fœdere cum Gothis facto, quemadmodum & ipsis cesserat pactione inita cum imperatoribus Romanis. Exinde lapsu temporis Septimaniæ ducibus seu Gothiæ marchionibus Narbona civitas subjacuit, comitibusque Tolosanis eorum successoribus, qui & ducum Narbonæ titulo gloriabantur, sub quibus vicecomites longo ordine rectores habuit & urbis dynastas, donec Gasto Fuxensis, Johannis

Fuxenſis ex Maria Aurelianenſi conjuge filius, & Ludovici XII. Franciæ regis ex ſorore nepos, hanc urbem ejuſque dominium regi avunculo ceſſit pro aliis terris, conventione facta 19. Novembris an. 1507. Sicque tandem Gallicæ coronæ perpetuo adjuncta eſt.

Ad res eccleſiaſticas quod attinet, Narbona ſemper metropolis honore claruit, ſi creditur actis quæ refert Garſias Loaiſa ex bibliotheca Toletana ; ab ipſo namque prima ſedes inter ſex Hiſpaniarum metropoles conſtituitur a tempore Conſtantini magni an. 309. De prima iſtius eccleſiæ origine dicetur infra in S. Paulo primo ejuſdem fundatore & archiepiſcopo. Porro hanc primæ ſedis dignitatem in prima Narbonenſi merito ſibi Narbo vindicavit, donec ab Arelatenſi metropolitano, ſua urbe titulis ſæcularibus aucta, ipſius jura pervaſa ſunt, at brevi ſunt eidem reſtituta, ut videre eſt in Hilario archiepiſcopo n. IV. Paruiſſe vero ſub Gothis regibus eccleſiam Narbonenſem Toletanis archiepiſcopis quidam voluerunt, ſed contrarium evincit concilium Toletanum VI. an. 638. huic enim præſedit Selva Narbonenſis archiepiſcopus jure antiquitatis, ſupra Braccarenſem, Hiſpalenſem & ipſum Toletanum, qui eidem interfuerunt. Adducunt nihilominus hujus ſententiæ propugnatores canonem concilii XII. Toletani habiti an. 681. quo novorum epiſcoporum in ſingulis Hiſpaniarum eccleſiis confirmatio & inauguratio tribuitur archiepiſcopo Toletano. Sed ſciendum eſt, quod cum Viſigothorum Reges, maxime a Reccaredi regis converſione jus ſibi nominandi epiſcopos arrogarent, ita ut ſic nominatis nihil ad conſecrationem præter approbationem ſeu confirmationem conventus epiſcoporum deeſſet, & aliunde hi conventus raro haberentur, unde diutius paſtoribus viduari eccleſias contingebat, huic malo providentes epiſcopi concilii, Toletano epiſcopo, ob reverentiam urbis regiæ, quando ipſi celebrare conventus non poſſent, jus confirmandi & inaugurandi nominatos epiſcopos relaxaverint, ſalvo tamen metropolitani jure in epiſcopum conſecratum, qui tertio poſt ſuam inaugurationem menſe ſuo ſe ſiſtere coram archiepiſcopo teneretur, ut ab eodem ſuæ electionis confirmationem reciperet. Neque profecto ob aliam ab iſta epiſcoporum reverentia cauſam S. Julianus tunc archiepiſcopus Toletanus huic concilio primus nomen appoſuit ante alios omnes metropolitas, præter uſum in omnibus hactenus Hiſpaniæ conciliis obſervatum, in quibus antiquior præſidebat & primus ſubſcribebat. Quod iterum liquet ex epiſtola Innocentii III. ad Petrum archiepiſcopum Compoſtellanum : *Nec ex eo probatur*, inquit, *ad Braccarenſem metropolim pertinere, quia interfuerunt concilio Braccarenſi, cum conſtet Narbonenſem per multa tempora veniſſe ad concilium Toletanum, nec tamen Toletana metropolis aliquid juris habet in eccleſia Narbonenſi ; ſed mandato Regum illa fiebant, quod magis violentum, quam juſtum præſumitur exſtitiſſe.* Proferunt nihilominus Urbani II. papæ reſcriptum Anagniæ datum idibus Octobris anno Dom. Incarnat. 1088. indict. XI. (*lege* XII. a Septembri inchoata,) quo Bernardo archiepiſcopo Toletano primatum totius Hiſpaniæ & Galliæ Gothicæ ſeu Occitaniæ conceſſit ; ſed tam archiepiſcopus Tarraconenſis, quam & Narbonenſis ſubito reclamarunt ; unde & Papa Bernardum ſuum per totam Hiſpaniam & provinciam Narbonenſem legatum conſtituit, ut ei facilius ſeſe uterque ſubmitteret : ac ſi quidem paruerunt archiepiſcopi, id certe non ratione primatiæ Bernardi fecerunt, ſed ratione legationis. Ex quibus omnino caducum fit eccleſiæ Toletanæ in eccleſiam Narbonenſem primatiæ fundamentum.

Vide tom. 1. hiſt. Occit. pag. 173. 174. & 185.

Sed neque validiores ſunt rationes, quibus inducuntur nonnulli, ut dicant Narbonenſem eccleſiam ſubjectam fuiſſe Bituricenſi. Hujus opinionis primarius auctor illuſtriſſimus D. de Marca Carolum Magnum eo tempore primatiam Bituricenſem inſtituiſſe contendit, quo Aquitaniam in regnum ſublimavit anno 781. & pares utrique ſtatui eccleſiaſtico & civili terminos aſſignaſſe ; unde cum tunc Septimania ſeu provincia Narbonenſis quoad civilia pars eſſet illius regni, concludit Narbonenſem metropolim quoad eccleſiaſtica ſubditam fuiſſe Bituricenſi. Sane præcipuum hujus argumentum eſt auctoritas Adrevaldi monachi Floriacenſis, qui procedente ſæculo IX. vocat urbem Bituricenſem ejus provinciæ caput ; ſed primo inde non ſequitur jam a regno Caroli Magni ſumendum eſſe initium primatiæ Bituricenſis in eccleſiam Narbonenſem : ac deinde, quandoquidem verum eſſet urbem Bituricas fuiſſe IX. ſæculo, quo ſcribebat Adrevaldus, Aquitaniæ caput quoad civilia, haud inde colligi poteſt metropolitam Bituricenſem arrogare ſibi debuiſſe primatiam in Septimaniam, quæ præterquam quod ab Aquitania ſemper diſcreta fuerat, tunc certe temporis haud amplius ad Aquitaniæ regnum pertinebat, a quo avulſa fuerat anno 817. Et quidem aliunde patet id ſolum voluiſſe Adrevaldum, quando Bituricas vocavit *caput*, ſcilicet fuiſſe metropolim primæ provinciæ eccleſiaſticæ Aquitanicæ, quod extra controverſiam eſt. Hæc inter alia plurima deſumſimus ex nova Occitaniæ hiſtoria, ubi cetera hujus opinionis momenta plane confutantur, puta Nicolai I. epiſtola, de qua in Sigebodo archiepiſcopo, & Caroli Magni teſtamentum, in quo nominatas inter 21. metropoles minime recenſetur Narbonenſis.

pag. 450. 477. & 731.

Itaque Narbonenſis eccleſia ab omni ſemper alia juriſdictione libera, ſuam libere in varias pro varietate temporum eccleſias exercuit, nec ſolum in Septimania, verum & in Hiſpaniæ Marca, quæ diœceſes quatuor complectebatur, Barcinonenſem, Gerundenſem, Urgellenſem & Auſonenſem. Cum enim poſt urbem Tarraconam a Sarracenis deletam, pro diſciplina eorum temporum, eccleſiæ huic metropoli ſubjectæ ad metropolitarum viciniorum tranſiiſſent juriſdictionem, Urgellenſis cum ceteris in ea parte Tarraconenſis provinciæ poſitis, quam Franci occupaverant, ſub poteſtatem archiepiſcopi Narbonenſis devenit, permanſitque uſque ad finem ſæculi undecimi. Et certe Urgellenſis eccleſia illi ſubjacebat anno 791. quo Daniel archiepiſcopus adverſus Felicem Urgellenſem

episcopum apud Narbonam convocavit concilium, cui adfuerunt Felix quanquam accusatus, Adaulfus Gerundensis, & Servus-Dei Barcinonensis episcopi, tamquam suffraganei Narbonensis ecclesiæ. Tametsi enim Barcino necdum Francis parebat, ex quo tamen dux Sarracenus, qui rector illius erat, sese Caroli magni submiserat imperio, supremum hujus dominium agnoscebat. Hic quidem nulla fit mentio de Ausonensi ecclesia, ideo scilicet quod tunc episcopo carens, archiepiscopo Narbonensi proxime subjaceret. At vero de ecclesia Tolosana, cujus episcopus Arrichus eidem concilio subscripsit, dubitatur an subjecta tum cum Clodoveus rex Tolosam urbem subegit, archiepiscopo Bituricensi, tunc iterum esset obnoxia jurisdictioni archiepiscopi Narbonensis, quam aliunde certum est episcopum Tolosanum agnovisse jam a sæculo IX. usque dum hæc sedes in archiepiscopalem a Johanne XXII. erecta est; nec proinde mirum, si Appamiensis ecclesia nunc ad metropolim Tolosanam pertinens, pertinuit prius ad ecclesiam Narbonensem anno circiter 1300. Fuit etiam olim Ruthenensis episcopatus subjectus metropoli Narbonensi, sub Evarico videlicet & Alarico regibus Gothis. Quinimmo Narbonensem archiepiscopum suam in Aquensem metropolim exercuisse jurisdictionem primatialem constat ex epistolis Urbani II. papæ, altera ad Raynerium legatum, altera ad Hugonem sedis apostolicæ vicarium, his verbis: *Frater noster Narbonensis archiepiscopus conquestus* (est) *super Aquensi episcopo, quod ei jure primatus obedire contemnat. Unde fraternitati tuæ præsentia scripta dirigimus, præcipientes, ut eumdem episcopum juxta apostolicæ sedis instituta primati suo obedire compellas.* Et alio in loco: *Primatum Aquensis metropolis, quæ est Narbonensis secunda, & quidquid dignitatis & honoris eamdem Narbonensem ecclesiam antiquitus jure habuisse constiterit, nos quoque præsentis decreti pagina inconcussum & inviolabile perpetuo manere decrevimus.*

Tom. 1. Anecdot. Martennii, p. 1327.

Neque tamen dissimulabo Calixtum II. papam epistola III. anni 1120. dedisse Viennensi archiepiscopo jurisdictionem in septem ecclesias metropolitanas, quarum una est Narbonensis; sed nullibi hac usum jurisdictione reperimus, quam nonnisi ad summum ut sedis apostolicæ vicarius habuisse dicendus est, quanquam & ab hac servitute liberatam a Petro de Luna 1403. & a Martino V. 1418. legimus ecclesiam Narbonensem, uti & a jugo Bituricensis archiepiscopi. At vero sicuti vanum est exinde colligere primatiam Bituricensem, ita & Viennensem.

Tom. 10. Concil. pag. 828.

Rainald. tom. 18. Annal. ad an. 1418. n. 33.

Ceterum Narbonensi metropoli, cujus archiepiscopus præses est natus Occitaniæ comitiorum, quique olim vicecomitum Narbonensium hominia excipiebat, nunc XI. episcopales sedes subjiciuntur, nempe S. Pontii Tomeriarum, Electensis, Biterrensis, Agathensis, Nemausensis, Alesiensis, Magalonensis, seu Monspeliensis, Carcassonensis, Lutevensis, Uceticensis & Helenensis. Civitatem exornat metropolitanum templum B. M. & SS. martyribus Justo & Pastori dicatum, opus stupendæ magnificentiæ, sacellis elegantibus, variisque picturis decoratum, cujus vas sacrum pro exponendo SS. Sacramento tanti ponderis est, ut a paucioribus nequeat quam ab octo sacerdotibus gestari. Illud etiam mirificæ artis organa, paucis abhinc annis igne consumta non mediocriter commendabant; sed in primis basilicam illustrabat tabula picta Resurrectionis Lazari, quam nuper, anno scilicet 1722. mense Junio canonici votis annuentes serenissimi ducis Aurelianensis Galliæ proregis eidem transmiserunt, acceptis vicissim viginti mille libris ad perficiendam metropolitanam ecclesiam, in qua visuntur plurima archiepiscoporum monumenta, & statuæ eorumdem marmoreæ. Jacent ibidem sub insigni tumulo viscera Philippi III. cognomento Audacis Francorum regis, Perpiniani mortui 6. Octob. an. 1285. ætatis suæ 41. cujus ossa postmodum ad fanum S. Dionysii prope Parisios delata sunt.

Capitulum metropolitanum constat archidiacono majore, qui primaria dignitas audit, archidiacono Corbariensi, præcentore, archidiacono Redensi, succentore, ac viginti canonicis, qui præsidio musices destituti e sedibus ad analogium descendere non dedignantur; pueri vero chorales ex usu veteri panis & vini pro sacrificio probationem faciunt. Bina sunt insuper in urbe canonicorum collegia, nimirum S. Pauli abbatiale simul & parochiale capitulum, constans abbate & duodecim canonicis, de quo inferius data opera disseremus: Alterum est SS. Stephani & Sebastiani, quod a Carolo Magno fundatum ferunt, in quo præpositus, præcentor, sacrista atque duodecim canonici sacris operantur; hoc de capitulo vide in Francisco de Harcourt archiepisc. ad an. 1451.

In diœcesi parœciæ 240. in sex archipresbyteratus divisæ numerantur, quarum quinque sunt in urbe, quam plurimæ quoque familiæ religiosæ commendabilem faciunt, Benedictinorum de monachia, Fratrum Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Eremitarum S. Augustini, Trinitariorum, Minimorum, Capucinorum, monialium Cisterciensium abbatialis ecclesia, de qua similiter infra pro instituto nostro sermonem instituemus, Carmelitanarum, ubi etiamnum visitur domus natalis S. Sebastiani, Visitationis B. Mariæ, & Ursulanarum; quibus accensendi sunt Doctrinarii patres, qui collegium moderantur, presbyteri missionis Gallicanæ, qui seminario præsunt, & congregatio *Repentidarum*, sive mulierculaturum e cœno libidinum emersarum. Adde & quatuor hospitalia generalia, præter unum hospitale pauperum, vocatum *de Cruce*, hospitale S. Jacobi, & hospitale S. Antonii, & unum in burgo. Limosii præterea sunt Doctrinarii, qui collegium regunt, ac domus religiosæ, Prædicatorum, Eremitarum S. Augustini, Trinitariorum, Capucinorum, canonicarum S. Augustini, & puellarum, quibus cura est domus hospitalis. Asyliis seu Asilhani sunt fratres Minores, & Urbanistæ sorores, de his infra, uti etiam de Clarissis nunc reformatis, quæ degunt in oppido Liciniano *Lezignan*, quando videlicet, expleta archiepiscoporum historia, sermo erit de abbatiis diœcesis. Multa denique diversis temporibus in hac urbe aut diœcesi celebrata sunt concilia, de quibus suo loco mentionem faciemus.

Tom. 1. Anecdot. Martennii, p. 1524. & seq.

Porro series archiepiscoporum Narbonensium, quam olim accurarunt Sammarthani fratres, desumta est e scrinii archiepiscopalis tabulis, ex quibus ante illos historiam quoque suam concinnavit Guillelmus Catellus senator Tolosanus in commentariis Occitaniæ; nos etiam inde aliisque monumentis, ac præsertim ex nova Occitaniæ historia, schedis & notis clarissimi & eruditissimi Baluzii, necnon D. Juliardi Narbonensis canonici, qui de archiepiscopis Narbonensibus scripsit, necnon ex historia mss. viri clar. D. Lafont civis Narbonensis, uberiorem nunc & emendatiorem catalogum proferimus.

ARCHIEPISCOPI NARBONENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. PAULUS.

Roma cum sex aliis ad prædicandum Christi evangelium missum fuisse S. Paulum scribit Gregorius Turonicus, lib. 1. hist. Francorum cap. 28. Is Narbonæ consecratus traditur, ac fide per omnem circumquaque vicinam regionem disseminata, felici confessione ad Christum migrasse. Constans vero hujus ecclesiæ traditio est, quam indubitatam vellemus, eum esse Paulum Sergium proconsulem, qui ad fidem conversus Cypro Romam, indeque Narbonam venerit. Sane Usuardus & Ado Viennensis missionem Pauli ab apostolis, ejusque ad urbem Narbonam appulsum tamquam rem in Galliis Narbonensi ac Viennensi B certam & exploratam martyrologiis suis IX. sæculo consignarunt, sed eumdem fuisse ac Sergium Paulum ab Apostolo ad fidem conversum, id tantum probabile scripserunt. Et certe traditio illa tametsi constans & vetus in ecclesia Narbonensi, conjectura solummodo niti, verisimilitudine autem carere visa est pluribus, Tillemontio maxime, Bailleto, aliisque viris eruditis, quorum sententia est Paulum & alios viros apostolicos in Galliam missos, Saturninum, Gatianum ceterosque, medio tantum sæculo tertio advenisse, anno scilicet 251. vel 252. sub Decii consulatu. (251.) Non desunt tamen qui cum illustrissimo Petro C de Marca velint, excepto Saturnino, cujus ætas a Gregorio Turonico assignatur, alios prædicatores evangelicos maxime Trophimum Arelatensis ecclesiæ fundatorem, Decii tempora prævenisse. Sed has controversias attigisse sufficit, de quibus videndi Bailletus ad diem XXII. Martii & Tillemontius.

Porro de hujus sancti gestis, miraculis ac vita silemus, quod ipsius acta, quæ videsis tom. 3. Martii Bollandiani, pag. 373. & part. 2. hist. ecclesiæ Gallicanæ Bosqueti, pag. 106. hujus non sint auctoritatis, quæ fidem omnino mereantur; at illius nomen celebre fuisse in universa D ecclesia quarto & quinto sæculis, testis est Prudentius in hymnis sacris, ubi loquens de Paulo ait: *Surget & Paulo pretiosa** *Narbo.* Sacer ejus cultus semper in ecclesia viguit, ejusdemque tumulus non solum ab indigenis, sed & ab exteris nationibus summa veneratione colitur. Hactenus sacræ ipsius exuviæ in ecclesia ejus nominis, olim extra nunc intra urbem posita studiose asservantur, quarum tamen insignem partem legimus translatam fuisse ad Rupem-cavardi oppidum diœcesis Lemovicensis, necnon ad Saxiacum in diœcesi Autissiodorensi. Denique illius festum consigna- A tur ad diem XXII. Martii in antiquis martyrologiis, S. Hieronymi, Flori & Adonis, atque etiam in veteribus hagiologiis Corbeiæ, S. Johannis Reomaensis in Burgundia, S. Guillelmi de Deserto, B. Mariæ de Quadraginta, & S. Stephani Autissiodor. ubi sic habetur: *XI. calend. Aprilis in Galliis civitate Narbonæ natalis sancti Pauli episcopi & confessoris discipuli apostolorum;* in aliis vero, Usuardi maxime & in altero B. M. de Quadraginta revocatur hoc festum ad XII.* Decemb. tamquam ad ipsum pretiosi ejus obitus diem, cui sententiæ plures deinceps adhæserunt.

* al. *speciosa.*

* *XI. in S. Justi necrol. & in altero Gellonensi.*

II. S. STEPHANUS.

De hoc præsule nihil præter nomen habetur in catalogis, nisi quod Petrus Venetus, testante Catello, refert cap. 60. lib. 1. sui catalogi, a S. Paulo primo Narbonensi antistite morti proximo Stephanum ejus diaconum consecratum fuisse episcopum & ecclesiæ Narbonensis admotum regimini.

III. GAVIDIUS.

Gavidii nomen occurrit in subscriptionibus concilii Ariminensis sub finem anni 359. sed ibi tacetur ipsius sedes episcopalis, quam tamen haud improbabile est fuisse Narbonensem. Vide notas sodalium nostrorum in novam Occitaniæ historiam, pag. 637. (359.)

IV. HILARIUS.

Ad eum exstat epistola Zosimi papæ scripta VI. cal. Octob. an. 417. qua ipsi Narbonensis primæ interdicit ordinationibus, & Arelatensi metropolitano attribuit; qua etiam de re videnda ejusdem Zosimi epistola ad episcopos Galliæ data eodem anno XI. cal. Aprilis. (417. *Coust. epist. Pontif. pag. 961. Tom. 2. conc. pag. 1570.*)

Habetur & alia Bonifacii I. numero tertia ad eumdem Hilarium scripta die 9. Febr. an. 422. ubi agitur de Patroclo Arelatensi, qui per usurpationem in ecclesia Lutevensi episcopum ordinare præsumserat; quocirca jubet Pontifex, ut Hilarius jure metropolitano ad hanc ecclesiam accedat emendaturus quæ perperam facta erant a Patroclo, quippe qui (Hilarius) jus ordinationum intra suam habeat provinciam secundum Nicænæ synodi constitutiones; & ita Zosimi decretum, quo trium provinciarum, antiquæ scilicet Narbonensis, sive utriusque Narbonensis ac Viennensis ordinationes Arelatensi archiepiscopo attributæ fuerant, revocatum est. Vide t. X. concil. Labb. p. 543. (422. *Ibid. pag. 1567. Ibid. pag. 1585.*)

ANNI CHRISTI

Baronius in annalibus ecclesiasticis ad annum 422. non satis consulte scripsit Hilarium, qui Rhegiensi concilio præfuit an. 439. fuisse Narbonensem, nam hic erat Arelatensis. Ad Hilarium vero Narbonensem epistolam inter Augustinianas CLXXVIII. editionis Benedictinæ directam fuisse conjiciunt Tillemontius & ipsi Benedictini. Hunc demum Antonius Pagi, tom. 2. criticorum in annales Baronii, pag. 205. mortuum tradit an. 428. at sibi non constat, quando pag. 209. Rustici successoris consecrationem an. 427. die 9. Octobris consignat.

V. S. Rusticus.

Gente Gallus Rusticus, & quidem in Gallia Narbonensi piissimis parentibus editus in lucem sub finem imperii Theodosii senioris, hoc est anno circiter 394. avitam paternamque pietatem studiosissime a teneris æmulatus est; erat quippe Bonosi episcopi sanctissimi viri filius, & Aratoris item episcopi ex sorore religiosissima femina ipsius matre nepos. Cum autem in litteris humanioribus apprime exercitatus esset intra Galliarum scholas, Romam missus est sumtibus matris jam a multis annis viduæ, ut ubertatem nitoremque Gallici sermonis Romana in eo gravitas condiret. Vix ad annos pubertatis pervenit, cum solitudinis amore captus, monachorum vitam amplexus est circiter annum 411. quo S. Hieronymus, cui paulo ante innotuerat, ut adolescentem in sancto proposito firmaret, ei perutilem epistolam scripsit, formam vivendi proponens, in vestibus, in cibo, in amore cellulæ, quam pro paradiso habendam suadet, in oratione assidua & sacra lectione, in labore & opere manuum: & quasi futuri præsagus subdit: *Ita age & vive in monasterio, ut clericus esse merearis:* Monet etiam ne ad scribendum cito prosiliat; multo quippe tempore discendum quod doceatur.

Epist. XCV. t. 4. novæ edit. col. 769.

Postremo Hieronymus Rusticum nostrum remittit ad sanctum & doctissimum pontificem Proculum Massiliensem, qui viva voce quotidianisque tractatibus iter ejus dirigat; tandemque proponit ei sectanda S. Exuperii Tolosani episcopi vestigia (quando ad episcopatum pervenerit) *qui esuriens pascebat alios.*

Ab hac regula non exorbitavit S. Rusticus in monasterio (Massiliensi ex Baluzii notis in Salvianum, pag. 410. Lerinensi vero ex lib. de concordia Sacerdotii & Imperii, pag. 680. vel denique Tolosano ex notis Quesnelli in S. Leonem, t. 2. p. 781. & seq.) ubi aliquandiu vixit cum Venerio, qui postea Massiliensi præfuit ecclesiæ, cum quo etiam in clerum ejusdem ecclesiæ adscitus, presbyter quoque simul ordinatur, tandemque ad sedem Narbonensem assumitur, quod factum anno 427. quidam volunt, alii vero anno tantum 430. quo Rusticum consecratum episcopum VII. idus Octobris contendit Baluzius in notis ad Salvianum, & lib. V. de concordia Sacerdotii & Imperii, necnon in notis ad Capitularia Regum Francorum, col. 1254. ubi argumenta Quesnelli adversarii sic refellit, ut nullus sit dubitandi locus, quin vera sit ejus opinio. Discrimen istud ortum est ex diversa interpretatione cujusdam inscriptionis; quæ marmori incisa inventa est Minerbæ, quæque hodie exstat Narbonæ in palatio episcopali. Hanc exhibet Catellus, lib. V. commentariorum de historia Occitaniæ, pag. 738. Proferunt & explicant Baluzius in notis ad Capitularia Regum Francorum, pag. 1256. & Quesnellus in notis ad epistolam 2. scriptam a S. Leone ad Rusticum Narbonensem episcopum. Reperitur & apud Antonium Pagi, tom 2. criticorum in annales Baronii, pag. 299. ac in novissima, quam nostri accurarunt Occitaniæ historia, tom. I. pag. probationum 4. his verbis:

Quesnel. not. in epist. 2. S. Leonis, tom. 2. pag. 415.

✠ DO. ET. XPO MISERANTE.
LIM. HOC. C. L. K. T. E. ANNO.
IIII. CS. VALENTINIANO. AUG. VI.
III. KAL. D. XVIIII. ANNO EPTUS.
RUSTI...... RUSTICUS. EPS. EPI.
BONOSI. FILIUS. EPI. ARATORIS.
DE SORORE NEPUS. EPI. WENERI
SOCI. IN MONASTERIO CONPRB.
ECCLE. MASSILIEN. ANNO XV.
EPUS. SU. D. ANN. V. III. ID. OCTB.
C. URSO. PRBO. HERMETE DIACO.
ET. EOR. SEQ. TIB. COEP. DEPON.
PARIET. ECCL. DUD. EXUSTÆ
XXXVII. D. QUAD. IN FUNDAM.
PONI. COEPI. ANNO II. VII. ID.
OCTB. ABSID. P. F. MONTANUS
SUBD. MARCELLUS GALL. PREF.
DI. CULTOR PRECE EXEGIT. EPM.
HOC. ONS. SUSCIP. INPENDIA
NECESSAR. REPROMITTENS. QUÆ
PER. BIENN. ADMINIST. SUÆ.
PREBU ARTIFIB. MERCED. SOL.
DC. AD OPER. ET CETER. SOL. ID.
HINC. OBLAT. SCI. EPI. WENERI.
SOL. C. EPI. DYNAMI L. ORESI CC.
AGROECI I. ET DECONIA SALUTI.

Hæc autem inscriptio sic explicatur: *Deo & Christo miserante, limen hoc collocatum est anno IV. consule Valentiniano Augusto sextùm, tertio calendas Decembris, decimo-nono anno episcopatus Rustici...... Rusticus episcopus episcopi Bonosi filius, episcopi Aratoris de sorore nepos, episcopi Weneri socius in monasterio, compresbyter ecclesiæ Massiliensis, anno XV. episcopatus sui, die anni quinta III. idus Octobris cum Urso presbytero, Hermete diacono & eorum sequentibus, cœpit*

ANNI CHRISTI

deponere parietem ecclesiæ dudum exustæ. Trigesima-septima die quadratum in fundamenta poni cœpit. Anno secundo (post inchoatum opus) *VII. idus Octobris absidem poni fecit Montanus subdiaconus. Marcellus Galliarum præfectus Dei cultor, prece exegit episcopum hoc onus suscipere, impendia necessaria repromittens, quæ per biennium administrationis suæ præbuit, artificibus mercedem solidorum sexcentorum ad operas & cetera solidorum mille quingentorum. Hinc oblationes sancti episcopi* (Massiliensis) *Wenerii solidos centum, episcopi* (forte Biterrensis) *Dynami, quinquaginta, Oresi ducentos, Agroecii* (forte episcopi Antipolitani) *mille, &c.*

Ceterum Baluzius in notis ad Salvianum hæc inscriptionis verba *anno IV. consule Valentiniano Augusto sextùm,* explicat de anno quarto sexti consulatus Valentiniani imperatoris, qui est annus Christi 448. Quesnellus vero in S. Leonem, tom. 2. de anno quarto post incœptum opus, sexto scilicet consulatus Valentiniani, hoc est an. 445. Ex prima sententia, uti jam diximus, S. Rusticus factus est episcopus 9. Octobris an. 430. ex altera autem sententia, quam sequitur Antonius Pagi, sedere cœpit an. 427. Altera quoque apud Minerbam visitur inscriptio in ecclesia parochiali, quæ sic habet:

427.

✠ RUSTICUS ANNO XXX... ⊙

EPTUS. SVI F. F. [·]

Jam ut ad ipsius in episcopatu gesta veniamus, quæ pauca supersunt, tametsi longo præfuit tempore, templum Deo erexit magnificum, uti superius allata testatur inscriptio: at de subditarum sibi ovium salute inprimis sollicitus, forma gregis factus, plebem suam in fide & bonis moribus erudire quammaxime curavit. Summa etiam erga exules Afros ejus caritas enituit, quos Wandali, Africa devastata, e patriæ finibus excedere & in Gallias transmigrare compulerant. Hos omnes paternis visceribus complexus est, re & consilio juvit, salutique eorum prospexit; nam cum plures ex illis an ab Arianis vel catholicis fuissent baptisati dubitarent, plerique etiam se sacro illo fonte lotos aliquando fuisse penitus ignorarent, hac de re pius pastor anxius consuluit sanctum Leonem, qui ad ejus consulta respondit, litteris per ejusdem archidiaconum Hermetem rescriptis, sicque animum ipsi, quem desponderat, erexit; variis quippe calamitatibus pressus, maxime vero dissimilitudine & asperitate morum populi, quem regebat, voluit episcopatus dignitatem deponere, & ad tranquillam vitam evolare; sed obstitit Pontifex monens huic jam muneri pastorali alligato non licere solitudinis quietem meditari. Habetur in bibliotheca Lerinensi vetus codex sæculo decimo, uti videtur, exaratus, cui titulus est: *Interrogationes Rustici episcopi Narbonensis ad Leonem papam, & ejusdem Leonis ad Rusticum responsiones.*

Epist. 2. tom. 1. noviss. edit. Quesnelli, pag. 206.

Unus est S. Rusticus e quadraginta-quatuor Galliarum episcopis Arelate congregatis, qui approbarunt an. 451. epistolam S. Leonis papæ ad Flavianum; ad quos itidem S. Leo rescripsit anno sequenti, gratulatus ipsis orthodoxam fidem & nuntians Eutychem & Dioscorum fuisse damnatos in concilio Calchedonensi. Anno circiter 455. vocatus est Rusticus a Ravennio Arelatensi episcopo ad concilium Arelatense, in quo sopita est discordia inter sanctum Theodorum episcopum Forojuliensem, & alios quosdam antistites ex una parte, ac Faustum presbyterum abbatem Lerinensem & monachos ei subjectos ex altera; notatu digna sunt verba invitantis Ravennii: *ac præcipue beatitudo vestra, ut adsit, primum deprecamur, quia gravior infirmitas necessario medicos peritissimos requirit.* Causa vero vocandi S. Rusticum ad hanc synodum fuit, quod fortasse monachus Lerinensis exstitisset. Nam ex actis hujus concilii, quod est tertium Arelatense, emendatis a Quesnello, constat Ravennium præsertim curasse ut huic cœtui interessent episcopi, *ex ipsa insula* scilicet Lerinensi assumti ad episcopatum, ut majori studio quietem sancti hujus monasterii procurarent. Vide t. 1. novæ Galliæ Christianæ, pag. 533. in nota ad calcem.

451.

Tom. 3. concil. Labb. pag. 1329.

Tom. 4. concil. pag. 1024.

Porro si obitus S. Rustici contigit eodem die quo festum ejus notatur in martyrologiis, migravit ad Dominum die 26. Octobris, & quidem anno 461. Nam Hilarus papa in epistola ad Leontium Arelatensem scripta die 3. Novembris anno 462. conqueritur de Hermete, qui episcopatum Narbonensem invaserat.

461.

Visitur haud procul Narbona vetus sacellum sub invocatione sancti Lupi dicatum, in quo unicum est altare, cui impositum est marmor septem pedes longum & quatuor latum, subtusque aram conspicitur lapis antiquus in modum sepulcri concavus, fractus per medium, & alio marmore quadrato quinque pedum coopertus, in cujus antica parte hæc verba exarata sunt:

Orate pro me Rustico vestro.

In postica vero, licet ibi multa scripta sint, hæc tantum legi potuere: *Altare hoc mu.... Am. Hermetis prbi.*

Inde conjicit Baluzius, quoniam olim defunctorum corpora in urbibus, aut in ecclesiis sepelire haud moris erat apud Romanos, Rusticum illic conditum fuisse; quæ conjectura probabilitate non caret; nam cum an. 1404. id sacellum visitatum fuisset, acta illius visitationis sic habent: *Ibidem etiam quamplurimi veniebant infirmi ad tumulum B. Lupi, qui est cum corpore sancto in medio dictæ capellæ, & ante introitum portæ in terra asseveratur esse sepulta corpora SS. Rustici & Eleutherii.* Ita rudi sæculo confundebant Rusticum Narbonensem cum Rustico socio S. Dionysii Paris. & Eleutherii diaconi. De Rustico nostro vide Tillemontium, tom. XV. pag. 401.

VI. Hermes.

Antea S. Rustici diaconus, ut legitur in inscriptione superius allata, consulta Rustici Romam detulit ad Leonem pontificem, & inde responsa Leonis ad Rusticum retulit. Postmodum vero ab episcopatu Biterrensi dejectus, vitam aliquandiu

ANNI CHRISTI

privatam duxit, donec Rusticus, qui noverat ejus meritum, illum successorem destinavit, scriptisque ad S. Leonem litteris rogavit, ut hanc destinationem approbaret, quod renuit pontifex; sed nihilominus clero & populo annuentibus hanc metropolitanam sedem, mortuo Rustico sub annum 462. occupavit, qua de re sic Hilarus papa epistola VII. ad Leontium Arelatensem: *Rumore*, inquit, *cognovimus, & quantum diligenter a diacono Johanne, qui a magnifico viro filio nostro Friderico* (hic erat frater Theodorici Visigothorum regis) *litteris suis nobis insinuatus est, requisivimus, quod iniquissima usurpatione quidam Hermes episcopatum civitatis Narbonensis execrabili temeritate præsumserit....... qua de re monemus...... tam tuæ dilectionis, quam fratrum nostrorum relationem transmittatis, &c.* Et in epist. VIII. ad episcopos diversarum Galliæ provinciarum sic habet: *Frater & coepiscopus noster Hermes a Narbonensi ecclesia credidit jure suscipi, quia indigne a Biterrensibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi.* Tametsi vero intrusus, ut Hilaro videbatur, ita nihilominus ex ejusdem epist. capite I. eidem ecclesiæ præsidere permittitur, ut ordinandorum episcoporum, ob hæc quæ prave facta fuerant, careat potestate, quam ad Constantium Uceticæ antistitem, qui ævo honoris primas erat, delatam censuit pontifex, ita ut si superstite Hermete defunctus fuerit, illum hæc cura respiciat, quem repererit episcopalis ordo primatem, id est ordinatione antiquiorem, Hermete autem deficiente, faciendorum mos antistitum Narbonensi mox reddatur ecclesiæ, quam non civitas, sed causa præsumtionis amisit.

462. Tom. 4. concil. pag. 1040. Ibid. pag. 1041.

VII. CAPRARIUS.

Canonibus Agathensis concilii subscripsit Caprarius anno 506. per Anilium presbyterum, quem suo nomine ad hoc concilium miserat. Athalocum vero qui reposuere inter antistites ecclesiæ Narbon. ita haud dubie fecerunt, quia legebant ea illum tempestate fuisse episcopum in provincia Narbonensi: nam Gregorius Turonicus istud tantummodo de illo refert, prorsusque silet de ecclesia, cui præerat; quem idcirco eradendum è catalogo Baluzius censet. Et certe omissus est a Claudio Roberto in sua prima Gallia Christiana.

506. Ibid. pag. 1395. Lib. 9. cap. 15. hist. Franc.

VIII. AQUILINUS.

Nullibi comparet Aquilinus præterquam in vita S. Victoriani abbatis in Hispania, tom. I. Januarii apud Bollandistas, p.741. ubi discipulus ejusdem sancti anno 560. defuncti appellatur.

IX. MIGETIUS.

Acta concilii III. Toletani habiti anno 589. VIII. idus Maii *Megetius in Christi nomine Narbonensis metropolitanus episcopus Galliæ provinciæ*, post Emeritensem, Toletanum & Hispalensem metropolitanos signavit. Præfuit eodem anno calendis Novembris synodo Narbonensi tempore Reccaredi regis celebratæ, cui suffraganei præsules subscripsere. Alteri quoque Toletano concilio nomen apposuit an. 597. de quo cardinalis d'Aguirre, t. 2. pag. 416. & Philip. Labbæus, tom. 5. conc. pag. 1603.

589. Tom. 5. conc. pag. 997. Ibid. pag. 1027. 597.

X. SERGIUS.

Subscriptus reperitur Sergius edicto Gondemari Visigothorum regis pro episcopo Toletano anon 610. æra 648. ubi observandum est eum non assumsisse metropolitani titulum, quanquam eo usi essent S. Isidorus Hispalensis, qui huic concilio præfuit, & Innocentius Emeritensis *de Merida*, qui ante illum subscripserant.

610.

XI. SELVA.

Memoratur Selva in conciliis Toletanis quarto & sexto annis Domini 633. & 638. cui sextæ synodo primus apposuit nomen ante Toletanum, Hispalensem & Braccarensem antistites.

In veteri Gallia Christiana quadripartita & apud Catellum inducitur post Selvam Felix, sed hic potius Lemovicensi ecclesiæ, quam Narbonensi adscribendus est. Vide novam Occitaniæ historiam, tom. I. pag. 344.

633. Ibid. pag. 1727. 638. Ibid. pag. 1749.

XII. ARGEBAUDUS.

Præsulis hujus in sede Narbonensi Catellus initia refert ad exordium regni Wambæ, quod quidem sumit ab anno 666. at melius 672. Sane occurrit Argebaudus in expeditione ejusdem Gothorum regis, uti Lucas diaconus Tudensis & Julianus archiepiscopus Toletanus scripsere, quam & referunt ad annum 667. melius 673. Hanc porro, cum sit notissima in historiæ Occitaniæ fastis, paucis ex Marianæ scriptis redactam subjicimus.

673.

Cum XIII. calend. Octob. Toleti in templo S. Petri inunctus fuisset Wamba, & multi regem diversis partium studiis recipere nollent, vocatis ex Gallia Judæis pridem ex Gothorum finibus pulsis, rebellandi initium fecit Hilpericus Nemausi comes; tunc Wamba bello Cantabrico implicatus, Paulum comitem rei militaris peritissimum præmisit ad rebellium vires frangendas; sed defectionis consilio cum Gothorum proceribus communicato, Gerunda, Barcinone, atque aliis Hispaniæ urbibus in potestatem redactis, cum Hilderico copias jungere cogitat in Gallia. Argebaudus autem Narbonensis initio quidem conatus suæ urbis portas rebellibus claudere, eorum celeritate præoccupatus, a rege tandem deficere visus est, magis cum non satis animi esset ad resistendum, quam quod proditorum causam probaret. In ea urbe Paulus concione tum civium, tum militum advocatus, archiepiscopi temeritatem accusavit, qui cives de republica optimè meritos, urbis aditu prohibere tentasset: deinde explicuit æquum esse Wambæ imperium detrectare, & postulavit novum regem legibus creari. Paulus igitur Gothorum rex pronunciatus, Hilderico in partes suas attracto, & Galliæ urbibus sub jugum missis, Wambam contumeliosis litteris eo successu elatus provocat, qui cognita perfidia, novisque auxiliis confirmatus, Pyrenæi

ANNI CHRISTI

Pyrenæi juga ſuperat, & prope Narbonam caſtrametatus in civitatem impetum facit, ac Vittimerus, cujus curæ eam crediderat Paulus, re deſperata, ad Virginis aram captus, regis arbitrio plectendus ſervatur. Capta Narbona, eodem victoriæ curſu Nemauſus expugnatur, & in deditione a civibus facienda ex captivorum numero Argebaudus communi conſilio regi obviam mittitur veniæ deprecator. Is ad quartum ab urbe lapidem advenienti Wambæ occurrens, ex equo deſcendens, genibus nixus, inter ſingultus & lacrymas toto ore manantes, orationem habuit ad eumdem regem, quæ a Mariana lib. 6. de rebus Hiſpaniæ, cap. 12. refertur, una cum hiſtoria expeditionis Wambæ; digna eſt autem ut ipſius verbis utamur. *Tui cives*, inquit, *rex clementiſſime, ſi tamen eo nomine digni ſunt, qui patriæ caritatem exuerunt, exilioque & diminutione capitis jus civium amiſerunt, in tua clementia ſalutis ſpem ponentes, non veniam ſcelerum orant, quamvis te rege hæ preces non inverecundæ videri poſſent ? ſed promeriti ſupplicii modum aliquem deprecantur. Eſt omnino difficilius animum in victoria continere, quam hoſtes in bello ſuperare, ſed alias animi magnitudo nulla re magis perſpicitur, quam miſerorum ærumnis ſublevandis. Illa laus communis cum milite eſt, hæc magnorum regum præcipua. Procul abſentes contemplari oculis nequis : ſed finge animo lacrymis & ſquallore fœdatos, pedibus tuis advolutos, cauſam ſuam tibi commendare, homines vel mentis inſcitia, vel communi temporum calamitate, vel inſuperabili vi fatorum in hæc flagitia prolapſos. Quo graviora delicta ſunt, eo major tibi, clementiſſime rex, gloria erit miſeros conſervaſſe, furoreque ſuo extinctos quaſi ad vitam revocaſſe. Veniſſent ad te inermes, laqueis colla implicati, ut vel ea ſpecie ad miſericordiam flecterent, vel morte obita, quod ſe promeruiſſe fatentur, vitæ finem ſimul atque ærumnis pariter facerent : ſed veriti ſunt, ſi ad extremam veniæ petendæ ſpem conditionemque deſcenderent, ne cui videretur animus tuus immitior eis videri, quam qui poſſet niſi extremis remediis mitigari : pauci relicti ſumus, tuique omnes ! Noli tua manu perire, quibus belli crudelitas pepercit hactenus. Atque illud cave, ne dum vendictæ indulges, deletis civibus, nobiliſſimam Galliæ civitatem, atque Gothorum imperii propugnaculum exſcindas. Erat Wamba bellicis artibus cuivis veterum regum æqualis, ſed imperatoriam laudem benignitate, clementia & manſuetudine ſuperabat. Itaque perpauca locutus, hanc ſummam orationis habuit. Tuis, inquit, precibus flexus, vitam ſontibus dono ; ne tamen abſolutio improbitatis, lex impunitatis eſſe credatur, ſupplicium, quod ad retinendam imperii dignitatem neceſſarium fore arbitror, penes conjurationis capita ſtabit. Epiſcopo vero integram veniam pergente flagitare, rex aliquanto iratior redditus, Annon ſatis, ait, eſſe videtur vitam facinoroſis conceſſam ! an vultis ut ſupplicia ad delictorum menſuram expendamus ! tibi, Argebaude præſul, bono ſit a nobis quod exploratum habemus, invitum defeciſſe, ne venia dimidiata concedatur : reliqui quidquid de ignominioſa morte fuerit detractum, id totum in lucro ponant, noſtræque acceptum ferant benignitati.* Continuo rex in urbem cum copiis triumphi ſpecie advenit, Paulus toto ſpectante exercitu ad Wambam deducitur, ac omni militari honore ſpoliatur; captivi ad ejus pedes proſtrati, vita ſupplicibus donatur; inde rex in Hiſpaniam reverſus, Toletum urbem ſolemni apparatu invectus, Paulo ludibrii cauſa corona ex nigro corio capiti impoſita; peracta pompa, una cum ſontibus perpetuo carceri mancipatus eſt. Hactenus Mariana loco citato, & hiſtoria Wambæ regis Toletani autore Juliano archiepiſcopo. De Argebaudo nihil amplius occurrit.

XIII. Sunifredus.

Pacatus abbas vice Sunifredi Narbon. archiepiſcopi ſubſcripſit concilio Toletano XIII. anno 683. Johannes abbas, & Valdemarus diaconus decimo quarto anno 684. At decimo quinto 688. ipſemet adfuit Sunifredus, cujus meminit Rodericus lib. 3. hiſt. Hiſpaniæ capp. 12. & 13. Ejuſdem Sunifredi præclarum habetur elogium in epiſtola, quam Idalus Barcinonenſis epiſcopus ad eum ſcripſit, quo tempore ei tranſmiſit opus S. Juliani Toletani, cui titulus : *Prognoſticon futuri ſæculi*, quod ab eo Sunifredus enixe poſtulaverat.

683. *Tom. 6. conc. pag. 1269.* 684. *Ibid. pag. 1284. & 1307.* 688. *Tom. 1. ſpicil. pag. 316.*

Magnus deinde hiatus eſt in catalogo Narbonenſium archiepiſcoporum, ob cladem hujus eccleſiæ, quæ cum civitate Narbonenſi in manus Sarracenorum Hiſpaniæ incidit ; unde aut nulli epiſcopi per annos circiter 80. ſederunt, aut eorum obliterata eſt memoria.

XIV. Aribertus.

Innoteſcit Aribertus ex fragmento ſcriptæ ad illum epiſtolæ a Stephano papa, quem novæ hiſtoriæ Occitaniæ ſcriptores in notis ad tomum primum pag. 739. tertium hujus nominis probant circiter annum 768. Hæc autem epiſtola ſpectat Judæos, qui allodia terrarum poſſidebant, quod prohibet pontifex. Sammarthani loco Ariberti, quem in annum circiter 893. rejiciunt, Nimbriſium ponunt, freti auctoritate chronici brevis S. Theodoriti Uceticenſis, ubi dicitur anno 773. ordinaſſe Sigipertum Uceticenſem epiſcopum : verum Baluzius auctoritatem hujus chronici in eo elevat, quod non ſit vetus, multiſque ſcateat mendis ; adeo ut ſi ejus auctoritas alicujus eſſet ponderis, inde ſequeretur Narbonæ hunc epiſcopum ſediſſe poſt Danielem, quem idem chronicon a Caſa-nova relatum in tractatu de liberis Occitaniæ allodiis præfuiſſe docet anno 755. ac proinde Nimbriſium a Nibridio ſeu Nifridio diſtinguendum eſſe, qui tamen unus & idem nobis videtur, cujus nomen diverſimode ſcriptum ab amanuenſibus etiam diverſimode in exemplaribus reperitur. Equidem legimus Danielem, qui ſequitur, in Palæſtinam profecturum commendaſſe eccleſiam ſuam Arluino advocato, (quoad temporalia) & Nimbriſio magnæ auctoritatis hac tempeſtate viro

Tom. 9. conc. pag. 478. 768.

ANNI CHRISTI

(quoad ſpiritualia), quam redux iterum gubernavit: quod forte anſam erroris ſcriptoribus præbuit, qui cum legerent Nifridium ſeu Nimbriſium ante & poſt Danielem gubernaſſe, ex unico homine duos finxerunt. Verumtamen idem Baluzius nos admonet ſe præ manibus habuiſſe vetuſtiſſimam membranam, in qua continebatur exemplar judicii lati in cauſa Danielis, ubi nulla ejus in Jeruſalem peregrinationis occurrit mentio.

XV. Daniel.

769. *Tom. 6. conc. pag. 1721.*

Danielem ſeu Danihelem (ſic enim habet autographum cujuſdam chartæ) interfuiſſe ſynodo, quæ Romæ an. 769. habita eſt a Stephano papa IV. de electione pontificis & cultu ſacrarum imaginum, docet Sirmondus ex ſchedis Panvinianis; illuc quippe miſſus fuerat a Carolo & Carolomanno regibus cum duodecim aliis præſulibus.

782. * *783. ex Baluzio in append. ad capitul. col. 1394.*

Memoratur & anno XIV. Caroli regis Francorum, qui coincidit in annum 782.* in vetuſto placito miſſorum dominicorum pro honore SS. Juſti & Paſtoris, &c. ubi victor exſtitit Daniel contra Milonem comitem Narbonenſem. Hujus placiti autographum in archivi Narbonenſis ſcrinio aſſervatum num. 255. inter inſtrumenta referimus.

Ch. I. col. 1.

791.

Narbonæ Daniel concilium celebravit ac primas tenuit anno 791. cum pleriſque Septimaniæ & Hiſpaniæ præſulibus in cauſa Felicis epiſcopi Urgellenſis, de qua ſynodo fuſe Baluzius ſcripſit in additione ad caput 25. lib. VI. de Concordia Sacerdotii & Imperii, & lib. IV. Marcæ Hiſpan. pag. 343. necnon Catellus in commentariis hiſt. Occitaniæ pag. 743. In hac ſynodo pronunciatum eſt pagum Redenſem ſubjici eccleſiæ Narbonenſi debere, unde factum eſt, ut nonnulli ſequentium archiepiſcoporum Narbonenſes ſe & Redenſes archiepiſcopos dixerint: decretum etiam eſt Auſonam ab archiepiſcopo Narbonenſi debere gubernari, donec fugatis infidelibus proprius in ea conſtitueretur epiſcopus. Id actum V. calend. Julii indictione XII. *lege* XIV. anno 23. glorioſiſſimo imperatore Carolo regnante; quod de anno ejus imperii minime intelligi poteſt, neque enim tot imperavit annis, cum anno tantum 800. Romæ ſalutatus fuerit imperator: annus vero 23. regni Caroli cum anno Chriſti 791. illigatur, unde Carolus Cointius præfatam ſynodum differt ad hunc annum, cujus & acta mira libertate emendat, in his maxime quæ ſpectant ad chronologiam.

Tom. 6. annal. eccl. pag. 463.

Ch. II. col. 2.

Eadem exhibemus ad autographum correcta in appendice noſtra. Quanto vero poſtea Daniel ſuperſtes fuerit tempore, quove anno diem clauſerit extremum, ignoramus.

XVI. Nebridus & Nefridius.

799.

Idem qui Nimfridius & Nimbriſius, uti ſupra monuimus, ex abbate Craſſenſi ad ſedem Narbonenſem evectus eſt circiter annum 799. quo certe jam epiſcopus interfuit ſynodo Urgellenſi adverſus Felicem hujuſce urbis antiſtitem, cum Leidrado archiepiſcopo Lugdunenſi & Benedicto Anianenſi abbate; qui rurſus præſules cum eodem abbate & ceteris Gothiæ tum epiſcopis, tum abbatibus alteram Urgellæ ſynodum anno ſeq. celebrarunt ad hanc hæreſim penitus extirpandam;

800. *Marc. Hiſp. p. 345.*

cum paulo ante, eodem tamen anno ab Alcuino contra Elipantum Toletanum archiepiſcopum opus quatuor in libros diſtinctum accepiſſent, cujus inſcriptio talis eſt: *Dominis in Chriſto caritate venerabilibus atque dilectiſſimis Leïdrado epiſcopo Lugdunenſi, & Nefridio epiſcopo Narbonenſi, & Benedicto abbati, ſimulque ſanctiſſimis, nobiſque valde honorabilibus Gothiæ provinciæ patribus, epiſcopis, abbatibus & fratribus, humillimus ſanctæ eccleſiæ filius Albinus ſalutem.*

813.

Fuit & Nebridus legatus, ſeu miſſus dominicus Caroli Magni imperatoris ad concilium VI. Arelatenſe an. 813. una cum Johanne iſtius urbis archipræſule. Vir quippe erat ſummæ dignationis per illa tempora, & veneranda canitie conſpicuus, ut patet ex epiſtola Agobardi Lugdunenſis archiepiſcopi ad eum ſcripta de cavendo convictu & ſocietate Judæorum, & ex vita S. Benedicti Anianenſis ſæcul. IV. Bened. part. 1. pag. 196. quem & inter præſules pietate inſignes commendat Theodulphus epiſc. Aurelianenſis lib. 2. carm. 6.

814. Ch. III. col. 3.

Hinc & ipſi pro eccleſia Narbonenſi & S. Pauli monaſterio Ludovicus Pius imperator anno 1. imperii, hoc eſt an. 814. præceptum immunitatis conceſſit, quod a Catello jam vulgatum, & a Sammarthanis recuſum noſtra inter inſtrumenta reperies. Memoratur etiam in diplomate ejuſdem Ludovici imperatoris pro Bellæ-cellæ monaſterio Anianæ ſubjecto. Datum eſt VI. idus Martii ind. XII. vivente adhuc Benedicto Anianæ conditore, hoc eſt 819.

819. 822. Ch. III. col. 343.

Adfuit anno 822. cum Agobardo Lugdunenſi præſule electioni Tructeſindi abbatis Anianenſis, fortaſſe quia S. Benedictus Anianenſis abbas ſuam ei moriens familiam commendarat ſcripta epiſtola, quam edidit Mabillonius ſæcul. IV. Bened. part. 1. pag. 217. & Cointius tom. 7. annal. eccleſ. ad an. 821. pag. 550. Denique ejuſdem Nebridii auctoritate Mercoralis abbas S. Stephani Balneolenſis conſtitutus eſt anno decimo imperii Ludovici Auguſti. De anno ejus obitus non conſtat; dies vero ita notatur in Craſſenſi necrologio: *Calendis Januarii Nimfridius abbas & archiepiſcopus Narbonenſis.*

XVII. Bartholomæus.

828. 829.

Incertum quidem eſt quo Bartholomæus tempore Narbonenſem cathedram conſcenderit; at profecto jam ſedebat anno 828. quo vocatus, ſeu juſſus ab imperatoribus Ludovico Pio & Lothario, interfuit anno ſeq. habitæ apud Toloſam ſynodo cum Nothone archiepiſcopo Arelatenſi, Adalelmo (Eluſano) & Agiulfo Bituricenſi. Subſcripſit quoque cum aliis pluribus litteris Aldrici archiepiſcopi Senonenſis pro cœnobio S. Remigii ejuſdem urbis, quod anno 834. factum legimus tom. 2. ſpicilegii Dacheriani, pag. 579. anno vero 833. in annalibus Cointii & t. 7. concil. p. 1681. Lotharii partes adverſus patrem Ludovicum imperatorem rebellantis

ANNI CHRISTI 833. 838. *Miscell. t. 3. pag. 136.*

fovit an. 833. abeuntemque Lotharium in Italiam anno seq. comitatus est, *relicta sede sua contra sacras regulas*, inquit Flodoardus lib. 2. cap. 20. hist. Remensis. Verumtamen imperatori reconciliatus adfuit an. 838. concilio Carisiacensi, in quo monachos Anisolenses damnavit, qui debitam Cenomanensi episcopo denegabant obedientiam. Post obitum Ludovici Augusti incurrit in offensam Caroli Calvi, qui eum e sede sua expelli fecit circa 840. quod iterum Lotharii partibus cum Ebbone Remensi addictus, ab ecclesia sua discessisset; eo namque respicere videtur Flori Lugdunensis ecclesiæ diaconi carmen de divisione imperii post mortem Ludovici Augusti facta, in quo lugubrem ejus temporis statum pathetice depingens, inter alia de Narbonensi ecclesia & Remensi sic lamentatur.

Præsulibus plebes viduæ, doctore cathedræ,
Pluribus & plures jacuerunt funditus annis.
Tristis adhuc veteri tabescit vulnere Narbo,
Tristia Remorum pariter quoque mœnia lugent.

Fugatus itaque Bartholomæus sub finem anni 842. ad Lotharium imperatorem iterum se convertit, cujus cum filius Ludovicus Romam pergeret anno 844. mandata patris ad pontificem proceresque Romanos de ordinatione Romanorum pontificum delaturus, illuc quoque Ludovicum secutus est, cumque ille inunctus fuisset in regem Longobardorum, Bartholomæus arrepta hac occasione, ut videbatur, opportuna, Sergium papam II. oravit una cum Ebbone Remensi ut eos reconciliare & pallium tribuere dignaretur: *Quos etiam idem præsul nec communionem inter clerum dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo haberent.* Sic enim tradit Anastasius auctor gestorum pontificalium editus apud Hincmarum tom. 1. pag. 326. subjungitque: *Post hæc Ebbo quidam & Bartholomæus archiepiscopi, qui pro criminibus suis privati honore, ab ecclesia fuerant expulsi, a sanctissimo pontifice postulabant ut, &c.* quæ quidem verba, *ac pallium eis tribuere* in gestis illis relata Baluzius monet deesse in vetustissimo codice ms. bibliothecæ Colbert. superflua quippe ipsi videntur, cum, inquit, hoc loco non agatur de eorum restitutione, sed de reconciliatione; at idem prorsus habet Flodoardus de Ebbone saltem in historia Remensi, lib. 2. cap. 20. his verbis: *Una cum Drogone Metensium præsule Romam petiit, ubi a Sergio papa reconciliari, ac pallium sibi tribui postulavit, cui idem papa communione tantum concessa dare pallium renuit.* Ceterum Bartholomæum odiosum Carolo factum, non tam canonice depositum fuisse innuit Florus, quam propria Caroli auctoritate dejectum, ingenti totius populi mœrore. Et certe neque ista dejectio, neque Sergii papæ judicium obstare potuerunt, quin ipsum plurimi viri pietate insignes impense, ut antea, venerarentur. Hujus rei argumentum est Amolonis archiepiscopi Lugdunensis ad Theobaldum episcopum Lingonensem epistola; in ea quippe Bartholomæum jam dejectum summopere laudat, ejusque imprimis zelum extollit in tutanda ecclesiastica disciplina, cum scilicet epistolæ Agobardi decessoris sui ad Bartholomæum meminit, de quorumdam illusione signorum occasione morborum insolitorum tunc temporis grassantium, cujus exemplar ad Theobaldum misit, ex qua discimus Bartholomæum Agobardi consilio quasdam ad sepulcrum S. Firmini in urbe Ucetia superstitiones sustulisse, & locum illum frequentari vetuisse. Utrum in Italia Bartholomæus vitam clauserit, incompertum nobis est.

Gall. christ. t. 8. emend. eccl. pag. 713.

XVIII. Berarius.

Censet Baluzius in mss. ad veterem Galliam Christianam notis Berarium suffectum statim fuisse post Bartholomæi depositionem, quam autumat contigisse circa annum 835. eodem scilicet tempore, quo Ebbo Remensis & alii antistites detestandæ Ludovici Pii imperatoris exauctorationis participes, de sedibus suis ejecti fuere judicio episcoporum Galliæ. Verum Bartholomæus synodo Carisiacensi adstitit anno 837. vel 838. ac proinde nondum hoc anno saltem erat depositus. Sedebat autem Berarius jam anno 842. quo Caroli Calvi nuptiis cum Hirmintrude apud Carisiacum celebratis interfuit. Anno seq. pridie idus Junii tuitionis præceptum obtinuit ab eodem principe, qui & a Pipino rege jam pridem factam donationem de dimidia parte civitatis Narbonensis ratam habuit, dato ea de re novo diplomate apud cœnobium sancti Saturnini Tolosæ XII. cal. Julii indict. VI. anno regni IV., quod vide-sis inter instrumenta. Denique memoratur anno 845. in charta ejusdem Caroli Calvi pro Alaonensi cœnobio, in qua fit mentio de prædictis Caroli nuptiis cum Hirmintrude.

Tom. 7. concil. pag. 1695. 842. 843. Ch. IV. col. 4. 845. *Aguirre t. 3. pag. 131.*

XIX. Fredoldus.

Primam Fredoldi, seu Fredaldi & Freduli notitiam nobis suppeditat instrumentum Caroli Calvi, quo eidem archipræsuli concedit quasdam res proprietatis suæ in villa quæ nuncupatur Venthenacus, & quidquid regiæ dominationis erat in loco S. Saturnini in Licia. Datum est hoc diploma anno regni Caroli XVII. XV. cal. Martii ind. IV. id est 856. vel 857. ex Baluzio append. ad Capitularia col. 1466. quod & nos in appendice nostra exhibemus. Subscripsit anno 860. concilio Tusiacensi. Ejusdem archiepiscopi fit mentio an. 862. die 20. Julii in charta Asinarii Solensis ac Lupiniacensis vicecomitis erectionem monasterii B. M. de Alaone confirmantis anno XXII. regnante Carolo indict. IX. Egika cœnobii Caunensis abbas Deodatum presbyterum anno XXVI. regnante Carolo rege, hoc est 865. interpellavit coram Fredaldo archiepiscopo, Alarico episcopo & aliis, quod Enneconem ipsius presbyterum apprehendisset & astrinxisset. Fredaldi nomen occurrit in libello supplici pro Exalatensi monasterio oblato regi Carolo Calvo, de quo dicemus in Audesindo Helenensi episcopo: iste siquidem locus in hoc libello legitur situs *sub diœcesi* (hoc est provincia) *Fredaldi Narbonensis archiepiscopi & parochia Audesindi*

856. Ch. VI. col. 6. 860. 862. 865.

ANNI CHRISTI 871.

Helenensis episcopi. Præceptum vero Caroli huic libello annuentis datum est nonis Augusti ind. IV. anno XXXII. ejus regni, hoc est 871. vel 872. ac proinde Sigebodus non sedebat anno 864. uti mox demonstrabimus. Quinimmo vitam Fredaldi protractam fuisse usque ad annum 872. probat judicium hoc anno latum pro Daniele abbate Caunensi, qui debitum ab hoc episcopo nuper mortuo contractum ex ipsi venditis ab Egika ejusdem loci abbate frumenti viginti modiis, totidem vini, mulis, equis, aliisque rebus valoris solidorum 450. ab ecclesia Narbonensi repetebat. Hujus autem debiti solutio decreta fuit a Salomone misso dominico ejusque assessoribus in solemni placito apud Castrum Minerbæ prope Narbonam, *sub die nono calendas Maias* anno XXXIII. regnante Carolo rege, hoc est 872. vel 873. Vide Marcam Hispan. pag. 360. ubi Baluzius diserte asserit obiisse Fredaldum anno 872. aut sub initium sequentis.

Tom. 8. Spicil. pag. 349.

872.

XX. SIGEBODUS.

Prima Sigebodi mentio reperitur in cap. *Conquestus* 9. quæst. 3. sumto ex epistola XIX. Nicolai I. ad Rodulfum archiepiscopum Bituricensem, ex quo consequi videretur Sigebodum sedi Narbonensi fuisse impositum ab anno saltem 866. quo idem Rodulfus obiit: & tamen constat ex dictis Fredoldum cathedram Narbonensem tenuisse ab anno saltem 856. ad 872. Id ergo nonnihil negotii facesseret, si caput *Conquestus* ab Yvone & Gratiano relatum vere ad epistolam Nicolai I. papæ pertineret; at recte monuit vir harum rerum peritissimus Jacobus Sirmondus fragmentum illud hujus epistolæ non exstare in veteri codice, ex quo eam ille integram edidit, qui codex olim in bibliotheca Colbertina, nunc in regia censetur. Itaque Sigebodi episcopatus exordia revocanda sunt ad annum 873. quo circiter ad preces Gulfarici abbatis Jocundensis ecclesiam de Formigueria consecravit XI. cal. Octobris indict. VI. Anno 875. occasione ordinationis Adalgerii Æduorum episcopi factæ Cabiloni, habita est synodus episcoporum cui Sigebodus noster subscripsit. Infirmitate impeditus anno 878. cum ipse Nemausum ire non posset, misit Theodardum archidiaconum cum monachis Saxiacensis cœnobii, qui reliquias S. Baudilii quæsituri Gothiam accesserant, quibus & ipse dedit lipsana S. Pauli Narbonensis episcopi. Eodem anno ad synodum Tricassinam evocatus epistola XCVIII. Johannis VIII. papæ, ei subscripsit cum aliquot e suis suffraganeis, necnon huic pontifici librum Gothicæ legis obtulit, testante Ivone part. 3. c. 98. ubi cum nihil haberetur de sacrilegiis, id est de pœna sacrilegis imponenda, unam assignavit Johannes papa prius a Carolo pio principe constitutam, triginta scilicet libras argenti probati solvendas; quo tempore Ludovicus rex uniri ejus ecclesiæ *ad extremam pauperiem redactæ* quædam beneficia indulsit. Johannes VIII. papa epist. CXXII. huic simul & Rostagno Arelatensi definiendam inter Willafredum Uceticensem & Rotfridum Avenionensem episcopos causam committit, & epistol. CXCI. ipsum & alios duos metropolitas, Arelatensem & Aquensem hortatur idem pontifex, ut Nemausensem antistitem a monasterii cujusdam invasione removerent, etiam sub excommunicationis pœna, si non paruerit. Data est XVIII. cal. Julias ind. XII. hoc est anno 879. Quibus epistolis adde fragmentum unius ab eodem papa scriptæ ad Sigebodum Narbonensem præsulem de causa cujusdam presbyteri discutienda. Sub hæc tempora Tolosæ concilium congregasse dicitur pro causa Judæorum prædictæ civitatis conquerentium de colapho, qui uni ex advocatis eorum ter in anno, diebus scilicet Natalis Domini, & Passionis ejus, ac die Assumptionis impingi solebat, ex vita S. Theodardi apud Bollandistas prima die Maii, pag. 142. quem etiam morem diu hac in ecclesia viguisse testatur Ademarus Cabanensis in chron. bibl. Labb. t. 2. p. 177. quanquam Bollandistis loco citato id omnino fictitium videtur ob rationes non contemnendas. Sigebodo cessit Carolomannus abbatiam S. Laurentii ad fluvium Nigellam *la Niesle*, vulgo *S.t Laurent de Cabreresse*, seu potius hanc donationem jam anno 878. factam a patre Ludovico Balbo confirmavit anno 881. *eo tenore ut stipendia monachorum ibidem degentium non deficiant.* Hoc diploma datum legitur pridie nonas Junii anno tertio regni Carolomanni regis ind. XIV. Cujus etiam principis eodem anno, (vel sequenti, utpote ind. XV. prædito) pridie nonas Julii memoratur Sigebodus in charta Asinarii Solensis ac Lupiniacensis vicecomitis erectionem monasterii B. M. de Alaone confirmantis. Aliud exstat in tabulario archiepiscopali præceptum ejusdem Carolomanni datum apud Compendium palatium pridie nonas Febr. ind. II. anno IV. regni ejus, quo Leotrici cujusdam precibus vice Sigeboldi sanctæ matris ecclesiæ primæ Narbonensis archiepiscopi dedit ad emolumentum ecclesiæ SS. Justi & Pastoris quasdam res Hildrico cuidam olim concessas, tunc vero, sic ejusdem culpis exigentibus, ad fiscum redactas. Denique Ingobertum Urgelitanum antistitem a Sigebodo fuisse consecratum, eumdemque Sigebodum e vivis exemtum sub annum 885. Sammarthani scribunt ex monumentis Narbonensibus, postquam circiter hunc annum Wifredus Barcinonensis comes eum rogasset, ut per se & per suos convicinos suffraganeos Ausonensem ecclesiam gubernaret.

873. Ch. II. col. 103. 875. Tom. 9. conc. col. 275. 878. Ch. IV. col. 168. Ibid. pag. 81. 313. & 314. Baluz. conc. Narb. app. pag. 69. Tom. 9. conc. pag. 90. Ibid. pag. 124. 879. Tom. 2. hist. Occit. prob. p. 18. 881. Aguirre t. 3. conc. pag. 134. 882. Prob. hist. Arvern. pag. 13. 885.

XXI. THEODARDUS.

Is quoque dictus Audardus, cum in tractu Tolosano nobilissimis parentibus, Ludovico Pio imperante, lucem aspexisset, in oppido scilicet Montis-Aureoli, modo dicto Montis-Albani, divinas humanasque litteras a puero una cum pietate studiosissime coluit, doctrinæque suæ specimen egregium adhuc tantum subdiaconus dedisse fertur in colloquio quodam cum Judæis, qui in cœtu episcoporum apud Tolosam habito iniquius secum quotannis agi expostulabant. Hanc igitur, inquiunt, adolescentis virtutem admiratus Sigebodus metropolita Narbonensis & concilii

ANNI CHRISTI

præſes, illum ſecum habere voluit, & archidiaconum eccleſiæ ſuæ conſtituit: quo in munere omnibus ſuavitate morum, modeſtia, ſumma in Deum pietate, & in egenos caritate ac beneficentia admirationi fuit & amori. Preſbyter paulo poſt, licet reluctans, ordinatus, Sigebodo tandem ſucceſſit an. 885. conſecratus in archiepiſcopum die Dominica 15. Auguſti a Giſlerano Carcaſſonenſi, Agilberto Biterrenſi & Auſindo, ſeu Audeſindo Helenenſi præſulibus, ceteris ejuſdem metropolis ſuffraganeis, præter Auſonenſem, cujus ſedes nondum fuerat reſtituta, per litteras tanti viri exaltationem collaudantibus. Suſcepto itaque pontificatu, novus inde ſplendor virtutibus ejus accrevit, quippe qui magna ſollicitudine gregi fidei ſuæ commiſſo præfuit, & eccleſiæ ſuæ jura, aliarumque ſuæ metropoli ſubditarum acerrime tutatus eſt.

885. Marc. Hiſp. pag. 364.

Romam profectus anno ſeq. pallium a Stephano papa VI. impetravit, necnon litteras adverſus quemdam clericum Hiſpanum, Selvam nomine, qui Urgelitanam ſedem, expulſo Ingoberto epiſcopo invaſerat. Quæ præter iſtam cauſæ fuerint congregandæ adverſus eum ſynodi docet nos Baluzius lib. 4. Marcæ Hiſpan. pag. 365. docent & ex tabulis Narbonenſibus excerpta quæ ſequuntur e tomo IX. concil. Labb. p. 395. *Selva*, inquiunt, *clericus Hiſpanus, qui ſe archiepiſcopum fecerat, ejecto Ingoberto Urgellenſi epiſcopo, qui a Sigebodo fuerat conſecratus, in Gerundenſi etiam eccleſia, pro Servo Dei, quem Theodardus ordinarat, alium conſtituit nomine Ermemirum*, al. *Ermeninum, quem ordinarunt cum Selva Frodoinus Barcinonenſis & Gotmarus Auſonenſis epiſcopi. Ergo ordinatores ad ſe venire juſſit B. Theodardus. Cum venire detrectarent, ſynodum ſuæ provinciæ* (an. 887.) *ad XV. calendas Decembris indixit in villa quæ Portus dicitur, ſita inter Magalonam & Nemauſum. Advocavit & provinciæ epiſcopos. Adfuere autem Roſtagnus Arelatenſis, Matfridus Aquenſis, Ermaldus Ebredunenſis archiepiſcopi, & cum eis Paulus Aptenſis, Berengarius Maſſilienſis & alii. Adfuit & venerabilis Theodardus habens ſecum Guilbertum Nemauſenſem, Giſleranum Carcaſſonenſem, Eligium Albienſem, Amelium Uceticenſem, Abbonem Magalonenſem, Boſonem Agathenſem, Agilbertum Biterrenſem, Riculfum Helenenſem, Gotmarum Auſonenſem* (quem Theodardus conſecraverat anno 886.) *Ingobertum Urgellenſem, Servum Dei Gerundenſem, Bernardum Toloſanum & Macarium Lutevenſem. In hoc concilio Gotmarus veniam petiit, a Sinuario comite ſe inductum cauſatus. Contra Selvam vero & ſocios epiſcopi qui concilio aderant, Stephani papæ anathema renovarunt, niſi ante Quadrageſimam ſatisfacerent. Ad Sinuarium comitem miſſa quoque legatio, Gotmaro deferente, & benigne ſuſcepta eſt. Cum enim omnia, quæ geſta erant, audiiſſet, regionis primarios convocavit; adfuit etiam accitus Theodardus cum aliquot epiſcopis* in eccleſia S. Mariæ Urgellæ (circiter annum 888*.) *Ibi Selvam juxta canones, quia ſe extra metropolitani ſui conſenſum ordinari fecerat, & Ermemirum degradarunt, ſciſſis epiſcopalibus indumentis, baculis eorum ſuper capita eorum confractis, annulis cum dedecore a digitis evulſis, Frodoino Barcinonenſi venia, quam humiliter poſtulabat, conceſſa. Ita Narbonam reverſus eſt victor Theodardus.* Hæc ſunt excerpta hujus concilii, quæ licet falſa Bollandiſtis & Baluzio viſa ſint, veriſimilitudine tamen haud carent, tametſi nonnullis in locis interpolata. Hoc autem an. 888. Theodardus apud Aureliam urbem conſtitutus, ab Odone rege duo privilegia impetravit, alterum pro Narbonenſi eccleſia, ubi ſubjectio abbatiæ S. Laurentii, de qua ſuperius in Sigebodo, renovatur. Datum hoc præceptum anno 888. indict. VI. VI. calend. Julii Catellus edidit commentariorum Occitaniæ pag. 749. ſed mutilum, nos integrum damus inter inſtrumenta ex chartario Narbonenſi num. 17. Alterum privilegium ſpectat Auſonenſem eccleſiam, exſtatque ſub iiſdem pene chronologicis notis in appendice Marcæ Hiſpan. col. 819. ac tom. 3. conciliorum cardinalis d'Aguirre pag. 164. Theodardus anno epiſcopatus V. die 3. Oct. id eſt 889. dedicavit, quod in ſua cathedrali eccleſia ex albo marmore erexerat altare, columnis ejuſdem materiæ ſuffultum. Interfuit ſynodo Magdunenſi an. 891. in qua privilegium cœnobio S. Petri-Vivi ab archiepiſcopo Senonenſi conceſſum ſubſcriptione ſua comprobavit. Demum gravibus, iiſque aſſiduis laboribus feſſus, viribus deſtitui cœpit; quapropter ad ſolum natale, quoddam ſuæ gentis caſtrum, cui olim nomen *Mons-Aureolus*, nunc vero *Mons-Albanus*, deferri voluit, ubi paulo poſt eccleſiæ ſacramentis munitus ſancto fine quievit die 1. Maii anno 893. Sepultus eſt in eccleſia monaſterii ſancti Martini, quod in eodem loco ab ejus progenitoribus conditum tradunt, quodque ab eo ſancti Theodardi nomen accepit, abbatia olim ordinis S. Benedicti, poſtea in ſedem epiſcopalem erecta a Johanne papa XXII. Sacræ ipſius exuviæ, expugnato ab hæreticis Montalbano, apud Montechium depoſitæ fuerunt, donec ſedatis turbis ad eccleſiam cathedralem Montalbanenſem relatæ, ibidem honorifice aſſervantur. Vitam S. Theodardi edidit Catellus ex tabulis eccleſiæ S. Stephani Toloſani, & Petrus Poſſinus Societatis Jeſu preſbyter ex collectaneis vitarum Guidonis epiſcopi Lutevenſis, quæ ſunt in bibliotheca Fratrum Prædicatorum Toloſæ; ſed longe perfectior ea videtur, quæ ex chartario S. Pauli Narbonenſis excerpta eſt. Conſule ſocios Bollandiſtas prima die Maii pag. 141.

886. Tom. 2. hiſt. Occit. pag. 17. * 892. Marc. Hiſp. pag. 367. 888. Ch. IX. col. 10. 889. 891. Spicil. t. 2. pag. 733. 893.

De Ariberto, qui apud Sammarthanos ſequitur, ſupra diximus col. 14. num. XIV.

XXII. Arnustus.

Sedebat Arnuſtus in cathedra Narbonenſi an. 896. ut probatur ex reſponſo Stephani ſummi pontificis ad Arnuſtum dato XIII. cal. Septembris indictione XIV. hoc eſt 896. quo in ſummum pontificem electus fuerat Stephanus circa menſem Maium, ex annalibus Fuldenſibus pag. 582. Habes hanc epiſtolam t. 9. conc. p. 476.

896.

ANNI CHRISTI

tom. I. biblioth. Labb. pag. 804. & in appendice nostra ch. x. col. 11. Synodum coëgit Arnustus apud Nemausensem pagum in loco qui dicitur Portus an. 897. eique præfuit in ecclesia S. Mariæ XIII. cal. Maii. Insequenti calendis Novembris præceptum obtinuit a Carolo rege, triaque an. 899. primum pro clericis provinciæ Narbonensis, alterum pro ipsa Narbonensi ecclesia, cujus privilegia Carolus confirmavit, in his abbatiam S. Laurentii ad Nigellam, eique adjunxit abbatias de Cubariis & S. Stephani Bisuldunensis; tertium denique pro Helenensi ecclesia, quod editum est Marcæ Hispan. pag. 831. Data sunt VIII. idus Junii apud Turnum, non autem apud Thurinum, uti perperam editum est apud Catellum, ait Baluzius Marcæ Hispan. pag. 375. Eodem anno 899. die 14. Junii Carolus rex Arnusti Narbonensis archiepiscopi rogatu præceptum dedit pro suo quodam fideli, nomine Stephano, & Anna ipsius conjuge. Synodum habuit Arnustus apud Atilianum in territorio Narbonensi, in ecclesia protomartyris Stephani anno 902. Alteri apud Barcinonem in ecclesia S. Crucis concilio præfuit an. 906. in quo disputatum est an Ausonensis ecclesia Narbonensi tributum pendere deberet; quæ causa in aliud dilata fuit concilium, ubi perfectus confratrum duodenarius numerus esset.

Tom. 9. conc. pag. 478. — 897. — 899. — Ch. XI. col. 12. — *Tom. 4. Anecdot. pag. 69.* — 902. — 906. — Ch. XII. col. 13.

Istud habitum est anno sequenti apud Cesseronem ad Araurim fluvium in monasterio S. Tiberii diœcesis Agathensis, ibique assensu omnium episcoporum & ipsiusmet Arnusti, Ausonensis sedes a prædicto tributo declaratur immunis. Interfuit Arnustus an. 908. electioni Wigonis episcopi Gerundensis. Anno sequenti ind. XII. V. nonas Maii synodum apud Juncarias in tractu Magalonensi celebravit, ex actis ejusdem emendatioribus ope codicis Bosquetiani editis, quæ male a Sammarthanis anno 894. consignatur: exstat enim archetypum illius exemplar in scriniis archiepiscopatus Narbonensis, a sodalibus nostris exploratum, editumque a viro clarissimo Baluzio, cum aliis conciliis Narbonensibus, not. pag. 4. & seq. & Marcæ Hispanicæ pag. 92. Huic cœtui plurimi e Septimania, Hispania & Provincia interfuere præsules. Nullum vero habitum est hoc anno concilium Biterrense, ut volunt Sammarthani, sed aliud apud Fontemcoopertum in agro Narbonensi coëgit Arnustus an. 911. pro controversia inter episcopos Urgelitanum & Palliarensem de finibus utriusque ditionis dirimenda, cujus synodi chronicam notam Mariana post Suritam, lib. 8. cap. 5. hist. refert ad annum 940. sed perperam, nam e vivis longe antea excesserat Arnustus, imo & omnes episcopi in ea commemorati. Eodem an. 911. Arnustus se beneficum præbuit erga ecclesiam S. Pauli, sitam vel fundatam *in loco uti vocabulum est ad Albolas trans pontem prope Narbonæ civitatem*, cui nimirum ecclesias S. Amantii & S. Baudilii *cum appenditiis, casis & casaticis, curtis, oglatis, ortis, arboribus, silvis, garricis, fontibus*, &c. dedit, quæ ei obvenerant *ex comparatione de infantes Majolo vicecomite, & uxoris sua Reimodis nomine, Walchario, necnon & fratre suo Albericho, &c. Facta charta donationis & traditionis anno Verbi incarnati nongentesimo undecimo, die XVII. cal. Julii anno XII. Caroli post obitum Odonis regis.* Hanc quoque donationem, cujus notæ chronicæ optimæ sunt, Catellus memorat in commentariis hist. Occitaniæ, pag. 573. subjungitque pagina sequenti, se vidisse epistolam ad Anastasium III. papam a suffraganeis ecclesiæ Narbonensis scriptam, in qua narrant Arnustum euntem ad quoddam concilium fuisse interceptum ab inimicis, qui oculos ejus confixerunt, linguam absciderunt & virilia, calcibus & pugnis impetentes reliquerunt eum semivivum; quem sic mulctatum repererunt Reginardus Biterrensis & Nantigisus Urgellensis antistites. Hæc autem contigisse an. 912. autumat Baluzius, & quidem ante Junium mensem, ex tomo 2. novæ hist. Occitaniæ prob. pag. 54. sub extrema ejusdem Anastasii papæ tempora. Sammarthani de suo addiderunt locum, ad quem Arnustus pro concilio proficiscebatur, fuisse Toletum, cum illum Catellus haud exprimat, & hæc aliunde civitas eo tempore esset in potestate Sarracenorum. Equidem sub Gothis in Septimania rerum dominis archiepiscopi Narbonenses Toletana concilia frequentabant, at illis ex hac provincia pulsis, & ea parte Hispaniæ, quæ nunc Catalonia vocatur, Toletum adire Narbonensibus archiepiscopis nec licebat, nec expediebat. Et certe Petrus Andoque in episcopis Biterrensibus scribit, Arnustum Barcinonem profectum, ab hostibus in itinere cæsum fuisse, ejusque mortem consignat circa initia Johannis X. papæ, qui pontificatum sumsit anno 913. vel 914. At profecto duobus saltem citius annis mortem subiit Arnustus, cum Agius vel Agio successor ejus dicatur *electus archiepiscopus primæ sedis Narbonensis urbis per horribilem mortem sanctissimi archipræsulis Arnusti*, in charta Lupi Asinarii Solensis ac Lupiniacensis vicecomitis erectionem monasterii B. Mariæ de Alaone ratam habentis VII. idus Junii anno tricesimo, *lege* decimo-tertio redintegrante atque regnante gloriosissimo rege Carolo indict. XIII. *lege* XIV. vel XV. hoc est 911. vel 912.

907. — *Baluz. t. 7. Miscell. pag. 51.* — 908. — *Tom. 1. Anecdot. pag. 60.* — 909. — 911. — Ch. XIII. col. 14. — *Tabul. S. Pauli Narb.* — *Aguirre, t. 3. conc. pag. 135.*

XXIII. AGIUS & AGIO.

Post cædem Arnusti, clerus & populus Narbonensis congregati, ut viderent quo pacto eam ulciscerentur, aliumque archiepiscopum eligerent, optime factum putarunt, si vicinum suum Rostagnum archiepiscopum Arelatensem ad consilium vocarent. Is Agatham profectus, ante diem electioni præfixam, & antequam episcopi Narbonensis provinciæ convenissent in unum, una cum Amelio Uceticensi episcopo ad illam metropolitanam evexit sedem Gerardum, Amelii nepotem, qui Hugoni filio Berthæ *Senatricis & ecclesiæ Romanæ dispositricis*, ut ait Saxius, *a sacerdote erat*, hoc est ab eleemosynis. Sic igitur transgressus in partes Rostagnus Narbonam se contulit, ut Agium Vabrensem abbatem, qui ab episcopis suffraganeis legitimo interim ordine

ANNI CHRISTI

congregatis electus fuerat, pelleret, eique Gerardum substitueret. Quinetiam Saxius addit Johannem X. papam litteras ad eumdem Rostagnum direxisse pro Agii exauctoratione; sed e contra Catellus refert epistolam ejusdem Johannis pontificis a Sammarthanis editam in Gallia Christiana quadripartita, quam & nos recudimus, ex qua manifeste liquet Gerardum Romam profectum, ut summo pontifici electionem suam probaret, repulsam passum fuisse, indeque reversum, pontificiis assimulatis epistolis Narbonensem armata manu episcopatum devastasse, Agiumque insidiis cepisse ne Romanam peteret sedem. Quibus auditis summus pontifex Narbonensis provinciæ episcopis mandat, ut Gerardum pro episcopo non habeant, Agio vero, ut petierant, pallium mittit circa annum 914. Neque tamen sic conquievit Gerardus, semper enim pro archiepiscopo se gerens, ab eodem pontifice excommunicatus est aliquanto post, ut discimus ex ejusdem epistola ad archiepiscopos Narbonensem & Lugdunensem apud Catellum hist. comitum Tolos. pag. 83. & seq. Interea cum Lugdunensi & Vesontionensi archiepiscopis adfuit Agius an. 915. Cabilonensi concilio apud S. Marcellum celebrato. Hanc brevem epistolam scripsit anno circiter 922. ad Agambertum & Elefonsum episcopos, vulgatam a Catello lib. 1. hist. comitum Tolos. & a Baluzio sic emendatam ex fide veteris exemplaris:

(Cl. XIV. col. 14.) (914.) (915.) (922.)

Venerabili Agamberto, necnon & Elefonso episcopis, Agio Narbonensis sedis episcopus, multimodas orationes. Audivimus quod vos curtim pergere his diebus debetis, idcirco ad deprecandum comites nostros perreximus Ermengaudum [a] *& Raimundum, quatenus vos deprecarentur, ut præceptum apud regem impetrare nobis non dedignemini: ita & nos precamur, & supplicamus, ut relatum quod superius scriptum est, sic apud regem impetrare vos non pigeat. Bene valete.*

Prospere cessit hæc epistola, optatum enim præceptum Caroli datum fuit eodem anno, trigesimo scilicet regnante domino Carolo, VII. idus Junii indictione X. *in villa Turnis* apud Catellum in commentariis Occitaniæ pag. 776. quod explicat de civitate Turonensi. Verum in authentico diserte scriptum est *in villa Ternis*, uti nos admonet Baluzius, lib. 4. Marcæ Hispan. pag. 375. & in appendice conciliorum Narbon. pag. 74. qui & hunc locum fuisse in Belgica secunda scribit. Et quidem *Turnus* Mabillonio in supplem. Diplom. pag. 49. videtur esse villa pagi Remensis prope Axonam. Ceterum in hoc præcepto, quod nos etiam recudimus, nulla quidem est prædictorum episcoporum memoria, sed solius Wigonis Gerundensis, quem forte ipsi tanquam majori pollentem auctoritate mediatorem adhibuerant, vel etiam ipsemet Agio patronum accersierat. Vide Mabillonium ad annum 922. num. 51. Elefonsus vero, cujus in Agionis epistola mentio, idem est qui in præcepto

(Cl. XV. col. 15.)

[a] Hi sunt Ragemundus & Ermengaudus principes Gothiæ, quos Flodoardus ad annum 932. Radulfo regi sese commisisse tradit.

Caroli Simplicis apud Catellum pag. 777. vocatur *episcopus Erifons habitans Narbonam*; quæ verba quibusdam persuaserunt illum fuisse archiepiscopum Narbonensem, quod verum non est, sed inter præsules Vendascenses seu Carpentoracenses annumeratur a Baluzio, omissus a nobis tom. 1. nostræ Galliæ Christianæ, cum de episcopis illius urbis ageremus.

Anno 924. seu XXVII. regni Caroli Simplicis in Aquitania 17. Decembris, Agionis archiepiscopi consensu, Odo vicecomes & uxor ejus Richildis alodium circa Sallelas Alfonso abbati Montis-olivi tradiderunt. Memoratur Agio in charta donationis ecclesiæ Narbonensi factæ a quodam Teuderico & Sposia ipsius conjuge, de omnibus quæ habebant in villa Sejano in territorio Narbonensi, anno regni Caroli XXIX. die 28. Septembris. Insequenti Gildrica femina eidem Agioni seu Aigoni se munificam præbuit, regnante Carolo anno XXX. ex chartario S. Pauli. Transiit haud multo post ad meliorem vitam, exeunte scilicet anno 926. vel ineunte 927. idem fortasse ac Aidagius archiepiscopus notatus in necrologio Crassensi v. idus Martii.

(924.)

Annonem fastis ecclesiæ Narbonensis inscribunt Sammarthani ex fide veteris chartæ tabularii archiepiscopalis num. 294. in qua Adelais vicecomitissa Biterrensis huic archiepiscopo vendidisse dicitur quidquid habebat in villa Salatiano an. 924. quod utrumque falsum est. Non ideo tamen incuriæ culpa in viros alioquin doctissimos, & de republica litteraria bene meritos refundenda, qui forsan commentariis ad se missis parum sinceris usi sunt, qua de re nos etiam sæpe conqueri cogimur. Sodales enim nostri D. Martennius & D. Ursinus Durand lustrato archiepiscopali tabulario hanc chartam explorarunt, in qua legitur Adelais vicecomitissa Biterrensis emisse ab Annone archiepiscopo, *quidquid visus fuerat habere in villa Salatiano, in comitatu Biterrensi, in suburbio ejusdem, anno primo quo Ludovicus rex regnare cœpit*; idque confirmatur ipsius Adelaidis testamento edito t. 1. Anecdot. pag. 102. in quo se asserit emisse ab Annone archiepiscopo, &c. ac proinde non vicecomitissa archiepiscopo, sed archiepiscopus vicecomitissæ vendidisse dicendus est. His adde primum annum Ludovici regis, de quo hic est mentio, vel de Ludovico, qui Ultramarinus dictus est, vel de ipsius nepote Ludovico V. ex stirpe Caroli Magni ultimo intelligendum; non de primo, qui anno 936. rerum potiri cœpit in Gallia, quo tempore Narbonensis archiepiscopus erat Aimericus; neque etiam de Ludovico V. qui quidem vivente patre Compendii renuntiatus rex an. 979. anno tantum 986. solus regnare cœpit; at hoc anno Narbonæ sedebat Ermengaudus. Itaque Annonem hunc interpretari libet de Arelatensi, qui reipsa tunc vivebat, ideoque ipsum de numero Narbonensium antistitum censemus eradendum duplici de causa: primo quia successit Agio Aimericus nullo intermedio, ut liquet ex bulla Johannis X. papæ, qui pallium Aimerico transmisit: is autem Romæ pontificatum gessit ab

ANNI CHRISTI

anno 913. vel 914. ad 928. Alteram submi- A nistrat Baluzius, chartam supra memoratam asserens exaratam anno tantum tertio Hugonis Capeti regis, qui annus illigatur cum anno Christi 990. quo tempore vivebat adhuc Anno Arelatensis; vel denique Anno non differt ab Agione, cujus nomen ab amanuensibus corruptum fuerit.

XXIV. Aimericus.

Magnæ nobilitatis virum fuisse Aimericum, colligitur ex actis post obitum ejus editis ab exsecutoribus testamentariis, in quibus *Adalgerius ejus frater princeps* vocatur, & *Geilo honorabilis* B *princeps nepos ejus.* Electione cleri & populi, necnon suffraganeorum antistitum metropolitanæ sedi fuit impositus, & archiepiscopus consecratus anno circiter 927. Statim ab ordinatione, una cum Wigone Tolosano, vel Gerundensi, ut vult Baluzius, & Reginaldo Biterrensi, litteras scripsit ad Johannem X. papam, qui jam depositus erat exeunte Junio mense anni 928. quibus significat se post mortem Agii in locum ejus suffectum fuisse, idque facile agniturum papam ex decreto electionis, quod ad eum transmittebat: dein excusat se quod non, uti mos erat, ad eum post ordinationem suam accessisset, C neque misisset *responsales* suos, impeditus, inquit, propter irruptiones Hungarorum in eam provinciam, qui excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem & vastitatem omnibus tectis atque agris intulerant, & provinciam maxime fecundam atque uberem in solitudinem redegerant; illos quidem a Pontio marchione cœlesti ope adjuto fuisse expulsos, sed tamen nondum sibi liberum iter Romanum esse propter Sarracenos, qui Alpium fauces insidebant; iturum se nihilominus quamprimum liberum fuerit. Rogant interim cum Aimerico episcopi, ut ratam esse jubeat electionem a se factam, & ad D novum archiepiscopum mittere pallium dignetur. Quod & fecisse pontificem satis innuit ejusdem bulla, quam a Baluzio descriptam ex codice Colbertino 5080. nostra inter instrumenta exhibemus.

927.

Ch. XVI. col. 16.

Ex tabulis monasterii Montis-olivi Witardus Donadei abbatis & congregationis ejusdem cœnobii mandatarius Pontionem Tolosæ comitem & marchionem propter panem, vinum & alia quæ præfato monasterio abstulerat, coram Aimerico Narbonensi archiepiscopo & judicibus missis ad causas dirimendas tam Gothis, quam Romanis, vel etiam Salicis, in jus vocavit V. idus E Martias anno IV.* regnante Radulfo rege post obitum Karoli regis, in Narbonensi civitate, in mallo publico, hoc est 933. quo etiam anno quarto regnante Rodulfo rege memoratur Aimericus in veteri charta B. Mariæ de Quadraginta. Anno 937. die 15. Augusti dedicavit ecclesiam S. Pontii Tomeriarum, una cum Wisando episcopo Carcassensi, Rodoaldo Biterrensi, & Theodorico Lutevensi; nec multo post concilium celebravit apud Amsedunam in comitatu Narbonensi, cui cum ipso adfuerunt præter supra

Ch. XIV. col. 423.

* al. VI.

933.

937.

memoratos tres antistites Dagobertus Agathensis, Pontius Magalonensis, Wadaldus Helenensis, & Rainaldus Nemausensis. Exstat in appendice Marcæ Hispanicæ col. 851. Leonis VII. papæ epistola circa annum 938. in qua laudat Rivipullenses monachos, eorumque abbatem Arnulfum: inscripta est pluribus episcopis, quos inter adest Aimericus noster, qui & reperitur anno quarto regnante Lodoico rege (Transmarino.) Sese beneficum præbuit erga Otgerium abbatem S. Pontii, cui ecclesiam S. Martini de Jauro & alias anno 940. mense Augusto donavit. Interfuisse dicitur synodo, quam aiunt habitam fuisse in loco de Fontanis diœcesis Helenensis circiter annum 947. sed fictitiam illam Baluzius probat Marcæ Hispan. col. 369. & seq. Vide notam 2. sodalium nostrorum ad tomum secundum novæ histor. Occitaniæ. At vero cum hoc ipso anno in ecclesia Narbonensi concilium celebrarent Aimericus archiepiscopus, Rodoaldus episc. Biterrensis, Guisaldus Carcassonensis, Dacbertus Agathensis, & Pontio Magalonensis, *edictum est Helenensem ecclesiam adfore orbatam pastorali consortio Wadaldi episcopi*, in cujus locum Riculfus ab episcopis præsentibus ordinatus est VI. cal. Apr. (forte V.) an. 947. Die 4. mensis Februarii an. 949. S. Fulcranum Lutevensem episcopum consecravit in ecclesia S. Pauli Narbonensis. Habitum est placitum in civitate Narbona coram eodem archiepiscopo *sub die calend.** *Maii anno incarnationis Dominicæ* DCCCCLV. *& anno primo quo Lotharius rex cœpit regnare*, pro media parte cujusdam alodis siti apud Genestar, vicum comitatus Narbonensis, quem monachi S. Pontii Tomeriarum ex dono cujusdam Alfarii possidebant, quo probato per scripturam & testes, Udalgarius qui his ea de re litem intenderat, causam refutavit, professus se de hoc monachos non amplius interpellaturum. Anno 957. calendis Decembris, cum Raimundus comes Riparcurciensis ædificasset ecclesiam in civitate Rotensi, *ut sit sedes episcopalis*, sicut antiquitus fuerat, ad eam consecrandam evocavit Aimericum istius tum provinciæ metropolitanum, qui novam ecclesiam dedicavit sub titulo S. Vincentii martyris, & Odissendum episcopum consecravit. Anno sequenti Aimericus archiepiscopus primæ Narbonæ B. Paulo Christi confessori prænominatæ civitatis patrono contulit in comitatu Narbonensi, in loco quem vocant *Amseduna* omnem alodem quantum ibidem visus est habere vel possidere, cum ipsa ecclesia, quæ illic est fundata in S. Vincentii honore, &c. *ac singulis quibusque annis de annona canonicis B. Pauli in vestitura dimidium modium donare faciam*, inquit Aimericus, quia videlicet prædiorum quæ conferebat usumfructum retinuerat, ut expresse dicit. *Facta charta hujus donationis atque cessionis anno nongentesimo quinquagesimo-octavo trabeationis Domini, indictione prima, regnante secundo Leutario Francorum rege,* XVI. *calend. Novembris.* Vide chartam integram nostra inter instrumenta. Acquisivit a Matfredo vicecomite Narbonæ & Adalaxi conjuge terram de Creissan anno quarto regni

ANNI CHRISTI

Tom. 3. annal. Bened. p. 711.

940.

Tom. 9. conc. 621.

Marc. Hisp. pag. 391.

947.

949.

Prob. t. 2. hist. Occit. pag. 97.

* al. iduum.

955.

957.

Marc. Hisp. col. 875.

958.

Ch. XVIII. col. 17.

ANNI CHRISTI

regni Lotharii x. cal. Maii. Anno 959. regni ejusdem Lotharii quinto indictione 2. XIV. cal. Martii Suniarius abbas Crassensis dedit Aimerico Narbonensi archiepiscopo *modiatas* vineæ sex & mediam, ac terras quæ ad Rainaldum pertinuerant, pro ecclesia S. Ascisceli in comitatu Narbonensi, in villa de Bericiano. Anno 963. xv. cal. Maii, regni Lotharii nono alodem de Fontejoncosa cum appenditiis suis, & ecclesias S. Leucadiæ, S. Christophori & sancti Victoris in eodem alode sitas Aimericus dono accepit a Johanne & Oda conjugibus. Cum Bernardo episcopo Biterrensi an. 966. sive XII. regnante Lothario rege factus est *ordinator eleemosynarius*, id est exsecutor testamenti Matfredi vicecomitis & uxoris ejus Adelaïdis Romanum iter aggredientium. Anno 969. indictione XII. regni Lotharii anno xv. in synodo quam habuit Aimericus, Gausfredus abbas S. Pontii inito pacto eidem nonnulla cessit, ut liber esset a jure synodi, quod ab ipso exigebat Aimericus. Exstant in appendice Marcæ Hispan. col. 1011. acta concordiæ initæ Mironem inter episcopum Gerundensem & Bernardum Bisuldunensem comitem, &c. de Guifredo Bisuldunensi episcopo, auctore Aimerico Narbonensi archiepiscopo (qui Mironem jussu Benedicti papæ consecrasse dicitur circa annum 973.) sub anno trabeationis Domini millesimo ...... indictione XV. æra millesima quinquagesima, Benedicto Romanam ecclesiam gubernante, qui & ipse Guifredum inaugurasse perhibetur: sed hæc Baluzius acta falsitatis arguit, lib. 4. Marcæ Hispan. col. 426. Ceterum Aimericus ordinationi Cæsarii abbatis S. Ceciliæ Montis-ferrati in archiepiscopum Tarraconensem factæ anno circiter 972. contradixit. Reperitur anno 973. VI. idus Febr. in charta Athonis Riparcurciæ comitis fundationem monasterii B. Mariæ de Alaone confirmantis. Anno 975. mense Octobri dedicationi ecclesiæ S. Genesii Leutevensis noviter a B. Fulcranno episcopo constructæ interfuit cum Ricuino episcopo Magalonensi & Deusdedit Ruthenensi. Denique supremum diem clausit anno saltem 977. ante mensem Junium, ut fidem faciunt acta exsecutionis illius testamenti, quæ vide-sis nostra inter instrumenta.

[Margin: Ch. XIX. col. 18. — 963. — 966. — Tom. 1. Anecdot. col. 86. — 969. — Tom. 2. hist. Occit. pag. 98. — 972. Baluz. t. 7. Miscell. pag. 57. — 973. Aguirre, t. 3. conc. pag. 135. — 975. Ch. IV. col. 267. — 977. Ch. XX. col. 19.]

Attamen huic assertioni repugnare videtur quod in Catello legimus commentariorum Occitaniæ pag. 623. & 779. successorem ejus Ermengaudum vixisse an. 974. quo quidem anno in schedis Martennii nostri villam *de Electo* cuidam Sicfrido dedisse ad fevum memoratur, eodemque anno, seu XX. regnante Lothario rege alodium *de Argens* a Francone subdiacono accepisse. Sed procul dubio vel mendum est in archiepiscopi nomine, vel in notis chronicis: nam primo superius probatum est Aimericum archiepiscopum adhuc fuisse in vivis anno 975. Secundo quis credat tamdiu post obitum Aimerici dilatam fuisse testamenti ejus exsecutionem, nempe ab anno saltem 974. ad 977. idibus Junii? Non inficiamur tamen Aimericum jam annis gravem, vel infirmitate pressum potuisse ante obitum suum abdicare in gratiam Ermengaudi, vel ipsum adsciscere in coadjutorem, quod probandum manet.

XXIV. ERMENGAUDUS.

[Margin: DE NARBONNE.]

Prodiit in lucem Ermengaudus ex matrimonio Matfredi vicecomitis Narbonæ & Adelaïdis, fratremque habuit Raimundum Narbonæ quoque vicecomitem, ac sororem nomine Ermengaudem. Ita Catellus ex veteribus monumentis. Id etiam patet ex testamento Adelaïdis vicecomitissæ, & ex charta tabularii S. Pauli Narbonensis, qua inter Austindum & Pontium illius fratrem, consentiente Ermengaudo archiepiscopo ex una parte, & Deusdedit abbatem S. Pauli & ejusdem ecclesiæ canonicos ex altera, fit excambium alodis & beneficii *de Baias* quod Adelaïs vicecomitissa, Ermengaudus archiepiscopus, & Raimundus vicecomes filii Adelaïdis contulerant patri Austindi & Pontii, abbas vero & canonici eis cesserunt alodem dictum *Aslarag*. Actum 2. Aprilis anno x. regnante Roberto rege. Hunc etiam patruum diximus Petri Berengarii episcopi Ruthenensis tom. 1. col. 203. Ejus autem ad hanc cathedram promotio tardius differri non potest anno 977. quo inter exsecutores testamenti Aimerici decessoris annumeratur idibus Junii XXIII. regnante Lothario rege indictione quinta. Hoc anno vel sequenti, die 4. Octobris fit *eleemosynarius testamentarius*, hoc est exsecutor testamenti Adelaïdis suæ genitricis, quæ S. Salvatoris apud Narbonam monasterium inchoaverat pro sanctimonialibus, quibus abbatissam destinabat Trutgardam filiam suam. An. 982. dedicavit Ermengaudus ecclesiam B. M. de Quadraginta, & an. XXX. Lothario rege, hoc est 983. vel 984. ipsi & capitulo Narbonensi Rollandus quidam plurima dominia apud Castrum-maurum in feudum concessit.

Circa annum 989. ait Baluzius, Guadaldus quidam sedem invasit Ausonensem, vivente adhuc Fruiano hujus ecclesiæ antistite, nullo ecclesiastico judicio dejecto, seque ab archiepiscopo Ausciensi Odone alienæ provinciæ metropolitano consecrandum curavit contra canones. Fruianus ergo de iniqua expulsione conquestus, Johannis papæ XV. & episcoporum cum eo sedentium animos adversus Guadaldum maxime commovit. Guadaldus vero sceleri scelus adjiciens, ut huic concertationi finem imponeret, seditionem excitavit, in qua Fruianus interemtus est, sed nullo suo emolumento; mox enim Arnulfus Raimundi Borrelli comitis Barcinonensis & Ermengaudi Urgellensis favore in locum Fruiani subrogatus, ab Ermengaudo archiepiscopo Narbonensi consecrationem accepit, statimque Guadaldum expulit, rite postea depositum in concilio Romano anni 998. Interea memoratur Ermengaudus in testamento Guillelmi vicecomitis Agathensis circa 990. cum Matfredo & Stephano episcopis. Eodem anno, seu tertio Hugonis regis hunc Adelaïs mater alterius a primo testamenti nominavit exsecutorem. Circa id tempus Narbonæ concilium habuit adversus bonorum ecclesiasticorum

[Margin: 977. Ch. XX. col. 19. — Tom. 1. Anecdot. col. 95. — 982. — 989. — Marc. Hisp. col. 417. — 990. Prob. t. 2. hist. Occit. col. 147. — T. 9. conc. col. 742.]

ANNI CHRISTI

invasores. Abbatiam S. Laurentii ea lege concessit Ermesindi cognomento Bonæ vicecomitissæ, ut illam reædificaret anno IV. quo Hugo regnare cœpit. Anno septimo ejusdem regis nonnulla cum Wilfrido clerico commutavit. Recensetur anno 1002. X. calendas Octobris in confirmatione Alaonensis monasterii facta per Athonem vicecomitem de Sola. Anno 1003. vel 1004. septimo Roberti regis die 30. Octobris, Guifredo abbati Cuxanensi ejusque monasterio dedit alodem vocatum *Cauchenam*, qui pertinebat ad abbatiam S. Laurentii unitam ecclesiæ Narbonensi, consentiente Ermesinde vicecomitissa cum Adalberto episcopo Carcassonensi & Fredolone Helenensi, ut patet ex instrumento donationis, quod editum est in appendice Marcæ Hisp. col. 961. Interfuit anno circiter 1005. concilio quod Raimundus episcopus Tolosæ & Guillelmus comes inibi convocarunt. Eodem anno reperitur in charta donationis Athonis vicecomitis de Sola pro Eximino abbate B. Mariæ diœcesis, ut videtur, Urgellensis. Anno 1007. placitum habuit cum suo fratre Raimundo vicecomite Narbonensi, Deusdet abbate S. Pauli Narbonensis, &c. in villa S. Georgii comitatus Narbonensis mense Martio anno XI. Roberti regis. Calendis Octob. anno 1010. (non 1013. ut scribit Baluzius in appendice Marcæ Hispan. col. 995.) probavit acta electionis Borrelli in episcopum Ausonensem. Eodem anno 18. Novembris subscriptione sua munivit decretum Ermengaudi episcopi Urgellensis pro institutione vitæ canonicæ in ecclesia Urgellensi. Recensetur an. 1015. idibus Decembris in charta Garseani Luponis *Senioris* de Tena fundationem monasterii B. Mariæ de Alaone confirmantis. Adhuc erat in vivis anno 1016. quo de ipsius consensu Urbanus Biterrensis præsul sacellum sancti Martini in ecclesia B. Mariæ de Quadraginta consecravit. Testamenti tabulis, quas illigant novi rerum Occitanarum scriptores anno circiter 1005. multa legavit ecclesiis & propinquis suis, nominatim Raimundo vicecomiti fratri suo, alteri Raimundo & Willelmo nepotibus ex fratre, Raimundo vicecomiti Barcinonensi, Willelmo comiti Tolosano, Fredoloni Helenensi episcopo, Matfredo Biterrensi, Stephano Agathensi, Adalberto Carcassonensi, & aliis. Laudatur, inquiunt Sammarthani, divini cultus in archiepiscopatu Narbonensi restaurator. Hujus post mortem Berengarius vicecomes Narbonensis anno 1032. dedit ecclesiæ Narbonensi alodem in villa Geminiano pro remedio animæ suæ & Raimundi fratris & avunculi Ermengaudi archiepiscopi: testes sunt Ricardis vicecomitissa mater vicecomitis, Garsindis ejusdem uxor & Raimundus eorum filius.

1002. *Aguirre, tom. 3. conc. pag. 135.*

1005.

1007.

1010. *Tom. 2. hist. Occit. pag. 148. & nota XVIII. n. 9. pag. 573.*

Append. Marc. Hisp. col. 974.

Aguirre, tom. 3. conc. pag. 136.

1016. *Tom. 2. hist. Occitan. pag. 148.*

Prob. t. 2. pag. 162.

DE CERDAIGNE.

XXV. GUIFFREDUS.

Nobilissima comitum Ceritaniensium gente satus Guiffredus, seu Wifredus, patrem habuit cognominem Ceritaniæ comitem, & matrem Guislam quæ prima fuit parentis uxor, non vero Dulciam comitis Palliarensis filiam ex Sammarthanis, uti contra ipsos Baluzius probat, qui gentis hujus stemma gentilitium texuit in mss. ad veterem Galliam Christianam animadversionibus. Guiffredi fratres fuere Raimundus Ceritaniæ post patrem comes, Guillelmus Urgellensis & Berengarius Gerundensis episcopi. Natum Guiffredum septimo vel circiter post millesimum anno hinc colligitur, quod in querimonia adversus eum lata in concilio Arelatensi anno circiter 1059. legimus illum fuisse puerum decem annorum eo tempore quo factus est archiepiscopus; quod quidem anno 1013. contigisse falso existimat Baluzius. Ermengaudus enim, uti supra monuimus, sedebat adhuc anno 1016. per cujus excessum vacuam Narbonensem cathedram plures ambierunt, inter quos Adalgerus, jam tum invasor abbatiarum Conchensis & Figiacensis, sed frustra; Wifredus enim Ceritaniæ comes, nostri Guiffredi pater Narbonam profectus, Raimundo vicecomiti Narbonensi & Ricardi ejus conjugi, necnon Berengario eorum filio daturum se promisit centum millia solidorum, si filius ejus Guiffredus archiepiscopatum obtineret. Repugnabant quidem Raimundus & uxor ejus; sed vicit Berengarius, qui ei palam favebat tantæ consanguinitatis amore ductus: uxor quippe Berengarii Garsindis filia erat Bernardi comitis Bisuldunensis, & is Bernardus ac Wifredus Ceritaniæ comes germani erant, filii scilicet Olibæ Cabretæ comitis Bisuldunensis & Ceritaniensis, non vero Mironis comitis Barcinonensis, uti Catellus existimavit. Hæc Baluzius.

Marc. Hisp. col. 543.

Sic igitur nundinatione sacrilega Guiffredus admodum juvenis sedem obtinuit metropolitanam, at quo anno, & a quibus fuerit ordinatus incompertum. Quæ vero mala plurima ex tam abnormi in præsulatum ingressu emerserunt, silentio pressa vellemus, nisi tacere historicum sinceritas vetaret. His ille conditionibus ad archiepiscopatum ascenderat, ut vicecomitum Narbonensium familiæ patrocinaretur, sed pactorum immemor hostiliter hanc domum insectatus est, archiepiscopatum cædibus & dissidiis turbavit, spoliavit ecclesiam, bonis dilapidatis, prædiisque in mercedem militum datis. Præterea pro Willelmo fratre suo centum millibus solidorum Urgellensem episcopatum emit, pro qua pecuniæ summa, Judæis sacram ecclesiæ suæ supellectilem, libros videlicet, ipsaque sacra vasa & sanctarum reliquiarum scrinia divendidit. Ad hæc insimulatus de ordinationum & consecrationis ecclesiarum infami quæstu, illicitisque cum Urgelli comitissa amoribus, multisque aliis nefandis sceleribus, a Victore papa fuit anathematisatus in concilio centum viginti episcoporum, pluriesque deinceps ab ejus successoribus. Sed jam ipsius gesta ordine quæque suo percurramus.

Chartæ fundationis monasterii S. Petri Bisuldunensis factæ anno 977. longe post subscripsit. Idem dicendum de epistola Benedicti VII. papæ possessiones ac privilegia monasterii sancti Petri Rodensis anno 979. confirmantis, cui pariter assensit. Anno 1019. indictione secunda, hortante Eriberto abbate, Jocundensis monasterii privilegia roboravit, atque in conventu apud

Append. Marc. Hisp. col. 919.

Ibid. 921.

1019. *Prob. tom. 2. hist. Occit. col. 172.*

ANNI CHRISTI

Formigueriam habito ampliatam ejusdem loci ecclesiam sub patrocinio B. Mariæ iterum dedicavit die 6. Octobris, necnon aliam S. Martini de Rivo-torto. Hoc quoque anno 1019. Oliba episcopus Ausonensis, idemque Rivipullensis & Cuxanensis abbas vendidit Willelmo cuidam & fratribus ejus alodem *de Bredes* situm in villa Confluentis, quæ dicitur *Mossetum*, pertinentem ad monasterium Cuxanense, cum assensu Wifredi comitis (Ceritaniæ) Wifredi Narbonensis archiepiscopi, Berengarii episcopi Helenensis & aliorum. Consecravit an. 1022. III. nonas Octobris novam cœnobii S. Petri Rodensis ecclesiam vice Petri Gerundensis episcopi. Reperitur in tabulario S. Pauli Narbonensis anno XXXIII. quo regnare cœpit Robertus Francorum rex. Anno 1032. acta consecrationis ecclesiæ Rivipullensis cum aliis pluribus episcopis approbavit. Eodem anno, vel circiter (nam ætas plurium episcoporum subscribentium hoc serius differre non sinit) celebratum fuisse concilium apud Narbonam discimus ex autographo archivi locupletissimi S. Victoris Massiliensis *armar. diœcesis Narbon. num. 17.* Huic autem præfuit Guiffredus archiepiscopus primæ Narbonensis, in eoque Seduanus (Selua, Marcæ Hisp. col. 971. & 1095.) primus abbas monasterii sancti Martini in Canigoni-montis altitudinibus recens fundati obtinuit confirmationem. Eidem synodo Rajambaldus archiepiscopus Arelatensis, Petrus Gerundensis, Ermengaudus Rejensis, Amelius Albiensis, Guiffredus Carcassonensis, Berengarius Consoranensis, Stephanus Biterrensis, Odimbellus Lutevensis, & Stephanus Agathensis episcopi interfuerunt. Postea vero simul congregati apud Narbonam complures episcopi, qui necdum subscripserant, iis lubenter annuerunt, in quibus leguntur Froterius Nemausensis, Stephanus Aptensis, Guadaldus Barcinonensis, Ugo Uceticensis, Petrus Cabellionensis, Bernardus Convenensis, Arnaldus Magalonensis, Arnaldus Tolosensis, & Raimundus Helenensis. Genuinam quidem & propria episcoporum manu factam subscriptionem exhibet instrumentum autographum, sed nonnulli antistites serius eidem subscribere potuerunt. Memoratur etiam Guiffredus archiepiscopus in charta confirmationis monasterii Alaonensis factæ per Athonem Garseanum *seniorem* de Tena an. 1034. in festo Natalis Domini; & in altera ejusdem monasterii confirmatione facta per Asinarium Athonem *seniorem* de Tena, an. 1039. in festo S. Stephani. Præfuit an. 1035. IX. cal. Julii conventui episcoporum in monasterio Cuxanensi habito, in quo eidem cœnobio ecclesia B. Mariæ Inter-ambas-aquas *Tramesaigues*, sita tum in episcopatu Tolosano, nunc vero in Appamiensi confirmata fuit. Acta hujus synodi Mabillonius edidit lib. sexto de re Diplomatica cap. 204. pag. 615. Anno 1038. die 1. Septembris adfuit dedicationi Ausonensis ecclesiæ. Eodem, XI. calend. Octobris novæ Gerundensis ecclesiæ, quam Ermesindis comitissa Barcinonensis & frater ejus Petrus episcopus Gerundensis ædificari curaverant, consecrationem peregit cum eodem Petro Gerundensi præsule, Oliba Ausonensi & aliis. Habitus est eodem anno conventus Rivipullensis, ad quem ex episcopis Galliæ convenerunt Guifredus Narbonensis, Wifredus Carcassonensis, Amelius Albiensis, Arnaldus Magalonensis, Bernardus Conseranensis, & Arnaldus Tolosensis. Interfuit anno 1040. decimo calendas Novembris alteri Urgellensis ecclesiæ dedicationi cum pluribus episcopis, & Constantia Urgelli comitissa, ejusque filio Ermengaudo admodum parvulo. An. 1041. præfuit conventui de Tulujes in pago Ruscinonensi, ubi statuta est ab episcopis & proceribus Marcæ Hispanicæ pax & treuga Dei (sic appellabant certas leges in eo conventu sancitas) cujus initium tale est: *Hæc est treuga & pax confirmata ab archiepiscopo Narbonensi domno Guifredo, & a Berengario* Gerundensi, & a domno Raimundo* Helenensi episcopo, & a comitibus Russilionensium, domno scilicet Gauzfredo & Guilaberto filio ejus, & a domno Pontio Impuritanensi comite, & a domno Guillelmo Bisuldunensium comite, & a domno Raimundo Ceritanensium comite, & a domno Gauzberto vicecomite de Castronovo, cum ceteris magnatibus Helenensis episcopatus, in Tulugiensi prato, quod est in comitatu Rossilionis. Constituerunt namque prædicti pontifices cum consensu ceterorum nobilium, ut in comitatu Russilionensi vel Confluentano, vel Vallisspiriensi ullus homo ecclesiam non infringat, neque cimiteria, vel sacraria XXX. passuum ecclesiasticorum in circuitu unius cujusque ecclesiæ.* De hoc concilio vide infra in Helenensi ecclesia. Per deputatos alteri concilio apud sanctum Egidium præsedit an. 1042. die 4. Septembris una cum Raimbaldo Arelatensi & Leodegario Viennensi archiepiscopis. Synodum habuit an. 1043. XII. cal. Aprilis apud Narbonam, ubi inter alia decreta fuit excommunicatio adversus invasores bonorum cœnobii Cuxanensis, præsentibus Petro Gerundensi, Guifredo Carcassonensi, Berengario Helenensi, Guilleberto Barcinonensi, Guillelmo Urgellensi (fratre Guifredi archiepiscopi paulo ante ad hanc sedem promoto) Bernardo Conseranensi & Bernardo Biterrensi episcopis; & quoniam isti in fine decreti oraverant absentes, ut suis illud firmarent subscriptionibus, alii quoque plures episcopi ei postea subscripserunt, inter quos Raimbaldus Arelatensis. Alterum quoque concilium hoc ipso anno calendis Augusti in eadem civitate Guifredus celebravit, cui præter eosdem episcopos interfuit Raimbaldus Arelatensis antistes. In hoc vero, ut quidem Baluzio videtur, Wifredus noster deposuit arma militaria & omnem sæculi militiam, atque sub excommunicationis pœna exegit, ut ceteri provinciæ suæ episcopi armis pariter abstinerent. An. 1045. munificum se præbuit erga cœnobium S. Michaelis Narbonensis, cui nonnulla tradidit de ecclesia sancti Pauli, cujus abbas erat. Hoc autem S. Michaelis monasterium de Monte-lauro dictum, quod olim cœnobio sancti Michaelis de Clusa subjectum fuit, jam pridem coaluit cum Fonte-frigido. Eodem anno die 26. Julii ipse & Oliba Ausonensis episcopus

* Hi duo episcopi non quidem adfuere huic conventui, sed eidem postea consenserunt, ait Baluz. lib. 4. Marc. Hisp. col. 444.

Marginalia: Marc. Hisp. col. 431. — 1022. Ibid. append. col. 1034. — 1032. Ibidem col. 1052. Tom. 7. vet. script. pag. 56. — 1034. Aguirre, t. 3. conc. pag. 136. — 1035. Tom. 2. hist. Occit. pag. 170. — 1038. Append. Marc. Hisp. col. 1066. — Aguirre, t. 3. conc. pag. 202. — 1040. Append. Marc. Hisp. col. 1069. — 1041. Tom. 2. hist. Occit. pag. 182. & 183. & prob. col. 206. — 1042. — 1043. Tom. 4. Anecd. pag. 84. — Marc. Hisp. col. 442. — 1045. Append. Marc. Hisp. col. 1087.

ANNI CHRISTI

consecrarunt ecclesiam S. Michaelis Fluvianensis in comitatu Emporitano, cujus & prædia ac privilegia sua & aliorum præsulum auctoritate communierunt. Huic autem adfuere conventui præter Guifredum & Olibam, Bernardus Conseranensis, Arnaldus Magalonensis, Froterius Nemausensis, Berengarius Helenensis, Arnulfus Rotensis & alii; quorum nonnulli interfuerunt etiam dedicationi ecclesiæ monasterii S. Martini de Alenis factæ eodem anno a Guifredo Carcassonensi episcopo jussu Guifredi archiepiscopi.

Ch. v. col. 105.

1046. Anno 1046. XVII. calendas Decembris ecclesiam Arulensis monasterii cum Berengario Helenensi episcopo & Wifredo Carcassonensi consecravit.

Ibid. col. 1089.

1048. An. 1048. IX. cal. Maii una cum Berengario vicecomite & uxore illius Garsinde, eorumque liberis Raimundo, Petro & Bernardo, cathedrali & S. Pauli capitulis dedit piscium & salis decimam in certis locis, speciatimque sanctorum Justi & Pastoris canonicis adjecit *de ipsis honoribus clericalibus qui sunt de ipsa ecclesia, scilicet de abbatia S. Pauli, quando eam,* inquit, *dedero, ipsius doni decimam partem, quod ad opus meum exierit: similiter & de abbatia S. Mariæ de Quadraginta & S. Laurentii, &c.*

Prob. tom. 2. hist. Occit. col. 214.

1050. Præfuit an. 1050. mense Julio synodo apud S. Tiberium celebratæ, in qua decreta fuit excommunicatio contra invasores ecclesiarum & possessionum Arulensis cœnobii. Iisdem anno & mense exeunte patrem amisit Guifredum Ceritaniæ comitem, qui anno 1001. in Canigonensi monasterio suis sumtibus ædificato donisque ac latifundiis locupletato an. 1035. monachum induerat.

Marc. Hisp. col. 447.

1053. Anno 1053. XIV. cal. Novembris adstantibus B. Biterrensi & Gontherio Agathensi episcopis dedicavit ecclesiam de Quadraginta in honorem B. Mariæ, necnon altaria S. Dalmatii, S. Landeberti, S. Johannis Baptistæ & sanctæ Crucis, ex tabulario hujus monasterii.

1054. Anno 1054. cum Willelmo Ausonensi, Berengario Gerundensi, & Raimbaldo Arelatensi præsulibus subscripsit decreto Raimundi comitis Barcinonensis & Adalmodis secundæ ipsius conjugis, quo vetitum erat, ne quis vinum, aut possessiones ad ecclesiam Barcinonensem pertinentes seu vi, seu clam invaderet. Alteri eorumdem comitum statuto de dono ecclesiarum sanctæ Mariæ de Betulona & sanctæ Columbæ hoc ipso anno eidem ecclesiæ facto nomen apposuit.

Append. Marc. Hisp. col. 1103. & 1104.

Narbonæ concilium habuit eodem anno VIII. cal. Septembris indictione VII. epacta IX. concurrente V. in quo treugam & pacem ratam habuit, cum novem præsulibus, nempe Bernardo Biterrensi, Gonterio Agathensi, Rostagno Lutevensi, Arnaldo Magalonensi, Froterio Nemausensi, Guifredo Carcassonensi, Berengario Gerundensi, Guifredo Barcinonensi, & Guillelmo Albiensi, præter quos episcopos etiam adfuere legati Guillelmi Urgellensis, & Hugonis Ucetiensis. Circa id tempus ecclesiæ Magalonensis consecrationi interfuit.

Tom. 9. conc. Labb. col. 1072.

1055. Alteram synodum apud Narbonam congregavit anno 1055. calendis Octobris, in qua decreta fuit excommunicatio adversus eos qui bona Ausonensis ecclesiæ injuste detinebant.

Marc. Hisp. col. 452.

1056. Præfuit anno sequenti concilio Tolosano cum Raimbaldo Arelatensi & Pontio Aquensi archiepiscopis sedis apostolicæ legatis, in eoque cum ceteris patribus simoniacos damnavit his verbis: *consignat Wifredus Dei gratia archiepiscopus.* Hujus acta concilii probavit Victor II. papa, sed Guifredum anathemate percussit, quod, ut videtur, in eo favisset comiti Barcinonensi & Almodi ipsius conjugi contra Ermessindem de Carcassone ejusdem comitis aviam.

Tom. 2. hist. Occit. pag. 197.

1057. Hunc rursus ob simoniam excommunicavit pontifex in synodo Romana 120. episcoporum 18. Aprilis 1057. sed paulo post absolutus est Guifredus: sub finem enim pontificatus Victoris episcopalia obibat munia, vel saltem usurpabat spreto anathemate, ut ait Baluzius in notis mss. ad veterem Galliam Christianam.

1058. Et certe anno 1058. XIV. calend. Decembris indictione XI. novæ Barcinonensis ecclesiæ, quam recenter ædificaverant Raimundus Berengarii Barcinonensis comes & Guislibertus ejusdem civitatis episcopus, dedicationem peregit.

Append. Marc. Hisp. col. 1113.

Quarto etiam idus Decembris ejusdem anni una cum fratre suo Berengario Gerundensi antistite & Guifredo Carcassonensi ad ecclesiam Helenensem accessisse dicitur, ibique coram eis Berengarius Helenensis ecclesiæ præsul capitulo dedisse villam Sallelas, statimque decreta fuisse excommunicatio adversus eos, qui hanc villam Helenensibus canonicis eripere tentarent. At pro 1058. legendum 1053. probat indictio VI. notata in charta, quæ optime congruit cum hoc anno & cum Berengario Helenensi episcopo, ut fusius postea demonstrabimus.

Ibid. 1117.

Reliquias SS. Justi & Pastoris an. 1058. ex Hispania Narbonam advexisse Guifredum, iisque cathedralem ditasse ecclesiam legitur in veteri S. Pauli martyrologio.

1059. Eruperunt anno 1059. quæ a longo tempore Berengarium inter vicecomitem & Guifredum archiepiscopum intercesserant inimicitiæ. Cum enim SS. Justi & Pastoris reliquias e cathedrali basilica in ecclesiam rusticanam nondum consecratam transtulisset Guifredus, ibique omnibus quæ sunt necessaria adsportatis ecclesiam suam fabricasset, nihil non egit Berengarius ut reditum Guifredi ad ecclesiam matricem acceleraret. Spopondit, promisit, fide se obstrinxit, sed frustra; tandem Garsindis vicecomitis uxor, archiepiscopi consanguinea metuens ne sanctorum corpora, ut minabatur, in alienam terram deportaret, hæc aliquando suffurata in ecclesiam Narbonensem retulit. Ira accensus Guifredus quascumque vicecomes obtulit pacis conditiones respuit, eumque cum tota ejus familia excommunicavit. Hinc ortæ Berengarii ad concilium Arelatense anni 1059. querelæ, in quibus conqueritur quod Guifredus puer decem annorum cathedra Narbonensi centum mille solidorum pretio emta, bona omnia ecclesiæ suæ dilapidatus esset, omnemque suppellectilem divendidisset ut episcopatum Urgellensem fratri suo Guillelmo compararet; quod bellum intulisset vicecomiti, pacemque & treugam Dei non semel violasset, violatoresque adjuvisset,

Conc. Gall. Narbon. p. 1. pag. 8.

ANNI CHRISTI

quod fidem datam sæpe fefelliffet, quod omnes ordines vendidiffet, epifcopofque quotquot ordinarat ad ultimum quadrantem, nominatimque Leutevenfem & Helenenfem redimere feciffet: denique quod eum immerenter excommunicaffet. Sed neque hac tamen querimonia quidquam profeciffe videtur Berengarius; quare fedem apoftolicam appellavit, a qua rurfum excommunicatus eft Guifredus. Scripfit ad hunc Alexander II. papa, teftante Yvone, omnes leges tam ecclefiafticas quam fæculares effufionem humani fanguinis prohibere; quod ad cædem Judæorum factam in Hifpania an. 1065. referri poteft. Circa 1066. Guifredus pepigit cum Raimundo fancti Egidii comite Ruthenenfi pro Narbonenfis archiepifcopatus juribus, quæ farta tecta ei fpopondit comes. Hoc autem anno pridie nonas Octobris cum Bernardo Berengario vicecomite filio prædicti Berengarii vicecomitis iniit concordiam, qua Bernardus in manibus Raimundi comitis S. Egidii, Raimundi comitis Bifuldunenfis, Durandi Tolofani, Raimundi Helenenfis & Berengarii Gerundenfis epifcoporum, &c. fuam Guifredo fidem obftrinxit, quod fidelis ei foret, nec quidquam e bonis archiepifcopatus auferret. Eodem anno Raimundi & Petri Berengarii filiorum clientelæ facramenta excepit. Initam anno circiter 1067. compofitionem inter Raimundum Bernardi vicecomitem Biterrenfem & Raimundum Barcinonenfem comitem fuper honoribus de Carcaffona, Narbona, &c. fuo chirographo firmavit. Interfuit eodem anno donationi, quam Rengardis comitiffa Carcaffonenfis Guillelmo Ceritaniæ comiti genero fuo fecit de comitatu Redenfi. Anno 1068. adftitit fynodo Gerundenfi, cui Hugo Candidus cardinalis præfedit. Memoratur eodem anno præfens habitæ conventioni Raimundum inter comitem Barcinonenfem & Raimundum Bernardi vicecomitem Carcaffonenfem, & anno 1070. VI. cal. Julii venditioni, quam Raimundus Bernardi vicecomes Biterrenfis & uxor ejus Ermengardis Raimundo Barcinonenfi comiti & Almodi comitiffæ, eorumque filio Raimundo Berengarii fecerunt de omni honore quem habebant in comitatu Redenfi. Hujus & aliorum antiftitum adjutorio Bernardus comes Bifuldunenfis fe locum B. Mariæ Rivipullenfis ab omni hæreticæ pravitatis contagio expurgaffe profitetur hoc anno 1070. Confenfit Guifredus abbatiam de Vallecubaria tradi Moiffiaco gubernandam an. 1073. Circa 1075. Bernardus Bifuldunenfis comes Arulenfem abbatiam redemit a Guifredo Narbonenfi archiepifcopo & ab Arnallo Arnalli, qui eam in feudum acquifierant. Hoc autem anno anathemate innodatus erat Guifredus: Berengarius enim Agathenfis epifcopus, *quia Narbonenfi archiepifcopo excommunicato communicavit*, in fynodo Romana tertia ejufdem anni excommunicatus fuit.

Part. 13. cap. 115. — 1066. — Ibid. p. 2. pag. 79. — Ch. XXII. col. 21. — 1067. — Append. Marc. Hifp. col. 1134. & feq. — 1068. — Tom. 4. Anecdot. col. 1185. — Append. Marc. Hifp. col. 1137. — 1070. — Ibid. col. 1157. — Tom. 1. vet. fcript. Marten. p. 474. — Ch. XXIII. col. 23. — 1075. — Append. Marc. Hifp. col. 1168.

Anno 1077. VIII. idus Decembris facris interdictus & e fede fua dejectus eft Guifredus in concilio, quod Amatus fedis apoftolicæ legatus habuit apud Bifuldunum in diœcefi Gerundenfi.

Marc. Hifp. col. 462.

A Ratam habuit hanc fententiam Gregorius VII. papa in concilio Romano IV. anni 1078. menfe Martio, ubi legimus: *Renovamus excommunicationem a prædeceſſoribus noſtris factam ſuper Guifredum archiepiſcopum Narbonenſem, & abſque ulla recuperationis ſpe ab epiſcopali officio eum ſubmovemus.* Id rurfus confirmavit in concilio Romano V. menfe Novembri ejufdem anni; neque fic innodatus a munere abftinuit Guifredus; habetur enim in tabulario fancti Pauli Narbon. charta Guifredi data idibus Novembris an. 1078. quæ fic incipit: *In Dei nomine. Ego Guifredus gratia Dei archiepiſcopus, manifeſtum eſt, quia* B *reddo tibi Petro Gaufredi ipſum manſum, qui fuit patri tuo Aucfredo, qui eſt in burgo ſancti Pauli & affrontat, &c.* Exftat ibidem altera charta anni fequentis III. idus Martii, qua Guifredus archiepifcopus Narbonenfium & abbas S. Pauli, hujus ecclefiæ canonicis condaminam juxta fluvium Atacis contulit. Attamen jam die 2. Januar. ejufdem anni Berengario Gerundenfi epifcopo, Guifredi germano Gregorius VII. mandarat, ut fratrem fuum ad meliorem frugem revocare tentaret, epiftola 16. lib. 6. inter epiftolas Gregorii data Romæ IV. nonas Januarii indictione II. qua defignatur annus 1079. Inibi C de Guifredo fic loquitur Gregorius: *Præterea de fratre tuo Narbonenſi magis quam hactenus fueris volo te eſſe ſollicitum, quia ſatis de ejus perditione doleo, & miror ſi tu illum, cui gemina germanitate cohæres, ad ſalutem non ſtudes reducere, cum ſcis, quia vel pro carnali vel ſpirituali affinitate alicujus chriſtianus homo in tanti periculi articulo ſe ipſum debet oponere*. Age ergo & fraterna caritate ſuccenſus, illum ex noſtræ fiducia admonitionis aggredere, commemorans illi & præteritos longævæ ætatis exceſſus, & propinquum jam ſibi divinæ ultionis imminere judicium, ſi forte poſſes eum ab ipſo mortis æternæ limine* D *revocare, & de ſalute fratris non ſolum cordis gaudium, verum etiam maximum æternæ retributionis a divina largitate præmium promereri.* Hæc quidem de hærefi Berengarii, qua infectum volunt Guifredum, intellexere Sammarthani, fed nullo nixi fundamento. Ut ut eft, & legatorum & fummi pontificis excommunicationibus fratrifque adhortationibus furdus Guifredus adhuc in concilio Romano VI. menfe Februario anni 1079. excommunicatus eft cum clericis & laicis qui a partibus ejus ftabant. Tandem hoc anno propofiti tenax, vel retroactæ vitæ pœnitens, quis fcit? obiit annos natus 73. cum 63. in ar- E chiepifcopatu exegiffet.

ANNI CHRISTI 1078. — 1079. — * apponere.

XXVI. PETRUS BERENGARII.

DE NARBONE.

Guifredo defuncto, e Ruthenenfi ad Narbonenfem cathedram electus convolavit Petrus Berengarii, de quo jam diximus tom. I. col. 203. potentia fua fretus & confanguineorum: filius quippe Berengarii vicecomitis Narbonæ ex Garfinde, germanos habuit Raimundum & Bernardum qui vicecomitatum Narbonæ obtinuerant, dictus & ipfe vicecomes Narbonenfis. Sic autem factum archiepifcopum Guido Dienfis

Ch. XXXII. col. 27.

ANNI CHRISTI 1079.

episcopus sedis apostolicæ legatus in concilio Tolosano anni 1079. sub anathematis vinculo vetuit Narbonensibus ne Petrum agnoscerent; & Gregorius VII. in concilio habito Romæ mense Martio anni 1080. ut ecclesiæ Narbonensis invasorem eum excommunicavit. At censuris ecclesiasticis imperterritus Petrus *electus archiepiscopus, patronus ecclesiæ Narbonensis & vicecomes ejusdem civitatis* nuncupatus, adstitit conventui habito in ecclesia SS. Justi & Pastoris 7. Maii an. 1080. cum Matfredo Biterrensi, Berengario Agathensi, plurimis abbatibus, canonicis & clericis, necnon magnatibus, virisque illustribus & civibus Narbonensibus, quorum consensu & precibus cum Aimerico, Ugone & Berengario suis ex fratre nepotibus salis ac piscium decimam a terminis Corciani & Perignani usque ad terminos de Leucata canonicis ecclesiæ Narbonensis in commune viventibus largitus est. Die vero 31. ejusdem mensis Petrus *electus primæ sedis Narbonæ* cum nepotibus decimam salis & piscium in villa S. Georgii & terminis canonicis S. Pauli in commune degentibus concessit die S. Pentecostes intra missarum solemnia, quam donationem iidem postera die calendis Junii inter sacra firmaverunt. Secundo idus Novembris Petrus *electus Narbonæ post bonæ memoriæ Guifredum archiepiscopus & abbas S. Pauli* iisdem canonicis dedit unum par boum optimorum, ea lege ut nunquam deficiant. Habes hanc chartam in appendice n. XXV. col. 23. cum hoc discrimine, quod se Petrus episcopum tantum sive abbatem S. Pauli nuncupet, non vero ut prius electum Narbonæ post bonæ memoriæ Guifredum archiepiscopum. Sententiam depositionis & excommunicationis in eum hoc anno 1080. in concilio Avenionensi ab apostolicæ sedis legatis repetitam summus pontifex in concilio Romano ineunte anno 1081. ratam habuit; paucisque interjectis mensibus archiepiscopum eligi curavit. Non ideo tamen cessit Petrus, quinimo favore nepotis munitus, reditus occupasse archiepiscopatus videtur ad annum 1085. aut 1086. quo Dalmatius ecclesiam Narbonensem nullo interpellante regebat. Petrus vero solo episcopi Ruthenensis notus titulo Narbonæ remansit, ubi duo anniversaria fundavit 12. Martii 1089. pro parente Berengario & fratre Bernardo, unde pro simoniaco ab ecclesia Romana, pro invasore vero a Narbonensi semper habitus est.

1080. Tom. 10. conc. pag. 382.

Prob. t. 2. hist. Occit. pag. 308. & 309.

Tom. 10. conc. col. 390. 391. & 398.

1081.

1085.

XXVII. DALMATIUS.

Duo vixdum ab obitu Guifredi elapsi anni erant, cum procurante electionem & confirmante Gregorio VII. summo pontifice abbas Crassensis Dalmatius cooptatus est in archiepiscopum circa calendas Septembris anni 1081. cui cum per iniquum possessorem Petrum ecclesiam suam ingredi non liceret, a Gregorio VII. litteras obtinuit ad Raimundum S. Egidii & Bernardum Bisuldunensem comites, quibus mandat summus pontifex 23. Decemb. hujus anni, ut Narbonensi ecclesiæ a membris diaboli pervasæ promte subvenientes, Dalmatium canonice electum & ordinatum adjuvent, pervasorique resistant. Sed cum nec sic quidquam evinceret Gregorius, ad Aimericum vicecomitem Narbonæ, Petrique ex fratre nepotem, ac Narbonensem populum alias scripsit epistolas anno sequenti, vel etiam serius, ut Dalmatium quem legaliter ecclesia Romana eis constituerat, honesta benevolentia reciperent, eique tanquam spiritali patri & archiepiscopo obedientiam & reverentiam impenderent; sin minus sententiam excommunicationis in Tolosana synodo an. 1079 a legatis suis promulgatam adversus eos, qui Petrum agnoscerent, confirmaturum minatur pontifex. Nihilo tamen plus profecit Dalmatius, qui rebus suis spoliatus abbatiam Crassensem retinuit ad annum 1086. Interea in charta Guillelmi Tolosani comitis canonicos in ecclesia S. Saturnini an. 1083. indict. VI. decimo cal. Augusti restituentis, hunc redarguisse dicitur, quod suadente Hunaldo Moissiacensi abbate ejectis canonicis monachos in ecclesia S. Saturnini substituisset. Circa id tempus Romæ dicitur præsens, quando Gregorius papa jussit damnari ac deleri privilegium clericis sancti Saturnini a se concessum. Berengarius Geraldus anno 1085. X. cal. Maii regnante Philippo ecclesiam S. Eulaliæ Dalmatio abbati & archiepiscopo Narbonensi donavit. Bertrannus de Belpoi monasterio Crassensi, & Dalmatio archiepiscopo ac omnibus prælibati cœnobii monachis largitus est ecclesiam S. Saturnini Pauliacensis IV. nonas Aug. anno 25. regni Philippi. Eodem quoque anno Isarnus Tolosanus episcopus Dalmatii archiepiscopi & abbatis rogatu res ad monasterium Crassense pertinentes tuiturum se spopondit, ecclesiasque ejusdem in episcopatu Tolosano sitas confirmavit. Ad eumdem refer annum, non vero 1075. uti Mabillonius tom. 5. Annal. pag. 97. ex tomo 2. Capitul. pag. 1554. confirmationem omnium ecclesiarum Mansi Azilis factam ab Isarno episcopo Tolosano ad preces Dalmatii archiepiscopi & abbatis in capitulo generali hujusce monasterii, unde infert vir doctissimus Dalmatium tunc temporis fuisse abbatem Mansi Azilis contra chartarum fidem, in quibus Petro, qui jam anno 1067. sedebat, Pontius successisse legitur mense Maio 1081. sed abbatiam Crassensem, ut diximus, adhuc obtinebat Dalmatius, quam haud prius dimisit, quam Robertum successorem nactus est mense Maio 1086. Exeunte an. 1085. die scilicet 31. Decemb. fidem clientelarem excepit a Bernardo Volverardi. Tandem anno 1086. rerum potitus videtur Dalmatius, quo XIV. cal. Maii ecclesiam S. Mariæ Narbonensis, dictam vulgo Monachiam *l'Amourguier* prius a simoniacis & Nicolaitis clericis detentam, tunc vero recens a se consecratam monasterio S. Victoris Massiliensis donavit sub annuo censu trium librarum ceræ ecclesiæ SS. Justi & Pastoris solvendo, quam donationem biennio post, XIV. scilicet cal. Octobris anno 1088. confirmavit. Interim an. 1086. VIII. idus Septembris in celebri episcoporum, virorumque principum conventu dedicavit ecclesiam monasterii sancti Stephani Balneolensis in diœcesi Gerundensi, cum

Tom. 2. hist. Occit. pag. 258.

Ch. XXIV. col. 22.

ANNI CHRISTI

Tom. 2. hist. Occit. pag. 260.

Catel. hist. com. Tolos. pag. 126.

1085.

Ch. XXVI. col. 24.

Ch. XXVII. col. 24.

1086.

Conc. Narb. pag. 80. & 82. part. 2.

1088.

Append. Marc. Hisp. col. 1181.

ANNI CHRISTI

Berengario diœcesano, Petro Carcassonensi, Berengario Ausonensi, Gotafredo Magalonensi, & Bertrando Barcinonensi episcopis.

Artaldum Helenensem electum anno 1087. consecrare noluit propter quamdam conventionem, quam is cum canonicis ecclesiæ suæ fecisse dicebatur post electionem pro tuendis ecclesiæ Helenensis bonis, quam simoniacam esse contendebat Dalmatius; unde nec ab Urbano ipso Romæ consecratum pro legitimo pastore habuit Artaldum, donec se coram Reynerio legato postea purgasset. (Charta XXVIII. col. 25.) Circa 1088. Urbanus II. papa litteris ad clerum & populum Narbonensem, Raimundum videlicet comitem atque Aimericum vicecomitem scriptis Dalmatium archiepiscopum illis commendat. (1090.) Interfuit anno 1090. concilio Tolosano, ubi anathema dictum est adversum invasores bonorum ecclesiæ Biterrensis. (Tom. 4. Anecdot. col. 119.) Dedit XII. cal. Maii ejusdem anni S. Grisanti cum suis adjacentiis ecclesiam a laicis abstractam monasterio S. Mariæ Narbonensis, ea lege ut Narbonensi ecclesiæ una incensi libra quotannis redderetur. (Conc. Gall. Narb. pag. 86.) Circa id tempus canonicos Regulares in ecclesia SS. Justi & Pastoris instituit, quibus & plures concessit ecclesias, ut hanc institutionem firmaret. (Charta XXVIII. col. 34.) Cum autem anno superiori Berengarius Ausonensis episcopus, cui utpote viciniori episcopo ecclesiæ Tarraconensis cura demandata fuerat, Romam ad Urbanum II. se contulisset, ut ab eo Tarraconensem metropolim restituendam impetraret, cujus episcopi per 400. annos archiepiscopo Narbonensi subjecti obediverant, Dalmatius Romam & ipse petiit, ut ecclesiæ suæ jura defenderet, sed cum nulla ei suppeterent quæ jurisdictionem ipsius in Tarraconensem probarent argumenta, nulla ejus querelæ habita ratio est, restitutaque deinceps, anno scilicet 1091. Tarraconensis metropolis cum subjectis diœcesibus a Narbonensi disjuncta. (Marc. Hisp. col. 468. & seq.) Interim dum Romæ versaretur Dalmatius, obtinuit a summo pontifice bullam, qua Raimundo comiti & Aimerico vicecomiti mandat Urbanus, ut Dalmatio obediant, debitam exhibeant reverentiam, decimas reddant, & bona injuste detenta restituant. (Charta XXVIII. col. 25.) Querelas quoque eo tempore habuit cum Frotardo abbate sancti Pontii, episcopo Helenensi, & abbate Crassensi, quas Reynerio legato dirimendas commisit summus pontifex. Roma reversus Dalmatius Narbonæ concilium habuit 20. Martii anni, ut nunc loquimur 1091. (1091.) in quo præsentibus Tolosano, Carcassonensi, Helenensi, Biterrensi & Magalonensi episcopis conquestus Robertus Crassensis abbas, quod sibi Dalmatius auferret abbatias S. Laurentii ad Nigellam, S. Martini & S. Polycarpi, re in concilio discussa, abbas reum se agnovit de non servato interdicto, Dalmatio satisfecit, jusque suum in abbatias S. Laurentii & S. Polycarpi dubium confessus est, quas tamen ei Dalmatius immemor injuriæ certis conditionibus dimisit. (Tom. 10. conc. col. 1818.) Memoratur eodem anno Dalmatius cum Artallo Helenensi episcopo in charta Guillelmi Ceritaniæ comitis dantis sancto Victori Massiliensi cœnobium S. Michaelis Coxanensis. (Tom. 1. vet. script. Marten. col. 538.) (1094.) Adfuit an. 1094. concilio Brivatensi, A cui Hugo Lugdun. archiepiscopus & sedis apost. legatus præfuit, & anno 1095. Claromontensi concilio, præsidente Urbano II. papa. Denique ad meliorem vitam transiit apud locum de Rivis in pago Narbonensi an. 1096. XVI. cal. Febr. (1096.) ex necrologiis Canonicæ & Montis-olivi, indeque Narbonam corpus ejus IV. idus Martias delatum est. De Dalmatio hæc habet vetustissimum necrologium. *Anno Dominicæ Incarnat. MXCVI. depositio corporis Dalmatii archiepiscopi ecclesiæ Narbonensis, qui dum in hoc sæculo vixit, regularem vitam tenuit, beato fine XVI. calend. Febr. in Christo quievit. Sic sedit in episcopatu* B *annos XV. menses tres, dies sexdecim. Ordinavit & consecravit sex episcopos catholicos, quorum primus Gofridus Magalonensis, alter Pampilonensis; ceteri, Auriensis, Barchinonensis, Biterrensis, & Agathensis, cujus sepulturæ non defuere Ricardus* (abbas S. Vict. Massil.) *& duo episcopi, scilicet Biterrensis & Carcasson. cum quinque abbatibus monachis, videlicet Crassensi, Electensi, Bajolensi* (de Bagnols) *de S. Benedicto Castrensi, de S. Sabino, cum altero abbate de Quadraginta, cum quamplurimis clericis, & monachis Deo ordinante ad eum missis ad castrum de Rivis in ecclesia S. Mariæ, qui venientes* (12. Martii) *inve-* (Charta XXXVIII. col. 34.) C *nerunt eum pontificalibus vestibus indutum, cujus castri populus servabat corpus, nolens illud alicui concedere, & inde adductum in cathedrali Narbonensi sepelierunt. IV. idus Martias translatio corporis B. Dalmatii archiepiscopi Narbonensis provinciæ;* ex quibus verbis colligere est, eum aliquando pro sancto habitum fuisse a populo, quanquam hodie in provincia nulla ipsius fit memoria.

XXVIII. BERTRANDUS.

DE MONTREDON.

Si vera esset inscriptio capitis *Clerico* distinctione 50. Guarnerio cuidam inter archipræsules D Narbonenses dandus esset locus post Dalmatium & ante Bertrandum; verum hæc inscriptio a viris eruditis Catello & Baluzio reprobatur ut falsa, qui tamen in eo discrepant, quod ille Guarnerium Neubrigensem episcopum fuisse existimet; Baluzius vero in notis ad Gratianum, pag. 463. pro certo asserat nullum unquam fuisse episcopum Neubrigensem, moneatque hîc agi de Garnerio Mersbergensi episcopo, qui cathedram illam tenuit ab anno 1073. ad tempora Paschalis II.

Itaque Bertrandus, cui *Grausello* fuisse cognomen scripsit Claudius Robertus (quo nixus testimonio, incompertum) cognominatus autem E de Monte-rotundo in charta Raimundi Tolosæ comitis anno 1094. mense Martio, seu 1095. nonnulla relaxantis Arnaldo Psalmodiensi abbati, ex codice ms. bibliothecæ D. de Coislin episcopi Metensis notato 121. in bibliotheca S. Germani a Pratis col. 220. verso, Dalmatio proxime successit e sede Nemausensi ad Narbonensem traductus, minime tamen jam anno prædicto ex dicendis, quanquam in hac charta subscriptus archiepiscopus, utpote cui non nisi aliquanto post in signum confirmationis subscripsit. Ceterum vir fuit vita & religione spectatus,

ANNI CHRISTI

quem Urbanus II. dum ex urbe Magalona in A Arverniam tenderet, consecravit episcopum Nemausensem initio mensis Julii an. 1095. Hoc utrumque discimus tum ex epistola Urbani papæ ad Reynerium legatum suum, tum ex bulla ejusdem pontificis de privilegiis ecclesiæ Narbonensis edita in appendice libri de Primatibus auctore illustrissimo Petro de Marca. Postea vero cum idem papa per Galliam Narbonensem in Italiam anno seq. repedaret, Julii mensis die 6. apud Nemausum celebravit concilium, cui alios inter præsules interfuit Bertrandus tunc adhuc episcopus Nemausensis, qui aliquanto post Dalmatii obitum a clero, populo, comprovincialibusque B episcopis ad cathedram Narbonensem translatus, a summo pontifice confirmatus est ob exigentem necessitatem, quia, ut interpretatur Baluzius, vacabat a quinque jam mensibus & amplius sedes Narbonensis propter discordiam ortam inter clerum & vicecomitem. Sane ex judicio lato XVI. cal. Octobris an. 1097. pro cœnobio Psalmodiensi facile intelligitur Bertrandum ad metropolim Narbonensem fuisse translatum ante excessum papæ e Gallia Narbonensi; qui redux in Urbem bulla Bertrando inscripta anno 1097. pontificatus decimo indictione VI. octavo idus Novembris privilegia Narbonensis ecclesiæ, & C hæc inter primatiam in Aquensem metropolim confirmavit, palliumque concessit: quæ omnia rata esse postea jussit Paschalis II. anno 1099. pontificatus primo. Hæc autem pontificia diplomata in scriniis ecclesiæ Narbonensis asservantur, ex quibus edita sunt in appendice libri de Primatibus.

Tom. 10. concil. Labb. col. 459. — Ch. XXX. col. 16. — 1097. Ch. XIX. col. 184. — Ch. XXX. col. 16. — 1099.

Bertrandus anno circiter 1100. testis habetur in charta Bertrandi comitis Tolosani pro S. Saturnino apud Tolosam. Anno sequenti VII. idus Febr. plures ecclesias suæ diœcesis de consensu capituli dedit cœnobio sancti Pontii Tomeriensis, cui etiam eodem anno XIV. calend. D Aprilis S. Aniani abbatiam subjecit; ac post biennium III. calend. Maii feria V. approbavit chartam Aimerici vicecomitis antecessorum donationes eidem monasterio factas intuitu filii Berengarii quem ibi monachum offerebat, confirmantis. Eodem anno 1103. XVI. cal. Febr. testis est in charta Raimundi comitis S. Egidii donantis medietatem urbis *Giblet* in Phœnicia abbatiæ S. Victoris Massiliensis. Adfuit Bertrandus archiepisc. placito apud Cabrils habito præsentibus Casæ-Dei & S. Tiberii monachis, in quo Bernardus episcopus Agathensis ecclesiam de Beciano adjudicavit monachis sancti Tiberii. E Denique Bertrandum, qui nec sedem, nec honorem unquam quiete habere potuerat, a vicecomitibus semper vexatus, sponte abdicasse & extremum diem clausisse circa annum 1106. produnt Sammarthani, at a Richardo ejus successore adversus vicecomitem Narbonensem conquerente Romanæ sedis judicio depositus dicitur (anno 1106. dum Jerosolymam peteret vicecomes) quam ob causam ignoramus. De illo sic habet necrologium abbatiæ sancti Egidii asservatum in bibliotheca Fratrum Prædicatorum Camberiaci: *VIII. idus Maii obiit Bertrannus quondam episcopus Nemausensis & postea Narbonensis archiepiscopus.*

Prob. tom. 2. hist. Occit. col. 354. — 1101. — Ch. VIII. col. 82. — 1103. — *Tom. 1. vet. script. Mart. col. 602.* — Ch. VII. col. 319. — 1106. — Charta XXVIII. col. 28.

XXIX. RICHARDUS.

DE MILHAUD.

Patre cognomine vicecomite Amiliani in Ruthenis & Gabalitano defuncto ante mensem Januarium anni 1051. & matre Rixende filia Berengarii I. vicecomitis Narbonensis genitus Richardus fratres habuit Berengarium, Hugonem, Raimundum, Rogerium & Bernardum. Primum in S. Victoris cœnobio Massiliensi monachum professus, & inde cardinalis ab Alexandro papa II. juvenis admodum creatus, postmodum abbas ejusdem monasterii in locum Bernardi fratris defuncti, electione monachorum absens suffectus est anno 1079. approbante Gregorio papa VII. cui ob egregias dotes carus erat ex pluribus. Vide-sis ea de re hujus pontificis epistolam XXI. lib. 5. pag. 193. & epistolas XVI. & XVII. lib. 7. pag. 230. & 231. tom. 10. concil. Legatus ab eodem papa jam antea in Hispaniam missus, anno 1076. Burgi concilium episcoporum congregavit, in quo Constantiæ Alfonsi regis Castellæ uxoris voluntati morem gerens, prisca Gothorum in rebus divinis procurandis antiquata consuetudine, sacras ceremonias in precandi ritu Romano more sancivit, auctore Johanne Mariana, lib. 9. hist. cap. 11. In Richardi locum altero legato substituto, commissus ipse est anno 1080. ad reformandas abbatias Montis-majoris & Crassæ. Postea Victoris papæ III. successoris Gregorii animum offendit, quod Hugonis archiepiscopi Lugdunensis huic pontifici præ invidia & ambitione infensi partibus faveret, vel etiam Guiberti Ravennatis, qui se papam Clementem III. dicebat, schisma sectaretur, ut scribit Ciaconius; quapropter a Victore papa excommunicatione in synodo Beneventana mulctatus est. Verum hoc pontifice intra paucos menses sublato, in gratiam sanctæ sedis rediit, legitimisque pontificibus Romanis postea constanter adhæsit, quanquam ab Urbano II. precibus Bernardi archiepiscopi Toletani ablatam ipsi legationem legimus, quæ tamen fortasse eidem restituta fuit, nam, ut habetur tom. 2. novæ hist. Occitaniæ, pag. 344. legatus erat in Hispania, quando post Bertrandi depositionem Richardus communi totius cleri & populi consilio ac petitione in archiepiscopum assumtus est die 5. Novembris anni 1106. Paschalis papa hanc confirmavit electionem paulo ante quam in Franciam exeunte hoc anno adventaret. Insequenti pontifex bulla data Brivate in tractu Vivariensi 13. Julii an. 1107. pontificatus VIII. in ejusdem Richardi gratiam Narbonensis ecclesiæ privilegia roboravit.

Sammarth. — 1106. *Tom. 10. conc. col. 669.* — 1107.

Erit fortasse qui dicat Richardum citius cathedram Narbonensem conscendisse, quippe qui subscripsit actis dedicationis ecclesiæ B. Mariæ villæ Bertrandi in territorio Petralatensi, quæ facta est III. idus Novembris anno 1100. a Bernardo Gerundensi episcopo, in cujus diœcesi sita erat, & aliis episcopis. Sed hæc Richardi subscriptio longe

Append. Marc. Hisp. col. 1223.

longe post dedicationem facta est in signum confirmationis, ut plerumque id contigisse non semel observavimus. Idem dicendum de charta donationis factæ cœnobio B. Mariæ de Quadraginta a Guillelmo Bernardo de S. Nazario idibus Aprilis anno 1098. cui legimus in tabulario de Crusy Richardum Narbonensem archiepiscopum & sedis apostolicæ legatum subscripsisse cum Arnaldo de Levedo episcopo Biterrensi.

ANNI CHRISTI

Richardus sub ipsum sui regiminis exordium gravissimam passus est contradictionem ab Aimerico vicecomite Narbonensi & Mathilde ipsius matre, qui destituto ejus decessore in bona ecclesiæ Narbonensis invaserant. Quapropter in illos excommunicationem vibravit, uti colligere par est ex querela quam detulit anno 1107. ad Paschalem II. papam contra Petrum abbatem S. Pontii, & Raimundum abbatem Electensem, qui cum excommunicatis societatem habebant. Verumtamen aliquanto post inita est concordia Aimericum inter & archiepiscopum, cui hominium præstitit vicecomes. Eidem Bernardus & Remigius de Caneto fratres in placito die Martii ultima an. 1110. habito villam de Caneto, quam injuste hactenus possidebant, ex sententia Amelii episcopi Tolos. & Raimundi Carcass. dimiserunt. Circa id tempus Richardus concordiam iniit cum Olivario de Terminis pro castro villæ-Rubeæ contra fas ab ecclesia sua distracto; & cum Bernardo vicecomite Biterrensi de certis juribus composuit, ab eodem sacramento fidelitatis excepto. Vide in appendice nostra has duas chartas notis chronicis destitutas. Acre dissidium jamque in bellum erumpens inter Bernardum Atonem vicecomitem Biterrensem & Raimundum Berengarium comitem Barcinonensem Richardus utriusque affinis, ac plures utrinque domini amice compescuerunt, eosque ad mutuam pactionem adduxerunt; qua de re duo legimus instrumenta, alterum mense Julio an. 1112. datum, sive 8. Julii, ut habetur lib. 2. cap. 89. comitum Barcinonensium ex Sammarthanis, & quod idem est, VI. idus Julii, ex regio chartarum thesauro apud Carcassonam; alterum vero, si tamen diversum, V. idus Junii in prædicto regio chartarum thesauro, & VI. idus Junii in probationibus tomi 2. novæ hist. Occitan. pag. 382. ac in tabulario castri Fuxensis ex bibliotheca Colbertina & apud Catellum hist. comitum Tolos. pag. 1115. Eodem anno Richardus archiepiscopus & vicecomes Aimericus die 25. Octobris feria VI. tristem naufragorum Christianorum miserati sortem, communi baronum consilio & assensu statuerunt, ut nemo deinceps quidquam sibi ex eorum bonis arrogaret, sed omnia ipsis, aut eorum heredibus, si naufragi periissent, restituerentur; tandemque 26. Novembris ejusdem anni præsentibus clericis atque laicis pacem inter se definierunt, quæ diu non constitit ob recusatam ab Aimerico bonorum, quæ ab ecclesia Narbonensi tenebat, recensionem.

Tom. 10. conc. col. 670.

1110.

Ch. XXXII. & XXXV. col. 27. & 31.

1112. Tom. 1. Anecdot. Marten. col. 334.

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 383. & 384.

1113. An. 1113. Bernardus cognomento *Geraldi* cum uxore Guillelma Domino Deo, sanctisque martyribus Justo & Pastori, per manus domini Richardi Narbonensis archiepiscopi offert filium suum

A Geraldum *ad canonicum Regularem faciendum, cum omnibus*, ait, *nostris decimis & ecclesiasticis in canonica ad possidendum jure perenni. Facta est hæc charta X. cal. Martii anno Dominicæ incarnationis MCXIII. regnante Ludovico rege.* Interfuit Richardus an. 1115. pridie nonas Octobris dedicationi ecclesiæ S. Mariæ de Cassiano in diœcesi Biterrensi, una cum Atone archiepiscopo Arelatensi, & Arnaldo Biterrensi, Gualterio Magalonensi, Bernardo Agathensi, Arnaldo Carcassonensi, Johanne Nemausensi, & Raimundo Barbastrensi præsulibus. Eodem anno ecclesias S. Mariæ de Petra-pertusa, S. Michaelis de Du-B lancho & S. Stephani dedit canonicis Narbonensibus, e tabulario capituli, ubi quoque memoratur annis 1113. 1114. & 1117. Psalmodiensi cœnobio contulit hoc anno ecclesiam S. Saturnini de Aniciano, *de Nisse*. Eodem habuisse concilium videtur apud Narbonam, in quo arbitri Ato Arelatensis, Arnaldus Biterrensis, & Arnaldus Carcassonensis antistites querelam Richardum inter archiepiscopum & Hugonem S. Pauli abbatem finierunt. Sub idem tempus recruduit controversia inter Richardum & Aimericum vicecomitem, qui quidem Richardo hominium præstiterat de his quæ ab ecclesia Narbonensi possidebat, sed C cum eidem nonnulla disputaret, eaque nollet arbitrorum judicio committere, hunc Richardus excommunicavit. Quapropter a vicecomite captus & carceri mancipatus, vicecomiti acquiescere coactus fuit archiepiscopus, & cum eo in gratiam reverti; quæ quidem reconciliatio brevis admodum fuit, ut colligitur ex querela Richardi, qui nova sibi a vicecomite illata posteris adploravit mala. Anno seq. Gelasium Paschalis successorem Alesiam assecutus est cum aliis episcopis, cujus in præsentia eodem anno indictione XI. pontificatus anno primo subscripsit chartæ Guidonis episcopi Lascurrensis ecclesiam S. Fidis de Morlano dantis D Pontio Cluniacensi abbati. Adfuit anno 1119. VIII. idus Junias concilio Tolosano, præside Callisto II. papa, cujus decreto pro Raimundo Electensi abbate contra Berengarium Crassensem super abbatia S. Polycarpi, & alteri pro Anianensibus contra Casadenses monachos subscripsit. Eodem anno IV. nonas Augusti cessit ei Raimundus Berengarius ecclesiam de Oviliano, quam injuste possidebat. Mense Januario ejusdem anni testis est cujusdam confirmationis ab Atone Arelatensi archiepiscopo factæ, ex tabulis S. Victoris Massil. Reperitur & anno 1120. in charta Bernardi de Monte-sereno, & in alia Guillelmi Rai-E mundi quasdam ei decimas dimittentis. Eodem anno cum Atone Arelatensi, Arnaldo Biterrensi, Bernardo Agathensi, & Arnaldo Carcassonensi præsulibus, &c. apud S. Tiberium constitutus Richardus querelam Arnaldum inter abbatem S. Tiberii & Eleazarum de Castries ac Engelradam conjuges motam diremit. Denique anno 1121. Bernardi Atonis hominium excepit pro castro d'Auriac; cumque sedisset annos 14. menses tres & decem dies e vivis excessit hoc anno XIV. XV. vel XVI. calendas Martii, variant etenim necrologia, forte amanuensium errore. Ac primo

ANNI CHRISTI

Tom. 3. Analect. Mabill. pag. 472.

1115. Ch. VIII. col. 134.

1117. Ch. XXIII. col. 19.

Charta XXXIII. col. 28.

1118.

1119. Tom. 10. conc. col. 860.

1120.

1121.

ANNI CHRISTI

quidem alterum Montis-olivi necrologium habet xiv. cal. Martii, & ibi dicitur monachus ejusdem loci, fortasse quia hic locus ad congregationem S. Victoris Massiliensis pertinebat: alterum vero ejusdem loci necrologium habet xvi. calendas, cui concinit chronicon Narbonense: tertio denique ejus obitus dies notatur in necrologio Canonicæ & in excerpto necrologii S. Justi xv. cal. Martii. Quod ad annum obitus attinet, liquido consignatur 1121. in necrologio Narbonensi & in excerpto chronici Massiliensis sancti Victoris tom. 1. novæ bibliothecæ Labb. pag. 340. Attamen anno 1123. testante Martennio nostro, Bernardus Ato vicecomes & Rogerius filius ejus hominium Richardo dimiserunt, quod exigere solebant in Capite stagno; sed hoc ad annum circiter 1107. melius refert nuperus rerum Occitanarum auctor. Baluzius quoque docet exstare in tabulario Narbonensis ecclesiæ vetus instrumentum datum xv. calend. Septembris anno 1125. tempore hujus archiepiscopi & Udalguerii Helenensis præsulis. Constat nihilominus, ait idem Baluzius, Udalguerium nondum tunc Helenensem cathedram occupasse, & Richardum eo tempore non fuisse superstitem. Alia laudatur charta anni 1127. (non 1117. ut irrepsit in appendice) nempe xi. cal. Novembris luna xiv. feria vii. epacta xvii. in qua Elysiarius & uxor Engeliarda factum a se & ab Arnaldo S. Tiberii abbate memorant compromissum in Richardum Narbonensem archiepiscopum, Atonem Arelatensem archipræsulem, Arnaldum Biterrensem, Bernardum Agathensem & Arnaldum Carcassonensem episcopos; sed hæc compromissum & placitum diu antea, scilicet an. 1120. uti supra retulimus, habita fuerant. Præterea Bernardus jam desierat esse Agathensis episcopus, & Arnaldus Biterrensis ad ecclesiam Narbonensem transmigraverat, ut dicendum modo.

Prob. tom. 2. hist. Occit. col. 369.

Ibid. pag. 423.

Ch. vi. col. 317.

XXX. Arnaldus I.

DE LEVEZON.

In veteri charta ecclesiæ Crudiensis, *de Crusy*, diœcesis sancti Pontii cognominatur *de Levedo* Arnaldus filius Arsindæ, melius *de Levezon* Catello & Baluzio, aut fortasse *de Levenon*, e qua gente Raimundus de Levenone inter principes, hoc est primarios ditionis Richardi comitis Ruthenensis nominatur in probationibus historiæ cardinalium Gallorum, pag. 577. Antea fuisse episcopum Biterrensem probat antiquæ donationis subscriptio, his verbis: *Hoc donum fuit factum cum consilio & voluntate Ildefonsi comitis, Amelii Tolosæ episcopi, necnon Arnaldi Biterrensis episcopi, qui tunc tenebat Tolosam* (id est comitatum) *pro Ildefonso comite, qui postea fuit Narbonensis archiepiscopus & Romanus legatus*, e Catello Occitaniæ commentariorum pag. 959. Igitur ex episcopo Biterrensi, ad quam ecclesiam consecratus fuerat a Dalmatio archiepiscopo, postulatur in archipræsulem Narbonensem a clero & populo die 16. Aprilis an. 1121. & a Callisto II. papa confirmatur 17. Maii ejusdem anni; quo circiter monachi S. Aniani ad eum epistolam scripserunt de Guillelmi abbatis post obitum Ermengaudi a se facta electione. Eodem anno clientelæ professionem excepit a Bernardo Atone vicecomite Biterrensi & a Raimundo de Terminis: necnon ab Aimerico vicecomite Narbonensi mense Augusto anni sequentis. Eodem 1122. Bernardus de Monte-sereno ipsi feudum vendidit, quod apud Salas Bernardus de Podio Serrigario ab ecclesia Narbonensi tenebat. Callistum papam secutus in Italiam Arnaldus, Romæ versabatur an. 1123. mense Aprili, uti docet ipse Callistus tom. 4. Italiæ sacræ pag. 1181. veteris editionis. Sedis apostolicæ legatus ab Honorio II. Callisti successore constitutus est, ut discimus ex ipsiusmet Arnaldi litteris de restituta vita canonica in ecclesia Narbonensi, quas vide inter instrumenta.

Charta xxxviii. col. 34.

1121.

Ch. x. col. 84.

1122.

1123.

Charta xxxviii. col. 34.

Ex Urbe redux an. 1125. iv. cal. Martii canonicis S. Justi dedit seu restituit præposituram cum appenditiis, ecclesia scilicet sancti Stephani sita prope muros civitatis Narbonensis, &c. sicut eam tenuerant præpositi, nempe Matfredus quondam Biterrensis episcopus, aut Bernardus Rainardi archidiaconus: testes sunt Petrus Helenensis, Arnaldus Carcassonensis, Johannes Nemausensis, Aldebertus Agathensis, Petrus Leutevensis & Raimundus Uceticensis episcopi. Memoratur an. 1126. in transactione Amelium inter episcopum Tolosanum, & Berengarium Vallis Sigerii abbatem super ecclesia de Amanciana. Biennio post testis est donationis quam Augerio abbati S. Salvatoris fecit Bermundus episcopus Biterrensis de ecclesia S. Felicis. Sub id tempus Juncellenses monachos a jugo Psalmodiensium sua sententia liberavit. Anno 1129. indictione vii. erga ecclesiæ Narbon. canonicos munificus, eorumdemque reformationis sollicitus firmavit illis ecclesias S. Johannis de Oviliano, S. Mariæ de Rivo, S. Petri de Alamano, &c. cum appenditiis, ut ipsos in regula & vita apostolica, cui Dalmatius quondam archiepiscopus eos alligaverat, conservaret solidaretque. Actum in concilio Narbonensi anno Domini 1129. mense Martio sub die feria iv. regnante Ludovico, luna xxvi. præsentibus Bermundo Biterrensi, Aldeberto Agathensi, & Arnaldo Carcassonensi episcopis, cum Bernardo de Luco archidiacono & aliis. Ratum habuit eodem anno donum ecclesiæ S. Laurentii de Casulis in pago Narbonensi factum B. Mariæ de Burgo, seu de Monachia *la Mourguié* ab Ermengaudo sacrista SS. Justi & Pastoris in manu Deodati ejusdem loci prioris. Mense Augusto ejusdem anni cum Bernardo Arelatensi, Raimundo Magalonensi, Bermundo Biterrensi & Petro Leutevensi præsulibus pacta matrimonialia Guillelmum inter Montispessulani dominum & Sibillam subsignavit. Subscripsit quoque anno seq. mense Apr. initis eumdem inter Guillelmum & Bernardum comitem Melgorii conventionibus, de mandato Innocentii papæ II. qui eidem contra Anacletum sibi adhærenti apostolicam legationem confirmaverat. Eodem anno mense Novembri adfuit Claromontano concilio, Innocentio præsidente. Castrum de Corniliano cum suis omnibus munitionibus Arnaldo nostro dedere Cecilia

1125.

1126.

1128.

Ch. ix. col. 134.

1129.

Charta xxxviii. col. 34.

Prob. tom. 2. hist. Occit. col. 447.

Ibid. col. 448.

1130.

ANNI CHRISTI

vicecomitissa & filii ejus Rogerius atque Trencavellus, eique donationi subscripsit Raimundus Sorecenis in episcopum Carcassonensem eo die noviter electus IV. idus Junii feria IV. an. 1131. Eodem memoratur in judicio lato ab Alfonso comite Tolosano super controversia Bermundum inter episcopum & vicecomites Biterrenses. Consecravit anno sequenti nonis Decembris indict. XI.* ecclesiam S. Martini de Crexano, *de Creyssan*, cujus dedicationis occasione, communi episcoporum, qui aderant, & aliorum præsentium consilio *salvitas* instituta est atque firmata, id est locus certis limitibus circumscriptus est, infra quos absque anathematis periculo vim ullam inferre vetitum erat. Vide tom. 10. concil. Labb. col. 989. & appendicem nostram.

1131. *Ibid. pag.* 460.

1132. * inchoata a mense Sept.

Charta XXXIX. col. 35.

Habita est jubente Innocentio papa synodus Monspeliensis ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo sedis apostolicæ legato an. 1134. super ecclesia de Beciano, quæ jam in tribus placitis, altero apud Cabrils adstante Bertranno archiepiscopo, altero apud Corbianum, ac tertio apud Lupianum, præsente utrobique Arnaldo nostro Sanctiberianis monachis adversus Casadenses vindicata, in hac rursus synodo assidente eodem Arnaldo Sanctiberianis asserta perhibetur. Anno sequenti Arnaldus jussu Innocentii papæ matrimonium Berengarii Raimundi Provinciæ comitis cum Beatrice comitissa de Melgueil ad finem perduxit optatum, pactisque eo tempore inter comitem & Guillelmum Montispessulani dominum adstitit. Anno 1138. ejusdem archiepiscopi Romanæ sedis legati & aliorum auctoritate, Petrus episcopus Leutevensis dedit ecclesiam S. Mariæ de Cornilio canonicis Regularibus Deo ibidem servientibus. Concilium habuit 1140. non autem 1134. ut habetur Marcæ Hispanicæ col. 494. in cathedrali basilica, ubi præsentibus Bermundo Biterrensi, Raimundo Magalonensi, Raimundo Carcassonensi & Raimundo Tolosano episcopis Udalgarius Helenensis præsul suæ diœceseos calamitates commemoravit; quibus commoti archiepiscopus & alii, qui synodo aderant, decreverunt auxilium quærere a filiis ecclesiæ in provincia Narbonensi, & ut illud facilius obtinerent, eis qui pecuniam darent pro redemtione captivorum, quos abduxerant Saraceni, concesserunt *plenam remissionem omnium peccatorum, post actam veram confessionem, exceptis publicis peccatis, &c.* Eidem archiepiscopo dat Ildefonsus Tolosanus comes, dux Narbonæ & marchio Provinciæ castrum Conneracum, litteris datis anno 1142. pridie idus Decembris, quas vide inter instrumenta. Ad eum scripsit eodem anno Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis epist. XI. lib. 4. qua ipsum ob ingravescentem ætatem hortatur, ut deposita pastorali cura, de pontificatu ad monasticum ordinem transeat, & Cluniacum veniat: *Si tamen*, inquit, *quod salvo amicitiæ jure loquor, esset animus victor annorum, & cedere nescius senectuti, vererer pontificalem sublimitatem a summis ad ima retrahere.* Anno 1143. die 8. Decembris scripsit Cœlestinus II. papa ad Arnaldum archiepiscopum

1134. Ch. VII. col. 318.

1135.

1138. Ch. XV. col. 279.

1140.

1142. Ch. XLII. col. 37.

1143.

A & ad ejus suffraganeos, ut suos quique diœcesanos monerent, ne contra Guillelmum Montispessulani dominum rebellibus auxilium præstarent. Ad eum quoque & ad Raimundum episcopum Tolosanum scripsit Eugenius III. die 23. Junii an. 1145. ut mandarent Alfonso comiti Tolosano, ne monachos S. Theodardi vexaret. Eugenii temporibus Arnaldus archiepiscopus institutum regulare, a quo nonnihil deflexerant canonici Narbonenses redintegravit. Anno eodem 1145*. XV. calend. Augusti sedavit discordiam quæ erat inter canonicos & sacristam ecclesiæ Narbonensis, propter pannos & lectos morientium clericorum & aliorum qui ad eamdem ecclesiam sepeliendi deferebantur. Placitum habuit eodem anno cum castellanis de Sejano. Anno 1147. S. Pauli canonicis capellaniam ecclesiæ de Scalis concessit, ex tabulario S. Pauli. Hunc etiam anno sequenti Sancius abbas Fontisfrigidi beneficum expertus est, donationis teste Pontio de Brugali tunc abbate S. Pauli, & ecclesiæ Narbonensis archidiacono. Ineunte hoc ipso anno adfuit concilio Remensi; eodemque, sin mavis insequenti 1149. III. idus Martii, pro varia inchoandi annum ratione, consecratio altaris B. Michaelis, quod est fundatum in ecclesia SS. Justi & Pastoris, facta memoratur a domno Artaldo episcopo (Helenensi) præsidente domno Arnaldo Narbonæ archiepiscopo, e chronico Narbonensi tom. 8. fragmentorum Stephanotii nostri pag. 101. & tom. 9. pag. 121. Anno 1149. idibus Augusti subscripsit chartæ Petri Bairoli pro Monachia. Eodem anno IV. calend. Octobris feria IV. testamentum condidit, præsente Bermundo de Levezone Biterrensi episcopo, suo, ut videtur, consanguineo, at certe perquam familiari, uti constat ex multis instrumentis, & ex hoc maxime quod ipsi suos omnes Saracenos legat; corpus suum sepeliri mandat in ecclesia S. Pauli, cui plurima itidem donat, & aliis, de quibus vide inter instrumenta. Post biduum migravit a sæculo, pridie scilicet calendas Octobris ejusdem anni, ex veteri necrologio Narbonensi. Sedit annos 28. menses 5. & dies 14. ex Catello & Baluzio: « in cujus anniversario communitas « debet procurare omnes clericos istius civitatis & « hujus ecclesiæ, & dare unum sextarium frumenti « in eleemosynis pauperum, & debemus ire ad S. « Paulum & ibi missam pro ipsius anima celebrare. « Ita necrologii Narbonensis excerptum. Notatur etiam die & anno iisdem obitus ejus in chronico ecclesiæ S. Pauli Narbon. ubi statutum est per dominum B. abbatem & capitulum, quod in die istius anniversarii semper missa matutinalis sit conventualis, non tamen de defunctis. Denique sic habetur in martyrologio ecclesiæ collegiatæ S. Sebastiani Narbonensis: *Pridie calendas Octobris obiit Arnaudus de Leveson archiepiscopus, pro quo facimus anniversarium, & vadimus ad S. Justum, & habemus inde procurationem, vel rationes XII. denar. & vinum.*

1145.

Ch. XLIII. col. 37. * *al.* 1149. *vide t. 2. hist. Occit. pag.* 464.

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 511.

1147.

1148.

1149.

Ch. XLV. col. 38.

XXXI. PETRUS II.

DE SITULVERO.

E nobilissima gente de Andusia genitum

ANNI CHRISTI

Petrum, & quidem Bernardi de Andusia senioris ex Sibilla filium fuisse Baluzius existimat. Quod ad matrem spectat, ipsemet Petrus in quibusdam litteris se filium Sibillæ pro more magnatum hujus temporis jactat. Reperit autem idem Baluzius in iis tum regionibus duas istius nominis principes feminas exstitisse, alteram, quæ Guillelmo Montispessulani domino nupta nullum filium Petrum nomine habuit, alteram, quæ fuit uxor domini de Andusia, ex quo peperit Bernardum de Andusia, qui se quoque filium Sibillæ dicebat, quique circa idem tempus matrimonii vinculo sociatus est cum Ermengarde vicecomitissa Narbonensi, quæ haud dubie affinitas Petro nostro gradum ad infulas Narbonenses fecit. Præterea legitur Spicilegii tom. 8. pag. 195. donatio quædam Guillelmi Montispessulani domini propter nuptias Mariæ sororis Burgundiæ ducis, in qua testis est Bernardus de Andusia senior, qui fortasse pater erat Bernardi Ermengardis mariti, & Petri archiepiscopi. Hæc Baluzius in notis mss. ad veterem Galliam Christianam. At quominus in doctissimi viri sententiam, seu potius opinionem cito eamus, obstant antiquæ monasterii S. Egidii consuetudines, ex cujus abbatiali regimine ad pontificale culmen ecclesiæ Narbonensis evectus est Petrus. Sic autem habent : *Helemosynarius debet facere bene & honeste sepulturam fratribus defunctis, & famulus qui eam fodit, debet ipsa die tantum comedere in refectorio, & debet recipere pauperes, & debent esse duodecim, unus debet esse pro domino P. de Situlvero archiepiscopo & abbate, duo pro Psalmodio, &c.* Sed cum unus duntaxat Petrus ex abbate S. Egidii archiepiscopus evaserit, aliique ejus loci abbates Petri nomine donati certum habeant cognomen, non est cur aliud ab eo quod hîc enunciatur, nempe *de Situlvero*, Petro huic nostro adscribatur, qui quoquomodo cognominetur, Narbonensem cathedram anno tantum 1150. exeunte nactus est, si creditur Catello, qui annos quinque & sex menses Petrum sedisse, eique Berengarium successisse an. 1156. circa mensem Aprilem adnotavit : aut si Petrus statim successit Arnaldo anno 1149. die 30. Septembris defuncto, spatium unius circiter anni inter electionem Berengarii, qui sequitur, & mortem Petri admittendum est. Certe cum an. 1150. mediante vacasset ecclesia Uceticensis post mortem Ebrardi, hujus ecclesiæ clerus & populus *propter evitandum periculum & oppressionem imminentem hostium, ac etiam longi itineris insidias*, electioni festinanter dederunt operam, antequam metropolitanum de morte ultimi certiorem fecissent, qua de re postmodum scripserunt orantes hanc sibi culpam condonari, quæ facta fuerat *propter maximam utilitatem ecclesiæ*, postularuntque Petrum præpositum ecclesiæ Uceticensis episcopum ordinari. Exstant in tabulario S. Egidii litteræ Petri archiepiscopi Narbonensis, antea S. Egidii abbatis & Raimundi episcopi Aptensis datæ XI. calend. Novembris an. 1151. quibus in præsentia Aldeberti episcopi Nemausensis & aliorum testantur Raimundum Tolosanum comitem *wirpivisse* Deo & S. Egidio ac monachis ejusdem

1150.

1151.

Prob. tom. 2. hist. Occit. col. 536.

cœnobii quidquid juste vel injuste possidebat vel possidere videbatur in villa vel territorio sancti Egidii. Circa illud tempus Petrus dissidium habuit cum Tomeriensi & Crassensi abbatibus, de quibus apud Eugenium papam conquestus est, quod in ecclesiis quas in sua diœcesi tenebant, parochos illo inscio & inconsulto instituerent, quodque ab ipso excommunicatos in vita & in morte reciperent. Quibus auditis summus pontifex abbatibus mandavit, ut concilii Arvernensis sub Urbano II. habiti canonibus obedirent, vetuitque ne tam illi quam ceteri diœcesis Narbonensis monachi susciperent excommunicatos a Petro archiepiscopo. Hic orta lite Raimundum inter episcopum Magalonensem & capitulum arbiter & judex una cum Petro Raimundo episc. Leutevensi causam capitulo adjudicavit an. 1152. Ejusdem rogatu Eugenius III. an. 1153. pontificatus nono, indict. 1. quarto nonas Maii ecclesiæ Narbonensis privilegia auctoritate pontificia roboravit. Annuisse memoratur Petrus cuidam ecclesiarum commutationi Richinum inter abbatem monachosque de Quadraginta & canonicos S. Justi Narbonensis in litteris Hyacinti cardinalis & sanctæ sedis legati hanc permutationem confirmantis pridie calendas Aprilis indict. 11. pontificatus Anastasii papæ IV. anno 1. hoc est 1154. ex tabulariis de Quadraginta & capituli Narbonensis. Anno 1155. Petro archiepiscopo exhibuit hominium Ermengardis vicecomitissa Narbonensis pro dominiis quæ in feudum ab ecclesia Narbonensi tenebat, eidemque & successoribus ejus pravam illam consuetudinem remisit, quam hactenus ipsa & antecessores vicecomites tenuerant, bona ecclesiæ post mortem archiepiscoporum usurpandi, pro qua concessione Petrus archiepiscopus dedit Ermengardi duo millia solidorum Melgoriensis monetæ. *Factum istud sub Ludovico Francorum rege de S. Jacobo redeunte, XVIII. cal. Febr. die Sabbati apud Montempessulanum.* Eodem anno dominum de Fontejoncosa suum beneficiarium clientem jus quod sibi arrogabat occupandi vacante sede archiepiscopali istius castri supellectilem & reditus cedere coëgit. In appendice ad Marcam Hispanicam col. 1317. ad annum 1155. habetur epistola Adriani papæ IV. Raimundum comitem Barcinonensem ejusque ditiones in sedis apostolicæ tutelam suscipientis, in qua Narbonensis archiepiscopus, haud dubiè Petrus vocatur *sedis apostolicæ legatus*. Haud ita multo post, regimen & vitam clausisse dicendus est Petrus, utpote cujus pontificatum circumscribit Catellus annis quinque & mensibus sex.

ANNI CHRISTI

Tom. 10. conc. col. 1846. & 1847.

1152. Ch. XIX. col. 356.

1153.

1154.

1155.

Catel. comment. Occit. pag. 590.

XXXII. Berengarius I.

DE NARBONE.

Natus est Berengarius parentibus Aimerico II. vicecomite Narbon. & Mathilde Apula vel Sicula, quæ nupta prius fuerat Raimundo Berengario II. comiti Barcinonensi. Solemniter a patre oblatus est in cœnobio S. Pontii Tomeriarum III. cal. Maii an. 1103. cujus loci jam erat monachus VII. idus Febr. anni 1101. vel 1102. ut liquet ex charta Bertrandi archiepiscopi huic monasterio benefacientis precibus Berengarii monachi S. Pontii.

Marc. Hisp. 486.

Prob. tom. 2. hist. Occit. col. 363.

Ibid. col. 356.

ANNI CHRISTI

Tom. 2. Miscell. Baluz. pag. 191. &c.

1156.

Ch. XLVI. col. 40.

Deinde Crassensis cœnobii factus abbas, uti nos docent litteræ Callisti papæ II. & Menologium Crassense a Catello citatum, in archiepiscopum Narbonensem electus est mense Aprili vel circiter an. 1156. Confirmatur eodem anno calendis Junii ab Adriano papa IV. & 20. Julii ejusdem anni sacra perficitur unctione, ut ex Crassensi necrologio colligitur, in quo scriptum est illum obiisse anno 1162. die 7. Aprilis, transactis in regimine annis quinque, mensibus octo, & octodecim diebus. Enimvero si ea tempora ordine retrogrado numerentur, constabit Berengarium fuisse ordinatum die 20. Julii anni memorati, a quo usque ad septimum Aprilis anni 1162. sunt omnino anni quinque, menses octo, diesque octodecim. An. 1156. primo suæ ordinationis laudavit chartam donationis, qua Raimundus de Baias decimam de Capellas dedit Petro Christophori priori Monachiæ Narbonensis. Eodem, die Dominica pridie calendas Octobris Ermengardis vicecomitissa Narbonensis Berengarii neptis eidem dimisit, seu potius jam factam decessori ejus Petro cessionem de prava illa consuetudine ab antiquis temporibus inolita post mortem antistitis episcopalia bona diripiendi ratam habuit; quod ultra quoque fieri prohibuit Adrianus papa IV. epistola XLI. inter hujus pontificis epistolas, ad eumdem Berengarium scripta die 9. Decembris ejusdem anni. Exstat etiam t. 2. Miscell. Baluzii pag. 224. ejusdem papæ epistola ad Berengarium archiepiscopum, Artaldum episcopum Helenensem, &c. qua illis significat se ratam habere excommunicationem latam adversus Gaufredum comitem Ruscinonensem propter superinductam mulierem. Circa hunc annum confirmat idem pontifex compositionem inter episcopum Biterrensem & priorem de Cassiano, quam ait initam, interponentibus sollicitudinem suam Berengario Narbon. archiepiscopo, Aldeberto Nemaus. episc. &c. Ludovicus VII. Francorum rex dato precibus ejus diplomate ad an. 1157. regni 21. bona & privilegia Narbonensis ecclesiæ confirmavit. Eodem anno XII. cal. April. subscripsit Berengarius chartæ Ermengardis vicecomitissæ Narbon. locum Fontisfrigidi Vitali abbati confirmantis. Hoc etiam anno III. idus Octobris in celebri episcoporum conventu dedicavit Berengarius ecclesiam monasterii Arulensis, ex lib. IV. Marcæ Hispanicæ col. 506. & ejusdem appendice col. 1321. ubi dicitur sedis apostolicæ legatus. Anno sequenti ecclesiam S. Genesii priori de Aspirano concessit, & pro castro de Sigeano clientelæ sacramentum excepit a Bermundo. Eodem anno pridie calendas Februarii Berengarius, ac Raimundus Trencavellus vicecomes Carcassonensis mutuum sibi contra omnes auxilium jurejurando pollicentur, præterquam contra Raimundum comitem Barcinonensem, suosque vicissim clientes, quod ambo jurarunt: Trencavellus vero his addidit Raimundum comitem Tolosanum. Anno 1159. immunitatem in civitate Narbona Guiraldo abbati & monachis Silvanesii largitus est, cum facultate decem *Saumadas* salis apud S. Georgium singulis annis

1156.

Ch. XLVII. col. 40.

Charta XLVIII. col. 41.

Ch. XV. col. 138.

1157. Charta L. col. 42.

Ch. XLIX. col. 42.

1158.

Prob. tom. 2. hist. Occit. col. 566.

1159.

A accipiendi. Eodem anno exemtionis a pedagio, quam Hugo Villemagnensis abbas prædicto Silvanesii monasterio concessit, testis est Berengarius archiepiscopus sedis apostolicæ legatus. Occurrit in variis actis annorum 1160. & 1161. tandemque mortalitatem explevit anno 1162. die 7. Aprilis, ex necrologiis S. Justi & B. Mariæ Crassensis, cum sedisset annos quinque, menses octo, diesque decem & octo.

1160. 1162.

XXXIII. Pontius.

D'ARSACE vel D'ARCE.

Pontius de Arsatio, seu de Arzacio & de Arsano, filius Senegondis ortum & cognomen traxit e B loco d'*Arce* juxta Corbarias in diœcesi Narbonensi, qui a Carolomagno huic genti datus, hactenus ab ea possideri fertur. In profectione S. Ludovici regis ad terram sanctam, inter ejus aulicos aliosque ministros, itineris socios & comites recensetur Gaillardus quidam d'*Arce* ex Occitania oriundus, Pontii nostri forsitan gentilis. Ipse vero ex archidiacono hujus ecclesiæ (hunc enim esse Pontium conjicimus post Baluzium, qui hoc titulo Ermengardis vicecomitissæ renunciationi subscripsit anno 1155.) assumtus in archiepiscopum an. 1162. mense Aprili, paulopost cum archiepiscopis Turonensi, Senonensi & C Aquensi aliisque præsulibus excepit Alexandrum III. apud Montempessulanum, a quo mense Maio ejusdem anni consecratus est, uti nos docent litteræ hujus papæ & Eberhardi Saltzburgensis archiepiscopi in collectione Tengnagelii pag. 393. & 434. Huic summus pontifex eodem anno bullam protectionis indulsit, & Raimundus Trencavellus vicecomes Biterrensis hominium præstitit. Eodem una cum Stephano Cluniacensi abbate permutationem prioratuum de Chuselan & S. Florentii factam inter Raimundum episcopum Ucecensem & Guillelmum priorem S. Petri in urbe S. Spiritus approbavit. Interfuit an. 1163. D mense Maio concilio Turonensi. Circa id tempus ipsum, Helenensem & Carcassonensem episcopos papa litteris datis XV. cal. Julii redarguit, quod Crassense monasterium injustis exactionibus molestarent. An. 1164. pridie nonas Febr. feria V. hoc est 1165. Guillelmus vicecomes de Minerba recognovit in manibus Pontii se nihil habere juris in ecclesia S. Stephani de Minerba. Nominatur arbiter an. 1165. cum Adelberto Nemausensi & Gaucelino Leutevensi episc. in dissidio Johannis de Monte-lauro præsulis Magalonensis & Bernardi præpositi. In concilio Lomberiensi diœcesis Albiensis hoc anno celebrato ratam habet sententiam E latam a judicibus constitutis G. Albiensi episcopo & aliis contra quosdam hæreticos, qui se *Bonos homines* nuncupabant, Albigenses postea dictos, his verbis: *Ego Pontius de Arsax Narbonensis hanc sententiam ratam habeo, atque ipsos hæreticos esse scio, & eorum sectam improbo.* Eodem anno Ludovicus Francorum rex Pontio Narbonensi archiepiscopo omnia tam ipsius quam S. Justi canonicorum jura, prædia, possessiones, & inter alia ecclesiam S. Pauli, abbatiam S. Laurentii, abbatiam S. Stephani, quæ vocatur *Banholas*, & abbatiam de Quadraginta dato apud

Cangius in vita S. Ludov.

Catel. comment. Occit. pag. 590.

1162.

Tom. 10. conc. pag. 1410.

1163.

Tom. 1. Anecd. pag. 463.

1164.

1165.

ANNI CHRISTI

Ch. LI. col. 44.

Silviniacum diplomate per manum Hugonis cancellarii episcopi Suessionensis confirmavit. Editum jam hoc instrumentum tom. 13. Spicil. pag. 316. ex apographo domini de Gagneres asservato in bibliotheca regia nostris ad calcem instrumentis adjiciendum censuimus. Alexander papa III. datis ea tempestate litteris apud Montempessulanum XIV. cal. Sept. Pontio archiepiscopo Narbonensi, Hugoni Tarraconensi, Artaldo episcopo Helenensi & Guillelmo Gerundensi mandavit, ne Girardum comitem Ruscinonensem super quadam hereditate ab adultera femina, quam Girardi pater Gaufredus uxorem superinduxerat, aut ab ejus filio impeti sinerent. Pacem inter Genuenses & Narbonenses conciliavit anno 1166. die 12. Novemb. sive, ut in regio Narbonensi tabulario legimus, una cum Ermengarde vicecomitissa, & civitate Narbonensi cum civibus Genuensibus fœdus iniit per legatos. Eodem anno consensit donationi Sallelæ factæ monasterio Cluniacensi a Berengario de Sallela XVI. cal. Augusti feria I. & rursum ejusdem confirmationi feria IV. mense Augusto, cui etiam præsentes memorantur Pontius Carcassonnensis, Guillelmus Agath. & Johannes Magalon. episcopi, ac Rogerius & Petrus Narbonenses archidiaconi & Fulcrandus Magalon. necnon Guillelmus abbas S. Amandi. Adfuit anno seq. hominio, quod Fuxensis comes Tolosano comiti pro castro de Saverduno præstitit. Anno 1171. pacis & concordiæ Rogerium inter vicecomitem Biterrensem & Raimundum abbatem S. Pontii Tomeriarum fuit sequester cum Bernardo Biterrensi & Willelmo Albiensi præsulibus. Testis est eodem anno initi fœderis Rogerium inter vicecomitem Biterrensem ac Raimundum Narbonæ ducem; necnon pactorum matrimonialium inter eumdem Rogerium & Adalaisiam Raimundi Narbonæ ducis & comitis Tolos. filiam. Hoc etiam anno præsens memoratur placito apud Montempessul. habito pro cœnobio Gellonensi, leprosisque oratorium exstruere permisit. Testamento Arnaldi de Fenolheto in monasterio beatæ Mariæ de Crassa sepulti subscripsit an. 1173. Insequenti munificum se præbuit erga domum hospitalem S. Johannis Jerosolymitani in civitate Narbona. Præsens fuit eodem anno mense Dec. sacramento comitis Tolosani præstito Montispessulani domino. Mense Maio anni 1175. una cum G. Leutevensi, & B. Biterrensi episcopis adstitit dissidiorum compositioni, quæ inter Rogerium vicecomitem Biterrensem & Guillelmum de Lunacio inerant, ex tabulario regio castri Fuxensis. Eodem anno una cum Fulcrando Magalonæ præposito auctor fuit concordiæ inter ecclesias S. Nazarii & S. Affrodisii. An. 1176. Ermengardis vicecomitissa Narbonensis ei concessit omnia jura, quæ in castello ac territorio de Terrallo vicecomes Narbonensis habuerat; eademque rursus vicecomitissa mense Augusto ejusdem anni dimisit illi quidquid in castro de Oviliano possidebat; ipsumque castrum die 7. Sept. insequentis Berengarius de Oviliano eidem contulit. Initæ hoc anno compositioni inter Ildefonsum regem

Marc. Hisp. col. 510.

1166. Biblioth. Colbert.

Prob. tom. 3. hist. Occit. col. 113.

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 607.

1167. Prob. t. 3. hist. Occit. col. 116.

1171. Ch. XI. col. 84.

Prob. hist. Arvern. pag. 500.

Ch. XIX. col. 283.

1173. Tom. 1. Anecdot. col. 574.

1175.

Ch. XVI. col. 139.

1176.

Aragonum & Raimundum Tolosæ comitem interfuit, non vero Petrus, uti legitur app. Marcæ Hisp. col. 1369. prima nominis littera P. in instrumento fortasse solummodo posita, sed pro Petro loco Pontii, ut persæpe fit, accepta. An. 1177. Gualterio S. Johannis Jerosolymitani apud S. Egidium magistro dedit ecclesias de Joncheriis, de Costoya, de Casis & de Magiano, Narbonensemque S. Johannis ecclesiam confirmavit. Dedit eodem anno abbatiæ Fontisfrigidi ecclesiam S. Stephani de Octaviano, & anno sequenti decimas ecclesiarum S. Petri de Rocha-longa & S. Stephani de Agausiana, ex tabulario ejusdem monasterii. Sententiam tulit adversus hæreticos, & eorum fautores ac defensores an. 1179. Eodem, mense Septembri cœnobio S. Eugeniæ in suburbio Narbonensi prædia nonnulla & quasdam ecclesias concessit. Interfuit eodem anno synodo generali sub Alexandro III. in basilica Lateranensi celebratæ, cui cum ipso e provincia Narbonensi subscripserunt Johannes Magalonensis, Raimundus Uceticensis, Bernardus Biterrensis & Odo Tarchacensis (Carcassensis) antistites. Pontius adhuc memoratur 1180. quo circiter anno de ipsius & Hiacynti cardinalis sedis apostolicæ legati consilio & assensu Bernardus Biterrensis episcopus, qui prius abbatem Juncellensem Deodatum de Claromonte benedicere nolebat, benedixit.

ANNI CHRISTI

1177.

1178.

1179. Prob. t. 3. hist. Occit. col. 148.

Tom. 10. conc. col. 1530.

1180.

Ch. XVIII. col. 141.

Pontium laudat Amalricus Biterrensis ab an. 1162. ad 1180. *virum valentissimum*, ex Baluzii notis mss. ad veterem Galliam. Haud alius tamen ab eo videtur ille Narbonensis archiepisc. quem inutilem & reprehensibilem in spiritu vehementi deposuit Henricus cardin. Albanensis sedis apost. legatus an. 1181. Quod enim de Petro Aurelli a quibusdam dicitur, nullo nititur fundamento, ejusque nomen in Narbonensibus membranis plane reticetur, ut ipsi auctores sunt Sammarthani. Pontius vero legitur defunctus XV. calendas Martii* in excerpto veteris necrologii S. Justi apud Stephanotium tom. 9. Fragmentorum, ubi annus confuse notatus sumi potest pro an. 1181. quo sic intellecto obiisset Pontius ineunte 1182. secundum hodiernum computandi morem.

* XI. Febr. ex Catello.

Depositi in locum subrogatus Johannes ad Albas manus Pictaviensis episcopus an. 1181. Romam se contulit a summo pontifice benedictionem petiturus, quo cum accessisset, a clericis primæ sedis Lugdunensis, annuente papa Lucio, archiepiscopus statim electus est, qua de translatione gratulatus ei est Stephanus Tornacensis epist. 75. his verbis: *Concertant in idem caput diversarum provinciarum pontificales infulæ, & dum Pictaviensi cathedræ sacerdotem suum Narbonensis conatur eripere, religioso saltu præambula Narbonensem electum prima sedes Galliarum sibi vendicat Lugdunensis..... absit pater a mansuetudine vestra ut ad Gothorum barbariem, ad levitatem Wasconum, ad crudeles & efferos mores Septimaniæ declinetis, ubi supra fidem infidelitas, supra famam fames, dolus & dolor plusquam valeat æstimari. Vidi nuper in transitu, cum dominus Rex Tolosam me mitteret, frequentem &*

ANNI CHRISTI

ferventem in illa terra terribilem mortis imaginem, semirutos ecclesiarum muros, ambusta sacrorum ædificiorum loca, fundamenta effossa, & ubi fuerant habitacula hominum, inculta domicilia bestiarum. Contremui, fateor, & expavi cum ad ea loca vos invitari audirem, in quibus etsi contingeret vos præesse, facile esset non prodesse. Audito tamen quod Rodanusia Sidonii vos vocaret, gavisus sum gaudio magno, &c. Hæc Tornacensis de statu quo res jacebant Narbonenses post bellum Albigense.

Gaucelin.

XXXIV. Bernardus I.

Ch. LIII. col. 46.

Translato Johanne, cum Narbonensis ecclesia non solum archiepiscopo, sed & aliis esset destituta personis, jurejurando polliciti sunt canonici, se quidquid ordinaret Henricus Albanensis episcopus, qui tunc in partibus illis legationis officio fungebatur, approbaturos; at cum antequam quidquam statuisset cardinalis, ad sanctam sedem Lucium III. recens pontificem factum salutaturus rediisset, Narbonensis archiepiscopus electus est an. 1181. ex chronico Vosiensi Bernardus Gaucelini Biterrensis episcopus, de cujus genealogia in Biterrensibus infra, qui nondum confirmatus eodem anno acquisivit a Raimundo de Fesville quidquid possidebat in castro de Sigeano. Nonnulla quoque comparasse legitur an. 1182. quo cum Magalonensi episcopo pro ordinanda Narbonensi ecclesia Velletrum profectus litteras accepit a Lucio III. Velletri datas XVII. cal. Junii, quibus capitulo Narbonensi mandat summus pontifex, ut tres archidiaconos, sacristam & canonicum ab Albanensi episcopo de consilio episcoporum institutos admittere non differant, prout cardinali spoponderant, nec ullus impediat quominus personatus & præbendam eis ex formula possidenda tradat Biterrensis episcopus; de archiepiscopo vero ne meminit quidem. Bernardo itaque reverso Amelius de Auriaco hominium præstitit pro castro d'Albiere an. 1183. quo se adhuc vocat *electum Narbonensem* in veteri documento acquisitionis terræ de Canet mense Novembri. Circa id tempus Bernardus abbas Fontis frigidi ei quatuor millia solidorum Melgoriensium commodavit jussu Gaucelini episcopi Leutevensis, qui debitam hanc summam eidem abbati concessit an. 1186.

1181. Lab. novæ biblioth. t. 2. pag. 340.

1182.

1183.

Ch. XX. col. 283.

1184.

Anno 1184. ex Sammarthanis, seu 1188. ex Catello in commentariis Occitaniæ pag. 594. de consensu canonicorum vendidit abbatiæ Fontis frigidi castrum du Terrail. Tenebat interea ecclesiæ Biterrensis administrationem indulgentia Lucii III. qui hoc an. 1184. pontificium diploma cum pallio ad eum misit. Et certe anno 1185. mense Januario conventus Biterrensis, sede vacante, habitus est a Bernardo Narbonensi archiepiscopo, in quo concessa cœnobio B. M. Vallis Magnæ diœcesis Agathensis apud Ortas confirmavit. Vocatur archiepiscopus anno superiore in compositione facta mense Februario inter Ildefonsum regem Aragonum & Raimundum comitem Tolosanum. Eodem anno fidem clientelarem excepit a Rogerio vicecomite (Biterrensi) transactione de mutuis controversiis habita. Sub hoc tempus testis legitur cum Gaufrido Biterrensi episcopo in primo ejusdem Rogerii testamento; ejusdemque fit mentio in altero anni 1193. edito a Baluzio in probationibus hist. domus Arverniæ pag. 500. Anno 1185. XVIII. calendas Octobris donum Bernardi Atonis Nemausensis & Agathensis vicecomitis factum Vallis Magnæ monasterio firmavit. Eodem res B. Mariæ Burgi Narbonensis laudavit sancto Victori Massiliensi, ex parvo ejusdem monasterii chartulario num. 135. An. 1188. privilegia Fontis frigidi rata esse voluit. Pepigit eodem anno cum Guillelmo Alfarici de S. Nazario super instructo & ablato convivio archiepiscopi, necnon & equo, quo archiepiscopus in primo a consecratione ingressu vehebatur, quem ad se Alfaricus pertinere dicebat, pro duabus marcis argenti facti, quas illi archiepiscopus dedit. Ipsi fidem juravit an. 1189. Raimundus Narbonæ dux, patrociniumque spopondit in bello incolarum de Capitestagno, ex charta authentica tabularii Narbonensis num. 1. Hoc etiam anno, cum prior & monachi S. Eugeniæ se suaque monasterio Fontis frigidi tradidissent, id ratum habuit Bernardus archiepiscopus. Laudavit 1190. donationem Pontii de Arsaco decessoris factam eidem monasterio, de qua, inquiunt Sammarthani, vetus actorum codex ejusdem cœnobii num. 5. hoc est decimas ecclesiarum S. Petri de Rocha-longa & S. Stephani de Agausiana, ex tabulario Fontis frigidi; ubi & habetur transactio eodem anno facta in manibus Bernardi archiepiscopi inter Raimundum Guillelmum episcopum Leutevensem & Bernardum abbatem Fontis frigidi. Ecclesiæ Narbonensi eodem anno sextarium olei donavit ut ante altare S. Justi lucerna jugiter arderet, ex tabulario capituli Narbonensis. Deodatus de Possolerio mense Februario ejusdem anni ei fidem juravit, & castrum quod ab ipso tenebat dimisit, ut inde incommodum ferret incolis de Capite-stagno quibuscum belligerabat. Vivere desiit Bernardus die 2. Octobris an. 1191. teste martyrologio, inquiunt Sammarthani, melius tamen VI. idus Aprilis, ex necrologio Cassiani, tom. 10. Fragmentorum Stephanotii pag. 159. quod enim inibi legitur, *VI. nonas Octobris*, seu die 2. *obiit D. Bernardus presbyter & canonicus S. Pauli & archiepiscopus Narbonensis*, nemo non videt id de alio Bernardo intelligendum.

1185.

Append. Marc. Hisp. col. 1379.

ANNI CHRISTI Tom. 1. Anecdot. col. 598.

1188.

1189.

Ch. LIV. col. 49.

1190.

1191.

XXXV. Berengarius II.

Raimundum Berengarium comitem Barcinonensem ex Bernarda non legitima conjuge parentem habuit Berengarius. Ita docent scriptores rerum Aragonensium. Unde Petrus II. Aragonum rex in quadam charta ab iisdem allata vocat hunc avunculum, id est patruum, erat enim Petrus Aragonum rex Alfonsi II. Aragonum regis filius, quem constat Berengarii nostri fuisse germanum. Is autem ex abbate primum Montis Aragonum factus episcopus Ilerdensis, ab eodem Alfonso II. missus est an. 1179. ad regem Castellæ pro repetendo Harizæ castro, ex Zurita lib. 2. cap.

ANNI CHRISTI

38. annalium Aragonensium. Sunt etiam qui hunc Oscensem cathedram obtinuisse volunt, sed hoc non ita constat. Narbonensis demum metropolita renuntiatus an. 1191. mense Aprili, non tamen uno consensu, confirmatur a Cœlestino III. bulla data XI. cal. Augusti pontificatus anno primo, ob *utilitatem Narbonensis ecclesiæ & necessitatem temporis, quo in illis partibus hæresum & sectarum studia diversa, guerrarumque conflictus solito amplius invaluerant.* Hinc patet quam graviter lapsus sit Hieronymus Blanca, dum scribit in commentariis rerum Aragonensium pag. 152. Berengarium Ilerdensem tandem episcopum creatum decessisse. Statim vero ac impositus est Narbonensi cathedræ, a nobilibus dynastis hujus ecclesiæ *vassallis* consuetum clientelæ officium exegit an. 1192. ut liquido probant archiepiscopatus documenta num. 10. in quibus habetur charta Petri Aragoniæ regis an. 1196. qua Berengario, quem avunculum vocat, mille solidos Maurenses solvere profitetur. Testis est an. 1193. hominii Guillelmi de Montepessulano præstiti episcopo Magalonensi; eodemque anno mense Junio in charta Alfonsi Aragonum regis dantis Raimundo Rogerio comiti Fuxensi vicecomitatum Narbonensem, &c. Interfuit an. 1195. mense Decembri concilio Monspeliensi, & 1197. mense Februario subscripsit apud Gerundam litteris Petri Aragonum regis privilegia Balneolensis monasterii confirmantis. Eodem anno apud Oscam civitatem in Hispania degens canonicis de Quadraginta abbatem eligendi facultatem dedit. An. 1200. insulam *de Cauquene* pretio quatuor millium solidorum comparavit. In celebri curia seu conventu apud Cervariam habito 1202. mense Septembri, cui Berengarius noster cum Raimundo Tarraconensi archiepiscopo ac pluribus provinciæ magnatibus adstitit, Petrus rex Aragonum constitutiones pacis & treugæ jam antea editas renovavit & explicavit. An. 1203. mense Martio, hoc est 1204. testis est hominii comiti Tolosano præstiti ab Aimerico vicecomite Narbonensi.

[Margin: 1191. Marc. Hisp. col. 516. Ch. LV. col. 49. — 1192. — 1195. 1197. Append. Marc. Hisp. col. 1386. — 1200. — 1202. Marc. Hisp. col. 519.]

Ad consecrandum Guillelmum Magalonensem electum an. 1203. vocati episcopi comprovinciales a Berengario archiepiscopo, inhibiti sunt a sedis apostolicæ legatis, qui Berengarium absentem, in Hispanias forte profectum, ab administratione muneris episcopalis removerant, donec primæ eorum legationi obsecuturum se jurejurando Berengarius adstrinxisset. Is porro circa id tempus de multis criminibus diffamatus apud summum pontificem male audiebat; quapropter in ejus vitam, mores & acta inquirendi, abbati Cisterciensi & P. & R. monachis Fontisfrigidi provinciam commisit Innocentius III. datis V. cal. Junii litteris, in quibus eum redarguit, quod per annos tredecim nec semel Narbonensem provinciam vel diœcesim visitaverit, simoniam non sapere hæresim doceret, quod Nicolaum ducem Aragonensem, patriæ populatorem, monasteriorumque & ecclesiarum destructorem a decessore suo excommunicatum villicum suum stabilivisset, quod hospitalitatem non exhiberet, nec eleemosynam largiretur, quod sanus per unam vel duas hebdomadas ad ecclesiam non accederet, ecclesias Capitis-stagni & de Montell dudum vacantes detineret, a quodam Magalonensi episcopo pro consecratione 400. solidos exegisset, canonicorum numerum dimidiasset, quod in temporalibus circumspectus, in officio ita negligenter & remisse se gereret, ut in diœcesi sua omnia susdeque haberet; unde canonum contemtus & ecclesiasticæ disciplinæ per diœcesim Narbonensem eversio, & dissolutio. Legatis itaque summus pontifex mandat, ut si de aliquibus prædictorum constiterit, ponentes ad radicem arboris securim Berengarium deponant: qui cum Narbonam accessissent Berengario Romanum iter meditanti, ut quod adversum se objectum fuerat dilueret, sub anathematis pœna interdixerunt. Præterea P. cui soli commissum erat negotium Capitis-stagni, Berengarium non monitum condemnavit, qui his offensus, quam ante legatorum alterum in provinciam ingressum apud Biterrim mense Augusto ad summum pontificem interposuerat, & mense Novembri in capitulo Narbonensi repetierat, appellationem innovavit VI. cal. Decembris 1204. legatisque diem præfixit Dominicam post Pascha. Non continuo tamen summo pontifici stitit se Berengarius, sed ad eum excusandæ moræ causa nuntium direxit; quod graviter tulit Innocentius, indulsit tamen litteris ad eum datis VI. cal. Julii an. 1205. ut usque ad Septuagesimam proximam ipsius se conspectui personaliter exhiberet, mandato inter hæc de abbatia Montis Aragonum dimittenda, districtius eidem iterato; quod cum exsecutioni demandare differret, eadem abbatia, quæ potior ei quam Narbonensis archiepiscopatus exstiterat, illum privavit Innocentius, canonicisque mandavit IV. cal. Junii, ut abbatem eligerent.

[Margin: 1203. — Ch. LVII. col. 50. — 1204. — 1205.]

Interim Berengarius an. 1204. idibus Octobris collegio canonicorum et clericorum cathedralis ecclesiæ contulit medietatem decimarum ad ipsum pertinentium *in Livoria & Mata-fera & Monte-lauserio, &c.* quæ recensentur in actis donationis, pro dotatione trium sacerdotum hebdomadariorum, qui missas in basilica celebrarent, & pro anniversario ad altare SS. Trinitatis, quod ibidem excitaverat, de quibus donationibus fidem faciunt membranæ Narbonenses n. 21. Pro his autem capitulum ei contulit eodem anno duorum canonicatuum portionem; curavitque ab Innocentio papa III. hanc trium sacerdotum institutionem confirmari litteris datis VIII. idus Maii anno pontificatus nono. Triduo post archiepiscopo & capitulo Narbonensi scripsit Innocentius electionem de Tolosano episcopo canonice factam, & a legatis approbatam, eidemque ab Arelatensi archiepiscopo consecrationem impensam nullum Narbonensi ecclesiæ damnum allaturas, cujus ad jurisdictionem Tolosana jure metropolitico pertinebat. Romam vocatus Berengarius ab Innoc. papa, ut diximus, accesserat, ubi objectis utcumque dilutis, misericordiam postulavit, & emendationem promisit. At cum nec sic tamen præterita correxisset, quinimo pejora prioribus novissima perpetrasset, triennio

[Margin: Ch. LVIII. col. 52.]

ANNI CHRISTI

triennio post Innocentius III. Conseranensi episcopo & abbati Cisterciensi sedis apostolicæ legatis mandavit litteris IV. cal. Junii pontificatus decimo 1207. ut si eum de præmissis invenerint incorrectum, ab administratione Narbonensis ecclesiæ removerent. Vicit adhuc hac vice Berengarius, quippe qui reperitur ad annum 1211.

1207. Baluz. epist. Innoc. t. 2. p. 37.

Interim anno prædicto 1207. habitum legitur in provincia Narbonensi concilium, in quo de modo convertendi hæreticos Albigenses actum est. Biennio post cum Aimerico vicecomite statuta adversus Albigenses promulgavit Berengarius mense Julio 1209. Celebratum VIII. idus Sept. hujus anni Montiliense in eadem provincia concilium, in quo Raimundus comes Tolosæ tanquam Albigensium fautor pœnitentiæ subditus est. Nova adhuc adversus Berengarium anno 1210. exorta accusatio, quod non solum negligens, sed etiam pestilens esset; unde litteræ Innocentii ad Regensem episcopum & abbatem Cisterciensem sedis apost. legatos datæ IV. calendas Julii pontificatus anno XIII. quibus ea res discutienda committitur. Anno eodem 1210. ecclesia Narbonensis a regalibus eximitur beneficio Raimundi comitis Tolosani, qui palam professus est, quando cum ecclesia Romana in gratiam rediit, omnia defunctorum episcoporum, quæ sibi prius vendicabat, ad successores episcopos pertinere : neque aliter quam pacto restituendæ libertatis ecclesiasticæ Simon comes Montis-fortis, annuente rege & concilio Lateranensi, a comitibus Tolosanis hæc dominia possidenda nactus est, sicuti & sanctus Ludovicus rex Francorum tum cum hæc comparavit. Reperitur adhuc Berengarius anno 1211. nonis Junii in charta R. Trencavelli dantis Simoni domino Montis-fortis quidquid habebat in toto vicecomitatu Biterrensi, &c. Eodem anno Ferdinandum de Portugallia cum Johanna comitissa Flandriæ & Hannoniæ matrimonio rite conjunxit in palatio reginæ Parisiensi. Defunctum volunt Sammarthani, & Baluzius Marcæ Hispan. col. 516. anno 1212. Catellus vero circa annum 1213. Rei veritas non suppetit, nisi quod ineunte hoc anno sive mortuus, sive depositus non jam infulas Narbonenses gerebat. De eo in martyrologio S. Sebastiani Narbonensis ad marginem legitur : *III. idus Augusti obiit D. Berengarius archiepiscopus, pro quo facimus anniversarium, & vadimus ad S. Justum, & habemus inde procurationem, vel rationes :* & altera manu, *pro quo habemus XII. denarios.*

Tom. 11. conc. part. 1. col. 32.

1209. Ibid. pag. 35.

1210. Baluz. epist. Innoc. t. 2. pag. 455.

1211. Prob. t. 3. hist. Occit. col. 231.

AMAURI.

XXXVI. ARNALDUS II.

Arnaldus cognomento *Amalricus*, monachus primum Cisterciensis, inde abbas Populeti, tum Grandis-silvæ, ac postea Cistercii, eoque nomine totius ordinis superior generalis. Legatus etiam pontificius, & fidei primus in Francia fuit inquisitor, seu potius tribunal inquisitionis excitandum curavit, quo quidem Petro de Castro novo & R. Fontis frigidi monachis demandato, ipse pontificia legatione functus est ad coercendos hæreticos Albigenses, etiam ante adeptum archiepiscopatum, contra quos accersivit plurimos ex ordine Cisterciensi abbates, sanctumque Dominicum huic sacro exercitui subinde sociavit. Plures de Francia crucesignatos adduxit in provinciam Narbonensem contra hæreticos qui in illis partibus morabantur, ex gestis comitum Barcinonensium, nec frustra; anno quippe pontificatus Innocentii III. decimo quarto die XIV. calendas Maii Convenarum comes coram ipso in ædibus archiepiscopalibus hæresim ejuravit, castrumque Salinarum in fidei pignus assignavit.

ANNI CHRISTI

Marc. Hisp. pag. 553.

Archiepiscopus tandem Narbonensis creatur Arnaldus cleri populique concordibus suffragiis, electus IV. idus Martii in festo S. Gregorii papæ an. 1212. confirmatur ab R. quondam Uceticensi episcopo, tunc temporis S. sedis apost. legato, eadem que die Aimericus vicecomes Narbonensis pro his quæ ab archiepiscopo tenebat, ei fidelitatem, hominium & sacramentum præstitit, adstantibus legato, Biterrensi, Tolosano, Magalonensi, Agathensi, Helenensi, Leutevensi, Convenensi & Conseranensi episcopis, necnon S. Pauli & S. Afrodisii Biterrensis abbatibus, cum clero & populo Narbonæ. Postridie electionis Arnaldus, de consilio suffraganeorum & assensu ac voluntate legati tanquam archiepiscopus Narbonensi ducatu occupato, Aimerico Narbonæ vicecomiti ea tradidit quæ ratione ducatus tenebat ac tenere debebat, qui vicissim vicecomes ei hominium fecit, fidelitatem & juramentum, concessitque pro ducatu *albergam* in die consecrationis ejus, quæ fuit pridie nonas Maii, quod & honorifice fecit, sicut spoponderat, præsente legato & discumbente cum plerisque episcopis, & aliis tam clericis quam laicis. Hæc autem omnia discimus ex epistola abbatis & capituli S. Pauli ad Innocentium summum pontificem, quem rogant ut Arnaldo archiepiscopo & ecclesiæ Narbonensi ducatum Narbonensem confirmare dignetur. Arnaldus interea adhuc solum *electus*, sed apostolicæ sedis legatus mense Aprili ejusdem anni 1212. sodalitium Massiliæ institutum ad ecclesiæ defensionem confirmavit, ac *pridie calendas Maii in concilio Narbonæ habito, ubi *electus* adhuc dicitur, ecclesiam de Cuxiaco Narbonensi capitulo dedit, præsentibus ac testibus R. (quondam) episcopo Uceticensi sedis apostolicæ legato, P. Biterrensi, R. Agathensi, P. Leutevensi, G. Magalon. F. Tolosano, Guidone Carcassonensi & R. Helenensi episcopis, necnon Pontio S. Egidii, Berengario S. Tiberii, Berengario S. Pontii, B. Vallis Magnæ, B. Calveto S. Afrodisii & G. Crassensi abbatibus, cum Isarno de Aragone archidiacono Carcassonensi.

1212.

Ch. LIX. col. 52.

Tom. 4. anecd. col. 165. *al. calendis

Arnaldus non solum probitate morum, sed & insigni propagandæ religionis zelo clarissimus fuit, quod egregie facta passim contra Albigenses testantur. Parum sibi reputans compescere hæreticos, nisi & Sarracenos debellaret, cum res in Gallia prospere succederent, subdelegata potestate Guidoni episcopo, quo erat animo in hostes fidei acri, validis contractis copiis Pyrenæi juga superavit, & Alfonso Castellæ & Toleti, Petro Aragoniæ, & Sanctio Navarræ regibus fœderatis nobilissimam contra Mauros victoriam consilio

ANNI CHRISTI

suo peperit 16. Julii, benedicto ante pugnam exercitu Christianorum. Rem gestam fusius descripsere Rodericus Toletanus, Mariana & alii, sed melius memorabilis illius praelii summam enarrat ipse Arnaldus epistola ad abbates sui ordinis in capitulo Cisterciensi congregatos, nostra inter instrumenta; qua de re videnda quoque epist. Alfonsi Castellae regis ad Innocentium III. papam, inter epistolas hujus pontificis 182. lib. XV. edit. Baluz. pag. 686. Praefuit synodo Vaurensi in causa Albigensium & Petri Aragonum regis, qui ipsis favere dicebatur, an. 1213. circa festum Epiphaniae. Sub hoc tempus scripsit ad eumdem regem ut ab haereticis defendendis abstineret. Hanc habes epistolam apud Baluz. t. 2. epist. Innocentii III. pag. 767. Aliud quoque concilium habuit ad Murellum seu Muretum eodem an. 1213. IV. idus Septembris feria tertia post nativitatem B. Mariae, ut placando Aragonum regi provideretur. An. 1214. a Petro de Benevento cardinali sedis apostolicae legato invitatus litteris apud Remos datis VII. idus Decemb. ad concilium Monspeliense convenit habitum in quindena nativitatis Domini, ubi conditi canones, quos habes apud Baluzium conc. Narbon. pag. 38. Eodem circiter anno decretum electionis P. Pulverelli canonici ecclesiae Parisiensis pro Agathensi episcopatu ipsi a capitulo confirmandum exhibetur. Insequenti anno 1215. Simon comes Montis-fortis, qui Tolosae comes Narbonae ducatum sibi arrogabat, Arnaldoque prius hominium fecerat, & fidelitatis praestiterat juramentum, appulso in provinciam Narbonensem Ludovico regis Franciae filio, procuravit ut muri Narbonae destruerentur, fidem a vicecomite invito & reluctante extorsit, & ab hominibus Narbonae, qui obsides apud Carcassonam tenebantur; denique post discessum Ludovici nihil non egit ut ducatu Narbonae, quem archiepiscopus per triennium & amplius pacifice & quiete possederat, illum spoliaret, licet paratus esset Arnaldus omni conquerenti de justitia respondere. His offensus Arnaldus, qui comitis honori praecipuus fuerat adjutor, summum pontificem appellavit. Is datis VI. nonas Julii litteris Ferentini Simoni mandavit ut de damnis irrogatis competentem archiepiscopo exhiberet satisfactionem, ne cum veniret ad concilium generale, de eo justam haberet querendi materiam. Hanc nondum exhibuerat comes, cum eadem de causa scripsit archiepiscopus ad cardinales, ut de injuriis sibi illatis eos certiores faceret. Has habes litteras in appendice nostra. Eodem anno duas praebendas seu portiones canonicales in ecclesia S. Justi sibi a capitulo gratis donatas profitetur, ex tabulariis S. Justi & S. Pauli. Concilio Lateranensi calendis Novembris celebrato interfuit. In eo actum de primatu Toletani archiepiscopi in omnes tam Hispaniae quam Narbonensis provinciae ecclesias, perorante ipso Toletano archiepiscopo Roderico, cui Arnaldus nihil aliud respondisse fertur, nisi quod ad hoc non venisset. Roma reversus a concilio Lateranensi, in quo comitis Tolosani ditio Simoni Montis fortis confirmata fuerat, cum

[Margin: Ch. LX. col. 53. — 1213. Tom. 11. conc. part. 1. col. 81. — Ibid. col. 99. — 1214. — Ch. XXII. col. 332. — 1215. — Ch. LXI. & LXII. col. 57.]

esset Arnaldus in vigilia Purificationis B. Mariae in monasterio Fontis frigidi, illucque nuntius comitis Tolosani Simonis venisset innuens velle comitem manus extendere ad ducatum, Arnaldus comitem excommunicavit sub hac forma: *Si comes Montis fortis attentaverit usurpare ducatum, vel aliquid praestiterit quominus muri Narbonae valeant restaurari, ego excommunico eum & fautores ejus, & omnes qui ei auxilium praestiterint in hoc facto. Ad hoc fuerunt praesentes multi de fratribus ejusdem domus & alii plures.* Ac revera comitem & sequaces excommunicavit Arnaldus, de quo ad Honorium summum pontificem scripsit III. idus Septembris 1216. qui negotium legato suo definiendum commisit nonis Martii 1217. Interea vicecomes Aimericus intuitu pietatis cum archiepiscopo sic spoliato jus cudendae monetae partitus est an. 1215. Insequenti 1216. consecrationis munus impendit Bernardo de Mesua episcopo Magalonensi, & anno 1217. ratam habuit transactionem factam inter capitulum S. Justi & B. abbatem Psalmodiensem, ex tabulario capituli Narbonensis. Litteras apud Massiliam degens scripsit anno 1218. VI. calendas Decembris ad B. episcopum Carcassonensem, ut ecclesiam S. Martini de Limoso, quam abbas S. Hilarii parthenoni de Pruliano abstulerat, eidem restituendam curaret, ex tabulis B. Mariae de Pruliano tom. 6. veterum scriptorum Martennii col. 439. ubi etiam memoratur anno sequenti idibus Aprilis in charta restitutionis hujus ecclesiae, quam iterum eidem coenobio sententia definitiva confirmavit pridie nonas Octobris an. 1222. Hanc sententiam laudavit Conradus sedis apostolicae legatus V. calendas Aprilis anni sequentis.

Arnaldus interea 1221. refragatus est electioni Robaldi abbatis S. Pauli, quasi hujus ecclesiae administratio ad ipsum pertineret, neque ibi alius esse deberet abbas, quod contra judicavit Honorius III. bulla data pridie cal. Martii pontificatus anno sexto. Ea tempestate Narbonensis ecclesia, totaque tam civitatis quam burgi universitas praefulgebat zelo adversus haereticos Albigenses, quo accensi nec variis se jacturis ac periculis exponere verebantur, testante Conrado Portuensi & S. Rufinae episcopo sedis apost. legato tum litteris ad capitulum datis, cui ob hoc studium Electense monasterium deformatum & infectum subjicit & concedit anno 1222. tum aliis ad Honorium papam scriptis, quibus ipsum rogat ut hanc factam donationem confirmet. Scripsit Arnaldus anno 1223. X. calend. Febr. hoc est 1224. ad Philippum Francorum regem, una cum Nemausensi, Uceticensi, Biterrensi & Agathensi episcopis, ut Amalrico comiti apud Carcassonam obsesso suppetias ferret, cui & Narbonam fugienti ingentem ipse pecuniae summam pro militibus ejus dedit, ex codice ms. Montis-olivi. Anno 1224. infra octavas Assumtionis praefuit synodo Monspeliensi vice Honorii papae, pro reconciliandis ecclesiae Raimundo comite Tolosano, Rogerio Bernardo comite Fuxensi, Trencavello vicecomite Biterrensi & aliis, qui se

[Margin: 1216. — 1217. — 1218. — 1219. — 1221. — Charta XI. & XII. col. 111. & 112. — 1223. — Prob. t. 3. hist. Occit. col. 286. — 1224. — Spicil. t. 11 pag. 514.]

ANNI CHRISTI

Honorio papæ juraverunt obedientiam servaturos. Eodem anno Bernardus de Leone Arnaldi archiepiscopi & Aimerici vicecomitis Narbon. nomine ita cum Rogerio Guidone & Bertrando de Fossis fratribus pepigit, ut ii se per annos 29. urbem Narbonam defensuros pollicerentur, ex regio Narbonensi tabulario. An. 1225. IX. cal. Octob. cum tunc esset in monasterio Fontis frigidi, suam eidem bibliothecam & alia quædam legavit; nec multo post, nimirum VII. calend. Octob.* ex fragmento necrologii transiit ad meliorem vitam, & quidem apud civitatem Narbonam, si fides Alberici chronico. Cistercii humo mandatus est, uti jam diximus tom. 4. col. 991. de quo martyrologium Cisterciense ad III. cal. Augusti, qui fortasse dies est ipsius ad Cistercium translationis.

1225. Ch. LXIII. col. 58.

*29. Sept. ex Catello pag. 796.

Arnaldi præclare gestorum contra hæreticos illustrem memoriam inter alios auctores celebravere Petrus monachus Vallium Cernaii hist. Albigensium capp. 4. 66. 81. & 82. Cæsarius lib. V. & VII. capp. 21. & 52. Henriquez in fasciculo SS. Cisterciensium lib. I. distinct. 22. Carolus Visch in libro de scriptoribus ord. Cisterc. & Catellus in historia comitum Tolosæ & in archiepisc. Narbon. lib. V. In ejus quoque & Aimerici vicecomitis gratiam poëma scripsit Nalbusso Cadurcinus e loco de Gourdon, ubi Narbona laudatur.

AMELII.

XXXVII. PETRUS III.

Defuncto Arnaldo sufficitur Petrus Amelii, vir eximius & eloquens, primum clericus S. Nazarii Biterrensis anno 1201. & camerarius 1216. tum canonicus & archidiaconus major ecclesiæ Narbonensis. Successit autem jam anno 1225. teste Guillelmo de Podio Laurentii, & scriptore chronici de præclaris Francorum facinoribus, qui fortasse auctores veterem inchoandi anni seculi sunt rationem: asserit enim Matthæus Paris in historia Angliæ vacasse Narbonensem cathedram anno 1226. Et certe ante hunc annum nulla Petri archiepiscopi memoria est. Primum igitur occurrit Petrus an. 1225. XVII. cal. Aprilis, hoc est 1226. pro novo computandi more; quo anno Raimundus de Rocafolio in argumentum sinceri ad obsequium ecclesiæ & regis reditus plurima castra tradidit in manibus P. archiepiscopi Narbonensis recipientis ea pro Romano S. Angeli diacono cardinali sedis apostolicæ legato & pro domino rege Franciæ. Et hæc quidem charta illigatur an. 1226. in regio Carcassonensi tabulario. Eodem anno mense Aprili, seu III. cal. Maii B. episcopus Biterrensis subdelegatus P. Narbonensis electi S. sedis apostolicæ legati fidei jusjurandum a civibus Biterrensibus excepit, ex regio Carcassonensi tabulario fol. 64. Hoc etiam an. 1226. XVIII. cal. Maii simile juramentum edidit Pontius de Tesano in manibus B. Biterr. episcopi recipientis pro domino P. Narbonensi electo. Se ipse nuncupat archiepiscopum eodem anno mense Octobri in litteris de compositione inter regem Francorum & Agnetem quondam vicecomitissam Biterrensem inita. Una cum G. episcopo Albiensi, & G. Castrensi abbate hoc an. 1226. ad regem missus est a civibus Castrensibus cum epistolis, quibus se regi fideles futuros esse jurabant, & omnia quibus prius potiebantur vicecomites Biterrenses jura in ipsum regem transfundebant, ibidem fol. 58. Præsens quoque memoratur eodem anno in judicio lato Raimundum inter comitem Tolosanum reginæ Constantiæ filium ex una parte & Raimundum Rogerii comitem Fuxensem ex altera, super quodam *fortalitio* seu castro in integrum restituendo, ex regio chartarum thesauro fol. 171. verso *Languedoc*. Litteras ab Honorio III. decimo pontificatus anno Laterani datas XIV. calendas Junii accepit, quibus summus pontifex Petro archiepiscopo decimas ab Arnaldo decessore acquisitas confirmat. Exstat in regio Parisiensi chartarum thesauro & in nostris ad calcem instrumentis ejusdem archiepiscopi cum Ludovico Francorum rege compositio pro bonis hæreticorum, quæ in commissum inciderant, inita mense Octobri 1226. quam Gregorius IX. papa ratam habuit bulla data mense Dec. an. 1227. ex tabul. archiepisc. num. 344. Ita Sammarthani, qui & addunt in chartophylacio miscell. reperiri donationem domus in urbe Biterr. ab Amalrico duce Narbon. & comite Tolos. factam dilecto amico Petro Amelii archiepisc. Narbon.

1226. Ch. XXX. col. 201.

Ch. LXIV. col. 59.

An. 1227.* tempore Quadragesimæ Narbonæ synodum provincialem habuit Petrus, in qua viginti canones conditi, quorum decimo quarto inquisitores in una quaque ecclesia constituti, qui de hæresi & aliis criminibus manifestis explorarent. Testis laudatur anno seq. in transactione Olivarii & Bernardi de Terminis cum S. Ludovico rege pro castro hujusce nominis, ex regio Carcasson. tabulario, cujus cum C. Carcassonensi episcopo nomine regis in possessionem immissus dicitur ab Olivario de Terminis, cui præsules gratiam regis conciliaturos spoponderant. Eodem anno Meldis & postea Parisiis, ubi de pace cum Tolosano comite actum est adstitit, & inter duces & rectores christianorum adversus infideles exercitus memoratur hoc anno, cum Fridericus imperator in terram sanctam appulit. Habita est anno seq. apud Tolosam synodus, cui Romanus S. Angeli diaconus card. sedis apost. legatus præsedit, adstantibus Petro Narbonensi archiepiscopo, cum Burdegalensi & Auxitano, aliisque plurimis episcopis & prælatis, qui omnes initam apud Parisios pacem ratam habuere. Eodem anno XVI. cal. Junii Aimericus vicecomes, consules & equites civitatis & oppidi Narbonensis, &c. coram Petro archiepisc. totoque S. Justi capitulo se litteris regis S. Ludovici datis anno præcedenti contra hæreticorum fautores exacte parituros juraverunt, ex tabulario capituli S. Justi & S. Pauli. Eodem anno XVI. cal.* Julii, in frequenti episcoporum & abbatum cœtu apud S. Johannem de Vergis juxta Fuxum Petrus præsens adfuisse legitur reconciliationi Rogerii Bernardi comitis Fuxensis, qua de re vetus exstat documentum in chartario Palensi, & in regio Carcassonensi fol. 69. & 70. ex quo etiam

* 1226. ex Catello hist. comit. Tolos. col. 329. Tom. 11. conc. p. 1. col. 304.

1228.

1229. Ibid. col. 425.

* Junii; in cod. ms. bibl. Coisl. not. 791.

Prob. t. 3. hist. Occit. col. 340.

ANNI CHRISTI

tabulario discimus Petrum archiepiscopum eodem anno x. cal. Januarii dedisse Mariæ sorori suæ omnes honores, possessiones & fructus, quos ipsi contulerat Simon comes Montis-fortis tam in civitate Biterrensi, quam apud Villam-novam, &c. Denique hoc ipso anno Guido de Leviis marescallus S. Ludovici Franciæ regis in partibus Albigensibus, de speciali mandato regis, necnon Adæ de Milhaco ejusdem procuratoris, ac Romani diaconi cardinalis S. Angeli sedis apostolicæ legati quatuor castra assignavit Petro pro bonis hæreticorum, de quibus vide ad annum 1226. ejusdem cum rege compositionem inter instrumenta. *Actum apud Biterram anno 1229. in festo S. Luciæ.* Gregorius IX. bulla Petro inscripta an. 1230. 18. Maii possessiones ac privilegia Narbonensis ecclesiæ confirmavit. Eidem hoc anno Bellus, seu potius Berlio Uceticensis episcopus fidem & obsequium pollicitus est, ex tabulario capituli Narbonensis. Eodem anno Petrus archiepiscopus una cum C. Carcassonensi præsule motam Bernardum inter episcopum Biterrensem ex una, & Adamum de Milhaco nomine regis ex altera parte controversiam de tota jurisdictione, &c. in territorio Biterrensi arbiter diremit, ex regio Carcassonensi tabulario. Statuit hoc ipso anno ex auctoritate J. Viennensis archiepiscopi sedis apostolicæ legati, ut cives Narbonenses se fidem catholicam defensuros, atque hæreticis eorumve fautoribus bellum indicturos jurarent, ex regio Narbonensi tabulario. Quo etiam anno cum Durando Albiensi episcopo de limitibus suæ dioeceseos iniit compositionem.

Ch. LXV. col. 60.

1230.

Ch. XXIV. col. 152.

1231. Anno sequenti 1231. v. cal. Maii donum ecclesiæ S. Martini de Limoso jam pridem fratribus Prædicatoribus ac sororibus B. M. de Pruliano factum approbavit, ejusdemque ordinis fratribus, quos in civitatem Narbonam advocaverat, biblia glossata largitus est, illisque terram *in malola* juxta burgum Narbonæ ad conventum ibi ædificandum comparavit, quam donationem Walterius sedis apostolicæ legatus & episcopus Tornacensis tunc Biterris degens ratam habuit idibus Martii anno 1232. ex tabulis fratrum Prædicatorum Narbonensium. Hoc anno idem legatus, vocatis archiepiscopo Narbon. & quibusdam suffraganeis episcopis, coram Tolosano comite convenit de pluribus capitibus in pace Parisiensi expressis, ab eodem comite minus vere quam decuerat, atque debuerat observatis. Biterris quoque circa id tempus * concilium habuit legatus, ex chronico G. de Podio Laurentii pag. 88. Eodem anno 1232. Petrus archiepisc. fidem clientelarem exegit ab Aimerico vicecomite Narbonensi; urbisque Narbonæ consuetudines firmavit, ex regio Narbonensi tabulario. Quædam eo tempore dominia in comitatu Ruscinonensi pretio comparavit, de quibus in armario S. Justi num. 33. Querelam habuit cum Narbonensi capitulo super ecclesiis de Rivo, & de Oviliano, necnon & castro de Pipionibus, quæ hoc ipso anno VII. calend. Julii sopita est per arbitros T. Agathensem & B. Biterr. episcopos; quorum etiam & G. Jordani prioris de Cassiano sententia

Tom. 6. vet. script. Marten. col. 444.

Ch. LXVI. col. 61.

1232.

*an. 1233. *ex Catello hist. comit. Tolos. pag. 357.*

electio P. Guiraudi sacristæ S. Pauli in abbatem ejusdem ecclesiæ, quod facta esset inconsulto archiepiscopo, hoc anno VI. cal. Junii rescissa est, ex tabulario S. Pauli. Hic ille est archiepiscopus, cui occasione quarumdam litterarum nomine prioris & monachorum Electensium contra Narbonense duntaxat capitulum ad Gregorium IX. obtentarum, ad Romanam sedem iter destinanti diem dixerunt Grandis-silvæ & Rivipollensis abbates, ac prior Rivipollensis. Qua re offensus Petrus Gregorium papam appellavit, Romamque profectus est: sed ipsi interim judices, legitima archiepiscopi appellatione contemta, post iter ab eo arreptum, priorem & monachos in possessionem monasterii cum pertinentiis suis, quæ archiepiscopus tunc temporis tenebat, inducere præsumserunt, in contradictores excommunicationis sententiam promulgarunt, illiciteque in præjudicium archiepiscopi processerunt. Quapropter auditis Petri querelis summus pontifex bulla data Laterani idibus Junii pontificatus anno VII. hic est 1233. episcopo Albiensi, abbati Fontis frigidi & Armando de Camprineano mandat, ut, si res ita sit, excommunicationis sententiam nullam esse denuntient, & in statum pristinum revocent quidquid contra archiepiscopum post appellationem invenerint temere attentatum. Summam subinde hujus controversiæ J. archiepiscopus Viennensis aliquatenus composuit, ut liquet ex ipsius epistola ad Gregorium papam circa 1240. at vero finita non est nisi sub Guillelmo archiepiscopo successore, mediante scilicet Anianensis abbatis amicabili compositione, quam Innocentius IV. pontifex ratam habuit pridie nonas Aug. pontificatus anno V. hoc est 1247. Consecravit Petrus anno 1234. Johannem de Monte-lauro episcopum Magalon. Statuta condit eodem anno cal. Octob. contra hæreticos Albigenses autoritate Johannis archiepiscopi Viennensis sedis apostolicæ legati, & consilio Nemausensis, Biterrensis, Tolosani & Helenensis episcoporum. Pepigit anno 1236. cum Petro Raimundi Caunensi abbate super ecclesiis & decimis quas ejus coenobium in dioecesi Narbonensi possidebat. Quo etiam anno IV. cal. Martii legimus ab eo factam beatorum martyrum Justi & Pastoris revelationem.

Ch. XVI. col. 115.

1233.

Ch. XVII. col. 116.

Ch. XVIII. col. 117.

1234.

1236.

Egregiam Petrus archiepiscopus navavit operam in expeditione Valentina contra Mauros an. 1238. ad quam profecturus testamentum prius condidit XIII. cal. Maii ejusdem anni, quod ex autographo descriptum nostra inter instrumenta exhibemus. Cum delecta igitur Gallorum manu venit in auxilium regis Aragoniæ ad expugnationem Valentinæ civitatis, ut notant Albericus in chronico & Mariana de rebus Hispanicis lib. 12. cap. 19. Quapropter Jacobus Aragonum rex ei se munificum præbuit, ut liquet ex ipsius regis documento nostra in appendice relato. Anno 1240. se regi Franciæ probe gratum exhibuit Petrus, cum Trencavello vicecomitis Biterrensis filio, Olivario de Terminis, & aliis Carcassonam invadentibus, ipse cum Tolosano præsule & regionis proceribus in eam urbem prorumpens,

1238.

Ch. LXVII. col. 62.

Ch. LXIX. col. 65.

1240.

ANNI CHRISTI

regis auctoritatem acerrime defendit, urbemque ad ipsius partes revocavit, testante Guillelmo de Podio Laur. cap. 43. Exorta vero gravi discordia cum Aimerico vicecomite pro jure monetae, adventantibus e Catalonia copiis Petrum e civitate Narbona aufugisse an. 1242. docent tabulae archiepiscopatus. Jurgia quoque & inimicitias exercuisse memoratur cum canonicis ecclesiae metropolitanae, e quibus nonnullos beneficiis suis privavit, quod ab ipso moniti tam viva voce quam scripto, ut quas in dioecesi tenebant parochiales ecclesias, per seipsos regerent, obedire neglexissent; de quibus utraque pars in Petrum de Conchis priorem S. Firmini Monspeliensis compromisit, cujus tametsi judicium variis modis ac praetextibus archiepiscopus declinaret, sententia nihilominus an. 1242. eo absente pro canonicis lata est. Huic fortasse discordiae fomitem praebuerant duae capituli ad P. archiep. epistolae, altera anni 1241. XI. cal. Novemb. qua de pluribus illum redarguit: altera anni sequentis VII. cal. Febr. qua deprecatur, ne solus inexpectato capituli consilio & consensu electum Biterrensem confirmare praesumat, alioquin se ad apostolicam sedem minatur appellaturum. Vide prob. tom. 3. hist. Occit. col. 406. & 408. Eodem anno 1242. XII. cal. Aug. Petrus archiepisc. apud Biterras in camera episcopi constitutus, in praesentia & testimonio G. abbatis S. Afrodisii dirum anathema contorsit in comitem Tolosanum, & eos omnes, qui tam inquisitores quam eorum socios interfecerant, vel hanc caedem procuraverant, aut eidem consenserant. Paulo post tamen, eodem scilicet anno die Veneris ante festum B. Laurentii R. comes Tolosae & dux Narbonae, atque Amalricus vicecomes & Narbonae dominus Narbonenses cives, domos, res, & omnia eorum jura, necnon omnia bona & jura domini archiepiscopi, &c. in suam tutelam susceperunt.

1242.

Notanda sunt quae de Petro leguntur in chronico ex veteri martyrologio ecclesiae sancti Pauli Narbonensis ad calcem historiae comitum Tolos. a Catello relata. *Anno MCCXLII.* (quo Dominica tertia mensis Augusti in octavis S. Laurentii palatium archiepiscopi ab Amalrico per vim occupatum fuit, ex capitulis a Baluzio editis ad calcem conciliorum Narbonensium pag. 90.) *intravit comes Tolosae Narbonam de consensu domini Amalrici tunc Narbonae vicecomitis, & capitulum Narbonense cum quibusdam canonicis S. Pauli, & plures burgenses in crastinum exierunt villam Narbonae, & dominum Petrum Amelii tunc archiepiscopum secuti fuerunt; & postmodum an. MCCXLIV. omnes praedicti canonici cum burgensibus honorifice cum domino archiepiscopo supradicto redierunt. Ita pro certo quod dominus Raimundus comes Tolosae & Amalricus vicecomes Narbonensis pedibus & sine supertunicalibus duxerunt dominum archiepiscopum supradictum, qui equitabat supra suum equum, per habenas, ac si esset sponsus, a domo fratrum Minorum Narbonensium usque ad palatium archiepiscopale, & ibi ipse absolvit eos.*

Alterum Petrus archiepisc. bellicae fortitudinis argumentum dedit an. 1243. in expugnatione castri Montis securi, ex Guillelmo de Podio Laurentii cap. 46. Albigensium historiae. Raimundum comitem Tolosanum absolvit eodem anno pridie idus Martii a censuris ecclesiasticis in eum latis ob damna quae archiepiscopo & suffraganeis praesulibus intulerat. In litteris ejusdem R. comitis Tolosae datis hoc anno XII. cal. Maii ad episcopos Tolos. Agen. Caturc. Alb. & Ruth. ut Inquisitionem in sua quique dioecesi satagant exerceri, praesentes memorantur P. archiepisc. Narbon. & J. Arelat. cum P. Agath. G. Carpentor. & G. Leutevensi episc. necnon P. S. Pauli abbate, &c. Exstant in regio chartarum thesauro fol. 58. *Languedoc* litterae ejusdem archiepiscopi, vicecomitis Narbonensis, abbatis S. Pauli & consulum Narbonensis civitatis ad S. Ludovicum Francor. regem, cujus patrocinium implorant adversus cives burgi Narbonensis, qui facta irruptione in conventum Dominicanorum haereticos excipiebant.

1243.

Prob. tom. 3. hist. Occit. col. 434.

Ibid. col. 425.

Quod autem an. 1235. habitum vult Narbonae concilium Labb. t. XI. conc. part. I. col. 487. hoc ad annum 1244. vel circiter revocat nuperus rerum Occitanarum auctor, inductus subscriptionibus eorum qui huic adfuerunt, quas Labbaeo ignotas e ms. codice Inquisitionis Carcassonensis eruit in hunc modum: *Quaestiones & responsiones P. quondam archiepiscopi Narbonensis & suffraganeorum suorum: Petrus Dei gratia Narbonensis archiepiscopus, C. Carcasson. B. Elnensis, Johannes Magalon. G. Lodovensis, P. Agathensis, Raimundus Nemaus. & Durantus Albiensis eadem gratia episcopi, & P. Biterrensis electus, Pontius S. Egidii, G. S. Afrodisii & G. Castrensis divina permissione abbates, dilectis in Christo filiis fratribus ordinis Praedicatorum inquisitoribus haereticae pravitatis auctoritate apostolica in provincia Provinciae secundum dictum ordinem limitata, salutem & sinceram in Domino caritatem. Dubitationes vestras, prout possumus, &c.* ut apud Labbaeum.

1244.

Anno 1245. fidei sacramentum excepit ab G. Leutevensi episcopo, ut habet tabularium capituli Narbonensis. Scripsit alterius testamenti tabulas triduo post festivitatem Paschae, quarum archetypum in tabulario archiepiscopali asservatur num. 22. His autem tabulis Innocentio papae IV. bladum, horreum, & porcos legavit, uti colligitur ex bulla ejusdem pontificis ad archiepiscopum Narbonensem (successorem) qua ipsum monet ut omnia praedicta ipsi a defuncto archiepiscopo legata tradat Matthaeo de Naples papae domestico. Datum Lugduni die 2. Julii 1248. Naturae tandem debitum solvit XIII. cal. Junii anno 1245. ex necrologiis Narbon. & Biterrensi, necnon Cassiani monasterii his verbis: *XIII. calend. Junii obiit venerandae memoriae D. Petrus Narbonensis archiepiscopus & canonicus S. Mariae de Cassiano.* Jacet in ecclesia hujus coenobii, in qua fundavit quatuor sacellanos, seu canonicos saeculares. Pro illo fiunt anniversaria in ecclesiis Narbonensi, Biterrensi & B. Mariae de Cassiano: & quidem in anniversario ecclesiae Narbonensis eleemosynarius dare debet clericis ejusdem ecclesiae duodecim denarios Narbonenses, & aliis frequentantibus ecclesiam octo denarios

1245.

Baluz. catal. Dipl. pag. 10. n. 59.

ANNI CHRISTI

Narbon. Eodem die legitur in margine martyrologii S. Sebastiani Narbonensis. *Obiit P. Amil archiepisc. Narbon. & vadimus ad S. Justum, & helemosynarius debet dare XVI. denarios Melgorienses pro tribus clericis.* De eo in veteri consuetudinario Cassianensi legitur :

In mense Maio & festo S. Bodilii martyris obitus venerandæ memoriæ domni Petri Emilii quondam Narbonensis episcopi, qui quidem pater reverendus, pius & devotus Deo, fervore sanctæ religionis & piæ devotionis accensus hujus monasterii novam infirmariam, & in ea capellam ad honorem Dei & SS. Justi & Pastoris construxit, quam sufficienter dotavit, & decenter ornavit, quatuor presbyteros constituens in eadem, qui missas in dicta capella celebrare, & in divinis & aliis officiis in ecclesia majori sicut canonici servire perpetuo sunt astricti : & quia per ipsum patrem reverendum comperimus hoc monasterium a pressuris & miseriis relevatum fuisse ac ditatum, nos memores beneficiorum ab eo receptorum, defunctorum agendam & missam solemniter, sicut in festis defunctorum, pro ipso & pro genere suo celebremus.

DE BROÜE.

XXXVIII. Guillelmus I.

Vacuæ Narbonensi cathedræ impositus est Guillelmus de Broa S. Afrodisii Biterrensis abbas & ecclesiæ Narbonensis canonicus ex Sammarthanis, electus, inquiunt, vigilia Ascensionis Domini, quæ an. 1245. in diem 28. Maii, septimam post obitum decessoris, incidebat, quod patet ex authentico electionis documento n. 3. Sed non statim confirmatus fuit, aut saltem consecratus, utpote qui adhuc feria tertia ante festum S. Luciæ mense Decembri ejusdem anni, quin & decimo calendas Febr. anni sequentis *electus* tantummodo nuncupatur. Verum eidem jam archiepiscopo Innocentius papa IV. facultatem impertivit ut per totam provinciam ante se crucem faceret deportari, bulla data VI. idus Febr. anno pontificatus tertio, hic est 1246. quo XIII. cal. Maii provincialem synodum Biterris habuit, in qua decreta titulis 46. comprehensa promulgavit, & de coepiscoporum consilio præscripsit fratribus Prædicatoribus fidei Inquisitoribus qualiter in inquisitione adversus hæreticos procederent. Se quoque hoc anno mense Augusto quasdam ædes Carcassonæ sitas ex regis S. Ludovici liberalitate tenere, earumque usum ad ejusdem beneplacitum sibi concessum profitetur, ex regio Carcassonensi tabulario fol. 104. verso *Languedoc.* Eodem adhuc anno XV. cal. Martii Amalricum Narbonæ vicecomitem clientelare ipsi sacramentum profitentem excepit, ut habetur in tabulario archiepiscopali regest. 44. An. 1247. VII. idus Aprilis idem archiepiscopus testis fuit cessionis vicecomitatuum Biterrensis & Carcassonensis, qua Trencavellus olim vicecomes declaravit illos *se solvisse & desemparasse* illustrissimo domino Ludovico Francorum regi. Insequenti adfuit concilio Valentino ex quatuor provinciis Narbonensi, Viennensi, Arelatensi & Aquensi coacto a Petro Albanensi episcopo & Hugone S. Sabinæ presbytero cardinalibus S. sedis apostolicæ legatis post festum B. Andreæ apostoli, pro fide, pace, ac libertate ecclesiæ. Eodem anno dominium & jurisdictionem quæ habebat in campo, quem emerant fratres Prædicatores a P. Bremundi priore S. Mariæ de Burgo, eisdem concessit rogatu episcopi Magalonensis. Quo etiam anno mandavit Inquisitoribus, ut qui vere contriti essent, eos absolverent, rebelles autem justitiæ traderent seculari, ex tabulario Inquisitionis. Idem hoc anno XVII. cal. Febr. arbiter una cum Johanne de Cranis senescallo Carcasson. electus a Clarino episcopo Carcasson. & capitulo ex una parte, & a consulibus ex altera super damnis ecclesiæ illatis in publica civium contra regem rebellione, uterque sententia lata consules non modica pecuniæ summa multavit. Fuit arbiter 1249. jurgii episcopum inter Magalonensem & Jacobum Aragoniæ regem Montispessulani dominum exorti. Quædam præterea utiliter sancivit super decimis territorii Redensis, prout habetur in regesto acquisitionis decimarum capituli num. 27. Hujus & multæ fundationes occurrunt in martyrologiis Narbon. & abbatiæ Crassensis. Sententiam tulit contra mulieres de hæresi Valdensium accusatas an. 1250. VIII. calend. Febr. Quædam fuisse sub hæc tempora archiepiscopum inter & vicecomitem Narbonensem dissidia probat instrumentum electionis arbitrorum pro illis componendis datum IX. calend. Aug. an. 1250. Quinimo jam anno 1249. pridie nonas Decembris cura & studio nobilium virorum Guidonis & Her. de Caprosia militum fratrum & Philippi ecclesiæ S. Hilarii Pictaviensis thesaurarii ista controversia judicio episcopi Tolosani commissa fuerat, quam tandem Raimundus (non Hugo) Biterrensis episcopus una cum Guidone Fulcodii an. 1251. sua sententia diremit. Vide Baluz. in appendice conciliorum Narbon. a pagina 104. ad 151. Eodem an. 1251. IV. idus Julii Guillelmus archiepiscopus cuidam Petro Gauderemer relapso in hæresim pœnas injungit, quas vide tom. I. Anecdotorum Martennii col. 1045. Anno sequenti V. idus Januarii diploma regium accepit a Jacobo Aragonum rege Montispessulani domino ibidem datum, quo duo castra Petro archiepiscopo decessori prius donata in regno Valentiæ pro 12000. solidis Melgoriensibus Guillelmo restituuntur & successoribus ejus *in allodium francum* & liberum in posterum tenenda. Eodem anno pridie idus Januarii Amalricum vicecomitem Narbonensem ejusque ministros multis & gravissimis de causis excommunicavit, eosdemque postea suis obedire mandatis paratos absolvit XV. cal. Junii ejusdem anni, ex tabulario Fontis frigidi. Ratam habuit hoc ipso anno XI. cal. Julii donationem ecclesiæ B. Martini de Limoso factam olim ab antecessoribus monasterio de Pruliano. Exstat in regio chartarum thesauro fol. 59. *Languedoc* epistola Guillelmi archiepiscopi, & antistitum R. Biterrensis, G. Leutevensis & P. Agathensis scripta Biterris VII. cal. Junii an. 1253. ad Alfonsum comitem Tolosanum, cui supplicant, ne filios hæreticorum in bona paterna succedere sinat, quod,

Marginalia: 1245. — 1246. Ch. LVIII. col. 64. — Tom. II. conc. p. I. col. 676. — 1247. Prob. t. 3. hist. Occit. col. 459. — 1248. — Tom. II. conc. p. I. col. 696. — Ch. XLIV. col. 449. — 1249. — Prob. t. 3. hist. Occit. col. 479. — 1250. — 1251. — 1252. — Ch. LXIX. col. 65. — Tom. 6. vet. script. Martenn. col. 444. — Prob. t. 3. hist. Occit. col. 500. — 1253.

ANNI CHRISTI

aiunt, statutis in comitiis provinciæ regia & pontificia auctoritate firmatis contrarium est. Habetur & alia ejusdem anni ad S. Ludovicum Francorum regem, quem idem archiepiscopus, ac P. R. & G. Agathensis, Biterrensis & Carcasson. episcopi invitant, ut factam cum abbate Crassensi compositionem exsecutioni demandet. Jacobus Aragonum rex, Majoricæ & Valentiæ, comes Barcinonensis & Urgellensis, ac Montispessulani dominus subditis suis eodem anno imperavit, ne a subditis sive archiepiscopi, sive Amalrici vicecomitis Narbonensis pignora pro damnis sibi ab iisdem illatis acciperent, ex regio Narbonensi tabulario. Anno 1254. XII. cal. Nov. approbat Guillelmus archiepisc. fundationem monasterii B. Mariæ de Lapideto monialium ordinis S. Augustini in diœcesi Narbonensi, qua de re videnda ipsius charta in appendice relata. Præfuit anno seq. VIII. idus Maii concilio Biterris congregato, cui R. Biterrens. R. Tolos. G. Leutev. R. Nemaus. P. Agath. & B. Uceticensis antistites, necnon procuratores G. Carcasson. & P. Magalon. episcoporum cum multis abbatibus interfuerunt. Hoc autem in cœtu rogatione Petri de Autolio senescalli Carcasson. & Biterrensis decretum fuit episcopos eidem auxilium impensuros in expugnatione castri *de Querbus*, quod hæreticorum & latronum erat receptaculum. Lecta quoque sunt ibidem & publicata statuta quædam S. Ludovici Francorum regis pro reformatione morum, a Guidone Fulcodii regis ejusdem jussu ad provinciam Narbonensem allata. Eodem anno pridie cal. Martii, ipsius & Petri Rostagni prioris de Monachia adversus Raimundum de Montebruno equitem & alios Narbonæ consules querela de falsura porcorum sopita fuit, arbitro Jacobo S. Afrodisii abbate, & canonico Narbon. ex regio Narbon. tabulario. Mandavit an. 1256. XVI. cal. Martii, Tolosano episc. ut ballivium & lictores S. Gavellæ ab A. comite Tolosano institutos, quod armati grangias Ampuliaci de Tramesaigues & d'Artenac cœnobii Bolbonensis proprias invasissent, fratres conversos male accepissent, & ecclesiæ de Tramesaigues campanili ignem admovissent, excommunicaret. Denique anno incerto Franciscæ abbatissæ ordinis S. Damiani locum impertivit in parœcia S. Felicis ad excitandum monasterium, quod hodie non exstat. In fata concessit Guillelmus die 25. Julii anno 1257. conditus primum in basilicæ veteris metropolitanæ sacello S. Michaelis vel Lazari, cum epitaphio sequenti, & inde translatus in novam a successore Maurino ædificatam ecclesiam.

Ch. XLVI. col. 453.

1254. Ch. LXX. col. 66.

1255.

Baluz. conc. Narb. pag. 64.

Tab. Biterr.

1256.

Tab. Bolbon.

1257.

Anno Domini

Millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, VIII. cal. Augusti obiit dominus Guillelmus de Broa, quondam archiepisc. Narbonæ, qui fuit oriundus de Podio Celiqueno diœcesis Biterr. cujus ossa in præsenti sepulcro requiescunt, & vixit in archiepiscopatu laudabiliter duodecim annis, & ecclesiam suam & subditos suos in pace & quiete salubriter gubernavit. De bonis autem suis instituti sunt quatuor presbyteri perpetui, qui celebrare tenentur in præsenti capella, & septem anniversaria, in quibus recipiunt omnes intitulati quoquomodo in ecclesia Narbonæ, ac capellani capellarum civitatis Narbonæ: & qui præsentes litteras legerit, orationem Dominicam ter devote dicat pro anima ipsius.*

* Puyceliçon.

Ejus obitus, seu anniversarium notatur 26. Julii in necrologiis Crassensi, Montis olivi, & S. Pontii Tomeriensis, ubi hac die legitur *officium pro anima D. Guill. Narbon. archiepisc. & cras eleemosynarius debet duplicare eleemosynam pauperibus.* Eodem quoque die sic habet necrologium Cassiani monasterii : *Obiit D. Guill. de la Broa archiepisc. Narbon. ab eleemosynario XV. solidi.* Notatur autem in excerpto necrologii S. Justi XIV. cal. Febr. & V. cal. Maii. In altero Montis olivi necrologio sic legitur : *pridie idus Martii generale officium pro anima D. Guillelmi de Broa archiepiscopi Narbonensis ;* & in codice ms. Gellonensi : *IX. cal. Febr. ob. D. Guillelmus archiepisc. Narbon.* ac denique in necrologio de Quadraginta : *VIII. cal. Aug. obiit D. G. de Bray archiepisc. Narbonæ.* De quo etiam intelligimus quæ leguntur in martyrologio S. Sebastiani Narbon. *IV. cal. Maii ob. G. Narbonæ archiep. in cujus anniversario communitas S. Justi debet dare pro tribus clericis istius ecclesiæ XVI. denarios Melgorienses ;* & iterum ibidem, *VII. cal. Aug. XVIII. denar. Melgor.*

XXXIX. Jacobus.

Ex abbate S. Afrodisii promotus Jacobus ad archiepiscopatum Narbonens. concilio provinciali apud Montempessulanum celebrato præfuit VIII. cal. Sept. an. 1258. cujus acta in octo capita digesta edidit noster D. Lucas Dacherius t. 2. spicil. pag. 645. unde inserta sunt tom. XI. concil. Labb. col. 778. Anno eodem 29. Octobris paciscitur cum R. abbate S. Aniani super ecclesiis S. Nazarii de Gabian & S. Juliani de Lapejan juxta Capestagnum. Quo etiam anno Amalricum Narbonæ vicecomitem ad fidem clientelarem admisit, cujus sacramenti series continetur n. 62. armarii vicecomitum. Inimicum habuit senescallum Carcassonensem, adversus quem Alexandri papæ IV. patrocinium apud regem Ludovicum postulavit, ex notis Baluzii ad concilia Galliæ Narbonensis pag. 42. Nonnulla feoda comparavit in loco *de Grussan* & supplicationi generali a se indictæ ad sedandam pestem cum clero civitatis interfuit VI. non. Maii anno 1259. ut prodit vetustissimum martyrologium. Quo etiam anno pridie cal. Aug. motam inter Othonem abbatem Fontis frigidi & Jordanum rectorem ecclesiæ de Burgairagio querelam super decimis honoris de Paraone composuit, ex tabulario Fontis frigidi. Die Dominica post quatuor tempora Septembris ejusdem anni a Berengario Helenensi episcopo, ipso die quo P. episcopus Agathensis vice archiepiscopi illum consecravit, fidei sacramentum excepit. Testamentum conscripsit eodem anno III. cal. Octobris, cujus tabulæ habentur in archivo archiepiscopali num. 54. Haud multo post defecit brevis ævi pontifex, eodem scilicet anno III. nonas Octobris, ex chronico S. Pauli, aut IV. nonas,

1258.

1259.

ANNI CHRISTI

uti legitur in excerpto veteris necrologii S. Afrodisii Biterrensis, vel denique v. nonas, ex fragmento necrologii SS. Justi & Pastoris.

XL. GUIDO.

FOULQUOYS.

Germanum Guidonis cognomen esse Fulcodii, vulgo *Foulquoys* vel *de Foulques* scribit Baluzius in mss. notis ad veterem Galliam Christianam: nam ita se ipse semper vocavit in veteribus actis, inquit, & antiqui scriptores Geraldus de Fracheto, Bernardus Guidonis, Ptolemæus Lucensis, Amalricus Augerii, Platina, Johannes Stella sic eum appellavere, solus Onuphrius Panvinius eum *Guidonem Grossum* nominat ex conjectura potius, ut videtur, quam ex rei veritate; nempe quod legeret Petrum Grossum de S. Egidio, ad quem exstat Guidonis tum summi pontificis epistola, fuisse ejus consanguineum. Additur autem & aliquando Fulcodii cognomini cognomen de S. Egidio, a natali solo, ut quibusdam placet. De Guidonis Fulcodii piissimis & nobilissimis parentibus, militia, uxore, liberis, summa juris peritia, & eximia in rebus agendis solertia jam egimus in episcopis Aniciensibus tom. 2. col. 717. e qua sede transiit ad Narbonensem, electus per compromissum VI. idus Octobris an. 1259. ut liquet ex ipsius electionis decreto, quod edidit Baluzius in appendice conciliorum Galliæ Narbon. pag. 161. *Electus* adhuc tantummodo dicebatur VIII. cal. Junii anno 1260. unde profecto vacare sedes Narbonensis dicitur III. idus Januarii ejusdem anni quo Leutevensis episcopus R. Narbonensi capitulo fidem obligavit. Eodem anno statuta quædam publicavit, quæ sunt edita tom. 11. concil. Labb. col. 793. *lege* 796. & in conciliis Galliæ Narbon. pag. 79. Idem hoc anno mense Aprili initas olim pactiones inter Ludovicum Franciæ regem & Petrum Narbonensem archiepiscopum super feudis ab ecclesia Narbonensi mobilibus & propter hæresim addictis regi firmavit, ex regio Carcassonensi tabulario & Parisiensi, ubi de feudis senescalliarum Carcassonæ, Bellicadri, &c. Militum quoque suæ vassallorum sedis, & ipsius Amalrici vicecomitis VIII. idus Maii an. 1260. juramenta excepit, quæ continentur in regesto hominiorum ecclesiæ Narbonensis. Huic etiam an. 1261. XIV. cal. Aprilis Guillelmus de Salis filius quondam Bernardi de Salis clientelam professus est.

T. 11. conc. part. 1. col. 830.

1259.

1260.

Tab. capit. Narbon.

Ch. LXV. col. 60. & 61.

Append. ad concilia Gall. Narb. pag. 163.

1261.

Nec minus de rebus ecclesiasticis & pastorali cura sollicitus Guido, statim atque in archiepiscopali confirmatus est dignitate, verbi Dei prædicationi, in qua plurimum ob facundiam excellebat, sedulus incubuit. Anno 1261. XIII. cal. Julii fidelitatis sacramentum a Pontio episcopo Biterrensi excepit, ex tabulario ecclesiæ Narbonensis. Motam inter sacristam ecclesiæ Narbonensis & rectores parœciarum civitatis ex una parte, & Ottonem abbatem Fontis frigidi ex altera querelam super canonica portione bonorum dicto monasterio ab iis legatorum, qui in eo sepeliri vellent, composuit VI. calendas Novembris ejusdem anni, ex tabulario capituli Narbon. Johannem Jacobi & magistrum Bernardum de Porcillis clericos creavit notarios publicos v. calendas Octobris anni præsentis; quo etiam paulo ante Pentecosten Arnaldus abbas Fuxensis & Rogerius comes Fuxi Guidoni archiepiscopo suas controversias dirimendas commiserunt, ex archivo urbis Fuxensis. Mense Decembri ejusdem anni Urbanus papa IV. Guidonem cardinalem creavit, & ad episcopatum Sabinensem transtulit. Sed is oblatum honorem rarissima moderatione recusavit, dicens se necessarium ecclesiæ & provinciæ Narbonensi, petiitque ab Urbano, ut ab onere cardinalatus exemtum sponsæ ligatum relinqueret. Urbanus autem existimans publicam ecclesiæ universalis utilitatem privatis ecclesiæ Narbonensis commodis anteponendam, auctoritate utendum ratus, in virtute obedientiæ ei præcepit, ut omni excusatione cessante in Italiam veniret, apostolicisque mandatis morem gereret. Interim Guido id. Maii 1262. privilegia a Romanis pontificibus Casæ-Dei olim concessa diligenti præmisso examine apud Nemausum recognovit. Eodem anno Urbanus IV. duodecimo calendas Novembris pontificatus secundo litteris ad Ludovicum Francorum regem datis significavit archiepiscopos Ebredunensem & Narbonensem ad cardinalatum assumtos, simulque rogavit *ne moleste ferret, si eos contra ipsius votum propter hoc ad Romanam curiam evocaret.* Jam forte promotioni suæ assensum præbuerat Guido, quem regi circa id tempus declaravit. Utramque epistolam & Urbani ad Guidonem, & Guidonis ad Ludovicum habes tom. 2. amplissimæ collectionis col. 1256. & 1257.

ANNI CHRISTI

Plurimas alias ad Guidonem epistolas scripsit Urbanus, dum in Anglia fungeretur apostolica legatione, ut discordias inter Henricum regem & regni proceres prudentia sua componeret. Quod quidem munus feliciter exsecutus, dum ad curiam rediret, ob egregias virtutes omnium cardinalium votis Romanus pontifex declaratur Perusii mense Febr. an. 1265. & ibidem coronatur assumto Clementis IV. nomine VIII. cal. Martii, id est 22. Febr. die cathedræ S. Petri Antiochenæ sacra. Demum, ut ait Spondanus episcopus Appamiensis in annalibus, morbo senioque confectus, ecclesia Dei optime administrata, plenus dierum & bonis operibus gravis migravit in cœlum Viterbii an. 1268. III. cal. Dec. post tres sedis annos, menses novem & dies 25. sepultus ibidem in ecclesia S. Mariæ ad Gradus, cum hac inscriptione tumulo insculpta:

Lector fige pedes, admirans quam brevis ædes
Pontificem quartum Clementem contegit arctum.
En datur in cineres Petri successor & hæres,
Cujus, si memor es, non mundi gaudia quæres.
Hic judex primum, quem sic successus opimum
Reddidit, ut fertur, miles probus efficeretur.
Taleque sortitus nomen, jurisque peritus,
Virginis unius fuit unicus ipse maritus.
Qui viduatus ea, mox Christi sorte potitus,
Aniciensis ita dignus fuit archilevita,
Præsul ibi factus, post archiepiscopus actus.

Pastor

ANNI CHRISTI

Pastor ut egregius Narbonæ præfuit auctus.
Utque Deo gratus & cardinalibus sociatus,
Papatus nomen clarum suscepit & omen.
Sic sublimatus, sic denique clarificatus,
Perficiendo gradus censetur ad astra levatus,
Annis sex denis octo cum mille ducentis
Transactis Christi Clemens tumulo datur isti,
Ut finalis ei det gaudia summa diei. Amen.

De Guidone Fulcodii vide Guillelmum Cave in historia litteraria pag. 641.

XLI. MAURINUS.

Guidoni ad purpuram Sabinensemque episcopatum assumto proxime sufficitur Maurinus canonicus Narbonensis, Urbani papæ IV. capellanus an. 1262. ex Sammarthanis, qui tabulas citant n. 321. Non ideo tamen statim confirmatus est, ut patet tum ex consecratione R. Leutevensis electi facta a P. episcopo Agathensi, ejusdemque fidei sacramento canonicis Narbonensibus præstito, sede Narbonensi vacante, idibus Januarii 1263. tum ex bulla Urbani IV. data archidiacono Carcassonensi 16. Aprilis, ut quidquid sede vacante ex ecclesia Narbonensi usurpatum fuerat, restitui curaret. Elapsis vero aliquot diebus Urbanus IV. hanc præsentibus Maurino & capituli nunciis diligenter expensam approbavit electionem, bulla data apud Urbem veterem VIII. cal. Maii pontificatus secundo, eidemque consecrationis munus propriis manibus impendit, palliumque de B. Petri corpore sumtum donavit.

1262. — Baluz. catal. Diplom. mss. pag. 13. n. 84. & 85. — 1263.

Roma reversus Maurinus calendis Junii abbates, priores, archipresbyteros & rectores parœciarum Narbonensis provinciæ adhortatus est, ut subditos ad reparandum pontem ab urbe Narbona ad Biterrim inducerent, concessa iis qui subsidium aliquod conferrent quadraginta dierum indulgentia. Calendis Augusti Pontius Biterrensis episcopus se ipsi paratum exhibet ad subeundum prudentum virorum judicium circa regimen abbatiæ abbatisque S. Afrodisii electionem, ex tabul. episcopatus Biterrensis; ad quod spectare videtur Clementis IV. epistola CXXXVIII. tom. 2. Anecdot. ad episcopum Magalonensem, ut pacem inter Narbonensem archiepiscopum & Biterrensem antistitem componat. Datum Assisii pridie calendas Septemb. pontificatus anno 1. Eodem anno Sicardus Ademarus hominium ei præstitit. Circa id tempus duas ad Alfonsum Pictavorum & Tolosæ comitem Maurinus scripsit epistolas, ex regio Parisiensi tabulario, quarum altera Inventarii fol. 69. *Languedoc* ipsum hortatur XVI. cal. Apr. ut per suos ministros manus injiciat in bona Tolosani episcopatus pro expensis faciendis in inquisitione de vita & moribus R. episcopi Tolosani habenda; altera mensis Maii, ibidem fol. 65. verso, apud eum conqueritur de vi ministris suis a Beraudo de Andusia illata, quod a sede apostolica delegatus, inquit, in vitam & pravos ejusdem episcopi mores inquisierim, & quod ad damni inde emersi læsique honoris satisfactionem postulem prædia & possessiones episcopatus Tolosani in manum comitis tradi, ut expensæ ob eam causam factæ solvantur.

Clementis IV. papæ amicus & valde familiaris fuit, quemadmodum docent plures ipsius epistolæ, in quibus successor ejus nuncupatur. Attamen epistola CVIII. apud Martenn. tom. 2. Anecdot. col. 167. data Perusii XI. cal. Augusti pontificatus anno primo, hic est Christi 1265. ab eo reprehenditur, quod nec cum laicis pacem haberet, nec cum fratribus & coepiscopis unitatem, nonnullisque improperasset quod suam in papa ponentes fiduciam, non alium Deum haberent; *quæ si vera sint*, ait summus pontifex, *male utique in ore tuo poterant sonare, cum nullus in nobis idolatret, nec Deum nos reputet, quanquam Dei vicarium possit dicere confidenter, quod nemini ad injuriam debes objicere, sed noster in sede Narbonensis ecclesiæ immediatus successor, tibi plus ceteris ad honorem & gloriam vindicare.* Eodem anno 1265. quasdam apud Carcassonam ædes, quibus ex munificentia regum Franciæ potiti fuerant ejus antecessores, liberas & ipse ex concessione regis S. Ludovici recipit mense Decembri, ex regio Carcassonensi tabulario. Idem anno sequenti capitulo quadraginta libras annui reditus super ecclesia de Pipionibus percipiendas assignavit. Hoc ipso anno 1266. ineunte cum S. electus Toletanus ab apostolica ad sedem suam rediens, crucem ante se deferri per Narbonensem provinciam fecisset, graviter a Clemente IV. reprehensus est bulla data XII. cal. Jan. pontificatus anno secundo. Maurinum quoque idem pontifex iterum arguit litteris Viterbii datis V. calend. Novembris pontificatus tertio 1267. quod in Romana nuper curia existens, cuidam magno viro dixisset *corpus Domini essentialiter in altari non esse, sed tantum sicut signatum sub signo, hancque celebrem esse Parisinorum opinionem*, quam impositam sibi amolitus est calumniam Maurinus in apologetico quem ad Clementem misit de fide sua libello. Hunc habes cum epistola t. 2. Anecdot. col. 536. & 559. Anno 1268. XIII. cal. Septembris huic Jacobus rex Aragonum pro beneficiis sibi jam collatis gratias agit, ipsiusque auxilium implorat adversus injurias, quas Magalonensis episcopus ipsi inferebat. Quemdam Gaufredum Narbonensem præsulem importune obtrudunt anno 1269. regesta Vaticana: idem enim, qui an. 1268. Maurinus *cum domino Ludovico rege Francorum nunc triumphante in subsidium terræ sanctæ transfretasse* legitur an. 1270. controversiam redux cum Narbonensi capitulo pro definiendo loco ad novam construendam basilicam S. Justi habuit, quam Bertrandus episcopus Tolosanus terminavit an 1271. sententia, quæ asservatur in indiculo schedarum templi S. Justi cap. 45. Primarium lapidem in fabrica nova hujusce cathedralis imposuit Maurinus ex chronico sancti Pauli, cujus in fundamenta aurea crux ad ecclesiam Narbonensem a Clemente transmissa, die Dominica qua cantatur *Lætare Jerusalem* injecta fuit, ut his versibus vetus musa cecinit :

1265. — 1266. — 1267. — 1268. Ch. LXXII. col. 68. — 1270. — 1271.

ANNI CHRISTI

Ecclesiæ primam petram signavit & imam.
Hujus fulgentis auri crux pulchra decentis
Jussu Guidonis, divinis postea donis
Papæ Clementis quarti domni sapientis.
Morinus, morum lux archiepiscopus horum,
Hanc fundamentis præmisit mille ducentis
Et decies senis lapsis semel & duodenis
1272. *Annis a nato Christo sub mense vocato*
Aprilis, ternis nonis lux læta modernis,
Sex denis latis semel uno sic numeratis,
In Paschæ festo prius omnis clerus honesto,
Intravitque chorum divina laude sonorum.

Denique Maurinus testamento x. calendas Augusti condito, quod in archiepiscopali asservatur scrinio, postridie obiit, de quo in pervetusto legitur martyrologio: *Nono calendas Augusti obiit Maurinus archiepiscopus Narbonensis, in cujus anniversario communitas debet dare omnibus clericis istius ecclesiæ & quatuor presbyteris & duobus presbyteris de Bethlehem octo denarios Melgorienses, & habet missam.*

DE MONTBRUN.

XLII. PETRUS IV.

Viam universæ carnis ingresso Maurino, Narbonenses canonici de futuri antistitis electione tractantes an. 1272. mense Octobri concordibus suffragiis elegerunt Petrum de Montebruno, nobili genere natum, canonicum Narbonensem, ac S. R. E. notarium & camerarium, cujus electionis autographum in armario præsulum Narbon. exstat cap. 223. Cum autem tunc Viterbii commoraretur, ubi erat curia Romana, canonici data procuratione 24. Octob. ejusdem anni quatuor e suo gremio miserunt ad illum, qui ei decretum electionis exhiberent; insimulque episcopi suffraganei, abbates, capitula & prælati provinciæ Narbonensis ad cardinales Viterbii congregatos scripserunt, orantes, non quidem ut electionem Petri confirmarent, sed ut ipsum quantocius venire in provinciam finerent. Et mox insuper scripserunt iidem ad Gregorium X. papam, ut electum Petrum confirmaret, qui revera ipsius ratam habuit electionem, litteris datis apud Urbem veterem IV. nonas Decemb. pontificatus anno primo, sumto, ut videtur, ab ejus inauguratione, quæ peracta fuit die 27. Martii Dominica III. Quadragesimæ an. 1272. Idem pontifex marchioni Montis ferrati litteras direxit idibus Januarii pontificatus anno primo 1273. ut liberum ac tutum per ipsius fines transitum haberet Petrus: quæ omnia constant ex chartis nostra inter instrumenta relatis. Tum vero iidem suffraganei & prælati, uti se cardinalibus significaverant facturos, litteras ad Philippum III. regem cognomento Audacem miserunt in gratiam ejusdem electi an. 1273. quibus regiam deprecantur majestatem, ne male de ipso sentiret, neve quid sinistri suspicaretur, bonum quippe virum esse, optimo ingenio præditum, ejusque opera & industria in arduis ecclesiæ negotiis usos esse tum Clementem papam, tum cardinales, sede apostolica vacante, quod ipsum testari vere possunt Berengarius Magalonensis episcopus, & abbas S. Egidii, quos ea de causa ad ipsum dirigunt. Memoratur autem Petrus an. 1273. idibus Martii in tabulario Fontis frigidi; sextoque idus Augusti ejusdem anni cum Aimerico vicecomite statuta condit per suos procuratores de armis in civitate Narbona tractandis, ex regio Narbonensi chartario. Anno 1274. una cum aliis prælatis a Guillelmo de Choardonne equite & senescallo extraordinario Carcassonam accitus est ad deliberandum quid facto opus esset, ne frumenta extra provinciam efferrentur, ex regio Carcassonensi tabulario. Quamobrem fortasse hoc anno 15. Aprilis Narbonæ habitum concilium legimus, & aliud Biterris. Eodem anno canonicis suis dedit ecclesiam de Pipionibus, retento sibi annuo decem librarum reditu. Anno sequenti die Dominica in festo Apparitionis (Epiphaniæ) Petrus Gaucelini Nemausensis episcopus ei juramentum fidelitatis præstitit. Prioratum de Vardiaco in diœcesi Belvacensi Eliæ abbati & monachis Floriacensibus, ad quos spectabat collatio seu nominatio, conferendum vel ordinandum dimisit IV. nonas Januarii 1275. Querelam habuit anno 1276. adversus Aimericum vicecomitem ac dominum Narbonæ super dominio, quod uterque in Judæos de Capite stagno, Montepessulano, &c. obtendebat, ex tabulario vicecomitatus Narbonensis. Alteram inter eumdem Aimericum & Narbonæ consules diremit controversiam anno sequenti, ex regio Narbonensi tabulario; quo etiam anno se munificum præbuit erga priorem Pruliani monasterii. Emit eodem anno 1277. a Guillelmo de Capitolio totum Capitolium quod habebat in civitate Narbona, in parochia S. Sebastiani, cum domibus, &c. pretio 12000. solidorum Melgor. cumque hoc ipso anno gratulatus fuisset Nicolao III. de ejus ad summum pontificatum promotione, gratias eidem egit pontifex suis tam erga illum quam erga ejus ecclesiam oblatis officiis. Anno 1278. ultima die Junii delectus fuit arbiter in causa Jacobi Majoricarum regis cum Berengario Magalonensi episcopo, pro jurisdictione civitatis Monspeliensis. Eodem anno querelam inter capitula S. Justi & S. Pauli, utrius nimirum juris esset missam certis diebus festis celebrare, quibus canonici S. Justi *processionaliter* ad ecclesiam sancti Pauli se conferebant, composuit, ex tabulario capituli Narbonensis. A Petro de Montbrun archiepiscopo Narbonensi se Pontius Hugo Lapurdensis comes triginta millia solidorum Melgoriensium pro acquisitis castro & oppido de Appiano in diœcesi Helenensi accepisse litteris suis declaravit eodem anno 1278. Concilium provinciæ suæ apud Biterras celebravit anno sequenti die 4. Maii, in quo actum est de mittendis ad regis parlamentum procuratoribus, seu legatis pro tuendis ecclesiasticis libertatibus; iique fuerunt Petrus noster & Bertrandus Tolosanus episcopus. Alteram quoque synodum habuit in eadem civitate anno 1280. Dominica quarta Quadragesimæ, qua cantatur *Lætare Jerusalem*, de cujus actis nihil superest præter duas epistolas. Fortasse eadem est quam anno 1281.

Marginalia: 1272. — Rainald. an. 1282. n. 26. — Append ad conc. Narb. pag. 177. — Charta LXXIII. col. 68. LXXIV. col. 69. & Ch. LXXV. col. 70. — 1274. — 1275. — 1276. — 1277. — Baluz. append. ad conc. Narb. pag. 178. — 1278. — Charta XLVII. col. 375. — 1279. — Tom. II. concil. p. I. col. 1061. — 1280. — Ibid. col. 1124.

ANNI CHRISTI

celebrasse dicitur. Eodem anno 1280. litteras scribit ad suffraganeos, ut preces ad Deum fundant pro pace inter Franciæ & Castellæ reges concilianda; eosdemque suffraganeos litteris XVI. calendas Septembris invitat, ut adsint Narbonæ in crastinum instantis festi B. Matthæi apostoli ad munus consecrationis impendendum magistro Berengario de Bociacis Leutevensi & magistro Bertrando Languiselli Nemausensi electis; quam postea consecrationem usque ad Dominicam post festum S. Michaelis prorogavit, litteris ad suffraganeos datis IV. nonas Septembris 1280. Pepigit eodem anno cum rege Philippo III. super castro de Quillano & ejus appenditiis, ex regio Carcassonensi tabulario. Ædes quoque in urbe Carcassona hactenus a regia liberalitate sibi & antecessoribus traditas fuisse declaravit, quas & ad regis beneplacitum restituere pollicetur, ex regio chartarum thesauro fol. 25. *Languedoc.*

Tom. 1. Anecdot. col. 1159.

1282. Scripsit anno 1282. ad officialem ecclesiæ Parisiensis, ut Guillelmum Narbonensem canonicum, qui cum fratre suo Aimerico adversus regem conspiraverat, tamdiu detineret in custodia, donec illud crimen a se amolitus fuisset. Eodem anno Raimundus Raulini castrorum de Scoano ballivius canonicos sancti Pauli vice archiepiscopi in possessionem ecclesiæ *du Lai*, quam illis an. 1280. archiepiscopus contulerat, induxit, ex tabulario S. Pauli. Interfuit anno seq.

1283. judicio lato, quo Pictaviensis comitatus Philippo III. Francorum regi adjudicatus est, excluso Carolo patruo Siciliæ rege, adstantibus Petro Remensi, & Simone Bituricensi archiepiscopis, Guidone Lingonensi, Guillelmo Ambianensi, Theobaldo Dolensi præsulibus, Matthæo sancti Dionysii abbate, ac Petro decano S. Martini Turonensis, ex regio chartarum thesauro fol. 189. *Languedoc.* Consecravit an. 1284. IV. cal. Julii altare in ecclesia monasterii Grandis Silvæ in honorem S. Salvatoris, S. Crucis, &c. alterumque calendis Julii ibidem in honorem sancti Bernardi. Oblatum sibi a Leutevensibus canonicis decretum electionis Berengarii Guitardi in episcopum confirmavit, diemque Dominicam

1285. IV. nonas Martii 1285. ut illi munus consecrationis impenderet præfixit, scriptis ad suffraganeos litteris XIV. calend. Martii, qua de re se Bertrandus episc. Nemausf. apud illum excusavit VIII. cal. Martii. Eodem anno 1285. Perpiniani exstinctus est Philippus rex, cujus viscera in choro Narbonensis ecclesiæ condita sunt; sic enim habet fragmentum necrologii ejusdem ecclesiæ: *Pridie nonas Octobris obiit D. Philippus rex Francorum illustris, cujus pars corporis jacet in ista ecclesia anno MCCLXXXV.* Denique anno

Ch. XXXIV. col. 203.

1286. 1286. IX. cal. Aprilis obsequii juramentum excepit ab Hugone Mascaronis ecclesiæ Tolos. vocato episcopo, ac III. idus Maii a Guillelmo de Gardiis Uceticensi præsule. Vitam hoc anno die 3. Junii cum morte commutavit, ex chronico S. Pauli, ubi quinquaginta libras Melgorienses pro suo celebrando anniversario dedisse communitati ecclesiæ dicitur, de quibus dicta communitas dare debet omnibus intitulatis duodecim denarios Narbonenses præter cursum consuetum quolibet anno, & ad hoc capitulum se & sua bona obligavit. Legitur in necrologio Cassiani monasterii: *III. nonas Junii obiit reverendæ memoriæ D. Petrus de Montebruno archiepiscopus Narbonæ.* Melius tamen dies obitus ejus consignatur IV. cal. Junii in necrologiis ecclesiarum Narbonensis, Biterrensis & B. Mariæ de Quadraginta, cui speciatim ecclesiæ triginta libras Turonenses legavit, & debent dari viginti solidi pro *pitantia*; idque confirmatur ex inscriptione tumulo ejus superposita in basilica metropolitana ad latus dextrum sacelli S. Petri, aiunt Sammarthani, in ecclesia* vero S. Pauli, ait Baluzius in mss. notis ad veterem Galliam Christianam. Sic autem memoratur in excerpto veteris necrologii S. Justi t. 9. fragmentorum Stephanotii nostri: *XVI. calendas Martii ob. D. Petrus de Montebruno archiepiscopus Narbonensis & D. P. Br. frater ejus episcopus Agathensis.* Tumulo superpositam inscriptionem subjicimus:

Tab. capit. Narbon.

Tom. 10. fragm. Stephanotii, pag. 159.

* *f.* sacello.

Felix Prælatus heu! quam cito morte vocatus;
Mente Deo gratus hic carne jacet tumulatus.
Nobilis ex genere, sed nobilior pietate,
Præfuit hic vere, similis tibi, Petre beate,
Nomine non tantum, sed & ordine plus laborantum,
Par conregnantum sit cum Domino dominantum.
Dictus de Montebruno fuit, indeque natus,
Dura ferens sponte vixit sine labe reatus,
Quod satagendo pie bibit hic de fonte Sophiæ,
Diffudit patriæ, Marthæ memor atque Mariæ.
Anno millesimo bis centeno octuageno,
Bis terno Christi, Christus requiem dedit isti.
Ante dies mensis Junii lux tertia luxit,
Cum Narbonensis radius de corpore fluxit.
Ut lux pontificum tribus illuxit quasi lustris;
Moribus illustris Dominum lucratus amicum;
Obtinet ut statuit Quintini festa beati,
Presbyterosque duos qui sunt hic perpetuati.
Ut citius meritum Christi moriens reperiret;
Ordinat hic obitum die mortis quando rediret.

Post obitum Petri vacavit sedes Narbonensis usque ad annum 1290. Interea latæ a capitulo Narbonensi in Jacobum regem Majoricæ & comitem Ruscinonensem excommunicationis ob occupatam de Appiano terram sententia v. cal. Julii 1287. discutienda committitur Crassensi, *al.* Castrensi & S. Genesii abbatibus ac officiali Carcassonensi a Johanne cardinali S. Ceciliæ sedis apostolicæ legato. Anno 1290. VIII. calend. Octobris Raimundus de Costa episcopus Helenensis Narbonensi capitulo fidelitatis sacramentum præstitit coram Pontio de S. Justo Biterrensi, Petro Berengario Agathensi, Berengario Fredolo Magalonensi & Hugone Mascaronis Tolosano episcopis, necnon G. abbate S. Pauli Narbonensis.

XLIII. EGIDIUS. AYCELIN.

De successore eligendo canonici cum inter se convenire non possent, rem summo pontifici permittere decreverunt, qui Honorius hujus nominis quartus magistrum Adenulfum de Anagnia

Baluz. t. 2. vit. pap. Aven. col. 10.

ANNI CHRISTI

ecclesiæ sancti Audomari Morinensis præpositum nominavit archiepiscopum Narbonensem: at huic nominationi assensum præbere noluit Adenulfus, seque per litteras excusavit. Fato interea concessit Honorius, cujus successor Nicolaus IV. septimo calend. Decembris pontificatus anno tertio, hic est 1290. cathedræ Narbonensi præfecit Egidium Aycelini ecclesiæ Narbonensis canonicum, Claromontensisque præpositum, quem cum Johanne de Wassoignia archidiacono Brugensi ad eum Philippus IV. direxerat an. 1288. pro negotio regni Aragoniæ. Egidius autem, quem perperam cum Egidio de Bellamera confundunt Sammarthani, e nobili & illustri Aycelinorum Billomi apud Arvernos dominorum gente oriundus, cujus genealogiam texuit Franciscus du Chesne in historia cancellariorum Franciæ pag. 347. fratres habuit Hugonem Ostiensem episcopum & cardinalem, Johannemque Claromontensem episcopum; ipse vero acceptis ab Andrea de Podio papæ domicello pontificiis litteris die vigesima.... Januarii 1291. ex facultate sibi jam III. idus ejusdem mensis a Nicolao pontifice concessa presbyteratus ordinem a quocumque mallet episcopo suscipiendi, sacerdotio initiatus est a Simone de Bello loco Bituricensi archiepiscopo in castro de Navis die Sabbato ante Dominicam qua cantatur *Reminiscere* 17. Martii 1291. cumque postridie vicarium generalem in spiritualibus constituisset Gaucelinum de la Garde decanum ecclesiæ Brivatensis, profectus in Italiam, Nicolaum summum pontificem in Urbe veteri commorantem adiit, cujus de mandato a G. cardinali episcopo Sabinensi consecratus est mense Maio ejusdem anni, ut docent litteræ ejusdem pontificis datæ VIII. idus ejusdem mensis. Aliis XVIII. cal. Junii pontificatus anno IV. dedit ei facultatem annuum beneficiorum omnium ejus ad collationem ac diœcesim spectantium, quæ vacare contingeret, reditum in construendam ecclesiam cathedralem per quinquennium insumendi, ex tabul. capituli Narbonensis. Anno eodem ædes apud Carcassonam sitas, sicut a rege obtinuerant antecessores, ita & ipse possidendas impetravit sub regis beneplacito, ex regio Carcassonensi tabulario. Amalricus vicecomes Narbonensis & Raimundus de Lacu domicellus clientelam Egidio professi sunt an. 1293. qui & ipse cum Petro Flotte equite Johannæ Franciæ & Navarræ reginæ comitissæ Palatinæ Campaniæ procuratorio nomine, Guidonis Aniciensis episc. vicario fidem juravit pro comitatu Bigorritano, & appenditiis ab eodem episcopo & capitulo ex senatus consulto dependentibus, ex regio chartarum thesauro indice 14. *Guienne.*

Ib. col. 11. & tom. 1. col. 596.

1291.

Tom. 4. Miscell. pag. 368.

1293.

Clemens V. bulla data Aquileiæ idibus Septembris pontificatus anno primo, Christi 1294. concedit Egidio facultatem confirmandi magistrum Berengarium Fredoli recens electum Biterrensem. Synodos eodem anno & seq. Biterris habuit, ex Martennio & Sammarth. An. 1295. Pontius Majoricarum episc. Egidii absentis gerens vices altare B. Christophori martyris dicavit in vigilia nativitatis B. M. virginis. Consiliariis sacri consistorii annumeratur, qui Luparæ aderant an. 1296. quando Petrus Flotte litteras Guidonis Flandriæ comitis recitavit procuratores quos ad ineundam cum rege pacem instituerat revocantis. In obeundis autem muneribus Egidium fuisse industrium testatur, quod illi cum principibus viris Burgundiæ & Britanniæ ducibus, episcopis Ambianensi & Autissiodorensi legationem ultro detulerit rex christianissimus pro pace procuranda & induciis cum Anglorum rege Tornaci 1297. Eodem Bonifacius VIII. bulla ad Egidium data x. cal. Septembris pontificatus anno tertio, centum indulgentiæ dies iis concedit, qui ad opus novæ cathedralis basilicæ subsidium aliquod conferrent. Hoc etiam anno Hugo cardinalis Egidio fratri, & Ademarus de Croso episcopus Claromontanus eidem Egidio & Johanni præposito Claromontensi testamentorum suorum curam demandarunt. Interfuit cum rege Philippo, regina, Roberto Burgundiæ duce, Roberto Atrebatensi comite, episcopis Tolonensi & Ambianensi pactis matrimonialibus imperatricis Catharinæ cum Jacobo filio natu majore Jacobi Majoricarum regis mense Aprili 1298. Adstitit conventui pacis Monstrolii mense Junio 1299. Accepit eodem anno a rege Philippo 27. libras annui reditus, quas abbas S. Genovefæ Parisiensis quotannis regi solvere tenebatur, ita ut ipse & heredes eis fruerentur, dato diplomate in abbatia Eleemosynæ ord. Cisterc. mense Augusto, quod asservatur in camera computorum Parisiensi, & in regio chartarum thesauro indice 17. verso *Guienne.* Eodem anno concilium Biterris coëgit mense Octobri, in quo provinciales episcopi cum abbatibus qui aderant legatos ad regem cum litteris IV. cal. Novembris miserunt expostulaturos cum eo de injuria ecclesiæ Narbonensi ab Amalrico vicecomite illata, qui ut jurisdictioni & clientelæ archiepiscopi se subtraheret, Philippi Pulcri Francorum regis vassallum se constituerat pro omnibus castris & possessionibus, quas antecessores ejus tenuerant ab archiepiscopis. In hac autem synodo alia plurima sunt agitata, de quibus condita statuta videsis apud Martennium, t. 4. Anecdot. col. 225. Sed neque hanc ad regem detulisse causam contentus Egidius, ad Bonifacium papam detulit, quæ finita non est nisi tempore Benedicti XI. quo Amalricus potiri se vicecomitatu Narbonensi beneficio ecclesiæ Narbonensis professus est, & archiepiscopus Philippo regi solemni jurejurando suam adstrinxit fidem. Suffraganeos invitavit ut consecrationi, quam Carcassonensi electo tertia vel quarta Dominica mensis Novembris in provincia Bituricensi aut Lugdunensi, regis & ecclesiæ suæ negotiis præpeditus, impendere proponebat assensum præberent, litteris Aurelianis datis die Dominica post festum omnium SS. anni 1300. Annuisse R. episcopum Agathens. probant ipsius ad Egidium litteræ datæ Agathæ x. cal. Dec. ejusdem anni. Adhuc Aureliæ morabatur Egidius, cum audita anno sequenti fratris sui Johannis episcopi morte ad Clarum-montem profectus est. Aliquanto post ex Arvernia redux, in Flandriam vero pro rege

1294.

1295.

ANNI CHRISTI 1296.

1297.

1298.

1299.

T. 11. conc. part. 2. col. 1430.

Rainal. an. 1300. n. 28. & 29.

Charta LXXVI. col. 71.

1300.

Charta LXXVII. col. 71.

ANNI CHRISTI

proficiſcens ad eum miſit Ber. epiſcopum Biterrenſem pro negotio B. epiſcopi Appamienſis detenti, quem rex cuſtodiæ ipſius archiepiſcopi mancipavit circa menſem Octobrem anni 1301. Eodem anno ſummus pontifex duas illas quibus vellet conferendi præbendas ei facultatem indulſit, quas prius, anno ſcilicet 1298. fundare in eccleſia Narbonenſi permiſerat. Anno 1302. Berengarius Biterrenſis epiſcopus a Philippo Pulcro delegatus, ut de querelis Egidii archiepiſcopi & Amalrici vicecomitis miniſtrorum cognoſceret, ſeneſcallo Carcaſſonenſi & vicario Biterrenſi præcepit, ut quam uterque regi conceſſerat juriſdictionem, utrique reſtituerent. Romam eodem anno cum ceteris regni prælatis a Bonifacio vocatus, a rege vero prohibitus, litteris ad vicarios generales Guillelmum abbatem ſancti Pauli, &c. ſcriptis concilium apud Nemauſum indixit ad inſtantes octavas proximi feſti nativitatis B. Mariæ, ut ſimul in unum collecti quid facto opus eſſet deliberarent. Anno ſequenti in cœtu procerum regni apud Luparam feria V. 13. Junii 1303. ſermonem habens Egidius decem accuſationis capitibus in Bonifacium prolatis, ad ſanctam ſedem tunc, ut ipſe dixit, vacantem, futurumque concilium appellavit, ex mſ. codice domini de Brienne num. 167. pag. 156. apud Bailletum in hiſtoria diſſidiorum inter Philippum & Bonifacium. Contrahuntur eodem anno ſponſalia Eduardi Walliæ principis cum Iſabella Francorum regis filia, ſacris operante Egidio, cujus & nepotis cognominis cum Johanne Drocenſi comite diſcordia pro toparchia de Caſteloudon, *al.* Chateledon, quam Johanni Aycelin abbati ſeculari eccleſiæ Claromontenſis Egidii fratri vendiderant, ſopita eſt eodem anno a Philippo Pulcro, ut conſtat ex chartis Drocenſis familiæ. Accepit eodem anno a rege officiorum memore in donum quæ continentur in veteri charta eo tenore : *Philippus rex Francorum, &c. Notum facimus, quod nos olim grata conſiderantes obſequia, quæ dilectus & fidelis noſter Egidius Narbonenſis archiepiſcopus nobis in noſtris & regni negotiis impendiſſe dignoſcitur, & obtentu ſervitiorum ſuorum, non tanquam archiepiſcopo, ſed tanquam privatæ perſonæ & Egidio Aycelini conceſſimus, quidquid poſſidebamus communiter vel diviſim cum abbate & conventu monaſterii Montis-petroſi Ciſtercienſis ordinis, in villa Podii-Guillelmi, in ballivia Arverniæ, ratione cujuſdam pariagii facti olim inter recordationis inclitæ Alfonſum comitem Pictavenſem propatruum noſtrum, & abbatem monaſterii ſupradicti, &c. Actum Biterris 1303.*

1301. *Vide t. 1. Anecdot. Marten. col. 1320. &c.* 1302. 1303.

Scripſit quoque ad Egidium Philippus rex feria 2. poſt cathedram S. Petri, ut pro anniverſario patris ſui regis quinquaginta libras annui reditus Narbonenſis eccleſiæ canonicis aſſignaret, quam ex urbe *Ginolhes* ſummam percipiendam Johannes de Alneto ſeneſcallus Carcaſſonenſis & Biterrenſis archiepiſcopo aſſignavit VIII. cal. Junii 1306. ipſe vero canonicis III. cal. Maii 1311. ex regio Carcaſſonenſi & capituli Narbonenſis tabulariis. Anno 1304. XIV. calend. Januarii Amalrico vicecomiti Narbonenſi diem dixit ad ſibi præſtandum clientelare ſacramentum pro his quæ ab eccleſia Narbonenſi tenebat ; nec multo poſt, eodem ſcilicet anno, menſe Martio rex Philippus IV. cui ſuam Amalricus in damnum ejuſdem eccleſiæ fidem obligaverat, hanc a ſe repulit, eique præcepit, ut archiepiſcopo debitam fidem præſtaret. Qua de re iterum rex anno ſequenti menſe Maio promiſit archiepiſcopo ſe coacturum Amalricum vicecomitem ad fidem illi præſtandam ; & revera eodem anno V. idus Octobris Amalricus ei fidem exhibuit clientelarem, cui viciſſim Egidius archiepiſcopus ex auctoritate ſibi a rege conceſſa injurias ſuis illatas a miniſtris vicecomitis condonavit, ex tabulario vicecomitatus Narbonenſis. Eodem anno 1305. præſentem fuiſſe electioni Clementis V. ſummi pontificis, probat ejuſdem papæ ad Philippum regem epiſtola, cujus familiarem dicit archiepiſcopum Narbonenſem. Anno 1306. XI. cal. Martii archiepiſcopus & vicecomes ita paciſcuntur cum Narbonæ conſulibus, ut ipſi conſules monetæ, quam archiepiſcopus & vicecomes cudebant duos exploratores conſtituere poſſent, ex regio Narbon. tabulario. Teſtis habetur eodem anno 17. Maii conceſſarum indulgentiarum pro ſacra Pariſienſi capella in tranſlatione capitis S. Ludovici regis, & in tranſactione ejuſdem anni feria IV. poſt *Quaſimodo* inter Hugueninum filium Roberti Burgundiæ ducis, & Agnetem filiam S. Ludovici præſens memoratur cum regina Maria, Blancha filia dicti Ludovici regis & P. epiſcopo Autiſſiodor. ex camera Divionenſi rationum arcula *partages* faſciculo 2. cap. 28. Primus inter eos nominatur, quibus Clemens papa V. cauſæ Templariorum commiſit examen litteris datis Auguſtoriti Pictonum pridie idus Auguſti anno pontificatus tertio, quas edidit Petrus Puteanus in hiſtoria Templariorum.

1305. *Baluz. t. 2. vit. pap. Aven. col. 62.* 1306.

Cuſtos regii ſigilli creatus Egidius die Veneris 27. Febr. 1309. conſiliarius quoque & magiſter curiæ regis Franciæ appellatur a Johanne canonico S. Victoris Pariſienſis in prima vita Clementis V. Duas illas præbendas, de quibus ſupra ad annum 1301. contulit anno 1309. VI. calendas Aprilis ſub excommunicationis pœna canonicis infligenda, ſi perſonas recuſarent. Litteras dedit eodem anno III. nonas Maii de bonis Templariorum uſurpatis, quæ papa in ſubſidium Terræ ſanctæ deſtinaverat. Hoc ipſo anno VII. idus Junii ſacrum a capitulo Narbonenſi celebrandum pro ſua & Bonifacii papæ VIII. animabus fundavit. Invitavit eodem anno Clementem V. ut apud ſe in caſtro de Montiliis diverſaretur, illucque conceſſit papa Dominica prima Quadrageſimæ, uti legitur in chronico S. Pauli Narbonenſis. Habita quoque ſynodus hoc anno 13. Octobris in eccleſia Narbonenſi legitur, ubi lecta bulla pro convocando concilio Viennenſi ſuper negotio Templariorum. Celebravit anno 1310. provinciale concilium Biterris, cujus acta videſis tom. 4. Anecdotorum col. 227. Eodem anno die 14. Febr. Egidii Aycelini nepotis ſui ſponſalia cum Maſcarona filia Bernardi VIII. a Turre Arverniæ & Beatricis Ruthenenſis celebravit,

Baluz. t. 1. vit. pap. Aven. col. 18. & 596. 1309. *Baluz. catal. Diplom. mſſ. n. 127.* 1310.

ANNI CHRISTI

eorumque postea nuptiis apud castrum Odonis in Arvernia peractis die 30. Augusti, seu feria III. post festum S. Juliani, non IV. ut habet Savaro in originibus Clarimontis, anno 1317. interfuit Egidius noster tum archiepiscopus Rotomagensis, ad quam sedem permutatione facta cum Bernardo de Fargis translatus fuit a Clemente papa V. bulla data III. nonas Maii pontificatus anno sexto, ex tabulario capituli Narbonensis. Insequenti 1312. 28. Aprilis duas in ecclesia Narbonensi capellas fundavit, ipsiusque nomine Pontius de Chalancone, quo generali vicario archiepiscopus tunc Narbonensis usus fuerat, ad luminaria dictarum capellarum sexaginta libras canonicis Narbonensibus assignavit IV. nonas Octobris an. 1314. ex tabul. capituli Narbonensis. Epitaphii loco attexere juvat, quæ leguntur apud Catellum ex antiquo necrologio excerpta, his verbis: *Nono calendas Julii. Anno Domini MCCCXVIII. in vigilia S. Johannis Baptistæ, obitus Egidii Aycelini quondam archiepiscopi Narbonensis, qui in ecclesia Narbonensi instituit missam B. Mariæ, & duas præbendas sacerdotales, & fundavit duas capellas in ecclesia nova Narbonensi, & instituit quatuor anniversaria, & in eorum quolibet debet dare communitas ceteris clericis ejusdem duos denarios Turonenses. Item instituit in ecclesia sancti Pauli Narbonæ unam capellaniam, & duo anniversaria: item in ecclesia collegiata de Capite stagno instituit perpetuam missam B. Mariæ conventualem, sicut in ecclesia Narbonensi, & duo anniversaria; quibus prædictis omnibus institutis, fuit per papam Clementem V. translatus in archiepiscopum Rotomagensem.* Cenotaphium habet elegans commune majoribus & nepotibus suis in sacello ecclesiæ collegiatæ Bilhomi.

Charta LXXVIII. col. 72.

XLIV. BERNARDUS II.

DE FARGIS.

Bernardus Clementis V. papæ sororis filius patrem habuit Raimundum de Fargis, fratres vero Beraldum episcopum Albiensem & Raimundum Guillelmi cardinalem, de cujus genere consule Baluzium in notis ad vitas pap. Aven. col. 662. & 1415. Natus est circa annum 1280. ut liquet ex bulla Clementis V. data Lugduni IV. cal. Febr. pontificatus anno primo, qua ei jam tum archidiacono de Belvacino in ecclesia Bellovacensi permisit nonobstante ætatis defectu, (natus erat annos 25.) accipere quascumque dignitates, episcopales, archiepiscopales & patriarchales. Et certe haud multo post, quinto scilicet calendas Martii anno 1306. eum idem pontifex Agennensem episcopum creavit, ac pridie nonas Junii sequentis transtulit ad ecclesiam Rotomagensem, ut diximus tom. 2. col. 923. Verum cum gravis esset nobilibus Normannis, ut docet Nangii continuator spicil. tom. 11. pag. 638. illum summus pontifex ad Narbonensem cathedram traduxit bulla data III. nonas Maii anno 1311. pontificatus sexto, quam vide inter instrumenta. Interfuit eodem anno generali concilio Viennensi ad quod invitatus fuerat cum Tolosano, Magalon. & Biterr. comprovincialibus episcopis; & anno 1313. mense Augusto præfuit cum Amanevo d'Armagnac Auscienfi archiepiscopo Occitanæ provinciæ comitiis apud Tolosam celebratis. Eodem anno die 15. Martii debita servitia cameræ solvit apostolicæ. Mandatum, seu facultatem accepit a Johanne XXII. summo pontifice anno I. ejus pontificatus XVI. cal. Novembris vocandi Templarios ad provinciale concilium; idque jam anno præcedenti die 18. Septembris Helenensi episcopo mandaverat Bernardus archiepiscopus. Anno 1317. Narbonense collegium Lutetiæ Parisiorum in vico S. Cosmæ, qui nunc *Citharæ* dicitur fundavit, novemque scholaribus ex agro Narbonensi oriundis addixit, pro quo & constitutiones edidit. Hominii sacramentum excepit eodem anno ab Amalrico vicecomite, & ecclesiam de Minerba cum suis appenditiis die 25. Augusti capitulo dedit. Memoratur in quibusdam actis an. 1319. die 14. Octobris, ubi de plectendis hæreticis agitur, 19. Julii 1323. & 1324. III. idus Octobris in tabulario vicecomitatus Narbonensis, ubi de sacramento fidelitatis ad quod tenebatur vicecomes erga archiepiscopum pro his quæ tenebat ab ecclesia Narbonensi, tam in ipsa civitate, quam in toto burgo. Huic Aimericus vicecomes hominium præstitit die 13. Augusti an. 1328. Narbonæ habita est synodus eodem anno indict. XI. in festo S. Leocadiæ virginis VI. idus Decembris ab inquisitoribus hæreticæ pravitatis, aliisque vocatis, in qua Petrus de Arris monachus Carthusianus de hæresi damnatus, ad claustrum Narbonense puniendus remissus est, &c. ex codice msf. inquisitionis Carcasson. Canonicos in ecclesia parœciali S. Stephani extra muros Narbonenses constituit, dotavitque anno 1330. Querelam habuit cum Petro Barrau abbate Fontis frigidi super decimis ecclesiarum sancti Petri de Rocha longa, & S. Stephani de Agausiana, quam officialis Narbonensis anno 1332. XVII. cal. Septembris terminavit. Anno 1334. pravitas morum in clericis ecclesiæ Narbonensis reprehenditur bulla Benedicti papæ XII. scripta hoc anno ad capitulum. Bernardo convenit anno sequenti die 4. Januarii cum Aimerico vicecomite Narbonensi de tutelis regiis, quas uterque in civitate Narbona instituerat subtrahendis. Ad hunc quoque annum ista leguntur in necrologio Narbonensi: *Anno MCCCXXXV. XI. calend. Martii corpora SS. martyrum Justi & Pastoris fuerunt translata de ecclesia veteri Narbon. in ecclesiam novam, & reposita in loco, in quo sunt modo, in qua repositione fuit convocatus populus Narbonensis per venerabile capitulum Narbon. quod cum toto clero dictæ ecclesiæ interfuit solemnisando & processionem devotam faciendo, ut decebat, præsidente, sed absente domno B. de Fargis archiepiscopo Narbon. in qua die erat Dominica in Sexagesima, domno Benedicto papa XII. Romanam ecclesiam gubernante.*

Anno 1337. die XI. Aug. Narbonæ consules Bernardum archiepisc. rogarunt, ut sacristam minorem (ecclesiæ cathedralis) præcentorem sancti Pauli & hebdomarium aut vicarium

1311. Charta LXXVIII. col. 72. T. 11. conc. part. 2. col. 1565.

ANNI CHRISTI 1313. 1317. T. 5. nova Paris. hist. pag. 674. 1319. T. 1. Miscel. pag. 211. 1323. 1328. 1330. 1334. T. 2. Miscel. pag. 263. 1335. 1337.

ANNI CHRISTI 1341.

ecclesiæ parœcialis de Monachia prohiberet, ne quid pro sacramento matrimonii exigerent, ex tabulario urbis Narbon. Denique Bernardus testamentum suum condidit an. 1341. die 23. Apr. quo in ecclesia cathedrali sepulturam eligit, cui pedum & mitram cum una capella elargitur, necnon viginti quinque libras annui reditus pro qualibet duarum capellarum quas fundaverat. Ecclesiam quoque S. Stephani, quam dotaverat & in collegiatam erexerat, plurimis auxit muneribus. Ecclesiæ Agennensi, cui aliquantulum temporis præfuerat episcopus, septingentas libras legavit, ac Rotomagensi, cujus etiam archiepiscopus fuerat, trecentas. Sed neque prætermisit pauperes, quos abunde recreavit; sicut nec propinquos, quibus utcumque gratificatus est; suis enim tribus de Saurosio neptibus in matrimonium collocandis mille & quingentas libras reliquit, & heredi gentis de Saurosio mille libras. Germanum ex asse constituit heredem Raimundum Guillelmi cardinalem S. Mariæ novæ, cui gentem de Saurosio commendavit, eumque testamenti curatorem nominavit cum Amanevo de Fargis altero germano, & in sede Agennensi successore, Gualhardo S. Luciæ in silice diacono cardinali, & Gaillardo episcopo Vasatensi, necnon venerabilibus viris Raimundo de S. Martino, Bernardo de Casis, qui postea fuit archiepiscopus Burdegalensis, Guidone Radulfi & domino Marquesio de Metuonibus canonicis Narbonensibus. Defunctus est eodem anno ineunte Julio ex schedis D. de Gagneres in bibliotheca regia; & certe per obitum Bernardi die 22. Augusti anni 1341. sedes vacare dicitur, ac proinde error est in rubricis Clementis papæ VI. seu potius amanuensis, ubi Bernardus archiepiscopus Narbonensis legitur IV. cal. Julii Clementis VI. anno tertio, nisi forte inibi fiat ejus qua mortui mentio, qualis in bulla ejusdem Clementis data 9. Junii 1344. in qua declarat a Benedicto XII. & camera apostolica bona mobilia Bernardi archiepiscopi defuncti occupata fuisse.

Observat Catellus in commentariis ad historiam Occitaniæ p. 804. Bartholomæum quemdam fuisse electum archiepiscopum Narbonensem anno VIII. pontificatus Johannis XXII. argumento ducto ex capite 6. *nuper* de præbendis & dignitatibus in extravag. communibus, quod art. 7. inscriptum *Bartholomæo electo Narbonensis diœcesis*, datum est Avenione II. vel III. idus Novembris anno octavo ejusdem pontificatus. Sammarthani hanc quidem senserunt difficultatem, sed eluserunt: reperitur quippe, inquiunt, in tabulario Narbonensi num. 148. capituli decretum concessum *Bartholomæo de Pireu* hujus cathedræ thesaurario, sede vacante, pro regimine bonorum archiepiscopatus; sed id auget, nedum solvit difficultatem. Constat enim ex dictis Narbonensem sedem anno octavo Johannis XXII. id est 1323. vacuam non fuisse. Quapropter difficultas enodanda ex capitis tam titulo, quam anno ipsi adscripto: sic autem titulus habet in veteri codice mss. biblioth. Colbert. *Dilectis filiis Bartholomæo abbati monasterii Electensis Narbonensis diœcesis, Huguelino Engolismensi & Raybaudo de Rechignevoisin Avallonensi* (in ecclesia) *Eduensi archidiacono, magistro Ungario de Chargiis canonico Narbonensis ecclesiæ capellano nostro salutem, &c.* Porro Bartholomæus abbas erat Electensis anno primo pontificatus Johannis XXII. Hoc autem anno, non octavo datam esse epistolam docet idem vetus codex, in quo sic habetur scriptum: *Datum ut supra.* Cum ergo epistola in Extravagantibus antecedens data legatur IV. nonas Novembris anno primo in veteri codice, consequens est istam quæ dirigitur ad Bartholomæum abbatem Electensem, datam quoque fuisse anno primo pontificatus Johannis XXII. qui circa idem tempus abbatiam Electensem in episcopatum erexit, & eumdem Bartholomæum primum hujus novæ sedis episcopum constituit. Hæc Baluzius in suis ad veterem Galliam Christianam observationibus.

T. 2. Pithæi pag. 403.

XLV. GAUSBERTUS.

DE VALLE, du Val, de la Vau, ou de la Vallée.

De Gausberto sermo jam fuit t. I. in Massiliensibus episcopis ad annum 1318. ac in Arelatensibus archiepiscopis ad annum 1323. In veteribus monumentis a Guillelmo Cruceo relatis vocatur *Gasbertus de Bellania*, sed posteris aliud placuit cognomen *de Valle.* Ex Arelatensi cathedra ad Narbonensem transiit, sic volente Benedicto papa XII. bulla data Avenione calendis Octobris pontificatus anno septimo, ex tabulario capituli Narbon. hoc est 1341. non vero 1340. ut habet Baluzius in notis ad concilia Galliæ Narbonensis pag. 65. Eodem anno die 20. Octobris debita cameræ apostolicæ servitia promisit, unde nec multo post, septimo videlicet idus Novembris insequentis Benedictus XII. ei pallium concessit. Excepit 16. Febr. 1342. hominium a vicecomite Narbonensi. Collegium apud Tolosam 17. Martii insequentis fundavit, amplissimisque reditibus auxit pro duodecim pauperibus scholasticis, quorum duo essent canonici Arelatenses, duo oriundi ex locis ad Arelatensem archiepiscopum pertinentibus, duo ex parochia sancti Petri d'Avezat, ubi natus erat Gasbertus, sex alii ex quacumque regione. In rubricis Clementis VI. Gasbertus memoratur archiepiscopus Narbonensis per obitum Bernardi tertio idus Septembris ejusdem pontificis anno secundo. Præsens fuit an. 1344. reverentiæ adversus Clementem VI. adhibitæ 16. Januarii a Ludovico IV. Bavaro imperatore per Humbertum Delphinum Viennensem, aliosque ejusdem legatos. Dicitur v. cal. Augusti camerarius apostolicus in rubricis Clementis VI. Obtinuit a rege Philippo VI. mense Sept. ejusdem anni Narbonensis ecclesiæ privilegiorum confirmationem. Hujus precibus annuens Guillelmus de Lauduno archiepiscopus Tolosanus duobus scholasticis presbyteris collegii Narbonensis (apud Tolosam) licentiam concessit confessiones scholarium audiendi, iisque sacramenta ministrandi die 3. Junii 1345. Gasbertus eodem anno a rege facultatem obtinuit ædificandæ capellæ pro sororibus dictis *Repentitis* in capitolio, cui intercedebant consules. Adhuc

1341. 1342. 1344. Baluz. tom. 2. Miscell. pag. 272. Spicil. t. 13. pag. 319. 1345.

ANNI CHRISTI 1346.

belle se habuisse Gausbertum exeunte Aprili an. 1346. liquet ex actis editis apud Odericum Raynaldum ad hunc annum §. 25. & 27. Synodum provincialem ante obitum convocasse dicitur a Sammarthanis. Mille & quingentos florenos aureos ad fundandam capellam in ecclesia Narbonensi & ad fabricam ejusdem ecclesiæ legavit, quod Clemens VI. defuncto jam Gasberto approbavit VIII. cal. Martii pontificatus anno quinto; ipse vero die 8. Julii anni præcedentis 1346. adhuc superstes, anno exeunte obiit, ut constat tum ex bulla Clementis VI. data successori, tum ex ejusdem epistola Avenione data III. idus Januarii pontificatus anno V. hic est 1347. qua nuper defuncto bonæ memoriæ Gasberto Narbonensi archiepiscopo, nostro, ait, camerario, ipsius loco Stephanum episcopum S. Pontii Tomeriarum camerarium instituit.

Baluz. tom. 2. vit. pap. Aven. col. 677.

XLVI. Petrus V.

DE LA JUGIE.

Baluz not. ad vit. pap. Aven. col. 854. 1130. & seq.

Petrus Judicis, ita enim vulgo scribitur hoc nomen, sæpe etiam de Judicia, interdum de Judiciaria, ortus est in loco de Judicia sito in parochia d'Eyren in diœcesi Lemovicensi, parentibus Jacobo, quem Philippus VI. Francorum rex nobilitate donavit an. 1338. & Guilelma Regina sorore Clementis VI. Fratres habuit Nicolaum de la Vineria, Guillelmum cardinalem, Hugonem Biterrensem episcopum, Guillelmum de Colungis & sororem Helisiam. Benedictinæ familiæ admodum juvenis dedit nomen, tum factus S. Liberatæ in diœcesi Agennensi prior, a Clemente VI. avunculo suo creatus est abbas Angeliacensis XV. cal. Augusti an. 1342. & Crassensis pridie nonas Febr. anno 1343. Aureliam permissu avunculi profectus circa id tempus, illic juri canonico perdiscendo ad usque annum 1344. dedit operam, quo laurea doctoris in jure canonico donatus, Avenionem a Clemente accersitus, & efflagitatu cardinalium annos natus 24. renunciatus est archiepiscopus Cæsaraugustanus VI. nonas Martii 1345. biennioque post Narbonensis IV. idus Januarii 1347. Non mirum igitur quod sedes vacasse legatur die 13. Januarii ejusdem anni, utpote cujus necdum Petrus possessionem inierat. Gravi tunc temporis morbo affectus, non habuit quam habere debebat collationem in causa canonizationis S. Yvonis, cujus meritis voto concepto sanitate paulo post recuperata, ejusdem festum duplex in ecclesia Narbonensi servari testamento instituit. Patri adhuc superstiti morem gerens, Guillelmum del Sudor presbyterum de Servenia diœcesis Tutelensis commendavit litteris ad vicarios generales datis 8. Novembris 1347. Insequenti die 15. Septembris in majori palatio clientelæ sacramentum accepit ab Aimerico vicecomite Narbonensi. Hoc anno 1348. Dominica 12. Octobris Bernardum Helenensem episcopum in ecclesia sua consecravit, assistentibus Johanne Gardiensi & G. Convenarum episcopis, quem postremum inter præsules Convenenses omisimus. Anno eodem 21. Novembris precibus Petri abbatis & conventus Floriacensis corpus sancti Mauri martyris aliasque reliquias e capsa antiqua & lignea in argenteam transtulit. Litem in curia Romana intendit anno 1349. episcopis suffraganeis ecclesiæ Narbonensis, qui juramentum fidelitatis ei denegabant, eo quod nec per capitula electi, nec per archiepiscopum confirmati seu consecrati, sed per apostolicam sedem promoti, ejusque de mandato consecrati, huic sedi juramentum præstitissent; quorum pervicaciam vicit Petrus, obtenta a Clemente constitutione, qua ad eadem quæ prius tenerentur episcopi. Hanc confirmavit Urbanus V. 1370. Igitur qui contradixerant episcopi, Guillelmus Electensis die 16. Augusti, Gilbertus Carcassonensis, quem propter recusatam metropolitani sui visitationem 6. Julii excommunicatum denunciaverat, die 14. ejusdem mensis, Arnaldus Magalonensis & Bernardus Helenensis die 5. Januarii fidelitatis ei obsequium exhibuerunt. Anno 1350. XVIII. cal. Febr. Clemens VI. commendavit ei Stephanum Maleti episcopum Helenensem. Insequenti 1351. die 5. *al.* 15. Aprilis cum multis prælatis quadraginta indulgentiarum dies Avenione concessit visitantibus ecclesiam parthenonis B. Mariæ de Vicinis ordinis Cisterc. Aurelianensis diœcesis. Eodem anno mense Novembri celebravit concilium episcoporum provinciæ in ecclesia Biterrensi, editum a Baluzio conc. Narb. pag. 91. Insequenti pactis matrimonialibus Raimundi de Bociacis cum Maria filia Guidonis de Podiovalle ipsius nepte initis Avenione 2. Augusti avunculus Petrus intervenit. Memoratur eodem anno die 1. Aprilis, 28. Junii, & 9. Julii 1353. in tabulis Narbonensibus. Anno 1359. die 3. Augusti plurimorum episcoporum litteras approbavit, quibus quadraginta indulgentiarum dies concedebant iis qui monasterium B. Mariæ de Quadraginta defenderent. Transegit eodem anno 20. Aug. cum Elia Crassensi abbate super collatione beneficiorum in diœcesi Narbonensi vacantium, necnon & cum priore de Palhars: quo pacto archiepiscopus poterit quotannis visitare prioratum sub onere unius vervecis, quem ei cum suo vellere largiri prior tenebitur. Stephanum Alberti Carcassonensem episcopum Petro commendavit Innocentius VI. litteris datis VI. idus Martii pontificatus anno IX. hic est 1361. Fundavit capellam S. Martialis in palatio archiepiscopali, cui certis per annum festis concurrentibus Innocentius VI. bulla data XII. cal. Augusti pontificatus anno decimo unum annum & quadraginta dies indulgentiæ assignavit. Privilegium Richardo archiepiscopo anno 1107. a Paschali II. concessum in gratiam Petri renovavit Urbanus V. anno pontificatus primo IV. cal. Februarii. Insequenti 1364. a Ludovico filio & fratre regis Franciæ Andium duce & regio in Occitania præfecto veniam obtinuit die 6. Aprilis pro consulibus & civibus Narbonæ, qui nonnullos Hispanos interemerant, ex tabulario Narbonensi. Præfuit eodem anno 16. Aprilis conventui Galliæ Narbonensis habito apud Nemausum, reluctante licet episcopo Nemausensi, qui id juris asserebat pertinere ad episcopum, cujus

Margin notes (left): 1347. *Baluz. tom. 1. vit. pap. Aven. col. 1130. & tom. 2. col. 681. & 697.* — 1348. *Ibid. tom. 1. col. 1131.* — *Bibl. Floriac. part. 1. pag. 252.*

Margin notes (right): ANNI CHRISTI 1349. *Baluz. tom. 1. vit. pap. Aven. col. 1131.* — *Tom. 1. Anecdot. col. 1395.* — 1350. *Baluz. tom. 2. vit. pap. Aven. col. 736.* — 1351. — 1352. — 1353. — 1359. — *Baluz. tom. 2. vit. pap. Aven. col. 753.* — 1361. — 1364. — *Baluz. tom. 1. vit. pap. Aven. col. 1456.*

ANNI CHRISTI 1365.

cujus in dioecesi coetus convocabatur. Urbanus V. praecepit ei litteris 25. Decembris datis ut concilia provincialia cogeret. An. 1365. die 8. Febr. ad Urbanum V. a Carolo V. rege Francorum missus est cum aliis episcopis pro dirimenda controversia inter eumdem regem & Carolum regem Navarrae. Avenione adhuc erat VII. idus Junii ejusdem anni. Ineunte 1367. Urbano consecranti majus altare monasterii quod exstruxerat in honorem SS. Benedicti & Germani apud Montepessulanum adstitit. Praefuit an. 1368. mense Junio concilio Vaurensi trium provinciarum, quod ideo generale vocatur in litteris indulgentiae ab eo concessae Christi fidelibus, qui manus porrigerent adjutrices ad restaurandam cathedralem ecclesiam Vaurensem. Tolosam mense Januario an. 1369. corpus S. Thomae Aquinatis delatum est comitantibus multis episcopis, inter quos aderat Petrus, qui & ad populum die 28. Januarii sermonem habuit. Eodem anno mense Martio a Sicardo Agathensi episcopo fidelitatis obsequium excepit. Canonicis S. Justi dedit 31. Decembris 1372. domum apud Avenionem sitam cum appenditiis. Defuncti apud Avenionem 20. Junii anno 1373. Raimundi de Canilhaco cardinalis funus die 4. Julii cohonestavit. Provinciale habuit concilium Narbonae mense Aprili 1374. in quo quadraginta dies indulgentiarum indulsit visitantibus capellam S. Johannis Baptistae in ecclesia Carmelitarum Carcassonensium. Confirmavit an. 1375. privilegium immunitatis abbatiae Crassensis paulo antequam ad ecclesiam Rotomagensem transferretur bulla Gregorii XI. ipsius consobrini data VI. cal. Septemb. Factus eodem anno die 20. Decembris presbyter cardinalis tituli S. Clementis, semper tamen dictus est cardinalis Narbonensis, quia perdiu fuerat ecclesiae Narbonensis antistes, alioqui secundum illorum temporum mores vocandus fuisset cardinalis Rotomagensis ex nomine ecclesiae e qua assumtus ad cardinalatum erat. Praeterea Narbonensem ecclesiam eximie diligebat, cujus *episcopium* sumtibus ejus atque impensis refectum atque restitutum adnotat Papirius Massonus, cujus rei etiamnum exstant multa testimonia. Festa nativitatis B. Mariae & S. Martialis, necnon & decem anniversaria in ecclesia Narbonensi fundavit, multa ecclesiis legavit, heredemque capitulum instituit universalem, cui speciatim pedum & mitram contulit. Pisis defuncti corpus, ut testamento caverat, Narbonam translatum & sepultum fuit in magnifico quod ipse sibi vivens e marmore candido fecerat sepulcro, in quo superimposita marmorea illius effigies, & in lateribus gentilitia ejus insignia efficta, quae videsis apud Baluzium not. in vit. pap. Aven. tom. 1. col. 1134. Singulis quoque mensibus anniversarium habet in ecclesia collegiata S. Sebastiani Narbon. nempe X. cal. Febr. VIII. idus Febr. idibus Martii, VII. idus Aprilis & VII. idus Maii, pridie nonas Junii, ... pridie idus Augusti, VII. idus Sept. VI. idus Octob. XIII. cal. Decembris & pridie nonas Decembris, ac pro quolibet praesentibus canonicis duodecim denarii, sex autem

1367. 1368. Tom. 11. conc. p. 2. col. 1975. 1369. 1372. Baluz. tom. 1. vit. pap. Aven. col. 896. 1374.

beneficiatis distribuuntur, ex ms. codice regiae biblioth. Petro Narbonensi archiepisc. inscripta Raimundi de Rialhaco monachi S. Fidis Conchensis decretorum doctoris epistola praevia ad opusculum de viris illustribus, videlicet martyribus, sanctis pontificibus & abbatibus insignioribus ordinis S. Benedicti.

Petro Septimianum substituit Catellus *ex nomenclatore cardinalium* ubi Raimundus de Canilhaco defunctus an. 1373. scripsisse legitur Recollectiones ad Septimianum Narbonensem archiepiscopum. Quis autem sit hic Septimianus, quando sederit, & cui successerit non explicat nomenclator, nec nos divinare possumus.

XLVII. JOHANNES II.

ROGER.

Petro suffectus est Johannes Roger Lemovicensis, de quo jam diximus tom. 1. in Carpentoratensibus & Auscіensibus praesulibus. Guillelmi I. Roseriarum domini ex Maria de Cambonio filius, Gregorii papae XI. frater, & Clementis VI. atque Hugonis cardinalis episcopi Tutelensis nepos, cum adhuc Carpentoratensi praeesset ecclesiae, a Gregorio die 23. Maii anno 1371. missus est ad Margaritam Flandriae comitissam, Philippi cognomento Audacis Burgundiae ducis uxorem, ut nomine ipsius prolem, quam erat paritura, e sacro fonte baptismali susciperet; ex quo emendandum quod diximus tom. 4. col. 170. a Carolo Alençonio archiepiscopo Lugdunensi Johannem comitem Nivernensem, &c. e sacro fonte susceptum fuisse; nam Johannes Roger tunc episcopus Carpentoratensis vice Gregorii XI. papae id muneris exsecutus est, & puero nomen pontificis imposuit, quem Carolus Alençonius archiepiscopus Lugdunensis sacro fonte abluit. Hac legatione perfunctus Johannes Auscitano donatur archiepiscopatu VI. cal. Julii an. 1371. debitaque camerae apostolicae promisit & recognovit servitia die 4. Sept. an. 1374. ex libro obligationum Gregorii XI. papae. Translatus inde est ad Narbonensem cathedram bulla ejusdem pontificis data VI. calendas Septembris anno 1375. pontificatus quinto. Anno 1376. eumdem Gregorium fratrem in Italiam euntem assecutus est, uti nos docet in ejus itinerario Petrus Amelius episcopus Senogalliensis, his verbis emendatis ex veteri codice ms. biblioth. Colbert. *Defert Johannes Rogerii nobilis novus cubicularius, primasque Narbonensis. Pollet sacris dotibus, mores tenet regios, fulget virtutibus politicis. Apparet senex calvitie jam ornatus, magis maturitate ..... quam temporis. Floret jam trina dignitate adepta, sibi merito a Deo collatis.* Quae verba sic interpretatur vir clarissimus Baluzius: *Primas Narbonensis* vocatur, quia erat hujus sedis archiepiscopus, & ideo primas. *Apparet senex calvitie*, quippe cujus mater mortua erat anno 1344. & qui jam episcopus Carpentoratensis erat an. 1357. is profecto senex erat an. 1376. exeunte. *Floret jam trina dignitate adepta*, id est episcopatu Carpentoratensi, & archiepiscopatibus Auscitano & Narbonensi. Hoc autem in itinere gravi morbo decumbens decessor ejus Petrus

ANNI CHRISTI. Baluz. tom. 1. vit. pap. Aven. col. 831. & seq. 1375. Baluz. tom. 2. vit. pap. Aven. col. 778. 1376.

ANNI CHRISTI

cardinalis hunc inter alios testamenti curatorem instituit die 15. Novembris. Memoratur anno sequenti 1377. die 8. introitus mensis Junii in testamento Beatricis vicecomitissæ Narbonensis. Johannem anno 1378. misit Lucam Gregorius papa, cum Johanne de Grangia Ambianensi cardinali, & Martino de Salva recens facto Pampilonensi episcopo, pro pace inter eumdem Gregorium & Florentinos revocanda, ut docent variæ ipsius Gregorii epistolæ & Bzovius ad annum 1377. §. 25. Statuta condidit die 16. Augusti an. 1379. pro collegio apud Lutetiam Parisiorum Narbonensi nuncupato; die vero 29. ejusdem mensis & anni Maria de Belloforti uxor Raimundi de Nogareto militis domini de Calvissone recognovit sibi a fratre suo Johanne archiepiscopo absente per manus Petri Fabri bajuli domus archiepiscopalis Narbonensis trecentos francos auri boni solutos fuisse pro termino festi Paschæ proxime præteriti, ratione pensionis annuæ sexcentorum francorum auri, quam eidem constituit archiepiscopus. Decessorem Johannes æmulatus anno 1380. 17. Septembris laudavit privilegium immunitatis abbatiæ Crassensis. Hunc die 23. Martii ejusdem anni Carolus rex intimis adhibitum consiliis apud se retinuit. Locum *du Bousquet* in territorio Narbonensi legavit capitulo an. 1387. ut habent Sammarthani. An. 1389. die 26. Julii de ipsius mandato habitum est concilium provinciale apud S. Tiberium, in quo sedit ipsius vice Johannes Picorlati licentiatus in decretis vicarius generalis & locum tenens archiepiscopi. Anno 1390. diebus 4. Septembris & ultima Octob. Johanni ab Auxitana ecclesia translato ad Narbonensem prorogatum tempus ad solvenda servitia legitur in regesto Clementis VII. papæ. Denique testamenti tabulas a Johanne scriptas an. 1391. commemorant Sammarthani, quas & asservari in scrinio archiepiscoporum Narbonensium tradunt; sed eas excussis licet omnibus hujus armarii forulis se non reperisse testatur Baluzius, quanquam existimat hunc eodem anno circa mensem Septembrem e vivis ereptum fuisse. Habet anniversarium in ecclesia Narbonensi pridie calendas Febr. ex necrologii S. Justi excerpto; & ex codice ms. ecclesiæ collegiatæ S. Sebastiani Narbonensis, ibidem celebrari debet anniversarium prima feria v. post cineres, pro quo debentur canonicis singulis XII. denarii Turonenses, & beneficiatis sex.

Tom. I. Anecdot. col. 1520. — 1378. — Baluz. tom. I. vit. pap. Aven. col. 1156. — 1379. — Tom. 5. novæ Paris. hist. pag. 662. — 1380. — Tom. I. Anecdot. col. 1587. — 1387. — 1389. — Tom. 4. Anecdot. col. 341. — 1390. — 1391. — Bibl. regia.

XLVIII. FRANCISCUS I.

DE CONZIÉ.

In archiepiscopis Arelatensibus tomo primo diximus Franciscum ex nobili gente in tractu Bugivo, cujus caput est Bellica, parentibus Petro domino de Conziaco & Anceliza de Verbos editum. De dignitatibus etiam ecclesiasticis, quas habuit plurimas, variisque muneribus, quibus functus est, fuse ibidem egimus, iterumque sermo recurret cum de Gratianopolitanis antistitibus & archiepiscopis Tolosanis dicemus. Ab ecclesia Tolosana ad Narbonensem per obitum Johannis traductus est a Clemente VII. seu Roberto Gebennensi, qui pro vero ac legitimo pontifice Romano semper in Galliis agnitus est, XIII. cal. Octob. an. 1391. pontificatus decimo tertio; & quidem hoc ipso anno 25. Octob. promisit & recognovit servitia debita pro Johanne decessore. At vero cum simul esset Romanæ ecclesiæ camerarius, & Avenione, ubi erat Clementis curia, plerumque moraretur, ecclesiam suam per vicarios generales rexit. Memoratur an. 1392. in quodam instrumento tabularii abbatiæ Gemmeticensis in Normannia, capsula *de electionibus & præsentationibus*, his verbis: *Franciscus miseratione divina archiepiscopus Narbonensis domini papæ camerarius, significat Simonem abbatem S. Petri Gemmeticensis sibi repræsentasse, quod Johannes decessor suus, dum viveret, CCLXI. florenos de camera, XII. solidos & X. denarios plusquam debebat & ultra solverit; unde Guidoni de Albiaco legum doctori, canonico Parisiensi, &c. mandat, ut summam deductam & defalcatam allaudari curet. Datum Avenione X. Septemb. anno Domini MCCCXCII.* Alterum Majoris monasterii Turon. sic habet, capsa *de præsentationibus ad prioratus & curionatus: Antonius miseratione divina episcopus Magalon. locum tenens reverendissimi domini Francisci archiepiscopi Narbon. domini nostri papæ camerarii in remotis agentis: Ad universitatis vestræ notitiam deducimus, quod venerabilis Helias abbas Majoris monasterii..... octo florenos auri..... solvi fecit..... præsentes litteras sigilli camerariatus officii ipsius domini camerarii fecimus appensione muniri. Datum Avenioni die 4. Aprilis anno Domini MCCCXCIV. Clementis VII. anno XVI.* Quod hîc de Francisco archiepiscopo in remotis agente dicitur, elucidatur bulla ejusdem papæ eodem anno ad regem Franciæ missa, ubi Franciscus ejusdem camerarius & sedis apost. nuncius appellatur. Clementi papæ Avenione animam exhalanti die 16. mensis Septemb. eodem anno adstitit cum Antonio Magalon. antistite. Prorogato a Benedicto Clementis successore camerarii munere, Franciscus die 19. Jan. anno 1395. Guidoni abbati Crassensi CCXV. florenos auri pro parte communis servitii cameræ apostolicæ debiti acceptos retulit, ex tabulario abbatiæ Crassensis; ac 31. Augusti ejusdem anni, abbatibus, capitulis, prioribus, aliisque Cadurcorum beneficiatis generalem impertivit absolutionem, tam pro debitis erga sedem apostolicam, quam pro interdictis vel excommunicationibus hanc ob rem latis, ex tabulario ecclesiæ Cadurcensis. An. 1396. Felicem abbatem de Scalleiis *Eschaalis* in diœcesi Senonensi, qui summam cameræ apostolicæ debitam, nempe XCII. florenos auri *in complementum sui communis servitii* solverat, *absolvit & quitat,* ipsumque ab excommunicationis, suspensionis & interdicti, reatu perjurii & aliis pœnis, quas pro dilata præmissorum solutione meruit, auctoritate sibi in hac parte commissa eximit. *Datum Avenione die 27. mensis Aprilis anno a nativitate Domini MCCCXCVI. indict. IV. pontificatus Benedicti XIII. papæ anno 2.*

ANNI CHRISTI 1391. — 1392. — 1394. — 1395. — 1396.

Vixit Franciscus de Conzié usque ad annum

ANNI CHRISTI

1432. quanquam eidem in utraque dignitate, A & in camerariatu quidem jam anno saltem 1394. in archiepiscopatu vero anno circiter 1398. alii qui subrogare tentant Franciscum de Saconayo. Rem narramus ut accepimus. Dominus quidam de Saconay transmisit ad nos epistolam ab ecclesiæ Narbonensis præcentore, cognomento *de Narbont* scriptam an. 1569. ad Gabrielem de Saconay, tunc præcentorem, postea decanum & comitem ecclesiæ Lugdunensis, zelo ac scriptis adversus hæreticos notissimum, in qua dominus de Narbont asserit Franciscum de Saconayo præfuisse Narbonensi ecclesiæ ab anno circiter 1398. quod evincitur, inquit, tum ex quibusdam in- B strumentis in tabulario S. Justi asservatis, tum ex aulæis ac tapetiis, quæ passim gentis Saconayæ insignia præferebant, quæque adhuc ipsius ætate visebantur in ecclesia Narbon. tum denique ex pluribus bonis, quæ eidem ecclesiæ contulit, & anniversario ejus, quod hactenus in eadem basilica celebratur. Hujus genealogiam texit ipsemet Dom. de Saconay hoc propemodum tenore; Franciscus nobilissima Saconayorum gente satus, ex qua decem & tres canonici comites Lugdunenses (in quibus fuit ille secundus) & unus decanus prodierunt, parentes habuit Theobaldum de Saconayo & Amblardam de Thureio, Petri C S. R. E. cardinalis & Philippi Lugdun. archiep. sororem. Clericali militiæ adscriptus in ecclesia Lugd. canonicus dein & comes factus, paulo post Avenionem concessit vocatus a Clemente VII. seu Roberto de Gebenna, quem cognatione attingebat, ab eoque camerarii munus consecutus est. Inde Narbonensibus infulis ornatur a Benedicto XIII. seu Petro de Luna circiter annum 1398. uti colligitur, ait idem D. de Saconay ex regestis comitum Lugdun. lib. 5. capitulorum an. 1399. habitorum; ac tandem moritur circa an. 1427. auctore D. de Narbont. Hæc est summa hujus epistolæ, quæ quidem meris, D absit a verbo injuria, niti videtur conjecturis. Quidni enim dubium præsulem dicamus, cujus cognomen constanter in actis reticetur, quique nihilominus per annos 30. occupare sedem dicitur, ut de camerarii officio sileamus, interim & ultra antecessore superstite? Id quidem etiam verisimilitudine caret. Et certe vir clar. Baluzius in notis ad primam vitam Clementis VII. col. 1398. Narbon. archiepiscopum qui Avenione translationi corporis ejusdem Clementis papæ ab ecclesia nostræ Dominæ ad novam Cœlestinorum ecclesiam interfuisse dicitur an. 1401. die Dom. 18. Sept. vocat Franciscum de Conzié, quem aliunde E non immerito colligitur sedisse in cathedra Narbonensi usque ad obitum, quandoquidem vacabat sedes die 4. Januarii an. 1432. hoc est, 1433. Quibus adde utrumque Franciscum a Catello confundi, iisdem omnino attributis Francisco de Soconeio, quæ nos Francisco de Conzié adscribimus; quodque notandum est, fatetur appellari Franciscum de Cotiano in archivis ecclesiæ Arelat. quem tamen, inquit, nescio quam ob causam appellamus *de Soconeio*. Itaque jam cetera Francisci de Conzié facta prosequamur.

Tom. 1. vit. pap. Aven. col. 118.

ANNI CHRISTI 1398.

Anno 1398. die 20. Maii Franciscus archiepiscopus fuit sequester compositionis initæ clerum inter & cives Narbonenses super reparatione canalis fluvii Atacis, ex tabulario urbis Narbonæ. Memoratur eodem anno die 9. Junii in charta Obasinæ. Ecclesiam S. Johannis de Palma Guidoni abbati Crassensi subjectam declaravit anno 1402. Cum autem obedientia subtracta anno 1398. Benedicto XIII. anno 1403. restituta fuisset, rex Carolus VI. archiepiscopum Narbonensem, senescallum Bellicadri, dominos de Cassenave & de la Voute, necnon Georgium de Marle senescallum Provinciæ commisit, ut ipsius nomine Benedictum protegerent, qui calendis Septembris pontificatus anno nono a jurisdictione Petri archiepisc. Bituricensis jus primatiæ in provinciam Narbonensem sibi arrogantis Franciscum archiepiscopum Narbonensem exemtum declaravit, uti etiam a Viennensis archipræsulis dominio iisdem die & anno; quod & confirmavit Martinus V. quarto calend. Sept. pontific. anno secundo. Anno 1406. 28. Januarii Franciscus officiali Narbonensi mandavit, ut vi bullæ Benedicti XIII. datæ pridie calendas Novembris pontificatus anno duodecimo prioratum de Salleles S. Pauli Narbonensi capitulo uniret, ex tabulario ejusdem capituli. Eodem anno 28. Sept. Francisci procuratores, capitula S. Justi, S. Sebastiani & S. Pauli, necnon abbas Fontisfrigidi & consules Narbonæ de fluvio Atace in urbem deducendo, uti olim permeabat, convenerunt, ex tabulario urbis Narbonæ. Guillelmi vicecomitis Narbonensis hominium excepit Franciscus anno 1408. eodemque Benedicti XIII. decimoquarto indictione prima, tertio nonas Februarii ejusdem camerarius & archiepiscopus Narbonensis præsens apud Portum-Veneris Januensis diœcesis memoratur in instrumento, quo pontifex se obligat domino Johanni le Maingre dicto *Boucicaut* militi Turonensis diœcesis, Franciæ marescallo pro summa 40000. librarum boni auri, quam ab eo mutuo acceperat ad expensas necessarias; iterumque in charta ejusdem marescalli anno 1409. indict. 2. die 28. Januarii, quod necdum huic obligationi factum fuisset satis conquerentis. Vide t. 9. veterum script. Martennii col. 1452. quæ sunt acta ea de re ab an. 1411. Scripsit Franciscus anno 1409. die 4. Januarii ad cardinales de deliberatis in concilio Perpiniani. Interfuit mense Martio ejusdem anni Pisanæ synodo, in qua depositis duobus pontificibus Benedicto XIII. & Gregorio XII. in eorum loco suffectus est Alexander V. Dum synodus habetur, Johannes Testa licentiatus in legibus, baccalaureus in decretis & canonicus ecclesiæ Biterrensis ejusdem archiepiscopi vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus reperitur die 9. Junii ejusdem anni. Ad obeunda vero munia episcopalia die & anno iisdem vicario generali usus est Petro Vasatensi præsule, qui munus consecrationis impendit in basilica Narbonensi Gaufrido de Pompadour Tomeriensi electo. Franciscus adhuc reperitur archiepiscopus Narbonensis & papæ camerarius anno primo Alexandri V.

1402. Du Puy hist. schismatis p. 266. Vide Odor. Rainald. ad an. 1418. §. 33. 1406. 1408. 1409. Tom. 7. vet. script. col. 915. Baluz. t. 1. vit. pap. Aven. col. 682.

ANNI CHRISTI

hoc est 1409. Unde colligas quantum aberret a vero quodam Benedicti XIII. regestum, in quo Simon archiepiscopus Remensis die 18. Julii an. 1409. successisse dicitur Francisco papæ camerario translato ad Narbonensem ecclesiam, & Franciscus excepisse Ludovicum papæ thesaurarium traductum ad ecclesiam Volaterranensem. Non inficiamur Benedictum XIII. jam exauctoratum, sed suæ depositioni minime acquiescentem potuisse audita morte Guidonis de Roye Remensis archiepiscopi, quæ contigit hoc anno die 8. Junii, ad hanc ecclesiam promovere Ludovicum, huicque paulo post ad Volaterranensem translato subrogare Franciscum tunc archiepiscopum Narbonensem, ac tandem isto ad pristinam ecclesiam remisso Simonem de Cramaud ecclesiæ Remensi admotum fuisse, qui revera Remensem ecclesiam suscepit regendam die 10. Julii anno 1409. Aliæ in regesto Johannis XXIII. factæ leguntur translationes die 30. Junii 1410. quæ suum non felicius sortitæ videntur effectum; ibi enim Franciscus dicitur e Narbonensi ad Rotomagensem translatus cathedram per obitum Ludovici qui sedebat adhuc 1418. non defunctus ante annum 1422. ut volunt Sammarthani, Francisco autem Narbonensi subrogatus Philippus Lugdunensis archiepiscopus, qui ibidem obiit an. 1418. Idem dicendum de promotione Raimundi Fabri ad hanc ecclesiam, quæ facta legitur XIII. cal. Novembris an. 1413. nullo enim nixa fundamento mole ruit sua; & certe tunc præerat Franciscus & postea præfuit, quem Johannes summus pontifex anno 1410. præfecit Vindascino comitatui, ut ecclesiæ clientes in obsequio contineret. Eidem scripsit Romæ VIII. calendas Aprilis de revocanda unione parthenonis sancti Pontii de Gemenoso, seu sancti Pontii Vallis de Geminis ordinis Cisterc. diœcesis Massiliensis facta monasterio sancti Petri de Almanara ejusdem ordinis per Petrum de Luna olim Benedictum XIII. nuncupatum. Anno sequenti pontificatus primo bulla data pridie nonas Aprilis 1411. Johannes XXIII. prælatis omnibus ac beneficiatis regni Franciæ & Delphinatus, Francisco excepto, mandavit, ut beneficiorum decimas ipsi conferrent pro expensis Romani itineris cum multo exercitu ad expellendos duos Antipapas faciendis. Scripsit quoque ad Franciscum summus pontifex datas Romæ VIII. idus Julii pontificatus anno tertio litteras ut præposito & capitulo ecclesiæ Avenionensis sacristiam ejusdem ecclesiæ uniret. Anno 1413. die 12. Decembris fuit idem Franciscus alter exsecutorum testamenti Petri [a] Gerardi cardinalis. Insequenti Johannes pontificatus anno quinto ei Bononiæ litteras scripsit de prioratu S. Romani de Malis pellibus ordinis S. Benedicti diœcesis Nemausensis uniendo Psalmodiensi monasterio Romanæ ecclesiæ immediate subjecto. Martinus papa V. ad ipsius preces, VIII. cal. Augusti anno pontificatus tertio duarum in ecclesia Narbonensi præbendarum a Maurino quondam archiepiscopo factam institutionem confirmavit, ex tabulario capituli Narbonensis. Erat autem Franciscus an. 1422. indictione XV. die Martii XI. ejusdem papæ camerarius, & in civitate Avenionensi, necnon in comitatu Vindascino vicarius generalis. Vide tom. 1. col. 841. Eidem Carolus VII. rex privilegia Narbonensis ecclesiæ laudavit litteris datis anno 1423. die 4. Aprilis, in quibus vocatur dilectus & fidelis consiliarius regis. Ad eum quoque Martinus V. pontifex scripsit anno 1424. pro negotio collationis trium præbendarum in ecclesia sancti Pauli Narbon. Anno 1426. die prima Martii Narbonense capitulum pro Francisco archiepiscopo, dum viveret, sese obligavit ad missam Spiritus sancti prima cujusque mensis feria quinta, & cum obierit ad missam solemnem de defunctis ter singulis annis celebrandam, ob unitum ab ipso mensæ capitulari archidiaconatum de Fenolheto, aliaque plurima ecclesiæ Narbonensi collata beneficia, ex tabulario capituli Narbonensis. Nominatur eodem anno die 7. Octobris exsecutor testamenti Elpidis de Baucio comitissæ Avellini, in castro Baucii. Ipsius absentis jussu concilium provinciale celebratum est Narbonæ anno 1430. 29. Maii, cui Francisci archiepiscopi nomine præsedit Petrus episcopus Castrensis, interfuere vero Guillelmus Biterrensis, Gaufredus Carcassonensis, Petrus Leutevensis, Bertrandus Uceticensis & Johannes Agathensis antistites, reliqui autem provinciæ præsules per vicarios generales. Eodem anno pacis reconciliator exstitit Ludovicum inter Cabilonensem principem Arausicanum & gubernatorem Delphinatus.

Francisci exstant tres epistolæ tempore schismatis, quarum prima nondum edita scripta fuit anno 1409. die 4. Januarii tempore concilii quod Benedictus XIII. apud Perpinianum celebravit; altera edita est ab Emmanuele Schelstrato, scripta anno 1413. die 13. Decemb. in qua putat Baluzius eo loco erratum esse, ubi cardinales partium Benedicti vocantur anticardinales; is enim loquendi modus nonnisi ab adversariis usurpabatur, a neutralibus minime, qui simpliciter eos vocabant partis alterius, vel cardinales obedientiæ Benedicti. Tertia denique epistola, quæ data die 21. mensis Novembris, edita est apud Bzovium ad annum 1415. sess. 20. Id unum addam pro coronide, sub Francisco archiepiscopo resumtum fuisse opus claustri ecclesiæ Narbon. anno a nativitate Domini 1417. die Mercurii secunda Junii, cujus primum lapidem posuit venerabilis vir Dom. Petrus de Trilhia canonicus & succentor Narbonensis. Defunctus Franciscus de Conziaco anno 1432. die ultima Decembris, quiescit apud Cœlestinos Avenionenses cum hac inscriptione:

HIC JACET.

Reverendissimus in Christo pater dominus Franciscus Geven nobilis legum doctor, diœcesis Gebennensis, primo Gratianopolis episcopus, & demum Romanæ ecclesiæ camerarius, Arelatensis,*

Marginalia: *Hist. genealog. ducum & parium Franciæ t. 2. pag. 42.* — *Rainald. ad an. 1410. n. 5.* — *Sammarth.* — * *Catel. comm. pag. 928.* — Years: 1410. 1411. 1413. 1419. 1422. 1423. 1424. 1426. 1430. 1432.

[a] Scriptum aliud Petri testamentum anno 1410. diximus t. 2. col. 729. ex tom. 9. fragm. hist. Estiennot pag. 412.

& inde Tolosanensis, & ultimo Narbonensis archiepisc. qui obiit anno Domini MCCCCXXXII. die ultima mensis Decembris, cujus anima in pace requiescat.

ANNI CHRISTI

De die tamen obitus negotium facessit quod legimus in quadam synodi Basileensis sessione habita in ecclesia majori Basil. die Veneris 20.* mensis Junii anno Domini 1432. Illic nempe sacrosancta synodus vicarium generalem in civitate Avenion. & comitatu Venayssino constituit Alfonsum S. Eustachii S. R. E. diaconum cardinalem, &c...... *& generaliter cum omnibus illis potestatibus, quas bonæ memoriæ Franciscus archiepisc. Narbon. S. R. E. camerarius a felicis recordationis Martino papa V. & alias habuit, dum ageret in humanis.*

* lege 12.

T. 12. conc. col. 490.

DE CONDOLMER.

XLIX. Franciscus II.

Patria Venetus Franciscus, de Condolmerio dictus, camerarius & Eugenii papæ IV. nepos, ac S. R. E. presbyter cardinalis tituli S. Clementis, ecclesiæ Narbonensis dicitur administrator perpetuus in bulla ejusdem papæ data calendis Maii an. 1433. pontificatus anno tertio, quæ habetur in tabulario archiepiscopatus Narbon. Memoratur & in quibusdam actis anni 1434. inde translatus, inquiunt, ad sedem Vesontionensem an. 1436. qua cessit ecclesia 1438. verno tempore, cum adversarium haberet Johannem de Fruyno a capitulo Vesontionensi electum. Attributa quidem hæc duo Francisco de Collemedio legimus, haud dubie propter affinitatem nominum, sed frustra, neque enim iste, sed Franciscus de Condolmerio fuit archiepisc. Vesontion. Et certe legitur in bulla Eugenii papæ IV. data Bononiæ anno incarnat. Dom. 1436. VI. nonas Novemb. anno pontificatus sexto, vacantem ecclesiam Narbonens. per obitum bonæ memoriæ Francisci (de Conzié) archiepiscopi, qui citra Romanam curiam decessit, commendatam Francisco tituli S. Clementis presbytero cardinali, quoad viveret, gubernandam; sed cum, inquit pontifex, *præfatus cardinalis commendæ hujusmodi hodie in manibus nostris sponte cesserit*, Johannem episcopum Tornacensem hac bulla transfert ab ecclesia Tornacensi ad Narbonensem. Qua de re duæ quoque legendæ sunt ejusdem papæ ad Carolum Franciæ regem epistolæ apud Rainaldum ad annum 1437. num. 5. quo quidem anno, seu sexto pontificatus Eugenii IV. die 20. Julii Johannem e Tornacensi ad ecclesiam Narbonensem translatum legimus in quodam regesto pontificio. Fortasse ad Franciscum spectat quod legimus in veteri necrologio sancti Justi Narbonensis: *III. cal. Febr. anniversarium solemne R. P. D. F. quondam archiepiscopi Narbon.* Franciscum vero de Collemedio cum Sammarthanis e catalogo Narbonensium archiepiscoporum censemus expungendum.

1436.

DE HARCOURT.

L. Johannes III.

Johannes, de quo dictum tomo tertio in episcopis Tornacensibus, antiqua & nobili stirpe in Neustria genitus, patre Jacobo domino de Montgomery, & matre Johanna d'Enghien domina d'Havrech, primum fuit Ambianensis antistes, inde Tornacensis, ac demum, cedente Francisco cardinali in manibus Eugenii papæ IV. tunc Bononiæ commorantis, Narbonensi præficitur ecclesiæ an. 1436. VI. nonas Novembris pontificatus Eugenii IV. anno sexto, ex regesto provisionum Eugenii IV. Consuetum fidelitatis sacramentum sedi apostolicæ in manibus Atrebatensis episcopi exhibuit an. 1438. Narbonam solemni pompa invectus est anno seq. die 15. Martii, ex necrologio S. Pauli apud Catellum pag. 807. die 25. ex chronico ejusdem ecclesiæ ad calcem hist. comitum Tolos. Catelli p. 168. die vero 21. ex Sammarthanis. Interfuit eodem an. 1439. die 16. Novemb. una cum Maria de Harcourt abbatissa Fontis-Ebraldi pactis matrimonialibus Johannis Aurelianensis comitis Dunensis, cum Maria comitis Tancarvillæi fratris filia, in castro Monstrolii Bellaii in Andibus, ex ms. codice bibl. Coislinianæ. Anno 1440. die 16. Augusti sponsione sex mille nummorum obligavit se pro duce Aurelianensi in Anglia detento in libertatem asserendo; a quo ex Anglia reverso dominium de Baugency pretio 48000. librarum acquisivit & dedit Johanni Aurelianensi notho Dunensi comiti, qui, ut diximus, Mariam de Harcourt ipsius neptem duxerat uxorem. Adstitit an. 1441. comitiis provinciæ a rege Carolo VII. apud Montempessulanum coactis. Scripsit ad eum Carolus VII. Francorum rex an. 1444. litteras in quibus ipsum *dilectum & fidelem cognatum atque consiliarium* nuncupat. Quo etiam anno die 7. Octobris memoratur in tabulario capituli Narbonensis. Cum Narbonense collegium in urbe Lutetia a Narbonensibus archiepiscopis, ut diximus, fundatum, incuria præpositorum pene collapsum esset, anno 1446. perpetuum ejusdem instituit procuratorem magistrum Johannem Johannis diœcesis Leutevensis, qui postea confirmatus fuit bulla Nicolai papæ V. data die 5. Jan. 1450. Obtinuit anno 1447. Antiochenem patriarchatum. In ecclesia S. Sebastiani, quam construxerat, aiunt Sammarthani post Catellum, tria benedixit altaria 17. Januarii anno 1451. ac ultima die ejusdem mensis, quæ fuit Dominica, collegium S. Stephani extra muros Narbonenses, fundatum olim a Bernardo de Fargis archiepiscopo, ab ecclesia B. Mariæ majoris in qua per spatium 65. annorum vel circa steterat, a die videlicet 6. mensis Decembris an. 1387. usque ad dictam diem, translatum est in capellam S. Sebastiani noviter exstructam ex ordinatione & devotione ipsius domini archiepiscopi, qui capellæ univit ecclesiam parochialem S. Stephani, quod confirmari curavit a Nicolao papa V. ex ms. codice ecclesiæ collegiatæ S. Sebastiani in bibliotheca regia. In regesto pontificio translatus legitur ad ecclesiam Alexandrinam per obitum Johannis patriarchæ, IV. idus Decembris 1451. Obiit paulo post, die scilicet 31. Januarii 1452. Tornacensis Carthusiæ benefactor, seu 1451. (secundum veterem calculum)

ANNI CHRISTI

1436. 1438. 1439. 1440. Rimer t. 10. pag. 795. 1441. 1444. 1446. 1447. 1451.

ANNI CHRISTI

ex necrologio Carthusiæ Castrensis. In margine prædicti ms. codicis plura ipsius anniversaria leguntur, pro quibus singulis capitulum cuilibet canonico solvit duos solidos, & beneficiatis duodecim denarios Turonenses; nempe nonis Januarii, calendis Febr. calendis Martii, cal. Apr. calendis Maii, calendis Julii, VI. idus Augusti, IV. nonas Septemb. calendis Octobris, III. nonas Novembris, & IV. nonas Decembris.

D'HARCOURT.

LI. LUDOVICUS I.

Ludovicus Johannis de Haricuria Albæ marlæ comitis filius ex Margareta de Preulay Drocarum vicecomitissa non justa uxore, unde dictus est Albæ marlæ nothus, non autem legitimis nuptiis ortus patre Johanne III. comite d'Harcourt & matre Catharina de Bourbon sorore Johannæ de Bourbon uxoris Caroli V. Francorum regis, uti comminiscitur D. Pommeraye in excerptis historiæ Rotomagensium archiepiscoporum, p. 540. Successit Johanni archiepiscopo translato ad ecclesiam Alexandrinam IV. idus Decembris anno 1451. cum tunc esset episcopus Biterrensis, ex quodam regesto pontificio. Reperitur archiepiscopus diebus 26. Januarii & 7. Aprilis anno quinto pontificatus Nicolai papæ V. An. 1452. feudatariorum ecclesiæ Narbonensis hominia excepit. Eodem anno die XI. Novemb. regi a consiliis dicitur in charta authentica collectionis D. de Gagneres asservatæ in bibliotheca regia, ubi 29. Aprilis a rege missus in Delphinatum pro regni negotiis perhibetur, & in Normanniam an. 1453. Eodem, 10. Martii transtulit sacrum corpus S. Martini episcopi Turonensis. Anno 1455. scacarii Rotomagensis præses ab anno 1454. ter mille libras sibi a rege concessas se recepisse a Simone le Bourlier notario & secretario regis ac ejusdem ærarii quæstore in ducatu Normanniæ confitetur. Anno 1456. una cum Johanne le Boursier equite domino d'Esternay cambellano regis, &c. tanquam administrator terrarum & dominiorum ducis Alençonii, quæ rex in manu sua posuerat, Johannem Couel in prædictis terris ac dominiis quæstorem generalem constituit die 3. Septembris. Memoratur adhuc in collectione chartarum authenticarum domini de Gagneres anno 1459. die 15. Junii & abbas Lyræ ab anno saltem 1457. Sed cum paulo post ecclesia Bajocensis vacasset per obitum Zenonis episcopi, canonicis de eligendo antistite insimul agentibus, major pars Ludovicum archiepiscopum Narbonensem postulavit; quem confirmavit Pius papa II. litteris Mantuæ datis an. 1459. XV. cal. Febr. secundum veterem calculum, sed 1460. pro novo computandi more, illumque hoc ipso die creavit patriarcham Jerosolymitanum, ne seipso factus inferior videretur. Celebravit anno 1461. exsequias Caroli VII. regis in ecclesia S. Dionysii sepulti. Defunctus ipse Rotomagi 15. Dec. an. 1479. in parochia S. Godardi, ut probant superstites juxta hanc ecclesiam ædes, quæ adhuc vocantur *ædes patriarchæ*, sepelitur in ecclesia cathedrali Bajocensi. Ex eadem gente prodierunt alii antistites, Ludovicus de Haricuria Rotomagensis metropolita, Philippus Bajocensis, Robertus Constantiensis & Guido Lexoviensis præsules.

(Margin: 1451. 1452. 1453. Bolland. t. 6. Junii part. 1. p. 137. A. 1455. 1456. 1459. 1460.)

DU BEC CRESPIN.

LII. ANTONIUS.

Antonius sanctæ sedis apostolicæ protonotarius, thesaurarius sacræ capellæ Parisiensis, ecclesiæ Paris. electus, Laudunensis vero episcopus, Narbonensis dicitur archiepiscopus 18. Januarii anno 2. pontificatus Pii papæ II. in regestis Vaticani. Hic est annus 1460. quo fidei clientelam regi Carolo VII. præstitit, pallio decoratus VIII. cal. Maii an. 1462. Filius erat Guillelmi baronis du Bec Crespin & de Maulny ex Jacquelina d'Auvricher, frater vero Johannis Normanniæ senescalli Margaretæ Ambasiæ mariti. Falso scribitur in veteri Gallia Christ. missus a Ludovico XI. rege cum Petro Morvillerio Franciæ cancellario & Augiensi comite ad Philippum Burgundiæ ducem cognomento Bonum, an. 1464. non enim hac legatione functus est, sed Ludovicus ejus decessor, quem historici adhuc vocant archiepiscopum Narbonensem, tametsi jam pridem erat antistes Bajocensis. Memoratur autem Antonius Narbonensis præsul in regesto Pii II. papæ administrator perpetuus S. Johannis Laudunensis III. nonas Augusti an. 1464. & in chartis authenticis collectionis D. de Gagneres die 28. Januarii ejusdem anni Narbonensis antistes, abbas Gemmeticensis diebus 6. & 13. Maii, ac 9. Octobris 1466. 2. Junii, & 14. Martii 1468. qua die provinciam una cum aliis accepit a rege cogendi Normanniæ comitia apud Rotomagum in festo S. Michaelis. Hoc etiam anno 10. Sept. pacis conventiones initas Ambiani regem inter & Armoricæ ducem subsignavit. Occurrit adhuc in prædicta collectione die 4. Novembris 1469. 15. Maii 1471. & 1472. die 22. Aprilis. Litteras obtinuit an. 1470. pro jurisdictione metropolitica asserenda contra episcopum Electensem, ex schedis capituli. Eodem anno prima Novembris idem archiepiscopus & abbatiæ S. Petri de Gemmeticis commendator perpetuus, administrationem prioratus de Halingia in Anglia ab eadem abbatia dependentis commisit domno Valentino le Machon. Fatis concessit Antonius Rotomagi 15. Octob. an. 1472. sepultus postridie in ecclesia FF. Prædicatorum; ac proinde non vacabat sedes Narbonensis anno 1471. ut vult Gariellus, & post ipsum Sammarthani, sed aberat Antonius, quando Bernardus Roserius seu de Rosergio archiepiscopus Tolosanus hoc anno Narbonæ consecravit Johannem episcopum Magalonensem.

(Margin: 1460. 1462. 1464. 1466. 1468. 1469. 1470. 1472.)

DE BOURBON.

LIII. REGINALDUS.

Caroli I. ducis Borbonii nothus Reginaldus, & patruus Hectoris Tolosani archiepiscopi, priusquam sacris ordinibus initiaretur filiam habuit notham Susannam nomine, dein Carolum postea Claromontensem episcopum & Petrum ex illicita copula genuit. In archiepiscopum Narbonensem assumtus est an. 1472. XVII. calendas Januarii; quibus quidem anno & mense, die

(Margin: Simplicien t. 1. Geneal. pag. 310. 1472.)

ANNI CHRISTI

ſcilicet 24. Decembris memoratur archiepiſcopus in quodam regeſto pontificio ſolutionum; & in alio Sixti IV. legitur Reginaldus tranſlatus a Laudunenſi eccleſia ad metropolim Narbonenſem idibus Martii 1472. hoc eſt 1473. Regi fidem & obſequium juravit die 6. Febr. 1473. exceptuſque eſt in capitulo 20. Decembris inſequentis. Paulo poſt, die ſcilicet 16. Januarii anni 1473. hoc eſt 1474. ſe trecentas libras ex quingentis ſibi a rege conceſſis eo quod Occitaniæ comitiis habitis menſe Martio anni 1472. hoc eſt 1473. Biterris præfuiſſet, confitetur recepiſſe a Ludovico Nyvart theſaurario & generali ærarii in Occitania receptore; idemque atteſtatur die 28. Septembris an. 1475. pro ſimili cœtu habito Monſpelii menſe Martio anni 1473. ſeu 1474. cum tunc Antonius Bayart eſſet Occitaniæ theſaurarius, ex chartis authenticis collectionis D. de Gagneres aſſervatæ in biblioth. regia. Bullam obtinuit an. 1474. a Sixto IV. ſummo pontifice adverſus epiſcopum Carcaſſonenſem qui ei obedientiam denegabat. Memoratur anno ſeq. una cum Johanne epiſcopo Mimatenſi in tabulis nuptialibus Johannis II. ducis Borbonii & Johannæ a Francia filiæ Caroli VII. regis. Eodem anno Sixtus IV. papa vetuit archiepiſcopo Narbonenſi ne Avenionem accederet gubernatoris vices obiturus. Hic epiſtolam deſcribimus, quia brevis eſt. *Venerabilis frater, &c. intelleximus quod venerabilis frater archiepiſcopus Lugdunenſis gubernator civitatis noſtræ Avenionenſis deputavit te ſuum in dicta civitate locum tenentem, de quo profecto non parum miramur, præſertim cum ipſe archiepiſcopus gubernium hujuſmodi per ſubſtitutum exercere non valeat. Quapropter mandamus fraternitati tuæ per præſentes, quantum tu in gratia noſtra cupis perſeverare, ut nullo pacto ad ipſam civitatem te conferas, aut hujuſmodi munus exercendum ſumas. Datum Romæ die 7. Octobris 1475. anno pontificatus quinto.* Paruit haud dubie Reginaldus, quippe qui menſe Maio anni 1477. Occitaniæ comitiis apud Montempeſſulanum celebratis præfuiſſe legitur, & nonaginta libras accepiſſe, ut ſcripta menſe Martio anni ſequentis ſchedula declaravit, ex chartis authenticis ut ſupra. Anno 1480. die 21. Febr. una cum capitulo ſtatuit ut medietas reditus anni primi, quo vacarent omnia diœceſis beneficia, in eccleſiam cathedralem conſtruendam inſumeretur, ex actis capitularibus. Dedit an. 1482. die prima Febr. pannum ſericum pro majori altari eccleſiæ SS. Stephani & Sebaſtiani, cujus capitulum ſolemniter celebrari fecit unam miſſam de S. Sebaſtiano, ut eum Deus incolumem ſervaret. Deceſſit hoc anno die 7. Junii in prioratu de Monte verduno diœceſis Lugdunenſis, cujus erat prior, ibidemque ſepultus eſt in medio chori cum hac inſcriptione: *Hic jacet reverendus in Chriſto pater & dominus dominus Reginaldus de Borbonio miſeratione divina & ſanctæ ſedis apoſtolicæ archiepiſcopus Narbonenſis, qui obiit anno Domini MCCCCLXXXII.* Hunc prioratum vacantem per ceſſionem commendæ Bonæ memoriæ Raginaldi archiepiſcopi Narbonenſis nuper defuncti Sixtus IV. pontifex bulla data IV. idus Julii pontificatus anno XI. Chriſti 1482. archiepiſcopo Viennenſi commendavit.

(Margin: 1473. 1474. 1475. 1475. 1477. 1480. 1482. — Tom. 2. vet. ſcript. col. 1514.)

LIV. Georgius.

ANNI CHRISTI — D'AMBOISE.

Defuncto Reginaldo, poſt multos a canonicis Narbonenſibus pro eligendo ſucceſſore habitos conventus, die tandem 18. Junii anni 1482. Georgius de Ambaſia poſtulatus fuit archiepiſcopus, ut innuunt excerpta capitularium actorum, ſub hac verborum formula: *His igitur peractis, nulloque alio tractatu interveniente, ſed ſtatim ſubito & repente, Spiritus ſancti gratia, ut firmiter credimus, inſpirati omnes unanimiter conſenſimus, & vota noſtra direximus in nobilem ac generoſum virum dom. Georgium de Ambozia, decretorum doctorem, S. ſedis apoſt. protonotarium; virum utique plenæ & maturæ ætatis, in ſacerdotio conſtitutum, natura & prudentia, litterarum ſcientia, vita & moribus, univerſis actibus merito commendatum, & legitimo matrimonio procreatum, in ſpiritualibus & temporalibus plurimum circumſpectum, & per quem ſperamus multa nobis & eccleſiæ commoda proventura.* Jure ſuo ſtatim ceſſiſſe Georgium conjiciunt Sammarthani, quod bullis apoſtolicis nuſquam munitus, nec poſſeſſionem tunc adeptus in actis capitularibus reperiatur. Quin potius certum videtur non illum continuo electioni ſuæ renunciaſſe, imo contra æmulum Franciſcum, a rege deſignatum & ab apoſtolica ſede promotum, eam defendiſſe uſque ad annum 1484. quo per amicam compoſitionem ab ipſomet Innocentio VIII. approbatam Franciſcus, retenta ſibi penſione, ceſſit in gratiam Georgii electi, qui paulo poſt & ipſe factus antiſtes Montalbanenſis, jus ad Narbonenſem metropolim Franciſco tranſcripſit.

LV. Franciscus III.

HALLE.

Gente Pariſinus Franciſcus canonicus Pariſienſis & archidiaconus major, regalium in poſſeſſionem miſſus 19. Febr. 1466. fuit etiam in ſenatu Pariſienſi patronus regius ab anno 1465. ad 1482. quo tunc ordinis S. Michaelis cancellarius, & ſcacarii ac trium Normanniæ ordinum præſes hoc munus abdicavit, quando ſcilicet die 12. Julii Narbonenſis archiepiſcopus deſignatus eſt a rege Ludovico XI. qui & ea de re ſe ad dominum papam ſcripſiſſe declaravit, ex charta authentica collectionis D. de Gagneres in bibliotheca regia aſſervatæ. Et certe in regeſto Sixti papæ IV. & in libro ſecundo obligationum ejuſdem pontificis Narbonenſis archiepiſcopus dicitur per obitum Reginaldi an. 1482. XIV. calend. Auguſti; eodemque memoratur die 14. Auguſti in regeſto tertio ſolutionum ejuſdem papæ. Conſecratus autem 21. Sept. hujus anni retinuit canonicatum & archidiaconatum in eccleſia Pariſienſi, & anno ſequenti interceſſit ne quis ei archidiaconus ſubſtitueretur. Pepigit Franciſcus, uti ſupra diximus, cum Georgio de Ambaſia anno 1484. Inſequenti, die 30. Maii licet ei non amplius canonico ab eccleſiæ Pariſienſis capitulo conceſſum, ut domum ſuam in clauſtro teneret;

(Margin: 1484.)

ANNI CHRISTI

nec multo post, die scilicet 28. Junii ejusdem anni litteras obtulit collationis sibi factæ de archidiaconatu absque præjudicio juris jam quæsiti. Eodem anno 1485. in sede archiepiscopali stabilitus, quem jam ab ipsius promotione ei Ludovicus XI. rex indulserat, a Carolo VIII. successore senatorio dignatus est honore, cum indulto sessionis ac vocis deliberativæ, *propterea quod*, ut regiæ habent litteræ, *iste archiepiscopus sustinuerit molem magnorum negotiorum..... Actum in curia parlamenti Parisiensis 17. Julii 1485.* Præfuit Franciscus an. 1486. Occitaniæ comitiis apud Montempessulanum celebratis; ac pro sumtibus quos in illis fecerat se 400. libras Turonenses accepisse an. 1488. 19. Maii recognovit, ex chartis authenticis laudatæ sæpius collectionis D. de Gagneres. Eodem anno prima Octobris fundavit in ecclesia Parisiensi missam in die octavæ Assumtionis, & alteram in festo S. Francisci. Denique Franciscum in remotis agentem legimus anno 1491. prima die mensis Maii, qua Isarnus Magalonensis episcopus ejusdem vicarius, seu specialis legatus ad munus consecrationis impendendum Guillelmo de Rupe episcopo Electensi, fidelitatisque sacramentum ab eo recipiendum memoratur. Parisiis rebus humanis exemtus est die Jovis 23. Februarii 1491. ut habent schedæ D. de Gagneres, quæ quidem dies cum anno 1492. recte illigatur. Ibidem conditus est in æde cathedrali B. Mariæ virginis e regione cathedræ archidiaconi Parisiensis, cum hac inscriptione: *Cy gist feu tres reverend pere en Dieu monseigneur M.re François Hallé natif de Paris, en son vivant archevesque de Narbonne, chanoine & grand archidiacre de l'eglise de ceans, qui trepassa le Jeudy 23. jour de Fevrier 1491. Priez Dieu pour luy. Amen.* Difficultatem facessere non debet regestum Innocentii papæ VIII. ubi legitur *Guillelmus Briçonnet cancellarius sancti Martini Turonensis, in utroque jure baccalaureus, notarius apostolicus, in anno 17. constitutus, electus Lodovensis per cessionem Johannis simili modo archiepiscopi Narbonensis anno 1489. VIII. calendas Maii.* Ex quibus haud temere inferat quis Franciscum abdicasse anno 1489. aliunde enim certum est Johannem, qui eidem subrogatus innuitur, in cathedra Leutevensi obiisse anno 1488. ut infra in episcopis Leutevensibus dicetur. Franciscus autem anniversarium habet pridie idus Februarii, in excerpto veteris necrologii S. Justi.

1485. 1486. 1488. 1491. 1492.

LVI. GEORGIUS *secundum.*

D'AMBOISE.

Defuncto Francisco, Georgius Petro de Ambasia domino de Chaumont, & Anna du Bueil de Sancerre Franciæ marescalli sorore nobilissimis parentibus genitus, qui e Narbonensi ad Montalbanensem cathedram promotus fuerat anno 1484. ad Narbonensem reversus est an. 1491. pridie nonas Martii, seu 1492. pro novo computandi more, ex regesto Innocentii VIII. Eodem anno Georgius Narbonensis archiepiscopus die prima Junii in scheda authentica collectionis D. de Gagneres bis mille libras Turonenses pro annua pensione se accepisse profitetur. Solemni pompa in urbem adveniens excipitur die 30. Decembris. Ratam habuit anno sequenti 1493. 17. Martii initam compositionem capitulum inter ecclesiæ Narbonensis & consules ejusdem urbis, ex tabulario Narbonensi; quo etiam anno eidem inter alios demandata fuit provincia cogendi Normanniæ comitia, in quibus habitis mense Octobri apud Rotomagum pro rege peroravit; quam ob causam mille libras Turonenses accepit die 20. Februarii ejusdem anni, seu potius 1494. secundum præsentem computandi rationem, ex charta authentica collectionis D. de Gagneres. Transfertur hoc ipso anno XII. cal. Julii ex regesto Alexandri papæ VI. Junii vero ex Sammarthanis, ad ecclesiam Rotomagensem, servata sibi annua pensione super ecclesia Narbonensi, quam deinde, utpote contra ejusdem ecclesiæ privilegium Narbonense capitulum impugnavit die Mercurii post festum Pentecostes 22. Maii, hoc est 1499. ex actis capitularibus. Præcipuus tandem regni administer sub Ludovico XII. rege, purpuraque, qua ornatus est 1498. sub titulo S. Sixti, & S. sedis apostolicæ legatione in partibus Franciæ insignis, obiit 25. Maii an. 1510. uti fusius, Deo dante, in archiepiscopis Rotomagensibus narrabimus.

1492. 1493. 1494.

LVII. PETRUS VI.

D'ABZAC.

De Petro jam diximus tomo primo col. 1083. in episcopis Lactorensibus. Ortus ex dominis de la Douze in tractu Petragoricensi, monachus erat & camerarius S. Johannis Angeriacensis, decretorum doctor & professor in academia Pictaviensi an. 1459. Fuit etiam abbas B. Mariæ de Crassa diœcesis Carcassonensis & de Allodiis diœcesis Pictaviensis, episcopus Rivensis & Lactorensis, unde ad metropolim transiit Narbonensem, translatione, ut diximus, seu cessione Georgii, an. 1494. XII. calendas Julii ex regesto Alexandri papæ VI. Hunc jam anno præcedenti, & fortasse etiam prius rex destinaverat ad archiepiscopatum Rothomagensem, quamprimum vacare contingeret, litteris ad papam scriptis, ægrotante tunc Roberto de Croismare archipræsule; sed cum jam defunctus esset Robertus, rex mutata sententia destinavit Georgium d'Amboise archiepiscopum Narbonensem ad ecclesiam Rotomagensem, Petrum vero d'Abzac suum consiliarium ad Narbonensem, pontificemque rogavit ne abbatiam Crassensem ei auferret. Narbonam magnifico apparatu, præsentibus Electensi & Vabrensi episcopis, Moissiacensi & Anianensi abbatibus, Provinciæ præfecto, ac frequenti nobilium virorum corona stipatus ingreditur anno 1495. die 10. Januarii. Circa hunc annum supplices litteras ad regem Hispaniæ & Aragoniæ scripsit pro Crassensi cœnobio, quod summis extollit laudibus. Præfuit eodem anno mense Septembri Occitaniæ comitiis apud Montempessulanum habitis, quamobrem anno 1496. die 14. Maii libras 265. ac decem asses Turonenses accepit, ex charta authentica toties repetitæ collectionis. Anno 1497. die 6. Decembris ei comprobandum

1494. 1495. Ch. LIV. col. 459. 1497.

ANNI CHRISTI

comprobandum offertur decretum electionis Petri d'Auxilion episcopi Carcassonensis, a quo insequenti anno fidelitatis sacramentum excepit, uti etiam a Guillelmo Pellicerii episcopo Magalonensi 17. Junii ejusdem anni 1498. quo Crassensem abbatiam, quam aliquando dimiserat, per obitum Audoini d'Abzac recuperavit. Alexander papa VI. pontificatus anno septimo idibus Novembris statutum Reginaldi archiepiscopi & canonicorum de medietate redditus anni primi quo vacarent omnia diœcesis beneficia in construendam ecclesiam cathedralem insumenda, ejus rogatu extendit ad annos viginti, præter viginti alios a Sixto IV. prius concessos, idibus Aprilis anno pontificatus nono, hoc est 1480. Vivere desiit an. 1502. die 25. Maii, inquiunt Sammarthani, forte legendum die 23. seu X. cal. Junii, qua die sic habet necrologium ecclesiæ Lactoratensis : *Obitus bonæ recolendæque memoriæ reverendissimi in Christo patris & domini nostri Petri de Absaco diœcesis Petragoricensis, quondam abbatis gloriosi monasterii de la Grassa & episcopi* *...... *Lectoræque, & demum archiepiscopi Narbonensis, qui dedit nobis libros cantus novos quatuor, & missa est canonicalis.* Petro Raimundus de Rialat librum de viris illustribus ordinis S. Benedicti nuncupavit. *Journal des Sçavans de l'an 1703. pag. 546.*

(1498. — 1502. — * Rivensis.)

LVIII. FRANCISCUS GUILLELMI.

(DE CASTELNAU CLERMONT LODEVE.)

Franciscum Guillelmum vel Guillelmi celebravimus tomo primo col. 1001. qui nobilissimis natalibus ortus, Petro, Tristano dicto, barone de Castelnau & de Clermont Lodeve, atque Catharina de Ambasia Georgii cardinalis & archiepiscopi Rotomagensis sorore, parentibus gloriabatur. Hic jam ecclesiæ Narbonensis archidiaconus, ex veteri Gallia Christiana, & episcopus S. Pontii Tomeriarum renunciatus exeunte anno 1501. ex dispensatione apostolica, annos tantum 22. aut circiter natus, sed jam in theologia baccalaureus formatus, anno sequenti die 4. Junii, nondum presbyter, Narbonensis capituli votis expetitur in archiepiscopum, quibus annuens Alexander papa VI. die 22. Junii anni 1502. ex regesto ejusdem papæ, idibus vero Julii pontificatus anno decimo, ex archivis ecclesiæ Narbonensis, ætatis defectum supplevit, electionem confirmavit, & Francisco canonicatum & præbendam in ecclesia Albiensi, præposituram de Bello-monte & duos prioratus in commendam retinere permisit. Obtinuit quoque eodem anno indictione VI. die 6. Decembris, prioratum B. Mariæ de Parco juxta Rotomagum ordinis Grandimontensis, cessione Johannis Bourdet ex alumno ejusdem ordinis in priorem electi, cui ducentarum quinquaginta librarum pensionem annuam assignavit, & die penultima Decembris prioratus administratores instituit, unde appellatur archiepiscopus & prior B. Mariæ de Parco die 31. Maii an. 1503. in charta authentica collectionis sæpius memoratæ. Romæ Franciscus versabatur die 20. Nov. ejusdem anni, ubi honoris gratia duci de Ursinis Urbem ingredienti obviam processit. Adscitus est patres inter purpuratos titulo sancti Stephani in Cælio monte ornatus a Julio II. papa eodem anno die 29. Novembris, t. XXIV. hist. eccles. D. Fleury p. 506. non 22. ut habet Parisius de Grassis apud Rainaldum in annalibus ecclesiasticis, ac multo minus III. calend. Januarii ut diximus in ecclesia Ausciensi, ad quam e Narbonensi transiit Franciscus anno 1507. per obitum Johannis de la Tremoille, ubi cetera quæ ad illum spectant require. Quod autem an. 1507. factus cardinalis legatur in historia genealogica & chronologica magnatum Franciæ t. 1. p. 468. error forsan non auctori, sed typographo adscribendus. Ceterum fuit etiam legatus Avenionensis, episcopus Valentinensis & Agathensis, ut infra dicetur, ac etiam aliquando canonicam sacerdotalem obtinuit in ecclesia Cameracensi, ex Carpentario tom. I. hist. ecclesiæ Camerac. pag. 466.

(1502. — 1503. — 1507.)

LIX. GUILLELMUS II.

(BRIÇONNET.)

Parentibus Johanne ærarii Galliarum generali quæstore & Johanna Berthelot natus Guillelmus, paterni muneris heres, uxorem & liberos habuit, fratremque Robertum archiepiscopum & ducem Remensem Franciæ cancellarium. Regi Carolo VIII. fuit acceptissimus, utpote *cui soli* Paulus Jovius *ad interiorem ejusdem Caroli regis amicitiam aditum patuisse scribit :* Bembus *ejus consilio in omnibus regem nixum fuisse*, & Ferronus *oraculum principis, regnique columnam* alii appellavere ; de quo etiam plura Guicciardinus libro decimo. Inde non mirum, si opulenta nactus est sacerdotia, abbatias scilicet S. Germani Parisiensis, S. Nicolai Andegavensis, & Grandimontensem, necnon episcopatus Maclovienensem, & Nemausensem. Quinetiam ad cardinalatus evectus dignitatem sub titulo sanctæ Pudentianæ ab Alexandro papa VI. anno 1495. feria sexta mensis Januarii die decimasexta, dein post fratrem anno 1497. pontificatum Remensem adeptus est, tamdiuque gessit, donec Occitaniæ prorex & Narbonæ gubernator institutus, illum dimisit ut Narbonensem acciperet anno 1507. die 15. Julii cessione Francisci de Claromonte probata regi Ludovico XII. & papæ 17. Decembris ejusdem anni, ubi dicitur cardinalis Maclovienensis. An. 1508. ei Jacobus Faber Stapulensis quintam psalterii editionem nuncupavit. Non multo post incurrit in offensam Julii II. papæ, quia scilicet unus fuit e cardinalibus qui Pisanum conventum in gratiam Ludovici regis & Maximiliani Cæsaris adversus pontificem agitarunt ; quam ob causam citatus Romam cardinalitio privatur honore & Tusculano episcopatu, quem post Albanensem obtinuerat, an. 1511. die 24. Octobris. Nihilominus dicitur adhuc cardinalis Narbonensis in litteris ad Universitatem Parisiensem super libello F. Thomæ de Vio Cajetani, cui titulus *de auctoritate papæ & concilii, sive ecclesiæ comparata,* an. 1512. 10. Januarii; at vero Julii successor Leo X. papa ipsi purpuram cum episcopatu Prænestino restituit anno 1514. die 7. Aprilis,

(1507.)

ANNI CHRISTI

seu potius 1513. jam enim hoc anno vocatur episcopus cardinalis Prænestinus in tabulario fratrum Minorum Narbonensium, his verbis: *Guillelmus episcopus cardinalis Prænestinus, archiepiscopus Narbonensis, Maclovienfis, & Nemausensis antistes anno 1513. 10. Maii centum dies indulgentiæ quatenus cardinalis, & quadraginta in quantum archiepiscopus iis concedit, qui certis diebus visitarent novam ecclesiam fratrum Minorum infra civitatem & mœnia Narbonæ, ad laudem & honorem B. virginis Mariæ de Consolatione & beatissimi Francisci. Sodalitium insuper, seu confraternitatem instituit in honorem quinque plagarum pretiosarum, &c.* Maclovienfem episcopatum retinuit ad diem Augusti decimam octavam ejusdem anni, qua per illius cessionem Dionysius Briçonnet eum impetravit. Tandem Guillelmus qui Narbonæ suburbia qua gubernator an. 1514. jussu regis destrui, ipsamque urbem qualis est hodie, ait Catellus, munitionibus & vallis sepiri curaverat, ibidem cum septennium sedisset vita functus est anno 1514. die 13. seu idibus Decembris ex fragmento necrologii S. Justi, *al.* die 14. humatusque in primaria basilica in qua anniversarium ter mille librarum fundaverat. De eo sic habet necrologium Narbonense: *Anno 1514. die 14. mensis Decembris obiit reverendissimus in Christo pater & dominus dom. bonæ memoriæ Guilhermus Briçonnet cardinalis & archiepiscopus Narbonensis, qui fundavit in præsenti ecclesia unum anniversarium solemne quolibet anno, cum solemni campanarum pulsatione, cum vesperis & vigiliis mortuorum, & missa in altari majori celebranda, cum luminaribus & aliis solemnitatibus in talibus fieri consuetis, pro quibus capitulum tenetur dare & solvere inter præsentes quindecim libras Turonenses quolibet anno distribuendas, sed domini canonici habebunt duplum, & hebdomadarius qui missam celebrabit secundum illius qualitatem recipiet etiam duplum: cæteri vero intitulati & habituati simplum. Item prædictus dominus fundavit in dicta ecclesia perpetuo unam missam bassam quolibet die celebrandam in altari B. Catharinæ, nisi fuerit impedimentum, quo adveniente celebrabitur in altari S.S. Trinitatis, hora per dictum capitulum assignanda, pro anima ipsius domini cardinalis, parentumque suorum & aliorum, & communitas tenetur dictam missam solvere illam celebrantibus ad nutum & voluntatem dicti capituli.* Sic de eo necrologium capituli S. Justi Narbonensis: *Jacet sepultus in mausoleo marmoreo eleganter elaborato & decorato, corpore item marmoreo supereminente hinc & inde apertis & muro quod majus altare circumcingit insertis juxta cornu Evangelii.*

1513. 1514.

LX. JULIUS.

DE MEDICIS.

Julius cardinalis Medicæus, archiepiscopus Florentinus & Romanæ ecclesiæ vicecancellarius Narbonensem sedem non post Hippolytum obtinuit, ut volunt Sammarthani, qui utrumque Hippolytum patruum & nepotem confuderunt, sed post obitum cardinalis Maclovienfis, ex pontificiis, quæ præ manibus habemus regestis, & quidem 18. Febr. an. 1514. qui nunc 1515. Et certe apud Bembum cardinalem duæ lib. x. exstant epistolæ Leonis X. ad Franciscum I. Franciæ regem, ipsiusque parentem Aloysiam datæ III. nonas Februar. pontificatus anno 2. hoc est 1515. quibus gratias agit summus pontifex de concesso patrueli Julio cardinali episcopatu Narbonensi. Ex scriniis archiepiscopatus constat ipsius vicarium generalem a die 23. Maii 1515. ad 26. Novembris 1521. beneficia contulisse, ac reditus administrasse. Litteris Francisci I. Francorum regis ad eum scriptis, capituli domus eximuntur ab hospitio militum. Datæ sunt anno 1. regni ejus mense Decembri 1515. quarum ut invigilet exsecutioni, vicario cardinalis archiepiscopi mandatur a senescallo Carcasson. die 15. Febr. 1515. hoc est 1516. quo anno in partitione decimarum articulo *archiepiscopus* apponitur *nihil* ob dignitatem cardinalatus. Huic autem sedi Julius ex concessione & dispensatione apostolica præesse dicitur in bulla Leonis X. papæ data mense Januario 1517. archiepiscopo Narbonensi jurisdictionem in ecclesiam Helenensem restituentis. Idem pontifex Julio monasterium Clarevallense Cisterciensis ordinis in diœcesi Mediolanensi commendavit, ut constat ex ejusdem litteris ad Franciscum regem VIII. idus Martii 1517. anno quarto pontificatus. Insequenti Michael Nemausensis episcopus huic fidelitatis præstitit sacramentum die 13. Augusti 1518. Templum S. Justi ejus munificentia decoratum est eximia Lazari pictura, quæ olim asservabatur in capella S. Michaelis, nunc autem in ædibus palatii regii apud Parisios. Præsulis hujusce temporibus obiit Petrus Rainoardus Leonis X. papæ cubicularius, succentor & canonicus Narbonensis V. idus Septembris an. 1522. Denique Julius ad summum pontificatus apicem assumtus XIII. cal. Decembris 1523. Clementis VII. nomen accepit.

ANNI CHRISTI 1515. 1517. Ch. XXI. col. 492. 1518. 1523.

LXI. JOHANNES IV.

DE LORRAINE

Johannis jam pluries meminimus tomo scilicet primo col. 38. in Albiensibus archiepiscopis, tomo 2. col. 1412. in episcopis Lucionensibus, ac tomo 4. in archipræsulibus Lugdunensibus col. 182. Parentes habuit Renatum II. Lotharingiæ ducis filium & Philippam Gelrensem, *de Gueldres,* quam repudiata ob sterilitatem Johanna de Harcourt Renatus pater uxorem duxerat. A puero clericali militiæ adscriptus, & in cardinalium collegium allectus a Leone X. papa sub titulo S. Onuphrii die 28. Maii anni 1518. Romam profectus an. 1521. ibi nomine regis negotia regni tractavit. Multis præfuit ecclesiis, variorumque episcopatuum administrationem gessit, quos hic iterum nominare supersedemus, de singulis suo loco dicturi. Ad Narbonensem quod spectat ecclesiam, Julio in summum pontificem assumto successit Johannes die 11. Januarii an. 1524. ex regesto ejusdem pontificis, eodemque anno possessionem adeptus est, inquiunt Sammarthani, non autem 1520. uti legitur in historia genealogica & chronologica magnatum

1524.

ANNI CHRISTI

Franciæ tom. 2. pag. 70. Gratia plurimum valuit apud Franciscum I. Francorum regem, cujus favore abbatias Cluniacensem, Fiscannensem, Auriliacensem, Turonensem Majoris monasterii & S. Audoeni Rotomagensem consecutus est.

1530. Indultum obtinuit an. 1530. calendis Augusti a summo pontifice, quod ratum habuit Franciscus I. rex. De hoc archipræsule sic habet chartularium S. Maxentii in Pictonibus : *Anno Domini*

1531. *millesimo quingentesimo trigesimo primo die Martis ultima mensis Octobris reverendissimus Johannes de Lotharingia tit. S. Onuphrii S. R. E. diaconus cardinalis, archiepiscopus Narbonensis constituit & deputavit reverendos patres Johannem le Veneur episcopum Lexoviensem, Johannem d'Armagnac Ruthenorum, & Hieronymum de Arsago episcopum Niciensem suos vicarios ad consecrationem D. Johannis de S. Gelasio electi episcopi Uticensis, &c. Datum Compendii die & anno quibus supra.*

1535. Anno 1535. die 19. Junii ad ejus preces Franciscus I. Galliæ rex statuta pro reformatione B. Mariæ Deauratæ apud Tolosam a Cluniacensibus condita, rata & inconcussa esse voluit. Ipse

1543. vero Johannes precibus canonicorum an. 1543. die 28. Jan. capellam parœcialem Bethleemiticam sitam in ecclesia Narbonensi univit mensæ

1544. capitulari S. Justi. Insequenti anno 1544. die 25. Januarii statuta condidit pro collegio apud Parisios Narbonensi nuncupato. Anno 1547.

T. 5. novæ Paris. hist. pag. 775.

1547. die 17. Junii Narbonensi capitulo largitus est quemdam locum in extrema parte cathedralis ecclesiæ, ea lege ut ipsum muris canonici occluderent, ne sordibus civitatis pateret, ex tabulario capituli Narbonensis, ubi episcopus Albiensis, & abbas commendatarius Cluniaci, Fiscanni, Majoris monasterii, & sancti Audoeni dicitur.

1549. Denique litteris ad cardinalem Ferrariensem, & dominum d'Urfé 26. Octobris an. 1549. scriptis significat rex Henricus II. Johannem ad ipsius preces cessurum archiepiscopatu Narbonensi in gratiam cardinalis Farnesii, cujus cessionem ipsorum arbitrio committit. Verum id consilii irritum fuisse probat Hippolyti cardinalis Ferrariensis post obitum Johannis promotio.

Ribier t. 2. pag. 244.

1550. Johannes autem cum insequenti anno 1550. purpuratorum patrum comitiis, ubi Julius III. electus est papa, interfuisset, Gallias repetens, apud Novum vicum *Neuvy** in Pusæensi tractu ad Ligerim *le Puysaye*, prope Nivernensem provinciam, apoplexia inter cœnandum correptus interiit die 10.* Maii, ex regestis Vaticani apud continuatorem Ciaconii, non mense Julio apud Nogentum-regium, uti nos fefellit bibliotheca Cluniacensis in catalogo Cluniacensium abbatum, tom. 4. nostræ Gall. Christ. Corpus ejus apud Joanvillam aliquandiu depositum, indeque Nanceium delatum quiescit apud Franciscanos.

*al. *Niverni.*

**al.* 6. & 18.

LXII. HIPPOLYTUS.

D'ESTE FERRARE.

Parentibus Alfonso I. Ferrariæ duce & Lucretia Borgia in lucem editus Hippolytus, Romana purpura insignitus a Paulo III. in ordine diaconorum sub titulo S. Mariæ novæ, seu de Aquiro, plures tum episcopatus, tum abbatias in Gallia nactus est in commendam ; fuit enim Arelatensis, Ausciensis & Lugdunensis archiepiscopus, Eduensis & Trecorensis antistes, Athanacensis, Flaviniacensis, Pontiniacensis & Bolbonæ abbas ; archiepiscopus etiam Mediolanensis in Italia, necnon Ferrariensis præsul, patrimonii legatus & Galliæ protector, de quo plura jam diximus tom. 1. & 4. Ab Henrico II. rege, quem affinitate attingebat, nominatus archiepiscopus Narbonensis per obitum Johannis cardinalis, ex regestis pontificiis, & a Julio III. pontifice confirmatus 27. Junii an. 1550. hujus ecclesiæ possessionem accepit eodem anno 28. Julii per procuratorem Alexandrum Zerbinatem *al.* Gerbinatum, sedis apost. protonotarium, sed paulo post abdicavit in gratiam Francisci cardinalis de Turnone, qui & ipse ante initam possessionem de consensu papæ Francisco sequenti sub certis conditionibus cessit.

LXIII. FRANCISCUS IV.

PISANI.

Aloisio Pisani divi Marci apud Venetos procuratore genitus Franciscus, adhuc adolescens purpuræ honore a Leone X. papa ornatus anno 1517. per annos 53. præfulsit. Clementi VII. pontifici in mole Hadriani *(le Château S.t Ange)* obsesso fidus comes fuit ; pro quo deinde obses in arce Neapolitana per annum & dimidium detinetur : Romanæ ecclesiæ cardo fortissimus, & religionis christianæ clarum sidus ab Antonio Porcellino in ejus laudatione appellatus, ut scribit Victorellus in additionibus ad Ciaconium. Patavinæ civitatis antistes electus, ea caritate cives amplexus est, ut civitatis parens, ornamentum & decus unicum meruerit appellari. Tarvisinæ quoque præfuit ecclesiæ & Narbonensi, cui a Julio III. pontifice præfectus est, non die 1. ut habent Sammarthani, sed v. idus Maii an. 1551. sub reservatione tertiæ partis fructuum liberæ ab omni decima, & omnimodæ beneficiorum collationis in gratiam Francisci cardinalis de Tournon, ut acta secretariatus Narbonensis num. 8. docent. Statim Franciscus Pisani, die scilicet 19. ejusdem mensis & anni procuratores nominavit Hippolytum cardinalem Atestinum & Alexandrum Gerbinatum, qui promulgarent litteras sibi a pontifice concessas, eodemque die vicarium generalem instituit hunc Alexandrum juris professorem & sanctæ sedis apost. protonotarium, qui nomine Francisci tituli sancti Marci diaconi cardinalis a Pisanis nuncupati, Narbonensis archiepiscopi provinciale apud Narbonam concilium celebravit a die 10. usque ad 20. Decembris an. 1551. eidemque præfuit, adstantibus episcopis Biterrensi, Carcassonensi, Montispessulani, Leutevensi, Uceticensi, Agathensi, Nemausensi, Electensi, & S. Pontii Tomeriarum Narbonensis provinciæ suffraganeis, & abbate Caunensi, necnon procuratoribus earumdem ecclesiarum cathedralium, Helenensi episcopo aliisque vocatis absentibus. Conditi sunt in hoc concilio sexaginta sex canones, quos anno 1711. publici juris fecit Carolus le Goux de la Berchere archiepiscopus Narbonensis, sub hoc titulo : *Canones, seu regulæ*

1551.

Tom. 15. conc. col. 3. &c.

ANNI CHRISTI

ecclesiasticæ concilii Narbonensis celebrati anno Domini 1551. Necdum die 23. Julii ejusdem anni apostolicæ pro Francisco Pisani litteræ datæ, ut diximus, v. idus Maii 1551. ad notitiam pervenerant Amalrici de Caslonieres vicarii generalis cardinalis de Ferraria, archiepiscopi, ut dicitur, Narbonensis, quippe qui requisitus a procuratore Francisci cardinalis de Tournon, ut illas admitteret, respondit nullas se apostolicas aut alias pro alio quam pro Ferrariensi archiepiscopo litteras vidisse. Nihilominus die 7. Augusti ejusdem anni 1551. Franciscus cardinalis de Pisanis archiepiscopatus Narbonensis perpetuus administrator dedit Petro de Ghiniciis episcopo Cavallicensi auctoritatem regendi archiepiscopatus, & omnia jura fructusque in usus & utilitatem cardinalis de Ferraria convertendos servandi ac retinendi. *Datum Romæ.* Die vero 15. Augusti 1551. Alexander Gerbinatus potestatem quam acceperat a cardinali de Turnone archiepiscopo Lugdunensi conferendi beneficia Narbonensis archiepiscopatus transmittit Amalrico de Caslonieres. Die tamen 18. Decembris ejusdem anni idem Alexander ut vicarius generalis tum cardinalis de Pisanis archiepiscopi Narbonensis, tum cardinalis de Turnone Lugdunensis archiepisc. ad quem beneficiorum Narbonensis archiepiscopatus collatio pertinebat, eo conferendi jure usus est, & adhuc die 16. Januarii 1552. idem Alexander vicarius generalis cardinalis de Pisanis archiepiscopi Narbon. bajulatum contulit. Interim an. 1551. die 23. Sept. Franciscus cardinalis de Pisanis Johanni Besseico dedit potestatem promulgandi bullas apostolicas pro Narbonensis ecclesiæ commenda, ubi nihil de fructibus cardinali de Ferraria reservandis. Et certe Johannes Besseicus vicarius generalis cardinalis de Pisanis 17. Martii 1551. hoc est 1552. dedit administrationem episcopatus Carcassonensis Amanevo de Fuxo a rege nominato 31. Januarii ejusdem anni, qui cesserat abbatia B. Mariæ de Bolbona in gratiam Hippolyti cardinalis Atestini, seu de Ferraria, a quo Alexander Gerbinatus accepit potestatem ejusdem abbatiæ sumendi possessionem, eamque regendi, die 14. Maii 1551. *lege* 1552. Die 20. Julii hujusce anni Franciscus cardinalis de Pisanis administrator perpetuus ecclesiæ Narbonensis vicarios generales in spiritualibus & temporalibus nominavit Petrum de Ghiniciis episcopum Cavallicensem & Johannem Besseicum, adjecta iisdem potestate quæcumque beneficia ad suam collationem in archiepiscopatu Narbonensi tum ratione ordinariæ facultatis, tum jure ad se devoluto, & ex indulto apostolico propter cardinalatum quomodolibet concesso spectantia conferendi. Eodem anno, die 20. Martii, seu potius 1553. Petrus de Ghiniciis episcopus Cavallicensis & vicarius generalis cardinalis de Pisanis archiepiscopi Narbonensis consulatum Narbonensem contulit. Litteras accepit Franciscus archiepiscopus ab Henrico II. rege an. 1552. & 1554. die 26. Junii, & a regina Catharina de Medicis 26. Aug. ejusdem anni. Anno 1562. die 22. Maii Johannes Besseicus vicarius generalis tum cardinalis de Pisanis archiepiscopi Narbon. tum cardinalis de Turnone archiepiscopi Lugdunensis quoddam beneficium contulit; ac iterum biduo post, ubi nulla fit mentio cardinalis de Turnone. Denique Franciscus noster Romanæ ecclesiæ archidiaconus Marcellum II. & Paulum IV. Romanos pontifices coronavit. Hic & Albanensem, Tusculanum, Portuensem, ac demum an. 1564. Ostiensem episcopatum cum sacri collegii decanatu assecutus est. Quiescit Romæ in ecclesia S. Marci sub hac inscriptione:

[Margin: 1552.]

[Margin: Baluz. catal. Diplom. mss. p. 61. n. 33. & 36.]

[Margin: 1554.]

DEO OPT. MAX.

Francisco Pisano cardinali episcopo Ostiensi, viro antiquæ probitatis ac innocentiæ, heredes ex testamento posuere. Vixit annos XCVI. Obiit tertio calendas Julii MDLXX.

Tres per id tempus præter Pisanum cardinales archiepiscopi Narbonenses appellantur in litteris regiis, apud Baluzium in catalogo Diplomatum mss. nempe cardinalis Farnezius 6. Febr. 1552. cardinalis Turnonius 17. Novemb. 1552. & 1553. & cardinalis Cornarus 26. & 29. Nov. 1557. 17. Martii 1558. & 26. Apr. 1559. De cardinali Turnonio supra diximus; alii duo fortassis a rege nominati, a summo pontifice non sunt confirmati, neutrius enim tunc temporis in regestis pontificiis fit mentio, neque in scriniis archiepiscopatus, quæ diligentius revolvimus.

[Margin: Pag. 61. num. 29. 30. 32. & pag. 62. & 63. num. 44. 45. 46. & 47. Dipl. Baluz.]

LXIV. HIPPOLYTUS *secundùm.*

[Margin: D'ESTE FERRARE.]

Narbonensi ecclesiæ iterum præfectus est Hippolytus cardinalis Atestinus per cessionem cardinalis Francisci Pisani 8. Octobr. 1563. ex regestis Vaticani, a quo die usque ad 1. Januarii 1573. legimus in scriniis Narbon. Hieronymum Tudeschi ipsius vicarium generalem beneficia contulisse, haud dubie ante hunc diem Hippolyti nescium mortis. Regiis litteris donatus est die 23. Aprilis 1564. Reperitur in documentis hujus ecclesiæ 1565. & 1566. necnon in variis actis annorum 1569. & 1571. quo anno Narbonense capitulum solita dona pro felici præsulum ingressu ter debita ab illo repetiit. Romæ spiritum exhalavit an. 1572. IV. nonas Decembris, cujus corpus in S. Catharinæ templo depositum, & postea Tiburim delatum, in Franciscanorum ecclesia sepultum est. Vide in Auscienfibus archiepiscopis t. 1. col. 1004.

[Margin: 1563. 1566. 1571. 1572.]

LXV. SIMON.

[Margin: VIGOR.]

Gente Ebroicus in Normannia Simon nepotem habuit ex fratre, ac simul filium spiritualem Simonem Vigor consiliarium in suprema magni consilii curia, qui pro Richario & pro suo patruo scripsit. Ipse vero Ebroicensis ecclesiæ cathedralis pœnitentiarius & canonicus, rector Universitatis Parisiensis an. 1540. creatus, Sorbonicus doctor insignis, canonicus theologus Parisiensis ecclesiæ, sancti Pauli pastor in eadem civitate, ac regius concionator anno 1563. missus a Carolo rege Tridentino adfuit concilio. Anno 1568. die 25. Octobris Parisiis in ecclesia cathedrali orationem

habuit in funere Elisabethæ Hispaniarum reginæ. Die 18. Febr. an. 1572. cum in comitiis generalibus Universitatis Parisiensis actum esset de reformanda academia, & de legatis ad regem mittendis pro impetranda novorum acquisitorum immunitate, Simon inter alios selectus est; qui demum ad Narbonensem cathedram solo virtutis ac doctrinæ patrocinio, renitentibus aulicis, evectus a Carolo rege, promotus fuit a Gregorio XIII. idibus Decembris 1572. anno pontificatus primo ex scriniis eleemosynariæ capituli, ac proinde, post obitum Hippolyti, non Francisci, ut ex dictis superius liquet. Nondum vero inierat possessionem 21. Martii 1573. quo die Johannes de Manso episcopus Cardensis & abbas commendatarius Fontis calidi generales ordines de licentia capituli Narbonensis sede vacante contulisse legitur. Conciones in vulgus emisit pro diebus Quadragesimalibus & Paschalibus feriis; alias quoque scripsit in Dominicas per annum & festa sanctorum, de quibus Nicolaus le Forestier Ebroicensis hæc cecinit.

Si quem lepra tenet, si quem tenet anxia febris,
Si bilis atra rapit, si paralysis agit,
Mens si cæca nocet, si parco limina cultu
Visit sanctorum, sacraque templa petit,
Hæresis aut fallax si quem peregrina fefellit,
Quæ Vigor expressit sumito, sanus eris.

Carcassonæ in episcopali palatio Simon incidit in morbum, ubi condito testamento die 23. Oct. an. 1575. cessit ab hac vita 1. Novembris subsequentis, postridie sepultus in ecclesia cathedrali ejusdem diœcesis ante aram principem, statimque altera die 3. Novembris Narbonense capitulum vacante sede per obitum Simonis Vigor vicarios generales nominavit. Diu autem vacavit sedes annis scilicet 1576. 77. 78. 79. 80. & 1581. quo tempore Hieronymus Tudeschi vicarius generalis beneficia contulit.

LXVI. Franciscus V.

Nobilissima stirpe apud Carcassonam prodiit Franciscus anno 1562. die 14. Junii Guillelmo Joyosæ vicecomite Franciæ marescallo & Maria de Batarnay parentibus procreatus. In collegio Navarræ educatus, an. 1578. nomen academiæ dedit. Tum ab Henrico rege hujus nominis tertio Narbonensis archiepiscopus designatus, a Gregorio papa XIII. bullas accepit an. 1582. possessionem vero die 14. Martii ejusdem anni. Sane an. 1580. die 6. Maii Raimundus Cavalesius, seu de Cavaleriis episcopus Nemausensis, sede Narbonensi vacante, ejusdem ecclesiæ capitulo fidelitatis sacramentum juravit, quod etiam præstitit eodem anno die 10. Octobris Bartholomæus Fabri abbas S. Pauli Narbonensis. Cardinalis creatur Franciscus anno 1583. die 12. Decembris sub titulo primum sancti Silvestri in montibus, deinde SS. Trinitatis in monte Pincio. Metropolitanam ecclesiam ritu solemni consecravit an. 1587. die 14. Junii. Regiorum ordinum præceptor seu commendator renunciatus est an. 1589. Factus per id tempus archiepiscopus Tolosanus, scriptis anno 1590. die 24. Febr. ad Narbonense capitulum litteris, regimen ecclesiæ Narbon. abdicasse legitur in gratiam Raimundi de Cavaleriis Nemausensis præsulis, qui hanc postulatam dignitatem obtinuisse a summo pontifice non videtur, diu enim postea sedit Franciscus archiepiscopus, qui Minimis S. Francisci de Paula cœnobium construxit an. 1593. & Capucinos admisit 1597. adhuc memoratus 1598. Rotomagensi quoque præfuit ecclesiæ ab anno 1604. uti suo loco dicemus.

LXVII. Ludovicus II.

Balmis in diœcesi Carpentoratensi nobili prosapia ortus Ludovicus, patre gubernatore pro rege christianissimo castri turris de Bucco in Provincia, & triremis regiæ præfecto natus est anno 1547. die festo S. Dominici, cujus postmodum institutum in conventu fratrum Prædicatorum Carpentoratensi solemniter est professus, in eoque tantam doctrinæ & concionandi præstantiam est assecutus, ut doctorali laurea donatus, & in gremium Universitatis Aquensis cooptatus, inter clarissimos ætatis suæ concionatores ubique sit habitus. Primum ecclesiastes, seu theologus ecclesiæ Tolonensis anno 1577. tum ad munus vicarii generalis & officialis ecclesiæ Castrensis assumtus, post vero in civilibus turbis Ibericæ factioni favens, ad Hispaniæ regem Philippum II. orator est delegatus, pluribusque præfecturis in ordine Dominicano dignissime perfunctus, postremo a pontifice maximo Sixto V. inquisitor generalis fidei in civitate & tota legatione Avenionensi creatur an. 1589. Sed ad majora destinatus, agente potissimum cardinali de Joyosa, & promovente christianissimo rege Henrico magno, ad archiepiscopatum Narbonensem a Clemente papa VIII. evectus est anno 1600. die sacro conceptæ Deiparæ virginis, quem idem Franciscus cardin. de Joyosa Lugduni in solemni omnium fere ordinum totius Galliæ pro nuptiis Henrici IV. & Mariæ Mediceæ concursu inauguravit. An. 1602. die 28. Martii facto cœtu episcoporum provinciæ Narbonensis, Ludovicus de Vervins archiepiscopus & Petrus de Fleires S. Pontii Tomeriarum antistes, necnon legati ceterorum præsulum absentium, specialem ac generalem procuratorem constituunt Petrum de Reveilles Auriliacensem abbatem vicarium generalem Narbonensis archiepiscopi in collegio Narbonensi apud Parisios, ut transigat cum collectoribus de reliquiis nummorum seu redituum non solutorum pro an. 1576. ex schedis D. de Gagneres. Reperitur an. 1606. in commentariis cleri Gallicani. Porro in archiepiscopatu vigilantissimum agens pastorem Ludovicus, & ubique bonum opus desiderans, synodum provincialem Narbonæ coegit an. 1609. in qua saluberrimas evulgavit constitutiones, editas ad calcem t. 15. concil. Labb. col. 1574. & seqq. Ecclesias & omnia loca diœcesis sibi commissæ accuratissima visitatione lustravit, collapsam ecclesiasticam disciplinam ubique restituit, ac denique frequentissimis concionibus populum in fidei catholicæ

ANNI CHRISTI

zelo confirmavit. Præses natus trium ordinum Occitaniæ provinciæ, in generalibus comitiis nunquam non incorruptè regis jura & plebis levamen infracto animo tutatus est, ita ut communis parentis nomen ac defensoris populi totius provinciæ merito sit adeptus. Hanc autem generosi animi constantiam & inconcussam erga reges fidelitatem, in agendis prudentiam, in dicendis sapientiam non minus in cœtu cleri Gallicani an. 1610. quam in totius regni conventibus Rotomagi & Parisiis apud omnes demonstravit. Ad suam reversus diœcesim, illam undequaque munificentiæ suæ largitionibus amplissimis nobilitavit; nam præter domos & castra ad ditionem archiepiscopalem spectantia vel omnia refecta, vel restaurata, metropolitanam ecclesiam tribus ordinibus ditissimorum aulæorum seu peristromatum totam intus circumvestivit, & sumtuoso sacrarum vestium ornavit apparatu. Singulis pene omnium diœcesis suæ oppidorum parœcialibus ecclesiis calices & urceolos argenteos pro digniori sacrificii Eucharistici celebratione, rara liberalitate distribuit. Patres Doctrinæ Christianæ admisit in urbem die 16. Julii 1619. & in eorum collegio Philosophiæ cursum publice prælegendum annis singulis fundavit. Moniales de Monte carmelo excepit an. 1620. die 27. Maii. Patribus ordinis Prædicatorum in civitate Narbonensi dormitorium & domum vicarialem juxta sacellum beatissimæ virginis de Lætitia nuncupatæ a fundamentis erexit; conventum vero Carpentoratensem, in quo professionem emiserat, templo omni ex parte illustrato, dormitorio, bibliotheca, & annuorum redituum incremento ditavit. Puellis pauperibus civitatis & diœcesis Narbonensis honesto locandis matrimonio fructus annuos duodecim millium librarum Turonensium in perpetuum constituit. Ingravescente ætate (erat enim ferme octogenarius) cum per se ipsum ecclesiæ regimini vacare commode non valeret, coadjutorem sibi adscivit an. 1622. Claudium de Rebé, qui ei postea successit. Adhuc tamen gregis sollicitus Ludovicus residentiam præcepit omnibus diœcesis suæ beneficiatis an. 1626. Denique virtutum omnium meritis clarus, solius senectutis pressus ægritudine, semper tamen integer mente, sacramentis omnibus ecclesiasticis præmunitus, animam cœlo dignam exhalavit anno salutis 1628. *VI. idus Febr. hora post meridiem prima, ex Sammarthanis, regiminis anno 28. Sepulturæ traditur in ecclesia metropolitana, cum paulo ante quingentas libras contulisset ad fabricam thecæ argenteæ pro recondendo sancti Thomæ Aquinatis corpore.

1610. 1619. 1620. 1622. 1626. 1628.

* al. VII.

LXVIII. Claudius.

DE REBÉ.

Claudii domini de Rebé equitis, baronis d'Amplepuis, de Chavaigny le Lombard & de Thisy, ac Johannæ de Meysé filius Claudius, ex cantore canonico & comite Lugdunensi, necnon & sancti Petri Matisconensis præposito in coadjutorem assumtus a Ludovico archiepiscopo fere octogenario, confirmatur a Gregorio papa XV. bulla data an. 1622. VI. idus Aug. pontificatus anno secundo, ac 29. Septembris insequentis Romæ sacram percepit unctionem sub titulo Heracliensis in partibus infidelium archiepiscopi, in ecclesia S. Ludovici Gallicæ nationis, Guidone cardinali Bentivolio sacris operante, cui assistebant Adurensis & Cabellicensis præsules. Interfuit generali cœtui cleri Gallicani an. 1626. elapsoque biennio per obitum Ludovici Narbonensis præsul evasit 1628. pallio donatus ab Urbano papa VIII. per manus Jacobi de Nucheze episcopi & comitis Cabilonensis in ecclesia cathedrali S. Vincentii die 28. Septembris subsequentis. Tum vero se totum dedit officio pastorali, diœcesim lustrando, ac omnibus providendo, quæ tum ad pietatem, tum ad doctrinam promovendam conferebant: nam congregationem, quæ examini & institutioni clericorum ordinandorum incumberet, erexit, Narbonæ schola theologica sub cura patrum Doctrinæ Christianæ annuis stipendiis dotata. Hujus etiam præsulis favore ac munificentia, necnon Raulini de Reberul domini de Marmorieres, atque etiam Guillelmi de Lort domini de Serignan, agente Juditha de Cristol filiarum a S. Maria nuncupatarum domus Biterrensis præfecta, ejusdem instituti sanctimoniales Narbonæ sedem fixerunt an. 1641. die sacro visitationis B. Mariæ, Gabriele de Serignan domus Biterrensis alumna professa, cum Eleonora de Serignan sorore germana, aliisve monialibus, selecta ad Narbonensem domum instituendam, in qua, die & anno prædictis R. P. Jacobus du Chesne Oratorii presbyter & vicarius generalis archiepiscopi, qui Juditham de Cristol ex urbe Biterrensi ad Narbonensem deduxerat die 4. Maii ejusdem anni cum aliis septem monialibus, dedit habitum religionis nobili puellæ Isabellæ de Brettes d'Assignan. Has sanctimoniales Claudius archiepiscopus puellarum educationi præfecit; necnon pia liberalitate & cura vigili effecit, ut pauperes in hospitali domo caritatis colligerentur. In urbem quoque Limosium Narbonensis diœceseos Doctrinæ Christianæ Patres advocavit, quibus locum amplissimum, & pecuniæ vim non modicam collegio ædificando subministravit. Basilicæ metropolitanæ vasa exquisitæ artis & pretii quæcumque ad sacra peragenda necessaria erant, abunde suppeditavit, variisque itidem S. Sebastiani ecclesiam decoravit ornamentis. Et ne quid deesset ipsius vigilantiæ, chartas & instrumenta perantiqua dominii archiepiscopalis, quæ multis retro annis incondita jacuerant, colligi & in ordinem redigi curavit. Ædes etiam archiepiscopales restauravit, in quibus cum rex Ludovicus XIII. ob Perpinianum oppugnatum demoraretur, quo gratior earum esset prospectus, jussit rex, ut domus regiæ præcipua turris nomine *Mouresque* pluresque contiguæ domus funditus everterentur. Cum itaque diligentia non defuerit in domesticis rebus, longe amplior enituit in publicis prudentia; nam provinciale concilium indixit an. 1635. quater cleri Gallicani comitiis generalibus adfuit, inter præsides nominatus an. 1645. in quibus a clero deputatus,

ANNI CHRISTI

1628. 1635. 1645.

ANNI CHRISTI 1656.

die 27. Julii coram rege Ludovico XIV. contra novatores egregie peroravit. Iisdem præfuit anno 1656. quo nomine die 5. Martii anni seq. epistolam encyclicam ad omnes episcopos scripsit de pecuniæ summa in unaquaque diœcesi ad lites ecclesiasticorum prosequendas assignanda.

Nec silendum illud probatæ fidei exemplum, quod cum anno 1632. mense Julio Henricus Monmorenciaci dux conventum publicum apud Pezennates Septimaniæ haberet, omnesque sollicitaret, ut hostiles Hispanorum turmas contra regis obsequium admitterent, obstitit generosissimus præsul, inclinantibus jam omnium fere animis, gravi tum oratione, tum exemplo ad fidem regi debitam revocatis; quamobrem jubente Monmorenciaco custodiæ traditus est usque ad 15. Augusti, qua die liber exiit, ea tamen conditione ut regem conveniret, & pacis ineundæ propositiones exhiberet. Verum interim commisso ad castellum Arrianorum prælio, rerum mutatis vicibus, Monmorenciacus vulneratus, captusque est. Cum autem Biterris comitia generalia rex indixisset, hunc archiepiscopus Narbonensis facunda excepit oratione totius provinciæ nomine, & in fine publici conventus, etiam oblatis eidem principi solitis muneribus salutavit, qui vicissim tot ac tantis meritis gratiam retulit, eumque an. 1633. apud Fontem Bellaqueum inter S. Spiritus præceptores cooptavit. Simili quoque erga regem fidelitate claruit & viguit, dum Gallia ubique fere intestinis motibus quassaretur: nam ipso præside in Occitaniæ comitiis, provincia pacata tranquillaque permansit; quo factum, ut cum a rege diversis in legationibus multa beneficia in provinciæ utilitatem meruisset, novissime tandem obtinuerit, ut antiquis privilegiis gauderet. Ei librum Gallicum, cui titulus, *le Parfait Orateur*, dicavit auctor Guillelmus d'Abbes in Sorbona baccalaureus, & S. Sebastiani Narbonensis canonicus an. 1648. eidemque mortuo jam tum S. Pauli Narbon. canonicus & officialis metropolitanus funebri oratione parentavit, quæ typis Narbonensibus impressa est an. 1659. In supremo senatu Tolosano consiliarius ad honores admissus Claudius an. 1654. die 23. Julii, fuit etiam sacri regis consistorii assessor, publicæ rei administrator & abbas B. Mariæ de Fonte frigido. Testamentum condidit anno 1658. 21. Maii, cui codicillum adjecit anno 1659. 15. Martii. Denique in archiepiscopali palatio fatis concessit, magno sui relicto desiderio, 17. Martii an. 1659. ætatis circiter 75. regiminis 30. Sepulcro illatus est in sacello B. Mariæ de Bethleem nuncupato, in basilica metropolitana, sub hac inscriptione:

1659.

Illustrissimi viri Claudii de Rebé
Archiepiscopi & primatis Narbonensis,
Ordinis S. Spiritus commendatarii
Torquati, & status ministri
Fama posthuma.

Hic jacet quod de Claudio claudi potuit.
Tanti viri fama nullo claudetur termino,
Cujus gesta nulli non novere.
Famam quoque hoc tumulo claudi voluit Claudius,
Sed obstitit posteritas memor.
Pietatem alius, regendi peritiam laudat alter,
Et totum Claudium laudabit nemo.
Quilibet plangit, quia ejus funus commune damnum.
Dignissimus præsul obiit, luget Narbo.
Æquissimus præses interiit, luget Occitania.
Piissimus minister occidit, luget tota Gallia.
Cunctis ille bonis flebilis occidit.
Æternum vivere debuisset, qui æternitati semper litaverat;
Sed cælum invidia sustulit anno MDCLIX. XVI. *cal. Aprilis.*

LXIX. FRANCISCUS VI.

FOUQUET.

Patrem habuit Franciscus Franciscum Fouquet libellorum supplicum in regia magistrum, postea comitem consistorianum, & matrem Mariam de Maupeou. Frater Ludovici Agathensis episcopi, & Nicolai generalis in senatu Parisiensi cognitoris regii, ac supremi ærarii Galliarum præfecti. Abbas & baro S. Severi diœcesis Constantiensis in Neustria, necnon prior & dominus B. Mariæ de Cassiano in diœcesi Biterrensi, ex episcopo primum Baionensi designato 1637. & inaugurato 15. Martii 1639. atque Agathensi 1643. mense Julio, in coadjutorem Claudii de Rebé adscitus an. 1656. die 18. Decembris, ipso exstincto, archiepiscopatus possessionem adipiscitur an. 1659. regi fidem obligavit die 26. Martii ejusdem anni, Narbonamque solemniter ingressus est 2. Maii subsequentis. Diœcesanam synodum habuit an. 1660. quo Beslius ipsi Narbonensium ducum historiam typis Parisiensibus mandatam nuncupavit, in qua contendit ducum Narbonensium dignitatem ad archiepiscopos jure ac merito spectare; quapropter Franciscum in epistola dedicatoria ducis Narbonensis titulo exornat. Fratre Nicolao ærarii præfecto in regis offensam lapso, fraterni infortunii particeps factus, Alençonium relegatur; nec sic tamen pastor pius ovilis sibi commissi curam deseruit. Nam primo statuta condidit plurimum necessaria, quæ Johannes Dagen canonicus thesaurarius & antiquus theologus Electensis ecclesiæ, officialis Limosii & pagi Redensis, necnon ejusdem archiepiscopi vicarius generalis in diœcesana synodo promulgavit die 24. Novembris an. 1671. Hospitalem domum insanabilium fundavit anno seq. & ad puellarum institutionem sorores a Cruce dictas in urbem admisit. In exsilio tandem mortuus an. 1673. jacet apud Franciscanos Alençonii, sepultus ad latus principis aræ, cum hoc epitaphio:

1659. 1660. 1671. 1672. 1673.

Franciscus Fouquet archiepiscopus & primas Narbonensis, fratris casu ab ecclesia sua relegatus, apostolo propior quam exsuli, absens suis, seminarium cleri, nosocomium, missionesque fundavit liberaliter de suo. Exteris præsens virtutum omnium exemplum de se præbuit; tandem longo gregis sui desiderio confectus pastor optimus XIV. *cal. Novembris anno salutis* MDCLXXIII. *exsilii* XII. *vixit annos* LIII.

ANNI CHRISTI

DE BONZI.

LXX. Petrus VII.

Natus *eſt Petrus* Florentiæ an. 1631. patre Franciſco comite de Bonzi, Mantuæ nomine *Chriſtianiſſimi* regis reſidente, ex matre Chriſtina *comitiſſa* Riaria. Patruum habuit Dominicum de *Bonzi* cardinalem tituli S. Johannis, & coadjutorem Biterrenſem, defunctum die 30. Aprilis an. 1621. ac propatruum Johannem de Bonzi cardinalem tituli S. Clementis, epiſcopum Biterrenſem, majoremque reginæ Mariæ Mediceæ eleemoſynarium, qui Romæ deceſſit die 4. Julii 1621. Petrus autem Biterrenſem epiſcopatum adeptus an. 1659. inauguratus eſt 1660. quam dum regit eccleſiam, legatus ad Venetos mittitur a rege an. 1662. ad Polonos 1664. & 1668. & ad Hiſpanos 1669. quo anno die 8. Decemb. deſignatus fuit archiepiſcopus Toloſanus, ac poſtremo Narbonenſis an. 1673. paulo ante diem 28. Octobris, quo Verſalliis profectus eſt, ut Occitaniæ comitiis præeſſet. Iis abſolutis regi fidei ſacramento ſe obſtrinxit die 16. Aprilis anni ſequentis. Jam tum cardinalitia purpura præfulgebat, qua illum ornaverat Clemens X. papa die 22. Febr. an. 1672. ſub titulo S. Onuphrii a Polono rege nominatum; erat quoque reginæ Mariæ Thereſiæ Auſtriacæ major eleemoſynarius, promotus ad hanc dignitatem die 1. Aug. an. 1670. Inſcriptionem, de qua ſuperius in Ruſtico Narbonenſi IV. præſule, quæ diu neglecta jacuerat ante fores ædium archiepiſcopalium, an. 1681. in ipſis ædibus ſublimem in locum reponi juſſit. Hunc rex inter ordinum ſuorum præceptores allegit die 30. Decemb. an. 1688. Cathedralis eccleſiæ principem aram conſecravit Petrus die 21. Martii an. 1695. Frequens nominatur in charta erectionis epiſcopatus Aleſienſis. Narbonæ habuit comitia generalia a die 20. Novembris 1698. ad 10. Jan. 1699. quo anno menſe Maio concilium totius provinciæ Narbonenſis epiſcoporum coegit. Abbatias plurimas poſſedit, nempe S. Salvatoris Leutevenſis, S. Theofredi, Vallis magnæ, cujus ædes abbatiales adauxiſſe dicitur, Anianæ & Mortui maris. Vivere tandem deſiit apud Montempeſſulanum die 11. Julii anni 1703. ætatis ſuæ 73. ſepultus Narbonæ in ſacello B. M. de Bethleem eccleſiæ metropolitanæ.

[Margin: 1673. — 1674. — 1681. — 1688. — 1695. — Ch. II. col. 241. — 1698. — 1699. — 1703.]

LE GOUX DE LA BERCHERE.

LXXI. Carolus.

De hoc illuſtriſſimo archipræſule, cui plurimum debet noſtra *Gallia Chriſtiana*, non ſemel diximus tomo primo, tum in Albienſibus, tum in Aquenſibus archiepiſcopis, ejuſque gentem apud Burgundiones antiquiſſimam, quam & equeſtris & togata nobilitas commendat, inclytoſque ipſius parentes celebravimus. Is ergo jam an. 1674. doctorali laurea in Pariſienſi facultate inſignitus, regi Ludovico XIV. fuit ab eleemoſynis, cujus deinde oculatiſſimi principis gratia Vaurenſem primum obtinuit epiſcopatum 18. Junii 1677. inauguratus 12. Aprilis 1678. Dein Aquiſextienſis archiepiſcopus deſignatur 12. Nov. 1685. & Albienſis menſe Jan. 1687. Sed ob diſcordias Romanam inter & Gallicam curias tunc temporis motas, hujus eccleſiæ poſſeſſionem non adiit ante annum 1693. quo papa Innocentius XII. eum diplomate pontificio die 12. Octob. dignatus eſt, pallioque 9. inſequentis Novembris in conſiſtorio Romæ habito. Cum autem iiſdem in conſiſtoriis Toloſanus archiepiſcopus bullas & pallium accepiſſet, orta quæſtio eſt uter utrum in cœtibus præcedere deberet; quæ menſe Septembri an. 1695. definita eſt a Remenſi archiepiſcopo, qui Toloſano antiſtiti, quod ordinatione antiquior eſſet, jus Albienſem præcedendi attribuit. Hanc eccleſiam poſtea Carolus pro Narbonenſi commutavit, exſtincto cardinali Bonzio, deſignatus a rege 15. Auguſti an. 1703. Propoſitus eſt in conſiſtorio pontificio 12. Novembris ejuſdem anni, palliumque in altero die 24. Decembris inſequentis conſecutus, regi fidem obligavit 27. Junii anno 1704. in regio Verſalliarum ſacello. Eodem anno die 24. menſis Auguſti pro legatis Occitaniæ comitiorum ad regem verba fecit. Biennio poſt in academia ſcientiarum in urbe Montiſpeſſulani noviſſime inſtituta honorarius admiſſus eſt. Obtinuit in commendam prioratum regalem ſancti Mauricii Silvanectenſis, & ab anno 1707. abbatiam S. Egidii in diœceſi Nemauſenſi. Statuta ſynodalia ſaluberrima publicavit, & an. 1708. die 17. Junii navis eccleſiæ metropolitanæ ſtructuram adorſus eſt poſito in fundamentis primo lapide, cum hac inſcriptione:

[Margin: 1703. — 1704. — 1707. — 1708.]

D. O. M.

Anno Domini MDCCVIII. *die* XVII. *Junii Dominica III. poſt Pentecoſten Carolus archiepiſcopus & primas, capitulum metropolitanum & primatiale, civeſque Narbonenſes primarium hujus templi lapidem poſuerunt.*

Hoc autem in lapide incluſæ ſunt nonnullæ SS. Juſti & Paſtoris eccleſiæ patronorum reliquiæ in quadam pixide argentea contentæ in modum majoris numiſmatis, cui inſculptum legitur: *Suſcitavit Dominus ſpiritum ducis Juda, & ſpiritum ſacerdotis magni, & ſpiritum reliquorum de omni populo, & ingreſſi ſunt, & faciebant opus in domo Domini.*

Neque vero Carolus zelum in eccleſia propria continuit, quinimo in totam Occitaniæ provinciam extendit, cujus ad hiſtoriam condendam monachos efflagitavit anno 1708. a præpoſito generali congregationis ſancti Mauri, quos auxiliis omnibus adjuvit. Præfuit an. 1715. cleri Gallicani comitiis generalibus; tandemque an. 1719. efflavit animam die 2. Junii. Corpus ejus ſepultum eſt in ſacello S. Caroli in baſilica metropolitana.

[Margin: 1715. — 1719.]

DE BEAUVAU DU RIVAU.

LXXII. Renatus Franciscus.

Renati jam, & ipſius antiquiſſimæ gentis cum regia Francorum domo affinitate conjunctæ memoriam attigimus in Baionenſibus epiſcopis, tom. 1. col. 1324. & in Tornacenſibus tom. 3. col. 247. Unde, Tornaco ſcilicet ditionis Cæſareæ facto

ANNI CHRISTI

facto an. 1713. ad ecclesiam Tolosanam translatus est eodem anno die 29. Julii, ac tandem, Carolo de la Berchere defuncto, in sede Narbonensi successit, designatus a rege mense Novembri anni 1719. licet non nisi die 28. Maii an. 1721. Romæ in consistorio pontificio propositus fuerit. Cum in generalibus provinciæ comitiis apud Montempessulanum anno 1720. habitis statutum fuisset rem divinam pro mortuo Carolo decantandam, Renatus Franciscus Narbonensis archiepiscopus designatus, omnibus ibidem adstantibus ordinibus in ecclesia B. Mariæ sacrum fecit die 23. Januarii, Jacobo Maboul Electensi episcopo in ejusdem mortui laudem perorante, cujus oratio typis Monspeliensibus eodem anno impressa est. Hactenus præest, simul abbas S. Victoris in Caleto ordinis sancti Benedicti & Bonæ-Vallis ord. Cisterciensis in diœcesi Ruthenensi, præceptoria regiorum ordinum dignitate præfulgens a mense Februario anni 1724.

1719.

In necrologio Cassiani monasterii diœcesis Biterrensis tom. x. fragmentorum Stephanotii pag. 159. sic habetur: *VI. idus Martii obiit Petrus de Malagas archiepiscopus Narbonæ, nostræ societatis.*

MAJORES ARCHIDIACONI NARBONENSES.

TRes sunt hodie archidiaconi in ecclesia Narbonensi, nempe Narbonensis, qui major audit, Corbariensis & Redensis: olim erat quartus, *de Fenolleto* nuncupatus, cujus territorii jurisdictio nunc ad Electensem diœcesim pertinet. Narbonensium tantum, qui primariam capituli dignitatem obtinent, hîc ut indicem demus nostra mens est, sed ipsos aliquando ab aliis secernere, hoc opus hic labor est.

I. STEPHANUS, si Petro Veneto fides, ex sancti Pauli primi Narbonensis archiepiscopi diacono, eidem etiam superstiti in sede Narbonensi successit.

II. Hermes archidiaconus Narbonensis vixit sub B. Rustico archiepiscopo n. v. uti docet epistola II. S. Leonis papæ in novissima Quesnelli editione; deinde ipsi Rustico successit archiepiscopus.

III. Barnarius levita subscriptus post Sigebodum archiepiscopum Narbonensem circa 873. chartæ dedicationis ecclesiæ S. Mariæ de Formigueria, forsan censendus est archidiaconus. (Ch. II. col. 103.)

IV. S. Theodardus, si vita ejus non fallit, fuit archidiaconus a Sigebodo creatus; quo quidem nomine an. 878. XVIII. calendas Maii de mandato ejusdem Sigebodi adfuit cum Videfrido Uceticensi episcopo inventioni reliquiarum S. Baudilii. Vide inter instrumenta Nemausensis ecclesiæ ch. IV. col. 168. Deinde Narbonensem cathedram post Sigebodum assecutus est.

V. Guissamundus archidiaconus subscripsit primus chartæ Arnusti archiepiscopi datæ anno Christi 911. de qua vide instrumenta. (Ch. XIII. col. 14.)

VI. Petrus I. archidiaconus subscribit primus chartæ Aimerici archiepiscopi nonnullas ecclesias cœnobio S. Pontii Tomeriarum noviter exstructo concedentis an. 940. ex annal. Bened. t. 3. pag. 711. fortasse tamen major non erat archidiaconus, vel certe qui sequitur Leotardus necdum major erat an. 939.

VII. Leotardus se ipse nuncupat archilevitam & abbatem sancti Pauli anno 939. in donatione facta S. Pauli canonicis. Idem archilevita vocatus abba subscribit primus commutationi factæ inter Aimericum archiepiscopum & Suniarium abbatem Crassensem an. 959. (Ch. XVII. col. 17. — Ch. XIX. col. 19.)

VIII. Aimericus archilevita & abbas S. Pauli permutationem fecit cum Bernardo Biterrensi episcopo de alode in Capite-stagno pro salinis quæ erant in Pradinas anno XV. regnante Lothario, & iterum anno XX. ejusdem regis nonnulla commutavit de consensu Aimerici archiepiscopi.

IX. Aigo Narbonensis archidiaconus una cum Bernardo archiclavigero ab Ermessinde vicecomitissa, *Bona* nuncupata, certi cujusdam allodii, quod tradit capitulo Narbonensi, tutor & custos constituitur XI. cal. Nov. anno tertio regnante Hugone, præsente Fredelono episcopo, ex tabulario capituli Narbonensis.

X. Guillelmus I. archilevita præsens memoratur in charta Ermengaudi archiepiscopi dantis abbatiam S. Laurentii Ermessindi, cognomento *Bonæ* vicecomitissæ XI. cal. Octob. anno quarto quo Hugo cœpit regnare.

XI. Matfredus archidiaconus Narbonensis signum apponit instrumento consecrationis ecclesiæ S. Martini de Alenis an. 1045. duabusque Guifredi archipræsulis donationibus Narbonensi capitulo factis IX. cal. Maii an. 1048. & IV. idus Octobris 1057. ex tabulario capituli Narbon. Idem forsitan est, qui tacito nomine cum eodem Guifredo archiepiscopo litigabat ante annum 1056. ex Baluzio part. 1. concil. Gall. Narbon. pag. 15. (Ch. V. col. 106.)

XII. Bonifacius Narbonensis ecclesiæ diaconus, testis laudatur post Matfredum abbatem (S. Pauli) in charta oppignerationis factæ Raimundo comiti Barcinonensi a Berengario vicecomite Narbon. an. 1067. nonis Febr. feria secunda. (Prob. tom. 2. hist. Occit. pag. 256.)

XIII. Bertrandus subscribit an. 1088. chartæ Dalmatii archiepiscopi ecclesiam B. Mariæ Narbonensis, vulgo de Monachia, Richardo Massiliensi abbati concedentis, ex appendice concil. Galliæ Narbon. pag. 84.

XIV. Bernardus I. Rainardi synodo Narbonensi anno 1090. sub eodem Dalmatio archipræsule subscripsit. Eodem anno XII. cal. Maii testis est in charta ejusdem antistitis, qua sancto Victori Massiliensi & monasterio sanctæ Mariæ (T. 10. conc. col. 1281.)

Narbon. tradit ecclesiam S. Grisanti. Insequenti 1091. x. cal. Aug. memoratur in charta ejusdem Dalmatii; ac denique chirographo suo munivit quamdam ab eodem archiepiscopo factam venditionem Abrahamo & Abumaro Judæis VI. nonas Martii an. 1092. ex tabulario capituli Narbon.

XV. Augerius archidiaconus (utrum Narbonensis, Magalonensisve dubitatur) reperitur in charta absolutionis monasterii Psalmodiensis a jugo Massiliensium an. 1097.

Ch XIX. col. 186.

XVI. Petrus II. archidiaconus subscribit post Bertrandum archiepiscopum instrumento Aimerici vicecomitis plurima S. Pontio Tomeriarum concedentis anno 1103. III. cal. Maii feria V. *lege* IV.

XVII. Bernardus II. Rainardi antea præpositus, occurrit archidiaconus an. 1112. sub Richardo archiepiscopo, cujus transactioni cum Aimerico vicecomite subscribit post Hugonem abbatem S. Pauli, sed ante Ademarum similiter archidiaconum. Idem Bernardus an. 1115. XVI. cal. Martii signum suum etiam ante Ademarum archidiaconum apponit cuidam donationi factæ Narbonensi capitulo ab eodem Richardo archipræsule, qui quidem in sua adversus vicecomitem Narbonensem querimonia testem adducit hunc Bernardum Rainardi archidiaconum. Denique eodem anno testamento condito, in quo Hugonem de Casulis nepotem appellat, mediam partem decimarum de Motiano S. Justi capitulo de consensu Richardi archiepiscopi legavit. Dies obitus ejus notatur in martyrologio S. Sebastiani Narbonensis III. calend. Septembris his verbis: *O. B. Rainardi archidiaconus, pro quo facimus anniversarium, & vadimus ad S. Justum, & habemus inde procurationem vel rationes, id est XII. denarios Melgorienses & vinum.*

Charta XXXIII. col. 30.

Ademarus vero, de quo supra ad annum 1112. jam anno 1110. subscriptus reperitur archidiaconus in pactione Richardi archiepiscopi cum Bernardo & Remigio de Caneto fratribus pridie calendas Aprilis; iterumque anno 1114. in instrumento restitutionis factæ Richardo archipræsuli; quo etiam anno Pontius occurrit archidiaconus in charta Bertrandi Raimonis de Marciliaco pro Agathensi ecclesia; rursus Ademarus testis adducitur post Bernardum Rainardi in querimonia Ricardi archiepiscopi adversus vicecomitem Narbonensem, quamdamque ejusdem Richardi transactionem subscriptione sua firmavit an. 1117. post Hugonem S. Pauli abbatem & archidiaconum. Solus denique Ademarus recensetur archidiaconus Narbonensis in compositione Richardum inter archiepiscopum & Bernardum vicecomitem Biterrensem inita anno incerto. Ceterum neque Ademarus, neque Pontius fuisse videntur archidiaconi majores, sed potius avunculo nepotem successisse putamus.

XVIII. Hugo de Casulis, quem Bernardus decessor in suo, ut diximus, testamento vocat nepotem, archidiaconus appellatur an. 1119. quo totius capituli nomine donum excipit ab Engilberto de Olargio. Eodem anno IV. nonas Augusti signum apponit donationi factæ Richardo Narbonensi archiepiscopo. Subsignatus etiam occurrit an. 1124. in charta donationis Arnaldi archiepiscopi, & 1125. in donatione ecclesiæ de Oviliano facta Petro Berengario ab ejus fratre Raimundo Berengario, ubi cognominatur *de Casulis.* Hugo denique an. 1126. totius capituli nomine quoddam pignus accepit ab Aimerico vicecomite Narbonensi.

XIX. Bernardus III. de Luco dictus archidiaconus Narbonensis, solus recensetur in instrumento donationis ecclesiæ prædictæ de Oviliano, quam Arnaldus archiepiscopus capitulo fecit an. 1129.

XX. Arnaldus I. archidiaconus erat annis 1135. & 1145. Adfuit una cum Rogerio & Pontio archidiaconis, Arnaldo archiepiscopo condenti testamentum an. 1149. IV. cal. Oct. in quo hic antistes Arnaldo nepoti archidiacono castrum Montilii legat. Proinde is est Arnaldus de Leveduno simul abbas S. Pauli Narbonensis, de quo sic habet excerptum veteris S. Justi necrologii: *VII. idus Febr. obiit Arnaldus archidiaconus S. Justi & abbas S. Pauli Narbonæ.* Subscribunt eodem ordine hi tres archidiaconi donationi factæ capitulo Narbonensi a Raimundo de Motiano calendis Augusti an. 1155. ex tabulario ejusdem capituli. Obiit Arnaldus anno sequenti.

Ch. XLV. col. 38.

Pontius vero supra memoratus idem videtur ac Pontius Stephani, qui subscripsit chartæ Ildefonsi Tolosæ comitis pro Arnaldo archiepiscopo an. 1142. & adhuc 1145. quibusdam ejusdem Arnaldi statutis super querela inter canonicos regulares S. Justi, & sacristam ejusdem ecclesiæ. Vel est Pontius de Brugali abbas S. Pauli & archidiaconus subscriptus primus in eadem charta, quique testis laudatur an. 1148. in donatione Arnaldi archiepiscopi facta Sancio abbati Fontis frigidi, adhuc superstes an. 1152. Vel denique Pontius est de Arsaco, qui subsignatus reperitur archidiaconus in charta Bernardi de Rocaforti an. 1155. & iterum ante Rogerium etiam archidiaconum in instrumento fidei clientelaris Ermengardis vicecomitissæ Narbonensis eodem anno renunciantis pravæ illi consuetudini invadendi bona decedentium archiepiscoporum, ex Catello commentar. Occitaniæ pag. 591. Iste vero Pontius post Arnaldi mortem major archidiaconus evasisse videtur.

Ch XLIII. col. 37.

Ch. XLIII. col. 37.

XXI. Pontius de Arsaco, de quo proxime diximus, subscripsit actis consecrationis ecclesiæ Arulensis an. 1157. Postea fuit archiepiscopus Narbonensis.

Append. Marc. Hisp. col. 1321.

XXII. Guillelmus I. Narbonensis archidiaconus erat 1162. mense Januario, quo ipsius judicio Guillelmus de Montepessulo monachus mille solidos Melgorienses solvit Ermengardi uxori quondam Guillelmi de Narbona.

Prob. t. 2. hist. Occit. pag. 582.

XXIII. Petrus III. archidiaconus Narbon. præsens memoratur juramento, quo Petrus, Pontius & Bernardus filii Guillelmi vicecomitis de Minerba & Ermengardis vicecomitissæ obstrinxerunt se Pontio archiepiscopo, recognoscentes se nihil habere juris in ecclesia S. Stephani de

Minerba, an. 1164. pridie nonas Febr. feria v. & hoc est 1165. ex tabulario capituli Narbon.

XXIV. Rogerius, de quo supra diximus tanquam minori archidiacono ad annum 1155. subscripsit post Pontium Uceticensem præpositum chartæ Ermengardis vicecomitissæ Narbon. pro Berengario archiepisc. an. 1156. & iterum circa hunc annum post eumdem Pontium memoratur in bulla Adriani IV. confirmantis compositionem inter episcopum Biterrensem & priorem de Cassiano, quam ait initam ejus & aliorum studio ac sollicitudine. Major autem archidiaconus innuitur in charta donationis Salellæ factæ monasterio Cluniacensi anno 1166. mense Augusto; in ea scilicet ante Petrum archidiaconum archidiaconus & ipse nominatur. De hoc intellige quod in chronico ecclesiæ S. Pauli Narbon. ad calcem historiæ comitum Tolosæ apud Catellum pag. 171. legitur his verbis: *Anno 1171. obiit Rogerius præpositus, Narbonensis ecclesiæ archidiaconus.*

Ch. XLVII. col. 41.

Ch. XV. col. 138.

Prob. t. 2. hist. Occit. pag. 607.

XXV. Petrus IV. de Casilhaco *al.* de Cadilago, jam archidiaconus Carcassonensis ab anno saltem 1165. simul evasit Narbon. anno saltem 1175. mense Maio, quo præsens memoratur compositioni factæ inter Rogerium vicecomitem Biterrensem & Guillelmum de Lunacio; iterumque ipsius nomen legitur in charta Caunensi ejusdem anni feria v. quarto calendas Junii. Anno sequenti Narbonensis & Carcassonensis archidiaconus nuncupatus, subscripsit donationi Ermengardis vicecomitissæ Narbonensis factæ capitulo S. Justi, ex ejusdem tabulario.

XXVI. Berengarius de Motiano archidiaconus Narbonensis subscriptus reperitur an. 1185. mense Januario conventui Biterrensi, sede vacante, habito a Bernardo Narbonensi archipræsule. Insequenti 1186. nomine totius capituli donationem sub annuo censu Guillelmo cuidam ejusdem ecclesiæ canonico fecit. Testis occurrit an. 1190. in donatione Bernardi archiepiscopi Narbonensis capitulo facta. Confirmavit 1197. vice Berengarii archiepiscopi, qui tunc apud Oscam in Hispania morabatur, electionem Benedicti abbatis de Quadraginta. Ipsummet conjicimus esse, qui prima tantum nominis littera B. non P. uti legitur in prob. tom. 3. histor. Occit. pag. 195. designatus recensetur in hominio quod vicecomes Narbonensis comiti Tolosano præstitit pro vicecomitatu Narbonensi an. 1203. mense Martio, hoc est 1204. ex veteri regesto cameræ rationum Parisiensis. Et certe Berengarius integro nomine recensitus an. 1204. III. idus Octobris una cum duobus aliis archidiaconis, ejusdem capituli nomine quamdam Berengario archipræsuli donationem contulit, cui vicissim antistes hoc ipso anno in Cataloniam proficiscens suas vices commisit. Erat autem Berengarius simul archidiaconus & abbas B. Mariæ de Quadraginta.

XXVII. Bernardus IV. major archidiaconus an. 1213. mense Januario, recensetur anno sequenti eodem mense in instrumento restitutionis factæ capitulo S. Justi ab Aimerico vicecomite Narbonensi, ex tabulario ejusdem capituli; & adhuc 1215. XIII. cal. Martii in charta, qua Arnaldus Narbonensis archiepiscopus, & Johannes Bistani civis Narbonensis judicio Raimundi Biterrensis electi sese commiserunt.

Catel. comment. Occit. pag. 607.

XXVIII. Petrus V. Amelii archidiaconus major Narbonensis & camerarius Biterr. jam anno 1215. prima nominis littera designatus, cum Ebredunensi archiepiscopo & electo Biterrensi colloquium habuit de pace inter comitem Montis fortis & Arnaldum archiepiscopum Narbonensem. Testis laudatur an. 1219. in donatione Aimerici vicecomitis Narbon. facta S. Justi capitulo. Fit archiepisc. Narbonensis an. 1225. ubi vide; & anno 1228. idibus Septembris Amalricus dux Narbonensis, comes Tolos. & vicecomes Biterr. quamdam donationem dicto Biterrensi camerario jam pridem a suo patre factam asserit eidem Petro tunc archiepiscopo Narbonensi, ex tabulis capituli Biterrensis. Ea tempestate N. de Conchis archidiaconus (minor) cum Stephano Johannini canonico Narbonensi missus est circa 1222. a Conrado sedis apost. legato ad Honorium papam, ut ab eo collationis Electensis cœnobii Narbonensi capitulo factæ confirmationem accelerarent, quos quidem duos nuncios Conradus vocat *viros discretos, fidelissimos negotii fidei & pacis zelatores, quorum absentia sibi & negotio Jesu Christi est damnosa, & præsentia plurimum fructuosa.* Is est profecto Isarnus de Conchis paulo ante a Conrado simpliciter dictus, ubi scilicet ei mandat ut ad concilium Anicii proxime habendum de abbatia Electensi secum afferat decreta, quæ scriptor apud Narbonam habet, eidem continuo reddenda.

Lib. 1. hist. com. Tolos. pag. 30.

Charta X. & XII. col. 110. & 112.

XXIX. Guillelmus II. & Stephanus archidiaconi memorantur in charta Raimundi de Rocafolio ecclesiæ & regi fidem & obsequium pollicentis an. 1225. XVII. cal. Aprilis.

Ch. XXX. col. 201.

XXX. Petrus VI. memoratur archidiaconus in charta juramenti quo sese Aimericus vicecomes, consules & cives Narbonenses obligarunt P. archiepiscopo Narbonensi an. 1229. XVI. cal. Junii, ex tabulis capituli Narbonensis. Idem una cum duobus aliis archidiaconis electus arbiter 1231. motam inter P. Narbonensem archiepiscopum & capitulum S. Justi controversiam diremit anno sequenti XIII. cal. Maii. Occurrit an. 1234. IV. idus Augusti in charta conventionis inter Franciæ regem & episcopum Agathensem. Litem alteram inter eumdem archiepiscopum & Petrum abbatem Caunensem composuit an. 1236. IV. nonas Febr. Denique hic Petrus, aut qui sequitur fuit unus exsecutorum testamenti Petri archiepiscopi Narbonensis an. 1238.

Ch. LXVII. col. 64.

XXXI. Petrus VII. *Escriva* dictus interfuit electioni Guillelmi archiepiscopi anno 1245. Testis est concordiæ inter eumdem archipræsulem & Rogerium abbatem sancti Polycarpi an. 1247. Reperitur etiam annis 1248. & 1250. in appendice ad concilia Galliæ Narbonensis pag. 105. 106. & 107. annis quoque 1251. & 1253. in electione Ermengaudi abbatis S. Jacobi

Jocundensis, ac denique 1254. in charta G. archiepiscopi fundationem cœnobii B. Mariæ de Lapideto confirmantis.

Ch. LXX. col. 67.

XXXII. Jacobus I. legitur major archidiaconus an. 1255.

XXXIII. P. archidiaconus Narbonensis anno 1256. sanctorum Laurentii, Stephani & Hippolyti martyrum reliquias obtinuit ab Arnaldo S. Laurentii extra muros Urbis abbate.

XXXIV. Guillelmus III. Bardina an. 1258. XVIII. cal. Octobris mandatum accepit a Guidone Fulcodii episcopo Aniciensi, ut ad villam de Castris *personaliter* accedens FF. Prædicatores quos deputatos inveniret, in ecclesiæ S. Vincentii possessionem induceret. Anno 1260. VIII. idus Maii præsens hominio legitur, quod Amalricus vicecomes Narbonensis Guidoni archiepiscopo præstitit, ex appendice ad concilia Galliæ Narb. pag. 165. Idem est proinde G. archidiaconus, qui subscriptus reperitur decreto electionis Guidonis archiepiscopi an. 1259. *ibidem* pag. 161. quique circa festum Paschæ ejusdem anni supplicationi generali ob sedandam pestem interfuit. Adhuc recensetur an. 1261.

Tom. 6. vet. script. Marten. col. 488.

XXXV. Michael de Tolosa major archidiaconus, & vicecancellarius S. sedis apostolicæ declarat an. 1267. sibi speciatim a rege concessa fuisse pedagia, quæ in sale intra sui archidiaconatus fines exigere poterat. Per ipsius obitum

XXXVI. Aimericus de Montaigny eligitur an. 1271.

XXXVII. Petrus VIII. Raimundi de Montepessulano legitur archidiaconus Narbonensis an. 1279. Fortasse idem est ac Petrus de Monte, quem Sammarthani obiisse scribunt an. 1286. consignatumque in necrologio 18. Maii, legimus IV. nonas Julii.

XXXVIII. Raimundus de Pavilhan reperitur archidiaconus Narbonensis die 13. Augusti an. 1290. in archivis Agathensibus.

XXXIX. Jacobus II. Normanni, seu de Normannis major archidiaconus ecclesiæ Narbonensis, & sedis apostolicæ notarius ac nuncius, a sancta sede collector deputatus pro colligendis in regno Franciæ summis eidem sedi debitis, die Jovis post festum S. Matthiæ apostoli an. 1298. ex charta fratrum Prædicatorum Claromontensium. Eodem nomine mandavit subdelegato suo in provincia Narbonensi, ut quinquaginta libras Turonenses ab Amalrico domino Narbonensi ratione cujusdam legati debitas ab eodem exigere differat, feria IV. post octavam S. Martini an. 1300. ex tabulario vicecomitum Narbonensium. Anno sequenti Philippo regi Bonifacii papæ bullam exhibuit. Decessit an. 1310. VII. cal. Decembris, ex necrologio.

XL. Petrus IX. de Arreblayo, seu *de Reblaio,* ut habent secunda & tertia vita Johannis papæ XXII. & *de Riblaya* septima vita ejusdem pontificis, ubi dicitur legum doctor de Britannia, & cancellarius regis Franciæ. Mirum vero, inquit Baluzius in notis ad vitas paparum Avenion. col. 796. quod isthic, in septima scilicet vita Johannis XXII. scribit Amalricus hunc Petrum de Arreblayo fuisse de Britannia, nam alii diserte eum vocant Gallicum, id est neque Vasconem, neque Britannum. D. Fleury tom. XIX. hist. ecclesiast. pag. 259. senescalli Petragoricensis filium exhibet. Ceterum fuit archidiaconus Narbonæ, (quod Baluzius reticet) dein Borboniensis in ecclesia Bituricensi (*lege* Augustodunensi, ut habent D. Fleury loco citato, & Baluzius in notis ad vitas pap. Avenion. col. 731.) canonicus etiam S. Quintini, ac tandem cardinalis tituli S. Susannæ & episcopus Portuensis, ait R. P. *Simplicianus* in cancellariis Franciæ, quibus eum accenset creatum, inquit, in die festo Magdalenæ an. 1316. sed ad breve tempus ob cardinalitiam dignitatem ipsi collatam feria VI. 17. Decemb. ejusdem anni 1316. De ipsius obitu discrepant auctores, dictus enim R. pater superstitem facit an. 1332. sepultumque tradit in ecclesia d'Arrablay prope Genebum *Gien,* quem e contra Contelorius apud Baluzium loco citato ait mortuum esse 1329.

XLI. Petrus X. de Viridario archidiaconus major an. 1330. instituit festum undecim millium virginum, teste martyrologio S. Justi. Ita Sammarthani.

XLII. Bernardus V. de Villario adfuit Bernardo Narbonensi archiepiscopo sacramentum fidelitatis & obedientiæ a Berengario Helenensi episcopo excipienti an. 1331.

XLIII. Arnaldus II. Scannerii archidiaconus ecclesiæ Narbon. & sancti Stephani præcentor, Galhardi diaconi cardinalis tituli S. Luciæ in Silice procuratorio nomine, sex annui proventus libras Turonenses ecclesiæ Narbonensis capitulo assignavit pro solemni anniversario, quod canonici pro anima cardinalis post ipsius obitum celebraturos pollicentur, missam vero S. Spiritus quoad vixerit, III, nonas Maii anno 1333. ex tabulario capituli Narbonensis. Sic ea de re legitur in ejusdem ecclesiæ necrologio: *Anno Domini MCCCXXX. III. cal. Madii fuerunt assignatæ venerabili capitulo Narbonensi sex libræ Turonenses censuales pro uno anniversario annis singulis in ecclesia Narbonensi, pro anima R. patris in Christo domini Galhardi Dei gratia S. Luciæ in Silice diaconi cardinalis.* In alterutro, nempe tabulario, aut necrologio error est manifestus, sed levior erit, si pro *III.* nonas Maii legatur VI. in tabulario, & in necrologio loco MCCCXXX. III. cal. legatur MCCCXXXIII. calendis, sic enim uno solum die tabularium & necrologium discrepabunt.

XLIV. Galhardus de Mota, de quo supra, Vasco natione, ex vita secunda & septima Johannis papæ XXII. pronepos Clementis papæ V. ex notis Baluzii ad vitas paparum Avenion. col. 621. & 733. seu filius neptis ejusdem papæ ex D. Fleury tom. XIX. hist. eccles. creatur cardinalis tituli S. Luciæ in Silice a Johanne XXII. an. 1316. feria VI. 17. Decembris. Fuit autem archidiaconus Narbonensis an. 1340. mortuus Avenione 1356. die 13. Januarii, inquiunt Sammarthani; legimus & quidem melius, XIV. cal. Januarii in fragmento necrologii S. Justi t. IX.

fragmentorum Stephanotii pag. 26. Talis ejus fit mentio in necrologio Narbonensi: *Gailhardus Dei gratia S. Luciæ in Silice diaconus cardinalis, & archidiaconus major istius ecclesiæ, in cujus anniversario capitulum debet dare singulis canonicis XX. denarios Turonenses, & beneficiariis, cuique X. denarios Turonenses, & habet missam. Hic lector aliquantulum subsistat....... clerici flexis genibus orent Dominum dicentes: omnes nos gratias Domino Deo nostro agimus, qui condolens nostris miseriis homo fieri voluit, carnem sumens ex illibata Virgine, ut nos de fauce diaboli liberaret; cujus nos in proximo sanctam Nativitatem præ oculis habentes, ipsum laudamus, gratias illi per omnia reddentes, amen. Pater noster, Ave Maria, Credo in Deum.* De eodem cardinali & archidiacono hæc leguntur in veteri quodam libro Narbonensis ecclesiæ: *Anno MCCCLVII. die XV. Januarii fuit sepultus in præsenti ecclesia S. Justi Narbonensis ecclesiæ reverendus in Christo pater dominus Galhardus Dei gratia S. Luciæ in Silice diaconus cardinalis, & archidiaconus major in ista ecclesia, in qua constituit unum anniversarium.* Ita Baluzius in notis ad vitas pap. Avenion. col. 734.

XLV. Nicolaus Brancacius Neapolitanus, archiepiscopus Cosentinus & cardinalis Albanus, fuit archidiaconus Narbonensis anno 1404. ex Sammarthanis. Defunctus est 1412. die 29. Junii, tom. 1. Italiæ sacræ pag. 269.

XLVI. Johannes I. de Guiolan *al.* de Guierlay major archidiaconus an. 1459. quo defuncto 1464. capitulum ad electionem successoris processisse legitur.

XLVII. Dionysius de Bar erat ecclesiæ Narbonensis major archidiaconus an. 1468. quo S. Papuli creatus est episcopus.

XLVIII. Johannes II. d'Oriole major archidiaconus 1475. postea factus episcopus Montalbanensis 1491. IV. nonas Decembris, per translationem Georgii d'Amboise ad Narbonensem ecclesiam, ex regesto Innocentii papæ VIII.

XLIX. Ludovicus d'Amboise sedis apost. notarius archidiaconatum Narbonensem obtinebat 1497. quando factus est episc. Albiensis, postea Eduensis, ac tandem cardinalis. Vide t. 1. col. 35. Permutavit, seu cessit an. 1501. die 1. Octobris.

L. Franciscus I. Guillelmi de Clermont Lodeve baccalaureus formatus in theologia, natus e baronum & militari genere ex utroque parente, Georgii tituli S. Sixti presbyteri cardinalis nepos, Ludovico Francorum regi gratus, cedente Ludovico archidiaconatum nactus est an. 1501. & hoc ipso anno XIV. cal. Decembris sancti Pontii Tomeriarum antistes, Narbonensis archiepiscopus anno seq. ac demum cardinalis effectus est.

LI. Guillelmus IV. d'Abzac Petri archiepiscopi consanguineus archidiaconatu Narbonensi potiebatur an. 1504.

LII. Simon I. de Bello sole, Guillelmi successor, fuit archidiaconus sub cardinali Briçonnet archiepiscopo Narbonensi, abbas etiam Montis olivi, præpositus ecclesiæ Vaurensis, ac tandem Vaurensis episcopus.

LIII. Guillelmus V. de S.t Estienne archidiaconus sub Hippolyto cardinali Atestino & archiepiscopo, obiit an. 1527.

LIV. Johannes III. de Basilhac an. 1527. electus major archidiaconus, moritur 1541. die 7. Augusti.

LV. Georgius de Narbonne, assumtus est in archidiaconum an. 1541. quam dignitatem pro præcentoria permutavit cum sequenti, ut liquet ex bulla authentica *data pridie calendas Novembris an. 1546. in favorem nobilis Georgii de Narbona archidiaconi maximi pro præcentoria, super permutatione Sebastiani de Narbona præcentoris contra archidiaconatum.*

LVI. Sebastianus de Narbonne filius Guerini domini de Salelles gubernatoris Perpiniani & Margaretæ de Miremont, antea præcentor ex dictis, factus est archidiaconus major an. 1546. Addunt Sammarthani eum habuisse fratres Georgium & Gabrielem abbates Grandis silvæ, & Antonium Sistaricensem episcopum, ipsumque Sebastianum fuisse etiam archipresbyterum Granatensem *de Grenade*, ubi jacet mortuus 1564. mensis Augusti die 2.

LVII. Johannes IV. de Chambert doctor in decretis & abbas Villæ magnæ, an. 1553. dicitur solum canonicus Narbonensis & vicarius generalis ac officialis diœcesis Carcassonensis, & anno sequenti toparcha de Roustiques canonicus & archidiaconus Narbonensis, qui cum a capitulo fuisset electus sententiam obtinuit adversus Alfonsum Verselli, quem archiepiscopus nominaverat, die 6. Augusti an. 1564. Obiit VII. idus Januarii 1574. ex necrologio SS. Justi & Pastoris.

LVIII. Simon II. Aribert major archidiaconus cessit in gratiam sequentis, id approbante capitulo die 24. Septembris an. 1576.

LIX. Bernardus VI. de Hautpoul cessione, ut diximus, præcedentis capitulo probata, archidiaconatum assecutus est an. 1576. Jacet in choro cathedralis ecclesiæ sub hac inscriptione: *Pios manes ne immanis prætereas supine quisquis es: hoc cyppo clauduntur & urna cineres viri illustris Bernardi d'Hautpoul in ecclesia ista archidiaconi majoris, stemmatibus suorum & omnigena eruditione, cultu sacrorum dogmatum, necnon summa juris utriusque laurea apud omnes conspicui. Vixit ad annum ætatis suæ LXX. salutiferi partus MDCIX. atque cessit naturæ mature sibi, immature suis, XVIII. cal. Decembris. Narbo luget orba civem optimum. Tu vero, lector, lingua fave & vale.*

LX. Carolus de Casaletz Bernardi superioris nepos, eligitur an. 1607. inquiunt Sammarthani; quod si ita est, Bernardus ante obitum cessit. Sane Carolus archidiaconus major ecclesiæ Narbonensis commissarius apostolicus & vicarius generalis archiepiscopi Narbonensis, necnon officialis sententiam tulit die 22. Octob. an. 1616. pro promulganda bulla ecclesiam cathedralem sancti Pontii Tomeriarum ex regulari faciente secularem.

LXI. Arnaldus III. de Casaletz Caroli frater

ex ipsius resignatione, aiunt Sammarthani, obtinuit archidiaconatum anno 1623. quo bulla exstat *data V. cal. Maii in favorem Arnaldi de Casaletz pro missione in possessionem archidiaconatus majoris ecclesiæ Narbonensis.* Fratrem alterum habuit Franciscum de Casalibus Montis olivi camerarium, in utroque jure doctorem, & vicarium generalem Francisci Donadei in abbatia S. Hilarii Carcassonensis, ac deinde in episcopatu S. Papuli.

LXII. Scipio de Casaletz, per cujus resignationem

LXIII. Arnaldus IV. de Casaletz bullas accepit pro Narbonensi archidiaconatu an. 1635. III. idus Decembris. Resignavit & ipse an. 1643. XIII. cal. Novembris in gratiam sequentis; is est procul dubio, qui tumulum habet in choro cum hoc epitaphio: *Hic jacet venerabilis vir DD. Arnaldus de Casaletz presbyter, in sacra theologia doctor, quondam archidiaconus major præsentis ecclesiæ, qui ab hac luce migravit XII. cal. Octobris anno Domini MDCXLIV. cujus anima sempiterna pace fruatur.*

LXIV. Johannes Franciscus de Casaletz, Arnaldo patruo cedente, bullas accepit an. 1643. XIII. calend. Novembris. Interfuit Parisiis cœtui cleri Gallicani an. 1650. testis an. 1658. in testamento Claudii de Rebé archiepiscopi Narbonensis. Cessit anno 1665. in gratiam sequentis, tandemque defunctus sepulturam accepit in choro sub hac epigraphe: *Hic jacet nobilissimus vir D D. Johannes Franciscus de Casaletz presbyter, doctor theologus, quondam archidiaconus major hujus ecclesiæ, protonotarius apostolicus. Obiit die XXIII. mensis Novembris anno Domini MDCLXXIII.*

LXV. Franciscus II. de Casaletz cedenti Johanni Francisco successit, bullis acceptis III. nonas Martii anno 1665. Obiit die 2. Octobris an. 1685.

LXVI. Armandus Petrus de la Croix de Castries electus die 9. Octob. 1685. cessit an. 1719. factus archiepiscopus Turonensis, ac paulo post Albiensis, hactenus, Deo favente, superstes.

LXVII. Josephus de la Croix d'Anglars filius Claudii de la Croix baronis d'Anglars ex Maria Carlotta de la Mothe natus 10. Januar. 1693. doctor theologus, cessione superioris, bullas obtinuit VIII. calend. Novemb. 1719. dignitatisque possessionem accepit 15. Apr. 1720. Adhuc vivit.

DE VETERIBUS MONASTERIIS DIŒC. NARBON.

I. S. Laurentii monasterium in Septimania tribus leucis a cœnobio B. Mariæ de Crassa distans, inter illa recensetur ab Astronomo, quæ Ludovicus Pius aut a fundamentis condiderat, aut restauraverat. Et quidem in constituto ejusdem imperatoris facto anno 817. in concilio Aquisgranensi, illorum in censu reperitur, quæ solas orationes debebant pro salute Imperatoris, &c. Duplex autem eo nomine monasterium erat in Septimania, alterum in pago Narbonensi & diœcesi, nunc S. Pontii, ad Nigellam fluviolum *la Nielle*, modo Crassensi monasterio unitum; alterum in eodem pago dictum olim *in Olibegio* ad Vernodubrum, hodie S. Aniani nuncupatum *S.t Chinian*, de quo infra, ubi de monasteriis diœcesis S. Pontii Tomeriarum. Quod ad primum illud S. Laurentii ad Nigellam vulgo *de Cabreressa* dictum attinet, jam exstabat, uti diximus, sub principatu Ludovici Pii, cujus præceptum immunitatis ac tutelæ eidem monasterio confirmavit Carolus Calvus regni anno quarto. Postea subjectum fuit ecclesiæ Narbonensi a Carolomanno rege, petente Sigebodo archiepiscopo, ea tamen lege, ut *stipendia monachorum ibidem degentium non deficerent. Datum pridie nonas Junii anno tertio regni Karolomanni gloriosissimi regis indictione XIV. Actum apud Pauliacum vicum.*

Ch. IV. col. 414.

Ad hoc autem cœnobium pertinebat dominium loci B. Mariæ de Palatio, itidem pagi Narbonensis, cujus loci aliquot prædia Raimundus Ebrinus abbas accepta una auri uncia, Guillelmo Bernardo ad fevum dedit sub annuo censu triginta trium solidorum denariorum Melgoriensium, eo insuper pacto, ut idem Guillelmus Bernardus faceret *servitium per unumquemque annum ad quatuor milites*, & sextarium unum *de civata* seu *avena. Facta charta VIII.* idus Decembris anno Dominicæ incarnationis MLX. regnante Philippo rege.* Haud multo post subditum fuit hoc monasterium Crassensi, anno scilicet 1090. XIII. cal. Aprilis, uti & Palatium *Espalais* seu *Paladols*, itidem ad Nigellam situm, ubi sanctimonialium cœnobium sæculo insequenti conditum est sub patrocinio B. Mariæ & S. Randolini, cujus olim tumulus cum sacris exsuviis ibidem colebatur. Id factum assensu Arnaldi abbatis & Crassensium monachorum, qui domnæ Ermengardi priorissæ, & fratri Johanni de Alcantis, cunctisque fratribus & sororibus ibidem permanentibus locum illum ad inhabitandum & restaurandum tradiderunt. Nunc vero excisus est hic parthenon, locusque pertinet ad abbatiam Crassensem, uti & S. Laurentii monasterium ad Nigellam, modo cella abbatiæ Crassensis.

* al. VII.

Exstabat & aliud sæculo XII. S. Laurentii cœnobium in territorio Narbonensi ad locum Bagesii, *de Casulis* dictum, quod B. Mariæ de Monachia ac Deodato priori concessum legitur anno 1129. cujus fortasse fuit abbas Amicus subscriptus abbas sancti Laurentii foris muros in concilio Tolosano anni 1119.

T. 10. conc. pag. 860.

Veteris autem ad Nigellam monasterii hi reperiuntur abbates.

Sunifredus hujus loci regimen obtinebat tempore Ludovici Augusti, a quo videlicet tuitionis præceptum impetrasse legitur.

Vide Mabill. ad an. 844.

David præerat anno XXIII. domno noſtro glorioſiſſimo Ludovico imperatore, XVI. calend. Januarii, ex Baluzio, qui codicem laudat 5080. Idem a Carolo Calvo præceptum obtinuit datum die 20. Maii anno quarto ejuſdem regis, ubi fit mentio de cella Caucana ; ex quo conjicimus Davidem hunc eumdem eſſe ac abbatem cognominem S. Martini de Caucana, cui Fulcoaldus comes miſſus dominicus Ludovici imperatoris judicio lato 17. menſis Auguſti anno XXIII. ejus imperii, ablata quædam bona reſtitui juſſit.

Append. capitular. col. 1451. & ſeq. Ch. IV. col. 414.

Tractiorius, ex Baluzio, qui codicem laudat 5080.

Raimundus Ebrinus ſedebat anno 1060. ex dictis ſuperius.

Taſſio adfuit concilio Gerundenſi an. 1068. cui præfuit Hugo Albus legatus Alexandri II. papæ.

II. Cuperia, vel Cubaria & Cubera *Cubieres* idem cœnobium nupero rerum Occitanarum ſcriptori, ac S. Maria Caprarienſis *de Cabrieres* recenſita anno 817. inter illa Septimaniæ monaſteria, quæ ſolas orationes pro ſalute imperatoris debebant, vocatur anno 843. S. Petrus de Cubaria in diplomate Caroli Calvi pro Lazaro ſeu Eleazaro hujus loci abbate, dato pridie idus Maii, quo princeps hoc monaſterium, quaſi fuiſſet regiæ fundationis, in ſuam tutelam ſuſcipit. Unitur vero ſub Carolo Simplici Narbonenſi eccleſiæ, nec ideo tamen ſuam amiſit abbatialem dignitatem, vel ſaltem ſubinde recuperavit, ut conſtat ex judicio teſtamenti Bernardi comitis Biſuldunenſis anno 1020. edito in appendice Marcæ Hiſp. col. 1029. Eo ſiquidem teſtamento comes hanc abbatiam filio ſuo Guillelmo relinquit, & ſi hic mortuus fuerit, Ugoni ſuo itidem filio, &c. Jubet autem ut Adalbertus de Caſas donet quinque uncias de auro ad S. Mariam de Cubera ad crucem faciendam, & faciant illum liberum. Quinetiam adhuc an. 1073. abbatiæ titulo gloriabatur, ut liquet ex charta qua Raimundus Petri de inſtaurandis eccleſiis perquam ſollicitus animum adjecit reſtituendæ eccleſiæ, quæ olim conſtructa fuerat in honorem B. Dei genitricis Mariæ in valle Cuberia, ſitæ in pago Narbonenſi intra fines ſeu limites Petræ Pertuſienſis *de Pierre Pertuſe* ſecus fluviolum Rivum frigidum, ubi congregatio monachorum adeo floruerat, ut abbatiæ vocabulo etiamnum indigitaretur. Cum igitur hæc eccleſia ex parentum ſucceſſione eidem Raimundo obtigiſſet, eſſetque ſub poteſtate Bernardi comitis Biſuldunenſis, hi pari conſenſu una cum Berengario Petri locum illum in monaſticum ordinem denuo erigere cupientes, cum conſilio & aſſenſu Wilfredi archiepiſcopi Narbonenſis eamdem eccleſiam cœnobiis Cluniacenſi & Moiſſiacenſi reformandam ac regendam tradiderunt eodem anno 1073. Gregorio VII. pontifice, & Philippo in Francia regnante : unde legimus tom. 1. Anecdot. col. 781. epiſtolam B. abbatis Electenſis ſcriptam R. abbati Moiſſiacenſi circa annum 1200. ex qua manifeſtum eſt hunc abbatem Moiſſiacenſem Brunoni monacho contuliſſe prioratum eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Cuberiis.

Ch. XV. col. 16. Prob. hiſt. Occit. t. 2. pag. 79. Prob. tom. 2. hiſt. Occit. pag. 282. Ch. XXIII. col. 22.

III. Vetus abbatia S. Martini de Caucana *Cauchenne* vel *Cauquenne* ſita in peninſula cognomine intra ſtagna de Bages vel de Sigean & de Gruiſſan, Atacem fluvium & mare, duabus Narbona leucis ad meridiem, primum innoteſcit ex judicio Fulcoaldi comitis miſſi dominici Ludovici imperatoris lato 17. menſis Auguſti anno XXIII. ejus imperii, ſeu Chriſti 836. quo bona monaſterii in locis S. Marcelli, Maximiani ſuperioris & inferioris in agro Minerbenſi pervaſa reſtitui jubet Davidi ejuſdem loci abbati. Jam autem an. 844. prioratus tantum erat dependens ab abbatia S. Laurentii de Cabrereſſa ad Nigellam, unita poſtmodum eccleſiæ Narbonenſi ; quo unionis nomine Ermengaudus archiepiſcopus Narbonenſis an. 1004. alodem vocatum *Cauthenam* cum certis appenditiis Coxanenſi monaſterio & Guiffredo abbati largitus eſt. Ceterum illa peninſula, quæ olim erat inſula vera, hodie dicitur S. Luciæ ob ſacellum ejus ſaxeo jugo impoſitum an. 1614. a cardinali de Joyeuſe, qui fuerat archiepiſcopus Narbonenſis.

Unicus abbas nobis occurrit nomine David anno 836. ut ſupra, qui poſtea, ut videtur, unito ſuo monaſterio, ſeu ſubjecto abbatiæ S. Laurentii de Cabrereſſe, inde hujus loci evaſit abbas, & quidem eodem anno.

IV. S. Martini de Monte rotundo *Montredon* in Septimania monaſterium ad ripam Urbionis fluvii innoteſcit ex Odonis regis diplomate anni circiter 897. in quo legitur Tenericum *al.* Teutricum venerabilem abbatem ex monaſterio S. Martini de Monte rotundo, conſentientibus monachis regem adiiſſe, eique ſignificaſſe, tum propter ſuam ipſorum extremam inopiam, tum oppreſſionem malorum hominum, ſe inibi conſiſtere non poſſe, niſi regia munificentia ipſis ſuccurreret. *Quapropter rex Odo in eleemoſynam domni & ſenioris ſui Caroli, & pro ſalute propria, ad eorum neceſſitates ſupplendas, cellam S. Clementis in pago Gerundenſi & in pago Redenſi fiſcum Junquerias, aliaque elargitur.* Hujus quoque monaſterii fit mentio in charta cujuſdam Ermengardis feminæ & filiarum ejus Gilæ & Ermenſendis vendentium *ad domum S. Martini de Monte rotundo, qui eſt fundatus ſuper ripam Urbionis, & ad Poncionem abbatem & ad cuncta congregatione de illo loco* alodem ſuum in comitatu Narbonenſe, in villa quam vocant *Sobiras*, &c. facta charta venditionis anno XX. regnante Philippo rege hoc eſt 1080. Deinde unitum dicitur Craſſenſi monaſterio, & illi hactenus adhærere. Verumtamen aliunde ſcimus exſtare hodie in comitatu Roſſilionenſi, ſeptem a Perpiniano milliaribus cœnobium ſancti Martini de Monte rotundo, quod monachi ſex, aut etiam plures incolunt. An monachi veteris abbatiæ S. Martini de Monte rotundo in Septimania ad iſtud cœnobium tranſmigraverint habitandum in prædio, quod illis Odo Francorum rex donavit, ut ſupra, haud ſatis compertum eſt. Neque nobis etiam lux major affulget ex charta Simonis comitis

Leyceſtriæ & domini Montis fortis, Biterrenſis & Carcaſſonenſis vicecomitis, domui militiæ templi de Monte rotundo ipſam villam de Monte rotundo concedentis an. 1215. pridie calendas Septembris. Ea, inquam, charta inſufficiens eſt, ut decernamus utrum ad ordinem militiæ Templi tranſierit; quippe in vicinia Craſſæ plura ſunt ejuſdem denominationis oppida, alterum videlicet in ſuburbio Narbonenſi, tribus a Fonte frigido milliaribus diſtans, & alterum duobus fere milliaribus ab Urbione fluviolo ſitum, in quo rex Chriſtianiſſimus arcem munitiſſimam conſtrui anteacto ſæculo juſſit in ſubſidium Leucatæ, ac pagi Carcaſſonenſis munimentum.

Nullum alium præter duos ſuperius memoratos abbates reperimus.

V. Veterem abbatiam S. Martini de Puteo dioecœſis Narbonenſis haud aliunde novimus, quam ex ipſius donatione facta Roberto abbati Craſſenſi an. 1093. a Bertrando de Durfort, qui ſe illam injuſte tenuiſſe recognoſcit. Vide chartam inter inſtrumenta eccleſiæ Carcaſſonenſis. (Ch. XXIV. col. 432.) Eidem quoque Roberto abbati Bernardus Gratapala de Durfort, uxor Arſendis, eorumque filius Raimundus, necnon ipſius frater Guillelmus alodem de Linars, qui eſt de S. Martino de Puteo anno 1099. III. cal. Januarii reliquerunt. Porro ab hoc tempore in prioratum hactenus regularem defecit, cujus prior etiamnum de triginta ſolidis Turonenſis monetæ & octo ceræ libris annuatim die 27. Novembris S. Maximino Regienſi epiſcopo ſacra perſolvendis erga cœnobium Craſſenſe obſequii cauſa tenetur.

VI. S. Eugeniæ in Corbaria ſuperiori & ſuburbio Narbonenſi monaſterium, præcipuum benefactorem habuit Pontium archiepiſcopum Narbonenſem, qui an. 1179. ei quædam prædia & eccleſias de Agauſiana, S. Andreæ & de Olivis ceſſit; quo jam tempore in prioratum defecerat ſubjectum cœnobio S. Michaelis de Cluſa. Anno 1189. III. idus Sept. volente priore Willelmo de Lacu (qui & prior erat de Olivo 1178.) (Ch. LIV. col. 46.) & aſſentientibus fratribus numero quinque, adjunctus eſt hic locus aſceterio Fontis frigidi; quo ipſo anno 1189. menſe Septembri Raimundus de Bagis Deo, S. Eugeniæ & monachis in eodem loco Deo ſervientibus, ac ſub obedientia abbatis Fontis frigidi jam exiſtentibus contulit domum ſuam, quam habebat in territorio de Olivis, cum eccleſia ejuſdem loci & earum pertinentiis. Hæc autem omnia Bernardus Narbonenſis antiſtes anno ſeq. menſe Junio confirmavit. Dubitatur autem an illud ſit monaſterium, an aliud S. Eugeniæ cognominatum *de Villa ſicca*, in Septimania quoque & jam pridem unitum cœnobio Montis olivi, quod in illo monaſteriorum cenſu facto an. 817. in conventu Aquiſgranenſi inter illa nominatur, quæ ſolas preces debebant pro ſalute imperatoris, &c.

VII. S. Johannes Narbonenſis abbatia vocatur in bulla Innocentii papæ III. enumerantis abbatias & eccleſias cœnobio S. Michaelis de Cluſa apud Taurinos ſubjectas, quas inter recenſetur.

VIII. De puellari ſancti Salvatoris cœnobio prope Narbonam id ſolum novimus, quod nobiliſſima quædam matrona Adelais nomine condito teſtamento ſtatuit, ut *ſanctum opus*, hoc eſt monaſterium virginum, quod *inchoatum* ab ipſa erat *ſubtus Narbonam in honorem omnipotentis Dei ſanctique Salvatoris conſtrueretur*, idque abſolvendum relinquit ſororibus ſuis, domnæque Arſendi comitiſſæ, atque in eam rem conſtituit eleemoſynarios ſuos ſeu teſtamenti exſecutores, Ermengaudum archipræſulem & alios; ac in fine rogat, ut ſi monaſterium S. Salvatoris perfectum fuerit, filia ſua ejuſdem abbatiſſa conſtituatur. Factum teſtamentum IV. nonas Octobris anno XXIV. regnante Lothario. Non exſtat hoc S. Salvatoris monaſterium, imo an unquam perfectum fuerit, incertum.

IX. Abbatia B. Mariæ de Lapideto *de Peyrenſc* prope villam de Rizano Granolheriarum, vulgo *Rizanet*, nec longe a cœnobio Fontis frigidi, conditur, inquit D. Stephanotius, ab abbate Fontis frigidi pro ſacris virginibus circa annum 1180. quas quidem putat fuiſſe Benedictinas ſub inſtituto Ciſtercienſi, ex conjectura profecto, quod unita poſtmodum fuerit abbatiæ Fontis frigidi, tardius enim fundata legitur a Guillelma Gauſberta, conſentiente G. archiepiſcopo Narbonenſi & benefaciente, anno ſcilicet 1254. (Ch. LXXI. col. 66.) ſub regula ſancti Auguſtini, ut Martennius exiſtimat. Beatrix de Alboreya vicecomitiſſa Narbonenſis teſtamento die 8. Junii 1377. condito huic multa reſarciendo monaſterio legavit.

Quatuor nobis occurrerunt abbatiſſæ.

Sibiunda debere ſe pro monaſterio Francorum regi clientelæ profeſſionem & quædam ſervitia recognoſcit an. 1270. ex archivo regio Carcaſſonenſi.

Guillelma, cujus ceſſione

Rixendis evaſit abbatiſſa 1318.

Ferranda 1397. ex charta S. Pauli Narbon.

ABBATIÆ DIOECESIS NARBONENSIS

Quæ hactenus in ſuo primævo ſtatu perſeverant.

SANCTUS PAULUS Narbonenſis, abbatia ſæcularis.

ORDINIS S. BENEDICTI.

S. Petrus de Caunis.
S. Polycarpus.

ORDINIS S. AUGUSTINI.

B. Maria de Quadraginta.

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Fons frigidus *ſeu* B. Maria de Fonte frigido.
S. Maria *ſeu* S. Bernardus de Olivis *vel* de Olivo, *des Olieux*, aut de Lico, *N. Dame de Lec*, puellarum.

ORD. S. CLARÆ.

Clariſſæ Liciniani, *de Lezignan.*
Clariſſæ de Aſyliis *ſeu* de Aſilhaco, d'*Aſilhac.*

S. PAULUS

S. PAULUS NARBONENSIS.

ABbatialis & parœcialis S. Pauli Narbonensis ecclesia, olim extra, nunc intra civitatem sita, non solum a longo tempore sæcularis est, sed a primo fuisse probabilius videtur, tametsi canonici aliquandiu in communi vixerint: inde enim certo colligi non potest vita regularis. Haud quidem inficiamur Urbanum II. papam Guillelmo abbati & nonnullis fratribus regularem vitam professis gratulatum fuisse an. 1093. sed pauci tantummodo erant, renitente majori capituli parte, adeo ut illi paulo post alio se recipere coacti fuerint, in locum scilicet S. Martini de Vernete sibi a capitulo assignatum anno 1114. S. Paulus hujus ecclesiæ patronus, non sanctus Paulus apostolus est, sed Paulus Narbonensis primus antistes, qui & ibidem quiescit.

Ch. XXIX. col. 25.

Charta XXXIV. col. 31.

De fundatore non constat, sed tamen vetus est traditio in necrologio hujus ecclesiæ consignata, Carolum magnum illius esse conditorem; & hanc quidem opinionem veluti consecravit illustrissimus D. de la Berchere archiepiscopus Narbonensis in suo breviario ad diem 27. Julii, ubi in lectionibus translationis reliquiarum S. Pauli de Carolo magno hæc leguntur: *Eo loco monasterium canonicis sub ejusdem S. Pauli nomine ædificari præcepit, quod quidem multis auxit reditibus.* Sane Ludovicus Pius imperator Caroli filius posuit hoc monasterium sub regio *mundiburdo* ad preces Nimfridii Crassensis abbatis & postea Narbonensis archiepiscopi, ut constat ex ipsius diplomate dato Aquisgrani IV. calendas Januarii, quod habes in commentariis Occitaniæ auctore Catello pag. 745. Huic etiam cœnobio Berarius archiepiscopus Narbonensis privilegium impetravit a Carolo Calvo Tolosam tunc obsidente anno 843. XII. cal. Julii, regni ejusdem quarto. Hujus abbas ecclesiæ primas post archiepiscopum tenere in synodis provincialibus consuevit, pedi gestandi privilegio donatus ab Alexandro IV. pontifice XV. cal. Aprilis anno pontificatus tertio. Cetera ad hanc insignem ecclesiam pertinentia, abbatum historiam decurrendo, prosequemur.

Ch. LXXI. col. 68.

Abbatum Series.

I. SAVARICUS innotescit ex concilio habito anno 911. indictione XIV. in villa cui nomen *Fons cooperta*, in territorio Narbonensi, in ecclesia martyris Christi B. Juliani, cui subscripsit.

Marc. Hisp. col. 379.

II. Leutardus & Leotardus abbas & archilevita memoratur annis III. & IV. regnante Ludovico rege (Transmarino) quo quidem ultimo anno XVII. calendas Maii de consensu Aimerici archiepiscopi dedit ecclesiæ suæ molendinum, quod Carolus rex S. Paulo dederat, ea lege ut canonici vitam inirent communem. Subscripsit etiam chartæ ejusdem Aimerici, qua confert S. Paulo confessori patrono civitatis Narbonæ omnem honorem quem habebat in Amseduna, cum ecclesia S. Vincentii, XVI. cal. Novembris anno Christi 958. indict. I. Denique nomen apposuit cuidam commutationi inter eumdem archiepiscopum & Suniarium abbatem Crassensem an. 959.

Ch. XVII. col. 17.

Ch. XVIII. col. 17.

Ch. XIX. col. 19.

III. Aimericus I. archilevita & abbas S. Pauli memoratur annis XV. & XX. regnante Lothario rege. Vide supra in archidiaconis eccl. Narbon.

IV. Galterius cognomento *Bellus homo* abbas erat S. Pauli Narbonensis anno XXII. regnante Lothario, hoc est anno circiter 976. quo Tresagontiæ feminæ de consensu Aimerici archiepiscopi mansum unum concessit. Anno XXIII. ejusdem regis VII. calendas Februarii Samuel Hebræus filius Abraham, ejusque fratres Moyses, Isaac & Levi, huic abbati & Guillelmo levitæ vendiderunt de alode suo molendinum unum in Atace fluvio, in ponte ante Narbonam civitatem, ex tabulario S. Pauli asservato in bibliotheca Colbertina, quæ modo cum regia coaluit.

V. Agius levita & abba subscribit donationi factæ ab Odone levita anno XXIV. regnante Lothario rege.

VI. Aimericus II. anno XXXII. Lotharii regis cum quodam Odone permutationem fecit.

VII. Arucio reperitur abbas anno secundo regnante Hugone.

VIII. Deusdedit *vel* Deusdet archiabbas S. Pauli vocatus in testamento Simplicii sacerdotis condito VI. idus Novembris anno sexto regnante Hugone, nominatur ejusdem exsecutor. Roberti regis anno tertio prædia nonnulla in terminio villæ Atiliani comparavit. Circa 1005. fuit alter exsecutorum testamenti Ermengaudi archiepiscopi Narbon. & anno decimo prædicti Roberti regis pridie idus Aprilis, *al.* 10. Aprilis, *seu* IV. idus, de consensu Ermengaudi archipræsulis nonnulla cum Austendo & Pontio fratribus permutavit. Legitur abbas & levita in charta anni 1007. XI. regnante Roberto rege sub die XIII. calend. Apr. quo dissidia inter Stephanum Prova, Ermesindem & Bellesindem ejus sorores ex una parte, & Pontium ejusque sorores ex altera compescuit, ex tabulario S. Pauli. Rexit ad annum saltem decimum quartum Roberti regis.

IX. Bernardus I. Riquinus sedebat anno XXVI. Roberti regis die Martis IV. cal. Martii, quo Ermesindis *in comitatu Narbonense, in ipso brolio prope Narbonam juxta fluvium Azatis* (Atacis) *modiatas sex de vineis propter uncias duas de auro* ei oppigneravit, ex tabul. S. Pauli.

X. Augerius occurrit abbas an. 1023. pridie cal. Aprilis in placito Narbonæ habito de quodam alodio, quod inter illum & Raimundum Udalgarium erat controversum. Alteram habuit cum eodem Raimundo controversiam, quam cum in proximo armorum sorte ac duello dirimere cogitarent, sopivit Guifredus archiepiscopus III. cal. Nov. anno incerto, ex tabul. S. Pauli. Anno 1029. XXXIII. quo regnare cœpit Robertus Francorum rex, XI. cal. Apr. de consensu ejusdem Guifredi archiepiscopi, domum quam Petrus S. Justi capiscolus incolebat, eidem contulit, ex tabul. capituli Narbon. Denique anno 1031. huic abbati & Guifredo archiepiscopo

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 174.

dederunt Odo & omnes ejus liberi alodium, quod Riculfus quondam in canonicam tradiderat.

XI. Oto bona de Baiis invadere voluit anno 1032. sed obstitit vicecomes.

XII. Bernardus II. Rainonis anno 1. regnante Henrico rege X. cal. Aprilis beneficum expertus est Hugonem comitem Ruthenensem, Septimaniæ seu Gothiæ principem, &c. Reperitur adhuc anno 1033.

XIII. Raimundus Bernardus in charta Guifredi archiepiscopi & abbatis S. Pauli data III. idus Martii an. 1079. memoratur ejusdem antecessor.

XIV. Witfredus & Guifredus abbas S. Pauli & archiepiscopus Narbon. anno 1040. se munificum præbuit erga monasterium Coxanense. Idem est haud dubie ac Guisalfredus abbas sancti Pauli an. 1058. Guifredus enim archiepisc. & abbas S. Pauli an. 1079. III. idus Martii ecclesiæ S. Pauli condaminam dedit super Atace fluvio. Ex quo colligas Raimundum, qui dicitur abbas tempore Guifredi archiepiscopi an. 1058. & Matfredum qui similiter abbas nuncupatus subscripsit XIV. cal. Madii an. 1066. regnante Philippo rege donationi *de Aquali, quæ vocant piscatoria*, factæ Deo & S. Paulo a Berengario vicecomite & Garsinde ipsius conjuge, quique rursus nominatur abbas 5. Febr. anno VIII. Philippi regis in charta eorumdem Berengarii & Garsindis, & adhuc die 1. Martii an. 1068. in quadam comitis & comitissæ Barcinonensis cessione facta Raimundo Bernardo vicecomiti & Ermengardi ejus conjugi, non fuisse proprie dictos abbates, qui nempe fortassis, quando Guifredus a Victore II. excommunicatus fuit, unus post alterum electi fuerant, sed frustra, Guifredo excommunicationem spernente.

XV. Petrus I. episcopus, sive abbas S. Pauli Narbonensis tradit & confirmat in dominio canonicæ fraternæ S. Pauli cunctos *usadges, quæ nominare potest homo, scilicet receptos & placitos, sive fortias pariter & acaptos, quæ ipse usque tunc habuerat, & antecessores ejus in toto isto honore, qui est dominicaturæ canonicæ S. Pauli, &c. Actum II. idus Novembris an. 1080.* Is est profecto Petrus episcopus Ruthenensis, qui post obitum Guifredi archiepiscopatum Narbonensem & S. Pauli abbatiam invasit. Et certe quantum ad hanc ipsam donationem, alibi legitur Petrus *electus Narbonæ post bonæ memoriæ Guifredum archiepiscopus & abbas S. Pauli.*

Ch. XXV. col. 23.

XVI. Guillelmus I. vicecomes Castelli novi, *seu* Castri novi & abbas S. Pauli an. 1085. XVI. cal. Febr. de consensu Dalmatii archiepiscopi dedit ecclesiæ suæ canonicis terram juxta muros Narbonæ civitatis, ex tabulario S. Pauli. Interfuit an. 1090. Narbonensi concilio sub eodem Dalmatio archipræsule, ubi forsan, ac certe eodem anno consensit donationi ecclesiæ S. Grisanti prope Narbonam factæ Richardo abbati Massiliensi ab eodem Dalmatio Narbonensi præsule, ex tabulario prioratus S. Benedicti Narbonensis, hoc est de Monachia. Adfuit etiam cum aliis nobilibus viris, quando Robertus Crassensis abbas Gumbaldo Amelii & Gumbaldo ejus filio sevum & bagliam villæ Canoas concessit anno 1091. VIII. cal. Januarii. Hic autem pius abbas imitari volens sui temporis ecclesias cathedrales & collegiatas plurimas, nihil non effecit ut in suam induceret ecclesiam vitam regularem, sed nullo fere successu. Bulla quidem exstat Urbani II. papæ ad Guillelmum abbatem data XIV. cal. Apr. indict. I. an. 1093. sexto ejusdem pontificatus, qua laudat abbatem & canonicos S. Pauli, quod renovare proposuissent apostolicæ instituta doctrinæ; sed ista renovatio paucorum fuit & ad paucos annos, ut infra videbitur. Ceterum nepotem habuit Willelmum Udalgerii vicecomitem de Castro novo anno 1103. quem proinde suspicamur hunc esse Guillelmum qui fuit archidiaconus Helenensis ecclesiæ, ubi vide.

Append. ad conc. Gall. Narbonens. pag. 85.

Ch. XXIX. col. 25.

XVII. Guillelmus II. Gausbertus dicitur in quodam instrumento Hugonis, qui sequitur, antecessor.

XVIII. Hugo consensit an. 1096. VIII. cal. Septembris donationi sacristiæ & alodis in territorio S. Martini *de Scalas*, in comitatu Narbonensi factæ S. Pauli ecclesiæ a Petro Raimundo sacrista Jerosolymam proficiscente, ex tabulario S. Pauli. Anno seq. mense Septembri Petrus Arnaldi clericus S. Amandi feudum ei dimisit, quod habebat in villa de Motiano, ex eodem tabulario. Reperitur 1105. 1109. & 1112. quo anno XVI. cal. Decembris subscribit initæ compositioni Richardum inter archiepiscopum & Aimericum vicecomitem Narbonensem. Recensetur adhuc alicubi 1114. Sed nulla est ipsius mentio in charta ejusdem anni, qua S. Pauli canonicis, qui vitam regularem meditabantur, assignatus est locus S. Martini de Vernete, hanc habes in appendice. Circa id tempus bona distraxit Hugo ab ecclesia sua, quapropter a Richardo Narbonensi archiepiscopo adductus est in causam, arbitrisque Atone Arelatensi archiepiscopo, Arnaldo Biterrensi & Arnaldo Carcassonensi præsulibus eadem se recuperaturum spondere coactus anno 1117. ex tabulario capituli Narbonensis. Subscripsit anno seq. donationi Berengarii de Casulis factæ Richardo archiepiscopo Narbonensi. Denique hic præsul in sua adversus Aimericum vicecomitem Narbonensem querimonia testes inter quos, inquit, adducere posset, nominat Hugonem S. Pauli abbatem.

Charta XXXIV. col. 31.

Charta XXXIII. col. 28.

XIX. Udalgerius vicecomes de Castello novo, Guillelmi I. nepos, electus abbas dicitur VIII. cal. Martii; de quo etiam in abbatem recipiendo bullam Gelasii II. papæ inscriptam volunt clero ecclesiæ S. Pauli sub nota chronica XVIII. cal. Januarii indict. XV. *lege* XII. a Septembri inchoata. Sane Udalgerius transegit anno 1119. cum quodam Raimundo; memoratur & 1122. mense Augusto in sacramento fidelitatis, quod Aimericus vicecomes Narbonensis Arnaldo de Levezon archiepiscopo præstitit obligans se ad illi serviendum contra omnes, exceptis Raimundo Berengario comite Barcinonensi, Udalgerio abbate sancti Pauli, & aliis nonnullis. Reperitur 1126. in transactione Amelium inter episcopum

Charta XXXVII. col. 33.

Ch. XLIII. col. 38.

Prob. t. 3. hist. Occit. ch. III.

Tolofanum & Berengarium Montis olivi abbatem. Die 7. Julii an. 1127. victum S. Pauli canonicorum fecundum varia totius anni tempora conftituit ; quo etiam anno, Ludovici regis decimo octavo x. cal. Maii fubfcribit donationi Petri Udalgerii & uxoris ejus Stephaniæ, ac eorum filii Dalmatii, de ecclefia S. Mariæ de Fonte & capellania, quas injufte quærebant, factæ monafterio Craffenfi : fignum Petri Udalgerii, fig. Udalgerii abbatis S. Pauli, & vicecomitis de Caftello novo, fig. Gocberti comitis Caftri novi, fig. Guillelmi de Penna.

XX. Pontius de Brugali abbas & archidiaconus (non major) memoratur in charta Arnaldi archiepifcopi querelam inter canonicos & facriftam ecclefiæ cathedralis an. 1145. componentis. Adhuc abbas laudatur an. 1152. quem Baluzius poftea fuiffe Carcaffonenfem epifcopum tradit. Vide ad hanc ecclefiam.

XXI. Arnaldus I. feu Arnulfus de Leveduno abbas S. Pauli Narbonenfis Pictavium ivit ftudiorum caufa v. calend. Junii an. 1152. Obiit 1156. abbas & archilevita, feu archidiaconus Narbonenfis, ubi vide.

XXII. Petrus II. de Foffato emit a Petro Raimundi de Altopullo pretio 600. folidorum Melgorienfium honorem fitum in territorio de Raiffac, *al.* de Reixache, in loco qui nuncupatur *Clapers* vel *Chapars* idibus Maii an. 1163. ex tabulario S. Pauli. Occurrit 1166. & 1167. quo anno præfens memoratur hominio, quod Rogerius Fuxenfis comes pro caftro de Saverduno Tolofano comiti præftitit. Anno 1170. XVI. calend. Martii dedit ecclefiæ fuæ canonicis medietatem decimæ, quam habebat in toto fifco canonicæ ecclefiæ S. Pauli. De confenfu quoque canonicorum contulit ecclefiæ fuæ omnes decimas & reditus quos habebat in decimario d'*Aramata* an. 1173. XVII. calend. Decembris ; eodemque anno Vitali abbati Fontis frigidi domum Stephani de Portali confirmavit.

XXIII. Aldebertus reperitur annis 1174. & 1180. in archivo domanii Monfpelienfis. Æmulum habuiffe videtur Pontium archiepifcopum, qui prima nominis littera P. defignatus, etiam abbas occurrit 1176. & 1179. ac integro nomine Pontius legitur archiepifcopus & abbas S. Pauli an. 1178. cal. Julii regnante Ludovico.

XXIV. Ber. de Rod. tempore Lucii papæ III. a quo redarguitur, quod inconfulto archiepifcopo canonicum admififfet.

XXV. Imbertus litigabat 1185. cum Bernardo archiepifcopo fuper inftitutione facriftiæ. Menfe Januario anni fequentis teftamenti codicillis fepulturam eligit in ecclefia S. Pauli, cui legat 2000. folidos Melgorienfes, monafterio de Afpirano calicem argenteum, & alterum cœnobio Fontis frigidi. Obiiffe dicitur hoc ipfo anno 1186. ex chronico Narbonenfi tom. 8. fragmentorum Stephanotii pag. 101.

XXVI. B. Jordanus archidiaconus Narbonenfis (non major) & abbas S. Pauli, electus dicitur tempore B. (Berengarii) archiepifcopi.

XXVII. Aimericus III. præcedentis fucceffor dicitur in bulla Cæleftini papæ III. electus, ut videtur, anno 1198. quo pridie idus Augufti Berengarius archiepifcopus eligendi abbatis facultatem conceffit.

XXVIII. Petrus III. an. 1204. nonis Septembris fuis dedit canonicis, inter quos erat Berengarius epifcopus Carcaffonenfis, decimam vinearum *claufi* facriftiæ majoris. Teftis eft an. 1214. in charta donationis Narbonenfi capitulo factæ ab Aimerico vicecomite. Reperitur & anno 1217. de quo fic habetur in necrologio : *Anno 1221. obiit magifter Petrus abbas S. Pauli & archidiaconus, qui fundavit unum anniverfarium*, in quo dari debent fingulis annis clericis de ecclefia ultra victum confuetum duodecim denarii, & aliis clericis de choro fex denarii & una libra panis, & fcholaribus tres denarii & dimidia libra panis, de illis fcilicet libris, quas debet dare communitas ea die in caritate quæ fiet in clauftro.

XXIX. Robaldus qui & Rebaudus eligitur abbas per obitum P. renitente A. Narbonenfi archiepifcopo, fed nihilominus electionis ejus confirmatio petitur a Conrado Portuenfi epifcopo fedis apoft. legato an. 1221. menfe Octobri, obtineturque ab Honorio papa III. pridie cal. Martii anno pontificatus fexto ; qui poft biennium fcribens archiepifcopo Narbonenfi de hoc abbate conqueftus eft quod non refideret. Anno 1226. a Craffenfi & S. Hilarii abbatibus accitus fuit, ut monachorum nigrorum cœtui pro reformatione ordinis intereffet. Tandem electus fuit epifcopus Papienfis an. 1232. ac proinde is eft abbas, qui an. 1229. pafchali tempore cum proceffione clericorum ejufdem ecclefiæ operi novæ S. Pauli ecclefiæ primum lapidem pofuit, præfentibus confulibus burgi ejufdem villæ, ex chronico Narbonenfi.

XXX. Petrus IV. Guiraudi facrifta minor ecclefiæ S. Pauli, trium canonicorum alter, quibus Romam adeuntibus poteftatem capitulum fecit, poftquam papa Robaldi Papienfis epifcopi electionem confirmaffet, novi abbatis eligendi. Hac electione facta in ecclefia Lateranenfi, a duobus collegis renunciatus eft abbas anno 1232. Hifce Narbonam reverfis, S. Pauli capitulum probavit electionem, confirmarique petiit a P. Narbonenfi archiepifcopo ; quod cum recufaret, fibi jus omnimodum in abbatiam vindicans, hujus controverfiæ delecti funt arbitri T. Agathenfis & B. Biterrenfis epifcopi cum G. Jordani priore de Caffiano, qui VI. calendas Junii ejufdem anni 1232. irritam electionem declararunt, ftatuentes ut in pofterum de abbatia vacante capitulum moneret archiepifcopum, cujus auctoritate electioni capitulum operam daret : teftes P. de Olargio canonicus S. Pauli Narbonæ, Berengarius abbas S. Jacobi Biterrenfis, &c. ex Baluzio, *extrait de la liaffe Languedoc n. 14.*

XXXI. Guillelmus II. Peyroneti an. 1233. VII. calend. Martii urbis Narbonæ confuetudines firmavit, ex tabulario urbis. Adhuc præerat 1235. Idem forfitan ac G. abbas S. Pauli memoratus in necrologio Caffiani III. idus Maii.

XXXII. Guillelmus III. Gersius recensetur in hominio, quod Geraldus de Pipionibus præstitit Petro archiepiscopo Narbonensi.

XXXIII. Bernardus III. de S. Bricio reperitur abbas 1240. 42. 47. & 1249. quo anno xv. cal. Septembris in exsecutionem bullæ Innocentii papæ IV. datæ III. nonas Martii pontificatus anno quinto, eidem pontifici damna renuntiavit illata Bolbonensibus monachis ab Appamiensibus, qui a grangia *de Bono repauso* vi armorum occupata Bolbonensem abbatem saucium repulerant, ex tabulario Bolbonensi. Testis occurrit hominii Raimundi de Burano 1251. exhibiti Guillelmo archiepiscopo; quo etiam anno memoratur in charta concordiæ initæ Guillelmum inter archiepiscopum & Amalricum vicecomitem. Reperitur adhuc 1254. & 1255. ad quem annum sic habet necrologium domesticum: *Obiit Bernardus de S. Bricio abbas S. Pauli, Magalonæ sepultus:* & in necrologio Cassiani legitur: *calendis Aprilis ob. D. Bernardus de S. Bricio abbas S. Pauli Narbonensis.*

Prob. t. 3. hist. Occit. col. 460.

Append. conc. Gall. Narbon. pag. 130. 146.

XXXIV. Geraudus, Geraldus & Guiraudus de Narbona an. 1256. XII. cal. Jan. a Petro de Redorta totum jus quod habebat in quadam ferragine, dono accepit; quo etiam anno III. nonas Augusti reperitur in charta Caunensi. Eidem Alexander papa IV. gerendi baculi pastoralis adinstar ceterorum provinciæ abbatum privilegium indulsit bulla data xv. cal. Aprilis anno pontificatus tertio. Memoratur Guiraldus abbas S. Pauli anno 1259. in archivo domanii Monspeliensis. Anno sequenti XVI. cal. Januarii societatem precum iniit cum Raimundo de Serinhano S. Afrodisii abbate. Transegit an. 1261. IV. idus Novembris cum Amalrico vicecomite de mero imperio, & vitæ ac necis potestate, quæ dictus abbas, capitulum & sacrista in burgo civitatis ad se pertinente sibi vendicabant, ex tabulariis S. Pauli & vicecomitatus. Eodem anno III. nonas Januarii Arnaldus Margalionis eum sui testamenti cum aliis nonnullis exsecutorem constituit. Anno 1264. III. cal. Junii inter abbatem (male Gregorium appellatum) & inter capitulum ecclesiæ S. Pauli convenit, abbates hujus ecclesiæ capellam S. Amantii possessuros, cujus reditus presbytero ad vitæ necessaria minime sufficientes impendi deberent ecclesiæ luminaribus. Insequenti 1265. VII. idus Julii Geraldus abbas & alii duo ex delegatione sedis apostolicæ querelam inter abbatem Bolbonensem & Jausbertum abbatem Coxanensem ratione prioratus de Tramesaigues composuerunt, ex tabulario Bolbonensi. Hoc autem anno die 25. Julii translatus fertur S. Pauli Narbonæ tumulus de rota chori ad principis aræ columnas per virtutem Dei & magnum miraculum. Reperitur eodem anno Bernardus de Narbona, sed legendum *Geraldus*, uti etiam pro Berardo, quem dicunt anno 1267. cum Maurino archiepiscopo transegisse, & alibi rursum laudari volunt 1268. Nam Geraldus anno 1266. v. idus Aprilis paciscitur cum fratribus de Pœnitentia apud Narbonam super candelis in eorum ecclesia oblatis, quarum media pars ad abbatem pertinebat. Occurrit etiam 1271. & 1273. quo anno testis est hominii, quod Petrus Raimundus Bedocii Petro archiepiscopo præstitit. Eodem anno VI. idus Augusti Guillelmus de Venino miles, Aimerici vicecomitis *vigarius* & Raimundus de Montseren Guiraudi abbatis *vigarius* P. archiepiscopi Narbonensis procuratores, statuta de modo quo in civitate Narbona gerenda sint arma condiderunt, ex tabulario urbis Narbonæ. Denique Geraldus abbas procurator Jacobi filii Aragonum regis matrimonium contraxit cum Esclarmunda filia comitis Fuxensis an. 1275. Vitam clausit an. 1277. XIII. cal. Febr. ex chronico ecclesiæ sancti Pauli Narbon. cui nonnulla legavit, ubi & additur: *Præterea clerici debent absolutionem facere post missam majorem celebratam coram altari majori pro anima dicti D. Geraldi, in quo loco corpus ejus venerabiliter requiescit, animæ cujus propitietur Dominus.*

Ch. LXXI. col. 68.

Tom. 10. spicil. pag. 262.

Catel. ad calcem hist. com. Tolos.

XXXV. Bernardus IV. de Olargiis electus abbas ex præcentore III. cal. Febr. an. 1277. testis occurrit in instrumento cœnobii Arulensis an. 1279. Defunctus est hoc ipso anno XI. cal. Maii, ex necrologio S. Pauli & chronico Narbonensi.

XXXVI. Raimundus I. Gras *vel* Grassi successit eodem anno 1279. VIII. idus Novembris. Insequenti compositionem iniit cum Berengario de Botenaco domicello. Morbo detentus anno 1281. xv. cal. Aprilis suum instituit procuratorem Guillelmum de Fonte cooperto, qui Biterris indicto concilio a Petro Narbonensi archipiscopo sui vice interesset. De illo sic habet necrologium S. Pauli: *Anno 1283. obiit Raimundus Gras*, & quidem XIX. cal. Januarii, ex chronico Narbonensi.

XXXVII. Guillelmus IV. de Fonte cooperto, idem procul dubio, qui Raimundi superioris vices supplevit in concilio Biterrensi an. 1281. fuit exsecutor testamenti Raimundi de Bagis an. 1287. Reperitur Guillelmus abbas 1290. mense Julio in archivo domanii Monspeliensis. Anno 1292. octavo idus Decembris vocatus abbas & vicarius generalis domini archiepiscopi annuit petitioni consulum Narbonæ civitatis, qua sibi licitum esse rogabant vindemiam & vinum externum ingressu dictæ civitatis interdicere, ex tabul. urbis Narbonæ. Eidem abbati an. 1294. idibus Aprilis Berengarius Bertrandus presbyter jurejurando promisit se quamlibet ab illo impositam pœnam subiturum, ex tabulario S. Afrodisii Biterrensis. Rogatus Guillelmus abbas & vicarius generalis Egidii archiepiscopi a consulibus Narbonæ, IV. cal. Junii an. 1297. ut secundum bullam Bonifacii papæ datam anno primo ejus pontificatus nonis Novembris clericis ejusdem civitatis artes mechanicæ interdicerentur, se ipsis facturum satis pollicitus est pridie nonas Junii ejusdem anni, ex tabulario urbis. Occurrit anno 1300. simul abbas & vicarius generalis archiepiscopi in archivo domanii Monspeliensis. Anno 1301. IX. cal. Febr. Guillelmus abbas sæcularis ecclesiæ S. Pauli tanquam judex nescio cujus

controversiæ ab Egidio Narbonensi archiepiscopo subdelegatus, aliquot testes ad suam disquisitionem vocavit. Idem abbas & vicarius generalis Egidii archiepiscopi una cum Amalrico vicecomite Narbonensi, rogatu consulum urbis anno 1305. idibus Martii statuta super armis gerendis ab ipsis consulibus condita approbavit, ex tabulario urbis Narbonæ. Nominatur adhuc Guillelmus abbas & vicarius generalis Egidii archiepiscopi anno 1306. in veteri charta Crassensis abbatiæ. Denique fundato uno presbytero e vivis excessit an. 1308. VI. cal. Augusti, & adhuc vacabat sedes 1309.

XXXVIII. Bernardus V. de Olargiis reperitur abbas annis 1309. & 1310. ad quem ultimum annum vide concertationes Bonifacii papæ VIII. cum Philippo Pulcro rege pag. 367. Anno vero 1314. vel mortuus erat, vel abdicaverat, sedes enim hoc anno vacare dicitur.

XXXIX. Petrus V. de Narbona excusat se anno 1317. quod synodo Biterris celebrandæ interesse non possit. Deinde, inquiunt, evasit episcopus Urgellitanus, qua dignitate ornatus dicitur anno 1322. at legendum videtur 1332. *vel* 1342. ita ut hæc episcopalis dignitas non ad hunc spectet, sed ad alium cognominem, qui revera fuisse videtur hujus sedis episcopus, ut infra videbitur.

XL. Philippus de Majoricis præerat jam anno 1318. quo ecclesiæ S. Pauli canonici ad mutuas de nominatione syndicorum capituli querelas sopiendas & exstinguendas auctoritatem Johannis Ferrerii ejusdem Philippi vicarii generalis inclamarunt. Anno 1323. fit ei gratia jurisjurandi a novis abbatibus præstari soliti. Die 21. Martii an. 1327. nescio quæ Philippi cum suo capitulo controversia, Berengarii Helenensis episcopi & Berengarii Mainardi canonici S. Justi & S. Pauli arbitrorum judicio componitur.

XLI. Arnaldus II. legitur defunctus an. 1328.

XLII. Pontius II. de Aurencha hoc ipso anno 1328. electus est.

XLIII. Petrus VI. de Narbona filius Amalrici vicecomitis Narbonæ ex Johanna *de l'Isle Jourdain* occurrit abbas 1331. quo anno canonici in unum congregati eidem reverentiam & obedientiam exhibuerunt, ex Catello commentariorum Occitaniæ pag. 614. In chronico ecclesiæ S. Pauli Narbon. ad calcem hist. comitum Tolos. eodem auctore Catello legitur: *Anno 1332. IV. cal. Augusti Petrus de Narbona erat abbas S. Pauli.* An. 1335. feria VI. post festum S. Barnabæ in exsecutionem bullæ Benedicti papæ datæ III. nonas Aprilis anno pontificatus primo, statuta cum capitulo condidit super officii divini celebratione, & vitæ ac morum emendatione. Die 4. mensis Augusti an. 1337. fuit exsecutor testamenti Amalrici Narbonæ vicecomitis, cujus avunculus dicitur. Fuit autem episcopus Urgellitanus, obiitque apud Montempessulanum die 9. Novembris an. 1347. ex schedis viri doctissimi D. Lancelot; sed jam dudum desierat esse abbas, & quidem ab anno saltem 1342. quo sedes vacare dicitur.

Tom. 1. anecdot. Martenn. col. 1388.

XLIV. Adhemarius de Aura sedebat anno 1347. quo Johannes de Guillano & Stephanus Guersa ejusdem vicarii generales cum ejusdem ecclesiæ capitulo statuta condunt pro usu oblationum fidelium. Idem fortasse est ac Augerius, qui memoratur abbas in variis instrumentis annorum 1345. 46. & 48. nisi duo sint competitores, quorum alter electus, & alter a pontifice Romano institutus.

XLV. Bernardus VI. prior de Olargiis per obitum Augerii provisus dicitur a Clemente VI. anno ejus pontificatus septimo. Obiit Avenione.

XLVI. Arnaldus III. de Villariis an. 1357. incolas loci de Raissac exemit a servitute, sub onere tamen quarumdam operarum, *Corvées*, quas sibi retinuit. Bellicadrum missus a Pictaviensi comite tenente locum regis in Occitania, pro mercede seu beneficio quinquaginta quatuor accepit nummos, ex charta authentica collectionis D. de Gagneres.

XLVII. Petrus VII. prior de Muraco diœcesis Castrensis, creatus abbas dicitur per obitum Bernardi ab Innocentio VI. pontifice VII. cal. Febr. anno pontificatus sexto. Ex quo inferre licet Arnaldum, qui supra, successisse Adhemario per electionem, dum interim Bernardus pontificia nominatione Augerio successit.

XLVIII. Guiraudus II. memoratur abbas an. 1369. in quadam cum Carmelitis transactione. Hoc autem anno die 10. Octobris corpus B. Pauli fuit positum supra columnas, in quibus nunc est, ex chronico ejusdem ecclesiæ.

XLIX. Astorgius de Landorra reperitur abbas 1379. 1387. & 1395. in collationibus beneficiorum factis a Begone Sicardi canonico S. Justi, hujus abbatis vicario generali. Eodem anno hujus ecclesiæ beneficiatorum vitam fuisse licentiorem colligitur ex bulla Benedicti XIII. seu Petri de Luna data hoc anno die 5. Aprilis, qua pro continendis illis statuta condit. Adhuc præerat Astorgius 1398. ut palam fit ex sententia, quam arbiter tulit Bernardus Ruthenorum comes inter ipsum & ejus fratrem Raterium de Landorre filios Amalrici de Landorre ex una parte & Alipidem de Landorre filiam Arnaldi de Landorre, &c. ex altera. Datum 29. Martii an. 1398. ex tabulario Ruthenensi.

L. Gilbertus de Veyraco legitur abbas 1405. & 1409. quo anno die 9. Junii præsens memoratur consecrationi Gaufridi de Pompadorio electi Tomeriensis factæ in ecclesia Narbonensi a Petro Vasatensi episcopo Francisci archiepiscopi vicario generali. Reperitur adhuc 1413. & 1421.

LI. Raimundus II. de Fabricis præerat anno 1426.

LII. Guibertus 1430.

LIII. Albertus 1449.

LIV. Rodulfus Bonerii abbas S. Pauli & vicarius generalis archiepiscopi Narbon. obiit anno 1458. IX. cal. Julii.

LV. Petrus Raimundus de Auxilione legum doctor sedebat 1463. & 1467. quo anno transactione facta cum Antonio Crespin archiepiscopo Narbonensi, collationem unius canonicatus

in ecclesia S. Pauli ei concessit; & vicissim archiepiscopus jus *ipsi* dedit curionatum de Raissac conferendi. *Memoratur* adhuc 1473.

LVI. *Georgius* de Ambasia nepos Galcherii de Forcalquier episcopi Vapincensis, qui suum in ejus gratiam testamentum condidit 22. Julii 1483. Jam anno 1475. suum in hac abbatia *vicarium* generalem Petrum Bajuli constituit.

LVII. Ludovicus d'Auceille.

LVIII. Antonius I. Daudé.

LIX. Geraldus III. Boyssérie promotus ab archiepiscopo Narbonensi, excipitur a canonicis, & in possessionem inducitur die 16. Novembris an. 1496.

LX. Johannes de Pondere 1501. & 1502. quo anno resignavit sequenti.

LXI. Petrus VIII. de Auxilione abbas S. Pauli & episcopus Carcassonensis erat 1505. & 1510. quo anno recognitiones bonorum ad abbatiam S. Pauli spectantium renovari curavit. Cessit anno seq. in manibus papæ Julii II.

LXII. Martinus de S[t]. André clericus Carcassonensis, natus annos XVI. cedente, ut diximus, Petro de Auxilione ejus consanguineo in manibus Julii papæ, hanc ab eodem pontifice abbatiam obtinuit XI. *vel* XII. cal. Febr. anno pontificatus nono, hoc est 1511. cujus post biennium per procuratorem accepit possessionem. Factus autem episcopus Carcassonensis an. 1513. hac & ipse postmodum abbatia cessit in manibus Clementis papæ VII. in gratiam sequentis.

LXIII. Petrus IX. de Auxilione canonicus Narbonensis & Carcassonensis, ex cessione Martini superioris abbas instituitur bulla Clementis papæ VII. data XIV. cal. Januarii 1524. pontificatus anno secundo; qua & ipsum pontifex ab omni censura ecclesiastica immunem declarat, quam incurrere potuisset ratione canonicatuum, præbendarum, prioratuum, &c. ab ipso possessorum. Migravit a sæculo XVI. calend. Junii an. 1527. ex chronico Narbonensi, *vel* 18. Maii 1528. ex necrologio Narbonensis ecclesiæ, ubi sic habetur: *Festum S. Raimundi fundavit Petrus de Auxilione abbas S. Pauli de Narbona, & canonicus istius ecclesiæ, qui obiit anno 1528. 18. Maii. Heredes fecit istam ecclesiam & ecclesiam S. Pauli æquis partibus.*

LXIV. Thomas de S. Bonito electus anno 1528. obiit 1530.

LXV. Petrus X. Chaboti baccalaureus in decretis & canonicus, abbas electus 1530. defecit an. 1534. mense Julio.

LXVI. Tristandus de Clermont schedula tum regia, tum pontificia munitus abbatiæ possessionem apprehendit die 26. Maii an. 1529. non obstantibus contestatis capituli denunciationibus. Litigavit ergo cum duobus præcedentibus a capitulo electis, sed nunquam possessionem assecutis, quorum altero demum defuncto, Tristandus ipse a capitulo electus die 2. Sept. 1534. iterum cepit possessionem quietam & pacificam.

LXVII. Benedictus Dupont abbas erat 1537. Abdicavit postea in gratiam sequentis.

LXVIII. Antonius II. Besson legitur abbas jam an. 1568. tametsi haud prius a vicario generali Narbonensi confirmatus fuerit, quam die 15. Febr. an. 1572. bullasque a Gregorio XIII. anno tantum 1574. obtinuerit. Vivere desiit 19. Septembris an. 1577.

LXIX. Henricus I. de Altomari *d'Autemar* officialis Narbonensis, admissus abbas die 26. Aprilis an. 1578. mortem oppetiit 1580.

LXX. Bartholomæus Fabri ex canonico abbas electus die 22. Septembris an. 1580. confirmatur a vicario generali capituli Narbonensis, cui obsequium juravit 10. Octobris ejusdem anni, sede archiepiscopali vacante; statimque hoc anno partem dominii terræ S. Amantii alienavit, cum aliter decimis extraordinariis suæ abbatiæ impositis satisfacere non posset. Obiit an. 1584. sepultus in choro prope majus altare ante cathedram abbatialem.

LXXI. Petrus XI. de Mamillon promotor Narbonensis, admissus abbas 1585. die 25. Junii, eodem anno prædiorum in dominio sancti Pauli abbatiæ sitorum tam intra urbem quam juxta renovari fecit recognitiones. Vocatur doctor in decretis & abbas S. Pauli an. 1604. quo regente 1602. Ludovicus de Vervins archiepiscopus Narbonensis visitata sancti Pauli ecclesia, Deo gratias egit de regimine abbatis in omnibus tam spiritualibus, quam temporalibus. Denique procurator etiam fiscalis eminentissimi D. cardinalis de Joyeuse Narbonensis archiepiscopi, & concionator insignis e vita migravit an. 1615. sepultus cum abbatialibus insigniis, pedo scilicet ac mitra. Ornamenta dedit ecclesiæ S. Pauli, & unum anniversarium fundavit.

LXXII. Gabriel Dumas ex canonico ecclesiæ S. Justi per electionem capituli S. Pauli abbas constitutus, æmulum habuit, quem vicit, Arnaudum Guyon a rege Ludovico XIII. designatum die 7. Novembris an. 1615. Gabriel autem eo ipso anno residuum dominii & justitiæ terræ sancti Amantii alienavit pro certa pecuniæ summa, retento ad singulas abbatum mutationes hominio; feodi quoque in territorio de Raissac siti hominium excepit.

LXXIII. Bernardinus d'Autemar per resignationem avunculi præcedentis abbatiam obtinuit, quam subinde per Franciscum de Tregoin electum a capitulo impugnatam via compositionis sibi asseruit. Ecclesiæ suæ calicem dedit cum urceolis ex argento inaurato. Defunctus anno 1668. ante abbatialem cathedram sepultus est.

LXXIV. Henricus II. d'Autemar superioris frater, regi ab eleemosynis, abbas de Ulnis *d'Eaunes* diœcesis Tolosanæ, & S. Guillelmi de Deserto, qui quondam cœtui cleri Gallicani an. 1625. interfuerat, hanc abbatiam S. Pauli per electionem assecutus est die 3. Jan. an. 1669.

LXXV. Hyacinthus d'Autemar de Tauri ex patrui resignatione evasit abbas eodem anno 1669. die 29. Decembris. Obiit 1693. sepultus ante cathedram abbatialem.

LXXVI. Stephanus le Franc de la Grange doctor Sorbonicus & vicarius generalis eminentissimi cardinalis de Bonzi archiep. Narbonensis,

olim canonicus theologus S. Justi, & in eadem ecclesia Corbariensis archidiaconus, præses quoque in camera subsidiorum Montis albani anno 1682. nondum abbas S. Pauli, interfuit comitiis generalibus cleri Gallicani, qui tandem electus abbas 17. Novembris 1693. ac possessionem adeptus 1695. eo nomine per suum procuratorem Johannem Vincentium Fabre S. Pauli canonicum adfuit diœcesanæ synodo Narbonensi an. 1706.

LXXVII. Johannes Baptista de Macheco de Premeaux nobilis Divionæus, pronepos ex sorore illustrissimi archiepiscopi Narbonensis D. de la Berchere, parentes habuit Benignum de Macheco dynastam de Premeaux, Villy & Segrois, in suprema Burgundiæ curia senatorem integerrimum & Annam le Cocq de Corbeville ex primæva primarii senatus Parisiensis familia ortam, utrumque insigni pietate magis quam avita patriciorum nobilitate spectabilem. Electus abbas S. Pauli 27. Martii an. 1709. per obitum præcedentis, adiit possessionem die 3. Aprilis ejusdem anni per procuratorem dominum Pech S. Pauli canonicum, cui viro doctissimo hæc nostra S. Pauli plurimum debet historia.

LXXVIII. Johannes Franciscus de Macheco de Premeaux Divione natus die 4. Febr. anno 1687. cum puer in grammatica lusisset, absoluto in patria Rhetoricæ cursu, Lutetiæ philosophiam, sacramque theologiam didicit. Tum sub finem anni 1709. fratri suo Johanni Bapt. in abbatia S. Pauli successit, cujus possessionem nactus est 6. Octob. anno 1711. jam anno præcedenti hoc titulo ad generalia cleri Gallicani comitia deputatus, ubi cum de nova editione libri, cui titulus *Gallia Christiana*, actum esset, ad inspiciendum operis prospectum una cum Carolo le Goux de la Berchere Narbonensi archiepiscopo selectus est, iisdemque referentibus novum opus solemni plausu exceptum, domno Dionysio Sammarthano demandatum est conficiendum. Eodem anno 1710. decurrente regia schedula designatur abbas S. Margaretæ in diœcesi Eduensi, ad quem locum revocare canonicos regulares non semel tentavit, spem defraudante sola redituum tenuitate, quæ suos a depauperata solitudine multis ab annis eliminaverat. Post emensum in seminario Sansulpiceo annum integrum initiatus sacerdos Narbonam petiit, & ibi in ecclesia sancti Pauli assiduus, implendo abbatiali muneri omnem operam dedit. Ad generalia cleri comitia iterum delegatus an. 1715. in his præside Carolo archiepiscopo Narbonensi inscribendis cœtus regestis scriba sedulus incubuit. Narbonam redux archipræsulem, a quo jam dudum fuerat in partem sollicitudinis adscitus, collaborando adjuvit, & senescentem avunculum nepos addictissimus sublevare non destitit, donec meritis cumulatum præsulem Deus ad se traxerit die 2. Junii 1719. Nec tamen obfuit immatura mors, quin optimi primatis memores provinciæ Narbonensis antistites & cleri proceres anno sequenti 1720. die 21. Aug. res cleri Gallicani jam bis expertum ejusdem administrum generalem renunciaverint: quo in munere institutus a compluribus cardinalibus & episcopis die 3. Octobris ejusdem anni, iisdem satagentibus regis de more conspectum subiit. Christianissimo rege Ludovico XV. sacram unctionem Remis suscipiente die 25. Octobris 1722. cum adstantibus præsulibus adfuit, ac etiam cleri comitiis Lutetiæ habitis anno 1723. necnon iis quæ anno 1725. celebrata sunt, in quibus scribæ partes implevit. Tum igitur expleto in administri generalis munere quinquennio, eo cum laude functum ac de clero bene meritum sacer cœtus die 21. Junii 1725. testatus est; emeritusque ut ad episcopatum sublimaretur publico voto patres a rege decreverunt postulare; qua rex impulsus cleri supplicatione, ipsum donavit episcopatu Conseranensi die 29. Martii 1726. quem bullis confirmatum apostolicis illustrissimus Carolus tunc Aquensis, nunc vero Parisiensis archiepiscopus, suffragantibus Lactorensi & Valentinensi episcopis in sacello seminarii Sansulpicei die 12. Januarii 1727. una cum electo Grassensi episcopo inauguravit. Emisso postridie Marliaci in manibus regis clientelæ sacramento, ad suam festinus properat sedem, in qua rite exceptus fuit die 21. Aprilis ejusdem anni. Agnoscendi commissas oves impatiens totam diœcesim quamprimum lustrare satagit, necnon ad erudiendum clerum (quæ in desuetudinem abierant) tam de scriptura sacra, quam de rebus ecclesiasticis utilia parochos inter colloquia quolibet haberi mense præcepit, regulisque firmavit præsul assiduus in sua diœcesi, pastorque fidus nunquam non pascendo gregi suo intentus, qui vix onus episcopale suscepit, cum in abbatia S. Pauli Narbonensis successorem sibi delegit clarissimum virum Johannem Mariam Catellan ex illustri inter togatas Tectosagum familia, non posse ratus dare pretiosius suæ erga priorem sponsam sinceræ dilectionis monumentum.

LXXIX. Johannes Maria Catellan theologicus doctor Navarrææ domus, jam abbas Bullencuriæ ordinis Cisterc. in diœcesi Trecensi, deputatusque ad comitia cleri Gallicani an. 1725. abbatiæ quoque S. Pauli Narbonensis ex cessione præcedentis possessionem apprehendit die 14. Junii an. 1727. Ejus quoque diligentiæ hancce S. Pauli historiam non parum debere animi gratitudo silere non permittit.

S. PETRUS DE CAUNIS.

Conflatum est hoc monasterium Benedictinum ex duobus, altero S. Johannis in Extorio, *seu* Exequariensis, altero SS. Petri & Pauli de Caunis nuncupato. Primum Anianus condiderat circa annum 780. in ipsa villa Caunis ad fluvium Argentodublum, qui in Atacem influit, quinque leucis a suo fonte; alterum in eadem villa pagi Narbonensis & suburbii Minerbensis super eumdem fluvium, sacratumque, ut diximus, sub titulo BB. apostolorum Petri & Pauli, Danielem abbatem habuit auctorem, qui quidem illud nondum ex integro absolutum Aniano in

Mabill. Diplom. pag. 545. eleemosynam concessit ante annum 791. approbante Carolo magno; statimque Anianus ex utroque cœnobio unum effecit, quo tempore Milo Narbonensis comes villam *Caonas* monasterio Aniani abbatis legasse traditur, & Magnarius itidem comes Narbonensis ipsius limites constituisse in placito ea de re habito, ubi dicitur Anianus abbas cum suis monachis deservire *S. Johannis Exequariensis vel S. Petri & Pauli monasteriis, quæ ædificavit supradictus Anianus cum fratribus suis supra rivo Argentodublo in villa Caunense, quæ ab antiquo dicebatur Busintis;* quam villam rex Carolus ipsi abbati ejusque fratribus post Milonem perdonaverat, præcepto edito in libro sexto de re Diplomatica pag. 503. anno regni vicesimo & vicesimo sexto, hoc est 788. & 794. quod ita videtur intelligendum, ut Aniano primum abbati ex monasteriis S. Johannis & sancti Laurentii se suumque monasterium sub regia tutela ponenti cum rebus omnibus quas possidebat Carolus rex benignum præbuerit auditum anno regni vicesimo, ac deinde eidem abbati, postquam villam Caunas a Milone comite assecutus est, ad synodalem regis conventum cum suis monachis accedenti ipsam confirmaverit anno regni vicesimo sexto. Ceterum monasterium Caunas Astronomus recenset inter illa viginti sex aut Aquitaniæ, aut Septimaniæ, quæ dicit a Ludovico Pio vel condita, vel restaurata; & hoc quidem in constituto ejusdem imperatoris facto anno 817. in concilio Aquisgranensi, in censu illorum est, quæ solas orationes debebant pro salute imperatoris, &c. Unitum legimus, hoc est subjectum S. Pontio Tomeriensi bulla Lucii papæ III. quam vide inter instrumenta hujus ecclesiæ, ac deinde S. Victori Massiliensi ab Urbano papa V. bulla data Avenione idibus Julii anno pontificatus quarto, sed hæc suum sortita non est effectum. Caunarum locus successu temporis in urbeculam accrevit, in qua hodiedum subsistit hæc abbatia Benedictina sub reformata S. Mauri congregatione illuc inducta anno 1663. Cetera, quæ ad hanc abbatiam spectant, in abbatum historia require.

(Marginal notes: Prob. novæ hist. Occit. t. 1. col. 28. — Ch. XIII. col. 89.)

INDEX ABBATUM.

I. ANIANUS fuit primus auctor & primus abbas duorum cœnobiorum in diœcesi Narbonensi, nempe S. Johannis *in Extorio* seu *Exequariensis* & S. Laurentii in Olibegio, de quo infra in veteribus diœcesis S. Pontii monasteriis, uti nos docet diploma Caroli magni editum in libro sexto de re Diplomatica pag. 503. Actum *Franconofurd* palatio XIII. calendas Augustas anno regni ejus vicesimo sexto & vicesimo. Adhuc memoratur Anianus in placito Cixiliani vicedomini in gratiam cœnobii Caunensis anno 34. regnante domino nostro imperatore Carolo rege Francorum & Longobardorum, hoc est 802. Exstat etiam in tabulario Caunensi authenticum instrumentum venditionis salinarum Narbonensium a quodam Sonefrido & Ramelsana ejus uxore factæ Annoni abbati, Landaldo presbytero, ceterisque ejus loci monachis anno XII. imperii Caroli magni IV. calendas Martias: & anno XIII. ejusdem principis Ermenoldus quidam vendit Anno abbati terram sitam in territorio Narbonensi, suburbio Ventajonense, infra villæ *Obiles* terminos; hic autem Anno vel Annus haud alius videtur esse ab Aniano abbate, qui basilicam interim absolutam dedicari fecit XVII. calendas Dec. ut discimus ex veteri inscriptione, quæ hactenus pone majus altare legitur his verbis: *In nomine Domini nostri Jesu dedicatio SS. apostolorum Petri & Pauli, seu S. Stephani, & S. Martini episcopi & confessoris Christi XVII. calendas Decembris .... quam ædificavit Anianus abba cum monachis suis.* Fuit autem Anianus S. Benedicto Anianensi carus & familiaris, a quo legem Benedictinam observandam accepit. Theodulfus quoque Aurelianensis antistes Anianum abbatem in carmine ad Benedictum Anianensem abbatem commendat hoc disticho:

(Marginal note: Ibid. c. 30.)

Sed nec prætereas sancti loca fratris Atili,
Anianique mei tecta verenter adi.

II. Johannes I. præerat jam anno sexto regnante & imperante Lodoiko imperatore, quo & quidem VII. idus Febr. Benedictum quemdam ab omni jugo servili, tradita libertatis charta, absolvit, eique tanquam ingenuæ & ex ingenuis parentibus procreatæ personæ, testificandi, *testamentandi* & quælibet negotia peragendi potestatem fecit. Idem etiam reperitur in charta Caunensi authentica, cujus exemplum integrum in libro sexto de re Diplom. pag. 513. exhibetur, octavo anno ejusdem Ludovici gloriosissimi imperatoris, quo vinea quædam sita in villa Marinorena, in insula Lici, territorio Narbonensi a quodam Maimone in extremis legata, facto a testibus juramento, asserta est monasterio S. Petri apud Caunas, agente Mancione presbytero, qui erat *abogadus de Johanne abbate*, id est advocatus Johannis abbatis. *Actum sub die pridie calendas Abriles anno octabo imperante domno nostro gloriosissimo Ludoihcco imperatore.*

(Marginal note: Ibid. c. 55.)

III. Azenarius, idem fortasse, qui dictus presbyter scripsit & subsignavit chartam venditionis salinarum factæ Annoni abbati anno XII. imperii Caroli magni. Quædam in villa Rotunda seu Petra Rotunda, villa Caseriaco acquisivit sexto nonas Maias anno IX. imperante Ludovico.

IV. Johannes II. Azenario jam successerat anno XIII. regnante domino imperatore Ludovico, quo XIV. cal. Januarii incolæ locorum de Combalito & de Castaniaras, quæ Carolus magnus & Ludovicus Pius imperatores monasterio dederant, ea se tenere a Johanne abbate profitentur. Anno sequenti Toloniacum in pago Reddensi a Centullo accepit, & anno XIX. regnante eodem Ludovico imperatore Beulo quidam ei plurima dedit. Is esse videtur Johannes abbas, cui & fratribus Caunensis monasterii, seu basilicæ SS. apostolorum Petri & Pauli *in ripa Argentidupri* matrona quædam nomine Ispanildes bona sua testamento reliquit.

V. Gundisalvus & Gondesalvius tres *molini* partes

partes ſiti in territorio Narbonenſi, Ventajonenſi ſuburbio, termino villæ Teſctanni, in quo Auſtovaldus habitat, comparat viginti ſolidorum pretio ab Undeſindo clerico & ejus conjuge Vindelina III. nonas....... anno tertio, quo dominus Ludovicus imperator obiit, hoc eſt 843. Anno regni Caroli Calvi decimo tertio, id eſt 852. Spinaſſeria ſilva ſita in territorio Narbonenſi, ſuburbio Ventajonenſi, ipſi adverſus quemdam Odilonem aſſerta eſt in generali placito, quod habuit Udalricus comes in villa territorii Narbonenſis Criſpiano IV. idus Septembris anno memorato: quod judicium, agente Ramno *mandatario* ſeu advocato Gondiſalvi abbatis, *ex lege Gothorum* prolatum eſt. Vide probationes t. I. novæ hiſtoriæ Occitaniæ pag. 99.

VI. Donadeus anno XIII. regnante Carolo rege IV. calendas Januarii, hoc eſt 852. *vel* 853. quidquid Enneco preſbyter habebat in villa Olenciaco, vel infra ejus terminos, in territorio Narbonenſi, ſuburbio Minerbenſi, ab eodem dono accepit. Anno XVII. regnante eodem Carolo memoratur a Stephanotio, quo quidem anno, ut conjicimus, non XXII. ejuſdem Caroli regis, ut ſcriptum reperimus, ſecundo videlicet apice X. pro V. amanuenſis oſcitatione poſito, Raleſinda & filius ejus Boſo ei dederunt terram quamdam in territorio Carcaſſonenſi prope S. Fructuoſi monaſterium IV. calendas Martias.

VII. Godeſcalcus anno XIX. regnante Carolo rege menſe Novembri vineam quamdam de alode Eldeberti preſbyteri quondam, id eſt defuncti, ſitam in ſuburbio Minerbenſe infra terminos villæ de Canaviago accepit ab Oredo & Wiſando. Anno XXIV. ejuſdem regis nonis Febr. quidam Donatus Sanctiſſimi quondam eleemoſynarius, id eſt teſtamentarius, vineam in ſuburbio Minerbenſe, terminio villæ de Ponte curvo, pro ejuſdem Sanctiſſimi animæ remedio abbati Godeſcalco & monachis Caunenſibus dedit.

VIII. Egika *ſeu* Egikanes anno XXVI. regnante Carolo rege, hoc eſt 865. Deodatum preſbyterum coram Fredaldo archiepiſcopo Narbonenſi interpellavit, quod Ennegonem ipſius preſbyterum apprehenſum aſtrinxiſſet. Eodem anno pridie idus Maii terram cultam in territorio Carcaſſonenſi a quodam Gontario & uxore Muneſinda comparavit. Anno XXIX. ejuſdem Caroli IV. calendas Julii Quifredus & uxor ejus Rikiſinda vineam in pago Narbonenſi, Ventajonenſi ſuburbio, villæ Trenciani termino ei pretio quatuor ſolidorum vendidit. Idem quoque vocatus Egilrannus, amanuenſis, ut putamus, errore, anno XXX ejuſdem glorioſiſſimi regis medietatem villæ nuncupatæ *Olteſa* ſitæ in territorio *de Ventajou*, cum ſuis omnibus appenditiis dono recepit a quodam Adulfo. Denique certam pecuniæ ſummam mutuo dediſſe Fredaldo archiepiſcopo memoratur, de cujus poſtea reſtitutione ſucceſſor ejus

Diplom. pag. 543.

IX. Daniel eccleſiæ Narbonenſi litem movit coram Salomone, aliiſque judicibus, qui *in mallo publico ante caſtrum Minerbam* reſidebant, cauſamque ſuam evicit anno 873. IX.* calendas Maias, ſive anno XXXIII. regnante Carolo Calvo. Sub idem tempus pari judicio Beraldi vicecomitis & aliorum judicum, qui juſſi ſunt cauſas dirimere, Sarclanus villa cum appendicibus Danieli abbati aſſerta eſt, agente Uniforte monaſterii *mandatario* adverſus quemdam Hictorem. Hoc autem judicium quanquam mutilum noſtra inter inſtrumenta propter venerandam ipſius antiquitatem reponendum cenſuimus. Daniel quoque memoratur in præcepto Caroli Calvi pro Hilderico Danielis ſucceſſore, ut qui ſimile præceptum antea obtinuerit, ex Baluzio lib. IV. Marcæ Hiſpan. col. 354. & append. capitularium col. 1452. quod nos de Carolo Simplice interpretamur: Daniel ſiquidem reperitur anno primo quo obiit Carolus imperator, hoc eſt 877. menſe Octobri, & quod idem eſt, anno primo regnante Ludovico (Balbo) XV. calendas Junii, anno tertio imperante Carolo imperatore, quem autumamus eſſe Carolum Craſſum, & Odone rege VIII. calend. Februarii, ac denique anno primo regnante Carolo (Simplice) rege V. cal. Junii.

Prob. t. I. novæ hiſt. Occit. col. 124.

* al. VIII.

Ch. VIII. col. 9.

Ch. VII. col. 7.

X. Hildericus Caunenſe monaſterium adminiſtrabat jam anno ſecundo regnante Carolo (Simplice) IV. idus Novembris, quo quidam Gaudius, uxor ejus Valatrudia, & ſoror Chaſtellana terram poſitam in territorio Carcaſſonenſi, plus minus modiatas octo habentem ei contulerunt. Reperitur & anno tertio ejuſdem regis VI. calendas Januarii & XV. calendas Martii, anno quarto XIV. calendas Octobris, & anno ſeptimo V. calendas Junii, ſubſcribente Baldemaro monacho Hilderici poſtmodum ſucceſſore. Hildericus occurrit abbas pridie nonas Novembris anno VII. regnante Carolo rege poſt obitum Odonis regis, & anno VIII. quo terram de Campo liberio in pago Reddenſi cuidam Redemto ad complantandum conceſſit. Idem memoratur anno XIV. ejuſdem regis VIII. idus Febr. ac III. idus Martias. Inſequenti XV. regnante Carolo rege filio Ludovici menſe Martio molendinum, quod eſt in fluvio Atace Carcaſſonenſis territorii, terminii villæ de Miliano ſuperiore, cum ſuis caſa, ſolerio, lecto, molis, arboribus, palis, &c. pretio quinquaginta ſolidorum comparavit. Aldericus vocatur anno XVII. regnante Carolo rege pridie idus Octobris, Eldericus vero anno XX. regnante Carolo rege filio Ludovici poſt obitum Odonis VIII. cal. Aprilis, & anno XXII. ſeu 920. ind. VIII.

XI. Baldemarus *anno XXV.* regnante Karulo filio Ludovici poſt obitum Odonis* campum quemdam in pago Filinenſi comparavit, & anno XXIX. eccleſiam S. Geneſii in villa Clevago; ſuperſtes V. cal. Decembris *anno primo poſt obitum Karloni regis, Chriſtum regnantem regem expectantem.*

* al. XXVI.

XII. Rotbertus Trudgardis filius anno ſecundo poſt obitum Caroli VI. idus Octobris nonnulla emit apud Larigardam a Gomeſindo & Signefreda conjuge. Hæc ipſa Trudgardis quædam ei jugera contulit ad cenſum apud Lavandarias, *regem Gallia expectante*, hoc eſt tempore Rodulfi regis, quem Occitani non agnoſcebant. Eadem quoque matrona alodem ſuum

apud Scutellas Caunensibus dedit anno I. quo obiit Radulfus rex V. nonas Martii. Subscribit Rotbertus anno secundo Ludovici regis, hoc est 937. litteris Raimundi comitis, alio nomine dicti Pontii, pro Auriliacensi monasterio. Eodem anno interfuit dedicationi ecclesiæ S. Pontii Tomeriarum, inibique litteris ejusdem Pontii Tolosani comitis pro Tomeriensi cœnobio nomen apposuit. Haud multo post memoratur præsens Ausidinensi concilio, superstes anno IX. regnante Ludovico rege (Transmarino) calendis Junii.

XIII. Elianus & Eliane occurrit abbas XIII. cal. Augusti anno XII. regnante, non Hugone, qui tot annis haud regnavit, quot leguntur apud Mabillonium, sed Ludovico aut Lothario, uti conjicimus.

XIV. Giscafredus cœnobii Caunensis pater, ejusque congregatio anno XVIII. regnante Lothario rege III. idus Januarii ea lege Bertelaico, Adelsiæ conjugi eorumque liberis nonnulla prædia concedunt, ut post eorum obitumad monasterium revertantur.

XV. Aimericus præest anno XXVI. regnante Lothario V. cal. Julii, & anno XXIX. ejusdem regis, ex Baluzio tom. 2. capitul. col. 1100.

XVI. Rodulfus jam anno primo regnante Ludovico (Lotharii filio) quædam accepit in territorio Minerbensi. Memoratur etiam nonis Octobris anno primo Hugonis regis, & anno secundo mense Julio, quo sita quædam in pago Reddensi permutavit cum Benedicto abbate S. Hilarii Carcasson. pro rebus aliis apud Fabricianum sitis.

XVII. Udalgarius anno ejusdem Hugonis septimo mense Novembri sub die feria septima alodem, qui sibi a parentibus obvenerat, in comitatu Carcassensi permutavit pro aliis rebus cum Rogerio comite & Adalaiza conjuge. Idem tertio calendas Januarii anno septimo regnante Rotberto rege alodis in territorio Narbonensi, suburbio Minerbensi ac terminio villæ de Scalis donum accepit a Gautberto, Tetdemario & Pontio.

De Udalgarii obitu, & electione Guillelmi successoris juvat ob oculos ponere sequentem chartam, quæ propria Caunensium monachorum verba exhibet: *Anno erilis* (herilis*) *incarnationis millesimo XXI. indictione IV. regnante Rotberto rege. Anno præsente caruit luce Udalgarius abba cœnobii S. Petri apostolorum principis, quod vulgus Caunensis vocitat, quod dicatum consistit in pago Minerbense; cujus post tumulatione luctuosa, grex ipsius præfati monasterii omni cum studio inquirere cœperunt, quem ad regendum sacratum a Deo locum eligere potuissent. Cernens interea vir clarissimus nomine Teodmarus nobilitatis stemate fulgidus prænominatum locum opimum existere, cum consensu monachorum, ac *votu ejusdem loci, cetérisve nobilibus virorum, dicens se abere filium, qui ab infantia in cœnobio *almæ Dei genitricis eruditus est divinæ legis in monastico hordine. Interpellatus est Petroni comite vel præsule, suosque nepotes, sive Atone vicecomite, quod ipso monasterio S. Petri Caunensis nomine concedere dignarentur filio ejus Willelmo monacho abbatem fore eodem loco. At ipsi jam prænominati principes, concedente divina clementia, cum omni aviditate adquieverunt poscenti clienti nobili. Igitur tertio nonas Septembris advenit dominus Bernardus* (Crassensis) *abba in prædictum monasterium S. Petri cum monachis suis ex cœnobio S. Dei genitricis Mariæ, una cum voluntate jam præfatis principibus ac ordinatione Wifredi Narbonæ sedis archipræsulis; convenerunt universi prædicti loci ante eorum præsentiam monachi, non metu neque per vim, neque aliquo munere placati aut subducti, sed concorditer & bono animo secundum regulam almi Benedicti & auctoritates eorum, una voce unoque conventu adclamante Vilelmum ab infantia monachum, nobilitate fulgidum, castitate candidum, moribus temperatum, omni lege divina affatim eruditum, sobrium, modestum, humilitate providum, omnique bonitate redimitum, & per aclamationem jam supra dicti domini Petroni præsulis, ad titulum S. Petri apostolorum principis ad gradus suos sublimatum volumus, adclamamus, eligimus, & modis omnibus optamus. Guillelmus laudatus abbas a Vifredo archiepiscopo Narbonæ sedis, ad cujus diœcesim locus iste pertinet, ordinatur sub era millesima quinquagesima nona. Facta electionis istæ cartula anno dieque præfixo, & roborata per manus reverendorum Vifredo archiepiscopo, Petroni comite illustriss. præsulis, & aliorum bonorum hominum, monachorum, clericorum quoque & laicorum; flagitantibus omnibus præfatæ ecclesiæ, atque hanc adclamationem libenti animo manibus propriis roborantibus. Signum Sigerius monachus; sig. Adalbertus; sig. Pontius; sig. Sigario; sig. Sigarius; sig. Signiofredus, &c. sig. Theodemarus, Regimundus, Ugo, Franco, Remigius, Pontius.*

*Dominicæ

*f. cœtu.

*de Crassa.

XVIII. Guillelmus I. viri clarissimi Theodmari filius, ex monacho B. Mariæ Crassensis eligitur abbas Caunensis tertio nonas Septemb. an. 1021. & a Vifredo Narbonensi archipræsule ordinatur, ut in charta superiore visum est. Interfuit anno 1061. III. nonas Januarii cum Frotario Nemausensi episcopo & aliis donationi, quam Raingardis comitissa & ipsius gener Raimundus cum uxore sua Ermengarde, atque Adalaide Ermengardis sorore fecerunt S. Pontio Tomeriensis monasterii, necnon Frotardo abbati ejusque monachis, de alodio suo vocabulo *Tonneo*. Memoratur pridie nonas Junii anno secundo regnante Philippo rege, & anno XV. quo, nonis Decembris cum Raimundo *sacristano*, Petro præposito & cuncta monachorum sancti Petri Caunensis congregatione terras, quas *a Pausaben* seu *de Pausalen* vocant, Durando cuidam & uxori Chinbergæ ad complantandum tradit, ea lege ut quartum & decimum Deo & S. Petro Caunensi reddant. Bernarda femina, & liberi ejus Raimundus, Petrus, Arnaldus, & Bernarda filia alodem de Campo longo, qui fuit Ugberti de Marsilia & filii ejus Jurionis monachi, quemque Raimundus Segerius ab Udelgerio abbate & conventu acquisierat, domui SS. apost. Petri & Pauli Caunensis monasterii, ubi B. Alexander cum sociis suis requiescit, & Vilelmo abbati

ac monachis tradiderunt XIII. cal. Aug. anno XX. regnante Philippo rege. Raimundus comes filius Raimundi Berengarii comitis & Adalmodis comitissæ, quem alodem Rogerius comes & liberi ejus a S. Petro abstulerant, eidem S. Petri monasterio reddunt, ut omni tempore ipse alodes in stipendia monachorum ibidem Deo servientium, & in eleemosynas pauperum sit, & abbatibus, monachisve ipsum dare, vendere, aut in aliam potestatem transmittere non liceat. Quibus hæc subdit comes: *Ego Raimundus comes promitto Deo & S. Petro, & abbati Vilelmo, & monachis omnibus, quod fidelis & verax adjutor illis ero pro hoc alode, de illis, qui pro qualibet hocasione, vel per fevum eum illis tollere voluerint, omnibus diebus vitæ meæ. Et propter pretium accepi de abbate Vilelmo trecentos solidos de denariis obtimis de Carchasona. Actum XII. cal. Julii anno XXIII. regnante Philippo rege.* Subscribunt præter Raimundum comitem Raimundus Berengarii comes Barchinonæ, Berengarius Raimundi, Raimundus Udalgerius, Adamarus, Raimundus Rogerius, &c. Rodbaldus monachus scripsit die & anno quibus supra.

XIX. Isarnus memoratur abbas in archivo S. Pontii anno 1083. cum Guillelmo Rodensi & Petro Vallis sicharii abbatibus. Circiter hunc annum VIII. cal. Decembris ecclesiam S. Mariæ de Caneto sitam in comitatu Carcassonensi cum suis appenditiis dono recepit. Anno 1087. X. cal. Febr. Raimundus Azemar de Cabarez & Bruna ejus soror Isarno abbati & congregationi S. Petri Pontium Rogerium & infantes ejus, ac totam eorum posteritatem relaxant, ita tamen ut ab illis nullum censum aut servitium exigere possint, præter quam pastum cum tribus militibus, cum sextario uno de civada, eaque de causa receperunt ab abbate & a Pontio Rogerio XV. solidos Ugonencos. Præterea Bernardus Willelmi de Conques & Ermengardis conjuges, ac eorum liberi Guillelmus, Berengarius & Ermengaudus Isarno abbati & Caunensibus monachis alodem sibi a Raimundo Talant collatum *guirpiverunt*, & viginti *solidatas* acceperunt anno 1089. III. idus Junii in feria secunda. Eidem abbati Raimundus Ademar de Cabarez filius Rangardæ quemdam Bernardum Adalbertum cum muliere, prole & posteritate derelinquit pro XX. solidorum de denariis Narbonensibus pretio VI. calend. Maii anno 1090. Similes Isarno abbati factæ sunt donationes an. 1092. VIII. idus Martii, 1093. X. cal. Sept. & VIII. calend. Decembris, 1094. æra 1132. pridie cal. Apr. & 1095. XVII. calend. Aug. Eodem anno Petrus Carcassonensis episcopus, Frotardus Tomeriensis abbas & Guillelmus Pontii de Carcassona judices electi statuerunt, ut Isarnus abbas & Caunenses monachi 120. solidos Ugonencos Willelmo Segerii, Remigio, Bernardo & Berengario de Castello Ventajone solverent; hi vero abbati & monachis relinquerent honorem seu mansum unum in villa de Recemiro, quem Guillelmus Segerii eorum pater cum filio Benedicto eidem monasterio dederat, actum an. 1095. XI. calend. Octobris. Elapso biennio Rodgerius, Bernardus, Odo & Bertrandus fratres, eorumque filii & filiæ *tascas*, quas in villa Recemiro in fevum ab eodem Willelmo Segerio de Ventajone tenebant, Isarno abbati & Caunensibus monachis propter 40. solidos Ugonencos dimiserunt VI. nonas Julii. Ermengardis quoque vicecomitissa Biterrensis & Carcassonensis, Bernardus filius & uxor ejus Cecilia eidem Isarno albergam, quam in villa Recimiro territorii Reddensis habebant, guirpiverunt IV. cal. Jan. feria tertia an. 1097. Denique Petrus Raimundi & Arnaldus de Altopullo fratres Isarno abbati ecclesiam S. Amantii confessoris in pago Albiensi fundatam cum omnibus ejus appenditiis concesserunt an. 1098.

XX. Gerardus I. sedebat jam anno 1101. IV. nonas Augusti, quo Rogerius de Cabarez & Ugo germani fratres, atque infantes Rogerius, Petrus, Raimundus & Bernardus homines & feminas, albergam & omnes usaticos, quos in villa de Palazol & ejus terminis habebant, eidem Gerardo Caunensi abbati ejusque fratribus pro triginta solidis de denariis Ugonencis *de marteror in marterum*, id est de una omnium Sanctorum festivitate ad aliam oppignerarunt. Eodem anno XV. calendas Septembris Bernardus Guillelmi de Siran illam honoris partem, quam cum Petro Guillelmo fratre in villa Juvalans, vel Juvaline habebat, Gerardo abbati & filio suo Petro monacho dedit. Ad hæc Bernardus Poncii, Ermengaudus, Zatmarus & Arnallus fratres, eorumque consobrini Guillelmus Bernardi, Regimundus & Olivarius Geraldi Caunensis abbatis milites omnes querimonias, quas habuerant in omni ejusdem cœnobii honore, in omnibus villis, mansionibus, pratis, pascuis, &c. relaxarunt & dimiserunt; quamobrem Geraldus abbas volens eos de fidelibus fidelissimos & de caris carissimos habere amicos, laudavit illis simul in unum moletrinam sitam ad vadum de Mazigna, *affrontantem* de Altano in rivo de Argentoduplo, de Aquilone in rivo de Ardena, quam antecessor ejus Isarnus abbas ipsis abstulerat, excepto pisce de aqua & de *paxera*, &c. Actum an. 1102. X. cal. Maii feria tertia. Bernardus Johannes de S. Fructuoso & Ermensendis conjuges Geraldo abbati medietatem quarti de salina, quam cum Oliba filio Aimerici possidebant, pro quinque solidis Narbonensibus vendunt calendis Octobris regnante Philippo rege. Eidem Geraldo Rogerius de Cabarez, Ugo frater ejus ac liberi Petrus, Raimundus & Bertrandus albergam de Palazol oppignerant pro LXIV. solidis, XXXIV. Ugonensibus & XXX. Melgurensibus de solemnitate omnium SS. usque ad tres annos, & postea *de martror in martror*, seu de eadem solemnitate ad aliam similem. Denique Ermengardis vicecomitissa Carcassonensis, & Bernardus Ato ejus filius Geraldo abbati pro centum solidis Melgoriensibus dimiserunt quidquid injuste ab incolis de Fonte cooperto & de Baniolas manentibus in loco de S. Fructuoso repetebant. Deest nota chronica.

Post hunc Geraldum dandus esset locus Isarno II. si vere præfuisset anno 1103. ut ait Baluzius t. 2. capitularium col. 1100. cui adstipulantur nuperi rerum Occitanarum scriptores prob. t. 2. pag. 360. ubi hoc anno x. cal. Sept. Isarnus abbas Rogerium de Mirapex & uxorem ejus Serenam munificos expertus fuisse dicitur, at loco MCIII. ipsi legimus in chartario domestico MXCIII. quod proinde Isarno I. adscribendum est.

XXI. Arnallus *seu* Arnaldus I. præerat 1106. quo anno Petrus Porcellus & Garsindis conjuges quod juste vel injuste a Willelmo Pascal vel ejus infantibus exigebant, in jus Arnaldi abbatis & monachorum de Caunis transferunt. Idem abbas tradidit Calveto de Victoriaco unam domum apud S. Fructuosum ea lege ut *acasimentum* sine servitio possideret; at si de uxore sua filios generaret, unus eorum hanc domum teneret sub annuo servitio duodecim denariorum Melgoriensium. Actum VIII. calend. Aprilis anno 1108. Petrus Aimerici de Villaglen, uxor ejus, & Calvetus frater quartam partem de decimo de Palazol, quam injuste requirebant, dimittunt Arnaldo abbati, idemque Petrus tres ejusdem decimi partes se ad fevum ab eodem abbate & monachis habiturum pollicetur an. 1109. calendis Aprilis. Anno seq. VIII. idus Octobris Arnaldus abbas contulit Petro Adroario, uxori, infantibus & posteritati unum *localem* juxta S. Fructuosi ecclesiam ad faciendum ibi mansum, ea lege ut singulis annis ad Quadragesimam ipsi abbati & successoribus ejus servitium & pastum ad octo milites & duo sextaria hordei & tres solidos Melgorienses facerent, a quibus insuper triginta solidos Narbonenses abbas accepit. Reperitur etiam 1114. & 1117. quo anno III. nonas Aug. Matfredus Sicardus, & alii ecclesiam S. Mariæ de Spinasseria, quam ad fevum ab ejusdem monasterii abbatibus tenebant, Arnaldo abbati oppignerant pro ducentis solidis Melgor. ad annos sex, & postea ab una festivitate omnium SS. ad aliam. Insequenti 1118. lata est sententia in præsentia Bernardi Atonis vicecomitis, qua Arnaldus abbas & Caunenses monachi sextam partem villæ de Recimiro Bernardo Willelmo de Tresmals & filio ejus Willelmo Calveto tenerentur reddere, quæ post ejus & filiorum Guillelmi & Petri obitum ad monasterium reverteretur. Bullam protectionis Arnaldus obtinuit a Gelasio papa II. datam Arausicæ anno 1119. XIII. calend. Jan. Edita est in collectione capitularium regum Francorum auctore Baluzio col. 1557. & in appendice nostra. (Ch. XXXVI. col. 31.) An. 1122. pridie nonas Junii Arnaldus Bellus, uxor Burerga & filii Petrus Arnaldus & Bernardus quamdam Rauguardem & ejus posteritatem Arnaldo abbati tradiderunt, & an. 1124. VIII. idus Maii Guitardus & Adalasca conjuges Arnaldo Caunensi abbati feminam nomine Serenam dederunt, & sex ab eo solidos Melgorienses acceperunt.

XXII. Petrus I. de Sirano in multis beneficum experitur Arnaldum de Laurano annis 1124. & 1125. atque anno sequenti Aimericum de Spinasseria. Eodem anno 1126. testis est in transactione Amelium inter episcopum Tolosanum & Berengarium abbatem Montis olivi. Insequenti Udalgerius de Punciano & Fornaria conjuges, Udalgerius filius, Bernardus frater & Ermengaudus de Lavinaria, ejusque fratres Raimundus & Bernardus Raimundum Centullum & Petrum Bovarium dimittunt Petro abbati Caunensi, a quo solidos duos Melgorienses recipit Ermengaudus. Subscribit 1129. litteris Ermengaudi dantis coenobio de Monachia Narbonensi ecclesiam sancti Laurentii de Casulis tempore Gaucelini abbatis S. Victoris Massil. ex tabulario S. Victoris. Idem chirographum apposuit testamento Zatmari de Caunis mansum in quo habitat in villa de Caunis Ermengaudo filio suo ea lege concedentis, ut illum vendere vel oppignerare nisi monasterio non possit, albergam quatuor militum per singulos annos monachis faciat, unumque sextarium hordei tribuat; & idem mansus post Ermengaudi mortem ad S. Petrum pro ipsius testatoris remedio revertatur; Ermengaudusque interea curet, ut monachi post decantatas missas, fusis super ejus monumentum precibus ipsi consulant, & lampas una ante S. Petri altare in Quadragesima ardeat. Deinde monasterio legat quasdam *tascas* & decimas, quatuor mansos & quædam alia. Actum VI. cal. Apr. an. 1131. Varia insuper a variis excipit dona annis 1132. 1133. 1134. 1135. & 1136. Eodem anno VI. cal. Martii Rogerius de Biterris comes Carcassensis vel Redensis & vicecomes de Ambilet, qui Ceciliæ feminæ filius fuit, cum antea infensus esset monasterio, eidem se deinceps benefacturum juravit Petro abbati super quatuor Evangelia, testibus & firmatoribus Bernardo de Canet, Isarno Jordano de Saixiaco, Petro de Laurano, Bernardo de Tresmals vicario Carcassensi, &c. (*Tom. 1. Anecdot. col. 386.* Ch. XLI. col. 36.) Idem quoque reperitur abbas annis 1141. 1142. & 1144. quo die Dominica III. nonas Decembris Hugo de Sirano Petri abbatis consanguineus facto codicillo eligit sepulturam in Caunensi monasterio, cui legat quinquaginta solidos, quos in sancti Marcelli ecclesiæ villa, vel in decima, vel in albergis de 24. militibus habet, &c. Superstes erat calendis Augusti an. 1147. Sedes autem vacasse videtur mense Julio an. 1148. & adhuc mense Decemb. an. 1149. mense Octobri 1150. XIV. calend. Jan. & VI. idus Martii 1151.

XXIII. Castus & Casto primum occurrit abbas mense Januario an. 1152. Eodem pridie idus Martii nonnulla commutavit cum Cecilia Ermengaudi de Laurano relicta. Idem anno sequenti XI. calend. Decemb. die Sabbato *toutam & forciam* a Caunensi villa (quod jam anno 1149. prior & monachi vacante sede pro mille ducentis solidis Melgoriensibus indulserant) acceptis ducentis solidis Melgoriensibus perpetuo removit. An. 1155. mense Julio Arnaldus de Ventajone monachus ex milite factus, ea monasterio cessit, consentientibus uxore & filiis, quæ apud Recimirum habebat. Raimundus quoque de Lavineira ei quosdam homines & feminas dimisit VI. cal. Maii an. 1157.

XXIV. Raimundus I. Capellani Casto successerat jam an. 1157. XIV. cal. Septemb. feria secunda. Eodem anno X. cal. Jan. Willelmus & Bernardus de Spinasseria abbati Raimundo & monasterio plurima dederunt, quando fratrem suum Petrum ex voto patris sui morientis monachum effecerunt; & ego, inquit abbas, *pro hac hereditate nostro monasterio & SS. apostolis Petro & Paulo donata, vobis donatoribus XX. solidos Melgorienses, & vestem, & lectum, & quæ necessaria sunt fratri nostro ad ingressionem monasterii tribuo.* Memoratur Raimundus abbas anno 1159. feria tertia V. nonas Septemb. (hoc est calendis) 1160. feria IV. septimo idus Decemb. ac denique an. 1163. quo Rogerius de Glujano universæ carnis viam ingrediens, vineam in loco de Prats Raimundo abbati & Caunensibus monachis cessit.

XXV. Berengarius de Brugairolis ex cellerario laudatur abbas anno 1164. IX. cal. Julii in feria III. ac die Sabbati pridie cal. Novemb. 1165. sexto idus Junii & 1166. mense Januario, quo Raimundus Ermengaudi de Laurano & fratres ejus acceptis centum solidis Melgoriensibus rata habuerunt quæ Geraldus Taucus eorum avunculus monasterio dederat. Occurrit mense Junio anni 1169. 1170. V. cal. Maii, 1171. IV. cal. Novemb. in sexta feria, ac XII. calend. Jan. feria III. quo paciscitur cum Guillelmo de Glujano super litigiosis apud Juvalans. Exstant & aliæ plurimæ chartæ in quibus fit mentio Berengarii abbatis, anno scilicet 1173. XII. calend. Junii, X. calend. Maii 1174. 1175. feria V. quarto cal. Junii, & III. calend. Junii feria VI. ac iterum eodem anno III. nonas Januarii, 1176. VIII. cal. Apr. ac denique 1177. IV. idus Maii.

XXVI. Petrus II. de Aulalerio, *al.* de Vilalerio Raimundi de la Redorta hominium excepit pro Castello de Asellano anno 1177. feria IV. pridie cal. Dec. & an. 1180. mense Septembri eidem Petro clientelam professus est Guillelmus de Pruliano pro medietate molendinorum quæ solent esse in villa Recimiro & terminiis ejus, medietate furni, si in eadem villa constitutus fuerit, & medietate nemoris ad eamdem villam pertinentis, quæ Petrus abbas ea lege concessit. Idem abbas & conventus medietatem villarum S. Fructuosi & de Favars ac terminiorum earum, exceptis primitiis ecclesiæ S. Fructuosi, homines scilicet, feminas, usaticos, albergas, tascas, quartas, migeria, senorias, mansos, terras, vineas, &c. Raimundo Ferran pretio mille septingentorum & quadraginta solidorum Melgoriensium ex moneta quatuor denariorum argenti *fini* oppignerarunt mense Octobri anno 1182. Insequenti IX. calend. Novembris Guillelmo de Colavo & Raimundo ejus fratri septingentos solidos Melgorienses debere se profitetur, quos, inquit, post unum annum *ad martror*, id est ad festivitatem omnium SS. persolvam, &c. Eodem anno mense Septembri feria V. Philippo rege Francorum regnante, jurejurando affirmat Rogerio vicecomiti Biterrensi, se minime obstiturum quominus ipse quibusdam castellis potiatur, ex tabul. castri Fuxensis. Anno denique 1185. mense Maio quidquid habebat vel habere debebat in terminiis Lausæ & de Vilarlongo, &c. Petro de Lauro oppigneravit pro trecentis triginta solidis Melgoriensibus.

XXVII. Bernardus I. a Guillelmo de Sanoz, cui pignora *del Caire* & de Oliva, &c. dedit, 32. solidos Melgorienses accepit an. 1185.

XXVIII. Arnaldus II. de Sperauzano anno 1187. mense Maio Guillelmo de Caunis & R. Ferran, ac Petro de Favars & Guillelmo Geraldi eorum ministralibus licentiam dedit vendendi Guillelmo de Lavineira terram unam sitam in terminio sancti Fructuosi. Eodem anno VI. idus Febr. Petrus Ricardi & filius cognominis quidquid in villa de Caunis & ejus terminiis, excepto manso, in quo habitant, & horto ei contiguo, necnon in villis de Monte Bonulfi, de Trenciano, & du Cros & earum terminiis habent vel habere debent, Arnaldo Caunensi abbati & monachis pretio 2310. solidorum Melgoriensium oppignerant. Anno 1189. III. cal. Dec. monasterio & monachis donationem unius feminæ nomine Rixendis Arnaldus de Trenciano fecit, pro qua duodecim denarios Melgorienses ab eis accepit, ubi notandum nullam abbatis fieri mentionem. Et certe legimus in archivo regio Carcassonensi Rogerium vicecomitem Biterrensem hoc an. 1189. occupatam abbatiam dedisse in pignus Bertrando de Saixaco pro 25000. solidis Melgoriensibus. Quinetiam abbatia vacabat adhuc an. 1190. VIII. idus Febr. nam P. Guillelmi Gravæ filiam suam Ermesindem Deo & B. Mariæ & S. Petro Caunensi, & ejus monasterio; *& ad abbatem qui ibi venturus est,* & omni conventui, & Deodato de Solerio dedisse perhibetur. Triennio post prædictus Rogerius codicillo facto eamdem abbatiam wirpivit abbati & monachis an. 1193.

XXIX. Hugo I. de Cella vinaria legitur abbas VI. idus Febr. an. 1194. & 1195. pridie nonas Junii, ac VII. cal. Decembris quo Raimundus de Villa-rubea seipsum & certa bona illi tradidit. Reperitur & 1196. XII. calend. Julii, 1198. V. cal. Maii, X. cal. Octob. ac III. idus Martii, 1199. IX. ac III. cal. Maii, 1200. feria tertia X. cal. Junii, 1201. VI. idus Maii, 1202. VII. cal. Martii, 1203. III. nonas Junii feria tertia, qua Petrus Berengarii de Prato quidquid in villa de Caunis & ad villare, ac in eorum terminiis habet, vineas, hortos, quartas, tascas, decimas, &c. Hugoni abbati & ejus conventui pro sexcentis solidis Melgoriensibus & duobus modiis siliginis vendit. Memoratur eodem anno 1203. pridie nonas Martii, 1206. pridie idus Septembris, 1207. XVII. calend. Januarii, ac denique 1211. idibus Augusti, & VII. cal. Decembris feria VI.

XXX. Geraldus II. de Villa nova testis est an. 1213. calendis Januarii in charta Bertrandi de Biterris, qua Bertrando episcopo jus omne quod in equo & cappa novi præsulis episcopale palatium intrantis habebat, relaxat. Occurrit eodem anno mensibus Febr. & Martio, ac iterum

T. 1. Anecd. col. 859.

1216. prima sui nominis littera designatus, quo anno una cum G. abbate Crassensi conqueritur apud A. vicecomitem Narbonensem de illatis Villæ magnæ monasterio injuriis, quas ut emendet eum deprecantur. Reperitur etiam an. 1222. XIV. cal. Novembris, 1224. XIV. cal. Augusti, 1226. VIII. cal. Decembris, 1227. die 30. Novemb. & nonis Januarii feria tertia, ac 1228. mense Novemb. feria secunda, qua Rogerii de S. Petro hominium excepit. Insuper an. 1229. nonis Jan. & 1230. idibus Aprilis testis laudatur in chartis Montis olivi; superstes an. 1234. idibus Julii ex eodem tabulario, ubi arbiter una cum aliis sententiam tulisse legitur pro Ermengaudo abbate Montis olivi contra Petrum archiepiscopum Narbonensem, sed jam dudum abdicaverat ex dicendis. Ceterum de Geraldo, utro non constat, sic habet necrologium Cassiani monasterii : *XV. cal. Novemb. obiit Geraldus abbas de Caunis.*

XXXI. Petrus III. Raimundi præerat VIII. idus Aprilis anni 1231. ac mense Septembri quo emit ab Adamo de Miliacho, seu de Amiliaco regis Franciæ locum tenente, quidquid rex ejusque balivi in feudo monasterii ratione faiditorum & hæreticorum possidebant. Insequenti 1232. VIII. idus Novembris investivit Petrum Artusii de Laurano & ejus heredes de illo feudo & juribus omnibus, quæ a Caunensi monasterio tenebat in feodum in terminio, seu decumario de Abrenco, tempore quo dictum feudum & jura ad illud pertinentia ad manum domini regis Franciæ propter faidimentum ipsius Artusii devenerant; quod postea feudum emerat abbas ab Adamo de Amiliaco tenente locum domini regis ; abbas vero recognoscit se propterea recepisse ab ipso Petro sexaginta solidos Melgorienses, & novemdecim sextaria frumenti, sibique retinet dominium & antiqua feodi servitia. Memoratur mense Augusto anni 1234. mense Maio 1235. VI. idus Junii 1236. & IV. nonas Febr. ejusdem anni, seu potius 1237. quo ex compromisso VIII. calend. Novembris 1236. inito paciscitur cum Petro Narbonensi archiepiscopo super ecclesiis ad monasterium pertinentibus in diœcesi Narbonensi. Eidem Gregorius papa IX. litteris datis Laterani VI. calend. Febr. anno pontificatus XI. dat potestatem absolvendi quosdam monachos & conversos, qui pro violenta in se invicem manuum injectione excommunicationem incurrerant.

XXXII. Petrus IV. de Pelages reperitur abbas mense Junio anni 1239. Insequenti, III. nonas Novembris jus antiquum occupandi bona civium Caunensium , qui absque prole vel ab intestato decederent , eisdem remisit, accepta summa decies mille solidorum Melgoriensium, quod S. Ludovicus anno 1241. ratum habuit. Hoc autem anno idibus Martii Petrus abbas hortum monasterii muro contiguum pretio 340. solidorum Melgoriensium comparavit. Anno 1243. III. nonas Januarii ei Bernardus Lobetus de Peiriaco titulo meræ liberalitatis cessit honorem, quem a regio senescallo Guillelmo de A Ulmeio infra villam de Caunis & in ejus terminiis acceperat, qui honor fuerat quondam Guillelmi Gausberti de hæresi convicti. Vocatur P. simpliciter XIII. cal. Martii anno 1250. in appendice ad concilia Galliæ Narbon. pag. 112. ubi de mandato Narbonensis archiepiscopi apud Corcianum personaliter accedens vicecomitem Narbonensem legitur monuisse, ut illata eidem præsuli gravamina emendaret. Reperitur integro nomine Petrus an. 1254. IV. cal. Martii, 1255. III. nonas Aprilis, 1256. III. nonas Augusti, 1257. pridie nonas Novembris, & 1260. VI. nonas Octob. Transegit an. 1262. VIII. idus B Maii cum Henrico de Virzilliis , Nicolao de Cath & Petro de Vicinis regiis legatis super injuriis & damnis sibi in Albigensi tractu illatis; suumque jus in salinas villæ Caunarum asseruit, ex regio Carcassonensi tabulario. Anno sequenti VII. *al.* VIII. idus Novemb. Petrus de Autolio miles senescallus Carcasson. & Biterrensis roganti Petro Caunensi abbati indulsit, ut si ab abbatis judice appellari contingeret ad curiam domini senescalli, appellans prima vice ad examen ipsius abbatis remitteretur , secunda autem appellatio deferretur ad examen ejusdem senescalli. Si vero contingeret sententiam ferri ab ipso abbate, de C hac deberet cognoscere senescallus, vel ejus curia. Anno 1266. XIII. cal. Aprilis B. de Porciano officialis Carcasson. & G. Ainardi legum doctor de Biterris a Petro Caunensi abbate & conventu ex una parte, & hominum de Caunis universitate ex alia designati judices lata sententia furni bannerii possessionem monasterio asseruere. Guillelmus de Choardone miles senescallus Carcasson. & Biterr. an. 1268. XII. calend. Septemb. altam justitiam & merum imperium apud Caunas in pœnis capitalibus, necis scilicet & suspendendi in furcis malefactores, &c. eidem cœnobio, & ipsius nomine Bertrando de Fabricone ejusdem D loci monacho & syndico vindicavit. Sub hoc tempus, grassante Albigensium hæresi, cum Ludovicus rex voluisset muros & propugnacula villæ Caunensis destrui, provinciæ Narbonensis abbates illum scripta epistola pro abbate & villa deprecati sunt. Anno 1269. mense Decembri S. Ludovicus rex Franciæ quorumdam bonorum ad se ob hæreses & faidimenta devolutorum factam suo nomine Petro abbati Caunensi venditionem ab Arnulfo de Curia Ferrandi milite, & magistro Nicolao de Catalan thesaurario Ebroicensi clerico litteris suis approbavit. Recognoscit Petrus abbas cum suo conventu an. 1270. E XIV. cal. Febr. se ab universitate de Caunis recepisse 9600. solidos Turonenses ex illis decem millibus, quibus se monasterio eadem universitas obligaverat ob libertatem & *franchisiam Escaducarum* sibi ac singulis hominibus de Caunis concessam. Eodem anno nonis Junii, *al.* die 9. Guillelmo de Choardone, regis Franciæ nomine, totum suum jus cessit in salina de Caunis, salis deportatione , & in perceptione cuparum & *pogessarum* de qualibet sarcina salis, pro *mensuragio* ab iis qui sal inde extrahebant, necnon jus annuatim percipiendi duos modios

T. 1. Anecd. Marten. col. 1041.

avenæ apud Banholas ab hominibus ejusdem villæ; ob quam cessionem idem senescallus Caunensi monasterio libera dimisit hæreticorum & faiditorum bona de feodo ipsius monasterii apud Caunas, Trancianum, Comaledam, Abrenx, & Villarambertum, quæ idem senescallus regi postulabat restitui, quasi hæc olim monasterio infra dimidiam justi pretii partem vendita fuissent; idque S. Ludovicus rex sigillo suo apud Nemausum iisdem mense & anno confirmavit. Insequenti 1271. Petrus abbas Bernardo Raimundi hortum & alia nonnulla dedit *ad acapitum*. An. 1273. die Lunæ VIII. calend. Maii recognovit coram Johanne de Cultura milite regis senescallo Carcasson. & Biterrensi tenere se a domino rege Franciæ in feudum liberum villam de Caunis, cum juribus & pertinentiis, totamque aliam terram, quam, ubicumque esset, Caunense monasterium habebat; necnon adjecit reges Franciæ ipsum dotasse monasterium, ex regio Carcass. tabulario fol. 41. Nonis Aprilis anni 1275. Guillelmus de Choardone senescallus Carcasson. & Biterrensis remisit Petro abbati querelam suam super *terminalibus* de Argentairola, & de Lensa cum eorum juribus & dominationibus, ac medietate castri S. Andreæ in Reddesio, cum suis pertinentiis, quæ dicebat esse domini regis propter *faidimentum* Raimundi Remigii militis *faiditi*, & Bernardi de Bellomonte itidem *faiditi*, quorum fuerant, ei decernens quidquid juris habebat rex vel habere poterat & exigere quantum ad hanc querelam, pro ducentis libris Turonensibus. An. 1277. VI. cal. Januarii Petrus abbas universitati hominum villæ Caunensis & *barriorum* ejus permittit lectos & pannos accipere, quibus hominum & mulierum corpora tecta in cœmeterio monasterii Caunensis sepelienda deferebantur; & id quidem facit ex mera liberalitate, & sine aliqua pretii numerarii donatione, omnique promissione pretii omissa; sed tamen populus & Caunensis universitas gratis, & nulla super hoc prævia pactione, puro animo & bona voluntate, sciens abbatem & conventum debere domino regi summam quindecim millium solidorum Turonensium, sponte & libere centum libras ad extenuandum hoc debitum rependit. Arsendis filia quondam domini Bertrandi Arcusii militis de Laurano recognovit Petro Caunensi abbati se ab ipso ejusque monasterio in feodum tenere quidquid possidebat in terminio de Caunis, in decimariis ecclesiarum S. Johannis de Abrenco & S. Eugeniæ de Campo longo & appenditiis: pro quo feudo manibus junctis, flexisque genibus osculo dato fidem obligavit, professa debere se facere pro isto feudo quartam partem albergæ *abbadalis* (abbatialis) annuatim; abbas vero feudum ipsi ejusque heredibus confirmavit pridie nonas Sept. anno 1279. Ceterum cognomentum *Pelages*, quod huic abbati affingimus, una tantum vice, fateor, reperimus, in membranula scilicet pixidi buxeæ inclusa, quæ subtus altare B. Margaritæ in capella B. Mariæ de Croso prope Caunas inventa est, dum hoc altare dirutum, sumtibus nobilis & piissimi viri domini d'Alibert elegantiori forma restauratum est an. 1680. Sic autem habet illa membranula: *Idibus Apr.* (al. VI. idus) *anno Dom. MCCLXXX. Nicolao papa, Philippo, cognomento Audace, Franciæ rege, Petro de Montebruno Narbonensi archiepiscopo, Petro Pelages Caunensi abbate erectum est B. Margaritæ altare in capella B. Mariæ de Croso.* Sed neque hoc dissimulabo, nempe Stephanotium, qui Caunensium abbatum syllabum texuit, Petro abbati cognomen affingere *de Lomania* ab anno 1257. ad 1273. quibus suam de hoc abbate indagationem circumscripsit. De his minutioribus monuisse satis sit, quando definire liberum non est. Jam vero quæ supersunt prosequamur. Eodem anno 1280. VI. nonas Octob. incolis loci de Spinasseria quidquid juris habebat in ipsorum bona, si absque prole vel ab intestato moriantur, dimittit pro 60. libris Turonensibus; idemque præstitit die & anno iisdem erga incolas castelli de S. Fructuoso. Anno 1282. III. nonas Januarii Petrus abbas ejusque conventus Petro de Podio rectori ecclesiæ sancti Genesii de Caunis ejusque successoribus remittunt procurationem generalem, quam ipsum monasterium seu conventus in hac ecclesia singulis annis die S. Petri ad vincula usque ad decem solidos Turonenses habet; & a lauro quam Rector annis quoque singulis ad Ramos administrare tenetur, eum eximunt. Rector autem cessit abbati dominium directum in duas ferragines ad augmentandum *barrium* novum. Denique anno 1284. V. cal. Martii Petrus abbas hortum illum, quem Raimundus de Amancianis jurisperitus de Caunis a magistro Johanne Fisico (medico) de Carcassona in terminio de Caunis emit, eidem confirmavit, & de *foriscapio* acceptum tulit.

XXXIII. Hugo II. de Ponte ex camerario eligitur abbas calendis Septemb. 1285. quo ipso die conventus & abbas nominavit procuratores, qui a Petro Narbonensi archiepiscopo novi abbatis peterent confirmationem; quibus annuit archiepiscopus IV. cal. Octobris ejusdem anni. Elapso triduo Romanum iter arripuit Hugo: quo feliciter expleto, jamque ad suum monasterium reversus, statuta de victu conventus non incuriosa condidit IX. calend. Febr. an. 1286. nempe ut quilibet de conventu quatuor ova & unum frustum de caseo, valens tria frusta antiqua, a cellario deinceps omni die reciperet, exceptis festivitatibus solemnibus & duarum capparum, necnon diebus in quibus fiebat obitus magistri Bernardi Bellini, aut aliorum obituum jam statutorum aut statuendorum, in quibus nihil debet a cellario recipi. Idem etiam, quo magis honeste & regulariter se conventus haberet in refectorio, voluit ut secum presbyteri, qui cum fratribus soliti erant comedere, de cetero manducarent, cum ipse adesset, vel cum bajulis quando abesset; & ipsi tenerentur ecclesiam ad omnes horas * *officiare* cum fratribus omni die; ut in adventu Domini, Quadragesima, diebus *jejunalibus*, de Quatuor temporibus S. Michaelis usque ad adventum Domini daretur cuique unum congruum frustum de piscibus salsis & recentibus;

* *frequentare.*

ut in quibusdam vigiliis & aliis certis diebus, in quibus solitum erat dare frustum & dimidium de piscibus, darentur deinceps integra duo frusta; ut in festo S. Petri mensis Junii, in quo conventus non habebat nisi quinque poma in cœna, haberet de cetero ultra ipsa poma, sicut in aliis festis solemnibus erat consuetum. Ad hæc cum per definitionem Raimundi quondam abbatis S. Papuli, tunc hujus monasterii visitatoris, haberet abbas quartam partem in legatis, quæ fiebant mensæ conventus, & ultra duplicem portionem cum aderat, volens quibus secundum Deum poterat modis dare causam & occasionem ipsi conventui cœnandi simul in refectorio cum lectione, concessit illam quartam partem & duplicem portionem suam & sociorum illis de conventu duntaxat dimitti, qui cum lectione cœnarent in communi; sancivit denique ut defunctorum fratrum corporibus ecclesiasticæ sepulturæ traditis indumenta inter fratres indigentes in capitulo ad salutem defuncti distribuerentur, &c. Idem abbas pepigit an. 1289. v. cal. Julii cum consulibus de Rivo, ita ut homines & mulieres castri de Rivo leudam seu pedagium secundum usum antiquum solverent pro rebus emtis aut venditis in foro seu mercato villæ de Caunis, quandiu ipsum mercatum duraret, & de rebus transvectis & vehendis per eamdem villam & ejus *tenementum*, etiamsi aliis diebus emi contingeret. Anno 1291. feria tertia ante Purificationem B. Mariæ virg. misit ad episcopum Albiensem, priorem S. Amantii, qui Alexium presbyterum ei designaret in vicarium perpetuum hujus prioratus. Memoratur adhuc 1294. & 1296.

XXXIV. Sicardus de Montiniaco reperitur abbas 1298. die VI. nonas Maii, quo venditionem honoris in loco dicto de Passadoiras, terminio de Caunis factam a Raimundo Martini de Caunis laudavit, & *foriscapium* recepit. Habuit Sicardus consanguineum Isarnum de Montiniaco Caunensem monachum & camerarium, necnon procuratorem generalem, qui solidos centum Turonenses Arnaldo Toreti de Caunis, quos Hugoni bonæ memoriæ abbati Caunensi ad fabricam ecclesiæ monasterii commodaverat, redditurum se promisit an. 1300. v. cal. Martii.

XXXV. Arnaldus III. Sobirani vocatur electus & confirmatus abbas anno 1300. v. idus Febr. hoc est 1301. secundum hodiernum computandi morem, quo anno venditionem honoris in territorio de Caunis magistro Petro R. de Caunis factam a Bernardo de Fonte laudavit. Eodem anno die Lunæ post festum B. Dionysii indictione XIV. Amisium de Aurelianis Vastinensem canonicum delegavit ad designandum pro hac vice Carcassonensi episcopo, qui pro tempore electus & confirmatus fuerit, virum idoneum, quem ipse Amisius voluerit, promovendum ad curam & regimen ecclesiæ de Banholis, proxime per liberam Guillelmi de Agio resignationem vacaturæ, quæ ad Caunensis abbatis nominationem spectabat. Memoratur anno 1302. die Martis post festum Inventionis S. Crucis cum Augerio Crassensi abbate. Anno 1305. XI. cal. Decemb. Bernardo de Solerio & Berengario de Ecclesia rectoribus ecclesiarum de Blumaco, de Pradellis & de Comellis, vel alterutri facultatem tribuit nominandi, quandocumque locus se obtulerit conferendi beneficium ecclesiasticum, cujus collatio ad ipsum abbatem spectaret. De consensu fratrum indulsit Caunarum indigenis an. 1309. XII. cal. Aug. ut extremis vitæ diebus quicumque homo vel femina habitum monasticum induere, & in fratrem vel sororem suscipi destinaret, id omnino gratis exsequi posset. Interfuit Arnaldus Sobirani an. 1312. sententiæ latæ adversus eos, qui officium Inquisitionis impedirent. Carpitur eodem anno parcitatis & duritiæ erga monachos, quibus tandem ut faceret satis, ex ipsismet aliquot deputavit anno 1316. mense Aprili, qui quod justum esset sancirent. Sanxerunt itaque, ut abbas tres denarios Turonenses cuilibet fratri diebus ferialibus pro *companagiis* subministraret, diebus vero Mercurii, Veneris & Sabbati, ferialibus & vigiliis exceptis, in quibus fratres in infirmaria domo non comederent, octo ova cum tertia libræ casei sicci parte suppeditaret, diebusque solemnibus, quando majora cymbala pulsarentur, unum ovum adderetur. Anno seq. 1317. die 6. Sept. Bernardus Narbonensis archiepiscopus reformandi monasterii studiosus ac sollicitus hæc observanda voluit, ut scilicet abbas ex causa studiorum vel aliis per sex annos a monasterio recederet, singulis ducentas quinquaginta libras Turonenses pro necessariis accepturus, interimque tota bonorum & jurium tam spiritualium, quam temporalium crederetur administratio fratri Isarno de Montanhaco camerario & præposito de Traussano, cui quoad spiritualia frater Bernardus Stephani infirmarius & prior claustralis adjungeretur, abbati prohibens ne quid mutuaretur unde monasterium obligari posset, neve ullo unquam tempore aliquid e monasterii bonis distraheret, nisi in casibus & forma in jure expressis & permissis. Memoratur adhuc 1321. die Mercurii post festum omnium SS. & 1323. pridie cal. Martii.

XXXVI. Guillelmus II. de Olargio ex abbate Villemagnensi ad abbatiæ Caunensis promovetur regimen bulla pontificia Johannis papæ XXII. data Avenione anno pontificatus septimo, ex actis pontificum Avenion. testante domino Suarezio. Sane memoratur abbas an. 1323. crastina die post Decollationem S. Johannis Baptistæ, quo Bertrandus, qui vocat eum in abbatia Villemagnensi decessorem, optimam ejus circa idem monasterium administrationem laudat, ita ut, inquit, jura & reditus ejus duobus millibus librarum Turonensium & amplius adauxerit, retunditque malevolos illos & linguaces, qui multam Guillelmum penes se retinuisse supellectilem garriebant, professus ex toto se recepisse per manus Raimundi de Faricone nepotis sui & procuratoris, S. Pontii monachi, nihilque superesse quod ab eo reposcat. Cum vero 1325. cœnobio ære alieno prægravato, abbas oneribus par non esset, congregati monachi partem conventualis mensæ ad ea sustinenda gratis & spontanea voluntate in

annos

annos duos cesserunt VIII. idus Aprilis ejusdem anni. Die 4. Maii 1327. Guillelmus abbas emit ab Adalberto de Banholis quatuor librarum Turonensium pretio duos denarios censuales, tres foros ceparum, & octo cepas cum laudimiis & foriscapiis, de tribus pratis territorii ejusdem loci de Banholis annuatim percipienda. Eodem anno die 3. mensis Augusti Ratherius abbas S. Tiberii vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus Amelii Castrensis episcopi, attentis Guillelmi abbatis de Caunis dignitate, devotione & honestate, ei concessit, ut quotiescumque iret vel rediret per dioecesim Castrensem, capellam in omnibus ejusdem dioecesis congruis & honestis locis haberet, ac divinum officium celebraret aut celebrari faceret. Eodem anno legatum misisse ad Biterrense concilium dicitur. Circa id tempus Johannes papa XXII. litteras inscripsit Raimundo de S. Martino XII. cal. Martii anno pontificatus XI. pro bonis, quæ a cœnobio Caunensi distracta fuerant, recuperandis. An. 1328. mense Aprili Philippus VI. Francorum rex eidem abbati *salvam gardiam* seu tutelam concessit. Præfuit Guillelmus abbas cum Arnaldo Sendracensi & Raimundo S. Polycarpi abbatibus provinciali capitulo nigrorum monachorum apud S. Tiberium an. 1329. inibique collector provinciarum cum iisdem abbatibus institutus est, in rem Raimundi S. R. E. cardinalis tituli S. Eusebii, quem patronum specialem in curia Romana elegerant, cuique idcirco medietatem decimæ abbatum, priorum, & quorumcumque beneficiatorum, qui decimæ in provincia Narbonensi obnoxii essent, destinaverant. Pepigit idem abbas anno 1332. cum domino de Pelo forti super limitibus villæ Caunarum. Permisit de consensu fratrum anno 1337. die 9. Aprilis universitati Caunensi, ut sex haberet consules & 18. consiliarios in annum eligendos. Dedit anno seq. 8. Febr. annuente conventu trecentas libras senescallo Carcassonensi, pro asserendis sibi castrorum de Banholis & S. Andreæ prope Limosium *bassa* justitia & mixto imperio; quod ratum habuit Philippus VI. Francorum rex.

XXXVII. Bernardus II. *Meynardi* cognominatus a Stephanotio, regimini admotus est anno 1339. quo, die 22. Decembris Johannem Gosini notarium Caunensem suum instituit procuratorem. Novum quoque in villa & curia Caunensi, ac in tota terra Caunensis monasterii notarium creavit Johannem de Rompono, præstitutis ei quibusdam legibus, quas ille jurejurando servaturum se promisit die 1. Januarii anni 1341. Eodem regente Clemens papa VI. statutum abbatis & monachorum, de non pluribus ad vitam monasticam recipiendis quam viginti sex fratribus, abbate computato, præter quatuor sacerdotes laicos ad celebranda cum monachis officia divina constitutos, approbavit anno pontificatus quarto X. calend. Junii. Denique anno 1351. die 25. Aprilis una cum conventu generales & speciales syndicos, seu procuratores constituit fratres Embrinum Durbanni operarium, Pontium de sancto Saturnino eleemosynarium, Sicardum de Brassaco priorem de Laurano, & Petrum Chacmarii priorem de Orreis.

XXXVIII. Embrinus & Ebrinus de Durban ex operario, & altero syndicorum cœnobii novissime institutorum eligitur abbas per obitum Bernardi; sed ejus electio irrita primum declarata fuit ab Innocentio VI. qui postea tamen calendis Martii anno pontificatus tertio eumdem instituit abbatem; unde profecto Ebrinus Dei & sedis apost. gratia S. Petri de Caunis nuncupatus abbas Bernardum Ricardi Majoricensis ecclesiæ canonicum procuratorem suum constituit, qui litteras apostolicas de provisione ejusdem monasterii sibi nuper ab Innocentio pontifice facta denunciaret, & ipsius nomine corporalem cœnobii possessionem apprehenderet, fructusque ac reditus exigeret. Actum apud Avenionem 13. Martii anno 1355. indictione VIII. Idem cum conventu instituisse procuratores legitur fratrem Petrum Ferrandi monachum & infirmarium, atque Nicolaum Blanchi rectorem ecclesiæ de Cabrespina die 8. Septembris ejusdem anni. Sub hoc tempus Innocentius VI. pontificatus anno quarto eum propter immoderationem in multis & monasterii bonorum dissipationem excommunicatum priori claustrali absolvendi facultatem indulsit. Urbanus vero papa V. litteris datis XII. calend. Martii anno pontificatus tertio abbati sancti Saturnini Tolosanensis provinciam dedit, ut bona monasterii Caunensis illicite alienata & distracta ad ejusdem jus & proprietatem revocaret, contradictoresque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compesceret. Haud multo post summus idem pontifex, anno videlicet sequenti abbatiam Caunensem Massiliensi S. Victoris subjectam esse voluit, sed ea res, ut diximus, suo caruit effectu. Embrinus abbas 1371. fidem clientelarem regi Francorum professus est, & anno sequenti abbatiæ prædia recensuit, ex archivo regio Carcassonensi: qua in recensione dominus d'Arzillans & Cadirac debere dicitur novum abbatem ingredientem comitari pedibus absque calceis, cum auratis calcaribus, & certi coloris tibialibus, necnon equi fræna tenere, cui abbas insidet, abbas vero eidem vel equum suum, vel centum solidos pro suo arbitrio largiri, qua de re tunc in supremo senatu litigabatur. Interfuit anno 1374. mense Aprili Narbonensi concilio provinciali, ex ipsius actis t. 11. concil. Labb. p. 2. col. 2510. Eodem anno die 16. Aprilis Petrus Narbonensis archiepiscopus & primas ecclesiam sancti Genesii de Caunis vacantem per liberam Johannis Rocelli factam in ipsius manibus titulo permutationis resignationem Johanni Barresii rectori de Ferralibus ab Embrino Caunensi abbate nominato contulit. Hoc etiam anno iidem præsul & abbas suam interposuere auctoritatem pro inita transactione hunc inter Johannem Barresii rectorem ecclesiæ sancti Genesii de Caunis ex una parte, & Bernardum Chacmarii presbyterum, ac Johannem Salmoyna operarios ecclesiarum sancti Genesii & sanctæ Mariæ de Croso ejus annexæ, necnon Deodatum Boissonis, Petrum Mor,

Raimundum Stephani & Raimundum Fabri Caunensis villæ consules ex altera ad exitum perducenda, qua transactione partes inter convenerat operarios earum ecclesiarum cereos omnes, *tortitia*, candelas, imagines, *stadalia* cerea, *fuzaria* & alia quæcumque darentur seu offerrentur eidem B. Mariæ de Croso ecclesiæ, recepturos ad utilitatem fabricæ seu operis, ornamentorum, luminarium, &c. Actum 19. Novembris anno 1374. Die 16. Decembris anno 1376. Embrinus abbas totusque conventus sanxerunt, ut abbas possessionem adeptus adveniente monachi obitu, primum loco defuncti monachum prius a capitulo admissum collocaret, & subsequenter B singuli monachi incipiendo ab antiquiori professione suum pariter loco defuncti nominarent monachum, qui si capax & idoneus esset, ab abbate vel ejus vicario reciperetur. Statuerunt etiam fieri debere pro monachis defunctis novenas, & in missa offerri tres *moffletos* panis, & unum *cassum* vini cum dimidio, & post novenam dari per triginta dies pauperibus tres alios *moffletos* panis & *cassum* vini cum dimidio pro anima defuncti. Sancitum est quoque teneri abbatem ad omnia officia & beneficia regularia ejusdem monasterii professis monachis tunc residentibus conferenda, sin minus, collationem C irritam fore, & jus conferendi beneficii diœcesano episcopo devolutum iri, qui daret illud uni ex iisdem monachis; ac denique duos ex conventu monachos litteris vacaturos Parisiis, Avenione, Tolosæ, vel alibi, quibus abbas pensionem subministraret. Hæc autem omnia Gregorius papa XI. confirmavit XVI. cal. Decembris anno pontificatus sexto. Anno 1378. die 30. Martii Embrinus non ut abbas, sed ut privatus homo emit a Petro Arnaldi de Fanojove domicello de Ladorno omnes census, *tascas* & fructuum portiones, quos & quas percipiebat in loco & jurisdictione de Caunis, cum omnibus D juribus, *laudimiis*, *forisscapiis*, &c. pretio 20. librarum Turonensium. Hunc etiam annis 1376. & 1379. cum tribus aliis abbatibus electum fuisse præsidem in capitulis generalibus Carcassonæ habitis legimus in schedis Stephanotii, & hoc ultimo anno institutum visitatorem monasterii sancti Guillelmi de Deserto & ecclesiæ cathedralis sancti Pontii Tomeriarum. Embrinus tandem vivere desiit sub finem hujusce anni 1379. aut sub initium sequentis, vacabat siquidem sedes anno 1380. die 27. Januarii qua Bertrandus de Rupeforti beatæ Mariæ de Libris & Johannes de Gosis sancti Felicis de Orreis priores vicarii E generales in spiritualibus & temporalibus a conventu creati, sede vacante, appellarunt ad summum pontificem a mandato Johannis archiepiscopi Narbonensis, seu Philippi abbatis Soricinii ejus vicarii generalis, quo præcipiebatur Guidoni de Ponte vicario de Torrosella, ut abbatiam Caunensem per obitum Embrini abbatis vacantem, & singula ejus bona & fructus ad manum archipræsulis poneret, & sub eadem conservaret, quasi eorum cura & regimen ad eumdem archiepiscopum tempore vacationis spectassent.

A Actum die 30. Januarii an. 1380. Quinetiam adhuc vacabat sedes 9. Junii ejusdem anni, quo Petrus Ferrandi sancti Laurentii de Conchis, & Bertrandus de Rupeforti B. Mariæ de Libris priores, monachi & vicarii generales monasterii Caunensis pastoris solatio viduati, venditionem cujusdam vineæ terminii castri de Exitorio factam Bernardo Talherii a Raimundo Johanne laudarunt, recepto inde *forisscapio*.

XXXIX. Johannes III. de Castropercio *Castelpers* anno 1380. 19. Junii in castro de Recumbis constitutus suum in spiritualibus & temporalibus vicarium nominavit Guidonem de Castropercio priorem S. Fidis in diœcesi Aginnensi. Tum idem vicarius generalis & ceteri fratres de Caunis inter se convenerunt, quod loco charistiorum, quæ ratione officiorum beneficiorumque suorum semel in anno dare tenebantur, prior de Conchis duos grossos & dimidium argenti in festo Ascensionis, eleemosynarius grossum unum & medium in festo omnium SS. prior de Laurano tres grossos in festo B. Mariæ mensis Augusti, prior B. Mariæ de Libris unum grossum & decem denarios Turonenses in festo Epiphaniæ Domini, præpositus de Turribus unum grossum in festo S. Michaelis mensis Septembris, & camerarius sexaginta solidos Turonenses cuilibet monachorum annuatim persolverent. Actum 6. Julii anno 1380. Habebat autem alium vicarium generalem Arnaldum Guillelmi de Rocavilla monachum & camerarium ejusdem monasterii anno 1385. die 15. Novembris quo Johannes archiepiscopus ab illo, & a fratribus Bernardo Fabri eleemosynario, ac Johanne de Gosis priore sancti Felicis de Orreis procuratoribus ipsius conventus electus arbiter, statuit ut abbas quotidie daret singulis monachis tres *moffletos*, *in pasta* quinque cartonum & medii ac unius unciæ, & unam mensuram & mediam vini boni, puri & sufficientis, vocatam *cos* æquipollentem duobus cartonibus, ad rectam mensuram de Caunis, exceptis diebus jejunalibus, in quibus daret cuilibet duos *moffletos* & unum *cos* vini, &c. Ipse vero abbas an. 1387. nonnulla statuit pro bono cœnobii regimine, ac post biennium agrorum censum & descriptionem exhibuit, regique fidem juravit an. 1390. ex inventario regii archivi Carcasson. fol. 69. verso. Idem an. 1391. sanctis martyribus Alexandro, Amando, Lucio, &c. fabricari capsam curavit, ut notat vetus inscriptio. Memoratur etiam 1393. in archivo domanii Monspelliensis 1399. & 1403. quo anno absens a monasterio vicario generali utebatur Ermengaudo de Cassio castello. Anno 1401. Guido Crassensis abbas jussu capituli generalis Caunense monasterium visitavit, pro cujus meliori regimine plurima decrevit. Johannes autem abbas Caunensis anno 1405. die 19. Febr. provocavit ad summum pontificem ab ejusdem Guidonis conservatoris & judicis monachorum nigrorum in provinciis Narbonensi, Tolosana & Auxitana, ipsiusque cœnobii Caunensis visitatoris sententia, qua solvendis trecentis libris pro monasterii reparationibus

eum multaverat ; iterumque Antonius Siguerii domicellus, Johannis abbatis procurator existens in monasterio Crassensi, utpote qui ab ejus loci abbate Guidone in jus vocatus fuerat, ab eodem petiit *acta & apostolos* sibi dari, die 16. Martii an. 1405. Exinde vero ablata ipsi abbatia videtur ; nam

XL. Raimundus II. de Ras S. R. E. cardinalis abbatiæ Caunensis possessionem initurus, servaturum se omnia ejusdem loci privilegia spopondit & juravit an. 1405. die Martii ultima. Postea tamen Johannes de Castropercio abbatiam haud dubie recuperavit, quippe qui senio fessus eam permutasse legitur cum Salomone de Monasteriis Castrensis ecclesiæ monacho & priore de Murassone, accedente Johannis Castrensis episcopi ejusdem prioratus patroni, & Caunensium monachorum consensu, ipsamque abbatiam Salomoni Johannes Testa Biterrensis canonicus archiepiscopi Narbonensis vicarius generalis ad hoc ab eodem archipræsule delegatus contulit. Actum in loco de Laurano 29. Martii an. 1409. hoc est forte 1410. sedes enim adhuc vacasse legitur 9. Novemb. anni 1409. quo conventus syndicos, & negotiorum procuratores creavit Petrum de Massignerio priorem S. Laurentii de Conchis, & Bertrandum Bosqueti ejusdem cœnobii monachos ad comparendum, &c.

XLI. Salomon de Monasteriis Castrensis ecclesiæ monachus & prior de Murassone, facta, ut diximus, permutatione cum Johanne de Castropercio Caunensem abbatiam consecutus est. Anno 1410. una cum fratribus Marquesium Calveti priorem de Conchis, Johannem de Gosis priorem sancti Felicis de Orreis, & Bertrandum de Rupevilla priorem sanctæ Mariæ de Libris & duodecim seculares, syndicos & actores elegit. Die 2. Augusti anno 1413. stola indutus supra beatæ Mariæ altare ecclesiæ sancti Blasii apud Carcassonam coram Bertrando Corserii senescalli Carcassonensis & Biterrensis locum tenente, regi fidelitatis sacramentum præstitit pro castris & locis de Caunis, de Exitorio, de Spinasseria, de S. Fructuoso vicariæ Minerbesii, de S. Andrea vicariæ Limosii & de Banholis vicariæ Cabardesii, ut liberis & a longo tempore morticinæ possessionis jure donatis. Denique anno 1414. die ultima Junii vicarium generalem habebat Bertrandum de Rupevilla monasterii camerarium, ac eodem anno 24. Novembris Johannem de Gosis priorem de Libris.

XLII. Bertrandus de Rocavilla *vel* de Rupevilla ex camerario monasterii, & non ita pridem vicario generali ultimi abbatis, ipsemet abbas erat die 2. Maii an. 1416. quo Guillelmus de Ludenaco Crassensis monachus pontificiam habens, ut vocant, gratiam expectativam ad collationem abbatis Crassensis vel de Caunis, exposuit ipsi Crassensi officium camerariatus monasterii Caunensis vacare per promotionem Bertrandi de Rocavilla ultimi camerarii, tunc vero abbatis ejusdem monasterii a conventu electi, confirmati & pacifici possessoris, ideoque rogavit abbatem Caunensem ut laudatum officium sic vacans sibi conferret. Actum Crassæ die & anno quibus supra. Circa id tempus regi fidem obligavit & agrorum censum exhibuit, ex inventario archivi regii Carcassonensis fol. 50. Superstes erat 1419. die 3. mensis Febr.

XLIII. Johannes IV. de Gosis ex priore de Libris a monachis electus est Caunensis abbas, uti docet bulla Martini V. ipsum Narbonensi archiepiscopo commendantis data XI. Decemb. an. 1420. Die 23. Januarii an. 1422. Petrus Isarni rector ecclesiæ parochialis S. Genesii de Caunis eidem abbati & monachis confessus est abbatem esse patronum hujus ecclesiæ, ac se suosque successores de antiqua consuetudine teneri ad omnes parochianos vel parochianas ejusdem parochialis ecclesiæ, qui dum viverent sepulturam suam infra monasterium elegerint, cum processione deducendos usque ad introitum cœmeterii monasterii, postquam ipsorum corpora in parochialem ecclesiam deportata fuerint, ut fieret satis juribus parochialibus; professus etiam est licitum esse monachis dare sepulturam infra monasterium quibuscumque servitoribus, conductitiis & familiaribus abbatis & suis, infra ipsum monasterium degentibus tam in capite, quam in membris, nec debere illorum corpora ad ecclesiam parochialem deferri, ejusdemque rectorem nullum in eos jus habere, etiamsi infra villam decederent. Adhuc memoratur die 3. Novembris an. 1429. at non multo post permutavit cum Petro Sendracensi abbate de consensu Martini papæ V. anno ejusdem pontificatus XII. die XII. cal. Novembris.

XLIV. Petrus V. de Gaudiaco decretorum doctor & officialis Narbonens. necnon vicarius generalis Francisci Narbonensis archiepiscopi, ex abbate Sendracensi Caunensis effectus est permutatione cum præcedenti facta. Anno 1430. die XI. Maii ejus procurator Guillelmus Avelande emtionem viridarii siti in *barriis* mercati de Caunis factam ab Helena Johannis la Formal vidua, Antonio Arditi venditore, approbat, suumque *forisçapium* inde accipit. Laudatur abbas Petrus 1431. & 1432. quo anno litteras scripsit statutum continentes excerptum e codice Vaurensis concilii habiti an. 1368. ab archiepiscopis P. Narbonensi & Gaufrido Tolosano ; quo statuto ministris justitiæ temporalis sub excommunicationis pœna interdicitur ne clericum incarcerent. Has vero litteras inscribit Philippo abbati Soricinii vicario generali Arnaldi Ausciensis archiepisc. die 20. Novembris anni 1432. Rogatu G. episcopi Biterrensis eodem anno 22. Decembris publicavit bullam Innocentii papæ IV. datam pridie cal. Septembris anno pontificatus tertio, regis S. Ludovici continentem litteras, quibus ecclesiæ Gallicanæ privilegia Narbonensi conceduntur ecclesiæ. Quamdiu postea Petrus superstes fuerit, seu quamdiu rexerit, ignoramus.

XLV. Garinus de Tornello regi fidem clientelarem professus est an. 1437. e regio Carcassonensi tabulario. Præsens eodem anno memoratur professioni monasticæ Bertrandi Bosqueti die 10. mensis Novembris. Occurrit 1438. die

26. Maii, & 1443. quo anno solemnem iniit A conventionem cum prioribus & capellanis Caunensis monasterii de spoliis monachorum decedentium. Eodem anno 12. Aug. ejus procurator Guillelmus Bosqueti prior S. Felicis de Orreis provocavit a senescallo Carcassonæ ipsius jura lædente, & ab ejusdem curia ad regem & ad ejus parlamentum Parisiis constitutum. Egit præsidem in capitulo generali an. 1444. die 14. Julii habito in domo FF. Prædicatorum Carcassonæ. Anno 1448. die 9. Junii cum conventu notarium instituit in tota Caunensis abbatiæ terra Petrum de Croso notarium regium, incolam ejusdem loci. Eodem anno interfuit capitulo ge- B nerali cum R. sancti Aniani, G. sancti Hilarii & aliis abbatibus. Reperitur adhuc anno seq. 19. Maii, sed vacabat sedes die 1. Decembris, qua fratres Guillelmus Bosqueti infirmarius, Johannes Sigaldi sacrista, & Guillelmus Acfredi vicarii generales memorantur, & adhuc an. 1450. die 14. Martii, qua duo tantummodo primi iterum recensentur.

XLVI. Rigaldus de Abrinhaco abbas Caunensis, & perpetuus administrator prioratus sancti Petri de Mayrosio Nemausensis diœcesis, confitetur se justo titulo debere Petro Rubei mercatori loci S. Amantii Vallistoreti diœcesis Castrensis C ducenta quinque scuta auri, septem solidos & sex denarios Turonenses pro vero & amicabili mutuo, ad solvendum tempore Caunensis abbatiæ vacantis debitum cameræ apostolicæ, eumdemque Petrum Rubei procuratorem constituit ad percipiendos fructus & usufructus loci de Spinasseria ad abbatiam pertinentis. Acta sunt hæc in ecclesia loci de Banholis 19. Maii anno 1450. Eodem anno mense Julio regi clientelarem fidem pollicitus est, ex regio tabulario Carcasson. Vocatur in decretis licentiatus in charta anni 1460. cujus meminimus t. 1. col. 144. in nota ad calcem. Pervenit ad annum saltem 1465. D

XLVII. Guillelmus Bosqueti ex infirmario Caunensis abbas electus & confirmatus fratri Guillelmo Balade presbytero & ejusdem monasterii alumno prioratum de Laurano vacantem per obitum fratris Petri Massuguerii* contulit an. 1467. die 24. Martii: cumque iterum vacasset per ejusdem Guillelmi cessionem, frater Johannes de Monte albano presbyter, Caunensis monachus & præpositus de Traussano, conferente Guillelmo abbate, ejusdem prioratus adiit possessionem 27. Aprilis an. 1467.

* *f.* Massignerii.

XLVIII. Johannes V. Gaufredi *Jofroy* sancti Martini in montibus presbyter cardinalis, Al- E biensis vulgariter nuncupatus, perpetuusque sancti Petri de Caunis commendatarius, auctoritate apostolica specialiter deputatus, certis de causis in curia Romana aliquantulum moraturus, fratres Guillelmum Bosqueti priorem S. Laurentii de Conchis & Guillelmum de Susilhaco camerarium, ejusdem cœnobii monachos, vicarios generales in spiritualibus & temporalibus constituit ad conferendum vel nominandum ad quæcumque vacantia beneficia ecclesiastica ab ipso monasterio dependentia. Datum Romæ anno 1467. indict. xv. die 14. Augusti. Insequenti 1468. 15. Augusti omnibus & singulis utriusque sexus vere pœnitentibus & confessis, qui in festivitatibus beatæ Mariæ Annunciationis, sancti Antonii & SS. Alexandri, Amandi, Lucii & Audaldi Caunensem ecclesiam visitarent, & ad ejusdem reparationem, conservationemve manus porrigerent adjutrices, centum dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit in perpetuum. Anno 1470 die ultima Junii frater Guillelmus Bosqueti vicarius generalis Johannis abbatis cum ceteris monachis, indultam ab eodem abbate Caunensibus incolis facultatem habendi peculiare sigillum, quo pannos a se confectos obsignarent, calculo suo roboravit. Denique Johannes cardinalis & abbas efflavit animam die 4. Decembris an. 1473. adhucque sedes vacabat die 4. Febr. 1474. Vide tom. 1. col. 33.

XLIX. Stephanus de Blosset occurrit monasterii Caunensis commendatarius ac perpetuus administrator anno 1474. in archivo regii patrimonii Monspeliensis. Reperitur & an. 1477. 8. Januarii, quo N. Parvi presbytero, in artibus magistro, ac in jure civili baccalaureo, necnon decano de Asnobec Sagiensis diœcesis vicario generali utebatur. Obiit 1505. die 1. Novembris simul episcopus Lexoviensis, qui fuerat Nemausensis.

L. Ambrosius le Veneur presbyter & ecclesiæ Lexoviensis canonicus egit abbatem commendatarium monasterii Caunensis, ejusque proventus ab anno 1506. percepit usque ad annum saltem 1509. 7. Octob. quo Jacobum de Benois* presbyterum, in decretis baccalaureum & ecclesiæ cathedralis Lexoviensis canonicum procuratorem abbatiæ Caunensis habebat.

* Venois.

LI. Gabriel le Veneur bulla Julii II. papæ ad abbatiæ Caunensis possessionem ex cessione fratris per procuratorem admittitur die 24. Oct. anno 1511. Adhuc in vivis erat anno 1519.

LII. Johannes VI. de Vesco Agathensis episcopus, creatur abbas 1519. a Leone X. papa. Die 2. Octobris an. 1521. prioratum S. Felicis de Orreis contulit fratri Guillelmo de Cajarco ejusdem loci monacho. Vacabat autem abbatia die 5. Novembris an. 1524. quo fratres de Altopullo camerarius & dominus de Traussano, ac Raimundus de Rupeforti eleemosynarius, Caunenses monachi & vicarii generales in spiritualibus & temporalibus, vacante abbatiali sede, fratrem Antonium Bernonis ejusdem cœnobii monachum professum claustrali camerariatus officio donarunt.

LIII. Antonius de Vesco Agathensis episcopus abbatiam Caunensem obtinebat die 15. Martii an. 1525. quo conventus procuratores instituit, qui transactionem cum eo initam nomine conventus approbarent. Adhuc superstes erat 1532. die 27. Septembris, quo frater Petrus Ermengaudi Caunensis monasterii novicius vota emisit in ecclesia ejusdem cœnobii, coram Raimundo de Rupeforti eleemosynario hujus abbatis vicario generali & aliis.

LIV. Pontius Draconis *Drogon* de Pontpeirenc archidiaconus de Sos in Auxitanensi ecclesia,

Caunenſis abbatiæ vicarium generalem in ſpiritualibus & temporalibus fecit & creavit fratrem Petrum Adalbertum Draconis de Pontpeirenc monachum Benedictinum & priorem de Andufia die 2. Octobris an. 1534. Reperitur adhuc Adalbertus anno 1538. die ultima Januarii & 1539. xI. Junii.

LV. Auguſtinus cardinalis de Trinnoletta Caunenſi monaſterio præerat 1546. & 1547. e ſchedis N. de Ste. Marthe Oratorii D. Jeſu preſbyteri, qui novam olim Galliæ Chriſtianæ meditatus editionem fuerat.

LVI. Nicolaus de Peſſano Italus, abbas commendatarius pactione cum conventu inita obtinuit, ut deinceps abbas de bonis omnibus per ſe acquirendis, non exiſtentibus de abbatiæ menſa, diſponere ac teſtari pro libito poſſet; non amplius teneretur per triduum in pane & vino nutrire parentes & affines monachorum in monaſterium adventantes, neque ipſis candelas, illorumve equis fœnum & avenam ſubminiſtrare, neque etiam de ſepultura defunctorum monachorum curare; monachis vero eadem tranſactione indultum eſt, ut de bonis ſuis intra abbatiam exiſtentibus condere teſtamentum poſſent in gratiam alicujus ejuſdem cœnobii monachi, de bonis autem extra abbatiam poſitis pro libito ſuæ voluntatis. Cautum eſt etiam ut abbas ſolveret capitulo quotidianas diſtributiones abſentium monachorum, ſtatuta non violaret, quorum hæc erant, ut ſeptem in eodem cœnobio nutriret monachos cum eorum equis, & ſingulis daret annuatim & capitulo viginti quinque *cargas* fœni *majene*, & quindecim *cargas* fœni *arreire ſec*, & quinquaginta quintalia palearum; & ut omnia bona tam abbatum quam monachorum *ab inteſtato* decedentium ad reparandam eccleſiam arbitratu capituli converterentur. Actum ultima die Martii anno 1547. Inſequenti 1548. die 15. Maii in urbe de Lavanto Genuenſis diœceſis conſtitutus, procuratorem inſtituit Johannem Baptiſtam de Saquaria, qui 21. Octobris anni 1549. omnes abbatiæ Caunenſis fructus & proventus fratri Raimundo Dor ejuſdem abbatiæ monacho & Andreæ Tapier civi Caunenſi elocavit in quadriennium pretio trecentorum auri ſcutorum annuatim, præter monachorum penſiones, caſtellorum, aliorumque ædificiorum ad abbatiam ſpectantium reparationes, libras octoginta in abbatialem eccleſiam reſtaurandam quotannis inſumendas, &c.

LVII. Marcus Antonius de Saulis jurium profeſſor die 24. menſis Januarii anno 1552. vicarium nominavit & inſtituit Petrum Sacalti jurium doctorem, canonicum & archidiaconum eccleſiæ metropolitanæ Toloſanenſis, ad proſequendum judicium damnatorium contra fratres Raimundum Dor, Johannem de Laur, Petrum Bernon, & Jacobum Bernard ejuſdem cœnobii monachos, & alios ejuſdem ſubditos, quarumdam reos culparum, ex decreto die 9. ejuſdem menſis ipſum inter & illos lato, dans ei omnem poteſtatem excommunicandi, abſolvendi, condemnandi & relaxandi, &c. Actum & datum Toloſæ die & anno ſupra notatis. Ab eodem abbate frater Petrus Ermengaudi inſtitutus infirmarius ejuſdem loci, hujus officii ac S. Saturnini de Glugiano eidem annexi poſſeſſionem accepit die 3. Junii an. 1556. Ejuſdem vicarius generalis Bertrandus de S. Martino jurium baccalaureus, canonicus Carcaſſonenſis & archipreſbyter Electenſis Narbonenſi archiepiſcopo deſignavit Philippum Fornerii preſbyterum pro vicaria perpetua S. Johannis de Villaramberto cum annexa, vacante per liberam Franciſci de Podio reſignationem, die ultima Decembris an. 1558. Idem vicarius generalis 17. Junii anno 1564. fratrem Petrum Ermengaudi Caunenſem monachum prioratu S. Johannis de Laurano donavit. Abbas vero Marcus Antonius eodem anno 6. Decemb. medietatem terrarum & pratorum in terminio loci de Banholis ſitorum & cenſus ſex molendinorum ad ripam fluminis Argentidupli poſitorum ab abbatiali menſa diſtraxit

LVIII. Bertrandus de S. Martino veteri in decretis baccalaureus, regi a conſiliis & eleemoſynis, canonicus Carcaſſonenſis & vicarius generalis cardinalis de Bourbon epiſcopi Carcaſſonenſis, idem qui vicarius generalis Marci Antonii ſuperioris abbatis, factus ipſemet abbas anno 1566. nobilem & religioſum virum Petrum Ermengaudi priorem de Laurano & ejuſdem cœnobii monachum infirmarium, vicarium generalem ſpecialiter & expreſſe ad realem & corporalem hujus abbatiæ poſſeſſionem capeſſendam nominavit 19. Maii an. 1567. quo ipſo anno die 20. Septembris eumdem Petrum Ermengaudi in ſpiritualibus & temporalibus vicarium generalem cum omni prorſus auctoritate conſtituit. Hic autem vicarius generalis, prior de Laurano & clauſtralis, ac in decretis baccalaureus nuncupatus anno 1578. die 22. Septembris Petrum Pageſii preſbyterum archiepiſcopo Narbonenſi nominavit ad vicariam perpetuam S. Johannis de Villaramberto. Denique Bertrando abbati facultas conferendi pleno jure prioratum S. Laurentii de Conchis ſenatus Toloſani decreto confirmatur an. 1588. die 9. Julii contra Annibalem de Roſſellay epiſcopum Carcaſſonenſem. Bertrandi obitus conjicitur annus ex Johannis de Bernon monachi & camerarii Montis olivi, calculis fratrum Caunenſium electione die 10. Auguſti anni 1591. ſed nulla hujuſce electionis habita ratione, abbatiæ fructus adminiſtrandi vicariis generalibus e gremio electis demandati ſunt ad annum 1598. juſſo interim anno 1595. die 30. Decemb. ab Henrico IV. Francorum rege Paulo d'Angelies œconomi officio fungi & operam in adminiſtrandis ejuſdem abbatiæ bonis in annum commodare. Sane an. 1592. 4. Aprilis Petrus Picard Caunenſis cœnobii camerarius & dominus de Trauſſano electus in vicarium generalem ſede vacante nuncupatur; rurſumque idem Petrus ac Eugenius vel Ogerius Fornier infirmarius a conventu electi vicarii generales a tempore obitus ultimi abbatis memorantur anno 1593. 29. Octobris, quo nomine die 7. Junii 1595. prioratum S. Amantii de Valletorreto

fratri Ludovico Cabrol Caunensi monacho contulerunt. Anno 1597. die 1. Octobris Petrus Picard in decretis baccalaureus camerarius, & Eugenius Fornier infirmarius vicarii generales creati a capitulo ejusdem monasterii sede vacante evexerunt fratrem Jacobum Fornier ejusdem cœnobii professum & præpositum de Scandellis ad prioratum regularem S. Johannis Bapt. de Laurano vacantem per liberam cessionem fratris Antonii Cabrol, causa permutationis factam. Eodem anno 20. Octob. solus Eugenius Fornier in decretis baccalaureus & vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus a capitulo ejusdem monasterii sede vacante electus, jussit Philippum Oliverium cœnobii sancti Johannis Montis olivi monachum in sacra theologia graduatum nominatum & baccalaureum formatum gaudere officio claustrali camerariæ Caunensis cum suis annexis, nempe ditione S. Martini de Traussano diœcesis Narbon. & S. Clementis de Olonzaco diœcesis S. Pontii. Denique frater Eugenius Fornier & Jacobus Bernard Caunenses monachi & vicarii generales sede vacante designarunt archiepiscopo Narbonensi Johannem Martinum presbyterum pro vicaria perpetua S. Johannis Evangelistæ de Exitorio *de Citou* cessione Bernardi Carbonelli vacante 3. Febr. an. 1598.

LIX. Johannes VII. d'Alibert patria Caunensis, primum Caunensis monachus, deinde sancti Hilarii Carcassonensis infirmarius, favore, inquiunt, dynastarum de Rieux, qui toto illo vacationis tempore abbatiam occupabant, Caunensis abbas nominatus a rege & bulla Clementis VIII. papæ data Ferrariæ 25. Novembris an. 1598. tanquam Bertrandi de S. Martino successor confirmatus possessionem adipiscitur 13. Aprilis anno 1599. qui mox ædes abbatiales magnifice construxit anno 1600. Insequenti an. 1601. die 20. Decembris, fratri Johanni Caillau officium camerariæ contulit, possessionem die & anno memoratis assecuto. Anno 1602. 12. Martii sacramentum fidelitatis excepit a nobili Raimundo de Bernone domino de Villaramberto pro isto feudo: inibi autem Johannes d'Alibert doctor in decretis nuncupatur, sicut & anno 1604. quo 12. Octob. præposituram B. Mariæ Magdalenæ de Turribus fratri Thomæ Saval ejusdem monasterii alumno contulit. Anno seq. 18. Maii ipse & conventus pepigerunt cum consulibus & universitate loci Caunarum, & ibi vicarius* loci de Caunis dicitur Petrus d'Alibert haud dubie Johannis abbatis consanguineus, de quo vicario inter alia statuitur, ut ipse, aut eo absente judex, vel unus ex ejus locum tenentibus ad singulos incolarum publicos cœtus vocetur, judiciali decreto eosdem confirmaturus. Ludovicum Cabrol an. 1608. 12. Maii ad prioratum S. Johan. Bapt. de Laurano vacantem per obitum fratris Johannis Bonerii evexit. Anno 1611. die 26. Martii ejus potissimum hortatu frater Marcus du Cercle doctor theologus & prior Fratrum Prædicatorum Narbonæ, de licentia speciali summi pontificis, vicarii generalis sedis Narbonensis & ordinis Dominicani capituli generalis instituit sodalitium Rosarii in sacello B. Mariæ ecclesiæ S. Petri de Caunis, cui abbas, nuncupatus generalis monachorum exemtorum congregationis visitator, cum monachis nomen dedit, dederuntque nobiles Petrus d'Alibert vicarius & Jacobus d'Alibert cum incolis pluribus. Idem abbas Benedictinorum nationis Gallicanæ visitator generalis contulit fratri Genesio du Chalmeau presbytero, Caunensi monacho & in jure canonico baccalaureo præposituram de Scandella vacantem per obitum fratris Bernardi d'Aspet an. 1616. 25. Januarii. Jacobus Chandelier officii operariæ sibi ab eodem abbate collati possessionem accepit 7. Januarii an. 1617. Præfuit Johannes abbas Gallicanæ ordin. S. Bened. congregationis Exemptorum præfectus generalis capitulo generali apud Majus monasterium celebrato 21. Augusti 1623. & in altero anni 1625. primum itidem locum occupavit. Denique in abbatiali domo transiit ad meliorem vitam 24. Septemb. an. 1626. in sanctuario ante principem aram tumulatus.

* Viguier.

LX. Saturninus* de Narbona e gente vicecomitum de S[t]. Girons in diœcesi Conseranensi, major archidiaconus Monspeliensis, sedisse dicitur abbas Caunensis ex regia tantum schedula ab anno 1627. usque ad obitum, qui contigit an. 1653. Sane memoratur an. 1629. die 25. Octobris, 1643. 6. Januarii, & 1644. 9. Septemb. quo terras, prata, & alia latifundia territorii de S. Fructuoso impendendi regi pecuniarum subsidii gratia sæculo præcedenti alienata redemit a Francisco & Stephano de Maurel Caunensibus monachis, ac Petro eorum fratre, pretio 823. librarum. Die vero 7. Decembris anno 1649. sedes vacare dicitur & adhuc an. 1653. die ultima Januarii, qua idem Stephanus de Maurel Caunensis monachus, præpositus de Turribus, in decretis baccalaureus & graduatus nominatus, prioratus S. Felicis de Orreis per fratris Johannis Mouly obitum vacantis, sibi ab ejusdem monasterii capitulo, sede abbatiali vacante, collati possessionem apprehendit. Idem quoque Stephanus die 30. Octob. an. 1655. suffragiorum pluralitate in vicarium generalem sede vacante eligitur, cum potestate beneficia regularia conferendi & ad sæcularia nominandi; idque munus eidem prorogatur 12. Januarii anno 1659. usque ad novi abbatis creationem. Interea tamen Saturninum vel Severinum de Narbona, & post illum Hugonem de Terlon vel de Trelon, qui sequitur, abbatiæ fructus percepisse ex regia schedula autumamus, nec aliud per hanc tam diurnam sedis vacationem intelligi debere, nisi quod cum bullis pontificiis carerent, non erant idonei ad conferenda beneficia. Ceterum totus ejusdem loci conventus nulla tum abbatis, tum vicarii generalis mentione facta, anno sequenti 1660. die 9. Januarii de reformando monasterio pepigit, cum Luca Bertrandi priore sancti Aniani e congregatione sancti Mauri, & in hac parte ejusdem congregationis procuratore. Actum apud sanctum Anianum, præsentibus Antonio Espinasse ejusdem congregationis in

* al. Severinus.

provincia Tolosana visitatore, Bartholomæo Robert, &c.

LXI. Hugo de Terlon vel Trelon patria Tolosas & professione eques ordinis S. Johannis Jerosolymitani, variis pro regno muniis perfunctus, abbas Caunensis dudum a rege nominatus dicitur an. 1661. die 16. Junii, quo rex Ludovicus XIV. regimen & administrationem bonorum abbatiæ Caunensis committi jubet Dionysio Pinazel, qui rationes eorum Hugoni de Trelon referat. Jam tum vero 19. Jan. ejusdem anni senatus Tolosanus declaraverat per se non stare, quominus conventiones inter congregationis S. Mauri reformatos & monachos abbatiæ Caunensis die 9. Januarii anno 1660. initæ pro resarcienda in eodem monasterio disciplina regulari suum sortirentur effectum; quod quidem ut perficeretur, idem senatus rem demandavit ministro regio ea de causa a reformatis evocando, die 10. Februarii anno 1663. tandemque aliquando Franciscus du Breuil regi a consiliis, regiusque apud Montem olivum vicarius Franciscum Merlac congregationis sancti Mauri monachum, D. Bernardi Audebert ejusdem congregationis præpositi generalis procuratorem immisit in solemnem, realem, & actualem cœnobii Caunensis, ecclesiæ, officiorum, beneficiorum, &c. possessionem, præsentibus Petro Lary priore claustrali, Stephano de Maurel vicario generali sede vacante, Johanne Castel, Jacobo Chandelier infirmario, Petro Craponne, Johanne Andrea d'Arnaud, Petro Salause eleemosynario, Antonio Salause priore de Libris, Hieronymo de Narbonne camerario domino de Trausse, & Johanne Rigaud. Actum 31. Octobris 1663. Tum vero idem Franciscus Merlac subprior, Clemens Pillot, Ignatius Berthier, & Andreas de Neron reformati monachi Caunenses de novo Stephanum de Maurel vicarium generalem, sede adhuc vacante, constituerunt die 4. Januarii anno 1666. Die 6. Januarii 1667. electi consules loci de Traussano Ludovicus Bertrand, Franciscus Fabre, Antonius Tolose & Johannes Miche fidem clientelarem flexis genibus, & manu super cruce & canone missæ posita exhibuerunt Francisco Merlac syndico capituli Caunensis, quatenus camerario, Traussani domino temporali. Josephus autem de Sabatier congregationis sancti Mauri monachus presbyter a Stephano de Maurel in sacris scripturis baccalaureo, vicario generali, sede vacante, & provinciali congregationis Exemtorum in provinciis Tolosana & Narbonensi visitatore promotus ad prioratum S. Felicis de Orreis officio granaterii monasterii Caunensis annexum, ejusdem capessivit possessionem XI. Julii anno 1669. iterumque Petrus Justes congregationis sancti Mauri monachus hocce prioratu ab eodem vicario generali donatus, ejus possessionem accepit 18. Decembris an. 1675. Interea vero vir nobilis Franciscus de Bernon eidem vicario generali flexis genibus, suisque intra ejusdem manus positis manibus clientelæ sacramentum pro nobili feudo de Villaramberto exhibuit die 16. Junii an. 1672. Denique hoc ipso anno Ludovicus magnus Francorum rex litteris datis in sanctiori consilio die 26. Septembris, Caunenses fratres jure quod vocant *committimus* apud libellorum supplicum magistros in curia Tolosana, tam in capite quam in membris gaudere permisit; idque ratum habuit eadem curia 27. Junii an. 1679. Ceterum Hugo de Trelon abbatiæ Caunensis commendam tenuisse dicitur ab anno 1653. ad 168..

LXII. Marcus Antonius de Brisai de Denonville nobilis Carnotensis & ejusdem urbis ecclesiæ cathedralis canonicus & camerarius, abbas Calvi montis ord. Præm. in diœcesi Remensi, necnon prior sancti Bartholomæi de Uno vitro, vulgo d'*Auvergat*, & S. Leonardi de Ronchera diœcesum Carnotensis & Sagiensis, schedula regia Caunensem abbatiam consecutus est die 9. April. anno 1689. pro qua haud prius bullas obtinuit ab Innoc. XII. quam XIII. cal. Maii an. 1694. pontificatus tertio. Deinde an. 1695. 8. Aug. transegit cum recens in abbatiam Caunensem introductis monachis congregationis S. Mauri, qui statim loca regularia penitus destructa renovare aggressi sunt 6. Aprilis an. 1696. Sedebat 1709. & 1710. 29. Martii & adhuc mense Julio.

LXIII. Johannes Dubois, frater cardinalis archiepiscopi Camerac. a rege nominatus 17. Octob. 1723. Romæ proponitur in consistorio pontificio die 20. Martii an. 1726. Obiit apud Brivam die 1. Febr. an. 1727. ætatis circiter 62.

LXIV. Bernardinus Franciscus Foucquet, ex familia dominorum Foucquet de Belle-isle, presbyter diœcesis Redonensis, doctor in theologia Sorbonicæ societatis, cujus fuit prior an. 1730. designatur abbas Caunensis 27. April. 1727. & cleri Gallicani administer generalis 25. Maii 1735.

S. POLYCARPUS.

Abbatia sancti Polycarpi ad Rivum grandem *Rieugrand*, ordinis sancti Benedicti sita est in finibus Septimaniæ tribus ab oppido Limosio *Limoux* milliaribus, totidem a monasterio sancti Hilarii Carcassonensis, & sex ab Electensi sede episcopali. Annuente Carolo magno ædificatur ab Atala ejusque sociis *de Spaniæ partibus* cum servis & libertis fugientibus. Vide Mabillonium ad annum 780. n. 5. qui exhibet ea de re fragmentum litterarum Caroli magni anno imperii 43. indictione XIII. quas notas chronicas emendat. Necdum tamen abbatia proprie dicta fuisse videtur anno 817. utpote non recensita in constituto Ludovici Augusti facto hoc anno in concilio Aquisgranensi. At saltem sub Carolo Calvo eo dignata est honore, ut postea videbitur, sed nec diu illo potita est, ut pote subjecta Electensi primum monasterio, tum Crassensi, ac postremo iterum Electensi. Huic quidem primum paruit volente Guillelmundo comite, Caroli Calvi imperatoris tempore, & adstruente Raimundo comite, regnante Francorum rege Philippo; Crassensi postea ex dono Ermengardis vicecomitissæ, quæ cum B. Polycarpi ecclesiam

Electensi monasterio confirmasset, mutato postea consilio, Crassensi contulit; unde cum Dalmatius archiepiscopus Narbonensis hanc eidem cœnobio subtraxisset ecclesiam, conquestus ea de re Robertus abbas Crassensis in concilio Narbonensi anni 1090. ejusdem concilii auctoritate, & ipso Dalmatio consentiente, illam recuperavit. Actum apud Narbonam XIII. calendas Aprilis. Paulo post tamen iterum cessit Electensibus, quod ita factum legitur: cum scilicet non vocati in judicium essent, qui vocari debuerant, Electenses, præcipuæ in negotio partes, frequentes ad apostolicam sedem querelas detulerunt. Re ad concilium apud S. Egidium habitum an. 1115. coram apostolico legato relata, terminus utrique parti constitutus est, quo coram Paschali II. se sisterent. Statuto tempore adfuere Electenses, sed Crassenses defuere. Cum vero idoneis testibus probassent illi, Urbanum papam, Electensis abbatis querela semel & iterum cognita, jam præcepisse, ut B. Polycarpi ecclesia Electensi monasterio restitueretur; decessoris sui sententiam interim confirmavit Paschalis, salvo Crassensium, si quod esset, jure, partibusque diem indixit, quo, negotio accuratius expenso, decretoria tandem sententia ferri posset. Ad diem adfuerunt Electenses, *opportuna causæ munimina perferentes*: ex Crassensi monasterio unus dumtaxat adfuit monachus, *nullos testes, nulla munimina repræsentans*, nec alii deinceps, quamvis diutius exspectati ex eo monasterio comparuerunt. Id unum pro se allegare poterant Crassenses, Ermengardis donum, de quo supra, quod non negabant Electenses, sed ii veteribus instrumentis probabant hanc sibi a Guillelmundo comite collatam ecclesiam, &c. ab Electensi monasterio possessam semper fuisse, nec ecclesiastici potestate judicii, sed potestatum secularium violentia ab eo subtractam. Quibus probationibus cum Crassensis monachus verba dumtaxat opponeret, B. Polycarpi ecclesia Raimundo Electensi abbati, ejusque successoribus, papæ cardinaliumque sententia, restituta & asserta est, & in cellam sub Electensium abbatum obedientia & regimine deinceps permansuram redacta. Hæc omnia discimus ex decreto Paschalis II. *Datum apud ...... trans Tiberim per manum Johannis S. R. E. cardinalis diaconi, ac bibliothecarii, IX. Decembris ind. X. a calendis Septembris, incarnationis Dominicæ anno MCXVI. pontificatus autem domni Pascalis II. anno XVIII.* Hanc Paschalis sententiam confirmavit Calixtus II. papa in concilio Tolos. anni 1119. 14. Julii septima die concilii, & Alexander III. anno MCLXII. Verumtamen paulo post vetus illud S. Polycarpi monasterium, excusso, ut videtur, Electensis jugo, denuo in abbatiam evasit, accensam anno 1341. pluribus monasteriis ex provinciis Narbonensi, Tolosana & Auxitana congregationem efficientibus, quo etiamnum abbatiæ titulo gaudet; sed sub abbatum sæcularium administratione ad tres quatuorve monachos redacta erat, donec illuc abbas penultimus, tametsi solummodo commendatarius, pristinum disciplinæ vigorem adinstar Trappensis & Aureævallis abbatiarum revocavit: adeo falsum est quod a nostro Dacherio in præfatione tomi octavi spicilegii dicitur, *carere etiamnum hoc monasterium abbatiali dignitate, & prioratus dumtaxat nomen retinuisse, esseque abbatiæ Crassensi subjectum.*

(Chartæ VII. VIII. & IX. col. 107. 108. & 109.)

ABBATUM CATALOGUS.

I. ATALA *vel* ATILA I. conditor & primus abbas innotescit ex præcepto Caroli magni dato anno imperii ejus XLIII. indictione XIII. quas notas chronicas, cum non conveniant, sic Mabillonius emendat, ut admissa indictione, annum eidem convenientem substituat 805. qui Caroli quintus imperii, regni Francorum est trigesimus octavus. Fortasse vero idcirco nominatur abbas in hoc diplomate, quod jam esset alterius abbas monasterii, quando huc venit de Hispaniæ partibus; vel certe hoc nomen stricte non est accipiendum; neque enim tunc, ut jam diximus, hoc monasterium abbatiæ titulum præferebat. Atalam laudat Theodulfus Aurelianensis episcopus in carmine, hoc disticho:

Nam pius aspiciat dantem sibi dona salutis.
Atala te videat, dicque Olemunde vale.*

* Abbas erat Montis olivi.

II. Centullus a Carolo Calvo privilegium obtinuit anno regni ejus quarto indictione VII. Tolosa in civitate, quod vide inter instrumenta. (Ch. V. col. 5.)

III. Atila II. dum Carolomannus apud Petræfictum villam agri Parisiensis versaretur, *coram frequentia procerum primatumque* eum interpellavit, ut litteras regiæ defensionis ipsius monasterio tribueret cum libera facultate eligendi abbatis secundum regulam S. Benedicti, quod rex ipsi concessit. *Actum apud Petræfictum X. cal. Junii anno tertio regni Karlomanni gloriosissimi regis indictione XIV.* hoc est 881. (Spicil. t. 8. pag. 352. & tom. X. concil. col. 479.)

IV. Arnulfus præerat anno 889. quo ab Odone rege in monasterio S. Maximini prope Aurelianos tunc degente præceptum regiæ tuitionis obtinuit ad preces Enermiri *seu* Ernemiri episcopi & Suniarii comitis. *Datum mense Junio anno DCCCLXXXIX. indictione VII. anno secundo Odonis regis.* Tunc vero ex dictis subjacebat monasterium Electensi, ex quo hic abbas & fortasse alii, seu abbates, seu priores ad illud regendum assumti sunt, vel ex Crassensi quamdiu illi subjectum fuit. Sane anno 1090. quo Crassensi restituta fuit abbatia S. Polycarpi, regebatur per priorem nomine Petrum Pontii, Bernardus enim vicecomes Carcassonensis & Redensis dedit Deo & S. Mariæ Crassensi, & ad locum S. Polycarpi, & Petro Pontii priori villam de Caselas, &c. (Spicil. t. 8. pag. 354.) (Prob. t. 2. hist. Occit. col. 326.)

V. Petrus I. reperitur abbas S. Polycarpi annis 1169. & 1171.

VI. Bernardus I. de S. Ferreolo ex abbate S. Polycarpi creatur abbas Electensis an. 1197. sed frustra, ut infra videbitur.

VII. Rogerius de Esculenco occurrit abbas 1210. 1212. & 1216. quo anno consensit cuidam dono Bosonis abbatis Electi facto Bernardo abbati Fontis frigidi. Idem anno 1224. cum

cum Isarno de Aragone archidiacono Carcasso-nensi querelam inter Alboynum abbatem S. Hilarii Carcasson. & monasterium de Prulliano ratione ecclesiæ S. Martini de Limosio composuit VI. calend. Aprilis. Adfuit anno 1229. calendis Julii hominio, quod Jaubertus de Fontibus exhibuit Benedicto Crassensi abbati pro his quæ possidebat in villis de Fontibus & de Pediliano. Circa id tempus memoratur præsens electioni Udalgerii de Ajorto abbatis Electensis. Rexit ad annum saltem 1247. quo litigabat cum G. archiepiscopo Narbonensi.

Tom. 6. vet. script. Martennii col. 442.

VIII. Bernardus II. de S. Ferreolo legitur abbas S. Polycarpi 1252. & 1255. quo anno ejus vicarius interfuit concilio, quod Guillelmus de Broa archiepiscopus Narbonensis in civitate Biterrensi celebravit. Hunc autem an. 1265. abbatem S. Polycarpi constitutum fuisse in curia Clementis papæ V. pro negotiis Electensis monasterii, ac inde missum ab eodem pontifice ad Siciliæ regem pro reducendo in ejus gratiam Petro de S. Columba, qui faverat regis adversariis, colligitur ex duabus ejusdem papæ epistolis, altera videlicet Siciliæ regi, a quo detentus abbas fuerat cum tota sua familia, ut illum securum ad se remittat, altera Cusentino archiepiscopo, ut ejusdem abbatis procuret libertatem. Utraque data est anno pontificatus primo. Anno 1274. regi Francorum fidem obligavit, ex archivo regio Carcassonensi. Occurrit etiam 1276. & 1280. quo anno se apud Petrum archiepiscopum Narbon. excusavit, quod non interfuisset concilio Biterrensi. Attigit annum 1282.

Tom. 2. Anecdot. col. 266.

IX. Petrus II. sedebat an. 1287. idem fortasse ac qui sequitur

X. Petrus III. Raimundi, nepos, inquiunt, Hugonis Raimundi ex abbate Lirinensi episcopi Regiensis & legati apostolici adversus Albigenses, præerat 1290. & 1294.

XI. Petrus IV. Bertrandi legitur abbas 1301. & 1303. quo anno die 25. Julii interfuit cœtui prælatorum apud Montempessulanum habito, ubi adhæsio facta appellationi Philippi Pulcri ad concilium generale adversus Bonifacii VIII. usurpationes.

XII. Raimundus I. misit an. 1317. ad concilium Biterrense. Anno 1321. eligitur præses in capitulo generali monachorum ord. S. Bened. ex provinciis Tolosana, Narbonensi & Auxitana apud Carcassonam habito, ex tabulario abbatiæ Caunensis. Idem quoque præsidis officium gessit in alio capitulo anno 1329. die 14. Maii Dominica qua cantatur *Jubilate*. Hoc etiam anno indict. XII. Dominica post festum Nativitatis B. Mariæ IV. idus Septemb. adstitit nobilibus Occitaniæ viris jurantibus se modis omnibus justis tam hæreticos quam eorum fautores insectaturos. Agebat in curia Romana an. 1337.

XIII. Johannes I. per cujus obitum

XIV. Raimundus II. prior de Vogortone, decretorum doctor, abbas renunciatur bulla Clementis papæ VI. data VI. nonas Julii pontificatus anno septimo, superstes, inquiunt, an. 1358. at non amplius abbas, ex dicendis.

XV. Bertrandus I. an. 1353. mense Decembri regi fidem clientelarem promisisse legitur in codice msf. regii tabularii Carcasson.

XVI. Raimundus III. abbatiam consecutus est bulla pontificia Innocentii papæ VI. data anno pontificatus nono, hoc est anno Christi 1361.

XVII. Hugo de Chambis monachus S. Johannis Angeriacensis, cedente Raimundo, evasit paulo post abbas S. Polycarpi, ex gestis pontificum Avenionensium.

XVIII. Petrus V. erat præcentor ecclesiæ regularis Electensis, quando per obitum Hugonis in abbatem S. Polycarpi electus, a Gregorio XI. papa confirmatus est anno pontificatus quarto, hoc est 1374. Biennio post eligitur præses capituli monachorum ord. sancti Benedicti Carcassonæ habiti, in quo inter alia statutum est ipsum in capitulo ibidem celebrando die 4. Maii 1378. sermonem habiturum, ex tabulario Caunensi. Interfuit etiam aliis capitulis, quorum in altero anni 1379. visitanda illi commissa sunt monasteria & ecclesiæ cathedrales Tolosanæ provinciæ.

XIX. Antonius I. Guitardi paciscitur anno 1384. cum Johanne archiepiscopo Narbonensi. Anno 1388. fuit exsecutor litterarum apostolicarum pro monasterio Crassensi. Reperitur annis 1392. & 1395. quo ultimo die 27. Maii ipsum Henricus episcopus Electensis suum in spiritualibus ac temporalibus vicarium generalem constituit in civitate & diœcesi Electensi. Eodem anno die 27. mensis Novemb. definitoris capituli generalis munere fungens, ex delegatione apostolica, transactionem initam Crassensem inter abbatem & priorem de Ruindario diœcesis Gerundensis super diminutione pensionis ab eodem priore Crassensi monasterio debitæ confirmavit. Idem quoque anno 1397. eligitur definitor in capitulo monachorum ord. S. Bened. Tolosæ habito in cœnobio B. Mariæ Deauratæ; & iterum an. 1401. definitorem egit in capitulo generali eorumdem monachorum Carcassonæ in conventu FF. Prædicatorum celebrato; ibique visitator institutus est abbatiarum S. Michaelis de Cuxano, Jocundensis & aliarum provinciæ Ruscinonensis. Denique an. 1402. die 20. Junii transegit cum Francisco archiepiscopo Narbonensi super correctione monachorum. Eodem una cum syndico Crassensi creavit unum judicem, bajulum & servientem * communes in loco de Rivograndi.

** f. Sergent.*

XX. Bernardus III. sedebat 1406. & 1409. quo anno recensetur in actis concilii Pisani inter abbates, qui ad hanc synodum procuratores miserunt. Vide tom. 6. Spicil. pag. 371. Adhuc memoratur 1416.

XXI. Gaubertus Augerii an. 1448. convenit ad capitulum generale habitum in conventu FF. Prædicatorum Biterris, seu Carcassonæ, ut alibi legimus. Anno seq. die 26. Junii ipsius procurator Petrus de Chamboleto presbyter, in decretis baccalaureus substituit procuratores Petrum Juherii priorem S. Clementis, Astorgium de Viridi sicco Anianæ monachos & quosdam

alios, ex archivo Anianæ. Deinde Gaubertus factus est abbas S. Hilarii an. 1451.

XXII. Bernardus IV. de Prat ex infirmario sancti Hilarii eligitur abbas S. Polycarpi die 21. Martii indictione XV. an. 1452. postquam anno fere integro vacaverat sedes, ex tab. S. Hilarii Carcass. Anno seq. XI. Maii B. abbas regi hominium præstitit in manibus Antonii de Chabanes vicarii comitis de Dampmartin senescalli Carcassonensis & Biterr. ex inventario regii tabularii Carcasson.

XXIII. Bertrandus II. hoc ipso anno 1453. mense Decembri cum Gauberto S. Hilarii electo regi hominium exhibuisse legitur tomo XI. Fragmentorum Aquitaniæ Stephanotii p. 185.

XXIV. Johannes II. du Cassar memoratur abbas die 4. Maii an. 1462. in charta authentica collectionis D. de Gagneres.

XV. Odo *vel* Oto Ozic reperitur abbas anno 1478. in actis capituli generalis monachorum ord. S. Benedicti Tolosæ in monasterio B. Mariæ Deauratæ celebrati, una cum Geraldo Anianæ, Guillelmo Montis olivi & Geraldo Mansi garnerii abbatibus. An. 1482. XV. cal. Julii evasit episcopus Vasionensis per cessionem Amalrici, ex actis pontificum Avenion. ut diximus t. I. col. 934.

XXVI. Bernardus V. Michaelis, doctor regius in academia Tolosana, fuit abbas S. Polycarpi annis 1490. & aliis.

XXVII. Johannes III. Michaelis *vel* de Michaele *al.* de Miche, decretorum doctor & protonotarius apostolicus præerat 1496. 97. & 99. quo anno a quibusdam S. Tiberii monachis in abbatem electus fuit, sed Johanni de Podio cedere coactus, permansit abbas S. Polycarpi ad annum saltem 1509. quo episcopatum Electensem ambivit.

XXVIII. Rufinus de Brinhaco *al.* Rosso & Rossonus de Brignaco, quem & alibi legimus Rostagnum de Boynario, eligitur abbas per obitum Johannis de Michaele anno saltem 1516. quo nuncupatus abbas & patruus seu avunculus Beatricis de Faugeres, ejusdem neptis matrimoniali pacto cum Johanne de Narbona interfuit die 16. Augusti. Adhuc præerat 1519.

XXIX. Gisardus de Brinhaco fuit abbas commendatarius annis 1525. & 1528.

XXX. Antonius II. Dax *vel* d'Acqs canonicus Carcassonensis, Electensis præcentor & vicarius generalis Guillelmi de Gaudiosa Electensis episcopi, necnon sedis apost. protonotarius, erat abbas S. Polycarpi anno septimo pontificatus Clementis papæ VII. hoc est 1529. quo anno idibus Februarii tanquam procurator, seu legatus Guidonis episcopi Prænestini, Petri tituli S. Anastasiæ, Petri tituli S. Laurentii in Lucina & Hugonis tituli S. Mariæ in Porticu cardinalium, executorum testamenti Petri cardinalis tituli sancti Clementis, a Clemente papa VII. jussorias litteras accepit, ut bonorum omnium hujus cardinalis defuncti rationes exposceret per censuras ecclesiasticas, ex tabulario capituli Narbonensis. Memoratur 1548. 50. & 53. die 20. Martii, seu 1554. simul canonicus & archidiaconus ac vicarius generalis Francisci de Faucon episcopi Carcassonensis; & adhuc 1555. ac 1565. cum jam anno præcedenti ad cathedram Electensem evectus esset.

XXXI. N. d'Acqs superioris nepos præfuisse aliquot annis ex patrui cessione dicitur.

XXXII. Paulus Dax *vel* d'Acqs de la Serpent superioris frater, regi ab eleemosynis & archidiaconus Electensis, ex ejusdem fratris cessione abbatiam obtinebat annis 1570. 73. 85. 1600. 1604. 1606. & 1615. quo rebus humanis exemtus est.

XXXIII. Gabriel de Sirano ortus e nobili genere in toparchis de Cabanac & la Bastide superstite, sedit ab anno 1615. ad annum saltem 1678. quo scribebat Claudius Estiennot. Obiit an. 1683. e schedis Martennii.

XXXIV. Renatus Carolus du Verger de la Roche Jacquelin nobilis Pictavinus, canonicus & decanus ecclesiæ Lingonensis, necnon serenissimæ Delphinæ ab eleemosynis, nominatus abbas die 8. Sept. an. 1681. mortem oppetiit an. 1705. die 2. Decemb. etiam abbas S. Martini de Orione diœcesis Catalaunensis. Conditus jacet in æde sacra Sorbonæ, cujus erat socius.

XXXV. Henricus de la Fitte Maria schedula regia designatur abbas die 24. Dec. an. 1705. vir ex illustri apud Benearnenses prosapia ortus, sed in primis pietate ac zelo restaurandæ disciplinæ commendandus, qui tametsi solummodo commendatarius abbas, primævum religionis fervorem adinstar Trappensis & Aureæ vallis abbatiarum in suum monasterium induxit. Obiit in Domino ineunte anno 1728.

XXXVI. N. Bescheran canonicus ecclesiæ cathedralis Monspeliensis renunciatur abbas die 15. Maii an. 1728.

B. MARIA DE QUADRAGINTA.

Hujus ecclesiæ mentio est an. 902. in concilio episcoporum Gothiæ & Spaniæ Attiliani in pago Narbonensi habito, ubi decretum fuit illam ab ecclesia S. Eulaliæ de Cruceio *de Crusy* fore liberam, at jam tunc cœnobialem fuisse, nullum suppetit argumentum; evasisse tamen hoc ipso seculo innuit testamentum Raimundi I. comitis Ruthenensis & marchionis Gothiæ conditum anno 961. in eo siquidem inter ecclesias seu cathedrales, seu cœnobiales quibus aliqua legat *S. Maria ad Quarante* recensetur. Adelais quoque vicecomitissa in primo testamento anni 977. *ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant*, inquit, *Quadraginta*, mentionem facit, Ermengaudusque archiepiscopus an. 982. ecclesiam B. Mariæ de Quadraginta dedicavit. Nullum vero de illius canonico statu & vita communi dubium relinquit alterum prædictæ Adelaidis vicecomitissæ testamentum anno tertio Hugonis regis conditum hoc est 990. quando huic ecclesiæ donationem ea lege facit, ut qui deserviunt eidem canonici illa in communi fruantur. Hæc igitur canonicalis ecclesia specialem patronam habet B. Mariam

Tom. 4. Anecdot. Martenn. col. 69.

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 108.

Ibid. col. 132.

Ibid. col. 147.

virginem; cui quasi secundarios adjunge patronos complures martyres, qui inibi tumulati sunt, quemadmodum indicant verba hæc diplomatis pontificii. *Igitur ut templum seu ecclesia B. M. de Quadraginta ordinis S. Augustini, Narbonensis diœcesis a Christi fidelibus reveretur, & cum in dicta ecclesia divina ordinatione Quadraginta martyres requiescant, qui a persecutoribus Christi palmam martyrii pro Christi nomine susceperunt. Quapropter aliorum sanctorum non pauca corpora quæ ibidem requiescunt in dicta ecclesia Virginis gloriosæ, & reliquias ipsius B. Virginis, ligni crucis Dominicæ, & aliorum sanctorum ad Dei & Virginis gloriosæ reverentiam ædificatum in villa de Quadraginta a Christi fidelibus, & fundatum XIV. cal. Novemb. & per Guifredum Narbonensem archiepiscopum dedicatum (XIV. cal. Nov. anno 1035.) ac altare majus ecclesiæ consecratum congregatis pluribus prælatis & nobilibus, &c. Datum Avenione 1357.* quo anno ecclesiæ principatum obtinebat Innocentius VI. Jam pridem Innocentius II. monasterii possessiones confirmaverat litteris datis an. 1135. non 1136. ut habetur inter instrumenta.

Ch. XL. col. 36.

Ceterum hoc cœnobium sex milliaribus ab abbatia S. Aniani & a Narbona decem dissitum societatem habuit cum pluribus aliis ecclesiis, uti colligitur ex necrologio, his verbis: *X. calend. Aprilis commemoratio fratrum & patrum nostrorum B. Mariæ de Seraguli; V. cal. Martii commemoratio patrum & fratrum nostrorum B. Mariæ de Caciano:* & vicissim in necrologio Cassiani, *V. idus Septembris comm. fratrum Quadringentensium. Idibus Aprilis comm. fratrum nostrorum Comæ* longæ; VIII. idus Maii comm. fratrum nostrorum Fontis calidi; V. cal. Aug. comm. patrum & fratrum nostrorum Carcassonæ ecclesiæ; IV. nonas Aug. comm. omnium patrum & fratrum nostrorum Magalonæ ecclesiæ; X. cal. Octobris comm. patrum nostrorum & fratrum Appamiensis ecclesiæ.* Denique hæc abbatia accessit ad reformatam S. Genovefæ congregationem, sub qua felicibus auspiciis tam interius quam exterius reflorescit.

* Combæ.

Indiculus Abbatum.

I. BERENGARIUS I. sedebat an. 1027.

II. Riquinus 1037. quo anno Guillelmus Aribert se in ejus manibus canonicum tradit.

III. Matfredus 1063. & 1067.

IV. Raimundus Udalguerii præerat 1089. & 1090. quo anno 20. Martii, *seu* 1091. adfuit concilio Narbonensi. Idem fortasse est ac Raimundus, qui reperitur annis 1126. & 1131. De eo sic legitur in fragmento necrologii sancti Nazarii Carcasson. *XII. cal. Septemb. obiit venerandæ memoriæ Raimundus Udalgerii clericus nostræ congregationis & abbas de Quadraginta.*

T. 10. conc. col. 1821.

IV. Richinus & Richerius bullam protectionis, & privilegiorum ac possessionum confirmationem obtinuit ab Innocentio II. papa datam.... idus Nov. indict. XIII. pontificatus anno sexto, Christi 1135. de qua superius. Permutavit an. 1154. cum Narbonensi capitulo ecclesiam sancti Saturnini de Majano pro ecclesia S. Vincentii de Argelers, præsente Petro Narbonensi archiepiscopo. Huic chartæ subscribunt Arnaldus, Pontius & Rogerius archidiaconi. Eodem anno Ermengardis vicecomitissa ei laudavit omnem honorem, quem Raimundus Gaucelini habebat in villa & castello de Arzilers *seu* Argelers. Denique an. 1154. VII. calend. Febr. Guillelmus de Minerba vicecomes & uxor Ermengardis hunc in abbatem se munificos exhibuerunt.

V. Raimundus II. innotescit ex litteris Hyacinthi cardinalis diaconi & sedis apost. legati, permutationem, de qua supra, inter Richinum abbatem antecessorem & canonicos ecclesiæ Narbonensis pridie cal. Aprilis indictione 2. anno 1154. confirmantis, ex tabulario capituli Narbonensis.

VI. Petrus I. sedebat 1159. & 1163. quo anno IV. nonas Octobris Ermengardis vicecomitissa Narbonensis ei confirmavit medietatem castri de Coemeraco, quam ipsi Pontia de Coemeraco & Bernardus de Moleriis ejus maritus concesserant.

VII. Bernardus I. legitur abbas in veteri charta Fontis frigidi an. 1173.

VIII. Petrus II. anno 1180. sententiam obtinuit adversus Adalaicem uxorem Berengarii de Monte sereno. Anno 1182. Ermengardem vicecomitissam munificam expertus est. Paciscitur an. 1184. cum Raimundo Berengario de Oviliano & liberis ejus, ex consilio Ermengardis vicecomitissæ Narbonensis, de jure piscationis in stagno de Coemeraco. Anno 1192. IV. calend. Martii Calva filia Adalaicis & Rogerius de Podio ejus maritus Petro abbati jurejurando affirmarunt se illum minime turbaturos in possessione castelli & arcis de Argileriis. Adhuc memoratur 1197. in veteri Gallia Christiana.

IX. Guillelmus I. ex majori priore B. Mariæ Cæsaraugustanæ electus abbas de Quadraginta societatem iniit cum ecclesia Cæsaraugustana æra 1234. VIII. cal. Febr. hoc est 1197. ex tabulario domestico. Hunc autem annum in præfectura non excessisse videtur, sive obierit, sive abdicaverit, nam

X. Benedictus hoc ipso anno 1197. legitur abbas electus tum in tabulario capituli Narbon. tum in notis mss. Baluzii ad veterem Galliam Christ. cujus cum electionem in absentia archiepiscopi factam Narbonense capitulum confirmare abnueret, quod inscio se facta esset, canonici de Quadraginta ipsum archiepiscopum convenerunt, qui de novo procedendum ad electionem abbatis de consensu & in præsentia capituli respondit; quo peracto electionem confirmavit vice ejusdem archiepiscopi Berengarius de Mociano archidiaconus.

XI. Berengarius II. de Mociano jam archidiaconus major ecclesiæ Narbonensis, reperitur abbas de Quadraginta an. 1204.

XII. Petrus III. Blancus 1207. & adhuc 1215. ex notis Stephanotii, sed tunc fortasse abdicaverat retento abbatis nomine; nam

XIII. Berengarius III. de Celiano jam anno

1213. notatur abbas in schedis Martennii. Eidem anno 1215. Aimericus vicecomes donum Ermengardis vicecomitissæ factum olim Petro abbati confirmavit. Transigit anno 1226. cum Petro archiepiscopo; ejusque mentio recurrit 1230. 1234. & 1236. in veteri Gallia Christ. Memoratur in necrologio domestico XIV. cal. Januarii.

XIV. Guillelmus II. an. 1238. XIII. calend. Maii præsens memoratur testamento P. archiepiscopi Narbon. ex tabul. capituli.

Ch. LXVII. col. 64.

XV. Bernardus II. de Passu 1239. ex veteri Gallia Christiana.

XVI. Guillelmus III. de S. Petro reperitur 1242. & 1245. in litteris plurimorum tam episcoporum quam abbatum ad Innocentium papam, quibus eum deprecantur ut libera detur inquisitoribus agendi contra hæreticos licentia. Adhuc memoratur 1248. 50. & 51. in concordia Guillelmum archiepiscopum inter & Amalricum vicecomitem inita; & 1255. in charta ejusdem Amalrici. Ejus fit mentio in necrologio III. nonas Aprilis.

XVII. Berardus an. 1260. hominium excepit a Raimundo Bernardi de Cursiaco. Nonnulla permutavit an. 1262. XII. cal. Apr. cum Raimundo Guillelmi hospitalis domus S. Johannis de Capestang & Guillelmo Pontio S. Johannis de Roaros præceptoribus. Reperitur adhuc 1264.

XVIII. Ricardus an. 1265. idibus Junii finem imposuit controversiæ inter Raimundum de Figueria S. Aniani abbatem & Raimundum de Salis dominum de Villespassans super limitibus locorum de S. Aniano & Villespassans, ex tabulario S. Aniani.

XIX. Bernardus III. Dalquerii in veteri Gallia Christiana legitur abbas anno 1268. Maurino archiepiscopo promisit obedientiam anno sequenti. Hic ille fortasse est, quem appellatum legimus Berardum 1266. & 1267. quo anno III. idus Octob. partem domus in parochia S. Mariæ Majoris Narbonæ ab Amalrico vicecomite acquisivit. Obiit B. Dalquerii XIII. cal. Septemb. ex necrologio.

XX. Bernardus IV. de Niciano, *vel* de Nissano ex veteri Gallia Christiana, electus abbas transigit cum Amalrico de Narbona filio Amalrici vicecomitis Narbonensis super jurisdictione castellorum de Quadraginta, de Argileriis, &c. arbitris Guitardo Ermengaudi & Raimundo Grassi canonico S. Pauli Narbon. IV. idus Septemb. an. 1272. Idem se excusavit quod provinciali concilio non interesset an. 1277. & an. 1280. societatem iniit cum canonicis Appamiensibus & Cassianensibus. Superstes anno sequenti, memoratur in necrologio domestico XIII. calend. Novembris.

XXI. Bernardus V. Salvadoris anno 1283. statuit plenarium officium pro omnibus abbatibus defunctis prima die lunæ post festum sancti Michaelis celebrandum. Reperitur etiam 1285. tertio post anno defunctus, VII. idus Februarii, ex necrologio.

XXII. Ermengaudus monasterii operarius, civium insolentia eligitur abbas per obitum Bernardi an. 1288.

XXIII. Petrus IV. statuta condit an. 1297.

XXIV. Bernardus VI. occurrit anno 1303.

XXV. Petrus V. eodem anno 1303. transigit cum consulibus. Ejus obitus notatur in necrologio XV. cal. Junii an. 1313.

XXVI. Jacobus I. Gondolini juravit obedientiam vicariis generalibus Bernardi archiepiscopi Narbonensis an. 1313. Migravit a seculo XV. cal. Aprilis an. 1324.

XXVII. Arnaldus Salvadoris electus XII. cal. Aprilis an. 1324. confirmatur a vicariis generalibus archiepiscopi Narbonensis. Decessit an. 1328. XVII. cal. Augusti, ex necrologio.

XXVIII. Pontius de Aurenca monasterii camerarius, eligitur abbas & confirmatur a Bernardo archiepiscopo 1328. Statuta condit anno sequenti, & 1333. singulari constitutione canonicos suos ad septemdecim reduxit; quod ratum habuit archiepiscopus anno 1334. Vivere desiit 1337. pridie idus Januarii.

XXIX. Rogerius an. 1345. a conventu interpellatus de victu consueto illi suppeditando, statuta condidit. De eo sic habet necrologium: *VI. nonas Julii obiit dominus Rogerius abbas noster atque decretorum egregius doctor 1348.*

XXX. Bernardus VII. de Mesencheriis *al.* de Mesenchis prior d'Olargue per obitum Rogerii abbas instituitur a Clemente VI. pontifice an. 1348. Consignatur in necrologio his verbis: *V. idus Junii obiit reverendus in Christo pater & dominus D. B. de Mesencheriis abbas istius monasterii, in sacraque pagina egregius professor & magister an. 1357.*

XXXI. Petrus VI. de Mesenchis prior de Murato diœcesis Castrensis nominatur abbas de Quadraginta bulla Innocentii VI. anno 1357. Defunctus est calendis Septemb. anni 1361.

XXXII. Stephanus de Tipia *al.* de Triperia sedebat annis 1368. 1370. & 1374. quo anno mense Aprili interfuit concilio provinciali Narbonensi. E vivis excessit XVI. calend. Julii anno 1379. ac proinde mendum est in apice *B.* an. 1377. cui substituendus *S.* aut pro 1377. legendum 1277.

Tom. 11. conc. p. 2. col. 2510.

XXXIII. Vincentius de Sirano in decretis baccalaureus obiit 1380. idibus Septemb.

XXXIV. Jacobus II. memoratur abbas annis 1383. 1392. & 1401. atque etiam in veteri Gallia Christ. 1403. & 1408. Quinimo anno 1409. misit procuratorem ad concilium Pisanum. Idem fortasse est ac Jacobus, cujus frater Johannes Isarni de Lesignano in necrologio B. Mariæ de Quadraginta anniversarium habet XVI. cal. Octobris. Et huic nostræ conjecturæ favet cognomen successoris.

T. 6. Spicil. col. 365.

XXXV. Johannes I. Isarni obiit IV. idus Junii an. 1413.

XXXVI. Raimundus III. de Fabregues regimini admotus erat jam anno 1413. ut patet ex epistola Johannis papæ XXIII. Narbonensi archiepiscopo inscripta in gratiam hujus abbatis, ex archivo Narbonensis archiepiscopatus.

Memoratur etiam 1417. & 1426. quo anno litigabat cum archiepiscopi procuratore, causatus se multis abhinc annis juste & pacifice abbatiam possedisse, qua nihilominus ipsum per sex annos privaverat archiepiscopi vicarius generalis. Reponebat procurator archiepiscopi illum merito hac abbatia privatum fuisse, cujus erat dilapidator. Postea tamen sedi suae restitutum fuisse probat, quod anno 1430. sese excusaverit quod abfuisset a concilio Narbonensi.

XXXVII. Guillelmus III. de S. Mauricio, senio fractus abdicavit in gratiam sequentis anno 1459.

XXXVIII. Gerardus *vel* Guiraudus de S. Mauricio *al.* de S. Marino, monachus ordinis Cluniacensis, prior de Maseriis & de Sedilhaco ex cessione praecedentis fit abbas B. Mariae de Quadraginta 1459. Eodem anno die 15. Novembris Johannem Fortis priorem de Pinu & Arnaldum de Rupefolio monachos sancti Salvatoris Anianae instituit procuratores ad repetenda ipsius nomine ab Antonio Parrarii ejusdem coenobii Anianensis monacho & sacrista de Gordanicis quatuor scuta auri & viginti solidos Turonenses. Anno 1474. bullam obtinuit a Paulo II. pontifice anno sexto ejusdem pontificatus, qua sibi licitum erat eos excommunicare, qui bona monasterii invaderent, nisi restituerent tempore ab ipso abbate statuendo. Adhuc erat superstes an. 1476.

XXXIX. Joffredus in utroque jure licentiatus jura monasterii servaturum se juravit in suo jucundo adventu 1481. quo etiam anno antiqua statuta confirmavit.

XL. Henricus Geoffredi canonicus Albiensis fuit abbas commendatarius B. Mariae de Quadraginta jam anno 1481. 18. Januarii, hoc est 1482. pro novo computandi modo, ex charta authentica collectionis D. de Gagneres. Adhuc reperitur 1487. & in veteri Gallia Christiana 1490.

XLI. Johannes II. du Mesnil regi fuit a consiliis, quo jubente Lugdunum ex urbe Rotomago petiit, pro quo itinere sexaginta libras Turonenses accepit anno 1497. die 16. Maii, ex charta authentica collectionis D. de Gagneres. Memoratur adhuc 1504. in veteri Gallia Christ.

XLII. Raimundus IV. de Guercio 1508. vide infra ad hunc annum in ecclesia Electensi.

XLIII. Robertus de Coqueborne episcopus Roffensis, ac thesaurarius sacrae capellae Parisiensis, 1517. & 1522. uti nos docet historia ms. hujus insignis ecclesiae, ubi legitur *de Coquebourne*.

XLIV. Guillelmus IV. de la Volpilliere, abbas simul S. Andreae Claromontensis & canonicus ecclesiae cathedralis obiisse 19. Julii 1529. dictus est a nobis tom. 2. col. 413.

XLV. Claudius d'Auraison 1530. abbas commendatarius, anno 1551. 20. Aug. fit episc. Castrensis per cessionem Antonii de Vesc, ex regesto Vaticani.

XLVI. Blasius Cistel ecclesiae Claromontensis electus praepositus an. 1553. fuit abbas B. Mariae de Quadraginta, uti t. 2. col. 307. diximus.

XLVII. Petrus VII. de Briniaco 1564. & 1565. post quem toparchae de la Jugie de Rieux abbatia potiti sunt usque ad abbatem qui sequitur.

XLVIII. Petrus VIII. Redon *vel* Redoin 1603. 1604. & 1606. quo anno aetatis 23. v. calend. Februarii defunctus est, ex necrologio domestico.

XLIX. Balthasar de Thesan de S^t. Genès 1606.

L. Johannes Antonius de Thesan de S^t. Genès 1621.

LI. Bartholomaeus de Renouard archidiaconus Narbonensis 1636. & 1666.

LII. Ludovicus de la Vergne de Montenar de Tressan episcopus Vabrensis & postea Cenomanensis, 1668. 1669. & 1670.

LIII. Annas Tristandus de la Baume de Suze 1672. deinde episcopus Tarbiensis, & sancti Audomari successive, ac demum archiepiscopus Ausciensis 1692. Obiit 24. Martii an. 1705.

LIV. Antonius de Renouard archidiac. Narbon. & abbas de Quadraginta 1686.

LV. Stephanus Antonius de Jouan *al.* Jouant baccalaureus Parisinus, XI. Aprilis 1705. & 1707.

Nonnullos subjungimus abbates, quorum aetas dignosci non potuit.

B. Piano, de quo sic habet necrologium domesticum t. 8. fragmentorum Stephanotii pag. 93. *III. nonas Novembris obiit dominus B. Piano decretorum doctor, abbas quondam istius monasterii, postea vero archiepiscopus.*

Ebrardus, cujus ita meminit necrologium Cassianensis monasterii: *XIX. cal. Maii obiit D. Ebrardus abbas de Quadraginta.*

Severus memoratur his verbis in necrol. Cassianensi: *X. calend. Maii obiit Severus abbas de Quadraginta*, tom. 10. fragm. p. 159.

B. MARIA DE FONTE FRIGIDO.

FONT-FROIDE.

HIc locus a fonte ibidem scaturiente sic dictus, ab Aimerico vicecomite Narbonensi aedificandus in abbatiam traditur Bertrando abbati Grandis silvae, ut patet ex bulla Innocentii papae II. ad hunc abbatem, qua pontifex eidem coenobio Grandis silvae confirmat *in pago Narbonensi locum Fontis frigidi, cum decimis & primitiis, & omnibus pertinentiis suis, quem Aimericus vicecomes Narbonensis ad aedificandam ibi abbatiam pro redemtione animae suae praedicto abbati & fratribus in perpetuum contulit.* Ergo Guillelmus Catellus, vir alioqui patriae antiquitatis peritus in commentariis Occitaniae lib. 4. pag. 592. perperam scribit Ermengardem vicecomitissam fundasse monasterium Fontis frigidi, cum jam ab anno 1097. exaedificatum esset, longe ante tempora Ermengardis, quae vivebat 1134. ac supremum diem explevit 1197. sicuti ex chartophylacio Fontis frigidi compertum est. Ipsa quidem & ejusdem nobilissimae familiae plurimi proceres sese munificos erga hunc locum exhibuerunt, in quo &

elegerunt sepulturam: inter ceteros Aimericus V. ut patet ex actis anni 1176. Ermengardis vicecomitissa, Aimericus VII. Aimericus VIII. & Guillelmus III. in pugna Vernoliensi adversus Anglos interfectus an. 1424. qui hoc in cœnobio humari præscripsit testamenti tabulis ejusdem anni die 5. Maii. Hanc autem abbatiam primum fuisse ordinis S. Benedicti, uti mater ejus Grandis silva erat, colligitur ex bulla memorata; sed postquam an. 1144. hæc Cisterciensi familiæ nomen dedit, illa quoque nihil morata est, quin sequeretur matrem, eidem ordini aggregata die 7. Martii anno 1145. ex ms. codice Cisterciensi ad nos transmisso. De hac Fontis frigidi abbatia sic habet Angelus Manrique t. 2. annalium Cistercii ad annum 1147. cap. 19. art. 2. *Fontem frigidum cujus fecimus mentionem, & ne ante matrem filia nasceretur, in hunc locum remisimus tractandum. Ergo Fons frigidus, sive hoc ipso anno simul cum Grandi silva, seu paulo post Cisterciense institutum per monachos ejusdem domus accepit in Narbonensi diœcesi, principum Narbonensium fundatio, atque dotatio inclyta satis. Primus abbas Bernardus etiam dictus (sicut & Grandis silvæ & Clarevallis) patris & avi virtutes referebat simul cum nomine. Illustravere ecclesiam Fontis frigidi quæcumque alia possunt, sive viros attendas, sive opulentiam, sive prolem susceptam, sive sepulchra. Quippe inter viros sanctitate floruere doctrinaque B. Petrus martyr cum Radulfo ejus socio, primus in ecclesia hæreticæ pravitatis inquisitor: dignitatibus, Jacobus Furnus sive Furnerius ejusdem domus abbas, mox summus pontifex Benedictus XII. æquè sanctus ac doctus: & Arnaldus Nouvelli cardinalis tit. S. Priscæ. Quantum ad opes, extat in libris cameræ duum millium florenorum, ad quos pauci pertingunt episcopatus, taxam implens. De prole, Populetum Fontis frigidi germen toto orbe Christiano nulli secundum. Demum si ad sepulchra convertas oculos, invenies illuc Narbonensium principum ossa, adeò continua serie, ut non prius sepeliri illic desierint, quam esse, id est quam cederet Narbona Francorum regibus.* Hactenus idem historicus. Extant in armario Fontis frigidi plurima pontificum diplomata in gratiam hujus cœnobii. Alexander III. bulla anni 1162. & Cælestinus III. 1195. sub defensione Romanæ ecclesiæ hoc monasterium cum omnibus appenditiis admittunt: Honorius III. rescripto anni 1219. acquisita in diœcesi Helenensi, ac donationes Ildefonsi & Petri regum Aragoniæ factas apud Fontem frigidum, de luminari ante altare B. virginis perpetuo ardendo, confirmat; Benedictus autem XIII. 1401. usum ornamentorum pontificalium, mitræ, annuli, & ceterorum eidem abbati indulget. In vetustis etiam documentis cernitur privilegium ab Aimerico vicecomite collatum monasterio, quo abbati & successoribus tam in territorio Fontis frigidi, quam & in diœcesi Helenensi, ac comitatu Urgelitano, datur facultas constituendi monachum, vices agentem notarii publici, in actis conscribendis, quæ cœnobium spectant. Memoratur Fons frigidus in jure in cap. *per inquisitionem* 26. de electione & electi potestate & in cap. 18. *Cum dilecti filii*, de Accusat. & in cap. *Litteras de supplenda negligentia prælatorum*, atque in multis aliis decretalibus pontificum. Historiam abbatum ex tabulis & archivo monasterii diligenter elucubratam proferre se beneficio illustrissimi archiepiscopi & primatis Narbon. Claudii de Rebé Sammarthani fratres profitentur, nos plus adjuti auctiorem & emendatiorem proferimus.

Sammarth.

Series Abbatum.

I. Bernardus I. innotescit ex instrumento emtionis territorii apud Albiam ab eo & monachis factæ anno 1118. quo adhuc cœnobium ordini S. Benedicti addictum erat.

II. Sancius reperitur an. 1146. XVI. calend. Decembris in charta pro cœnobiis S. Mariæ Bonifontis & S. Mariæ de Bertranda, & iterum eodem anno pridie cal. Decembris in charta Petri Raimundi de Monte ferrato, iisdem monasteriis totum mansum de Bertranda elargientis. Privilegium obtinuit anno seq. ab Eugenio III. pontifice pro tutela bonorum omnium Fontis frigidi. Anno 1148. mansum de Pradines, aliave territoria comparavit a domina Cerdaniæ & liberis ejus, numerata summa 3100. solidorum Melgoriensium. Eodem anno v. cal. Augusti Arnaldus Narbonensis archipræsul consilio archidiaconorum, præcentoris & aliorum ecclesiæ clericorum Sancio abbati largitus est totum jus dominii quod habebat in loco de Pradines. Raimundus quoque Barcinonæ comes eidem anno sequenti XV. cal. Febr. territorium nuncupatum *hortum Populeti* ad ædificandum monasterium concessit. Denique anno 1151. idibus Januarii Bernardus de Caneto, & nonis Febr. ejusdem anni Berengarius de Durban cum uxore Grega quidquid habebant in Pradinis & Colonegis Sancio tradiderunt.

Ch. XLIV. col. 38.

III. Vitalis I. abbatiam tenuisse dicitur anno 1156. ex tabulis Juncariæ. Anno sequenti XII. cal. Aprilis Ermengardis vicecomitissa ei sua jura dimisit in alodio libero apud territorium Fontis frigidi. Eodem anno IV. idus Decembris Vitalis abbas Artaldum Helenensem episcopum munificum expertus est. Hoc etiam anno pridie calend. Januarii a Pontio Guifredi, conjuge, liberis & fratre terras omnes, quas a monasterio tenebant in comitatu Narbonensi, in loco Pradinas nuncupato acquisivit pretio 65. solidorum Melgoriensium. Occurrit abbas in tabulis domesticis an. 1160. idibus Febr. & XVI. calend. Julii, tertio idus Junii 1162. & 1165. XI. cal. Aug. quo jus pascuorum & ligna necessaria cædendi accepit a Bernardo de Mira valle. Adfuit eodem anno Lomberiensi concilio in diœcesi Albiensi contra hæreticos qui se *Bonos homines* nuncupabant. Pridie idus Martii ejusdem anni 1165. *seu* 1166. uti nunc computamus, Gerardus comes Ruscinonis Vitali abbati pascuorum, olei & ceræ donationem fecit. Omnia quoque pascua castelli de Cabaret cum exemtione ab omni usu Petrus de Laurano ei concessit X. cal. Augusti an. 1166. Bernardus de Pilapulli miles tradens se in fratrem

monasterii Fontis frigidi, simul etiam Vitali abbati tradidit medietatem honoris, quem in territorio de Terno per indivisum cum Guillelmo fratre habebat, anno 1168. *al.* 1169. XV. cal. Decembris. Ermengardis vicecomitissa Narbonensis eidem an. 1171. VI. idus Martii census omnes tribuit, quos illa in duabus ædibus sitis in paroecia sancti Stephani Narbonensis percipiebat. Elapso biennio, hoc est 1173. nonis Novembris Vitalis a Raimundo de Petralata trium olei sextariorum in castello de Turriliis annuatim percipiendorum donationem accepit, & ipsius castelli donum post ejus obitum. Eodem anno IV. nonas Julii subscripsit primus testamento Guinardi comitis Ruscinonensis, seipsum tradentis monasterio, ac inter varias variis factas donationes dantis eidem mille centum morabatinos bonos. Anno 1175. mense Martio nonnulla comparavit a Bernardo de Minerba. Eidem Aimericus de Narbonne monasticam vitam in hoc coenobio amplectens laudavit 1176. VIII. cal. Februarii quidquid abbas in comitatu Narbonensi acquisierat. Transegit eodem anno cum Bernardo de Chillano & ipsius conjuge; ac denique Vitali se munificum præbuit Pontius d'Olargue de consensu Ermengardis vicecomitissæ VI. nonas Maii anno 1177.

Append. Marc. Hisp. col. 1360.

Prob. t. 3. hist. Occit. col. 138.

Sammarthani vitalem adhuc præfuisse tradunt 1178. & 1179. quibus annis plurima in mansis de Montels & d'Auterive comparavit. Interea tamen plures, haud dissimulabo, reperiuntur abbates; Atho videlicet occurrit 1159. quo Amalricus vicecomes & dominus Narbonæ ditionem & jura quæ habebat in castello de Mercurinhan ei dimisit, at fortasse legendum 1259. quo anno revera præerat Odo *vel* Otho, *seu* Atho. A. legitur præsens anno 1165. sententiæ latæ in quosdam hæreticos qui se *Bonos homines* jactitabant, sed loco A. legimus alibi V. Arnaldus sedebat, inquiunt Sammarthani anno 1168. ex chartis de Montlaurez, idque confirmat Stephanotius, cum ait hoc ipso anno sedente Arnaldo abbate monasterium de Montlaurez Fonti frigido traditum fuisse, ex tabulis Fontis frigidi, quanquam & hoc suspectum facit syllabus abbatum nobis ab illustrissimo præsule D. de Brissac hodierno hujus loci abbate perhumaniter suppeditatus, in quo hæc traditio, seu acquisitio illigata legitur anno 1211. sub Bernardo abbate, ac proinde loco 1168. legendum fortasse 1268. quo sedisse Arnaldum nihil implicat. Ad hæc Bernardus, testante veteri Gallia Christiana, memoratur abbas in documentis du Terrail an. 1173. pro quo legendum suspicamur 1183. Denique Otho legitur abbas in schedis Martennii an. 1178. ex chartario, inquit, S. Pauli Narbonensis, quem per me licet admittere, maxime cum de Vitale nihil nobis ultra annum 1177. occurrerit.

IV. Bernardus II. laudatus abbas jam anno 1180. biennio post, VI. idus Martii Bernardum de Durbano beneficum experitur. Insequenti 1183. XVI. cal. Junii Guillelmus de Salsis jus ac dominium in territorio de Vespela ei concessit. Anno 1184. III. cal. Decemb. Ermengaudus de Rosticano & soror ejus Blanca quidquid habebant in honore de Matafera eidem dimiserunt. Multa ei largitus est Gaucelinus episc. Leutevensis III. cal. Januarii anno 1186. quo etiam anno mense Aprili Rogerius vicecomes ac dominus Biterrensis ei donationem factam a Petro Mercerii & ipsius conjuge ratam habuit. Idem præstitit Ermengardis vicecomitissa de donatione Ermengaudi filii Raimundi de Trasvilla an. 1187. VIII. cal. Aug. Geraudus de Redorta monasticen amplectens in coenobio Fontis frigidi ei contulit campum in alode de Redorta an. 1188. idibus Julii. Eodem anno ex Catello in commentariis Occitaniæ pag. 594. & ex aliis schedis, non autem 1184. Bernardus archiepiscopus Narbonensis ei vendidit castrum du Terrail. Transegit an. 1190. cum Raimundo Guillelmi episcopo Leutevensi de pluribus pretiosis sibi a Gaucelino Raimundi Guillelmi decessore legatis, de quibus vide in hoc episcopo. Mense Aprili ejusdem anni omnem honorem *de Planes* cum suis juribus dono accepit ab Alfonso Aragoniæ rege; hic quidem nomen abbatis per initialem litteram *S.* exprimitur, sed putamus errorem in amanuensi; adhuc enim Bernardus præerat an. 1191. pridie nonas Octobris, quo Ermengardis vicecomitissa Narbonensis ei quidquid ipsa in molendinis de Aboniano percipiebat, cessit. Ex quibus omnibus liquet sedisse Bernardum, quando prioratus S. Eugeniæ unitus est monasterio Fontis frigidi anno 1189. probantibus archiepiscopo & Ermengarde vicecomitissa. Quod ad Petrum attinet a Sammarthanis inductum anno 1193. nonnihil profecto suspectus esse debet, utpote de quo nihil omnino repertum est, sive a nobis, qui chartarium domesticum in bibliotheca Colbertina diligenter revolvimus, sive a nostris Martennio & Stephanotio. Et certe Bernardus ille, quem Sammarthani in duos sciderunt, ut huic Petro locum invenirent, unus & idem videtur esse qui præerat 1193. mense Aprili, quo factam ipsi venditionem honoris in territorio de Livoria a Berengario de Petrapertusa, idem Berengarius laudavit & confirmavit. Anno sequenti mense Martio eidem Bernardo Rogerius vicecomes Biterrensis dedit ac firmavit domum quam habebat in suburbio sancti Michaelis civitatis Carcassonensis. Raimunda quoque uxor Berengarii de Chugumano ei jus transitus per omnes suas terras absque leudæ alicujus solutione contulit anno 1195. mense Decembri. Biennio post mense Junio Guillelmus Gunterius de Monterotundo & soror ejus Manusplena honorem ei dederunt, quem ab Arnaldo de Malliaco habebant in territorio de Bocaircio. Occurrit adhuc 1198. in charta S. Pauli Narbonensis.

Ch. XX. col. 283.

Ch. LIV. col. 46.

V. Oto I. sedebat jam 1199. si fides habenda cuidam abbatissarum Rivi nitidi in dioecesi Carcassonensi indiculo, ubi Sarraloga, sive ut alibi, Maria Saraloga hujus parthenonis abbatissa Othoni abbati Fontis frigidi pro feudo ac terra Villæ novettæ hominium præstitisse perhibetur; sed id nobis suspectum hunc catalogum reddit,

quod ibidem Mathildis abbatissa cum 32. *vel* 33. sanctimonialibus idem hominium eodemque anno Arnaldo Fontis frigidi abbati exhibuisse dicatur, & alibi 1290. quod neutrum verum est; sed tamen ut error facilis, ita & correctio; Othoni maneat nota 1199. & Arnaldo substituatur 1299. pro 1199. sic profecto habebitur si non veritas, saltem verisimilitudo. Ceterum Otho anno 1200. mense Octobri quædam ab Olivario de Terminis in castello de Cuesaco & in villa de Posulis comparavit, ex tabulario Carcassonensi.

VI. Bernardus III. sedebat nonis Martii anno 1200. *seu* 1201. uti nunc computamus, qua die Fredolus de Lautrec, & Geraudus de Pipionibus ejus filius quidquid injuste repetebant in honore de Bocaircio ipsi restituerunt. Eodem anno 1201. Raimundus dux Narbonensis cœnobium liberavit ab omnibus pedagiis & leudis. Insequenti Aimericus vicecomes Narbonensis factam a P. de Lercio Fontis frigidi monacho fundationem ecclesiæ & monasterii S. Victoris de Montveyre ratam habuit. Anno 1203. nonis Maii Petrus Aragoniæ rex & comes Barcinonæ domum in urbe Perpiniano a Maynarda relictam, immunem ab omni subsidio Bernardo abbati contulit. Mense Julio anni 1205. Guillelmus de Montesquieu ei se munificum præbuit. Anno seq. mense Septembri Aimericus vicecomes Narbonensis quidquid juris habebat in horto comitali in territorio S. Justi de Durbano eidem tribuit; quo etiam anno mense Martio Hugo comes Empuritanus & uxor ejus Maria omnia ipsi tradiderunt pascua, quæ habebant in comitatibus Empuritano & Ruscinonensi, ac in diœcesi Helenensi, cum facultate vendendi & emendi per totam suam terram, necnon terra marique frumentum transferendi absque ulla leuda aut subsidio. Eodem anno XII. cal. Maii ei benefecit Guillelmus de Durbano. Insequenti calendis Octobris Raimundus Rogerius comes de Fuxo, quam ipsi condaminam in castello d'Albars territorii sanctæ Leucadiæ de Fonte jocoso Aimericus vicecomes Narbonensis obligaverat, eam tribuit Bernardo abbati. Memoratur an. 1208. in charta S. Pauli Narbonensis, & 1209. in charta Narbonensis archiepiscopatus, quo anno XII. cal. Decembris Aimericus vicecomes Narbonensis campum in territorio castelli de Fonte jocoso cum suis appendiciis eidem concessit in alodem. Anno 1211. Bernardus abbas de Clusa prioratum S. Michaelis de Montlaurez suo donatum monasterio an. 1044. a Berengario vicecomite Narbonensi & Garsinda uxore, Bernardo abbati Fontis frigidi omnino dimisit. Eodem, XV. cal. Martii Ebrinus de Durbano ei jus pascuorum in omni terra sua indulsit; ac mense Maio ejusdem anni Guillelmus Montispessulani dominus eidem concessit exemtionem ab omni pedagio pro his quæ venderet aut emeret in tota sua jurisdictione. Guillelmus quoque de Fonte jocoso quidquid habebat in territoriis S. Petri de Codoromo & S. Justi de Durbano, in locis nuncupatis *Salvared ad Cros, de Alseu ad Villar, &c.* mense Maio ejusdem anni Bernardo abbati largitus est. Hoc ipso anno 1211. Innocentius III. sub præsidio sedis apostolicæ posuit monasterium cum universis bonis ac terris beneficio pontificum, regum ac principum collatis. Anno seq. calendis Decembris Berengarius de Mociano miles eidem tribuit hominem nomine Guillelmum Fabri filium Bernardi Boerii de Mociano, cum omnibus ejusdem liberis. Idem Berengarius anno 1216. VI. idus Martii jus quoddam in condamina de Livoria ei donavit; quo etiam anno XI. cal. Dec. Boso abbas Electensis omnia jura quæ habebat in villa de Turano, &c. Bernardo dimisit. Rexit ad annum sequentem, ex Sammarthanis, sub cujus regimine, ut observavit in menologio Cisterciensi Chrysostomus Henriques, Petrus de Castro novo monachus Fontis frigidi creatur ab Innocentio III. papa primus fidei inquisitor, cujus hæc verba sunt. *In Fonte frigido natalis B. Petri de Castro novo martyris, qui in eo cœnobio habitum Cisterciensem assumpsit, & sanctissima conversatione Deo gratus & hominibus carus extitit; zelo Domini accensus primus fuit qui auctoritate apostolica sanctissimum inquisitionis tribunal contra hæreticos erexit, munusque inquisitoris viriliter exercuit, fidem orthodoxam cœlesti sibi data gratia circumquaque disseminans, hæreticos veræ & ecclesiasticæ libertatis contemptores mira severitate redarguens, & opprimens. Tandem lancea confossus, gloriosam martyrii palmam vir sanctus promeruit, & post mortem multis miraculis claruit.* Immaniter autem trucidatur dum Rhodani fluenta trajiceret, instigantibus Petro rege Aragonum & Raimundo comite Tolosano, quos hæreticæ pravitatis objurgaverat, sepultus in claustro abbatiæ sancti Ægidii, unde in basilicam transfertur. Cæterum Petrus de Lercio monachus Fontis frigidi cum cellam suam absque licentia superioris reliquisset, ad construendum monasterium in loco deserto S. Victoris de Montveyre nuncupato, ubi monachos congregaverat, inobedientiæ pœnitens Bernardum abbatem invisit, suaque omnia, monachos, quidquidve apud territorium de Montveyre acquisiverat, eidem subjecit.

Ch. LVI. col. 49.

VII. Robertus occurrit anno 1218. in charta ecclesiæ sancti Pauli Narbonensis, testante Martennio, qui cum D. Ursino Durand hujus ecclesiæ tabularium diligenter revolvit. Fallit nihilominus hoc tabularium, aut fallunt documenta chartophylacii de Courssan & d'Ouveilhan, quæ Radulfum abbatem exhibent annis 1217. & 1219. inquiunt Sammarthani; sed neque Semenus ab iisdem ante Radulfum admissus eodem anno 1217. certiori fundamento innixus videtur.

VIII. Vitalis II. anno 1223. III. nonas Decemb. Berengarium Rubei de Taciano superiori militem in monachum suscipiens, ab eo simul excepit honorem, quem habebat in territoriis S. Mariæ de Palatiole, S. Eugeniæ de Teco, &c. ex tabulario Fontis frigidi descripto in bibliotheca Colbertina.

IX. H. id est Helias I. anno 1223. mense Januario, *seu* 1224. pro hodierna computandi ratione,

ratione, pascuis omnibus montium de Minerba donatur ab Amalrico duce Narbonensi, comite Tolosano, vicecomite Biterrensi & Carcassonensi, ac domino Montis fortis, ex eodem tabulario domestico, ubi & quinque dicuntur exstare privilegiorum diplomata ducum Narbonensium ac Tolosæ comitum ann. 1213. 1217. 1218. 1221. & 1223. quibus exemtionem ab omnibus tam maritimis quam terrestribus vectigalibus, & immunitatem pascuagii in territorio suo Minerbensi largiuntur. Ceterum nemo non videt vix inter ea suppetere locum tribus a Sammarthanis inter abbates computatis, Jehameno 1220. ex tabulis, aiunt, de Bizanet, Marquesio eodem anno, ex tabulario de Gaussa, & Semeno 1221. quorum certe nullibi mentionem reperimus.

Sammarth.

X. Bernardus IV. de Bonneriis rexit ab anno 1224. inquiunt Sammarthani. Sane 1225. VIII. idus Septembris Jacobus rex Aragonum, comes Barcinonensis, ac Montispessulani dominus ei se valde munificum præbuit. Insequenti IV. cal. Aprilis Hugo comes Empuritanus eidem domos omnes concessit, quas tum in civitate tum in burgo Narbonensi habebat. Eodem anno XVII. cal. April. cum aliis abbatibus & episcopis interfuit fidei clientelaris professioni ecclesiæ ac regi ab R. de Rocafolio exhibitæ, ex archivo regio Carcassonensi. Adfuit VII. idus Decembris anno 1226. capitulo nigrorum monachorum in monasterio S. Tiberii congregato, huc advocatus cum Vallis magnæ abbate. Anno 1227. XVI. cal. Aug. Olivarius de Trulis bellum meditans adversus barbaros se monasterio dedit in fratrem & *donatum* in manu Bernardi abbatis, cui tunc nonnulla in territorio de Berrella confirmavit. Ab Arnaldo de Salsis XIII. calend. Febr. anno 1228. molendinum accepit in territorio S. Cyrici de Apiano; quo etiam anno XI. cal. Decembris testis laudatur regi factæ donationis castri de Terminis. Reperitur anno 1233. III. nonas Julii in litteris Mascarosiæ filiæ Arnaldi de Salsis, quibus a Pontio Hugone Empuritano comite bis mille solidos Melgorienses sibi solutos profitetur, quos illi debebat idem comes ratione sententiæ contra ipsum latæ a Bernardo Helenensi episcopo, B. abbate Fontis frigidi & Berengario hospitalis Jerosolymitani de Bajolis præceptore. Denique an. 1234. calendis Febr. una cum capitulo statutum de faciendis & distribuendis in tota Narbonensi diœcesi hostiis ex fundatione Johannis Bistani observaturum se promisit, ex mandato Guillelmi abbatis Cistercii dato mense Septembri an. 1233. ex tabulis capituli Narbonensis. Nihil autem reperimus de Petro & Arnaldo, quorum alterum Sammarthani collocant anno 1230. & alterum 1231.

Ch. XXIX. col. 201.

Spicil. t. 6. pag. 32.

Tom. 1. Anecdot. Martenn. col. 1849.

XI. Helias II. occurrit anno 1235. VII. cal. Octobris, quo Nuno Sancii Ruscinonis, Vallis Aspireæ & Cerdaniæ dominus monasterii possessiones confirmavit, ex tabulis Fontis frigidi descriptis in biblioth. Colbertina.

XII. Bernardus V. eodem anno 1235. pridie idus Januarii, hoc est 1236. obtinuit a Bernardo de Montesquieu facultatem vindemiandi pro voluntate in vineis quas habebat in territorio S. Stephani de Orulo. Anno 1236. pridie nonas Aprilis, id est 1237. querelas inter consules & cives urbis ac Burgi Narbonensis composuit una cum Berengario de Boutenac, ex tabulario urbis Narbonæ. Eodem anno calendis Maii Jacobus rex Aragonum & Majoricæ, comes Barcinonæ & Urgelli, ac Montispessulani dominus laudavit ei transactionem factam inter Maresium & Dodonum piscatores ex una parte, & quosdam Fontis frigidi monachos ex altera, de jure piscationis ad gentem de Pujols pertinente, ex tabulis Fontis frigidi.

XIII. Petrus I. Raimond claruit ab an. 1237. ad 1241. inquiunt Sammarthani; addendus erat 1242. XII. cal. Martii, & expungendus, seu removendus Odo, quem aiunt præfuisse anno 1241. sicque faciendus unicus Petrus Raimundi, non duo. Itaque Petrus Raimundi an. 1241. transegit cum Petro Amelii Narbonensi archiepiscopo. Anno seq. mense Augusto novam suo monasterio filiam procreavit abbatiam B. Mariæ Vallis bonæ in diœcesi Helenensi, quam in fundo Fontis frigidi proprio constructam, pluribus terris & latifundiis dotavit, & ornamentis ecclesiasticis, aliisque donariis mirifice locupletavit, in manibus Gitardi primi abbatis, ut liquet ex charta in appendice relata. Electum interea fuisse abbatem Grandis silvæ & renuisse discimus ex statuto XXIII. capituli generalis anni 1240. ubi de rigore ordinis deponendus esse dicitur: quia tamen piissimas causas ipsum habere certum est, parcitur ei a depositione, &c.

Ch. XVI. col. 487.

Tom. 4. Anecdot. Martenn. col. 1374.

XIV. Odo *vel* Otho II. quem dicunt sedisse ab anno 1243. memoratur in charta S. Pauli Narbonensis 1248. quo certe anno testis est O. abbas Fontis frigidi in compromisso Clarini episcopi & capituli Carcasson. ex una parte & consulum urbis ex alia in Guillelmum archiepiscopum Narbonensem XVII. cal. Febr. Anno seq. X. cal. Martii præpositus capituli S. Pauli Narbonensis Odoni abbati exhibuit bullam Innocentii papæ IV. datam calendis Febr. pontificatus anno sexto, qua idem capitulum cogi non posset litteris etiam apostolicis, nisi id expresse habentibus, ad ullum in sua ecclesia beneficiatum recipiendum, ex tabulario S. Pauli Narbon. Reperitur O. abbas Fontis frigidi an. 1250. XV. cal. Jan. in chartario Bolbonensi. Acquirit an. 1252. VI. cal. April. ab Olivario de Terminis castellum de Mercurinhan cum juribus, pretio sex millium solidorum Melgoriensium, quam acquisitionem ratam habuit S. Ludovicus rex Franciæ anno 1266. Eodem anno 1252. nonis Julii Guillelmus de Piano miles senescallus Carcasson. & Biterrensis factam a Robino quodam monasticen amplectente Othoni abbati donationem confirmavit. Habuit Otho controversiam hoc ipso anno cum Amalrico II. vicecomite pro fodina argenti intra limites Fontis frigidi effossa, quam vicecomes supremi dominii prærogativa sibi arrogabat, sed compromisso per Guillelmum de Broa Narbonensem archiepiscopum amice composito, vicecomes a centuris

Ch. XLIV. col. 452.

Sammarth.

ecclesiasticis absolvitur, ac pro damnis monasterio illatis pensitatione decem solidorum damnatur anno 1254. uti memorant tabulæ abbatiæ. Hoc autem anno Otho abbas ex una parte & Guillelmus de Minerba miles ex altera, disceptantes pro divisione territorii de Babiano compromissum fecerunt in manibus Olivarii de Terminis. Idem Olivarius an. 1257. Othoni vendidit castra S. Nazarii & S. Valeriæ, aliasque terras, ex regio Carcasson. tabulario fol. 113. Eodem anno Dominica Palmarum Otho pro acceptis ab Olivario de Terminis decem millibus solidis, grato animo nomen ejus inscribi voluit omnibus cœnobii missalibus, ejusdemque vivi ac defuncti memoriam fieri in omnibus missis ibidem celebrandis. Litem habuit cum Jordano ecclesiæ de Bugairaco rectore super decimis honoris de Paraone, quam an. 1259. pridie cal. Aug. composuit Jacobus archiepisc. Narbon. Inquisivit anno seq. de jure quod gens Durbæ habebat in terra Tuxano. Eodem anno 1260. exhibuit hominium regi Francorum, ex archivo regio Carcassonensi; quo ipso anno v. cal. Julii clientelæ professionem excepit a Petro & Berengario Vicarii filiis Petri Vicarii militis de S. Nazario, pro his omnibus, quæ a monasterio tenebant in castellis & appenditiis S. Nazarii & de Mercurinhano. Ipsi quoque idem hominium præstitit an. 1261. XV. cal. Maii Raimundus de Aquaviva miles S. Nazarii pro his quæ a monasterio tenebat in castello & appenditiis S. Nazarii. Querelam habuit eodem anno cum sacrista Narbonensi & parœciarum civitatis Narbonæ rectoribus super canonica bonorum suo monasterio legatorum ab iis qui vellent in eo sepeliri portione, quam hoc ipso anno VI. cal. Novemb. Guido Narbonensis archiepisc. composuit, ex tabulario capituli Narbonensis. Pervenit ad annum 1262. ex Sammarthanis.

XV. Dalmatius sedebat 1264. & 1266. quo anno idibus Aug. nonnulla prædia comparavit. Nec plura de illo, qui certe non attigit tempora Philippi IV. Francorum regis, contra quam scribunt Sammarthani.

XVI. Arnaldus I. memoratur XI. cal. Sept. an. 1270. quo Dalmatius vicecomes de Rupe Bertini dominus de Petra lata, Arnaldus abbas monasterii de Villa Barandi, & alii testamenti cujusdam Gaufridi exsecutores declarant hunc abbatem Fontis frigidi decem millia solidorum sibi ab eodem Gaufrido concredita dedisse Raimundo Montagnerii de Petra lata & Guillelmo de Cazanatello. Idem anno 1271. regi sacramentum fidelitatis præstitit. Habuit anno 1273. controversiam cum ecclesiarum cathedralis & S. Pauli Narbonensis capitulis, quæ judicio Petri de Ferralibus ecclesiæ S. Sebastiani Narbonensis rectoris ad hoc a Petro Narbonensi archiepiscopo delegati finita est hoc anno pridie nonas Novembris, ex tabulis domesticis. Adhuc præerat 1275. ex schedis Stephanotii. Additur a Sammarthanis, ejus tempore Guillelmum de Rieu de Valle de Daigne militem in procinctu expeditionis maritimæ cum S. Ludovico, testamenti tabulis Guillelmum filium in universis bonis heredem declarasse, eique subrogasse beatæ Mariæ Fontis frigidi cœnobium, cujus ratione legati cum lis mota fuisset, inita est conventio anno 1301. qua monasterium in possessionem vindicatur adversus Ermengaudum de Roffian domicellum heredem Sicardæ viduæ Guillelmi, sicque 1317. abbatia investituram accepit justitiæ superioris, mediæ & mixtæ loci de Rieu, sicuti continetur in exemplaribus chartophylacii Fontis frigidi.

Quod addunt iidem Sammarthani præfuisse Arnaldum ab anno 1268. ad 1270. primum ultro concedimus; sed quandoquidem non aliam ob causam regimen ejus circumscribere videntur an. 1270. nisi ut Vitali dent locum an. 1271. ex tabulis, aiunt, feodi de Bouccassers, Arnaldo alteri 1272. & 1273. ex panchartis de Moussan, ac denique Vitali alteri 1273. ex schedis d'Autherive, ad annum 1281. ex actis Juncariæ & S. Nazarii, nihil dubitamus asserere hosce duos Vitales non alios esse a Vitali n. III. adeo ut legendum sit 1171. 72. & 73. pro 1271. &c. ac proinde Arnaldus iste intermedius idem est cum Arnaldo I. de quo agimus.

XVII. Bernardus VI. memoratur a Sammarthanis 1282. & 1283.

XVIII. Petrus II. Alpharici præerat anno 1284. ex archivo regii patrimonii Monspeliensis. Idem anno 1286. fidem juravit Francorum regi, ex regio Carcassonensi tabulario. Emit eodem anno pro utilitate publica monasterii a Guillelmo de Caneto, probante Jacobo Aragoniæ rege, castrum & toparchiam de Villeneuve de la Rahou cum ejus territoriis, pretio quinquaginta millium solidorum Melgoriensium. Sedisse dicitur ad annum sequentem 1287. cui Johannem Sammarthani subrogant an. 1288. sed quo fundamento non indicant.

Sammarth.

XIX. Montasinus & Motesinus *al.* Johannes Montasinus regi Francorum fidem clientelarem professus est an. 1288. ex regio Carcassonensi tabulario. Transegit 1289. cum Narbonensi S. Pauli capitulo de pascuis Bajarum & Junqueriarum. Memoratur anno seq. mense Julio in archivo regii patrimonii Monspeliensis, ac mense Junio ejusdem anni in regio Carcassonensi tabulario, ubi a rege Philippo IV. præceptum obtinuisse dicitur, quo monasterii possessiones confirmantur. Reperitur Montasinus 1292. apud Sammarthanos, qui per id tempus ab episcopo Helenensi comparatum aiunt mansum apud Carcassonam, cum aliis possessionibus in pagis de Moussan, de Durban & S. Nazarii; & adhuc 1294. ab iisdem Sammarthanis in tres divisus, qui certe unicus est; enim vero Bernardus quem intermedium admittunt non sedit anno 1289. sed 1189. Similiter Petrus Alpharici haud alius est a superiore num. XVIII. cui proinde nota chronica 1283. affingenda est, non vero 1293. ac denique Bernardus alter Montasini III. apud eosdem Sammarthanos successor 1295. ex actis, inquiunt, de Valleroigne, idem est ac Bernardus II. n. IV. legendum enim 1195. pro 1295. Verum neque id etiam ab errore putamus immune quod

legitur in scheda Martennii, Montasino scilicet Raimundum de Durba confirmasse cujusdam feudi apud Tuxanum venditionem anno 1299. legendum quippe videtur 1289. *vel* 1290. ex dicendis.

XX. Arnaldus II. Novelli Sammarthanis Nonempopulanus, Baluzio videtur esse patria Fuxanensis, quia sexaginta libras Turonensium parvorum legaverat pro stipendio unius militis de comitatu Fuxi ad bellum Transmarinum. Primum fuit Bolbonensis monachus, tum sacræ theologiæ doctor, ac deinde abbas Fontis frigidi ab anno saltem 1297. quo per suum etiam cognomen designatus testis habetur in transactione Bernardum inter episcopum Appamiensem, & comitem Fuxensem. Et certe in veteri Gallia Christiana Arnaldus sedisse dicitur ab anno 1297. sed in hoc fallitur, quod ejus regimen circumscribat an. 1304. qui haud dubie rexit ad annum 1311. Quod autem huic errori ansam præbuit fuit distinctio duplicis Arnaldi, ubi unicus est, & ea distinctio inde orta est, quod Antonio intermedio notam chronicam 1305. affinxerint, quæ debet esse 1335. quod etiam dicendum de Geraldo, cui anno 1304. clientelarem fidem abbatissa & conventus Rivi nitidi jurasse dicuntur pro feodo ac terra Villæ Novettæ, legendum enim 1324. pro 1304. Itaque Arnaldi gesta prosequamur. Occurrit an. 1298. idibus Junii in chartis castri Fuxensis; quo quidem anno XVIII. cal. Febr. hominiorum tabulas exhibuit, ex tabulario domestico. Acquisivit Arnaldus a cœnobio Ardorelli prædium de Preixan pro summa 50. millium solidorum, ex veteri Gallia Christiana. Idem litteris Gastonis comitis Fuxensis & vicecomitis Benearnii eximitur cum suo conventu ab omnibus vectigalibus & subsidiis, necnon obtinuit usum in sylvis tam pro lignatione, quam pro gregum & armentorum pastu XVII. calend. Januarii, quod jam indulserant Raimundus Rogerius, & Rogerius Bernardus ejus filius Fuxenses comites XIII. cal. Martii an. 1216. Porro hunc iterum *Novelli* cognominatum legimus in instrumento anni 1303. III. nonas Julii, quo Berengarius de Boutenac domicellus ac dominus castelli de Bisan de Grannolieres coram notario asseruit nunquam se in silvis monasterii ligna succidisse ex jure vel ex consuetudine, sed ex mera Arnaldi abbatis permissione. Plurimis autem fundationibus cœnobium Arnaldus locupletavit, qui cum ab Aimerico Narbonensi, domino d'Ouveilhan & de Perinhan emisset omnimodam justitiam castrorum d'Assinhan, du Terrail, Fontcaluy, Preixan, & alia jura, hæc & plura ad monachorum sustentationem legavit. Interea hic eruditione, pietate, ceterisque virtutibus apprime instructus Clementi papæ V. innotuit, qui amicitia sua eum prosecutus tanti fecit, ut primo pontificatus anno S. R. E. vicecancellarii ad annum saltem 1310. 16. Martii, ex concertationibus Bonifacii VIII. cum Philippo Pulcro pag. 367. tum cancellarii dignitate ornaverit, ac demum etiam purpura cohonestaverit sub titulo sanctæ Priscæ an. 1310. Sabbato Quatuor Temporum Adventus, XIV. calend. Januarii. Tametsi vero vicecancellarius, erat adhuc nihilominus abbas Fontis frigidi X. calend. Maii anno quarto pontificatus Clementis V. quo hic pontifex bullam dedit pro confirmandis statutis ordinis Grandimontensis, quibus condendis operam Arnaldus impenderat. Eodem anno 1309. præsens memoratur in instrumento fidelitatis præstitæ domino papæ per nuncios & procuratores Romanorum regis. Anno sequenti VIII. calend. Octob. Arnaldus S. R. E. vicecancellarius nuncupatus Fontis frigidi fratres supra consuetam annonam in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, &c. voluit accipere quinquaginta solidos Turonenses. Eum laudatus pontifex gravissimis pro ecclesia muneribus obeundis præfecit; legationem quippe cum episcopo Pictaviensi in Angliam suscepit ad conciliandos regni proceres cum Eduardo rege, de qua legendi Walsingamus, aliique Angliæ historici. Avenione tandem defunctus est Arnaldus 1317. die 14. Augusti, quem observat Baluzius post Stephanotium, sepultum fuisse in suppedaneo majoris altaris Fontis frigidi.

XXI. Jacobus Fornier Arnaldi de quo supra, nepos fuit ex sorore, si scriptori quintæ ipsius vitæ sub nomine Benedicti XII. fides adhibenda sit, qui quidem Arnaldum vocat ejus avunculum. Ab hac sententia non longe recedit Rainaldus tom. XVI. annalium eccles. pag. 1. dum eum vocat Novellum, Tolosanumque tradit natione de Saverduno Appamiarum diœcesis; fuisse vero filium sororis Johannis XXII. (quod tamen vulgo creditum, & prius editum in veteri Gallia Christiana) nullus dicit ex octo scriptoribus, qui Jacobi Fornerii postea papæ sub nomine Benedicti XII. vitam elucubrarunt. De humili ejus genere nihil omnino reperimus, nisi in octava ejus vita. Ortus est parente Guillelmo Fornerio in oppido Savarduno Tolosam inter & Appamias urbes. Primum fuit monachus Bolbonensis in diœcesi Mirapicensi, e quo subinde monasterio ad Fontem frigidum se transtulisse dicitur; dumque Parisiis sacræ theologiæ baccalaureus erat, electus fuit abbas Fontis frigidi anno 1311. quo incolarum Tuxani hominia excepit, nec multo post doctoratus lauream consecutus est. Memoratur anno seq. die 2. Junii in charta antecessoris Arnaldi tituli S. Priscæ cardinalis, prædia & omnia jura, quæ Jacobus ejusdem Arnaldi nomine acquisierat, eidem monasterio sub certis conditionibus largientis. Anno 1315. 17. Julii eidem Jacobo laudatus Arnaldus cardinalis obligationem sexaginta librarum sibi ab eo factam dimisit, ac postridie ipsi ab eodem Arnaldo tanquam illius testamenti exsecutori jus & potestas conceditur ex 2260. florenis auri, quos ipsi cœnobio crediderat, emendi annuum viginti librarum reditum in monasterii commodum. G. abbatem Aquæ Bellæ anno 1316. feria V. post Pentecosten legatum misit, qui abbatiam de Populeto visitaret, & Pontii abbatis de Benefacacio in abbatem de Populeto electionem confirmaret, ubi tunc reperti sunt 96. monachi clerici, 55. conversi & 63. servi, seu captivi. Postquam vero septem

T. 1. vit. pap. Aven. col. 660. & seq. — *Baluz. t. 2. vit. pap. Aven. col. 169.* — *Ibid.* — *Ibid. pag. 274.* — *Baluz. t. 1. vit. pap. Avenion. col. 662.* — *Ibid. col. 229.* — *Ibid. col. 239.* — *T. 2. Anecd. Marten. col. 1348.*

annis monasterium gubernasset, quibus vices agens cardinalis Novelli plura statuta de variis fundationibus condiderat, ac inprimis summam 1568. florenorum auri ad comparandum feodum de Mathafera constituerat pro luminari ante altare Deiparæ virginis diu noctuque arsuro, electus est episcopus Appamiensis, dein Mirapicensis, postea inter sacri collegii principes cooptatus, ac demum an. 1334. ad summi pontificatus apicem sublimatus est, assumto nomine Benedicti XII. quo in munere positus, epistola numero VIII. regesti Vaticani ad Guillelmum abbatem Bolbonæ scripta, se aliquando abbatem Fontis frigidi fuisse significat, cum ait: *Eo diligentius ex cura nostra generali utilitatibus monasterii Fontis frigidi, Cistercienfis ordinis, Narbonensis diœcesis providemus, quo spiritualis* & proprius abbas monasterio præfuimus, cum in minoribus agebamus. Sane cum monasterium ipsum per obitum quondam Arnaldi ejusdem monasterii abbatis, &c. Datum Avenione XV. cal. Martii.*

* f. *specialis.*

XXII. Geraldus, qui & Guiraudus cœpit regere an. 1317. & ejus præfectura duravit ad annum 1325. de quo acta S. Nazarii, inquiunt Sammarthani, qui & addunt Aimericum filium Amalrici vicecomitis Narbonensis cœnobio vendidisse locum de Mailhac cum omnimoda justitia. Sane Guiraudus abbas Fontis frigidi an. 1320. exhibuit hominium regi, ex archivo regio Carcassonensi. Memoratur adhuc 1323. quo anno VI. cal. Januarii Narbonæ consules servaturos se quod viris prudentibus de illata a se eidem abbati injuria visum fuerit paciscuntur, ex tabulario urbis Narbonensis.

XXIII. Petrus III. de Barrau ad hanc abbatiam vocatus an. 1325. sedit usque ad annum 1333. ut liquet ex chartophylacio S. Nazarii, de Durbano & de Capite stagno. Ergo loco anni 1322. XVII. cal. Septemb. quo ipsius querela adversus Bernardum archiepiscopum Narbonensem super decimis ecclesiarum S. Petri de Rocha longa & sancti Stephani de Agausiana judicio Narbonensis officialis sopita fuisse dicitur, legendum 1332. Certe Petrus abbas anno 1333. die 14. Aug. Guillelmi de Raxiacho domicelli, & Blanchæ matris ejus hominium excepit pro locis de Cominali, seu de Rosis & de Canabar prope fluvium Urbionis. Disceptavit conventus, aiunt Sammarthani, cum vicecomite Narbonensi, agente Raimundo de Poilhano Fenolheti archidiacono, testamenti Berengarii de Boutenac dynastæ de Bizanet & condomini de Mathes curatore, qui abbatiæ legaverat quosdam reditus in castro de Mathes ad fundationem, uti fusius explicat tabularium Fontis frigidi.

XXIV. Arnaldus III. qui subscriptus legitur in membranis S. Valeriæ ad annum 1334. aiunt Sammarthani, revera hoc anno die 24. Novembris hominum excepit a Rayna *seu* Regina de Rupecurba abbatissa Rivi nitidi pro his quæ a Fonte frigido tenebat in feudum in loco de Cominali, seu in villa de Rosis, & in villa Novettæ.

XXV. Antonius anno 1335. excipit hominia incolarum Tuxani. Eodem anno Petri successor immediatus legitur in tabulis regii patrimonii Monspeliensis, fortasse ob Arnaldi breve regimen. Certe Antonius an. 1338. die 8. Martii parthenonem B. Mariæ de Eula ordinis S. Benedicti in diœcesi Helenensi visitavit, ibique sanctimoniales, quæ a missis & ab officiis divinis absque causa abessent, vel ex integro non adessent, flagellari voluit in capitulo, & in pane & aqua jejunare, &c. de quibus consule chartam inter instrumenta. Præfuisse dicitur ad annum 1341. quo, jussu Benedicti XII. papæ facta mobilium abbatiæ bonorum recensione, inventa sunt tam in vaccis, bovibus, equis, quam in mulis, asinis & porcis 19234. bestiarum capita. Paulo post Antonius evasit episcopus Lombariensis.

Ch. XX. col. 491.

XXVI. Berengarius electus abbas dicitur nonis Martii anni 1342. quo post Antonium a Benedicto XII. papa creatum episcopum Lombariensem, bona monasterii, de mandato Gausberti Narbonensis archiepiscopi papæ camerarii, a Morerio de Moreriis ecclesiæ S. Stephani Tolosani rectore & nuncio papæ in provinciis Narbonensi, Tolosana & Auscienfi invasa, idem Morerius ex bulla ejusdem Benedicti anno pontificatus septimo III. idus Decembris Berengario abbati restituit. Eodem anno 1342. (non vero 1332.) die 23. Decembris clientelarem fidem Berengario jurarunt pro terra & feodo villæ Novettæ abbatissa & conventus Rivi nitidi. Vocatum hunc abbatem, modo Bernardum Berengarium, ac modo Bernardum Rogerium legimus in variis chartarum exemplaribus; & quidem primo modo in hominio abbatissæ & conventus Rivi nitidi ipsi an. 1345. exhibito; ac secundo modo in hominio ejusdem loci abbatissæ & conventus 31. Augusti 1346. sed nullus dubito quin amanuensis his in locis erraverit, uti jam errasse non semel observavimus. Certe enim Berengarius simpliciter appellatur in superioribus chartis anni 1342. & in alia anni 1348. ubi transigit cum vicecomite Narbonensi. Addunt Sammarthani eo sedente Guillelmum Curti e monacho Bolbonensi episcopum cardinalem Tusculanum anno 1354. cœnobio legasse pro monachis in academia Parisiensi apud collegium S. Bernardi studentibus auri summam ad vestes comparandas, quod & in generali ordinis capitulo confirmatum fuit ab abbate Cistercii.

XXVII. Bernardus VII. ex abbate Fontis frigidi renunciatur episcopus Adurensis anno secundo pontificatus Innocentii VI. ex actis pontificum Avenion. testante Stephanotio. Vide t. I. col. 1160.

XXVIII. Johannes I. Engelberti pœnitentiarius papæ suffectus Bernardo Adurensi electo transigit anno 1355. cum Narbonensi capitulo. Præfuisse dicitur usque ad annum 1358.

XXIX. Johannes II. Clerani instituitur abbas bulla Innocentii papæ anno pontificatus sexto. Sedisse fertur ad annum 1372.

XXX. Petrus IV. præerat 1374. ex Sammarthanis, quo anno Carolus V. rex Franciæ monasterio contulit immunitatem ab omni vectigalis

exactione per senescalliam Carcassonensem, comitatum Fuxi, &c.

XXXI. Johannes III. de Surzoles abdicato regimine moritur apud Grandem silvam IV. nonas Octobris an. 1380. sepultus in capitulo.

XXXII. Bernardus VIII. excipit hominium Bernardi Guiardi an. 1388. Exhibet ipse clientelam Francorum regi an. 1398. die 5. Octob. in manibus Petri de Mornayo militis *vigarii* senescalli Carcassonensis & Biterrensis pro locis S. Nazarii, S. Valeriæ, &c. ex regio Carcasson. tabulario. Eodem anno die 30. Dec. Petrum de Raixacho domicellum & condominum castelli de Raixacho ad fidelitatis sacramentum admisit pro territoriis de Cominali, de Canabar, &c. Adhuc memoratur 1399. quo Guillelmus Narbonæ vicecomes cœnobio pensionem decem sextariorum bladi assignavit in castro de Roignan.

XXXIII. Johannes IV. an. 1409. misit legatos ad concilium Pisanum. Anno 1414. die 29. Novembris regi fidem clientelarem professus est in manibus Roberti de Chalucio senescalli Carcasson. & Biterrensis, pro locis S. Nazarii, S. Valeriæ, &c. ex regio Carcasson. tabulario. Postea factus est cardinalis dictus de Montibus.

Spicil. t. 6. pag. 365.

XXXIV. Petrus V. reperitur abbas in veteri Gallia Christiana ab anno 1423 ad 1425. sub quo Guillelmus III. vicecomes Narbonensis, in pugna Vernoliensi occisus 24. Augusti 1424. sepelitur in medio abbatiæ Fontis frigidi choro.

XXXV. Johannes V. 1426. & 1431. ex tabulis de Tuschan, aiunt Sammarthani.

XXXVI. Petrus VI. regi fidem & obsequium pollicitus est die 23. Maii 1436. in manibus Raimundi Aimerici militis, *vigarii* domini de Basilhac senescalli Carcassonensis & Biterrensis, pro locis S. Nazarii, S. Valeriæ, &c. ex regio Carcassonensi tabulario.

XXXVII. Bernardus IX. 1441. fato functus 1443.

XXXVIII. Petrus VII. Ferrerii eligitur 1443. quo ipso anno Maria d'Aragon utriusque Siciliæ & Jerusalem regina, Barcinonæ comitissa, regis nomine progubernatrix hanc abbatiam sub protectione admittit. Deponitur anno 1448.

Sammarth.

XXXIX. Martialis I. de Rua per depositionem Petri Ferrerii electus est 1448. quem Egidius abbas Grandis silvæ confirmavit eodem anno. Regi fidem exhibuit die 16. Maii anno 1453. in manibus Antonii de Chabanes comitis de Dampmartin, *vigarii* senescalli Carcassonensis & Biterrensis pro locis sancti Nazarii, &c. ex regio Carcasson. tabulario. Ipsius mentionem fieri in tabulis de Tuschan & de Quadraginta usque ad annum 1472. tradunt Sammarthani. Hunc vero eumdem esse putamus ac Martialem Combe, qui electus & confirmatus dicitur in charta B. Mariæ de Amiliano an. 1499. ubi legendum videtur 1449.

XL. Petrus VIII. de Roca *de la Roque*, Sammarthanis renunciatur abbas anno 1473. coram Bertrando Albi abbate Grandis silvæ, patre superiore Fontis frigidi; quem nos pariter eumdem putamus esse ac Petrum de Roca, qui calculis fratrum electus, fuit confirmatus ab abbate Grandis silvæ die 15. Martii an. 1427. pro quo legendum 1472. seu 1473. Hic autem abbas, ultimus regularis creditur, quem aiunt Sammarthani vixisse usque ad annum 1488.

XLI. Antonius Petrus, seu Petri de Narbonne, vicecomitum Narbonensium genere ex utroque parente procreatus, episcopus Vabrensis & abbas Grandis silvæ, Fontem frigidum tenuisse dicitur a Sammarthanis ab anno 1476. sed perperam, ad 1512. Anno 1482. Magdalena regum Francorum filia & soror, tutrix Francisci Phœbi regis Navarræ, sub tutela monasterium Fontis frigidi cum appenditiis suscepit, & immunitates quondam a Raimundo Rogerio comite Fuxi indultas 1216. Gastone 1305. Archembaldo 1401. Johanne 1416. & Gastone comite Fuxensi 1453. cum aliis privilegiis diplomate suo confirmavit. Memoratur idem abbas vicarius generalis Georgii de Ambasia electi Narbonensis in remotis agentis die 14. Maii an. 1484. ex charta S. Pauli Narbonensis. Promotus autem ad cathedram Vabrensem per obitum Bernardi legitur anno 1486. VIII. cal. Maii, in regesto Innocentii papæ VIII. qui quidem abbas, simulque Vabrensis episcopus anno 1492. transactionem iniit cum domino de Gasparet. Occurrit etiam annis 1490. & 1493. in plurimis recognitionum instrumentis pro loco de Mailhac. Tandem mortuus dicitur XIII. cal. Aug. 1499. & in Fonte frigido sepultus.

XLII. Ludovicus de Narbonne superioris frater & in episcopatu atque abbatiis successor, mortem oppetiit die 7. Februarii an. 1518. *vel* 1519. pro varia inchoandi anni ratione.

XLIII. Georgius de Narbonne filius Guarini ex Margareta de Miremont, protonotarius apostolicus, ad hanc abbatiam promotus per obitum Ludovici, sedit ad annum 1531. simul abbas Grandis silvæ, & S. Geremari Flaviacensis, in cujus abbatiæ historia Sammarthani mortuum tradunt anno 1550. si non verius, saltem verisimilius quam R. P. Simplicianus qui tom. 7. histor. genealogicæ & chronologicæ magnatum Franciæ pag. 777. defunctum scribit 28. Octob. 1521.

XLIV. Benedictus Taillecarne, *al.* Theocrenus & Isocrenus, ortu Genuensis, regiorum Francisci I. Francorum regis liberorum institutor, fuit abbas Nantolii in valle diœcesis Pictaviensis, ac Fontis frigidi, cujus ultimi cœnobii possessionem adiit die 2. Januarii anni 1532. Obiit Avenione 18. Octob. 1536. etiam episcopus Grassensis a die XI. Februarii 1534. per cessionem Renati.

XLV. Augustinus Trivulce nobilis Mediolanensis, cardinalis tit. sancti Adriani, *Trivulcius* vulgo nuncupatus, Benedicto successit tam in episcopatu Grassensi, quam in abbatiis Nantolii & Fontis frigidi. Et quidem hanc abbatiam cum episcopatu Grassensi consecutus est, assentiente domino Cæsare Fregosio, cui rex Franciscus I. hæc duo beneficia uni ex liberis ejus, cum ad

ætatem idoneam pervenissent, conferenda promiserat. Sic itaque promotus Augustinus, memoratur an. 1537. in hominio de feodo S. Nazarii, & 1546. in actu procurationis datæ Herculi Fregosio. Eodem anno XII. calendas Octobris bullam accepit a Paulo papa III. qua Petrus Antonius Lerrene & Georgius Raphael Carriere Helenensis ecclesiæ canonici delegantur ad inquirendum de cœnobii paupertate ab ipso cardinali exposita, eidemque facultas conceditur vendendi ac permutandi ipsius abbatiæ bona. Defecit Romæ anno 1548.

XLVI. Hippolytus d'Est cardinalis Ferrariensis, cum necdum ullus liberorum domini Fregosii defectu ætatis aptus esset ad possidendum beneficium ecclesiasticum, hanc abbatiam obtinuit, sicuti etiam episcopatum Grassensem Johannes Vallier presbyter impetravit. Hippolytum d'Est Jano Fregosio postmodum episcopo Aginnensi & Constantiæ Fregosiæ codicillos vice sua detulisse anno 1548. aiunt Sammarthani; at profecto minime præfuit Hippolytus usque ad annum 1580. ut volunt, quem mors sustulit anno 1572.

XLVII. Johannes V. Massey cognominatus a Sammarthanis, vel de Manso, *du Mas* Veronensis, uti legimus in scheda Martennii, episcopus Cardensis & abbas Fontis calidi celebravit ordines in ecclesia Narbonensi an. 1573. œconomatum Fontis frigidi administrasse dicitur usque ad annum 1582.

XLVIII. Janus de Fregose episcopus & comes Aginnensis ab an. 1555. abbas erat Fontis frigidi 1582. 84. & 87. ex regio diplomate, de quo supra in Augustino Trivulce n. XLV. confirmato postea per Carolum IX. regem die 20. Aprilis an. 1561. post Pascha, quo rex decernit neminem prædicta beneficia possessurum, nisi quem vidua Cæsaris Fregosii nominaverit.

XLIX. Alexander de Fregose ex superioris familia, sedit ab anno 1588. ad 1619. qui quidem in castro S. Nazarii captus, deprædatis cœnobii documentis & chartis, gravi redemtionis pretio cum hoste paciscitur. *Sammarth.*

L. Dominicus de Fregose canonicus Veronensis, resignatione Alexandri abbas nominatur 1620. Excessit e vivis mense Februario anni 1646.

LI. Claudius de Rebé archiepiscopus & primas Narbonensis, regi a sanctioribus consiliis, & in parlamento Tolosano senator, præses natus comitiorum generalium Occitaniæ, & militiæ S. Spiritus præceptor, abbatia Fontis frigidi per œconomatum donatus est schedula regia mense Octobri an. 1646. De eo plura superius in archiepiscopis Narbonensibus.

LII. Johannes VI. de Noblet Desprez avunculi Claudii resignatione, nominatus a rege Ludovico XIV. mense Maio anni 1650. possessionem adipiscitur anno 1655.

LIII. Henricus Achilles de la Rochefoucaud natus 8. Decemb. anno 1642. patre Francisco VI. duce de la Rochefoucaud pare Franciæ & principe de Marcillac, ex matre Andrea de Vivonne, fuit abbas Casæ Dei in Arvernis, & Fontis frigidi an. 1667. cujus ultimi cœnobii possessionem apprehendit anno sequenti. Vivere desiit 19. Maii 1698. sepultus in abbatia sancti Germani a Pratis.

LIV. Henricus de la Rochefoucaud præcedentis patruus nominatur abbas Fontis frigidi die 14. Augusti anno 1698. Fuit etiam abbas Casæ Dei in Arvernis, S. Mariæ Cellensis, & S. Columbæ Senonensis, ac prior de Lanville. Fato functus est die 16. Decemb. an. 1708. Vide tom. 2. pag. 351.

LV. Rogerius de la Rochefoucaud filius Francisci VII. de la Rochefoucaud & de la Rocheguion, ex Magdalena Carlotta le Tellier de Louvois, cum jam anno præcedenti abbatia Beccensi donatus fuisset, hanc etiam Fontis frigidi regia pariter nominatione consecutus est cum prioratu de Lanville die 24. Dec. anno 1708. cujus abbatiæ possessionem nactus est ex edicto consilii an. 1709. die 10. Aprilis. Occubuit in Hungaria 18. Junii 1717. ætatis anno trigesimo, ubi sub nomine principis de Marcillac militabat.

LVI. Emmanuel Henricus Timoleon de Cossé de Brissac presbyter, sacræ facultatis Parisiensis e regia societate doctor theologus, regi a consiliis & eleemosynis, vicarius generalis Lugdunensis, & sanctissimæ Trinitatis Fiscannensis, cleri Gallicani administer generalis, regi a sanctioribus & rei ærariæ consiliis, abbas monasteriorum S. Urbani ordinis S. Benedicti diœcesis Catalaun. in Campania, ac B. Mariæ de Fonte frigido ordinis Cisterc. diœcesis Narbon. utriusque ab anno 1717. quanquam bullas pontificias non accepit, pro ista nisi VI. nonas Martii 1732. stilo Romano, hoc est 1733. quibus reipsa die & anno in consistorio pontificio admissus legitur in nuntiis* publicis, ac pro illa eodem anno XII. calendas Augusti. Idem quoque fuit prior & dominus sancti Ragneberti in Foresio diœcesis Lugdunensis, episcopus Condomiensis nominatus die octava mensis Octobris, bullis donatus 1735. quinto decimo calendas Januarii anno pontificatus Clementis XII. sexto, consecratus die 22. Januarii an. 1736. in sacello seminarii sancti Sulpitii per archiepiscopum Senonensem, assistentibus Tarbiensi & Noviomensi episcopis, cum pridie possessionem episcopatus per procuratorem adeptus fuisset.

* Gazette.

S. MARIA *seu* S. BERNARDUS DE OLIVIS, *vel* DE OLIVO, *des Olieux*, *aut* DE LICO, *N. Dame de Lec.*

PUellare hoc Cistercienfis ordinis monasterium de linea Claræ vallis, ac sub abbatis Fontis frigidi visitatione, modo in civitate Narbonensi fundatur a ditissimo cive Narbonensi Johanne Bistani, cujus mentionem supra fecimus in Bernardo Fontis frigidi X. abbate, ineunte seculo XIII. in loco duobus milliaribus a civitate dissito. Nonnulli quidem hanc Ermengardi vicecomitissæ Narbonæ fundationem vindicant, sed nullo

allato testimonio, cum e contrario nobis suppetat ex tabulario civitatis Narbonensis instrumentum anni 1320. quo consules ac cives jus urbanicum concedunt monialibus de Olivis ad preces Berengariæ abbatissæ, propterea quod, inquiunt, *abbatiam præfatam de Olivis olim Johannes Bistani concivis noster construxerit & dotaverit.* Et certe Johannes idem Bistani, aut fundatoris filius, uti noster opinatur Stephanotius, decem millia solidorum Melgoriensium testamento condito 1254. eidem cœnobio cessit, tum ad emenda prædia, tum ad ædes construendas. Seculo subinde XVI. monialibus ob Calvinistarum procellas vertere solum coactis, locus monacho cuidam Cisterciensi ab abbate Cistercii collatus in prioratum simplicem conversus est; sed tamen postmodum suis e ruderibus excitatus in abbatiam redintegratus fuit, quæ hodie intra civitatem Narbonensem reflorescit.

Abbatissarum Series.

I. Ermengardis I. Rousseti præerat 1257. ex duobus catalogis; alter vero primam exhibet abbatissam Ludovicam d'Arpajon anno 1216. sed legendum putamus 1516.

II. Berengaria I. de Bagis 1261. 1264. & 1265.

III. Guillelma de Ortalibus 1266. & 1270.

IV. Peregrina 1272. 1274. & 1276. quo migravit a seculo.

V. Ermengardis II. 1276.

VI. Regina 1283.

VII. Rixendis 1292. 1293. & 1299.

VIII. Magna de Montelauro 1300.

IX. Berengaria II. de Crassa 1320. quo ad ejus preces Narbonæ cives totum conventum jure civitatis donarunt. Inde tamen adversus Narbonæ consules querelam habuit super jure *de Banderage*, quod illi ab abbatissa in damni compensationem a pecoribus facti exigebant, sed amica compositione sopita est IV. calend. Febr. anno 1325. ex tabulario capituli Narbonensis. Adhuc memoratur 1328.

X. Ferranda 1337. & 1338.

XI. Ermengardis III. 1352. & 1357.

XII. Agnes de Montbrun 1373.

XIII. Ermengardis IV. 1375.

XIV. Braida de Cuguniano 1393.

XV. Ademaria 1402.

XVI. Beatrix 1426. 1428. 1430. & 1446.

XVII. Isabellis de S[t]. Martin 1452.

XVIII. Johanna I. Rilliota *al.* de Resihota 1466.

XIX. Johanna II. de S[t]. Marcel 1484.

XX. N. de Narbonne filia Guillelmi ex Blancha de Couzier de Cesseras soror Johannis episcopi Biterrensis.

XXI. Ludovica I. d'Arpajon anno 1508. hanc abbatiam obtinuit in commendam a Julio II. papa, eamque possedit ad annum saltem 1516. facta deinde abbatissa B. Mariæ de Arpajone in diœcesi Ruthenensi, post obitum scilicet Isabellæ d'Anglars, cum qua prius de hac abbatia contenderat.

XXII. Ludovica II. d'Arpajon. Ut duplicem faciamus Ludovicam facit R. P. Simplicianus in historia genealogica & chronologica magnatum Franciæ tom. 5. pag. 895. Memoratur, inquit, abbatissa d'*Aulieu* an. 1525. quo 31. Octobris Ludovica I. in abbatissam B. Mariæ de Arpajone confirmata dicitur ab episcopo Ruthenensi.

XXIII. Guicharda, per cujus obitum

XXIV. Anna d'Arpajon jam ab an. 1529. abbatissa B. Mariæ de Arpajone per cessionem Ludovicæ hanc etiam obtinuit a Paulo papa III. die XV. cal. Aprilis an. 1535. ambasque simul abbatias possidendi privilegium accepit a sancta sede an. 1537. Hac autem cessit in gratiam sequentis anno 1539. superstes ad annum saltem 1546. quo Franciscus I. rex eam cardinalibus de Armaniaco & de Tremollia suis ad sanctam sedem legatis commendavit, litteris datis hoc anno die 12. Aprilis.

XXV. Delphina de Mostuejolis fit abbatissa 1539. per cessionem præcedentis. Deinde hoc sæculo procedente, cum hæc abbatia per neotericos in solitudinem redacta fuisset, convertitur in prioratum simplicem, uti jam diximus, sed quasi renascitur circa annum 1587. eique paulo post præficitur

XXVI. N. le Noir circa annum 1600. de cujus nobili genere loquitur Henricus de Caux in notitia nobilium Occitaniæ.

XXVII. Jacquelina de Ferrieres, *al.* de Serguiere 1602.

XXVIII. Anna *vel* Johanna de Roquelaure 1648. & 1650. quo anno in urbem transtulit parthenonem. Reperitur etiam 1652. & 1661. quo Maria de Guillon adscita coadjutrice, sub finem ejusdem anni defuncta est.

XXIX. Maria de Guillon Parisiis in ordine Franciscano professa, ex coadjutrice mox abbatissa, solemnem percepit benedictionem 17. Martii an. 1675. ab archiepiscopo Narbonensi cardinali Bonzio.

XXX. Magdalena de Sucet de Vallois Liberæ abbatiæ apud Parisios, *l'abbaye au Bois* alumna, a rege nominata 26. Maii an. 1708. possessionem apprehendit 12. Novembris ejusdem anni, ac die 15. Apr. 1711. donata fuit benedictione ab archiepiscopo Narbonensi. Obiit die ultima anni 1722.

XXXI. Maria Yolanda de Miraillet erat novicia Benedictina apud Arenas Olonenses in agro Pictaviensi, quando præcedens abbatissa Magdalena ipsius amita abbatiæ de Olivis initura possessionem illac divertens secum illam abduxit, ei pro Benedictino Cisterciensem habitum dedit, ad professionem admisit, ac tandem 1717. in coadjutricem adscivit. Defunctæ successit postridie seu die 1. anni 1723.

Alia quoque ejusdem denominationis abbatia exstitit in pago Narbonensi juxta Montem serenum *Monserey* condita per nobilem dominam Raingardem de Monte sereno, quæ ibidem assumto velo, quasdam secum aggregavit sorores

anno 1153. Fontiſque frigidi archimandritæ A ſubeſſe voluit. Perpaucis autem annis ſolæ ibidem ſubſtitere moniales, ſiquidem jam anno 1178. eo in loco monachi Deo ſerviebant, quibus prior Willelmus de Lacu præerat. Jam vero a multis ſæculis adjunctus eſt hic locus aſceterio Fontis frigidi, cui etiam nunc uti prædium adhæret, tranſlatis fortaſſe monialibus ad illum priorem locum de Olivis, de quo ſupra.

CLARISSÆ LICINIACI, *ſeu* LESIGNANI *de Lezignan.*

FUndationis tempus, ipſumque fundatoris no- B men ignorantur, ſed annus, quo reſtauratus eſt hic Clariſſarum ſtrictioris obſervantiæ parthenon, innoteſcit ex bulla Martini papæ V. anni 1430. die 4. Maii, Jacobo regi permittentis, ut illum reſtituat. Aſſenſit Franciſcus archiepiſcopus Narbon. 26. Maii 1431. quo quidem anno XI. Febr. ſeu potius 1432. Liciniaci eccleſiam, conventum & cœmeterium Petrus epiſc. S. Papuli conſecravit ex licentia capituli S. Juſti Narbon. ſede archiepiſcopali vacante, unde argitur error in anno mortis Franciſci archiepiſcopi 1432. a Catello aſſignato, pro quo legendum 1431. uti jam ſuſpicati ſumus col. 101. Ceterum dum hic C epiſcopus ſacram illam inunctionem peragit, declarat ſe nullum velle damnum inferri parochiæ juribus, aut conventui dari ullum jus ſepeliendi in ſuo cœmeterio, præterquam in cœnobio degentes; quæ omnia conſtant ex epiſcopi ſchedula ad calcem inſtrumentorum excuſa col. 496. Hoc autem præſenti anno 1736. inibi commorantur una & viginti choro addictæ ſanctimoniales, treſque ſorores converſæ, quæ cogente inopia nonnullis præter inſtitutum reditibus fruuntur. Abbatiſſa eligitur ad triennium. Quinque primas ſequentes nobis ſuppeditat D. de Gagneres in ſua D chartarum authenticarum collectione, volum. 4. abbatiarum, ceteras debemus diligentiæ noſtri Hieronymi Deidier.

SERIES ABBATISSARUM.

I. JOHANNA I. THEVARDE 1499. 16. Novemb. & 1504. die ultima Auguſti.

II. Margareta de la Garde 1506. XI. Jan. & 1513. die 15. Septembris.

III. Johanna II. de Chaſteau verdun 1518. die 5. Septembris.

IV. Maria Abraham 1544. 27. Auguſti.

V. Franciſca I. de Lodeve 1561. die 16. Apr.

VI. Gabrielis d'Arnois 14. Junii 1633. in E edicto cameræ computorum Monſpel.

VII. Magdalena de Caumon.

VIII. Anna Dedon obiit 1653.

IX. Margareta I. de Mercier.

X. Catharina I. des Qars defecit an. 1652.

XI. Johanna de Caumon vivere deſiit 1664.

XII. Ludovica I. de Lanet obiit 22. Julii 1669.

XIII. Germana de Durban moritur 30. Oct. 1673.

XIV. Catharina II. de Floris.

XV. Martha de Barrau.

XVI. Catharina III. de Floris, iterum, obiit 4. Septemb. 1686.

XVII. Clara I. de la Prade obiit 22. Maii 1691.

XVIII. Martha de Barrau, iterum 1679. obiit 1. Febr. 1702.

XIX. Anna de Vigier 1675. obiit 16. Novemb. 1676.

XX. Franciſca II. de Grave de Lanet 1677.

XXI. Ludovica II. de Graſſan 1680.

XXII. Maria de Maurin 1683.

XXIII. Ludovica III. de Regis 1686. obiit 1. Octob. 1687.

XXIV. Maria de Maurin, iterum 1688.

XXV. Johanna Johannes de Dones de Martrin 1690.

XXVI. Maria de Maurin, tertium 1693.

XXVII. Johanna Ludovica de Dones de Martrin 1696.

XXVIII. Maria de Maurin, quartum 1699.

XXIX. Johannes Johanna de Dones de Martrin, iterum 1702.

XXX. Thereſia de Puginier 1705.

XXXI. Johanna Ludovica de Dones de Martrin, iterum 1708.

XXXII. Margareta II. de Boiſſiere 1711.

XXXIII. Clara II. Grandie 1713.

XXXIV. Helena d'Heriſſon 1716.

XXXV. Philippa de David 1721.

XXXVI. Maria Roſa de Fontalzene 1722.

XXXVII. Bona de Vidal 1725.

XXXVIII. Clara Grandie, iterum 1728.

XXXIX. Helena d'Heriſſon, iterum 1732.

XL. Clara Grandie, tertium 1735.

CLARISSÆ DE ASYLIIS, *ſeu* DE ASILHANO, *d'Azille* ou *d'Azillan.*

FUndatur hic parthenon Clariſſarum mitioris obſervantiæ, ſive Urbaniſtarum ab Iſabella de Levi comitiſſa Inſulæ in Jordane, domina de Florenſac, d'Azillan, &c. 21. Auguſti 1361. pro 14. monialibus & abbatiſſa necnon quatuor fratribus Minoribus, qui ſexaginta abhinc annis, quando moniales juriſdictionem epiſcopi agnoverunt, ablegati ſunt. Eccleſiam ſanctiſſimæ Trinitati dedicatam ſub patrocinio beatæ virginis Mariæ & ſanctæ Claræ inaugurandi epiſcopus ſancti Papuli poteſtatem accepit ab archiepiſcopo Narbonenſi 1. Junii 1432. Huic conventui & abbatiſſæ nonnulla confert Beatrix de Alboreya vicecomitiſſa Narbonenſis teſtamento condito anno 1377. Huc autem Clariſſæ Carcaſſonenſes, quarum abbatiſſæ tacito nomine fit mentio jam anno 1355. tranſlatæ ſunt anno 1478. ex conceſſione Guiſcardi epiſcopi Carcaſſonenſis.

SERIES ABBATISSARUM.

I. AGNES de Insula filia fundatricis 1362. quo anno Johannes rex huic cœnobio nonnulla concessit.

II. Delphina d'Erré 1466. ex necrologio.

III. Anna Orre 1471. *ibid.*

IV. Catharina Houlaguete 1501. *ibid.*

V. Elisabeth de Venac 1509. *ibid.*

VI. Helena Bringuiere 1542. nonnulla emit.

VII. Johanna I. de la Volpiliere 1543.

VIII. N. Planese 1584. ex necrologio.

IX. Carlotta de Plantiers 1587. *ibid.*

X. N. de Montalegre 1601.

XI. Antonia de Rodez 1608. ex necrologio.

XII. N. Vele de Volonsac reperitur in necrologio sine ulla nota chronica.

XIII. Alfontina de Marion 1665. *ibid.* Hæc est fortasse N. Marion a rege Ludovico XIII. nominata, bullisque munita pontificiis invito conventu, & confirmata in abbatiæ possessione edicto secretioris consilii die 10. Jan. 1634.

Extrait des registres du Conseil d'Estat inseré par Pinsson dans les preuves de la Regale pag. 671.

XIV. N. de Brettes de Turin 1669.

XV. N. de la Vergne de Tressan similibus edictis die 19. Novembris 1670. & 25. Maii 1675. abbatissa confirmatur. Possidebat etiam sancti Andreæ abbatiam, ad quam postmodum se recepit.

XVI. N. de Berulle 1684. ex necrol.

XVII. Johanna II. de Mesnier *al.* Megnier 1724. *ibid.* per cujus obitum

Mercure de France.


XVIII. Magdalena de Martin alumna parthenonis S. Claræ du Salin apud Tolosam, a rege A nominata fuit abbatissa mense Octobri 1724. Memoratur 1730. in necrologio.

XIX. Henrica de Pardaillan soror Francisci Josephi in senatu Tolosano consiliarii prævia nominatione regia bullas obtinuit 15. Febr. 1731. Hactenus pie ac laudabiliter regit.

Fuisse olim primum extra, tum intra civitatis Narbonæ muros conventum sanctæ Claræ discimus, ex dono Guillelmi de Broa Narbonensis archiepiscopi, quo Franciscæ abbatissæ ordinis S. Damiani dedit anno 1247. agrum in Brolio ad occidentem urbis in parochia S. Felicis, ad construendum monasterium & cœmeterium, ea B lege, ut ipsi abbatissa & moniales subjicerentur. Substiterunt aliquot mensibus apud S. Crescentium * prope Narbonam, unde ad novum monasterium solemni ritu se contulerunt an. 1248. Inde vero ad Amilianum *Milhau* in agro Ruthenensi translatas fuisse auctor est D. la Font civis Narbonensis, qui se vidisse chartam asserit, mentionem translationis hujus facientem, & cujusdam reditus quem ex prædiis Narbonæ derelictis percipiebant. Decem abhinc annis in prima monasterii sede repertus est lapis longus quinque pedes cum dimidio, latusque duos cum octo pollicibus, cui sanctimonialis effigies C impressa erat, habentis ab utroque capitis latere scutum diversum, cum hac circum inscriptione :

* *f.* Chrysantum, ut in chronico sancti Pauli Narbon. ad calcem hist. comitum Tolos. ubi pro 1048. legendum videtur 1248.

Hic jacet soror Romea filia Romei Guilarorti Gor . . . . abbatissa presentis monasterii . . . . anno salutis prima di . . . . . . is . . . . Requiescat in pace, amen.





ECCLESIA S. PONTII TOMERIARUM.

S^t. Pons de Tomieres

ECCLESIAM S. Pontii aliis Narbonensis ecclesiæ suffraganeis ætate longe inferiorem ideo præponimus, quod olim fuerit Narbonensis portio, & utriusque historiæ arctius invicem connectantur, unde una alteri subjicienda visa est, & huic Electensis, ob eamdem rationem.

Tomeriæ, vicus olim haud incelebris a monasterio Benedictino ibidem condito, eodem postmodum in sedem episcopalem erecto, multo celebrior evasit, adeo ut jam inde abhinc *Pontiopolis* & *fanum S. Pontii Tomeriarum* appelletur. Sita est hæc civitas in Occitania inferiori sub parlamento Tolosano, octo leucis ab urbe Narbona versus Septentrionem & totidem a Biterrensi versus Occidentem æstivalem, transeundo per Albiam; & quidem in convalle montibus circumscepta ad fontem ex antro scaturientem ea aquarum abundantia, ut amni Jauro præbeat originem, qui fluviolus oppidum interfluit, mediumque dividit, & a prima origine molas agit, ac inde vicos aliquot prætetlapsus, in Obrim fluvium devolvitur.

Tomeriarum nomen huic loco inditum fuisse a Græco vocabulo τομὸς, seu τομεῖον, quod latine instrumentum excisorium sonat, secandis scilicet marmoribus aptum, quibus, iisque præstantibus territorium abundat, Papirio Massono placet. Lanificio præterea spectabilis est civitas, cui dedit initium percelebris quondam ordinis S. Benedicti abbatia, quam infra diœcesim Narbonensem olim positam ad fastigium episcopatus evexit sub eodem Narbonensi archiepiscopatu Johannes papa XXII. bulla data Avenione 18. Febr. an. 1317. hoc est 1318. pontificatus secundo, novæque cathedrali ecclesiæ, necnon toti diœcesi nomen ac titulum sancti Pontii Tomeriarum, quibus antea cœnobium gaudebat, imposuit, ob sacras ejusdem sancti (Cemelenensis, an alterius martyris, incertum) reliquias a Raimundo comite Tolosano hujus cœnobii fundatore illuc deportatas. Alia vero bulla data 1. die Martii insequentis idem pontifex novæ diœcesis limites fixit, quæ Narbonensi, Biterrensi & Castrensi diœcesibus contermina est. Ejusdem præcipua loca sunt Voluta *la Voute*, Rivuli *Riols*, Calvaria *la Calviere*, Aquæ sanæ *Aigues saines*, Minerba, Angla, *sive* Anguli, *Angles*, Salvitas *la Salvetat*, Olargium baroniæ titulo nobile *Olargues*, &c. Quinquaginta circiter parœciæ in ea numerantur, vel aliæ in subsidium illis adjunctæ ecclesiæ, & binæ abbatiæ, S. Aniani ordinis sancti Benedicti & Fontis calidi ordinis Præmonstratensis, de quibus seorsim agemus.

Diœcesanus antistes solus audit dominus civitatis, in Occitaniæ comitiis jus habet sessionis, ad eumque spectat electionis archidiaconi confirmatio, & collatio officiorum eleemosynariæ & præcentoriæ, ceteros autem canonicatus alternatim cum singulis canonicis confert.

Capitulum constat archidiacono, eleemosynario, præcentore & aliis undecim canonicis, quibus adde præbendam theologalem absque titulo canonici. Inferiorem constituunt chorum cæremoniarum magister, seu ritibus præfectus, quatuordecim presbyteri choro addicti, ex quibus decem musices periti esse debent, vulgo *choraules*, qui tamen ad nutum capituli amoveri possunt, quatuor pueri chorales, bini clerici sacrarii custodes & bedellus.

Texuit historiam hujus ecclesiæ anonymus quidam ibidem canonicus, quam D. de Montgaillard S. Pontii episcopo nuncupatam publici juris fecit an. 1703. ex qua & ex Sammarthanis fratribus, aliisque monumentis auctiorem & emendatiorem ejusdem ecclesiæ antistitum catalogum vulgamus. Sed prius de antiqua hujus abbatiæ origine, deque ejusdem abbatum gestis disserendum nobis est.

Nobile & opulentum S. Pontii monasterium fundavit ac dotavit Raimundus, alio dictus nomine Pontius comes Tolosanus an. 936. Hujus rei litteras post Catellum de comitibus Tolos. lib. 1. cap. 14. pag. 88. nostra inter instrumenta collocamus, in quibus idem Pontius comes Tolosanus, primarchio & dux Aquitanorum & uxor ejus Garsendis pro remedio & salute animarum suarum, & pro genitore suo Raimundo, & genitrice consanguineisque suis donant omnipotenti Deo, & S. Dei genitrici Mariæ, ac beatis apostolis Petro & Paulo, necnon glorioso martyri Pontio, & per eos Tomeriensi cœnobio, ac domno abbati Otgario, & monachis ejusdem monasterii tam præsentibus quam futuris totum allodium & potestativum suum in villa sua dominicata Tomeriis, cum ecclesia S. Martini, plurisque alias villas, cum suis ecclesiis, decimis, primitiis, oblationibus, cœmeteriis, & latifundiis, quæ omnia in his litteris enumerantur. *Facta donatio ista in mense Novembri anno DCCCCXXXVI. Dominicæ Incarnationis, primo anno Ludovico rege sedem ejus regni gubernante.*

Ch. IV. col. 77.

Prima monachorum colonia istuc deducta est ex Auriliacensi apud Arvernos sancti Geraldi monasterio per Arnulfum abbatem, uti nos docent aliæ ejusdem Raimundi litteræ apud Catellum loco citato, ubi se Raimundus ob amorem S. Pontii martyris cognomen Pontii adoptasse declarat; omnibus autem tam regibus quam pontificibus & quibuslibet primarii ordinis hominibus notum facit, quod anno secundo regni Ludovici regis Raimundus, qui & Pontius, primarchio & dux Aquitanorum & uxor ejus Garsendis quoddam juris sui prædium Christo Domino & sanctæ genitrici ejus Mariæ, necnon & S. Pontio martyri, *ob cujus nomen*, inquit, *sic & ipse vocor*, ex devotione ea conditione offerant, *ut ibidem cœnobium fieret, in quo monachi secundum regulam S. Benedicti conversarentur;* qua de causa ex Auriliaco B. Geraldi cœnobio quosdam fratres sub manu reverendi

abbatis Arnulfi accerſiverit, ex quibus ibidem a pluribus epiſcopis abbas Otgarius fuit ordinatus. Solemni dein condito teſtamento Raimundus Pontius locum illum Romanæ ſedi ſubeſſe voluit, cui per ſingula quinquennia ſolidos decem perſolvendos decrevit, quo pacto ab omni alia dominatione immunis eſſet; idque præſules, qui ad eccleſiæ dedicationem convenerant, ſub anathematis vinculo ſanciverunt, Aimericus ſcilicet eccleſiæ Narbonenſis metropolita, Wiſandus Carcaſſonenſis, Rodoaldus Biterrenſis, Theodericus Leutevenſis, & omnes alii antiſtites, qui paulo poſt Audeſinenſi concilio interfuerunt, nempe cum quatuor prædictis, Rainaldus Nemauſenſis, Dagobertus Agathenſis, Wadaldus Helenenſis, Pontius Magalonenſis, & Hugo Toloſanus. Raimundus denique inibi variis interminationibus relatis ad Leonem papam verba dirigit in hunc modum: *Tu vero o epiſcoporum epiſcope, & univerſalis papa Leo, vel quicumque in ſancta ſede tibi ſucceſſurus eſt, apud te cauſam iſtam depono, ut ſicut per apoſtolicam auctoritatem habes poteſtatem ligandi atque ſolvendi, quæſo per reverentiam Apoſtolorum, ut prædicto loco, ac monachis, necnon & adjutoribus eorum faveas, & eos abſolvas, contradictoribus eorum obſiſtas, & eos condemnes, ubicumque hæc teſtamentaria auctoritas coram principibus prolata fuerit.* Subſcribunt laudati epiſcopi cum Raimundo & Garſende, & poſt eos quinque vel ſex abbates.

Idem monaſterium ſub regia immunitatis tuitione ſuſcepit, Raimundi comitis rogatu, Ludovicus rex, Ultramarinus dictus, dato apud Laudunum * diplomate IV. nonas Auguſti anno regni quarto. Aimericus etiam Narbonenſis archiepiſcopus, aſſentientibus eccleſiæ ſuæ canonicis, multas eidem loco eccleſias contulit, cum omnibus decimis, primitiis & oblationibus, & omni eccleſiaſtico jure, ſalvis tantum ſynodalibus juribus, *an. 940. menſe Auguſto, Ludovici regis anno tertio*, ubi forte legendum, anno quarto. His litteris præter Aimericum archiepiſcopum & canonicos ſubſcribunt provinciales epiſcopi, & poſt eos Datbertus (Soricinii) Odo, Arnulfus (Auriliaci) Suniarius (Craſſenſis) Rotbertus (Caunenſis) & Guido abbates, deinde Pontius dux cum uxore ſua & aliis. Eodem tempore Rodaldus epiſc. Biterr. qui præcedentibus litteris ſubſcripſerat, eidem cœnobio, abbati Otgerio, & ejus monachis donavit eccleſiam S. Mariæ de Tomeriis, aliaſque, *anno ab incarnatione Domini DCCCCXL, menſe Auguſti, anno quarto regnante Ludovico rege*, iiſdem epiſcopis & abbatibus hiſce litteris ſubſcribentibus. Utræque porro litteræ iiſdem anno Domini & menſe confectæ ſunt, ac forſan eadem die, proindeque annus regni Ludovici in alterutris, & forte in utriſque corrigendus. Ceterum hæc ſubinde abbatia opibus crevit, principum munificentia, & vicinorum procerum liberalitate, ac in tantum religione floruit, ut epiſcopi quaſi certatim plura ditionis ſuæ monaſteria eidem ſubjecta eſſe voluerint. Præcipua ſunt Vaurenſe, modo ſedes epiſcopalis; Vetus murus ord. S. Bened. feminarum in diœceſi tunc Albienſi, modo Caſtrenſi; monaſterium de Lenis in pago Narbonenſi, de quo in diœceſi Electenſi; vetus abbatia S. Petri de Benerca in diœceſi Toloſana, modo ſimplex prioratus; monaſterium S. Johannis de Valle Siguerii, vulgo Montis olivi, in diœceſi Carcaſſonenſi; monaſterium S. Petri de Caunis, in archiepiſcopatu Narbonenſi; monaſterium S. Aniani ad fluvium Vernodubrum, *S.t Chinian de la Corne*, in diœceſi tunc Narbonenſi, nunc Tomerienſi; abbatia ſancti Martini de Monterotundo, in eodem archiepiſcopatu, &c. Quæ pleraque recenſentur in bulla Lucii papæ III. quam Pius II. altera Mantuæ data anno Incarnat. Dom. MCCCCLIX. X. cal. Dec. pontificatus anno ſecundo confirmavit. Ex illa quoque religionis fama cœnobii Tomerienſis orta eſt cum tot famoſis eccleſiis ſocietas, ut liquet ex necrologio domeſtico, ubi ſic habetur: *Pridie idus Junii officium pro fratribus Fontis frigidi noſtræ ſocietatis: III. cal. Julii officium pro fratribus ſedis Magalonæ: III. cal. Auguſti pro fratribus ſedis Carcaſſonæ*, (in cujus viciſſim necrologii fragmento hæc leguntur: *Pridie cal. Junii facimus myſterium pro defunctis fratribus Tomerienſis eccleſiæ*:) *IV. nonas Auguſti pro fratribus monaſterii Nantenſis: nonis Auguſti pro fratribus ſedis Toloſanæ, reficiatur unus pauper: III. nonas Septembris pro fratribus monaſterii S. Antonini de Pameriis: V. idus Septemb. pro fratribus S. Mariæ de Caſſiano: calendis Octobris pro fratribus S. Cyrici: nonis Octobris pro fratribus S. Fidis de Conchis: VIII. cal. Decembris pro fratribus S. Guillelmi, Anianæ, & aliis de ſocietate noſtra.* Sed neque prætermittendæ ſanctimoniales ſancti Pontii, quarum frequens eſt mentio in eodem necrologio, ac inter alias Ludovicæ de la Coſta prioriſſæ, pro cujus anima, patris & matris & parentum agitur officium & proceſſio VII. cal. Septembris. Non etiam defuere, imo plures exſtitere qui exinde ad archiepiſcopales, epiſcopales, & abbatiales eccleſias gubernandas aſſumti ſunt. Denique hoc monaſterium non mediocriter illuſtravit Sancius filius Berengarii cognomento Curvi *le Courbe* comitis Barcinonenſis, S. Pontii monachus, & inde prior S. Benedicti de Bagiis haud procul Minoriſſa *Manreze*; ſed maxime Ranimirus, *ſeu* Ramirus Sanctii Aragonum regis filius, Deo ſub finem XI. ſeculi inibi puer oblatus, qui monachum profeſſus, ibidem vixit annis quadraginta, ſacerdotio quidem decoratus, ſed non epiſcopali dignitate, ut probat Antonius Pagi tom. 4. Criticorum pag. 494. Nempe tamdiu in monaſterio converſatus eſt, donec mortuis fratribus Petro & Alfonſo ſine liberis, a proceribus electus regis inſignia ſumſit, rerumque Aragonicarum potitus eſt. Sed regni tandem pertæſus, Raimundo Barcinonenſi comite relicto ſucceſſore, in Oſcenſe S. Petri cœnobium, quod regia dotaverat munificentia, ſeceſſit, ibique pie vitam finivit. Jam vero ad abbatum geſta veniamus.

* al. Lugdunum.

Tom. 3. anal. Bened. pag. 711.

Ch. XIII. col. 87.

ABBATUM SERIES.

I. OTGARIUS primum, ut diximus, Auriliacensis cœnobii monachus, una cum aliis ejusdem loci fratribus ab Arnulfo Auriliaci abbate Tomerias adducitur, ibidemque ab episcopis abbas invitus ordinatur, anno saltem 937. in solemnitate, uti verisimile est, dedicationis novæ S. Pontii basilicæ hoc anno peractæ, cum jam anno præcedenti abbas designatus fuisset, ut patet ex tabulis fundationis. Anno 940. Aimericum archiepiscopum, & Rodaldum Biterrensem antistitem munificos expertus est, uti etiam an. 942. mense Aprili regnante Ludovico rege anno septimo Otonem vicecomitem, qui res plurimas tam in episcopatu Albiensi, quam in Ruthenensi eidem concessit. De hoc primo abbate perpauca nobis supersunt dicenda, deficientibus monumentis, quæ pleraque in urbis excidio perierunt. Obiisse dicitur in Tomeriensi necrologio, VI. nonas Octobris *domnus Otgarius quondam abbas istius ecclesiæ*, & quidem anno 940. ex historia vulgata, quod falsum evincitur ex donatione superius allata Otonis vicecomitis anno 942. quam cum hic auctor ignoraverit, non aliam ob causam Otgarii mortem illigasse videtur an. 940. quam quod Odo Tomeriensis abbas laudatur in diplomate Ludovici regis pro immunitate & confirmatione hujus monasterii, *ubi præest*, inquit, *domnus abbas Odo una cum norma monachorum*, dato apud Laudunum * IV. nonas Augusti anno quarto regni ejus, hoc est 939. *vel* 940. Ut solvat hunc nodum Mabillonius, ita se dubius interrogat: an binominis erat Otgarius? an exscriptores nomen Otgerii *seu* Otgarii prima forte duntaxat littera expressum Odonem interpretati sunt? Quibus addere possumus Otgario regiminis pertæso, quod invitus susceperat, sed tamen abbatis nomen retinenti potuisse subrogari Odonem, qui revera secundo loco subscriptus reperitur adhuc cum aliis quinque abbatibus litteris Aimerici archiepiscopi Narbonensis hoc anno datis, sed ibi nulla cujus abbas erat monasterii mentio. Ceterum quisquis tandem ille est Odo, sedulo distinguendus a S. Odone Cluniacensi a recentioribus perperam catalogo hujus cœnobii abbatum inserto; vel si Cluniacensis abbas, nonnisi tanquam abbas generalis S. Pontii censendus est. Certe nullus ejus loci Odo nomine abbas occurrit in necrologio Tomeriensi.

Ch. IV. col. 77.

* al. Lugdunum.

II. Aimericus præerat abbas an. 949. ex historia vulgata, pro quo legitur Sancronus apud Stephanotium, quod nomen fortasse erat Aimerici cognomen. Sub hoc abbate habitum est placitum in civitate Narbona coram Aimerico archipræsule, *sub die iduum Maii anno incarnationis Dominicæ DCCCCLV. & anno primo, quo Lotharius rex cœpit regnare*, de media parte cujusdam alodis siti apud Genestar, vicum comitatus Narbonensis, quam monachi sancti Pontii Tomeriarum ex dono cujusdam Alpharii possidebant. His ea de re litem Udalgarius intulit: ambæ partes ad constitutam diem Narbonæ convenerunt ante Aimericum archipræsulem & Richildem vicecomitissam. Jussi monachi proferre scripturam cum testibus & auctoribus ejus donationis, adduxerunt eleemosynarios Alpharii defuncti, qui legitimam donationem comprobaverunt. Quo facto Udalgarius propter timorem Dei, & pro B. Pontii amore causam refutavit, professus se ea de re monachos non amplius interpellaturum, *nec hodie, nec exhodie, nec ullo unquam tempore, neque per legem, neque per justitiam, neque per malum ingenium.* Vivebat adhuc Aimericus abbas anno 971. ex historia vulgata, sed mendose, aut certe prius abdicaverat, ex dicendis. Ejus anniversaria dies notatur in necrologio 13. Junii, hoc est idibus, qua die officium pro illo agitur, non vero 12. uti legitur in præfata historia.

III. Gaufredus innotescit ex donatione, quam fecit Aimerico archipræsuli an. 969. ex tabulario capituli Narbonensis. De illo sic habet necrologium: *XIII. calend. Aug. depositio domni Gaufridi quondam abbatis hujus ecclesiæ*, qua die pro eo agitur officium.

IV. Arnulfus sedebat an. 972. mense Januario. Ejus obitus dies consignatur in necrologio IX. *vel* X. cal. Aprilis.

V. Hugo subscriptus abbas cum Frotario episcopo (Albiensi) chartæ donationis Garsendis comitissæ viduæ Pontii fundatoris Tomeriensi monasterio factæ regnante Lothario circa 975. fuit abbas Tomeriensis, ac proinde suspicamur errorem in chronicis notis 998. & 1024. eidem Hugoni attributis ab auctore historiæ vulgatæ, de quibus plane reticet Stephanotius, legendumque putamus 978. pro 998. delendamque notam 1024. quæ fortasse ad alium Hugonem pertinet, quanquam unius tantum Hugonis anniversarium notatur in necrologio die 9. Maii.

VI. Raimundus abbas S. Pontii testis laudatur an. 987. in charta Pontii Albiæ comitis vicum suum Vianciæ situm in pago Albigensi rogatu Amelii I. episcopi Albiensis in ecclesiam convertentis, in qua clericos aggregavit, iisque Benedictum præfecit abbatem. Vide t. 1. pag. 9.

VII. Adhemarus reperitur abbas Tomeriensis in testamento Rogerii comitis Carcasson. notato apud Catellum pag. 628. regnante Henrico rege an. 1062. pro quo legendum circa 1002. ut habetur in probationibus tomi 2. rerum Occitanarum historiæ col. 159.

VIII. Jurandus haud aliunde nobis est notus, quam ex laudata S. Pontii historia, in qua rexisse monasterium dicitur an. 1025. mense Octobri, & vixisse ad annum 1043. Ex hac vita migravit 17. Januarii, qua die anniversarium ejus notatur.

IX. Garnerius Jurandum iisdem anno & mense in præfectura excepit, superstes ad annum 1059. mense Febr. Notatur ejus obitus in necrologio III. idus Martii, *al.* 14. ejusdem mensis.

X. Frotardus regimini abbatiæ sancti Pontii Tomeriensis admotus occurrit anno 1061. ineunte, quo Raingardis comitissa & gener ejus Raimundus cum uxore Ermengarde & Adalaide

hujus ſorore, alodium ſuum vocabulo *Tonneum* conferunt ſancto Pontio Tomerienſis monaſterii, necnon Frotardo abbati ejuſque monachis. Facta charta ceſſionis hoc anno III. nonas Januarii, in præſentia Frotarii Nemauſenſis epiſcopi, Guillelmi abbatis Caunenſis, & aliorum. Ita Mabillonius tom. 4. annal. pag. 616. quod hiſtoria S. Pontii vulgata conſignat anno 1065. Teſtis adfuit an. 1066. una cum aliis pluribus epiſcopis & abbatibus collationi abbatiæ S. Egidii factæ S. Hugoni Cluniacenſi abbati ejuſque monaſterio ab Almode comitiſſa & ipſius filio Raimundo comite Ruthenenſi, necnon Narbonenſi & Nemauſenſi. Adſtitit an. 1068. concilio Toloſæ habito, ubi actum eſt de reſtituenda Lactorenſi epiſcopo eccleſia, quæ fuerat antiquitus ſedes epiſcopalis, & ubi tunc rem divinam faciebant S. Severi monachi, ea ipſa in monaſterium converſa. Eodem anno interfuit concilio Gerundenſi. Anno 1070. XVII. calend. Febr. Bernardus Biſuldunenſis comes dedit Frotardo abbati S. Pontii monaſterium S. Martini de Lenis; qua de re vide chartam inter inſtrumenta. Die 7. Septemb. an. 1071. præſens memoratur in tranſactione habita inter Guillelmum Toloſæ comitem, & Raimundum comitem Barcinonenſem & Carcaſſonenſem. Inſequenti anno Bernardus Raimundi abbati Frotardo conceſſit alodem ſuum S. Juliani de Vinaſſayo, Montis-mirati caſtellum & alia quædam recenſita in ejuſdem Bernardi litteris VIII. cal. Febr. anno XII. regnante Philippo I. Francorum rege. Frotardus quoque an. 1073. ab Alcherio quodam & uxore ejus Stephana excipit alodem in comitatu Narbonenſi in villa Curtis. Circiter annum 1077. Rogerius comes Foſſenſis abbati Frotardo dedit eccleſiam parœcialem S. Petri, S. Johannis, & S. Saturnini ſitam in pago Toloſano & ſuburbio Fuxenſi, quæ fuerat olim abbatialis, & in qua B. Arnerius abbas ſepultus fuerat. Vide chartam inter inſtrumenta. Hoc autem ipſo anno 18. Junii miſſus in Hiſpaniam legitur Frotardus a Gregorio papa VII. cum Amato Oloronenſi epiſcopo ſedis apoſt. legato pro tuendis eccleſiæ Romanæ juribus, ac diſciplina eccleſiaſtica in illis partibus reſtituenda: qua in legatione tam ſtrenue ſe geſſit, & de Romana eccleſia tam bene meruit, ut virum venerabilem, fide & morum honeſtate probatum eum appellet idem pontifex in litteris ad Hiſpanos datis Carpinetæ IV. cal. Julii indict. XV. Illuſtriſſimus quoque dicitur in charta Pontii Gauberti, uxoris ejus Emmæ, eorumque liberorum Amelii, &c. qua Deo & S. Pontio, ac *illuſtriſſimo* abbati Frotardo conferunt mediam partem eccleſiæ quæ vocatur Capella juxta flumen quod dicitur *Lauzat* an. 1078. Subſcripſit eodem anno litteris Bernardi comitis Biſuldunenſis & Ermengardis ejus conjugis quibus cœnobio S. Stephani Balneolenſis benefaciunt. Anno ſeq. has in regiones mittitur a Gregorio VII. papa ad ſarciendam concordiam inter filios Raimundi Berengarii comitis Barcinonenſis. Idem ſub hoc tempus una cum Matfredo Biterrenſi epiſcopo, & Guitardo Lupo aliiſque nobilibus ſententiam tulit in cauſa Stephani Conchenſis abbatis adverſus Bermundum Agathenſem, qui malas conſuetudines requirebat in honore S. Salvatoris & S. Fidis, qui vocatur *Palatium*. Se munificum præbuit erga Frotardum abbatem ejuſque monaſterium Guillelmus Toloſanus, Carcaſſon. & Albig. comes qui ei totum alodium de omni parœcia S. Johannis de Pamnago & alia multa in epiſcopatu Albigenſi contulit, charta data an. 1080. XVI. cal. Julii, ubi Anna uxor Guillelmi omnia confirmat, & Pontius pater atque Adalmodis ejuſdem comitis mater nominantur participes iſtius donationis, cujus autographum exſtat in tabulario ſancti Pontii. Anno 1082. regnante Philippo XXII. IV. cal. Martii eccleſiam S. Martini de Caſtello, quod vocatur *Balaruc* dono accepit a Petro Melgorienſi comite, Almode ipſius conjuge, & eorum liberis. Raimundus etiam vicecomes Narbon. ei largitus eſt quidquid poſſidebat in territorio *de Biſont*, quod nunc vocant *la Baſtide Rouairouſe*, litteris datis menſe Septemb. ejuſdem anni 1082. Teſtis eſt Frotardus abbas anno ſeq. indict. VI. X. cal. Aug. in charta Guillelmi comitis Toloſani canonicos regulares ſancti Saturnini e ſua pulſos eccleſia in ejuſdem poſſeſſionem reſtituentis. Huic abbati Raimundus comes Ruthenenſis, Gabalitanus, Narbonenſis & Nemauſenſis univerſas S. Pontii poſſeſſiones in variis ſuæ ditionis epiſcopatibus ſua auctoritate aſſeruit, pollicitus ſe deinceps adjutorem & defenſorem fore illius loci monachorum anno 1085. Subſcribit eodem anno V. calendas Maii chartæ Petri comitis Melgorienſis, Romanæ dantis eccleſiæ comitatum Subſtantionenſem, quem in feudum poſtea cum epiſcopatu Magalonenſi tenendum a ſancta ſede recepit. An. 1089. calendis Julii privilegium obtinuit ab Urbano papa II. Inſequenti teſtis eſt initæ Guillelmum inter Toloſanum & Raimundum Narbonenſem & Carcaſſonenſem comites concordiæ, cujus inſtrumentum videſis tom. X. Spicil. pag. 163. Ejuſdem abbatis tempore Sancius Aragonum rex filium ſuum impuberem Ranimirum obtulit Deo in cœnobio ſancti Pontii, ut ibi monachus eſſet, V. nonas Maii anno 1093. ampliſſimaſque ideo poſſeſſiones eidem monaſterio contulit. Vixit quoque ſub ejus diſciplina Petrus quidam natione Gallus, qui poſtea invitus ad Pampilonenſem ſedem ſublimatus fuit. Dicendum idem videtur de Berengario Aimerici IV. Narbonenſis vicecomitis ex Mathilde filio, qui aſſumtus e ſancti Pontii Tomeriarum cœnobio, Craſſenſi præerat circiter 1115. Quibus adde Pontium, Petri Mergulienſis in Septimania comitis filium, monaſticen primum in cœnobio S. Pontii profeſſum, deinde in Cluniacenſi, cujus tandem evaſit abbas an. 1109. Scripſit ad Frotardum noſtrum Urbanus papa II. epiſtolam XXII. in qua eum redarguit, quod eccleſias juris archiepiſcopi Narbonenſis invaſiſſet, excommunicatos ab ipſo & ab aliis præſulibus reciperet, quodque in Jaccenſi cathedra abſque

Marginal notes: *T. 6. miſcell. Baluz. pag. 480.* — *T. 9. conc. Labb. col. 1197.* — *Tom. 4. Anecd. col. 1188.* — Ch. V. col. 78. — Ch. VI. col. 80. — *Marc. Hiſp. append. col. 1170.* — *Sammarth.* — *T. 1. bibl. novæ Labb. col. 801.* — *Tom. 10. conc. col. 456.*

ejusdem metropolitæ venia constitui episcopum curasset. De sibi quoque ablatis a Frotardo monasteriis eodem tempore conquestus est Barcinonensis præsul. Monet itaque pontifex abbatem, ut Narbonensem archipræsulem sicuti proprium antistitem & patrem spiritualem revereatur & diligat; hujus de cetero causæ judicium legato suo Rainerio irretractabili sententia terminandum committit, cui stare abbatem imperat, non ulterius super hoc ad sedem apostolicam appellatione concessa. Ejusdem argumenti est alia hujus pontificis ad L. cardinalem presbyterum epistola in appendice tomi X. conciliorum col. 1840. Verum quo tandem pacto ea finita fuerit querela, ignoramus. Frotardus anno 1095. relectam in concilio Placentino Urbani II. papæ pro S. Egidii monasterio constitutionem subscriptione sua laudavit & approbavit. Egregie tutatus est causam Isarni episcopi Tolosani adversus clericos ejusdem civitatis, quæ controversia ejus potissimum prudentia & dexteritate sopita est, ac secundum antistitem decisa circa annum 1096. Hoc autem ipso anno, regnante Philippo in Francia, IX. calendas Aprilis sub die feria 2. villæ de Burgs in parœcia S. Amantii factam a Rigaldo Die & ipsius conjuge donationem accepit. Eodem anno commutavit capellaniam Zudæ urbis Oscæ, quam dedit Simoni abbati montis Aragonum ordinis S. Augustini; ita Aynsa. Vaurensem ecclesiam a S. Alano primitus, uti fertur, conditam, tunc vero temporis fere destructam, Isarnus episcopus Tolosanus, in cujus diœcesi tunc posita erat, Frotario nostro instaurandam commisit, a quo tempore cella fuit sancti Pontii, donec in sedem episcopalem, sicuti etiam Tomeriensis ecclesia, conversa fuit a Johanne XXII. summo pontifice. Hujus donationis litteræ datæ anno 1098. feria quinta mensis Augusti exstant apud Catellum lib. 2. commentariorum Occitaniæ cap. XVI. pag. 320. Eodem anno Frotardus habuit controversiam cum episcopo Jaccensi super ipsa civitate Jaccensi, quam reges Aragonum Sarracenis ablatam huic abbatiæ concesserant, eaque sopita fuit eodem anno 1. Decembris consilio Petri Aragonum regis, Petri episcopi Oscensis & archiepiscopi Tarraconensis, ita ut episcopus Jaccensis alio suam transferret sedem episcopalem. Hoc tempore episcopus Oscensis in urbe sua Frotardo dedit ecclesiam S. Petri Veteris, in qua monachorum suorum conventum instituit. Haud diu postea superstes fuit Frotardus religione & sapientia clarissimus abbas, qui plura dum viveret per Aquitaniam & Hispaniam monasteria *in religionis monasticæ statum restituit*, ut habet bulla Lucii III. Annum obitus ejus consignat historia vulgata 1099. diem vero 20. Augusti, in quem conspirant tria saltem necrologia, domesticum, Silvæ majoris, ac sancti Egidii, quod ultimum, aiunt, exstat in bibliotheca Fratrum Prædicatorum Chamberiaci. Visitur adhuc ejus effigies ex albo marmore, tumulo imposita ad lævam principis aræ. Rexit hanc ecclesiam 45. annis, ex necrologio domestico in bibliotheca regia, ad diem XIII. cal. Septembris, quo habet officium generale.

Ch. XVI. col. 182.

Sammarth.

XI. Petrus I. Frotardo suffectus sedebat jam anno 1100. ut liquet ex instrumento donationis terrarum de Saisseras, de Arguzaco, de Montauroux, &c. in pago Minerbensi, Petro abbati & ipsius cœnobio XII. cal. Septembris feria VI. *lege* III. ejusdem anni factæ a Bernardo vicecomite Minerbensi, propter Raimundum natu majorem filium, quem ibidem hoc anno monachali veste induendum obtulit. Anno sequenti 1101. XIV. calendas Aprilis Bertrandus archiepiscopus Narbonensis eidem cessit abbatiam S. Aniani ad Vernodubrum fluviolum restaurandam & ordinandam. Plurimas quoque idem archiepiscopus de consensu capituli ad preces Berengarii monachi S. Pontii & patris ejus Aimerici vicecomitis Narbonensis hoc ipso anno VII. idus Febr. ei contulit ecclesias suæ diœcesis, quæ recensentur in historia vulgata ecclesiæ sancti Pontii. Neque vero precibus tantum, sed suapte sponte prædictus Aimericus vicecomes Narbonensis munificum se præbuit erga monasterium, cujus universas possessiones in locis suæ ditionis positas non modo confirmavit, verum etiam auxit alodio in parochia S. Saturnini de Bisato, *al.* de Bisano, cum assensu Mahaldæ conjugis ac liberorum, pro anima patris Bernardi, avi Berengarii & Petri Berengarii *avunculi* seu patrui, & pro filio Almarico, quem abbati Petro monachali veste donandum offerebat. Hæc donatio facta legitur anno ab Incarnatione Domini 1103. *III. cal. Maii feria quinta*, regnante Philippo Francorum rege, ubi legendum feria IV. quæ illo anno III. calendas Maii incidebat. Subscribunt cum Aimerico vicecomite, Mahalda conjuge, eorumque liberis Bertrandus archiepiscopus Narbonensis, Bernardus vicecomes de Minerba & Petrus ejusdem filius, aliique. Sub id etiam tempus Aldegarius, *seu* Adelgarius Albiensis antistes abbati Petro & monachis Tomeriensibus dedit ecclesiam S. Remedii de Lautrico *ad peragendum in ea divinum famulatum*, ea lege ut ex rebus ad eamdem ecclesiam ex oblatione fidelium provenientibus, monachus & capellanus, qui eam rexerint, quinque solidos Albiensi ecclesiæ quotannis in Paschali synodo persolvant. Id quidem anno circiter 1045. Mabillonius noster illigat, sed quominus illi consentiamus impedit tempus episcopatus Adalgerii, quem sæculo undecimo exeunte ad hanc sedem promotum diximus tom. 1. Et certe hoc ipso anno 1103. XIII. cal. Junii Arnaldus de Cecenno præsul Albiensis, Adalgerii successor, assentiente capitulo ecclesiam de Cauna dedisse legitur Petro abbati Tomeriensi annuo censu retento, ex tabulario Albiensi, qua de re chartam videsis nostra inter instrumenta. Eamdem ecclesiam Bernardus Atho vicecomes Biterrensis & aliorum locorum, de consensu Ceciliæ uxoris ac liberorum asseruit abbati Petro & ecclesiæ Tomeriensi anno 1118. die prima Maii litteris Carcassonæ datis, quarum testes fuere Arnaldus Carcasson. antistes & Benedictus archidiaconus. Idem quoque præstitit Mahalda

Ch. VII. col. 81.

Ch. VIII. col. 82.

Ch. IX. col. 83.

Narbonensis vicecomitissa cum liberis, omni jure suo in prædictam ecclesiam eidem Petro ac monachis Tomeriensibus transcripto an. 1121. 27. Novembris ex historia vulgata, VII. calend. Januarii, *seu* 26. Decembris, ex Sammarthanis. Jam dudum Paschalis II. papa monasterii jura & possessiones confirmaverat bulla data Trecis in Campania 23. Junii an. 1107. ubi pontifex concilium habuit; scripsitque eodem anno ad P. abbatem S. Pontii & R. Electensem abbatem, ne excommunicatos & interdictos a Richardo Narbonensi archipræsule in suam communionem & participationem antequam absolverentur susciperent. Interfuit Petrus abbas Tolosanæ synodo coactæ ex archiepiscopis, episcopis & abbatibus Gothiæ, Wasconiæ, Hispaniæ ac citerioris Britanniæ a Calixto papa II. pontificatus anno 2. die 8. Junii, hoc est 1119. Anna quædam cum viro suo Hugone ac liberis Raimundo & Petro ecclesiam de Cauna cum suis pertinentiis donavit Petro abbati an. 1124. mense Novembri, hoc est confirmavit, seu quidquid in ea juris habere poterat dimisit. Denique an. 1129. mense Augusto scripsit Petrus abbas instrumentum procurationis. Ejus anniversaria dies notatur in necrologio 27. Martii, ex historia vulgata, dies autem obitus ejus consignatur v. calendas Aprilis anno 1130. in vetusto hujus ecclesiæ necrologio, quod habetur in bibliotheca regia.

Tom. 10. concil. col. 670.

XII. Aimericus II. omissus in historia vulgata, reperitur 1138. & 1143. quo anno Udalguerius vicecomes Fenionalatensis Mantellissæ vicecomitissæ filius, & uxor ejus Pontia huic abbati Gerbertum filium offerunt monachali veste donandum.

XIII. Petrus II. innotescit ex ipsi facta ecclesiæ de Cauna confirmatione anno circiter 1145. a Matfredo Cumbreti, Annæ de qua superius, filio, testis Pontius abbas S. Victoriani. Anniversarium Petri notatur die 13. Augusti.

XIV. Berengarius I. memoratur 1146. mense Novembri, sedente Eugenio papa III. in historia vulgata. Sub hoc abbate, uti conjicimus, renovatæ sunt ecclesiæ Narbonensis querelæ adversus monachos, ac præsertim Tomerienses & Crassenses, qui parochos in ecclesiis sibi subjectis inconsulto archiepiscopo instituebant, imo excommunicatos ab ipso ad sacra admittebant, quod ne ulterius fiat, gravibus ad utriusque loci abbates scriptis epistolis severius interdicit pontifex, jubens decretum ab Urbano II. decessore conditum diligenter observari, quo cautum est, ut parochi instituendi coram episcopo se sistant suam ab ipso institutionem & curam animarum accepturi, si quidem idonei ejus judicio inventi fuerint; si secus fecerint, auctoritate apostolica excommunicationis pœna plectendi. Adhuc superstes erat Berengarius mense Novembri anni 1159. si fides historiæ vulgatæ; sed si hoc ita est, abdicasse dicendus anno saltem præcedenti. In necrologio fit ejus mentio die 20. Novembris, inquit historia laudata, nos legimus 19. seu XIII. cal. Decembris, & fit processio; die vero XIII. calendas Januarii, hoc est 20. Decembris, amanuensis errore, in necrologio beatæ Mariæ de Cassiano.

XV. Raimundus I. cui cognomen *de Dourgne* laudata tribuit historia, sedebat jam anno 1158. Ludovici VII. regis XXI. quo immunitati cœnobio sancti Eugenii de Viancio concessæ a Raimundo Tolosano comite subscripsit, ex tabulario D. archiepiscopi Albiensis. Reperitur eodem anno cum Guillelmo S. Aniani abbate in veteri charta monasterii Salvanesii. Hoc etiam anno Sicardus vicecomes Lauracensis offerens sancto Pontio Raimundum filium in monachum, simul obtulit mansum de Bartha. Interfuit Raimundus abbas concilio Tolosæ habito anno 1161. ad quod centum patres tam ex episcopis, quam ex abbatibus, una cum regibus Franciæ & Angliæ convenerant, ubi Alexander papa III. rejecto Victore Romanus pontifex agnitus est. Adstitit quoque anno sequenti synodo Monspeliensi ab eodem Alexandro celebratæ, in qua prædicto Victore a fidelium cœtu submoto, Narbonensis archiepiscopus ab ipsomet Alexandro sacro chrismate delibutus est. Anno 1163. die Assumptionis B. Mariæ de consensu fratrum dedit alodium territorii de Marnes monasterio Salvanesii. Convenit anno 1165. ad concilium Lomberiense in diœcesi Albiensi contra hæreticos, qui se Bonos homines nuncupabant, congregatum, & ibi condemnationis sententiam in eos latam subscriptione sua firmavit, ex tabulario Inquisitionis. Præsens fuit an. 1170. mense Julio initæ concordiæ inter Isarnum de Dorniano & fratres ejus Petrum & Begonem cum suo nepote Petro; ipsemet vero pacem iniit anno sequenti cum canonicis S. Ceciliæ, hoc est Albiensibus. Eodem anno pridie nonas Januarii Rogerius vicecomes Biterrensis & abbas Raimundus, hic de damnis a vicecomite suo monasterio illatis, ille de abbate super constructione castri *de la Salvetat* conquerentes, arbitris Pontio Narbonensi, Bernardo Biterrensi & Guillelmo Albiensi præsulibus in concordiam redierunt, qua de re vide chartam inter instrumenta. In monachum admisit anno sequenti Raimundus abbas Hugonem Raimundi de consensu & voluntate uxoris ejus Raimundæ, quam pariter sanctimonialem effecit. Vivebat adhuc an. 1180. ex historia vulgata, ubi & ipsius anniversarium notatur 15. Febr. Et certe ita legitur in vetusto hujus ecclesiæ necrologio, quod est in bibliotheca regia: *XV. cal. Martii obiit Raimundus abbas istius loci, qui rexit hunc locum XXIX. annis & V. mensibus & tribus diebus.* Alterum tamen necrologium sic habere dicitur: *XVI. cal. Martii depositio domni Raimundi de Dornhaco* (al. *de Dornhano*) *quondam abbatis istius ecclesiæ.*

Ch. XI. col. 84.

Ch. XII. col. 86.

XVI. Hermengaudus abbas S. Pontii bullam obtinuit a Lucio papa III. qui Romæ sedit ab anno 1181. ad 1185. Datam alicubi legimus 1182. in qua recensentur possessiones & ecclesiæ cœnobio S. Pontii subjectæ, ejusdemque omnia privilegia confirmantur. Hanc postmodum renovavit Pius II. papa. Utramque ad calcem apposuimus. Judex occurrit Hermengaudus una cum Aimerico Candelii abbate anno 1192. exortæ

Ch. XIII. col. 87.

controversiæ inter Willelmum episcopum Albiensem & Berengarium Villæ magnæ abbatem super ecclesiis S. Gervasii & S. Petri de Neyrano & aliis. Rexit ad annum 1205. quo ad episcopatum Biterrensem evectus est, uti nos docent litteræ cleri Biterrensis ad archiepiscopum Narbonensem, in tabulario ecclesiæ Narbon. asservatæ, ac proinde e gremio canonicorum assumtus perperam dicitur in veteri Gallia Christiana. De eo sic habet necrologium S. Pontii: *VI.* * *cal. Septembris obiit domnus Ermengaudus episcopus, quondam abbas hujus ecclesiæ.*

* *al.* VII.

XVII. Guillelmus I. reperitur anno 1208. in charta Guidonis de Marsano, cujus excepit donationem pro S. Martino de Alenis, quando fratrem ejus Raimundum de Marsano, in donatum & fratrem ejusdem loci admisit. Obiit hoc anno IX. calendas Octobris, qua die sic habetur in necrologio: *Obiit Guillelmus abbas istius loci, qui rexit ecclesiam S. Pontii tribus annis & mensibus decem.*

XVIII. Berengarius II. occurrit in chartis ecclesiæ Narbonensis annis 1212. & 1214.

XIX. Robertus de Serrano, *de la Serre*, vel *de Serran*, quem prima forsitan nominis littera R. in tabulario S. Justi Narbonensis repertum an. 1219. exscriptores male Raimundum pro Roberto dixerunt, mortem oppetiit in cœnobio Grandimontensi apud Lemovices, ubi jacet sub tumba eminenti lapidea: de quo sic habet chronicon ejusdem cœnobii: *Quinto calendas Martii obiit Robertus de Serran abbas S. Pontii Tomeriensis, & fuit sepultus in capite claustri Grandimontensis ante ostium capellæ S. Stephani anno gratiæ MCCXX. his versibus:*

Virtutum donis, titulo quoque relligionis
Floruit in populo, qui jacet hoc tumulo.

Et certe hac ipsa die commemoratur in necrologio domestico, his verbis: *V. calendas Martii anno Domini MCCXX. obiit Robertus abbas istius loci, qui rexit hunc locum tribus annis, tribus mensibus & diebus duodecim.*

XX. Guillelmus II. de Insula proximus Roberti successor, anno 1221. puellam nomine Calvam Pontii Richarii de Villanova juxta Biterrim filiam sanctimonialem in B. Magdalenæ parthenone apud Pontiopolim admisit, prædio quodam a genitore puellæ donatus, eo quod hujus cœnobii moniales nihil proprii tunc temporis possiderent, sed quæcumque sibi ad victum vestitumque necessaria erant a monachis quotidie acciperent. Societatem precum iniit cum R. abbate & conventu Nantensi anno 1224. XV. cal. Nov. ex tabulario Nantensi. Eodem anno gens Martamisia erga eum se munificam præbuit, utpote quæ silvas, *tascas* & alia jura clientelaria in territorio de Bisont seu Bastida liberaliter concessit. Interfuit Guillelmus abbas synodo Monspeliensi ex trium provinciarum episcopis & abbatibus coactæ hoc anno, ubi causa Raimundi Tolosani comitis agitata est. Delectus fuit anno 1226. una cum Crassensi B. & A. sancti Hilarii Carcassonensis abbatibus, qui cœtui nigrorum monachorum provinciæ Narbonensis apud S. Tiberium diœcesis Agathensis habito præsideret, sed gravi pressus infirmitate vices suas duobus collegis commisit, qua de re nihilominus hisce tribus bulla Gregorii papæ IX. statuta disciplinæ regularis inibi condita roborantis inscripta est. Memoratur anno seq. in veteri charta ecclesiæ Biterrensis. Testis occurrit an. 1230. in transactione Durantum inter Albiensem episcopum & Petrum Narbonensem archipræsulem de utriusque diœceseos limitibus. Paciscitur eodem anno XVIII. cal. Octobris cum Albiensi antistite super ecclesia de Anaja, & decimis parœciarum sancti Remigii de Lautrico, S. Salvatoris de Brocia & S. Johannis de Pradis, ex tabulario episcopatus Albiensis. Postridie duas partes decimarum de Cannac & de Lasforest dono accepit a Raimundo de Fraxinello ecclesiæ cathed. S. Ceciliæ Albiensis præposito, sub annuo duorum olei olivarum sextariorum reditu, ex tabul. ejusdem ecclesiæ. Sedebat adhuc 1238. uti constat, ait Martennius, ex transactione cum Duranto Albiensi præsule de quibusdam decimis, quas in diœcesi Albiensi possidebat, sed fortasse legendum 1228. Sane abdicato munere abbatiali transiisse ad Carthusianos, & Carthusiæ Glanderiensis in tractu Lemovicino regimen obtinuisse dicitur. De eo sic habet, inquiunt, necrologium S. Pontii: *XIX. calend. Decembris obiit D. Guillelmus de Insula quondam abbas istius ecclesiæ;* melius, ut quidem videtur, XIX. cal. Januarii, *seu* 14. Decembris, ut in historia vulgata.

Spicil. t. 6. pag. 30. & 32.

XXI. Petrus III. jam sedebat 1231. si fides est historiæ vulgatæ, ubi 1235. die 28. Januarii hominium ab Arnaldo de Villespassans excepisse legitur. Anno 1240. regnante rege Lodoico mense Septembri VI. cal. Octob. testamenti Berengarii domini Podii Sorigarii *gadiator*, seu exsecutor, cum Mabilia Berengarii conjuge & aliis, eidem testis rogatus nomen apposuit, ex regio chartarum thesauro, *titres de Puisserguier n. 2.* Dies obitus ejus notatur 19. Maii, *seu* XIV. calendas Junii, qua die sic habetur in vetusto hujus ecclesiæ necrologio, in bibliotheca regia asservato: *Obiit Petrus abbas istius loci, qui rexit hunc locum XIII. annis.*

XXII. Pontius I. Piscenensis *de Pezenas* interfuit an. 1243. concilio Biterris habito, ad quod Raimundus comes Tolosanus, suadente S. Ludovico rege provocavit die Sabbati 18. Aprilis ab excommunicationis sententia in se per inquisitores fidei lata, sede apostolica vacante. Nulla hujus synodi fit mentio in collectione conciliorum Labbeana. Cum occasione cessionis vicecomitatus Biterrensis factæ a Trencavello vicecomite in gratiam S. Ludovici, G. Narbonensis archiepiscopus, R. Biterrensis & P. Agathensis episcopi pro se & pro omnibus abbatibus & ecclesiis suarum diœcesum, contestato denunciassent quod illa cessio non posset ipsis in posterum præjudicium generare, sed salva & illibata remanerent sibi, monasteriis & ecclesiis omnia jura, sicut erant ante cessionem, P. abbas S. Pontii horum denunciationem, una cum P. Villæ magnæ, G. Anianensi & J. S.

Prob. hist. Occit. t. 3. col. 459.

& J. S. Afrodisii abbatibus an. 1247. VII. idus Apr. sigilli sui munimine corroboravit. Pontius idem, defuncto Arnaldo de Cruzi sancti Aniani abbate, præfuit electioni successoris secundum privilegia a Romanis pontificibus S. Pontii abbatibus concessa. Raimundus de Figueriis abbas sancti Aniani electus ad S. Pontium venit die 5. Januarii anni 1251. ubi in genua provolutus, junctisque manibus eidem Pontio abbati Tomeriensi obedientiam & obsequium spopondit. Eodem anno 15. Martii locum de Crouzet ab Aimerico de Peyre pretio comparavit. Insequenti tres chartas confecit pro ecclesia de Cauna & aliis a Tomeriensi monasterio dependentibus bonis. Moritur hoc ipso an. 1252. 24. Sept. qua die anniversarium ejus celebratur ex historia vulgata, & ex laudato S. Pontii necrologio, ubi dicitur Pontius de Pesenatio rexisse XI. annis mensibus 4. & diebus 5.

XXIII. Guillelmus III. de Paulino præerat an. 1253. quo Crassensis abbatis judicio, quem nigrorum monachorum cœtus ad id specialiter delegaverat, jus ipsi tanquam superiori assertum est in abbatem & monachos S. Aniani, idque postea, Guillelmo deprecante, Innocentius papa IV. confirmavit. Adfuit an. 1255. cum ceteris provinciæ Narbonensis abbatibus concilio Biterrensi, in quo sanctissimæ leges a B. Ludovico rege conditæ, lectæ & promulgatæ fuerunt. Adhuc superstes dicitur 1258. mense Decembri, at profecto ex dicendis biennio ante præfectura cesserat. Anniversarium habet notatum in necrologio IX. cal. Octobris.

XXIV. Pontius II. Tomeriensis abbas initiali nominis littera P. adstitisse memoratur an. 1256. calendis Junii P. de Autolio militi senescallo Carcassonensi & Biterrensi de mandato regis in jus vocanti Trencavellum antea vicecomitem Biterrensem. Occurrit anno 1258. in tabulis Narbonensibus, testante Martennio. Anno 1259. XV. calendas Novembris Alfonsum comitem Pictaviensem ac Tolosanum sancti Ludovici fratrem precum, jejuniorum, aliorumque bonorum operum cœnobii S. Pontii consortem fecit, ut liquet ex charta nostris ad calcem instrumentis adjecta. Bullam obtinuit a Clemente IV. pontifice datam an. 1267. die 7. Februarii, qua donationes omnes cœnobio factæ, eidemque privilegia concessa a Romanis pontificibus Lucio III. & Innocentio IV. asseruntur. Anno 1271. designavit archiepiscopo, qui regeret ecclesiam de Pradis. Insequenti pro suæ abbatiæ temporalibus regi fidem obligavit, ex archivo regio Carcassonensi. Vitam clausit anno 1276. 28. Novembris, qua die anniversarium ejus celebratur, tum ex historia vulgata, tum ex laudato necrologio.

(Marginal notes: Prob. hist. Occit. t. 3. col. 522. — Ch. XIV. col. 91.)

Goffridum inter abbates sancti Pontii Tomeriensis ad annum 1285. vulgata recenset historia, cui pro anniversario diem 20. Julii assignat. Primum refutamus, quod tunc sedes abbatialis a Raimundo de Castris occuparetur, alterum supra Gaufrido abbati III. adscripsimus.

XXV. Raimundus II. de Castris jam anno 1276. testis laudatur in charta fidei clientelaris, quam Guillelmus de Monasterio miles Bernardo Albiensi episcopo præstitit, ex tabulis Narbonensibus. Reperitur & annis 1277. & 1280. in tabulis ejusdem ecclesiæ Narbonensis. Paciscitur anno 1285. cum B. Albiensi episcopo de jure in ecclesiis S. Pontio subjectis instituendi capellanos; unde hoc ipso anno VII. cal. Junii prioribus sibi subjectis in diœcesi Albiensi tribuit facultatem designandi episcopo Albiensi vicarios perpetuos & capellanos ad ecclesias dictorum prioratuum administrandas, ex tabulario Albiensis ecclesiæ. Transegit an. 1287. mense Octobri cum incolis S. Pontii. Insequenti supremum loci de Valras dominium beneficiarium reddidit. An. 1298. prædiorum apud mansum de Langlade possessores illa se clientelari jure possidere scripto profiteri coëgit. Jurisdictionem suam strenue tutatus est contra officialem Narbonensem pontificio fultus Bonifacii papæ VIII. diplomate dato 23. Junii anno 1299. Interfuit eodem anno synodo Biterris habitæ, cujus epistolæ ad Philippum regem in gratiam archiepiscopi Narbonensis, contra ejusdem urbis vicecomitem IV. cal. Novembris subscripsit. Anno 1300. omnes incolas oppidi Tomeriensis a quatuordecim annis & ultra, indicta per præconem die, in sua, abbatumque successorum verba adegit, deficientesque ac rebelles bonis multavit. Contendit eodem anno pro immunitate abbatiæ cum Egidio Narbonensi archiepiscopo, qua de re stetit judicio Bonifacii papæ VIII. transegitque anno 1308. cum eodem archipræsule, ex chartis ecclesiæ Narbonensis. Anniversarium habet 18. Septembris *& fit processio in pavimento*; qua die ita legitur in necrologio: *Obiit D. Raimundus de Castris abbas istius loci, qui rexit hunc locum XXXIII. annis mensibus XI. diebus XII.*

XXVI. Petrus IV. Roger Raimundo successerat anno saltem 1311. quo Clemens papa V. ei ut quinque millia librarum argenti mutuo acciperet pro cœnobii utilitatibus permisit. Eodem anno cessione vel donatione Arnaldi de Roquecesieres & Guillelmi Jordani de Cornouailles, omnia jura & alia prædia clientelaria in territorio Salvitatis comparavit. An. 1317. nonnulla bona in loco de la Bastide beneficii jure possidenda concessit; quo tandem, ut diximus, anno, sede abbatiali in episcopalem versa, Petrus ex ultimo abbate primus evasit episcopus. Ceterum erecto episcopatu, non illico desiit monastica disciplina, imo vero integra perseveravit in capitulo cathedrali ad annum 1567. quo, prima die Octobris feria quarta, hæretici Calvinistæ a quibusdam civibus, qui monachis infensi erant, incitati, duce S. Amantii vicecomite, per portam ædibus episcopalibus contiguam irrumpentes cœnobium invaserunt, monachisque vita salva ad deditionem compulsis & ejectis, reliqua diripuerunt. Expilata videlicet omnis sacra supellex, conculcatæ sanctorum reliquiæ, sublata ex archivo instrumenta, monasterium solo æquatum, vastata basilica cathedralis amplitudine & arte stupenda, e quatuor campanilibus tria dejecta,

ac denique campanæ omnes impiorum præda fuerunt. Funditus quoque tunc temporis eversus suburbanus parthenon B. Magdalenæ, subductis tamen hostium furori monialibus, dominabus de sancto Pontio nuncupatis in testamento Beatricis de Alboreya vicecomitissæ Narbonæ condito 1377. hactenus remansit excisus. Sic autem destructo monachorum cœnobio, dilapsi sensim monachi ad mores canonicorum sæcularium, donandi quoque toga sæculari visi sunt; quod quidem rogatu episcopi & monachorum, necnon deprecante christianissimo rege Ludovico A XIII. indulsit Paulus V. summus pontifex bulla data 8. Junii anno 1612. quam promulgavit ad hoc delegatus officialis Narbonensis 22. Octob. anni 1616. Attamen haud prius exsecutioni demandata fuit, quam accessissent regiæ litteræ, visæ & approbatæ a senatibus Tolosano & Parisiensi; quæ non nisi die 5. Octobris anni 1629. impetratæ, Tolosani senatus placito in commentarios relatæ 16. Maii 1630. tandemque in tabulis publicis senatus Parisiensis perscriptæ fuerunt die 7. Septemb. anno 1661. Nunc episcoporum texendus catalogus.

EPISCOPI S. PONTII.

ANNI CHRISTI

I. PETRUS I.

ROGER.

EGente toparcharum Roserii, seu Mali montis juxta Tutelam in tractu Lemovicino ortus creditur Petrus Roger, forsanque patruus alterius Petri Rogerii, qui postea summus pontifex Clemens hujusce nominis sextus dictus est. Ex abbate ultimo S. Pontii primus ad episcopatum evectus anno secundo pontificatus Johannis XXII. papæ, die prima Julii 1318. promisit cameræ apostolicæ, eodemque anno feria sexta post festum S. Lucæ Evangelistæ spopondit obedientiam Bernardo archiep. Narbon. Sententiam ab arbitris latam pro partitione bonorum tam episcopalis mensæ quam capitularis ratam habuit 18. Dec. an. 1323.

1318.

1323.

II. RAIMUNDUS.

DE ROQUECORNE.

De Raimundo jam egimus in episcopis Sarlatensibus tom. 2. col. 1512. Inde traductus est a Johanne XXII. summo pontifice ad ecclesiam S. Pontii die 21. Novembris, non anno 1325. uti legitur in historia vulgata, sed 1324. hoc enim anno promisit cameræ apostolicæ die 24. Decembris. Cognominatur d'Arfont in historia prædicta, at sincerum ejus cognomen est *de Rocacornu* proprium gentis apud Aginnenses haud ignobilis. Controversia inter eum & capitulum mota pro divisione mensarum episcopalis & capitularis, pars utraque ad summum pontificem confugit, qui bulla data Avenione anno 1327. priorem ab arbitris sententiam latam, & a Petro antecessore probatam, irritam declaravit. Anno 1335. die 29. Oct. visitationis officium obivit in monasterio S. Aniani post missam solemniter inibi decantatam. Ecclesiam parœcialem sancti Martini de Jauro prius ab annuis vicariis monasterio subjectis administratam, primus in titulum erexit, ejusque rectorem fore deinceps perpetuum decrevit die 25. Maii 1336. Eodem anno Raimundus episcopus privilegiorum ordinis Cisterciensis perpetuus conservator a sede apostolica deputatus est, ex tabulario Calercii. Memoratur an. 1339. die 4. Septembris in charta 558. archivi regii Parisiensis regesto 72. Ejus temporibus orta controversia Hermengaudum inter ecclesiæ S. Pontii infirmarium & suburbani B. Mariæ Magdalenæ parthenonis antistitam pro A quibusdam juribus, secundum priorissam terminata est a Superano de Poilhes ad hoc a Raimundo episcopo deputato die 28. Junii anno 1344. Decessit anno sequenti. Notatum legitur ejus anniversarium in historia laudata ad diem 15. Sept. sed profecto ex conjectura potius, quam ex rei veritate, nempe ex affricto huic præsuli cognomento d'Arfont, ut diximus; sic enim habet necrologium S. Pontii, quod præ manibus est: *XVII. cal. Octobris*, seu 15. Septembris *obiit D. Arifons episcopus*, fortasse Carpentoratensis, uti supra ex Baluzio diximus in Agio Narbonensi archiepiscopo.

1324.

1327.

1335.

1336.

ANNI CHRISTI

1344.

1345.

III. STEPHANUS.

ALDEBRANDI, *al.* DE CAMBARUTIS.

Stephani mentionem fecimus tomo 1. in archiepiscopis Arelatensibus, ad quam ecclesiam e Tomeriensi transiit an. 1349. & inde ad Tolosanam 1350. ut evincit bulla Innocentii papæ VI. data septimo idus Januarii anno primo pontificatus, quæ edita est apud Waddinghum t. 4. pag. 27. regesti pontificii. Vide notas Baluzii ad vitas paparum Avenion. col. 988. Qua vero C Stephanus occasione tot ecclesiasticas dignitates, easque amplissimas nactus sit, narrat hoc fere modo Papirius Massonus in vita Clementis papæ VI. Stephanus Aldebrandi, sive, ut aliis placet, de Cambarutis, primum fuit monachus S. Illidii Claromontensis in Arvernia, ac prior Tureti, qui prioratus hactenus pendet ab Illidiano monasterio. Contingit autem, dum Stephanus apud Turetum commoraretur, Petrum Rogerii tunc Casæ Dei in Arvernia monachum, qui postea summum pontificatum sub Clementis VI. nomine adeptus est, e scholis Parisiensibus ad suos revertentem, a latronibus in via spoliatum, nudumque relictum, ad D ipsum divertere Stephanum, a quo perhumaniter exceptus, ac veste aliisque ad residuum viæ necessariis recreatus, cum discedens benigne hospitem interrogasset, ecquando acceptum beneficium referre potero? Respondit Aldebrandus, tunc cum eris papa. Hic autem reapse ad sancti Petri cathedram assumtus, obsequii memor, Stephanum ad se accitum abbatiæ primum Cellensi apud Tricasses in Campania præfecit, inde Cassinensis in Italia ecclesiæ constituit episcopum an. 1343. idibus Martii, ex tabulario Vaticani epist.

ANNI CHRISTI 1345. 1347.

92. quem post biennium traduxit ad Tomeriarum S. Pontii sedem per obitum Raimundi vacantem idibus Febr. an. 1345. Camerarii quoque officium ei contulit idem pontifex anno 1347. litteris datis III. (idus) Januarii pontificatus quinto, in quibus S. Pontii episcopus nominatur Stephanus. Exstant tom. 2. vitarum pap. Avenion. col. 677. Eodem anno memoratur episcopus sancti Pontii Tomeriensis & papæ camerarius in litteris Pastoris Ebredunensis archiepiscopi & Guillelmi episcopi Carnotensis, quas Baluzius se vidisse ait authenticas in archivo archiepiscopi Narbonensis. Eumdem sancti Pontii episcopum & camerarium anno 1348. die 7. Januarii recenset liber solutionum in archivo Vaticani. Fuit etiam Clementis papæ thesaurarius, cujus & ecclesiæ Romanæ nomine solvit Johannæ Neapolis reginæ & comitissæ Provinciæ 80000. florenos auri ob venditam civitatem Avenionensem cum suis omnibus juribus, de quibus antea cum eadem regina Guillelmus de Maleficco alter cameræ pontificiæ cubicularius transegerat, uti patet ex instrumento archivi Romani dato die 9. Junii anno 1348. apud Bzovium ad hunc annum §. 10. Stephani anniversarium notatur die 26. Martii in chartulario S. Pontii, ex historia vulgata, legimus tamen 25. Martii, sive VIII. calendas Aprilis in obituario ejusdem ecclesiæ, ubi cognominatur *Albani*, sed mendose, ut quidem existimamus.

IV. Gilbertus.

In omnibus hactenus catalogis desideratus Gilbertus primum innotescit ex litteris Clementis VI. quibus Stephano ad sedem Arelatensem translato Gilbertum S. Afrodisii Biterrensis abbatem ecclesiæ S. Pontii antistitem imposuit an. 1349. uti legitur in chartario Narbonensi, testante Martennio; imo jam anno 1348. promiserat servitia debita, ex libro solutionum Vaticani; sed annus secundum veterem calculum forsan intelligendus. Gilberto *seu* Guerberto & ceteris suffraganeis episcopis scripsit Petrus archiepiscopus Narbonensis se Carcassonensem episcopum in malitia perseverantem excommunicasse eodem anno 1349. ex tabulario Narbonensi. Memoratur adhuc hoc ipso anno Gilbertus S. Pontii episcopus in veteri documento Silvanesii. Vacasse videtur sedes anno 1351. quo litteræ Petri archiepiscopi præsules & capitula provinciæ invitantis ad synodum Biterrensem *prudentibus viris priori & capitulo S. Pontii* solummodo inscriptæ in collectione concil. Labbeana tom. XI. part. 2. col. 1920. de Gilberto episcopo omnino silent. Fortasse is est Guilabertus S. Pontii Tomeriensis memoratus in necrologio Sylvæ majoris IX. cal. Julii, abbas an episcopus tacetur.

1349.

V. Petrus II.

DE CANILHAC.

Gilberto successit non Petrus Arnaudi, ut apud Sammarthanos, sed Petrus de Canilhaco abbas Montis majoris, cujus in tabulis ad ecclesiam Tomeriensem assumtus dicitur ab Innocentio VI. anno pontificatus primo, qui est annus Christi 1353. Ex parentibus Guillelmo de Canilhaco & sorore Bertrandi de Deucio cardinalis fratres habuit Marquesium, Raimundum cardinalem, Pontium abbatem Anianensem & sororem Dalphinam. Ipse est procul dubio de quo in actis consistorialibus ad 12. Aprilis 1354. Cameræ apostolicæ solvisse dicitur 14. Decembris 1357. in libro solutionum. Transiit ad ecclesiam Magalonensem IV. cal. Februarii an. 1361. Anniversarium habet in sua ecclesia die 16. Novembris ex libro consuetudinum. De Petro jam diximus tom. 1. col. 613. ubi emenda quæ inibi de ejus episcopatibus inordinate diximus.

ANNI CHRISTI 1353. 1354.

VII. Johannes.

DE ROCHECHOUARD.

Petro episcopo S. Pontii ad ecclesiam Magalonensem translato, Innocentius papa VI. pontificatus anno nono IV. calend. Febr. Johannem Consoranensem episcopum ecclesiæ sancti Pontii præfecit, hoc est an. 1361. uti jam diximus in Consoranensibus episcopis, tacito tamen Johannis cognomine, forte tunc nobis ignoto; at cum aliunde constet Johannem de Rupecavardi e sede Tomeriensi ad metropolim primum Bituricensem, & postea Arelatensem, in qua decessit, fuisse traductum, nullus ambigendi locus superesse videtur, quin unus & idem sit, qui hisce quatuor successive præfuit ecclesiis. Verum in hoc errasse Sammarthanos putamus, mendosis forte commentariis deceptos, qui geminum Johannem in hac Tomeriensium antistitum serie inducunt, alterum ab altero male distinguentes, qui tamen unicus hactenus exstitit, & episcopatum Johannis de Rupecavardi in ecclesia S. Pontii differunt in annum 1410. qui in vivis esse desierat jam an. 1398. feria IV. post Dominicam qua cantatur *Reminiscere*, 26. Febr. hoc est 1399. cum tunc esset archiepiscopus Arelatensis. Nunc ipsius gesta in cathedra S. Pontii percurramus.

Prob. hist. card. Franc. p. 504.

Nobilissima æque ac antiquissima Rupecavardorum gente Johannes satus, germanus fuit Ludovici I. vicecomitis Rupecavardi, qui pro rege Angliæ præfecturam obtinuit in pagis Lemovicino, Bituricensi & Petragorico, amboque patre geniti erant Johanne I. vicecomite, in prælio Pictaviensi cæso, ex Johanna de Soliaco, secundum Sammarthanos, quibus consentit historia ecclesiæ sancti Pontii typis edita, quanquam nos ipsum ex stirpe quidem vicecomitum Rupecavardi, sed per lineam dominorum de Charost in Biturigibus prognatum diximus in archiepiscopis Bituricensibus t. 2. Ut ut est, sedem S. Pontii obtinebat 18. Maii anno 1362. uti constat ex actis capituli generalis S. Pontii hoc anno celebrati, in quo facta est permutatio prioratus de Lavineria, quem tunc habebat Bernardus de Moleriis pro prioratu S. Crispini unito mensæ episcopali. An. 1368. mense Maio procuratorem misit ad synodum Vaurensem ex tribus provinciis congregatam. Obtinuit eodem anno rescriptum ab Urbano V. contra abusus & usurpationes Narbonensis archiepiscopi, cujus executor fuit Raimundus episcopus Castrensis, ex archivo Montis olivi. Interfuit an. 1374. mense Aprili concilio

1362. *Ch. XV. col. 91.* 1368. 1374.

ANNI CHRISTI

Narbonensi, quod editum est tom. XI. concil. part. 2. in appendice col. 2498. Ex pluribus autem actis eo sedente scriptis liquet eum in ecclesia sua assidue versatum fuisse, gregisque sui custodiæ diligenter invigilasse. Recepit a principe Walliæ terram de Tauniaco super Carentonum olim a Ludovico fratre oppigneratam. Præfuit ad annum 1381. quo ad Bituricensem metropolim ascendere visus est, quando scilicet Bertrandus de Chanaco *vel* de Cosnaco factus est patriarcha Jerosolymitanus; sed cum iste nihilominus Bituricensem cathedram retinuerit, haud prius eam assecutus est Johannes quam an. 1386. aut etiam biennio serius, quippe qui Johannes episcopus sancti Pontii Tomeriensis nuncupatus, electus Bituricensis archiepiscopus dicitur die 2. Junii 1388. in libro apocharum Clementis VI. Ceterum duplex anniversarium fundavit in ecclesia S. Pontii, diebus scilicet 2. Augusti & 7. Decembris, ad hoc idoneis proventibus assignatis, ex historia vulgata. Sic autem necrologium domesticum habet: *III. idus Augusti, & VII. cal. Januarii obiit D. Johan. de Rupecavardi episcopus istius ecclesiæ.* Cardinalem eum exhibet historia genealogica & chronologica magnatum Franciæ t. 4. pag. 652. quo fundamento viderint auctores.

1381.

VIII. DOMINICUS.

DE FLORENCE

Massiliensis patria Dominicus, & quidem ex nobili Florentiorum familia ortus, secundum quosdam scriptores, quæ adhuc in urbe Massilia perseverare dicitur, S. Dominici institutum amplexus est in conventu S. Maximini in Provincia. Successu temporis in provincialem sui ordinis assumtus, Clementi papæ VII. seu Roberto de Gebenna, qui in Gallia & alibi pro legitimo pontifice semper est habitus, fuit a confessionibus, quod ei munus ad ecclesiæ dignitates viam fecit. Nam Albienses primum gessit infulas, & inde ad S. Pontii regendam sedem evocatus fuit anno 1382. inquiunt Sammarthani, & historia vulgata, melius 1381. quo jam anno, die 24. Julii servitia debita promisit, ex regestis Vaticani. Cum autem doctrina, pietate & facundia plurimum polleret, legatione pro eodem pontifice ad regem Castellæ functus, hunc ab excommunicatione in quam incurrerat, absolvit, pacisque inter eumdem ac regem Franciæ conciliator fuit die 27. Maii an. 1391. Ad Albiensem cathedram iterum regressus est anno sequenti, quo 9. die Novembris cameræ apostolicæ promisit. Demum ad archiepiscopatum Tolosanum evectus fuit, ubi de illo fusius agemus. Interim de eo sic habetur in necrologio S. Pontii: *VIII. idus Augusti officium pro anima Dominici episcopi Albiensis.*

IX. AIMO I.

1393.

Dominico ad priorem sponsam Albiensem ecclesiam revocato suffectus est 18. Martii 1393. perpetuus administrator ecclesiæ Tomeriensis Aimo, patriarchæ Jerosolymitani titulo insignitus. Et certe in cœtu cleri Gallicani Parisiis congregato an. 1394. regnante Carolo VI. ad tractandum de via unionis, & exstinctione schismatis, aderat Aimo antistes sancti Pontii & patriarcha Jerosolymitanus, secundasque obtinuit partes post Simonem de Cramaud patriarcham Alexandrinum, necnon ecclesiæ Carcassonensis tunc administratorem, qui præfuit huic conventui. Sedit inde usque ad annum 1397. quo translatus ad ecclesiam Tarentasiensem die 20. *aut* 26. Septembris successorem in ecclesia S. Pontii sortitus est Petrum Ravatium, qui sequitur. De Aimone sic habet necrologium S. Pontii: *V. cal. Octob. obitus D. Aymonis patriarchæ Jerosolymitani.*

Porro sedulo discernendus hic Aimo ab altero Aimone, seu potius Avinione, cognomento Nicolai, cum quo vulgo confunditur; nam & iste aliquandiu obtinuit sedem Tomeriensem, ut infra dicemus, unde postmodum ad archiepiscopatum Aquisextiensem promotus est. Hîc ergo momenta expendere juvat, quibus alterum ab altero secernere suademur. 1.° Aimo & Ammo, *seu* Avinio (nam diversimode nomen ejus legitur) Nicolai cognominatus, nonnisi post exstinctum schisma ad Tomeriensem accessit cathedram, huc traductus a Martino papa V. ex Oscensi in Aragonia episcopatu, quem post Senecensem adhuc obtinebat anno 1420. uti observavimus in episcopis Senecensibus tomo quarto. 2.° nullibi patriarchæ Jerosolymitani titulo decoratus legitur. 3.° Denique defunctus est an. 1443. ut liquet ex ejus epitaphio tom. 3. col. 1258. & ex necrologio Aquisextiensis ecclesiæ t. 1. col. 327. cum e contrario hic de quo nunc sermo Tarentasiensis simul & patriarcha Jerosolymitanus rebus humanis excessisset ante annum 1409. quo Hugo de Robertis tunc patriarcha Jerosolymitanus subscripsit actis Pisani concilii.

X. PETRUS IV.

DE RABAT.

Petrus Ravatius *seu* Rabatius, sed perperam Rabanus a nonnullis appellatus, ecclesiæ S. Pontii præficitur episcopus 2. Maii an. 1398. inquiunt Sammarthani & historia vulgata, melius tamen die 3. Dec. 1397. quo Petrus absque cognomine e Carpentoratensi ad hanc ecclesiam translatus legitur in regesto Benedicti XIII. *seu* Petri de Luna, ubi & additur eum successisse Johanni cardinali Vivariensi, qui fortasse a mensis Septembris die 20. aut 26. quo Aimo ad ecclesiam Tarentasiensem traductus est, hunc episcopatum habuit in commendam usque ad 3. Decembris ejusdem anni 1397. Sane Petrus e Matisconensi cathedra ad Tomeriensem translatus die 2. Apr. 1398. in eodem regesto legitur, sed hæc translatio non habuit locum, Petrus enim diu postea remansit in sede Matisconensi; noster vero Petrus die 2. Maii an. 1398. promisisse legitur in eodem regesto, & recognovisse pro Aimone decessore suo, & pro Dominico. Itaque Petrus Ravatius antea ordinis S. Francisci alumnus, fuit inde præsul Electensis, dein Carpentoratensis, ac tum demum S. Pontii Tomeriarum, favore Benedicti XIII. cujus deinde partium studiosissimus fuit; nam cum per id tempus horrendo schismate universalis ecclesia dire vexaretur, & ideo neutri de papatu contendentium parere amplius

1397.

1398.

ANNI CHRISTI

an. 1398. clerus Gallicanus decrevisset, donec pontifex omnibus acceptus crearetur, scripsit epistolam ad Benedictum die 7. Martii, quæ sic incipit ex codice 813. bibliothecæ Colbert. *Sanctissime pater, die 2. hujus mensis dominus Penestrinus in S. Paulo* coram rege & dominis ducibus proposuit ex parte collegii viam concilii.* Quinetiam ipsemet coram rege Carolo VI. iniquam esse ac schismaticam obedientiæ detrectationem, obsequiumque sicut antea Benedicto pontifici præstandum pro virili parte contendit anno 1402. adstantibus legatis Aragoniæ regis & Universitatis Tolosanæ deputatis, qui in eumdem finem venerant. Hujusce beneficii memor & gratus Petrus de Luna eumdem sancti Pontii antistitem ad archiepiscopatum Tolosanum circa idem tempus transtulit, rescissa Vitalis de Castro Maurono* electione canonica; quin & nuncios ad urbem Tolosam destinavit, ut Petrus in dominii temporalis hujus ecclesiæ possessionem immitteretur. Verum id effectu caruit, ut in archiepiscopis Tolosanis videbitur. Interea legatione fungitur pro eodem Petro de Luna an. 1404. una cum Petro Zagarriga Ilerdensis ecclesiæ electo præsule ad Bonifacium IX. Romæ sedentem, ut dies & locus utrique parti gratus indiceretur, quo utrobique tutus esset aditus ad tractandum de pace & unitate ecclesiæ. Vide hac de re epistolam Benedicti papæ XIII. ad archiepiscopum Lugdunensem, & aliam ejusdem ad Carolum VI. Francorum regem, tom. VII. veterum script. Martennii col. 686. Anno 1408. die Sabb. 22. Sept. fuit unus ex his quinque, quos Petrus de Luna purpura donavit in quinta creatione Perpiniani facta, quo, desertus a suis cardinalibus, secesserat; quanquam de ista dignitate omnino siletur in concilio Parisiis habito, ubi 20. Octobris ejusdem anni conscius & fautor Petri de Luna schismatici & hæretici declaratus, e sede sua pulsus fuit. Mortuum Catellus tradit in concilio Pisano an. 1409.

* Hoc est in domo regia Parisiensi, quæ S. Pauli dicebatur.

* de Castelnau, *ex hist. ecclesiast. D. Fleury*, de Castelmaur, *ex annalibus urbis Tolosæ.*

Tom. 6. Spicil. pag. 163.

1402. 1404. 1408.

XI. Gaufridus *seu* Godefridus.

DE POMPADOUR.

Submoto ab episcopatu sancti Pontii Petro de Rabat, uti mox diximus, hujus ecclesiæ capitulum, jussu regis Caroli VI. ad alterius præsulis electionem processit die 16. Februarii an. 1409. inquit historicus ecclesiæ S. Pontii; tuneque pluribus eligentium votis in pontificem postulatus est Gaufridus de Pompadour senator Parisiensis a mense Augusto anni 1400. ad ultimum Decembris 1408. filius Ranulfi Heliæ, secundi hujus nominis, domini de Pompadour & Constantiæ a Marchia secundæ Ranulfi Heliæ conjugis. Nonnulli quidem ejus electioni intercessere, at nullam hujus intercessionis rationem habuit vicarius generalis Francisci archiepiscopi Narbon. ad hoc specialiter delegatus litteris ejusdem Francisci datis apud Villam novam secus Avenionem 25. Februarii ejusdem anni. Enimvero Gaufridi confirmavit electionem 15. Martii insequentis, sicque Gaufridus die 9. Junii 1409. sacram percepit unctionem a Petro Vasatensi episcopo Francisci archiepiscopi vices agente, cui adstiterunt B. Biterrensis & P. Vaurensis præsules; quanquam non nisi 12. Februarii anno 1410. factus legitur episcopus in regesto Alexandri papæ V. quia fortasse interim hujus electionis contradictores ad summum pontificem appellaverant, qui tunc ratam habuit electionem. Antequam vero adeptus esset episcopatum, legatus una cum aliis nonnullis missus fuerat a rege & ab ecclesia Gallicana an. 1406. ad Benedictum XIII. Avenione sedentem, & ad Gregorium XII. Romæ commorantem de papatu inter se contendentes. Adhuc erat episcopus S. Pontii 18. Junii an. 1415. quo ad regem Castellæ delegatus est. Transfertur autem ad ecclesiam Carcassonensem an. 1420. XII. calendas Novembris, ex regesto Martini V. in quo etiam Paulus iisdem die & anno e Massiliensi ad Tomeriensem ecclesiam translatus legitur, at hæc ultima translatio suum nequaquam sortita est effectum, ut legenti quæ de Paulo in Massiliensibus episcopis tomo primo diximus, patebit.

1409. 1410. 1415. 1420.

XII. Ammo & Aimo II. *seu* Avinio.

NICOLAI.

Prius nomen fert epitaphium hujus præsulis tumulo inscriptum in sacello sancti Mitrii pone majus altare basilicæ metropolitanæ Aquisextiensis; secundum frequentius habetur; tertium vero Baluzius præfert; & quidem distincte legitur in bulla quadam Eugenii papæ IV. quam vidit Edmundus Martenne in tabulario Narbonensi. Ordinis S. Dominici alumnus ex Oscensi in Aragonia sede post Senecensem, huic Tomeriensi præfectus est ecclesiæ a Martino V. post exstinctum schisma pridie idus Martii 1421. ex regesto ejusdem pontificis, eamque rexit ecclesiam usque ad annum 1422. pridie idus Junii, quo ad Aquensem archiepiscopatum translatus est ab eodem summo pontifice, ex regesto memorato. Ammo vero *seu* Avinio minime, ut irrepsit in episcopis Senecensibus, obiit in pastorali munere, sed longe antea illud abdicaverat, ut in Aquisextiensibus tom. 1. diximus.

1421. 1422.

XIII. Guillelmus.

PHILASTRE.

Ammoni Guillelmus cardinalis tituli S. Marci subrogatus est a Martino V. summo pontifice; qui ei ecclesiam S. Pontii perpetuo administrandam commisit. Præerat jam anno 1423. ut liquet ex instrumento, quod a Petro de Gleyses urbis Tomeriensis tabellione eodem anno scriptum est. Fuit autem Guillelmus primum decanus ecclesiæ Remensis, germanumque habuit Stephanum Philasterium, quem Ludovicus III. Provinciæ comes Cenomanensis tractus gubernatorem constituit. Mathematicæ & utriusque juris peritissimus, Remis docuit pluribus annis, ubi & bibliothecam ad usum canonicorum numerosissimam instruxit. Anno 1406. cum adhuc esset decanus Remensis, inter alios delectus est, qui pro causa Benedicti XIII. *seu* Petri de Luna, cui tunc obedientia a clero Gallicano negata fuerat, diceret; sed cum inter orandum acrius in regiam auctoritatem & contra libertates ecclesiæ Gallicanæ inveheretur, silere

1423.

ANNI CHRISTI

jussus est a regni cancellario; severiusque cum illo actum esset, nisi regis exorasset clementiam, & quæ dixerat procacius benigna interpretatione temperasset. Subinde a Johanne papa XXIII. inter purpuratos patres adscitus, adfuit concilio Constantiensi an. 1414. quo tempore libellum scripsit omnium calculo probatum, adeo ut totum concilium in suam pertraxerit sententiam. Suffragium postea tulit in electione Martini V. a quo legatus in Franciam renunciatus est & postmodum huic ecclesiæ præfectus. Quædam adhuc supersunt in tabulario S. Pontii monumenta, tametsi Romæ plerumque degebat, quibus nonnulla ipsius nomine hac in ecclesia collata sunt officia, & prædia in beneficium clientelare concessa an. 1425. 14. Julii, 7. & 25. Octobris. Romæ tandem e vivis excessit an. 1428. etiam prior S. Eulaliæ juxta Biterras.

1425. 1428.

XIV. Vitalis.

DE MAULEON.

E Ruthenensi cathedra Vitalis de Maloleone ad sedem S. Pontii Guillelmi cardinalis obitu vacuam translatus est sub titulo perpetui administratoris, & Alexandrini patriarchæ a Martino V. litteris Romæ apud SS. apostolos datis III. nonas Decembris pontificatus anno XII. ex Baluzio in notis mss. ad veterem Galliam Christ. hoc est 1428. Neque vero contra hujus translationis annum pugnat instrumentum anni 1430. 19. Octobris, quo Guillelmus episcopus Ruthenensis consensit ad petitionem comitissæ d'Armagnac & Bernardi d'Armagnac ejus filii, ut ecclesia S. Martini de Bolhac uniretur collegio presbyterorum B. Mariæ Auriliacensis dioecesis S. Flori, secundum bullam Martini V. ubi legitur (quod ad rem nostram facit) Vitalem patriarcham Alexandrinum, administratorem episcopatus S. Pontii Tomeriarum & episcopum Ruthenensem consensum huic unioni denegasse; hæc enim denegatio consensus facta est procul dubio antequam Guillelmus in sede Ruthenensi Vitali subrogatus esset; qui Vitalis aliunde poterat adhuc habere se episcopum Ruthenensem, cum tunc & ultra inter Guillelmum, cui Vitalis transcripserat hunc episcopatum, & inter electum a capitulo Petrum de Stagno concertatio esset. Ceterum an. 1429. 10. Januarii perpetui S. Pontii administratoris & Alexandrini patriarchæ titulis decoratus reperitur in regesto Martini V. Eodem anno in urbem Tomeriensem solemniter invectus, testamentum decessoris exsecutioni demandavit ex regesto hujus anni Petri de Gleyses apud S. Pontium tabellionis fol. 168. Exstant insuper in tabulario episcopatus & capituli tria hoc episcopo sedente instrumenta an. 1432. exarata. Rexit inde ad annum 1435. quo circiter e vita migravit.

1428. 1432. 1435.

XV. Gerardus.

DE LA BRICONIE.

Primum fuit Gerardus de la Briconie abbas sancti Afrodisii Biterrensis, ubi Charracii seu de Briconia cognomen habet apud Sammarthanos t. 4. tum episcopus Appamiensis, & inde Tomeriensis, ad quam ecclesiam, Vitale defuncto, translatus ab Eugenio papa IV. XVI.* cal. Maii anno 1435. ex libro provisionum Eugenii IV. confirmatur anno 1437. precibus episcoporum provinciæ Narbonensis, a concilio Basileensi adversus Aimarum electum a capitulo, cujus electionem synodus irritam declaravit. Appamiensis autem ecclesiæ ad annum 1436. retinuisse præfecturam liquet ex duobus hujus anni instrumentis in veteri Gallia Christiana t. 2. relatis. Nobili prognatum genere probat superius memorata provinciæ Narbonensis epistola prælatorum ad concilium Basileense, idque ex multis evincitur documentis, ait historicus S. Pontii, qui & eum anno 1436. pro synodo Basileensi legatione functum asserit cum pluribus aliis ad regem Franciæ Carolum VII. oblatis eidem concilii decretis, ex quibus pragmatica sanctio condita est in conventu Bituricensi. Sub hoc episcopo, ac forte ipso satagente sacellum S. Ascisch & sanctæ Victoriæ extra muros Perpinianenses restitutum est sacristiæ capitulari S. Pontii, cui dudum collatum fuerat, facta inter partes in eadem synodo Basileensi transactione 18. Julii an. 1439. Plurima exstant in tabulario episcopatus & capituli documenta ab hoc anno ad 1460. ex quibus hunc præsulem assiduum in sua dioecesi fuisse colligitur. Anno 1445. die 22. Dec. Guillelmo Salamonis monacho S. Pontii expresse professo contulit prioratum sancti Petri Veteris in urbe Oscensi in Aragonia, ab ecclesia sua pendentem, ac paulo post, nempe 17. Januarii subsequentis ad ejusdem loci vicariatum perpetuum nominavit. Quadraginta dierum indulgentiam an. 1447. die 4. Augusti iis omnibus concessit, qui altare sancti Rochi in ecclesia parochiali S. Martini de Jauro erectum quotannis die 16. Augusti huic sancto sacra ipsius opem imploraturi visitarent. Prioratus de Cauna ab eodem præsule collatus memoratur an. 1452. 4. April. necnon vicariatus Olargii perpetuus 17. Maii ejusdem anni. Nepotem habuit Johannem de Longroy, cui rex viginti libras persolvendas pro ipsius officiis in Occitania præstitis mandavit 18. Junii 1456. Pius papa II. Gerardo episcopo deprecante donationes omnes ac privilegia ecclesiæ S. Pontii dudum concessa & in diplomate Lucii III. Romani pontificis recensita confirmavit bulla data decimo calendas Decembris an. 1459. pontificatus secundo. Adhuc præerat Gerardus anno 1463. ut patet ex actis nonnullis ab Antonio de la Caze tabellione S. Pontii exceptis. Sic autem legitur in necrologio domestico: *VII. cal. Novembris obiit domina mater domini Gerardi de Briconio quondam episcopi hujus ecclesiæ.*

*al. XI. cal.

ANNI CHRISTI

Tom. 8. vet. script. col. 774.

1435. 1439. 1445. 1447. 1452. 1459.

Ch. XIII. col. 87.

XVI. Petrus V.

DE COMBORN.

Antiquissima juxta & nobilissima apud Lemovices gente Petrus de Combornio satus, Obasinensis abbatiæ perpetuus administrator & episcopus Ebroicensis, translatus ab hac sede an. 1463. ad sanctum Pontium Tomeriensem ex actis capituli Ebroicensis, eodem anno 18. Julii duos in ecclesia Ebroicensi vicarios generales instituit, quorum alter eo nomine præbendam contulit Petro de Serres mense Decembri. At vero Petrus

ANNI CHRISTI

ecclesiæ Tomeriensis pacificam haud statim adeptus fuisse videtur possessionem, æmulis obstantibus, a capitulo, ut par est credere, electis; Raimundo scilicet, quem episcopum sancti Pontii defunctum Februario mense anni 1464. legimus in regesto cameræ computorum Parisiensis, & Johanne, per cujus obitum Petrus tandem ex administratore Ebroicensis ecclesiæ electus Tomeriensis episcopus dicitur an. 1465. confirmatusque anno secundo Pauli II. papæ decimo tertio calendas Junii, hoc est 1466. Et certe in regesto Antonii de la Caze sancti Pontii tabellionis acta quædam duos ecclesiæ S. Pontii monachos vicariorum generalium, sede vacante, an. 1465. munia obeuntes memorant; sed mox in aliis ejusdem anni publicis actis dicitur Petrus episcopus S. Pontii; qui quidem in tabulis Corbierii apud S. Pontium tabellionis anno 1466. expresse nuncupatur *Petrus de Combornis,* de genere procul dubio vicecomitum hujus nominis in tractu Lemovicino, quæ gens in familiam Pompadoriam per connubium Elisabethæ, ultimæ hujus vicecomitatus heredis transiit. Demum hoc anno defunctus legitur Petrus de Combornio, in historia vulgata hujus ecclesiæ.

1465. 1466.

XVII. ANTONIUS I.

BALUE.

Patre molitore Virdunensi Antonius, sive, ut aliis placet, sartore Pictaviensi genitus, fratri Johanni postea cardinali, Andegavensi dicto, in Ebroicensi cathedra succedere visus est, quando ab hac Johannes ad Andegavensem fuit traductus, sed antequam Antonius hujus ecclesiæ, in qua jam an. 1464. dono Ludovici XI. regaliæ jure canonicatum obtinuerat, possessionem adeptus esset, Tomeriensi per obitum Petri præfectus est III. cal. Novembris anno 1467. *al.* XIII. cal. Novembris anno quarto Pauli II. papæ, favore proculdubio fratris, qui tum apud regem Ludovicum XI. summa pollebat auctoritate. Memoratur A. S. Pontii episcopus die Mercurii 8. Januarii an. 1471. seu potius 1472. Fuit etiam prior S. Nicolai de Culturis in diœcesi Pictaviensi & archipresbyteratu de Bouin, qui prioratus a Salmuriensi S. Florentii abbatia pendet, quo titulo concordiam fecit an. 1477. 21. Julii cum Johanne Raimundi parocho sancti Petri de Longré, ubi seipse fratrem Antonium S. Pontii præsulem nuncupat, quod innuit eum ante adeptum episcopatum religionis monasticæ votis obstrictum fuisse. In tabulis Andegavensis ecclesiæ dicitur die Mercurii 7. Augusti anno 1482. exhibuisse capitulo ejusdem ecclesiæ bullas Sixti papæ IV. a fratre cardinali Ludovico regi tunc odiosissimo, Andegavensis ecclesiæ aliorumque beneficiorum administrationem auferentis. Anno 1491. die 9. Julii pepigit cum suo capitulo, cui spolia monachorum defunctorum ad se pertinentia cessit, vicissim a monachis, victus & vestitus quatuor ex illis suppeditandi onere absolutus. In historia vulgata hujus ecclesiæ migrasse dicitur e vita an. 1493. 1. Decembris, qua die, inquit, ejus anniversarium consignatur: sic tamen habetur in necrologio domestico :

1467. 1472. 1477. 1482. 1491.

A *Pridie idus Novembris obiit dominus Antonius Bellua quondam sancti Pontii Tomeriarum episcopus, & pulsantur omnia cymbala.*

Cum itaque dubitandi sit locus de die obitus Antonii, erit fortasse qui etiam dubitet de anno: sicque tota ruet conjectura de duplici Antonio ab auctore hujus historiæ admisso. Hanc subjicimus oculis.

In hoc antistite (de suo altero Antonio loquitur) *erratum est,* inquit, *hactenus a scriptoribus, qui quod nomen cum decessore habuit commune, alium ab alio non distinxerunt, sive hunc omiserunt. Sane in tabulis publicis Berengarii de la* B *Caze ab eo discernitur tempore & nomine a die 14. Januarii 1494. quo dicitur episcopus sancti Pontii, & cognominatur Gaudet.* Hoc unum est auctoris fundamentum, ut alterum Antonium pro unico hactenus admisso superinducat. Id nullo subvertimus labore; falso consignavit obitum Antonii Balue an. 1493. ex hoc errore in alium impegit. Hoc utrumque demonstramus. Franciscus Guillelmi de Clermont, qui sequitur, electus per cessionem Antonii Balue legitur in regesto Alexandri papæ VI. ac proinde unus & idem censendus est Antonius, cui ex imperitia lectoris affictum est cognomen *Gaudet.* Et certe Anto- C nium Balue vixisse ad annum saltem 1503. invicte probant ipsius litteræ ex tabulario SS. Trinitatis Vindocinensis, arcula *provisiones & bullæ,* erutæ, in hæc verba: *Noverint... nos Antonius Balue episcopus sancti Pontii, de licentia domni Roberti Turonensis archiepiscopi, 1. Junii 1503. in capella B. Thomæ archiepiscopi & martyris, in parochia B. Martini de Bossayo ejusdem Turonensis diœcesis, dilecto nobis in Christo Antonio de Cravans nobili parochiano dicti S. Martini de Bossayo in ætate legitima constituto tonsuram contulimus clericalem.* Itaque hic ipse est Antonius, qui an. 1498. 25. Januarii litem cum capitulo D ita composuit, ut se ad resarciendam ecclesiam cathedralem pro tertia proventuum suorum parte obstrinxerit. Idem anno 1500. prioratus d'Escosse in Appamiensi diœcesi, & S. Magdalenæ de Octaviano in Biterrensi a sua pendentes ecclesia contulit. Insequenti abdicavit, annum saltem, ut diximus, 1503. assecutus, sed quandiu postea vixerit, ignoramus.

1498. 1500.

XVIII. FRANCISCUS GUILLELMUS *seu* GUILLELMI.

DE CASTELNAU CLERMONT LODEVE.

De Francisci nobilissimo genere ac parentibus jam diximus in Auscienisibus archiepiscopis t. 1. E & in Narbonensibus hoc tomo sexto, & adhuc alibi sermo recurret, pluribus enim sacerdotiis, iisque opulentis potitus est. Major autem erat archidiaconus Narbonensis, cum ad episcopatum S. Pontii cessione Antonii Balue vacantem promotus est anno 1501. XIV. cal. Decembris, *al.* XVII. Novembris, *seu* XV. cal. Decembris ætatis suæ anno 21. Transiit ad Narbonensem metropolim electus tantummodo S. Pontii Tomeriensis an. 1502. vi postulationis seu electionis capituli metropolitani, quam eodem anno idibus Julii ratam habuit Alexander papa VI. pontificatus

ANNI CHRISTI

anno decimo, qui Franciſcum regi Ludovico XII. A commendavit, eidemque omnia, quæ jam tunc in commendam obtinebat beneficia poſſidere permiſit, ex tabulis capituli Narbonenſis.

XIX. FRANCISCUS.

DE LUXEMBOURG.

Franciſcus filius Jacobi de Luxemburgo domini de Fiennes Aurei velleris equitis ex Maria Barlemontia, ac Philippi cardinalis epiſcopi Cenomanenſis nepos, ex canonico Cenomanenſi & protonotario apoſtolico, poſtulante rege Ludovico XII. eligitur in epiſcopum S. Pontii Tomerienſis, viginti tantum annos natus, & in ſubdiaconatus ordine conſtitutus. Romæ confir- B matur ab Alexandro papa VI. bulla data anno 1502. pontificatus undecimo, die 5. Octobris, ex hiſtoria vulgata, die vero 16. Novembris ex regeſto ejuſdem pontificis; quam bullam rex litteris datis apud Lochias 5. Decembris ejuſdem anni, ſenatui Toloſano, ſeneſcallo Carcaſſonenſi, & quibuſcumque magiſtratibus præcepit ut in commentarios referrent. Die 22. Decembris ejuſdem anni in poſſeſſionem miſſus per procuratorem, 1. Aprilis inſequentis regi fidem & obſequium juravit pro bonis hujus eccleſiæ temporalibus ex regio Carcaſſonenſi tabulario. Sua huic præſuli carmina nuncupavit Michael An- C glicus Francus an. 1505. Ex regeſto proviſionum Julii II. papæ migravit Franciſcus ad Cenomanenſem cathedram die 27. Januarii anno 1507. per ceſſionem patrui cardinalis, quem in Italiam proficiſcentem ſecutus eſt. Vix Romam advenerat, cum morbo correptus ibidem efflavit animam die 9. Septembris an. 1509. utraque cathedra eidem Philippo patruo in manibus ſummi pontificis tranſcripta.

1509.

XX PHILIPPUS.

DE LUXEMBOURG.

Franciſci nepotis reſignatione utrumque Philippus cardinalis obtinuit epiſcopatum, & Ce- D nomanenſem quidem iterum via regreſſus, Tomerienſem vero bulla Julii papæ II. data Romæ 8. Septemb. 1509. Hujus eccleſiæ poſſeſſionem adiit per procuratorem Johannem des Hayes preſbyterum canonicum & decanum ſancti Petri Cenomanenſis die 26. Octobris ejuſdem anni. Præfuit ad annum 1511. ut fidem faciunt acta diœceſanæ ſynodi eo ſedente habitæ menſe Maio ejuſdem anni, & officii eleemoſynariæ collatio facta 10. Septembris inſequentis, ex hiſtoria vulgata; ſed fortaſſe id ultimum adſcribendum ſucceſſori, qui jam a duobus menſibus ex ceſſione Philippi epiſcopatum obtinebat. Ceterum acta E quædam in tabulario epiſcopatus ſuperſunt, quibus liquet Raimundum de Theſan hujus eccleſiæ monachum adſtante capitulo poſt veſperas 9. Martii anno 1514. denunciatum fuiſſe excommunicatum, pro ſumma quindecim millium librarum, quam ab ipſo repetebat hic cardinalis tunc epiſcopus Tuſculanus, cujus ac deceſſoris Franciſci in ſede ſancti Pontii fuerat olim vicarius generalis in ſpiritualibus, ac in temporalibus œconomus.

1509.

1511.

XXI. FRANCISCUS GUILLELMUS vel GUILLELMI *ſecundùm*.

ANNI CHRISTI

DE CASTELNAU CLERMONT LODEVE.

Idem qui ſupra Franciſcus Guillelmus *vel* Guillelmi, tunc cardinalis tituli S. Stephani in Cœlio monte, & archiepiſcopus Auſcienſis, unde vulgo dictus cardinalis Auxitanus, & antea Narbonenſis præſul, S. Pontii eccleſiam iterum ſuſcepit regendam, cedente Philippo cardinali Luxemburgio 9. Julii 1511. ex regeſto Julii II. papæ, eamque gubernavit uſque ad annum 1514. quo rurſus illam dimiſit in gratiam ſequentis. Dum autem præfuit, urbis mœnia reſtaurari curavit, ut conſtat ex inſtrumento tabellionatus Bertrandi de la Caze die 3. Febr. an. 1513.

1511.

1514.

XXII. ALEXANDER.

FARNESE.

Nobilis Romanus Alexander Farneſius jam inter purpuratos patres adſcitus diaconus cardinalis tituli S. Euſtachii ab Alexandro papa VI. anno 1493. ceſſione cardinalis de Clermont S. Pontii epiſcopatu donatus fuit a Leone papa X. bulla data die 27. Aug. an. 1514. pontificatus ſecundo, poſſeſſionem adeptus per procuratorem Johannem Arnuci Alexandriæ decanum & pontificium auditorem, quem & conſtituit vicarium generalem litteris, in quibus ſeipſe epiſcopum ac dominum S. Pontii appellat, necnon priorem commendatarium prioratuum S. Petri de Venerque & B. Mariæ de Maravals in diœceſi Toloſana. Anno 1518. Leo X. papa ei Nicolaum Melchioris Dominicanum, epiſcopum Cyrenenſem deſtinavit, quo ad obeunda munia epiſcopalia ſuffraganeo uteretur. Præfuit ad annum 1534. quo ad ſummi pontificatus apicem aſſumtus eſt Paulus III. appellatus. Prioris autem ſponſæ haud immemor, munificum ſe erga illam ſtatim exhibuit, jubilæo ad ſeptem annos omnibus indulto, qui vere contriti & confeſſi eccleſiam S. Pontii viſitarent in Dominica Paſſionis D. N. J. C. vel in feſto Aſſumtionis B. Mariæ Virg. & de bonis ſuis aliquid conferrent ad perficiendum opus baſilicæ cathedralis ab anteceſſoribus inchoatum, & a ſe magnis ſumtibus ſuæ adminiſtrationis tempore continuatum. Ab hoc autem pontifice Parmæ & Placentiæ duces ac principes in Italia nuper exſtincti originem traxerant & ſplendorem.

1514.

1534.

XXIII. MARINUS.

GRIMANI.

Sublimato ad S. Petri cathedram Alexandro, Marinus Grimani cardinalis S. Vitalis deſignatur epiſcopus S. Pontii Tomeriarum die 13. Novembris anno 1534. ex regeſto Vaticani, ſed hanc non diu tenuit eccleſiam, cujus ne quidem accepiſſe poſſeſſionem videtur; nam

1534.

XXIV. FRANCISCUS GUILLELMUS vel GUILLELMI *tertiùm*.

DE CASTELNAU CLERMONT LODEVE.

Tertium ad hanc epiſcopalem cathedram ceſſione cardinalis Grimani acceſſit Franciſcus Guillelmus, *ſeu* Guillelmi cardinalis, archiepiſcopus Auxitanus & Agathenſis antiſtes, necnon legatus Avenionenſis, annuente Paulo III. ſummo pontifice die 20. Novembris an. 1534. Inſequenti 1535.

1534.

ANNI CHRISTI 1535. 1535. Gerardus de Corneillan abbas S. Tiberii in diœcesi Agathensi, necnon ecclesiæ S. Pontii magnus prior & vicarius generalis, jussu ejusdem cardinalis diœcesanam synodum coëgit mense Maio. Decessit Avenione Franciscus sacri collegii decanus anno 1540. 2. Martii, quo die anniversarium ejus in ecclesia S. Pontii recolitur, ubi fundavit missam privatam singulis hebdomadæ diebus initio matutini officii dicendam. Jam 1539. anno superiori hunc episcopatum tertia vice abdicaverat.

XXV. JACOBUS.

DE CASTELNAU CLERMONT LODEVE. Ex illustrissima juxta ac nobilissima gente dominorum Castrinovi & Clarimontis de Leuteva ortus Jacobus, parentes habuit Petrum dominum Clarimontis locum regis tenentem in Occitania, & Margaretam de Turre, quorum ipse fuit primogenitus, Guidonis vero seneścalli Carcassonensis germanus. Patruo cardinali de Claro-1539. monte cedenti successit an. 1539. die 24. Martii. In litteris Lutetiæ Parisiorum scriptis die 10. Martii anni sequentis, quibus in hac sede vicarium generalem, necnon bonorum episcopatus procuratorem & œconomum instituit Michaelem Sarret Monspeliensis ecclesiæ præpositum, se vocat episcopum ac dominum S. Pontii, necnon ecclesiæ Tolosanæ præpositum. Abbatias quoque S. Florentii Salmuriensis in Andegavensi, B. Mariæ Candelii in Albiensi & Bonæ vallis in Ruthenensi diœcesibus obtinuit in commendam. 1548. An. 1548. die 12. Augusti Jacobus episcopus una cum aliis jussus est a rege ad concilium Bononiense proficisci loco aliorum præsulum, quos ægritudo reverti coëgerat. Ecclesiam suam cathedralem & universam diœcesim lustravit anno 1551. 1551. Syndicos urbis in posterum appellari consules permisit, quibus etiam de capituli consensu toga & humerali rubeis uti concessit an. 1552. quod postea regiis Henrici II. litteris firmatum fuit. Eo sedente heterodoxi Calvinistæ, sancti Amantii vicecomite antesignano, cathedralem 1567. basilicam fœde deturparunt an. 1567. monaste-1577. rio contiguo funditus everso. Anno 1577. Johannes de Mandajors hujus præsulis vicarius generalis Occitaniæ comitiis generalibus præfuit, tanquam antiquioris consecratione antistitis vicarius. Incolis de la Bastide tres quotannis creandi consules potestatem fecit cum privilegio epomidem ex panno rubro & atro æqualiter partitam 1585. gestandi an. 1585. Concordiam iniit anno seq. 1586. cum Alexandro de Castronovo nepote, cum quo de bonis Francisci baronis de Lumbers fratris sui defuncti contendebat, quæ quidem omnia ei dimisit, usufructu ad vitam sibi retento, ex tabulis Candelii. Mortalitatem explevit eodem anno III. idus Septembris ex veteri necrologio, cum hanc ecclesiam annis 49. rexisset, ut ibidem legitur manu recentiori.

XXVI. PETRUS VI.

DE FLEYRES. Espallione in diœcesi Ruthenensi natus est Petrus de Fleyres, quem ex priore S. Pauli de Massaugnies in Albiensi diœcesi, ad ecclesiæ S. Pontii regimen promotum anno 1587. Sixtus papa V. dato diplomate pontificio XVII. calend. Julii pontificatus anno tertio confirmavit. Haud multo post Petrus in possessionem inductus est per procuratorem, die scilicet 13. mensis Augusti subsequentis. Exstant in tabulis hujus ecclesiæ duo rescripta Henrici de Montemorenciaco ducis ac paris Franciæ, polemarchi & Occitaniæ proregis, alterum Belliquadri 29. Novembris an. 1589. Biterris alterum 3. Novembris 1590. data, quibus jubet ut pacificam proventuum episcopatus possessionem obtineat hic præsul. His quippe turbulentis temporibus bona hujus ecclesiæ distracta per triennium fuerant, & a viris potentibus vario prætextu villicis ablata. Sublatis igitur impedimentis Petrus ad ecclesiam suam accessit an. 1591. quod hactenus his de causis, & ob valetudinem facere nequiverat, boni pastoris officio implendo deinceps intentus. Interfuit concilio Narbonensi anno 1609. & acta illius subscriptione sua firmavit. Nominatur anno seq. in commentariis cleri Gallicani; quo jam anno de capitulo S. Pontii ad statum sæcularem convertendo agebatur; quinimo id jam anno 1608. die ultima Februarii Henricus Magnus petendi a summo pontifice facultatem impertierat, eamdemque renovavit Ludovicus XIII. rex die 22. Septembris anni 1610. tandemque anno 1612. procurante Petro episcopo monachi deposito regulari amictu canonicorum sæcularium veste donati sunt, uti jam diximus in procemio hujus ecclesiæ. (Ch. XVI. col. 93.) An. 1623. die 4. Augusti Petrus episcopus sodalitium in honorem B. Mariæ virginis instituit in suburbana B. Mariæ de Nazareth eremo distante a S. Aniano uno milliari, & quidem ad S. Aniani capiscolum pertinente, cui statim nomen dedere Felicianus abbas & monachi S. Aniani, &c. Denique ad meliorem vitam transiit Petrus an. 1633. 25. Junii. Corpus ejus depositum est in medio choro cathedralis ecclesiæ, pro cujus animæ refrigerio successor instituit anniversarium.

(ANNI CHRISTI 1587. 1591. 1609. 1612. 1623. 1633.)

XXVII. JOHANNES JACOBUS.

DE FLEYRES. Decessoris ex fratre nepos Johannes Jacobus de Fleyres in coadjutorem adscicitur a patruo anno 1621. quo interfuit cœtui cleri Burdegalensis. Episcopali charactere insignitus anno sequenti ab Alfonso d'Elbene Albiensi præsule sub titulo episcopi Trojani, demum exstincto 1633. patruo successit anno 1633. Delegatur a Narbonensi provincia ad comitia cleri Gallicani Pa-1650. risiis convocata an. 1650. Obiit 1652. in sepulcro patrui tumulatus. Præter anniversarium quod habere dicitur die 25. Junii, commune proinde cum anniversario patrui, quod ipse fundaverat, tria missarum solemnium anniversaria fundavit, & unam missam privatam singulis hebdomadis. Fuit etiam abbas S. Martialis, quem in hujus ecclesiæ abbatum catalogo omisimus.

XXVIII. MICHAEL.

TUBEUF. De Michaele ejusque parentibus jam egimus in Castrensibus episcopis tomo I. Fratrem habuit

Jacobum ærarii Franciæ præfectum, & in suprema rationum curia præsidem. Michael autem fuit regi ab eleemosynis, abbas commendatarius sancti Urbani diœcesis Catalaunensis, ac prior B. Johannis de Dammartino, quo nomine a provincia Parisiensi deputatus adfuit Meduntæ cœtui cleri Gallicani anno 1641. In sequentibus proxime comitiis an. 1645. electus est administer generalis ejusdem cleri, & in Parisiensibus anni 1650. scribæ munus obivit. Ad Tomeriensem cathedram nominatione regia promotus 20. Junii 1653. Parisiis consecratur in æde sacra Sorbonæ Dominica *Quasimodo* 12. Aprilis 1654. Inauguratus mox ad suam ecclesiam perrexit, ut muneri pastorali totus incumberet. Accessit ad conventus generales provinciæ Occitaniæ, qui Monspelii annis 1654. & 1655. celebrati sunt. Interfuit etiam Piscenensibus comitiis *de Pezenas* an. 1657. quo circiter tempore Alfonsus de Simiane de la Coste filius præsidis in parlamento Delphinatus, patrui in abbatia S. Aniani successor, Michaeli episcopo de more fidem obligavit in manibus Petri de Bousquat canonici ac præcentoris ecclesiæ cathedralis, necnon vicarii generalis episcopi. Inde quorumdam canonicorum ac civium factionibus ac rebellione lacessitus, cum ultionem vir injuriarum patiens deprecatus esset, mense Aprili anno 1664. ad episcopatum Castrensem translatus est. Obiit Lutetiæ Parisiorum an. 1682. 16. *vel* 17. Aprilis, ætatis 77.

ANNI CHRISTI 1653. 1654. 1655. 1657. 1664.

XXIX. Petrus Johannes Franciscus.

DE PERCIN DE MONTGAILLARD

Antiqua apud Aquitanos nobilitate clarus Petrus Johannes Franciscus de Montgaillard doctor Sorbonicus, & abbas sancti Marcelli in diœcesi Cadurcensi, designatur episcopus S. Pontii mense Aprili 1664. per translationem præcedentis ad ecclesiam Castrensem. Confirmatus Alexandri papæ VII. bulla data 12. Januarii sequentis, in pontificem inungitur 12. Julii ejusdem anni 1665. in ecclesia monialium B. Mariæ de Chaillot prope Parisios ab episcopo Uceticensi, in re sacra collaborantibus Leutevensi & Matisconensi præsulibus; tandemque in possessionem inducitur ultima die Octobris insequentis, solemniter a capitulo exceptus. Mox abbatiam sancti Marcelli reliquit, ne beneficiis pluribus potiri videretur, vir antiquæ disciplinæ studiosus. Augustinianæ doctrinæ tenax eam pro virili parte defendit. In victu ac vestitu modestus, nihil quod oculos perstringeret in supellectili habuit; pauperes amavit, quos vivus aluit, ac moriens bonorum omnium scripsit heredes. Omnibus demum virtutibus, quæ decent antistitem, fuit ornatus. Ecclesiam parœcialem S. Martini de Jauro divisit in duas, quibus alteram auxiliarem adjunxit, quo commodius sacramenta fidelibus & reliqua subsidia spiritualia conferrentur. Ad superos evolavit in sua diœcesi die 13. Martii anno 1713. ferme octogenarius.

1664. 1665. 1713.

XXX. Johannes Ludovicus.

DE BERTHON DE CRILLON.

Stirpe nobili satus Johannes Ludovicus abbas de Beania, Francisci Vencensis primum episcopi, ac postea Viennensis archipræsulis ex fratre nepos, nominatus a rege Ludovico XIV. S. Pontii antistes 22. Aprilis anno 1713. inauguratur a patruo tunc Vencensi præsule, cui assistebant Alesiensis & Bellovacensis præsules 15. Octobris ejusdem anni in æde sacra noviciatus patrum Societatis Jesu apud Parisios. Anno 1720. die 14. Aug. una cum aliis ab Occitaniæ comitiis delegatus, omnium nomine oblatis provinciæ codicibus verba fecit ad regem. Traducitur inde ad metropolim Tolosanam nominatione regia 30. Julii 1727. admissus Romæ in consistorio pontificio 27. Septembris insequentis.

1713. 1720.

XXXI. Paulus Alexander.

DE GUENET.

Episcopi Carnotensis erat vicarius generalis, Paulus Alexander de Guenet, quando renunciatus est a rege S. Pontii episcopus die 27. Septembris an. 1727. Romæ proponitur in consistorio pontificio 20. Decembris ejusdem anni, & in altero 25. Januarii insequentis admittitur. Sacram inunctionem accepit die 7. Martii an. 1728. in ecclesia Carnotensi, sacris operante ejusdem antistite; ac tandem 18. Septembris ejusdem anni possessionem assecutus est. Fratrem habet in curia parlamenti Rotomagensis senatorem.

1727. 1728.

DE PRIMA POST EPISCOPUM DIGNITATE IN ECCLESIA S. PONTII.

Quandiu hæc ecclesia fuit regularis, secundas in ea partes major prior obtinuit; sed postquam facta est sæcularis, eo dignitatis gradu archidiaconum coluit. De utrisque nunc dicendum foret, sed pauci majores priores reperiuntur ob exustum ab hæreticis monasterium cum omnibus pene documentis anno 1567. die 29. Septembris.

MAJORES PRIORES.

I. Geraldus I. de Corneliano erat major prior an. 1339. ex indice majorum priorum ad nos transmisso, at fortasse legendum est 1539. loco 1339. ex dicendis.

II. Bertrandus de Podio prior major S. Pontii memoratur præsens in capitulo generali & annuali habito apud S. Pontium an. 1362. 18. Maii.

III. Rigaldus Ebrardi an. 1444.

IV. Pontius de Cardalliaco in decretis licentiatus, major prior appellatur anno 1471. die Mercurii 8. Januarii, hoc est 1472.

V. Wissardus an. 1521.

VI. Gerardus II. de Corneliano jurium doctor & abbas S. Tiberii, erat major prior sancti Pontii, ac vicarius generalis episcopi an. 1535. mense Maio.

VII. Johannes Baptista Abondio schedula

regia major prior designatur an. 1544. & Franciscus du Puy electione capituli.

VIII. Tristanus de Thesan an. 1564.

IX. Petrus de Cabrol electus est major prior die 20. Septembris an. 1597.

ARCHIDIACONI.

I. PETRUS de Cabrol ex ultimo majori priore archidiaconi nomen assumsit anno 1612. vi bullæ hanc ecclesiam ex regulari in sæcularem convertentis, in qua expresse dicitur archidiaconum fore dignitatem a pontificali majorem. In litteris vero publicationis ejusdem bullæ factæ an. 1616. die 22. Octobris dicitur nuper mortuus.

II. Henricus de Thesan antea monachus sancti Pontii in archidiaconum electus est 19. Sept. anno 1616. eoque titulo reperitur ornatus 22. Octobris ejusdem anni in sententia lata pro publicatione bullæ monachos S. Pontii sæculari toga donantis. Fuit etiam abbas Juncellensis.

III. Gabriel I. de Thesan baccalaureus in theologia & abbas Juncellensis, archidiaconatus S. Pontii ex cessione patrui possessionem accepit 24. Januarii an. 1645.

IV. Gabriel II. de Thesan d'Olargues senator in parlamento Tolosano & abbas Villæ magnæ, patruo cedente, archidiaconatus iniit possessionem anno 1669. Tolosæ defunctus est die 2. Septembris an. 1704.

V. Carolus Mauricius de Percin de Montgaillard, doctor Sorbonicus, canonicus & eleemosynarius S. Pontii, majorque vicarius patrui sui Petri Johannis Francisci episcopi S. Pontii, electus est archidiaconus ejusdem ecclesiæ 5. Septembris anno 1704. Vivit hactenus præter jam dictos titulos officialis etiam munere conspicuus, & maxime doctrinæ ac pietatis laude, cujus dare specimen in lucem parat, opus conceptum brevi pariturus, cujus inscriptio : *Codex canonum selectorum.*

DE ABBATIIS DIŒCESIS S. PONTII.

UNA vetus dicta S. Laurentii in Olibegio, vel S. Laurentii Vernaduprensis primum agnoscit auctorem simul & abbatem anno saltem 794. Anianum, qui subinde primus Caunensi monasterio præfuit. Sola per se substitit centum circiter annos, tum paruit S. Aniani cœnobio, cujus abbas Froja jam ab anno saltem 893. concilio Portuensi anni 897. solum abbas S. Laurentii Vernaduprensis nuncupatus subscripsit. Abhinc autem elapso biennio coaluisse utrumque cœnobium liquet ex præcepto Caroli Simplicis an. 899. in quo primum expressis verbis nominatur *monasterium S. Aniani confessoris & S. Laurentii martyris*, cujus Bera tunc abbas erat.

Duæ hactenus abbatiæ perseverant, altera ordinis S. Benedicti, altera Præmonstratensis, nempe

S. Anianus, vulgo *S.t Chignan*, ord. Bened.

Fons calidus, *Font caude*, ord. Præmonst.

S. ANIANUS.

SAINT CHIGNAN.

S. ANIANI & S. Laurentii quondam monasterium, modo tantum S. Aniani nuncupatum, conditum est imperante Ludovico Pio in valle amœna pagi Narbonensis, dicta olim Vernodubro, *Vernazoubre*, quam intersecat fluviolus cognominis, de quo ante sæculum XI. altum ubilibet silentium, proindeque non ab illo vallis, sed ab hac potius ille nomen accepit, quemadmodum & urbs vicina, vulgo *S.t Chignan de la Corne*, a S. Aniani monasterio. Situm est Narbonam inter & S. Pontii Tomeriarum civitates, quinque ab illa leucis, duabus ab ista. Auctum fuit exeunte IX. sæculo alio antiquiori cœnobio S. Laurentii in Olibegio, vel S. Laurentii Vernaduprensis, quod exstabat jam anno 794. auctore Aniano primo hujus abbate, & alterius nuncupati S. Johannis in Extorio, ac deinde primo Caunensi rectore, ut supra diximus. Fortasse vero Aniani cœnobii Laurentiani conditoris nomen ansam præbuit hoc cum sancti Aniani monasterio confundendi, quasi ab origine unum & idem esset, atque hic Anianus abbas patronus foret monasterii cognominis, cum potius sit S. Anianus episcopus Aurelianensis. Itaque ista duo monasteria ad Vernodubrum fluviolum sita, sibique vicina diversam habuere originem, diversosque parentes, seu auctores, Anianum videlicet Laurentianum, Durandum vero S. Aniani monasterium, uti mox dicturi sumus; sed postea in unum coaluerunt, ut probat Caroli Simplicis præceptum datum an. 899. in quo primum expresse nominatur *monasterium S. Aniani confessoris & S. Laurentii martyris*, cujus Bera tunc abbas erat, ubi unicum videtur, duo vero distinguuntur in his quæ sequuntur verbis, *quod siti sunt in territorio Narbonensi.*

Spicil. t. 13. pag. 265.

Jam vero monasterii S. Aniani proprie dicti fundatoris nomen & dignitatem, ipsiusque fundationis tempus anno saltem 826. exhibet nobis regiæ tutelæ præceptum Durando abbati concessum hoc ipso anno a Ludovico Pio & Lothario ejus filio Augustis : in eo siquidem Durandus abbas expresse dicitur inchoasse monasterium in loco sibi proprio, nomine *Holatiano*, quem Ludovicus imperator ei contulerat, ibique perplures monachos aggregasse, quibus abbatem præfecit nomine Woicam quibusdam rebus, mancipiis, libris, variaque supellectile eidem monasterio collatis : quam fundationem & dotationem gratam habens imperator, hoc cœnobium cum universis rebus ad illud pertinentibus in suam defensionem suscepit, constituitque, ut abbate mortuo liceret monachis alium sibi secundum

regulam eligere. *Actum Carisiaco palatio regio calendis Aug. anno tertio decimo Ludovici piissimi Augusti, Lotharii IV. ind. IV.* Hoc præceptum edidit Mabillonius in appendice tom. 2. annal. Bened. pag. 724. col. 2. ediderunt nuperi rerum Occitanarum scriptores tom. 1. prob. pag. 64. quod nos etiam recudimus in appendice nostra. Cum autem successu temporis eo in monasterio disciplina regularis langueret, subditum fuit cœnobio S. Pontii Tomeriarum anno 1101. Bertrandi archiepiscopi auctoritate, tum fortasse ipsimet ecclesiæ Narbonensi subjectum est usque ad annum saltem 1182. ex bulla Lucii III. postea vero Massiliensi S. Victoris cœnobio an. 1365. Accessit tandem ad reformatam S. Mauri congregationem an. 1629. de quibus ut prolixius ita & expressius in decursu abbatum disseremus.

Ch. I. col. 73. Ch. VIII. col. 82. Ch XIII. col. 89. Charta XXVIII. col. 292.

Abbatum Series.

I. Woica ex laudato Ludovici & Lotharii Augustorum præcepto, S. Aniani cœnobio primus abbas concessus est. Itaque Durandus *abba* illud quidem fundavit, non autem rexit, cum ipse monachis congregatis abbatem Woicam dederit, ut ibidem legere est. Durandus videlicet ex illis erat nobilibus clericis, & ut jam appellari cœperant abbatibus, qui in curia & in castris regiis, imperatoribus & regibus ad res sacras famulabantur.

Ch. I. col. 73.

II. Richifridus privilegium obtinuit a Carolo Calvo datum nonis Junii indict. VII. anno regni ejus quarto, hoc est 844. Illud habes nostra inter instrumenta.

Ch. II. col. 74.

III. Froja abbas, *una cum consensu de cuncta congregatione monasterii S. Aniani* vendit Rainulfo abbati, & cunctæ congregationi S. Johannis Bapt. Montis olivi campos duos cum casalibus & exitibus & regressibus eorum VI. nonas Martii anno 1. regnante Carolo rege Simplici, qui regnare cœpit an. 893. ex chartario Montis olivi. Idem, ut videtur, Froja, tametsi solummodo nuncupatus abbas *ex monasterio S. Laurentii Vernaduprensis*, quasi jam unito S. Aniani cœnobio, Portuensi concilio subscripsit an. 897.

IV. Beranius, Berarius & Bera, *seu* Berane sedebat anno septimo regni Caroli, dicti Simplicis; hoc est an. 899. ex litteris immunitatis & regiæ defensionis ab eo datis *monasterio sancti Aniani confessoris & sancti Laurentii martyris & Berane venerabili abbati, suisque successoribus. Datum est VIII. idus Junii ind. 2. anno VII. rege Carolo serenissimo, & in successione Odonis secundo pleniter regnante*, hoc est anno 2. post Odonis regis obitum, quæ notæ chronicæ mire consentiunt. Exstat hoc diploma Spicil. t. 13. pag. 265. & in appendice nostra, ubi pro *seu Berane*, legendum *ac Berane, &c.* Haud dubie vero iste est Bera monachus S. Aniani, qui prædictæ venditioni Frojæ antecessoris abbatis factæ Rainulfo abbati Montis olivi subscripsit anno 893.

Ch. III. col. 76.

V. Sicardus I. regebat anno XV. Henrici regis, quo quidam Alkericus cum uxore Richilde & liberis huic abbati & omni congregationi sancti Aniani vendidit unam *modiatam terræ laborativæ* intra terminos de villa Seregia *Sariege*, VI. nonas Jul. anno XV. regnante Aenrico rege, hoc est 1045. *vel* 1046.

VI. Geraldus, cui Berengarius vicecomes Narbonensis, & uxor ejus Garsindis confirmaverunt alodem, quem in oppido S. Aniani cesserat eorum filius, videtur hoc loco reponendus.

VII. Ermengaudus S. Pontii monachus, vir humilis & modestus regebat sancti Aniani monachos initio XII. sæculi, ut liquet ex illorum litteris, quas post Ermengaudi obitum scripsere ad Arnaldum Narbonensem archiepiscopum de successore eligendo; has vide inter instrumenta. Is autem videtur esse, quem tabulæ capituli Narbonensis electum docent anno 1100. sub quo proinde anno 1101. XV. cal. Aprilis S. Aniani monasterium Tomeriensi sancti Pontii subjectum est, auctoritate Bertrandi archiepiscopi Narbonensis, cujus ea de re litteras in appendice nostra referimus. At vero sive huic Bertrandi archipræsulis pacto stare noluerint ipsius successores, sive quid aliud prædictæ subjectioni intercesserit, jam Arnaldi pontificis tempore, hoc est circa 1129. non 1120. ut irrepsit in appendice nostra, cum per obitum Ermengaudi abbatia vacaret, supplices ad eumdem Arnaldum litteras, de quibus supra, scripserunt sancti Aniani monachi, Willelmi divinitus acclamati nunciantes electionem, & ut illum benedictione donaret obnixe deprecantes.

Ch. X. col. 84. Ch. VIII. col. 82. Prob. t. 2. hist. Occit. pag. 448. Ch. X. col. 84.

VIII. Willelmus *seu* Guillelmus I. in Ermengaudi locum suffectus est modo in charta superiori expresso circiter annum 1129. Quamdiu rexerit, vixeritve ignoratur.

IX. Petrus I. d'Adag *vel* de Adac præerat an. 1140. ex quarto volumine inventarii archivorum Narbonensis archiepiscopatus.

X. Guillelmus II. sedit ab anno saltem 1152. ad 1167. quo tempore plurima monasterii bona oppigneravit. Pepigit anno 1155. cum Pontio episcopo Carcassonensi pro ecclesia S. Stephani de Capraretis, uti legitur, inquiunt, in chronologia episcoporum Carcassonensium; sive, ut habetur in regio tabulario Carcassonensi, G. abbas sancti Aniani litigavit cum Pontio Carcassonensi episcopo pro ecclesia sancti Stephani de Capraretis, quæ quidem adjudicata fuit episcopo litteris Adriani IV. qui gubernavit ecclesiam ab anno 1154. ad 1159. Reperitur adhuc Guillelmus abbas 1158. in charta Silvanesii, & 1166. in schedis Martennii.

XI. Petrus II. mense Martio anni 1175. Guillelmæ Rivi nitidi abbatissæ vendit omnia jura, quæ habebat in villa Novettæ. Reperitur 1178. & adhuc 1203. quo tempore plurimas oppigneravit possessiones, haud dubie ob damna monasterio ab hæreticis Albigensibus illata, quibus & alodem Capitis-stagni vendere archiepiscopo Narbonensi anno 1208. coactus est.

Ch. LV. col. 465.

XII. Arnaldus de Crusy reperitur abbas 1230. & 1231. quo anno III. calendas Aprilis Bernardus de la Sala ejus bajulus cujusdam portionis terræ sitæ in territorio Sedis-regiæ *Sariege* abbatiæ vectigalis venditionem laudavit. Transegit

anno 1248. cum Guillelmo Narbonensi archiepiscopo.

Novus abbas hoc ipso anno electus est; an qui sequitur?

XIII. Raimundus I. de Figueria, *vel* de Figueriis, regi Majoricarum Montispessulani domino percarus, præsente ac præsidente Pontio Tomeriensi abbate electus abbas S. Aniani, die 5. Januarii an. 1251. ad S. Pontium accessit, ubi flexis genibus & manibus junctis eidem Pontio abbati promisit obsequium & obedientiam. Sub ejus præfectura obtinuere monachi ab Innocentio IV. pontifice facultatem vescendi carnibus, bulla data Assisii idibus Junii pontificatus anno x. seu Christi 1252. Transegit an. 1258. cum Jacobo archiepiscopo Narbonensi super ecclesiis S. Nazarii de Gabian & S. Juliani de Lapejan prope Capistagnum. Vetus inscriptio docet hunc abbatem ortum a S. Pontio claustri structuram inchoasse an. 1260. Pepigit anno 1265. cum Raimundo de Salis domicello de limitibus villæ S. Aniani, sequestro Richardo abbate B. Mariæ de Quadraginta. Occurrit 1279. in tabulario domestico, & in regesto cameræ rationum Parisiensis, quo anno 31. Maii vacantis abbatiæ Crassensis, tanquam alter ex ejusdem procuratoribus, negotia curabat. Adhuc ejusdem abbatis meminerunt tabulæ domesticæ anni 1289.

XIV. Arnaldus II. toto sæculi XIII. residuo præfuisse dicitur, quo proinde sedente an. 1298. maxima lis exarsit inter archiepiscopum Narbonensem, abbatem S. Pontii, & Arnaldum nostrum de jurisdictione in S. Aniani monasterium, quam sibi duo primi vindicabant, Arnaldo utrique contradicente, & se liberum prædicante. Sed nihil ea de re fuit decisum.

XV. Bernardus I. Pontii convenerat de octoginta libris Turonensibus dandis annuatim conventui pro *companagiis*, *pitantiis*, & anniversariis, exceptis coquinis, pane & vino: his autem sexaginta solidos Turonenses, sal & alia quædam additurum se pollicitus est XV. cal. Martii anno 1301. Insequenti 1302. XIII. cal. Dec. Petrus de Venere sancti Aniani camerarius obventiones partis suæ molendinorum de Strenous pretio 140. pilarum bladi in annos singulos vendidit.

XVI. Pontius occurrit abbas 1305. & 1307. quo anno pepigit cum Aimerico vicecomite Narbonensi de quibusdam apud Crudiacum *Crusy* litigiosis.

XVII. Petrus III. anno 1313. pridie calend. Martii paciscitur cum suo conventu de numero duodecim monachorum, & de annua cuilibet eorum danda pensione. Festum Corporis Christi anno 1315. in suo monasterio celebrari cum octava jussit, antequam illud ab universali ecclesia receptum esset; quod & ab eo decretum in festo translationis S. Benedicti. Eodem anno idibus Julii stipendia fratrum censibus aliquot auxit, viginti scilicet libris. Vacante cameraria ecclesiæ S. Martini de Cebasano, quosdam ejusdem reditus, vestiariæ, prioratibus B. Mariæ de Areis & S. Johannis de Orta, atque præpositaræ S. Crucis de Crudio a se de novo cum assensu capituli creatis, & mox quibusdam hujus cœnobii monachis collatis assignavit, ac insuper statuit ut festa BB. apost. Petri & Pauli, ac S. Johannis Bapt. solemniter & cum octava in cœnobio deinceps celebrarentur. *Actum XIV. cal. Maii an. 1318.* Initam concordiam, qua S. Aniani camerarii jura in incolas loci de Cebasano definiuntur, sua & conventus auctoritate firmavit VII. calendas Octobris 1322. Interfuit anno 1317. Biterrensi concilio, sive ut alibi legimus, ad illud legatum misit, sicut & ad aliud ejusdem urbis concilium anno 1327. Ei Carolus IV. rex Franciæ an. 1324. privilegia & possessiones confirmavit. Idem præstitit Johannes papa XXII. bulla data Avenione III. cal. Junii anno pontificatus XV. in qua monasterium ad ecclesiam Romanam nullo medio pertinere dicitur. Denique Petrus in capitulo abbatum provinciæ Narbonensis apud S. Tiberium celebrato 1329. die Jovis post Dominicam qua cantatur *Jubilate* una cum Anianensi, & Leutevensi abbatibus creatus est definitor.

XVIII. Sicardus II. anno 1340. III. cal. Aug. stipendia fratrum adjectis septemdecim libris Turonensibus auxit. Insequenti 1341. feria 2. post Dominicam qua cantatur *Cantate Domino*, provinciale capitulum abbatum & priorum ecclesiarum cathedralium & monachalium ordinis S. Benedicti ex provinciis Narbonensi, Tolosana & Ausciensi, Carcassonæ celebratum sic habet statuto XVI. *Item illa, quæ denunciata fuerunt contra Johannem Ayronii, Guillelmum Cambanocii, Sicardum & nonnullos alios sancti Aniani monachos per ejusdem capituli præsides; Lezatensem, Juncellensem, S. Hilarii, & S. Fermerii abbates fuerunt commissa visitatori monasterii; qui vice & auctoritate dictorum præsidum & sua dictos monachos debite puniat & castiget, &c.*

XIX. Petrus IV. Boerii oriundus e Redorta diœcesis Narbonensis, non e castro Minerbesio, uti tomo I. diximus col. 931. fuit hujus cœnobii monachus, non Anianæ, ut ibidem, ac etiam camerarius, ut liquet ex actu visitationis monasterii factæ a Raimundo Tomeriensi episcopo an. 1335. 29. Octob. in quo etiam memoratur Bernardus Boerii prior ejusdem loci, fortasse Petri consanguineus. S. Aniani clavum tenebat an. 1350. Una cum tribus aliis abbatibus præses capituli generalis Benedictinorum monachorum Narbonensis & Auxitanæ provinciarum apud Carcassonam habiti an. 1355. creatus est. Idem præsidum alter capituli provincialis ibidem coacti, eoque nomine conservator & judex a jure communi & a sede apostolica deputatus, contra injuriantes personis & rebus eidem capitulo subjectis, vices suas commisit in omnibus & singulis causis, litibus & negotiis, quæ ad præsidentiæ suæ officium spectabant, Petro abbati Juncellensi, die 9. mensis Febr. an. 1362. Fuit etiam aliorum capitulorum definitor, & quorumdam Septimaniæ cœnobiorum visitator ad annum 1364. quo ad sedem episcopalem Urbevetanam assumtus est, & inde ad Vasionensem, uti tomo primo col. 931. diximus. De illo Trithemius differit,

lib. 2. de viris illustribus ordinis Bened. cap. 134. A & iterum de scriptoribus ecclesiasticis ad annum 1360. sed fusius Haëftenus disquis. monast. lib. 2. tractatu 5. disquis. 3. circa medium.

XX. Arnaldus III. (de Verdala) Petrum excepit, creatus abbas bulla Urbani papæ V. pontificatus anno tertio, hoc est Christi 1364. aut 65. ex actis pontif. Avenion. qui pontifex hoc ipso anno 1365. x. calend. Febr. monasteria S. Aniani, & S. Salvatoris diœceseon S. Pontii Tomeriarum & Leutevensis cum omnibus prioratibus, domibus & grangiis, membris & aliis locis, juribus, pertinentiis, ac personis tam regularibus, quam sæcularibus, ipsorumque mo- B nasteriorum abbatibus subjecit monasterio sancti Victoris Massiliensis, ejusque regulari disciplinæ, & huic ordinationi Arnaldus abbas & conventus eodem anno 27. Sept. consenserunt; quæ tamen haud tam cito sortita effectum videtur. Renunciatur an. 1370. provincialis capituli definitor. Narbonensi concilio interfuit an. 1374. Alter præsidum creatur in capitulo anni 1376. Decretæ statuto 14. a patribus capituli provincialis anni 1379. visitatio & reformatio cœnobii S. Aniani abbatibus S. Hilarii & S. Polycarpi committuntur. Pepigit Arnaldus abbas an. 1388. die 6. Aprilis cum incolis loci de Crudio de modo solvendi C decimam & primitias bladi & olivarum, necnon decimam vindemiæ, agnorum, canabis, &c. Die 10. Septembris an. 1391. scripto profitetur se a nobili Guillelmo Bernardi de Duroforti, domino de Villa sicca diœcesis Carcassonensis recepisse centum & quinquaginta francos auri, quos ipsi debebat propter *arrendamentum* ejusdem monasterii, testibus Guillelmo Sicardi monacho S. Aniani, nobili Bertrando Bernardi domino de Verdala, &c. moxque vicissim iisdem die & anno laudatus Guillelmus Bernardi de Duroforti condominus de Villa sicca hanc sibi summam recognovit ab Arnaldo S. Aniani abbate D traditam fuisse pro dote Ceciliæ Bernardæ uxoris suæ, neptis abbatis. Eodem anno 18. Novembris Arnaldus abbas a Guillelmo Sicardi monacho & operario, necnon *arrendatore* monasterii sancti Aniani centum auri francos recepisse confessus est.

Charta XXVIII. col. 292.

XXI. Sicardus III. an. 1400. conventuali mensæ quosdam redditus assignavit.

XXII. Johannes I. fuit unus e quatuor definitoribus capituli provincialis Carcassonæ in domo FF. Prædicatorum celebrati die 16. Maii an. 1401. in quo etiam ei demandata fuit cura visitandi monasteria S. Tiberii, Villæ magnæ, Leu- E tevense, Juncellense & Anianense; statutumque est, ut cum Soricinii, Montis olivi, & S. Polycarpi abbatibus proximo capitulo provinciali præsideret. Misit procuratorem ad concilium Pisis an. 1409. pro schismatis exstinctione congregatum. Primus idem recensetur inter præsides capituli provincialis anni 1410. in quo præsides cum eo simul egerunt abbates de Simorra, S. Polycarpi & Villæ magnæ. Rexit ad annum 1415. quinimo attigit 1430. si quam Martennius laudat veterem chartam Narbonensem, sincera est.

Spicil. t. 6. pag. 368.

XXIII. Raimundus II. præfuisse dicitur jam anno 1425. Certe anno 1443. 1. Julii causam evicit adversus incolas loci de Crudio, qui decimam olivarum ei denegabant. Præsidem egit cum G. de Caunis, G. S. Hilarii & G. de Soricinio abbatibus in capitulo provinciali habito an. 1444. in conventu Fratrum Prædicatorum Carcassonensi; definitorem vero in capitulo anni 1448. Memoratur adhuc in charta domestica 23. Julii 1452. sed procul dubio non ut superstes, aut abbas qui regimen obtineret; nam

XXIV. Reginaldus de Valone jam anno 1450. reperitur abbas in regesto cameræ rationum Parisiensis. Anno 1462. 14. Junii concordiam anni 1315. cum incolis S. Aniani, qua tenebantur ad annuam triginta librarum pensionem abbati solvendam, renovari curavit. Die 9. Junii anno 1465. jura monasterii in eosdem incolas partim asseruit, partimque minuit, vel etiam pro bono pacis dimisit.

XXV. Antonius de Narbonne gente nobilissima editus sedit inter præsides capitulorum generalium ann. 1490. & 1495. quorum primum habitum est in monasterio Mansi Azili, alterum apud beatam Mariam Deauratam in urbe Tolosa.

XXVI. Johannes II. de la Garde an. 1517. die 16. Decembris abbatiæ bona recensuit coram seneścallo Carcasson. & Biterr. Cognominatur *de la Coude* anno 1518. die 24. Maii, quo Bernardus Albusguerii sacrista & prior claustralis S. Aniani, ejusdemque abbatis vicarius generalis nonnulla dedit in emphyteosim. Vocatus autem *de la Garde* reperitur adhuc 1522.

XXVII. Guillelmus III. de Caissac nobili genere apud Arvernos natus, frater Nicolai domini de Sedages, Marmagnac, &c. anno regiminis primo, Christi 1540. abbatiæ bona recensuit, regique fidem juravit; sive, ut alibi legitur, die 17. mensis Martii anno 1540. ejus vicarius procuratores generales instituit, qui recensionem bonorum mensæ abbatialis regi exhiberent. Anno 1542. 27. Novembris officium sacristæ contulit fratri Guidoni de Joumaux. Creavit an. 1544. 8. Junii vicarium generalem in spiritualibus & temporalibus fratrem Stephanum Pigeyre S. Aniani monachum. Die verò 28. Martii an. 1547. hic ipse Stephanus officii infirmarii a fratre Antonio du Moulin commonacho & vicario generali sibi collati possessionem accepit. Anno 1549. 2. Octobris Guillelmus abbas in domo paterna constitutus apud Castrum de Sedages parœciæ de Marmanhaco in diœcesi S. Flori officium camerarii fratri Petro Vitalis hujus cœnobii monacho dedit. Pervenit ad annum 1554. 10. Julii, quo frater Stephanus Pigeyre infirmarius & prior claustralis S. Aniani, necnon vicarius generalis Guillelmi de Caissaco abbatis Petro Tarboriech exstruendi columbarium in aliquo e suis latifundiis facultatem concessit.

XXVIII. Georgius de Armaniaco S. R. E. cardinalis, primus abbas commendatarius, post quinque regiminis menses abdicavit in gratiam sequentis.

XXIX. Nicolaus de Salerno Florentinus, sedis apost. protonotarius, hujus abbatiæ per cessionem cardinalis de Armaniaco vacantis possessionem adeptus est die 24. Aprilis 1555. Hic nova pro monachorum pensionibus iniit pacta die 3. Februarii 1559. quo ipso anno 18. Maii hasce pensiones monachi in commune contulerunt, facto decreto utendi eodem refectorio, &c. Abbas litibus eos fatigare non cessavit usque ad annum 1562.

XXX. Hippolytus d'Est cardinalis Ferrariensis, & archiepiscopus Narbonensis, necnon abbas Fontis frigidi & Fontis calidi, abbatiam quoque sancti Aniani in commendam possedit ab anno 1562. ad 1572. difficillimis sane temporibus, utpote quæ a Calvinistis, duce Falgueriarum barone sub annum 1567. devastata restaurari ab illo non aliter potuit an. 1571. quam abalienato prædio de Sariege. Obiit Hippolytus anno seq. cui quis successerit incertum; at vero simile est nulli tunc traditam fuisse abbatiam in titulum, sed commissam œconomo ad resarciendas illius ædes. Interea vero abbatia rursum expilatur ac pene destruitur circa 1578. ab homine perdito cognomento *Bacon* calvinista *de Pierrerue* vici duabus a S. Aniano leucis, contra quem anno 1579. quidam incola S. Aniani, cujus cognomen *Dicher* scripsit ad Hieronymum Tudesque clericum Regiensem, doctorem, & vicarium generalem abbatiæ & dioecesis Narbonensis, se ipsius jussu *fortalitia* in abbatia & oppido S. Aniani exstruxisse. Anno 1581. 28. Aprilis nobilis Jacobus Pelet eques torquatus, dominus de Veruna, procurator nobilis Johannis de Moissonna, regi a consiliis, & portuum provinciæ Narbonensis præfecti, necnon hujus abbatiæ œconomi, ejusdem fructus in quinquennium elocavit; nec multo post idem Jacobus Pelet litteris regiis administrator sancti Aniani toto quinquennio constituitur, ab anno scilicet 1582. ad annum 1587.

T. 7. hist. geneal. & chron. pag. 787.

XXXI. Johannes III. Pelet Stephani ex Johanna d'Orleans filius, jurium doctor, canonicus Monspeliensis & abbas commendatarius S. Aniani, vocatur *frater Johannes* an. 1587. in regesto cameræ rationum Parisiensis, quod innuit illum alicui regulari instituto adstrictum fuisse. Eodem anno 13. Martii vicarium generalem ac specialem creavit fratrem Ludovicum Cabrol ejusdem loci monachum & sacristam; qui 18. Junii 1590. abbatis nomine in gratiam incolarum S. Aniani jus exigendi duodevigesimum panem coctum in abbatiæ furno, quem *banerium* vocant, trigesimo contentus, abalienavit. Frater Nicolaus Dicher obtenti ab eodem vicario generali officii capiscoli possessionem adiit 14. Sept. an. 1592. Plurima hic abbas ædificia a segregibus diruta restauravit, aut denuo excitavit 1594. Insequenti 21. Januarii S. Pontii episcopus vicariam perpetuam S. Celsi, *al.* B. Mariæ de Bartha, loci S. Aniani contulit Johanni Baudouma presbytero, ab eodem vicario generali viva voce sibi designato. Hoc ipso anno 1595. Johannes abbas obiisse dicitur.

Ibid. pag. 788.

XXXII. Guillelmus IV. Pelet de la Verune Johannis superioris cognatus, nempe filius Jacobi fratris Stephani, cedente vel obeunte Johanne, abbatiæ possessionem apprehendit per procuratorem die 15. Martii 1595. quam abdicavit anno sequenti. Fuit etiam ecclesiæ cathedralis Monspeliensis præpositus & vicarius generalis. Testamentum condidit 18. Augusti an. 1600.

XXXIII. Guitardus de Rate episcopus Monspeliensis, & antea regi ab eleemosynis, hanc abbatiam schedula regia consequitur die 15. Febr. 1596. Insequenti 1597. 8. Octob. cum sancti Aniani monachi fratri Jacobo de Rives vicario generali sancti Victoris Massiliensis ad S. Aniani monasterium & alia reformanda delegato obedire detrectarent, ad id senatus Tolosani decreto die & anno iisdem coacti sunt; idque renovatum est 4. Augusti an. 1606. hoc abbate mortuo, contra abbatiæ œconomum.

XXXIV. Petrus V. de Reveilhes canonicus ecclesiæ Parisiensis renunciatus abbas S. Aniani litteris pontificiis datis VI. idus Maii an. 1606. possessionem iniit per procuratorem 28. Aprilis an. 1608. Interea Johannes Rogerius in decretis baccalaureus, monachus Mansi Garnerii, ac cœnobiorum Tolosanæ & Narbonensis provinciarum præfectus, in ipso sancti Aniani monasterio constitutus, illud petentibus monachis univit Exemtorum congregationi die 16. Junii anno 1607. verumtamen frater Henricus Fornier monachus sancti Victoris ipsius sancti Aniani monasterii visitatorem egit annis 1615. 1616. & 1617. vacante sede hoc anno 19. Aprilis, ex archivo Casæ Dei, quo videlicet necdum successor inierat possessionem, prioris electionem firmavit, statuta edidit, &c. nemine contradicente. Petrus autem abbas dormitorium & alia quædam ædificia reparavit. Defecit an. 1616. cujus obitus dies memoratur 6. Martii.

XXXV. Felicianus de Faure vel du Faure canonicus ecclesiæ Gratianopolitanæ, a rege designatus abbas, & a summo pontifice confirmatus mense Octobri 1616. hujus abbatiæ possessionem adeptus est die 2. Maii anni sequentis. Consensit anno 1620. 9. Junii unioni cœnobii cum S. Mauri congregatione, hortatu Petri Tarboriech prioris & præcentoris, Ludovici de Bosquat sacristæ, & Antonii Belot camerarii. Pactum approbarunt tum abbas laudatus, tum etiam memorati Bosquat & Belot, Petrus Talhade, Antonius Gizard, & Franciscus Grenier 18. Julii 1623. cum jam tum Johannes Gregorius Tarisse, prior de Cessenone, & laudatus Petrus Ambrosius Tarboriech præcipui totius negotii auctores ac impulsores normæ sanctiori nomen dedissent. Denique unionis hujus concordatum iniit abbas die 24. Febr. 1624. a quo tempore ex reformatis ascetis duo parandis omnibus majori suorum numero excipiendo necessariis insudarunt ad annum 1629. quo missi Tolosa sex alii, *in suburbana beatæ Mariæ de Nazareth eremo* quadraginta ferme diebus consistere coacti sunt, quod tunc Tolosa peste laboraret; sed communi

tandem voto in domum ecclesiæ conjunctam a laudato Ludovico de Bosquat sacrista an. 1624. concessam inducti sunt 18. Febr. 1629. nullam, ut alibi sæpius contigit, egestatem passi, annonam videlicet, sacram & profanam supellectilem, sumtus itineris Tolosani, novorum ædificiorum, &c. subministrantibus laudato Ludovico, nec unquam satis laudando sacrista, ejusque nepote Petro de Bosquat. Sane hic Ludovicus jam anno 1623. suæ monachali pensioni renunciaverat in gratiam reformatæ S. Mauri congregationis, retento solum sacristæ officio, quod & facta coram missis regiis prædiorum in ditionibus S. Aniani & Cessenonis ad directum hujus officii dominium pertinentium recensione cum sibi asseruisset 13. Julii ejusdem anni, memoratæ congregationi transcripsit 8. Augusti 1629. Frater quoque Petrus de Feynes in eumdem scopum circa id tempus monachali pensione cessit, quem subinde alii sunt imitati monachi. Denatus est Felicianus abbas vir probus & cunctis amabilis an. 1629. qui sextam partem abbatiæ fructuum cesserat monachis expendendam in reparandum monasterium, sexaginta libris auxerat pensionem prioris claustralis, ac pro suscipiendis hospitibus an. 1622. centum libras donaverat.

XXXVI. Ludovicus de Gordes de Simiane de la Coste canonicus ecclesiæ cathedralis Gratianopolitanæ & vicarius generalis episcopi, impetrata hujus abbatiæ commenda, ut vocant, XVIII. cal. Decemb. 1630. in ejus possessionem inductus est die XI. Junii 1631. quo anno, jam antea perfectis monachorum cellis & officinis, absolutum est claustrum impensis ejusdem sancti Mauri congregationis monachorum, qui & labascente hujus cœnobii ecclesia, alterius fundamenta posuerunt sub finem anni 1647. In veteri autem basilica sepeliri voluit Eleonora de Thesan vidua Francisci Roger baronis de Ferrals an. 1640. 28. Octob. mille ducentis libris relictis ad sacra pro anima expianda perpetuo facienda. Abbatia cessit Ludovicus in gratiam sequentis an. 1654. Fuit etiam prior & dominus de la Grand, ex historia genealogica & chronologica magnatum Franciæ t. 2. p. 255. quibus ornatus titulis an. 1645. 25. Jan. deputatus cleri comitiis generalibus adstitit.

XXVII. Alfonsus de Simiane de la Coste filius præsidis in parlamento Delphinatus cessione patrui renunciatus abbas rescripto tum regio, tum apostolico, & hoc quidem dato 9. Julii 1657. possessionem adiit 29. Novembris ejusdem anni. Dum præest, memorati congregationis S. Mauri ascetæ, priore eversa ecclesia, cujus anno 1647. fundamenta jecerant, ampliorem alteram & elegantiorem pene ex integro inchoarunt anno 1664. abbate 7000. libras ad opus conferente, quam & sacra benedictione donari curarunt 9. Julii an. 1667. & insigni choro decorarunt anno sequenti. Denique obiit Alfonsus Lutetiæ Parisiorum mense Junio anni 1681. probe notus ex nonnullis doctis libris sub nomine abbatis S. Firmini editis.

XXXVIII. Johannes IV. de Rose de la Chevallerie clericus diœcesis Parisiensis, a rege designatus abbas die 12. Junii 1681. ac litteris apostolicis confirmatus 23. Novembris 1684. dignitatem auspicatus est die 29. Novembris 1685. Obiit mense Octobri 1728.

XXXIX. Carolus Octavianus d'Antelmy Grassensis episcopus mense Decemb. anni 1729. schedula regia designatus est abbas.

FONS CALIDUS.

FONT CAUDE.

FONTIS CALIDI] ordinis Præmonstratensis monasterium, filia Combæ longæ in circaria Vasconiæ, suam primariam debet originem Bernardo de Claromonte & Arnaldo fratri ejus, qui una cum Guillelmo & fratribus ejus Bertrando & Bernardo de Rupeforti *Rochefort*, necnon altero Bernardo *de Durasfort* illustribus dynastis, locum de Calido fonte in comitatu Biterrensi & Narbonensi tum diœcesi positum contulerunt fratri Guillelmo de Nant monacho de Valle crosa diœcesis Magalonensis an. 1154. ea lege ut de circumstantibus & Fonti adjacentibus agris tot jugera terræ sua faceret, quot tria boum paria possent arare & excolere. Ratam habuit donationem Pontius de Arsacio Narbon. archiepiscopus eodem anno feria V. post Pentecosten, si fides novissimis annalibus ordin. Præmonstrat. col. DLXV. at cum necdum hoc anno sederet Pontius, legendum videtur 1164. Confirmavit & Alexander papa III. duplici diplomate, altero apud Senonas, altero apud Montempessulanum, quibus constat jam & ab ipsa pene origine donationis ecclesiam sub titulo B. Mariæ fuisse constructam secus Fontem calidum, ibique fratres e Valle crosa transmissos divino vacasse obsequio.

Sed cum donatores postea pœnituisset concessionis factæ in gratiam Vallis crosæ, ad Combam longam sua transferre dona decreverunt; statimque violenter amotis prioribus Fontis calidi inquilinis, Præmonstratenses e Comba longa accitos induxerunt. Ejecti mox ad Alexandrum III. in Montepessulano consistentem querelam suam detulerunt anno circiter 1164. qui quidem illic, antequam Romanum iter anno seq. relegeret, mandatum dedit Pontio Narbonensi & Guillelmo Biterrensi præsulibus VIII. idus Augusti, pro restituendo Vallis crosæ priori Fonte calido, quem Bernardus & Guillelmus de Casulis, Berengarius de Niciano, & Bernardus de Durasfort per vim occupatum abstulerant Petro. Lente processit lis, obsistentibus maxime fundatoribus, nec prius quam an. 1179. sopita fuit, firmata compositione a Johanne Magalonensi, & Bernardo Biterrensi episcopis, Rigaudo Combæ longæ abbate, Petro Magalonensi præposito, & Petro Vallis crosæ priore.

In valle amœna situs Fons calidus, tribus a Biterrensi civitate horis, & quinque a S. Pontio separatus ædificiis olim splenduit; at egregiam illius faciem obscuravit heterodoxorum temulenta rabies, duce Bacone fabri ferrarii filio, qui monasterium funditus evertit, idemque restitutum

restitutum a Johanne Dumas abbate rursum ferus homo demolitus est an. 1579. Nunc e ruinis surrexerunt ædes prostratæ, dormitorium, claustrum, templumque pro fortunæ viribus decenter instaurarunt inferiores prælati. Itaque nemo miretur, si mutilam & imperfectam proferimus abbatum seriem, cum strage iterata & expilatione frequenti dejectum monasterium plurium jacturam fecerit scrinii sui documentorum. Ita pene reverendissimus pater Carolus Ludovicus Hugo episcopus Ptolemaïdis, & abbas regularis Stivagii ord. Præmonstrat. prima ejusdem ordinis annalium parte, quam non ita pridem in lucem edidit. Acceptam a R. P. d'Auterive Fontis calidi priore abbatum seriem historicam a se in aliquibus emendatam profitetur, nos etiam nonnihil correxisse beneficio chartarum aliunde petitarum æquus lector judicabit.

ABBATUM SERIES.

I. BERNARDUS I. fuisse primus abbas videtur, jam enim præerat an. 1172. Testis est donationis factæ Anianensi cœnobio a Berengario de Podio-Sorigario an. 1182. & iterum 1188. mense Junio initæ compositionis Arnaldum inter abbatem Combæ longæ & Guillelmum domus de Vajal, seu domus Aimerici abbatem, arbitris Fulcrando episcopo Tolosano, Odone Bolbonensi abbate, & Guillelmo de Cante præposito S. Stephani Tolosani, ex tabulario Bolbonensi. Ejusdem proinde temporibus Lucius III. pontifex abbatiam Fontis calidi obnoxiam esse jurisdictioni archiepiscopi Narbonensis declaravit an. 1184. Hic est Bernardus cujus habetur tractatus contra hæreticos Albigenses tom. 24. biblioth. Patrum editionis Lugdunensis pag. 1585.

II. Petrus I. Geraldi sedebat 1193. quo circiter anno promisit obedientiam Berengario archiepiscopo Narbonensi. Sub hoc tempus duo Fontis calidi alumni an. 1204. permittente Raimundo episcopo Massiliensi, abbatiam B. Mariæ de Yvelina *d'Huveaune* ejusdem ordinis condiderunt, seu restituerunt.

III. Johannes I. de Podio 1205. Elapso biennio Alamanda de Villespassans suo testamento huic abbatiæ legavit beneficiarium prædium quod habebat in Capite-stagni.

IV. Sanctius I. 1212.

V. Raimundus quondam abbas Fontis calidi subscripsit chartæ fundationis factæ in gratiam capituli S. Justi ab Aimerico vicecomite Narbonensi an. 1219. ex tab. capit. Narbon.

VI. Berengarius I. nonnulla vendit Petro Narbonensi archiepiscopo quingentorum solidorum Melgoriensium pretio an. 1228. Adhuc præerat 1231.

VII. Guillelmus Davi, cui successit

VIII. Petrus II. 1238.

IX. Franciscus de Boria donum 300. cesteriatarum terræ in territorio de Casulis factum Fonti calido a Raimundo de Valauquesio episcopo Biterr. & Guillelmo de Casulis, utroque domino castri de Casulis accepit circa 1247. quo sedere cœpit hic episcopus.

X. Johannes II. de Cireio 1256.

XI. Sanctius II. 1280. assumtus e Comba longa.

XII. Berengarius II. de Bessan præfuit ab anno 1290. ad 1315.

XIII. Marcus anno 1315. in locum Berengarii suffectus, Guillelmum de Minerba & Marthesam ejus conjugem an. 1327. beneficos expertus est eorum omnium quæ possidebant in Casale vetulo, *Cazal vieil.*

XIV. Johannes III. obtinuit anno 1333. a Limburga vicecomitissa Narbonensi jus pascui in territorio de Puissergnies. Præsens memoratur in actu visitationis monasterii S. Aniani factæ a Raimundo episcopo S. Pontii anno 1335. 29. Octob. Jura paternitatis in abbatiam S. Mariæ de Ybelina exercuit an. 1341. hujus abbate & conventu obedientiam illi promittentibus. Num idem, qui cognominatus *de Curio* & postea factus abbas Casæ Dei, efflavit animam 1371. vide tom. 1. col. 1033.

XV. Raimundus I. Forestier abbas inscribitur ab an. 1344. ad 1360.

XVI. Petrus III. de Marcillan legitur abbas 1360.

XVII. Herimagnus Petro subrogatus 1370. obiit septimo regiminis anno absoluto.

XVIII. Raimundus II. renunciatur abbas circa 1377.

XIX. Berengarius III. Dolonsoc, quo defuncto

XX. Frater Jacobus I. Carreti perpetuus administrator Fontis calidi declaratur anno 1400. Hic pene desertam abbatiam advocatis aliunde canonicis & novitiis regulari disciplina informatis restauravit; sed immatura morte sublatus, septennio tantum administravit.

XXI. Jacobus II. de S. Juliano abbas institutus 1407. moritur 1414.

XXII. Josephus I. de Cireio annis 20. Fontis calidi monasterium, & annis decem cum dimidio Casæ Dei abbatiam insimul, aiunt, gubernavit; de hac dubitamus, nulla quippe ipsius mentio in historia hujus abbatiæ t. 1. col. 1033. Humanis exemtus est 1. Julii 1434.

XXIII. Petrus IV. obiit 27. Aug. an. 1440.

XXIV. Josephus II. eo loci reponitur sub necrologii cautione.

XXV. Bertrandus I. de Manso abbatiam adiit 1460. exuit 1483.

XXVI. Bertrandus II. de Manso patrui cessione electus abbas XI. Martii 1483. confirmatusque ab Arnaldo Combæ longæ abbate, decessit an. 1511.

XXVII. Bernardus II. eodem anno 1511. in abbatem assumtus, obiit 1539.

XXVIII. Johannes IV. de Manso *Dumas* vi concordatorum a rege primus commendatarius designatus, & a Paulo III. pontifice confirmatus anno 1539. idibus Aprilis, creatur ab eodem episcopus Cardensis. Memoratur annis 1547. & 1565. simul procurator, seu vicarius generalis Dominici du Gabre episcopi Lodoven-sis. Eo sedente incendium patitur monasterium

ab hæreticis, quod statim præsul providentissimus e favillis excitavit. Denique abbatiam fratris filio reliquit an. 1578.

XXIX. Bartholomæus Dumas patruo cedente bullis confirmatur a Gregorio XIII. pontifice idibus Octobris an. 1578. ea lege ut ordinis habitum moresque voveret. Fecit Bartholomæus, tandemque Francisco qui sequitur sororis filio regimen transcripsit.

XXX. Franciscus II. Bonet bullas obtinuit a Paulo V. pontifice IV. idus Maii an. 1600. per cujus obitum

XXXI. Hercules de Lort de Serignan prævia nominatione regia bullas accepit ab Urbano VIII. an. 1638.

XXXII. Franciscus III. de Lort de Serignan an. 1673. Herculi suffectus, die 27. Februarii ejusdem anni ex indulgentia Ludovici de Massaure officialis S. Pontii, exuit habitum ordinis, ut retentis paternis bonis restaurando monasterio promtius incumberet, unoque post anno fratri suo Gabrieli abbatiam resignavit.

XXXIII. Gabriel de Lort de Serignan canonicus Narbonensis, schedula regia munitus, ac prætermissa Romanæ sedis confirmatione, abbatiæ possessionem adiit an. 1674. quam an. 1724. fratris filio transcripsit.

XXXIV. Ludovicus Cæsar de Lort de Serignan patrui cessione abbatiam consecutus dimisit an. 1728.

XXXV. N. Marin de Kabringal, *al.* de Querbringal a rege designatur abbas ineunte Junio anni 1728.

XXXVI. R. P. Salvan d'Auterive abbas regularis nominatur a rege mense Augusto anni 1731. idem, ut videtur, qui antea prior Fontis calidi abbatum seriem ordinis annalistæ subministravit.

ECCLESIA ELECTENSIS.

ALET. *Hist. Occit. t. 1. not. p. 738.* Ch. I. col. 101.

MONASTERIUM olim fuit ordinis S. Benedicti fundatum in diœcesi Narbonensi circa annum 813. a Bera comite (Reddensi, ut putatur) & Romella ejus conjuge, ut liquet ex charta fundationis, quam in probationibus tom. 1. novæ rerum Occitanarum historiæ col. 37. editam recudi nostra inter instrumenta curavimus. Cœnobium deprædatus est anno 1032. Petrus Raimundi Biterrensis comes. In charta Berengarii Narbonensis urbis proconsulis, hoc est vicecomitis data anno 1056. memoratur *ecclesia S. Mariæ & cœnobium loci Electi, ubi mirificum habetur lignum Dominicum.* Hic autem *locus Electus* haud dubie nostrum est monasterium, quod quidem ab initio dicatum est sub patrocinio B. Mariæ Virginis, sed cui postmodum patronus alter S. Petrus accessisse videtur; nam Boso abbas Electensis & conventus sancti Petri de Electo anno 1216. XI. calendas Septembris dimiserunt abbati & conventui de Fonte frigido quidquid habebant vel habere poterant in quibusdam locis. Alebat olim amplius triginta monachos; gloriabatur an. 1268. jurisdictione in ecclesiam S. Pauli de Fenolheto, & adhuc anno 1277. in abbatiam S. Polycarpi. In suo diu regulari statu cœnobium perseveravit, etiam post ipsum a Johanne XXII. summo pontifice in ecclesiam cathedralem erectum. Sed antequam de illo ut cathedrali differamus, juvat abbatum historiam texere quanta potuimus investigare diligentia.

SERIES ABBATUM.

I. BENEDICTUS regebat monasteria Electense S. Mariæ, Carcassonense S. Hilarii jam anno 970. & Lezatense sub Guarino abbate generali, cui papa Johannes XV. non vero XIX. uti legitur in appendice Marcæ Hispanicæ col. 966. quinque monasteria regenda commiserat anno 993.

II. G. seu Gregorius, ex edito catalogo diplomatum manuscriptorum bibliothecæ Baluzii pag. 2. n. 4. *al.* Girardus *vel* Geroldus abbatiæ bonorum confirmationem obtinuit a Leone papa IX. pontificatus anno secundo, hoc est 1050. (Ch. VI. col. 106.)

III. Raimundus I. Guillelmum Bernardi de Rouvenac, quando filium ejus in monachum admisit an. 1101. beneficum expertus est. Vide supra in Petro abbate S. Pontii Tomeriensis ad annum 1107. col. 231. Anno 1108. Rogerius comes Fuxensis ejusque filius huic abbati nonnulla restituere, ex tabulario regio castri Fuxensis. Ecclesiam quoque de terra Caplada invasores Petrus Raimundi & Rogerius Isarni eidem reddiderunt anno 1113. testibus Amelio episcopo Tolosano, & Bernardo Baionensi. An. 1116. in ejus gratiam Paschalis II. papa sententiam tulit contra Crassensem abbatem, qua Electensi monasterio ecclesia S. Polycarpi confirmatur. Exstat in appendice nostra una cum ejusdem confirmatione facta in concilio Tolosano anno 1119. præsidente Calixto II. papa, qui paulo antea III. scilicet cal. Julii ejusdem anni privilegia & possessiones monasterii confirmaverat. Testis occurrit Raimundus abbas anno 1126. in transactione Amelium inter episcopum Tolos. & Berengarium Vallis Sigerii abbatem super ecclesia de Amanciana. Denique eo sedente Bernardus ortu Astaracensis, Electensis monachus, primum Baionensis præsul creatus est, deinde archiep. Auscienis, uti t. 1. diximus. (*Prob. t. 2. hist. Occit. col. 372.*; Ch. VII. col. 107.; Ch. VIII. col. 108.)

IV. Bernardus I. Electensis abbas innotescit ex bulla Alexandri papæ III. in qua fit mentio comitis Beræ monasterii fundatoris, & alias inter quas recenset & confirmat possessiones, monasterii S. Pauli, quod dicitur *Valliolas*, meminit. Data est apud Montempessulanum VI. nonas Maii ind. X. Incarnationis Dom. anno 1162. pontificatus domni Alexandri papæ III. anno tertio. (Ch. IX. col. 109.)

V. Pontius Amelii vel Amelius memoratur an. 1167. in veteri charta Narbonensi. An. 1173. transegit cum Arnaldo de Fenoleto. Quoddam *excambium* fecit an. 1176. cum Rogerio vicecomite Biterrensi & Carcassonensi filio Raimundi Trencavelli, ex regio tabulario castri Fuxensis. Legimus in regio Carcassonensi tabulario eumdem Rogerium Pontio abbati hoc ipso anno XVI. cal. Octobris domum in urbe Limosio, mediamque partem totius territorii quod ea in urbe possidebat usque *ad regum detressata* sub quibusdam exceptionibus in allodium elocasse. Occurrit Pontius 1182. mense Septembri in tabulario Fuxensi, & 1190. eodem mense. Defunctus est 1197. cum fossata & muros in villis de Electo, de Cornanello, de Lediniano, de Lapiano, & S. Pauli fieri curavisset.

VI. Bernardus II. de S. Ferreolo ex abbate S. Polycarpi electus est canonice abbas Electensis anno 1197. sed a vicecomite Biterrensi, jussu Bertrandi de Saixaco e sede abbatiali violenter & cum effusione sanguinis dejectus est, inclususque in quadam domo, ubi per tres dies eum vicecomes detinuit, ac interim Pontium Amelii defunctum in abbatiali cathedra jussit collocari, plerisque monachis fugatis, dum successor alius renunciaretur.

VII. Boso cum laudato Bernardo aliquandiu de abbatia disceptavit; quorum causa discutienda primum Berengario Carcassonensi episcopo commissa fuit; sed hic vicecomitis iram metuens eam reliquit Berengario archiepiscopo Narbonensi, qui Bosoni pecunia, inquiunt, ab eo accepta munus rependit benedictionis. Vix Boso hanc gratiam perceperat, cum propter quasdam restitutiones Bernardo de S. Ferreolo electo factas, & alias expensas pro mercata abbatia, cœnobii honores oppigneravit. Regi hominium exhibuit an. 1206. ex archivo regio Carcassonensi. Memoratur 1201. 1215. & 1216. quo anno pridie calendas Decembris omnia sua jura in villa & appenditiis de Turano cum omnibus *albergis*, quas Pontius de Vernet in feudum ab Electensi monasterio tenebat, cessit Bernardo abbati Fontis frigidi, ex archivo hujus cœnobii. Is etiam videtur esse B. abbas Electensis, qui R. abbati Moissiacensi omnia sua jura in ecclesiam sanctæ Mariæ de Cuberiis dimisit, ex tabulario Moissiacensi. Demum intrusus ille sic infra annum bona monasterii obligasse traditur, ut vix inde monachus unus sustentari posset. Quinimo tradidit Electum comiti Fuxensi, apostatavit a fide, seseque adversus ecclesiam adjunctis sibi quinque monachis cum vicecomite Biterrensi opposuit. Verum hæc ubi rescivit Conradus sanctæ sedis apostolicæ legatus, monachos ab Electensi monasterio tanquam religionis corruptores expulit, prædia & jura quælibet ad idem monasterium pertinentia ecclesiæ contulit Narbonensi, & loco monachorum religionis desertorum duodecim canonicos instituit, quibus archidiaconum majorem sancti Justi Narbonensis præfecit. Hæc omnia constant ex epistola Conradi ad ecclesiam Narbonensem data an. 1222. alitera ejusdem ad Honorium papam, alia ad omnes fideles, ac

Ch. x. col. 110.

denique ex ipsius Honorii confirmatione. Ceterum in inquisitione facta de malefactis Bosonis abbatiam tenuisse dicitur annis 30. vel circiter. Et certe adhuc abbas reperitur anno 1227. XV. cal. Julii in charta Trencavelli vicecomitis Biterrensis in gratiam comitis Fuxensis.

Ch. XI. XII. XIII. & XIV. col. 111. 112. 113. & 114. T. 3. hist. Occit. prob. col. 322.

VIII. Udalgerius de Ajorto nondum abbas erat anno 1232. in bulla siquidem Gregorii IX. qua hoc ipso anno delegat abbates Rivipullensem & Grandis silvæ ac priorem Rivipullensem ad Electensis monasterii procurandam monachis restitutionem, fit tantummodo mentio prioris Electensis, uti etiam in aliis ejusdem papæ litteris, quibus nullam & irritam declarat sententiam excommunicationis latam in archiepiscopum Narbonensem, quod Electense monasterium teneret. Verum paulo post B. de Emiliano S. Papuli & Rogerius de Esculenchis S. Polycarpi abbates interfuerunt Udalgerii electioni factæ anno saltem 1234. quo multa hæreticorum Albigensium prædia fisco addicta cœnobio suo comparavit ab Odone Coco milite, senescallo regis in tractu Albigensi, de quibus hominium exhibuit regi, ex archivo regio Carcassonensi. Anno 1237. V. idus Januarii brevi pacturus dicitur cum P. Narbonensi archiepiscopo, sequestro J. archiepiscopo Viennensi sedis apostolicæ legato, super transactione, & ecclesiarum castellorumque facta olim inter se commutatione, ex tabulario capituli Narbonensis. Et certe exstat epistola J. Viennensis archiepiscopi ad Gregorium papam de facta compositione Narbonensem inter archiepiscopum & monachos Electenses. At fortasse huic compositioni altera pars non stetit, alia quippe inita fuit an. 1246. sequestro Guillelmo Anianæ abbate, quam Innocentius papa IV. litteris Carcassonensi episcopo inscriptis confirmavit an. 1247. Habetur & alia similis ejusdem pontificis bulla anni 1247. 20. Julii a Baluzio laudata in catalogo diplomatum mss. pag. 9. num. 55. in qua Udalgerius solummodo *electus* dicitur, ubi Baluzius observat nunquam illam fuisse plumbo munitam. Udalgerius adhuc *electus* duntaxat nuncupatus interfuit electioni Ermengaudi Jocundensis abbatis an. 1253. neque alio titulo donatur 1258. in charta Petri de Tremoine, ob hanc procul dubio rationem, quia Narbonensis archiep. eum confirmare & consecrare detrectabat.

Ch. XV. col. 114. Ch. XVI. col. 115. Ch. XVII. col. 116. Ch. XVIII. col. 117.

IX. Raimundus II. an. 1267. dicitur abbas Electi & papæ capellanus in charta regii patrimonii Monspeliensis. Insequenti omnimodam in ecclesiam S. Pauli de Fenolheto jurisdictionem sibi vindicabat, ut patet ex ipsius litteris ad archiepiscopum Narbonensem datis hoc anno 1268. occasione statuti, quod archipræsul pro hac ecclesia condiderat, ex archivo Narbonensi. Anno 1269. Maurinus archiepiscopus eum declaravit excommunicatum, necnon & quosdam monachos, quod cum abbate communionem habuissent. Compromisit an. 1275. in G. abbatem S. Pauli de controversia, quam habebat cum archiepisc. Narbonensi ratione jurisdictionis in abbatiam S. Polycarpi. Idem prima nominis littera designatus & B. abbas S. Polycarpi adfuisse memorantur

sententiæ ab inquisitoribus Carcassonensibus latæ adversus Bernardum Carripres Limosii mercatorem & Guillelmam uxorem ejus, qui in hæresim relapsi obierant an. 1279. ex tabul. Inquisitionis.

X. Bertrandus abbas Electensis transigit an. 1284. cum P. archiepiscopo Narbonensi.

XI. Petrus abbas Electensis instrumento peculiari dato XII. calendas Septemb. 1303. adhæsit appellationi factæ ad concilium generale a Philippo Pulcro Francorum rege adversus Bonifacii VIII. papæ usurpationes.

XII. Bartholomæus fuit abbas ultimus Electensis, deinde primus episcopus: nempe cum jam quingentis & amplius annis hæc abbatia substitisset, placuit Johanni papæ XXII. eam in ecclesiam cathedralem erigere, ut quæ prius diœcesis Narbonensis portio, ejusdem ecclesiæ metropolitanæ suffraganea foret. Antea quidem decreverat pontifex episcopalem sedem in civitate Limosio diœcesis Narbonensis constituere; jamque Durandum ejusdem loci designaverat præsulem, quem a tempore promotionis in curia Romana detentum, Johannes d'Isartis ipsius vicarius generalis excusavit, quod adesse non posset concilio Biterrensi anni 1317. Verum paulo post certis de causis, & maxime ob intercessionem archiep. Narbonensis, inde pontifex sedem episcopalem transtulit ad abbatiam de Electo, cujus ecclesiæ tametsi in sæcularem conversæ S. Benedictus hactenus unus e præcipuis patronis habetur. De hac ut episcopali nunc agendum.

EPISCOPI ELECTENSES.

ANNI CHRISTI

ELECTUM, seu Electa & Alecta urbs est pagi & comitatus Reddensis in Occitania inferiori, sub parlamento Tolosano, ad radices montium Pyrenæorum, in valle satis fertili, quæ fluvio Atace alluitur, una supra Limosium leuca, quatuor ad meridiem Carcassona, ac totidem sed majoribus Mirapice ad Orientem. Diversa est ab Alesio diœcesis olim Nemausensis, nunc vero episcopali sede decorata, & ab Aletho in Armorica, jam dudum episcopali S. Maclovii sede. Episcopatus, de quo nunc agitur, *Aletensis* vocatur a Josepho Scaligero; & in notitia provinciarum Galliæ, quam ope veterum codicum emendatam a se ait Hadrianus Valesius, recentemque ac mendosam esse non dubitat, *civitas Aletensium* appellatur, & quarto loco ponitur in provincia Narbonensi post Narbonam, Tolosam & Agatham, quinque veteribus civitatibus, ait, nova civitas absurde prælata. Nec ideo tamen quis dicat in eumdem nos, vel etiam graviorem errorem impegisse, qui tertio loco hunc episcopatum collocamus. Ut enim supra diximus in ecclesia S. Pontii Tomeriensis, idcirco tantummodo hasce duas ecclesias longe antiquioribus dicendi ratione præponimus, quod olim fuerint Narbonensis ecclesiæ portiones, & cum ea illarum historiæ arctius connectantur. Insigniora præ ceteris loca in hac diœcesi continentur, Electa urbs primaria, Mazerolles, Villa longa, Monsferrandus balneis insignis, Lucus, pagus Saltus *le pays de Sault*. In ea parochiales ecclesiæ octoginta vel circiter recensentur, & aliæ 35. ad succurrendum, cum duobus religiosis conventibus, altero FF. Prædicatorum Quillæ, & altero S. Augustini familiæ apud Cauderiam, *Caudiez*. At in primis suspicitur ecclesia collegiata S. Pauli de Fenolheto *de Fenouilledes* in urbe cognomine, cui tres dignitates, duodecim canonici & triginta semipræbendati deserviunt. De illa inferius in veteribus monasteriis disseremus. Vocem habent Electenses præsules in comitiis provinciæ, & in ecclesiæ suæ capitulo, ad quos etiam pertinet collatio dignitatum de novo erectarum, sic tamen ut eas aliis quam ejusdem ecclesiæ canonicis dare nequeant, alioquin nullæ & invalidæ, ac pro ea vice ad sedem apostolicam devolutæ essent; collatio vero aliarum octo præbendarum ad episcopum & canonicos alternatim spectat. De sexdecim beneficiis perpetuis soli disponunt canonici per turnum, exceptis quatuor, quæ sunt collationis archidiaconi. Constat ergo cathedrale collegium, beneficio bullæ Clementis VII. datæ XV. calend. Decembris an. 1531. factum sæculare, duodecim canonicis, decano, archidiacono, thesaurario & præcentore comprehensis, ac præter hos, sexdecim complectitur perpetuos beneficiatos clericos, quibus omnibus refectorium monachorum loco cathedralis ecclesiæ inservit ab anno 1573. quo pene tota vetus ecclesia eversa fuit ab heterodoxis. Nunc de singulis pro more nostro dicendum præsulibus, quorum quilibet infra secundum a præstito regi sacramento mensem debet cameræ computorum Parisiensi sexcentas libras pro litteris liberæ fructuum perceptionis inscribendis.

I. BARTHOLOMÆUS.

IS etiam Bertholdus aliquando nuncupatus, ex ultimo abbate primus novæ cathedralis ecclesiæ renunciatur antistes bulla Johannis papæ XXII. data Avenione calendis Martii anno pontificatus secundo. Haud multo post, die videlicet prima Julii anno 1318. servitia debita pollicitus est. Eodem anno idibus Novembris Bartholomæo episcopo, & magistro Ayquelino Engolismensi, ac Raimundo Eduensi archidiaconis bulla ejusdem papæ inscribitur, qua pontifex Pilum-fortem electum Legionensem transfert ad ecclesiam Rivensem, ex regesto Johannis XXII. asservato in archivo vicelegati Avenionensis. In ipsum quoque 4. Aprilis ejusdem anni procuratores fratrum Prædicatorum Appamiensium & monialium de Valnegre compromiserunt super medietate capellæ Agnetis comitissæ Bigorritanæ, ex tabulario Bolbonensi. Dicitur in jure peritissimus anno 1319. die Sabbati 8. Decembris in sententia lata adversus fratrem Bernardum Delitiosi

Ch. XIX. col. 117.

1318.

1319.

ANNI CHRISTI

ordinis Minorum de veneno Benedicto XI. papæ propinato accusatum. Memoratur an. 1321. in charta divisionis bonorum factæ inter episcopum & capitulum. Se vidisse testatur bullam Johannis papæ XXII. qua docendi sacram theologiam in locis, ubi studia non essent generalia, fratribus Prædicatoribus facultas conceditur III. calendas Julii an. 1323. ex tabulario Carcassonensi. Exstat ejusdem papæ ad Bartholomæum episcopum & ad Bernardum abbatem S. Theofredi diœcesis Aniciensis rescriptum apostolicum, quo eos pontifex mittit in Russitaniam, ut vice sua Lituaniæ regem Gedeminnem vel Gedeminum in fide catholica instruant & aquis salutaribus abluant. Datum est Avenione die 1. Junii an. 1324. ex t. 8. fragm. Stephanotii pag. 69. & Baluzio in catalogo diplomatum mss. pag. 20. n. 132. non vero 1317. uti legitur tom. 1. Anecdotorum col. 1349. Reperitur eodem anno 1324. in regesto cameræ rationum Monspeliensis, & adhuc 1329. quo indictione XII. die Dominica post festum Nativitatis B. Mariæ, IV. idus Septembris, cum aliis pluribus intererat, quando primores Occitanæ provinciæ, & maxime civitatis Carcassonensis juraverunt se tam hæreticos, quam eorum fautores justis omnibus modis & rationabilibus insectaturos.

Baluz. t. 2. vit. pap. Aven. col. 346. 1321. 1323. *Chron. Prussiæ pag. 404. & Odor. Rain. ad annum 1324. §. 45.* 1324. 1329.

II. GUILLELMUS I.

DE ALZONA al. DE MARCILLAC.

Alzona Guillelmi natalis locus vicus est Carcassonensis tractus. Abbas erat B. Mariæ Crassensis adhuc 1332. die 25. Octobris, quo statuta condidit, quæ confirmata fuere a Nicolao Rogerii ejus in hac abbatia successore, quinimo adhuc erat anno 1333. die Veneris ante festum Purificationis B. Mariæ, quo pro suis & monasterii negotiis in remotis agere & ad Romanam curiam Avenione sedentem proficisci paratus, duos monachos vicarios generales creavit, ex actis monasterii Crassensis. Hinc ergo manifestum est non 1332. die 26. Augusti, ut habent Sammarthani, sed 1333. uti revera legitur in libro Obligationum Vaticani, Guillelmum ad sedem Electensem promotum fuisse. Memoratur Guillelmus episcopus Electensis 1338. & 1340. in charta sancti Polycarpi. Hujusce temporibus Clemens VI. papa dato diplomate IV. calendas Junii pontificatus anno secundo, hoc est 1343. decrevit ac voluit, ut sola capitula cathedralia regularia suffragia ferrent in episcoporum suorum electione.

1333. 1340. *Baluz. t. 2. vit. pap. Avenion. col. 615.*

III. GUILLELMUS II.

Renunciatus Electensis antistes Guillelmus die 26. Maii anno 1348. ex libro Obligationum Vaticani, obsequium & obedientiam promisit Petro Narbonensi archiepiscopo 16. Augusti 1349. ex tabulario capituli Narbonensis. Ab eodem Petro litteris datis apud castrum de Montiliis 28. Septembris 1351. vocatus est ad concilium provinciale Biterris die 7. Novembris ejusdem anni celebrandum. Denique 25. Maii anno 1354. servitia debita cameræ apostolicæ promisit.

1348. 1349. 1351. 1354.

IV. ARNALDUS.

DE VILLARIO.

Antea fuit Arnaldus Mirapicensis episcopus, unde ad Electensem ecclesiam translatus memoratur die 3. Julii an. 1362. in libro solutionum sub Innocentio papa VI. Occurrit ibidem 13. Julii 1363. & 20. ejusdem mensis, quo servitia debita pro Mirapicensi ecclesia jam tum episcopus Electensis promisit, ex libro Obligationum Urbani V. Interfuit 1368. synodo Vaurensi, ut observat Catellus in commentariis Occitaniæ & legitur in actis hujus concilii, quanquam ad litteras ejusdem convocationis soli responderant vicarii generales die 3. Maii se obtemperaturos, ex Baluzio in catalogo diplomatum mss. pag. 43. num. 35. Reperitur an. 1372. in veteri Mirapicensis ecclesiæ instrumento. Convenit anno 1374. mense Aprili ad concilium provinciæ Narbonensis, ex ejusdem actis, ad quod celebrandum 15. Aprilis eum Petrus archiepiscopus litteris datis prima die Februarii invitaverat, ex Baluzio libro citato p. 44. n. 48. Anno denique 1376. memoratur in electione consulum de Cabanes.

1362. 1363. 1368. 1372. 1374. 1376.

V. PETRUS I.

DE RABAT.

Transiit Petrus ab hac sede ad Carpentoratensem, cui jam an. 1377. præfuisse diximus t. 1. & inde ad S. Pontii Tomeriensem, ubi vide.

VI. ROBERTUS.

DU BOIS al. DU BOSC.

Gente Arvernus Robertus an. 1386. die 6. Augusti pro Electensi ecclesia cameræ apostolicæ servitia debita promisit, ex libro Obligationum Vaticani. Adhuc erat episcopus Electensis 10. Junii an. 1390. at eodem anno 12. Decembris in regesto Clementis VII. papæ dicitur primum Electensis, deinde Conseranensis (omissus a nobis tom. 1.) & nunc Mimatensis.

1386. 1390.

VII. HENRICUS I.

E Vabrensi cathedra ad Electensem translatus est Henricus 10. Junii an. 1390. quo debita servitia recognovit pro Roberto decessore. Henrico prorogatum fuit tempus die 23. Junii an. 1391. ad solvendum ex regestis Vaticani. Memoratur die 16. Julii an. 1394. in regesto thesauri regii 153. num. 435. in quo de eo hæc leguntur: *Henricus miseratione divina episcopus Electensis, & administrator perpetuus ecclesiæ Constantiensis, cubicularius domini nostri .... D. Antonium abbatem monasterii S. Polycarpi diœcesis Narbonensis vicarium suum generalem constituit in spiritualibus & temporalibus civitatis & diœcesis Electensis. Datum Avenione sub sigillo nostro, quo utebamur, dum Constantiensi ecclesiæ præeramus, & cujus regimen obtinemus, die XXVII. mensis Maii anno a Nativitate Domini MCCCXCV. pontificatus Benedicti papæ XIII. an. 1.* Denique occurrit Henricus an. 1398. in charta S. Hilarii, ubi ad nominationem abbatis S. Hilarii curam ecclesiæ S. Saturnini de Bressia contulisse legitur. Ceterum de Vabrensi & Constantiensi, utrum ad Rhenum, utrum in Normannia, ecclesiis

1391. 1394. 1395. 1398.

ANNI CHRISTI

quas hic gubernasse dicitur, nihil aliud hactenus a nobis repertum est.

VIII. PETRUS II.

De hoc episcopo nihil prorsus dicendum suppetit, nisi quod proxime sequentem præcesserit, ex regestis Vaticani.

IX. NICOLAUS.

Per obitum Petri Nicolaus ordinis fratrum Prædicatorum alumnus promotus legitur ad episcopatum Electensem a Bonifacio papa IX. pridie calendas Decembris an. 1400. pontificatus duodecimo, ex regestis Vaticani. [1400.]

X. HENRICUS II.

Innotescit Henricus ex actis concilii Pisani an. 1409. in quibus inter prælatos recensetur qui huic concilio per legatos adfuere. [1409.] Reperitur & an. 1419. [1419.] in instrumento unionis ecclesiæ parochialis sancti Petri cum collegiata S. Pauli de Fenolhedes: quo demum anno e vivis sublato Henrico, quatuor suffragiis Petrus Condomiensis episcopus postulatur, tredecim vero Johannes Corserii camerarius, sed Martinus papa V. Petrum Condomiensem præsulem Electensi præfecit ecclesiæ VI. idus Januarii pontificatus anno quarto, hoc est 1421. Johannes autem Corserii eidem tunc successit in cathedra Condomiensi, non vero an. 1418. uti tomo 2. diximus col. 965. Interim æmulus Martini V. Benedictus XIII. fratrem Petrum Leutevensem episcopum 15. Januarii an. 1420. aut 21. renunciavit Electensem, ex regesto hujus antipapæ, sed hic neutri præfuisse videtur ecclesiæ.

XI. PETRUS III.

[ASSALBITUS.]

Patria Lemovix Petrus Assalbitus ordinis Eremitarum S. Augustini alumnus, Petri Amelii episcopi Tarentini & patriarchæ Alexandrini nepos, & an. 1403. successor in officiis sacristæ, confessarii & bibliothecarii apostolici, prior S. Martini Burdegal. ord. S. Bened. abbas commendatarius Planæ silvæ ordin. Præmonstr. episc. Olorensis, inde Condomiensis, ac tandem postulatione capituli Electensis & provisione Martini V. sexto idus Jan. pontificatus anno IV. Electensis antistes; [1421.] ad cujus petitionem idem Martinus V. corpus S. Monicæ ordini Eremitarum S. Augustini concessit. Hæc desumta sunt ex Josepho Pamphilio in chronico ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini & ex Encomiastico Augustiniano Philippi Elssii Bruxellensis. Anno 1427. [1427.] Petrus ordinis Eremitarum S. Augustini, Martini papæ V. confessarius & episcopus Electensis transegit cum archiepiscopo & capitulo Narbonensi. In remotis agebat an. 1430. [1430.] quo per procuratorem Petrum de Chamboneto interfuit concilio apud Narbonam celebrato. Nempe degebat Romæ cum Martinus V. bulla data v. calendas Maii pontificatus anno XIII. factam a Petro episcopo Electensi & sacrista capellæ apostolicæ, & a præfecto generali ordinis Eremitarum S. Augustini translationem corporis S. Monicæ, ex urbe Ostiensi in urbem Romam & quidem in ecclesiam dictorum Eremitarum confirmavit, ex tabulario fratrum Augustinianorum Tolosæ. Adhuc in Urbe morabatur mense Julio anni 1431. [1431.] quo inibi sigillum apposuit die XI. Julii litteris Bertrandi Roberti electi Magalonensis ad abbatem Anianensem aliosque pro apprehendenda ipsius nomine episcopatus possessione. Præsens legitur responsis factis ab Eugenio IV. die 25. Aprilis 1432. [1432.] oratoribus Sigismundi regis Romanorum. [Tom. 8. vet. script. Martenn. col. 130.] Subscripsit quoque litteris episcoporum provinciæ Narbonensis ad patres Basileæ congregatos 26. Novembris 1435. [1435.] in gratiam Gerardi translati a sede Appamiensi ad ecclesiam S. Pontii Tomeriarum. Idem a summo delegatus pontifice univit monasterio B. Mariæ Crassensis prioratum ruralis & sæcularis ecclesiæ S. Petri de Pratis diœcesis Narbonensis anno 1437. [1437.] die Mercurii 26. Junii. [Ibid. col. 776.] Mortem ipsius consignat Josephus Pamphilius an. 1440. [1440.]

XII. ANTONIUS I.

[DE SAINT ESTIENNE.]

Floruit Antonius in episcopatu Electensi jam anno 1441. [1441.] quo interfuit Occitaniæ comitiis a Carolo VII. Francorum rege coactis apud Montem Albanum, ex tom. 1. Annalium urbis Tolosæ pag. 198.

XIII. PETRUS IV.

Bullam accepit Petrus anno 1443. [1443.] ab Eugenio IV. qua eximitur a jurisdictione archiepiscopi Narbon. Ejusdem fit mentio anno 1444. [1444.] in documento Carthusiæ Castrensis, ex schedis D. Martenne. Vitam clausisse an. 1448. [1448.] tradunt Sammarthani. Et certe per obitum Petri suffectus est qui sequitur, ex regestis Vaticani.

XIV. HELIAS.

[DE POMPADOUR.]

E nobili stirpe de Pompadorio in Lemovicibus Helias ortus Johannem Heliam hujusce nominis primum, dominum de Pompadorio & Magdalenam de Ventadorio parentes habuit, nepotes vero ex fratre Gulferio Gofridum Petragoricensem & Antonium Condomiensem episcopos. Is ex archidiacono Carcassonensi, sive ut alibi legimus, ex archidiac. Montislauri in ecclesia Carcassonensi, quam dignitatem habuerat post Raimundum de Pompadorio sibi controversam an. 1442. ab Arnaldo de Salmes post canonico Carcassonensi, electus est episc. Electensis 18. vel 19. Febr. anno 1. Nicolai V. seu promotus IX. cal. Martii ejusdem anni, ut alibi legimus. Romam accessit eodem anno 1448. mense Julio cum archiepiscopo Remensi & aliis regis Caroli VII. legatis ad Nicolaum V. pro schismatis exstinctione: qua de re ipsius & aliorum oratorum vide litteras Lausanæ datas die 4. Aprilis anno 1449. [1449.] [Spicil. t. 4. p. 345. & tom. 7. pag. 297.] Idem quoque senatoria in suprema Tolosatum curia dignitate conspicuus sæpius memoratur ab Alano Chartier in historia Caroli VII. regis. Occurrit anno 1450. [1450.] in charta Electensis ecclesiæ. Anno 1452. [1452.] ante Pascha una cum aliis delegatus ad imponendam 120000. librarum summam in tractibus Alniensi & Santonensi

ANNI CHRISTI

imperatam a rege, centum libras Turonenses accepit, ex charta authentica collectionis D. de Gagneres. Geraldum Massoti decanum ecclesiæ collegiatæ S. Pauli de Fenolhedes vicarium generalem delegat die 2. Maii 1453. pro uniendo vicariatu de Arzano ecclesiæ parochiali de Sornhaco; qua de unione visa & audita Geraldus in acta retulit 21. Junii ejusdem anni, ex tabulario capituli Narbonensis. Exeunte anno sequenti translatus est ad episcopatum Vivariensem.

1453. 1454.

XV. LUDOVICUS.

D'AUBUSSON.

E monacho Benedictino & priore Villæ Dei, aiunt Sammarthani, Ludovicus creatus est episcopus Electensis die 2. Decembris anno 1454. octavo Nicolai papæ V. Haud quidem plura de hoc præsule nobis suppeditat vetus Gallia Christiana, verum conjicimus hunc ipsum esse Ludovicum d'Aubusson, qui ex priore Mauritaniæ *Mortagne* dependentis ab abbatia S. Michaelis in Eremo suffragiorum pluralitate electus est episcopus Tutelensis post obitum Hugonis fratris, & confirmatus sententia officialis Bituricensis 2. Maii 1455. contra Guiscardum de Comborn abbatem Uzerciæ tertia suffragiorum parte donatum. Vide tom. 2. col. 672.

Ludovico Sammarthani subrogant Durandum Petit, de quo, inquiunt, Catellus in catalogo episcoporum Electensium; sed aliunde nobis plane ignotus est Durandus. Et certe ei locus non suppetit, uti colligitur ex historia Tutelensi, auctore viro clarissimo Baluzio p. 764. cum enim, inquit, vacasset episcopalis sedes Electensis an. 1455. obtinuit eam rex pro Stephano de Comborn fratre balivi Turonensis, qui donatus interim episcopatu Tutelensi, hunc alteri prætulit, qua de re vide loco citato placitum regii consilii datum 18. Junii ejusdem anni. Neutro tamen episcopatu potitus est.

XVI. AMBROSIUS.

DE CAMERATO vel DE CAMERACO.

Obtinuit Ambrosius episcopatum Electensem anno 1. Calixti papæ III. seu 1455. die 23. aut 24. Septembris, ex regesto provisionum pontificum. Romæ procuratorem egit Johannis de Bourbon episcopi Aniciensis & administratoris archiepiscopatus Lugdunensis pro Carolo nepote, in controversia de jure primatiæ adversus archiepiscopum Rotomagensem, quam causam Calixtus III. discutiendam commisit cardinali Capranicæ, seu sanctæ Crucis. Bullas obtinuit anno 1459. a Pio papa II. pro abbatia S. Germani a Pratis vacante per obitum Hervei Morillon ultimi possessoris extra Romanam curiam defuncti; verum cedere coactus est Henrico Mené ejusdem abbatiæ alumno, & præposito S. Germani subtus Monasteriolum ad Icaunam *Montreau* fratrum calculis electo, volente rege Carolo VII. & ipso annuente papa die 4. Julii insequentis. Circiter annum 1460. Ambrosius quondam Electensis episcopus reum se confitetur de assimulatis litteris pro dispensatione matrimonii Johannis comitis Armaniaci cum sorore sua germana contrahendi. Vide Odor. Rain. ad annum 1460. §. 113. & tom. 5. hist. Universitatis Parisiensis pag. 867.

1455. 1459.

XVII. ANTONIUS II.

GOBERT.

In regesto provisionum pontificum reperitur Antonius Electensis antistes nonis Septembris Pii II. anno quarto, hoc est 1461. & 1464. in charta S. Pauli de Fenolhedes; ac proinde hic est Antonius Gobert, qui quod comitiis provinciæ Anicii celebratis præsens adfuisset, quinquaginta libras sibi assignatas percepit 1464. 25. Aug. ex charta authentica collectionis D. de Gagneres in bibliotheca regia.

1461. 1464. 1464.

XVIII. GUILLELMUS III.

OLVIA, OLIVERII, & OLIVE.

Defuncto Antonio Guillelmus Olvia vel Oliverii clericus Narbonensis, juris utriusque doctor subrogatus est in Electensi cathedra XVIII. cal. Decembris 1467. Pauli II. anno quarto. Hunc contradixisse Narbonensis archiepiscopi auctoritati probant litteræ Ludovici XI. regis datæ Tolosæ an. 1470. in gratiam ejusdem archiepiscopi. Anno 1472. 28. Octobris sexaginta libras Turonenses accepit quod Occitaniæ comitiis adfuisset; centumque eadem de causa 9. Januarii an. 1477. ex chartis authenticis collectionis D. de Gagneres, in quarum ultima cognominatur *Olive*, regique dicitur a consiliis. Denique in remotis agebat Guillelmus anno 1486. per cujus obitum

1467. 1470. *Baluz. catal. Diplom. mss. p. 2. pag. 75. n. 42.* 1472. 1477. 1486.

XIX. PETRUS V.

DE HALLWYN.

Clericus Morinensis diœceseos Petrus & notarius apostolicus, filius Jodoci ex Johanna de la Tremoille, quam Jodocus an. 1462. altero conjugio uxorem duxerat, electus præsul Electensis an. 1487. XI. cal. Decemb. ex regesto Innocentii papæ VIII. cessit anno sequenti.

1487.

XX. GUILLELMUS IV.

DE RUPEFORTI.

Ex abbate Montis olivi Guillelmus fit episcopus Electensis per cessionem Petri, cum licentia retinendæ ejusdem abbatiæ die 4. Februarii anno 1489. ex regesto Innocentii VIII. Tunc adhuc annus 1488. computabatur apud nos, quo jam sedisse dicitur a Martennio. Anno 1491. die prima mensis Maii, quæ fuit Dominica, electus & confirmatus Petrus promisit obedientiam Francisco archiepiscopo coram Isarno Magalonensi episcopo, domini Narbonensis vicario. Adhuc memoratur 1498. in schedis Martennii. Optimus fuit episcopus, ovium suarum utilitatibus jugiter invigilans, de residentia potissimum laudatus. Vivere desiit anno 1508. Interim Raimundus de Guercio jam episcopus Electensis & cardinalis legitur die 8. Julii anno 1498. in collectione chartarum authenticarum D. de Gagneres vol. 2. episcopatuum, & Petrus de Lanafranca Electensis electus per obitum Guillelmi cedentis vel intrusi 8. Aprilis 1500. sub Alexandro VI. in regestis Vaticani; at neuter tunc possessionem adeptus est, nam ex eisdem regestis suffectus est qui sequitur Petrus-Raimundus per obitum N. de Rupe, quod de Guillelmo de Rupeforti intelligendum, alioquin quatuor intra brevissimum temporis spatium admittendi

1488. 1491. 1498. 1508.

ANNI CHRISTI

forent episcopi, quorum duo ejusdem fere cognominis, quod a verisimilitudine abhorret.

DE GUIERT.

XXI. Petrus Raimundus.

In regestis pontificum sæpius memoratis legitur Petrus de Guercio factus episcopus Electensis die 7. Junii an. 1508. per obitum N. de Rupe. Vocatur Petrus Raimundus de Guercio & aliquando solum Raimundus de Guercio in documentis abbatiæ *de la Saisia*, seu Soricinienfi, cujus accepisse possessionem dicitur die 4. Febr. anno 1509. In suo tamen ad episcopatum jure interpellatus est a Johanne de Michaele abbate S. Polycarpi, & fratre Johanne de Podio monacho Benedictino, se dicentibus electos ejusdem ecclesiæ. Et certe Johannem de Podio abbatem sancti Tiberii postulatum, seu electum fuisse ab Electensis ecclesiæ monachis, colligitur ex parlamenti Tolosani senatusconsulto dato 29. Novembris an. 1511. quin & fere invitum adiisse possessionem dicemus in catalogo abbatum sancti Tiberii. Antea videlicet lite adhuc pendente Johannes hoc ipso anno procuratorem constituerat ad resignandum jus suum in manibus papæ in favorem Petri, postea que revocaverat die 14. Julii ejusdem anni. Causa nihilominus vicisse Petrum Raimundum liquet, accedente, ut credere par est, nova summi pontificis bulla precibus Francisci I. Francorum regis concessa per obitum Petro Raimundo abbati B. Mariæ de Quadraginta, uti legimus in regesto nomina Ludovici XII. & Francisci I. præferente fol. 308. tumque Johannem ultro cessisse, in multis enim actis publicis, ubi deinceps Johannis nomen occurrit usque ad mortem, quæ contigit an. 1521. solum dicitur abbas, non episcopus, contra vero Petrus Raimundus in schedis Martennii sedisse legitur annis 1511. 12. 17. 20. & 21. quo anno, inquit, Petrus Tramundus *lege* Petrus Raimundus, episcopus Electensis & abbas Soricinii, postea Vaurensis antistes memoratur in charta S. Polycarpi. Vaurensem tamen episcopatum obtinuisse non ita certum videtur; adhuc enim Petrus Raimundus de Guiert episcopus Electensis recensetur ab eodem Martennio 1523.

1511. 1521. 1523.

XXIII. Egidius.

Per obitum Raimundi Egidius episcopatum Electensem assecutus est 12. Jan. an. 1525. ex regestis Vaticani.

1525.

DE JOYEUSE.

XXIII. Guillelmus V.

Natus Guillelmus ex parentibus Guillelmo vicecomite de Gaudiosa & Anna de Balsac, fratrem habuit Ludovicum sancti Flori in Arvernia episcopum. Præerat Electensi ecclesiæ anno saltem 1531. quo precibus ejus favente Francisco I. rege Francorum Clemens VII. papa hanc ecclesiam ex regulari sæcularem effecit bulla data XV. calendas Decembris anno pontificatus octavo, quam vide inter instrumenta. Adhuc sedebat 1540. ex veteri Gallia Christiana, simul abbas Cambonii, diœcesis, ut putamus, Vivariensis.

1531. Ch. XX. col. 118. 1540.

Alter Guillelmus de Joyeuse Johannis vicecomitis Guillelmi superioris fratris ex Francisca de Voisins filius, Electensem cathedram obtinebat anno Christi 1550. ex Sammarthanis. Occurrit etiam anno 1555. in charta S. Polycarpi, & in alio veteri documento 1557. 18. Maii. At necdum inauguratus cessit, imo, ut credere par est, necdum sacris ordinibus initiatus, quippe qui postmodum marescallus Franciæ & Occitaniæ prorex, ex connubio Mariæ de Batarnay parens fuit Annæ ducis de Joyeuse, Francisci cardinalis & Henrici comitis du Bouchage.

DE LESTRANGE.

XXIV. Franciscus I.

Antea regi Carolo IX. ab eleemosynis Franciscus, ex Baluzio, fit episcopus Electensis per cessionem Guillelmi de Gaudiosa 26. Januarii 1560. ex regesto provisionum pontificum, hoc est confirmatur; hunc enim esse putamus N. de Lestang qui jam anno 1557. die 5. Januarii, id est 1558. adfuit pro Alençonio cœtui notabilium habito in aula S. Ludovici curiæ parlamenti Parisiensis. Certe memoratur Franciscus an. 1560. rebusque humanis exemtus est 1564.

1560. 1564.

D'ACQS vel DAX.

XXV. Antonius II.

Canonicus & præcentor Electensis ecclesiæ, & abbas S. Polycarpi Antonius d'Acqs eligitur episcopus Electensis die 26. Sept. anno 1564. bullaque pontificia data per obitum Francisci de Lestrange confirmatur die 8. Junii anno 1565. Reperitur anno seq. in chartis sancti Polycarpi & S. Pauli, & adhuc 1571. Sammarthani hisce duobus prætermissis Franciscum de Joyeuse inducunt, sed nullis probationibus adductis.

1565. 1571.

DE L'ESTANG.

XXVI. Christophorus.

Patria Brivensis Christophorus patrem habuit Stephanum præsidem in curia præsidiali Brivensi, & prætorem ejusdem urbis, matremque Aloysiam de Juyé ac fratrem Jacobum de l'Estang in senatu Tolosano præsidem infulatum. Leutevensis primum episcopus consecratur anno 1581. quam ecclesiam adhuc regebat anno 1602. tum fuit episcopus Electensis antecessoris resignatione, ac tandem Carcassonensis 1603. abbas etiam Uzerciæ & Montis olivi.

DE POLVEREL.

XXVII. Petrus VI.

Romæ decessit Petrus de Polverel Christophori nepos, quo profectus erat bullas impetraturus anno 1603. ætatis suæ trigesimo, conditusque est in basilica S. Mariæ de Monte juxta tumulum Marci Antonii Muret, fere ad suppedaneum majoris altaris, die 20. Augusti, ex necrologio Minimorum SS. Trinitatis in monte Pincio.

1603.

DE POLVEREL.

XXVIII. Stephanus.

Superioris frater Stephanus parentibus natus est Guillelmo domino de Trebeyret & Antonietta de l'Estang Christophori episcopi Electensis sorore. Primum militiam secutus est, deinde fuit episcopus Electensis, cujus ecclesiæ possessionem adeptus

ANNI CHRISTI 1607. 1608. 1609. 1612.

adeptus est die 24. Augusti anno 1607. eoque titulo memoratur 1608. in commentariis cleri Gallicani. Interfuit anno sequenti Narbonensi concilio, ac 1612. comitiis cleri Gallicani. Fuit etiam magister capellæ regiæ Ludovico XIII. regnante, ac Mariæ Mediceæ reginæ major eleemosynarius. Præsens quoque subscripsit codicillis cleri Gallicani in Parisiensibus comitiis generalibus 1614. ac 1615. & 1625. tandemque mortuus 1637. 25. Aprilis sepulturam in ecclesia Electensi accepit. Is est haud dubie episc. Electensis, qui una cum S. Pontii antistite habuisse cum rebellibus societatem insimulatus est, cumque a sedis apostolicæ delegatis sedentibus Parisiis apud magnos Augustinianos ultima Dec. an. 1633. uterque interrogatus fuisset, uterque liber ad suam quisque dioecesim dimissus est.

1614. 1637.

XXIX. Nicolaus.

PAVILLON.

Ortu Parisinus Nicolaus Pavillon presbyter Missionis, Stephani in camera rationum Parisiensi auditoris filius, ad ecclesiam Electensem per obitum Stephani de Polverel assumtus est a rege Ludovico XIII. mense Junio anni 1637. Publicam ad populum habuit concionem in solemni B. Mariæ de Soricinio dedicatione 8. Septembris an. 1642. Interfuit sacræ inunctioni Petri de Marca episcopi Consoranensis & Francisci Bosquet episcopi Leutevensis utrique factæ a Claudio de Rebé archiepiscopo Narbonensi an. 1648. Clemens IX. summus pontifex litteris datis 19. Januarii 1663. Nicolao gratulatus est quod formulario Alexandri VII. obediens subscripsisset. E vivis excessit Electæ e sua nunquam dioecesi egressus, vir, aiunt Sammarthani, spectata laude virtutis, ac vitæ exemplo, & assidua indefessaque cura episcopali oneri administrando invigilans, die 8. Dec. an. 1677. ætatis 80. episcopatus 38. Jacet in cœmeterio S. Andreæ cum hoc epitaphio, quod in feretro conditum est: *Hic jacet Nicolaus episcopus Electensis, pauperum pater, piorum consiliarius, cleri lumen & præsidium, disciplinæ, veritatis, ac libertatis ecclesiasticæ propugnator; Vir in magna sapientia, in virtutum cumulo, in laudum præconiis humillimus, in rerum vicissitudinibus sibi semper æqualis, spiritu fervens, sollicitudine impiger, patientia consummatus. Implevit annum episcopatus 38. ætatis 80. Obiit anno 1677. die 8. Decembris hora 8. ante meridiem.* Scripsit librum ad usum suæ dioecesis ita inscriptum, *Rituel Romain du pape Paul V. à l'usage du diocèse d'Alet*, e quo libro alter conditus est, cui titulus, *les Instructions du Rituel d'Alet.*

1642. 1648. 1663. 1677.

Defunctum Nicolaum funebri oratione laudavit N. d'Auterive theologus ecclesiæ collegiatæ S. Pauli de Fenolheto dioecesis Electensis, typis Lugdunensibus edita 1678. Adhuc autem vivebat, cum Franciscus Selva clericus Electensis thesibus philosophicis ejus nomini dicatis, Tolosæ in collegio Squillano patrum Doctrinæ Christianæ propugnandis Nicolai elogium apposuit, quod cum præsul de se modestissime sentiens in vulgus ne prodiret, theses ipsas pro sua in eum qui propugnaturus erat auctoritate supprimi fecisset, ipso jam defuncto reviviscere fecit Selva in hunc modum:

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI D. D.
N. P.
EPISCOPI ALECTENSIS
ELOGIUM.

VERO EPISCOPO,

Qui non vim fecit, ut episcopus fieret:
Sed qui vim passus est, ut episcopatum acciperet.
In cathedra PAULO;
Inter Aras BASILIO;
Cum principibus AMBROSIO;
Erga pauperes NICOLAO.
In cujus pectoris sacrario,
Quotquot ecclesiæ fuerunt lumina,
Reviviscunt;
Ut non tam unum antistitem dixeris,
Quam ingentium omnium temporum antistitum
Œcumenicum quoddam ac perenne concilium.
Cui sua dioecesis eclipticæ instar est;
Currit in illa semper,
Nunquam extra illam.
Inde toti prælucet orbi,
Vere lucerna ardens, & lucens.
Vacillantis olim fidei columini;
Collapsæ disciplinæ vindici;
Extinctæ poenitentiæ restauratori;
Ethicæ christianæ incorrupto magistro.

HOMINI DEI,

Cujus vita omnibus est vivendi canon;
Cujus domus ænigmati similis est;
Silentio horret ut cœnobium,
Angelis inhabitatur ut cælum,
Magnatibus, atque adeo principibus celebratur ut aula.
Simplici, quem quisque sapiens consulit;
Inermi, quem armata improbitas fugit;
Monticolæ, quem aula suspicit;
Cujus rupibus invident reges.
In periculis impavido,
In poenitentiæ squallore læto,
In paupertate munifico,
In summa senectute nullis pro grege suo laboribus impari.

CHRISTIANO MOYSI,

Qui totos fere quadraginta annos populum Dei regit in deserto;
Qui cum Deo jugiter in monte loquitur;
Cujus jejuniis redditæ sunt tabulæ legis,
Quas dudum orbis ebrietas fregerat;
Qui super vertice collis dum levat manus,
* Gallicus Josue pugnat in Batavicos,
In ore gladii fugans Amalecitas.

* *Tunc in Hollandiam arma victricia prosperrimo successu ferebat LUDOVICUS MAGNUS.*

VENERANDO SENI,

Jam cælis proximo,
Imo jam ex toto fere terris erepto,
Jam æternitatis ostia pulsanti,
Mox fastis inserendo.
Cujus nomen in hoc schemate, lector, ne quæras oculis;
Auribus melius excipe,
Quod miseri sæpius invocant,
Quod suavius saturi pauperes benedicunt,
Quod malignius Pharisæi blasphemant.
Hoc ipsum nomen ejus est nunquam moriturum;
In libro vitæ melioribus notis exaratum.
Huic ergo
VENERANDO SENI,
CHRISTIANO MOYSI,
HOMINI DEI,
VERO EPISCOPO;
Tametsi pro summa modestia nolit,
Pro sua auctoritate vetet, prohibeat, deterreat,
Pietate factus audacior,
Et nimio virtutum ejus amore in culpam lapsus,
D. D. D. FRANCISCUS SELVA clericus Alectensis
immeritus.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

ANNI CHRISTI

XXX. Ludovicus Alfonsus.

DE VALBELLE.

Ex antiqua & nobilissima gente in Provincia natus Ludovicus Alfonsus de Valbelle, parentibus Antonio equite marchione de Montfuron & Francisca de Felin domina de Beaulieu & de Valsere, cum esset cleri Gallicani generalis administer, regi ab eleemosynis & consiliis, Sorbonicus doctor, jamque pluries ad comitia cleri generalia ex ordine secundo deputatus, demum anno 1677. die 25. Decembris a rege Ludovico XIV. episcopus Electensis renunciatus est; bullisque pontificiis donatus pridie idus Martii insequentis, sacram inunctionem percepit die 1. Septembris 1680. in ecclesia patrum Minimorum Parisiensium plateae regalis ab eminentissimo cardinali Bonzio Narbonensi archiepiscopo, assistentibus Biterrensi ac Uceticensi praesulibus. Recensetur inter Occitaniae praesules, qui primi, novi canalis periculum fecerunt mense Maio 1681. Adfuit eodem anno & sequenti cum Carolo de Pradel episcopo Monspeliensi generalibus cleri Gallicani comitiis. Reparavit ac decoravit aedes episcopales, regiae simul capellae magister. Inde regiis apud Valencenas datis litteris migravit ad ecclesiam S. Audomari an. 1684. ubi vide t. 3.

1680. 1681. 1684.

XXXI. Victor Augustinus.

MELIAND.

De Victore ortu Parisino, & abbate Bassaci jam egimus tomo 1. in catalogo episcoporum Vapincensium, unde translatus est ad Electensem ecclesiam mense Junio anni 1684. Sed cum tunc temporis summum inter pontificem & regem christianissimum turbata esset concordia, non ante 25. Junii an. 1692. propositus fuit in consistorio pontificio, admissusque in altero prima die Julii insequentis. Cessit ob infirmam valetudinem an. 1698. mense Octobri; tandemque Parisiis naturae debitum solvit 23. Sept. an. 1713. non 1711. ut diximus in episcopis Vapincensibus.

1698.

XXXII. Carolus Nicolaus.

TAFFOUREAU DE FONTAINE.

Natus Senonis patre in curia praesidiali ejusdem civitatis consiliario Carolus Nicolaus Taffoureau de Fontaine doctor & socius Sorbonicus, ecclesiae cathedralis Senonensis decanus, officialis ac vicarius generalis, a rege nominatur episcopus Electensis die 1. Novemb. an. 1698. ad quam ecclesiam in consistorio pontificio 22. Decembris insequentis propositus, demum inauguratus fuit 29. Martii 1699. in ecclesia Senonensi ab archiepisc. ejusdem metropolis, Trecensibus episcopis novo & antiquo collaborantibus; regique fidem suam obstrinxit die 4. mensis Aprilis ejusdem anni. Delegatorum ab Occitaniae comitiis nomine delegatus & ipse ad regem verba fecit die 25. Aug. an. 1702. Obiit in sua dioecesi, vitae sanctimonia commendatus mense Octobri anni 1708. sepultusque est Electae in communi coemeterio ad pedes Nicolai Pavillon.

1699. 1702. 1708.

XXXIII. Jacobus.

MABOUL.

Patrem habuit Jacobus Ludovicum Maboul secretarium regium, fratremque Ludovicum libellorum supplicum magistrum. Vicarii generalis in dioecesi Pictaviensi officio strenue fungebatur, cum a rege nominatus fuit episcopus Electensis die 1. Novembris anno 1708. quem episcopus Agathensis in sua cathedrali ecclesia inauguravit 13. Julii an. 1710. cooperantibns Biterrensi & Castrensi praesulibus. Verbi Dei eximius praeco die 22. Augusti anni praecedentis Ludovicae Hollandinae Palatinae de Baviere principissae Electoralis abbatissae de Maloduno funebrem orationem hac in abbatia pronunciaverat, eodem anno 1709. typis Parisiensibus editam. Mortuum quoque serenissimum Delphinum filium Ludovici magni in solemnibus exsequiis, quas huic principi tres Occitaniae ordines decreverunt in comitiis apud Montempessulanum habitis die 16. mensis Januarii anno 1712. pro concione laudavit. Hoc ipso anno idem praestitit officium serenissimis principibus Ludovico Delphino & Mariae Adelaidi a Sabaudia ipsius conjugi in ecclesia S. Dionysii 18. die Aprilis, quando eorum corpora sepulturae data sunt. Has autem partes tanta cum dignitate implevit, ut etiam defuncto Ludovico XIV. Francorum regi Christianissimo idem obsequium exhibuerit in ecclesia metropolitana Parisiensi, coram serenissimo duce Aurelianensi Philippo regni moderatore, duce de Bourbon, & comite Carolesii 28. Novemb. 1715. Denique ipsemet obiit in sua dioecesi an. 1723. initio Junii.

1710. 1712. 1715. 1723.

XXXIV. Franciscus.

DE BOUCAUD.

Designatus a rege Ludovico XV. 17. Octobris 1723. inauguratur Franciscus de Boucaud die XI. Junii anno 1724. in sacello seminarii sancti Sulpitii ab archiepiscopo Narbonensi, assistentibus Vabrensi & Sarlatensi episcopis. Regi fidem obligavit 18. Junii ejusdem anni, ad quem delegatus ab Occitaniae comitiis eorum nomine verba fecit die 12. Augusti anno 1728. cum anno superiori donatus ab ipso fuisset abbatia Loci Dei in Ruthenis.

1724. 1728.

DE PRIMA POST EPISCOPUM DIGNITATE IN ECCLESIA ELECTENSI.

Quamdiu viguit in ecclesia Electensi disciplina regularis & monastica, primaria post episcopalem dignitas fuit major prioratus, post quem recensebantur praecentoria, cameraria, sacristia, operaria, eleemosynaria, infirmaria, & hospitalaria, claustralia videlicet officia, sed postquam in saecularem defecit haec ecclesia, primas obtinuit decanus, & post eum archidiaconus, thesaurarius & praecentor, qui sunt dignitates. Nunc itaque majorum priorum ac decanorum texenda nobis series incumbit, sed ex utrisque pauci suppetunt.

MAJORES PRIORES.

I. JACOBUS DE BAR licentiatus in decretis, prior major, vicarius & officialis Electensis interfuit pro domino Electensi episcopo provinciali concilio in loco S. Tiberii diœcesis Agath. 26. Julii an. 1389. celebrato.

II. Geraldus de Penna baccalaureus in decretis, regulam S. Benedicti expresse professus & in sacerdotio constitutus, fuit major prior Electensis ecclesiæ, quem Alexander papa V. abbatem Montis olivi nominavit die 4. Augusti anno pontificatus I. hoc est 1409.

III. Raimundus de Renteguería prior Electensis memoratur an. 1416. t. XII. concil. col. 189.

DECANI.

I. BERNARDINUS JABOT an. 1531. ab ipsomet papa Clemente VII. decanus ex monacho, ac fortasse majori priore instituitur; Honoratus vero Matentes archidiaconus ex monacho; Bartholomæus Egidi Electensis diœcesis clericus, thesaurarius, & Emericus Jacobi ex monacho præcentor, quibus singulis unus e canonicatibus & una e præbendis ab eodem papa numero duodecim institutis assignatur.

II. Christophorus de S. Martin canonicus & A decanus Electensis ad comitia cleri Gallicani Lutetiæ coacta deputatus fuit nomine provinciæ Narbonensis an. 1628.

III. Guillelmus Dumas dominus de la Gauterie, doctor in utroque jure, canonicus & decanus Electensis cardinali Richelio nuncupavit Octavium Minutii Felicis Gallice redditum, doctisque notis illustratum an. 1637. Parisiis apud du Bray.

IV. Franciscus de Barthelemy de Beauregard regis consiliarius in senatu Tolosano, abbas d'Aune vel d'One & prior B. M. de Rupe forti deputatur a provincia Viennensi ad comitia cleri generalia 1641. 15. Jan. Idem quoque prior S. Petri de B Romejan & decanus Electensis dicitur 13. Febr. 1645. quo deputatus adfuit cleri comitiis generalibus.

V. Jacobus Joseph de Menard de Lestang filius senatoris in superiori Tolosani senatus camera, presbyter & doctor in theologia, decanus erat & canonicus Electensis annis 1663. & 1665.

VI. Henricus de Valbelle Ludovici Alfonsi Electensis episcopi consanguineus, Johannis Bapt. Leonis equitis domini de Valbelle marchionis de Tourves ex Anna Margareta de Vintimille filius, decanus Electensis, Tolosæ moritur 8. Novemb. 1690.

DE ABBATIIS DIŒCESIS ELECTENSIS.

NUlla hodie in tota diœcesi abbatia subsistit, in qua quondam quatuor saltem numerabantur, quarum ne memoria penitus obliteretur, pauca quæ supersunt fragmenta hîc colligere operæ pretium duximus.

I. S.t Jacques de Jocou.

PRima est S. Jacobi Jocundensis ord. S. Benedicti sita super rivulum *de Rabenti* in medio pagi Saltus *pays de Saut*. Jam erat percelebris anno saltem 873. quo circiter Sigebodus Narbonensis archiepiscopus ecclesiam B. Mariæ de Formigueria, quam Wifredus & Miro fratres, comites (Carcassonenses & Reddenses) & Olibanus seu Oliba & frater ejus Ayfredus itidem comites construxerant, & magnifice dotatam Gulfarico abbati S. Jacobi Jocundensis dederant, iisdem deprecantibus consecravit, ut liquet ex charta jam edita tom. I. historiæ Occitaniæ col. 126. probationum, & iterum recusa in appendice nostra. Et quidem adhuc XI. sæculo Jocundensi abbatiæ tanquam præpositura subjacebat prædicta ecclesia. Postea vero abbatia ipsa defecisse traditur, & unita fuisse collegiatæ, quæ fuit olim cœnobitica, S. Pauli Fenolietensis ecclesiæ, cui deperdito proprio etiam nomine hodieque cohæret; at profecto id longe tardius contigit anno 1317. Johanne papa XXII. ut volunt, id efficiente. Adhuc anno saltem 1459. suos habebat abbates, ut infra videbitur, subdita interim abbatiæ primum S. Michaelis de Clusa, dein Massiliensi S. Victoris, bulla Urbani papæ V. data calendis Febr. anno pontificatus IV. hoc est 1367. apud Montempessulanum.

Ch. II. col. 103.

ABBATUM SERIES.

C I. GULFARICUS innotescit ex tabulis laudatis consecrationis ecclesiæ B. Mariæ de Formigueria factæ circiter annum 873. ejusdem & fundatorum precibus a Sigebodo Narbonensi archipræsule. Ch. II. col. 103.

II. Salomon Gulfarico successit anno saltem I. regnante Carolo rege, Crasso vel Simplice, & adhuc superstes erat anno VII. regnante Odone.

III. Benedictus præerat anno tertio regnante Roberto.

D IV. Eribertus anno 1018. cum Salomone præposito B. Mariæ de Formigueria istam a se ampliatam ecclesiam anno seq. MXIX. regnante Roberto rege, non autem XIX. regnante eodem Roberto, ut irrepsit in charta nostræ appendicis quarta col. 105. a Guifredo archiepiscopo sibi assertam pridie nonas Octobris iterum dedicari curavit.

V. Guillelmus I. occurrit abbas S. Jacobi Jocundensis anno 1106. in quadam Bernardi Ceritaniæ comitis recognitione facta Richardo Narbonensi archiepiscopo ipsa die qua sacravit altare E ecclesiæ de Angulis.

VI. Raimundus I. 1112.

VII. Guillelmus II. 1114. in instrumento Narbonensis ecclesiæ, & adhuc 1123.

VIII. Raimundus II. 1126.

IX. Guillelmus III. 1133.

X. R. 1154.

XI. Rogerius an. 1195. Aimerico & Bernardo fratribus nonnulla bona concessit ad vitam.

Hic eſt fortaſſe Rogerius, qui dicitur quondam A abbas Joconienſis in veteri charta anni 1258.

XII. R. abbas erat S. Jacobi Jocundenſis an. 1252. quo Pontius abbas S. Pontii eidem ſcripſit, ut eccleſiam S. Martini de Cauna G. archiepiſc. Narbonenſi ipſius nomine tenendam & cuſtodiendam traderet.

XIII. Ermengaldus prior & ſacriſta Electenſis eligitur abbas Jocundi III. idus Septembris an. 1253. in domo epiſcopi Carcaſſon. præſentibus G. Carcaſſonenſi epiſcopo, abbatibus S. Pontii, Caunenſi, S. Hilarii & S. Polycarpi, necnon U. electo Electenſi, ac P. archidiacono Narbonenſi. Eodem anno huic abbati nonnulla reco- B gnovit Bernardus de Bernac miles; cumque ipſo bona quædam Guillelmus archiepiſcopus Narbonenſis permutavit. Adhuc præerat 1256. ſed incertum an etiam 1263. quo anno Urbanus papa IV. privilegia & poſſeſſiones monaſterii confirmavit.

XIV. Arnaldus, quem excepit

XV. Guillelmus IV. de Marciano vel de Marcano monachus Electenſis an. 1310. electus abbas Jocundenſis. Idem an. 1317. cœnobium B. Mariæ de Craſſa viſitavit, qui poſtmodum peſſimus abbas in carcerem detruſus eſt.

XVI. Guillelmus V. obiit anno nono Inno- C centii papæ VI. hoc eſt 1361.

XVII. Guillelmus VI. Jocundenſis camerarius fit abbas eodem anno 1361. ex ſchedis D. Suarez.

XVIII. Bernardus an. 1393. eligitur definitor capituli generalis Carcaſſonæ habiti, & anno 1401. in capitulo generali provinciarum Narbonenſis, Auxitanenſis & Toloſanæ inſtituitur viſitator capitulorum Electenſis, S. Pontii Tomeriarum, ac monialium ejuſdem urbis, necnon abbatiarum S. Hilarii, S. Polycarpi & S. Aniani.

XIX. Raimundus III. interfuit anno 1409. Piſano concilio, ex ejuſdem actis, Spicil. tom. 6. D pag. 368.

XX. Johannes I. an. 1433. eligitur definitor capituli generalis celebrati Toloſæ in cœnobio B. Mariæ Deauratæ.

XXI. Johannes II. de Levi epiſcopus Mirapicenſis appellatur adminiſtrator perpetuus Jocundenſis diœceſis Electenſis an. 1459. in bulla Pii papæ II.

II. S.t Martin de Lez.

LENENSE ſancti Martini monaſterium, ſeu S. Martini de Lenis & Alenis, ſitum in valle Bollicarnea *Valcarne*, comitatus Fenolhedenſis, in loco nunc dicto, *Saint Martin de la Pierre*, E in finibus Ruſcinonis, non longe ab Atace fluvio, ſuos ignorat fundatores, non autem benefactores, quorum alter Seniofredus comes Barcinonenſis anno 965. ei nonnulla teſtamento ſuo largitur; & an. 1020. Bernardus Biſuldunenſis. Hæc duo teſtamenta Baluzius refert in appendice Marcæ Hiſpan. col. 885. & 1027. Regendum ſubinde committitur hoc cœnobium Frotardo abbati ſancti Pontii Tomeriarum anno 1070. volente Bernardo Biſuldunenſium comite, idque poſtmodum confirmante Lucio papa III. ſcriptis ad Hermengaudum S. Pontii abbatem litteris, anno circiter 1182. Hoc utrumque conſtat ex chartis in appendice relatis. Sic autem Tomerienſi ſubjectum monaſterio, nonniſi per priores gubernari cœpit, donec tandem illa S. Pontii eccleſia in epiſcopalem erecta, hæc S. Martini ab heterodoxis penitus abſorpta fuiſſe videtur. Sequuntur

Ch. v. & XIII. col. 78. & 88.

ALIQUOT ABBATES.

I. ARNALDUS I. ſedebat annis 3. 30. & 32 regnante Carolo rege, ex archivo Narbonenſi, quem Carolum Calvum exiſtimamus.

II. Baſileus anno primo Carolo rege Simplice vide tom. 2. hiſt. Occitaniæ pag. 35.

III. Sancio regebat abbatiam S. Martini ante annum XIII. Caroli regis, ex veteri placito teſtamentarii, ſeu mandatarii ejuſdem Sancionis.

IV. Odo I. anno I. regni Ludovici Tranſmarini quoddam prædium in territorio Fenolhedi accepit a Mirone & Eliarda conjugibus.

V. Arnaldus II. præerat annis 2. 6. & 7. regnante Ludovico (Tranſmarino.)

VI. Segarius & Aſegarius legitur abbas annis 12. & 13. regnante eodem Ludovico, & anno IV. Lotharii regis dicitur abbas & levita, ad quem interim ſcripſit epiſtolam Agapitus II. papa an. 954. quam vide inter inſtrumenta.

Ch. III. col. 104.

VII. Odeacer Segarium in præfectura excepit, ut conſtat ex antiquiſſima inquiſitione, ſeu judicio, in quo nominantur tres abbates Segarius, Odeacer & Radulfus. Sedebat autem anno 5. Lotharii regis filii Ludovici Tranſmarini.

VIII. Radulfus memoratus in judicio, de quo ſupra, quod tulit Seniofredus comes (Barcinonenſis) anno octavo regnante Lothario 962. adhuc memoratur annis 9. 13. 15. 18. 20. & 23. regni ejuſdem Lotharii, ex quibus chartis non obſcure colligitur hunc abbatem fuiſſe virum magni ponderis, & multa ſuo monaſterio comparaſſe.

IX. Odo II. Radulfi ſucceſſor reperitur abbas annis 24. 25. 29. & 30. ejuſdem Lotharii.

X. Tructerandus I. ſeu Attructerandus præerat annis 2. 3. 5. 6. 7. & 8. regnante Hugone, quo ultimo anno Odonis comitis Reddenſis, Altrudis conjugis & Arnaldi eorum filii donum excipit. Adhuc reperitur annis 1. 3. 5. 8. & 9. Roberti regis.

XI. Bernardus occurrit an. XIII. Roberti regis.

XII. Trutterandus II. idem fortaſſe qui ſupra, legitur abbas anno XXIII. regnante Roberto.

XIII. Willelmus, de quo legitur in veteri charta: *Anno 1038. poſt Incarnat. Domini anno octavo regnante Henrico rege in Francia, filio Roberti, anno 24. quod cœpit domnus Willelmus terram ſuam regere, accepit Willelmus abba cœnobium S. Martini ad regendum.* Hoc autem ipſo anno Raimundum Wifredi beneficum expertus eſt.

XIV. Wifredus epiſcopus Carcaſſonenſis ſucceſſit ex dono Willelmi comitis, cujus tamen ut abbatis nulla ullibi fit mentio, ne quidem in charta conſecrationis eccleſiæ monaſterii, quam an. 1045. ipſemet juſſu Guifredi archiepiſcopi Narbonenſis perfecit.

Ch. v. col. 105.

ALIQUOT PRIORES.

I. BERARDUS an. 1074.
II. Gaucelinus 1076.
III. Petrus I. 1129.
IV. Pontius 1145.
V. Petrus II. de Aseillano prior S. Martini *de Leso* consilio & voluntate domni Guillelmi abbatis S. Pontii an. 1208. nonis Junii Guidoni de Marzano in tota vita ejus dedit pro *bajulatione* totam domum & honorem S. Martini de Leso, excepta ecclesia, cum suo ecclesiastico, cum suo nempe cimiterio, cumque sua primitia, eo pacto ut ipse Guido S. Pontii monasterio daret pro annuali censu de prædicto honore XV. solidos Melgorienses ad festum S. Martini, & post ipsius mortem idem honor cum omni *melioramento* ad S. Pontii monasterium reverteretur.

III. S.t Pierre de Fenouilledes.

HAud aliunde innotescit hæc S. Petri Fenoliensis vetus abbatia, quam ex bulla Sergii IV. papæ consilium Bernardi comitis de construendo in comitatu Fenolietensi secundum institutionem canonicæ auctoritatis monasterio, in loco, qui est consecratus in honore S. Petri apostoli approbantis. Data est mense Novembri indict. X. hoc est 1011. ex Baluzio append. Marcæ Hispan. col. 987. ubi Wadallus abbas commemoratur.

IV. S.t Paul de Fenouilledes.

Append. Marc. Hisp. col. 886.

INsignis modo collegiata S. Pauli de Fenolheto ecclesia in urbe cognomine, fuit olim cœnobium, cui anno 966. calendis Octobris seu regnante Leutario rege filio Ludovici anno XII. Seniofredus comes Barcinonensis nonnulla testamento suo donavit. Hoc ipsum puto monasterium vocabulo *Monisaten*, quod est in honore S. Pauli apostoli in provincia Gociæ, in comitatu Faunolitensi, in diœcesi Narbonensi, quod an. 1000. Bernardus comes Bisuldunensis monasterio S. Michaelis de Coxano diœcesis Helenensis dedit. Hæc etiam est abbatia S. Pauli, quam Bernardus Bisuldunensis comes a Petro vicecomite Fenolensium acquisitam subjecit Hugoni Cluniacensi abbati, ut liquet ex charta integra in appendice Marcæ Hispan. col. 1168. relata, & contracta in appendice nostra. Attamen abbas Electensis Raimundus omnimodam, ut diximus, in hanc S. Pauli de Fenolheto ecclesiam sibi vindicabat jurisdictionem an. 1268. quapropter, ut videtur, excommunicatus fuit anno seq. a Maurino archiepiscopo. Ceterum S. Pauli basilica in collegiatam erecta fuit a Johanne papa XXII. cujus caput decanum & canonicos una cum monachis sedis Electensis concurrere voluit ad electionem episcopi celebrandam, ex Cassiano illustrato pag. 487. Paulo post tamen Clemens VI. bulla data 1343. solis cathedralibus capitulis regularibus jus illud asseruit. Hæc constat duabus aliis præter decanatum dignitatibus, duodecim canonicis & 30. semipræbendatis, ex abbatiæ Jocundensis, de qua superius, accessione non parum aucta.

Ibid. col. 954.

Ch. X. col 484.

Baluz. t. 2. vit. pap. Avenion. col. 615.

Ibid.

Duo nobis occurrerunt hujus ecclesiæ decani, Arnaldus de Verdala juris utriusque professor, quem Benedictus XII. papa delegans ad hospitales & leprosarias domos diœcesis Narbonensis visitandas, ut eis ablata bona restitui procuret, vocat suum familiarem. *Datum Avenioni calend. Decemb. anno pontificatus primo.* Delegatus ab eodem pontifice anno 1336. 27. Jan. plurima statuit de regulari disciplina in capitulo Uceticensi. Fundavit anno sequenti die 5. Decembris indict. V. collegium de Verdala Tolosæ pro duodecim scholaribus, cujus patronatum dedit capitulo Carcassonensi, ibique dicitur domini nostri Franciæ regis clericus seu capellanus & consiliarius, condominusque loci de S. Vincentio Tolosanæ diœcesis. Hoc autem collegium postea edicto parlamenti abolitum est, locusque datus religiosis Capucinis. Demum Arnaldus de Verdala factus est episcopus Magalonensis, ubi vide.

Decanus alter fuit Geraldus Massoti, simul vicarius generalis Heliæ de Pompadour episcopi Electensis, a quo delegatus pro unione facienda vicariatus de Arzano cum ecclesia parochiali de Sornhaco 2. Maii 1453. visa & audita super hac unione in acta retulit 21. Junii ejusdem anni, ex tabulario capituli Narbonensis.



ECCLESIA BITERRENSIS.

QUAM variæ ſint omnium quotquot de Biterra ſcripſerunt, circa nominis ipſius appellationem opiniones, mirum : Ptolemæo enim Βαιτίρα lib. 2. cap. 10. quæ Beterræ Plinio lib. 3. cap. 4. & Antonino in itinere : Bæterra Melæ lib. 2. cap. 5. & Stephano Βαιτάῤῥα, ſicut & in quibuſdam antiquis inſcriptionibus : Beteris in tabulis Peutingeri : Biteris etiam urbs famoſa dicitur Fredegario ſcholaſtico, Bederenſis Guillelmo Neubrigenſi lib. 2. cap. 11. Blitera apud Senecam, Bliteræ in variis manuſcriptis, & Bliterium Ildeberto in vita S. Hugonis Cluniacenſis. In duobus nummis, uno Peireſcii, Harlæi altero legitur Βητιῤῥατῶν; ex quo vera ſcriptura, quæ Plinii fuit & Antonini Beterra vel Beterræ luculenter adprobatur, vulgaris contra Bliterra exploditur, quam Lucas Holſtenius ex errore ortam putat, quo in diphthongo Λ pro Α acceptum fuerit : cum diphthongo enim ſcriptum id nomen ſæpius invenitur, uti apud Plinium & Stephanum, & in lapide Narbonenſi apud Gruterum pag. 270. ubi legitur SEPT. BÆT. hoc eſt Septimani Bæterrenſes. Nonnulli denique, inter quos Severus Sulpicius, Julianus Toletanus archiepiſcopus, Gregorius, &c. Gallicæ pronuntiationi *Beziers* accommodatius Biterram vel Biterras appellant, quæ poſterior ſententia ubique paſſim hodie vigere videtur.

Biterra itaque Volcarum Tectoſagum urbs mediterranea Ptolemæo, quam falſo Joſeph Scaliger & Sammarthani in Volcis Arecomicis ſitam aſſerunt, antiqua, nobilis, & amœna, in Narbonenſi ditione nunc Occitania ſeu Languedocia inferiore ad confluxum Obris & Lironis amnium ab ipſa Narbone quatuor circiter leucis diſtat; bene munita juxta Strabonem, inter urbium quas habet Gallia Narbonenſis opulentiſſimas Melæ lib. 2. cap. 5. dives opum, frumenti, vini, & olei feraciſſima, tam elegans & culta, ut de ea vulgo dici ſoleat :

Si Deus in terris, vellet habitare Biterris.

Populoſa, & ampla juxta Robertum Autiſſiodorenſem ; de qua Willelmus Brito lib. 8. pag. 265.

Fortis enim, & nimium locuples, populoſaque valde
Urbs erat, armatiſque viris, & milite multo
Freta.

Hæc quidem poſt Robertum de Bituricis intellexerunt gemelli fratres, ſed perperam : ibi enim agitur de bello adverſus Albigenſes in Septimania ſæculo decimo tertio ineunte.

Quo tempore florere cœperit incertum : at ſi de Biterra noſtra intelligendus Peireſcii & Harlæi nummus, ut contra Harduinum defendit Sigiſmundus Liebbe in theſauro Fridericiano, illud ſaltem colligi jure ac merito poteſt, Græcis olim vocibus uſos Biterrenſis agri Celtas, & cudendæ monetæ jure potitos fuiſſe, quod ultimam Gallorum noſtrorum antiquitatem ſapit. Gallia vero Narbonenſi a Domitio ſubacta, Romani quo tempore decumani milites Narbonam deducti ſunt, eodem etiam Biterris coloniam fundavere, quæ in notitiis civitas Biterrenſium appellatur, ſive Blitera Septimanorum, a veteranis legionis ſeptimæ dictatore Julio Cæſare ante Chriſtum eo deductis, unde & Juliæ Bæterræ nomen accepit, uti teſtatur fragmentum veteris inſcriptionis. Renovata poſtea creditur imperante Tiberio Cæſare. Sed & duo templa condita Biterris, alterum Auguſto Cæſari, aliud Juliæ Auguſtæ conjugi ſuæ, quæ ſic vocata eſt mutato nomine Liviæ Druſillæ, teſtibus Suetonio & Macrobio. Quartum jam in Narbonenſi prima poſt Nemauſum & Toloſam locum occupabat Biterra. Per Gothos poſthæc expugnata, nobilitatis Romanæ inſignia diruta ſunt : ab imperatoribus enim Romanis tranſiit ad reges Wiſigothorum, primo Arianos, deinde catholicos : deletis poſt iiſdem Wiſigothis, gemuit ſub jugo Sarracenorum, quibus quoque trans Pyrenæos montes fugatis, in poteſtatem regis Francorum devenit, eique deinceps ſemper paruit, atque etiamnum paret. Quot quantaque per tot ſæcula paſſa ſit Biterra enumerare non eſt animus ; occupare enim quæ rectius in hiſtoria pontificum occurrent longum foret & ſuperfluum : nunc tantum dicere ſufficiat Biterram eamdem ſortitam fuiſſe fortunam, ac reliquæ provinciæ civitates. Suos quoque magni nominis habuit peculiares vicecomites, qui ut regum Francorum imperium detrectarent, ſummamque rerum in urbe penes ſe haberent, extrema omnia tentarunt ; ſed quam vani & irriti fuerint omnes eorum conatus ex ſequentibus patebit. Nunc vero juriſdictio civilis conſtat ſede præſidiali, & vicaria regali ſub parlamento Toloſano.

Biterræ chriſtianæ non minus obſcura eſt, quam Biterræ ipſius civitatis origo. Quis enim Biterris primus Chriſti fidem diſſeminaverit non clare patet. Vulgaris ſimul & pervetuſta fert traditio a patribus derivata, Paulum dum Roma Gallias peteret, florente Romanorum imperio Biterram appuliſſe, qui cum multos convertiſſet, laviſſetque ſacro baptiſmatis fonte, eccleſiam fabricavit, altare Domino conſecravit, divinoque functus ſacerdotio, primum ibi in cathedra epiſcopi ſedit, unde ad vicinæ metropoleos cives ejus fama perlata, mittitur a Narbonenſibus legatio, qua ſanctum epiſcopum in urbem evocarent. Audit legatos Paulus, eorumque votis obſecundans, ſubſtituto in ſuum locum

Afrodisio episcopo, Narbonam venit. At cum paulisper Biterris commoratus sit Paulus, nec stabilem in hac urbe sedem habuerit, primus Biterrensibus evangelium prædicasse potius, quam præfuisse censendus est. Nos itaque scriptorum omnium fide subnixi, Biterrensium episcoporum seriem ab Afrodisio auspicati sumus.

Urbis hujus episcopus ejusdem cum rege dominus est. In conventu trium Occitaniæ ordinum sessionis jure gaudet. Secundum duntaxat olim inter alios Narbonensi subditos metropoli locum tenebat, sed post distractam anno millesimo trecentesimo decimo septimo Tolosam, primas sibi vindicavit. Ecclesia cathedralis sub titulo sancti Nazarii dedicata, ob magnitudinem spectabilis est, necnon ob singularem qua fabricata sunt organa artem. Capitulum duodecim canonicis constans, sex dignitatibus nobilitatur, archidiacono majore, præcentore, archidiacono Caprariensi, sacrista, camerario, & succentore : his accedunt viginti octo præbendarii *conducherii* dicti, & viginti duo beneficiati, sive *semiconducherii*. Diœcesis in centum & sex ecclesias parochiales dividitur.

Sunt in urbe ac in tota diœcesi plurima diversorum ordinum monasteria, de quorum origine & fortuna quædam attingemus in historia episcoporum, sub quibus condita seu renovata sunt : at de abbatiis, quæ plurimæ sunt, seorsim more nostro differemus post episcoporum catalogum & historiam. Commentaria Occitaniæ gallice scripsit Guillelmus Catellus, ubi etiam Biterrensium episcoporum nomenclaturam edidit. Eorumdem historiam publici juris fecit Andoquus, necnon & Robertus, & Sammarthani. Ad penitiorem gestorum episcopalium notionem explorandam addidimus vetera monumenta, & archivorum provinciæ instrumenta, quorum ope series amplior & correctior nunc prodit in lucem.

EPISCOPI BITERRENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Afrodisius.

PRimus episcopus Biterrensis merito censendus est S. Afrodisius, de quo Usuardus ad diem XI. cal. Aprilis : *apud Septimaniam civitate Biterris depositio S. Afrodisii episcopi & confessoris. Hic a B. Paulo Narbonensi episcopo eidem urbi ordinatus antistes, fidei documentis præclarus, virtutumque meritis ornatus quievit in pace.* Ex quibus nemo non videt episcopatus Biterrensis primordia referri debere ad tempus Pauli Narbonensis. Alia quædam hagiologia Afrodisium confessorem honorificentissime appellant. Capite tamen truncatum Biterris pluribus in locis acta Biterrensia demonstrant. Sunt & martyrologia, quæ sanctum pontificem martyrum albo recensent. Nec quidquam amplius de S. Afrodisio asserere nobis est integrum : quidquid enim insuper addit Andoquus, pro meris fabulis repudiandum est. (Catalog. episc. Biterr. pag. 15.)

Ab Afrodisio nomen sortita antiqua Biterrensis abbatia nunc sæcularis, de qua suo loco, ubi ejus reliquiæ olim summa veneratione reconditæ sunt.

Non immerito asseruit Andoquus Smagium nunquam fuisse episcopum Biterrensem, contra quod tradunt Bernardus Guidonis in chronico, & ex eo Plantavitius in episcopis Leutevensibus: nam ille Smagius, qui concilio Illiberitano anno circiter 305. nomen apposuit, erat episcopus Bigerrensis sub archiepiscopatu olim Toletano, ut habent antiqua concilia Hispaniæ edita ab eminent. cardin. de Aguirre tom. 1. pag. 270. Bigerra enim civitas fuit Tarraconensis exterioris in Spartario campo : nusquam vero inter Biterrenses locum habet, ab iisque expungendus. (Ib. pag. 23.)

Quod de Smagio, idem de Agricio dicendum, nusquam episcopalem Biterrarum sedem occupasse. Non me latet a plurimis non infimi nominis auctoribus Agricium inter primos episcopos Biterrenses fuisse annumeratum : sed quo fundamento non satis liquet. Non enim Agricii, sed Agrœcii ; non Biterrarum, sed Treverorum episcopi nomen in subscriptionibus primi Arelatensis concilii an. 314. ubique passim legitur.

Quoniam vero episcoporum nomina ad usque Paulinum exciderunt, addere non pigebit anno Christi 356. episcopos convenisse apud Biterras, ubi sanctus Hilarius episcopus Pictaviensis in exilium missus est Phrygiam, factione Saturnini Arelatensis episcopi. Sulpicius Severus, cui memoriam hujusce concilii, sicut & alterius Arelatensis an. 353. debemus, scribit lib. 2. hist. ea fuisse conflata ex episcopis Galliarum. *Ceterum a nostris tum apud Arelatem ac Biterras oppida Galliarum concilia fuere.* Qui plura de Afrodisio desideraverit, legat Bollandum mense Martio tom. 1. (356.)

II. Paulinus.

Ab Afrodisio ad Paulinum nullum suppeditant antiqua monumenta episcopum Biterrensem; sive quod nulli reapse Afrodisio successerint, id quod certo affirmare non possumus ; ecclesiæ enim sub Romanorum imperio nunc episcopos habebant, nunc non habebant, prout ab impiis dominis dabatur illis facultas ; sive quod decessorum ejus nomina temporum injuria ad annum circiter 400. interciderint. De Paulino nihil suppetit, nisi quod docet Idatius Lemicensis præsul in chronico suo, seu breviario vel epitome chronici : *in Gallicana regione, in civitate Biterris multa signa effecta terrifica Paulini epistola ejusdem civitatis episcopi enarrat ubique directa.* Id autem post æram Christi an. 418. accidisse liquet ex eodem Idatio, post assumptionem nempe Bonifacii Zozimi successoris ad summum pontificatum. *Exstat,* inquit Aubertus Miræus, *Paulini epistola de signis terrificis, quæ Biterris facta sunt.* (418.)

ANNI CHRISTI

Rosweidus in notis ad Paulinum Nolanum dubitat an huic Paulino Biterrensi non sit adscribenda elegans homilia in sanctum Genesium martyrem Arelatensem, quam edidit Surius, & quæ inter S. Paulini opera legitur. Auct. de script. Ecclesiast. pag. 10.

III. Dynamius.

Dynamius a Sammarthanis omissus, occurrit in inscriptione, quam retulimus in S. Rustico episcopo Narbonensi. Sedisse Biterris autumat doctissimus Tillemontius tom. xv. hist. ecclesiast. in titulo S. Rustici pag. 405. Ante Tillemontium Quesnellius eamdem conjecturam proposuerat. Neuter tamen opinionis suæ ullam rationem B affert, nec alia occurrit, nisi quod vero videatur simile hunc Dynamium, qui L. solidos ad reædificandam Narbonensem ecclesiam contulit, fuisse episcopum provinciæ Narbonensis, in qua primum locum post metropolitanum obtinet episcopus Biterrensis. Idem Quesnellius in notis ad epistolas S. Leonis suspicatur Dynamium, qui epistolæ synodicæ Ravennii aliorumque episcoporum Gallorum ad S. Leonem missæ an. 451. subscriptus reperitur, fuisse non Engolismensem, ut tomo 2. opinabamur, sed Biterrensem antistitem: cum hæc una ecclesia ex tota Narbonensi supersit, quæ in his subscriptionibus suum non C agnoscat pontificem. Conjecturam tamen pro assertione haberi non vult.

451.

Col. 977.

IV. Hermes.

Hermes Rustici Narbonensis episcopi diaconus, uti vocatur in veteri inscriptione Narbonensi, detulit celebrem illam epistolam, quam ad Rusticum scripsit Leo papa anno 452. A Rustico Biterrensibus ordinatus episcopus, a suis excluditur & pellitur. Quapropter Rusticus Hermetem cujus virtutem noverat, successorem designat, & ad summum pontificem scribit, ut ejus electionem auctoritate sua confirmaret. Rei tam in- D solitæ, ut ipsi videbatur, acquiescere noluit Leo. Interim Rustico haud ita multo post defuncto anno 461. Hermes, qui se a Biterrensibus susceptum non fuisse querebatur, ad Narbonensem ecclesiam transiit consensu, ut videtur, cleri ac populi, comprovincialium, & ipsius Leontii Arelatensis. Res tamen ad Hilarum, qui Leoni papæ successerat, defertur, quasi Narbonensem cathedram invasisset Hermes. Quibus auditis deceptus summus pontifex sub annum 462. scripsit ad episcopos Galliæ his verbis: *Quibus factum constat exemplis, & qua non objurgatione dignissimum est, quod sanctorum patrum decretis, & ipsis* E *repugnat canonum institutis! cum ideo se frater jam & coepiscopus noster Hermes a Narbonensi ecclesia credidit jure suscipi, quia indigne a Biterrensibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi. Qui si vere hoc in se factum doleret, & legitimo remedio subvenire propriæ scisset injuriæ, vindictam magis debuit sperare perpessis, quam veniam perpetratis. Denique si nunc saltem communi omnium Domini sacerdotum utatur animo, si imitetur exemplum, si ad hæc quæ ecclesiasticæ quietis contemplatione utcumque sopita sunt, oculis cordis intendat, &* A *pro totius ecclesiæ pace, vel fide; quæ sunt multipliciter errata consideret: nihil est profecto, quod non etiam ipse reprehendat, & erubescat sibi annui, quod in altero laudabiliter improbarit. Scimus enim, & jam diu de memorati fratris conversatione nihil habemus ambiguum, cum anteactæ vitæ ipsius cursum, & retro antepositum nostro revolventes animo, hos illum, quos in eo arguimus, incurrisse potius, quam fecisse, æstimamus excessus.* Reliqua ad Hermetem pertinentia require in archiepiscopis Narbonensibus.

461.

462.

V. Sedatius.

Sedatius, qui & Sedatus, synodo III. Toletanæ interfuit anno 589. quo Reccaredus Gothorum in Hispania rex, ejurata Arianorum hæresi, fidem catholicam per Hispaniam restituit. Paulo post cum in eadem synodo definitum esset canone 18. semel in anno concilia in metropoli qualibet convocari, calendis Novembris Narbonense eodem anno congregatum est, cui & Sedatus calculum apposuit hoc chirographo: *Sedatus in Christi nomine ecclesiæ catholicæ Biterrensis episcopus his constitutionibus interfui & subscripsi.* Homilia Sedati episcopi de Epiphania edita est tomo XI. bibliothecæ patrum Anissonianæ pag. 1094. cujus exordium: *Proxime, fratres carissimi, redemptionis nostræ, &c.* Utri autem potius tribuenda sit, Sedatone Biterrensi, an Sedato Narbonensi, qui concilio Agathensi interfuit, an vero tertio cuipiam prorsus est incompertum.

589.

VI. Petrus I.

In synodo Toletana IV. an. 633. subscriptus reperitur *Petrus Veterensis episcopus* in conciliis Garsiæ Loaisæ: at in novissima conciliorum Hispaniæ editione juxta lectionem ipsiusmet eminentissimi cardinalis de Aguirre scribitur ad marginem *Biterrensis:* Sammarthani tamen id in dubium revocari posse autumant, cum quos Veteres nuncupat Kyliander, sint Hispaniæ Tarraconensis populi, quorum episcopus Veterensis potuit esse noster hic Petrus.

633.

Rogatus autem Biterrensis non occurrit inter episcopos qui concilio Toletano XI. adfuerunt, nec apud cardin. de Aguirre tom. 2. pag. 668. nec apud Labbeum, sed Rogatus Beatiensis seu Vatiensis sub archiepiscopatu olim Toletano. Beatia enim urbs Hispaniæ Bæticæ fuit olim episcopalis, nunc diœcesi Giennensi subest ab an. 1249. Deinde idem qui Rogatus Beatiensis interfuit Toletano XI. interfuit XIII. XIV. & XV. at vero Cresciturus Biterrensis adest concilio Toletano XIII. ut mox dicemus, & Pacotasis XV. quod est absurdum.

Idem dic de Paulino II. quem frustra quæsieris in concilio Toletano XII.

Non ideo tamen omittendum in concilio Toletano XI. an. 675. divisionem sedium episcopalium factam fuisse in Hispania a rege Vamba Gotho, cujus temporibus rebellavit civitas Biterris, sicut & Narbona incentore Paulo duce, ut observavit Julianus archiepiscopus Toletanæ sedis in historia Vambæ regis apud Quercetanum t. 1. historiæ Francorum scriptorum.

675.

VII.

ANNI CHRISTI

VII. Crescitarus.

683. Crescitarus, qui & Cresciturus, adfuit concilio Toletano XIII. an. 683. sub Leone papa II. Card. de Aguirre tom. 2. pag. 702.

VIII. Pacotasis.

688. Anno 688. tempore Sergii papæ celebratum est concilium Toletanum XV. cui interfuit Pacotasis Biterrensis episcopus, ut constat tum ex conciliis cardin. de Aguirre, tum ex Labbæana collectione.

Sacrosus vero, quem ejusdem synodi actis subscriptum legunt Sammarthani, nullibi reperitur. In quo dupliciter errant gemelli fratres: in concilio enim Toletano XIV. an. 684. nullus memoratur episcopus Biterrensis: concilium autem XV. cui adfuit Pacotasis, habitum est anno 688. non vero 690. ut in quadripartita Gallia legitur.

IX. Ervigius.

Ervigius, qui & Ervingius, adstitit synodo Toletanæ XVI. regnante Egiga rege Gothorum 693. an. 693. quo sedente Judæi, permittente Vitisa, Biterras redeunt a Vamba prius depulsi.

Ervigii successores per integrum fere sæculum ignorantur, Sarracenis totam late regionem occupantibus. Anno enim ab incarnatione Christi septingentesimo undecimo Sarraceni in Hispaniam transgressi, ferro ubique grassati sunt. Præterea Carolus dictus Tudites aut Martellus in bello adversus Sarracenos victor, devastatam potius quam retentam Biterram anno 737. concremavit, quo incendio ecclesiæ monumenta conflagrarunt, ut legere est in continuato Fredegarii chronico parte 3. cap. 109. At anno 752. Caroli filio Pipino, qui recenter ad solium regni Francorum evectus fuerat, in provincia Galliæ Narbonensis existenti, Ansemundus Gothus urbem Biterrensem tradidit, sicut in annalibus Anianensibus, & in Marescallo Arelatensi habetur. Quos autem a Sarracenis ablatos fuisse ecclesiis volunt nonnulli, episcopos restituit, si non cunctis, saltem plerisque Pipinus, ubi primum potuit; quibus & tertiam partem omnium jurium, quæ comites exigebant, largitus est, ejusque pietatem ac zelum sic æmulatus est Carolus magnus, ut hoc rege nulla fuerit in tota Septimania diœcesis, quæ suum antistitem non haberet.

(737.) (752.)

X. Vulfegarius.

De Vulfegario nihil nobis suppetit, nisi quod apud Catellum legitur, acerrimum fuisse defensorem jurium & limitum sui episcopatus contra Danielem archiepiscopum Narbonensem, & id dum essent episcopi Narbonæ congregati adversus Felicem Urgellitanum episcopum an. 791. Lis erat de limitibus inter archiepiscopum Narbonensem & episcopum Biterrensem. In synodo statutum, ut Orbus diœceses Narbonensem ac Biterrensem dirterminaret. Neque tamen ipse adfuit concilio Narbonensi Vulfegarius, sed Riccimirus (Catello Dominicus) presbyter ad ejus vicem ibidem acta subsignavit, quæ videsis in

(791.) (l'Orbe.) (Ch. II. col. 3.)

appendice. Circa difficultates quæ occurrunt in actis hujusce concilii, quæque falsi suspicionem nonnullis injicere possunt, consule notas Baluzii ad hoc concilium in Concordia sacerdotii & imperii pag. 993.

Petrus Biterrensis, quem nonnulli proximum Vulfegarii successorem intrudunt, ex charta de consecratione altaris Anianensis tantum elucescit: commentitiam autem pluribus argumentis demonstrat Cointius ad annum Christi 805. num. XI. & seq.

XI. Stephanus I.

833. Cointius ad annum Christi 833. num LXX. existimat Stephanum, qui in concilio Senonensi quodam eodem anno privilegio Aldrici Senonensis archiepiscopi pro monasterio S. Remigii subscriptus invenitur *Bituricensium indignus episcopus*, non Bituricensem, sed Biterrensem fuisse. Et certe præterquam quod in eodem privilegio sunt & aliæ subscriptiones similiter depravatæ, quare Stephanus, si fuerit Bituricensis metropolita, extra suum ordinem inter episcopos recensеatur? quare, sicut & alii archiepiscopi, non itidem archiepiscopus nominetur? sed quod magis ad rem nostram facit, Stephanus tunc temporis non potuit esse archiepiscopus Bituricensis. Agiulfus enim Bituricenses infulas post Ebroïnum anno 815. suscepit, nec amisit nisi 840. quo fatis concessit; mutili autem sunt episcoporum Biterrensium indices, altumque de proximis Vulfegarii successoribus in historiis silentium: & quod difficultatem omnem tollit, idem qui privilegio Aldrici Senonensis anno 833. subscripsit Stephanus, subscriptus invenitur an. 838. actis conventus Carisiaci in causa Carilephiani cœnobii una cum Agiulfo Bituricæ urbis archiepiscopo, Bartholomæo Narbonensi, & aliis episcopis; ac proinde Stephanus non erat archiepiscopus Bituricensis. Itaque cum inter titulos Biterrensem ac Bituricensem magna sit vocabulorum affinitas, in privilegio Senonensi Biterrensis episcopus facile in Bituricensem amanuensium oscitantia abiit.

(838.)

Nec est quod dicat Sammarthanus noster verisimile non esse Biterrensem episcopum adfuisse concilio Vormatiensi ob maximam locorum distantiam. Non enim magis repugnaret Biterrensem episcopum interfuisse synodo Vormatiensi, quam archiepiscopum Bituricensem, nec Stephanum Biterrensem magis, quam Bartholomæum Narbonensem metropolitanum, qui eidem privilegio subscripsit: par utrimque distantia. Sed qua fultus autoritate Philip. Labbæus concilium quo de agitur apud Vormatiam celebratum fuisse asserit? multo probabilius videtur episcopos, qui *in ditione domini imperatoris Hlotarii serenissimi augusti constituti* a partibus ejus stabant, statim post Compendiense latrocinium apud Senonas congregatos privilegio Aldrici consensisse.

(*Gall. Christ. tom. 2. col. 23.*) (*Spicil. t. 2. col. 579.*)

Restat ut Biterris Stephanus sederit circa annum 833. quo cum aliis episcopis Lotharianæ partis fautoribus in conventu generali apud Compendium indicto nefandæ Ludovici imperatoris

ANNI CHRISTI

exauctorationi assensum præbuit : quo absoluto, apud Senonas privilegium Aldrici subsignavit. Denique paucis interjectis annis restitutus in gratiam, adstitit una cum Bartholomæo archiepiscopo Narbonensi conventui apud Carisiacum a Ludovico Augusto convocato, cujus actis calculum suum apposuit, ut vidimus.

Tom. 2. Gall. Christ. col. 20.

Atque hinc patet qua ratione emendanda Bituricensium pontificum series, in qua S. Davidem inter & Ebroïnum suo loco restituendus S. Stephanus, qui ab an. 802. usque ad 810. Bituricenses infulas gestavit, ut optime apud Cointium.

XII. Alaricus.

Hunc in modum subscripsit privilegio Trenorchiensi concesso in conventu Cabilonensi anno 875. *Alaricus exilis omnium servorum Biterrensis episcopus consensi & subscripsi.* Chirographum quoque apposuit decretis synodi Tricassinæ II. anno 878. sub nomine Marici, sed facile fuit Maricum scribere, & in mss. codicibus legere pro Alarico.

875. 878.

XIII. Agilbertus.

Alarico successisse Agilbertum, quem & Gilbertum nuncupant, tum acta Biterrensia, tum veneranda antiquitatis monumenta demonstrant. Theodardum namque Narbonensem archiepiscopum consecrasse legitur in vita antiqua, quam habes apud Catellum & Bollandum t. 1. Maii pag. 147. his verbis : *Defuncti Sigebodi*, inquit auctor, *cum Gisler ano Carcassonensi curavit suppellectilem domesticam, argenteam, librariam instrumento publico enumerari : tum peracta frugalitate triduana, una cum futuro episcopo Theodardo electo, comitante secum innumera cleri & populi multitudine, S. Mariæ ecclesiam intravere cum Ausindo episcopo Elnensi, ut devote consecrarent episcopum Narbonæ : erat autem dies Dominica Augusti 15. in qua celebratur Assumptio Dei genitricis anno incarnat. 885. quod utique sancte ac religiose perfecerunt.* Adfuit concilio Nemausensi in villa Portu XV. cal. Dec. anno 887. habito pro restitutione Servi-Dei episcopi Gerundensis, quem ordinarat Theodardus, contra Selvam, qui archiepiscopum agebat. Pedum tenebat tum cum temporibus Caroli junioris, nepotis magni Ludovici, Caroli imperatoris filii, ac Theodardi ecclesiæ Narbonensis archiepiscopi facta est translatio reliquiarum S. Majani confessoris in cœnobium Cognense diœcesis Biterrensis, vide Mabillonium sæc. 4. Bened. parte 2. pag. 590. Anno 888. 15. Decemb. regnante Domino & regem exspectante acquisivit a Servo-Dei episcopo Gerundensi pretio 180. solidorum Melgoriensium quidquid ipsi a parentibus Ingelberto & Adaltrude obtigerat in villa Valeriana sita *in territorio Agathensi suburbio Biterrensi*, ex chartul. eccles. Biter. Anno autem II. regnante Odone II. non. Novemb. Agilbertus pro 25. solidis acquisivit quintam partem villæ de Cuminiano ab Ansemundo & Columba ejus uxore, ex pancharta nigra cathedralis ecclesiæ. Subscripsit anno 891. synodo apud Magdunum super Ligerim habitæ : nam pro *episcopus Bituricensis*, legendum *Biterrensis*, cum Bituricensis archiepiscopus jam prius nominetur, scilicet Edacius. Præerat adhuc anno 897. XIII. cal. Maii, quo tempore sedit in synodo Portuensi in pago Nemausensi : neque tamen ei subscripsit, sed Fructarius ejus successor, sive quod ante concilii finem obierit, sive quod ejus subscriptio perperam sit prætermissa. Legesis Baluz. concil. Narbon. pag. 2.

885. 887. Prob. hist. Occit. t. 2. col. 4. 888. Marc. Hisp. col. 820. 889. 891. Tom. 2. Spicileg. pag. 734. 897.

Agilberto perperam Reginardum substituunt Sammarthani : quod enim interfuerit synodo Magalonensi apud Juncarias anno 909. habitæ ; quod Arnustus archipræsul Narbonensis inter ejus manus expiraverit ; quodque nominetur in epistola Johannis X. pro Agio Narbonensi contra Gerardum, hæc ipsi convenire nequeunt, sed alteri Reginardo post Fructarium commemorando. Error ex hoc irrepsisse videtur, quod synodus Magalonensis apud Juncarias an. 909. habita, olim an. 894. adscriberetur. Consule concilia Narbonæ doctissimi Baluzii.

XIV. Fructarius.

Fructarius, quibusdam Tructarius Biterrensis episcopus subscripsit concilio Portuensi in pago Nemausensi XIII. cal. Maii an. 897. indict. XV. sub Arnusto Narbonensi archiepiscopo, quamvis inter præsules, qui ei adfuerunt, initio non recenseatur, sed ejus decessor Agilbertus. Anno IX. regnante Odone cum illustri Rainardo vicecomite Biterrensi & Dida ejus uxore commutationem fecit XVII. cal. Augusti sub die Sabbati indict. XV. Rogatu Vulfardi abbatis Karlomagnus rex Rainardo pro assidua fidelitate *qua in ipsius decertabat servitio* villas Aspiranum & Albinianum in territorio Biterrensi sitas, necnon ecclesiam S. Felicis in villa Colobrice cum campo & adjacentiis & Paulinianum villarem juxta Colobrices jam concesserat ab anno 881. ut in archivis capituli Biterrensis reperitur : Fructarius igitur episcopus canonicorum suorum assensu, Rainardo vicecomiti & uxori ejus Didæ cessit in excambium quidquid ecclesia S. Nazarii possidebat in comitatu Avenionensi, scilicet villam dictam Tavellis cum ecclesiis S. Petri & S. Ferreoli, paucis retentis : Rainardus vero donavit ecclesiæ S. Nazarii in pago Biterrensi villam de Aspirano cum ecclesia S. Romani, excepto quod Walcharoni idem Rainardus antea dederat : largitus quoque illi est in excambium quidquid habebat in terminis de Aviciaco & Albiniano. Quod autem territorium habebat Walcharo ex dono Rainardi vicecomitis, voluit fieri parochiam, cum antea esset de parochia sancti Martini de Podio : quapropter sumptibus ipse suis construxit ecclesiam beatæ Mariæ in Villa nova, quæ a Fructario episcopo de consensu canonicorum suorum consecrata est IV. calend. Augusti, & pro sustentatione parochi data est decima hujusce territorii : sed ne capellanus sancti Martini de Podio ex hac donatione gravaretur, datæ sunt illi vineæ in parochia S. Martini. Eodem anno 14. Decemb. Bosone tunc vicecomite Biterrensi & Agathensi, querelam habuit Fructarius adversus Amalricum

ANNI CHRISTI

filium Adebraldi pro parva quadam insula sita in termino villæ de Aspirano, quam prius cum vicecomite Rainardo commutaverat episcopus, ut diximus.

XV. Matfredus I.

898. Fructario jam successerat Matfredus an. 898. Andoquo auctore, qui ex archivis episcopatus quamdam commemorat permutationem Matfredum Biterrensem episcopum inter & Bligarium ejusque uxorem factam die 5. mensis Octobris anno primo quo regnare cœpit Carolus Simplex: Carolus autem defuncto Odone an. 898. denuo coronatus Remis, novam ob redintegratum regnum epocham ab eo tempore omnibus per Septimaniam datis diplomatibus usurpavit.

XVI. Reginaldus I.

DE BESIERS.

Reginaldus, qui & Rainaldus in veteribus instrumentis reperitur, e familia vicecomitum Biterrensium oriundus, præerat anno 906. quo Hemma abbatissa S. Johannis Baptistæ chartam legitur obtulisse confirmandam in conventu episcoporum apud Barcinonam in ecclesia S. Crucis, cui jam subscripserat Reginaldus Biterrensis episcopus. Anno sequenti 907. apud Cesseronem ad Araurim fluvium in diœcesi Agathensi in monasterio S. Tiberii rursum pro causa ecclesiæ Ausonensis, de qua actum fuerat anno proximo in synodo Barcinonensi, congregati sunt Arnustus archiepiscopus, Reginaldus Biterrensis, & ceteri ejusdem provinciæ episcopi, tam qui priori adstiterant concilio, quam qui defuerant, ex archivis S. Victoris Massiliensis. Reginardo restituenda quæ de priore Reginardo prius vulgarant Sammarthani. Sedit nempe in concilio Magalonensi apud Juncarias anno 909. v. non. Maii indict. XII. habito, ex archivis archiep. Narbon. Ejus inter & Nantigisi Urgellitani præsulis manus expiravit Arnustus archiepiscopus Narbonensis ante mensem Junium anni 912. Eidem, uti plurimis aliis episcopis inscribitur epistola Johannis X. circa annum 914. pro Agio in archiepiscopum Narbonensem electo contra Geraldum. Cum terra sancti Johannis de Aureliago erogata fuisset quibusdam familiis, quæ sub Ludovico Pio venerant in Galliam Narbonensem, ut illam inhabitarent, ex illis Tructildis, Fulcherius filius & Leudoinus presbyter portiones octo ejusdem ecclesiæ ipsis debitas donaverunt ecclesiæ cathedrali S. Nazarii XIV. calend. Novemb. anno XXI. regnante Carolo rege post obitum Odonis, ut in archivis habetur. Nominatur Reginaldus Biterrensis episcopus in charta qua Ildegarius presbyter Deo, & S. Tiberio, & Rodoaldo abbati, & fratribus ibidem Deo servientibus fiscum, quem a domino Volcario requisierat in pago Agathensi vocatum *Cirzer*, impertit regnante Carolo cognomine Simplice an. XXVII. qui incidit in annum Christi 924. quo Hungari post desolatam Italiam, Septimania devastata, pene omnes a Pontio marchione Tolosano e Gothia expulsi sunt. Ejusdem regni anno XXIX. Isarnus & uxor Adoira alodem suum cum Reginaldo III. idus Maii commutarunt. Anno circiter 927. una cum Aimerico archiepisc. Narbonensi recens electo, Hugone Tolosano episc. & aliis scribit Reginardus Biterrensis Johanni papæ X. non vero VIII. ut post Robertum Catellus, ut eos excusatos habere velit, si secundum antiquam consuetudinem Aimericus neque per se, neque per deputatos illum adierit, quia omni regione illa nuper ab Hungaris graviter afflicta, itineribusque ab urbe Narbonensi ad Romanam a Sarracenis occupatis, patriam desolatam deserere ausus non fuerit. Vide quæ diximus in Aymerico Narbonensi. Denique Reginardus anno II. quo obiit Carolus rex, tertius nempe, cognomento Simplex, ecclesiæ suæ testamento legavit in regno Septimaniæ & comitatu Biterrensi S. Petrum a Pullo cum bosco, molino, &c. ea lege, ut canonici S. Nazarii omni tempore hanc donationem in commune tenerent. Biennio post extremæ ipsius voluntatis exsecutores in possessionem canonicos miserunt XIV. cal. Aprilis regnante Radulfo anno quarto post Caroli obitum qui est annus Christi 933. obiit enim Carolus 7. Octob. 929. Hujus doni chartam, quæ tota ad Reginardi gloriam conducit, integram inter instrumenta retulimus, tum etiam quia ex ea Reginaldi mortis tempus adstrui potest. Patet enim jam anno 933. obiisse Reginaldum, ac proinde non recte Sammarthanos ipsius vitam in annum 937. protraxisse. Illud eos in errorem induxisse videtur, quod putaverint donationem Pontii comitis factam fuisse Reginaldo episcopo, licet in archivis legamus Pontium comitem & marchionem Tolosanum tradidisse villas de Buiano & Tampuniano cum ecclesiis suis, *Domino Deo, & S. Nazario sedis Biterrensis* XVI. cal. Febr. anno I. quo obiit Rodulfus rex, id est 937. ubi non nominatur episcopus, qui jam successerat

(Marginalia: 907. Ch. XII. col. 13. — 909. — 912. — 914. Ch. XIV. col. 14. — 918. — 924. — 927. — 930. — 933. Ch. I. col. 127.)

XVII. Rodoaldus.

Rodoaldus aliter Rodallus, quem nonnulli suspicantur esse Rodoaldum abbatem S. Tiberii, de quo supra, qui hoc vivebat tempore, jam sedebat an. 937. proximus forte successor Reginaldi: anno enim II. regnante domino Ludovico rege interfuit dedicationi ecclesiæ S. Pontii Tomeriarum cum Aimerico Narbonensi, & aliis episcopis, qui omnes postea ad concilium Ausedinense convenerunt. Sua subscriptione consensit chartæ Aimerici archiepiscopi Narbonensis pro Tomeriensi S. Pontii monasterio anno 940. quo etiam tempore eidem cœnobio donavit mense Augusto B. Mariam de Tomeriis, & alias ecclesias ex archivis ejusdem monasterii. Confirmavit donationem monasterii B. Mariæ Camboni vulgo *Camon* Soniario abbati Crassensi factam anno octavo regnante Ludovico, hic est annus Christi 943. Nominatur præsens electioni Riculfi episcopi Elnensis factæ in publico episcoporum conventu Narbonæ congregatorum VI. cal. Aprilis anno 947. Insequenti XIII. regnante Ludovico rege quasdam vineas in comitatu Biterrensi in villa Teciano acquirit, præsente

(Marginalia: 937. — 940. — 943. Ch. VII. col. 481. — 947.)

ANNI CHRISTI

Bernardo archidiacono. Denique Trasoario vineas ad complantandum in territorio de Cirzio indulget ad suam & canonicorum suorum utilitatem anno I. regnante Lothario rege, qui regnum auspicatus est anno 954. ex archetypis tabulis Biterrensibus.

954.

GERALDI.

XVIII. BERNARDUS I.

Cognominatum fuisse Geraldi Bernardum discimus ex quadam charta S. Guillelmi de Deserto VI. nonas Julias sub die Veneris in Nemauso civitate publice regni Lotharii anno XVIII. Numquid is est Bernardus Biterrensis episcopus, quem Cl. Baluzius dicit subscripsisse postea concilio habito anno 911. indictione XIV. in villa, cui nomen Fons coopertus, in territorio Narbonensi in ecclesia S. martyris Juliani, cui præerat Arnustus archiepiscopus Narbonensis? De Bernardo nostro frequens in archivis Biterrensibus memoria. Anno III. regni Lotharii ei concedunt Abbo uxorque Servanda allodia in territorio Badonis. Andoquus, quem secuti sunt Sammarthani, vidisse se testatur in chartulario Biterrensi instrumentum hujusce circiter temporis, quo Bernardus confirmat donationem Reginaldi decessoris factam D. Nazario de S. Petro a Pullo. Anno V. regnante Lothario rege XIII. cal. Sept. Bernardus episcopus & canonici Biterrenses donant Giselemundo locum S. Petri a Pullo cum appenditiis pro novem frumenti sextariis annuatim persolvendis. Anno VI. erat simul & episcopus Biterrensis & abbas Anianensis, qui erat perversus horumce temporum mos: permutationem enim fecit cum Arico ejusque uxore Richilde, qui alodem quemdam in villa comitatus Biterrensis, S. Eulaliæ dicta, Anianensibus cessere pro alio alode sito in villa Liciano. Hujus commutationis charta in qua *Bernardus abbas, & episcopus, & omnis congregatio S. Salvatoris ex Aniano monasterio* laudatur, data est cal. Maii, *anno sexto regnante Lothario rege post obitum Hlodoici regis.* Anno VIII. ejusdem regni XII. cal. Decemb. Godinus mansum infra terminum S. Eulaliæ de Pupiano *venerabili patri Bernardo episcopo & abbati de monasterio Aniano* concedit. Matfredus Narbonensis vicecomes cum Adelaide conjuge Romam profecturus testamentum condidit die 20. Augusti an. 966. cujus exsecutionem Bernardo episcopo inter alios demandavit. Sammarthani ad annum 967. referunt donationem a Salacone factam B. Nazario & S. Jacobo Biterrensi de medietate ecclesiæ, turris, jurisdictionis & poggii sancti Baudini Desclassano. Anno XV. regnante Lothario rege Bernardus cum Aimerico Narbonensi archiepiscopo, & Aimerico levita abbate S. Pauli permutavit alodem Capitis stagni. Anno XVI. XV. cal. Maii fit commutatio inter Bernardum episcopum, & canonicos ex una parte, Iterium, & Pontium clericos fratres ex alia, qui donaverunt Bernardo & canonicis villam Pardinas sive villare *la Belle*, & medietatem de alode, qui fuit Gislæ matris eorum, cum medietate ecclesiæ S. Stephani & salinis: episcopus vero & canonici cessere eis allodia in Betigniano; territorio de Abelhano, & Sampreniano, territorio de Colobricis, cum tertia parte ecclesiæ S. Andreæ; item salinas in Serinhano, alodes in Villa nova, campum & vineas ad Molarias in territorio Salviani. Anno XVII. IV. cal. Augusti permutat Bernardus episcopus ecclesiam S. Baudilii sitam in comitatu Biterrensi cum Bernardo episcopo Nemausensi, & Leufredo abbate S. Salvatoris Anianensis, pro allodio quod habebant a Corsan, a Capestan, & a Pozovalerio in comitatu Narbonensi. Vicecomitem Reginardum tumulo mandari in ecclesia S. Jacobi curavit 12. Oct. ejusdem anni, ejus testamenti exsecutioni præpositus, quo nomine X. cal. Nov. Incarnationis anno 969. ind. XII. simul cum Garsinde vicecomitissa, & Bernardo abbate & aliis donavit ecclesiæ S. Nazarii villam de Luco cum ecclesia S. Martini, quas legaverat vicecomes in regno Septimaniæ & in comitatu Biterrensi, assentientibus Guillelmo vicecomite & Bosone. An. XIX. regnante Hlotario rege Bernardus de consensu capituli tradidit usufructus titulo Lailulfo presbytero ecclesiam S. Stephani de Buïano cum terris de Garrisione, juxta Andoquum & Sammarthanos: attamen in schedis D. Claudii Etiennot lego hanc ecclesiam datam fuisse Lailulfo, seu commendatam a Bernardo abbate S. Afrodisii, volente Bernardo episcopo Biterrensi. Amelius an. 972. ex testamento erogavit alodem suum ad Campanianum S. Michaeli, id est villam & ecclesiam S. Saturnini, quam hodie possidet præcentor; & quoniam præerat scholæ clericorum, qui de eodem alode debebant sustentari, cujus erat moderator ipse præcentor, eamdem administrationem in suos usus ac proprietatem convertit. Anno XXII. regis Lotharii IV. idus Novembris cum Fulcranno Leutevensi præsule permutat dominia Bernardus, quæ uterque in alterius possidebat diœcesi. Anno XXIII. XI. cal. Sept. Guillelmus vicecomes Biterrensis, & uxor ejus Ermetrudis, quæ Druda vocabatur, cessere D. Nazario villam de Lignano, &c. quæ de Bernardo episcopo ipsis advenerat, ad opus construendi ecclesiam cathedralem, qua perfecta, revertetur hæc villa ad mensam canonicorum in commune viventium. Anno XXIV. ejusdem regni superstes adhuc Bernardus quædam permutavit in villa Columbario, ut legitur in chartophylaciis Biterrensibus. Denique anno non notato Adelaidi vicecomitissæ Narbonensi salinas in terminio de Caput-stagni sitas dedit, quas monasterio Anianensi largita est IV. calend. Aprilis anno III. Hugonis regis, ex archivis sancti Pauli Narbonensis.

'Marc. Hisp. col. 379.

Catalog. episc. Biterr. pag. 52.

Mabillon. Annal. ad annum 959. num. 27.

966.

967.

969.

Ch. II. col. 127.

972.

977.

XIX. MATFREDUS II.

De Bernardi successoris nomine utrum Macfredus, an Manfredus, seu Alafredus & Ansefredus appellatus fuerit dubitant Sammarthani: totidem enim nominibus, inquiunt, præsules Biterrenses habentur in chartulariis sancti Nazarii: an vero fuerit unus episcopus sub diversis nominibus male scriptis, seu plures antistites, uno aut diversis temporibus, adhuc sub judice lis

ANNI CHRISTI

est. Quidquid sit, Matfredus e Villacunio ditionis ecclesiæ Leutevensis oriundus, ut nonnullis in Plantavitio placet, Ermengaudi Narbonensis archiepiscopi forsan consanguineus, præpositus primum Narbonensis fuerat, ut patet ex charta data anno 1025. apud Catellum pag. 958. Biterrensem cathedram occupabat an. 987. aut 88. quo S. Fulcrannus Leutevensis episcopus, qui eum singulari benevolentia prosequebatur, testamento suo pluribus annis ante mortem condito quædam legavit monasterio sancti Salvatoris ejusdem urbis, eo pacto, ut Macfredus episcopus Biterrensis esset provisor, pater, ordinator, ac defensor ipsius monasterii. Memoratur & in testamento Guillelmi vicecomitis Biterrensis & Agathensis, qui anno 990. canonicis S. Nazarii cessit villam de Surignano cum appenditiis, & vineas in villa de Buïano. An. IV. regnante Hugone Capeto IV. cal. Augusti Macfredus excipit donum quarumdam vinearum a Golesino. Anno VII. ejusdem regni XIV. cal. Septemb. permutat allodium S. Nazrii & S. Michaelis situm in villa Circi cum Willelmo vicecomite & uxore Arsendi pro allodio sito in comitatu Biterrensi in villa de Aureliaco. Anno IV. regnante Roberto Bernardus Guifredus archidiaconatum sancti Nazarii, quem antea ejus avunculus Salomon obtinuerat, cedit Deo, & Macfredo episcopo, qui eidem hanc dignitatem restituit titulo feudi clericalis, ea tamen conditione, ut ecclesiæ inserviat, nec ulla fraude impediat, quin illo fatis functo, archidiaconatus ad episcopum Biterrensem redeat. Is esse videtur episcopus Macfredus, cui Ermengaudus archiepiscopus Narbonensis testamento legavit anaphos duos & libram unam auri anno 1005. Unus erat ex episcopis, qui in conventu Tolosæ eodem anno habito excommunicaverunt omnes seu viros, seu feminas, qui aliquod usaticum malum in strata de Stap usque Tolosam miserint, vel mitti consenserint. Intererat Leutevæ id. Febr. an. 1006. quando S. Fulcrannus hujus civitatis antistes, cui erat carissimus Matfredus, animam Deo reddidit. Fulcranno vero defuncto, Leutevensis ecclesiæ gubernaculum jure vel injuria toto novennio tenuit, nec tamen Biterrensem ecclesiam dimisit, prout habetur in veteribus instrumentis: anno etenim 1010. hoc adhuc titulo Ermengaudi episcopi Urgellitani decretum de vita canonica in matrice ecclesia instituenda XIV. cal. Decemb. emissum cum plurimis episcopis confirmavit, inter quos aderat Borellus Ausonensis præsul, cujus electionis actis anno XV. Roberti regis subscriptus cal. Octob. reperitur Matfredus apud Baluzium. Exstat in chartulario S. Nazarii repertorium bonorum ecclesiæ, quando Ansefredus factus fuit episcopus, qui in altero inventario Alafredus vocitatur, sed nullus dubito quin idem sit Matfredus diversimode ab amanuensibus acceptus.

[Margin: 987. — Ch. v. col. 268. — 990. — 991. — Prob. hist. Occit. t. 2. col. 163. — 1005. — 1006. — 1010. — Marc. Hisp. col. 423. — Ibid. col. 996.]

XX. Urbanus.

Nunc primum innotescit Urbanus Biterrensis præsul ex archivis monasterii B. Mariæ de Quadraginta, in quibus capellam S. Martini in eadem ecclesia de mandato Ermengaudi Narbonensis archiepiscopi dedicasse legitur anno 1016.

XXI. Stephanus II.

Diu post consecratam capellam non superfuisse Urbanum inde liquet, quod eodem anno 1016. Stephanus ejus successor Rainaudo presbytero donaverit vineas ad Badonas, ad complantandum æqualiter, ex archivis Biterrensibus. Anno I. Henrici regis qui regnum anno 1031. auspicatus est, Stephano vendidit Deusdet presbyter unum *maillolum*, seu vineam, quæ illi advenerat, pro ædificanda ecclesia in villa sancti Andreæ de Pailliniano pretio 27. solidorum de denariis Biterrensibus. Adfuit anno circiter 1032. concilio apud Narbonam habito ab archiepiscopo Guifredo, ubi confirmata sunt privilegia monasterii Canigonensis. Præfuit Stephanus cuidam placito habito anno 1035. occasione controversiarum quæ Bermundum de Salva inter & fratrem uterinum Petrum comitem Carcassonensem & vicecomitem Biterrensem inerant de abbatiis Anianensi & Gellonensi. Ecclesiæ suæ sancti Nazarii dedit an. 1036. duas condaminas, unam ad Cagaranlerium, & aliam ad Divisanum, quas postea Arnaldus episcopus Magalonensis usurpavit. Eodem anno VII. idus Febr. quædam prædia juxta abbatiam S. Afrodisii, & census quos habebat in villis de Paleariis & Ameliaco, de consensu Bernardi abbatis, canonicis S. Nazarii largitus est, ut liquet ex tabul. capit. Biterr. Quin & in schedis nostri Claud. Etiennot de abbatia S. Afrodisii lego Stephanum episcopum Biterrensem bene multa huic loco contulisse anno 1036. laudatque acta pontificum Biterrensium. Antiquitat. Benedict. in Septimania part. 2. pag. 123.

[Margin: 1016. — 1031. — 1032. — 1035. — 1036.]

XXII. Bernardus II.

Litteris conventus habiti in Coxano monasterio ab archiepiscopo Narbonensi, & plurimis episcopis an. 1035. pro unione ecclesiæ S. Mariæ *inter ambas aquas* * cum dicto cœnobio subscribit Bernardus episcopus Biterrensis. At cum aliunde certum sit Stephanum tunc temporis Biterrenses infulas gestasse, vero videtur similius Bernardum, quo de agitur, sua subscriptione ratam habuisse unionem hanc post celebratam synodum. Et certe non reperitur hic Bernardus initio litterarum, ubi nomina præsentium episcoporum præmittuntur. Ratione haud absimili duos Convenenses episcopos in eadem charta subscriptos reperies, Arnaldum & Willelmum: Willelmus nempe Arnaldi successor post habitum hunc conventum quæ in eo acta fuerant, rata habuit. Præsens vero adstitit Bernardus episcopus duobus conciliis apud Narbonam anno 1043. habitis sub Guifredo Narbonensi archiepiscopo, in quorum primo XVI. cal. Aprilis monasterii Coxanensis bonorum invasores anathemate percussi: in altero autem cal. Augusti ecclesiæ Edrensi in diœcesi Carcassonensi donationem factam a Willelmo Hugonis confirmarunt episcopi: utrumque concilium legesis apud Marten. tom. 4. anecd. col. 83. & seq. Eodem anno III. cal. Octob. Petrus Raimundi

[Margin: Mabillon. ad hunc ann. n. 58. — * De Tramesaigues. — 1043. Marc. Hisp. col. 442.]

ANNI CHRISTI

comes ad S. Jacobum Gallæciæ iturus, ecclesiæ sancti Nazarii dedit mansum, quem comparaverat Isembertus presbyter de Benjamin Hebræo. Subscripsit an. 1045. Bernardus dedicationi ecclesiæ S. Martini de Lenis in comitatu Fenoliotensi.

Prob. hist. Occit. col. 209. 1045.

XXIII. Berengarius I.

Ch. v. col. 105. Marc. Hisp. col. 447. 1050.

Interfuit concilio celebrato idibus Juliis anno 1050. apud S. Tiberium in diœcesi Agathensi adversus invasores ecclesiarum & possessionum monasterii Arulensis, Wifredo metropolitano præside. Donavit eodem anno ad feudum Rainardo (*al.* Bernardo) Salomonis domino de Buïano & de Badonis burgos extra portas civitatis, ut ipsi esset auxilio contra vim nobilium, qui bona ecclesiæ invadebant. Legitur in archivis B. Mariæ de Quadraginta Berengarium Biterrensem episcopum una cum Guifredo Narbonensi archiepiscopo & Gontherio Agathensi præsule dedicationi hujus ecclesiæ interfuisse XIV. calend. Nov. anno 1053. sed veritas instrumenti stare non potest cum charta guirpitionis ecclesiæ de Bitiniano, in qua Berengarius ante XIII. cal. Sept. mortuus designatur, ut mox videbimus. Extat inter instrumenta hist. Occitaniæ t. 2. col. 222.

XXIV. Bernardus III.

Arnaldus.

Benedictionem episcopalem acceperat Bernardus, qui cognominatur Arnaldus, ante XIII. cal. Sept. 1053. obieratque aliquanto ante Berengarius ejus decessor, ut ex controversia de Bitiniano discitur, quam sub Berengario inchoatam diremit Bernardus: hæc autem est rei summa, prout in chartulario S. Nazarii legitur. Pontius Niger canonicus S. Nazarii, antequam ad sepulcrum Domini proficisceretur, codicillis testamenti decrevit, ut post mortem Guiraldi & filii ejus Bernardi ecclesia S. Andreæ de Bitiniano ad canonicos sancti Nazarii reverteretur: defuncto itaque Bernardo canonici ecclesiam repoposcerunt; at Odo, Bernardus, Rostagnus, & Guillelmus fratres rem paternam esse proclamarunt. Hac de re conquesti sunt canonici, Bernardus claviger & præpositus, Guillelmusque archidiaconus coram Berengario præsule, Ermengaudo de Casulis, & Matfredo filio abbate sancti Jacobi in placito ad Aspiranum convocato, ubi cum nullum chartarum instrumentum proferrent, inclinabant judices, ut cum fuste ac clypeo pugna decerneretur: sed tandem in altero apud S. Hippolytum res in controversiam deducitur, cui adfuere etiam vicecomes Berengarius, Amblardus, Gaucelinus & alii. At cum heredes Pontii falso insimulassent sibi a patre in extremis mandatum, ut de prædicta ecclesia statim a die mortis ipsius fidem clientelarem episcopo Berengario jurarent, Berengarius vero pecuniæ a fratribus accipiendæ spe inescatus procrastinaret, Ermengaudus & Matfredus abbas placitum dissipavere. Mortuo interim Berengario aliquot post dies suffectus est Bernardus, qui novum placitum ad Lignanum indixit, in quo cum de fratribus coram Berengario vicecomite conquestus fuisset, episcopo Berengarius auctor fuit, ut Odoni & fratribus trecentos solidos pro dicta ecclesia donaret. Itaque XIII. cal. Septemb. anno 1053. pax stabilitur in palatio episcopali, adjudicatur ecclesia de Bitiniano canonicis, & pro trecentis solidis Melgoriensibus Odo & ejus fratres guirpitionem fecerunt in manu Bernardi episcopi. Anno 1054. XXIII. scilicet Henrici regis III. id. Julii una cum Amelio & Guillelmo fratribus monasterio S. Petri Rodensis donavit Bernardus quidquid ipsis a parentibus obtigerat in villa Solano in comitatu Tolosano. Primus recensetur inter episcopos qui VIII. cal. Sept. ejusdem anni celebrarunt concilium Narbonense cum Guifredo metropolitano, ubi pax & treuga confirmantur. Hoc eodem anno V. nonas Martii Petrus comes Carcassonensis cum Ranguardi uxore donavit S. Nazario abbatiam de S. Genesio juxta mare cum omnibus appenditiis. Circa id tempus Bernardus interfuit cum aliis episcopis consecrationi ecclesiæ sancti Petri Magalonensis. Anno 1055. interfuit concilio Narbonensi habito cal. Octob. a Guifredo archiepiscopo adversus invasores bonorum ecclesiæ Ausonensis. Adfuit & Tolosano id. Septemb. anni 1056. congregato contra simoniam, aliaque cleri & populi vitia. Eodem anno, juxta Sammarthanos, guirpivit panes censuales, quos Ranguardis comitissa & Raimundus Bernardus vicecomes cum Ermengardi uxore acceperant a S. Nazario & Bernardo episcopo. Denique quas canonicis Biterrensibus ablatas Arnaldo Magalonensi episc. dono dederat duas condaminas Bernardus, ab Arnaldo jussu concilii Tolosani VIII. id. Febr. an. 1057. restitutas canonicis reddidit, ex tabulis capituli Biterrensis.

1053. *Prob. hist. Occit. t. 2. col. 222.* 1054. *Ibid. col. 225.* *Labb. concil. tom. 9. col. 1072.* 1055. *Marc. Hisp. col. 452.* *Labb. concil. tom. 9. col. 1084.* 1056. 1057.

XXV. Berengarius II.

Post Bernardum recensendus Berengarius ex iisdem tabulis, qui duas condaminas iterum canonicis sancti Nazarii abstulit, ut Pontio Petro Arnaldi Magalonensis episcopi nuper defuncti nepoti traderet: at Pontii qui restituere nolebat subita morte mortui filii has canonicis cessere an. 1061. regnante Philippo. Iisdem Rogerius comes Carcassonensis restituit XVI. cal. Julii an. 1065. mansum Isemberti presbyteri, quem injuste interpellabat: hæc autem domus ac vicinæ junctæ componebant, ut volunt Sammarthani, unum de palatiis vicecomitum, inibique constructa fuit magna turris; muri enim antiquæ civitatis non prætergrediebantur ecclesiam monialium sanctæ Mariæ.

1061. *Prob. hist. Occit. t. 2. col. 248.* 1065.

XXVI. Matfredus III.

Ex abbate S. Afrodisii Matfredus ad cathedram Biterrensem assumitur, sed quo præcise anno prorsus est incompertum. Illud tantum certo novimus Rodmundum de Falgariis & Raymundum fratres archidiaconatum cum suis appenditiis Matfredo episcopo cessisse III. id. Januarii an. 1077. quo & a Bernardo de Fulgerio accepit terras, quas possidebat in Aspirano. Cum Frotardo abbate S. Pontii aliisque nobilibus sententiam tulit adversus Bermundum Agathensem, qui malos usus & consuetudines in honore

1077. *Gall. Christ. tom. 1. col. 243.*

(Palatium vocant) S. Salvatoris & S. Fidis exigebat; id colligitur ex placito habito a Raimundo Ruthenensium comite v. cal. Julii anno 1078. Adstitit conventui apud Narbonam habito nonis Maii an. 1080. præsensque fuit donationi decimæ salis & piscium factæ 31. ejusdem mensis canonicis S. Justi a Petro electo & vicecomite Narbonensi. Eodem anno calendis Junii præsens laudavit chartam Petri electi Narbonensis post bonæ memoriæ Gaufredum pro ecclesia S. Pauli Narbonensis. Eo circiter tempore adfuit concordiæ initæ inter Petrum comitem & Guillelmum de Montepessulano. Anno 1082. 25. Martii consentiente capitulo quædam donavit monasterio B. Mariæ de Cassiano, quod biennio ante a Guillelmo Alcherico fundatum celebre postmodum evasit. Interfuit donationi factæ monasterio S. Pontii Tomeriensis a Raimundo Minervensi vicecomite III. non. Febr. 1083. Insequenti Raimundus comes Ruthenensis Matfredo & successoribus permisit exuvias quas post episcoporum Biterrensium obitum multo jure suas esse contendebat, Matfredus vero comiti equum donavit, qui 200. solid. Melg. constiterat. Idem eodemque tempore Bernardo Trincavelli Biterrensi vicecomiti attribuit Andoquus, at tunc temporis Biterrensem vicecomitatum tenebat Bernardus Atonis non Trincavellus. An. 1086. una cum Dalmatio metropolitano aliisque episcopis in concilio congregatis interfuit Matfredus consecrationi ecclesiæ monasterii S. Stephani Balneonensis. An. 1088. testis subsignavit chartam donationis factæ monasterio B. Mariæ de Cassiano ab Ermengaudo de Pouzols. Unus fuit ex episcopis qui in unum congregati an. 1090. anathema dixerunt invasoribus bonorum ecclesiæ Biterrensis. Anno 1091. XIII. cal. Aprilis concilio Narbonensi adfuit, ubi agitata quæstio est de abbatia S. Laurentii adversus ipsummet qui præsidebat Dalmatium archiepiscopum Narbonensem. Adjunxit anno 1092. dominio mensæ episcopalis in territorio Columbario quasdam possessiones quas a Golefino acquisierat. Eodem anno IV. id. Febr. considerans Matfredus destructionem canonicæ sive capituli S. Nazarii factam ab antecessoribus suis, & detrimentum ipsius ecclesiæ, cujus canonici destituti subsidiis, quibus in commune vivere possent, nec divina mysteria frequentabant, nec ecclesiastica negotia curabant, donavit illis præpositatum seu dignitatem præpositatus, sacristiam, necnon & sacristiam minorem, quam ipse non ita pridem locupletaverat ecclesiarum unione SS. Felicis, Saturnini, Andreæ, Juliani, & Magdalenæ; totum cessit in stipendia clericorum sancti Nazarii & eleemosynas pauperum: hujus donationis chartam, quæ non parum ad ipsius nominis gloriam conducit, integram in instrumentis descripsimus. Eodem tempore ecclesiæ Biterrensi fit donatio de prioratu S. Felicis de Turrillis juxta Sammarthanos, qui & post Andoquum vetus scriptum chartophylacii referunt, in quo continetur querela Matfredi in Ermengardem vicecomitissam Biterrensem an. 1096. quæ jura episcopi feodalia in villa sancti Nazarii usurpabat, piperis nempe, saccari, & pellium agnorum, quæ a Judæis die natali Christi episcopo persolvebantur: sed, pace tantorum virorum dixerim, anni non quadrant; jam enim Matfredus, si non mortuus, saltem monachus erat ab anno 1093. quo infulas exuit, ut cucullam monasticam indueret, ut docet nos vetus charta Bernardi Mantellini consilio clericorum S. Nazarii III. id. Novemb. an. 1093. monasterio sancti Jacobi Biterrensis ecclesiam S. Marcelli in villa Adelam concedentis, *quia episcopus Matfredus monachus factus fuerat.* Alicubi quoque reperi Matfredum episcopum canonicam in abbatia S. Jacobi regulam amplexatum fuisse anno 1093. Quod autem addunt Sammarthani Matfredum exsequiis Dalmatii Narbonensis archiepiscopi interfuisse, a quo consecratus fuerat, illud minime stare potest 1.° enim a Dalmatio, qui nonnisi an. 1081. fuit electus, consecrari non potuit Matfredus, qui jam Biterrensem sedem occupabat anno 1077. 2.° Dalmatii exsequiis interfuit episcopus quem consecraverat, consecratum autem a Dalmatio Arnaldum mox videbimus. 3.° Mortuo Dalmatio 17. Jan. 1096. non parentavit Matfredus, qui jam ab an. 1093. erat monachus, sed Arnaldus ejus successor, qui episcopatum tenebat ante obitum Dalmatii.

ANNI CHRISTI 1078. 1080. 1082. 1083. 1084. 1086. 1088. Ch. VI. col. 132. 1090. 1091. 1092. Ch. VII. col. 132. 1093.

De eo qui in locum Matfredi monachi suffectus fuerit, nobis non convenit cum Sammarthanis: Guillelmus enim Fredoli, quem XXV. annumerant, vivebat sæculo tantum XIV. ineunte, quo toparchiam de Veruna acquisivit in pago Magalonensi: sed quare Arnaldus immediate non successisset Matfredo, non video.

XXVII. ARNALDUS.

DE LEVEZON.

A Dalmatio Narbonensi archiepisc. consecratum Arnaldum de Levesone discimus ex charta an. 1129. quam habes inter instrumenta ecclesiæ Narbonensis. Jam sedebat anno 1096. quo exsequiis ejusdem interfuit die 12. Martii. Insequenti v. id. Junii cum Ermengarde vicecomitissa mediator est Arnaldus obligationis, quam fecit Guillelmus Arnaldus de Biterris Deo & ecclesiæ S. Nazarii de honore S. Petri de Bosco cum suis appenditiis pro 800. solid. Melgorienſ. ex chartis S. Nazarii. Reperitur in charta Rodgerii de Leziniano eodem anno, quo & cum consilio canonicorum suorum dedit Deo & altari S. Salvatoris Anianensis, & abbati Petro, & monachis ecclesiam sancti Petri de Giniaco regnante Philippo rege, ex tabul. Anianæ. Anno 1098. id. Aprilis testis legitur donationis factæ monasterio B. Mariæ de Quadraginta ex chart. ecclesiæ Crudiensis. Eodem anno juxta Sammarthanos & Andoquum, 21. Junii cum vicecomitissa Biterrensi præsens reperitur donationi factæ a Guillelmo Biterrensi canonicis S. Nazarii terrarum quarumdam in fundo S. Petri de Silva, cui forte sese anno præcedenti obligaverat, nisi quis dixerit utramque & obligationem & donationem eamdem esse. Eo circiter tempore cum consilio canonicorum suorum monasterio Gellonensi & Berengario abbati concedit ecclesiam de

Charta XXXVIII. col. 34. 1096. 1097. 1098.

ANNI CHRISTI 1101. Ch. VIII. col. 83.

Murovetulo. Anno 1101. ſubſcribit cum Bertrando Narbonenſi, Petro Carcaſſonenſi, Iſarno Toloſano, & Godefrido Magalonenſi inſtrumento de unione monaſterii S. Aniani cum cœnobio S. Pontii Tomeriarum. Interfuit II. non. Octobris an. 1115. conſecrationi eccleſiæ beatæ Mariæ de Caſſiano ordinis S. Auguſtini in feſto ſanctæ Fidis, cui eadem die donavit eccleſiam S. Laurentii de Roïano. Anno 1116. Arnaldo conceſſit Bernardus totum dominium quod habebat in villa de Yrigniano. Eodem tempore adfuit donationi decimæ de Pozago factæ capitulo Biterrenſi a Jordano de Cerviano & Rixende conjuge, ex tab. cap. Biterr. Anno 1117. cum Atone Arelatenſi & Arnaldo Carcaſſonenſi antiſtitibus mediator eſt Arnaldus Biterrenſis compoſitionis inter Richardum Narbonenſem archiepiſcopum factæ, & Hugonem S. Pauli abbatem, in quo expoſtulabat archiepiſcopus quod bona, terras, & caſtella alienaſſet, quæ recuperaturum promittit abbas. Nomine oppignerationis quædam excepit an. 1118. pro eccleſia Biterrenſi a Petro Pelleti & Petro Theſano. Recenſetur inter epiſcopos qui menſe Nov. an. 1120. litem definierunt inter Eliziarum de Caſtriis & Engelradam ejus uxorem ex una parte, & monaſterium S. Tiberii ex altera. Unum addunt Sammarthani ex tranſcripto veteris membranæ, Arnaldum Amelio epiſcopo Toloſano abſente hunc pontificatum adminiſtraſſe, dum adhuc Biterris ſederet, ſed nullam afferunt hujuſce rationem: imo vero videtur ſimilius non pontificatum, ſed Toloſam ipſam gubernaſſe anno ineunte 1121. verba ſunt chartæ: *Hoc donum factum fuit cum conſilio Ildefonſi comitis, Amelii Toloſæ epiſcopi, necnon Arnaldi Biterrenſis epiſcopi, qui tunc tenebat Toloſam pro Ildefonſo comite, & poſtea fuit Narbonenſis archiepiſcopus, & Romanus legatus.* Denique ob inſignem vitæ integritatem, maximamque erga pauperes caritatem Arnaldus aſſumitur ad archiepiſcopatum Narbonenſem anno 1121. 16. Aprilis, ubi vide.

Ch. VIII. col. 133. 1115. — 1116. — 1117. — 1118. Ch. VI. col. 317. — 1120. — Catel. hiſt. Occit. pag. 959. — Charta XXXVIII. col. 34. & Ch. IX. col. 134. — 1121.

XXVIII. S. GERALDUS.

Guiraudus, qui & Guiraldus, melius Geraldus, ſic enim ipſe ſubſcribit chartis pluſquam ſeptuaginta quatuor in monaſterio Caſſiani adhuc ſuperſtitibus, oriundus erat an. 1070. ex Podio Salicone* vico non ignobili agri Biterrenſis, qui locus præſulum ferax, protulit & Guillelmum de Broa archiepiſcopum Narbonenſem virum doctum & magni conſilii. Septimeſtris tantum Geraldus, uti memorat ipſius legenda, dum aquis baptiſmi ablueretur, efferbuit unda, ſicut immiſſo ardente ferro ſolet ebullire, quod fuit ſanctitatis omen. A puero traditus aſcetis B. Mariæ de Caſſiano, ſecundus poſt Petrum primum priorem electus eſt prior. Hanc dignitatem jam erat adeptus anno 1106. die 9. Augusti, ut eruitur ex una chartarum hujuſce temporis, in qua legitur *Geraldus prior Caſſianenſis ſcripſit.* Fundavit aliquanto poſt hoſpitale prope monaſterium. Elegantem baſilicam etiamnum ſtantem conſtruxit, cujus dedicatio facta eſt an. 1115. die feſto S. Fidis. Arnaldo in archiepiſcopum Narbonenſem aſſumto, communi omnium voto eligitur Geraldus, ſed quo anno fuerit ordinatus epiſcopus ex inſtrumentis non liquet: in charta enim data die Jovis 23. Februarii an. 1121. regnante Ludovico legitur adhuc in ſubſcriptione *Geraldus Dei genitricis Mariæ ſervus & miniſter a præfatis donatoribus rogatus ſcripſit hanc chartam.* Non temere tamen colligi poteſt toto non vertente anno 1121. aut ineunte 1122. ut vult Andoquus, conſecratum fuiſſe Biterrenſem epiſcopum. Præpoſitatus & ſacriſtiæ minoris unionem factam a Matfredo epiſcopo factus epiſcopus confirmavit anno 1123. Contulit domui de Caſſiano partem decimæ de Aureliaco, hoc eſt medietatem, ſalvo jure matricis eccleſiæ ſancti Nazarii, quam ab Amblardo de Villanova & ejus uxore acceperat, qui & eodem anno canonicis largiti ſunt eccleſiam de Villanova Ricuini, ſeu *de Villenovete* præſente Geraldo. Subſcripſit adhuc anno 1123. die 23. Oct. cum Adelberto epiſcopo Agathenſi chartæ pro quodam excambio, & paulo poſt ſcilicet die Lunæ 5. Nov. ejuſdem anni ſarcina carnis exoneratus evolavit ad cælum. Hujus memoria ſanctorum faſtis apud Biterrenſes inſcribitur V. id. Nov. cujus pignora religioſe olim in abbatia S. Afrodiſii aſſervabantur, ſed neſcio quo fato accidit, ut hæreticis an. 1562. longe lateque omnia devaſtantibus, ſepulcrum ſancti præſulis effoſſum fuerit, ſoluſque nunc temporis ſuperſit annulus paſtoralis. Celebris eſt præſertim in breviariis canonicorum regularium congregationis reformatæ in Galliis. Migraſſe ad Dominum anno 1122. legitur in veteri Gallia Chriſtiana, ſed perperam, ut vidimus: melius necrologium Biterrenſe: *Nonis Novembris obiit reverendus dominus Guiraudus Biterrenſis epiſcopus anno Domini 1123.* Sepultus eſt in eccleſia ſancti Afrodiſii, tumuloque ſuperpoſita hæc inſcriptio.

* Puiſſalicon. — Ch. VIII. col. 133. — 1122. — Ch. VII. col. 133. — 1123.

Præſulis hic almi ſunt condita membra Geraldi,
Hic vir honeſtatis & miræ ſimplicitatis,
Moribus ornatus fuit & flos intemeratus:
Hunc meruit florem Cacianus habere priorem.
Hic ſpeculum terris, fit præſul in urbe Biterris;
Eximitur membris quinta ſub luce Novembris,
Quo Deus in pannis jacuit vergentibus annis,
Bis quingentenis centum tribus & duo denis.

XXIX. GUILLELMUS I.

DE CERVIEZ.

Hic locus aſſignandus videtur Guillelmo de Cerviano, cujus mentio ſaltem bis reperitur in chartis ſancti Guillelmi Gellonenſis, nempe in Guillelmo ſecundo abbate ad annum 1127. ubi legitur Guillelmum de Cerviano epiſcopum Biterrenſem cum conſilio & voluntate Raimundi Gaucelini archidiaconi de Murovetulo & aliorum decem canonicorum altari ſancti Salvatoris Gellonenſis monaſterii, abbati & monachis eccleſiam S. Vincentii de Popiano cum primitiis, decimis &c. tribuiſſe *menſe Madio anno ab incarnatione Domini MCXXVII.* Memoratur & in Raimundo abbate ibidem, cui alius Guillelmus Biterrenſis epiſcopus reſtituit eccleſiam præfatam, quam

1127. — Ch. XIII. col. 137.

ANNI CHRISTI

quam noverat jam datam a ſuis anteceſſoribus Guillelmo de Cerviano, & Bermundo, ex tab. Gellon.

DE LEVESON.

XXX. BERMUNDUS.

Bermundus, qui & Bremundus, Arnaldi de Leveſone archiepiſcopi Narbonenſis ex fratre nepos, aut ſaltem conſanguineus, archidiaconus major Biterrenſis erat eccleſiæ, cum ad epiſcopatus apicem aſcendit Guillelmi ſucceſſor proximus. Huic Pontius de Cornelliano & uxor Adelais dedere allodia Baxani prima die Aprilis anni 1128. tum die Junii 12. diſcordes pro diviſione caſtri S. Felicis compoſuit Rainaldum Salbaianum & Lambertam. Hoc eodem anno 7. Auguſti decimas eccleſiæ de Remeiano accepit a Petro de Cers & Ermeſinda. Donavit Augerio abbati S. Salvatoris Leutevenſis eccleſiam loci S. Felicis, præſentibus Arnaldo Narbonenſi archipræſule, Bertrando de Ventagione, Berengario de Lignano, & Petro de Caneto. Eodem anno tribuit Biterrenſi ptochotrophio eccleſiam ac decimas ſancti Martini de Luco aſſenſu Raimundi de Monterotundo archidiaconi, Matfredi præcentoris, Hugonis camerarii, Bernardi de Theſan ſacriſtæ, & Johannis ſcholarum magiſtri, ex archivis epiſcopalibus. Concilio Narbonenſi ab Arnaldo archiep. habito menſe Martio anni 1129. cum Adalberto Agathenſi & Arnaldo Carcaſſonenſi epiſcopis interfuit Bermundus, ubi metropolitano authores fuere epiſcopi, ut quam pridem Dalmatius Narbonenſis archiepiſcopus canonicis regularibus S. Juſti tradiderat eccleſiam de Oviliano, ipſis quoque largiretur. Initio quidem litterarum, ubi nomina præſentium epiſcoporum præmittuntur, legitur Bernardus Biterrenſis, ſed error eſt manifeſtus, cum in ſubſcriptionibus reperiatur ſignum Bermundi epiſcopi Biterrenſis. A Guillelmo Biterrenſi fratre ſuo ad ſanctum ſepulcrum pergente accepit VI. non. Julii ejuſdem anni quidquid poſſidebat in urbe Biterrenſi cum ſuis appenditiis, omneque ſal, quod in territorio Narbonenſi habebat, ea lege, ut exinde Mariæ ſorori ſuæ centum ſummatas tribueret. Petrus de Circiis uxorque Ermeſindis dederunt ei & capitulo eccleſias de Remigiano & de Circiis XVI. cal. Auguſti. Iiſdem anno & menſe ſubſcriptus memoratur Bernardus Biterrenſis epiſcopus nuptialibus tabulis Guillelmi domini de Montepeſſulano cum Sybilla, ſed nullus dubito quin Bermundus loco Bernardi ſit legendus. Eundem in ſcopulum impegerunt amanuenſes in quibuſdam chartis: nec mirum, cum enim maxima ſit inter Bermundum & Bernardum vocabulorum affinitas, hinc facile evenit, ut utrumque nomen indiſtinctim lectum & poſitum fuerit. Confirmavit XII. cal. Junii an. 1130. canonicis S. Nazarii abbatiam S. Geneſii juxta mare, & fabricæ largitus eſt eccleſiam de Cirzio cum ſuis appenditiis, quibuſdam retentis in ædificium baſilicæ majoris. Ex epiſcopis unus eſt quibus Innocentius II. ſummus pontifex dato diplomate III. calendas Decemb. an. 1130. mandat, ut milites ſuos, qui hominem monaſterii Anianenſis interfecerant, quamprimum admoneant, ut abbati & monachis ſatisfaciant. Juſtitiæ temporalis obſervator erat æquiſſimus, quam per ſeipſos epiſcopi aſſiſtentibus canonicis ſuis reddebant, ut notatur in originali autographo de manſo S. Felicis inter Raimundum de Salviano & Gallicanam ejus uxorem. Acquiſivit a nobilibus decimas ſancti Geneſii de Greſano & S. Felicis de Beiſſano. Compoſita anno 1131. controverſia quæ inerat inter eum & Rogerium Raimundumque Trincavellum vicecomites ſuper juriſdictione tam civili quam criminali in civitate & burgis Biterrenſibus, & illud quidem juxta ſententiam Alphonſi comitis Toloſani, cujus erant ambo feudatarii, quæ in urbe Monſpelii fuit pronuntiata: hac autem ſententia Alphonſus tribuit jus epiſcopo de furtis decernendi in villa S. Nazarii toto menſe Aprili, eique ſoli in omnibus villis ad præſulem & vicecomitem ſpectantibus ſepulturæ ac funerum proventus, necnon lectos defunctorum addixit, numerum quoque centum militum, quos epiſcopus vicecomiti bellum gerenti ſubminiſtrare debebat ad quinquaginta revocavit; cetera vero Trincavello permiſit inſtrumento panchartæ nigræ epiſcopalis datæ apud Monſpelium anno 1131. adſtantibus Arnaldo Narbonenſi pontifice ſedis apoſtolicæ legato, Rogerio vicecomite Carcaſſonæ & aliis viris nobilibus. Eodem anno Cecilia vicecomitiſſa Biterrenſis una cum Rogerio, Raimundo Trincavello, & Bernardo Atonis filiis Bermundo epiſcopo oppignerat XV. cal. Jun. pro V. mille ſolid. Melgor. albergas epiſcopatus & ſancti Afrodiſii, & totam juſtitiam in villis de Lignano & Aſpirano. Nonis Dec. an. 1132. conſecrationi eccleſiæ parochialis S. Martini de Creiſſano in diœceſi Narbonenſi per Arnaldum archipræſulem factæ adſtitit cum Raimundo Carcaſſonenſi & Johanne Nemauſenſi epiſcopis. Acquiſivit die 7. Jan. anni 1133. pro 25. libris argenti a nobili Archembaldo de Theſan & Aicia ejus uxore partem decimarum Aſpirani, teſtibus Arnaldo Narbonenſi præſule & Matfredo archidiacono Biterrenſi. Memoratur eodem anno in charta Raimundi Agathenſis epiſc. Raimundus Bernardus de Porcairanicis & Benedicta ejus uxor Bermundo obligant idibus Aprilis an. 1134. decimam totam, quam in loco de Baxano habebant pretio 280. ſolid. Biterrenſium. Eodem tempore Bermundus confirmavit donationem eccleſiæ S. Vincentii de Popiano factam monaſterio Gellonenſi a Guillelmo de Cerviano deceſſore, ex tabular. Gellon. Anno 1135. querelam inter Johannem, Stephanumque ejus nepotem ex una parte, & Hugonem de Paulina, Petrum de Cutio, & Guillelmum de Capeſtain milites ex altera arbitrali judicio dirimit Bermundus una cum Armando, Matfredo archidiacono & aliis ex tab. cap. Biterr. ubi pro Bernardo legendus Bermundus. Emtionem fecit an. 1138. a Bernardo & Arnaldo Eſquadocens fratribus terrarum in Lignano pro 800. ſolid. Melgorienſibus. Eodem anno aſſenſum præbuit ſuum inſtituendis a Petro Leutevenſi epiſcopo in Monte Cornilio canonicis regularibus. Cum plurimis epiſcopis interfuit concilio

Margin notes: 1128. — 1129. — 1130. — 1131. — 1132. — Charta XXXIX. col. 96. — 1133. — 1134. — 1135. — 1138. — Ch. XV. col. 279.

ANNI CHRISTI 1140. Narbonensi anno 1140. habito, in quo præside A Arnaldo metropolitano decretum est, ut in provincia Narbonensi quantocius quæreretur auxilium Elnensi diœcesi a Sarracenis graviter afflictæ. Defuncto Berengario de Ventagione abbate S. Afrodisii, hanc abbatiam rexit Bermundus episcopus simul Biterrensis & abbas S. Afrodisii, 1142. quo nomine quædam cessit anno 1142. ut leges in abbatibus S. Afrodisii. De consensu Deodati archidiaconi, Guillelmi Biterrensis sacristæ, 1143. & Willelmi de Muroveteri canonici anno 1143. sanctæ Theodosiæ ecclesiam Jerosolymitano nosocomio adjunxit, servata quarta parte decima- 1145. rum, ex archivis episcopalibus. Anno 1145. B VIII. id. Martii dedit Petro Sicardo & Narbonæ uxori ejus de consensu capituli locum ad ædificandam domum. Eodem anno cum Pontio Carcassonensi episcopo interfuit judicio inter archiepiscopum Narbonensem, & homines Capitisstagni, & pactus est de castri Lignanensis portione, quæ Guillelmo & Berengario fratribus obtigerat ex hæreditate matris Sybillæ Lignanen- 1147. sis. Anno 1147. Bermundus Biterrensis & Pontius Carcassonensis episcopi donationem ecclesiæ Scalarum canonicis S. Pauli Narbonensis factam ab Arnaldo Narbonensi archiepiscopo sigillo suo ratam habent, ex tab. S. Pauli Narb. Eodem anno C XIII. cal. Sept. Raimundus Trincavellus vicecomes Biterrensis canonicis S. Nazarii permisit pro summa 620. solid. Melgoriensium habere portam in muro, ea lege, ut si bellum advenerit, ille de canonicis, quem vicecomes voluerit, teneret clavem, ex documento veteri. Bermun- 1148. dus accepit 7. Augusti an. 1148. a Raimundo Ruffio partem decimarum Villænovæ. Dedit quoque V. cal. Decemb. ejusdem anni de consensu capituli hospitali Jerosolymitano ecclesiam S. Saturnini extra urbem certis sub legibus, quas vi- Ch. XII. col. 137. desis in ipsa charta inter instrumenta. Testis fuit transactionis initæ inter Amelium abbatem S. D Audardi & Rainundum comitem Tolosæ mense 1149. Maio an. 1149. Cum autem familiariter semper usus esset Arnaldo Narbonensi metropolita, cujus, ut diximus, erat consanguineus, testamento IV. cal. Octob. anni ejusdem in præsentia Ber- Ch. XLV. col. 38. mundi condito *Sarracenos suos* ipsi legavit Arnaldus. Eugenius III. summus pontifex Bermun- *Anecdot. tom. 1. col. 412.* do episcopo scribit VI. id. ejusdem mensis, ut Trincavello Biterrensi vicecomiti Jerosolymis redeunti permittat capellam & capellanum in suo palatio instituere pro divinis officiis celebrandis. Denique si nostro Edmundo Martenne, qui singulari quadam diligentia monumenta Biterrensia E perlustravit, habenda fides, sedebat adhuc anno 1152. 1152. Bremundus, hoc enim eodem anno Frotardus de Elzeria se a Bremundo habere recognoscit id omne quod in parochia sancti Andreæ de Verlariis habebat, ex tabul. Biterrensi.

XXXI. Guillelmus II.

Guillelmo ad Biterrensem sedem evecto scripsit Raimundus comes Tolosanus dux Narbonensis & marchio Provinciæ pro jucunda & nova promotione, simul & ut Trincavellum vicecomitem Biterrensem prohiberet, ne bona ecclesiæ usurparet, tom. 1. Anecdot. col. 412. & 413. his verbis: *G. venerabili ac reverendo patri & Domino divina dispensante gratia Biterrensi episcopo, R. comes Tolosæ dux Narbonæ & marchio Provinciæ, sic transire per bona temporalia, ut non amittas æterna. Quoniam omnipotens Deus per gratiam suam vos vineæ suæ diligentem disposuit cultorem, ille benedicatur, cujus sacerdotium in æternum manet: deinde dilectionem vestram obnixe exoro, ut res ecclesiæ minuere non dimittatis Trincavello, nec aliis, quia in eadem amicitia, qua prædecessores mei cum prædecessoribus vestris permanserunt, permanere cupio, & in majori, si potero, salvandi & defendendi res ecclesiæ, & opus ecclesiæ, cum necesse fuerit, mihi mandare non dubitetis. Valete, & pro nobis, si placet, orate.* Id autem circa annum 1152. accidisse liquet, 1152. tum ex iis quæ diximus, tum ex eo quod toto anno 1150. nulla in antiquis monumentis de Guillelmo mentio occurrat. Non nescio post Andoquum Sammarthanos ad annum 1151. referre Guillelmum, quo de agitur, a Guillelmo Ramalio de Corneliano Lignani quasdam terras emisse 200. Melgoriensibus solidis, verum non adeo indubitatæ semper est fidei Andoquus, ut nusquam dormitet, nec annos confundat: plura hujuscemodi jam reperimus & subministravimus argumenta. Hic itaque ille est Guillelmus, de quo in Guillelmo de Cerviano, qui consilio, assensu, & confirmatione canonicorum ecclesiæ S. Nazarii, Matfredi scilicet archidiaconi, & ceterorum reddit, & concedit an. 1152. ecclesiam S. Vincentii de Popiano monasterio sancti Ch. XIII. col. 137. Guillelmi, & abbati Raimundo, quam ecclesiam jam concessam noverat præfato monasterio a suis antecessoribus Guillelmo de Cerviano, & Bermundo, ex tab. Gellon. Eugenius papa III. diplomate a quatuor cardinalibus subscripto V. cal. Maii anni 1153. pontificatus anno IX. ro- 1153. gatu Guillelmi episcopi ecclesias omnes a Biterrensi pendentes, tam ecclesiam S. Nazarii, quam omnes diœceseos abbatias, tutelæ ipsius commisit. Honoratissimus in sua diœcesi fuit ille episcopus: habebat enim senescallum, quando curiam convocabat: hæc autem senescallia tenebatur jure feudi a Pontio de Corneliano, pro qua mense Julio lis orta inter eos eodem anno composita fuit. An. 1154. Rainaldo de Maureliano 1154. autor est Guillelmus ut suam testamenti codicillo sepulturam eligat in ecclesia S. Nazarii Biterrensis, cui plurima legabat. Canonicis eodem anno de consilio Guillelmi abbatis S. Afrodisii adjudicat vineas, de quibus inter eos controversia movebatur. Circa id tempus invisit limina apostolorum Romæ, ubi Adriani IV. qui in locum Anastasii die 3. Decemb. anno 1154. suffectus fuerat, osculatis pedibus, summus pontifex ut ipse rediens episcopus in suam diœcesim ab omnibus cum honore debito reciperetur, duas misit bullas, quarum prima data idib. Nov. diœcesis Ch. XIV. col. 138. Biterrensis abbates inobedientes redarguit, altera vero XVII. calend. Januarii clero & populo mandat, ut Guillelmo morem gerant, suaque jura

ANNI CHRISTI 1156.

persolvant. Anno 1156. mense Septembri Guillelmus Biterrensis episcopus & Hugo Villæ magnæ electus testes allegantur in charta judicii lati a Raimundo Stephano de Cerviano pro compescendis dissidiis, quæ erant inter Ademarium & Arnaldum vicecomitem de Brunichel & Austor de Lunas super castro de Bruscha. Habuit & querelam Guillelmus cum Johanne priore beatæ Mariæ de Cassiano occasione cujusdam ecclesiæ a Cassiano dependentis, quæ interventu Berengarii Narbonensis archiepiscopi, Aldeberti Nemausensis, Raimundi Uceticensis, & Ademari Agathensis episcoporum finita est; hanc autem concordiam firmavit Adrianus IV. summus pontifex brevi ad priorem Cassianensem dato Laterani v. id. Decemb.

Ch. XV. col. 138.

XXXII. Raimundus I.

Ex tabulario Salvaniensi innotescit Raimundus episcopus Biterrensis: testis enim laudatur in charta Berengarii Narbonensis archiepiscopi libertatem omnem in Narbona Salvaniensi monasterio concedentis an. 1159. Reperitur eodem tempore in instrumento Hugonis Villæ magnæ abbatis monasterium Salvaniense ab omni leuda in Villa magna eximentis: hoc autem anno mortuum credimus Raimundum; tempus vero ordinationis ejus prorsus ignoratur, sicut & quandiu sederit.

1159.

XXXIII. Guillelmus III.

Raimundo suffectus alter Guillelmus testis recensetur in tabulis Villæ magnæ an. 1159. quo Hugo abbas Ermengaudo Vallis magnæ abbati remisit omnem leudam in Villa magna pro causis Vallemagnensibus, mutuamque inter utrumque monasterium precum sanxit societatem præsentibus Berengario archiepiscopo, Guillelmo Biterrensi episcopo, &c. Cum Judæis graves molestiæ inferrentur a plebe, VI. nonas Maii anni 1160. Guillelmus de consensu capituli remisit Trincavello vicecomiti & dictis Judæis commorantibus in civitate Biterris *illum impetum & insultum & lapidationis bellum, quod jure vel injuria more solito solebant Christiani adversus Judæos hujus villæ facere a prima hora diei Sabbati ante Ramos palmarum, usque ad extremam horam secundæ feriæ post Pascha, die vel nocte:* ipsi vero Judæi donaverunt ex gratia Guillelmo episcopo 600. solid. Melgorienses ad commodum ecclesiæ cathedralis, & quatuor libras Melgorienses annuales in die Palmarum ad ornamenta ecclesiæ, quod prolixius narratur in originali capituli Biterris, quod habes apud Catellum hist. Occit. p. 523. Præsens fuit an. 1161. cum Berengario Narbonensi archiepiscopo, Petro Leutevensi præsule, & Ermengardi vicecomitissa Narbonensi, quando Deodatus Guillelmi monachus Villæ magnæ, consentiente abbate Hugone, se suaque Sylvanesio dedit, & Guiraldo abbati, ex tab. Sylvanesii. Anno 1162. IX. cal. Maii de consensu capituli quædam vendit Guillelmo Biterrensi præcentori S. Nazarii, ex tabul. cap. Biterr. Insequenti anno aliquot post Pascha diebus ad sanctum Egidium profectus, ut salutaret summum pontificem Alexandrum III. apud eum conquestus est, quod excommunicati ritu christiano terræ mandarentur, cui abusui ut mederetur, delegatus est episcopus Leutevæ Gaucelinus. Anno eodem II. calend. Dec. Guillelmus Arnaldi Guillelmo episcopo Biterrensi & Matfredo archidiacono decimas omnes, quas habebat in villa ac territorio de Badonas, concedti. Nominatur etiam antistes noster in venditionis instrumento, quam fecit an. 1166. Guillelmus de Corneliano Matfredo archidiac. Biterrensi. Denique III. nonas Martii anno 1167. Guillelmus donat Bernardo priori de Taurato ecclesias S. Mariæ de Thiber & sancti Martini de Crosis cum appenditiis.

1160. 1161. 1162. 1163. 1166. 1167.

XXXIV. Bernardus V.

GAUSSELINI.

E prosapia Gaussellinorum baronum urbis de Lunello in diœcesi Magalonensi Bernardus Guillelma matre genitus, quæ erat filia Guillelmi domini de Montepessulano, unde Guillelmetæ natus nuncupabatur, in locum Guillelmi suffectus anno 1167. a Giraldo de Montepetroso dono accepit partem molendini de Carleto super Orbim fluvium, præsentibus Guillelmo de Margone S. Afrodisii, & Guillelmo Bernardo sancti Jacobi abbatibus. Hic ille est episcopus, qui in ecclesia S. Magdalenæ ad altare Domini vidit barbaram obtruncationem Trincavelli vicecomitis Biterrensis per sicarios, quibus ad usque periculum vitæ obstitit episcopus: occisum autem fuisse Trincavellum idibus Octobris anni 1167. ex veteri necrologio discimus. Anno sequenti hominium recipit a Guillelmo Biterrensi & Raimundo de Laspiniano fratribus pro domo Hugonis de Columbariis in die festo S. Bartholomæi. Eo circiter tempore commota universa civitate rebelli, sive etiam quia, ut vult Andoquus, summus pontifex tanti sceleris atrocitate audita, scelestissimos illos cives ecclesiasticæ maledictionis jaculo perculit, aufugere cogitur Bernardus, nec revertitur, quoadusque Rogerius occisi filius Alphonsi II. regis Aragonum ope urbem recepisset. Cum vero multis impensis belli ærarium exhausissent episcopus ac vicecomes, paulo postquam Biterras obtinuere, vectigal trium librarum piperis annuatim a qualibet familia emendarum imposuere, cujus rei collector constituitur Bernardus de Causiniols, qui præsuli & vicecomiti juravit fidem; verba autem sunt chartæ, quæ sic definit: *Actum anno 1170. paucis diebus antequam Rogerus ope Alphonsi regis Aragonum comitis Barcinonensis recuperasset civitatem Biterrarum, quam parricidæ parentis diu detinuerant, illo ac præsule in urbem ingressis.* Eodem anno IV. id. Febr. a Berengario de Lignano dono recepit Bernardus quidquid habebat in castello & ecclesia S. Mariæ de Vallano, ex tab. episc. Biterr. Pacis arbiter fuit inter Rogerium vicecomitem Biterrensem & Raimundum abbatem S. Pontii Tomeriarum una cum Pontio metropolitano & Guillelmo Albiensi præsule anno 1171. quo & præsens fuit pactis sponsalium Rogerii vicecomitis Biterrensis & Alaisiæ filiæ

1168. 1170. Ch. XI. col. 84. 1171. Prob. hist. dom. Arverniæ pag. 500.

ANNI CHRISTI

Raimundi ducis Narbonæ ac comitis Tolosani. Adstitit eodem anno placito apud Montempessulanum habito pro monasterio Gellonensi. Berengarius de Caucio Bernardo episcopo Biterrensi jurejurando affirmat VI. cal. Aprilis anno 1172. se bona domus capellani de Caucio minime ablaturum. Eodem anno Bernardus de consilio canonicorum suorum decernit, ut a die mortis cujuslibet canonici triginta diebus continuis, sicut canonico, ita uni pauperi in refectorio ministretur & in die anniversarii ejusdem. Anianensi monasterio confirmavit anno 1173. ecclesias in sua dioecesi sitas, deditque cellam S. Petri de Nizacio Raimundo abbati, qui vicissim episcopo plura rependit. Notariatum civitatis Biterrensis mense Augusto an. 1174. vendit Bernardo de Calcionovila pretio 100. solid. Melgor. & sub annuo censu sex librarum piperis. Exstat in archivis episcopalibus placitum Guarcindæ an. 1174. repetentis a Bernardo episcopo portionem burgi de Maureliano, quæ per genitorem suum Arnaldum de Corneliano emta fuerat 1100. solid. Melgor. hæc vero controversia inito pacto componitur ab episcopo, qui Guarcindæ 700. solid. Melgor. persolvit, ut refertur in pancharta nigra. Habuit querelam adversus G. de Margone abbatem S. Afrodisii, quæ mediis arbitris XIII. cal. Jun. an. 1175. ita definita est, ut abbatiam vacantem regeret episcopus, donec de ipsius consensu canonici abbatem elegissent, qui statim pro abbatia hominium præstaret episcopo: compositionem pariter iniit cum eodem abbate super stationibus & honoribus, quos abbas cum suis canonicis cathedrali S. Nazarii debebat. Hæcce pacta conventa descripsimus in appendice. A Berengario de Couscia recipit hominium idibus Martii anni 1176. Capitulo S. Nazarii univit mense Septembri anni 1177. ecclesias sancti Petri de Lediniano in territorio Biterrensi, S. Stephani de Boïano, S. Mariæ de Badonas, & beatæ Mariæ de Ponsac cum suis appenditiis, statutumque fuit inter episcopum & canonicos cathedralis, quod cum vacaverit aliqua de ecclesiis ad communitatem S. Nazarii pertinentibus, claves & honorem ipsius acciperent, donec de capellano per eosdem canonicos provisum fuisset, quorum electioni contradicere non poterit episcopus. Attamen dictus capellanus de manu antistitis accipiet curam animarum, a canonicis autem temporalia. Vendit III. nonas Nov. an. 1178. feudum ab ecclesia Biterrensi dependentem. Vocatus per Apostolicum ad synodum Lateranensem, ne episcopatus honorem oppignoraret ad itineris sumtus, nec gravissimis oneraret usuris, accepit a Petro de Liboviriac sacrista, Bernardo de Narbona camerario, & Raimundo de Nisa succentore 23000. solid. Melgoriensis monetæ, facto oppignerationis instrumento 10. Decemb. 1178. testibus Guillelmo de Margone S. Afrodisii, & Guillelmo Bernardi S. Jacobi abbatibus. Obtinuit III. nonas Februarii ejusdem anni bullam ab Alexandro pontifice III. qua Biterrensis ecclesiæ bona & possessiones enumerat, confirmat, & tuitione pontificia dignatur.

Ch. XIX. col. 283. — 1172. — Anecdot. tom. 1. col. 573. — 1173. — 1174. — 1175. — Ch. XVI. col. 139. — 1176. — 1177. — 1178. — Ch. XVII. col. 140.

Hanc habes inter instrumenta hujus ecclesiæ. Lateranensi concilio adfuit mense Martio anni 1179. Subscripsit eodem anno transactioni inter fratres Vallis crosæ & Fontis calidi initæ mense Octobri. Insequenti Rogerius vicecomes, Robertusque de Altopullo Bernardo promittunt mense Decembri Petrum Veyrati & filios ejus a se proditionis in pœnam exilio multatos minime revocandos; quin & dicti Veyrati bonorum ipsi copiam faciunt. Dedit Bernardus XIII. cal. Febr. anni ejusdem, seu 1181. juxta usurpatum computandi morem, Roberto fratri Guillelmi præcentoris ecclesiæ Biterrensis jus percipiendi duos denarios super ligna & quascumque merces quæ navigio conducerentur. Deodato abbati Juncellensium electo quam prius recusaverat benedictionis munus inita concordia solemniter impendit ante majorem aram S. Nazarii die 10. Mart. ejusdem anni. Mense eodem de consensu capituli Bernardus donavit fratribus S. Johannis Jerosolymitani de domo S. Eulaliæ ecclesiam parœcialem S. Martini de Ubertas & capellam de Rocosello iisdem conditionibus, quibus ecclesiam S. Saturnini ipsis olim donaverat Bermundus ejus decessor, quas servaturos polliciti sunt fratres prædicti. Mense Aprili Rogerius vicecomes Biterrensis Bernardo episcopo promittit chartas seu tabellionatum Biterrensem minime daturum nisi de ipsius consensu & consilio. Testis adhuc eodem anno reperitur in transactione Johannem Magalonensem episcopum inter & Amedeum Vallis magnæ abbatem. Bernardus inde aliquot post mensibus ad metropolim Narbonensem traducitur, sed non ante annum 1181. refragante licet episcopalis tabularii documento, in quo mentio est venditionis a Bona factæ Guitardo die 4. Decemb. an. 1180. de consilio Bernardi archiepiscopi Narbonensis administratoris ecclesiæ Biterrensis. Hic enim ab Andoquo non minus erratum volunt, quam cum Bernardum filium Guillelmetæ episcopum Biterrensem & postea archiepiscopum Narbonensem alium esse vult a Bernardo de quo nunc agitur: nuncupatur enim, ut præfatum est, Gaufselinus, & filius Guillelmetæ, quæ duo illi conveniunt ex utroque parente, ut optime a Sammarthanis observatum. Archiepiscopus autem Narbonensis factus Bernardus, non ideo dimisit ecclesiam Biterrensem, imo summi pontificis indulgentia illius ad annum usque 1184. administrationem penes se retinuit, ut fidem faciunt instrumenta hujusce temporis: recepit enim hoc nomine IX. cal. Decemb. an. 1182. a Rogerio vicecomite Biterrensi & Raimundo Trincavello fratribus omne jus & dominium quod habebant in honoribus, quos in diœcesi Biterrensi acquireret. Querelam habuit cum Berengario Villæ magnæ abbate pro ecclesia Reddensi, quæ mediis arbitris Guillelmo S. Afrodisii abbate & Willelmo de Narbona canonico S. Nazarii mense Martio finita est. Confirmavit eodem anno venditionem monasterio Villemagnensi factam a Bernardo & Gerardo de Capreria possessionum omnium, quas in villa de Veyraco habebant. Præerat adhuc seu

ANNI CHRISTI — Spicil. t. 12. pag. 638. — 1179. — 1180. — 1181. — Ch. XVIII. col. 141. — 1182.

ANNI CHRISTI 1184.

potius administrabat episcopatum mense Nov. anni 1184. ut constat tum ex chartis episcopi Magalonensis, tum ex veteri documento oppignerationis a Bernardo factæ Escolapio *bajulo domini Bernardi Narbonensis archiepiscopi, qui tenet curam Biterrensis episcopatus ex indulgentia domini Papæ*, ex archivis Biterrensibus. Quinimo Bernardus archiepiscopus Narbonensis gerens curam & administrationem totius episcopatus Biterrensis confirmat donationem factam grangiæ apud Ortas Amedeo abbati & monachis Vallis magnæ in conventu habito Biterris, ubi testes deposuerunt anno 1185. mense Januario sede vacante. Acta hujusce conventus ex chartulario Vallemagnensi habemus tom. 8. fragment. hist. D. Cl. Etiennot. Itaque ni forte in notis chronologicis irrepserit error, dicendum Gaufredum ejus successorem mense Novembri 1184. electum, nondum mense Januario insequenti consecratum, a quo in instrumento prædicto inchoatus est annus.

DE MARSEILLE.

XXXV. Gaufridus.

Gaufridus filius Hugonis Gaufridi, germanus Roncelini, vicecomitum Massiliæ, non ex abbate S. Victoris Massiliensis, ut apud Sammarthanos, at forsan ex canonico Biterrensi ad cathedram episcopalem evectus, sedebat an. 1184. ut liquet ex judicio lato ab Hugone Fero vicario Gaufridi episcopi Biterrensis & Roncelini vicecomitis Massiliensis, quod in archivis Massiliensibus vidisse se testatur D. de Ruffi hist. Massil. pag. 206. Hic ille procul dubio est G. qui dicitur electus in necrologio ecclesiæ Biterrensis VI. id. Nov. anni 1184. qua die obiit Petrus de Leboyraco archidiaconus, licet in libro constitutionum Bernardi episcopi Guillelmus vocetur: sed nemo non videt prima nominis littera tantum apposita, facile fuisse utrumque simul confundere, Guillelmumque legere loco Gaufridi, qui an. 1185. testis adducitur donationis factæ Vallemagnensi cœnobio ab Uga uxore quondam Othonis de Cornone, ex tab. Vallemag. An. 1186. mense Martio componit querelam, quæ intercesserat S. Victoris Massiliensis abbatem inter & totum monasterii conventum, ex tabul. Massil. Eodem anno Petrus de Thesano & Ricarda uxor donationem fecere Gaufrido quartæ partis decimarum Baxani. Cum aliis coepiscopis an. 1188. confirmat Fontifrigido factam donationem a Bernardo Narbonensi archiepiscopo. Anno 1189. mense Februario testis recensetur in judicio, quod Brinoliæ pronuntiavit Ildefonsus rex Aragoniæ marchio Provinciæ apud Toronetum pro monialibus de Artacella, ex charta archivi regii Aquensis. Testis itidem adducitur donationis a Bernardo Narbonensi archipræsule factæ capitulo S. Justi anno 1190. Inter amicos domus Vallis magnæ recensetur an. 1191. Gaufridus episcopus Biterrensis. Anno 1193. XVI. cal. Aprilis Rogerus vicecomes Biterrensis testamentum suum, quod in archivis prioratus beatæ Mariæ de Cassiano, ubi sepeliri voluit, asservatur, Gaufridi fidei demandavit: alterum prius confecerat in potestate Bernardi Narbonensis archiepisc. & Gaufridi episcopi Biterrensis: utrumque reperies, primum tom. I. Anecd. col. 597. secundum vero inter probationes histor. domus Arverniæ pag. 500. Mense Januario ejusdem anni, sive, ut rectius loquar, 1194. Sybilla filia Arnaldi de Maureliano Guillelmi de Abeliano mariti sui consilio vendidit Gaufrido episcopo partem burgi de Maureliano 2500. solid. Melg. quam tenebat ab honore, id est toparchia ecclesiæ cathedralis. Mense Augusto Bertrandus de Seissaco tutor nomine Raimundi filii vicecomitis Rogerii, coram episcopo Gaufrido recognitionem mutuam professus est jurium ac privilegiorum episcopi & civium Biterrensium ac vicecomitis: tenorem autem diplomatis e tabulario Biterrensi inseruit suis Occitaniæ commentariis Catellus lib. IV. quod inter instrumenta apponere operæ pretium fuit, tum ut nihil eorum quæ a Sammarthanis inserta sunt desit, tum etiam quia non mediocriter ad rem nostram conducit. Habuit querelam Gaufridus adversus Petrum abbatem & canonicos regulares S. Jacobi in civitate Biterrensi super obedientia & reverentia, quibus erga ipsum tenebantur, quæ mediis arbitris hunc in modum finita est mense Septemb. an. 1194. ex tabul. episc. Biterr. Concordatum fuit abbatem debere episcopo honorem, reverentiam, ac debitam subjectionem, & observare interdictum episcopi: potest quidem abbas corrigere suos canonicos secundum regulam S. Augustini, at tenetur solvere ecclesiæ cathedrali decimas omnium fructuum collectorum in terris suis ultra citraque flumen Orbim. Valdensibus Biterris hæresim suam disseminantibus, Bertrandus de Seissac vicecomitis tutor cum episcopo fœdus iniit an. 1195. ut junctis viribus eos propulsarent. Mense Maio ejusdem anni Raimundo de Corneliano facultatem villam de Livrano muris, turribus, aliisque munitionibus vallandi impertiit Gaufridus, ea lege ut hominium inde ipsi præstaret. Obiit an. 1196. ex chronico Massiliensi apud Labbæum Nov. biblioth. pag. 341. at in martyrologio ecclesiæ majoris Massiliensis dies mortis ejus ad II. id. Maii an. 1199. assignatur, sicut & in quadam inscriptione tumuli militum Pisanorum apud S. Victorem, ubi primo legitur obitus Fulconis Antipolitani episcopi, deinde...... ID. MAII. Ō. DM. GAVFRD, BITERRES. EPS. Nullum tamen horum stare potest, aut convenire cum charta renuntiationis Titburgæ adversus pactiones matrimoniales a parentibus confectas inter ipsam, dum non esset adulta, & filium Guillelmi vicecomitis Montispessulani: nam charta illa cui præsens sistitur Gaufridus, facta est ab anno Incarnat. MCXCIX. mense Augusto, ut legere est tom. 8. Spicileg. pag. 214. istudque instrumentum vitio caret, nititur quippe auctoritate alius chartæ an. 1191. ibid. pag. 205. Defunctus Gaufridus sepelitur in capella S. Martini apud S. Victorem Massiliensem, unde ejus ossa simul cum epigraphe postea translata sunt in vestibulum ejusdem ecclesiæ temporibus Urbani V. summi pontificis.

ANNI CHRISTI

Is est procul dubio G. episcopus Biterrensis, qui habet anniversarium in monasterio S. Victoris die 4. Jan. ad quod dispensator tenetur providere bene & honorifice, ex archivis Massiliensibus.

DE ROQUESEL.

XXXVI. Guillelmus IV.

Guillelmus de Roquosello abbas S. Afrodisii[a] & canonicus S. Nazarii paucis diebus ab obitu Gaufridi eligitur anno 1199. quo Raimundus Rogerus vicecomes Biterrensis concessit mense Augusto Stephano de Cerviano podium seu gardam de Valrano, teste Guillelmo Biterrensi episcopo, ex probat. histor. domus Arverniæ pag. 501. Englicio quoque clientelaris fidei titulo quasdam terras Lignani concessit eodem anno, ex archivis cathedralis. Testis & anno 1200. in feudi venditione facta canonicis S. Nazarii a Bernardo de Montesquivo & Guillelma uxore pretio 1150. solid. Melgor. Nonis Novembris ejusdem anni interfuit dedicationi templi sanctæ Crucis & S. Mariæ apud Montempessulanum. Petro Vallis magnæ abbati dedit anno 1201. cum consilio canonicorum suorum ecclesiam S. Marcelli de Adiliano & capellam sancti Petri de Capulio. Anno 1203. nominatur præsens in instrumento Raimundi Rogerii canonicis sancti Nazarii concedentis, ut S. Petri de Bosco ecclesiam munirent contra Valdensium impetus, ne rusticanam basilicam invaderent, aut diriperent, eorum in dies apud Biterras crescente numero. Mense Octobri ejusdem anni de consensu capituli donavit Bermundo præceptori domus militiæ templi de Pedenaco ecclesias S. Petri de Casulis & S. Verani de Uselatio. Pepigit eo circiter tempore cum Gaucelino abbate Anianensi pro nonnullis decimis & ecclesiis. Anno 1204. mense Maio Raimundus vicecomes Biterrensis Guillelmo episcopo oppignerat albergam, quam habebat in episcopum Biterrensem, in abbatem S. Afrodisii, & in locum de Lignano, necnon & omnia sua jura in clericos, monachos, &c. dictæ diœcesis pro sex millibus solidorum, quæ continentur in charta quam inter instrumenta reperies. Liberatur tunc temporis Guillelmus per vicecomitem ab onere quinquaginta militum, quos belli tempore suis stipendiis alebat episcopus. Præsens fuit mense Augusto ejusdem anni appellationi a Berengario metropolita adversus legatos summi pontificis interpositæ. Feudum a Pontio de Ceiras acquisitum dedit eodem tempore abbati Anianæ. Cum a legatis pontificiis adversus Albigenses missis, quia consules hæreticos non excommunicaverat, ab officio quolibet pontificali suspensus fuisset, Innocentius papa III. episcopo Agathensi & abbati S. Pontii mandavit, ut suspensionis ejus sententiam publice denuntiarent, donec ad ejus præsentiam cum legatorum litteris accessisset XII. calend. Martii anno, ut videtur, 1205. quo occisus Guillelmus famulorum suorum fraude, jacet in ecclesia prioratus de Cassiano. De eo in veteri necrologio ecclesiæ Biterrensis legitur: *X. cal. Maii obiit dominus D. Guillelmus de Rocosello Biterrensis episcopus.* Hujus epitaphium exaratum in lapide marmoreo in columna claustri defixo sic habet:

Factus in his terris abba, præsulque Biterris,
Transiit in Christo mundo Guillelmus ab isto:
Qui radiis morum cumulans benefacta priorum;
Ecclesia teste, bona fecit, vixit honeste.
Nam pius athleta, quasi martyr, sive propheta;
Abstulit errores multos patiendo labores:
Denique servorum deceptus fraude suorum,
Corruit in fatum post certum pontificatum.
Christe, viro parce, summa qui cernis ab arce:
Vivat in æternum translatus ad esse supernum.
Amen.

Anno Dominico 1205. X. cal. Madii obiit dominus Guillelmus de Rocosello Biterrensis episcopus.

In basilica ejusdem cœnobii Cassianensis exstat cenotaphium marmoreum cultum sane & elaboratum in capella sancti Privati, quam una cum mausoleo, quia capellæ parieti adhæret epitaphium, ad honorem Guillelmi sepulturæ constructam esse creditur, sed perperam. Est enim Duranti Mimatensis episcopi, qui in cœnobio beatæ Mariæ de Cassiano canonicus fuerat, ubi construi curavit oratorium seu capellam in honorem sancti Privati decessoris sui episcopi Mimatensis: ejus insignia visuntur in fornice & in propylæo.

XXXVII. Ermengaudus.

Defuncto Guillelmo Ermengaudus pontifex eligitur, non e gremio canonicorum, ut volunt Sammarthani fratres, sed ex abbate S. Pontii, ut docent nos cleri Biterrensis litteræ ad B. Narbonensem archiepiscopum. Jam sedebat IV. cal. Maii anno 1205. paulo post obitum Guillelmi assumtus; eo enim die electus judex cum Bernardo abbate S. Afrodisii, &c. a Stephano de Cerviano ex una parte, & Berengario abbate totoque conventu monasterii Villæ magnæ ex altera controversiæ obortæ propter forciam, id est castellum, sive arcem Caissani, illam adjudicavit Villæ magnæ, ita tamen ut abbas Stephano 2005. solidos Melgorienses persolveret, promitteretque se illud nunquam oppigneraturum vel comiti Tolosano, vel vicecomiti Biterrensi, vel domino Montispelii, ex archivo regio Biterrensi. Acquisivit aliam partem burgi de Maureliano, quæ fuerat Arnaudi & Ermengaudi de Maureliano fratrum, qui illam dederant in pignus Richerio patri Garsindis uni e sicariis, qui Trincavellum vicecomitem trucidaverant. Quia vero omnia bona illorum fuerant fisco vicecomitis adjudicata, dictaque Garsindis in bonis paternis per Rogerum vicecomitem Biterrensem restituta mense Augusto ejusdem anni, concordarunt simul Ermengaudus & præfata Garsindis, quæ pro 575. solid. Melgoriensibus reliquit omnia jura episcopo. Anno sequenti mense Novembri Raimundus de Florenciaco cum Aicia uxore vendidit

[Margin notes: 1200. Ch. XXIX. col. 362. 1201. 1203. 1204. Ch. XXII. col. 148. Ch. LVII. col. 51. 1205. 1206.]

[a] Sammarthani volunt Guillelmum fuisse & priorem Cassiani, sed nullam hujusce afferunt rationem: quod enim in claustro hujus cœnobii sepultus fuerit, non sequitur & inter Cassianenses nomen dedisse. Nec reperitur in catalogo priorum Cassiani, quem ex archivo nobis subministravere canonici regulares.

ANNI CHRISTI 1208.

Ermengaudo episcopo tertiam partem burgi de Maureliano pretio 2500. solid. Melgor. monetæ, quæ pars tenebatur ab ecclesia cathedrali. Biennio post xv. cal. Junii an. 1208. Guillelmus Seguierius pro 40. solid. Melgor. quidquid habebat in honore sito in territorio de Divisano tradidit Ermengaudo, qui eodem anno fatis defungitur. De eo sic habet necrologium: *VII. cal. Septemb. obiit dominus Ermengaldus Dei gratia Biterrensis episcopus.*

DE MONTPEYROUX.

XXXVIII. Reginaldus II.

Reginaldus qui & Rainaudus atque etiam Arnaldus in chartis occurrit, de Montepetroso, ab aliis de Montepessulano cognominatus, e canonico S. Nazarii ad episcopatum subvectus est. Hunc asserit Plantavitius in episcopis Leutevensibus interfuisse circa annum 1199. translationi corporis S. Fulcrandi ex capella sancti Michaelis ecclesiæ Leutevensis ad basilicam S. Genesii, sed vere erat hoc anno tantum canonicus Biterrensis. Julianus item presbyter Claromontanus pagi Leutevensis in comitibus Claromontanis vult ipsum episcopum creatum, morienti Raimundo Guillelmi de Maderiis avunculo suo adstitisse an. 1197. at vero sicut anno nono non erat episcopus, neque septimo. Præterea Plantavitii in utroque fidem vacillare in sequentibus videbimus. Reginaldus vero recipit hominium III. nonas Julii an. 1209. a Pontio de Beciano pro pluribus ædibus, quas in feudum possidebat ab episcopo in castello de Beciano, ex tabulis episc. Biterr. Iisdem anno & mense Biterræ ab exercitu crucesignatorum contra Albigenses congregato, die festo S. Magdalenæ propter hæresim expugnatæ, & internecione deletæ sunt, duce Simone Montfortio. De hac expeditione illustris locus apud Petrum monachum Vallis cernaii historiæ capite 16. qui aderat ipse inter crucesignatos, & quæcumque vidit, narravit. *Erat Biterris civitas nobilissima, sed tota veneno hæreticæ pravitatis infecta, nec solum hæretici erant cives Biterrenses, sed erant raptores, injusti, adulteri, latrones pessimi, pleni omni genere peccatorum. Non sit onerosum lectori si de malitia dictorum civium aliquid specialiter differamus. Pergebat quadam nocte in ipso diluculo sacerdos quidam civitatis illius ad ecclesiam divina celebraturus mysteria, portans calicem manibus suis: quidam autem de Biterrensibus qui se posuerant in insidiis, arripientes sacerdotem illum, & vehementer verberantes, fracto brachio, ipsum gravissime vulnerarunt, accipientesque calicem quem tenebat sacerdos, ipsumque discooperientes, minxerunt in eo in contemptum corporis & sanguinis Jesu Christi. Alioque tempore cives sæpe dicti in ecclesia B. Mariæ Magdalenæ, quæ in civitate dicta sita est, dominum suum vicecomitem Biterrensem Trancavilum traditores pessimi interfecerunt: episcopo etiam suo, qui vicecomitem ab illorum manibus defendere nitebatur, dentes confregerunt, &c. Antequam crucesignati ad Biterrensem pervenirent civitatem, vicecomes Biterrensis, Raimundus Rogerii nomine, nobilis quidem genere, nepos comitis Tolosani, qui sectans avunculi pravitatem, in nullo hæreticos comprimebat, promiserat firmissime Biterrensis civibus civitatis, quod eos nullatenus desereret, sed cum ipsis ad mortem usque perseverans, in sæpedicta civitate adventum Christi militum expectaret. Sed cum nostros appropinquare audiret, pacti oblitus, fœderis nescius, fidem frangens, confugit Carcassonam aliam suam nobilem civitatem, plures de Biterrensibus hæreticis ducens secum: pervenientes igitur Biterrim nostri transmiserunt in civitatem ipsius civitatis episcopum, qui exierat obviam eis, magistrum videlicet Regenaldum de Montepessulano, virum ætate, vita, scientia venerandum. Dicebant siquidem nostri, quod causa perdendorum hæreticorum advenerant, mandaveruntque civibus catholicis, si qui erant, ut in manus ipsorum traderent hæreticos, quos idem venerabilis episcopus, qui eos plene noverat, & etiam in scriptum redegerat, nominaret, vel si istud facere non possent, exeuntes de civitate dimitterent hæreticos, ne perirent pariter cum eisdem. Quod verbum cum sæpe dictus episcopus ex parte nostrorum memoratis civibus retulisset, noluerunt adquiescere, sed se adversus Deum & ecclesiam erigentes, inito cum morte fœdere, elegerunt potius mori hæretici, quam vivere christiani: priusquam enim nostri eos aliquatenus expugnarent, exierunt quidam de civitate, cœperuntque nostros sagittis acrius infestare, quod videntes servientes exercitus, qui publica lingua dicuntur Ribaldi, cum indignatione maxima muros adeunt civitatis, nobilibusque exercitus nescientibus, & penitus inconsultis, facto insultu ipsa hora, quod dictu mirabile est, capiunt civitatem. Quid plura! statim intrantes, a minimo ad maximum omnes fere necati, tradentes incendio civitatem. Fuit autem capta civitas sæpedicta in festo S. Mariæ Magdalenæ. O justissima divinæ dispensationis mensura; sicut in principio hujus libri diximus, dicebant hæretici B. Mariam Magdalenam fuisse Christi concubinam: præterea in ecclesia ipsius, quæ erat in civitate, sicut supra tetigimus, cives Biterrenses dominum suum occiderant: episcopo suo dentes confregerant. Merito igitur in illius festivitate capti sunt & destructi, de qua contumeliosa tot dixerant, cujus etiam ecclesiam sanguine domini sui, vicecomitis videlicet, nec non episcopi fœdaverant canes impudentissimi. In eadem etiam ecclesia, in qua, ut sæpe dictum est, dominum suum occiderant cives Biterrenses, ipsa die captionis civitatis, fuerunt usque ad septem millia de ipsis Biterrensibus interfecti. Notabiliter est notandum, quod sicut civitas Jerusalem 42. anno a passione Domini nostri, a Tito & Vespasiano fuit destructa, ita civitas Biterrensis 42. anno ab interfectione domini sui, per Francigenas est vastata: hoc quoque non est omittendum, quod sæpedicta civitas multoties devastata fuerit ob causam superius memoratam, semper in die festi S. Mariæ Magdalenæ, in cujus ecclesia tantum scelus perpetratum fuerat, dignam recepit ejusdem sceleris ultionem.* Eadem ferme habet auctor anonymus libri cui titulus *Præclara Francorum facinora*, nisi quod Biterrense excidium an. 1208. tribuat; sed revincitur & chronicorum omnium consensu, & vetere illo disticho:

Anno milleno ducentenoque noveno
In Magdalena ruit urbs Biterris amœna.

ANNI CHRISTI

Legendus quoque hanc in rem Amalricus Augerius-Biterrensis Occitanus, a patria sic dictus, qui scripsit librum contra Albigenses, a cardinali Baronio citatum; vitas etiam summorum pontificum edidit. Hujus opera visuntur in bibliotheca Vaticani.

Quod autem ad Reginaldum spectat, præsens adfuit hominio, quod Simoni Montisfortis præstitit Stephanus de Cerviano mense Martio an. 1209. instrumentum habes tom. 3. hist. Occitaniæ inter probat. col. 224. Hoc autem instrumentum conciliet qui poterit cum necrologio & tabulario Biterrensibus, in quibus legitur anno 1209. mense Decembri, decretum capituli sancti Nazarii assensu & consilio Guillelmi episcopi Biterrensis factum: ut quicumque clericus in illa ecclesia institueretur, post susceptum beneficium statim juramentum subiret corporale, firmiter asseverans, quod ecclesiæ, cui intitulatur, & communitati, a qua victualia percepturus est, fidelitatem servabit; quod præstitit Petrus Amelius, qui postea fuit archiepiscopus Narbonensis. Attamen Reginaldus de Montepetroso assensum præbuit donatæ a B. de Malagas abbate Juncellensi Petro episcopo Leutevensi ecclesiæ de Pruneto cum appenditiis mense Julio 1210. ex Plantavitio in episcopis Leutevensibus. Adhuc reperitur in instrumento Simonis comitis Leicestriæ, toparchæ Montisfortis, vicecomitis Biterrensis & Carcassonensis, qui dedit Deo, ecclesiæ Biterrensi & Reginaldo episcopo Castrum novum in terminio & parochia de Venere cum jurisdictione XIII. cal. Aug. an. 1210. Instrumentum donationis est in regio tabulario apud Carcassonam. Anno 1211. mensibus Aprili, Maio, & Junio plura dona recipit Reginaldus, eodemque mense Junio cessit Bernardo S. Afrodisii abbati decimam Faissani, quam tamen abstulit postea, & S. Nazarii capitulo obtulit: nominatur & mense Julio in charta episcopatus Biterrensis, in qua semel dicitur Arnaldus, & ter Rainaldus. Mense Februario ejusdem anni, a Raimundo Berengario de Muroveteri dono recipit omnem decimam, quam habebat in territorio de Corneliano, & mense Martio a Guillelmo de Pezenas decimam, quam habebat in territorio de Porcayranicis & in tota diœcesi Biterrensi, ex tab. episc. Biterr. Qua in re observandum est captam Biterrim an. 1209. ut diximus, cessisse in dominium Simonis Montisfortis, qui nobiles adegit an. 1211. decimas, quas feudi titulo occupabant, episcopis restituere: unde hi reperiuntur in archivis episcopalibus inter ceteros Septimaniæ proceres cessisse, Guillelmus de Thesan decimas Thesani & Aspirani, Guillelmus Seguierius Buiani, Berengarius de Moresio Caletes, Guillelmus & Rogerius de Fulgeriis Fulgerias, Raimundus de Lair Roiani, Arnaldus de Gignac Pereti, Raimundus de Columbariis Columbarias, Guillemeta & Maria de Montepetroso Pousolas, Berengarius & Guillelmus Maraussani, Atracerius de Cabrairol S. Petri de Valeta & S. Genesii de Grasano, Johanna & Jaqueta de Cerviano de Lunas, Bernardus Gaucelinus de Cerviano Cerviani, Dulcia Arnaldi Juncellæ & Dianæ, Guido de Rocosels Rocoselli, Bernardus de Rocabruno Rocabruni, & Raimundus Berengarius de Muroveteri decimas de Muroveteri: sic omnes fere nobiles hujusce diœcesis Biterrensis ecclesias plusquam centum in manus Rainaldi remiserunt, quarum ipsi possidebant decimas, seu jure feudi, sive per meram usurpationem.

1210. 1211. Andoq. pag. 82.

XXXIX. PETRUS [a] II.

D'AIGREFEUILLE, al. D'ARFEUIL. 1212.

Petrus de Agrifolio an. 1207. canonicus Biterrensis, in locum Rainaldi suffectus nominatur inter episcopos, quorum consensu in concilio Narbonæ habito II. cal. Maii 1212. A. archiepiscopus Narbonensis largitus est canonicis sancti Justi ecclesiam de Cucciaco. Eodem anno Raimundus Uceticensis episcopus summi pontificis legatus Petro injunxit, ut sedaret controversiam de pedagiis episcopi Leutevensis ac civium, quæ a comite Ruthenensi fuerant acquisita, de quibus vide notitiam episcoporum Leutevensium. Parum diu sedit, moritur enim pridie nonas Julii anno 1212. ex utroque necrologio. Andoquus vero pag. 83. illum vult mortuum ineunte mense Decembri, quo tempore Montisfortis comes cum episcopis Occitaniæ Biterris agebat de bello contra Albigenses. Nihil est cur ejus obitum ad unum potius quam ad alterum mensem assignemus, nisi constet huic conventui Petrum interfuisse, tunc enim error erit in necrologiis.

Ne quis vero miretur quod intra temporis spatium tam breve tot occupaverint episcopi, observat Andoquus morem tunc temporis obtinuisse, ut episcopi e gremio canonicorum assumerentur, quorum seniores quique eligebantur, qui nempe ætate jam provecti, diutius vivere non poterant. Quin & post Sammarthanos addere non pigebit in honorem ecclesiæ cathedralis Biterrensis, habuisse canonicos, qui ad fastigium episcopatus aliarum ecclesiarum, præsertim metropolitanæ Narbonensis evocarentur, sicut iis temporibus Petrus Amelius vir egregius ex clerico S. Nazarii 1201. fit camerarius 1206. & postea archidiaconus major Narbonensis, demum archiepiscopus obiit 1245. jacetque in ecclesia de Cassiano, in qua fundavit quatuor capellanos, seu canonicos sæculares; pro illo fiunt obitus in ecclesiis Narbonensi, Biterrensi & Cassiani.

XL. BERTRANDUS I.

DE SAINT GERVAIS. Percin annal. Dominic. Tolos. pag. 10.

Post obitum Petri electus est B. Dominicus, qui Biterrensem episcopatum recusavit, sicut & Convenensem, & Conseranensem, auctore Jacobo Percin Dominicanorum annalium scriptore, qui hæc ipsius verba ex Bernardo Guidonis refert: *Contestans & dicens*, inquit, *quod ante fugeret de terra de nocte cum baculo suo, quam acciperet episcopatum, vel aliam dignitatem.*

Dominico itaque votis canonicorum haud obsequente, ad episcopatum postularunt Guillelmum Parisiensis ecclesiæ archidiaconum, qui inter cruce signatos ad bellum sacrum adversus Albigenses

[a] Vide quæ de Agrifolii nobilissima gente & de vero ejus cognomine notavimus tom. 1. Gall. Christ. col. 318. & 319.

ANNI CHRISTI

Albigenses processerat, & Biterris tunc degebat, A cum defunctus est Petrus, de quo hæc monachus Valliumcernaii hist. cap. 65. sub annum 1212. *Dum autem essemus apud Biterrim, & sedes episcopalis vacaret, canonici illius ecclesiæ communi assensu elegerunt venerabilem archidiaconum Parisiensem Guillelmum in suum episcopum & pastorem, sed ipse nulla ratione ad hoc potuit induci ut electioni eorum assensum præberet.* Quis quantusque fuerit iste Guillelmus pluribus cap. 41. ejusdem historiæ edisserit. Defunctus paulo post sepelitur in parte claustri Cassianensis ecclesiæ vicina, ubi ejus epitaphium adhuc visitur, sed ita obliteratum, ut legentem fugiat. B

Post hos, inquit Percin ibid. electus est Bertrandus de sancto Gervasio, sub finem scilicet anni 1212. Bernardus enim de Biterris unus e feudatariis episcopi omne jus quod putabat ad se pertinere in equo, & cappa, & quolibet ornamento episcopi noviter intrantis palatium episcopale Bertrando episcopo in ipsius & successorum gratiam remittit calendis Januarii anni, ut hodiernus est mos, 1213. auctore Andoquo, qui asserit ex charta Bertrandum nuper fuisse consecratum. Circa id tempus ad Innocentium III. scripsit, ut eum ad bellum Albigense prosequendum excitaret contra Tolosæ C comitem, cum in eo jam esset pontifex ut iniret fœdus pacis cum comite. Calendis Maii Simon de Monteforti comes Leycestriæ, vicecomes Biterrensis & Carcassonensis Bertrando in marcis centum argenti obligatum se recognoscit, pro quibus ipsi donat quidquid Hugo de Paulino & fratres ejus possidebant in villa de Aspirano, & in castro de Parietibus. Quamvis autem comes de Monteforti donasset Castrum novum Reginaldo episcopo, in illo Guillelmus Ato de Corneliano petebat *seniorium*, cui juri renunciavit, mediantibus 120. solid. Melgor. ab episcopo persolvendis, quos ejus heredes postea D relaxarunt: facta renunciatio mense Julio anno 1213. ex tabulis publicis episcopatus. Una cum coepiscopis epistolæ encyclicæ mense Septembri Bertrandus subscripsit, qua victoriam a Simone comite in regem Aragonum reportatam significabant. Bertrandus episcopus, & capitulum sancti Nazarii cum abbate Cisterciensi transigunt III. calendas Novembris super quibusdam terris ab episcopatu Biterrensi moventibus, quas abbati donaverat comes Montisfortis. Emit adhuc eodem anno 60. solid. Melgor. domum apud Lievranum a Guimbaudo & ejus uxore Sybilla. Anno sequenti acquisivit mense Januario duas E rotas molendini de Carleto a Petro Veirato, & condaminas ad Aspiranum. Dedit in feudum eodem anno Guillelmo ac Bernardæ conjugatis quamdam terræ portionem in territorio Biterrensi, ex chartophylacio episcopali, in quo Bernardum legunt loco Bertrandi Andoquus & Sammarthani, sed perperam, sicut cum volunt Bernardum concilio Monspeliensi ineunte 1215. interfuisse; nondum enim obierat Bertrandus, qui migravit a sæculo anno 1215. idibus Januarii in festo S. Hilarii, ex tab. episc. Biterr.

1213. 1214. 1215.

XLI. RAIMUNDUS II.

ANNI CHRISTI NIGER.

Raimundus electus Biterrensis litem componit Arnaldum archiepiscopum Narbonensem inter & Johannem Bistani civem qui se ipsos ipsius arbitrio commiserant anno 1215. XIII. calend. Martii, in archiv. ecclesiæ Narbonensis. Hic autem ille proculdubio est Raimundus Niger factus primo clericus S. Nazarii, tum canonicus præpositus annualis capituli 1201. sacrista ejusdem ecclesiæ, demum archidiaconus, qui factus episcopus donavit pro constructione ecclesiæ cathedralis mille solidos Melgorienses, tum pro fundatione unius hebdomadarii perpetui 4700. solidos, quam summam in sua ultima voluntate tribus millibus auxit. Exemtus e vivis 20. Aprilis jacet in ecclesia cathedrali. De eo in veteri necrologio ecclesiæ S. Nazarii Biterrensis legitur: *XII. cal. Maii obiit domnus Raimundus Niger Dei gratia Biterrensis episcopus, qui jacet hic.*

Quod spectat ad Fulconem hoc anno 1215. memoratum a Roberto, nullam de eo Catellus, Andoquus & Sammarthani fecere mentionem; & certè

XLII. BERNARDUS VI.

DE COXIACO.

Electi nomen jam præferebat Bernardus de Coxiaco mense Julio anni 1215. ex schedis Martennii. Testis laudatur transactionis inter Arnaldum Narbonensem archiepiscopum & Petrum de Oviliano calendis Augusti. Mense eodem ab Ademario de Montemaurello, & aliis nobilibus viris acquirit castrum & honorem de Lignano a suis decessoribus alienatum, & quidquid habebant in Barrio, & in suburbio Biterrensi. Anno 1216. mense Januario Guillemeta de Rodemol Bernardo divendidit 2000. solid. alteram portionem molendini de Carleto apud Lignanum. Electus adhuc dicitur Bernardus mense Februario 1216. in querela Narbonensis archiepiscopi adversus Simonem de Monteforti ad Honorium summum pontificem. Sed mense Maio episcopi titulo & munere fruebatur. Cum autem ecclesiæ & decimæ suæ diœcesis essent in manu sua, utpote quas anno 1211. Reginaldo episcopo restitutas supra vidimus, ad hujusce rei plenam libertatem obtinuit bullam ab Honorio III. XV. cal. Dec. 1216. qui eas omnes diplomate apostolico confirmavit, & ecclesiam S. Nazarii cum omnibus ab ea dependentibus abbatiis in suam tutelam suscepit, ut fertur in pancharta nigra, ubi exstant aliæ bullæ summorum pontificum, quibus basilica S. Nazarii cum omnibus suis immunitatibus episcopio indultis confirmatur. An. 1217. 11. Aprilis acquisivit a Maria de Biterris vidua Berengarii de Lignano 6000. solid. dominium feodorum & terrarum in loco de Lignano, teste Stephano de Muro veteri. Dimisit Berengario abbati S. Tiberii jus in decima Firmiani an. 1218. quo etiam Raimundo Rogerio ad feodum locavit duos casales, quibus potitus erat Rogerius Raimundi pater, ex tabul. reg. Carcass. An. 1219. a Guillelmo de Boïano & Faulnia uxore dono recipit feodum in territorio

1216. 1217. 1218. 1219.

ANNI CHRISTI 1221.

de Lignano. Comparavit anno 1221. summa 400. solidor. a Petro Seguierio & Ermesinda conjuge insulam Carleti cum Bosco Ermengaudi, adstantibus capituli primariis viris, ac Stephano Engilberto archidiacono S. Nazarii. An. 1223. XVIII. cal. Febr. Amalricus dux Narbonæ, comes Tolosæ, & dominus Montisfortis tam pro se, quam pro Guillelmo patruo & Willelmo fratre donavit Bernardo episcopo castrum de Casulis, quod recognovit ab ipso ante donationem factam jam teneri, sicut in quadam concordia facta cum senescallo Carcassonensi continetur. Una cum pluribus viris nobilibus sigillum suum apposuit instrumento quo Raimundus comes Tolosanus restituit medietatem justitiæ Aginnensis Arnaldo ejusdem urbis episcopo anno 1224. Præsens & testis legitur largitionis ab Arnaldo Narbonensi archiepiscopo monachis Fontis frigidi IX. cal. Octob. 1225. factæ, eodemque anno obsequii quod Raimundus de Rocasolio ecclesiæ & regi præstitit, eo quod Raimundi Tolosani comitis sustinuisset partes. Hominium recipit a diversis nobilibus XVIII. cal. Maii an. 1226. a Petro Raimundo de Corneliano, a Pontio de Thesano, a Pontio de Olargio, ab Adalaise de Casulis & a Berengaria uxore Raimundi de Canesuspenso &c. pro castello de Casulis, ex tabul. Carcass. Delegatus a Petro Narbonensi archiepiscopo electo fidei jusjurandum civium Biterrensium excepit III. cal. ejusdem mensis, quo Romano cardinali S. Angeli sedis apostolicæ legato, regique Ludovico VIII. obedientiam profitentur, ex eodem tabul. Anno sequenti 1227. Bernardus legavit 5000. solid. Melgor. pro ædificio ecclesiæ monasterii Vallis magnæ. Quædam acquisivit a Bertrando d'Escadoussens anno 1229. Romæ morabatur anno 1230. ubi IV. id. Maii adfuit benedictioni Ademari abbatis Castrensis; testisque reperitur iisdem anno & die cum Hugone Arelatensi archiepiscopo & C. Carcassonensi præsule in charta, qua Durantus episcopus Albiensis hujusce abbatis electionem ratam habet. Redierat VI. non. Octob. ejusdem anni, quo scilicet tempore Pontius de Auracro filius Bernardi Raimundi de Canesuspenso ipsi obligat castellum ac dominium de Casulis cum appenditiis pro 8000. solid. Melgor. Idibus Decemb. jus in castro & terris de Maraussan ab eodem acquirit pretio 2000. solid. Hoc eodem anno cum Adamo de Miliaco regis in partibus Occitanicis progubernatore querelam habuit pro justitia, feodis, & juribus episcopi cum rege in urbe ac territorio Biterrensi, quæ mediis arbitris P. Narbonensi archiepiscopo & C. Carcassonensi præsule auctoritate Romani cardinalis sedis apostolicæ legati sedata est, ex tabul. Carcasson. Tria capitula generalia in ecclesia Biterrensi quotannis celebranda decernit nonis Junii 1231. Eodem anno causam, quæ inter Bernardum de Canesuspenso & Willelmum Sorigarium homines castri de Casulis de morte B. Raimundi de Canesuspenso coram eo agitabatur, G. de Levis marescallo de Mirapisce judicandam permisit. Anno sequenti VI. cal. Junii una cum T. Agathensi episcopo & G. Jordani priore de Cassiano electionem P. Guiraudi sacristæ S. Pauli in abbatem dictæ ecclesiæ rescidit, eo quod absque consensu P. Narbonensis archiepiscopi facta fuisset, ex tabulario S. Pauli Narb. In querela P. archipræsulem Narbonensem inter & capitulum hujusce ecclesiæ ratione ecclesiarum de Rivo & de Oviliano & castelli de Pipionibus electus arbiter cum T. Agathensi episcopo, sententiam pronunciat VII. cal. Julii anni 1232. ex tabul. capit. Narbon. Cessit IV. cal. Augusti Aimerico præceptori de Pedenasio ecclesias S. Andreæ de Salaneriis, S. Clementis de Aquis vivis &c. sub annuo censu duorum modiorum frumenti, totidemque hordei, ex tabul. episc. Biterr. Anno 1233. V. cal. Sept. regem aditurum se Odoni Coco promittit purgandi se causa de interceptionibus, quas in donis comitis Montisfortis fecisse incusabatur, ex tabul. Carcasson. Circa id tempus interfuit synodo Biterris habitæ, cujus statuta condita præsidente Walthero Tornacensi episcopo sedis apostolicæ legato. Toparchiam de Gabiano emtione comparavit anno 1234. De assensu capituli S. Nazarii donat VIII. idus Febr. 1235. canonicis S. Justi Narbonensis domos in urbe Biterrensi sitas, quæ ad Guillelmum Petrum Carcassonensem hæreseos insimulatum pertinuerant, ex tabul. cap. Narbon. A Guillelmo Jordani de Cerviano terram in territorio de Gabiano sitam acquirit pretio 30. solid. Melgor. II. cal. Jan. 1236. Habuit querelam cum Berengario de Podio Sorigario super oppidis Magdalenæ & de Tornamire, quæ mediis arbitris G. abbate sancti Afrodisii & G. Capusio doctore jurium finita est VII. cal. Martii, ex tab. episc. Biterr. Quinto cal. Junii Durantus episcopus Albiensis episcopum Biterrensem rogat, ut Castrenses monachos ab ipso excommunicatos publice in sua diœcesi denunciari faciat, ex tab. eccles. Alb. Die 26. Sept. ejusdem anni dirimit litem quæ intercedebat Petrum Leutevensem præsulem inter ac cives ejusdem urbis. Anno 1238. III. nonas Januarii hominium recipit a Bota filia Petri Raimundi de Maureliano; item ab Adalaisa de Casulis II. idus Martii 1239. Sequestro venerabili B. Biterrensi episcopo, Jacobus rex Aragonum cum Johanne Magalonensi præsule concordiam iniit IV. id. Martii an. 1241. Cum Petro abbate & monachis Villæ magnæ transigit Bernardus X. calendas Junii de quibusdam decimis in diœcesi Biterrensi. Eo circiter tempore consecrationi Guillelmi de Casulis episcopi Leutevensis adfuit apud Pedenasium una cum Agathensi & Magalonensi præsulibus. Demum vivere desiit 23. Januar. 1242. ut notat vetus liber capituli, in quo legit Catellus: *Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo obiit Bernardus episcopus Biterrensis.* Necrologium S. Afrodisii sic habet: *X. cal. Febr. obiit domnus Bernardus episcopus Biterrensis, jacet ante altare S. Michaelis apud S. Nazarium.* Annus quidem non assignatur, sed dies quadrat. Post Marianum Waddingus ad annum Christi 1286. n. 7. de Bernardo

Margin (left): 1223. — Gall. Christ. tom. 2. col. 915. — 1224. Ch. LXIII. col. 58. — 1225. Ch. XXX. col. 201. — 1226. — 1227. — 1229. — 1230. Tom. 1. Gall. Christ. col. 18. — Ch. XXIV. col. 151. — 1231. — 1232.

Margin (right): ANNI CHRISTI — 1233. — 1234. — 1235. — 1236. — 1238. — 1239. — 1241. — 1242.

ANNI CHRISTI

nostro refert, quod ex humili & sordido genere ad episcopatum assumptus, nepotes & consanguineos ultra statum suum ditaverit, nobilibus copulaverit mulieribus, & novum addiderit cognomen de Lignano, castro ecclesiæ, ut generis dissimularetur humilitas. Hujuscemodi alia videsis apud eumdem auctorem loco citato.

XLIII. R.

Pastore destituta Biterrensi ecclesia, metropolitam Petrum rogarunt canonici, ut ne electum absque horum consilio confirmaret, litteris datis VII. cal. Febr. 1242. more Gallicano. At qui forsan nondum electus, aliquanto post fuisse discimus ex alteris ejusdem capituli XIII. cal. Mart. ad eumdem litteris, quem iterum rogant, ut ad confirmandum R. archidiaconum Biterrensem recens electum episcopum horum assensum prærequireret.

Quoniam vero nullum aliud de hoc episcopo nobis superest monumentum, non pigebit ad rei memoriam addere, eo præsule Raimundum Tolosæ comitem sublata appellatione ad sanctam sedem ab inquisitoribus excommunicatum, in præsentia plurimorum tum præsulum tum ecclesiasticorum virorum in aula episcopali Biterrensi ab eorum sententia episcopos provocasse Sabbato infra octavas Paschæ anno 1243. Mutilum in appendice retulimus instrumentum, ignorantes tunc integrum esse editum Spicileg. tom. 4. pag. 265. at utrobique loco *Bituricensis* archidiaconi lege *Biterrensis*.

1243. Ch. XXV. col. 155.

XLIV. P.

Quod anno 1235. habitum vult Narbonæ concilium Labbæus tom. XI. col. 487. hoc ad annum 1244. vel circiter revocat nuperus rerum Occitanarum auctor, edoctus episcoporum nominibus, qui huic adfuerunt concilio, quæ Labbæo ignota, e mss. Inquisitionis Carcassonensis eruit. Hos autem inter episcopos ultimus recensetur P. Biterrensis electus, nisi forte, ut annus quo habitum concilium in mss. non notatur, is sit de quo agendum modo

XLV. Raimundus III.

DE SALE.

Omissus a Sammarthanis, sicut & duo ejus decessores, Raimundus assumitur in episcopum anno 1245. quo XVIII. calend. Julii provinciæ Narbonensis episcopi apud Biterras congregati litteris ad Innocentium pontificem datis rogant, ut libera detur inquisitoribus in hæreticos agendi potestas ex chart. inquisitionis: hisce vero in litteris R. vocatur electus, & postremus designatur. Eo sedente XIII. cal. Maii 1246. habita synodus provincialis Biterris per G. archiepiscopum Narbonensem. Huic concilio, in quo 46. adversus hæreticos conditi sunt canones, adfuit Raimundus cum comprovincialibus. Mense Septembri quasdam recepit recognitiones. Eodem anno univit ecclesiam de Bassano cathedrali. Anno sequenti præsens fuit cessioni Trincavelli vicecomitis Biterræ & Carcassonæ Raimundi Rogerii filii omnium jurium, quæ possidebat apud Biterras & Carcassonam, in manus Ludovici noni Francorum regis, confecto originali *apud Biterras*, inquit charta, *in plano S. Felicis juxta ecclesiam anno nativitatis Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo VII. idus Aprilis in præsentia & testimonio Guillelmi Dei gratia Narbonensis archiepiscopi, Petri Agathensis episcopi, Raimundi Biterrensis, Guillelmi Leutevensis, Raimundi abbatis Villæ magnæ, abbatis S. Pauli Narbonæ, abbatis S. Tyberii, Pontii de Stagno prioris de Cassiano, Jacobi abbatis S. Afrodisii, Berengarii Guillelmi domini Clarimontis, Deodati de Bouhachiis, Gualfredi domini Fulgariarum, Pontii de Olargio, Sicardi de Muro veteri, Guillelmi Raimundi de Colombariis, Guillelmi de Lodeva, Guillelmi de Thesano, Raimundi de Canesuspenso, Guillelmi de Roquosello,* & aliorum, qui recensentur in autographo episcopalis tabularii per Catellum typis edito lib. 4. commentariorum Occitaniæ p. 647. De Raimundo in veteri scheda & necrologio legitur: *Anno Domini 1247. VIII. cal. Augusti obiit domnus Raimundus Dei gratia episcopus Biterrensis, qui rexit episcopatum per duos annos.*

1245. 1246. 1247.

XLVI. Raimundus IV.

DE VALHAUQUES.

Aliquanto post obitum Raimundi tempore, scilicet 19. Sept. 1247. capitulum S. Nazarii ad eligendum congregatur, ex archivis Biterrensibus, episcopusque creatur Raimundus de Valhauques Monspeliensis de prosapia dominorum de Murles, quem e priore S. Firmini Monspeliensis ad episcopatum Biterrensem assumptum & confirmatum archiepiscopo Narbonensi commendat Innocentius IV. bulla data Lugduni 27. Octob. 1247. Sub finem anni ejusdem, 24. scilicet Februarii Fratribus Prædicatoribus conventus fundatur in platea destructi castri Biterrensis in die S. Matthiæ a Petro de Arelate & Bernardo de Rocosello. Chartam ea de re edidimus in instrumentis. Anno sequenti quædam jura in territorio de Gabiano pretio 6. librarum Melgor. acquirit Raimundus a Guillelmo Jordani milite de Cerviano III. id. Julii. Sabbato vero post festum S. Andreæ habitum est apud Valentiam in Galliis concilium pro fide, pace, ac libertate ecclesiæ, cui inter episcopos quatuor provinciarum adstitit, ac consensit episcopus Biterrensis. Habuit querelam adversus *viguerium* Guidonis de Levis marescalli Mirapicensis & domini de Thesano, nomine marescalli, circa tributorum partitionem in incolas villarum de Aspirano & de Pailleriis, ex parte episcopi, & incolas de Thesano, ex parte Guidonis: quæ quidem controversia mediis arbitris archidiacono Biterrensi & Johanne de Roiano milite finita est V. cal. Martii an. 1249. Fundavit eodem anno cum capitulo duodecim hebdomadas, ac rescidit numerum canonicorum. Fundavit & unum hebdomadarium perpetuum attributis 45. sextariis frumenti, totidemque hordei super ecclesia de Serignano. Adjunxit eodem tempore de capituli consensu basilicam de Turriliis ecclesiæ de Pailleriis, cujus rector pro augmentatione debet habere unum

Ch. XXVI. col. 156. 1248.

Labb. tom. XI. col. 696.

1249.

ANNI CHRISTI

modium *arraonis*: quin & eodem anno 1249. plura statuta cum capitulo condidit, quæ recensere longum esset. Denique XVI. cal. Dec. quædam acquisivit a Bota domina de Maureliano filia Petri Raimundi de Maureliano. Insequentis anni VIII. idus Nov. hominium recipit a Rostagneto Biterrensi pro burgo de Montibello, ex tabul. episc. Biterr. Anno 1251. una cum Guidone Fulcodio arbiter & judex constituitur controversiæ obortæ inter Guillelmum de Broa archiepiscopum Narbonensem & Amalricum vicecomitem pro multis gravaminibus & injuriis a vicecomite archiepiscopo illatis & excommunicationis sententiis ab archiepiscopo in vicecomitem latis; qui quidem judices sententiam quam tulerant interpretantur XII. cal. Octobris: acta habes apud Baluzium in appendice concil. Narbon. pag. 118. & seq. Transigit eo circiter tempore cum balivo de Cautio regis nomine. Habuit querelam adversus G. Dapiano militem senescallum Biterrensem, ac Carcassonensem pro injuriis & damnis a senescallo illatis incolis de Gabiano & de Caziliaco, quæ VIII. cal. Julii anno 1252. finita est: & III. idus Decembris absolutionem impendit Amalrico vicecomiti Narbonensi excommunicato per Guillel. archiep. quod Arnaldum Guilaberti clericum uxoratum & notarium publicum Narbonæ in carcerem conjectum illic expirare compulisset, reservatis tamen sibi sub præstito juramento pœna & pœnitentia vicecomiti injungendis ad diem per se ipsum assignandam. Statuit eodem anno cum capitulo *conducherios* in sacris ordinibus non constitutos quotidianis distributionibus non gavisuros, & canonicos, qui ex numero vetusto non erant, vocem in capitulo non habituros, ex tabul. cap. Biterr. An. 1253. una cum Guillelmo archiep. Narbonensi, quibusdamque episcopis Ludovico nono Francorum regi scripsit, ut compositionem factam apud Aquas mortuas cum abbate Crassensi exsecutioni mandaret, ex tabul. mon. Crass. Scripsit eodem anno cum episcopis A. comiti Tolosano de hereditatibus hæreticorum. Amalrico vicecomiti Narbonensi pœnitentias injunxit V. cal. Novemb. 1254. quas biennio ante distulerat. Hominium recipit a Guillelmo de Castris cive Biterrensi IV. nonas Januarii anno 1255. Eodem anno Biterris habitum est concilium provinciale VIII. idus Maii, ubi actum de præbendo ab episcopis auxilio ad expugnandum castrum de Querbus hæreticorum receptaculum. In canonibus manu exaratis, inquiunt Sammarthani, qui in tabulario episcopali servantur, Raimundus primum sese archiepiscopatus suffraganeum indigitat: ceterum in actis quæ habes apud Baluz. & Labbæum nullum aliud hujusce rei manet vestigium, nisi quod prior inter episcopos, qui huic adfuerunt concilio, nominetur. Anno 1257. V. idus Julii judicium fert in syndicos & homines castri de Giniaco pro Anianensibus, ex tabul. Anianensi. Anno proxime sequenti Alexander IV. summus pontifex episcopo Biterrensi mandat, ut Jordano de Montepavone abbati Juncellarum electo benedictionis munus impendat, bulla data XV. calend. Novemb. pontificatus anno V. qui incidit in annum Christi 1258. quia Alexander sub finem anni 1254. regnare cœpit: abbati tamen benedictionem non largitus est episcopus Biterrensis, sed Ruthenensis, cui, Raimundo recusante, hanc curam delegaverat Alexander. Privilegia quædam Mariæ abbatissæ monasterii sanctæ Claræ Biterrensis concessit Raimundus II. nonas Octobris 1259. Querelarum inter Anianenses exortarum una cum quatuor monachis arbiter electus IV. cal. Julii an. 1260. statuta quædam condidit ad resarciendam in monasterio regulæ sanctæ observationem, quæ recitata sunt in capitulo III. id. Mart. ejusdem anni in præsentia R. abbatis S. Afrodisii & aliorum. His autem tam abbatem quam monachos jurejurando adstrictos voluit altero post decreto VII. calend. Jun. De eo in veteri libro hæc lego: *anno Domini 1261. obiit reverendus pater D. Raimundus de Valhauquesio Dei gratia episcopus Biterrensis avunculus Pontii de S. Justo episcopi Biterrensis*, & in necrologio: *VIII. id. Junii anno Domini 1261 obiit D. R. de Vallauquesio Dei gratia episcopus Biterrensis, qui dedit communitati S. Nazarii CLXXVII. libras Melgorienses.*

[Margin: 1250. 1251. 1252. Baluz. app. conc. Narb. pag. 152. 1253. Ch. XLVI. col. 453. Baluz. ibid. 1254. 1255. Ibid. pag. 64. 1257. 1258. Charta XXVIII. col. 156. Ch. XXXI. col. 158. 1259. 1260. 1261.]

XLVII. Pontius.

[Margin: DE SAINT JUST.]

Raimundi decessoris nepos Pontius filius fuit Bernardi de S. Justo prope urbem Lunelli & Æglinæ dominæ de Castriis & Porsiano in diœcesi Monspeliensi; avunculum quoque habuit Bertrandum de S. Justo episcopum Agathensem, in carceribus Frederici imperatoris enecatum an. 1241. dum iret ad concilium, quem Pontius postea Capua Biterras deferri curavit, & sepeliri in mausoleo elato juxta altare S. Michaelis in ecclesia cathedrali, pro cujus obitu, aliorumque patruorum, & avunculorum suorum annuatim in perpetuum XIX. calend. Januarii in Biterrensi ecclesia celebrando dedit Pontius communitati ecclesiæ Biterrensis 30. solid. Melgorienses, ex necrologio. Fuerat primo hic Pontius noster canonicus Biterrensis, tum camerarius, inde archidiaconus major, demum infulis episcopalibus ornatus anno 1261. Guidoni archiepiscopo Narbonensi promisit obedientiam XIII. cal. Julii. An. 1262. die Mercurii ante Rogationes regiis inquisitoribus obtulit litteras Ludovici IX. Francorum regis datas die Jovis post *Lætare Jerusalem*, quibus rex mandabat, ut ab iis qui de bonis injuste fisco regio propter hæresim addictis conquerebantur, fundamenta suæ petitionis reposcerent: quarum occasione Pontius exhibuit instrumenta, quibus medietatem castri de Casulis, quæ prius Adalaicis fuerat, restitui sibi postulabat. Ecclesiæ Biterrensi univit circa id tempus ecclesiam S. Symphoriani de Maraussano, ea lege ut instituti ab eo hebdomadarii duo presbyteri pro ipso & parentibus suis missam celebraturi, quotidianæ distributionis forent participes, id est unusquisque illorum, juxta Sammarthanos, acciperet, sicut unus aliorum hebdomadariorum, medietatem scilicet canonici. Grave dissidium habuit eodem anno cum capitulo & canonicis

[Margin: 1262.]

ANNI CHRISTI

ecclesiæ sæcularis ac collegiatæ sancti Afrodisii. Canonici de mandato episcopi camerario ecclesiæ S. Nazarii claves abbatiæ tradiderant, utpote quæ post obitum abbatis jamjam expirantis ab episcopo de more regenda erat: defuncto vero abbate, noluerunt episcopum abbatiæ vacantis per obitum Serinhani regimen suscipere, quoadusque de ipsius consensu abbatem elegissent, interimque sine ejus placito Petrum Vesiani abbatem eligunt. Pontius itaque canonicos anathemate feriit III. nonas Julii an. 1263. Insequenti lis per Guidonem episcopum Sabinensem apostolicæ sedis legatum & arbitrum consopita est VI. cal. Junii promulgato in urbis palatio episcopali 29. Junii an. 1264. decreto coram Petro Agathensi præsule, Petro S. Jacobi Biterrensis abbate, aliisve de clero S. Nazarii, ex tab. sancti Afrodisii. Pontius inquisivit eodem anno contra Ruthenensem episcopum de mandato summi pontificis, ex chart. archiep. Bituric. Exstant in anecdotis Martennii nostri tom. 2. col. 255. duæ Clementis papæ quarti epistolæ pontificatus anno I. quarum prima Agathensi, Biterrensi, Leutevensi & Magalonensi præsulibus inscribitur, sed quam ob causam scripta fuerit prorsus ignoramus: in altera vero Biterrensi episcopo gratias agit pro muneribus acceptis. Anno 1266. una cum Raimundo archidiacono ecclesiæ S. Nazarii Pontius habuit querelam adversus Guillelmum abbatem S. Guillelmi de Deserto super decimis ecclesiæ de Muro veteri, quæ mediis arbitris finita est idibus Augusti. In charta data VI. idus Martii anni 1267. bullam Clementis papæ Fratres Prædicatores a jurisdictione episcoporum eximentem vidisse se testatur. Eodem anno coram rege S. Ludovico ablatam sibi in civitate Biterrensi jurisdictionem conqueritur. Hic sane est episcopus Biterrensis qui a Clemente IV. delegatur, ut observari faciat sententiam excommunicationis a summo pontifice latam in vicarium comitis Tolosani, qui regalium prætextu bona episcopi Tolosani, quem defunctum dicebant, invaserat, bulla data XIII. cal. Nov. pontificatus anno 3. Adstitit comitiis generalibus apud Carcassonam habitis an. 1269. mense Julio. Insequenti 1270. regi S. Ludovico libellum supplicem in quinque distinctum articulos obtulit, in quo de injuncta sibi obligatione veniendi in conspectum Guillelmi de Cohardone militis senescalli Carcassonensis & Biterrensis, ut regi fidem præstaret pro bonis quæ ab ipso tenebat, conquerebatur, ex reg. Carcasson. tabul. In synodo Paschali anno 1271. cal. Maii celebrata excommunicationis jaculum vibravit eos in omnes & singulos, qui spiritualem vel temporalem ipsius in tota diœcesi jurisdictionem usurparent. Ab hac excommunicatione consules Biterrenses universitatis nomine bis appellarunt ad summum pontificem & ad regem Francorum, VII. scilicet & III. id. ejusdem mensis. Anno sequenti in die festo S. Egidii ecclesiam Cassianensem reconciliavit, quæ in vigilia Assumtionis B. virginis irruptione improvisa hominum de Gabiano polluta fuerat. Auxit II. idus Januarii luminare

[Margin: 1263. 1264. 1265. 1266. 1267. Anecdot. tom. 2. col. 533. 1269. 1270. 1271. 1272.]

altaris majoris ecclesiæ cathedralis, pro eo largitus sacristæ tertiam partem decimæ de Luco & novem *cartalia* olei, ex publicis documentis cathedralis. Statuit & S. Blasii festum sub ritu duplici in ecclesia Biterrensi celebratum iri. Anno eodem rursum ablatam sibi in civitate Biterrensi jurisdictionem suam coram Philippo rege conquestus est; & rationes deduxit, quibus subditos suos ab armis pro majestate regia ferendis conabatur eximere, ex tab. reg. Carcass. In locum Maurini Narbonensis archiepiscopi communibus canonicorum suffragiis circa id tempus Petro suffecto, electioneque comprovincialibus significata, Pontius & coepiscopi litteras ad Gregorium X. & ad cardinales Viterbii congregatos dedere, ut eum ad ecclesiam suam cito destinarent, & quantocius abire sinerent. Anno sequenti non vero 1283. ut male apud Catellum & Sammarthanos habetur, regi Philippo 6. Febr. scripsere præsules, ne male de Petro recens electo sentiret, neve quid sinistri de illo suspicaretur. Permutationem fecit eodem tempore cum Narbonensibus S. Pauli canonicis. Anno 1274. IX. cal. Sept. juxta bullam Clementis papæ II. nonas Julii pontificatus anno IV. Fratribus Minoribus interdicit, quominus in suum ordinem ullum recipiant ex Fratribus Prædicatoribus professis, ex tab. Fratr. Prædic. Narb. Eodem anno die Jovis post festum S. Nicolai una cum aliis præsulibus a Guillelmo de Cohardone milite senescallo extraordinario Carcassonam convocatur, in diem Circumcisionis cum eo deliberaturus, quid operæ pretium sit, ne frumentum extra provinciam asportetur, ex tab. Carcass. Adfuit compositioni factæ II. cal. Julii an. 1278. inter regem Majoricarum & Berengarium episcopum Magalonensem. Anno 1279. de mandato Pontii episcopi Biterrensis lex promulgatur, qua *conducherius* ecclesiæ Biterrensis quotannis 22. solidos sexque frumenti sextarios pro mercede campanas pulsantium solvere tenetur sacristæ, ex tab. cap. Biterr. Mense Maio ejusdem anni in crastino festi Inventionis S. Crucis concilium Biterris celebratur a Petro Narbonensi archiepiscopo, ubi agitata quæstio est de mittendis ad regis parlamentum procuratoribus pro defendendis ecclesiasticis libertatibus, cui inter alios adfuit Pontius. Idem Petrus anno sequenti ibidem concilium habuit Dominica die qua cantatur *Lætare Jerusalem* super nonnullis negotiis communem ecclesiarum Narbonensis provinciæ statum tangentibus, de quo nihil ad nos pervenit. Apud Philippum regem hominium mense Julio 1283. professus est ut privatus aliquis & sæcularis, minime vero ut episcopus, pro terra & baronia Arisdii, quam a Guillelmo de Andusia & Bernardo filio emerat. Solemnibus exsequiis ejusdem regis Philippi III. Audacis Perpiniani extincti apud S. Justum Narbonæ interfuit noster hic Pontius an. 1285. dum ejus viscera in choro terræ condita sunt. Insequenti anno quam Philippo patri pro terra Arisdii, eamdem Philippo filio regi præstitit fidem. Anno 1287. prioribus omnibus & curatis suæ diœcesis mandat, ut

[Margin: Charta LXXIII. col. 68. Baluz. conc. Narb. append. pag. 176. Ibid. pag. 46. 1273. 1274. Ch. XLVIII. col. 375. 1278. 1279. Baluz. conc. Narb. pag. 81. 1280. Ib. pag. 84. 1283. Charta XXXIII. col. 159. 1285. 1286. Charta XXXIV. col. 160. 1287.]

ANNI CHRISTI

populos sibi subditos ad auxilium Petro de Campoplano a dæmone obsesso præstandum hortentur, quibus sacramento utroque Pœnitentiæ & Eucharistiæ munitis indulgentiæ dies decem XVI. cal. Octob. impertit, ex tab. ep. Alb. Litteras regias a Philippo pulcro impetrat anno 1290. quibus facultas ei conceditur ptochotrophium construendi in civitate, & acquirendi in feudis & retrofeudis regiis usque ad centum libras annui reditus ad dicti hospitii dotationem. Hoc illud procul dubio est hospitale, de quo Andoquus ad annum 1266. cujus fundationem certo assignare non possumus ex instrumentis: construxit enim Pontius noster in suburbio civitatis Biterrensis ad caput Pontis Orbi versus civitatem hospitale pro pauperibus recipiendis sumtuosum & spatiosum, & tres capellanias in ecclesia hospitalis instituit, necnon & plurima mensæ episcopalis bona, inter quæ & ecclesiam ruralem S. Genesii de Ponciano juxta Biterrim, ei in dotem de consensu & consilio Biterrensis capituli assignavit. At vero ne quid episcopi successores detrimenti inde paterentur, univit tunc temporis, sive paulo ante univerat mensæ episcopali medietatem toparchiæ de Casulis, quam ære suo acquisierat ab Eduardo de Moledino, qui locus baroniæ titulo insignitur, cujus membra erant castra de Maureliano, de Montadino & alia vicina. Vide instrumenta. Volunt & Sammarthani aliud pro leprosis a Pontio constructum fuisse hospitale ultra flumen Orbi, sed nullum hujusce nosocomii in schedis nostris apparet vestigium. Diremit an. 1290. cum Simone *Brisetête* milite Carcassonæ & Biterrarum senescallo controversias, quæ episcopum inter & ministros regis Biterrenses pro jurisdictione inerant, cujus limites non nisi post obitum Pontii, x. nempe cal. Augusti anno 1300. definiti fuere, & ab ipso rege mense subsequenti confirmati. Demum Bernardo de S. Justo consanguineo terram & baroniam Arisdii donavit, seu melius legavit anno 1293. quo ad meliorem vitam migravit. De hoc in veteri commentario scriptum legitur: *XIV. calend. Aprilis anno Domini MCCXCIII. obiit reverendus Pontius de S. Justo Biterrensis episcopus, & anno MCCXCIX. II. non. Junii translatum fuit ejus corpus, & positum in sepulcro suo marmoreo, quod est in choro ecclesiæ Biterrensis.*

1290. — Charta XXXVI. col. 160. — Ch. XXXV. col. 160. — 1293.

XLVIII. Raimundus V.

DE COLOMBIERS.

Canonicus erat ecclesiæ Biterrensis Raimundus an. 1279. ex Sammarthanis, antequam sedem istam administraret 1293. Pauca de eo qui brevi admodum tempore rexit dicenda habemus. Eo præsule navis basilicæ majoris ampliata est. Consules Narbonæ bullam Alexandri papæ IV. ei exhibent, ex tab. eccles. Narbon. XII. calend. Febr. 1294. qua facultas eis a summo pontifice conceditur, ut pro bonis, quæ extra diœcesim Narbonensem possidebant, litteris apostolicis vocari non possent, nisi hæc clausula expresse haberetur in litteris. Guibertus de Columbariis ejus nepos de mandato ipsius unum fundavit hebdomadarium, pro cujus dote largitus est 5000. solidos Melgorienses. Obiit an. 1294. ut notant vetus codex capituli, & necrologium, in quo habetur: *IV. cal. Julii anno 1294. obiit R. de Columbariis felicis recordationis episcopus Biterrensis, qui dimisit L. libras Turonenses pro obitu suo communitati ecclesiæ Biterrensis.*

1294.

Raimundo defuncto Guillelmum nescio quem immediate substituunt gemelli fratres ex hocce veteri libro, quem an. 1298. vitam finiisse volunt. Quisnam autem fuerit iste Guillelmus, quo tempore vixerit & obierit non satis liquet: quod enim addunt Sammarthani de epistola Bonifacii VIII. in sexto decretalium super forma degradationis, Guillelmi nomine inscripta, fundamento caret: non Guillelmo, sed Biterrensi episcopo inscribitur, qui alius esse non potest a Raimundi successore Berengario.

XLIX. Berengarius III.

DE FREDOL.

Berengarii Fredoli senioris genus inter summos Occitaniæ proceres floruisse dicit Petrus Gariellus in serie Magalonensium episcoporum pag. 387. Oriundus e castro de Veruna haud procul Montepessulano, cujus domini tunc temporis erant Fredoli, juvenis admodum factus est canonicus Biterrensis, postea succentor S. Nazarii, tum abbas S. Afrodisii in eadem urbe, fuit & archidiaconus Corbariensis, & canonicus in ecclesia Narbonensi, ut legitur tum in necrologio Narbonensi, tum in processu fratris Bernardi Delitiosi: quinimo in annalibus ecclesiæ Aquensis editis a Johanne scholastico Pittone pag. 166. reperio Berengarium fuisse etiam canonicum S. Salvatoris Aquensis. Unus e nostris, qui ad novam Galliam Christianam cudendam non modicum insudavit, in archivis Fratrum Prædicatorum Claromontensium reperit Berengarium fuisse vicarium Cœlestini V. summi pontificis, hujus obsequiis immorantem, a consiliis ejus & vestibus, unumque e sex clericis papæ. Biterrensis denique episcopus unanimi canonicorum omnium voce renunciatur, non anno 1298. ut Sammarthanis & Baluzio placet, sed 1294. ut colligitur ex bulla Cœlestini papæ V. data Aquileiæ idibus Septemb. pontificatus anno primo, qua sanctus pontifex concedit Egidio Narbonensi facultatem confirmandi magistrum Berengarium Fredoli in Biterrensem episcopum recens electum: bulla exstat in archivis Fratr. Prædicat. Clarom. ubi & legitur ab ipsomet summo pontifice consecratum fuisse Berengarium die Dominica ante festum SS. Simonis & Judæ mense Octobri ejusdem anni. Insequenti recipit recognitionem Petri Rainaldi de Monte-albano xv. cal. Sept. Una cum Johanne Nivernensi episcopo a prælatis Parisiis congregatis destinatur anno 1296. Berengarius, ut summum pontificem adeant, malis quibus tunc temporis affligebatur ecclesia Gallicana salutem quæsituri. Habuit querelam an. 1297. adversus priorem ecclesiæ S. Martini de Carcaresio super divisione decimarum ecclesiarum S. Martini & S. Baudilii, cujus episcopus erat prior: divisio autem facta VII. cal. Julii, ex tab. episc. Biterr. An. 1298. vidisse se testatur bullam

Vit. papar. Aven. t. 1. col. 632. — 1295. — 1296. Anecd. t. 4. pag. 223. — 1297. — 1298.

ANNI CHRISTI

Bonifacii papæ plurima Fratribus Prædicatoribus privilegia largientem,in tabul. Fratr. Præd. Biterr. Fuisse inter doctores juris canonici clarissimos constat ex auxilio, quod præstitit circa id tempus in condendo libro sexto Decretalium Bonifacio VIII. cujus exstiterat capellanus, inquiunt Sammarthani, adjuvantibus Richardo de Senis cardinale & Guillelmo Ebredunensi antistite: id ipse testatur Bonifacius in procemio hujus libri: *Per venerabiles fratres nostros Guillelmum archiepiscopum Ebredunensem, & Berengarium episcopum Biterrensem, ac dilectum filium magistrum Richardum de Senis S. R. E. vicecancellarium, juris utriusque doctorem, decretales hujusmodi diligentius fecimus recenseri.* Duo sunt præterea in contextu libri capita, unicum *de rerum permutatione*, alterum *de pœnis*, ubi forma degradationis præscribitur, Biterrensis episcopi nomine insignita, qui alius esse non potest a Berengario, quem ante & post Bonifacium Biterrensem cathedram occupasse ex chartis certum est. Eo præsule per metropolitanum Egidium Aisselini Biterris IV. cal. Nov. an. 1299. celebrata est synodus adversus vicecomitem Narbonensem, qua absoluta, episcopi & prælati, qui concilio interfuerant, scripserunt epistolam ad Philippum IV. Francorum regem pro archiepiscopo Narbonensi, quam Berengarius cum aliis a concilio deputatus detulit. In ea synodo editum est decretum de celebrando die festo S. Ludovici Francorum regis. Anno 1300. XVI. calend. Junii Berengarius una cum capitulo pactum iniit cum Philippo pulcro, quo scilicet rex episcopo quemdam vicum ecclesiæ amplificandæ causa concessit, episcopus vero 150. libras Turonenses rependit, omnemque assem cum territorio archidiaconatus Lunatensis. Hac de re regiæ litteræ jam a die 13. Septemb. 1298. datæ fuerant, ex tab. reg. Carcass. Arbitris Berengario Biterrensi & Gaucelino Magalonensi episcopis Rogerius Bernardus comes Fuxensis Bernardo episcopo Appamiensi præstitit hominium V. calend. Julii pro castro & villa Appamiensi, ex tab. cast. Fux. Una cum Raimundo Agathensi præsule a Bonifacio VIII. delegatus XV. cal. Aug. pontificatus anno VI. ut coram summo pontifice Amalricum vicecomitem Narbonensem de fidei sacramento & obedientia, quas ecclesiæ Narbonensi recusabat, & archiepiscopum de ecclesiæ suæ juribus responsuros citarent, Bertrandum Carbonelli canonicum Biterrensem & Albertum Vincentii officialem Agathensem ad id operis subdelegant litteris datis Mirapisce XV. calend. Dec. an. 1300. Eodem anno Berengarius Biterrensis, Gaucelinus Magalonensis, Raimundus Helenensis & Bernardus Appamiensis adesse memorantur sententiæ ab inquisitoribus Carcassonensibus latæ adversus Arnaldum Embrini de Limoux qui in hæresim erat relapsus, ex tab. inquis. Aliud insuper instrumentum ejusdem anni reperitur, in quo præsul noster excusat se archiepiscopo Narbonensi, quod non possit interesse consecrationi electi Carcassonensis. Parisiis morabatur an. 1301. a rege Philippo vocatus pro negotio Bernardi Saget episcopi Appamiensis hæreseos, proditionis, seditionis, aliorumque graviorum criminum coram rege arcessiti; & in tom. 1. Anecd. col. 334. legitur charta, quæ fidem facit mense Octobri ejusdem anni pro eodem negotio Sylvanectum petiisse. Pridie idus Julii an. 1302. senescallo Carcassonensi & vicario Biterrensi regis nomine mandat, ut Egidio Narbonensi archiepiscopo & Amalrico vicecomiti restituant jurisdictionem, quam in manibus regis dicti ministri deposuerant propter mutuos excessus inter ministros archiepiscopi & vicecomitis, ex tab. vic. Narb. Adstitit mense Nov. anni 1302. concilio a Bonifacio Romæ convocato anno superiore adversus regem Philippum, quo contra voluntatem regis plurimi Gallicani præsules convenere. Habita est anno 1304. synodus episcoporum in urbe Biterrensi pro decima colligenda in provinciis Narbonensi & Lugdunensi ex placito eorum regi concessa, ex Sammarthanis. De consilio Bonifacii papæ VIII. quem adhuc vivum hac de re consuluerat Berengarius, consentiente capitulo monasterium sanctimonialium juxta hospitale per Pontium e decessoribus unum institutum construxit, quod SS. Nazarii & Celsi nuncuparetur, voluitque in eo esse triginta moniales ordinis S. Augustini, quibus donavit ecclesiam S. Felicis castri de Porcairanicis & decimam de Pontiano quam primum vacatura foret per obitum Petri Bedacii eleemosynarii S. Nazarii. Tabulas hac de re in capitulo S. Nazarii præsidente Clemente V. recens ad summum pontificatus apicem electo confectas II. non. Oct. an. 1305. reperies inter instrumenta. Hanc postea fundationem confirmavit idem pontifex II. calend. Martii anni ejusdem, sive ut hodierni est moris an. 1306. Paulo ante, VII. scilicet id. Novemb. brevi apostolico fratres Carmelitas probaverat, qui ab urbe Biterrensi nimium dissiti, intra suburbia conventum extruxerant, eo quod ad ipsos propter aquam intermediam liber non pateret aditus. In prima creatione Lugduni XVII. cal. Januarii anno 1305. Berengarius episcopus a Clemente V. purpura insignitur tituli SS. Nerei & Achillei. In locum Gaucelini Magalonensis episcopi defuncti suffectus cardinalis Biterrensis eodem anno canonicorum votis obsequi recusavit. Anno 1306. cum Stephano de Susiaco cardinali a Clemente missus est in Galliam ad Philippum regem, ut de loco pontifici regique commodo ad habendum de quibusdam negotiis arduis & secretis conventum cum illo consultarent. Anno 1307. summus pontifex cognitionem scelerum, quæ Templariis imputabantur, Berengario & Landulpho Brancatio commisit. Interfuit XVII. cal. Febr. an. 1309. revelationi reliquiarum S. Bertrandi confessoris in diœcesi Convenensi facta per Clementem papam. Buccamatii vero Tusculani episcopi Avenione extincti 13. Junii ejusdem anni summus pontifex in locum suffecit Berengarium, quem majorem quoque S. Romanæ ecclesiæ pœnitentiarium creavit. Ubi observare non abs re erit cognominatum perperam fuisse Stadelli loco Fredoli a Ciaconio.

Marginal notes: Lib. 3. tom. X. Lib. 5. tom. IX. — 1299. — Baluz. conc. Narb. pag. 87. not. 48. & seq. — 1300. — 1301. — 1302. — Daniel in 4.° ad hunc annum. — 1304. — Charta XXXVI. col. 160. — 1305. — Spondanus an. 1307. §. 14.

ANNI CHRISTI

Anno 1310. delegata ei est a Clemente papa cognitio motuum inter Fratres Minores exortorum paupertatis occasione. Nondum absoluto Viennensi concilio obtinuit a rege Philippo mense Apr. an. 1312. facultatem dandi monasterio canonicarum ecclesiæ Biterrensis, quas ab eo fundatas diximus, centum libras Turonenses annui & perpetui reditus. Defuncto Clemente V. cum gravis esset discordia de eligendo novo pontifice, omnium cardinalium suffragia propendebant in electionem vel cardinalis Biterrensis, aut Arnaldi de Pellegrue, adeo ut increbrescente dissidio, compromiserint in Jacobum d'Ossa, qui electus fuit sub nomine Johannis[a] XXII. prout docet Johannes Villanus historicus Florentinus, quem citat vir clarissimus Bosquetus Leutevensis præsul in suis notis ad Clementem V. summum pontificem. Plurimos anno 1316. VIII. calend. Dec. episcopos & abbates consecravit Berengarius. An. 1317. de mandato summi pontificis habitum S. Benedicti assignavit Ubertino Casali Minoritæ, ab eoque professionem ejusdem ordinis recepit. Eodem anno dejecit Hugonem Geraldi episcopum Cadurcensem. Anno 1320. Johannes XXII. Berengario cardinali commisit inquisitionem scelerum, quæ patrata ferebantur a Matthæo de vicecomitibus de Mediolano. Denique Berengarius vitam & purpuram amisit Avenione III. idus Junii anno 1323. De eo in Narbonensi necrologio hæc leguntur : *Anno Domini MCCCXXIII. III. idus Junii obiit reverendus in Christo pater dominus Berengarius Fredoli, qui fuit archidiaconus Corbariensis & canonicus in ecclesia Narbonensi : postea vero fuit episcopus Biterrensis, deinde episcopus Tusculanus & sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis.* Ejus corpus postmodum a Guillelmo Fredoli nepote & successore elatum sepelitur in cathedralis Biterrensis capella sancti Stephani. Jurisprudentiæ scientia clarissimus ad Guillelmum de Mandagoto archidiaconum Nemausens. a quo libri de electionibus prælatorum nuncupatione honestatus fuerat, vicissim ipse volumen scripsit super summam Ostiensis, plurimasque alias edidit lucubrationes eo tempore, quo erat episcopus Biterrensis, quæ reperiuntur maxime in bibliotheca Colbertina, scilicet tractatum de excommunicationibus, inventarium juris canonici, quod an. 1300. Guillelmo Ebredunensi archiepiscopo corrigendum mittit, & inventarium speculi judicialis. De eo inter ceteros legendus Baluzius in notis ad vitas paparum Avenionensium col. 631.

Waddingus an. 1310. §. 2. 3.

L. RICHARDUS.

NEVEU.

Richardus Nepotis, cujus nominis occurrit mentio in ordine magnatum du Tillet p. 369. natione Normannus, abbas Albæ Terræ in diœcesi Petragoricensi, archidiaconus erat Algiæ in

[a] Quod addunt Sammarthani hoc loci Jacobum d'Ossa se ipsum elegisse, id in dubium revocat Baluzius in notis ad vitas paparum Avenionensium col. 716. & seq. nec sine legitimo fundamento. Id enim ei nunquam fuit exprobratum a Ludovico Bavaro hoste infensissimo, vel ab aliis ejus adversariis. Præterea ipse scribit ad Robertum regem Siciliæ se ab omnibus cardinalibus concorditer electum fuisse.

ecclesia Lexoviensi, cum anno 1295. a rege Philippo cum Johanne vicedomino Ambianensi delegatur, ut in Bernardum Appamiensem episcopum inquirerent : in locum postea Bertrandi Nemausensis episcopi a rege spoliati administrator suffectus, ab eodem excommunicatus est. Biterrensem vero episcopatum vacantem per promotionem ad cardinalatum Berengarii obtinuit sub annum 1305. juxta Sammarthanos, qui addunt ex veteri registro Richardum, cum Sicardo de Barro a Philippo pulcro missum ad partes Tolosanas pro nova ærarii regii Flandrensis administratione, & Romam cum aliis præsulibus profectum esse. Excepit clientelam Salomonis de Falgueriis domini castelli de Lunacio pro toparchia de Carlenguas feria sexta post S. Laurentium anno 1306. ex tab. ep. Biterr. Eodem anno solvisse dicitur cameræ apostolicæ 2. Martii in libro solutionum sub Benedicto XI. Eo circiter tempore terras e mensa episcopali apud territorium de Casulis commutavit. Assensum præbuit factæ an. 1307. fundationi a cardinali Berengario decessore Avenione tunc degente in ecclesia S. Nazarii in capella noviter constructa sub invocatione S. Spiritus de sex capellanis pro remedio animæ suæ & Clementis V. pro quorum sustentatione attribuit proventus ecclesiæ Bayssani, & aliarum basilicarum in territorio Biterrensi : hæc autem fundatio confirmatur VII. id. Aprilis a Richardo episcopo, Rostagno de Claromonte præcentore, aliisque canonicis S. Nazarii, ex tab. ep. Biterr. Insequenti anno a Clemente V. ad concilium Viennense invitatus Richardus non adfuit concilio certis de causis in aliud tempus rejecto. Ejus suspicor temporibus celebratum fuisse concilium provinciale Biterris, quod habes tom. 4. Anecd. col. 227. Pauca de eo supersunt monumenta, quia parum diu sedit : *lepra percussus ut Giesi*, inquit Bernardus Guidonis, decessit anno Domini 1309. ante Pentecosten, eo quod inquisitionis negotium impedivisset, ex eodem auctore. De eo in veteri necrologio legitur : *VI. idus Maii obiit anno MCCCIX. venerabilis pater dominus Richardus bonæ memoriæ quondam episcopus Biterrensis.*

ANNI CHRISTI 1306. 1307. 1308. 1309.

LI. BERENGARIUS IV.

DE FREDOL.

Berengarius Fredoli alter, cognomento junior, cardinalis Biterrensis nepos, canonicus antea & camerarius S. Nazarii post excessum Richardi Biterrensem ecclesiam regendam suscepit an. 1309. paucis post obitum Richardi diebus. Eodem anno confirmatur episcopus a summo pontifice Clemente V. ut docent archiva cathedralis : Baluzius tamen in notis ad vitas paparum Avenionensium col. 668. vult extincto Richardo Berengarium a Clemente substitutum fuisse, sed verosimilius videtur doctissimum virum creationem cum confirmatione confudisse. Nondum Biterras advenerat, aut saltem aberat die 14. Maii ejusdem anni, qua vicarii ejus generales Egidio archiepiscopo Narbonensi dederunt litteras de subsidio fratribus Jerosolymitanis ad recuperandam terram sanctam concesso. Eadem de re ipse bis

ANNI CHRISTI 1310. 1311.

bis scripsit 15. Junii 1310. & 15. Maii 1311. A vicariis generalibus archiepiscopi Narbonensis. Concilio Viennensi anno 1311. a Clemente inchoato Berengarium interfuisse, inde colligit Andoquus, quod decretum concilii contra Templarios non ipsi, sed Guillelmo Fredoli archidiacono, & Berengario canonico sancti Nazarii, episcopo absente, inscriptum fuerit. Anno eodem Guillelmum de Montepesato excepit ad hominium feodi de Montibello. Appellavit an. 1312. sedem apostolicam eo quod Lucas cardinalis S. Mariæ in via lata abbatiam S. Afrodisii contulisset Frederico filio Guillelmi de Flisco dicti de Camezana, jura omnia pervertens, tum episcopi, cujus erat abbatiam per obitum Benedicti Gaietani abbatis vacantem regere; tum etiam canonicorum, penes quos erat abbatem suum de consensu episcopi eligere: quare & ipsi similiter eadem de collatione ad sanctam sedem appellarunt III. cal. Apr. an. 1312. ex tab. ep. Biterr. Anno eodem mense Octobri furnum ad bannum de Casulis ad censum oppigneravit. Notat illustrissimus Bosquetus episcopus Leutevensis in libro pontificum Gallicorum, qui Avenione sederunt, Berengarium in tertia promotione Clementis V. creatum fuisse cardinalem. Ptolomæus Lucensis ordinis Prædicatorum auctor secundæ vitæ Clementis V. & Bernardus Guidonis scriptor tertiæ & quartæ vitæ docent Berengarium episcopum fuisse creatum cardinalem sabbato quatuor temporum adventus X. cal. Jan. anno 1312. apud Avenionem, titulumque habuisse SS. Nerei & Achillei martyrum, quem Berengarius patruus prius habuerat, & postea cum titulo SS. Johannis & Pauli commutavit: & certe duos Berengarios cardinales ejusdem nominis & cognominis exstitisse recte probat Contilorus ex libro obligationum Vaticani, primum seniorem Tusculanum, alterum juniorem Portuensem episcopum, ambos a Clemente inter cardinales allectos; & vero Ciaconius ac Frizonus unum fuisse Berengarium asserentes, duos enumerassent, si Vaticana monumenta inspexissent. Hæc Ughellus notat tom. I. Italiæ sacræ in episcopis Portuensibus. Anno 1317. Johannes XXII. Bernardo de Castaneto episcopo Portuensi 14. Augusti ejusdem anni defuncto substituit Berengarium. Petrus de Arrablay & Berengarius cardinales 12. Julii an. 1319. scripserunt ad Carmelitas Parisienses de corpore Michaelis de Becco cardinalis ad eorum conventum transferendo. Exstat epistola inter probationes historiæ cardinalium Gallorum pag. 277. Anno 1321. Berengarius consecravit Henricum episcopum Kijoviensem. Atque hinc patet quo nixi fundamento Berengarium die 24. Aprilis an. 1316. mortuum asserant Sammarthani. Obiit ergo, ut post Contilorum docet Baluzius, circa annum 1323. cum eo anno recenseatur inter cardinales defunctos non participantes. Berengarii nostri meminit etiam repertorium vetus episcoporum a Toisonio canonico Biterrensis ecclesiæ an. 1515. conditum.

Bzov. an. 1321. §. 12. *Not. in vit. Pap. Aven. col. 668.*

LII. GUILLELMUS VI.

ANNI CHRISTI DE FREDOL.

Filius Petri Fredoli domini de Veruna, Berengarii decessoris germanus Guillelmus, alterum quoque habuit fratrem Andream nomine Magalonensem antistitem. Berengario autem successerat jam ab anno 1314. ut patet ex libro solutionum, in quo solvisse dicitur cameræ apostolicæ penultima Julii hujusce anni. Insequenti in synodo habita Biterris in festo S. Lucæ statuit, ut in singulis quibusque suæ diœceseos ecclesiis propria haberentur sigilla nominibus ipsarum ecclesiarum impressa, sub poena decem solidorum Turonensium. Alia quædam statuta eodem anno condidit, quæ similiter reperies tom. 4. Anecd. col. 632. Cum Arnaldo de Lairo quasdam terras secus stagnum de Cailan pro dominiis feudalibus in territorio de Casulis permutavit anno 1316. Plura fuere Guillelmo præstita hominia a nobilibus, qui circa urbem feuda possidebant, quæ ab episcopo Biterrensi tenentur: Jacobus Calveti miles & Guillelmus de Pataut ejus nepos domicelli de Villanova reddiderunt clientelam anno 1317. pro condamina in decimaria de Circio. Fundavit an. 1318. unum obituarium pro anima Petri Fredoli parentis. Synodum diœcesanam convocavit in æde sancti Nazarii 17. Aprilis 1320. in qua decreta quædam edita sunt adversus Judæos. A Johanne XXII. papa delegatus quædam statuta condidit V. cal. Junii an. 1321. ad reformationem abbatis & monachorum de Juncellis. Eodem anno Berengarii cardinalis Biterrensis patrui sui corpus Avenione, ubi sepultum fuerat, in capellam S. Stephani ecclesiæ cathedralis Biterrensis transportari fecit. An. 1323. 9. Dec. Hugo de Foussieres condominus de Pezena Guillelmo recognovit territorium de Puseco. Johannes XXII. impertit illi facultatem testandi bulla data Avenione V. non. Maii pontificatus anno VIII. ex archivo vicelegati. Anno 1325. Guillelmus una cum capitulo factam olim inter Berengarium decessorem suum & capitulum divisionem beneficiorum, tam quæ a collatione episcopi, quam quæ ab officialibus & canonicis dependebant confirmavit, ex tab. episc. Biterr. Ad ipsius preces Johannes XXII. summus pontifex univit ecclesiam de Cauceribus mensæ episcopali Biterrensi bulla data idibus Februarii pontificatus anno XI. nisi forte legendus sit annus II. Bernardus de Fodillione hominium illi exhibuit anno 1328. de feudo Carausani. Requisitus a rege Philippo VI. Valesio dicto 15. Julii 1329. ut ipsi sacramentum præstaret, ad hoc se minime teneri respondit 2. Nov. ejusdem anni. Hominium recipit 9. Dec. an. 1330. a Salomone de Falgueriis & condomino castelli de Mala vetula & a Paulo de Clairmont. Omni ope enixus est an. 1335. ut quibus *conducherii* & hebdomadarii ecclesiæ S. Nazarii, iisdem gauderent distributionibus capellani S. Spiritus. Anno 1337. Biterrense episcopo insimulato, quod præstigiis ritibusque prophanis ad necem Johanni XXII. inferendam usus fuisset, explorari certius rei veritatem Benedictus jussit, ac publicas tabulas

1314. 1316. 1317. 1318. 1320. *Sammarth.* 1321. 1323. 1324. 1325. 1327. 1328. 1329. 1330. 1335. *Odoricus Rainald. an. 1337. §. 30.* 1337.

ANNI CHRISTI 1342.

de ea re transmitti. Anno 1342. 1. Maii una A cum canonicis in capitulo generali condidit statuta & consuetudines ecclesiæ, quæ reperies t. 4. Anecd. col. 639. habita oratione, inquit Andoquus, quæ in archivis episcopalibus asservatur, coram Berengario Fredoli nepote archidiacono Caprariensi, Jacobo de Broa archidiacono Lunatensi, Albarono Albaroni præcentore, Bernardo de Casslucio sacrista, Poncio Aybraudi succentore, Bernardo de Mandachis canonico & aliis. Memoratur Guillelmus in rubricis Clementis VI. pontificatus anno 4. IV. calend. Junii, inibique dicitur successisse Richardo, qui subrogatus fuit Berengario, sed error est manifestus: B constat enim ex dictis non Richardo, sed fratri Berengario successisse Guillelmum. Baluzius t. 2. vit. pap. Avenion. col. 717. refert epistolam Clementis VI. anno 1347. ad Agathensem, Biterrensem & Magalonensem episcopos, quibus mandat summus pontifex, ut Bernardum episcopum Aquensem e carcere, in quem a Johanne Berrerio & aliis detrusus fuerat, quantocius extrahant, & in detentores inquirant. Exstat in Anecd. D. Martenne t. 1. col. 1395. epistola P. archiepiscopi Narbonensis ad suffraganeos episcopos die 6. Julii anni 1349. ut Girbertum episcopum Carcassonensem denuntient excom- C municatum propter contumaciam ejus in recusanda metropolitani sui visitatione. In hac epistola Biterrensis episcopus vocatur decanus episcoporum provinciæ Narbonensis. De tempore obitus Guillelmi diffident rerum Occitanarum scriptores: Catellus illud assignat ex quodam chartulario ad annum 1333. quo Guillelmo Pontium substituit, sed hæc ipsius sententia eadem ratione nobis rejicienda videtur, quâ visa est Andoquo & Sammarthanis, qui quidem in anno mortis conveniunt, in die vero discrepant, hi enim 23. ille autem 28. Decemb. an. 1349. mortuum Guillelmum ex archivis volunt. Nos D vero, qui archiva præ oculis non habemus, annum probamus, at de mense lectori judicium relinquimus. Defunctus tumulatur in cathedralis capella sancti Michaelis.

1347.

1349.

LIII. Guillelmus VII.

DE LANDORRE.

Guillelmo defuncto Guillelmus alter sufficitur, cognomine de Landorre, si fides habenda omnibus quotquot de rebus Anianensibus scripserunt, qui docent Guillelmum ex abbate Anianensi in Biterrensium antistitem fuisse assumtum. Electus consecratur in ecclesia Narbonensi ab ipsomet archiepiscopo, cui jurat obedientiam E 13. Februarii an. 1349. Chartam exhibuimus inter instrumenta. Hic tamen non modica occurrit difficultas: Hugo enim vocatur electus die 12. Dec. ejusdem anni in libro obligationum prælatorum, & 24. insequenti in veteri instrumento, quo bona episcopatus sub regia manu indebite posita fuisse post Guillelmi mortem agnoscunt regii ministri: & certe III. idus Dec. an. 1349. institutus fuerat episcopus Hugo, fuitque deinceps. Dicendum itaque Guillelmum de Landorra forte a capitulo sancti Nazarii electum & confirmatum Hugoni locum cedere coactum fuisse.

Charta XXXVIII. col. 164.

LIV. Hugo I.

ANNI CHRISTI DE LA JUGIE.

Patria Lemovicensis Hugo, filius Jacobi de Judicia, quem Philippus VI. rex Galliæ nobilitate donavit an. 1338. & N. sororis Clementis papæ VI. frater Petri archiepiscopi Narbonensis, tum Rotomagensis, ac demum cardinalis. Thesaurarius erat Turonensis, clericali duntaxat charactere insignitus, cum in locum Guillelmi defuncti a Clemente VI. III. id. Decemb. pontificatus anno VIII. subrogatus est episcopus Biterrensis beneficio cardinalis Bellifortis, qui postea factus est papa nomine Gregorius XI. cujus erat consanguineus: nepos enim erat Clementis VI. uti & Gregorius XI. Primo episcopatus ejus anno bona episcopi, quæ sede vacante per obitum Guillelmi in manus regis devenerant, libera remittuntur 20. Januarii an. 1350. a regiis ministris, qui regalibus locum non esse agnoverunt. Eodem anno transegit Hugo cum Pontio de Thesano & Berengario domino de S. Genesio fratribus pro castro de Aspirano, cujus erant condomini. Petrus archiepiscopus Narbonensis scripsit 28. Septemb. 1351. ad Hugonem electum Biterrensem suffraganeum suum tunc absentem epistolam, qua eum invitat ad synodum Biterris 7. Nov. ejusdem anni celebrandam, cui comprovinciales episcopi adsuere. Huic autem conventui Hugo interesse noluit propter sessionis prærogativam, quam affectabat Biterrensis episcopus duplici nixus fundamento, 1.° quem in imperio Romani servaverant ordinem, hunc servatum fuisse & in ecclesia, quæ in unaquaque provincia sedem primatis fixerat in ea urbe, in qua prius sedebat proconsul: secundam vero Romanorum in Narbonensi prima coloniam apud Biterras constitutam fuisse, ideoque primas post Narbonensem episcopo Biterrensi deberi. 2.° Allegabat etiam antiquitatem sedis suæ, quam a primigeniis repetebat temporibus: secundum in provincia Christi dogmatibus imbutum fuisse Afrodisium, secundumque in synodis esse Biterrensem episcopum, cujus erat alterum a metropolitano locum tenere. Suffraganeis non acquiescentibus, a concilio abstinuit Hugo, minime vero Biterris exivit, ne forte prærogativæ nocere videretur. Concordiam iniit an. 1352. cum canonicis suis super decimis. Diem visitationis indicat in abbatia S. Afrodisii XI. Septemb. 1353. Nondum Biterras solemniter intraverat an. 1354. quo cum apparatu & pompa fratre Narbonensi archiepiscopo concomitante urbem ingreditur per portam pontis, consulibus juramento pollicitus se nihil quidquam innovaturum in privilegiis civitatis, quemadmodum observant urbis codices publici, quæ non modicum passa fuit detrimentum anno 1355. ruina suburbii S. Jacobi, quod Anglis Septimaniam depopulantibus & Biterræ obsidionem minantibus, ab ipsis incolis de consensu Hugonis dirutum fuit, una cum cœnobiis eremitarum sancti Augustini, Franciscanorum, religiosorum beati Antonii & monialium S. Claræ, aliisque basilicis.

1350.

Baluz. conc. Narb. pag. 91. & seq. 1351.

1352. Charta XXXIX. col. 164.

1353.

1354.

1355.

ANNI CHRISTI 1357. Anno 1357. una cum Arnaldo de Montespan senescallo Carcassonensi Hugo confirmavit electionem Montepesuci, quem Biterrenses cives ducem instituerant, si forte Angli rursum urbem expugnassent. 1358. Impendit an. 1358. 2000. denarios auri in redemptionem Johannis regis captivi in Anglia. 1363. Anno 1363. in sua dioecesi copias collegit, quibuscum Arnaldus de Montespan castrum de Lignano oppugnavit, quod a quibusdam desperatis occupatum fuerat. Milites suppeditavit an. 1365. Ludovico duci Andegavensi ad obsidendam Tarasconem. 1366. Litteris 1. Apr. an. 1366. datis mandatum Johannis cardinalis tituli S. Marci denunciavit, ut judex & vicarius de Giniaco, qui quemdam clericum suspendio damnaverant, depositum de patibulo solemniter a quatuor lictoribus deportandum praeciperent panno coopertum decem constante florenis, & ut tam judex, vicarius & notarius, qui sententiam scripserat, quam quatuor lictores taeda accensa ad manum defunctum deducerent, missaeque & exsequiis coram officiali episcopi interessent. Judaeis qui erant in civitate Biterrensi scholam, synagogam, & coemeterium per vicarium suum generalem indulsit anno 1367. Insequenti praesens adfuit, quando solemni pompa corpus S. Thomae ex Italia Tolosam translatum fuit, inibique in capella *del feretra* collocatum 28. Jan. 1368. (Boll. t. 1. Mart. 732.) Fundavit mense Aprili vicariam cathedralis suae. Litteris Petri archiepiscopi & primatis Narbonensis datis 28. ejusdem mensis, in quibus Hugo dicitur decanus episcoporum provinciae, convocatur ad concilium Vauri celebrandum 27. Maii 1368. ad statuendum de fide & libertatibus ecclesiae, jussu & auctoritate Urbani V. summi pontificis. Hugone in remotis agente, litteras vicarius generalis denunciat omnibus dioecesis abbatibus 9. Maii, ex tab. ep. Biterr. Convenit itaque ad synodum Vaurensem 27. Maii indictam, cui praeter metropolitanum Narbonensem praesentes adfuere, suisque suffragiis decreta firmavere Gaufredus Tolosae archiepisc. Johannes Carcassonensis, Bertrandus Convenarum antistites & alii multi provinciarum Narbonensis, Tolosanae & Auscienis episcopi, uti fidem faciunt acta, quae reperies in conciliis Narbonensibus doctissimi Baluzii pag. 112. Eodem anno 31. Julii renovavit & confirmavit antiqua antecessorum suorum statuta synodalia in capitulo, cui nomine episcopi aegrotantis praefuit Johannes de Garrigue praecentor ecclesiae Biterrensis. (Anecd. t. 4. col. 625. 659. 660. 661.) 1369. Synodum paschalem habuit 17. Aprilis an. 1369. in qua plurima ordinavit ad synodum proximo die B. Lucae festo celebrandam: in conventu itaque 1370. 16. Oct. habito quaedam statuit, & anno elapso aliam adhuc congregavit synodum in qua nonnulla decrevit. Haec omnia statuta leguntur in Anecdot. tom. 4. locis citatis. Gregorius XI. ipsius consanguineus, cujus favore Biterrensem episcopatum adeptum fuisse diximus, ad summum pontificatus apicem assumtus, ut Hugoni rem gratam faceret, univit sedi sancti Nazarii 1371. ecclesiam de Gabiano anno 1371. Cum autem Hugo de Biterrensi ad Carcassonensem sedem translatus, Avenionem profectus esset ad salutandum Gregorium XI. pontificem summum, ibidem excessit e vivis die 13. Julii; de quo observatum legimus in veteri codice sancti Nazarii: *anno Domini MCCCLXXI. die 13. Julii obiit Avenione reverendus in Christo pater dominus Hugo episcopus Biterrensis, pro cujus anima reverendus in Christo pater dominus Petrus archiepiscopus Rotomagensis frater illius, & exsecutor testamenti instituit unum obitum generalem in capella S. Nazarii anno MCCCLXXV. quo tempore translatum fuit illius corpus ex Avenione, & sepultum in capella S. Egidii ecclesiae Biterrensis.*

Ne quis vero miretur nullam a nobis fieri mentionem concilii Biterrensis sub Egidio Narbonensi an. 1370. juxta Andoquum & Sammarthanos, habiti, cui Hugo adfuit; semel dicere sufficiat non omnia, quae a scriptoribus allata non confirmantur, confutare nobis animum esse, alioquin in infinitum opus progrederetur; sed ea tantum quae aliqua videntur observatione digna, vel quae lectorem in errorem inducere possent. Quem autem fallat concilium sub archiepiscopo quinquaginta duobus abhinc annis defuncto, & cujus nullibi occurrit vestigium?

Praetermittimus eadem ratione cum Sammarthanis Raimundum Nigri ex familia de la Redorte, de quo nihil penitus habemus in tabulis Biterrensibus, nisi quod Andoquus dicit illum a Gregorio XI. electum, sed a clero & populo non obstante illius praecepto rejectum. Hunc esse suspicor Raimundum Nigri de quo ad annum 1215.

LV. Sicardus.

DE LAUTREC.

Ex illustri prosapia vicecomitum de Lautrico oriundus erat Sicardus, cujus generis descriptio fusius habetur in historia genealogica magnatum Franciae t. 2. pag. 360. in Archembaldo praesule Vaurensi & Catalaunensi fratre ipsius. Cognominatur d'Ambres in tabulis episcopatus ac civitatis, ut pote ex familia dominorum d'Ambres prognatus, parentibus Amalrico vicecomite & Margarita de Petragoriis Talayrandi cardinalis sorore. Factus primo episcopus Agathensis, Biterrensem cathedram conscendit mense Augusto anni 1371. ex actis episcopalibus, & libro obligationum praelatorum Vaticani, in quo camerae apostolicae promisisse legitur die 4. ejusdem mensis, quo exeunte Johanna a Francia Philippi Valesii regis & Blancae Navarrae nata, cum in Hispaniam tenderet Johannis Gerundae ducis uxor futura, Biterras appulit, ubi in palatio episcopali aegritudine occubuit die Martis 16 Sept. legatis ecclesiae cathedrali pro animae salute corona aurea & margaritis pretiosis. Eidem postmodum ecclesiae Blanca parens 80. libras annui reditus in dominio de Ruel largita est, ut preces ad Dominum pro filiae salute a canonicis funderentur. Sicardus autem ingressus urbem cum solemni apparatu 4. *al.* 10. juxta Andoquum, die Decembris ejusdem anni, ad portam Clarissarum consulibus jurejurando spopondit se privilegia urbis tutaturum. Tum adornandae ecclesiae suae

ANNI CHRISTI 1374.

curam atque animum addicens, hanc an. 1374. A variis decoravit picturis, largitus in hanc rem 4000. solid. Melgorienses. Adstitit eodem anno concilio Narbonensis provinciæ 15. mensis Apr. congregato, absolutoque die 24. ejusdem mensis, ut docent acta, quæ reperies apud Baluz. concil. Narbon. pag. 301. Insequenti anno 24. Augusti hominium excipit Johannis de Falgariis domicelli, ex tabul. episc. Biterr. & synodum diœcesanam celebrat 17. Octob. in die festo S. Lucæ de more. Anno 1377. Sicardus, Archembaldus frater, duæque sorores cum comite de Astaraco litigabant pro quarta parte vicecomitatus de Lautrico & castelli de Ambresio: die vero 13. mensis Martii Sicardus de speciali licentia Caroli regis una cum Archembaldo donavit Johanni de Belloforti suo ex sorore nepoti quæcumque jura sibi competebant in vicecomitatu de Lautrico & baroniis de Ambresio & de Brugueria, ea lege, ut dictus Johannes solveret quidquid Sicardus debuisset solvere pro juribus prædictis, decenterque matrimonio collocaret, & dotaret nobilem Brunisendem filiam Amalrici de Lautrico fratris Sicardi. Eodem anno per suum vicarium admittit jusjurandum clientelæ consulum Biterrensium a civibus recens electorum in festo S. Andreæ. Anno 1380. 14. Nov. Sicardus episcopus & capitulum S. Nazarii una decernunt canonicis numero 13. & 50. ejusdem ecclesiæ beneficiariis, modo residerent, in frumento & vino satisfactum iri, ceteris vero ratione absentiæ, ex tab. cap. Biterr. An. 1381. uti habent mss. codices Stephani Storriaci qui tunc temporis scribebat, Johannis ducis Biturigum Occitaniæ gubernatoris iracundiam precibus temperavit Sicardus. Dux enim a civibus pessime habitus, iræ impotens ingreditur in urbem, excidium minans, jamque ducentos cruci dederat, pluresque dedisset, ni Sicardus obviasset. Obiit an. 1383. in die festo S. Mariæ Magdalenæ hora tertia. D. Claudius Etiennot in tabulario monasterii Veteris muri legit Sicardum codicillo facto sepulturam elegisse juxta matrem in sacello S. Margaritæ ejusdem monasterii, cui multa moriens cessit: attamen in archivis Biterrensibus invenit Catellus, quem secuti sunt Andoquus & Sammarthani, tumulatum fuisse Sicardum medium inter Raimundum de Valhauquesio episcopum Biterrensem & Johannam filiam Philippi Valesii, quam Biterris mortuam supra diximus, cujus ossa postmodum relata sunt in ecclesiam S. Dionysii in Francia cura ducis Andegavensis Occitaniæ proregis. Dicendum itaque vel tumulo quem destinaverat mandatum non fuisse Sicardum, vel ejus corpus postea ad monasterium Veteris muri fuisse transportatum.

Anecd. t. 4. col. 662. — 1377. — *Hist. geneal. Franciæ pag. 364. Prob. domus Turenniæ pag. 142.* — 1380. — 1381. — 1383.

LVI. Guido.

DE MALSEC.

Guido episcopus Biterrensis innotescit ex libro obligationum prælatorum, in quo cameræ apostolicæ promisisse legitur 17. Augusti 1383. Procul dubio est Guido de Malesicco episcopus successive Leutevensis, Pictaviensis & Agathensis. Vide Pictavienses tom. 2. col. 1192.

LVII. Simon.

ANNI CHRISTI DE CRAMAUD.

Sub his temporibus ecclesiæ Biterrensis administrandæ cura commissa est Simoni de Cramaud, quem episcopum Biterrensem a Benedicto XIII. pseudopontifice creatum tradunt fratres Sammarthani, non tamen anno 1404. ut volunt, sed forte anno ipso 1383. quo ex collectaneis D. de Gagneres in bibliotheca regia asservatis Simon episcopus Biterrensis & consiliarius regis pecuniam accepisse profitetur 9. Martii ejusdem anni, & 2. ejusdem mensis anni 1384. ut in Occitaniam proficisceretur. Hujusce modi summorum pontificum usurpationibus initio quidem refragabatur clerus, qui jus electionum sibi vindicabat, unde vel toto tempore quo primi illi sedebant episcopi, omnibus in documentis tum datis chartæ sede vacante inscribebantur, vel paulo post electis a capitulo cedere cogebantur, quod utrumque Simoni obtigit. De eo jam in episcopis Pictaviensibus & Aginnensibus disseruimus, pluraque deinceps enarrabimus, ubi sese dederit occasio.

1384. — *Tom. 2. col. 1195. & 926.*

LVIII. Bartholomæus.

DE MONT-CALVE.

Post emissam solemnem in monasterio sancti Antonii Viennensis professionem Bartholomæus de Monte calvo factus primo præceptor Laudensis, tum cellerarius monasterii Viennensis, præceptorque Ranversii, quo tempore vir eximia sanctitate, miraque in pauperes caritate conspicuus, fundavit in suo monasterio eleemosynarium & subeleemosynarium qui peregrinos exciperent. Demum suis exigentibus meritis ad episcopale fastigium evectus, Biterrensem cathedram occupabat an. 1384. juxta Sammarthanos. Pontifex allectus, post inaugurationem cum distulisset visitare limina apostolorum, litteras excommunicationis ad eum detulit archiepiscopus Tolosanus papæ camerarius. Solvit itaque 21. Febr. 1385. ut constat ex libro *quittanciarum* Clementis VII. Anno insequenti promisit pro Sicardo decessore, ex libro obligationum. An. 1389. 20. Maii de sexaginta florenis auri apocham recipit a Guillelmo cardinali tituli sancti Stephani in Cœlio monte & camerario sacri cardinalium collegii in deductionem de summis quas ratione communis servitii debebat episcopus, ex tab. ep. Biterr. De mandato Narbonensis archiepiscopi procuratores episcoporum provinciæ synodum celebrarunt apud S. Tyberium in diœcesi Agathensi 26. Julii ejusdem anni, cui episcopi Biterrensis nomine adfuit dominus PetrusCiscreboni sacrista sancti Nazarii. In hoc conventu inter alia notatu digna statutum fuit de modo quo rex Narbonensem provinciam ingrediens in civitatibus recipiendus esset, & domino Biterrensi episcopo de millibus 135. franci assignati sunt ad prosequenda ecclesiastica provinciæ negotia apud regem vel consilium regium. Johannes Froissartus in annalibus refert Carolum VI. regem Biterras adventantem 22. Nov. 1389. a Bartholomæo & clero exceptum extra urbem, quem S. Nazarii basilicam ingredientem comitabatur episcopus a

Comp. hist. Anton. fol. 86. — 1385. — 1386. — 1389. — *Anecd. t. 4. col. 351.*

ANNI CHRISTI 1391.

dextris, duce Borbonio a sinistris adstante. Anno 1391. mense Januario ordinavit Bartholomæus divisionem collationum, quas habent canonici unusquisque separatim tam intra quam extra ecclesiam Biterrensem, & 29. Febr. ipse & capitulum statuta condunt circa divisionem beneficiorum, quorum tum ad episcopum tum ad capitulum collatio pertinebat. Querelam habuit cum canonicis sancti Afrodisii super œconomia temporali hujus cœnobii, qua deportata ad arbitrium Jacobi Bruni & Raimundi Fulquerii baccalaureorum, statuerunt judices 26. Aprilis ejusdem anni juxta bullam Lucii III. episcopum claves abbatiæ præ manibus habiturum, temporaliaque administraturum, quoad novus abbas fuisset renunciatus. Denique eodem anno 9. Sept. Franciscus Tolosanus archiepiscopus declarat Bartholomæum Biterrensem episcopum sedem apostolicam visitasse per Martinum de Plossaco domicellum vicarium suum generalem, nec ratione dictæ visitationis quidquam obtulisse cameræ apostolicæ: ubi & annotatur episcopum teneri ad visitandam quotannis sanctam sedem, quandiu curia citra montes resideret. Solvisse postea legitur 22. Dec. 1391. & 28. Mart. 1392. in registro servitiorum prælatorum. Attamen adhuc die 1. Aprilis anno 1393. nisi forte sit error, a Guillelmo cardinali S. Stephani in Cœlio monte prorogationem obtinet ad solvendos 40. auri florenos, quos cardinalium collegio debebat ratione communis servitii, ex tabul. episc. Biterr. Transegit cum capitulo S. Petri Monspeliensis anno 1397. ratione cujusdam feudi communis in territorio Biterrensi. Insequenti an. 18. Julii Carthusiæ Castrensi univit ecclesias S. Johannis de Gressano & S. Vincentii salvo jure episcopi & ecclesiæ cathedralis. Pepigit anno 1401. cum canonicis Narbonensibus S. Pauli. De anno mortis Bartholomæi mirifice congruunt rerum Occitanarum scriptores, de die solum discrepant. Ad 8. Junii anni 1402. illam assignant post Andoquium Sammarthani, Catellus vero ad 22. ejusdem mensis, nixus auctoritate cujusdam codicis ex archivis in suis commentariis citati, ubi habetur: *anno Domini MCCCCII. die XXII. Junii obiit reverendus in Christo pater Bartholomæus de Calo olivi Biterrensis episcopus.* In necrologio Carthusianorum Castrensium inter benefactores inseritur 18. Januarii. Defunctus Bartholomæus sepelitur in basilica Antoniana diœcesis Viennensis, ubi sepulturam elegerat, utpote quam innumeris antea auxerat beneficiis. Multa etiam contulisse Carthusiæ Castrensi fidem facit necrologus liber hujus monasterii. Per auctorem historiæ Antonianæ non stat, quominus pro sancto reputetur Bartholomæus, quippe *qui ob insignes virtutes, vitæque sanctimoniam, quam in humanis gessisse comprobatur, in beatorum numerum referendus a plerisque existimatur.*

[Margin: 1392. 1393. 1397. 1398. 1401. 1402. Pag. 964. Comp. hist. Anton. pag. 86.]

[Margin: Catell. ibid. 1403.]

Mortuo Bartholomæo vacavit sedes episcopalis: etenim ut annotatur in chartulario, *Anno Domini MCCCCIII. die 2. mensis Junii, quæ fuit vigilia Pentecostes, sede Biterrensi vacante, fuerunt per reverendum in Christo patrem & dominum Mitylenensem archiepiscopum, & pro tunc in spiritualibus pontificalium vicarium generalem reverendi in Christo patris & domini sanctæ sedis Narbonensis archiepiscopi, & sanctæ sedis apostolicæ camerarii consecrata altaria infra scripta, videlicet altare majus SS. Nazarii & Celsi, sanctæ Crucis, S. Stephani, & S. Eligii ecclesiæ Biterrensis.*

Non me latet in instrumento, quod ex chartis D. d'Herouval inseritur inter probationes historiæ cardinalium Gallorum Quercetani pag. 545. & in tom. 9. Spicileg. pag. 286. fratrem Angelum de Baro Dei & apostolicæ sedis gratia Biterrensem episcopum nominari, ut exsecutorem extremæ voluntatis Johannis de Luxemburgo & Margaritæ de Angia uxoris ejus pro ædificanda in honorem beati Petri de Luxemburgo cardinalis Johannis germani Avenione 1387. defuncti quadam capella. Sed error librariorum est manifestus: nullibi enim hujusce nominis Biterrensis episcopus in antiquis monumentis occurrit. 2.° qui fieri potest ut quo tempore legitime Biterris sedebat Bartholomæus, eodem alius a summo pontifice nominatus fuerit episcopus? 3.° Sed quod nullum dubitationi locum relinquit, instrumentum datum est in castro Aquæ vivæ regni Neapolitani in provincia Bariana, ubi situs est episcopatus Bitectensis, quem anno circiter 1400. tenebat frater Angelus de Bario ordinis Prædicatorum, defunctus an. 1407. Mirum igitur videri non debet, si propter summam vocabulorum affinitatem pro Bitectensi lectus fuerit Biterrensis episcopus. Consule Ughellum Italiæ sacræ tom. 7. novissimæ editionis.

LIX. Bertrandus II.

[Margin: DE MAUMONT.]

Nobilis Lemovix Bertrandus, Hugonis de sancto Martiale cardinalis ex sorore nepos, post occupatas successive sedes Mirapicensem & Vaurensem traducitur ad Biterrensem anno 1408. Promotus per Benedictum XIII. ægre admodum primo conspectu & vi cogente a canonicis recipitur in ecclesia cathedrali 24. Aprilis anni præfati. Postmodum die scilicet 20. Octobris in concilio totius ecclesiæ Gallicanæ declaratur fautor, ac defensor Petri de Luna dicti Benedicti XIII. schismatici & hæretici. Nihilominus tamen cum Benedictus coëgisset in urbe Perpiniani concilium, illi interfuit Bertrandus eodem anno mense Novembri, contra voluntatem regis Caroli: at cum agnitis Benedicti dolis e concilio discessisset, omnes illius reditus episcopales & toparchiæ, quæ fuerant sub regia manu depositæ, a Petro Montigni contra fautores Petri de Luna a rege delegato auctoritate Johannis filii regis Franciæ ducis Biturigum Occitaniæ proregis, cui accepta fuerat Bertrandi ratio, ei fuere restitutæ 4. Januarii an. 1408. seu ut rectius loquar an. 1409. Habita est 25. Aprilis ejusdem anni post Pascha Biterris synodus, in qua *miseratione divina Biterrensis episcopus Bartholomæus* in eos invehitur, qui ecclesiæ & episcopi libertatem violabant, ejus jurisdictionem occupabant, & usurpabant, eosque omnes, & eorum adjutores, cujuscumque dignitatis fuerint, excommunicat:

[Margin: 1408. Spicil. t. 6. pag. 161. 1409.]

ANNI CHRISTI

synodum habes tom. 4. Anecdot. col. 665. sed A nullus dubito quin oscitantia librariorum error obrepserit, qui nominum similitudine decepti, loco Bertrandi Bartholomæum scripserunt: nullibi enim hujusce Bartholomæi vestigium apparet, nec verisimile est canonicos, licet inviti Bertrandum recepissent, ipso in suam dignitatem & possessiones restituto, alium elegisse. Præterea querela est episcopi, cujus usurpabatur jurisdictio, qualis tunc temporis erat Bertrandus. Adstitit una cum P. Vaurensi episcopo 9. Junii 1409. D. Petro Vasatensi præsuli Francisci Narbonensis archiepiscopi vicario generali, qui munus consecrationis impendebat in ecclesia ca- B thedrali Narbonensi vice prædicti archiepiscopi Gaufrido de Pompadorio ecclesiæ sancti Pontii Tomeriarum electo, in præsentia D. Gilberti de Veyraco abbatis S. Pauli Narbonensis. Exstat in scriniis episcopalibus Bertrandi mandatum dioecesanis suis inscriptum 10. Junii ejusdem anni pro celebrando die festo in honorem B. Annæ. Misit & anno 1409. procuratorem ad concilium Pisanum exstinguendi schismatis ergo, ut patet ex ejusdem actis tom. 6. Spicil. pag. 363. In chartophylaciis episcopatus asservatur, inquit Andoquus, Caroli VI. epistola ad Bertrandum nostrum directa an. 1412. ut excommunicaret C Clignetum de Brebantio thalassiarcham, cui rex Burgundiæ ideo erat infensissimus, quod ei adhærere noluisset. Johannes XXIII. summus pontifex suppressit capellam ruralem sive vicariam præcentoris seu de Campanholo prope civitatem Biterrensem, ejusque fructus, reditus & proventus in perpetuum univit præcentoriæ ecclesiæ Biterrensis bulla data Bononiæ XII. calend. Septemb. pontificatus anno IV. Consentientibus Bertrando episcopo & Oliverio Ariau ultimo archidiacono majore suppressus fuit an. 1419. iste archidiaconatus ecclesiæ cathedralis, mediante pensione 300. librarum annuatim persolvenda- D rum. Ex hac suppressione unitæ fuere capitulo ecclesiæ de Venere & de Boviano. Rei divinæ studiosissimus erat Bertrandus, ideoque ad divini cultus augmentum, & propter infrequentiam canonicorum divinis officiis assistentium, quorum vix tres aut quatuor residebant, imo aliquando unus duntaxat aut duo, canonicatum & præbendam, quam Johannes XXIII. mensæ capituli univerat, de novo creavit, ac Ferrerio Galberti præposito Avenionensis S. Desiderii collegiatæ ecclesiæ contulit. Nec illud omittendum Bertrando præsule tanta mala perpessam fuisse civitatem Biterrim propter ejus obsidio- E nem a principe delphino Caroli VI. nato, ut expugnata 17. Augusti anno 1421. pene deleta fuerit: at de consensu regis fuit conservata, ea lege, ut solveret 70000. libras ad reficiendas ecclesias a victoribus destructas. Denique eodem anno 1421. exeunte, sive ut nunc loquimur, ineunte an. 1422. Bertrandus transiit ad ecclesiam Tutelensem permutatione facta cum Hugone successore. Cetera vide in episcopis Tutelensibus tom. 2. col. 671.

Pag. 126. 1412. 1419. *Andoq. pag. 127.* 1421. 1422.

LX. Hugo II.

ANNI CHRISTI DE COMBAREL.

Nobilis quoque Lemovix Hugo Johannis de Combarel equitis, domini de Noailles, in curia Juvaminum senatoris natus, post Tutelensem ecclesiam, Biterrensem regendam susceperat jam 2. id. Januarii an. 1421. hodierno more 1422. ut patet ex registro Martini V. qui & bulla die 12. ejusdem mensis ad archiepiscopum Narbonensem data commendavit Hugonem Biterrensem episcopum permutatione cum Bertrando facta. Permisit Judæis anno 1423. qui adhuc Biterris supererant, habere synagogam & cœmeterium sub annua pensitatione grossi argenti qualibet festivitate Paschali persolvenda ab uno quoque Judæo. Eremitæ S. Augustini quorum cœnobium in suburbio dirutum an. 1355. vidimus, alterius in civitate fundandi facultatem obtinent a Martino V. summo pontifice bulla data XV. calend. Sept. pontificatus anno VI. quam habes inter instrumenta. Hugoni 6. Dec. ejusdem anni demandata est descriptio vectigalium regi concessorum a tribus comitiorum Pictaviensium ordinibus, ex chartis D. de Gagneres. Anno 1424. Hugonem translatum fuisse ad episcopatum Pictaviensem per Martinum V. pontificem discimus, tum ex bulla ejusdem pontificis XVI. cal. Martii, tum ex litteris Francisci abbatis Jurensis seu S. Claudii datis 18. Aprilis 1424. quibus abbas de mandato summi pontificis dat facultatem interpellandi Hugonem episcopum Pictaviensem, antea Biterrensem, pro solvenda pensione annua mille librarum, quam Ludovicus cardinalis de Bar episcopus Portuensis cum licentia papæ sibi retinuerat super alterutro illorum episcopatuum, ex tab. Loth. Vide quæ jam de eo diximus in episcopis Tutelensibus & Pictaviensibus tom. 2. col. 671. & 1198.

Baluz. catalog. dipl. pag. 28. 1423. *Ch. XLI. col. 165.* 1424.

LXI. Guillelmus VIII.

DE MONTJOIE.

Guillelmus filius Ludovici de Montegaudio, qui anno 1389. erat prorex in regno Neapolitano, seu magnus *justiciarius* pro rege Ludovico, a Virdunensi ad Biterrensem ecclesiam transfertur a Martino V. pontifice maximo, ut constat ex bulla data XVI. cal. Martii pontificatus anno VII. in qua summus pontifex archiepiscopo Narbonensi commendat Guillelmum ad Biterrensem cathedram translatum. Nominatus episcopus fidei sacramentum præstitit regi in capella castri d'Espailli prope Anicium. In jucundo ingressu urbem Biterrensem depopulatione Anglorum ferme vastatam, impetratis a Carolo VI. multis privilegiis pristino decori restituit. Habuit querelam adversus Franciscum archiepiscopum Narbonensem & camerarium papæ, pro qua finienda compromissum faciunt, quod archiepiscopus ratum habuit 12. Augusti 1426. ex tabul. episc. Biterr. In synodo 17. Aprilis ejusdem anni jam prohibuerat, ne quis ante missam parochialem diebus dominicis venaretur, temperamento constitutioni Hugonis decessoris sui adhibito, quo sub pœna excommunicationis totis diebus dominicis & festis venationi interdixerat. Fratribus

Baluz. ibid. 1426. *Anecd. t. 4. col. 666.*

ANNI CHRISTI

Carmelitis urbis Biterrensis domos quasdam cessisse memoratur in archivis, quas rex Carolus VII. jure morticinii possidendas permittit 2. Augusti 1427. De eo plura habent chartularia episcopatus, cum Johannes Fuxi comes in Septimania præfectus basilicam ipsumque antistitis palatium invasit, & copiis militaribus munivit: etenim a Carolo rege litteras ad comitem impetravit, quibus milites revocare jubebatur 18. Novemb. 1428. & a Martino V. bullam datam IV. cal. Decemb. pontificatus anno XII. ad Guillelmum Laudunensem episcopum, cujus consiliis utebatur comes, ut eum ad meliorem frugem reduceret: quin & leguntur adhuc singulæ ejus responsiones singulis articulis, quibus nixus Johannes comes de Fuxo ab episcopo exigebat sacramentum, antequam evacuaret præsidium, quod in palatio episcopali & in ecclesia cathedrali statuerat, datæ fuerunt 29. Sept. 1429. ex tabul. episc. Biterr. Hominium receperat Gerardi de la Bricogne abbatis sancti Afrodisii 18. Aprilis ejusdem anni. Insequenti 29. Maii una cum Gaufrido Carcassonensi, Petro Leutevensi, Bertrando Uceticensi, Johanne Agathensi episcopis & vicariis generalibus antistitum Magalonensis, Nemausensis, Helenensis, Electensis & S. Pontii Tomeriarum Guillelmus Biterrensis præsul interfuit concilio Narbonensi in capella beatæ Magdalenæ palatii archiepiscopalis, loco Francisci metropolitani sedente & præsidente Petro episcopo Castrensi. In hoc concilio prædicti tam episcopi quam procuratores schedulam archiepiscopo & præsidenti obtulerunt certas quasdam querelas continentem, ex quibus colligitur plurimos tunc temporis in provincia Narbonensi abusus introductos fuisse, totam fere suffraganeorum jurisdictionem ab archiepiscopi ministris usurpatam, indeque lites inextricabiles & interminatas exortas, pro quibus omnibus archiepiscopum rogant, ut perturbata omnia reformet, quod si recusaverit aut distulerit, appellaturos se denunciant summum pontificem, ejus sanctam sedem apostolicam, & concilium generale proxime celebrandum. Guillelmus noster prior sententiam dixit, cui suffragati sunt ceteri; sed ante absolutum concilium e civitate Narbonensi ad Biterrensem redire coactus fuit propter comitia trium ordinum inibi per comitem Fuxi tenenda. Reversus vero cum audisset Franciscum Lombesii suum procuratorem imprudenter dixisse officialem Biterrensem regi superiorem esse, hunc constanter abnuit, regem confessus patriarchis, archiepiscopis, &c. præcellere, quibus, declaratis dicto Lombesii dolere se, istaque verba imprudenti elapsa dixit 6. Sept. 1430. Litteris 15. Oct. 1431. datis abbates S. Afrodisii, Villæ magnæ, S. Jacobi, & Juncellensem, itemque capitulum ecclesiæ Biterrensis invitat, ut ad concilium generale Basileæ conveniant. Ad Guillelmi preces Petrus de Gaudiaco abbas Caunensis & officialis Narbonensis publicat an. 1432. bullam Innocentii papæ IV. regis S. Ludovici continentem litteras, quibus ecclesiæ Narbonensi conceduntur privilegia ecclesiæ Gallicanæ, ex tab. ep. Biterr. Admisit an. 1433. clientelam Andreæ

Marginalia (left): 1427. — Anecd. t. 1. col. 1777. ibid. col. 1779. — 1428. — 1429. — 1430. — Anecd. t. 4. col. 351. — 1431. — 1432. — 1433.

A abbatis S. Jacobi Biterrarum apud castrum de Lignano. Eugenius summus pontifex dat illi facultatem reconciliandi ecclesias, cœmeteria, aliaque Biterrensis diœcesis ecclesiastica loca, quæ sanguinis & seminis effusione polluta fuerant, bulla data pridie cal. Oct. pontificatus anno V. Subscripsit epistolæ episcoporum Narbonensis provinciæ ad concilium Basileense die 26. Nov. an. 1435. vel circiter datæ in gratiam G. Appamiensis ad Tomeriensem a summo pontifice translati. Jacobus Borbonius Hungariæ, Jerusalem & Siciliæ rex, comes marchiæ, &c. Guillelmum episcopum testamenti conditi die 24. Januarii an. 1435. instituit exsecutorem cum Petro episcopo Sampapulensi, ex tab. d'Albret. An. 1437. circiter festum Paschatis Monspelium petiit, ubi rex Carolus VII. tunc degebat, qui episcopi rogatu consulatum Biterrensem urbi restituit, quo fuerat privata per annos quindecim. Synodum habuit 17. Octob. insequentis quam reperies t. 4. Anecd. c. 666. Omnium quæcumque ad observationem statutorum concilii Basileensis in sua diœcesi an. 1438. navavit, testes sunt episcopales tabulæ, in quibus legitur 19. Aprilis mandatum publicum prorogasse, quo ad mentem hujusce concilii capitula S. Nazarii & S. Afrodisii ad reformanda statuta suarum ecclesiarum appellabat. Celeberrimo cœtui Bituricensi Caroli VII. jussu coacto an. 1438. ubi condita est pragmatica sanctio; Guillelmum interfuisse inde colligimus, quod Johannes abbas S. Tiberii eum instituerit procuratorem, ut suo nomine consentiret omnibus, quæ facto opus fuerint. Ad hunc itidem annum refert Spondanus tractatum Guillelmi de Montjoie, quem a rege consultus in quatuor *avisamenta* distinxerat. 1. ut rex ab unitate ecclesiæ nullatenus abripi se fineret. 2. ut processus factos per paucos segreges contra P. P. Eugenium nullo modo remitteret. 3. ut diligenter curaret schisma hoc exstingui. 4. ne permitteret ulterius in suo regno audiri concilium Basileense, sed in omnibus adhæreretur S. Romanæ ecclesiæ & apostolicæ sedi: tractatus est in bibliotheca collegii Navarrici Parisiensis. Regi & delphino Viennensi erat a consiliis jam ab an. 1439. ut constat ex chartis authenticis domini de Gagneres, in quibus de eo mentio fit 22. Octob. & 20. Decemb. ejusdem anni. Insequenti tanquam unus e generalibus consiliariis rei tributariæ in Occitania & Aquitania in sumtus & honorarium 100. libr. Turonenses 20. Dec. recipit. Condendi testamenti facultatem ei impertit Eugenius IV. summus pontifex bulla data idibus Sept. 1441. Hoc ipso anno 3. cal. Januarii idem papa ecclesiam SS. Saturnini & Martini de Campagnano & capellam S. Johannis de Grassano mensæ episcopali Biterrensi ad preces Guillelmi de Montjoie univit pontificatus anno XI. Excipit anno 1442. in palatio episcopali Mariam Andegavensem reginam Caroli VII. conjugem. Synodum eodem anno Biterris celebravit. Sacristiam contiguam choro S. Nazarii exstruxit an. 1443. quo & Occitaniæ comitiis rei tributariæ præfectus interfuit. Dissimulare non possum plurimas anno sequenti ad

Marginalia (right): ANNI CHRISTI — 1435. — 1437. — 1438. — Spondanus pag. 855. — 1439. — 1440. — 1441. — 1442. — 1443.

ANNI CHRISTI

Biterrensem ecclesiam in libro tertio provisionum Eugenii quarti reperiri translationes, quæ locum habere non potuerunt: inibi enim Johannes de Montegaudio episcopus Biterrensis translatus dicitur ad Ebredunensem, Johannisque in locum de Castrensi ad Biterrensem transiisse Gerardus XII. cal. Maii 1444. & Guillelmus tituli S. Martini in montibus presbyter cardinalis, Andegavensis dictus, in commendam accepit ecclesiam Biterrensem, quæ vacabat per translationem Guillelmi ad Ebredunensem VI. id. Julii 1444. Sed hæc difficultatem facessere nequeunt. 1.° De nomine episcopi translati non constat, qui modo Johannes, modo Guillelmus vocatur. 2.° Johannis de Montegaudio episcopi Biterrensis nullibi occurrit vestigium. 3.° Gerardus Castrensem ecclesiam ad annum 1448. tenuit, ut elicitur ex instrumentis Castrensibus. 4.° Concesso quod Guillelmus ad Ebredunensem metropolim fuerit translatus, certo certius est non acquievisse, nam ex ejus, quod modo subjiciemus, epitaphio probatum manet per annos 27. ecclesiam Biterrensem rexisse ab anno 1424. ad 1451. Denique quod nullum dubitationi locum relinquit, in eodem registro Ludovicus de Harcuria fit episcopus Biterrensis per obitum Guillelmi (de Montegaudio scilicet) ut mox videbimus anno ipsius mortis 1451. Sententia nostra confirmatur, ex eo quod ad Guillelmi nostri preces an. 1448. Nicolaus papa V. prioratum B. M. de Adelhano, & capellam S. Stephani huic annexam univit mensæ episcopali Biterrensi V. cal. Junii pontificatus anno 2. Magni nominis hic præsul in ecclesiam ac pauperes summa munificentia propensus multa bona cathedrali suæ contulit. Testamenti vero codicillis 3. Martii 1451. confecti, quæ asservantur in archivo Biterrensi, elegit sepulturam in cœmeterio pauperum majoris xenodochii Biterrensis, legavit pro capella sancti Nazarii perficienda partem castri de Lignano: altare majus ornavit aulæo duplici, gradibus & imaginibus argenteis deauratis: item libros suos donavit valoris 2000. librarum, & 4000. pro fundatione quatuor capellanorum: suppellectilem argenteam statuit impendi ad usus exsequiarum: demum capitulo & ecclesiæ suæ quædam alia largitus, uti & monialibus S. Spiritus, B. Afrodisii ecclesiæ, Dominicanis Avenionensibus, in quorum basilica sepultus jacet parens Ludovicus de Montegaudio, & Antonio de Hirspaco archidiacono Biterrensi, in reliquis hæredes nominat pauperes Jesu Christi. Tanta porro fecit & pro ecclesia sua passus est, merito vere sanctus episcopus, pater pauperum propter beneficentiam vocaretur. Ad meliorem vitam transiit die 3. Aprilis anno 1451. cadaver humatur in cœmeterio pauperum ecclesiæ S. Felicis, nulla inscriptione apposita, sed de eo vetus scheda sic habet.

1444. Tom. I. col. 73. 1448. 1451.

Anno Domini MCCCCLI. & die 3. Aprilis obiit recolendæ memoriæ Guillelmus de Montegaudio episcopus Biterrensis, qui dictæ ecclesiæ per XXVII. annos præfuit, ipsamque & totum clerum pacifice rexit, multa pro libertate ecclesiæ conservanda passus incommoda, plurima ecclesiæ Biterrensi bona largitus est. Inter quæ majus altare argenteum refici, cathedram episcopalem & organa reparari, sacristiam funditus ædificari, ac quatuor millia ducatorum pro fundatione instituta donari, sex vestimenta sacerdotalia, duos calices pulcherrimos deauratos, unam crucem auream, totas suas tapisserias pro ornatu ecclesiæ & alia infinita dona, voluitque sepeliri in cimiterio pauperum S. Felicis, in quo capitulum ad memoriam tanti ac venerandi episcopi curavit extrui monumentum quadratum.

Guillelmo Guillelmum alterum cognomine d'Estouteville substituunt Sammarthani, qui omnes ad unum quotquot de eo scripsere, Aubereo excepto, secuti sunt scriptores. Filius Johannis d'Estouteville equitis torquati & Margaritæ Harcurianæ, fit primum episcopus Andegavensis, tum Diniensis, quo tempore rubro donatur galero ab Eugenio IV. XV. cal. Januarii an. 1439. translatus postea a Nemausensi ad Biterrensem ecclesiam, si fides habenda registro provisionum Eugenii IV. Hic ille namque est cardinalis Andegavensis de quo supra, quem a commenda Nemausensi ad Biterrensem transiisse jam legimus VI. id. Julii 1444. Sed cum aliunde certum sit nondum tunc temporis obiisse Guillelmum, ex eodemque registro Ludovicum successisse Guillelmo an. 1451. irrita fuisse videtur ejus translatio, cardinalique locum assignare nobis non licet. Vult Andoquus restituta per conventum Bituricensem anno 1438. capitulis eligendi libertate, Guillelmo defuncto subrogatum fuisse a canonicis sancti Nazarii cardinalem Guillelmum, sed quæ illud probent desunt argumenta. De eo jam in episcopis Diniensibus plura, multotiesque deinceps.

Hist. card. t. 2. pag. 224. Tom. 3. col. 1128.

LXII. LUDOVICUS.

DE HARCOURT.

Johannis de Harcuria Albamalæ comitis ex Margarita de Preullay vicecomitissa Drocensi non justa uxore filius Ludovicus, libellorum supplicum magister sub Carolo VII. in locum Guillelmi defuncti suffectus est III. id. Oct. 1451. ut indicat liber provisionum prælatorum sub Nicolao V. & legitur in chartis authenticis D. de Gagneres in regia bibliotheca asservatis. Per duos tantum menses sedit, ad metropolim Narbonensem translatus IV. id. Dec. ejusdem anni, ut discitur ex eodem registro. Vide archiepiscopos Narbonenses.

LXIII. PETRUS III.

BUREAU.

Petrus Parisiensis, quem ex illustri summorum virorum Johannis & Gaspardi Bureau familia oriundum conjicit Saussayus in annalibus ecclesiæ Aurelianensis pag. 602. ex archidiacono Remensi & sedis apostolicæ protonotario factus episcopus Aurelianensis, transiit ad Biterrensem, ut indicat liber provisionum prælatorum Vaticani, IV. id. Dec. an. 1451. De eo pauca nobis supersunt monumenta. Præsens fuit electioni Johannæ de Cluys in abbatissam monasterii S. Spiritus Biterrensis 12. Nov. 1453. Domum quamdam emit in urbe Biterrensi 28. Augusti 1455. Memoratur in tabulis Anianensibus 12. Aprilis 1456.

1453. 1455.

ANNI CHRISTI 1456.

1456. sed hocce aut sequenti anno obiisse necessum est, nam ut ex eodem tabulario discimus, Johannes de Sonha canonicus & succentor ecclesiæ Biterrensis, vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus episcopatus Biterrensis, sede episcopali vacante, Amalricum Roux perpetuum ecclesiæ S. Petri de Giniaco rectorem ad Geraldi abbatis Anianensis præsentationem instituit VIII. id. Aug. an. 1457. & Johannem de Manso ad perpetuam S. Martini de Carcaresio vicariam, rogante eodem abbate, sede Biterrensi vacante, promovit XVIII. ejusdem mensis. Sepultus jacet Petrus in capella beatæ Mariæ juxta majorem portam ecclesiæ, minime vero S. Stephani, ut vult Andoquus.

Haud forsitan quis temere hunc assignaret locum Radulpho Boverii electo Biterrensi, de quo nihil aliud nobis suppetit, nisi quod in veteri scheda e monasterio B. M. de Lira ad nos transmissa legitur: *Anno Domini MCCCCLXIX. die nona Julii obiit Bajocis R. pater magister Radulfus Boverii quondam ecclesiarum Biterrensis & Agathensis electus, cantorque & canonicus Lexoviensis, ac reverendi in Christo patris & D. D. Ludovici de Haricuria patriarchæ Jerosolymitani, & episcopi Bajocensis, commendatariique perpetui monasterii B. Mariæ de Lira ordinis S. Benedicti, Ebroicensis diœcesis vicarius generalis, qui per testamentum suum legavit prædicto monasterio totum opus integrum magistri Nicolai de Lira ad sensum litteralem supra totam bibliam, contentum in sex voluminibus, ac opus ejusdem integrum supra bibliam ad sensum mysticum in uno volumine, quæ quidem volumina hora capitulari religiosis ejusdem monasterii in capitulo existentibus & capitulum facientibus & tenentibus, præsidente in eo præfato R. in Christo patre, lecta prius & exposita ejusdem defuncti testamenti clausula super hujusmodi legato per eumdem R. dominum patriarcham & venerandum & circumspectum virum magistrum Radulphum Boissellí sacræ paginæ doctorem dicti defuncti exsecutores, prædictis religiosis tradita & consignata fuerunt, &c.* quo autem tempore electus fuerit Radulfus, & quare non confirmatus, prorsus ignoramus.

LXIV. JOHANNES I.

BUREAU.*

Defuncti forsan consanguineus Johannes, filius Johannis Bureau domini de Monglat, sub regibus Carolo VII. & Ludovico XI. sacri cubiculi præpositi, &c. & Germanæ Hesselin, a sanctioribus & ipse consiliis, dominus de Monglat & de Hezanville post obitum patris, major archidiaconus ecclesiæ Remensis erat, cum favore subnixus fraterno (sororem enim ipsius duxerat uxorem Nicolaus Balua dominus de Villa petrosa germanus Johannis cardinalis Andegavensis,) cathedram Biterrensem consequitur an. 1457. ut colligitur ex bulla Callixti papæ III. data IV. cal. Januarii pontificatus an. 2. qua ipsi summus pontifex dat facultatem possidendi in commendam omne genus beneficiorum cum episcopatu aliave qualibet dignitate: hanc facultatem postea confirmavit Callixti successor Pius II. bulla XII. calendas Maii 1459. pontificatus anno 1. ex tabul. episc. Biterr. Urbem non ingressus nisi anno 1460. juxta Sammarthanos, adfuit 1461. mense Julio exsequiis Caroli VII. Memoratur in registro Sixti IV. an. 1472. Adstitit comitiis Occitaniæ apud Biterras habitis mense Martio 1472. ideoque pecuniam accepit mense Augusto 1475. Multa peregit in gratiam suæ cathedralis tam in fundationibus, quam in unionibus ecclesiarum. Instituit quippe 1478. deprecationes *Inviolata* & *Salve regina* omnibus diebus Sabbati & festis B. Mariæ virginis decantandas a canonicis ante capellam S. Virginis, pro qua dotatione univit beneficia de Reddis, de Fodilione, S. Petri de Muris & de Coiano: item in favorem cathedralis assensum dedit unioni prioratuum S. Petri de Lainiaco, de Causio, & de Monte albo. Litigabat adversus Catharinam Navarræ reginam in senatu Tolosano anno 1487. ut nos docent chartæ ad hanc litem spectantes in tabulario Palensi asservatæ littera L. Transactionem fecit 21. Maii 1489. cum nobilibus Raimundo & Willelmo du Caylar germanis dominis de Spondeillan pro libertate pascuagii mutua in territoriis de Casiliaco & Lievrano, & toparchia Spondeliani. Ecclesiæ suæ sacrarium locupletavit aulæo serico, ubi expressa visuntur mysteria Domini nostri Jesu Christi. Parenti suæ adhuc superstiti omnia sua testamento legavit an. 1490. quo Lutetiæ diem clausit extremum in domo sua, sepultus in æde Cœlestinorum, ut apparet ex epitaphio quod prostat in eadem ecclesia sub lamina cuprea in introitu capellæ ducum Aurelianensium his verbis: *Hic jacet reverendus in Christo pater dominus Johannes Bureau, episcopus Biterrensis, domini nostri regis consiliarius, qui obiit Parisiis 2. die mensis Maii an. MCCCCXC. cujus anima requiescat in pace. Amen.*

1457. 1459. 1460. 1461. 1472. 1475. 1478. 1487. 1489. 1490.

LXV. PETRUS IV.

JAVAILHAC.

Per obitum Johannis episcopatu vacante, a canonicis in antistitem Petrus Javailhac canonicus & camerarius Biterrensis, vicariusque generalis supradicti Johannis electus dicitur in veteri decreto senatus Tolosani 5. Julii an. 1490. pronuntiato. At vero cum Antonius du Bois a rege postulatus fuisset, ac per Innocentium VIII. institutus, summus pontifex rescripto ad capitulum S. Nazarii 7. Januarii 1491. interdixit canonicis ne designarent antistitem, quoniam sede vacante via reservationis nominationem novi præsulis sibi arrogabat. Verum mandato pontificis maximi posthabito, non obstante etiam epistola per Carolum VIII. regem ad canonicos scripta, in scrutinio suo perstiterunt canonici, & Petrus remansit Biterrensis episcopus; quinimo & in registris cameræ computorum legitur die 8. Augusti 1498. hominium fecisse regi de multis feodis, quæ Moreti possidebat a rege moventibus. Attamen cum haberet competitorem, ob timorem regis episcopatui renunciavit, accepto ab Antonio du Bois canonicatu S. Capellæ Parisiensis, ad quem receptus 2. Febr. 1503. obiit an. 1510.

1491. 1498.

* Vide ejus genealogiam in historia Caroli VII. a Dionysio Godefrido pag. 866. & seq.

ANNI CHRISTI

sepultusque jacet in sancta Capella inferiori. Non abs re erit annotare Petrum ultimum fuisse a capitulo electorum.

LXVI. Antonius.

DU BOIS.

Antonius du Bois protonotarius apostolicus, & canonicus S. Capellæ Parisiensis, dictus Antonius de Fiennes, comes Calvimontis in Bassigneio, parentem habuit Johannem dominum du Bois des Querdes, sororem Barbaram du Bois Francisci primi comitis de Rupefulcaudi principis de Marsillac secundam uxorem, ex qua prognati marchiones de monte Andronis, & patruum Philippum de Crevecœur, dominum des Cordes, proregem Picardiæ, qui an. 1477. urbem Atrebatensem in manus regis Franciæ Ludovici XI. tradidit. Patrui hujus patrocinio Belvacensem cathedram conscendere tentavit Antonius annos natus 18. ex bulla Innocentii VIII. papæ. Biennio post annum agens vigesimum, fit administrator ecclesiæ Biterrensis per obitum Johannis x. calendas Junii 1490. ita nos docet registrum Innocentii VIII. imo & in alio ejusdem pontificis registro electus Biterrensis dicitur jam a die quinta mensis Maii. Possessionem nanciscitur 22. Sept. ejusdem anni hora vesperarum. Defuncto postea Johanne abbate S. Luciani Belvacensis ordinis S. Benedicti rector deputatur ab Innocentio bulla data VII. id. Julii, in qua Antonius vocatur adhuc electus Belvacensis, & administrator Biterrensis. Interim licet a rege postulatus, & per Innocentium VIII. institutus possessionem iniisset, ut diximus, non ideo tamen sedem occupavit, refragantibus canonicis, Petroque jam electo obstante; sed cum episcopatu cessisset Petrus anno 1503. ad ecclesiam Biterrensem promotus iterum fuit Antonius a Julio II. pontifice maximo 10. Maii 1504. Nova hæc & recens institutio non impediit, quominus canonici adhuc nonnulli postulaverint Guidonem de Castro novo de Bretenous, qui pulsus est an. 1506. auctoritate senatusconsulti. Necnon & Petrus Siffredi major archidiaconus cathedralis præsumsit etiam quod vi sui beneficii ad illum pertineret gerere se pro vicario generali, ut decanum & primam capituli dignitatem: episcopus contra asserebat habere se contrariam possessionem: tandem per sententiam viguerii Biterrensis, tum etiam per senatusconsultum præsul in sua possessione stabilitus fuit, exceptis juribus descriptis in quadam sententia viguerii Biterrensis an. 1509. in quibus archidiaconus fuit conservatus, jure scilicet visitandi ecclesias parochiales. Enumeravit omnia bona temporalia quæ possidebat ut episcopus an. 1515. coram regiis commissariis, præterquam decimas. Consensit unioni rectoriæ S. Martini de Valrano, quam dimisit an. 1518. Jacobus Picardi canonicus S. Nazarii. Fundavit in vigilia Annunciationis beatæ Mariæ virginis anno 1530. responsorium *Gaude Maria virgo*, erogatis 500. libris: quod quidem responsorium habetur in historia scripta per Raimundum Agiles canonicum Podiensem volumine inscripto *Gesta Dei per Francos*.

Hist. magn. Franc. t. 6. pag. 173.

Annal. Bellefor. ad hunc annum.

1504. 1506. 1509. 1515. 1518. 1530.

Non moror D. N. de Salvatis, qui in registro provisionum prælatorum sub Clemente VII. Biterrensis episcopus per obitum legitur 18. Dec. 1531. vel enim in registro error est, vel ex parte conferentis, qui Antonium defunctum falso existimabat. Quidquid id est, collatio locum non habuit: nam ex actis domus consularis an. 1533. Franciscum primum regem Biterris solemniter excepit Antonius ad portam pontis, & in cathedralem basilicam deduxit. Et hæc sunt quæ de Antonio nostro in archivis tam episcopalibus quam consularibus reperiuntur. Tandem post longum episcopatum Antonius ultimum diem clausit non an. 1534. ut apud Sammarthanos legitur, sed an. 1537. ut commemoratur in necrologio hoc modo: *XV. cal. Maii obiit reverendus in Christo pater dominus Antonius du Bois Biterrensis episcopus & abbas S. Luciani prope Belvacum anno MDXXXVII.* Ceterum cum capellam episcopalem nunquam persolvisset, ipso defuncto Anna de Pisseleu ducissa de Stampis illius hæres, quia Bernardus du Bois consanguineus dicti episcopi, partes Caroli de Borbonio comitis stabuli secutus, fuerat propterea rebellis regi, ipsa donavit ecclesiæ cathedrali peristromata, in quibus sunt fontes depicti, prophetæ & alia multa quibus totus chorus ornatur, sicuti notant archiva cathedralis. De Antonio nostro, ni fallor, intelligendus Johannes Lucius lib. de potestate ac jurisdictione ecclesiastica pag. 27.

1533. 1537.

LXVII. Johannes II.

DE LETTES.

Antonii dicti de Pratis, domini Montispesati apud Cadurcos, Franciæ marescalli frater Johannes, parentes habuit Antonium de Lettes dominum de Puischelicon in Occitania, & Blancam des Près sororem Johannis episcopi Montalbanensis, e quibus dynastis propagata est familia, quæ est eadem de Montpesat. Episcopatu Biterrensi vacante per obitum Antonii du Bois, primus post Bononiense pactum Biterrensis episcopus nominatur Johannes a rege Francisco primo. Electus legitur die 13. Julii 1537. in libro provisionum prælatorum Vaticani. Decanus fuerat antea collegiatæ de Montepesato post avunculum Johannem hujus ecclesiæ decanum & fundatorem. Visuntur Johannis statuta an. 1537. & 1540. quibus Biterris sedebat, inquit Andoquus, qui addit & an. 1534. & 1535. sed error est, cum nondum obiisset Antonius. Quasdam terras commutavit in territoriis de Vendris & S. Bausilii 12. Decemb. 1541. pro iis quas capitulum possidebat apud Gabianum. Præerat adhuc ex actis publicis an. 1543. quo una cum Petro de Boyer viguerio Biterrensi controversias, quæ canonicos inter & præbendarios sancti Nazarii inerant, arbitrio diremit. Attamen nunquam Biterrensem episcopum consecratum fuisse volunt nonnulli; sed hanc permutavit ecclesiam rege permittente an. 1543. cum abbatia Moissiacensi, quam tunc tenebat Johannes de Narbonne. Ecclesiam quoque Montalbanensem, simul cum Biterrensi rexisse videbimus in episcopis Montalbanensibus. Primus Loci-Dei abbas

1540. 1541. 1543.

ANNI CHRISTI

commendatarius an. 1557. creatus a rege christianissimo, plurimisque aliis beneficiis potitus est. Tandem cum episcopatu Montalbanensi consignato nepoti Jacobo des Près, & abbatia de Moissiaco cardinali Guisiæ dimissa, secessisset, ut privatam ruri vitam ageret, ejurata fide catholica, uxorem duxit, Genevamque se contulit.

DE NARBONNE. *Tom. 1. col. 170.*

LXVIII. JOHANNES III.

Ex nobilissima & illustri Septimaniæ stirpe, Guillelmo de Narbonne barone de Canesuspenso, Perinhano, Fittorio & Treilhis ex Blanca de Couzier de Cesseras matre genitus Johannes abbas Moissiaci & prior beatæ Mariæ Deauratæ, fratres habuit Antonium Neapoli cum domino de Lautreco 1528. mortuum & Bertrandum abbatem Gardæ Dei; patruum vero Guerinum de Narbonne dominum de Salelles, qui fuit gubernator castrorum Perpiniani & Castri-novi Neapolitani. Permutatione facta de abbatia Moissiaci cum Johanne de Lettes præcedenti, nominatur episcopus Biterrensis a Francisco primo, instituente Paulo III. summo pontifice 30. Martii 1543. ex registro provisionum. Adeptus possessionem ultima Augusti ejusdem anni, 2. Febr. 1544. urbem ingreditur assistentibus abbatibus Leutevensi & Villæ magnæ. Eodem anno excepit hominium Guillelmi de Brettes. Per duos tantum annos sedit. In episcopatu vero fuit tam munificus in egenos, ut cognominatus fuerit pater pauperum, quippe qui sua omnia pauperibus erogaverat. Diœcesanis propter has dotes supra modum mœrentibus interiit 17. Novemb. 1545. in castro de Lignano, sepultusque est in cathedrali juxta altare majus. De eo necrologium sic: *XVI. cal. Dec. obiit reverendus in Christo pater, & pater pauperum, dominus Johannes de Narbona episcopus Biterrensis in castro de Linhano anno Domini MDXLV. & die sequenti fuit inter vestibulum & altare præsentis ecclesiæ in pontificalibus honorabiliter sepultus.*

1544. 1545.

GOUFFIER.

LXIX. FRANCISCUS.

Franciscus filius Guillelmi Gouffier domini de Bonnivet, Franciæ thalassiarchæ, proregis Aquitaniæ & Delphinatus ex Ludovica herede de Crevecœur, des Querdes, de Thoys, &c. filia unica Francisci domini de Crevecœur & Johannæ de Rubempré, germanos habuit Franciscum Gouffier dominum Bonniveti, toparcham in Pictonibus, & Franciscum Picardiæ progubernatorem. Melitensi militiæ prius dederat nomen, cum sedis apostolicæ notarius ad episcopatum Biterrensem a Paulo III. nominante rege christianissimo, fuit promotus post mortem Johannis 15. Octob. 1546. ut constat ex registro provisionum prælatorum. Receptus per procuratorem 12. Febr. 1547. juxta Sammarthanos, vicarium generalem instituit Jacobum d'Arnoye abbatem S. Jacobi 14. ejusdem mensis. Eodem anno resignavit in manibus ejusdem Pauli summi pontificis in favorem Laurentii Strozzii. Anno sequenti mortuus est in Britannia majore, ubi legatione extraordinaria fungebatur.

1546. 1547.

ANNI CHRISTI *Pag. 143.*

Observat Andoquus in catalogo episcoporum Biterrensium post excessum Francisci Johannem Bertrand Franciæ procancellarium ad sedem Biterrensem regia schedula nominatum fuisse, sed qui ante expeditionem bullarum traductus fuerit ad archiepiscopatum Senonensem. Hæc repentina translatio non impedit, quominus Claudii Roberti exemplum secutus, Johannem episcoporum Biterrensium albo recenseat Andoquus, nos vero Sammarthanorum vestigiis inhærentes, eum ad archiepiscopos Senonenses remittemus.

STROZZI.

LXX. LAURENTIUS.

Nobilis Florentinus Laurentius, Philippi Strozzii & Clarissæ Mediceæ neptis Leonis X. summi pontificis natus, studiorum cursu Pisis & Paduæ confecto, Galliam petiit, ubi aliquandiu sub Petro fratre Franciæ marescallo strenue militavit. Sacris postea initiatus, abbas B. Mariæ de Stapharda in Pedemontio creatus est, sedis dein Biterrensis regimen adeptus per cessionem Francisci 5. Dec. 1547. ut legitur in libro provisionum prælatorum, non nisi 7. Junii 1550. consecratur, ut testatur originale diploma consecrationis, quo anno Laurentius præsens adstitit in curia Parisiensi, tum cum rex Henricus secundus præsentia sua 2. Julii senatum cohonestavit. An. 1551. instituit 2. Julii vicarium generalem in spiritualibus Petrum abbatem Villæ longæ. Excepit 4. Decemb. 1556. hominium Jacobi d'Arnoye abbatis S. Jacobi. Plurimis aliis ditatus est sacerdotiis a Catharina Medicæa regina, quam proxima cognatione attingebat, abbatiis S. Victoris Massiliensis, Bellibecci, Anianæ, &c. A Paulo IV. 1557. presbyter cardinalis tituli S. Sabinæ renunciatus, & 1561. paulo postquam hæresis Calviniana Biterris grassari cœperat, e Biterrensi ad Albiensem, moxque ad Aquensem ecclesiam translatus est, ut diximus t. 1. col. 38. & 332. Vitam exuit Avenione XIX. cal. Jun. 1571. ubi sepultus jacet in ecclesia S. Agricolæ. Vide de eo epigramma Stephani Forcatuli Biterrensis jurisconsulti pag. 63.

1550. 1551. 1556. 1557. 1561.

DE MEDICIS.

LXXI. JULIANUS.

Florentinus quoque Julianus, ex stirpe Medicæa Petri Francisci de Medicis, & Mariæ Soderinæ filius, a Catharina Medicæa regina in Galliam evocatus, post assumtum Laurentium in præsulem Albiensem, fit episcopus Biterrensis an. 1561. Eo præsule multa perpessa est ecclesia Biterrensis propter bella ab hæreticis excitata, qui anno 1562. 6. Maii urbem invasere. Basilica major S. Nazarii omni fere ornatu spoliata, tumuli episcoporum & Johannæ Franciæ dilacerati, & horrendum dictu, equis altaria pro alveis facta sunt, dirutum & in ecclesia S. Afrodisii sepulcrum S. Guiraudi, & ossa sancti præsulis effossa, mirum si in tanto animorum æstu ipsiusmet S. Afrodisii asservari potuissent reliquiæ! bona ecclesiæ item dilapidata & alienata, ut non possent episcopus, & canonici, ceterique beneficiati decimis ac aliis oneribus subvenire. Denique castrum de Lignano igne consumtum 17. Julii

1562.

ejusdem anni. Insequenti pax ecclesiæ restituitur precibus & indefessis vigiliis Juliani, qui apud Carolum cum regina matre Biterras ingressum 29. Dec. 1564. de Protestantibus querelas habuit, quibus consulturam se promisit Catharina. Obtinuit an. 1566. a rege facultatem Romam proficiscendi, sed litteris summi pontificis præpeditus, quibus illum adhortabatur, ut inter tot hæreticarum pravitatum procellas diligentius ovili suo invigilaret, Biterris remansit. Anno 1570. abbatia S. Victoris Massiliensis donatus, transfertur anno exeunte 1571. ad Aquensem ecclesiam, deinde & ad Albiensem an. 1574. sicut ejus decessor. Fatis concessit in abbatia sua anno 1588. ubi sepultus est.

ANNI CHRISTI 1564. 1566. 1570. 1571. Gall. Christ. tom. 1. col. 39. & 333.

Ex canonico S. Salvatoris Aquensis regia schedula Caroli IX. ad Biterrensem episcopatum vocatum Andream Estienne 25. Jan. 1572. colligit Andoquus ex duabus chartis Aquensibus ejusdem anni, in quibus Andreas Biterrensem se episcopum vocat. Vult itidem hunc episcopum obscuro loco natum, sed cujus nomen Robertus & Henricus Stephani amplissimum fecere. Vix tamen fuit Biterrensis episcopus, vocati enim 25. Jan. 1572. paulo post nominatio rescissa est 27. Aprilis 1573. quibus de causis ignoramus. Hunc jam ad preces capituli Aquensis nominatum a rege archiepiscopum 26. Martii 1567. at a summo pontifice repulsum diximus tom. 1. col. 332. Sedes vacavit per biennium, quo bona episcopatus administratoribus commissa sunt, vicariatum in spiritualibus gerente Juliano du Caylar archidiacono majore.

1572. Pag. 152. 1573.

LXXII. Thomas I.

DE BONZI.

Florentinus & Thomas, ex utroque stemmate claro de sanguine natales habuit, parentes quidem Robertum Bonzium sub Francisco primo militaribus copiis in Italia præfectum & Mariam Soderini Medicæis principibus, Strozziis, Fliscis primæque notæ familiis consanguinitate proximam, patruum vero Antonium Terracinensem episcopum, qui insignis doctor & orator percelebris pro republica Florentina legatus est ad Clementem VII. summum pontificem, ab eodemque in Galliam missus ad Franciscum regem pro matrimonio statuendo inter Henricum Aurelianensem ducem & Catharinam Medicæam pontificis maximi neptim. Thomas vero cardinalis Strozzii primum ac post eum Juliani Medicæi, quorum affinis erat, in Biterrensi episcopatu lectus vicarius generalis, cum in eo ecclesiastica sedulo munia obivisset, mox a rege, Catharina Medicæa item consobrina commendante, ad hanc sedem evehitur circa annum 1576. Paulo ante die scilicet 18. Nov. 1575. cæsis profligatisque a Damvillæo, qui sectariis adhæserat, Biterrensium copiis, ipsa civitas in prædam victoris cessisset, ni Bonzius consternatos cives erigens ad defensionem rursum excitasset: qua in re cum urbi & regi fidelem navasset operam, etiam providentia sua effecit, una cum Monlucio episcopo Valentinensi viro sui temporis disertissimo, ut Damvillæus ad regis obsequium rediret an. 1578. Inde cum Thomæ animus & prudentia magis ac magis inclaruissent, a rege ad Etruriæ ducem delegatur, ut sponsalium fœdus iniret inter ducem Alenconii fratrem & Eleonoram Medicæam Francisci ducis filiam, quod etsi statutum esset, nihilominus, ut varii sunt rerum humanarum casus, civilibus bellis Galliam infestantibus, res eventu caruit. Anno insequenti per Biterras iter faciens regina mater milites exturbavit, quos in palatio episcopi absentis collocaverat Damvillæus. Reversus autem Thomas præcipue curavit, ut regi fida permaneret Biterris etiam vitæ periculo inter belli procellas, quibus Septimania agitabatur; non ita tamen obniti potuit Damvillæi factionibus, qui a rege iterum defecerat, ut Navarræ principis vexilla sequeretur, quin Biterræ ab eo expugnarentur an. 1586. Interim præsul qua potis erat, diœcesi vacans, optimos quosque tum pietate tum doctrina in clerum adsciscebat, qui devios tum morum exemplis, tum rationum momentis in viam salutis reducerent. An. 1594. patres Capucinos Biterris admisit, & altare majus S. Nazarii de novo confectum consecravit, ut legere est in inscriptione, quam ad rei memoriam & tanti præsulis gloriam hic subjicimus.

1576. ANNI CHRISTI 1578. 1579. 1586. 1594.

Anno Domini MDXCIV. & die vigesima prima mensis Decembris in festo S. Thomæ hoc altare majus præsentis ecclesiæ cathedralis SS. Nazarii & Celsi fuit consecratum, antea de novo confectum propter ruinam hæreticorum Hugonotorum a reverendo patre D. Thoma Bonzio prædictæ ecclesiæ præsule & episcopo cum reliquiis in eodem positis SS. Johannis Baptistæ & Nazarii martyrum, in cujus altaris consecratione fuerunt concessæ a dicto reverendissimo domino omnibus Christi fidelibus adstantibus indulgentiæ 40. dierum.

Denique Johanni Bonzio ex fratre nepoti Biterrensem episcopatum consignavit an. 1596. & tandem plenus annis & meritis, octogenarium annum agens, vitam morte commutavit 1603. 22. Decembris. Publica epigraphe commendatus est, quam Thomæ, Johanni, Dominico & alteri Thomæ Bonziis in cathedrali marmore exarari curavit Clemens Bonzius in sacello S. Caroli Borromæi, quamvis Thomæ corpus in eo, quod sancto Stephano sacrum est, depositum fuisset: hujusmodi vero est epitaphium:

1596.

Deo Opt. Max.

Thomæ Bonsio senatori Florentino, Roberti Bonsii & Mariæ Soderinæ filio, paterna maternaque nobilitate conspicuo, Antonii Terracinensis episcopi pro Clemente papa VIII. ad Franciscum I. regem legatione functi nepoti, regis consiliario: qui cum Laurentii cardinalis Strozzii Biterrensis antistitis & cognati vices gerens, per complures annos diœcesim hanc optime administrasset, post Julianum Medices consobrinum de Biterrensi episcopatu, ad archiepiscopatum Aquensem anno 1574. translatum, præsul hujus urbis adscitus, calamitosis illis temporibus ob nascentem in Gallia hæresim, & intestina bella, pietate in Deum, fidelitate in regem, singulari in gregem pietate maxime enituit, vir

ANNI CHRISTI

constantiæ, dexteritatis & prudentiæ incomparabilis. Missus demum per Henricum regem III. legatus ad Franciscum magnum Etruriæ ducem, obiit octogenarius Biterris die 22. Decembris anno 1603. Jacet in æde S. Nazarii M. una cum equite Francisco nepote equestris turmæ ductore, in sacello divi Stephani.

Sed nec silentio prætermittere integrum nobis est Gabrielem de Rocoles Biterrensem, qui vixit hisce temporibus, non minus pietate & religionis studio, quam laboribus pro sua ecclesia exantlatis posteritati commendandus. Canonicus erat & succentor S. Nazarii, regi ab eleemosynis, juris canonici doctor, & rerum ecclesiasticarum notitia peritissimus. Fuit is Thomæ Bonzio percarus, ut qui sapienti consilio, studio & opera in obeundo pontificali munere ipsi non parum conferret adjumenti; dignus pastorali dignitate, ob id maxime, quod nec offerenti ad id commendationem Henrico Monmorencio connestabili, Occitaniæ proregi, tunc temporis flagrante bello civili, præpotenti attenderet, ut testati sunt plerique coætanei. Sex diœceseon syndicus factus & procurator, Biterrensis, Agathensis, Uceticensis, Nemausensis, Mimatensis & Carcassonensis, armis hæreticorum undequaque perstrepentibus, Henrici magni ejusque ministrorum ac procerum aures pro earum juribus absque molestia, assiduis precibus, nec sine laboribus ac ærumnis fatigavit. Captus per viam, gravissimis, sed gratissimis pro Christi nomine contumeliis afficitur; verum Monmorencius pro ejus libertate apud Carolum Lotharingum Meduanæ ducem intercessit. At mutata proregis in eum voluntate, ob negatam ab istis ecclesiis ad copias militares majorem pecuniæ quantitatem, illum solum postea insectatus est. Fere quinquagenarius obiit idibus Julii an. 1600. tumulatus in ecclesiæ cathedralis sacello Deiparæ Pulchræ dictæ. Hujus viri tam præclare de ecclesia & clero suo meriti elogium peculiare continetur in libro anniversariorum obitus seu depositionis canonicorum ecclesiæ Biterrensis.

DE BONZI.

LXXIII. JOHANNES IV.

Dominici de Bonzi senatoris Florentini, duci Hetruriæ ab arcanis primi ministri, ex Constantia Vettoria filius Johannes, Paduæ optimis litteris institutus, cum doctoris in utroque jure palmam meruisset, postea Romano in foro causis agendis ita excelluit, ut a Francisco duce Florentiæ arbiter eligeretur controversiæ, quæ ipsi cum Clemente VIII. intercesserat de finibus utriusque dominii dirimendis; qua re felicem ad exitum deducta, a duce senator, quamvis ætate minor, creatus est. Tanto munere summa laude fungebatur, cum ab Henrico IV. rege Biterrensis nominatur antistes anno 1596. patruo Thoma instante. Nullum non movit lapidem dux Ferdinandus, ut illum retineret: archiepiscopatum Florentinum illi obtulit, quem renuit Johannes. Romam ergo profectus & inauguratus, Lutetiam petiit, tanti beneficii grates

A Henrico acturus. Biterris dein possessionem adeptus est an. 1598. Interim cum audiisset S. Spiritus moniales ob abbatissæ Annæ Plantavitiæ infirmitatem vitæ laxiori indulgere, eoque res devenisse, ut tres tantum remanerent, quæ licentiori vita totam civitatem offendebant, Clemens VIII. Thomæ sive potius Johanni jam nominato Biterrensi episcopo facultatem impertit monasterium in gymnasium publicum commutandi, Societatis Jesu patribus, aut Theatinis tradendum bulla data 3. Augusti anno 1597. pontificatus VI. At cum obstitissent plures, id saltem evenit, ut moniales mutarent mores. Insequenti anno B toparchiam Castri novi ab episcopali dominio distractam a Silvano Pompeio 30. Sept. redemit Johannes. Societatis Jesu presbyteros admisit, ut pietati & litteris excitandis vacarent, quod ut fieret commodius, a civibus eis annuos proventus assignari curavit 16. Aprilis 1599. Ab Henrico Monmorencio dono acceptam Decembris 18. turrim, quam erexerat juxta palatium episcopale, dum vigerent Galliæ tumultus, hanc Johannes optima bibliotheca exornavit. S. Claræ moniales reformationi subjecit. Anno 1600. Ferdinandi ducis Florentiæ syngrapho facta est ei potestas, ut de Mariæ Medicææ cum Henrico C IV. nuptiis serio ageret; quod ubi perfectum est, a Maria regina electus est primus ejus eleemosynarius. Circa id tempus Francorum jure donatus est & facultate quæcumque beneficia possidendi 21. Februarii 1603. Biterris 16. Maii 1605. fidei sacramentum excepit a Petro Dalmatio S. Afrodisii abbate, præsente Fulcrando Barres, postea præsule Agathensi. Ejusdem mensis 25. Valiani toparchiam, quæ erat juris episcopalis, recuperavit ab Hieronymo Mercorantio, cui pretium rependit. Aula iterum repetita, a Perronio epistolam accepit 1606. qua ejus ambit apud reginam gratiam. Biterris Minimos D excepit, & etiam Recollectos, ut nuncupant, admisit in conventum Fratrum Minorum 9. Junii 1607. A capitulo Monspeliensi feudi portionem, quam in civitatem Biterrensem obtinebat, pretio lib. 3150. emtam die 16. Oct. episcopali ditioni adjunxit. In lucem editum tertium Henrici regis filium, qui postea Gasto dictus est, 25. Augusti 1608. aquis lustralibus tinxit Bonzius apud Fontembellaquam. Anno sequenti Fulcrandus Barres canonicus & sacrista ecclesiæ cathedralis Agathensis, Johannis episcopi Biterrensis vicarius generalis, & ad hoc procurator specialis ejus nomine interfuit, & subscripsit synodo provinciali Nar- E bonæ anno 1609. habitæ. Apud S. Dionysium adfuit an. 1610. cum regia Mariæ de Medicis imposita est corona, cum tunc adesset comitiis cleri Gallicani. A Paulo V. inter purpuratos renunciatur 17. Augusti 1611. quo anno factus est abbas Gellonensis. Munus unctionis episcopalis impertiit Parisiis apud Fulienses Ludovico Chateigner de la Rochepofay episcopo Pictaviensi 13. Maii 1612. & 30. Sept. rex Ludovicus XIII. de consensu reginæ matris regni moderatricis Johanni episcopo totique Biterrensi clero 20000. libras pro solvendo ære alieno

ANNI CHRISTI 1598. 1599. 1600. 1603. 1605. 1606. 1607. 1608. 1609. 1610. 1611. 1612.

Tab. episc. Biterr.

ANNI CHRISTI.

donavit ea lege, ut missa quotidie in ecclesia cathedrali, duæque in singulis collegiatis quotannis alta voce in gratiarum actionem decantarentur. Ortam jam a bulla Clementis VIII. de qua superius mentionem fecimus, inter Societatem Jesu & sancti Spiritus moniales contentionem diremit Bonzius 18. Augusti 1614. sub ea conditione, ut Jesuitis 600. libras Turonenses persolverent moniales. Eodem anno in curia senatus Parisiensis sedit, cum Ludovicus XIII. 1. Octob. inibi tutelæ suæ factum se esse declaravit. Mense eodem rogatus a clero, & Occitaniæ legatis adjunctus, comitiis regni generalibus interfuit. An. 1615. magni reginæ eleemosynarii munus Dominico nepoti transcripsit, quem & coadjutorem in episcopatus regimine admisit. Anno 1616. 13. Junii eumdem nominavit vicarium generalem tam in spiritualibus quam temporalibus episcopatus Biterrensis & abbatiarum Anianæ & S. Guillelmi de Desertis. Moniales S. Mariæ, quas e Burdegala in urbem appellaverat Johannes, eo absente & Romæ commorante a Fulcrando de Barres tunc temporis vicario generali 18. die mensis ejusdem excipiuntur in domum Ursulinarum, quæ institutum dictarum monialium amplexatæ, iisdem fuerunt cooptatæ, Biterrensisque fuit alter nascentis monialium S. Mariæ instituti conventus, instituente Johanna de Lestonnac. Junii ultima ejusdem anni, ut nobis post Andoquum videtur, pileum accepit purpureum a Paulo V. summo pontifice, & titulo S. Clementis cohonestatur 20. Julii, necnon ad sacras rituum & de propaganda fide congregationes admissus, tanta apud omnes existimatione valuit, ut nulla res momenti sine ejus sententia decerneretur; & cum præcipue utriusque juris perfectam haberet notitiam, multas graves quæstiones interim non modo diserte, sed erudita oratione explanavit, quæ a doctis ut publici juris fiant expetuntur. Interim altare majus SS. Nazarii & Celsi de novo dirutum, iterum consecratum fuit, ut videre est in hac quam ex tenebris eruimus inscriptione:

1614. 1615. 1616. 1618.

Anno Domini MDCXVIII. III. idus Decembris in festo S. Pauli episcopi Narbon. altare majus ecclesiæ cathedralis Biterrensis fuit consecratum in honorem SS. martyrum Nazarii & Celsi a RR. Vitali de Lestang Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopo Ephesino, coadjutore RR. domini episcopi Carcassonensis ad requisitionem vicarii generalis illustris & reverend. domini D. Johannis tituli S. Clementis cardinalis Bonzii nuncupati, episcopi Biterr. nunc Romæ commorantis, quod mense Octobri ejusdem anni dirutum & transpositum fuerat choro ecclesiæ capaciori reddendo, cathedrisque de novo confectis ordinandis ac cum symmetria disponendis, in eoque digiti S. Johannis Bapt. & brachii prædicti S. Nazarii repertæ reliquiæ magno cum honore & pompa inclusæ ac repositæ fuere. Singulis Christi fidelibus unum annum prædicto die consecrationis illud visitantibus, & in anniversario 40. dies de vera indulgentia in forma ecclesiæ solita concessit.

Tandem coadjutori præcoci fato erepto paucis superstes fuit patruus Johannes: cum enim Gregorii XV. electioni 9. Febr. adfuisset, 4. Julii an. 1621. Romæ e vivis sublatus est. Delatum corpus Florentiam apud Theatinos tumulatur cura Helenæ & Elizabethæ sororum, quarum illa Petro Ner Leonis XI. nepoti nupsit, hæc Johanni Caponi Florentino nobili, quæ virtutum maximarum laude inclyta, a Baptista Castaldo Florentino commendatur, edito ipsius vitæ libro. Johannis vero epitaphium sic proloquitur.

ANNI CHRISTI 1621.

D. O. M.

Johanni Bonzio Thomæ episcopi ex fratre nepoti; Dominici & Constantiæ Victoriæ fœminæ nobilissimæ filio, senatoria dignitate præclaro I. V. C. *celeberrimo, Francisco & Ferdinando magnis Etruriæ ducibus apprime caro, qui post sedatas inter Clementem papam VIII. & Ferdinandum ducem limitum controversias Biterras appulsus, episcopali infula ornatus, diœcesim suam optimis in visitatione sanctionibus imbuit & instruxit. Pias in urbem virorum ac mulierum domos admisit, quæque in hæresum, bellorumque civilium tenebris diu jacuerant, singulari ejus ope emerserunt. Mox ab Henrico magno rege IV. ob matrimonium cum Maria Medices ineundum in Italiam missus, magnus ejusdem Mariæ reginæ eleemosynarius mirum sibi amorem in regia curia conciliavit. Tandem rege petente a Paulo papa V. purpura illustratus, Romæ pluribus & arduis pro sede apostolica & regno Galliæ negotiis summa cum laude peractis, eximia candoris, prudentiæ, pietatis & integritatis exempla reliquit: obiit Romæ die 4. Julii anno 1621. jacet Florentiæ in æde S. Michaelis patrum clericorum regularium.*

LXXIV. DOMINICUS.

DE BONZY.

Petro Bonzio comite & Lucrecia de Manelli parentibus ortus Dominicus, Johannis cardinalis ex fratre nepos, adolescens senili judicio, tanta pollebat sollertia, ut nihil magnum inconsulto Dominico regina mater moliretur. Ejusdem major eleemosynarius beneficio patrui, coadjutor Biterrensis & episcopus Cæsareæ annuente rege allegitur non anno 1618. ut post Andoquum Sammarthani, sed anno 1615. bulla data pridie calendas Septembris. Inter antistites throno adstantes cooptatus quoque fuit a Paulo V. summo pontifice. Anno 1616. Paulus Sfondratus episcopus Albanensis, cardinalis tituli S. Ceciliæ & alii novem Dominico facultatem impertiunt XI. cal. Maii per quinque annos absolvendi hæreticos, schismaticos, & irregulares, ex tab. ep. Biterr. A cardinali Bonzio Biterrensis episcopatus necnon & abbatiarum Anianæ & S. Guillelmi de Desertis vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus nominatur litteris datis 13. Junii 1616. quas in suis commentariis inseruit majus consilium 15. Oct. 1619. Nondum Biterras accessisse Dominicum anno 1618. III. id. Decemb. inde non temere colligas, quod non ab ipso, sicut nec ad ipsius preces altare majus de novo consecratum fuerit iisdem anno & die. Cum autem accessisset, inibi magna eloquentiæ laude divini verbi præco

ANNI CHRISTI

e sacro suggestu inclaruit, ac paulo post immatura morte extinctus est Biterris 30. Apr. 1621. summo ordinum omnium mœrore, qui jam in eo prudentiam & in consiliis sagacitatem pro ætate maturas dolebant. Mortuus in sacello S. Stephani cathedralis terræ mandatur cum hoc epitaphio.

DEO OPT. MAX.

Dominico Bonzio Florentino; Petri senatoris filio, Johannis sanctæ Romanæ eccl. cardinalis ex fratre nepoti, episcopo Cæsareensi, patrui in episcopatu Biterrensi coadjutori dignissimo, inter antistites Paulo V. summo pontifici adstantes electo, christianissimo regi Ludovico XIII. a consiliis, Mariæ Medices reginæ primo eleemosynario, ovilis sibi crediti pastori vigilantissimo, immunitatis ecclesiasticæ invicto defensori: inexhausto divinæ justitiæ, & humanæ sapientiæ thesauro, quem sexto vix transacto lustro, non immatura minus, quam tot virtutibus invida mors, ordine naturæ turbato, ante patruum, summo omnium mœrore præripuit pridie cal. Maias anno Domini MDCXXI. jacet in ecclesia cathedrali in sacello D. Stephani.

LXXV. THOMAS II.

DE BONZY.

Dominici germanus Thomas, Valliani vicecomes, puer adhuc sexennis in Gallias deductus, curante Johanne litteris humanioribus imbutus, Ludovico XIII. regii conclavis ephebus natus annos 14. fatis functo patruo Biterrensis nominatur antistes decimo & nono ætatis an. 1621. simulque abbas Gellonensis. Paulo post episcopali palatio regem excepit 1622. ex Aquitania ad Montispessulani obsidionem properantem. Ubi primum sese pastorali onere gravatum sensit, mirum quomodo is qui aulæ illecebras inter enutritus, juvenis admodum tantæ dignitati præpositus fuerat, divina tamen numinis afflante gratia, totis viribus statim incubuit, ut munere episcopali dignum se præberet, imo cum imparem se huic existimaret, vitæ monasticæ sese totum dedere decreverat, ni ab Urbano VIII. prohibitus fuisset. Itaque orationi piisque & sanctis operibus vacans, studiis theologicis mentem applicans, omniumque virtutum forma gregis factus ex animo, pauperes eleemosynis resovens, quos domi sæpe excipiebat, ecclesias sacris ornamentis instruens, quas bellorum injuria dirutas restituebat, monasticam etiam disciplinam apud cœnobium S. Guillelmi de Desertis collapsam sua cura restauravit; omnes ad pietatem & sinceram vitæ sanctimoniam concionibus ferventibus ac vitæ exemplo hortabatur, S. Caroli Borromæi virtutes sibi imitandas proponens, ejus vestigiis quantum potuit insistebat, cujus honori sacellum ex marmore & jaspide apud Dominicanos excitari curavit. Sed heu! quæ est rerum humanarum sors, omnium mœrore adhuc juvenis raptus est Augusti 27. anno 1628. ne malitia mutaret intellectum ejus. Corpus apud Jesuitas in ecclesia veteri tumulo mandatur.

1622.

1628.

D. O. M.

Thomæ Bonzio juniori, domino Castrinovi, Valliani vicecomiti, Dominici episcopi germano fratri, sexenni inter christianissimi regis Ludovici XIII. lectissimosque Galliæ bissenos ephebos allecto, dein lustro, patruo & fratre vita functis, Biterrensi episcopio cælitus dato, pietate, doctrina, & amore in pauperes incomparabili prædito, catholicæ fidei propugnatori ardentissimo, cujus innocentia vitæ sic omnibus & ipsis quoque Calvinianis eluxit, ut plures ejus percussi radiis, ex errorum tenebris ad veræ se religionis iter evocatos proprio testimonio comprobarint. Nec minus Thomæ studium fuit, ut in D. Guillelmi de Desertis cœnobio, cujus commenda fruebatur, monasticæ vitæ disciplina revivisceret: ejus demum animi dotes, munificentia præcipue ac liberalitas, in multas suæ diœcesis ecclesias, tum in cathedralem organorum mira elaboratione, sua maxime impensa decoratam, tum etiam in hanc marmoreo ad honorem D. Caroli inchoato sacello nituere: obiit Biterris annum agens VII. supra XX. die 7. Augusti anni MDCXXVIII. jacet in ecclesia patrum Societatis Jesu.

LXXVI. CLEMENS.

DE BONZY.

Dominici & Thomæ decessorum frater Clemens, baro Castrinovi, vicecomes Valliani, abbas S. Salvatoris Anianensis & Leutevensis, ex canonico S. Petri Romæ post obitum Thomæ germani nominatur episcopus & toparcha Biterrensis. Æstuante bellis civilibus Gallia, cum dux Monmorencius apud Occitanos arma movisset in regem, ab eo non potuit ejus fides corrumpi. Dissipata ergo a Ludovico XIII. hac tempestate, celeberrimo conventui apud Augustinianos Biterris 10. Octob. 1632. habito interfuit Clemens, quo famosum Biterrense edictum proclamatum est. Quinquennio post suis impensis pedestrem legionem instruxit, ut Leucata obsidione liberaretur, quod præstitum ipso castris præsente, cum nocte profligatæ sunt Hispanorum turmæ a Schombergio exercitus ductore. Auxit civitatem Biterrensem religiosis familiis, & collatis domibus & ecclesiis juvit: nam Ursulinas in urbem admisit, Minimis ecclesiam B. Mariæ Consolationis attribuit, Dominicanos in domo beatæ Mariæ de Mugeriis collocavit, Capucinis Servianum concessit, Caritatis religiosos in nosocomium e Lutetia evocavit. Denique Lignani castellum ab hæreticis dirutum restauravit: utque familiæ suæ decus & splendorem immortalitati consecraret, ornato sacello B. Caroli Borromæi marmoreis cancellis, tabulas quoque inscripsit elogiis Bonziorum, qui Biterrensem sedem nobilitarunt, ubi sub finem hæc leguntur verba: *Clemens Bonzius episcopus & dominus Biterrensis, Castrinovi dominus, Valliani vicecomes, abbas Anianensis, sacello suis sumtibus peracto, fratribus patruisque amoris simul & honoris monimentum posuit anno Domini MDCXXXV.* Una cum Nicolao Pavillon Electensi episcopo mense Octobri 1648. adstitit D. Claudio de Rebé archiepiscopo Narbonensi inauguranti Petrum de Marca in episcopum Conseranensem. Biterrensium episcoporum historiam Petrus Andoquus ejusdem urbis Præturæ consiliarius dicavit Clementi Bonzio anno

1632.

1635.

1648.

Gall. Christ. tom. 1. col. 1142.

ANNI CHRISTI 1651. 1659. DE BONZY.

1651. Obiit Biterris 6. Octob. 1659. annos natus 61. Hoc ipsi inter cetera datum laudi est, quod semel tantum e provincia egressus sit, idque ut regi codices deputatus offerret.

LXXVII. Petrus V.

Francisci comitis Bonzii senatoris Florentini ex Christina Riari 15. Aprilis 1631. natus Petrus, Clementis episcopi Biterrensis nepos, puer adhuc ad patruum mittitur, a quo bonis artibus institutus, nonnisi annos natus viginti quatuor sacris initiatur. Tanta adolescens apud cardinalem Mazarinæum gratia valebat, ut ad majora quæque illum destinaret. Comitiis generalibus cleri Gallicani an. 1656. interfuit, ubi promotoris causarum ecclesiasticarum munus obiit. Magni Etruriæ ducis ad reges Galliæ & Hispaniæ legatus dum apud Luisium resideret, in locum patrui defuncti a rege christianissimo sufficitur episcopus Biterrensis, & abbas sancti Salvatoris Leutevensis & Anianensis anno 1659. Insequenti sacramentum fidei regi juravit in capella castri Marliacensis 16. Sept. jam die Dominica 12. ejusdem mensis sacro oleo inunctus in pontificem a D. Francisco Bosqueto Montispessulani episcopo cooperantibus episcopis S. Pontii Tomeriarum & Agathensi in basilica S. Genovefæ Parisiensis. Biterrenses infulas induerat, cum de mandato Magni Etruriæ Ducis cum rege Ludovico egit de matrimonio contrahendo inter Cosmam principem Etruriæ Magni Ducis filium & illustrissimam principissam filiam Gastonis Johannis Bapt. ducis Aurelian. Matrimonium & ipse celebravit 19. Apr. 1661. in sacello Luparæ: tum ab ipso rege nominatur ut principissam Florentiam deduceret. Florentiæ adhuc inerat, cum an. 1662. legatus mittitur a rege ad Venetos, quo tempore pro regenda eo absente Biterrensi ecclesia vicarium generalem instituit episcopum d'Olone. Eo in itinere, Mediolanum pertransiens, sanctorum martyrum Nazarii & Celsi Biterrensis ecclesiæ patronorum reliquias ab antistite Mediolanensi dono acceptas, ecclesiæ suæ cathedrali mittendas curavit anno 1665. Cum omnia illi apud Venetiam ex sententia successissent, rursus illum Ludovicus magnus ad Polonos legatum mittit, ut ab imperio ejurando Casimirum Poloniæ regem removeret. At vero post ejus reditum cum abdicasset Casimirus, iterum legatur ad Polonos, ut in electione novi regis pro Gallia ageret. Reversus transiit ad sedem Tolosanam 8. Decemb. 1669. & legatus extraordinarius in Hispania a Ludovico XIV. nominatur. Anno 1672. in sacrum cardinalium collegium cooptatur a Clemente X. abbas inde Calmeliacensis, necnon major reginæ eleemosynarius & archiepiscopus Narbonensis an. 1673. ubi vide col. 123.

[margin: 1659. 1660. 1661. 1662. 1665. 1669.]

Duas habuit sorores Elizabetham desponsatam Renato Gaspardo de la Croix marchioni de Castries equiti torquato, Occitaniæ proregis vicario, gubernatori urbis & arcis Monspeliensis, & Mariam, quæ nupsit marchioni de Cailus baroni Septimaniæ.

LXXVIII. Johannes Armandus.

ANNI CHRISTI DE ROTUNDIS DE BISCARAS.

Filius Jacobi Carolopolis & Montis olympi gubernatoris & peditum chiliarchæ ex Francisca de Gleisenove Johannes Armandus, germanus Julii regiorum castrorum præfecti, & tribuni prætorianorum equitum levioris armaturæ, sacræ theologiæ doctor & abbas Sendracensis, designatur primum episcopus Diniensis 1668. sed ante initam possessionem Leutevensis creatus 1669. consecratur 1670. tum ad Biterrensem cathedram transiit 5. Januarii 1671. pro qua sacramentum fidelitatis præstitit 25. Aprilis 1672. Una cum Ludovico Armando de Simiane Lingonensi episcopo comitatus est Franciscum Harlæum Parisiensem archiepiscopum consecrantem Antonium Benedictum de Clermont Tonnerre in episcopum Forojuliensem 26. Aprilis 1676. in oratorio monialium Carmelitarum vici dicti *du Bouloir* Parisiis. Anno 1679. cum plurimis episcopis aderat, quando Petrus cardinalis de Bonzi ecclesiæ Anianensis fundamenta jecit 28. Aprilis. Adstitit concilio totius provinciæ Narbonensis a cardinale Bonzio habito mense Maio anno 1699. Hujus præsulis liberalitati & munificentiæ debentur ædes episcopales, quas de novo maximis impensis construxit. Ejusdem cura & sollicitudine seminarium clericorum est erectum, necnon & xenodochium. Diuturno demum fatigatus morbo in sua diœcesi decubuit 15. Febr. 1702.

[margin: 1671. 1672. 1676. 1679. 1699. 1702.]

LXXIX. Ludovicus Carolus.

DES ALRIS DE ROUSSET.

Johanne Armando defuncto Biterrensis episcopus a rege designatur Johannes Claudius de la Poype de Vertrieu 14. Aprilis 1702. cujus postera die ad Pictaviensem ecclesiam assumti in locum suffectus est 15. ejusdem mensis Ludovicus Carolus des Alris de Rousset nobili inter Delphinates familia oriundus. Post decursum sacrorum studiorum stadium laurea doctoris in facultate theologica Parisiensi donatus est an. 1698. mense Augusto. Decanus erat & vicarius generalis Carcassonensis, cum nominatur episcopus 21. Aprilis an. 1702. Inauguratur apud Montempessulanum 3. Dec. ejusdem anni ab episcopo Carcassonensi, assistentibus Nemausensi & Venciensi episcopis. Regi sacramentum dixit 25. Januarii 1703. in capella Marliacensi. Hujus jussu & auctoritate editum est an. 1721. Proprium sanctorum Biterrensis diœcesis ab omni superstitione expurgatum. Etiamnum feliciter præest optimus antistes.

[margin: 1703. 1721.]

In necrologio B. Mariæ de Cassiano duo reperiuntur Biterrenses episcopi, quibus in serie nostra assignare locum per nos non licuit.

20. Aprilis. Petrus Biterrensis ecclesiæ episcopus ex canonico S. Mariæ, scilicet de Cassiano.

XIII. cal. Dec. dominus Bernardus Biterrensis electus, presbyter & canonicus B. Mariæ.

Odo episcopus Biterrensis obiit V. id. Augusti, ex obituario Corbeiensi.

PRÆPOSITI

PRÆPOSITI ALIQUOT BITERRENSES.

I. BERNARDUS claviger & præpositus adfuit placito habito Biterris XIII. cal. Septemb. anno 1053.

II. Willelmus Pontius dicitur præpositus præsens in charta fundationis asceterii B. Mariæ de Cassiano anno 1080. quam videsis inter instrumenta.

Ch. IV. col. 130.

III. Guillelmus, si diversus a priore, præpositus erat ecclesiæ Biterrensis an. 1084. in charta Raimundi Ruthenensis comitis pro episcopis Biterrensibus, & anno 1092. quo Matfredus episcopus in stipendia clericorum sancti Nazarii & eleemosynas pauperum capitulo dictæ ecclesiæ cessit præpositatum. Chartam hujusce donationis consule inter instrumenta, in qua mentio est Guillelmi præpositi, antecessorumque ejus præpositorum.

Ch. VII. col. 132.

Raimundus Niger vocatur præpositus annualis capituli anno 1201. a Sammarthanis; sed non eadem videtur esse dignitas, quæ anno 1092. suppressa fuerat.

ARCHIDIACONI BITERRENSES.

MAncam hîc & mutilam adornamus Biterrensium archidiaconorum seriem, sed quales inveniri potuerunt in diversis ecclesiæ S. Nazarii & aliis instrumentis. Plures olim sicut & in ceteris, ita in Biterrensi capitulo fuere archidiaconi, variaque fuit pro variis temporibus hujusce dignitatis fortuna, ut in catalogo præfatæ ecclesiæ pontificum videre jam licuit. Duo, si bene collegi, erant Biterrenses archidiaconi, Caprariensis & Lunatensis; sed cum non semper distinguantur, modoque unus, modo duo in subscriptionibus reperiantur, quinam esset Caprariensis, quinam vero Lunatensis facile non fuit discernere, præsertim cum nusquam fere titulo suæ dignitatis designentur. Itaque sæpe eos confundere coacto, usquedum Caprariensi archidiaconatu omnino sub Johanne XXIII. suppresso, solus superfuerit archidiaconus Lunatensis, utrumque ad hanc abrogationem permiscere liceat.

Bernardus I. sub Rodoaldo episcopo anno XIII. regnante Ludovico, præsens adest cum episcopus quasdam vineas acquirit in villa Teciano.

Salomon memoratur in Bernardo nepote, cui cessit archidiaconatum.

Bernardus II. Guifredus Salomonis ex sorore nepos archidiaconatum S. Nazarii, quem Salomon ejus avunculus tenuerat, Matfredo cedit episcopo, qui ipsi hanc dignitatem titulo feudi clericalis restituit anno IV. regnante Roberto ea conditione, ut post ejus obitum archidiaconatus ad episcopum Biterrensem rediret.

Guillelmus I. occurrit annis 1043. 1047. 1053. & 1054. quo Petrus vicecomes Biterrensis dedit abbatiam S. Genesii juxta mare canonicis S. Nazarii, qui vicissim comiti sexcentos Tolosanos solidos rependerunt, ex chart. eccles. Biterr.

Pontius I. Bernardus recensetur in charta fundationis monasterii B. Mariæ de Cassiano, quam habes inter instrumenta an. 1080.

Ch. IV. col. 129.

Hugo I. memoratur in charta donationis præpositatus factæ a Matfredo episcopo an. 1092. qui similiter Hugoni quemdam mansum dederat, quem post ejus mortem canonicis legat. Occurrit & an. 1084. in charta Raimundi comitis Ruthenensis, qui Matfredo episcopo & successoribus dimittit jus diripiendi spolia episcoporum defunctorum.

Ch. VII. col. 133.

Raimundus I. de Nairano 1116.

Bermundus 1123. idem quem episcopum diximus 1128.

Raimundus II. Gaucelini, cujus consilio Guillelmus de Cerviano episcopus donavit monasterio Gellonensi ecclesiam S. Vincentii de Popiano 1127.

Raimundus III. de Monterotundo 1128. in charta Bermundi episcopi pro Augerio abbate S. Salvatoris Leutevensis & pro Biterrensi ptochotrophio, cui ecclesiam S. Martini de Luco donat episcopus. Adstitit an. 1129. placito apud Lupianum habito, assumtus inde ad cathedram Agathensem.

Ch. VII. col. 319.

Matfredus I. 1133. recensitus in veteri instrumento S. Jacobi & in charta Archembaldi de Thesano, & 1134. An. 1135. una cum Bernardo & Armando arbiter querelam dirimit, quæ inerat Johannem Stephanumque inter & Hugonem de Paulina, &c.

Hugo II. de Corneliano 1142. 1144. & an. 1147. in charta Raimundi Trincavelli vicecomitis Biterrensis, & 1148. in charta Bremundi episcopi pro hospitali Jerosolymitano. Memoratur 1154. in testamento Rainaldi de Maureliano, & 1160. in charta Guillelmi episcopi nonnulla Judæis relaxantis.

Ch. XII. col. 137.

Catel. mem. de Languedoc p. 524.

Deodatus 1143. in charta Bermundi episcopi pro nosocomio Jerosolymitano.

Ch. XII. col. 137.

Pontius II. dicitur archidiaconus in charta Bermundi episcopi hospitali Jersolymitano ecclesiam S. Saturnini concedentis anno 1148. sed post Hugonem archidiaconum & Maurinum sacristam nominatur.

Matfredus II. de cujus assensu Guillelmus episc. reddidit monasterio Gellonensi ecclesiam S. Vincentii an. 1152. Abs Guillelmo Arnaldi & Isarno dono accepit an. 1163. decimas, quas habebant in villa de Badonas, & 1166. Matfredo archidiacono quædam divendidit Guillelmus

Ch. XIII. col. 137.

de Corneliano. Constitutioni Bernardi episcopi anno 1172. post Bernardum Guillelmi subscribit quidam Maufridus archidiaconus, qui & anno 1177. quædam prædia operi Biterrensis ecclesiæ largitus legitur.

Bernardus III. Guillelmi præsens fuit mense Novembri an. 1169. pactis initis inter Guillelmum dominum Montispessulani & Bertrandum de Andusia pro matrimonio filii & filiæ ipsorum: instrumentum habes tomo 8. Spicilegii pag. 165. ubi pro anno millesimo centesimo nono legendus annus millesimus centesimus sexagesimus nonus. Occurrit adhuc Bernardus anno 1170. 1171. & 1172. quo annuit decreto Bernardi episcopi pro tricenario in obitu cujuslibet canonici faciendo.

Ch. XVIII. col. 141.

Stephanus Guillelmus de Popiano occurrit anno 1180. in instrumento electionis Deodati de Claromonte abbatis Juncellensis.

Petrus I. de Leboiraco de quo in libro constitutionum Bernardi episcopi & necrologio legitur: *Anno MCLXXXIV. VI. id. Nov. obiit Petrus de Leboiraco archidiaconus pro cujus animæ redemtione statuerunt canonici dictæ ecclesiæ cum consensu *Guillelmi tunc electi Biterrensis ut conventus S. Nazarii exhibeat procurationem quatuordecim presbyteris, exceptis illis qui sunt in ecclesia, quorum singuli celebrent missam in ejus memoriam die obitus sui.*

* leg. Gaufridi.

Isarnus de Concenons archidiaconus major 1189. 1191. 1192. 1193. 1199. & 1200.

Bernardus IV. de Narbonne de suis laudatus eleemosynis, recensetur an. 1194. in juramento quod Bertrandus de Seissaco tutor Rogerii vicecomitis Biterrensis præstitit Gaufrido episcopo. Reperitur etiam 1195. in charta Gaufridi episc. Petro Raimundo de Corneliano munitionem in villa de Livrano construere permittentis.

Petrus II. Raimundi 1203. in dono Raimundi Rogerii.

Hugo III. de Corneliano 1206.

Raimundus Niger 1206. Insequenti præsens adstitit quando Ermengaudus acquisivit tertiam partem burgi de Maureliano a Raimundo de Florenciaco. Occurrit 1209. mense Februario in ejuratione Stephani de Cerviano, & mense Martio hominio, quod idem Simoni Montis fortis præstitit. Reperitur adhuc anno 1211. fer. 6. VII. cal. Dec. in charta monasterii Caunensis. Fit postea episcopus, ut diximus.

Berengarius I. de Caucio 1207.

Engilbertus 1211. & 1213. in litteris Simonis Montis fortis domini, Lycestriæ comitis pro Bertrando episcopo Biterrensi.

Raimundus VI. de Ucetia 1214. eleemosynario ecclesiæ S. Nazarii quingentos solidos Melgorienses erogavit ea lege, ut in die obitus ipsius quinque sacerdotes totidemque pauperes procuraret, qui pro remedio ejus animæ divina celebrarent. Occurrit & an. 1217.

Stephanus II. Engilbertus idem forte ac Engilbertus de quo anno 1211. memoratur anno 1221. & 1225. in charta Raimundæ filiæ Berengarii de Lignano. Anno 1231. una cum Bernardo episcopo statuit singulis ut annis tria celebrarentur in ecclesia Biterrensi capitula generalia. Nomine totius capituli Biterrensis annuit donationi factæ an. 1235. a Bernardo episcopo Biterrensi canonicis ecclesiæ cathedralis.

Guillelmus II. de S. Genesio testamentum condidit sigillo Bernardi episcopi corroboratum.

R. archidiaconus erat cum factus est episcopus 1242.

Raimundus VII. Salvaire an. 1230. in transactione regem inter & episcopum. Anno 1249. cum Johanne de Roïano fuit arbiter querelæ, quæ inter episcopum Raimundum & Guidonem de Levis inerat. Eodem anno quædam condidit statuta cum eodem episcopo super obituum celebratione. Memoratur & an. 1257.

Ch. XXIV. col. 155.

B. de Dorna archidiaconus Biterrensis in Caprariensi præsens adest reconciliationi vicecomitis Narbonensis Amalrici factæ juxta formam ecclesiæ anno 1252. Memoratur anno 1256. in veteri instrumento. Nominatur Bernardus Dome eodem anno 1256. testis litterarum, quibus in jus vocatur Trincavellus antea vicecomes Biterrensis. Testis una cum præcedente citatur judicii lati 1257. a Raimundo episcopo Biterrensi adversus syndicos & homines castri de Giniaco.

Prob. hist. Occit. t. 3. col. 522.

Pontius III. de S. Justo ex archidiacono majore an. 1261. fit episcopus Biterrensis.

Raimundus Fredoli una cum Pontio episcopo transigit anno 1266. cum Guillelmo abbate Gellonensi de decimis ecclesiæ Muriveteris. Testis legitur compositionis initæ inter vicecomites Lautrici & Philippum de Montfort id. Septemb. 1268. De eo in necrologio legitur: *VIII. idus Januarii anno Domini MCCLXXI. obiit R. Fredoli archidiaconus Biterrensis.*

Petrus III. de S. Justo memoratur an. 1271. in statuto Pontii episcopi de ecclesiæ luminaribus. Hic ille proculdubio est, de quo necrologus liber sic habet: *III. nonas Januarii an. 1295. obiit P. de S. Justo archidiaconus Biterrensis & jacet in claustro.*

B. de Fisco de quo in necrologio legitur: *III. cal. Julii anno Domini MCCC. obiit magister B. de Fisco archidiaconus Biterrensis, qui dimisit XL. libras Turonenses pro obitu suo communitati ecclesiæ Biterrensis.*

Petrus IV. Alrand archidiaconus Caprariensis 1307. confirmat una cum Ricardo episcopo fundationem factam a Berengario cardinale antea episcopo Biterrensi.

Johannes I. de Lautrico archidiac. Biterrensis frater Bertrandi vicecomitis de Lautrico, quoddam pactum suum inter fratrem & regem initum confirmat 1305.

Guillelmus III. de Rupetira archidiaconus Lunatensis 1307. in eadem charta qua Petrus Alrand.

Guillelmus IV. Fredoli 1311. cui summus pontifex inscripsit decretum concilii Viennensis adversus milites Templi anno 1312. forte episcopus 1315.

Petrus V. archidiaconus Biterrensis a Benedicto XII. creatus est Theanensis episcopus

x. cal. Aprilis anno 1338. teste Ughello Italiæ A sacræ tom. 6. pag. 569. novæ editionis.

Johannes II. de Lautrico 1338. idem forte qui superior Johannes.

Berengarius II. Fredoli archidiaconus Caprariensis adstitit synodo Biterrensi 1. Maii 1342.

Jacobus I. de Broa archidiaconus Lunatensis eidem adfuit concilio.

Eustachius Picis cum Guillelmo statuta fecisse reperitur. Capitulo generali præfuit an. 1351. Obiit IX. calend. Augusti 1361. jacet in ecclesia de Venere.

Aimericus de Monte alto 1361. defunctus mense Augusto, & sepultus in claustro. B

Petrus VI. Basterii in veteri statuto 1367.

Guillelmus V. Barrolis archidiaconus Caprariensis per procuratorem adstitit capitulo Biterrensi pro confirmatione statutorum synodalium an. 1368.

Petrus VII. de Murato Stephanum de Maysonilio canonicum Biterrensem nominavit, ut ejus nomine eidem capitulo adesset anno 1368. Sepulturam elegit ante altare S. Michaelis prope claustrum, & dedit ecclesiæ centum & decem florenos pro obitu suo 1370.

Guillelmus VI. de Planaco 1387.

Guillelmus VII. Arnaldi fundavit vicariam in prioratu de Venere 1395. Camerarius erat Johannis de Murolio cardinalis, qui testamento suo 1397. illi legavit unum *gobeletum* argenti deauratum. Illud habes tom. 2. vit. pap. Aven. col. 1100. Obiit Guillelmus 1404.

Nicolaus I. Geppe archidiaconatu privatur, eo quod Petro de Luna schismatico pontifici adhæreret, ut docet Johannes XXIII. in bulla pontificatus anno III. IV. idus Junii, id est anno 1412. data, qua majore archidiaconatu mensæ capitulari Biterrensi unito archidiaconatum de Lunat erigit in majorem ecclesiæ Biterrensis archidiaconatum.

Oliverius Arrian seu D. Arian archidiaconatum majorem in manu Johannis XXIII. summi pontificis resignasse legitur, qui extincta hac dignitate statuit, ut deinceps Lunatensis archidiac. major vocaretur IV. idus Junii pontificatus anno III. Eundem tamen Oliverium prima dignitate seu archidiaconatu majore gaudentem adhuc reperio anno 1419. quo mensæ capitulari univit ecclesiam de Venere.

ARCHIDIACONI MAJORES
seu Lunatenses ab anno 1412.

I. ANTONIUS I. de Hirspaco archidiaconus erat anno 1451. quo Guillelmus de Montegaudio episcopus Biterrensis testamento suo quædam ipsi legat. Memoratur & an. 1464. in charta Lezatensi.

II. Pontius IV. Godefridi e familia de Bouzigues jurium licentiatus archidiaconatum obtinet an. 1465. Obiit an. 1495. cum per annos triginta capitulo præfuisset. Multa ecclesiæ vivens C moriensque largitus est, voluitque sepeliri in cœmeterio pauperum juxta tumulum Guillelmi de Montegaudio episcopi Biterrensis.

III. Petrus VIII. Siffredi Antonii du Bois episcopi Biterrensis institutioni pro viribus obstitit, seseque pro vicario totius diœcesis generali gessit, quasi sedes vacasset, usque dum per senatusconsultum causa exciderit an. 1506. A Petro de Portu Rivensi canonico, & in suprema Tolosæ curia senatore & ad hoc judice deputato delegatus promulgavit die 30. Nov. 1510. bullam sæcularisationis ecclesiæ metropolitanæ Tolosæ.

IV. Johannes III. de Podio in decretis baccalaureus an. 1537. D

V. Nicolaus II. Geppe jurium licentiatus & vicarius generalis Antonii du Bois episcopi Biterrensis defunctus XV. cal. Aug. 1542. fundavit unam missam singulis diebus celebrandam.

VI. Petrus IX. Batut promotus ad archidiaconatum majorem an. 1542. recipitur 29. Julii.

VII. Gabriel Geppe archidiaconus major 1543.

VIII. Guillelmus VIII. du Caylar d'Espondeillan annis 1546. 1548. 1553. 1555. 1569.

IX. Julianus du Caylar 1569. 1572. 1574. 1578. 1579.

X. Guillelmus IX. Arnon 1583. 1585. 1595.

XI. Antonius II. Juvenis archidiaconus major die 6. Augusti 1602. ex archivis Villæ magnæ.

XII. Antonius III. Tubeuf 19. Oct. 1612. ibid.

XIII. Gabriel Favre præerat anno 1614. resignavit 1625. sequenti.

XIV. Johannes IV. de Maussac presbyter, jurium doctor anno 1625. usque ad 1663. Obiit 4. Maii 1678. ætatis suæ anno 88. Elegit sepulturam sub cathedra dignitatis suæ cum hoc epitaphio:

Hic jacet, & in pulvere dormit Johannes de Maussac presbyter canonicus, & archidiaconus major ecclesiæ Biterrensis, resurrectionem expectans a die 4. Maii 1678. orate pro eo.

XV. Jacobus II. de Maussac presbyter, sacræ theologiæ doctor, canonicus & archidiaconus major per cessionem præcedentis an. 1664. receptus 16. Januarii ad an. 1704. vicarius generalis factus bis sede vacante, necnon & per triginta duos annos illustrissimi Armandi Johannis de Rotundis de Biscaras episcopi Biterrensis & per duos annos illustrissimi D. Caroli des Alris de Rousset episcopi nunc sedentis. Obiit octogenarius die ultima Decembris 1710. sepultus est sub cathedra dignitatis suæ.

XVI. Johannes V. de Maussac presbyter, sacræ theologiæ doctor, canonicus & archidiaconus major ab an. 1704. ultima die Augusti.

XVII. Jacobus, *al.* Johannes de Maussac patruo defuncto successit.

DE ABBATIIS ET VETERIBUS monasteriis diœcesis Biterrensis.

S.t GENES.

De abbatiis locuturi, solemus exordium ducere ab illis, quæ nunc aut non exstant, aut statum mutarunt. Nulla autem ex non exstantibus nobis occurrit præter abbatiam S. Genesii, quæ nunc oblivione sepulta, quo primum exstiterit ævo, quove auctore vetera nihil docent monumenta, nisi quod abbatiam sancti Genesii in comitatu Biterrensi canonicis S. Nazarii concessit Petrus comes ejusque uxor Rangardis an. 1054. quam Bermundus de Levesone iterum confirmavit anno 1130. Vide Andoq. hist. ep. Biterr. pag. 62.

Ex abbatiis exstantibus prima a regulari transiit ad statum sæcularem, nempe

SAINT AFRODISE.

S. AFRODISIUS.

S. Afrodisii ecclesiam prope muros Biterrenses sitam divus Afrodisius primus episcopus Biterrensis in honorem principis apostolorum proprio sanguine dedicavit, principemque ceterarum Biterrensium ecclesiarum truncati sui capitis traditione consecravit sub invocatione primum sancti Petri, deinde sanctorum Petri & Afrodisii, ut testantur tum vetus sigillum capituli S. Afrodisii, in quo insculpta est imago S. Petri & B. Afrodisii, tum variæ fundationes vetustissimæ, in quibus eligitur sepultura in ecclesia S. Petri & S. Afrodisii. Totius diœceseos olim primaria, ab ipsa enim origine episcopali fuit insignita sede, quæ propter situs incommodum in ecclesiam S. Nazarii circa medium octavum sæculum docente Cointio translata est: in ipsa autem sanctorum Petri & Afrodisii basilica, quæ mansit ultra muros, monachi, dein regulares canonici cum abbate collocati, quibus ut aliquod pristinæ dignitatis solamen præberet apostolica sedes, abbatibus in ipsius gremium admissis pontificalium usum concessit, tali decore & ornamento præstito illorum ecclesiæ, in qua corpora beatorum Afrodisii & Geraldi Biterrensium antistitum jacebant. Attamen cathedralis in honorem sanctorum Nazarii & Celsi dedicata aliquod jus retinuit emanationis ab ecclesia S. Afrodisii a qua exierat, ut patet ex compositione facta inter easdem ecclesias an. 1175. XIII. cal. Jun. in qua canonici S. Nazarii reservant sibi jus eligendi sepulturam apud S. Afrodisium, & mediam partem decimarum parochiæ sancti Afrodisii, qua adhuc fruuntur.

A vicecomitibus Biterrensibus sæculo IX. finiente vel ineunte X. pene collapsa hæc abbatia restauratur. Duodecimo vero, ipso satagente abbate a regulari statu in sæcularem redacta est, & monasterium in ecclesiam collegiatam & sæcularem mutatum, cujus idem abbas dignitas principalis, non est quidem de gremio capituli per electionem juxta caput *Quia propter*, sed post confirmationem factam, evasit præfatæ ecclesiæ caput in hoc statu sæculari, ut esse solebat in regulari: hoc discrimine, quod transeundo in ordinem sæcularem agnovit episcopum Biterrensem ut superiorem, quia abbatia exemta non est, servata nihilominus naturali & ordinaria in sua ecclesia jurisdictione, quæ illi competit saltem cumulativè cum episcopo Biterrensi, quod & ipse Pontius de S. Justo præsul agnovit in homologatione & confirmatione compositionis factæ inter Bernardum Guitardi sacristam ecclesiæ S. Afrodisii & conventum monasterii sanctæ Claræ an. 1289. XVIII. cal. Maii, quam Pontius fecit per se & ut locum tenens abbatis nuper defuncti. Nec minus alia servavit privilegia, præsertim facultatem exercendi pontificalia, cum sæcularisatio fiat salvis prærogativis, nisi his expressius sit derogatum.

Nec omittendum quod alibi observant Sammarthani, ecclesiam S. Afrodisii, sicut & ecclesiam S. Jacobi in eadem urbe, quam postremam nunc tenent canonici regulares, sub episcopi Biterrensis ditione atque regimine ab ipsarum primordiis positas fuisse: siquidem eorum abbates in ipso institutionis suæ limine hominium solemne præsuli Biterrensi reddere, fidemque clientelæ ac obedientiam spondere, quippe ipsius feudatarii, coram ipso adstantes capite detecto, manibus junctis ac genibus flexis tenentur jurare sacramentum, cujus formula in vulgatis tabulis continetur. Hoc prorsus hominii juramentum ab omnibus abbatibus observatum liquet. Quinimo jam ab an. 1175. solemni decreto pactum fuit, ut abbate e vivis sublato, totum abbatiæ regimen ad episcopum devolveretur, cujus administrationis penes eum consistentis quam plurima exstant documenta, nempe visitationum episcopalium actis comprobata, tum ordinationibus aliis per episcopos Biterrenses passim rite datis, non modo pro earum ecclesiarum abbatialium statu, & moderamine, ac dignitate conservanda, verum etiam pro abbatum, canonicorum & aliorum dictis ecclesiis deservientium spiritali commodo: si quæ enim aliquando lites inter illos abbates, canonicos, aliosve de clero hujusce ecclesiæ sint exortæ, eas ab episcopis Biterrensibus, vel eorum officialibus judicatas, diremtasque testantur decreta ob id conscripta.

Ex veterum quoque chartarum instrumentis innotescit istas duas abbatias duas præbendas cathedralis ecclesiæ nuncupari, quarum abbates statutis anni temporibus in cathedrali ministerium quoddam exhibere, & ut acta loquuntur, suam hebdomadam facere de more tenebantur, ideoque certa quadam pensi distributione, veluti unus e canonicis præfatæ ecclesiæ cathedralis, quilibet abbatum potiebatur. Imo & si forsan contingeret, ut abbates illi sine causa legitima a prædictis ministeriis abstinerent, tenebantur dare unusquisque

pro suo defectu quinque solidos Biterrenses majoribus hebdomadariis, quia sic consuetum erat in ecclesia Biterrensi, uti compertum habetur ex tabulis.

Abbas S. Afrodisii primus est inter ceteros abbates dioecesis Biterrensis. Omnimodam habet in suo burgo jurisdictionem temporalem tam in causis civilibus quam criminalibus, suosque officiales, scilicet vicarium & judicem, a quibus jus redditur inter incolas burgi. Anno 1202. Giraldus abbatis bajulus testis recensetur contradictionis Petri de Cassiano adversus Guillelmum de Broque.

Erant olim in eadem ecclesia tredecim canonicatus, quorum quatuor abbatiæ, præcentoriæ, sacristiæ & succentoriæ erant uniti. Verum præcentoria una cum canonicatu sibi adjuncto suppressa fuit a Benedicto XIII. pseudopapa per bullam anno x. sui pontificatus, ita ut in posterum fuerint tantum in hac ecclesia tres dignitates cum adjunctis sibi canonicatibus, novem canonicatus, novemdecim beneficia altari aut choro deservientia, præter cantores & ceteros ecclesiæ ministros, corpusque musices.

Quod autem attinet ad seriem abbatum, quorum memoria suppetit, cum documenta ecclesiæ fuerint hæreticorum pravitate combusta anno 1562. quam sparsim collectam ex variis schedis & chartophylaciis a D. Johanne de Pierre abbate S. Afrodisii ediderunt Sammarthani, hanc paucis auctam & emendatam iterum subjicimus.

Abbatum catalogus.

I. Bernardus I. una cum Bernardo episcopo Biterrensi & canonicis cathedralis dedit Lailulpho canonico S. Nazarii ecclesiam S. Stephani de Boviano & terras de fonte Garrisone anno XIX. Lotharii regis Francorum. Idem forte ac Bernardus abbas exsecutor testamenti Reginardi vicecomitis Biterrensis, de quo inter instrumenta. (Ch. II. col. 127.)

II. Bernardus II. innotescit ex tabulis capituli Biterrensis, in quibus legitur quædam prædia juxta abbatiam S. Afrodisii sita canonicis suis largitus Stephanus episcopus Biterrensis de consensu Bernardi abbatis anno 1036.

III. Matfredus abbas sancti Afrodisii sacristiam vacantem per obitum Sigarii Bernardo contulit: multos dedit mansos & terras eidem sacristiæ ad clericale fevum: assumtus inde ad cathedram Biterrensem, ubi vide.

IV. Petrus I. omissus a Sammarthanis memoratur anno 1092. in veteri charta ecclesiæ Biterrensis. (Ch. VII. col. 133.)

V. Berengarius I. de Ventagione, gente nobili oriundus, frater Bernardi de Cannet, cœnobii S. Afrodisii curam gerebat an. 1129. quo subscripsit compositioni factæ inter Rogerium & Trincavellum fratres.

VI. Bermundus de Levesone defuncto Berengario tenuit abbatiam episcopus Biterrensis simul & abbas S. Afrodisii, & rexit usque ad mortem, vel saltem donec Guillelmus de Murovetulo fuerit electus abbas. Qui quidem Bermundus de bonis abbatiæ cessit molendina de Banholis capitulo, seu communitati S. Afrodisii an. 1144.

VII. Guillelmus I. de Murovetulo autor est anno 1154. Guillelmo episcopo Biterrensi, ut canonicis S. Nazarii vineas adjudicet, de quibus inter eos erat controversia. Plura edidit decreta an. 1156. circa reparationes molendinorum de Banholis & aggerum fluminis Orbi.

VIII. Guillelmus II. de Margone ex prosapia nobili, quæ Cassianensi monasterio dedit originem, juxta Sammarthanos ecclesiæ suæ sancti Afrodisii donavit decem millia solidorum Melgoriensium, ut essent in posterum duodecim canonici, cum antea essent monachi sub regula Benedictina, quod patet ex archivis hujusce ecclesiæ. Testis adest an. 1167. donationis partis molendini de Carleto super Orbim factæ episcopo Biterrensi a Girardo de Montepetroso. Memoratur an. 1173. in tabulario Anianensi. Habuit querelam adversus Bernardum Gausfelini episcopum Biterrensem, quæ mediis arbitris ita definita est XIII. cal. Junii 1175. ut abbatiam vacantem regeret episcopus, donec de consensu episcopi canonici elegissent abbatem, qui statim ab electione pro abbatia hominium præstaret episcopo. Compositionem pariter inierunt episcopus & abbas super stationibus & honoribus, quos abbas debebat cum suis canonicis cathedrali S. Nazarii, vide instrumenta. Testis reperitur in oppigneratione facta a Bernardo episcopo Biterrensi ad concilium Lateranense proficiscenti 10. Dec. 1178. Venditionem factam monasterio Vallis magnæ laudavit anno 1182. quo & nominatur judex controversiæ Bernardum episcopum Biterrensem inter & Berengarium abbatem Villæ magnæ super ecclesia Reddensi. Denique ecclesiæ suæ magnificus hic abbas, eam variis & insignibus dotationibus locupletavit. (Ch. XVI. col. 139.)

IX. Guillelmus III. de Roquesel præsens cum VII. cal. Oct. anno 1189. Rogerius vicecomes Biterrensis testamentum condidit, restituitque molendina de Banholis capitulo S. Afrodisii, quæ antea injuste possidebat. Memoratur 1190. in veteri instrumento ecclesiæ Biterrensis. Protulit 1193. sententiam definitivam in foro contentioso, assidentibus sibi Isarno archidiacono Biterrensi majore, Guillelmo de Boviano camerario, Berengario de Linhano & Raimundo Michaele in favorem Guillelmi de Prunete sacristæ, adversus quem canonici S. Afrodisii varias lites intenderant coram isto abbate. Raimundus de Seissac tutor filii vicecomitis Rogerii promulgavit 14. Aug. anno 1194. ea quæ pertinent ad jurisdictionem hominum ecclesiarum tam Gaufridi episcopi quam abbatum sancti Afrodisii & S. Jacobi, quam declarationem post Catellum inseruimus in appendice. Factus postea Guillelmus ex abbate episcopus Biterrensis an. 1199. (Ch. XIX. col 142.)

X. Helias memoratur mense Augusto 1199. in chartulario Fuxensi.

XI. Bernardus III. Calvetus memoratur in documento Raimundi pro canonicis S. Nazarii anno 1203. Una cum Ermengaudo Biterrensi episcopo sententiam profert adversus Stephanum

de Cerviano in gratiam Berengarii Villæ magnæ abbatis an. 1205. Arbiter electus est anno 1208. in commutatione facta Petrum episcopum Leutevensem inter & Arnaldum archidiaconum. Præsens fuit an. 1209. mense Martio, nunc 1210. hominio, quod Simoni Montis fortis præstitit Stephanus de Cerviano. Huic Rainaldus Biterrensis antistes dedit ad vitam mense Junio anno 1211. decimam de Faissano, quam tamen postea abstulit, & tradidit capitulo S. Nazarii. Eodem anno mense Decembri permutavit cum Raimundo præsule Agathensi reditus, quos habebat apud S. Hippolytum de Maiano pro decimis dicti episcopatus in loco de Porcairanicis & de Cossergiis, reddito abbati modio & dimidio bladi *araonis* pensionis annuæ. De ipsius consilio Petrus de Agrifolio episcopus Biterrensis dijudicavit an. 1212. controversias inter episcopum & cives Leutevenses circa pedagia. Denique Bernardus adstitit concilio habito II. calendas Maii 1212. in palatio Narbonensis archiepiscopi.

XII. Pontius de Coquono canonicus erat ecclesiæ Agathensis, cum electus est abbas S. Afrodisii, unde ejus nomen reperitur inter clericos Agathenses, qui Arnaldum archiepiscopum Narbonensem obsecrarunt anno circiter 1214. ut electionem P. Pulverelli canonici ecclesiæ Parisiensis in antistitem Agathensem confirmaret. Eo præsente Petrus de Magalatio sacrista S. Afrodisii laudavit venditionem unius campi in terminio sancti Petri de Valeta factam Petro Sabbatherii de S. Genesio an. 1217 mense Novemb. regnante Philippo. Testis reperitur eodem anno in sententia, quam arbiter Bernardus Raimundi quondam episcopus Carcassonensis protulit in gratiam Arnaldi Narbonensis archiepiscopi adversus priorem de Salella. Testis adhuc memoratur in transactione Amalrici ducis Narbonensis comitis Tolosæ cum episcopo Agathensi pro castris de Florenciaco, de Romerol, aliisque capitibus anno 1219. III. non. Sept. in appendice.

Ch. XXII. col. 332.

Ch. XXIV. col. 336.

XIII. Raimundus Michaelis ex canonico abbas S. Afrodisii concessit mense Januario an. 1222. operi & eleemosynæ dictæ ecclesiæ, eorumque rectoribus & omnibus clericis ac beneficiatis plenariam licentiam & libertatem vendendi sine *copva*, aut alio servitio ipsi & successoribus debito totum frumentum & legumen, quod de suis propriis reditibus ecclesiasticis quocumque modo fuerit perceptum. In necrologio Cassianensi: *Idibus Novemb. obiit D. Raimundus Michaelis abbas S. Afrodisii.*

XIV. Petrus II. de Cassiano diaconus & canonicus B. Mariæ de Cassiano, cujus consilio & auctoritate Petrus de Magalatio sacrista reduxit Petro Vairati quartum vel tascham unius campi ad usaticum duorum sextariorum hordei censualium an. 1225. mense Januario regnante Ludovico VIII. Mortis ejus dies annotatur in necrologio Cassianensi III. id. Dec.

XV. Bernardus IV. Guitardi cui Aimes de Cornelliano fecit hominium VII. id. Jun. 1227. pro iis omnibus quæ tenebat ad feudum in villa sancti Genesii de Menestrolio & S. Johannis de Gradano, earum parochiis & terminis, & in parochia S. Hippolyti ad albergam singulis annis loco servitii duobus militibus, illis scilicet annis, quibus eam recipere dictus abbas voluerit. Testis laudatur in compositione facta an. 1230. regem inter & episcopum Biterrensem. Anno 1232. constituit festum revelationis sancti Michaelis, ac pro eo legavit trecentos solidos Melgorienses; dedit præterea sacristæ duos sextarios hordei censuales, unum in campo Raimundi Pascalis in claustro de Gradano, alterum in bonis Petri Barberousse, retentis tamen sibi & successoribus suis *foriscapio* & *senioritio*.

Ch. XXIV. col. 155.

XVI. Guillelmus IV. de Broa ex canonico metropolitanæ ecclesiæ S. Afrodisii abbas jam erat an. 1232. quo XIV. calend. Decemb. arbiter electus cum rectore de Bociacis quædam statuit pro ecclesia Podii Saliconis. Querelam Bernardum Biterrensem episcopum inter & Berengarium de Podio Sorigario arbiter composuit in favorem antistitis VII. cal. Martii 1236. Exstat ejus sententia definitiva XVI. cal. Sept. an. 1238. super lite mota a nonnullis canonicis adversus Raimundum Guillelmi sacristam. Idem anno 1242. VI. cal. Aprilis dirimit controversiam de limitibus decimariæ de Cossergiis adversus capitulum & operarium ecclesiæ Agathensis per judicium ab arbitro pronunciatum Johanne præcentore Narbonensi. Eodem anno præsens fuit excommunicationi latæ in comitem Tolosanum ab archiepiscopo Narbonensi XII. cal. Aug. apud Biterrim. Memoratur in veteri charta ecclesiæ Narbonensis an. 1244. Circa id tempus habito adfuit Narbonensi concilio. Electus jam Narbonensis nominatur inter prælatos qui XVIII. cal. Jul. an. 1245. ad Innocentium papam dederunt epistolam, qua summum pontificem rogant, ut libera detur inquisitoribus agendi in hæreticos licentia. Denascitur VIII. cal. Aug. 1257. legatis ante obitum 600. libris Melgoriensibus ecclesiæ S. Afrodisii in fundationem duorum presbyterorum, pro cujus anima capitulum statuit obitum solemnem singulis annis postridie sancti Jacobi. Hæc forte fundatio in errorem induxit Sammarthanos, qui duobus Guillelmis attribuunt, quod uni convenit Guillelmo de Broa, primum abbati S. Afrodisii, tum archiepiscopo Narbonensi.

XVII. Jacobus I. statim post Guillelmi promotionem electus abbas, memoratur cum plurimis præsulibus & proceribus VII. id. Aprilis 1247. præsens in charta cessionis vicecomitatuum Biterrensis & Carcassonensis a Trincavello vicecomite factæ Ludovico Francorum regi, ex originalibus litteris apud Catellum. Testis eodem anno reperitur in litteris G. Narbonensis archiepiscopi, R. Biterrensis, & P. Agathensis episcoporum de protestatione facta super hac cessione. Memoratur XVIII. cal. Febr. an. 1248. in compromisso Clarini episcopi & canonicorum Carcassonensium ex una parte, & consulum urbis ex altera. Anno 1250. non. Aug. testis recensetur in instrumento, quo arbitri in controversiis Guillelmum archiepiscopum inter & Amalricum vicecomitem Narbonenses electi, assignarunt diem

Ch. XLIV. col. 449.

ad procedendum. Insequenti anno adhuc reperitur præsens in alio eadem de causa instrumento. Inita IV. id. Jan. & nonis Julii inter partem utramque concordia, potestatem recipit Jacobus ab archiepiscopo vicecomitem, fautores & officiales ejusdem juxta formam ecclesiæ absolvendi........ & generaliter illa omnia faciendi, quæ archiepiscopus facere deberet & posset, si personaliter præsens esset. Hoc & eadem die præstitit abbas, sicut in mandatis ab archipræsule habuerat. Eodem anno instituit festum SS. Justi & Pastoris in ecclesia B. Afrodisii. Præsens memoratur III. id. Dec. 1252. & V. cal. Nov. 1254. actis satisfactionis Amalrici vicecomitis Narbonensis, qui Arnaldum Guilaberti clericum uxoratum in carcerem conjectum illic compulerat expirare. Adhuc memoratur Jacobus abbas & canonicus Narbon. an. 1255. pridie cal. Martii. Denique qui in regimine S. Afrodisii Guillelmo successerat Jacobus, hunc quoque in cathedra Narbonensi postea excepit, ut vidisti in archiepiscopis hujusce provinciæ.

XVIII. Raimundus I. de Serinhano S. Afrodisii pedum jam gerebat V. id. Jul. 1255. quo anno adstitit sententiæ senescalli Carcasson. adversus comitem Fuxensem latæ. Eodem calend. Nov. una cum capitulo facultatem tribuit omnibus canonicis & beneficiatis condendi testamentum, & si quis intestatus ex his mortuus fuerit, decrevit ut illius bona dividerentur pauperibus. Egregia condidit statuta spectantia divinum cultum una cum capitulo ecclesiæ calendis Augusti anno 1256. remisitque sacristæ & successoribus in subsidium candelarum, quas de cetero debebat perpetuo in ecclesia tenere, candelas omnes, quas dictus sacrista dabat, seu tenebatur ei dare qualibet nocte, cum esset in civitate. Hoc etiam anno litterarum testis est quibus in jus vocatur Trincavellus antea vicecomes Biterrensis. Commutationem fecit anno 1258. Renovavit fraternitatem ecclesiarum S. Afrodisii Biterrensis & S. Pauli Narbonensis, quæ adeo erat antiqua, ut jam pene a memoria hominum excidisset, XVI. cal. Januarii an. 1260. existente tunc Guiraudo abbate S. Pauli. Hæc autem societas reperitur in archivis ejusdem ecclesiæ. Præsens adstitit eodem anno sententiæ a Raimundo de Valhauques Biterrensi episcopo in gratiam duorum Anianæ monachorum III. id. Martii latæ. Anno 1263. fatis fungitur Raimundus, ut constat ex sententia excommunicationis a Pontio episcopo Biterrensi dicta in canonicos sancti Afrodisii, qui sine ejus placito Petrum Vesiani in locum Serinhani elegerant, ex tabulis sancti Afrodisii, quarum ope Guillelmum de Broa, qui in Gallia Quadripertita legitur, expunximus, & de duobus Raimundis unum tantum restituimus.

Prob. hist. Occit. t. 3. col. 516.

Ibid. col. 522.

XIX. Petrus III. Vesiani ex sacrista S. Afrodisii factus abbas an. 1263. gravissimarum inter canonicos & Pontium de S. Justo episcopum Biterrensem querelarum occasio fuit. Animam efflabat Raimundus, cum de mandato Pontii episcopi canonici S. Afrodisii claves abbatiæ camerario S. Nazarii tradiderunt, quippe quæ ab antistite erat administranda post obitum abbatis juxta compositionem factam anno 1175. Raimundo autem defuncto, canonici noluerunt episcopum abbatiam regere, donec ipsi abbatem elegissent, interimque Petrum Vesiani in abbatem assumunt minime consulto episcopo nec vocato, qui canonicos excommunicavit III. non. Julii 1263. Re Guidonis cardinalis Sabiniensis episcopi sedis apostolicæ legati, qui tunc Biterris agebat arbitrio delata, tradidit Guido formam, quæ deinceps in electione abbatum S. Afrodisii juxta bullam Lucii III. & pacta inter Gaufridum Biterrensem episcopum & capitulum S. Afrodisii jam conventa servanda foret; cassam irritamque Petri nominationem promulgavit, aliasque diremit quæstiones circa regimen abbatiæ sede vacante, stationesque ad sanctum Nazarium faciendas, ut nullæ in posterum essent inimicitiæ inter ecclesias S. Afrodisii & S. Nazarii & earum archimandritas. Quæ quidem sententia pronunciata fuit VI. cal. Jun. 1264. & a partibus utrinque firmata & roborata. Facta itaque de assensu & consilio episcopi nova electione, Petrus Vesiani omnium suffragiis iterum fuit designatus. Anno 1266. mense Maio a sancto Ludovico Francorum rege delegatus judex super controversia inter vicarium Carcassonensem ex una parte & syndicum cathedralis ecclesiæ S. Nazarii Carcassonensis ex altera, judicium profert, quo mulctam syndico 70. assium pro sumtibus imponit. An. 1268. XIV. cal. Jun. sententia definitiva litem absolvit pendentem coram ipso inter capitulum S. Afrodisii & Bernardum Guitardi sacristam. Excusat se an. 1269. quod non possit interesse concilio apud Montempessulanum convocato. Præsens memoratur transactioni initæ inter regem Franciæ & monachos S. Tiberii. Adstitit comitiis generalibus apud Biterrim habitis anno 1271. & vicem egit abbatis S. Tiberii. Obiit VIII. id. Jun. an. 1287. ut docet ejus epitaphium:

Charta XXVIII. col. 338.

Moribus ornatus abbas jacet hic tumulatus,
Vir bonus & gratus, Petrus fuit iste vocatus,
Largus, discretus, omni bonitate repletus,
Ut decuit, lætus, agnus, leo, morte quietus.
Ut Deus adsit ei, summæ quoque flos speciei
Mater virgo Dei, dic, miserere mei.

Anno Domini MCCLXXXVII. VIII. *idus Junii obiit dictus dominus Petrus Vesiani abbas hujus ecclesiæ.*

Qui tumulum cernis, cur non mortalia spernis!
Tali namque domo clauditur omnis homo.

Raimundus Fabri prior S. Magdalenæ Biterrensis abbatiam S. Afrodisii per obitum Petri vacantem nomine Pontii de S. Justo episcopi Biterrensis administrat, donec electus sit

XX. Berengarius II. Fredoli qui ratione administrationis abbatiæ vacantis a Raimundo exacta, cum eo querelam habuit pro sumtibus, quos rector impendisse dicebat, & ab abbate repetebat: quæ quidem controversia mediis arbitris finita est, & a partibus confirmata VIII. cal.

Augusti 1292. Memoratur 1293. in charta Magalonensis ecclesiæ. Remisit VIII. cal. Augusti 1294. Ricardæ relictæ Stephani Bordas bona illius fisco addicta per officiales ipsius curiæ ob homicidium Petri Cardonac. Transiit inde ad cathedram Biterrensem eodem anno, ut diximus in catalogo episcoporum, ubi de eo plura vide.

XXI. Bernardus V. Regis innotescit ex bulla Cœlestini papæ V. data Aversæ II. non. Nov. pontificatus anno I. (hic est annus 1294.) qua Egidio Narbonensi archiepiscopo dat potestatem summus pontifex nominandi & conferendi Bernardo Regis papæ capellano abbatiam sæcularem S. Afrodisii vacantem per electionem Berengarii Fredoli in episcopum Biterrensem: bulla exstat in archivis Dominicanorum Claromontensium in Arvernia. Fueritne nominatus & electus Bernardus nescimus; illud tantum certo possumus affirmare, si sederit Bernardus, non diu sedisse, nam

XXII. Johannes I. Aycelini ecclesiæ S. Afrodisii pedum jam tenebat an. 1295. ut elucescit ex instrumento Egidii miseratione divina sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopi in eodem tabulario ac bulla de qua in præcedenti asservato, quo ex litteris apostolicis sibi a Nicolao papa IV. concessis apud Urbem veterem X. cal. Junii pontificatus anno V. nominandi ad beneficia, dignitates, præbendas, &c. & confirmatis a Cœlestino papa V. confert abbatiam sæcularem S. Afrodisii venerabili viro in Christo, sibi reverendissimo Johanni Aycelini abbati sæcularis ecclesiæ Claromontensis. *Actum Narbonæ in camera nostra, anno Nativitatis Christi 1295. regnante Philippo rege Francorum V. cal. Dec.* in præsentia Guillelmi de Ulmo abbatis sæcularis ecclesiæ de Artona. Quisnam autem fuerit homo iste Johannes diximus jam in abbatibus Claromontensis ecclesiæ tom. 2. col. 309. in textu & in notis. Hoc vel altero sedente, capitulum S. Afrodisii adhæsit appellationi Philippi regis a papa Bonifacio an. 1303.

XXIII. Benedictus Gaïetanus reperitur abbas an. 1311. quo die 2. Julii oblata sibi Malasane, ubi tunc agebat in diœcesi Vasionensi, a capitulo suo statuta ecclesiæ sancti Afrodisii a canonicis digesta ab ultima die Augusti an. 1307. confirmavit, rejectis quibusdam capitibus, & super ea confirmatione auctoritatem suam interposuit & decretum.

XXIV. Fredericus de Flisco filius Guillelmi de Flisco dicti de Camezana in locum Benedicti defuncti subrogatur abbas S. Afrodisii a Luca cardinali tituli S. Mariæ in via lata. Hanc autem collationem moleste ferentes episcopus Biterrensis, qui jure suo abbatiæ per obitum abbatis vacantis regendæ frustrabatur, & canonici, quibus libera eligendi facultas auferebatur, ad sedem apostolicam appellarunt III. cal. Aprilis 1312.

XXV. Guillelmus V. occurrit abbas S. Afrodisii mense Junio 1316. in archivis Monspeliensibus.

XXVI. Andreas Fredoli e stirpe Fredolorum nobilissima oriundus, canonicus erat Leutevensis & abbas S. Afrodisii, cum an. 1317. nomine Leutevensis ecclesiæ missus fuit ad concilium provinciale. Eodem anno VIII. cal. Mart. laudavit legatum molendini factum a Guiraudo Salomone eleemosynæ sancti Afrodisii. Canonicus simul erat ecclesiæ Narbonensis, ut constat ex instrumento donationis ab ipso factæ dictæ ecclesiæ pridie nonas Novembris an. 1330. quod in appendice reperies. Quædam statuta condidit pro sua ecclesia 6. Maii 1335. Anno vero 1346. die 29. Aprilis juxta schedulam exhortationis & mandati Benedicti papæ XII. plura in augmentum divini cultus statuit, præsertim ut canonici decenti in habitu divinis interessent. Insequenti anno statutum edidit die 12. Maii de correctione culparum, quas hebdomadarii & beneficiati in choro committerent. Sammarthani tradunt Andream ex abbate S. Afrodisii factum episcopum Magalonensem, sed pace tantorum virorum dixerim, sibi ipsis non constant: Andreas enim Fredoli ipsis auctoribus ex canonico Magalonensi factus est episcopus Uceticensis, unde transiit ad Magalonensem ecclesiam anno 1318. decennio post defunctus: abbas vero noster regimen sancti Afrodisii habuit ab anno 1317. saltem usque ad annum 1347. proindeque inter Magalonenses antistites adscribi non potest.

Charta XXXVII. col. 163.

XXVII. Gilbertus nunc primum innotescit ex litteris Clementis VI. summi pontificis, quibus Gilbertum abbatem S. Afrodisii in locum Stephani S. Pontii episcopi ad Arelatensem ecclesiam translati sufficit an. 1349. Vide episcopos S. Pontii.

XXVIII. Bernardus VI. de Mandagachis præerat an. 1353. quo Hugoni Biterrensi episcopo visitare volenti capitulum S. Afrodisii die 13. Sept. opposuit se Rostagnus de Amatio sacrista nomine capituli, instititque solum abbatem ut caput & gubernatorem totius ecclesiæ, minime vero capitulum, solitum esse recognitionem præstare episcopo, quando lustrat parochiam dictæ ecclesiæ. Addidit & canonicos sicut & beneficiatos ejusdem ecclesiæ subesse immediate ab omni tempore correctioni abbatis: quibus auditis, destitit Hugo a proposito, sola contentus visitatione parochiæ. Bernardo autem nostro consules Biterrenses 30. Nov. 1364. dimiserunt 106. florenos e 232. quos tum ipse, tum prior beatæ Mariæ de Cassiano, & capitulum sancti Nazarii dictis consulibus debebant pro muris reparandis. Tulit an. 1368. sententiam super diversis quæstionibus motis inter canonicos cathedralis Biterrensis & beneficiatos ejusdem. Compositionem edidit die 3. Maii 1370. cum consulibus & civitate Biterrensi propter feudum Francisci Boffati in terminis S. Genesii de Menestrolio, quem civitas acquisierat. Memoratur an. 1374. in archivis Monspeliensibus. Rexit Bernardus ad annum 1391. quo cessit in fata. Illo autem defuncto, renovata est dissensio inter Bartholomæum de Montecalvo episcopum Biterrensem & capitulum S. Afrodisii ob regimen abbatiæ sede vacante, unde & lites motæ, sæpius sopitæ sæpius recrudescentes, tandem arbitrio Jacobi Bruni & Raimundi

Raimundi Fulquerii baccalaureorum die 26. Aprilis 1391. omnino exstinctæ fuerunt vi decreti Guidonis cardinalis Sabinensis, cujus superius mentio facta est ad annum 1264.

XXIX. Matthæus abbas S. Afrodisii recensetur inter abbates qui miserunt ad concilium Pisanum procuratores an. 1409. Alia non habemus abbatis hujusce monumenta, præter quasdam laudationes & investituras possessionum a directo dominio abbatiæ dependentium.

XXX. Johannes II. Sessala canonicus ecclesiæ Biterrensis pedum S. Afrodisii jam tenebat anno 1424. quo a Guillelmo Biterrensi episcopo missus fuit ad comitem Fuxensem, cui jam Guillelmus domum suam episcopalem fuerat pollicitus, ut illum a proposito inducendi suas turmas in ecclesiam S. Nazarii & in episcopale palatium avocare tentaret, sed quam irrita fuerit hæc politica legatio videri potest apud Andoquum hist. episc. Biterr. pag. 129. & seq. Diem & annum obitus Johannis indicat necrologium Biterrense his verbis : *V. id. Septemb. obiit reverendus dominus Johannes Sessala abbas S. Afrodisii, atque canonicus præsentis ecclesiæ Biterrensis anno Domini 1428. & jacet in claustro S. Afrodisii.*

XXXI. Geraldus Charracii seu de Briconia e prosapia nobili originem trahens, ut varia docent monumenta, defuncto Johanne eligitur die 14. Sept. 1428. Facta a canonicis electione per viam scrutinii, nonnulli asseruerunt minus idoneum illum esse ob quosdam personæ defectus: convocato itaque rursus capitulo, & canonicis qui primæ non aderant, in altera electione præsentibus, assumitur in abbatem die 4. mensis Decembris ejusdem anni. Insequenti sacramentum fidelitatis præstitit Guillelmo episcopo Biterrensi 18. Aprilis. Archidiaconus erat Laudunensis, cum factus est episcopus Appamiensis, tum sancti Pontii, ubi vide.

XXXII. Raimundus II. Arditi canonicus ecclesiæ Biterrensis electus abbas episcopo Biterrensi jurat obedientiam an. 1431. Juxta decretum concilii Basileensis remisit an. 1438. Guillelmo de Montegaudio Biterrensi episcopo, abbati S. Tiberii, & officiali Agathensi commissariis a synodo delegatis statuta suæ ecclesiæ, ut reformarentur secundum constitutiones dicti concilii. Hujus multæ habentur chartæ adusque annum 1461.

XXXIII. Jacobus II. Petit toto quo tenuit abbatiam tempore usus est vicario & procuratore generali Petro Morelli canonico S. Afrodisii, quo nomine plurimæ illius reperiuntur recognitiones. Obiit Monspelii 24. Maii 1475. post cujus obitum successit

XXXIV. Umbertus de Laia abbas S. Afrodisii. E vita migravit mense Sept. anni 1478. ut patet ex litteris encyclicis canonicorum sancti Afrodisii datis die 8. eorumdem mensis & anni, quibus convocant omnes ad quos novi spectat electio abbatis facienda. Post ejus fatum Jacobus Picardi regio nomine administravit bona abbatiæ usque ad electionem sequentis.

XXXV. Johannes III. d'Oriole senator in curia parlamenti Tolosani anno 1481. die 21. Februarii fecit compositionem cum Jacobo de Minutolis episcopo Agathensi circa solutionem pensionis annuæ modii & dimidii bladi *araonis* ortæ ex quadam permutatione decimarum facta a Bernardo Calveto abbate, de qua diximus supra.

XXXVI. Arnaudus Capuci juris utriusque baccalaureus ex canonico Agathensi factus abbas S. Afrodisii, vicarius generalis Antonii du Bois episcopi Biterrensis adstitit die 2. Oct. 1509. hoc nomine electioni Catharinæ de Briniac in abbatissam S. Spiritus. Multa bona largitus est sancto Afrodisio, præcipue grangiam dictam de Lalacuna sive Lafoucardo, sitam partim in termino de Capite stagni, & partim in termino de Remigiano. In necrologio Biterrensi commemoratur hoc modo : *VII. id. Octobris obiit R. D. Arnaudus Capuci abbas ecclesiæ S. Afrodisii anno a Nativitate 1511. & sepultus circa medium chori dictæ ecclesiæ S. Afrodisii. Fundavit festum S. Luciæ sub officio duplici.*

XXXVII. Arturus Bureau Johannis cognominis episcopi Biterrensis ex fratre nepos, obedientiam præstitit Biterrensi præsuli an. 1511. Hujus variæ reperiuntur tabulæ conscriptæ a Martino Mas illius procuratore. Præerat adhuc an. 1514.

XXXVIII. Antonius I. de Vesc ex stirpe baronum de Grimault episcopus Agathensis, pro quo Petrus de Corneliano canonicus & sacrista S. Nazarii dedit investituram 8. Julii anni 1529. Hunc opinor sequenti cessisse episcopatum Agathensem & abbatiam S. Afrodisii. Consule episcopos Agathenses.

XXXIX. Franciscus I. de Castelnau cardinalis de Clermont, primus a rege nominatus abbas S. Afrodisii occurrit an. 1534. quo illius procurator exhibuit regiis commissariis libros recognitionum cœnobii, ut doceret de feudo abbatiæ coram iisdem delegatis, ad recognoscendum & reformandum dominium regis, ut patet ex inventario recepto per Guillelmum Rainaudi notarium. Plura vide in episcopis Agathensis ecclesiæ, quam inter alias occupavit.

XL. Guillelmus VI. de Cajot, de quo in hist. Sebusiana auctore Guichenon part. 3. pag. 88. ecclesiam S. Afrodisii administrabat anno 1543. Illius vice Petrus de Petra varias fecit feudi abbatiæ recognitiones.

XLI. Simon de Pierrevive procuratore usus est generali Amedæo Baronat canonico & sacrista S. Pauli Lugdunensis, qui defuncto Simone abbatiam œconomus administravit usque ad nominationem regis.

XLII. Antonius II. de Podio archidiaconus Caprariensis in ecclesia Biterrensi, nominatus abbas S. Afrodisii post annum 1561. cum facultate baculi & mitræ, ceterorumque insignium pontificalium, benedicitur a Juliano de Medicis episcopo Biterrensi, non ignaro veteris abbatiæ privilegii, licet omnia documenta tabularii fuissent anno præcedenti ab hæreticis igne consumta. De eo necrologium Biterrense : *XIII. calend.*

Octobris obiit reverendus ac venerabilis vir D. Antonius de Podio abbas S. Afrodisii, archidiaconus Caprariensis præsentis ecclesiæ, qui obiit die 20. mensis Septembris anni 1572.

XLIII. Franciscus II. de Trotin archidiaconus in ecclesia Carcassonensi, factus abbas sancti Afrodisii nunquam resedit.

XLIV. Hercules de Gailhac successit Francisco, cujus per obitum in curia Romana orta dissensione inter summum pontificem, qui Franciscum Isarni abbatem nominarat, & Galliæ regem, qui Dominicum Ressieguier presbyterum designaverat, Dominicus cum ut pote fiduciarius, datam domicellæ de Ribes Herculis avæ pro uno e liberis ejus abbatiam postridie declarasset, facti pœnitens, absolutionem petiit ab episcopo, qui eum ad summum pontificem seu legatum Avenionensem remisit die 10. Sept. 1597. Hujus ex cessione Hercules regium diploma die 3. Martii ejusdem anni regii stabuli comitis favore subnixus obtinuit, transactioneque quadriennio post cum Francisco Isarni a summo pontifice designato die 16. Augusti anno 1601. habita, favore rursus stabuli comitis, necnon & intuitu servitiorum Petri de Gailhac ejusdem secretarii defuncti a rege nominatus iterum 19. eorumdem mensis & anni, solus remansit abbas pacificus, sed paulo post in gratiam sequentis de consilio propinquorum & ipse cessit.

XLV. Petrus IV. Dalmatius jam tribus beneficiis auctus, cedente Hercule, regio donatur diplomate die 10. Nov. 1601. bullisque pontificiis confirmatus, benedictus fuit cum eadem facultate baculi & mitræ die 19. Januarii anni 1603. a Petro de Fleyres episcopo S. Pontii Tomeriarum de licentia Johannis Bonzii episc. Biterrensis, cui an. 1605. die 16. Maii præstitit hominium solemne. Anno eodem Biterrensi episcopo intendenti visitare ecclesiam S. Afrodisii ex episcopali jure, Petrus non licere aliud lustrare quam parochiam contestatus est, ecclesiæ autem & capituli regimen penes se esse tanquam ecclesiæ caput. Inter eum & vicarios generales episcoporum orta est dissensio in concilio provinciali Narbonensi anno 1609. circa prærogativam ordinis anterioris, cujus occasione contenderunt vicarii illum non habere jus baculi & mitræ, sed cum de possessione quæstio esset, voluit illam Dalmatius stabilire coram judicibus regiis, citato vicario generali episcopi Biterrensis apud senatum Tolosanum; quo comperto Ludovicus de Vervins archiepiscopus Narbonensis jussit non ulterius persequi in foro sæculari, & ita finito concilio usque in finem abbas remansit possessor insignium pontificalium, cum quibus honorifice sepultus est, quæque visuntur adhuc in thesauro ejusdem ecclesiæ S. Afrodisii. Circa annum 1611. ab Hercule decessore tanquam fiduciarius lacessitus fuit, sed frustra.

XLVI. Dominicus de Bonzi episcopus Cæsareæ & coadjutor Johannis Bonzii episcopi Biterrensis inter abbates sancti Afrodisii annumeratur a Sammarthanis, quia inter eum & Henricum de Disimieu sequentem lis suborta est, utroque jus in dicta ecclesia sibi vindicante. Sed si nullam aliam afferant rationem, non video cur Dominicus potius quam quilibet episcopus Biterrensis sede S. Afrodisii vacante abbas dicendus sit. Nihil enim impedit quominus vel sede post obitum Petri vacante, vel Henrico non residente, vel propter aliam quamlibet causam Dominicus vicarius generalis & coadjutor episcopi Biterrensis jus in dictam ecclesiam sibi arrogaverit, nec ideo fuerit abbas. Attamen hæc pro meris conjecturis haberi volo, & cum debita Sammarthanis reverentia. De Dominico consule Biterrenses episcopos.

XLVII. Henricus de Disimieu ex stemmate comitum de Disimieu in Delphinatu lite, quæ inter ipsum & Dominicum de Bonzi, absoluta, possessor remansit pacificus an. 1619. Verum toto tempore quo abbatiam tenuit Viennæ commoratus est.

XLVIII. Johannes IV. de Pierre per renunciationem Henrici successit, adversus quem Clemens Bonzius episcopus Biterrensis litem intendit circa usum insignium pontificalium, quem pervetusta decessorum suorum possessione fultus hic abbas sibi asserere proposuit. Itaque novam illi & successoribus gratiam contulit sanctissimus pontifex Innocentius X. bulla data XI. cal. Jun. pontificatus anno VII. qua abbatibus S. Afrodisii usum mitræ, baculi, annuli, crucis pectoralis & aliorum pontificalium iterum indulsit. Comitiis generalibus cleri Gallicani anno 1656. die 2. Septembris Lutetiæ habitis interfuit Johannes, ibique subscripsit epistolæ cleri ad Alexandrum VII. summum pontificem. A sæculo migravit an. 1676. Ipse est S. Afrodisii abbas, qui decessorum seriem ex diversis contexuit monimentis, quam beneficio D. J. B. de Rocoles regi ab eleemosynis & canonici S. Benedicti Parisiensis acceptam in lucem emiserunt Sammarthani.

XLIX. Johannes V. Pelissier Johanni defuncto subrogatus abbas S. Afrodisii eodem anno possessionem adeptus est die 9. Decemb. 1676. Decessit 1692.

L. Petrus V. Gineste Johannis successor designatus die sancto Paschæ 5. Aprilis 1692. possessionem iniit eodem anno.

LI. N. Gineste abbas S. Afrodisii possessionem per procuratorem adipiscitur an. 1700. Nominatus jam dicitur an. 1696. in novo beneficiorum indice typis edito.

ABBATIÆ DIŒCESIS BITERRENSIS

Quæ in quo conditæ eodem in statu perseverant.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Juncellum.
Villa magna.

ORDINIS S. AUGUSTINI.

S. Jacobus.
Cassianum, prioratus.
S. Spiritus, femin.

Clarissæ Biterrenses.

Jaucels ou Joncels.

JUNCELLUM *

MOnasterium ordinis S. Benedicti fundatum in honorem B. Petri apostoli in territorio Lunatis, castri olim muniti vulgo *Lunas*, situm est in montibus diœcesis Biterrensis in finibus Ruthenorum & Leutevensis diœcesis, duabus leucis a Leuteva distans, octo vero a Biterra Septentrionem versus. Hujus origo prorsus incerta: quis fuerit auctor conditorve, qui primi abbates non potis est definire. A Saracenis destructum Pippinus rex ad preces Benedicti abbatis restituit hoc monasterium, quod posuit sub regio *mundeburdo* præcepto dato Pontigonis anno XVI regni sui: editum est in collectione capitularium regum Franciæ Baluzii. Prius ad requisitionem ejusdem abbatis totum ei territorium Juncellense dedisse tradunt Sammarthani, *ex instrumento donationis asservato in scriniis monasterii*, unde Juncellense nomen obtinuit. Carolus rex Fructuoso abbati largitus est ecclesiam de Fulcuhano cum fisco regali, cœnobiumque in tutelam recepit regiam. Alio rex Odo diplomate Pippini & Caroli præcepta roboravit an. 890. rogante Audegario abbate in Baluziana collectione. Gregorius vero VII. summus pontifex concessa monasterio confirmavit, sicut & Paschalis II. Innocentius II. Lucius III. & Clemens IV. qui omnes ejus possessiones enumerant. In synodo Aquisgranensi anno 817. habita inter cœnobia Septimaniæ, quæ regi ac regno preces tantum debent, recensetur *monasterium S. Petri in Lunate.* Unitum jam anno 909. Psalmodiensi Juncellense probat præceptum Caroli Simplicis, qui universas utriusque loci possessiones confirmavit, & regia tuitione dignatus est, Ragembaldo utriusque loci abbate. Quin & inter beneficia Psalmodii recensetur adhuc in bullis Urbani II. & Paschalis II. Ut autem hac ab unione absolverentur, nihil non egerunt Juncellenses: at liberi omnino esse non potuerunt, nisi anno 1139. Interim hoc asceterium sæculo decimo exeunte dirutum ac desolatum resarcivit ac restituit S. Fulcrannus Leutevensis episcopus, qui & abbatem ei præfecit, ut legitur in ejus vita. Unitur adhuc seu subjicitur S. Victori Massiliensi ab Urbano papa V. bulla data anno 1366. Denique cœnobium hoc fere solo æquavere novatores sæculo XVI. pretiosa quæque ac præcipua venerandæ antiquitatis monumenta dissipando: unde non sine labore & tædio seriem abbatum imperfectam ex variis tabulariis, sed præsertim ex schedis D. Claudii Etiennot contexuimus.

Ch. III. col. 128.

Abbatum Series.

I. BENEDICTUS abbas Juncellensis temporibus Pippini regis, qui Septimaniam an. 752. occupavit. Huic Pippinus Sammarthanis auctoribus largitus est territorium Juncellense, quin & a Saracenis desolatum monasterium restauravit, concessa confirmavit & auxit.

II. Fructuosus Juncellas regit anno V. Caroli regis, qui cœnobio largitur ecclesias B. Mariæ A de Fulcuhano cum fisco regali & sancti Cyricii de Besseto.

III. Audegarius Juncellensi præest cœnobio temporibus Odonis Francorum regis, qui ad ipsius preces an. 890. Juncellensia confirmat cœnobio prædia, privilegiumque liberæ abbatis electionis a Pippino & Carolo abbatibus Benedicto & Fructuoso jam concessum renovat.

IV. Ragembaldus dicitur abbas monasteriorum Juncellensis & Psalmodiensis in præcepto Caroli Simplicis dato nonis Junii anno XVII. regnante Carolo rege, quo tempore jam unita fuerat abbatia Juncellensis monasterio Psalmodiensi.

B V. Witardus ad quem exstat privilegium Stephani papæ, quem septimum Mabillonius autumat, notis chronicis destitutum pro monasteriis Psalmodiensi & Juncellensi sito in territorio Biterrensi in castro Lunatis, quibus præest Witardus abbas.

VI. Stephanus Juncellensi cœnobio a sancto Fulcranno Leutevensi præsule præficitur, qui Juncellense monasterium jam pene eversum ac dirutum multo labore & studio restauravit. Audiendus hac de re Bernardus Guido in vita S. antistitis: *Monasterium*, inquit, *Juncellense sibi vicinum in honore B. Petri & omnium sanctorum* C *fundatum sibi acquisivit, & a malefactoribus, qui tunc temporis abundabant in terra, pene jam eversum atque dirutum multo studio & labore reparavit, & extirpavit inde quæ noxia erant; ac sarabaitis reprobis monachis eliminatis, & cœnobitis probis introductis, strenuum & religiosum valde virum nomine Stephanum patrem eis præposuit & dedit abbatem, quem, cum venerabilis vitæ foret, ipse Fulcrannus plurimum amavit: pro cujus etiam amore monasterium ipsum multis opibus & optimis possessionibus ampliavit.* Hactenus Guido. S. Fulcranni testamento an. 987. condito, quo plurima monasterio Juncellensi legat, subscripsit Stepha- D nus, qui & hoc rogatus scripsit. Idem forte ac Stephanus abbas qui adfuit placito habito Biterris die 28. Julii anno 1013. XVIII. regnante Roberto.

Ch. V. col. 272.

VII. Lautardus dicitur abbas de Vincella in chronico Figiacensi hoc circiter tempore, factus inde abbas Conchensis.

VIII. Warnerius abbas Psalmodii & Juncellensis temporibus regis Roberti.

IX. Pontius Eblo ex decano cœnobii Gellonensis factus abbas Leutevensis, Juncellensi præerat asceterio ante annum 1070. electus postea a Gellonensibus prior S. Petri Salviensis E ex instrumento hujus cœnobii.

X. Berengarius I. abbas Psalmodii & Juncellensis anno 1076. vel 1086. quo Berengarius Guillelmi & uxor ejus Lupiana dederunt Deo & monasteriis Juncellensi ac Psalmodiensi ecclesiam S. Ceciliæ subtus castrum de Lupiano. An. 1098. Urbanus papa II. brevi dato Romæ cal. Maii indictione XII. statuit, ut Juncellense monasterium deinceps remaneret sub dominio & jurisdictione abbatis Psalmodiensis, a qua tamen paulopost fuit absolutum, ut constat ex litteris Arnaldi Narbonensis archiep. inter instrumenta.

Ch. IX. col. 134.

Hoc vel ſequenti ſedente Juncellenſibus adverſus Conchenſes monachos adjudicata fuit an. 1122. eccleſia S. Martini de Canalibus in placito habito apud S. Martinum de Caſtaro.

Ch. XIII. col. 277.

XI. Berengarius II. Juncellas regebat anno 1135. quo Innocentius papa II. ad ipſum bullam dedit, qua ad inſtar Gregorii VII. & Paſchalis II. enumerat & confirmat poſſeſſiones & eccleſias jam cœnobio Juncellenſi attributas.

Ch. X. col. 135.

XII. Guillelmus I. Juncellenſe cœnobium a Pſalmodienſi omnino liberum fore obtinet anno 1139. bulla Innocentii II. quam inter inſtrumenta ſubjecimus. Guiraldo Salvanienſi abbati donavit decimam manſi de Raſegue an. 1151.

Ch. XI. col. 136.

XIII. Bernardus I. præerat Juncellis an. 1158. ex chartulario Gellonenſi. Anno 1163. arbiter litem motam inter Richardum Gellonis abbatem & Geraldum Geraldi ſuper *bailia* caſtri Virduni ſopit. Cum aliis ſequeſter conſtituitur an. 1166. compoſitionis inter Gaucerandum de Capite ſtagni & Pontium Narbonenſem archiepiſcopum. Occurrit & 1173. in teſtamento Begonis de Bruſcha.

XIV. Deodatus de Claromonte poſt mortem Bernardi abbas eligitur a monachis anno ſaltem 1174. ſed cum ejus electio minus canonica epiſcopo viſa fuiſſet Biterrenſi, hanc reprobavit irritamque declaravit. Non ideo tamen a regimine abſtinuit Deodatus: hoc enim eodem anno dedit Petronillæ quidquid ipſi Bego de Bruſcha conceſſerat in eccleſia de Caſſanoiol. Itaque poſt aliquot annorum ambages, ſatagentibus archidiacono & præcentore eccleſiæ Biterrenſis & abbate S. Guillelmi, epiſcopus cum monachis iniit concordiam legibus in inſtrumento citatis, Deodatumque abbatem ſolemniter benedixit in eccleſia S. Nazarii 10. Martii anni 1180. Lucius papa III. cœnobio Juncellenſi conceſſa recenſuit & confirmavit bulla pontificia data an. 1184.

Ch. XVIII. col. 141.

XV. Guillelmus II. abbas Juncellenſis anno 1189. de quo necrologium Caſſiani: *Nonis Auguſti obiit domnus Guillelmus abbas S. Petri Juncellenſis.*

XVI. Bernardus II. de Magalatio gente toparcharum Magalatii nobili ſatus, occurrit abbas Juncellenſis an. 1204. quo arbiter intereſt compoſitioni factæ inter Barnerium de Magalatio militem nepotem ſuum & Berengarium abbatem & conventum S. Tiberii ſuper *ſextalario* Santiberiano, jure videlicet percipiendi quamdam menſuram in ſextarios bladi & olei, &c. Idem abbas eodemque anno de conſenſu capituli ceſſit cœnobio S. Tiberii in perpetuum eccleſiam de Nadaliano cum decimis & aliis pertinentiis ſub annua & perpetua penſione quatuor modiorum bladi cum ſemiſſe. Memoratur anno 1210. in chartis eccleſiæ Leutevenſis. Tandem ſenio morbiſque confectus regimini renunciavit, ſcripſitque Bernardo Biterrenſi epiſcopo electionem de R. de Clairano monacho Salvienſi factam ratam ſe habere & approbare.

XVII. Raimundus I. de Clairano ex monacho Salvienſi a Juncellenſibus electus poſt renunciationem Bernardi deceſſoris, qui epiſcopum Biterrenſem rogat, ut ejus electionem confirmet.

XVIII. Petrus I. de Duabus Domibus gente nobili Juncellis vicina ortus regit an. 1256. & 1257. quo acquiſivit beneficium & *laborantiam* de ponte, itemque anno 1258.

XIX. Jordanus de Montepavone eligitur abbas Juncellenſis an. 1258. Electus autem noluit obedientiam præſtare epiſcopo Biterrenſi, ne forte privilegiis monaſterio Juncellenſi a ſede apoſtolica indultis nocere videretur. Epiſcopus viciſſim ſolemnem benedictionem ei impertiri recuſavit. Re ad ſummum pontificem delata, Alexander IV. Jordani electionem confirmavit, epiſcopoque mandavit, ut benedictionis munus abbati electo impertiretur, ſin minus hanc Ruthenenſi epiſcopo provinciam legat, qui nomine Romanæ eccleſiæ a Jordano fidei ſacramento recepto, abbatem ſolemniter benedixit idibus Januarii anno 1259. Totius controverſiæ inſtrumenta in appendice retulimus. Jordanus itaque anno 1260. interfuit concordiæ inter Petrum de Brolio Villæ magnæ abbatem & Gaufridum de Felgariis. Adfuit XII. cal. Nov. an. 1261. electioni Bernardi de Turre abbatis Vabrenſis. Pepigit eodem anno cum Viviano epiſcopo Ruthenenſi pro decimis militaribus & epiſcopalibus vulgariter *novis* dictis apud oppidum S. Martini de Canalibus. Anno 1266. fatetur ſe habere in feudum francum & honoratum ab Alphonſo Pictavienſi & Toloſano comite ipſum monaſterium cum ſuis pertinentiis. Eo circiter tempore brevi Clementis IV. abſoluta fuit abbatia Juncellenſis ab omni dominio & juriſdictione epiſcopi Biterrenſis in cujus diœceſi ſita eſt, ut refert doctiſſimus D. Fr. Boſquet in vita ſancti Fulcranni pag. 45. & 46. Sed membra ipſi ſubjecta monaſterio quæ ſunt in eadem diœceſi, quia non probantur exemtionis privilegio gaudere, epiſcopo diœceſano ſubeſſe debere declaravit Clemens IV. bulla Viterbii data X. cal. Jan. pontific. anno 2. Reperitur adhuc Jordanus an. 1269.

Ch. XXVII. & XXVIII. col. 156.

Ch. XXIX. XXX. XXXI. col. 157. 158.

Ch. XXXII. col. 158.

XX. G. Fredoli abbas Juncellenſis interfuit ſynodo Biterrenſi IV. cal. Nov. 1299. Adhæſit appellationi ad concilium generale a Philippo pulcro factæ in conventu plurium prælatorum apud Montempeſſulanum habito die 25. Julii 1303.

XXI. Johannes I. Gombaudi anno 1307. monaſterium ſuum cum omnibus pertinentiis a rege Francorum tenere ſe in feudum francum & honoratum recognoſcit, qui viciſſim rex abbatem, monachos & monaſterium ſub ſua protectione ſpeciali, *amparatione*, cuſtodia, & tutela ſuſcipit. Nonnulla ſuo cœnobio acquiſivit an. 1311. Hujuſce abbatis temporibus Guillelmus Biterrenſis epiſcopus auctoritate ſedis apoſtolicæ munitus, monaſterium Juncellenſe reformavit an. 1321. Decennio poſt fatis fungitur Johannes an. 1331. ex actis pontific. Avenion.

XXII. Johannes II. Johannis e gente Johannæa nobili natus Johanni ſufficitur brevi apoſtolico Johannis papæ XXII. Avenione pontificatus anno XVI. dato. In utroque jure maxime canonico doctiſſimus, ſcripſit volumen de regulis

juris, in epistolas papales, & commentaria in decretales, quæ manuscripta exstant in bibliotheca collegii Fuxensis Tolosæ. Mabillonius ad annum 821. n. 10. Johannis abbatis Juncellensis meminit, qui tres libros scripsit de laude Anianæ rogatu nepotis sui Johannis Bibentis aquas sacristæ & monachi Anianensis, quo autem tempore vixerit incertum. Discipulum habuit Petrum Bocrii abbatem postea sancti Aniani, & deinde Urbevetanum episcopum.

XXIII. Jobelinus abbas Juncellensis præsens recensetur die 28. Julii 1344. recognitioni factæ a Margarita de Mostuejolis relicta Matfredi de Cassillac militis.

XXIV. Ademarus recensetur abbas Juncellensis anno 1345.

XXV. Petrus II. prior de Canalibus in diœcesi Vabrensi abbas Juncellensis creatur bulla Innocentii papæ VI. data Avenione anno IX. pontificatus, ex schedis doctissimi D. Suares. Anno 1362. 9. Febr. præsidet capitulo provinciali monachorum nigrorum loco Petri abbatis sancti Aniani, qui vices suas ei commiserat, quo nomine mandavit 15. Jan. 1367. quibusdam curatis seu capellanis, ut aliquot testes coram ipso citarent in causa fratris Bernardi de Ahenco monachi & camerarii Anianæ, quæ coram eo agitabatur. Interim anno 1365. sedem apostolicam per procuratorem visitavit, ut constat ex litteris Arnaldi archiepiscopi Auxitani, quas in instrumentis subjecimus, ut innotescat abbates cœnobiorum sedi apostolicæ immediate subjectorum, quale erat Juncellense, quandiu curia citra montes resideret, eam quotannis visitare teneri, aliorum vero monasteriorum abbates unoquoque biennio aut triennio. In capitulo generali monachorum nigrorum provinciarum Narbonensis, Auxitanæ & Tolosanæ in domo Fratrum Minorum Vaurensium celebrato an. 1368. ubi Petrus electus est præses, statutum inter alia est, quod ipse D. Petrus abbas Juncellensis librum regulæ & constitutionum D. Benedicti papæ XII. glossatum & cum apparatu bene dispositum per D. Petrum olim abbatem S. Aniani diœcesis S. Pontii, eidemque domno abbati Juncellensi per eumdem D. Petrum abbatem traditum cum publico instrumento reddat & restituat dicto capitulo, seu DD. præsidentibus, & in eodem loco Carcassonæ teneat, & custodiat, & diligenter conservet usque ad capitulum aliud celebrandum. Adfuit & Petrus concilio provinciali Narbonæ coacto an. 1374. mense Aprili. Præerat adhuc 1384. ut vult D. Cl. Etiennot, quo ad preces Stephani episc. Ruthenensis Guiraudo de Podio dedit administrandam ecclesiam de Claperio.

Ch. XL. col. 164.

XXVI. Armandus I. minime vero Arnaudus, ut legitur in actis concilii Pisani, successit. Nonnulla suo acquisivit cœnobio an. 1407. Concilium Pisanum per procuratorem adiit an. 1409.

XXVII. Raimundus II. Juncellas regit ad annum 1434. quo denascitur, aut pedum cedit.

XXVIII. Guido prior S. Bartholomæi Leutevensis cedente aut denato Raimundo fit abbas Juncellensis an. 1434. brevi apostolico Eugenii papæ IV. dato Florent. IV. cal. Augusti pontificatus anno IV. Memoratur in archivis ecclesiæ Vabrensis an. 1442. Nondum obierat 1448. hoc enim anno adfuit capitulo generali monachorum nigrorum die Mercurii prima Maii in civitate Biterrensi habito.

XXIX. Armandus II. Juncellas regit anno 1456. Nonnulla suo acquisivit cœnobio & incolas Juncellensis oppidi 40. libras Turonenses pro ipsius jucundo adventu, uti debebant & consueverant, solvere coëgit. Præsens memoratur venditioni factæ ab Arnaldo de Felgariis domino de Lunas die 24. Nov. 1459.

XXX. Bernardus III. Viridarius canonicus Narbonensis dicitur abbatiæ Juncellensis administrator perpetuus an. 1477. in archivis Monspeliensibus. Factus abbas cum Antonio de Thesan abbate Villæ magnæ gravissimas habuit lites ab anno 1481. ad 1484. quæ ad senatum Tolosanum delatæ, neutri decus addiderunt. Defunctus est anno 1488.

XXXI. Oliverius I. de Montfaucon dictus præses capitulorum generalium monachorum nigrorum annis 1490. 1495. 1499.

XXXII. Francus d'Augne reginæ a consiliis & eleemosynis Ludovico regi fidei sacramentum præstitit 27. Januarii an. 1503.

XXXIII. Oliverius II. Alberti ex monacho abbas Soricinienfis finiente sæculo XV. vel ineunte XVI. a fratribus canonice electus est, sed æmulos passus, annua pensione donatur, & postea fit abbas Juncellensis circa annum 1512.

XXXIV. Jacobus de Lautrec, filius Simonis toparchæ S. Germerii, de quo in historia genealogica magnatum Franciæ, Juncellis præerat die 16. Febr. 1542. ut constat ex senatusconsulto inter ipsum, Michaelem de Peyrollis, & Beatricem de Felgariis dato die & anno prædictis.

XXXV. Franciscus I. de Thesan simul archidiaconus S. Pontii Tomeriensis an. 1616.

XXXVI. Gabriel de Thesan patrui cessione utramque ipsius dignitatem obtinuit 1645.

XXXVII. N. du Poujol 1675. vir pius, nobilitate conspicuus, in restaurandis ecclesiis solers & generosus, solitudinis incola.

XXXVIII. Franciscus II. Batailler episcopus Bethleemiticus, Juncellensis commendatarius die 14. Augusti an. 1686. Obiit an. 1701.

XXXIX. Johannes Franciscus de Brizay episcopus Convenensis Juncellensem commendam obtinet anno 1693. denatus Convenis die 22. Maii 1710.

XL. N. de Massillan commendatarius a die 25. Julii anni 1710.

VILLA MAGNA.

VILLE-MAGNE L'ARGENTIERE.

Vetus abbatia SS. Martini & Majani de Villa magna ordinis S. Benedicti in finibus diœceseon Biterrensis & Castrensis inter asperos montes consita in loco, quem *Cogna* olim vocitatum volunt, ad [a] Orbum amnem [b] Maram fluviolum proxime recepturum, quinque admodum leucis distat a Biterri versus Septentrionem,

[a] l'Orbe. [b] la Mare.

Obscura prorsus ejus primordia referenda esse ad Clarinum vel Leubilam abbates, quos salutat Theodulfus episcopus Aurelianensis in carmine ad Anianenses monachos autumat noster Claudius Etiennot, additque monasterium pridem destructum a Ludovico pio exeunte saeculo octavo esse restauratum, ita ut Ludovicus Pius alter auctor, aut saltem instaurator merito dici possit, sed desunt quae id probent argumenta genuina. Sane exstabat anno 817. ut patet ex constituto synodi Aquisgranensis jussu ejusdem Ludovici Pii celebratae, in qua Villa magna annumeratur inter monasteria Septimaniae, quae nec dona, nec militiam regi dare debent, sed solas orationes pro salute Imperatoris vel filiorum ejus & stabilitate imperii.

Ex hac synodo facile intelligitur Villae magnae vocabulum an. 817. jam usu receptum, perperam derivari, ut vult auctor anonymus, a S. Majano, cujus reliquiae sub finem saeculi noni ex oratorio Lomberio castro proximo in hoc coenobium translatae sunt. Non confundenda autem Villa magna cum alia dioecesis Agathensis abbatia Valle magna dicta, de qua infra.

Quanta olim, quamque inclyta fuerit haec nostra abbatia, indicant ruinae adhuc superstites. Ab argenti fodinis, quae illic olim reperiebantur, Argentariae obtinuit cognomen. Praeter ecclesiam majorem, quae sanctos Martinum & Majanum a translatione patronos agnoscit, duae aliae visebantur intra septa monasterii, tresque in burgo parochiae: verum has neoterici ecclesias turpiter foedavere saeculo XVI. Militat nunc novis decorata aedificiis sub Benedictina congregatione S. Mauri, cujus ascetae in eam anno 1661. ingressi, non solum loca regularia a segregibus diruta, aut ruinam minantia resarcire, sed etiam basilicam impluvio & putri mucore foedatam, totam propemodum vepribus & spinis obsitam repurgare, ac solemni ritu benedicere iterum sategerunt anno 1664. Nunc opus, hic labor, ut abbates in sui temporis ordinem singuli vocentur; & quoniam horum seriem Robertus & Sammarthani fratres omiserunt in sua Gallia, eam ex schedis nostrorum Claudii Etiennot & Stephani du Laura, variisque monumentis par est describere.

ABBATUM CATALOGUS.

NUllus ante Venerandum Villaemagnensis coenobii saeculo IX. desinente abbatem invenitur ejus loci praepositus, itaque non ordine, sed notitia primus sit.

I. VEnerandus abbas erat Villae magnae, quo tempore facta est translatio corporis S. Majani confessoris in coenobium Cognense regnante Carolo juniore nepote magni Ludovici Caroli imperatoris filii. Quis autem sit Carolus iste junior operosum est definire. Carolum Calvum designat D. Mabillon saec. 4. Bened. parte 2. pag. 591. Verum huic interpretationi obstat auctor anonymus historiae translationis sancti Majani. Tradit enim Theodardum Narbonensem & Gilbertum Biterrensem antistites ejusdem translationis testes fuisse coaetaneos. Porro Theodardus sedi Narbonensi praeerat ab anno 885. ad 893. Gilbertus vero Biterrensi ab an. 885. ad 897. sub regibus Francorum Carolo Crasso & Carolo Simplici, ac proinde translatio haec intra idem tempus sub alterutro regum accidit, non autem sub Carolo Calvo, qui anno 877. jam obierat.

II. Guigradus, sicut & tres sequentes abbates innotescunt ex epistola monachorum Villaemagnensium ad monachos Canigonenses consolatoria de morte Wifredi comitis Ceritaniae & monachi Canigonensis scripta anno 1025. in qua petunt orationes pro abbatibus Villae magnae *Guigrado abbate, Richerio abbate, Poncione abbate, Gairaldo abbate*, quorum praeter nomina nihil repraesentare potis est.

III. Richerius.

IV. Poncio.

V. Gairaldus anno 1025. defunctus erat; quandoquidem pro eo & superioribus fato functis petuntur orationes.

VI. Artmandus abbas Villae magnae an. 1087. cui Ermengaudus dedit unum mansum in villa Bajella mense Novembri feria VI. luna VII. regnante Philippo rege.

VII. Autbertus vel Arbertus memoratur Villae magnae abbas an. 1092. in veteri charta ecclesiae Biterrensis. Ch. VIII. col. 133.

VIII. Berengarius I. ad annum saltem 1143. rexit, quo S. Gervasii ecclesiam cum appendicibus ab Adelgario saeculo duodecimo ineunte Villae magnae concessam Berengario abbati confirmat Hugo episcopus Albiensis III. calendas Aprilis an. 1143.

IX. Hugo I. testis recensetur in judicio lato a Raimundo Stephano de Cerviano mense Septembri anni 1156. ubi vocatur electus Villae magnae. Cum Cisterciensibus Vallis magnae monachis foedus pepigit anno 1159. quo & Guiraldum abbatem & fratres monasterii Salvaniensis eximit ab omni leuda & pedagii jure in omnibus suae jurisdictionis terris. Biennio post consensit Deodato Guillelmi Villae magnae monacho se suaque donanti Salvanesio, praesentibus Berengario archiepiscopo Narbonensi, episcopis Biterrensi & Leutevensi, necnon Hermengardi vicecomitissa Narbonensi an. 1161. Petrus episcopus Ruthenensis in litteris datis V. non. Maii an. 1162. docet Alexandrum III. summum pontificem asceterio B. Mariae de Elnonenca dedisse decimas, quas ab Hugone abbate Villae magnae impetraverat.

X. Raimundus I. in archivi regii Carcassonensis tabulis locum habet, ubi fides & hominium ab eo regi praestita referuntur anno 1169. Obiit cal. Julii ex necrologio beatae Mariae de Cassiano.

XI. Berengarius II. promovendae rei domesticae studio claruit. A Ludovico VII. Francorum rege muniendae Villae magnae ceterarumque villarum facultatem, & jurium ac immunitatum ab anterioribus regibus concessarum confirmationem obtinuit, vide instrumenta. Ecclesiam S. Gervasii cum oblationibus, decimis, primitiis, coemeteriis, Ch. XXIII. col. 150.

&c. consequitur, aut saltem confirmationem an. 1173. a Willelmo Albiensi pontifice, præsente Guillelmo Petri archidiacono, qui postea episcopus Albiensis & ipse fuit. Ecclesiam sancti Petri Reddensis Berengario abbati adversus Bernardum Gaucelini Biterrensem episcopum duo arbitri electi adjudicarunt an. 1182. Villam de Marnagues seu Bernagues an. 1189. ab Augerio acquirit. Willelmus Petri ex archidiacono Albiensis factus episcopus Berengario dat & confirmat an. 1192. ecclesias S. Gervasii, S. Petri de Neyrano, S. Mauritii de Rongas & S. Mariæ de Mauriano, quas monasterio pridem concesserant Aldegarius, Rigaldus, Hugo, & Willelmus pontifices Albienses. Natam inde litem Berengarius Aimerici Candeliensis & Ermengaudi S. Pontii abbatum interventu compescuit mense Maio ejusdem anni. Quædam apud Soumartre pretio 1000. solidor. Melgor. comparavit die 27. Novemb. 1195. ab Azemario de Arella abbate S. Marii Vabrensis. Biennio elapso facta est amicabilis compositio inter domnum Berengarium abbatem & probos homines ac populum Villæ magnæ, necnon & *minarios*, & monetarios ex una parte, & inter Salomonem dominum castri de Felgariis ex altera. Multis hinc retro temporibus exegerat Guillelmus de Felgariis pater quondam prædicti Salomonis, & ipse Salomon usque modo exigebat ab hominibus Villæ magnæ, & *minariis*, & monetariis nomine *guisatici & pesatici in trocellis*, *carguis*, *balis*, *saumatis*, ac oneribus quarumlibet rerum eorum per castrum de Felgariis transeuntium hoc quod de aliis hominibus ibi capiebat. Nata inde dissensio, querela & inimicitia de medio tolluntur in cœmeterio S. Martini Villæ magnæ. Controversiam portionariorum molendinorum draperii & aliorum de infirmaria super fluvium Maræ Villam magnam alluentem definivit Berengarius an. 1202. Denique an. 1205. IV. cal. Maii litem & controversiam cum Stephano de Cerviano propter *forciam* seu arcem Caissani subortam composuit, arbitris Ermengaudo episcopo Biterrensi, Salomone de Felgariis, Bernardo abbate S. Afrodisii, &c. qui Caissanum Villæ magnæ addixerunt.

Ch. xx. col. 144. Ch. xxi. col. 147.

XII. Raimundus II. jam anno 1209. cum Antonio Bonæ vallis abbate arbiter finivit lites. Insequenti bonorum ac privilegiorum confirmationem accepit a Philippo Augusto Francorum rege, qui patris hac de re præceptum roboravit in appendice. Præsens fuit cessioni ab A. electo Narbonensi de ecclesia de Cuxiaco & aliis nonnullis factæ canonicis SS. Justi & Pastoris in concilio habito II. calendas Maias an. 1212. Testis est in charta Simonis de Monteforti comitis Licestriæ & vicecomitis Carcassonæ & Biterrarum pro Bertrando episcopo Biterrensi an. 1213. Cum conquestus esset abbas Villæ magnæ coram abbatibus Crassensi & Caunensi, quod Narbonensis vicecomes invaderet ac deprædaretur bona Villæ magnæ, abbates an. 1216. scripserunt vicecomiti, ut ab injuriis jam illatis deinceps abstineret, sin minus contra eum per censuras processuros. Nomen quidem abbatis Villæ magnæ in litteris reticetur, quod tam de Raimundo, quam de Arnaldo sequenti potest intelligi. De Raimundo sic in necrologio S. Pontii asservato in bibliotheca regia: *VI. cal. Julii obiit Raimundus abbas Villæ magnæ.*

Ch. XXIII. col. 150.

XIII. Arnaldus I. *al.* Artaudus quanta cum Willelmo Albigensium antistite bella gesserit occasione cellæ S. Gervasii produnt ejus litteræ in chartulario Villæ magnæ asservatæ, ex quibus discimus episcopum per satellites suos manus injecisse violentas in monachos & sacerdotes ecclesiæ sancti Gervasii, quam & bonis mobilibus spoliaverat, canonicisque loco monachorum intrusis concesserat; quin & homines hujus parochiæ excommunicasse, qua de injuria cum Arnaldus bis ad Romanam sedem provocasset scilicet XII. cal. Februarii & pridie cal. Martii anno 1224. interim archiepiscopum Bituricensem rogavit, ut excommunicatos quantocius absolvere dignaretur. Instrumentum appellationis est in tom. 1. Anecdot. col. 913. Interfuit Arnaldus concilio Biterrensi an. 1225. Testis recensetur an. 1230. in compositione Durandum Albiensem inter & Petrum Narbonensem antistites de limitibus suæ diœceseos. Medietatem usuum & jurium in Podio Cazellæ a Sicardo de Boissezon milite comparavit anno 1231. Insequenti gravissimam de sancti Gervasii cella litem finivit, sententiam ferente arbitro T. Agathensi episcopo, quod ex tabulis S. Ceciliæ Albiensis docemur. Eodem anno jus investituræ in ecclesia Podii Saliconis Arnaldo confirmarunt arbitri electi Guillelmus abbas S. Afrodisii & Bernardus de Crosis rector ecclesiæ de Bociacis. An. 1234. in ejus præsentia Sicardus de Cabrairola & Bernardus frater vendiderunt eleemosynario Villæmagnensi quinque solidos Biterrenses usaticos, quos habebant in manso de Marnagues. Laudavit divisionem factam inter Petrum Stephani de Pedenatio & Johannem Feuterii de honoribus quos habebant apud Lunatium & Biterrim XIV. cal. Mart. an. 1238. Mortem ejus ad IV. calend. Augusti Cassianense necrologium assignat.

XIV. Petrus I. abbas Villæ magnæ transigit X. cal. Junii 1241. cum Bernardo episcopo Biterrensi de quibusdam decimis. Memoratur adhuc an. 1246. in chartis Narbonensibus.

XV. Raimundus III. anno 1247. ceteros inter proceres cessioni Biterrensis atque Carcassonensis vicecomitatuum in Ludovici Francorum regis gratiam factæ subscripsit. Eodem anno de ipsius mandato Bernardus Sicardi cellerarius tradidit clientelæ titulo Hugoni Garrico de Buxadone & Sicardo de Porcaressa totum mansum d'Engairagues, moxque seu vitam seu dignitatem Raimundus exuit.

Catel. comm. Occit. pag. 647.

XVI. Petrus II. de Brolio ex sacrista abbas Villæ magnæ precum ac suffragiorum communionem cum Cassianensibus sanxit anno 1253. Biterrensi concilio præsens fuit an. 1255. Cum Berengario Crassensium abbate iniit mutuam utriusque monasterii societatem anno 1256. in vesperis Paschæ. Eodem anno B. Mariæ de Soumartre ecclesiam Begoni Jordano Vabrensi abbati

cessit, a quo vicissim recepit ecclesiam de Fundamenta Ruthenensis dioecesis. Nonnulla Villæ magnæ prædia conjunxit an. 1260. quo Raimundus episcopus Biterrensis, aliique duo arbitri Petro & monasterio Villæ magnæ adjudicarunt omnem jurisdictionem in villa de Soumartre. Munificum expertus est benefactorem Guillelmum Gaudalem, qui cal. Julii an. 1262. bene multa tum huic abbatiæ tum pluribus dioecesis ecclesiis legavit. Volunt nonnulli Petrum electum fuisse abbatem Crassensem post Berengarium de Grava anno 1262. at huic obstat electioni, quod a P. Biterrensi, B. Tolosano, P. Agathensi, Berengario Magalonensi, R. Leutevensi, B. Carcassonensi episcopis & capitulo Narbonensi, ceterisque prælatis & ecclesiasticis ad concilium provinciale coadunatis invitatus Petrus, præ infirmitate adesse non potuit, unumque ex suis monachis delegavit V. nonas Octobris; annus equidem non designatur, ast alius esse non potest ab anno 1272. quo hi omnes præsules simul supererant. Eodem autem exeunte, seu vita, seu dignitate Petro spoliato, Villæ magnæ sedes vacabat XIII. cal. Febr. ut discimus ex tabulario.

XVII. A. reperitur Villæ magnæ abbas anno 1279. in charta ecclesiæ Albiensis.

XVIII. Petrus III. a quo, conventu & universitate Villæ magnæ tres arbitri electi definierunt homines hujus loci non posse habere furnos communes vel proprios tam in dicta villa quam in adjacentiis VII. cal. Nov. 1283. Pepigit cum incolis Tauciacensibus die 5. Nov. anni 1296.

XIX. Robertus I. censum bonorum abbatiæ Carolo Francorum regi exhibet die 23. Febr. anni 1309.

XX. Guido de Bociacis pedum Villemagnense jam tenebat XVIII. cal. Jan. 1312. quo declaravit oppidanos vici de S. Nazario teneri ad solvendam eleemosynariæ monasterii vicesimam partem bladorum & leguminum. Hic abbas vel sequens, prima enim tantum littera denotatur, misit procuratorem ad concilium Biterrense an. 1317.

XXI. Guillelmus de Olargua Villemagnensis abbas & dominus S. Genesii de Barassano donavit unum campum in emphyteosim in dicto territorio situm idibus Augusti an. 1318. Villæ magnæ autem pedum abjecit an. 1323. ut Caunensibus imperaret bulla Johannis papæ XXII. data Avenione pontificatus anno VII.

XXII. Bertrandus S. Crispini dioecesis Vabrensis prior erat, cum eodem anno creatur abbas ex Avenionensis pontificii gestis.

XXIII. Sicardus Villæ magnæ præerat jam ab anno 1329. ex tabulario. Clientelæ fidem & obsequium pro prædiis de Garagues & Buxadone, &c. accepit a Pontio de Thesan XV. cal. Maii anno 1331.

XXIV. Frotardus anno 1332. cessit D. Salomoni de Felgariis usum quorumdam pascuorum die 23. Februarii. Ab electo S. Gervasii priore octoginta libras primo ejusdem cellæ vacantis anno monasterio debitas accepit die 8. Martii 1340.

XXV. Ermengaudus memoratur in tabulis Villemagnensibus 23. Julii 1364. Ex Avenionensi pontificio moritur anno VI. pontificatus Urbani V. Christi 1368.

XXVI. Pontius iisdem actis docentibus mox eidem sufficitur bulla pontificia Urbani V. Gregorius papa XI. mandavit abbati S. Jacobi, ut Pontio adversus invasores monasterii succurreret brevi dato Lugduni pontificatus anno 3. III. id. Febr. 1373.

XXVII. Robertus II. Francorum regi fidem juravit anno 1389. pro prædiis de Thesano, S. Genesio, Barassano & Alignano. Creatur definitor capituli generalis Benedictinorum in conventu Fr. Prædicatorum Carcassonæ celebrati an. 1393. & 1398. Demum an. 1399. mensam abbatis a conventuali sejunxit, certosque monachis alendis reditus assignavit.

XXVIII. Michael anno 1404. locum habet in tabulis. Syndici de Biterrivis electi in manibus ejus jurarunt an. 1407. munere suo se bene & legaliter functuros. Numeratur Michael abbas Villæ magnæ inter abbates, qui an. 1409. ad concilium Pisanum miserunt procuratores. Finem imposuit die 4. Januarii an. 1412. controversiæ inter syndicos de Biterrivis obortæ & Raimundum Malaure. Jam obierat vel cesserat an. 1426. quo Villæ magnæ sedes vacabat.

XXIX. Hugo II. de Popiano electus anno 1427. priusquam ingrederetur monasterium, in plano existens ante portam S. Salvatoris Villæ magnæ requisitus a syndicis, confirmavit consuetudines, privilegia & libertates ab antecessoribus suis concessas die 7. Septemb. 1427. Insequenti vendidit nobili Bartholomæo de Popiano proventus unius hospitii siti in Villa magna die 16. Febr. 1428. Concessit 17. Nov. 1432. usum nemoris de Arenasses incolis de Calmeta. Facultatem dedit syndicis vendendi quartam partem prati communis ejusdem loci 10. Decemb. 1438. Annuente toto conventu prioratum S. Genesii mensæ abbatis univit 1445. Generalibus monachorum nigrorum comitiis Carcassonæ celebratis an. 1448. interfuit, & salubria condi decreta curavit. Eodem anno divini cultus zelo incensus, in ecclesiis S. Gervasii & B. Mariæ de Mauriano secundarium seu vicarium perpetuum instituit, cujus præsentatio penes priorem penderet. Pepigerunt Hugo & syndici Villæ magnæ cum Salomone de Felgariis & syndicis de Eripiano 3. Julii 1455. Creavit una cum conventu oeconomos bonorum monasterii die 6. Aprilis 1459. Præerat adhuc an. 1460. ut constat ex collatione facta ab ipso capellaniæ B. Catharinæ fundatæ in parochia S. Gregorii Guillelmo Violes presbytero. Tandem ætate grandævus ad imminentem exitum accingere se volens, pedum cessit in gratiam sequentis, reservata sibi beneficiorum collatione, quo nomine Johanni de Rupefolio Villæ magnæ monacho dedit prioratum B. Mariæ de Monicio an. 1465.

XXX. Antonius I. de Thesan gente hujusce nominis clara natus, ex priore S. Genesii abbas Villæ magnæ factus est per cessionem Hugonis. Accepit

Accepit laudimium quorumdam prædiorum permutatorum apud Buxadonem die 9. Decemb. 1463. Laudavit an. 1471. quamdam venditionem. Obstitit die 16. Nov. an. 1472. conventioni initæ inter Petrum Ramas vicarium de Biterrivis & camerarium Villæ magnæ. Constitutus est procurator Petri de Thesano monachi sui die 24. Sept. an. 1476. Gravissima lis abbatem hunc inter & Bernardum Viridarium abbatem seu administratorem perpetuum abbatiæ Juncellensis orta, ad supremam Parlamenti Tolosani curiam delata est an. 1481. Cum autem causa cecidisset Antonius, litteras obtinuit an. 1484. ab eadem curia, quibus rursum inter utrumque abbatem bellum. Diuturnæ tandem huic controversiæ hoc eodem anno finem imposuit Antonii senis decrepiti obitus.

XXXI. Antonius II. Willelmi de Claromonte, gente apud Septimanos illustri satus, protonotarius apostolicus, archidiaconus Caprariensis in ecclesia Biterrensi, & prior S. Martini, Villemagnensem obtinuit commendam ab Innocentio papa VIII. IV. cal. Martii pontificatus anno I. Huic Tiberiensem postmodum eodem beneficio conjunxit. Contulit an. 1490. prioratum sancti Petri de Redis Claudio de Popiano. Quædam ad ornatum chori confecit an. 1491. Eodem anno monachorum reditus auxit, novamque recognitionem ab incolis S. Genesii exegit. Anno 1492. pro quadam ecclesia parochiali permutata cum ecclesia S. Pauli Claromontensis petiit a summo pontifice absolutionem ad cautelam. Pepigit cum syndicis de Biterrivis an. 1497. Gravi correptus morbo testamentum condidit die 3. Jul. 1499. quo sepulturam elegit in ecclesia S. Claræ Biterrensis, quibusdam tum Villæ magnæ tum S. Tiberio legatis. Tandem supremum obiit diem IV. nonas Julii an. 1499. ex necrol. Biterrensi.

XXXII. Franciscus I. Willelmi de Claromonte in locum Antonii suffectus est a summo pontifice, monachorum votis posthabitis. Statim enim defuncto Antonio, Villemagnenses elegerunt die 17. Julii 1499. Tristanum de Thesano, quem virum providum & discretum, litterarum scientia, moribus & vita commendandum presbyterum, nobilique satum sanguine Villemagnenses tabulæ repræsentant: ast æmulum passus Franciscum de Clermont clericum Leutevensem, baccalaureum in theologia, cui Alexander papa VI. abbatiam Villemagnensem datis IV. non. Augusti litteris an. 1499. commendaverat, cedere coactus fuit Tristanus. Tiberiensem quoque post obitum Antonii commendam eodem modo tentavit Franciscus, sed non eodem successu, ut videbimus, ubi de asceterio Tiberiano.

XXXIII. Arnaldus II. de Loüere reperitur commendatarius Villæ magnæ in Occitania sub Ludovico XII. Francorum rege, qui regnum auspicatus est an. 1498. Obiit 1514.

XXXIV. Johannes I. de Ferrier Arelatensis archiepiscopus, de quo jam tom. I. col. 588. genere, pietate, scientiaque insignis, hanc consecutus est commendam anno saltem 1508. ex tabulis, in quibus hoc eodem anno Johannes de Rupefolio dicitur ejus vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus. Villæ magnæ ædes abbatiales, claustrumque construxit an. 1510. nec de suis male meritus est aliquando. Contulit die 23. Sept. 1513. prioratum S. Stephani de Podio Salicone vacantem. Massiliæ diem clausit extremum die 17. Jan. 1521. ut diximus in archiepiscopis Arelatensibus.

Post ejus fatum duas in partes scissa monachorum studia, dum alii Raimundum de Thesan S. Pontii Tomeriensis monachum, alii Gisardum de Corneliano majorem illius loci priorem electum volunt, regi dant occasionem nominandi abbatem.

XXXV. Franciscus II. Guillelmus de Claromonte Tristani baronis de Claromonte & Catharinæ de Ambasia filius, Ausciorum archiepiscopus, S. R. E. cardinalis, & Avenionensis legatus, de quo jam in archiepiscopis Auscienfibus tom. I. col. 1001. & alibi, ab an. 1521. possedit commendam Villæ magnæ. Disciplinæ regularis observantissimus, in monachos incontinentes sæviit, qui cum ea de re ad supremam parlamenti Tolosani curiam essent conquesti, ab eadem deputatur frater Clemens Cherny abbas S. Michaelis de Galliaco anno 1523. de causa judicaturus. Creavit an. 1525. Franciscus Petrum Ciffredi vicarium totius terræ Villæ magnæ. De eo agitur in tabulis usque ad diem 12. Septemb. 1528. quo postulatus abbas Villæ magnæ a nonnullis monachis legitur Clemens Cherny, qui aliis reluctantibus cedere cogitur.

XXXVI. Bernardus de Cruce factus abbas monachis septem tum in Villæ magnæ cœnobio degentibus prædia contulit die 20. Maii anno 1531. ad victum & vestitum necessaria.

XXXVII. Robertus III. de Turre monachus ord. S. Benedicti, prior SS. Gervasii & Protasii de Langonia diœcesis Mimatensis, necnon sancti Petri de Anicio, & S. Johannis de Centenario diœcesis Vivariensis, vicarius generalis Francisci de Tournon abbatis Casæ-Dei, commendam Villemagnensem jam obtinebat an. 1531. quo sacristiam Villæ magnæ contulit Claudio de Sellis Casæ-Dei monacho. Fidei sacramentum ab incolis S. Genesii recipit an. 1534. De eo mentio fit in tabulis ad mensem Septembrem an. 1543.

XXXVIII. Franciscus II. de Falcone Monspeliensis variis ecclesiæ functus muneribus, variisque temporibus factus episcopus Tutelensis, Aurelianensis, Matisconensis, Carcassonensis, &c. inter alia sacerdotia commendam Villæ magnæ obtinuit a rege christianissimo anno 1543. quo vi litterarum apostolicarum XIV. cal. Octob. datarum, possessionem per procuratorem adeptus est die 28. Februarii an. 1544. Johannem de Narbona episcopum Biterrensem solemni pompa Biterras ingredientem jam deduxerat die 4. ejusdem mensis. Anno sequenti Petrum Bastide episcopo Biterrensi præsentavit ad vicariam perpetuam S. Petri de Reddis, & anno 1553. Arnaldum de Lapidibus ad vicariam sancti Martini veteris. Sequenti locum cessit anno 1554. quo

XXXIX. Amantius, *al.* Amedeus de Foix

genere clarissimus, protonotarius apostolicus, litteris regiis instituitur, quas die 15. Augusti ejusdem anni monachis exhibuit Johannes Dalon miles dominus de Colombier. Administrator Carcassonensis, Matisconensis & Vasatensis successive episcopus Villemagnensem tenuit commendam ad annum 1556. ex tabulis.

XL. Johannes II. de Chambert jurium doctor, archidiaconus Narbonensis, Antonii de Chambert abbatis Crassensis ex fratre nepos, bulla instituitur pontificia an. 1557. Difficillimis præfuit temporibus, multa passus ab hæreticis detrimenta anno 1562. Castrum de Biterrivis regiarum subventionum ergo jam abalienatum redemit pretio 2650. librarum die 30. Jul. 1565. Eodem anno Caroli Borbonii episcopi Carcassonensis vicarius generalis erat. Insequenti recepit hominium incolarum Villæ magnæ. Martinus Austrini in manibus Johannis per procuratores renunciavit vicariæ perpetuæ S. Gregorii die 16. Maii 1571. Contulit prioratum S. Gervasii Johanni Tierre 10. Decemb. 1572. Obiit VII. id. Jan. 1574. ex necrologio SS. Justi & Pastoris. In tabulis mortis ejus dies assignatur ante decimam octavam diem Martii an. 1575. a septem incolis Villæ magnæ super hoc requisitis, quo tempore nullus apud Villam magnam residebat monachus ob metum Calvinistarum omnia ferro flammaque devastantium.

XLI. Rainaldus Vigor Villæ magnæ commendatarius procuratorem suum instituit Arnaldum Vigor parentem, primarium reginæ medicum die 13. Febr. 1579. Inter senatores Rotomagenses adscriptus est 17. Dec. ejusdem anni: fuit & libellorum supplicum magister. Unde forsan dux Montmorenciacus Occitaniæ prorex ejus possessiones ratione absentiæ in manus regis tradidit 21. Aprilis 1586. quæ paulo post regia negotia causato restitutæ sunt. Gabriel de Rocolis vicarius generalis Raimundi dedit 31. Januarii 1595. Petro Gourc monacho Villemagnensi facultatem sacros ordines a quocumque mallet antistite recipiendi. Postquam ad annum 1596. Villemagnensibus incubuit Rainaldus, de resignatione convenit cum nobili d'Avausan sub annua pensione; nec tamen ante annum 1599. videtur resignasse.

XLII. Johannes Perpetuus Alboti presbyter Caturcensis, quem polemarchus de Themines commenda a rege impetrata designaverat, ut sub hac larva abbatiæ reditibus frueretur Thomas d'Avausan ejus frater, obtinuit a Clemente VIII. summo pontifice commendam Villæ magnæ vacantem per cessionem Rainaldi factam in manibus papæ XVIII. cal. Jan. an. 1599. pontificatus anno VIII. Vicarius ejus generalis donavit die 9. Maii 1604. prioratum S. Amantii. Personatus abbas toto tempore quo tenuit commendam, in gratiam Thomæ d'Avausan tenuit, obiitque anno 1616. post cujus fatum quam polemarcho de Themines largitus jam fuerat, iterum confirmavit rex Villam magnam, quo nomine Thomas d'Avausan abbatiæ prædiis uti pergit, ut testatur hæc polemarchi ad fratrem epistola. *Placet mihi oppido, frater carissime, pactum a te cum sorore mea initum de abbatia Villæ magnæ Argentariæ. Declarationem, si quæ a me exigatur, chartæ libenter committam ad sensum facti tractatus. Vale. Parisiis die 17. Julii 1617.*

XLIII. Henricus de Thesan baccalaureus in theologia defuncto Johanni subrogatur, consanguineus a Thoma designatus: commendam per obitum Johannis Alboti vacantem a Paulo V. summo pontifice impetrat VIII. id. Augusti an. 1617. pontificatus anno XIII. Nomine tenus & ipse abbatiam tenuit. Cessit nepoti an. 1626. at non regimine ante annum 1628. nam prioratum S. Amantii contulit an. 1627. & S. Raphaelis 19. Sept. 1628. Obiit sub finem Maii an. 1630.

XLIV. Johannes Jacobus de Thesan, cujus sororem Thomas d'Avausan duxerat uxorem, per cessionem patrui factus commendatarius ab Urbano VIII. IV. cal. Novemb. an. 1626. pontificatus anno IV. possessionem non adipiscitur, nisi die quinta Decembris an. 1628. At abbatiæ bonis nunquam ipse potitus est, quibus tanquam propriis & paternis ante & post mortem Johannis, ejus propinqui usi sunt.

XLV. Gabriel Trotin regio simul & pontificio diplomatibus commendatarius creatus anno 1634. insequenti cum possessionem inire vellet die Conceptionis B. M. impeditus est a D. du Pujol. A senatu Tolosano obtinuit die 12. Junii 1636. plenam & liberam bonorum Villæ magnæ possessionem, quæ a vicecomite injuste detinebantur. Pepigit die 9. Maii an. 1637. cum monachis Benedictinis congregationis S. Mauri pro reformanda Villa magna, pactumque anno sequenti confirmavit, quod a senatu Tolosano an. 1639. roboratum, exsecutioni mandatum non fuit nisi an. 1661. Interim diuturnis vicecomitis du Pujol fatigatus querelis & usurpationibus, vi etiam coactus, ne quid amplius addam, resignavit in gratiam sequentis conventione facta die 10. Junii an. 1647.

XLVI. Franciscus III. de Mirmand Monspeliensis vicecomitis du Pujol affinis renunciatur Villæ magnæ commendatarius anno 1647. ad 1655. quo fratri titulum dimisit.

XLVII. Johannes III. de Mirmand Francisco germano cedenti, accedentibus apostolica simul ac regia schedulis, successit an. 1655. die 18. Julii auspicatus possessionem. Eo sedente juxta pacta a Gabriele Trotin conventa & a senatu Tolosano confirmata, antiquiores Villæ magnæ monachi reformatis S. Mauri locum dedere 17. Septembris 1661. quibuscum novum egit concordatum Johannes an. 1664. Sed nec silentio prætermittendus D. Paulus Abbes Villæ magnæ monachus & sacrista, reformationis fautor, qui Benedictinis S. Mauri corpus S. Majani, sacristiamque contulit die 2. Junii an. 1669.

XLVIII. N. de Thesan senator Tolosanus e familia toparcharum du Pujol, d'Olargues, &c. quem commendatarium nominatum volunt, personatus & ipse abbas, sicut & duo decessores & consanguinei, quo tempore Villam magnam tenebant domini du Pujol. Obiit an. 1703.

XLIX. Petrus IV. de Gayet vicarius generalis episcopi Biterrensis commendam obtinet die 31. Octob. 1704. quam etiamnum pacifice possidet optimus abbas, eximia erga pauperes liberalitate commendandus.

SAINT JACQUES.

S. JACOBUS.

De auctoribus, primis ut ita dicam crepundiis & incrementis monasterii S. Jacobi ordinis S. Augustini in ipsa civitate Biterrensi loquturis lux alicunde affulgeat necessum est: sed cum nec labore non pœnitendo, nec iteratis precibus hilum quidem de primævo hujusce cœnobii statu expiscari potuerimus, de eo inviti licet silere cogimur. Dicere igitur sufficiat hanc abbatiam S. Afrodisii velut æmulam ab ipsa origine Biterrensi episcopo singulari quodam modo subjectam, eosdem fere passam fuisse manes, ipsique antistiti hominium peculiare debere abbatem, qui ecclesiæ cathedralis sancti Nazarii canonicus, hebdomadarii munere certis sub pœnis fungi tenetur, ut diximus de abbatibus S. Afrodisii, ubi de S. Jacobo plura vide. Ab anno 1664. congregationi Canonicorum regularium Gallicanæ unitur hæc abbatia, qui regularem & cœnobiticam revocarunt vitam, novumque abbatiæ S. Jacobi jam pene lapsæ reddiderunt splendorem. Abbates, quorum nomina e diversis eruimus monumentis, jam accipe.

ABBATUM NOMENCLATURA.

I. AIMERICUS occurrit abbas sancti Jacobi anno X. regnante Carolo post obitum Odonis, hic est annus 908. quo litigabat cum Ario coram Bosone vicecomite.

II. Adaulfus an. 920. regnante Carolo post obitum Odonis coram Bosone vicecomite & Reginardo Biterrensi episcopo contendebat cum Adaulfo pro quadam donatione facta S. Jacobo.

III. Matfredus filius Ermengaudi de Casulis præerat anno 1053. quo cum patre suo adfuit placito habito Biterris XIII. cal. Sept. *al.* 13. Sept. ex Andoquo.

IV. Raimundus regnante Philippo rege, primo nempe, Henrici I. filio excepit donum Bernardi Perre.

V. Hugo I. abbas sancti Jacobi in quibusdam chartis reperitur annis 1093. & 1094.

VI. Arnaldus episcopus & abbas S. Jacobi exeunte sæculo XI. & ineunte XII.

VII. Geraldus I. an. 1104. donum Imberti & Adelaïdis ejus uxoris excipit.

VIII. Hugo II. quædam acquirit an. 1120.

IX. Bruno occurrit in veteri instrumento anno primo regnante Ludovico rege. Donum Pontii de Villa nova accepit an. 1148. Cum quodam Riculfo litigabat an. 1153. Dies mortis ejus octavo cal. Aprilis assignatur in necrologio Cassianensi.

X. Guillelmus I. Bernardi jam sedebat anno 1167. Testis recensetur in charta Berengarii de Alignano pro ecclesia Biterrensi an. 1170. Occurrit in charta Anianensi an. 1173. in tabulario Biterrensi an. 1174. & 1178. in instrumento oppignerationis factæ a Bernardo episcopo ad concilium Lateranense sese accingente.

XI. Petrus I. de Parietibus ex canonico beatæ Mariæ de Cassiano factus abbas S. Jacobi reperitur an. 1181. Testis occurrit donationis factæ monasterio Anianensi a Berengario de Podio Sorigario an. 1182. Amedeo abbati Vallis magnæ totum illud cessit quod habebat in terminio de Ortis an. 1185. Memoratur in veteri charta ecclesiæ Agathensis an. 1191. Habuit querelam cum Gaufrido Biterrensi episcopo super obedientia & reverentia quas episcopo debebat: hæc autem controversia mediis arbitris finita est mense Septembri anni 1194. Occurrit in veteri instrumento ecclesiæ Narbonensis an. 1193. Necrologus liber monasterii de Cassiano obitum ejus assignat IV. nonas Maii.

XII. Guiraudus recensetur an. 1213. in pervetusta charta ecclesiæ Biterrensis.

XIII. Berengarius reperitur in charta ecclesiæ Biterrensis an. 1225. Præsens memoratur sententiæ a Tedesio Agathensi & B. Biterrensi episcopis latæ adversus electionem P. Guiraudi e sacrista in abbatem S. Pauli VI. cal. Jun. 1232. Recensetur & an. 1235. in charta ecclesiæ Narbonensis. Obiit XVIII. cal. Aprilis in necrologio S. Saturnini Tolosani, annus non assignatur.

XIV. Guillelmus II. Arnaldi episcoporum litteris ad Innocentium papam datis anno 1245. subscripsit, quibus summum pontificem rogant antistites, ut libera detur inquisitoribus in hæreticos agendi licentia. Paulo post ab Otone cardinali episcopo Portuensi datus judex inter Guillelmum electum Narbonensem & Blasium papæ subdiaconum, definit ecclesiam de Gabiano, quam Blasio contulerat summus pontifex, pendere ab archiepiscopo. Duæ exstant in appendice conciliorum Narbon. doctissimi Baluzii ad abbatem S. Jacobi Biterrensis Innocentii papæ IV. bullæ, quarum prima Lugduni data VI. id. Novemb. pontificatus anno VI. abbati mandat, ut a Guillelmo archiepiscopo Narbonensi latam adversus Amalricum sententiam excommunicationis confirmet, altera vero III. cal. Nov. anno VII. ut inquisitorum processum reformet, qui inscio archiepiscopo reum absolverant. In necrologio Cassianensi lego: *VI. cal. Junii obitus Guillelmi Arnaldi abbatis S. Jacobi Biterrensis.*

XV. Petrus II. memoratur in veteri instrumento S. Afrodisii an. 1264. Petri S. Afrodisii abbatis nomine interfuit concilio Monspeliensi an. 1269. habito. Adstitit comitiis generalibus apud Biterrim habitis an. 1271.

XVI. Guillelmus III. Bernardi abbas S. Jacobi an. 1273.

XVII. Bernardus sive Bertrandus occurrit S. Jacobi abbas annis 1304. 1305.

XVIII. Petrus III. jam occurrit anno 1330. De incontinentia & dilapidatione fuit accusatus apud Johannem papam XXII. qui Stephano Chotardi sacristæ Leutevensi, priori Fratrum Prædicatorum & Guardiano Minorum rescripsit, ut de ejus vita & moribus inquirerent X. calend. Aprilis pontificatus an. XII.

XIX. Guillelmus IV. an. 1363. forte idem A cum sequenti.

XX. Guillelmus V. Sermarii S. Jacobi abbas legitur annis 1370. 1385. 1388. 1390.

XXI. B. occurrit abbas sancti Jacobi annis 1401. 1406.

XXII. Johannes I. Rubei an. 1416. ex catalogo nuper ad nos transmisso, nisi forte pro 1416. legendus sit annus 1516.

XXIII. Guido de Garrigue an. 1417.

XXIV. Petrus IV. memoratur an. 1433.

XXV. Andreas de Ortis episcopo Biterrensi præstat hominium an. 1433.

XXVI. Jacobus I. Carieti *al.* Carresi jam B præerat an. 1438. Recensetur in facta a Guillelmo episcopo Biterrensi promulgatione quorumdam statutorum concilii Basileensis. Occurrit & anno 1443. Fit episcopus Maurianensis per obitum decessoris II. cal. Octob. 1451. ex actis consistorialibus Vaticani. Sed utrum hæc electio rata fuerit, adhuc incompertum.

XXVII. Bartholomæus I. abbas pedum gerebat an. 1455.

XXVIII. Johannes II. d'Arnoye jurium professor Biterrensi episcopo fidem jurat an. 1456.

XXIX. Bartholomæus II. recensetur abbas annis 1459. 1461.

C XXX. Johannes III. Erault jam abbas 1462. resignat in manibus Pauli papæ II. anno 1465. abbatiam S. Jacobi vetustate collapsam, obæratam & pauperrimam, reservat tamen sibi pensionem decem scutorum auri, & prioratum S. Petri de Plassano ab eodem cœnobio dependentem.

XXXI. Gerardus II. Rubei abbas Anianensis abbatiam quoque S. Jacobi impetrat an. 1465. bulla Pauli II. IV. non. Maii. Cessit sequenti.

XXXII. Jacobus III. Rubei prior Serignani, protonotarius apostolicus & administrator perpetuus S. Jacobi annis 1473. 1475. 1485. 1491. Obiit an. 1494.

D XXXIII. Carolus Rubei occurrit abbas annis 1495. 1497.

XXXIV. Johannes IV. Rubei senior frater Jacobi decessoris, monachus Anianensis reperitur abbas sancti Jacobi ab an. 1501. ad 1519. quo sequenti sub pensione cessit.

XXXV. Johannes V. Rubei junior accipit bullas cal. Junii an. 1519. Præerat adhuc an. 1532.

XXXVI. Jacobus IV. Rubei d'Arnoye & Masseillargues an. 1534. & 1543. Vicarius generalis erat Francisci Gouffier Biterrensis episcopi anno 1546. Vivebat adhuc 1557.

XXXVII. Petrus IV. Delpuech occurrit abbas S. Jacobi an. 1588. E

XXXVIII. Annas de Meurvieil episcopus Montis albani, abbas sancti Jacobi anno 1606. cessit sequenti cum pensione.

XXXIX. Johannes Ludovicus de Meurvieil præcedentis nepos, clericus Biterrensis, a rege nominatus ultima Septembris an. 1633. obiit die 25. Sept. an. 1705. annos natus 88. Eo sedente reformatur monasterium S. Jacobi anno 1664. & unitur congregationi Gallicanæ canonicorum regularium.

XL. Artus Timoleon de Barcos, Martini de Barcos abbatis S. Sigiranni ex fratre nepos, doctor Sorbonicus, canonicus Parisiensis, nominatur a rege Ludovico XIV. 31. Octob. anni 1705.

CASSIANUM, *Prioratus.*

CASSAN.

ANtiquum exstat ordinis S. Augustini cœnobium & percelebre in montibus diœcesis Biterrensis duabus leucis distans a Biterra. Dotatur a Guillelmo Alcherio & uxore Maria, qui canonicis ibidem Deo servientibus dimiserunt an. 1080. ecclesiam de Cassiano jam constructam in honorem B. Mariæ. Hanc donationem biennio post confirmavit Matfredus Biterrensis præsul. An. 1083. idem Alcherius totum honorem parochiæ canonicis Cassianensibus largitus est; innumerisque postmodum dotationibus ita excrevit monasterium, ut prioratus tantummodo insignitum titulo, plures abbatias opibus immensis, morum disciplina, incolarum doctrina & sanctitate longe superaret, unde & episcopi ad diversa sacerdotia, & ecclesiæ ad pontificiam dignitatem canonicos Cassianenses perdiu assumserunt, mutuamque cum eis precum & suffragiorum societatem ambiebant fideles. At damnosa quid non imminuit dies! lapsis ad mollitiem moribus, confusa ac perturbata sunt omnia: hinc quod octoginta abunde canonicis, septem vix aut sex postea alendis satis fuit cœnobium. In tanta rerum confusione abbas S. Rufi insurrexerit, dominatumque in Cassianum affectaverit, quid mirum! sed tandem favore & præsidio serenissimi principis de Conti Occitaniæ proregis, curisque Narbonensis archiepiscopi Cassiani prioris nova facta sunt omnia, in possessionem Cassiani inducuntur die 9. Aprilis 1660. canonici regulares congregationis Gallicanæ, qui pristinum Cassiano decus in dies restituunt.

Ch. IV. col. 129.

Ch. V. col. 130.

PRIORUM CATALOGUS.

I. PETRUS Theudaldus primus prior occurrit in charta Guillelmi Alcherii, qui an. 1083. canonicis cessit totum honorem, quem habebat in parochia de Cassiano, in testamento Ermengaudi de Pousols, qui an. 1088. canonicis Cassianensibus legavit ecclesiam de Calobris, & in instrumento donationis Matfredi episcopi Biterrensis an. 1092.

Ch. V. col. 130. Ch. VI. col. 132. Ch. VII. col. 133.

II. S. Geraldus, de quo in episcopis Biterrensibus, Petro successit. A puero vitæ addictus canonicæ, mirum quos in ea progressus fecerit, ita ut in locum Petri demortui communibus canonicorum votis suffectus sit prior. Monasterium de novo construxit, cujus ecclesiam an. 1115. dedicari a præsulibus curavit, hospitale cœnobio adjunxit, tandem ad cathedram Biterrensem assumtus fuit an. 1121. ut diximus.

Ch. VIII. col. 133.

III. Berengarius I. S. Geraldo subrogatus rexit ad annum 1149. quo ad Agathensem cathedram ab Agathensibus clericis fuit evectus, ubi vide. Occurrit in instrumento Leutevensi an. 1138.

Ch. XV. col. 179.

IV. Johannes I. prior Cassianensis occurrit annis 1151. & sequentibus usque ad 1183. In

charta anni 1154. dicit agere se de consensu fratrum canonicorum. Querelam habuit occasione cujusdam ecclesiæ cum Guillelmo Biterrensi episcopo, quæ mediis arbitris Berengario Narbonensi archiepiscopo, Aldeberto Nemausensi, Raimundo Uceticensi, & Ademaro Agathensi episcopis composita est. Hanc autem concordiam confirmavit Adrianus papa IV. brevi dato Laterani v. id. Decemb. & Innocentius III. postea x. cal. Jul. pontificatus anno XIX. Testis reperitur Johannes in charta Raimundi Trincavelli pro monasterio Salvaniensi an. 1165. Ejus temporibus Ildefonsus rex Aragonensis, comes Barcinonensis & marchio Provinciæ dat Cassianensi cœnobio hospitale de Larzag an. 1174. Memoratur præsens benedictioni Deodati abbatis Juncellensis an. 1180. De Johanne intelligendus, ni fallor, liber necrologus Cassiani: *Idibus Januarii obiit venerandæ memoriæ domnus Johannes prior Cassianensis ecclesiæ.*

Ch. XV. col. 138.

Ch. XVIII. col. 141.

V. Bernardus I. Scorta memoratur an. 1183. Nondum obierat an. 1198. si chartulario fides, attamen

VI. Durantus reperitur prior B. Mariæ de Cassiano ab anno 1195. & sequentibus usque ad 1204.

VII. Guillelmus I. de Falgueriis Duranti successor jam invenitur an. 1206. Priorem se & procuratorem dicit ecclesiæ & totius honoris B. Mariæ de Cassiano in instrumento anni 1213. Regebat adhuc 1215.

VIII. Raimundus I. de Villa nova Cassiano præest an. 1217. usque ad 1225.

IX. Berengarius II. de Stagno Cassianum regit annis 1227. 1229. In necrologio habetur: *XIV. cal. Febr. obiit D. Berengarius de Stagno prior Cassianensis ecclesiæ.*

X. Guiraudus, sive Geraldus, & Gerbertus Jordani prior B. Mariæ de Cassiano an. 1232. irritam declarat electionem P. Guiraudi abbatis S. Pauli Narbonensis. Nondum obierat an. 1240. Dies mortis ejus assignatur in necrologio ad XV. calend. Maii.

XI. Bernardus II. Raimundus Cassianum administrat an. 1243.

XII. Pontius de Stagno prior Cassiani annis 1245. 1247. reperitur & 1260. in tabulario.

XIII. Guitbertus & Gilbertus de Creissello monasterium Cassianense gubernat anno 1262. Eo sedente anno 1272. homines de Gabiano in vigilia Assumtionis irrumpentes ecclesiam beatæ Mariæ de Cassiano profanaverunt & polluerunt, quæ a Pontio Biterrensi episcopo die 1. Septemb. fuit reconciliata.

XIV. Bernardus, *al.* Bertrandus de Biterris memoratur an. 1293. Adhæsit appellationi ad concilium generale a Philippo pulcro factæ in conventu plurium prælatorum apud Montempessulanum habito die 3. Julii an. 1303. Raimundi sancti Tiberii abbatis nomine hominium præstitit commissariis regiis an. 1316.

XV. Guillelmus II. Duranti prior Cassianensis ab anno 1332.

XVI. Raimundus II. de Agrifolio omissus in catalogo ad nos transmisso, reperitur prior Cassiani tum apud Sammarthanos fratres tom. 3. pag. 958. tum etiam Galliæ nostræ tom. 1. col. 219. in ecclesia Ruthenensi, cujus episcopus fuit anno 1349.

XVII. Guillelmus III. Gombaudi annis 1369. & 1370. memoratur in tabulis. De eo necrologium: *III. cal. Nov. obiit Guillelmus Gombaudi, qui fuit prior Cassiani.*

XVIII. Guillelmus IV. de Cadoena seu de Cadonio prior B. Mariæ de Cassiano jam recensetur ab anno 1384. usque ad 1409. quo misit procuratorem ad concilium Pisanum.

XIX. Aymo licentiatus in decretis, de nobili genere procreatus & in sacerdotio constitutus, prior prioratus de Cassiano ordinis S. Augustini Biterrensis diœcesis fit episcopus Niciensis bulla data Romæ XII. cal. Maii 1422.

XX. Johannes II. de Guardia Cassiano præerat an. 1427. Reperitur & 1430.

Johanne vero defuncto, vi exspectativæ prioratum invadere tentavit Guillelmus de Champeaux episcopus Laudunensis, quo tempore a sua diœcesi absens, in partibus Occitaniæ jussu regis agebat. Res agitatur ad annum 1439. quo fuit electus

XXI. Maraldus de Condomo prior beatæ Mariæ de Cassiano, qui memoratur ad annum 1448. Factus inde episcopus Castrensis, obiit 6. Augusti 1458.

XXII. Dionysius de Rivo Albo occurrit an. 1448. In instrumento anni 1473. se dicit olim abbatem. Hujus ita meminit necrologium: *VI. cal. Maii obiit Dionysius de Rivo albo prior Cassiani.*

XXIII. Antonius de Balsac episcopus Valentinensis occurrit prior B. M. de Cassiano ab anno 1466. usque ad 1489. quo, vel sequenti obiit.

XXIV. Deodatus de Beduer recensetur in tabulis ab anno 1489. usque ad 1542. quo longo cessit regimine.

XXV. Guillelmus Vallery prior Cassianensis annis 1543. 1544. & 1547.

XXVI. Daidé de Bedene occurrit an. 1553. sic in catalogo prius memorato.

XXVII. Franciscus I. de Rippa præerat anno 1560. quo & sequentibus neotericorum furorem Cassiani domus est experta.

XXVIII. Franciscus II. Gervaisot memoratur an. 1565. & aliis ad 1581.

XXIX. Simon Azemar Francisco successit anno 1582. Reperitur adhuc 1616.

XXX. Johannes Baptista Hullon prior Cassiani ab anno 1618. ad 1649.

XXXI. Franciscus III. Fouquet archiepiscopus Narbonensis, prior Cassianensis factus, huic domui reformandæ operam dedit, nec irrito conatu, favore enim principis de Conti Cassiani in possessionem venere canonici regulares congregationis dictæ S. Genovefæ die 9. Apr. 1660. Prioratum autem ad mortem usque tenuit archipræsul.

XXXII. Ludovicus de la Vergne Montenart de Tressan episcopus Cenomanensis, & Prior Cassiani ab an. 1674. Præerat adhuc an. 1711.

XXXIII. N. de Cilly anno 1712.

LE SAINT ESPRIT.

ABBATIA SS. NAZARII ET CELSI, *vulgo* SANCTUS SPIRITUS.

PRima monasterii SS. Nazarii & Celsi, seu ut nunc vocant, S. Spiritus, ordinis S. Augustini in civitate Biterrensi initia a Berengario Fredoli hujusce urbis episcopo repetenda. Videns enim optimus antistes nullum tam in urbe, quam in dioecesi Biterrensi mulierum, præter unicum illudque pauperrimum S. Claræ esse coenobium, Bonifacio octavo summo pontifice in consilium adhibito, de consensu capituli S. Nazarii, in suburbio civitatis ad caput pontis Orbi hospitali a Pontio ex antecessoribus uno instituto contiguum construxit monasterium, quod sanctorum Nazarii & Celsi nuncuparetur. In eo triginta voluit esse sanctimoniales feminas sub regula sancti Augustini militantes, quæ canonicæ S. Nazarii vocarentur, ut pote quæ officium S. Nazarii recitare tenerentur, ut recitatur in ecclesia cathedrali S. Nazarii Biterrensis. Alia quædam pro canonicarum regimine condidit statuta, quæ multo libentius leges in ipsis tabulis in capitulo S. Nazarii editis II. non. Oct. an. 1305. Hanc aliquot post mensibus fundationem confirmavit Clemens V. summus pontifex bulla data II. cal. Martii pontificatus anno primo, quam simul cum Berengarii litteris videsis inter instrumenta. Translatum postea fuit e suburbio in urbem monasterium, sed a quo & quando nos latet.

Charta XXXVI. col. 160.

At ut natura hominum fragilis est, tepescitque in dies ardentius pietatis studium, accidit ut S. Spiritus moniales ob abbatissæ Franciscæ Plantavitiæ infirmitatem vitæ laxiori indulgerent, & quæ ex instituto triginta esse debebant, tres tantum an. 1597. remanerent. Quæ cum ad aures Clementis octavi summi pontificis pervenissent, bulla data 3. Augusti anno 1597. pontificatus anno sexto, episcopo, ut videtur, Biterrensi facultatem indulget monasterium S. Spiritus in collegium presbyterorum Societatis Jesu, seu clericorum regularium, *vulgo* Theatinorum, commutandi. Quinimo Henricus magnus Galliæ rex brevi regio canonicarum reditus Jesuitis concessit: ecclesia necnon earum & domus FF. Prædicatoribus reformatis traditæ sunt, quorum ecclesia ad construendam urbis arcem fuerat destructa. Sed tandem felici sorte obtigit, ut pluribus canonicarum excidio obstantibus, breve regium & summi pontificis decretum irrita fuerint, resipuerint moniales, pristinumque splendorem obtinuerit monasterium, quem cum summa totius civitatis laude etiamnum retinet.

Hæ autem sunt abbatissæ, quas summa qua potuimus diligentia ex instrumentis eruimus.

SERIES ABBATISSARUM.

I. GENSES obtinet anno 1322. a superiori generali Carmelitarum participationem bonorum operum totius ordinis.

II. Oliva Barreyre præerat an. 1357.

III. Marquesia de Alesco obiit an. 1373.

IV. Alasacia electa mense Martio an. 1373.

V. Alaïdis Morle regebat annis 1394. 1399.

VI. Philippa Astrebonne præerat an. 1425.

VII. Catharina Guitardæ abdicavit abbatiam in manus episcopi 3. Nov. an. 1453.

VIII. Johanna I. de Cluys eligitur 22. Nov. an. 1453. in capella Crucifixi, adstantibus Petro Bureau Biterrensi episcopo, necnon & deputatis capituli S. Nazarii. In gratiam sequentis postea resignavit.

IX. Francisca de Neuville per resignationem præcedentis fit abbatissa S. Spiritus.

X. Johanna II. de Cluys iterum assumitur ad abbatiam regendam. Obiit prima Octobris 1509. in cujus locum sufficitur

XI. Catharina de Brinhac 4. Octob. 1509. electa. Hæc vicariis generalibus an. 1511. pro se suisque monialibus facultatem petiit visitandi ecclesiam S. Afrodisii, corpora & reliquias sanctorum, qui inibi requiescunt. Memoratur 21. Oct. 1513. 28. Augusti 1530. & 26. Augusti 1544. in chartis authenticis D. de Gagneres. Obiit an. 1548.

XII. Johanna III. d'Arnoye occurrit in instrumento anni 1550.

XIII. Francisca de Plantavit de Villa nova, nobili & antiquo apud Cebennates genere, ex quo Johannes Plantavitius de la Pause episcopus Leutevensis originem ducebat, præerat an. 1578. Hujusce temporibus Clemens octavus pontifex maximus bulla data 3. Augusti 1597. S. Spiritus monasterium abrogavit, singulisque provinciæ Narbonensis episcopis diplomate regio expresse inhibetur ne moniales ullas monasterii S. Spiritus ad solemnem votorum professionem admitterent, eo quod auctoritate pontificia simul & regia statim ab obitu Franciscæ antistitæ harum supprimendum esset monasterium. Obtinuit an. 1612. decretum consilii privati adversus Mariam de Spondillan, quæ se pro abbatissa hujus monasterii gerebat.

XIV. Maria du Caylar de Spondeillan e nobili & antiqua in Septimania familia oriunda, filia Jacobi du Caylar condomini de Spondeillan & Biterrarum gubernatoris ex Ludovica d'Avanson. Desponsata fuerat N. de Tregoin de Malvert, cum professionem emisit in monasterio Veteris muri ordinis S. Benedicti dioecesis Castrensis. Abbatissa sancti Spiritus a rege Ludovico XIII. an. 1612. designata, regium diploma non accepit nisi 20. Januarii anni 1614. quo possessionem iniit 22. Aprilis, & Augusto sequente cum patribus Societatis Jesu transegit, qui bulla pontificia & diplomate regio muniti, suppressionem monasterii S. Spiritus urgebant, quibus ut a proposito quiescerent, sexcentas libras annuales concessit Maria. Cardinali Bonzio Biterrensi episcopo in remotis agente, ab illustrissimo Vaurensi præsule benedicitur 15. Martii 1615. Disciplinam regularem labantem in monasterio restituit, multaque ecclesiæ contulit beneficia. Dies mortis ejus non assignatur.

XV. Martha de Lale vacante abbatia per obitum Mariæ electa, possessionem iniit 29. Martii an. 1660. at a rege non confirmata, per quinquennium tantum abbatiam rexit.

XVI. Gabrielis de Lort de Serignan ex illustri in Septimania loco nata, monialis primum fuerat Visitationis Biterrensis anno 1641. quo tempore cum Eleonora de Serignan germana, aliisque ejusdem instituti monialibus seligitur, ut domum Narbonensem fundarent. Brevi regio abbatissa nominatur 2. Nov. 1660. post obitum Mariæ de Spondeillan: possessionem tamen non adipiscitur, nisi 22. Augusti 1665. post acceptam Alexandri septimi bullam, & benedicitur 2. Feb. 1666. Per quadraginta quatuor annos optime rexit. Jure monasterii sui restauratrix dici potest hæc abbatissa, quippe quæ loca regularia construxit, ecclesiam restauravit & egregie adornavit, monialesque intra claustra continuit. Obiit denique maximum sui relinquens desiderium XI. Martii an. 1709. nata annos 80.

XVII. Carlotta filia Johannis du Caylar condomini de Spondeillan, ex Carlotta de Lort, electa post Gabrielim de Serignan, a rege non confirmatur.

XVIII. Isabellis de Martigni filia vicarii civitatis Biterrensis ex Maria de Lort de Serignan, Gabrielis ex sorore neptis, a rege designatur 19. Maii 1709. Possessionem adepta 26. Aprilis 1710. benedicitur 4. Maii sequentis a DD. Carolo des Alrys de Rousset episcopo Biterrensi nunc sedente.

SAINTE CLAIRE DE BEZIERS.

S. CLARA BITERRENSIS.

Biterrensium Clarissarum parthenonem circa annum 1259. extra muros urbis erectum fuisse inde colligitur, quod hunc recens institutum II. non. Octob. ejusdem anni confirmasse legitur Raimundus episcopus Biterrensis. Waddingus quidem ad annum 1280. prima hujusce cœnobii rudimenta assignat, sed refellitur tum Raimundi litteris, quæ etiamnum in archivis Biterrensibus exstant, tum etiam bulla Alexandri IV. data Laterani v. cal. Mart. indict. III. an. 1260. in qua summus pontifex tam abbatissam & moniales, quam earum bona & possessiones in tutelam suam recipit: *imprimis statuentes*, inquit, *ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam, atque institutionem monialium inclusarum S. Damiani Assisinatis, & formulam vitæ vestræ a felicis recordationis Gregorio papa prædecessore nostro ordini vestro traditam, cum alias esset in minori officio constitutus, in eodem monasterio inchoatus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus observetur.* Confirmat quoque eis jus quod habebant, abbatissam eligendi secundum regulam S. Benedicti.

num. 10.

Cum autem sæculo decimo quarto crebris Anglorum insultibus urbs Biterra lacesseretur, dirutum fuit & Clarissarum monasterium, quæ toto septennio propter hostiles incursus extra suum cœnobium vagari coactæ fuerunt, usquedum ab Urbano V. summo pontifice intra civitatem sese recipiendi facultatem impetrarunt bulla data Avenione IV. id. Maii anno I. Facta itaque primum fundi commutatione cum canonicis S. Afrodisii, aliud commodius erexerunt monasterium intra ipsa civitatis mœnia opitulante Gregorio XI. qui bulla data XV. cal. Martii pontificatus anno III. episcopo Biterrensi mandat, ut pro novi operis constructione *de legatis ad pias causas & non expressas jam factis & faciendis usque ad 600. francorum auros monialibus* largiatur. Quæ interim per longam absentiam dissoluta fuerat regularis disciplina, restituitur, reformatæque sunt moniales, evocatis aliis ex monasterio Lezigniani. Hujusmodi miserias & clades in tumultibus Galliæ bis expertæ sunt Clarissæ Biterrenses. Nunc tranquillatis pacatisque rebus, instituti sui leges exactissime observant, nisi quod ne forte aliis oneri sint & dispendio, nonnullis reditibus fruantur 27. numero Clarissæ cum quatuor conversis.

ABBATISSARUM CATALOGUS.

I. Maria I. abbatissa S. Claræ Biterrensis privilegia obtinet a Raimundo episcopo Biterrensi II. nonas Octobr. 1259.

II. Æglina de Cognoscio transegit cum canonicis sancti Afrodisii 7. Augusti 1287. & 27. Septemb. 1288.

III. Garsendis Bartholomæa permutat cum capitulo S. Afrodisii 6. Junii 1364. Quædam acquirit 2. Octob. anni ejusdem.

IV. Francisca I. de Bonamy præerat 26. Oct. 1491. 6. Febr. 1509. 22. Junii 1512. 4. Septembr. 1518.

V. Alix de Serres 28. Augusti 1530.

VI. Beatrix du Caylar 1541.

VII. Catharina I. de Foulquier 1554. 1568. 1571.

VIII. Maria II. le Noir 1573.

IX. Clara I. d'Ajac 1577.

X. Isabella I. de Pradines 1580.

XI. Johanna I. Meilharde 1588.

XII. Isabella de Pradines iterum 1589.

XIII. Isabella II. de Dones 1594.

XIV. Isabella de Pradines tertium 1598. & quartum 1602.

XV. Maria III. le Noir 20. Junii 1605.

XVI. Antonia des Oursieres ab anno 1607. usque ad 1610.

XVII. Coletta Bretone tribus annis sedit.

XVIII. Catharina II. d'Antoinelle Clarissa Arelatensis conventum Biterrensem ad pristinam disciplinæ severitatem abbatissa revocavit anno 1613. Electa iterum 13. Maii 1616. 17. Apr. 1619. 8. Aug. 1622.

XIX. Rosa de Falcon 19. Febr. 1623.

XX. Catharina III. d'Antoinelle 5. Febr. 1626. Clarissas Tarasconenses ad institutum revocavit 10. Aprilis 1637. Tarasconensis abbatissa.

XXI. Francisca II. de Paliers 16. Sept. 1629.

XXII. Cecilia d'Allemand 15. Sept. 1635.

XXIII. Victoria d'Antoinelle de la Croix 9. Novemb. 1638.

XXIV. Cecilia d'Allemand iterum 3. Febr. 1642.

XXV. Victoria d'Antoinelle de la Croix iterum 10. Febr. 1645.

XXVI. Johanna II. de Bernardi 6. Julii 1648.

XXVII. Victoria d'Antoinelle de la Croix tertium 5. Dec. 1651. & quartum 23. Dec. 1654. Misit 13. Junii 1655. Claram de Rattes, quæ reformaret Clarissas Massilienses, quarum abbatissa electa fuit Clara.

XXVIII. Theresia I. d'Antoinelle 10. April. 1658.

XXIX. Victoria d'Antoinelle de la Croix quintum 6. Apr. 1661. & sextum 26. Martii 1664.

XXX. Francisca III. de Lacan 15. Maii 1665.

XXXI. Theresia d'Antoinelle iterum 26. Martii 1668.

XXXII. Catharina IV. de Bezard 2. Maii 1671.

XXXIII. Theresia d'Antoinelle tertium 9. Aprilis 1677.

XXXIV. Francisca de Lacan 5. Aprilis 1677. iterum.

XXXV. Catharina de Bezard iterum 16. Martii 1680.

XXXVI. Francisca de Lacan tertium 30. Martii 1683.

XXXVII. Agnès I. de Flechier 20. Martii 1686.

XXXVIII. Angelica de Casaledes 21. Martii 1689.

XXXIX. Agnès de Flechier iterum 22. Martii 1692.

XL. Catharina de Bezard iterum 15. Dec. 1693.

XLI. Clara II. de Sorgues 9. Nov. 1696. iterum 1699.

XLII. Seraphina de Maffre 15. Februarii 1703.

XLIII. Maria IV. d'Isard 9. Martii 1706.

XLIV. Agnès II. d'Autrivay 3. Maii 1709.

XLV. Theresia II. de Gauthier 12. Decemb. 1711.

XLVI. Seraphina de Maffre iterum 24. Novemb. 1714.

XLVII. Theresia de Gautier iterum 25. Novemb. 1717.

XLVIII. Maria V. de Verdery 18. Januarii 1721.

XLIX. Theresia de Gautier tertium XI. Dec. 1723.

L. Seraphina de Maffre tertium 21. Novemb. 1726.

LI. Theresia de Gautier quartum 17. Nov. 1729.

LII. Maria VI. de Fayon 22. Nov. 1732.

LIII. Theresia de Gautier quintum 19. Novemb. 1735.

ADDENDA ABBATIÆ JUNCELLENSI.

Edita jam erat abbatum Juncellensium series, cum sæpius repetita, ab ipsis monachis Juncellensibus tandem missa sunt abbatum nomina, ex quibus hæc jam editis adjicienda.

Col. 400. post Guillelmum II. n. xv. Hugo de Giniaco præfuit ab anno 1200.

Col. 401. inter Jordanum & G. Fredoli sederunt Arrasatus anno 1283. &

Agussacus an. 1296. forte idem cum Arassato.

Ibid. post G. Fredoli n. xx. addendus Guillelmus de Roquelongue.

Col. 402. n. xxv. Petrus II. cognominatus de Roays.

Ibid. n. xxviii. Guido de S. Baudilio, cui successere

Guillelmus de S. Juliano;

Guillelmus d'Estouteville cardinalis, nuper episcopus Leutevensis, primus commendatarius an. 1454. Huic suffectus

Col. 403. n. xxix. Armandus II. de Rolhan.

Ibid. post Oliverium de Montfaucon n. xxxi. addendus Petrus Raimundus anno 1500.

Ibid. post Jacobum de Lautrec n. xxxiv. qui sedebat adhuc anno 1545. hi sequuntur in catalogo Juncellensium

Franciscus cardinalis de Tournon, archiepiscopus Auscienses, commendatarius Juncellensis ab anno 1546. ad 1557.

Petrus d'Espinac ab anno 1560. ad 1569. quo factus est decanus & post archiepiscopus Lugdunensis.

Paulus de Foix ab anno 1570. ad 1596.

Henricus (non Franciscus) de Thesan du Pujol n. xxxv. cessit in favorem sequentis anno 1645.

Josephus Gabriel de Thesan du Pujol n. xxxvi. quem falso distinximus ab N. de Pujol n. xxxvii. sedit ab anno 1645. ad 1686.

N. xxxviii. Franciscus de Bataille ex ordine Capucinorum, episcopus Bethleemiticus, obtinuit Juncellensem commendam mense Aug. 1686. quam pro Buxeria in diœcesi Augustodunensi permutavit mense Maio 1693. cum Johan. Francisco de Brizai episcopo Convenensi n. xxxix. Obiit Paris. 22. Junii 1701. annos natus 84.

N. xl. Johannes Josephus de Massillan, &c.



ECCLESIA

ECCLESIA NEMAUSENSIS.

NISMES.

VOLCARUM Arecomicorum urbs Nemausus, Romanorum monumentis & inscriptionibus clara, sub archiepiscopatu Narbonensi & parlamento Tolosano in Occitana regione, Avenionem inter & Montempessulanum septem circiter utrinque dissita leucis, nota est Ptolemæo lib. 2. cap. 10. Melæ lib. 2. cap. 5. Plinio lib. 3. cap. 4. Suetonio in Tiberio cap. 13. Antonino in Itinerario, Ausonio in descriptione Burdigalæ, & Straboni, qui de ea hæc habet: *Caput Arecomicorum est Nemausus, longe inferior Narboua, si peregrinam negotiantium turbam spectes; si rempublicam, multo præstantior: nam viginti quatuor habet pagos popularium præstantes viris, qui ei subsunt, & jus quoque Latii habent. Ita ut Nemausi invenias Romanos, qui ædilitatis & quæsturæ honorem sint consecuti, eamque ob causam gens ea cum præfectis Roma missis nihil habet negotii.*

Ejus fundamenta a Nemauso Herculis filio jacta fuisse tradunt, sed de hoc non constat. Stephanus de urbibus Nemausum Italiæ urbem vocitat; nempe, ut interpretantur, quod ab Italis, hoc est Romanis, incoleretur, quemadmodum antiquus liber episcopalis tradit. Nemausus Gothiæ, quæ Septimania est, appellatur, eo videlicet, quod a Gothis usque ad Caroli Martelli principatum possideretur, quæ & alibi Gothorum regia vocitatur. In antiquis numismatibus Colonia Augusta scribitur; quam ab Augusto ex Ægypto reduce huc adductam suspicantur; Nemausi enim nummus visitur, cui Crocodilus palmæ arbori alligatus, laureaque corona (quæ sunt hodie urbis sigillum & insignia) insculpta sunt, cum hoc lemmate COL. NEM. id est Colonia Nemausus, in Ægyptiaci triumphi indicium.

Quod etiam nobilissima esset Romanorum colonia, vel ex eo liquet, quod Strabo asserat multos Nemauso Romam ivisse, ut magistratum postularent; ita ut Nemausenses summis matris Romæ privilegiis fruerentur. Hanc urbem in dissertatione de antiquitatibus Nemausensibus Jacobus Grasserius Basileensis descripsit his verbis: *Romani tantopere ob aëris, terræ & maris bonitatem Nemauso delectabantur, ut ad Romæ simulacrum novam coloniam ædificarint. Aër serenus, æstate quidem a canicula incensus, sed etesiarum flamine jucundus; ver floreum, æstas fructuum ditissima, autumnus rarissimis uvis, pomis punicis, suavissimis ficis & oleis superbissimus. Hyems nullo frigore horrida, sed perpetuum quoddam ver spirans, inter nectareas delicias incolarum animos & corpora reficit. Mare perpetuo pisculentum, venationes & aucupia uberrima, fontes saluberrimi, thermæ admirabiles, quæ vel Baïas Æsculapio sacras æquarent. Vestiga diligentius priscum urbis situm, assurgit septemgemina collium veneranda series, quam mœnia incluserunt, cæsis in formam laterum saxis. Advenam amphitheatrum stupefaciet (Arenas vocant, seu Campum-martium, qui per circuitum longus quadringentos septuaginta pedes, facile quinquaginta millia hominum capere poterat) reliquis insignium operum ruderibus, quorum venerabilem conspectum Gothi Romanæ majestatis jurati hostes nobis inviderunt, arbitrantis oculos distrahentibus. Ex maximis & ferreis quasi albis saxis, quæ polita marmor referrent, tanta industria ædificatum, ut nescias num ingeniorum, an corporum plusquam humanas illas vires mirari debeas. Crederes Palladem Gigantibus architectonicam monstrasse. Figura totius molis ovalis est, sexaginta insignes in ordinem arcus efficiens, quorum quilibet crassitie decem, distantia vero unius ad alterum duodecim pedum, magnum urbi decus addit. Fuit olim quasi in medio urbis, hodie mœnia despicit, qua Monspelium itur. Tanta saxorum mole, ut diximus, exstructum est hoc amphitheatrum, ut diu a Gothis arcis & munitissimi propugnaculi loco, cui etiam turrim imposuerunt, habitum fuerit. Pinnæ quibus saxa præminent ad malos regendos, integræ sunt, pauci gradus devoluti, arcus omnes & fornices ruinæ inexpertes: orchestra tantum ædificiis in arena a Gallis exstructis ante paucos annos cessit. Caveæ quibus leones, aliæque ad munera feræ detinebantur, muris intectæ sunt.*

*Post amphitheatrum, secundum locum hodie habet domus quadrata, seu Capitolium, ut vocant, ædificium magnificentissimum, pulcherrima columnarum serie suffultum, & circa tectum exquisitissimis picturis exornatum, ut affirmem vix hodie sculptores inveniri, qui in tenerrimo gypso præstent, quod illi durissimo saxo ingeniosissime & felicissime expresserunt. Templum Dianæ magnificentissimum fuisse (extra urbem situm, etiamnum pene integrum nostri ævi auctor exhibet) præter rudera, quæ haud vulgaria, cultus divæ arguit. Fons etiam Dianæ qui prope illius templum ex durissimo saxo tanto gurgite scaturit, ut quandoque urbi inundationem minetur, ut ex epigrammate constat, quod in collegio a Francisco primo fundato ad portam exstat, quo sumtu fuerit ornatus, ex pavimentis tessellatis, si aliquantulum ibi terram foderis, colliges. Quarto ab urbe lapide aquæductus superat, opus ingenti structura mirabile, cui par nec Germania, Italia, aut Hispania habet, vulgo Pons Gari** le Pont du Gard, *integit enim fluvium tribus arcuum ordinibus, adeo ut inferior pons, qui pervius, infimas, secundus medias, tertius cui aquæductus incumbit, supremas montium partes pluribus arcubus conjungat.* Hactenus Grasserius. Speciosam & operosam Nemausum vocat Theodulfus Aurelianensis. Fuit olim amplissima, uti rudera testantur, quam etiam perhibent septicollem fuisse adinstar Romæ. Elegantes etiamnum & ædes & plateas habet.

* *Gardonis.*

In veteribus notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ *civitas Nemausensium* appellatur, & inter provinciæ Narbonensis primæ civitates octo quartum, sæpius quintum obtinet locum, & in Roberti chronico tertium. Appendix Fredegarii inter regionis Gothicæ urbes famosissimas *Nemausum, Agathen & Biterras* numerat, quæ a Carolo duce & principe Francorum dirutæ aut mœnibus nudatæ sunt ejectis Sarracenis. In actis mss. passionis S. Baudilii, de Nemauso hæc leguntur: *Ea*

tempestate urbs eadem murorum & celsarum turrium præmaximo ambitu & firmitate sicuti compagine quadrorum erat conspicua, civium frequentia, & inhabitatione nimium populosa, & mercimoniis divitiarum undique advectis supramodum opulenta.

In ea senescalliæ nobilis sedes cum prætorio, collegio regali, & academia Gallica regio diplomate instituta, cui societas cum Parisiensi. Diœcesis vicinas habet Monspeliensem, Uceticensem & Mimatensem. Intra suos fines complectitur Nemausum *Nismes*, Aquas vivas *Aigues vives*, villam S. Egidii *S.t Gilles*, Alestum *Allex* vel *Alais* comitivæ caput; Furcas *Fourques*, Bellumquadrum seu Bellicadrum *Beaucaire*, Juncarias, Bellamgardam, Sumerium *Somiere*, Andusiam ad Vardonem positam, Turnacum *Tournac*, Coloniacum *Cologuac*, Vicanum *Vigan*, Salviam *Sauve* & Armanicas *Aymargues*, cujus in municipii vicariatu Aquæ mortuæ sunt *Aigues mortes*, & Vallis viridis *Vauvert*. Ex quibus Alestum ad Vardonem fluvium modo sedes episcopalis, Bellicadrum, Sumerium, Andusia, Vicanum, Salvia & Armanicæ capita sunt vicariatuum, quos incolæ *Vigueries* vocitant, & vicarios *Viguiers*.

In diœcesi continentur 92. parochiæ & aliquot abbatiæ, de quibus infra. Diœcesanus episcopus jus habet sessionis in provinciæ comitiis. Ecclesia denique cathedralis Deiparæ consecrata est, addita S. Baudilii memoria, cujus capitulum olim regulare sub norma S. Augustini, modo vero sæculare ab anno 1539. constat præposito, majori archidiacono, decano, aliis duobus archidiaconis, thesaurario, sacrista, capiscolo, & sexdecim canonicis.

Præsulum indicem post Catellum texuere Sammarthani; eumdem damus auctiorem, adjuti mss. tabularii capitularis, aliisque schedis & monumentis, quæ hodie maxime abundant.

EPISCOPI NEMAUSENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Felix

INnotescit ex veteri, ut creditur, fragmento vitæ S. Amatii episcopi Avenionensis exscripto inter instrumenta tomi primi novæ Galliæ Christianæ col. 137. ubi Felix episcopus Nemausi dicitur occisus a Vandalis Gallias devastantibus Chroco duce. Hanc irruptionem alii tertio sæculo consignant, alii sub initium sæculi v. quos sequimur. Vide allatas rationes ab auctoribus novæ rerum Occitanarum historiæ t. 1. p. 616. & 640. Huic quoque sententiæ suffragatur N. Deyron in antiquitatibus civitatis Nemausensis inibi editis anno 1663. in 4.° col. 121. ubi & B traditur Felicem natum esse in vico *Bouillargues* prope Nemausum, & ipsius ossa infra aram ecclesiæ Grassensis in Provincia reposita coli.

Inter episcopos Nemausenses Eugenio dandus esset locus, si fidem aliquam mereretur Savaronia-ni codicis auctoritas; subscripsit enim Eugenius Nemausensis præsul epistolæ synodicæ Gallicanorum episcoporum 44. missæ anno 451. ad S. Leonem papam. Ita ms. codex Savaronis, testante domno Polycarpo de la Riviere Carthusiæ Boni passus quondam priore; sed tamen, nec solus, hunc suspectum habet codicem proximus editor operum S. Leonis t. 2. p. 864. hanc ob C causam maxime, quod ibi quorumdam episcoporum fiat mentio, quorum civitates, utpote necdum in notitiis Galliarum recensitæ, dubitandi locus est utrum episcopali sede tunc essent decoratæ.

451.

Haud multo tutius est, quo nititur Croci Nemausensis episcopatus fundamentum, nam quem Apollinaris Sidonius episcopus Claromontensis epist. VI. lib. VII. una cum Simplicio collega episcopatu suo Crocum ejectum ab Eurico Visigothorum rege circa annum 474. recenset, hunc Sirmondus in notis ad hanc epistolam pag. 124. fuisse Nemausensem antistitem existimat quidem, A sed nullum opinionis suæ, seu potius conjecturæ profert argumentum. Vixit Crocus temporibus B. Egidii & Regis Flavii, ex antiquo necrologio Nemausensi scripto circa medium sæculum duodecimum. Consule novam Occit. hist. tom. 1. pagg. 221. & 616.

474.

II. Sedatus.

Agathensi concilio interfuit Sedatus episcopus Nemausensis anno 506. Ipsius habetur sermo de Epiphania Domini editus tom. XI. bibliothecæ patrum Anissonianæ pag. 1093. Hujus & alterum habemus de Nativitate Domini manuscriptum tom. IX. fragmentorum Stephanotii nostri pag. 153. Rescripsisse eumdem Sedatum epistolæ ad se scriptæ a Ruricio episcopo Lemovicensi tradit D. Fourcroy. Denique in pervetusto codice ms. Lerinensi, cui titulus est *Gregorianus*, utpote ex operibus sancti Gregorii Magni compilato, initio hæc leguntur: *Isti quos B. Cæsarius in suis exhortatoriis sermonibus memorat dicens; O felix & beata insulæ hujus habitatio, ubi tam sanctis quotidie & tam spiritualibus lucris gloria Domini Salvatoris augetur, &c.* Tum eadem manu adduntur sequentia: *S. Honoratus, &c. S. Hilarius, &c. S. Sedatius Nemaus. episc.* tom. XII. fragm. Stephanotii nostri pag. 103.

506. *T. 4. concil. col. 1395.*

III. Johannes I.

Nemausensis ecclesiæ archidiaconus erat Johannes, quando jubente Aram Theodorici regis Italiæ duce, qui prius eum inscius vexarat, & a vexationibus ob sancti Baudilii miraculum desierat, factus est episcopus Nemausensis circa annum 511. uti refert Gregorius Turonicus lib. 6. de Gloria martyrum cap. 78. Sanctus nuncupatur in antiquo breviario ecclesiæ Nemausensis sub medium sæculum duodecimum digesto, sepultusque dicitur cum Remessario episcopo in ecclesia

511. *Prob. hist. Occit. t. 1. col. 10.*

ANNI CHRISTI

ſancti Juliani martyris. Fortaſſe hic eſt Johannes A epiſcopus Gothiæ, qui colitur 26. Junii.

IV. Pelagius.

Chirographum ſuum Pelagius appoſuit canonibus concilii III. Toletani an. 589. ſeu potius Valerianus archidiaconus eccleſiæ Nemauſenſis ipſius agens vicem. Ipſemet vero Pelagius interfuit eodem anno concilio Narbonenſi.

589. *T. 5. concil. col. 1017. & 1031.*

V. Remessarius vel Nemessarius.

Subſcriptus habetur Remeſſarius in actis ſynodi quartæ Toletanæ an. 633. Sanctus quoque appellatur in præmemorato breviario, ubi multas poſſeſſiones Nemauſenſi eccleſiæ tradidiſſe dicitur, in his *Villeſerte* nunc *Guron*, ſuperſtes ad annum primum Tulgæ Gothorum regis anno 640. Sepultus traditur cum Johanne anteceſſore in eccleſia ſancti Juliani martyris.

633. *Ibid. col. 1717.* B 640.

VI. Aregius.

673. Anno 673. tempore Wambæ regis Toletani injuſte expulſus eſt Aregius Vaſco, incentore Hilderico comite Nemauſenſi, qui ſtabat a partibus Pauli ducis adverſus Wambam, ut habetur in hiſtoria a Juliano ejuſdem ſedis Toleti archiepiſcopo perſcripta, cujus hæc ſunt verba: *Hic criminis caput dum per diverſos ignem ſuæ infidelitatis accenderet, Nemauſenſis urbis epiſcopum beatæ vitæ Aregium ad perfidiæ notam trahere nitebatur, quem caſto ore conſtantique corde repugnantem ſuis conſiliis cernens, & ordinis, & loci dignitate privatum, pondere vinculorum onuſtum, in Franciæ finibus Francorum manibus dedit illudendum.*

C

VII. Ranimirus.

Ex abbate in diœceſi Nemauſenſi Ranimirus, qui & Ramirus, Hilderici factione in ſedem Aregii intruſus eſt. Ita enim proſequitur Julianus in hiſtoria Wambæ: *Dein ſublati pontificis locum perfidiæ ſuæ ſocium Ranimirum inducit epiſcopum, in cujus electione nullus ordo attenditur, nulla principis vel metropolitani definitio præſtolatur, ſed erecto quodam mentis ſuperbæ faſtigio, contra interdicta majorum, ab externæ gentis duobus tantum epiſcopis ordinatur. Peracto temeritatis tantæ provectu, trium horum hominum ſemina virulenta perfidiæ, Ildericus ſcilicet, Gumildus, & Ranimirus terminos ſibimet ſuæ conjurationis ſtatuunt, & a loco ubi vocabulum fertur Mons Carmeli uſque in Nemauſum, terram Galliæ dividunt, ſuæque conjurationi adſciſcunt.* De illo vide Rodericum hiſt. Hiſpan. lib. 2. cap. 2.

D

VIII. Palladas ſeu Palladius.

De hoc epiſcopo nihil habemus præter nomen in præfato breviario; nec mirum cum his fere temporibus, nempe anno circiter 737. Carolus Martellus urbem Nemauſum ſuccenderit, uti legitur in continuato Frederici chronico part. 3. cap. 109. & aliunde quoque Sarraceni tunc temporis Nemauſi & Galliæ Narbonenſis potiti cuncta devaſtaverint.

E

IX. Casatus & Cosatus.

Palladio ſubjicitur Caſatus ſeu Coſatus in breviario laudato, & huic

X. Gregorius.

Gregorii memoria eruitur, non ex illo ſolum breviario, ſed, ut inquiunt Sammarthani, ex perantiquis capituli ſcripturis.

XI. Vintericus.

Interfuit Vintericus, qui & Winteringus & Virteringus concilio Narbonenſi ſub Daniele Narbonenſi archipræſule anno 791. Vocatur autem in breviario laudato Viteriſcus, & in alio catalogo Nirterinus.

791. *T. 7. concil. col. 965.*

XII. Johannes II.

Subſcriptum nomen Johannis legitur in teſtamento Dadilæ viri potentis, quod conditum eſt anno ultimo imperii Caroli Magni, hoc eſt 813. his verbis: *In Chriſti nomine Johannes, ac ſi indignus epiſcopus ſignum feci;* non tamen aſſerimus fuiſſe Nemauſ. epiſcopum. Hoc tantum poſt editores novæ rerum Occitanarum hiſtoriæ t. 1. pag. 475. conjicimus.

813.

XIII. Christianus.

Sacram inunctionem accepit Chriſtianus die feſto S. Andreæ, ut diſcimus ex charta Nemauſ. tabularii, qua Gilbertus epiſcopus coram regiis miniſtris conqueſtus eſt, quod quas legaverat Chriſtianus hic noſter baſilicæ ſuæ eccleſias & decimarias S. Andreæ *de Coſtebalain* & S. Mariæ *de la Garne* juxta Nemauſum, quibus a triginta & amplius annis fruebatur pacifice cathedralis eccleſia, ab aliquo nihilominus tempore iniqua detentione occuparentur. Memoratur autem Chriſtianus jam anno 1. imperii Ludovici Pii die 28. Nov. hoc eſt 814. quo cum eidem principi exhibuiſſet præceptum Caroli Magni pro immunitate Nemauſenſis eccleſiæ, in quo inſerta legebantur regum ejus anteceſſorum pro eadem eccleſia præcepta, horum omnium obtinuit confirmationem; ac inſuper cellas S. Petri in valle Flaviana, & S. Stephani de Tornaco, quæ modo ad diœceſim Aleſienſem pertinet, & eſt ordinis Cluniacenſis. Subſcripſit idem Chriſtianus ſynodo Theodonis villæ anno 835. ad quam venerat cum decem provinciarum epiſcopis. Denique recenſetur, aiunt Sammarthani, in privilegio dato anno XI. glorioſiſſimi domni noſtri Caroli, ex tabulario Nemauſenſis eccleſiæ.

814. *Ch. 1. col. 165.* 835.

XIV. Isnardus.

In breviario laudato, quod editum eſt inter probationes tomi 2. novæ rerum Occitanarum hiſtoriæ, Iſnardo epiſcopo Nicolaus I. papa legitur conceſſiſſe quæ Ludovicus Chriſtiano dederat, abbatiam ſcilicet S. Egidii & Tornacenſem, quibus additur in codice mſ. Nemauſenſi cœnobium S. Baudilii ab eodem pontifice conceſſum anno circiter 860.

860.

XV. Anglardus.

Conceſſa ſimiliter Anglardo prædicta monaſteria leguntur in breviario memorato. In alio catalogo eidem accommodatur annus 870. ac

[ANNI CHRISTI]

utrobique distinguitur ab Agilardo seu Ageraldo, contra Sammarthanorum sententiam. Verumtamen haud dissimulabo Gilberti qui sequitur episcopi initia repetere Baluzium jam a temporibus Nicolai I. papæ, ex codice, ait, mss. biblioth. Colbert. notato 129. quo admisso ruit hic Anglardus, vel certe non attigit annum 870.

XVI. GILBERTUS & GIBERTUS.

Subscripsit Gilbertus privilegio concesso Trenorchiensi cœnobio in synodo Cabilonensi anni 875. [875. T. 9. concil. col. 124. 276.] Exstat in scriniis ecclesiæ Nemausensis documentum hoc exordio : *Gilbertus episcopus coram Bertranno vicecomite a novem mensibus, Gisalfredo & Guntario vicariis, & ceteris judicibus ante castrum Arenæ in mallo publico queritur & postulat pro recuperatione villæ de Bisaco anno primo quo Carolus rex assumsit imperium*, hoc est 876. [876.] Eodem circiter anno idem Carolus Calvus, non magnus, uti legitur in breviario memorato, huic episcopo dedit abbatiam Psalmodiensem. Cum autem Gilbertus episcopus S. Egidii monasterium suæ quidem olim sedi concessum invasisset, Leo abbas ipsum cœnobium ab ejusdem dominio eximi, & ecclesiæ Romanæ restitui obtinuit anno 878. [878.] Hinc illa est epistola, quam scripsit Johannes VIII. papa an. 879. [879.] ad archiepiscopos Arelatensem, Narbonensem & Aquensem, ut ab iniqua monasterii usurpatione removeretur Gilbertus : *Veracium*, inquit, *relatione comperimus Gibertum Nemausensem venerabilem episcopum, quod quoddam monasterium nostrum, quod super eundem episcopum acquisivimus, ipse Gibertus temere invaserit, omnesque res ipsius monasterii per suos homines distribuerit, & illius monachos inde contra sacras regulas omnino expulerit. Quod tantum nobis displicuit, quantum, sicut ipse nobiscum advertis, calcata reverentia venerandorum canonum, contra privilegium apostolicæ sedis eum fecisse non ambigis. Quapropter fraternitati tuæ dirigimus, ut vice nostra cum confratribus, & coepiscopis nostris junctus, eundem Nemausensem episcopum ad commune colloquium convocetis, & ex auctoritate nostra conveniatis, ut ab omni invasione ipsius monasterii tam se quam suos removeat, & ulterius nec res ejus, nec monachos illic Domino famulantes molestare præsumat: quod si ipse surda aure, quod absit, per vos monita nostra audierit, tunc ex auctoritate B. Petri apostoli, cui idem monasterium pertinet, simul & nostra illum a ministerio sacerdotali excommunicando suspende, quousquedum aut ab ipsa invasione se subtrahat, aut ad sedem apostolicam vel ad nostram præsentiam nobis satisfacturus occurrat. Agat in his sanctimonia tua, sicut illam agere decet, ut & nos Deo laudes & tibi gratias referamus. Data XVIII. cal. Julii indictione XII.* [Baluz. Miscell. tom. 7. pag. 349.]

Interea Gilberti episcopi occurrit mentio in charta de inventione corporis S. Baudilii Nemausensis martyris translati anno 878. ad Saxiacum monasterium diœcesis Autissiodorensis. [Ch. IV. col. 169.] Accessit cum Theodardo Narbonensi archiepiscopo an. 887. [887. T. 9. concil. col. 395.] XV. cal. Decemb. ad synodum villæ Portus diœcesis Nemausensis. Urbs erat Magalonam inter & Nemausum civitates posita, in qua duæ existebant ecclesiæ parochiales, altera B. Mariæ, ubi prædicta synodus habita est, altera S. Petri inter civitatem Lunelli & fluvium Vidurli, ubi terminatur diœcesis Nemausensis. [Sammarth.] Eo tempore portus erat maris Mediterranei ; necdum stabat civitas Aquarum mortuarum, quæ similiter fuit ædificata tempore regis S. Ludovici, quia tunc erat ibi portus maris. Distat nunc pelagus ab hac civitate Aquarum mortuarum milliario & amplius, tractuque temporis ampliori spatio distabit. Dictæ ecclesiæ B. Mariæ & S. Petri de Portu, seu jura earumdem, unitæ sunt capitulo Psalmodiensi, uti ab eo dependentes, antequam esset sæculare, & adhuc hoc tempore annotantur & denominantur in libris *receptæ* decimarum diœcesis Nemausensis, & adjacent terris loci de Marcillanicis domini marchionis de Calvisson, ubi commoratur, & terris civitatis de Lunello, in qua residet dominus de Portibus, sic vulgo vocatus, quia possidet mansum de Portibus, ubi erat ea civitas, nunc funditus eversa & solo adæquata, translatique cives partim ad oppidum de Lunello & de Marcillanicis, quod Catellum fugit in sua historia. Redeo ad Gilbertum episcopum : hic die lunæ III. idus Novembris anno secundo post obitum Caroli imperatoris, hoc est 888. [888.] ecclesias & vicos de Nage, Solorgues, Combalio, & Pedroymacus in valle Anagia loci de Bisaco acquisivit ab Ingulino seu Ingelvino & Arguinberga ipsius conjuge, ex archivis capituli. Scio quidem novissimos rerum Occitanarum scriptores t. 2. col. 572. id referre ad annum 878. sed mutata die III. idus in IV. Memoratur adhuc Gilbertus in instrumento anni 890. die 16. Novembris. [890.] Anno tertio regnante Odone die Jovis mense Aprili habitum est placitum, [891.] in quo Gilbertus præsul coram rege, qui advenerat cum magno episcoporum & baronum comitatu, ea sibi & ecclesiæ Nemausensi postulavit restitui, quæ a Bligardi femina donata Genesius quidam abstulerat in loco de Bisac, villam scilicet Toriadem cum ecclesiis ibidem fundatis, villam Caderillam, villam ipsam Bisagum cum ecclesia ibidem fundata in honorem B. Mariæ, & cum mancipiis utriusque sexus. Has autem villas jubente rege, ac procurante Raimundo comite, Allidulfus vicecomes juridica inquisitione facta Gilberto episcopo restitui curavit, ut patet ex charta in appendice relata. [Ch. V. col. 170.]

XVII. AGLARDUS.

Interfuit Aglardus concilio Portuensi ab Arnusto Narbonensi archipræsule celebrato 897. [897. T. 9. concil. col. 479.] Eodem anno die Dominica, III. nonas Aprilis regnante Odone anno octavo, & anno quarto regnante Carolo rege post obitum Odonis, hoc est 901. [901. Ch. XII. col. 15.] memoratur in duobus donationum exemplaribus Nemausensi capitulo factarum. Ipsius quoque subscriptum nomen legitur chartæ, quam Emma abbatissa confirmandam obtulit synodo Barcinonensi anno 906. [906.] ac denique 907. [907. Prob. hist. Occit. t. 2. col. 45.] interfuit concilio apud S. Tiberium celebrato.

ANNI CHRISTI

XVIII. Wicbertus.

Wicberto præsuli Nemausensi Sergius papa, qui sedit ab anno 907. ad 910. prædicta monasteria confirmavit, ex eodem breviario. Alibi quoque Psalmodium ab eodem Sergio pontifice ei confirmatum legitur. Interfuit Wicbertus, qui & Hucbertus ac Cunibertus, an. 909. concilio Magalonensi apud Juncarias. Eodem anno XII. regnante Carolo rege filio Lodoyci, die 24. Martii excepit donum Martesii presbyteri. Occurrit etiam 912. & anno XIV. regnante Carolo rege. Nominatur inter episcopos, quibus Johannes X. papa scripsit circa annum 914. pro Agio Narbonensi archiepiscopo contra Gerardum intrusum. Recensetur in variis capituli tabulis, nempe in acquisitione terrarum Campaniæ, quæ toparchia leuca vel circiter Nemauso distans cum jurisdictione, capituli dominio adcrevit, *Hucberto*, inquit autographum, *episcopo præsidente;* an. XIX. regnante Carolo, in documento emtionis terrarum de la Garigne & de Signan, quæ terræ Campaniensi erant contiguæ, XVII. calend. Maii; an. XX. ejusdem Caroli VI. cal. Maii in actu cessionis factæ capitulo per Didimum archidiaconum pro latifundiis in pago Vallis magnæ juxta basilicam SS. Cosmæ & Damiani; item in donatione Ruperti pro terra de Costebalaine VI. idus Aprilis an. XXV. regni Caroli; & in donatione Floderici an. XXVI. Caroli post obitum Odonis, ubi cognominatur *Hucbertus episcopus senior.* Ejusdem rursus mentio recurrit in charta cessionis terræ in loco de Bouillargues anno XXIX. ejusdem Caroli, ac denique anno XXX. Caroli post obitum Odonis.

909. T. 9. concil. col. 519. 576.

912.

914.

Ch. XIV. col. 14.

927.

XIX. Reinardus & Reginaldus.

Johannem papam (XI.) Reinardo episcopo Nemausensi dedisse prædicta monasteria, cum villa de Valle Francisca, nunc diœcesis Mimatensis, discimus ex præmemorato breviario. Reperitur Reginaldus in veteri charta anni XXXIV. regnante Carolo rege post obitum Odonis, & feria V. 15. Augusti anno quarto regnante Rodulfo, hoc est, 933. Idem anno III. regnante Radulfo feria IV. 6. Maii commutationem fecit cum Rainardo & Goda ipsius conjuge, hoc est 935. ex quibus colligas annos regni Rodulfi nonnisi ab anno 930. & aliquando 932. in Occitania cœpisse computari. Adfuit Reginaldus an. 937. concilio Ausidinensi, ubi post confirmatam monasterii S. Pontii fundationem latum est decretum adversus eos qui ejusdem privilegia convellere tentarent. Inscribitur etiam Reinardus chartæ authenticæ Benedicti & Godæ VI. cal. Julii anno tertio quo Ludovicus cœpit regnare post obitum regis Rodulfi, necnon in tabula Bertildæ capitulo cedentis locum de Solorgues die Sabbati XIII. cal. Novembris anno tertio ejusdem Ludovici, hic est 938. Subscriptus quoque reperitur in donationibus Aimerici archiepisc. Narbonensis, & Rodoaldi Biterrensis episcopi factis monasterio S. Pontii anno 940. mense Augusto, ubi in illa notatur annus tertius Ludovici, in hac vero quartus. Denique memoratur in donatione Adalfredi presbyteri mense Octobri anno V. Ludovici regis.

933.

935.

937.

940.

XX. Bernardus I.

Prætermissus a Sammarthanis Bernardus innotescit ex duabus chartis, altera data 15. Februarii anno VII. regni Ludovici post obitum Rodulfi, hoc est 943. & altera die Sabb. 25. Febr. anno VII. eodem regnante Ludovico post obitum Radulfi.

943. Tom. 2. hist. Occit. pag. 572.

XXI. Bego.

In actis ecclesiæ Nemausensis memoratur Bego episcopus una cum suo capitulo feria V. octavo idus Maii anno VII. regnante Ludovico post obitum Rodulfi, subscriptis Begone, Baldegando archidiacono & Richardo presbytero scriba, hic est 945. Sic incipit aliud instrumentum: *Bego gratia Dei Nemausensis episcopus, Atho præpositus, & ceteri canonici die Jovis IX. cal. Januarii anno IX. regni Ludovici post obitum Rodulfi*, hic est 946. nimirum utrobique secundum litteram Dominicalem.

Sammarth.

945.

946.

XXII. Bernardus II.

D'ANDUSE.

Quem Sammarthani dominum Andusiensem Bernardi episcopi fratrem nominant Petrum, is vocatur L. in prælaudato breviario, ubi & pro castro S. Marcelli legitur castrum S. Martialis episcopatui tradidisse. Reperitur autem Bernardus episcopus feria secunda IV. idus Martii anno XI. regni Ludovici, hoc est 949. & anno primo quo obiit Ludovicus & regnavit Lotharius, id est 954. Insuper anno tertio quod rex Lotharius regnare cœpit, Bernardus episcopus excepit donum Daidonis in civitate Nemauso IV. nonas Aprilis. In ejus gratiam Berta comitissa & filius ejus Raimundus comes Nemausensi capitulo legarunt terras in pago d'Aymargues, quæ ab aliquot sæculis recedente mari patuerant: est autem hic tractus inter B. Mariam de Portu & mare juxta S. Laurentium & abbatiam Psalmodiensem, qui a Francisco I. rege in oppidum Aquarum mortuarum traductus est. Hanc vero perperam distinxerunt donationem Sammarthani ab alia qua iidem capitulo legarunt territoria sita apud Aimargues & Cailar in littoraria, Armassanicus & Seilano, ea lege ut si qui has possessiones invaderent *ad propinquos* ejus *reverterentur, & si propinqui istas res inquietare non valerent, ad ipsam potestatem de Nemauso publice reverterentur. Actum die Sabbati VII. idus Septembris anno VII. quo cœpit regnare Lotharius rex*, id est 961. Est & alia ejusdem Bertæ comitissæ donatio ecclesiæ Nemausensi, *ubi domnus Bernardus episcopus præesse videtur*, facta die Veneris XV. cal.* Septemb. anno XI. quod cœpit regnare Lotharius rex filius Lodoyci. Anno XVII. regnante Lothario rege, IV. cal. Augusti Bernardus Nemausensis & alter Biterrensis episcopi, necnon Leufredus abbas & conventus Anianæ inter se commutaverunt quæ in Capite stagni habebant. Anno seq. seu XVIII. ejusdem regis die Veneris nonis Julii, hoc est 971. habitum est placitum in civitate Nemauso de quibusdam Raimundum inter comitem

949.

954.

Sammarth.

Prob. hist. Occit. t. 2. col. 113.

961.

* al. 15. Septemb.

971.

ANNI CHRISTI

Ruthenenſem & Amelium epiſcopum (Agath.) litigioſis, præſentibus Bernardo noſtro, Fulcrando epiſcopo Leutevenſi, vicecomite Siguino & aliis, qui omnes Amelio epiſcopo faverunt. Reperitur adhuc annis XIX. XX. XXV. & XXX. regni ejuſdem Lotharii; ac denique in archivis Arelatenſis capituli Anno archiepiſcopus dedit illi de alode S. Stephani, in comitatu Uzetico, in loco Galzignano cum eccleſia ſancti Cæſarii, & accepit ab eodem Bernardo ſolidos 300. denariorum Arelate menſe Auguſto anno XLVIII. Conradi regis, hoc eſt 985. Annus vero XXXIV. Lotharii cum feria III. die 16. Martii compoſitus, ad quem Bernardus pervenit, coincidit cum anno 986.

[Sammarth. — 985. — 986.]

XXIII. Frotarius I.

Antea præſul Albienſis Frotarius, filius Bernardi II. vicecomitis Albienſis & Nemauſenſis ex Gauciana, jam anno 987. menſe Martio, ſeu regnante D. N. J. C. & primo Hugonis regis Nemauſenſes infulas geſtabat. In eumdem modum memoratur menſe Januario regnante D. N. J. C. antequam ſcilicet Hugo in Occitania rex agnitus eſſet, hoc eſt 988. vel etiam 989. Die vero Martis 20. Januarii anno quarto quo Hugo cœpit regnare, hoc eſt 991. permutationem fecit. Nemauſi eodem anno monaſterium S. Salvatoris de Fonte conſtruxit pro virginibus Benedictinis juxta fanum Dianæ. Anno ſexto ejuſdem Hugonis Sabbato 9. Decembris, hoc eſt 992. Andradum quemdam beneficum expertus eſt. Recenſetur die 24. Aprilis anno ſeptimo Hugonis, ſeu 994. cum Adalbaldo abbate, iterumque feria V. (forte IV.) 18. Maii anno primo, quo rex Hugo mortuus eſt, hic eſt 998. Nonnulla commutavit anno quinto Roberti regis, ſubſcribente Adalbaldo abbate. Memoratur adhuc die 4. Aprilis anno ſexto Roberti regis, & feria quinta 20. Maii anno ſeptimo, quo Robertus cœpit regnare, id eſt 1003. die 28. Martii anno decimo Roberti regis, ſeu 1006. Sabbato XIII. cal. Januarii anno XI. quod Robertus cœpit regnare, ac denique anno decimo tertio, die Mercurii idibus Aprilis, hoc eſt 1009. Ita ſubſcriptum eſt hoc diploma: *Pontius præpoſitus cum conſenſu Froterii ſenioris epiſcopi....... Signum Froterius epiſcopus ſenior: ſig. Pontius præpoſitus: ſig. Pontius Molacavo: ſig. Pontius Cervella: ſig. Felicius: ſig. Petrus archidiaconus: ſig. Bernardus decanus: ſig. Ermedronnus clavicularis: ſig. Stephanus: ſig. Froterius: ſig. Aldebertus: ſig. Rodulfus: Reynaldus preſbyter ſcripſit.* Adfuit anno 1010. ampliſſimo cœtui Urgellæ habito pro inſtitutione vitæ canonicæ in eccleſia Urgellenſi. Memoratur in titulo ceſſionis terrarum in loco dicto *Airas majores* a Berengario factæ anno XVIII. Roberti regis, adhuc ſuperſtes anno XIX. regnante eodem principe.

[987. — 988. — 991. — 994. — 998. — 1003. — 1006. — 1009. — 1010. — 1014.]

XXIV. Geraldus I.

[D'ANDUSE.]

Bernardi Anduſiæ domini ex Ermengarde prima conjuge filius Geraldus, frater autem Fredoli epiſcopi Anicienſis, reperitur epiſc. Nemauſenſis jam anno 1015. Subſcripſit anno 1019. ind. 2. XV. cal. Auguſti fundationi parthenonis Caroli loci ſeu S. Geneſii in diœceſi Magalon. Occurrit etiam menſe Aprili anno XXIV. regni Roberti, quo etiam, non XXVI. die 20. Octobris feria V. una cum patre ſuo Bernardo, fratre ſuo Fredolo epiſcopo Anicienſi & aliis ſe munificum præbuit erga Nemauſenſem eccleſiam. Hic eſt haud dubie Giraldus epiſcopus ſubſcriptus inſtrumento electionis Judithæ abbatiſſæ S. Geneſii an. 1025. & Guiraldus epiſcopus Nemauſenſis notatus in necrologio ſancti Egidii XVI. calendas Octobris.

[1015. — 1019. — Ch. VI. col. 347. — 1020. — Ch. VII. col. 348. Prob. hiſt. Occit. t. 2. col. 172. & 173.]

XXV. Froterius II.

Parentibus Atone II. vicecomite Albienſi & Nemauſenſi atque Gerberga natus Froterius, patruum habuit Froterium primum epiſcopum Nemauſenſem. Ipſe vero memoratur epiſcopus Nemauſenſis in chartulario domeſtico die 21. Novembris anno XLVI. regni Roberti, quod vel intelligendum de alio regno, quod ante Francicum obtinuerit, vel dicendum errorem in anno irrepſiſſe, neque enim tot annis Robertus in Gallia regnavit. Ceterum Froterius anno 1027. ſubſcripſit chartæ fundationis parthenonis de Galargues in comitatu Nemauſenſi, condito a Roſtagno viro nobili. Subſignavit quoque inſtrumentum fundationis prioratus Salvienſis in ſua diœceſi an. 1029. indictione XII. Eodem anno XII. cal. Januarii Gaufrido abbati & monachis Gellonenſibus prædicti Salvienſis monaſterii poſſeſſionem adeuntibus adſtitiſſe legitur in tabulario Gellonenſi. Occurrit anno 1032. die 30. Decembris indictione XV. in charta Seguini de Rocaſullo pro cœnobio Gellonenſi. Circa 1035. Geraldus & Sicarius fratres cum ſuis uterque liberis plurima dederunt Froterio epiſcopo & fratribus ejus Bernardo & Segario in emendationem necis Atonis eorum patris. Eo ſedente Pontius comes Toloſanus Majoræ ſuæ ſponſæ dedit inter alia medietatem epiſcopatus Nemauſenſis & abbatiæ S. Egidii, ſub die feria quarta XVIII. cal. Octob. regnante Henrico rege, hoc eſt 1037. Bernardus vicecomes Albienſis & frater ejus Froterius epiſcopus Nemauſenſis Albienſem epiſcopatum Bernardo Aimardo & Guillelmo ejus filio vendiderunt circa 1038. qua de re poſtea iidem Froterius & Guillelmus quamdam pactionem fecerunt circa 1045. Interim anno 1040. Froterius adfuit Benedicto IX. pontifici Maſſilienſem S. Victoris baſilicam conſecranti. Eodem anno Caſtrenſem & Soricinienſem abbatias uſurpaſſe dicitur in ſchedis viri clar. D. de Mazaugues præſidis in parlamento Aquiſextienſi. Harum certe ac S. Salvii Albienſis advocatiam habuiſſe memoratur, cui poſtremæ bona plurima reſtituit, ex charta IX. eccleſiæ Albienſis tomo I. novæ Galliæ Chriſt. pag. 5. ut inibi canonici vitam agerent communem. Sub hoc tempus habetur charta donationis Bernardi & Pontiæ ipſius conjugis, cum aſſenſu filiorum, Petro abbate ſancti Baudilii, Pontio Raimundo & Guillelmo, Froterio epiſcopo, regnante Henrico rege feria quarta XI. calend. Auguſti, hoc eſt 1041. Interfuit anno

[1027. — Ch. VII. col. 173. — 1029. — Ch VIII. col. 174. — 1032. — Prob. hiſt. Occit. t. 2. col. 192. & 201. — 1035. — Ch. VIII. tom. I. pag. 4. — 1037. — 1038. — 1040. — 1041.]

sequenti die 4. Septembris concilio S. Egidii, ubi decreta concilii Tulugiensis confirmata sunt. Anno 1043. acta concilii Narbonensis, cui non adfuerat, sua subscriptione approbavit, fortasse nimirum in altero concilio ejusdem urbis habito eodem anno die 1. Augusti, cui certe interfuit. Idem quoque recensetur inter episcopos, qui cum Guifredo Narbonensi archiepiscopo ecclesiam S. Michaelis Fluvianensis privilegiis donarunt an. 1045. Adstitit an. 1054. 25. Aug. indict. VII. epacta IX. concurrente V. concilio Narbonensi, & 1056. concilio Tolosano. Interea jam dudum cum aliis præsulibus ab Arnaldo Magalonensi episcopo invitatus, ut quam obtinuerat bullam a Johanne papa XIX. pro restauratione Magalonensis ecclesiæ approbaret, id præstitit, ejusdemque basilicæ interfuit dedicationi exeunte anno 1054. aut ineunte 1055. Anno 1058. die 26. Decembris cum aliis episcopis subscripsit chartæ qua Hali dux Mahometanus, seu Sarracenus de Denia ecclesiæ Barcinonensi submisit omnes ditionum suarum ecclesias. Testis est anno 1061. III. nonas Januarii in charta Raingardis viduæ Petri Raimundi Carcassonensis ex parte comitis & vicecomitis Biterrensis & Agathensis pro S. Pontii Tomeriarum monasterio. Ipse vero una cum Raimundo nepote suo vicecomite cœnobio S. Victoris Massiliensis Soricinense monasterium dedit anno 1062. die Dominica nonis Novembris (lege III. nonas) Duranno abbate tunc regente Victorinum cœnobium, regnante Philippo rege, ex archivo Victorino, in armario diœcesis Vaurensis num. 16. & 28. Hoc circiter anno Alexander II. papa latam a Froterio episcopo in monachum, qui prioratum Salviensem invaserat, excommunicationem confirmavit. Exstat in chartulario Nemausensi donatio facta ecclesiæ cathedrali a Pontio de Marsanico *(de Marsanes) Froterio & Elefanto existentibus episcopis* an. 1066. ex qua colligere est Froterium jam annis provectum sibi Elefantum coadjutorem adscivisse, & certe Froterius sub finem episcopatus se *veterem episcopum* dicebat. Elefantus vero fortasse hic est episcopus Aptensis subscriptus an. 1068. I. Martii una cum Froterio episcopo Nemausensi initæ compositioni Raimundum inter comitem Barcinonensem & Raimundum Bernardi vicecomitem Carcassonensem super dominiis familiæ Carcassonensis. Anno 1071. XVIII. cal. Sept. regnante Philippo idem Froterius ratam habuit electionem Raimundi viri bonæ conversationis in abbatem Soricinii, ex tabulis hujus monasterii, cujus basilicam frequenter invisebat, amore ductus sacrarum reliquiarum, quæ inibi reconduntur, ut in ejusdem cœnobii archivo legitur. Ejusdem consilio, Guiraudi episcopi Ostiensis in Francia legati & Ricardi archiepiscopi Bituricensis, Frotardus episcopus Albiensis ecclesiæ suæ canonicos reformavit anno 1072. Insequenti pridie idus Januarii una cum nepote suo Raimundo vicecomite monasterium S. Benedicti & S. Vincentii, quod vocatur *Castras*, Victorinis monachis, eorumque abbati Bernardo contulit, ex archivo sancti Victoris in armario diœcesis Castrensis num. 59. Scripsit ad eum Gregorius VII. papa XI. cal. April. indict. XII. hoc est 1074. pro monasterio S. Egidii, quod inquietabat, atque etiam interdixerat, in hunc modum: *Audivimus olim nostri tempore prædecessoris venerabilis memoriæ Alexandri, te contra justitiam monasterium S. Egidii, quod idem gloriosus confessor juri B. Petri tradidit, usque adeo affecisse injuriis, ut ejusdem abbatem a Romano pontifice consecratum capere præsumeres, spreto rigore canonum, contemtisque privilegiis ab apostolica sede derivatis, unde tum merito, & adhuc dolemus, non dubitantes abbatis contumelias Romanæ majestati fuisse illatas. Nihilominus quoque nobis displicet, quod quasi de integro tibi licentiam usurpas præfatum excommunicandi cœnobium, cum hoc tibi non licere hujus sanctæ sedis auctoritas authenticorum testetur in datione privilegiorum.* Rogat ergo Froterium episcopum papa, præcipitque ne ipsis molestus sit, & si quas ab illis patitur injurias, has apud sedem apostolicam persequatur; illosque declarat a jugo servitutis per auctoritatem quæ data est apostolo Petro, per nos, inquit, ejusdem vicarios, ut Deo libere serviant, esse absolutos. Habentur & aliæ plurimæ chartæ notis chronicis destitutæ, in quibus Froterius episcopus memoratur; una scilicet data legitur feria secunda VI. cal. Aug. alia feria III. mense Aprili regnante Henrico, qua cum suis canonicis & Pontio Salomonis concordiam fecit super morte Pontii Guillelmi canonici; alia rursus de divisione decimariæ locorum de Garne & des Marguerites calendis Julii feria IV. regnante eodem Henrico; altera denique Ermengardis est vicecomitissæ Froterii neptis, qua terras sitas in territorio S. Stephani de Alverno in valle Anagia donat ecclesiæ Nemausensi: testes præsentes *Froterius veter episcopus*, Esmirannus, Petrus de Talaferro & alii. Hoc autem instrumentum ad annum circiter 1075. referendum putant novissimi rerum Occitanarum scriptores, mortuumque Froterium circa 1077. Utrum Elefantus ei supervixerit, incertum.

Marginalia (left column): Anni Christi 1043. — Anecdot. tom. 4. col. 83. — 1045. — T. 9. concil. col. 942. 1082. — 1054. — 1056. — Tom. 1. bibl. Labb. pag. 797. — 1058. — Marc. Hisp. col. 1116. — 1061. — Prob. hist. Occit. t. 2. col. 240. — 1062. — Ch. XIII. col. 179. — 1066. — 1068. — Append. Marc. Hisp. col. 1137. — 1071. — Baluz. t. 4. Miscellan. pag. 446. — 1072. (Right column): Anni Christi 1074. — Lib. 2. epist. 68. — Tom. 2. hist. Occit. pag. 574. & Prob. col. 288.

XXVI. Petrus I.

Ermengaudi.

Sanvictorino Massiliensi cœnobio Petrus Ermengaudi episcopus Nemausensis dedit ecclesiam S. Petri de Maurisso, quam eidem confirmavit Gregorius VII. papa anno pontificatus octavo indictione III. id est 1080. Sub idem tempus Berengario Gellonensi abbati contulit ecclesiam S. Petri de Mayrosio, seu potius ejus consilio, Petrus Guigo præpositus & ceteri Nemausenses canonici hanc donationem fecerunt. Ecclesiam vero S. Baudilii apud Nemausum ipse donavit Seguino abbati & monachis Casæ Dei, rogantibus Raimundo comite & Ermengarde vicecomitissa, die Sabbati V. calendas Januarii luna XXVII. regnante Philippo Francorum rege, hoc est 1084. Adfuit circa 1090. conventui episcoporum, in quo anathema dictum est contra invasores bonorum ecclesiæ Biterrensis. Denique ipsius magnificentia enituit maxime erga Nemausensem ecclesiam, quam reædificavit, suamque

Marginalia: 1080. — 1084. — Ch. XV. col. 181. — 1090. — T. 4. Anecd. col. 120.

ANNI CHRISTI

in primis religionem demonstravit, in ea canonicos regulares instituendo. Fortasse is est Petrus, cujus obitus dies notatur in necrologio S. Egidii v. idus Maii.

DE MONTE-ROTUNDO.

XXVII. Bertrandus.

Consecratus ab Urbano papa II. Bertrandus, paulo post eodem satagente pontifice rediit in gratiam cum Odilone S. Egidii abbate, ut patet ex bulla in appendice relata, ubi loco 1096. *lege* 1095. Adfuit concilio Claromontano 18. Novembris ejusdem anni. Insequenti Dominica die sanctis apostolis Petro & Paulo sacra adstitit eidem Urbano concionanti & insulam Magalonensem consecranti. Eodem anno, die 6. Julii summus idem pontifex ecclesiam Nemausensem dedicavit, præsente Raimundo de S. Egidio comite Tolosano, qui prædictam basilicam dotavit & quasi desponsavit, atque hoc ipso die, ut creditur, Urbanus papa Nemausense concilium inchoavit, adstantibus decem archiepiscopis & 86. tam episcopis quam abbatibus, inter quos Bertrandus noster recensetur. Hujusce synodi decreta Dacherius noster edidit t. 4. Spicilegii. De Bertrando cetera vide in archiepiscopis Narbonensibus ad quam sedem translatus est anno 1096.

Ch. XXX. col. 26. — 1095. Ch. XVIII. col. 184. — 1096. — Charta XXXII. col. 28.

XXVIII. Raimundus Guillelmus *aut* Guillelmi.

Ortu Monspeliensis, & ut videtur ex gente dominorum hujusce urbis Raimundus G. sic dictus in antiquo breviario, qui a Sammarthanis Raimundus Guillelmus, jam anno 1097. XVI. cal. Octobris una cum archiepiscopis Bertrando Narbonensi & Gibelino Arelatensi atque Godefrido Magalonensi præsule arbiter & judex Richardum inter S. Victoris Massiliensis & Fulconem Psalmodii abbates a summo pontifice constitutus, rem secundum Fulconem judicavit, cujus monasterium a jurisdictione cœnobii S. Victoris Massiliensis absolutum est, uti legere est lib. 6. de re Diplomatica pag. 617. ubi pro 1097. perperam habetur 1096. Non nisi tamen 1098. consecratus est Raimundus G. ex memorato breviario, qui Raimundus simpliciter vocatur in quadam definitione & *guirpitione* facta inter eum & Pontium abbatem Casæ Dei pro quibusdam ecclesiis Nemausensis civitatis, quas inter monasterium sanctimonialium sancti Salvatoris fundatum infra muros civitatis Nemaus. laudat Raimundus episcopus Pontio abbati Casæ Dei & monachis: testes sunt Rotbertus abbas Crassensis, & Stephanus frater ejus monachus, Mauricius prior Casæ Dei, Petrus Guidonis prior S. Baudilii, Gausbertus cellerarius Casæ Dei, Guido decanus, aliique monachi, Bernardus Pontii miles de Arenis, Petrus præpositus Nemaus. Petrus archidiaconus, Sigmarus canonicus, &c. Facta est charta ista anno ab Incarnatione Dom. MXCIX. anno primo Paschalis papæ, VIII. idus Januarii regnante Philippo rege Francorum, per consilium & diffinitionem domini Gotafredi Magalonensis episcopi & Avinionensis episcopi Arberti, & Fulconis abbatis Psalmodiensis, & Letberti abbatis S. Rufi, qui istam chartam firmaverunt & laudaverunt. Stephanus S. Ursidii monachus Casæ Dei scripsit hanc chartam. Denique Raimundus Guillelmi episcopus & frater ejus Bernardus Guillelmi paciscuntur an. 1103. mense Januario cum Guillelmo Montispessulani domino de vicaria & ballivia Monspeliensi, quas dictus dominus illis in feodum dedit & ultimi posteritati, certis conditionibus. Hic ille forsan est Raimundus cujus obitus dies notatur III. idus Junii in necrologio S. Egidii; annus vero MCXI. in veteri necrologio Nemaus. & MCXII. in antiquo breviario toties memorato assignatur.

Tom. 2. hist. Occitan. col. 305. & Prob. col. 11. — 1097. Ch. XIX. col. 185. — 1098. — 1099. — *Prob. hist. Occit. t. 2. col. 352.* — 1103. *Ibid. col. 361. & 363.* — 1112. *Ibid. col. 11.*

XXIX. Johannes III.

In veteri breviario sæpius laudato consecratus dicitur Johannes vir magnæ sanctitatis an. 1113. Certe 1115. pridie nonas Octobris interfuit consecrationi ecclesiæ B. Mariæ de Cassiano diœcesis Biterrensis, ex tabulis hujus ecclesiæ. Circiter annum 1117. eum Richardus Narbonensis archiepiscopus testem adducit vexationum sibi ab Aimerico vicecomite Narbonensi illatarum. Pactum iniit cum abbate S. Egidii an. 1118. pro juribus episcopalibus, ex archivis Nemausensibus. Transegit & cum abbate Psalmodiensi an. 1125. Præsens laudatur an. 1127. restitutioni medietatis castri de Petra alba factæ monasterio Vabrensi, & 1129. testis est in charta Arnaldi Narbonensis archiepiscopi pro S. Justi canonicis regularibus. Exeunte hoc anno idem Arnaldus cum suffraganeis episcopis Aldeberto Agathensi, Johanne Nemausensi, Petro Leutevensi & Raimundo Magalonensi, &c. habito conventu Loupiani in diœcesi Agathensi Casædenses monachos Santyberianis ecclesiam de Beciano restituere coegit; cumque iterum hæc causa in placito episcoporum apud Montempessulanum habito 3. Nov. 1134. agitata fuisset, iterum cessit in gratiam Ademari S. Tiberii abbatis, ex tom. 8. fragment. Stephanotii nostri p. 143. ubi loco L. episcopi Nemausensis legendus J. quod etiam mendum in instrumentis col. 319. irrepsit. Exstat epistola Innocentii papæ II. ad Raimundum Magalonensem, B. Biterrensem, P. Leutevensem, Johannem Nemaus. episcopos & Raimundum Agathensem electum pro Anianensi monasterio anno 1130. die 29. Novemb. Idem Johannes episc. Nemaus. cum Bermundo Biterrensi & Raimundo Carcasson. præsulibus adfuit Arnaldo Narbonensi metropolitæ consecranti ecclesiam S. Martini de Crexano nonis Decemb. indict. XI. epacta XII. concurrente XV. anno 1132. ex tabulis capituli Narbonensis. Ex hac vita migravit 1134. humatus in ecclesia S. Servandi juxta muros Tolosæ civitatis.

1113. — 1115. Ch. VIII. col. 133. — Charta XXXIII. col. 30. — 1118. — 1125. — 1127. — 1129. — Charta XXXVIII. col. 34. — 1134. — 1130. — Charta XXXIX. col. 36. — 1132. — *Prob. hist. Occit. t. 2. col. 11.*

XXX. Guillelmus I.

Inauguratus Guillelmus anno 1134. ex breviario toties memorato, quod idem est ac memoriale episcopatus, confectum, aiunt Sammarthani, anno 1171. approbavit 1139. in concilio habito in ecclesia cathedrali Uceticensi compositionem factam a Guidone cardinali sedis apostolicæ

1134. — 1139.

ANNI CHRISTI

apostolicæ legato Stephanum inter Casæ Dei abbatem & Ademarum S. Tiberii litigantes pro ecclesia de Beciano, quæ denuo Santiberianis asserta fuit. Eodem anno memoratur Guillelmus in bulla Innocentii papæ II. pro Juncellensi monasterio, ubi dicitur una cum Everardo Ucetiensi episcopo, necnon Petro S. Egidii & Petro Massiliensi abbatibus rationabili studio pacem & concordiam Juncellenses inter & Psalmodienses monachos in palatio Lateranensi restituisse. Obiit Guillelmus 1141. & requiescit in ecclesia beatæ Mariæ (cathedrali) juxta sepulcrum S. Guillelmi episcopi, ex prædicto breviario. In actu capitulari anni 1468. statuitur de cetero celebrandum esse festum S. Guillelmi & S. Baudilii, tanquam apostolorum Nemausensium. Hunc autem sanctum Guillelmum interpretantur nonnulli B. Guillelmum de Desertis, qui Sarracenos Nemauso ejecit. Noster vero Guillelmus fortasse is est G. de Cros episcopus *Nymociensis* memoratus die 3. Oct. in necrol. S. Andreæ Claromontani.

Prob. hist. Occit. t. 2. col. 488. *Ch. x. col. 321.* *Ch. xi. col. 136.* 1141. *Prob. hist. Occit. t. 2. col. 11.* *Tom. 2. bibl. Labb. pag. 763.*

D'USEZ.

XXXI. ALDEBERTUS, & ADALBERTUS seu ALBERTUS.

Fratres habuit Albertus Raimundum Vivariensem, Raimundum Uceticensem, & Petrum Leutevensem præsules ex patre Raimundo Decani dom. de Posqueriis & de Ucetia, ut constat ex epitaphio patris quod subjiciemus in Raimundo I. Uceticensi pontifice. Romæ consecratur Albertus ab Innocentio papa II. anno 1141. in festivitate S. Thomæ, *& dedit ei papa monasterium Sendracense & monasterium S. Salvatoris de Fonte, quod postea Eugenius papa & Ludovicus rex, una cum castris, villis & possessionibus, quæ sunt infra civitatem & extra similiter confirmaverunt*, ex breviario toties laudato. Testis habetur idem Albertus in charta fundationis cœnobii Francarum vallium circa 1143. & in alia pro eodem monasterio 1147. præsens quoque 1146. in charta B. Atonis vicecomitis Nemausensis bona quædam oppignerantis nepoti suo Rostagno de Posqueriis, ubi littera R. loco A. pro episcopi nomine irrepsit. Sub annum 1148. dedit abbati Casæ Dei ecclesiam S. Juliani nunc dirutam, & ecclesiam S. Baudilii extra muros Nemausenses, seu potius hanc prius datam confirmavit regnante Ludovico rege, qui erat Jerosolymis, ait vetus membrana. Insequenti 1149. VI. nonas Maii testis laudatur fidei clientelaris, quam Raimundus comes Tolosanus Rogerio vicecomiti Carcassonensi professus est. Eodem anno una cum Bernardo Atonis vicecomite Nemausensi & Agathensi in feodum dedit Bernardo Gaufrido quotquot ante ipsius mensam fieri possent mensæ ante portam rubeam nostræ Dominæ, ex inventario regii chartarum thesauri fol. 141. verso *Languedoc*. Adstitit an. 1151. XI. calendas Novembris Petro ex abbate S. Egidii archiepiscopo Narbon. & Raimundo Aptensi præsuli testantibus Raimundum comitem Jerosolymam profecturum cessisse monasterio S. Egidii quæcumque jura in oppido sancti Egidii obtendebat. Interfuit anno 1152. matrimonio Guiraudi de Simiana & Galburgiæ, ex tabulario marchionis Planitiarum, & ex inventario regii chartarum thesauri fol. 148. verso *Languedoc*. Eodem anno testis est clientelæ, quam Hugo de Baucio filius Raimundi præstitit Raimundo Arelatensi archiepiscopo, ex pancharta libri nigri archiepiscopatus. Ratam habuit anno 1155. transactionem initam Guillelmam inter sancti Genesii abbatissam & Ebrardum priorem S. Martini de Gadalaricis super capella S. Mariæ juxta pontem S. Ambrosii. Eodem anno testis est in charta Ermengardis vicecomitissæ Narbonensis Petro archiepiscopo cedentis quidquid auferre solebat in obitu archiepiscoporum. Eidem Nemausensis ecclesiæ privilegia & possessiones confirmavit Adrianus IV. papa bulla data 10. Dec. an. 1156. in cujus etiam pontificis altera bulla hoc circiter anno initam concordiam Guillelmum inter episcopum Biterrensem & Johannem priorem de Cassiano confirmantis, dicitur una cum Berengario Narbonensi, Raimundo Uceticensi & Ademaro Agathensi præsulibus, Pontio Uceticensi præposito & Rogerio Narbonensi archidiacono, &c. ejusdem concordiæ sollicitus intercessor. Ludovicus VII. junior nuncupatus anno regni sui XXI. Christi 1157. Aldeberto episcopo ipsius ecclesiæ privilegia laudavit. Audebertus episcopus Nemausensis memoratur an. 1158. in charta Raimundi Tolosæ comitis pro Hugone Diensi episcopo. In actis synodi Lombariensis in diœcesi Albiensi habitæ anno 1165. qui eidem adfuit episcopus Nemausensis, Arnaldus quidem vocatur, sed profecto erravit editor aut amanuensis, qui episcopi nomini per solam initialem litteram A. reperto substituit Arnaldum loco Aldeberti. Et certe in tabulario Inquisitionis A. episcopus Nemausensis latam in prædicta synodo sententiam in hæreticos, *Bonos homines* dictos anno 1165. approbasse legitur. Insuper Aldebertus episcopus Nemaus. una cum Raimundo Uceticensi præsule subscripsit donationi Bermundi Ucetiæ & Posqueriarum domini factæ Matfredo abbati Bonæcumbæ in diœcesi Ruthenensi an. 1168. Insequenti laudavit Aldebertus & concessit in festo sancti Augustini monasterio S. Petri de salva & Hugoni priori ecclesias, quas a longo tempore possidebant ex dono Johannis decessoris, salva episcopali obedientia, ex archivis episcopatus Nemaus. Exstat sub hoc tempus in historia monasterii sancti Salvatoris & S. Mariæ de Fonte Nemausi charta venditionis factæ Odilæ abbatissæ, cui sigillum suum apposuit Aldebertus episc. in quo veste monastica indutus exhibetur. Idem testis est in charta Bertrandi Melgoriensis comitis abbatiam Francarum vallium a leida & omni usatico in valle Alesti eximentis, mense Decembri feria III. luna XIV. an. 1171. in charta Ruthenensis ecclesiæ 1172. & 1174. in dono Raimundi Ucetiæ & Posqueriarum domini eidem Francarum vallium abbatiæ collato. Eodem* anno XIV. cal. Aprilis clientelam excepit a Bernardo d'Anduse Mariæ filio pro castris de Montpezat, de Levi, &c. ex scheda D. de Mazaugues præsidis in parlamento Aquisextiensi. Hoc etiam anno cum ecclesiæ

Prob. hist. Occit. t. 2. col. 11. *Ch. XXVI. col. 192. 193.* 1146. *Prob. hist. Occit. t. 2. col. 516.* 1149. *Ibid. col. 521.* *Tom. 2. hist. Occitan. pag. 464.* 1151. 1152.

1155. *Ch. XLVII. col. 41.* 1156. *Ch. XXVII. col. 198.* *Ch. XV. col. 138.* 1157. *Prob. hist. Occit. t. 2. col. 563.* 1158. 1165. *T. 10. conc. col. 1470.* *Bibl. Colb.* 1168. *Prob. hist. Occit. t. 2. col. 608.* 1169. 1171. 1172. 1174. *al. 1154.

ANNI CHRISTI

Ruthenensis canonici & monachi S. Amantii ab abbate S. Victoris Massil. dissiderent, hic episcopus ab Alexandro III. delegatus cum R. abbate S. Egidii judicium tulit maxime de sepulturis, quæ antiquo jure pene omnes apud S. Amantium fiebant. Ipsius memoria recurrit anno 1176. XIV. cal. Maii in transactione Raimundi comitis Tolosani cum Ildefonso Aragonum rege super comitatu Provinciæ.; & iterum eodem anno in publicatione testamenti Ermessindis comitissæ Melgoriensis. Insequenti 1177. una cum W. Tricastinensi episcopo & A. abbate Aquæ bellæ fuit arbiter concordiæ abbatem inter Francarum vallium & heredes Guillelmi de sancta Columba. Abbati Salviensi eodem anno omnia ejusdem monasterii jura confirmavit. Reperitur A. Nemaus. episcopus an. 1178. IV. calend. Maii in charta fœderis inter Raimundum VI. Tolosæ comitem, Raimundum Ucetiæ dominum, Pontium Gaucelinum dominum de Lunello, &c. contra vicecomitem Nemausensem. Testis laudatur an. 1180. in charta Guillelmi abbatis Psalmodiensis abbatiæ Liberæ vallis, seu Francarum vallium & Pontio abbati decimam & censum in manso de Piscatoriis concedentis. Denique hoc anno idem A. episcopus cum Ermengaudo S. Egidii abbate delegatus est ab Henrico Albanensi episcopo sedis apostolicæ legato ad finiendam litem Raimundum inter Arelatensem archiepiscopum & Mathildem S. Laurentii Avenionensis abbatissam. Ex quibus omnibus colligas Ainardum de Montredon absque ullo fundamento Nemausensibus episcopis accenseri in veteri Gallia Christ.

1176. *Append. Marc. Hisp. col. 1369.* *Prob. hist. Occit. t. 3. col. 139.* 1177. 1178. *Ibid. col. 146.* 1180.

XXXII. Guillelmus II.

D'USEZ.

Ortu Nemausensis Guillelmus & archidiaconus Monspeliensis, cognominatur de Ucetia in charta Bernardi de Andusia sacræ sodalitati de Sumerio benefacientis anno 1183. eodem scilicet, quo pax beatæ Mariæ incœpit & divulgata fuit, ex ms. codice domini marchionis d'Aubays. Reperitur in duobus ejusdem Bernardi de Andusia instrumentis pro monasterio Bonæ vallis apud Ruthenos anno 1184. Occurrit & 1188. mense Aprili; W. 1197. mense Junio testis in charta comitis Tolosani privilegia Nemausensi clero elargientis, & 1198. in ejusdem comitis decreto pro Nemausensium consulum electione. Anno 1200. B. Narbonensis archiepiscopus ex decreto papæ eum delegavit cum V. G. de Mociaco Narbonensi archidiacono ad ecclesiam Magalonensem cum hospitali domo Monspeliensi conciliandam. Mense Januario anni 1203. Guillelmus & G. 1206. memoratur in pactionibus pacis regem inter Aragonum & cives Monspelienses, iterumque Guillelmus 1207. in tabulis publicis urbis Monspeliensis. Sub ista vero tempora canonici Nemausenses erant regulares, ut patet ex Innocentii papæ III. rescripto cap. *ad posteram. extra, de confirmatione utili vel inutili:* Quidam, ait, canonici Nemausenses a nobis litteras confirmationis super administrationibus suis obtinere laborant, religionis suæ conditione suppressa: cum igitur regularibus personis non consuevit apostolica sedes aliqua personaliter confirmare, mandamus quatenus confirmationes, quas ab ipsis canonicis, cum regulares existant, noveritis taliter impetratas, denuncietis irritas & inanes.

1183. 1184. 1188. 1197. 1198. 1200.

XXXIII. R.

In veteri Gallia Christiana prætermissus R. episcopus Nemausensis, innotescit ex duobus anni 1210. instrumentis, quorum alterum autographum ex chartis Tolosæ sacco 9. n. 21. eruimus, in hæc verba: *Anno ab Incarnatione Domini MCCX. mense Augusti, in vigilia B. Bartholomæi, convocatis scilicet B. de Garricis D. comitis in Nemauso vicario, & militibus, & probis hominibus, qui de civitate, vel castro exierunt, & parariis, D. R. episcopus Nemausensis donavit & concessit dom. P. Bremundo, & ceteris parariis, scilicet Beraudo de Poscheriis, & Bios de Margaritis, & B. de Salve, & R. de Monterotundo potestatem statuendi, qualiter Bertrandus de Garricis circa homines Nemausi deberet versari, qui sunt infra civitatem, & qualiter ipsi Nemausenses, qui sunt intus, vel extra, debeant conversari. Habito itaque tractatu & diligenti consilio cum episcopo; statuerunt super illis negotiis, seu de causis vel factis, qui a consulibus, vel ab aliis mandato consulum ante præstitam satisdationem in manu episcopi facta fuerunt, B. de Garricis de exactione firmancia se abstineat, qui consules illa tantum facta in quæstionem referant; super aliis vero factis omnibus, de quibus B. de Garricis querimoniam habuerat, firmanciam exigere valeat, &c.* Hoc etiam instrumentum nuperus rerum Occitanarum auctor memorat, tom. 3. Prob. col. 213. Alterum ejusdem anni apographum suppeditavit chartarium cœnobii Montis majoris, quo videlicet R. episcopus Nemausensis una cum B. episcopo Cabellicensi & P. Avenionensi præposito, vi litterarum Innocentii papæ III. anno pontificatus XIII. P. de Veruna & quibusdam aliis hoc ipso anno 1210. mandavit ut ad se apud Arelatem accederent in vigilia SS. Simonis & Judæ, audituri & accepturi quod jus dictaret in causa de Montis majoris paludibus, quas milites & cives Arelatenses occupaverant.

1210.

XXXIV. Arnaldus I.

Ex abbate sancti Rufi factus Arnaldus episcopus Nemausensis interfuit concilio Vaurensi an. 1212. Terram & toparchiam Amiglavi *(de Milhau)* dono accepit a Simone Montisfortis domino, VII. idus Februarii an. 1214. ex autographo in archivis regiis thesaurariæ Nemausensis asservato; idque Amalricus Simonis filius Narbonæ dux eidem episcopo firmavit an. 1220. litteris Carcassonæ datis. Honorius papa faciendam inter nobilem virum Petrum Bermundum ex una parte, & heredes nobilis viri Bernardi de Andusia, seu Viernam ejusdem Bernardi quondam uxorem ex alia compositionem super villa Alesti commiserat C. Portuensi & S. Ruffinæ episcopo sedis apost. legato, & si ipse interesse nollet, aut non posset, A. Nemausensi episcopo

1212. *Innoc. III. epist. 39. lib. 16.* 1214. 1220.

& Petro Leutevensi: se igitur C. Portuensi excusante, & similiter Petro Leutevensi, vicesque suas Nemausensi episcopo commendante, hic an. 1223. VI. idus Septembris apud Argentariam suo & episcopi Leutevensis nomine, una cum Bermundo Vivariensi episc. & Bernardo de Andusia monacho Mansiadæ arbitris ab utraque parte assumtis, querelam istam composuit. Præsens an. 1225. XVII. cal. Aprilis, seu 1226. memoratur in charta Raimundi de Rocafolio ad obedientiam regis & ecclesiæ redeuntis, quam vide inter instrumenta. Eodem anno 1226. tertio nonas Junii excepit sacramentum consulum castri Arenarum & civitatis Nemausi, qui prius a legato excommunicati, quod Raimundo comiti ejusque filio ac hæreticis contra ecclesiam & comitem Montisfortis adhæsissent, juraverunt coram Arnaldo Nemausensi episcopo & R. cardinali S. sedis apost. legato, se deinceps in potestate regis futuros, neque amplius de cetero auxilium adversus ecclesiam præbituros, ex regesto de feudis senescalliarum Carcassonensis & Bellicadri. Scripsit Arnaldo episcopo Nemausensi Gregorius IX. ut excommunicationem contra Guillermum de Sabrano Forcalquerii comitem ab archiepiscopo Viennensi sedis apostolicæ legato promulgatam, in sua diœcesi exsecutioni demandaret, easque litteras reverendis in Christo patribus Dei gratia archiepiscopo Aquensi, ejusque suffraganeis ipsemet Ay (mendose pro Ar.) ejusdem permissione Nemausensis ecclesiæ minister significavit, ex hist. ms. abbatiæ Montis majoris. Anno 1227. mense Maio S. Ludovico regi confirmanti sibi donationem toparchiæ Amiglavi fidei sacramentum præstitit apud S. Germanum in Laya, suis hoc attestante litteris Amalrico Montisfortis comite, non autem 1226. quo nondum regnabat S. Ludovicus, uti legitur in probationibus hist. Arvern. Baluzii pag. 491. Pepigit anno seq. 1228. pridie idus Decembris cum Raimundo de Rocafolio pro castro de Martiris, quod Raimundus tenere se in posterum sub episcopi dominio agnoscit, eique clientelam profitetur. Hoc autem in instrumento, quod asservatur in archivo regio urbis Ruthenensis, Arnaldus episcopus cognominatur *Emans.* Testis anno sequenti IX. cal. Januarii in charta Amici Arausicani episcopi probavit conventionem ab Hugone episcopo factam pro sancti Saturnini priore. Eodem anno XVII. cal. Febr. coram Romano S. Angeli diacono cardinali sedis apostolicæ legato delectus est arbiter controversiæ pro jurisdictione urbis Massiliensis cum Ugoneto de Baucio, Barrala uxore, Gilberto & Barrali eorum liberis, ex tabulis publicis. Anno 1236. X. cal. Maii P. de Villa nova clientelam excepit eadem de causa, qua consulum castri de Arenis & civitatis Nemausi obsequium anno 1226. exceperat, ut supra, ex tabulario Carcassonensi. Moritur Arnaldus an. 1242. ut in vetusto libro memoriali episcopatus adnotatur his verbis: *Anno Domini MCCXLII. obiit dom. A. quondam Nemausensis episcopus, qui sepultus fuit magna cum reverentia in ecclesia beatæ Mariæ Avellinæ civitatis (quæ dicitur in terra laboris) & postea aportatus fuit in ecclesiam Nemausensem. Obiit siquidem in civitate prædicta, in qua captivus detinebatur a Friderico (imperatore) tunc...... cui dedit comes Tolosanus (Macellanum.)* Hinc tomo I. novæ Gall. Chr. col. 625. n. X. pro anno 1251. *lege* 1241.

[Marginalia: ANNI CHRISTI 1223. — 1226. — Ch. XXX. col. 201. — 1227. — Prob. hist. Occit. t. 3. col. 321. — 1228. — 1229. — 1236. — 1242. — Prob. hist. Occit. t. 2. col. 11.]

XXXV. RAIMUNDUS II.

Sammarthani duos episcopos Raimundum & Amalricum ex uno & eodem conflarunt Raimundo Amalrici, ut probatur maxime ex antiquo breviario Nemausensi inferius laudando. An. 1242. XIV. cal. Augusti R. episcopus Nemausensis cum abbate Psalmodiensi reperitur in tabulis Carcassonensibus. Ejusdem Raimundi episcopi consilio Oudardus de Villaribus senescallus Bellicadri, &c. assignavit Petro Bermundo domino d'Anduse sexcentas libras Turonenses anno 1243. Exstat illius & aliorum præsulum epistola ad Innocentium papam, ut libera detur Inquisitoribus agendi in hæreticos licentia anno 1245. XVIII. cal. Julii. Interfuit an. 1246. XIII. cal. Maii Biterrensi concilio, Valentino 1248. Albiensi 1254. Biterrensi alteri 1255. & Monspeliensi 1258. Inter hæc paciscitur anno 1251. idibus Martii cum Hugone Ruthenensi comite pro jurisdictione in parochianos duarum ecclesiarum, nempe S. Martini de Buralango, & sancti Andreæ de Marencolis, ex archivo Ruthenensi. Manu exaratus habetur liber synodalis ecclesiæ Biterrensis compositus a domino Raimundo episcopo Nemausensi an. 1252. Habetur & t. IV. Anecdotorum Martennii col. 1021. liber synodalis ecclesiæ Nemausensis accuratus a magistro Petro de Sampsono ad efflagitationem hujusce Raimundi, aut forte primi. Occurrit R. episcopus Nemausensis an. 1261. in archivo Monspeliensi. Idem anno 1265. una cum capitulo ecclesias S. Perpetuæ & sancti Andreæ de Codolis mensæ capitulari annexuit. Memoratur an. 1268. in litteris Ludovici Francorum regis ad senescallum Bellicadri de compositione inter ipsum & R. episcopum Nemausensem super feudis castrorum Montispezati, sancti Boniti, &c. Exstant hæ litteræ in regesto curiæ Franciæ regis de senescalliis Bellicadri, Carcassonæ, Tolosæ & Nemausi. Habentur & in inventario regii chartarum thesauri tom. 2. fol. 163. *verso* hujus episcopi litteræ datæ anno 1269. XVII. cal. Sept. quibus significat se Ludovico Francorum regi, & domino de Salice Bellicadri, Nemausi, &c. senescallo recensuisse omne jus & *mandamentum*, actionem & petitionem, & quidquid juris habebat in feodum Montispezati & de Lecas, & de S. Bonito, necnon jus quod habebat in *gardia* & defensione monasterii de Tornaco, confessus se habuisse ac recepisse *excambia competentia pro prædictis a domino rege per senescallum prædictum, nempe viginti libras annui reditus, tam in villa de Besontia, quam in planteriis vicecomitalibus in ballivia Nemausensi.* Denique hic est R. recensitus inter episcopos, & alios provinciæ Narbonensis prælatos, qui scripsere epistolam ad cardinales Viterbii congregatos an. 1272. ut Petrum

[Marginalia: ANNI CHRISTI — AMAURY — 1243. — 1245. — 1246. — 1248. — T. XI. conc. part. I. col. 688. & 753. — 1251. — 1252. — Baluz. cod. mss. in 4.° pag. 134. n 905. — 1261. — 1265. — 1268. — 1269. — 1272. — Baluz. not. ad concil. Gall. Narb. pag. 177.]

ANNI CHRISTI

Ch. LXXIII. col. 68.

de Montebruno electum archiepiscopum Narbonensem quantocius finerent ad ecclesiam suam accedere; nec multo post ad Gregorium X. papam ut ejusdem Petri electionem confirmaret. Annus obitus ejus ita notatur in antiquo breviario Nemausensi: *Anno Domini MCCLXXII. obiit D. R. Amalricus quondam episcopus Nemausensis, cui dedit Ludovicus rex Francorum villam Bernissiæ, & ea quæ habet in planteriis, quæ sunt juxta bastidam domini episcopi Nemausensis, aut prope.* Ex dictis argue mendum in apice G. loco R. ad annum 1254. VIII. cal. Decembris, Prob t. 3. hist. Occit. col. 511.

Prob. hist. Occit. t. 2. col. 11. 12.

GAUCELIN.

XXXVI. PETRUS II.

Post obitum Raimundi Amalrici, de successoris electione dissidium fuisse inter canonicos colligitur ex Urbani papæ IV. bulla data Lugduni die 3. Junii anno 1274. apud Baluzium in catalogo diplomatum mss. pag. 16. n. 102. Illic enim ab una parte capituli electus fuisse legitur B. notarius papæ, paulo post ad ecclesiam Arelatensem assumtus, ab altera vero suffragiorum numero majore P. Gaucelin præpositus Massiliensis. Hunc e stirpe dominorum de Lunello prodiisse aliqui conjiciunt; sane ejus temporibus florebant in Gallia rami tres ejusdem cognominis *Gaucelini*, ut patet ex codicillis testamenti cujusdam toparchæ Gaucelini, qui eis inter cetera legavit prioratum S. Nicolai de Campagnac Nemausum inter & Ucetiam situm ad xenodochium pro peregrinis dotandum. Is autem P. Gaucelin præpositus Massiliensis in episcopum electus fuisse videtur jam anno saltem 1273. quo præpositura cesserat. Certe an. 1275. Dominica in festo Apparitionis, seu Epiphaniæ Petrus *Goselin* episcopus Nemausensis promisit obedientiam Petro archiepiscopo Narbonensi. Idem an. 1277. misit Biterrim ad concilium provinciale, & an. 1279. in crastino Inventionis S. Crucis ipse interfuit alteri synodo Biterrensi, ubi de libertatibus ecclesiarum defendendis actum est. Exstant ipsius litteræ datæ Biterris 1. die Aprilis an. 1280. ad archiepiscopum Narbonensem, cui collectores decimæ pro Terra sancta suæ diœcesi impositæ mittit & commendat. Desiit esse inter mortales eodem anno, ex antiquo breviario memorato, cui concinit necrologium cœnobii S. Andreæ secus Avenionem, in quo additur dies 10. Maii.

Sammarth.

1273.

1275.

1277.

1279.

1280.

Baluz. catal. diplom. mss. pag. 58. n. 10.

DE LANGUISEL.

XXXVII. BERTRANDUS.

Nemausensis origine Bertrandus de Languisel fratres habuit Bernardum Arelatensem archiepiscopum, & Andream Avenionensem præsulem, patruum Andream, ac nepotem cognominem, utrumque præpositum ecclesiæ cathedralis Nemausensis. Jam electus vocatur in litteris Petri archiepiscopi Narbon. datis XVI. cal. Septemb. an. 1280. quibus suffraganeos invitat, ut adsint Narbonæ in crastinum instantis festi B. Matthæi apostoli ad consecrationis munus impendendum magistro Berengario de Bociacis Leutevensi & magistro Bertrando Languiselli Nemausensi electis, qui tamen haud prius inaugurati sunt quam Dominica post festum S. Michaelis, ex aliis ejusdem archiepiscopi ad suffraganeos litteris IV. nonas Septembris ejusdem anni, hanc cærimoniam ad prædictam Dominicam prorogantis. Memoratur autem episcopus Nemausensis anno 1281. IV. idus Januarii, quo frater ejus Arelatensis archiepiscopus tunc cardinalis, litteras ad eum scripsit de quodam eremita sene, qui papæ dixerat natum esse Antichristum, e schedis Narbonensibus in biblioth. regia pag. 346. Celebravit an. 1284. synodum, ubi multas constitutiones promulgavit. Eodem anno VIII. cal. Martii, seu potius 1285. sese excusavit quod B. Leutevensis electi consecrationi interesse non posset. Delectus arbiter controversiæ inter monasteria Montis majoris & S. Antonii Viennensis an. 1289. XVII. cal. Junii, de consilio G. archiepiscopi Viennensis, & Guillelmi episcopi Taurini duo hæc monasteria uniri jussit, ex histor. ms. Montis majoris. Eodem anno una cum aliis præsulibus scripto attestatus est Carolum Siciliæ regem certis die & loco paratum se exhibuisse ad repetendum carcerem Alfonsi Aragoniæ regis, his verbis: *In nomine D. N. J. C. amen. Anno Nativitatis ejusdem 1289. die lunæ, ultimo mensis Octobris, III.* indictionis, pontificatus D. Nicholai papæ IV. anno 2. Nos Dei gratia Rostagnus Arelatensis archiepiscopus, Bertrandus Nemausensis, &c. episcopi.* Exstant apud Baluzium in catalogo diplom. mss. pag. 38. n. 243. Bertrandi litteræ datæ Nemausi die Veneris 6. Novembris anno 1293. quibus se vidisse quamdam Nicolai IV. bullam attestatur. Anno 1294. suos convocavit ad concilium Biterrense. Delegatus fuit una cum episcopo Massiliensi a Bonifacio papa VIII. pro negotio episcopi Vapincensis bulla data apud S. Bonitum anno 1296. X. cal. Dec. In synodo Biterrensi anni 1299. una cum aliis præsulibus scripsit epistolam Philippo regi Francorum insertam t. XI. conciliorum Labb. part. 2. col. 1430. Anno 1300. VI. cal. Decembris scriptis ad Egidium Narbonensem archiepiscopum litteris consensum præbuit Petri electi Carcassonensis consecrationi. Adfuit 1302. concilio Romano contra Philippum Pulcrum Francorum regem; quam ob causam, & quod, ut fertur, eidem Philippo restitisset, nec impositioni decimarum ab ipso constitutæ manus dedisset, ab eodem rege spoliatus est bonis & expulsus, Ricardusque suffectus administrator sedis Nemausensis, quem Bertrandus excommunicavit. Postea tamen Ricardus evasit episcopus Biterrensis; Bertrandusque remansit episc. Nemaus. quo nomine reperitur 1303. pridie cal. Martii. Idem an. 1309. indictione VII. die 24. Julii consecravit majus altare S. Baudilii. Scripsit eodem anno 23. Aprilis ad Egidium archiepiscopum Narbonensem de subsidio hospitalariis S. Johannis Jerosolymitani concesso pro Terra sancta, ac iterum die 2. Junii ejusdem anni, eademque de causa ad ejusdem archiepiscopi vicarios generales 10. Julii an. 1311. Ægrotabat 1310. quo anno in Templariorum negotio delegavit Guillelmum de Saint jurisconsultum,

ANNI CHRISTI

1281.

1284.

T. XI. conc. part. 1. col. 1200.

Charta XXXIV. col. 203.

1289.

Rimer. t. 2. pag. 435. 36. 38. & 440.

* inchoatæ a mense Sept.

1293.

1294.

1296.

1299.

1300.

1302.

1309.

1310.

ANNI CHRISTI

rectorem ecclesiæ S. Thomæ de Durfort. Scripsit ad Bertrandum episcopum de mandato summi pontificis Hugo Geraud decanus S. Aredii, papæ referendarius an. 1312. ut Templarios absolveret, hisque sacramenta ecclesiæ administrari curaret. Anno 1317. C. *lege* B. episcopus Nemausensis interfuit concilio Biterrensi; eidemque anno seq. Bernardus archiepiscopus regias litteras direxit pro congregando concilio. Excusavit se anno 1321. quod non interfuisset concilio Monspeliensi. De eo denique vetus episcoporum memoriale seu breviarium antiquum sic habet : *Anno Domini MCCCXXIII. VI. idus Januarii circa mediam noctem obiit reverendus in Christo pater D. Bertrandus de Languisello quondam bonæ memoriæ episcopus Nemausensis, qui præsedit in episcopatu circa XLIV. annos cum multis tribulationibus, quas passus fuit propter episcopium, & ab omnibus laudabiliter cum Dei adjutorio evasit ; ac post ejus mortem Deus multa miracula dicitur fecisse, cujus corpus fuit tumulatum in ecclesia Nemausensi, juxta altare B. Mariæ a parte sinistra.*

(*Baluz. catal. diplom. mss. pag. 59. n. 14. & 18. & pag. 60. n. 25.* — 1312. — 1317. — 1321. — *Prob. hist. Occit. t. 2. col. 12.* — 1323.)

XXXVIII. ARMANDUS.

(DE VERNOVO. — 1324.)

Creatur episcopus Armandus anno 1324. 1. die Martii, ex regestis Vaticani, uti aiunt Sammarthani. Sane his ipsis die & anno debita servitia promisisse legitur in regesto Johannis papæ XXII. Obiit paulo post.

XXXIX. BERNARDUS III.

Cum esset Bernardus episcopus Corisopitensis, translatus est ad ecclesiam Nemausensem vacantem per obitum Armandi Nemausensis episcopi, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum. *Datum Avenione XII. cal. Julii pontificatus Johannis XXII. anno octavo.* Debita vero servitia promisit Bernardus an. 1324. die 12. Julii, nec ipse diu postea superstes.

XL. BERNARDUS IV.

Bernardum a Sammarthanis omissum Johannes papa XXII. præfecit ecclesiæ Nemausensi per obitum alterius Bernardi in partibus Lombardiæ defuncti. *Datum Avenione X. calendas Septembris anno pontificatus octavo.* In ejus gratiam scripsit idem pontifex Carolo regi Franciæ & Navarræ, ex regesto Johannis XXII. Electus adhuc nuncupatus 19. Octobris ejusdem anni servitia debita promisit. Sedi Romanæ anno seq. in partibus Lombardiæ in comitatu Bertrandi cardinalis S. Marcelli, legati apostolici pro reducendis ecclesiæ rebellibus inservivit. Denique Bertrando episcopo idem pontifex Johannes XXII. testandi licentiam concessit, bulla data Avenione calendis Martii anno pontificatus XI. ex qua liquet ex ordine Minorum Bertrandum fuisse.

(*Wadding. t. 3. pag. 146. append.* — 1325. — *Tom. 1. secretorum Johan. XXII.*)

XLI. GERARDUS.

(DE LANGUISEL. — 1331.)

Servitia cameræ apostolicæ debita promisit Gerardus episc. Nemausensis die 2. Aprilis an. 1331. ex regestis Vaticani. Eodem anno die 16. Januarii Philippus rex eum misit ad Hugonem Quierchi senescallum Bellicadri, præstandi gratia juramenti fidelitatis pro bonis temporalibus episcopatus; quod dictus episcopus præstitit die 18. Februarii ejusdem anni, præsentibus ac testibus D. Andrea præposito Nemausensi, &c. ex actis cameræ computorum Monspeliensis. De eo hæc habet necrologium Narbonensis ecclesiæ tom. 9. fragmentorum Stephanotii nostri pag. 124. *Anno Domini 1337. VIII. calend. Maii obiit dominus Geraldus de Languisello quondam archidiaconus Corbariensis in ecclesia Narbonensi, sed postea Nemausensis episcopus.*

(1337.)

XLII. GUILLELMUS III.

(CURTI. — *Tom. 1. vit. pap. Aven. col. 816.*)

Antea monachus & abbas Bolbonensis Guillelmus Curti, sororis, ut asseritur, Benedicti XII. filius, vel fratris, ut contendit Franciscus Bosquetus testante Baluzio, qui hanc utramque consanguinitatem refellit. Defuncto Gerardo renunciatur ab eodem pontifice Nemausensis episcopus 1337. pridie calendas Maii anno tertio pontificatus, ex regesto Vaticani. Electus nuncupatus servitia debita promisit 10. Maii, tandemque mense Decembri ejusdem anni traductus est ad ecclesiam Albiensem, ubi vide tom. 1. col. 26.

XLIII. AIMERICUS.

(GUIRARDI. — 1341.)

Electus Nemausensis Aimericus consueta servitia promisit cameræ apostolicæ die 10. Decembris an. 1337. ex regesto Vaticani. In vivis adhuc erat anno 1341. quo Guillelmus de Landorre abbas Anianensis procuratorem instituit, qui Bernardum de Oratorio clericum ad ecclesiam B. Mariæ de Ortolis vacantem Aimerico Nemausensi episcopo præsentaret, ex archivis hujusce monasterii. Hinc patet Aimericum, si quidem Roma rediens e vivis excesserit, ut placet Sammarthanis, nondum anno 1340. defunctum esse, ut volunt.

XLIV. BERTRANDUS III.

(DE DEUXI. — *Baluz. t. 1. vit. papar. Avenion. col. 812.* — 1342. — 1348.)

Alter a cardinali Bertrandus e Deuciorum familia oriundus, cui quidem familiæ Johannes Francorum rex anno 1353. mense Novembri dono dedit castrum de Blandiaco in senescallia Bellicadri & Uceticensi cum omnimoda jurisdictione, Nemausensis electus consueta promisit servitia die XI. Maii 1342. ex regesto Vaticani. Obiit 1348. mense Julio apud Montem flasconem in Italia, unde Nemausum elatus, ibidem sepulturam accepit in parte una majoris altaris, ex veteri Gallia Christ.

Bertrando a Sammarthanis substituitur Paulus de Deucio, qui electus & confirmatus anno 1348. obiit in partibus Italiæ, consecratus quidem, sed minime possessionem adeptus. Fortasse is est Paulus de Deucio Bertrandi cardinalis nepos, monachus & camerarius monasterii S. Guillelmi de Desertis, de quo Baluzius tomo 1. vit. papar. Avenion. col. 816. Huic autem Baluzii fide non magis locus dabitur, quam Jacobo ex eadem familia, qui apud Sammarthanos ex priore de Sumena & canonico regulari Nemausensi in locum Pauli suffectus servitia debita electus promisit die 27. Novembris an. 1348. ex regesto

ANNI CHRISTI

Vaticani; & episcopatum tenuit per medium annum: quæ omnia falsa sunt, aut nullius saltem fuere ponderis, si veræ sint quas ex archivo archiepiscopi Narbonensis descripsit Baluzius litteras Clementis VI. in gratiam sequentis. Vide Baluz. not. ad conc. Narbon. pag. 55. & not. ad vitas paparum Avenion. col. 955.

DE BLANZAC.

XLV. JOHANNES IV.

Prodiit Johannes ex nobilissima familia de Blanzac in diœcesi Uceticensi, quæ nunc exstincta, translata est in gentem de Thesan du Pujol, ex conjugio Johannæ de Blanzaco, seu Blandiaco cum Thoma de Thesan mense Septembri anni 1665. ex schedis D. d'Hosier celeberrimi genealogi. Johannes, inquam, de Blansac, quem aliqui de Bransaco cognominant, Petrumque appellant vulgatæ tabulæ, aiunt Sammarthani, Bertrandi Deucii archiep. Ebredunensis & cardinalis tituli S. Marci, postea que Sabinensis episcopi ac S. R. E. vicecancellarii nepos ex sorore, utriusque juris doctor, canonicus Aquensis & Ambianensis, papæ capellanus, & auditor sacri palatii, fit episcopus Nemausensis post mortem Bertrandi, litteris Clementis papæ VI. datis anno pontificatus septimo XV. cal. Octobris, quæ asservantur in archivo Narbonensis archiepiscopatus. Interfuit concilio Biterrensi sub Petro de Judicia archiepiscopo Narbonensi anno 1351. mense Novembri. Præsens adfuit an. 1352. confirmationi statutorum ecclesiæ Cabellicensis sub Philippo episcopo. An. 1353. mense Januario apud Avenionem jussu Innocentii papæ VI. consecravit Johannem episcopum Adriensem in Lombardia Transpadana, ut docet ejusdem pontificis bulla edita a Waddingo in regesto t. IV. pag. 29. Eodem 29. Maii, annisque 1357. & 1358. memoratur in schedis D. Polycarpi de la Riviere. Interea huic nepoti suo Bertrandus de Deucio Sabinensis episcopus testamento condito Sabbato 17. Octob. 1355. magnum suum *formularium* legavit, ejusdemque testamenti constituit exsecutorem. Ea fere tempestate Innocentius VI. Johannem episcopum Nemausensem misit in Gallias, ut pacem conciliaret inter comites Fuxi & Armaniaci. Rexit ecclesiam Nemausensem per duodecim annos, ornatus purpura ab eodem Innocentio 17. Sept. an. 1361. cum tunc abesset a curia. Reverso Avenionem die 4. Novembris datus est titulus S. Marci, quo tamen appellatus non fuit, dictus semper cardinalis Nemausensis, uti vocatur etiam a Bonifacio de Amanatis in Clement. *auditor.* de rescriptis. Anno 1366. delegatus fuit una cum Egidio Aiscelini cardinali ut reformaret academiam Parisiensem; qua de re exstant ab eis editæ constitutiones auctoritate apostolica die 5. mensis Junii in t. 4. hist. Universitatis Parisiensis pag. 388. Inde fit præsul Sabinensis an. 1372. ac 1375. interfuit solemni ingressui Milonis de Dormans episcopi Bellovacensis. Anno denique 1376. Gregorius XI. Romam proficiscens Avenione reliquit Johannem cum Guillelmo de Chanaco, eisque curam & administrationem Avenionis & comitatus Venaissini commisit. Morte corripitur Avenione VIII. idus Julii anno 1379. cum Roberti de Geneva dicti Clementis VII. partes sectaretur. Ejus ossa in templo S. Desiderii sub lapide ante aram principem sine pompa & epitaphio, uti testamenti codicillis caverat, condita sunt. De Johanne Ughellus in Sabinensibus episcopis, Ciaconius & alii scriptores.

Baluz. t. 1. vit. papar. Avenion. col. 816.

1348.

1351.

T. XI. conc. col. 1920. 1975.

1352.

1353.

1357.

1361.

Baluz. t. 1. vit. papar. Avenion. col. 955.

XLVI. JACOBUS II.

Johanne ad cardinalatum assumto, Jacobus antea Montalbanensis & post Vapincensis episc. transfertur ad ecclesiam Nemausensem VIII. idus Aprilis anno X. pontificatus Innocentii VI. Idem episcopus Nemausensis & ecclesiæ Vapincensis præpositus nuncupatus consueta servitia promisit cameræ apostolicæ die 9. Aprilis anno 1362.

1362.

DE DEUX.

XLVII. GAUCELINUS.

Pradellus a Bzovio cognominatus Gaucelinus, forsitan, ut conjicit Gariellus a Pradello oppido in Velaunis, aut villa diœcesis Uceticensis prope S. Ambrosium, nepos erat Bertrandi de Deucio archiepiscopi Ebredunensis & cardinalis ex castro Blandiaci in eadem diœcesi oriundi, uti Baluzius refert in notis ad vitas pap. Avenion. tom. 1. col. 816. Ex abbate Psalmodiensi (canonicum Brivatensem dicunt Sammarthani) creatur episcopus Nemausensis an. 1362. ab Urbano papa V. pontificatus anno primo ex schedis Suarezianis testante Stephanotio nostro. Equidem legimus in regesto pontificio solutionum Innocentii VI. Gaucelinum episcopum Nemausensem jam anno 1361. 27. Julii servitia debita persolvisse; at legendum putamus 1362. quo anno die 3. Septembris legitur ibidem servitia promisisse pro Jacobo. Et certe necdum Johannes de Blanzac purpuram induerat 1361. 27. Julii. Gaucelinus autem exstructa Nemausi sancto Nicolao basilica electus, aiunt Sammarthani, inauguratur a Raimundo de Canillac cardinali Prænestino, assistentibus episcopis Avenionensi, Tarraconensi & Cæsaraugustano. Erat Urbani papæ V. thesaurarius anno 1363. ex codice mss. 765. biblioth. Colbert. ubi mendose vocatur Guillelmus testante Baluzio in excerptis mss. Idem quoque munus obibat die 16. Septembris anno 1366. ut constat ex ipsius litteris pro exemtione abbatis, monachorum, conversorum & familiarium S. Victoris Massiliensis ab omni vectigali in portu Durantiæ prope Novas. Adfuit comitiis trium ordinum provinciæ Nemausi celebratis 16. Apr. 1364. in quibus de priori gradu in consessu cum Narbonensi metropolitano certavit, asserens jus præsidendi pertinere ad episcopum in cujus diœcesi convocabantur. Præsens dicitur statutis die 5. Junii an. 1366. a Johanne tituli S. Marci cardinali Avenione conditis pro reformatione Parisiensis academiæ; exinde traductus ab eodem Urbano V. ad cathedram Magalonensem, ex archivis Vaticani, ubi jam episcopus Magalonensis 13. & 15. Martii 1367. promisisse legitur pro ecclesia Nemausensi, cui præfuerat.

1363.

1364.

1366.

ANNI CHRISTI

DE GASCQ.

XLVIII. JOHANNES V.

Ex abbate Anianæ Johannes ecclesiam Nemausensem regendam suscepit anno saltem 1367. 20. Martii, quo jam episcopus Nemausensis pro Jacobo decessore servitia debita promisit & pro Gaucelino antecessore recognovit, ex regesto Vaticani. Adfuit per procuratorem Vaurensi concilio trium provinciarum anno 1368. in vigilia Pentecostes. Adhuc Johannes superstes erat anno 1369. die Januarii decima nona. Quinimo rexisse dicitur annis quinque, de cujus obitu sic habetur in codice ms. Anianensi: *VI. calendas Septembris obitus domni J. Gasconi quondam abbatis Anianensis XX. solid.* Sic etiam alibi commemoratur; *XIV. cal. Septembris obitus domni J. Gasconi episcopi Nemausensis XXX. solid.*

1367. 1368. 1369.

D'USEZ.

XLIX. JOHANNES VI.

Servitia debita promisit Johannes electus Nemausensis die 4. Decemb. & recognovit pro Gaucelino decessore 1372. quo anno statutum fuit a capitulo, ut in posterum electio prioris claustralis annualis esset, ex archivis capitularibus. Anno 1373. die 4. Julii comitatus est pompam funebrem Raimundi de Canilhaco cardinalis apud Magalonam. Interfuit anno seq. mense Aprili per procuratorem concilio Narbonensi, ex ejusdem actis. Demum inter episcopos recensetur, qui scripsere litteras ad Massilienses contra Ademarum episcopum Grassensem sedis Massiliensis invasorem anno 1378. Vide t. 3. ch. x. instr. eccl. Grass. col. 221. A.

1372. 1373. *Baluz. vit. pap. Aven. col. 896.* 1374. 1378. *T. XI. conc. col. 2498.*

D'AUTHON.

L. SEGUINUS.

Nobilis Santo Seguinus d'Authon filius Johannis ex Philippa de Torsai, sub Carolo VI. Francorum rege missus in Italiam fuerat 1376. causa matrimonii Ludovici ducis Aurelianensis & Catharinæ primogenitæ Ludovici Hungariæ regis. Antiochenus patriarcha & ecclesiæ Nemausensis administrator notatur 1380. 10. Julii in actis consistorialibus Vaticani. Recensetur adhuc in regestis Vaticani Antiochenus patriarcha & administrator perpetuus ecclesiæ Nemausensis die 1. Aprilis 1381. Eodem anno XV. calendas Maii Robertus Gebennensis Clemens VII. nuncupatus eidem Seguino & Raimundo Vasionensi episcopo provinciam dedit, ut de Urbani V. sanctitate editisque miraculis *sacram actionem instruerent*, inquit Odoricus Rain. ad annum 1381. Administrasse dicitur per sex annos, perpetuus etiam ecclesiæ Turonensis administrator, ubi de illo plura.

1380. 1381.

DE BONNAVAR & DE BONNEVALLE.

LI. BERNARDUS V.

Ortus e diœcesi Lemovicensi Bernardus de Bonnavar, seu de Bonavalle sedebat in cathedra Nemausensi 1383. 4. Novembris, ex regestis Vaticani, inquiunt Sammarthani, & certe hoc anno recognovit pro Seguino antecessore, ex iisdem regestis. Hunc anno seq. die 29. Decemb. Guillelmus de Chanaco cardinalis testamenti sui exsecutorem constituit. Vide collectionem Baluzii ad vitas pap. Avenion. col. 968. Extant in archivo Nemausensi provisionum litteræ ab ipso datæ 1388. die 16. Augusti. Ex hac vero cathedra Nemausensi ad Lemovicensem transfertur 9. Januarii 1391. ex regestis Vaticani; de quo sic legitur in scheda D. de Gagneres asservata in bibliotheca regia: *Bernardus de Bonavalle in actu capitulari mense Maii die Veneris post festum S. Stephani 1395. dicitur persecutor ecclesiæ a die qua fuit translatus de Nemausensi ecclesia ad Lemovicensem, propter tyrannidem & maliciam fugatus de Bononia & in eccles. Lemovic. translatus, canonicos & servitores ecclesiæ Lemovicensis non permittit servire Deo, nec papæ, nec sacro collegio obediens, propter ipsius inobedientiam in consistorio coram papa fuit arrestatus, & nisi cardinalis Lemovic. pro ipso supplicasset, fuisset depositus. Bernardus de Furno canonicus missus ad curiam Romanam pro persequendo causam exemtionis contra episcopum 1395.*

1383. 1384. 1388. 1391.

Hic omittimus Petrum Girardi, quem Sammarthani fuisse volunt administratorem Nemausensem per tres annos, & postea cardinalem Aniciensem; hanc enim postremam episcopus regebat ecclesiam ab anno saltem 1386. ut ibidem diximus tom. 2. ac proinde non suppetit tempus quo Nemausensem antea potuerit administrare. Et certe

DE LES COURS.

LII. EGIDIUS.

Egidius de les Cours, seu de Cursibus oriundus e loco de Alesto diœcesis olim Nemausensis, jam die 20. Junii 1391. consueta promisit servitia & recognovit pro Bernardo decessore, ex regesto Vaticani. Anno 1395. die prima Julii D. Egidius miseratione divina Nemausensis episcopus coram locum tenente domini Guillelmi de Neillaco militis domini Castribruni, cambellani domini regis ac senescalli Bellicadri & Nemausi juramentum fidelitatis præstitit domino regi in manibus dicti locum tenentis, pro his quæ tenet ratione ecclesiæ suæ. Actum in castro de Amiglavo dicti D. episcopi, ex actis cameræ rationum Monspeliensis. Anno 1400. contulit prioratum de Brouzet; & 1409. interfuit concilio Pisano, ex actis ejusdem tom. 6. Spicil. p. 352. Bullam accepit a Johanne XXIII. pontifice datam VIII. cal. Junii pontificatus anno primo; cujus mandatis obtemperans procuratorem Johannis cardinalis tituli S. Crucis in Jerusalem misit in possessionem prioratus de Cabisone dependentis a monasterio S. Fidis Conchensis diœcesis Ruthenensis die 5. Julii 1410. ex tabulario episcopatus Albiensis. Delegatus fuit a sancta sede anno 1412. *ad compellendum & compelli faciendum gentes ecclesiasticas* in Occitania ad solvenda subsidia constituta pro generali defensione regni Franciæ, ex charta authentica collectionis D. de Gagneres. Adhuc vivebat 1416. ex actis feudatariis ipsi exhibitis. Hunc vetera documenta virum eruditionis reconditæ perhibent.

1391. 1395. 1400. 1409. 1410. 1412.

ANNI CHRISTI

LIII. Nicolaus.

HABERT.

Nicolaum nobilem in decretis licentiatum, priorem de Calvissone, antea canonicum Cameracensem, tunc vero Nemausensis ecclesiæ canonicum & vestiarium, in locum Egidii a capitulo suffectum, atque a Lucido cardinali examinatum confirmavit Martinus V. pridie nonas Septembris pontificatus anno tertio. Electus adhuc vocatur die 6. Septembris anno 1420. in regesto pontificio. Hunc annis decem mensibus aliquot minus rexisse tradunt Sammarthani.

Carpentier part. 1. pag. 460.

1420.

LIV. Leonardus.

FLOTE & DE DALPHINIS.

Vacanti per obitum Nicolai ecclesiæ Nemausensi Martinus V. pontifex præfecit Leonardum Flote, seu de Dalphinis Januensem, decretorum doctorem, ejusdem ecclesiæ canonicum atque archidiaconum Posqueriarum v. idus Decembris 1429. pontificatus anno decimo tertio, ex actis consistorialibus Vaticani, ubi electus rursum dicitur 19. Decembris ejusdem anni. Anno 1430. die 23. Novembris fidem clientelarem professus est domino regi coram Petro de Remolinis præposito Nemausensi, ex actis cameræ rationum Monspeliensis. Vir magnæ probitatis & prudentiæ, aiunt Sammarthani, turrim magnam in loco Amiglavi suis sumtibus construi curavit; pluraque statuta pia & populo utilissima pro moribus condidit. Is est L. episcopus Nemausensis, qui an. 1435. cum ceteris comprovincialibus episcopis scripsit ad concilium Basileense in gratiam translati a sede Appamiensi ad ecclesiam sancti Pontii Tomeriarum. Denique testamenti codicillis capitulo herede scripto, defunctus est die 5. Augusti 1438. si fides Sammarthanis. Attamen legimus in regestis Vaticani Galesium de Monsolis sedis apost. protonotarium Nemausensi ecclesiæ vacanti per obitum ultimi episcopi præfectum fuisse per revocationem commendæ factæ D. Lanceloto de Lusiniano ejusdem sanctæ sedis protonotario, vi. nonas Maii 1438. Eugenii papæ IV. anno octavo.

1429. 1430. 1435. *Tom. 8. vet. script. Martenn. col. 776.* 1438.

LV. Guillelmus IV.

DE CHAMPEAUX.

Laudunensis erat episcopus & dux Guillelmus de Campellis, cum post obitum Leonardi ab Eugenio papa IV. perpetuus Nemausensis ecclesiæ creatus est administrator xvi. calendas Novembris anno 1438. & postea Uceticensis xvi. cal. Junii an. 1441. revocata ab eo Nemausensi administratione, ex regestis Vaticani.

1438. 1441.

LVI. Guillelmus V.

D'ESTOUTEVILLE.

Nobilissima gente in Normannia prognatus Guillelmus, parentibus Johanne domino d'Estouteville & de Vallemont atque Margareta de Harcourt, plurima possedit sacerdotia sive in titulum, sive in commendam, quo ultimo nomine regendam suscepit ecclesiam Nemausensem, cum Mirapicensi alias data, xvi. calendas Junii anno 1441. ex regestis Vaticani. Hoc autem anno cum ad Occitaniæ comitia, quæ Carolus VII. rex apud Montem albanum habuit pro se virum

A ecclesiasticum nomine Petrum Morveri misisset, eidem denegatus fuit ingressus, ceteris quos absentes episcopi miserant admissis. Tum vero idem Guillelmus tituli S. Martini in montibus presbyter cardinalis in commendam accepit ecclesiam Biterrensem per translationem Guillelmi ad Ebredunensem, xii. cal. Aug. an. 1444. ex iisdem Vaticani regestis, ubi translatus quoque Petrus legitur ab ecclesia S. Papuli ad Nemausensem 21. Augusti 1444. sive, ut alibi, vi. idus Julii 1444. per translationem cardinalis Andegavensis ad ecclesiam Biterrensem. Sed hæ translationes obtinuisse non videntur effectum; B cardinalis enim Andegavensis in eisdem actis traditur factus episcopus Leutevensis vii. idus Januarii 1450. revocata ab eo commenda ecclesiæ Nemausensis; quod confirmatur ex instrumento capituli ejusdem ecclesiæ in hæc verba: *Anno Domini 1449. 9. Martii* (secundum veterem calculum, hoc est 1450.) *per promotionem reverendissimi cardinalis administratoris ad ecclesiam Leutevensem, vacat ecclesia Nemausensis, & cum custodia bonorum & jurium episcopalium spectet de jure ad capitulum, facti sunt vicarii generales domini de Burgo & Bosanguet.* De hoc cardinali plura dicemus in archiepiscopis Rotomagensibus.

ANNI CHRISTI *T. 1. annal. urbis Tolosæ pag. 198.*

1444.

1450.

C LVII. Gaufridus.

FLOREAU.

Abbas erat SS. Crispini & Crispiniani apud Suessiones ord. S. Benedicti Gaufridus Floreau, quando *per cessionem commendæ cardinalis Andegavensis,* electus a capitulo, renunciatus fuit episcopus Nemausensis bulla data vii. idus Januarii 1450. anno tertio pontificatus Nicolai V. quemadmodum produnt acta consistorialia. Iisdem die D & anno pontifex regi Francorum significavit Gaufridum electum dictæ ecclesiæ, sede vacante per obitum Leonardi extra dictam ecclesiam defuncti, a se promotum ad sedem Nemausensem, ex archivo Monspeliensi. Possessionem sumsit eodem anno 22. Aprilis. Sub ejus tutela positus est anno 1451. 27. Augusti Andreas Soreau natus 17. annos. Attamen competitorem habuit Alanum de Coëtivy cardinalem Avenionensem; cui papa ecclesiæ Nemausensis commendam impertitus erat, spreta electione capituli, sub eo nimirum pacto, quod cardinalis d'Estouteville ea potitus esset per annos circiter novem; at vero senatusconsulto parlamenti Tolosani, cujus summa exstat apud Molinæum tractatu de stilo parlamenti, post duos annos litigii, ab episcopatu Nemausensi ejectus est Alanus, sicuti docent ecE clesiæ cathedralis monumenta. Certe Gaufrido episcopo Nemausensi regi a consiliis ducentæ libræ pro ipsius statu assignantur an. 1452. ita rationes cameræ computorum. Inde Gaufridus ad ecclesiam Catalaunensem traductus est v. calend. Novembris an. 1453. Fuit etiam abbas S. Germani a Pratis apud Parisios.

1451. *Sammarth.* 1452. 1453.

LVIII. Johannes VII.

DU CHASTEL.

Cum esset Viennensis ecclesiæ archiepiscopus Johannes de Castro, translatus est ad ecclesiam Nemausensem xi. cal. Dec. an. 1453. uti legitur in veteri

ANNI CHRISTI

in veteri Gallia Christiana tam in archiepiscopis A Viennensibus, quam in Nemausensibus episcopis, seu 21. Novembris anno septimo Nicolai V. ut in regesto pontificio. Dehinc a Nemausensi cathedra ad Carcassonensem transiit die 7. Julii 1456.

1456.

DE COETIVY.

LIX. ALANUS seu JOHANNES ALANUS.

Cardinalis Avenionensis Alanus, qui jam, ut diximus, de cathedra Nemausensi decertarat cum Gaufrido Floreau, eam demum, translato Johanne de Castro ad Carcassonensem, possidere visus est ab anno 1456. ad 1461. quo permutasse dicitur cum Roberto de Villequier pro ab- B batia S. Johannis Angeriacensis. Vide tom. 2. col. 1105.

1461.

DE VILLEQUIER.

LX. ROBERTUS.

Ortus e toparchis de Villequier in jurisdictione ballivii Calidi becci in Normannia Robertus doctor theologus, prius fuit abbas S. Johannis Angeriacensis ab an. 1454. ad 1461. Electus a capitulo, aiunt Sammarth. Nemausensis episc. sede vacante, ut aiunt acta capitularia, per promotionem Gaufridi Floreau ad Catalaunensem, passus erat æmulos, primùm Johannem de Castro & postea cardinalem Avenionensem commenda hujus C ecclesiæ sibi olim tradita suffultum; sed ea tandem discordia ex permutatione finita, Roberto jam episc. Nemausensi confertur prioratus S. Martini de Pontibus ord. S. Bened. in diœcesi Santonensi IV. idus Nov. 1461. In ejusdem prioratus chartis authenticis vocatur frater Robertus de Villequier doctor in theologia & episc. Nemaus. 21. Martii 1462. & 30. Maii 1463. quo anno die 8. Maii Nemausensis ecclesiæ possessionem apprehendit jurejurando capitulo ante altare S. Honesti præstito, ut in archivis capitularibus habetur. Eodem anno die 1. Junii fidelitatis & obsequii juramentum præstitit domino Regi, ex actis cameræ ra- D tionum Monspeliensis. Exstat bulla Pii II. papæ data 1. die Novembris MCCCCLXIV. ad inaugurandum Robertum, cui pontifex hunc episcopatum contulerat. Regi a consiliis memoratur 1467. 29. Aprilis, & 1468. 26. Octobris in chartis authenticis D. de Gagneres, ac insuper 1480. in schedis D. Polycarpi de la Riviere. Cessit Robertus, seu fato functus est, inquiunt Sammarthani, anno 1481. ex actis consistorialibus.

1462. 1463. 1464. 1467. 1468. 1480. 1481.

DE BLOSSET.

LXI. STEPHANUS.

Nobilis Normannus Stephanus de Blosset, archidiaconus de Algia in ecclesia Lexoviensi, dicitur electus Nemausensis per cessionem Roberti IV. idus Septembris anno 1480. in libro obligationum Sixti papæ IV. melius 1481. pontificatus Sixti IV. undecimo, ex alio ejusdem pontificis regesto. Memoratur 25. Septembris ejusdem anni in regesto solutionum. Conventui capitulantium præfuit die 1. Januarii 1482. indeque post aliquot menses, IV. idus, seu 12. Julii, non Augusti, transfertur ad ecclesiam Lexoviensem per obitum Antonii, ut docent libri obligationum Vaticani.

1482.

ANNI CHRISTI

DE CAULERS.

LXII. JACOBUS III.

Parisiensis presbyter Jacobus de Caulers ipso die 12. Julii & anno 1482. quo Sixtus IV. pontifex Stephanum episcopum Nemausensem ad ecclesiam Lexoviensem pastore carentem transtulit, promovetur ab eodem papa ad episcopatum Nemausensem, retentà abbatia de Granateria ord. S. Benedicti diœcesis Lucionensis, quam in commendam tenebat, ex actis cameræ rationum Monspeliensis, ubi & memoratur 1485. Episcopus appellatur an. 1482. die 20. Aug. in regesto Sixti IV. Juramentum fidelitatis domino regi præstitit 28. ejusdem mensis, & capitulo 10. Decembris, Narbonensi autem archiepiscopo anno 1489. quo & memoratur die 4. Septembris in commentariis curiæ supremæ Parisiensis, 21. Martii ejusdem anni, & 1491. 2. Novembris, qua die se pro impenso labore in senescallia Bellicadri per menses proxime elapsos Maium & Junium 120. libras Turonenses, & ultima Novembris 30. libras accepisse profitetur, ex chartis authenticis D. de Gagneres; in quarum etiam altera anni 1493. 20. Octobris pro servitio regis plurimum laborasse perhibetur. Obiit an. 1496. ex Catello, qui ædificatam ab eo tradit porticum ante majorem ecclesiam Nemaus.

1485. 1489. 1491. 1493. 1496.

BRIÇONNET.

LXIII. GUILLELMUS VI.

Designato antistite Nemausensi suffragiis capituli an. 1496. Falcone præposito, Guillelmus Briçonnet cardinalis Macloviensis via recta, spretoque capitulo, collati hujus episcopatus diploma pontificium accepit, sed orta inde gravi discordia per plures annos litigium habetur. Enim vero plurimis senatus Tolosani placitis res ventilata, ad ultimum in parlamento Burdegalensi dijudicandæ liti præposito, per compromissum cum electo episcopo contentio dirimitur, quo mediante pacificus possessor exstitit Guillelmus, uti habent acta capitularia. Expeditionis Neapolitanæ præcipuus auctor fuit cum Stephano de Vers Bellicadri senescallo. De Guillelmo vide quæ supra diximus in archiepiscopis Narbonensibus.

Sammarth.

BRIÇONNET.

LXIV. MICHAEL.

Guillelmi senatoris Parisiensis ex Johanna Brinon filius Michael Briçonnet abbas S. Guillelmi de Desertis & vicarius generalis Narbonensis, Guillelmi patrui cardinalis Macloviensis obitu renunciatur antistes Nemausensis die 7. Januarii 1515. ex regesto pontificio; eoque nomine pro- E misit obedientiam archiep. Narb. 1518. Michaeli unico suo præsuli Jacobus Faber Stapulensis contemplationes Idiotæ nuncupavit an. 1519. Ejusdem episcopi, regisque Francisci I. rogatu, ut ecclesia cathedralis B. Mariæ Nemausensis ordinis S. Augustini sæcularem togam indueret, Paulus III. pontifex indulsit Romæ dato diplomate an. 1539. IV. calend. Januarii, quod exsecutioni demandatum fuit 17. Novemb. 1540. litteris in tabulario Nemausensis ecclesiæ asservatis. Legimus in regesto pontificio Claudium Briçonnet clericum Parisiensem factum fuisse episcopum

1515. 1518. 1519. 1539. 1540.

ANNI CHRISTI

Nemausensem per cessionem Michaelis Briçonnet die 3. Augusti 1554. At cum nulla deinceps ullibi Claudii tanquam episcopi Nemausensis fiat mentio, putamus irritam fuisse hanc cessionem. Et certe Michael sedit in cathedra usque ad annum 1560. quo ex permutatione cum Bernardo Delbene ad episcopatum Leutevensem translatus est, quem paulo post Claudio prædicto resignavit, ut dicemus infra.

1560.

DELBENE.

LXV. BERNARDUS VI.

Nobilis Florentinus Bernardus, Alfonsi hujusce nominis primi, episcopi Albiensis patruus, ex episcopo Leutevensi, permutatione facta cum Michaele Briçonnet probata regi Francisco II. transiit ad sedem Nemausensem an. 1560. Sedit in concilio Tridentino 1562. & 1563. quo anno die Dominica, tertia Januarii in consessu patrum dixit, *frustra agi, nisi agamus pœnitentiam de peccatis, & pœnitentiam etiam publicam, & visus est concionari; verum inter cetera dixit, contra jus divinum esse statuere, residentiam esse de jure divino, licet pia sit opinio. Abusus intolerabiles allegavit.* Ita Carolus Ludovicus Hugo qui in sacræ antiquitatis monumentis t. 1. pag. 360. hunc vocat Bernardinum. Captus ab hæreticis an. 1568. in seditione, sed paulo post ob regiam cum Catharina de Medicis affinitatem dimissus, obiit Arelate 28. Martii 1569. sepultusque est in ecclesia Fratrum Minorum.

1562. 1563. 1568. 1569.

CAVALESI.

LXVI. RAIMUNDUS II.

Ex ordine Fratrum Prædicatorum assumtus in episcopum Nemausensem Raimundus Cavalesi, præerat an. 1577. quo Blesensibus regni comitiis adfuit cognominatus *Cavaleray*, & *Cavalesi* in comitiis Melodunensibus an. 1579. iisdem haud dubie, quibus eum adstitisse volunt Sammarthani an. 1580. Promisit hoc anno die 6. Maii obedientiam capitulo Narbonensi, sede vacante, idemque rursus interfuit comitiis Blesensibus regni, pro senescallia Bellicadri an. 1588. Hujus in gratiam Franciscus de Joyeuse Narbonens. archiepiscopatum factus archiepiscopus Tolosanus resignasse legitur an. 1590. sed incassum, papa, ut videtur, improbante.

1577. 1579. 1580. 1588. 1590.

DE VALERNOD.

LXVII. PETRUS IV.

Parentibus Johanne de Valernod & Francisca de Luc editus in lucem Petrus 25. Maii 1551. ex majori archidiacono Carcassonensi Nemausensis antistes consecratur die 24. Februarii anno 1598. Interfuit an. 1609. concilio Narbonensi; quem subinde præsulem Uceticensem schedula regia Ludovici XIII. designatum fuisse asserunt Sammarthani, sed huic locus, etiam apud ipsos ea in ecclesia non suppetit. Et revera Petrus perstitit in ecclesia Nemausensi, qua cum magna prudentiæ & pietatis laude gubernata, fatis demum concessit in loco de S.t Valier apud Delphinates 12. Sept. an. 1625. sepultus ibidem in tumulo gentilitio, ubi hoc habet epitaphium:

1598. 1609. 1625.

D. O. M. & B. M.

Reverendissimi, clarissimique D. D. Petri de Valernod episcopi & comitis Nemausensis, in utroque regis Galliarum christianissimi consilio consiliarii epitaphium anagrammaticum. Petrus de Valernod episcopus & comes Nemausensis : Vale pastor noster penes Dominum ovis cupidus esse.

Assidet huic tumulo præses venerandus in ævum
Qui pietate viris, relligione Deo,
Relligione Deo placuit, virtutis amator,
Qui summus summis, qui sibi parvus erat.
Sollicitusque, potens, insignis, castus, adorans
Cura, doctrina, sanguine, mente, Deum.
Dura nimis tulit, impia abhorruit, ædificavit
Sacrilega passim diruta templa manu.
Nemausi occiderat superi reverentia cultus,
Et decus, & priscæ relligionis amor.
Rarus, & incerta errabat statione sacerdos,
Nec dabat authori debita sacra suo.
At dum ter denos antistes præfuit annos,
Bisque octo usque adeo lustra peracta sibi,
Edocuit, statuit, firmavit, fecit, adauxit,
Ignaros, cultum, pectora, sacra, gregem.
Divitias, laudes, terram, dedit, expulit, odit.
Vana, Deum, cœlum, sprevit, amavit, habet.
Ergo velis superest tibi dicamus, vale noster
Esse penes Dominum pastor ovis cupidus.
P. C. nobilis Johannes de Valernod ex fratre nepos idibus Septembris 1625.

DE SAINT BONET DE TOIRAS.

LXVIII. CLAUDIUS.

Patrem habuit Claudius Aimarum dominum de Toiras & de Restinclieres ex Francisca de Claret de S.t Belin, quartus eorum natu filius, cujus frater Johannes de Toiras fortissimus equitum tribunus exstitit, Arverniæ prorex, exercituum in Italia præfectus, ac tandem Franciæ marescallus. Claudius vero canonicatum primo & majorem archidiaconatum in ecclesia Monspeliensi nactus est, obtinuitque abbatiam sancti Egidii in diœcesi Nemausensi, & Longivillaris in Boloniensi, necnon prioratus Longi pontis juxta Parisios & Patriciaci, *Persy*, in Burgundionibus. Regis quoque in sanctiore consistorio consiliarius, & administer generalis cleri Gallicani, cujus comitiis generalibus Parisiensibus interfuit an. 1610. superioris demum episcopi coadjutor designatus ante annum 1621. adfuit hoc anno cœtui cleri Burdegalensi ; & in consecratione Jacobi de Nucheze Cabilonensis episcopi anno 1624. die 29. Decembris operam dedit ; cumque jam episcopalem cathedram obitu Petri de Valernod adeptus esset 1625. eodem anno 18. Octobris Plantavitium de la Pause episcopum Leutevensem inauguravit, ex ipsomet Plantavitio in episcopis Leutevensibus pag. 407. Adstitit aliis Parisiensibus cleri comitiis anno 1626. Accusatus rebellionis in jus vocatur ab episcopis delegatis a summo pontifice sedentibus Parisiis apud majores Augustinianos, ultima Decemb. 1632. eaque sententia lata pariter in episcopos Albiensem, Leonensem & Leutevensem denunciatur in illorum ædibus, & ad valvas eorumdem ecclesiarum cathedralium publice affigitur. Rex tamen pius hoc ipsi ea lege condonavit crimen ;

1626. 1632.

ANNI CHRISTI 1633.

ut ab episcopatu discederet, litteris datis mense A Februario an. 1633. Claudius denique præpositus Monspeliensis repentina morte abreptus est apud Montempessulanum die 4. Maii 1642.

COHON.

LXIX. Anthymus Dionysius.

Credonius patria in tractu Andegavensi Anthymus Dionysius Cohon, doctor Sorbonicus, abbas de Troncheto in Armorica, Flarani in Novempopulania, S. Leodegarii in Santonibus, & Belli loci apud Cenomanos, ex præposito de Mesange in ecclesia Carnotensi & regio concionatore nominatus episcopus Nemausensis die 19. Novembris 1633. propositusque & confirmatus B a summo pontifice 24. Julii 1634. eodem anno 29. Octobris Lutetiæ consecratur in sacello palatii archiepiscopalis a Johanne Jauberto de Barraut archiepiscopo & principe Arelatensi, collaborantibus Gaspardo de Daillon Albiensi & Nicolao Grillé Vasatensi episcopis. Regi fidem obligavit post triduum in festo scilicet omnium SS. quo ipso die concionatus coram rege ei de beneficiis sibi collatis grates publicas egit. Interfuit coetui cleri Gallicani apud Parisios 1636. & apud Meduntam 1641. Funebri demum oratione Ludovico Justo defuncto in æde parochiali sancti Germani Autissiodorensis mense Augusto C 1643. eleganter parentavit; nec multo post ad episcopatum Dolensem transfertur facta cum sequenti permutatione, ad pristinam subinde regressus sedem, ut dicemus infra.

1634. 1636. 1641. 1643.

DOUVRIER.

LXX. Hector.

Ortu Tolosas Hector Douvrier ex episcopo Dolensi transfertur ad sedem Nemausensem facta permutatione cum Anthymo Dionysio Cohon, tunc Nemausensi, quam probavit rex dato diplomate die 19. Febr. an. 1644. necnon papa Innocentius X. qui bullas concessit die 2. Maii ejusdem anni. Parisiis in capella palatii cardinalis D (modo Regalis) præstitit juramentum fidelitatis regi Ludovico XIV. die 28. Octobris 1644. Factus jam consiliarius episcopalis in parlamento Tolosano per litteras regias majori sigillo munitas 4. Octobris ejusdem anni, prævia cessione Anthymi Dionysii Cohon tunc Nemausensis episcopi, qui necdum hujus muneris adeptus erat possessionem, recipitur in eodem senatu die 23. Decembris an. 1644. Civitatem Nemausensem ingressus est die 13. Febr. 1645. non indicto ingressu, obstante hæresi, quæ longe majorem populi non solum urbis, sed etiam totius dioecesis partem inficiebat, cum numeroso tamen equi- E tatu & magno plebis concursu. Ab anno vero 1621. quo hæretici cathedralem ecclesiam funditus everterunt, celebrabatur divinum officium in loco tam arcto, ut vix quartam populi catholici partem continere posset, sed tandem sumtibus totius dioecesis coepit ædificari nova cathedralis ecclesia sedente Anthymo Dionysio, quæ priores amplitudine æquat aut superat, perficiturque sedente Hectore, qui processionaliter eam invehitur 18. Martii 1646. & in ea primam missam celebravit. Anno vero 1650. die 4. Sept. violatur episcopalis dignitas per ingressum seditiosorum hominum hæreticorum numero fere quingentorum, præsente, & eos ducente uno ex quatuor *ministris* in palatium episcopale, ubi quinque ex domesticis præsulis atrociter vulnerantur, sicut instrumentis super hoc confectis amplissime declaratur: unde habito tam capituli, quam præcipuorum catholicorum consilio secessit episcopus cum suo capitulo ad Bellicadrum die 11. Septembris 1650. quæ urbs est quidem sub archiepiscopatu Arelatensi, Nemausi tamen proxima, ejusque cives omnes catholici, in cujus oppidi ecclesia collegiali spatio circiter decem mensium peragebantur divina officia Nemausi celebrari solita, dum civitas interea cessat a divinis; tandem 23. Junii anno 1651. redit in urbem suam Hector cum capitulo, post multas legationes ad eum factas, accepta quæ placuit regi satisfactione tunc multiplici bello occupato, & in minoribus adhuc annis constituto, qualem temporum conditionem semper aucupati sunt novatores. Sub finem anni 1652. fratres Capucini domum vendunt, quam intra Nemausum habitabant, in qua divina officia celebrabant, e qua pecunia agrum emunt prope, sed extra portam civitatis, quæ vulgo Coronæ porta appellatur, in quo monasterium ædificarunt. Patres quoque Carmelitæ an. 1653. per emtionem ædis vicinæ monasterium exstruxerunt. Obiit Hector die 20. Junii anno 1655. non vero 1653. ut habetur in veteri Gallia Christiana in episcopis Dolensibus.

1644. 1645. 1646. 1650.

ANNI CHRISTI 1651. 1652. 1653. 1655.

COHON.

LXXI. Anthymus Dionysius *secundùm*.

Cum jam episcopatum Dolensem Anthymus Dionysius in manibus summi pontificis libere abdicasset 24. Novembris 1648. regia iterum nominatione, post obitum Hectoris Douvrier ad ecclesiam Nemausensem regressus est an. 1655. omnibus urbis Nemausensis ordinibus applaudentibus, ad quam tamen ecclesiam haud prius die 27. Augusti an. 1657. in consistorio pontificio propositus est. Anno 1670. seminarium patribus Doctrinæ Christianæ dirigendum commisit, quibus etiam donasse traditur suam bibliothecam & pecuniæ summam pro seminarii dotatione. Decessit hoc anno die 7. Novembris, sepultus in æde cathedrali, cum epitaphio Gallico, ex quo maxime innotescit quam pius & vigil pastor exstiterit.

1657. 1670.

Habetur his verbis in quodam sacello ejusdem cathedralis ecclesiæ pia ejusdem præsulis constructo liberalitate:

Cette chapelle a esté bastie par la pieté d'illustrissime & reverendissime evesque de Nismes messire Anthyme Denys Cohon, predicateur ordinaire & conseiller du Roy en tous ses conseils. Il naquit en la ville de Craon, province d'Anjou, au commencement de Septembre 1594. & merita la reputation d'un excellent predicateur dès l'âge de 25. ans. Pour sa science, son eloquence, & ses autres vertus, le Roy Louis XIII. luy donna cet evesché, où la religion gemissoit sous l'oppression de l'heresie des Calvinistes, qui triomphoient sur la ruine de tous ses temples & monasteres, qu'ils avoient abbatus;

ANNI CHRISTI

& par le sang des prestres & des catholiques, qu'en 1567. un mardy 29. Septembre, ils avoient jetté pendant la nuit dans le puits du palais episcopal. Il defendit en bon pasteur, & rassura les restes de ses brebis encore épouvantées, & augmenta considerablement leur nombre par ses sueurs & ses aumosnes. On ne voit presque aucune eglise ici, non pas mesme cette cathedrale, qui ne soit relevée par ses bienfaits, ou par ses soins, & signala sa charité au peril de sa vie, mais principalement dans le temps de la peste de 1640. qui frapa son troupeau & le couvrit de gloire. Il en perdit la vûe, non pas l'inclination, depuis 1643. jusqu'en 1655. que le Roy Louis XIV. le rendit à sa premiere epouse à l'instance du clergé & du peuple de Nismes, où il mourut en 1670. un vendredy 7. jour de Novembre, après avoir laissé à son diocese, à cette ville & à son chapitre, qu'il aimoit tendrement, beaucoup de belles fondations & precieux ornemens, qui sont des monumens eternels de sa devotion & de sa liberalité. Son corps repose sous le tombeau, qui est près le costé de l'Evangile. Priez Dieu pour son ame.

SEGUIER DE LA VERRIERE.

LXXII. JOHANNES JACOBUS.

Parentibus Jacobo domino de la Verriere & Margareta Tardieu in lucem editus, postea doctoris laurea insignitus, regi ab eleemosynis, ecclesiæ Parisiensis canonicus theologus promovetur ad episcopatum Lombariensem an. 1662. inauguraturque die 6. Augusti ejusdem anni in æde sacra Sorbonæ ab episcopo Meldensi, assistentibus Catalaunensi & Gebennensi præsulibus. Inde traductus ad cathedram Nemausensem mense Januario anni 1671. regi sacramentum fidelitatis præstitit mense Septembri ejusdem anni. Cessit an. 1687. tanto se imparem oneri ob infirmam senectam reputans, maxime cum ingens hac in dioecesi hæreticorum numerus esset. Obtinuit vero abbatias Liræ vacantis per obitum equitis de Gremonville, & Livriaci vacantis per obitum Christophori de Coulanges eodem anno 1687. Adfuit nihilominus anno 1688. comitiis cleri Gallicani, fato functus 8. Novembris 1689. octogenario major.

1671. 1687. 1688. 1689.

FLECHIER.

LXXIII. SPIRITUS.

Ortus Paternis, *Pairnes*, in dioecesi Carpentoratensi ex honesto loco Spiritus Flechier, educatus & institutus fuit ab Hercule Audifret avunculo, præposito generali clericorum, qui a Doctrina Christiana cognominantur, quorum institutum aliquandiu sectatus est Spiritus. Deinde præceptor datus est Ludovico Urbano le Fevre de Caumartin primogenito domini de Caumartin comitis consistoriani & Mariæ Urbanæ Sammarthanæ, sub cujus disciplina nobilissimus adolescens, qui postea fuit unus e quatuor viris ærario regio præfectis, in omni optimarum litterarum genere multum profecit. Postea Mæcenatem illustrissimum nactus ducem de Montausier, cœpit in publicum effundere inæstimabiles thesauros eloquentiæ suæ, tum in orationibus maxime panegyricis declamandis, tum in libris conscribendis. Adlectus quadraginta viris academiæ Franciæ an. 1673. ac serenissimæ Delphinæ factus ab eleemosynis 1680. designatur episcopus Vaurensis die 12. Novembris 1685. tandemque Nemausensis mense Augusto 1687. ad quam ecclesiam a cardinali d'Estrées propositus die 9. Jan. 1692. in consistorio pontificio admissus est. Consecratur Parisiis 24. Augusti 1692. in ecclesia Vallis-gratiæ ab eminentissimo cardinali de Bonzy archiepiscopo Narbonensi. Consensit anno sequenti ut ex sua dioecesi altera pars distraheretur ad novum episcopatum Alesiensem excitandum. Fuit etiam abbas sancti Severini in dioecesi Pictaviensi, S. Stephani de Beania dioecesis Santonensis, prior de Peyrac, & protector academiæ regiæ Nemausensis. Denique impensis pro grege laboribus, quam vel eloquentia, vel scriptis gloriosior diem clausit extremum apud Montempessulanum anno 1710. ætatis 78. die mensis Febr. 16. non 22. ut diximus t. 2. col. 1119. & 1349. Inter alia quæ Spiritus Flechier Nemaus. episcopus edidit, sunt mandata adversus fanaticos 23. Martii 1703. De cruce S. Gervasii 21. Julii 1706. De publicis precationibus pro regis armorum prosperitate 23. Sept. 1706. Pro publicatione Jubilæi prima Aprilis 1707. Adversus spectacula 8. Sept. 1708. De temporis calamitatibus 18. Maii 1709. Pro armorum regis prosperitate 10. Julii 1709.

1692. 1693. 1710.

ROUSSEAU DE LA PARISIERE.

LXXIV. JOHANNES CÆSAR.

Nobilis Picto Johannes Cæsar Rousseau de la Parisiere deputatus a provincia Burdegalensi ad comitia generalia cleri anno 1705. designatur episcopus Nemausensis die 11. mensis Julii anno 1710. bullisque acceptis 1. Decembris ejusdem anni, consecratur in majori sacello palatii archiepiscopalis Parisiensis die 8. Febr. sequentis Dominica Sexagesimæ ab eminentissimo cardinali archiepiscopo Parisiensi Ludovico Antonio de Noailles, assistentibus episcopis Tornacensi & Sagiensi. In comitiis Occitaniæ apud Montempessulanum habitis die 19. Januarii anni 1713. orationem funebrem serenissimi principis Ludovici Delphini ejusque conjugis Mariæ Adalaidis a Sabaudia pronunciavit ex pulpito, magno adstantium plausu. Idem defunctæ Mariæ Ludovicæ Gabrielidis a Sabaudia reginæ Hispaniarum laudes in ecclesia Parisiensi die 2. Junii 1714. prosecutus est. Ab ordinibus Occitaniæ pro deferendis ad regem codicibus legatus orationem ad ipsum habuit die 30. Sept. 1715. Idem quoque prior S. Catharinæ de Bercorio ab abbatia S. Mariæ Regalis in dioecesi Helenensi dependentis, fuit alter ex præsidibus comitiorum cleri apud Parisios an. 1730. quæ luculento sermone die 5. Junii ab ipso inchoata, eleganti ad regem oratione clausit 17. Sept. Cum an. 1731. exeunte Januario a rege nominatus fuisset abbas S. Jacobi de Pruvino, eodem anno 21. Maii pro hac abbatia in consistorio pontificio Romæ propositus fuit; cujus loco cum Sanct-Egidianam obtinuisset mense Junio 1732. insequenti 1733. 28. Sept. & 2. Dec. Romæ ad istam admissus est.

1710. 1713. 1714. 1715. 1730. 1731. 1732. 1733.

Vitam exuit in sua diœcesi academiæ Nemauf. patronus 15. Nov. 1736.

Duo præter istos reperiuntur episcopi, quorum ætas ignota.

Rodolfus scilicet, de quo in codice 1377. bibliothecæ serenissimæ reginæ Sueciæ legitur: *Summa sacramentorum edita per venerabilem dominum Rodolfum episcopum Nemausensem. Quoniam in sacramentorum collationibus & animarum regimine cautela multiplex & diligentia, &c.*

Alter est Lambertus canonicus S. Mariæ de Cassiano, memoratus episcopus Nemausensis in antiquo necrologio ejusdem monasterii fol. 2. ad diem 7. Januarii.

DE PRIMA CAPITULI NEMAUSENSIS DIGNITATE.

AB initio ad nostra usque tempora, prima hujus ecclesiæ dignitas cum in statu regulari tum in sæculari fuisse præpositura videtur, quam qui obtinuere modo recensendi sunt.

PRÆPOSITI ECCLESIÆ NEMAUSENSIS.

I. ANSEMIRUS præpositus, de quo vetus tabula emtionis IV. calendas Decembris anno XV. regni Caroli post obitum Odonis, & alia X. calendas Augusti anno XXVIII. regnante Carolo rege post obitum ejusdem Odonis, & adhuc anno XXIX. regnante eodem Carolo post obitum Odonis, Huberto Nemausensem ecclesiam gubernante.

II. Atho reperitur sub Begone episcopo, die Jovis IX. cal. Jan. anno IX. regnante Ludovico post obitum Rodulfi, hoc est 946. secundum litteram Dominicalem.

III. Pontius I. tempore Bernardi episcopi anno XXIV. Lotharii regis. Subscripsit etiam cuidam chartæ cum eodem Bernardo episcopo, Bernardo archidiacono, & Rainaldo claviculari, die Martis XVII. calend. Aprilis regnante Lothario.

IV. Rothaldus recensetur in veteri Gallia Christiana anno XXXI. Lotharii.

V. Petrus I. anno X. Roberti regis, existente episcopo Froterio.

VI. Pontius II. anno XIII. regni Roberti regis.

VII. Bertrandus, sub eodem Froterio episcopo, tempore Henrici regis & anno 1050.

VIII. Petrus II. Bernardi anno XI. regnante Philippo rege donationem ecclesiæ Nemausensi factam excepit.

IX. Petrus III. Guigonis jam an. 1080. nonnulla contulit suis concanonicis in commune viventibus & dormientibus. Reperitur etiam 1092. & 1096. quo anno testis est in charta Raimundi comitis pro ecclesia Nemausensi, dum illam Urbanus papa consecrabat. Eodem tempore ipsemet Petrus Guigonis præpositus eidem ecclesiæ largitus est 500. solidos auri, dux autem sive comes cessit terram de Bellegarde, ex documentis Nemausensibus. Memoratur anno 1099. in instrumento Raimundi episcopi, ubi vide. Hujusce præpositi & Raimundi comitis temporibus Guigo decanus ecclesiæ Nemausensis consensit donationi ecclesiæ S. Baudilii factæ Seguino abbati & monachis Casæ Dei a Petro Ermengaudi Nemausensi præsule.

Ch. XVII. col. 18.

X. Petrus IV. Bernardi præpositus & capiscolus ecclesiæ Nemausensis occurrit annis 1107. & 1109. Hunc etiam Martennius noster præsentem facit anno 1116. una cum Raimundo Willelmi episcopo donationi, quam Amelius presbyter fecit ecclesiæ Nemausensi; at legendum videtur 1106. neque enim Raimundus Willelmi episcopus ad annum 1116. pervenit.

XI. Petrus V. de Vezonobrio reperitur 1150. in veteri Gallia Christiana. Hujus fit mentio in quadam epistola Aldeberti Nemausensis episcopi ad Innocentium papam, ubi agitur de cella sancti Baudilii inter vetera abbatiæ Casæ Dei monumenta, ad quam S. Baudilii prioratus pertinet. Recensetur 1151. cum Raimundo archidiacono in charta Aldeberti Nemaus. episcopi ecclesiam de Bers Raimundo abbati Gellonensi concedentis.

XII. Guillelmus I. Nemausensis præpositus anno 1160. mense Octobri a Raimundo duce Narbonæ acquirit medietatem eorum omnium, quæ dux habebat in paludibus Fontis-cooperti, pro mille solidis Melgoriensibus, præsente Aldeberto Nemausensi præsule. Ejusdem quoque præpositi, Bernardi ac Boniparis archidiaconorum & totius capituli consilio Adelbertus episcopus laudavit & concessit monasterio S. Petri de Salvo & Hugoni priori illas ecclesias, quas a longo tempore possidebant, & ipsius habebant dono decessoris, salva episcopali obedientia, albergis & solitis synodis. Acta Nemausi an. 1169. in festo B. Augustini, ex archivo episc. Nemaus. Reperitur & anno seq. Guillelmus præpositus.

Prob. hist. Occit. t. 2, col. 575.

XIII. Bernardus I. testis habetur in charta recognitionis castri de Montpezat factæ a Bernardo d'Anduse filio Adalaidis anno 1174. XIV. cal. Aprilis. Occurrit B. præpositus cum A. Nemaus. episcopo an. 1177. in charta Bernardi Atonis vicecomitis Nemausensis, qui ei & ceteris canonicis ad alodium vendit undecim solidos censuales, quos ei dabant pro tabulis, quæ sunt vel fieri possunt ex utraque parte viæ. Exstant ad eum litteræ Raimundi ducis Narbonensis, Tolosani comitis & Nemausensis, necnon marchionis Provinciæ datæ an. 1193.

Prob. hist. Occit. t. 3, col. 141.

XIV. Frotardus præpositus ecclesiæ Nemausensis pepigit pro quibusdam decimis cum Giralda abbatissa de Fonte apud Nemausum an. 1199.

XV. Guillelmus II. de Casulis testis est anno 1233. in litteris Arnaldi episcopi arbitri Ulmetum inter & Universitatem de Mari. Idem G. cognominatur de Casellis (legendum de Casulis) in instrumento anni 1236. Factus est episcopus Leutevensis anno 1241.

XVI. Pontius III. de Boisson 1241. & 1248. ex veteri Gallia Christ. quo anno bulla Innocentii

* a mense Septemb. inchoata.

papæ IV. data Lugduni VII. cal. Dec. ind. VII.* A pontific. anno VI. inscribitur præposito ecclesiæ Nemaus. in qua vigere adhuc ordo canonicus secundum B. Augustini regulam dicitur. Idem est fortasse ac P. jam memoratus 1237.

XVII. Guillelmus III. de Sala 1260. 1261. & 1265. in charta unionis ecclesiarum S. Perpetuæ & S. Andreæ de Cadolis factæ capitulari mensæ. Nominatur etiam in instrumento continente litteras Ludovici regis anno 1268. super feudis castrorum Montispezati, de quibus actum in Raimundo episcopo, & rursum in aliis ejusdem Raimundi litteris an. 1269. Adhuc reperitur 1280. & 1282.

XVIII. Bremundus de Nagis 1290. 98. B 99. & 1301.

XIX. Andreas I. de Languisel patruus cardinalis de Languisello archiepiscopi Arelatensis & Bertrandi præsulis Nemausensis, 1302.

XX. Stephanus Marquesii 1306. & 1312.

XXI. Johannes Fredoli, ex qua Fredoliorum gente prodierunt episcopi Magalonenses & Biterrenses, interfuit anno 1317. concilio Biterrensi; quo etiam anno contulit ecclesiam sancti Martini de Seyano Guillelmo Olivi. Adhuc memoratur 1318. & 1320.

Baluz. catal. cod. mss. in 4. pag. 82. n. 544.

XXII. Andreas II. de Languisel 1331. 32. & 34. die 14. Maii. Vide inter instrum. col. 166. C

XXIII. Bernardus II. Fulci 1345.

XXIV. Guillelmus IV. de Texeriis nominatur inter exsecutores testamenti Imberti Puteani de Montepessulano cardinalis Avenione defuncti die 26. Maii 1348. Reperitur adhuc 1349. 1352. & 1358.

XXV. Pontius IV. d'Olargue 1362. in recognitione facta regi.

XXVI. Petrus VI. de Callesio vel de Chalezio præpositus Nemausensis & nuncius apostolicus anno 1368. pridie calendas Junii subsidia imponit; idemque licentiatus in decretis, & in sacerdotio constitutus, Urbani V. nominatione successit Bertrando episc. Montalbanensi an. 1369. D pontificatus ejusdem anno sexto v. cal. Oct. apud Montem Flasconem. Vide Baluzium in notis ad vitas paparum Avenion. col. 1018.

XXVII. Michael Sarlando, *al.* Serolandus 1399. 1400. & 1406.

XXVIII. Artaldus de Pereria 1413.

XXIX. Petrus VII. de Remolinis an. 1430. die 13. Novembris præsens fuit sacramento fidelitatis, quod regi præstitit Leonardus episcopus Nemaus. Contulit ecclesiam parochialem S. Johannis de Bellagarda an. 1432.

XXX. Petrus VIII. Viguier an. 1450. pontem bastidæ construi curavit.

XXXI. N. Faucon electus episcopus 1496. aiunt Sammarthani, haud dubie idem est ac Jacobus Falconis præpositus & electus Nemausensis memoratus 28. Decembris an. 1501. in archivis Monspeliensibus.

XXXII. Robertus I. de la Croix 1517. & 1539. quo tempore capitulum ex regulari factum est sæculare.

XXXIII. Franciscus de Lestrange 1545.

XXXIV. N. Dalemar 1556.

XXXV. N. Goy.

XXXVI. N. Besserier 1596.

XXXVII. Petrus IX. de la Croix 1601.

XXXVIII. Robertus II. Clavel 1618.

XXXIX. Robertus III. de la Croix 1630.

XL. Gabriel de Beauvau postea episcopus Nannetensis sacratus 1636.

XLI. Nicolaus Hallay primum canonicus regularis B. Mariæ de Bello loco apud Cenomanos, tum ex dispensatione summi pontificis præpositus canonicorum sæcularium ecclesiæ cathedralis Nemausensis, vir summæ prudentiæ & eximiæ in rebus agendis solertiæ, se jugiter hæreticorum quibus urbs abundabat conatibus ita opposuit, ut eum tanquam infensissimum hostem habuerint, ac tandem in seditione ab eis commota plumbeo globulo percusserint, quo ictu occubuit anno 1654. Libellum scripsit Gallice cui titulus *Sommaire description du globe de la Terre, Paris 1624.* De hoc præposito sic legitur in necrologio canonicorum regularium Gallicanæ congregationis a S. Genovefa nuncupatæ: *Die XI. Januarii obiit Nemausi D. Nicolaus Hallay canonicus regularis, præpositus ecclesiæ Nemausensis, de nostra congregatione bene meritus anno Domini 1654.*

XLII. Anthymus Dionysius Cohon alter ab episcopo Nemausensi, regia nominatione designatus præpositus 28. Febr. 1669. recipitur in capitulo 18. Dec. ejusdem anni. Consensit autem an. 1694. die 16. Jan. erectioni novi episcopatus Alesiensis. Demum fato functus est an. 1703.

Ch. III. col. 251.

XLIII. Philippus Robert frater cognitoris regii in castello Parisiensi præposituram gessit ab anno 1703. ad annum saltem 1724.

ALIQUOT ARCHIDIACONI.

I. JOHANNES, postea episcopus anno 511. ubi vide.

II. Valerianus vice Pelagii episcopi subscripsit concilio tertio Toletano an. 589.

III. Didimus anno XX. Caroli Simplicis, de quo vide in Wicberto episcopo.

IV. Baldegandus, de quo vide in Begone præsule ad an. 945.

V. Bernardus I. tempore Bernardi episcopi, regnante Lothario.

VI. Raimundus I. de Ribalta tempore Petri Ermengaudi episcopi anno 1084. & 1099. Isnardus tamen archidiaconus subscribit post Petrum Guigonis præpositum chartæ Raimundi comitis Nemausensis nonnulla Nemausensi ecclesiæ E largientis an. 1096. Itemque Petrus erat archidiaconus 1099.

Ch. XVII. col. 183.

VII. Guillelmus I. & Goscelinus archidiaconi Nemaus. in charta fundationis abbatiæ Francarum vallium circa an. 1143.

Ch. XXVII. col. 192.

VIII. Raimundus II. 1151. vide in Petro præposito, & 1156. in charta Ermengardis vicecomitissæ Narbon. pro Berengario archiepisc. Narbon.

Ch. XLVII. col. 41.

IX. Bernardus II. & Bompar archidiaconi an. 1169. ac Bompar solus 1174.

Prob. hist. Occit. t. 3. col. 134.

Ch. XXIII. col. 286. X. Bernardus III. archidiac. Nemausf. 1228. A
XI. Guillelmus II. de Mandagoto circa 1300. Vide in episcopis Biterrensibus.

XII. N. de Meridat major archidiaconus consensit erectioni novi episcopatus Alesiensis anno 1694. die 16. Januar. Ch. III. col. 251.

DE VETERIBUS MONASTERIIS DIŒC. NEMAUS.

I. S. Faustinus.

VEtus abbatia S. Faustini conditur a S. Castore patria Nemausensi, qui primus ejusdem loci fuit abbas, accepta a Cassiano Massiliensis monasterii abbate regula, quam ipse vocavit *speculum monachorum*. Postea fuit episcopus Aptensis anno 419. Hoc autem cœnobium desierat jam B anno 817. ut pote cujus nulla fit mentio in recensione monasteriorum Septimaniæ facta hoc anno in concilio Aquisgranensi. S. Castoris festum Nemausenses recolunt die 21. Septembris.

II. S. Baudilius.

Haud longe a Nemauso Galliæ Narbonensis nobili civitate ab antiquo visa est ad Australem plagam in valle ab Austro, Oriente & Occidente montibus circumsepta, S. Baudilii martyris ecclesia, seu abbatia, cui condendæ occasionem præbuere infinita ad ejusdem sancti, Nemausi passi, sepulcrum patrata miracula. Exstabat jam tempore primæ, vel secundæ incursionis Sarracenorum in Gallias, hoc est anno 720. aut 25. quo Ro- C mulus abbas & ipsius conventus octoginta monachis constans veriti ne in eorum manus inciderent, ad Saxiacum in Burgundia & diœcesi Autissiodorensi sese receperunt, ubi faventibus Francorum regibus ecclesiam ædificarunt sub patrocinio S. Baudilii, & secus illam monasterium, de quo dicemus alias. Illud vero primarium apud Nemausum, quod in hisce bellicis tumultibus & aliis sæculo IX. dirutum fuerat, Nicolaus I. pontifex Isnardo episcopo Nemausensi attribuit circiter annum 860. Hubertoque ejusdem sedis antistiti Sergius papa III. anno circiter 909. confirmavit. Attamen instauratum utcumque fuisse D videtur hoc sæculo vel sequenti, utpote cui anno 1041. tempore Henrici regis Petrus abbas præerat. Cum vero hæc ecclesia ad modicum censum redacta esset, & forte in manus episcoporum Nemausensium reversa, Petrum Ermengaudi episcopum ejusque clericos obnixe rogaverunt Raimundus comes & Ermengardis vicecomitissa, aliique quamplures nobiles viri, ut Seguino Casæ Dei abbati ejusque successoribus in perpetuum conferrent: quod illi perlibenter annuerunt. Facta sunt hæc V. cal. Jan. die Sabbati, luna 27. regnante Philippo, id est exeunte anno 1084. a quo tempore hæc ecclesia in prioratum E conversa est, in quo XVIII. Casædenses monachi Domino quondam famulati sunt, ut notat msf. codex Casæ Dei monasterii.

Ch. IV. col. 169.

Contigit non multo post Raimundum inter episcopum & Pontium Casæ Dei abbatem de variis ecclesiis disceptatio, quæ tali tandem pacto finita est, ut Raimundo episcopo ejusque successoribus cederent capellæ S. Martini & S. Petri in castello, quod dicitur ad Arenas, sitæ, S. Thomæ in muro civitatis, S. Stephani juxta Capitolium & S. Vincentii, cederent autem abbati Pontio & successoribus ejus ecclesia S. Baudilii, quam Seguino quondam abbati Raimundus comes & Ermengardis vicecomitissa concesserant, & parthenon S. Salvatoris & S. Mariæ positus intra muros civitatis ad scaturiginem fontis mirabilis juxta fanum Dianæ. Laudavit hanc definitionem Pontius Casæ Dei abbas, cum Roberto Crassensi abbate, Stephano monacho ejus fratre, Mauricio priore Casæ Dei & Petro Guidonis priore sancti Baudilii, aliisque. Laudavit & Raimundus episcopus cum canonicis. *Facta est charta ista anno ab Incarnatione Domini millesimo XCIX. anno primo Paschalis papæ, VIII. idus Januarii, regnante Philippo rege Francorum, per consilium & diffinitionem Gotafredi Magalonensis episcopi, & Fulconis abbatis Psalmodiensis, & Letberti abbatis sancti Rufi, qui istam chartam firmaverunt & laudaverunt.*

Prædictus autem S. Salvatoris & S. Mariæ parthenon, de quo infra, regi consueverat per S. Baudilii priorem, sub Casæ Dei abbatis providentia.

Iterum nihilominus ecclesiam sancti Baudilii, quam de paupere, vili & irreligiosa in divitem, nobilem & religiosam multis laboribus, multisque expensis Casæ Dei monachi provexerant, ab iis auferre conatus est episcopus Nemausensis, ut liquet ex epistola IV. lib. V. Petri venerabilis abbatis Cluniacensis ad Eugenium III. papam in gratiam Casædensium monachorum, quibus prædictam ecclesiam restitui precatur. Ceterum ea hucusque Casæ Dei cella est conventualis olim commissa Petro Rogerii Casæ Dei monacho, tum cardinali, ac tandem summo pontifici creato sub nomine Clementis VI. Fuit etiam Blancus Duriane prior sancti Baudilii prope Nemausum, & vicarius generalis, necnon officialis Uceticensis an. 1368. qua jam tempestate devenerat prioratus in manus priorum sæcularium, sive, ut loquuntur, commendatariorum, sub quibus paulatim cœpit deficere, adeo ut an. 1689. incultum penitus & absque monachis N. de Lyonne prior titularis edicto majoris consilii reædificare coactus sit, & quatuor ibi monachos e Casa Dei assumtos collocare, quibus ad victum & ad cultum necessaria suppeditaret. Fecit utcumque vir aliunde meritissimus, sed cum annona minor esset quam par erat, nec locus esset aptus ad habitandum, inde paulo post abscedentes monachi ad propria remearunt. Postea tamen cum prior titularis sese totum missionibus Orientalibus dedisset, hunc ipsum prioratum directoribus seminarii missionum extranearum administrandum dimisit, qui statim de monachis inibi restituendis & locis regularibus resarciendis solliciti, cum Casædensibus consenserunt emere domum in civitate, quæ commodior esset, &

Bibl. Clun. pag. 883.

Tom. XI. concil. col. 1969.

minoris constaret, quam veteris restauratio. Sumtibus itaque communibus vetus emerunt episcoporum palatium, ibique duos antiquos monachos collocarunt, quibus defunctis, cum populus ægre ferret clausam esse capellam, dux Noallius provinciæ gubernator decretum tulit Casæ Dei priorem quatuor illuc monachos missurum, qui rem divinam facerent; qua de re consultus R. P. de la Chaize regi a confessionibus consilium approbavit, maxime cum D. Flechier episcopus Nemausensis id magnopere exoptaret, sicque prior Casæ Dei tres ibi monachos instituit, quartumque iisdem præfecit superiorem D. Paulum du Sault, aliis subinde majoribus in S. Mauri congregatione dignitatibus insignem, cujus in primis religio & pietas eluxit in quibusdam libris piis, quos in lucem edidit. Hactenus permanet iste conventus sub eadem S. Mauri congregatione, summo bonorum omnium applausu; ad cujus prioratus celebritatem haud parum facit, quod olim consules civitatis Nemausi secundum antiquam consuetudinem prima die cujuslibet mensis ad ecclesiam S. Baudilii accederent, quibus obviam prior ibat aliquot passibus foras, & ad ingressum ecclesiæ offerebat aquam lustralem; cumque ante majus altare pervenissent, oratione ad Deum fusa fidei sacramentum præstabant in manibus ejusdem prioris, tactis sanctis Evangeliis, spectante toto monachorum conventu & populo adstante. Hisce omnibus peractis, reverenter paucis eos alloquebatur prior, quibus postea monasterium ingressis omnis exhibebatur reverentia. Insequenti vero Dominica consules cum antiquis ad eamdem ecclesiam accedentes munera pia & devota patrono civitatis & ecclesiæ B. martyri Baudilio intra missarum solemnia offerebant, seseque totos & populum sibi commissum precibus & orationibus ejus & monachorum commendabant. Denique 20. Maii, qua die festum S. Baudilii recolitur consules ad eamdem ecclesiam mittebant homines, qui forte subortos tumultus sedarent; adhibitis etiam custodibus ad portas civitatis ob extraneorum & peregrinorum frequentiam multam nimis, quæ hac die confluere solet. Hæc notata reperimus an. 1425.

III. Psalmodium.

Obscura est origo hujus cœnobii, tametsi ante annum 791. exstitisse constet ex charta donationis Ilderedi presbyteri, qui suas res nonnullas monasterio sancti Petri, *quod est situm in insula Psalmodia* dedit *anno vicesimo regnante domino nostro Carolo rege Francorum, & Langobardorum.* Ejusdem a Sarracenis an. 793. destructi restaurator creditur Carolus magnus, cujus certe principis beneficio auctum legitur unione monasterii S. Saturnini de Nosdellis, vicini Armasanicis *Aymargues* in diœcesi Nemausensi ab eodem Carolo fundati. Vide Mabillonium ad an. 791. n. 15. Situm erat Psalmodium, initio Benedictinum monasterium, Nemauso quatuor ad meridiem leucis, in insula Psalmodia, unde ipsius nomen, cujus latus meridionale olim mare Mediterraneum alluebat, nunc ab eo sex millibus distat. Recensetur in concilio Aquisgranensi an. 817. inter alia Septimaniæ monasteria, quæ solitas preces pro imperio exsolvere tenebantur. Ipsum Carolus rex Girberto episcopo Nemausensi eodem sæculo contulit, ex tabulario ecclesiæ Nemausensis, & ex commentariis Catelli fol. 979. idque Sergius papa III. Ugberto episcopo confirmavit. Instauratum an. 1004. Massiliensi sancti Victoris monasterio & Petro I. ejusdem abbati anno saltem 1048. subjicitur a Petro Magalonensi comite, qui obiit 1060. vel 1061. ex magno cartulario S. Victoris fol. 1. Ab hac tamen subjectione absolvitur judicio Bertranni Narbonensis & Gibelini Arelatensis archiepiscoporum anno 1097. XVI. cal. Octobris indict. IX. concurrente IV. epacta XV. clave (Paschali) XI. ex chartario S. Victoris Massiliensis, ubi notandum vitiosas esse notas chronicas, ac præsertim indictionem. Initium dedisse fertur Psalmodium Juncellensi virorum & S. Genesii puellarum cœnobiis; ipsummet vero variis ante & postea vicibus corruit; ac primo quidem finiente sæculo VIII. quo ad locum sancti Juliani de Corneliano inter oppida Lunelli & Portus translatum, paulo post a Carolo magno in priori loco restitutum fuit; tum desinente sæculo IX. dein exeunte sæculo XI. postea tempore Innocentii papæ IV. quo jubente fere a fundamentis renovatum est; ac denique mediante sæculo XVI. translatum paulo ante ad oppidum Aquarum mortuarum, nempe anno circiter 1537. quo idibus Decembris annuente Paulo III. pontifice in ecclesiam collegiatam sæcularem conversum fuerat, neoterici devastarunt. Ab erectione vero novi episcopatus Alesiensis pars evasit ipsius dotis, ut ibidem infra videre est.

Ch. XIX. col. 184.

ABBATUM NOMENCLATURA.

I. CORBILIANUS desinente sæculo VIII. præfuit, quo adiisse legitur Carolum magnum anno regni ejus vicesimo tertio, eique suggessisse suum nuper Sarracenorum violentia destructum fuisse monasterium, translatumque in locum vocabulo Cornelianum. His auditis Carolus præcepit ut in loco pristino cœnobium instauraretur, ad quod, eidem uniendum contulit monasterium de Nosdello in honorem S. Saturnini martyris a se constructum, cum turre dicta *Mataferra*, quam etiamnum apud Aquas mortuas superstitem idem Carolus ad regionis defensionem exædificarat, educandumque Corbiliano commisit Theodemirum, qui falso Caroli nepos dicitur. Datum est hoc præceptum calendis Julii anno vicesimo tertio Caroli, cujus etsi notæ chronicæ vitiosissimæ sint, hoc ipso tamen tempore a Sarracenis destructum fuisse monasterium probat sincerum Caroli regis cognomento Simplicis diploma suo loco referendum.

Dipl. lib. 6. n. 203. pag. 615.

II. Theudemirus & Theodemirus, idem qui Corbiliani curæ a Carolo magno demandatus, natione Gothus erat, ut videtur. Huic Ermengardis vidua Dadilæ, qui testamento multas monasterio legaverat possessiones, de quibusdam rebus precariam fecit VII. cal. Oct. an. 2. Ludovici imperatoris, uti legitur lib. VI. de re Diplom. pag. 615. Eidem hoc ipso anno ind. VIII. nonis Decembris

Ch. II. col. 167.

Ch. III. col. 167.

Decembris Ludovicus imperator tuitionis præceptum indulsit. Is autem creditur esse Theodemirus, cui Claudius tum presbyter Hispanus, dein episcopus Taurinensis tres libros in Genesim dicavit anno 815. cuique nuncupatæ sunt ejusdem Claudii expositiones in Exodum 821. & in Leviticum anno 823. Postea Theodemirus prolixam contra Claudium epistolam scripsit, in qua se centum quadraginta monachis sub regula S. Benedicti præesse dicit, tametsi *cœnobiolum* suum idem abbas præ modestia vocet: hanc epistolam pene integram suo libro tertio inseruit Jonas episcopus Aurelianensis, qui & initio primi sui libri contra Claudium, multo cum honore laudat Theodemirum, præsertimque jam defunctum in epistola ad Carolum regem statim a morte Ludovici Augusti, his verbis: *Quidam sane sanctæ religionis proposito venerandus, & honestate vitæ imitandus, debitoque honore nominandus Theodemirus, pater monachorum, nunc jam rebus humanis exemtus, cum jam longe lateque fama crebrescente ab eodem Claudio talia geri & prædicari contra auctoritatem ecclesiasticam didicisset, caritatis officio ductus, & unice Gentis* (Gallicanæ) *amore provocatus, eidem Claudio, ut ab his se, quæ reprehensibiliter agebat & docebat, compesceret, litteris caritate refertis mandari curavit.* Obiit Theodemirus circiter annum 825.

III. Ragembaldus præerat anno 905. ex Baluzio tom. 2. capitularium col. 1099. Idem an. 909. præceptum obtinuit a Carolo Simplice, in quo simul *abbas Juncellensis* appellatur. (Ch. VI. col. 171.)

IV. Witardus I. *religiosus presbyter & abbas cœnobii Psalmodiensis & Juncellensis monasterii* appellatur in diplomate Stephani papæ quem septimum Mabillonius existimat.

V. Witardus II. circa 997. a Guillelmo comite Tolosæ & Emma *de Provence* ipsius conjuge prioratum S. Juliani de Corneliano accepisse dicitur. (*Tom. 2. hist. Occit. col. 140.*)

VI. Warnerius electus abbas videtur in conventu episcoporum & nobilium habito super cœnobio Psalmodiensi reædificando, cujus hæc sola supersunt: *Dictus Warnerius suscipiat reædificandum & reparandum S. Petri Psalmodii monasterium, & ei abbas præesse........ &c. Signum Warnerius abbas: sign. Geraldi abbatis S. Egidii: sign. Adalaicæ comitissæ: sign. Willelmi comitis Tolosani: sign. Pontii comitis: sign. Itherii Willelmi comitis Provinciæ: sign. Roberti comitis: sign. Hugonis comitis & Pontii fratris sui: sign. Froterii episcopi* (Nemausensis:) *sign. Aribaldi pontificis* (Uceticensis:) *sign. Dolonis episcopi: sign. Fulcranni episcopi* (Leutevensis:) *sign. Petri præsulis* (Magalon.) *sign. Gauselini Bernardi: sign. Volveradi Pontii: sign. Gregorii Bremundi: sign. Odonis & aliorum. Actum anno regis Roberti, octavo* hoc est 1004. Vide t. 4. annal. Bened. pag. 176. Eodem anno quidam Arimannus cum uxore sua ecclesiam S. Asciscli de Mutationibus, *de Mudaisons*, sitam in territorio Sustantionensi, cum suis adjacentiis contulit S. Petro Psalmodiensi & Warnerio abbati. Memoratur an. 1005. ind. III. in instrumento electionis Wifredi abbatis sancti Victoris Massiliensis. Eodem anno chartæ Pontii episcopi Massiliensis pro Victorino cœnobio subscripsit, ex magno chartulario fol. 5. Anno 1019. instrumentum fundationis parthenonis S. Genesii diœcesis Magalonensis, ac 1025. XII. cal. Decembris regnante Roberto rege an. XXX. chartam electionis Judithæ primæ ejusdem loci abbatissæ subsignavit. Eodem an. 1025. Umbertus quidam abbati Warnerio dedit quidquid in ecclesia sancti Stephani de Eremo sita in valle magna territorii Nemausensis possidebat. Obiit Warnerius simul *abbas Juncellensis* nuncupatus nonis Febr. ex necrologio S. Egidii. (Ch. VI. & VII. col. 346. & 347.)

VII. Raimundus I. sedebat mense Decembri an. 1054. quo Raimundus Gaucelin dominus de Lunello, & uxor ejus Petronilla, Petrus Gaucelini ipsius frater, & ejus conjux, &c. nonnulla ei dimiserunt acceptis vicissim trecentis solidis. Ita mss. codex bibliothecæ D. de Coislin episcopi Metensis notatus 121. in bibliotheca S. Germani a Pratis fol. 223. (Ch. XI. col. 177.)

VIII. Guillelmus I. Philaudi vel Pharaldi monachus Gellonensis, ac deinde prior Salvæ circa 1040. demum evasit Psalmodiensis abbas, ex tabulario Gellonensi, idem procul dubio ac Willelmus abbas 1071. (Ch. XIII. col. 179.)

IX. Berengarius simul abbas Juncellensis 1082. quo anno Petrus Ermengaudi episcopus Nemausensis ecclesiam de Teillano S. Petro Psalmodii concessit.

X. Petrus I. 1084.

XI. Guillelmus II. 1085. & 1086. quo anno memoratur in charta Dalmatii Narbonensis archiepiscopi pro Monachia Narbonensi. Hic autem Pontii successor loco Petri perperam dicitur in donatione facta Pontio abbati Francarum vallium. Fortasse is est Guillelmus, cujus obitus dies notatur VI. cal. Julii in necrologio S. Andreæ secus Avenionem.

XII. Arnaldus I. præfuit eodem an. 1086. quo Berengarius Guillelmi & uxor ejus Lupiana S. Petro & monasteriis Psalmodiensi & Juncellensi dederunt ecclesiam S. Ceciliæ de Castro Lupiano, & quidquid hac in ecclesia ejusque pertinentiis habebant, vel habere debebant. Anno 1094. mense Martio, seu 1095. eidem abbati & conventui Psalmodiensi Raimundus comes, uxor ejus, & Bertrandus eorum filius acceptis a conventu 2000. solidis Egidiensis monetæ promiserunt se nihil amplius accepturos, quæsituros vel ablaturos, *nisi tantum de homicidio aut adulterio de uxore hominis, in tali vero ratione, ut de istis duabus culpis, non accipiamus*, inquiunt, *justitiam super abbatem, & si abbas justificare non potuerit, & clamorem ad me fecerit, de illa hora inantea justificabo.*

XIII. Fulco I. nominatur in placito episcoporum anni 1097. in quo Psalmodiense asceterium a dominio & regimine S. Victoris Massiliensis absolutum est; idque ratum habuit Urbanus II. bulla inscripta Fulconi 1099. pontificatus anno duodecimo, ubi Psalmodio subjectas inter ecclesias, cœnobium S. Mariæ de Baulis *Baux* in diœcesi Sistaricensi fundatum a (Ch. XIX. col. 184. — Ch. XX. col. 187.)

Johanne Siſtaricenſi epiſcopo, qui Ademarum illic præfecit, recenſetur. Eodem anno VIII. idus Januarii Paſchalis II. pontificatus anno primo ſubſcripſit Fulco cum Aldeberto abbate S. Rufi, Gotafredo Magalonenſi epiſcopo, Petro præpoſito Nemauſenſi, Petro archidiacono, aliiſque canonicis, initæ compoſitioni Raimundum inter epiſcopum Nemauſenſem & Pontium abbatem Caſæ Dei de pluribus eccleſiis. Facta eſt anno 1102. IV. cal. Aprilis a Gibelino Arelatenſi archiepiſcopo, conſilio & laude Arelatenſis eccleſiæ canonicorum, charta definitionis inter Fulconem Pſalmodienſem abbatem, ejuſque monachos, ac monaſterium S. Romani de Aculeia ad Rhodanum prope Bellicadrum ſitum, conſilio ejuſdem loci monachorum, quorum tunc erat prior Martinus. Nempe ab his omnibus definitum eſt S. Romani monaſterium, quod olim abbatiæ titulo donatum fuiſſe & abbates, in his Garnerium & Rogerium habuiſſe dicitur, Pſalmodio cum ſuis adjunctis in perpetuum fore unitum, ita ut deinceps non abbatia vocetur, ſed prioratus, & loco Martini prioris alter a Fulcone abbate inſtituatur, Martinus vero in cœnobio Pſalmodienſi primus in eccleſiæ choro ad lævam, in capitulo, & in refectorio ſedeat, primuſque in ſynodis poſt abbatem Montis majoris. Perſtitit hic prioratus conventualis uſque ad ſæculum XV. quo Pſalmodienſes illum ceſſere toparchis de Aquilia, qui eum in caſtrum converterunt. Denique Paſchalis II. papa eidem Fulconi bullam conceſſit calendis Aprilis indict. VIII. an. 1115. pontificatus XVI. qua omnes cœnobii poſſeſſiones confirmantur. Obiit Fulco XVI. calendas Junii ex necrologio S. Egidii.

Lib. V. Diplom. pag. 614. — Ch. XXI. col. 188. — *Diplom. pag. 617.*

XIV. P. abbati Pſalmodienſi aſſignandus videtur hic locus, utpote cujus & B. abbatis Juncellenſis controverſiam, illius pro ſubjiciendo ſibi monaſterio Juncellenſi, iſtius ſubjectionem recuſantis Arnaldus epiſc. Biterrenſis, qui poſtea fuit archiepiſcopus Narbonenſis, confidentibus ſecum R. archiepiſcopo Narbonenſi & A. Arelat. aliiſque præſulibus judicavit in gratiam Juncellenſium, circa an. 1115.

Ch. IX. col. 134.

XV. Bertrandus eccleſia de Aniciano donatur a Richardo Narbonenſi archiepiſcopo an. 1117. feria V. octavo cal. Martii. Eo regente Gelaſius II. papa monaſterium viſitavit, eccleſiam de Teillano dedicavit & conceſſa eidem cœnobio confirmavit an. 1119. Duo ejuſdem papæ ſucceſſores Calixtus II. & Honorius II. Bertrando abbati bullas indulſerunt, primam Calixtus dedit Laterani per manum Hugonis S. R. E. ſubdiaconi cardinalis XI. cal. Martii indict. I. pontificatus anno V. Chriſti 1123. alteram Honorius 1125. VIII. idus Aprilis indict. III. pontificatus anno primo per manum Aymerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii. Adhuc præfuiſſe Bertrandus abbas legitur an. 1138. cujus obitus notatur calendis Febr. in necrologio S. Andreæ ſecus Avenionem.

Ch. XXIII. col. 190.

XVI. Petrus II. occurrit 1141.

XVII. Guillelmus III. ſedebat 1155. & 1158. quo anno Raimundus Toloſæ comes huic abbati poſſeſſiones omnes, ac immunitates ab anteceſſoribus & aliis Pſalmodienſi monaſterio conceſſas laudavit & confirmavit, ex codice mſ. biblioth. D. de Coiſlin epiſcopi Metenſis notato 121. in biblioth. S. Germani a Pratis fol. 221. *verſo.* Eidem abbati, ac monaſterio de Aquilia, necnon monachis ibidem habitantibus Hugo Aquenſis archiepiſcop. conceſſit eccleſiam ſanctæ Mariæ de Limancia cum ſuis omnibus pertinentiis.

XVIII. Petrus III. de Ucetio vel Ucetia teſtis eſt an. 1174. donationis terræ de Airolis factæ Bertrando abbati Francarum vallium a Raimundo Ucetiæ & Poſcheriarum domino. Memoratur eodem anno in archivis cameræ computorum Pariſienſis, & 1176. XIV. cal. Maii in tranſactione Raimundi comitis Toloſani cum Ildefonſo rege Aragonum de comitatu Provinciæ. Poſtea ceſſit, ſuperſtes an. 1181. ex dicendis.

Ch. XXVI. col. 195. — *Append. Marc. Hiſp. col. 1369.*

XIX. Guillelmus IV. reperitur 1180. in archivis cameræ computorum Pariſienſis. Inſequenti, menſe Julio conſilio fratrum, ac auctoritate Henrici legati cardinalis & epiſcopi Albanenſis, pro monaſterii utilitate, imo neceſſitate plures illius vendidit poſſeſſiones Bertrando priori S. Stephani de Tornaco & fratribus ejuſdem loci Cluniacenſis ordinis pretio 4000. ſolidorum, quos Judæis de Lunello Pſalmodienſes pro monaſterii debitis perſolverunt. Subſcripſit autem huic venditioni Petrus Ucetiæ quondam Pſalmodienſis abbas, ex tabulario Cluniacenſi apud Silviniacum.

XX. Fulco II. occurrit abbas 1185. cujus obitus dies notatur in necrologio ſancti Egidii XIV. cal. Januarii.

XXI. Guillelmus V. an. 1190.

XXII. Aldebertus reperitur 1198. Ejus obitus dies notatur his verbis in necrologio S. Andreæ ſecus Avenionem: *XIII. cal. Januarii depoſitio domni Aldeberti abbatis Pſalmodii.*

XXIII. Raimundus II. 1203.

XXIV. Bernardus de Generaco nobili gente Pſalmodio vicina ortus regebat hoc anno 1203. quo ipſi & Guillelmo de Clauſone priori S. Romani de Aquilia prope Bellicadrum Raimundus dux Narbonæ, Toloſæ comes & marchio Provinciæ, reginæ Conſtantiæ filius omne jus ac dominium villæ & *tenementi* S. Romani dimiſit. Reperitur B. abbas Pſalmodii an. 1209. in archivis cameræ computorum Pariſienſis. Exſtat Innocentii papæ III. lib. XV. epiſt. CXI. ad Bernardum abbatem, qua huic cœnobio conceſſa prædia recenſet atque confirmat. Data eſt Laterani VIII. idus Junii ind. XV. anno Dom. 1212. pontificatus XV. Eadem quoque majori ex parte habetur edita in Caſſiano illuſtrato Gueſnaii pag. 388. Denique an. 1217. B. abbas de Pſalmodio tranſegit cum canonicis S. Juſti Narbonenſis, ex tabulario capituli Narbonenſis.

Ch. XXIX. col. 201.

XXV. Raimundus III. 1220.

XXVI. Pontius 1226. & 1234. in veteri charta eccleſiæ Agath. Memoratur & 1239. ac 1241. quo anno Raimundus Berengarii comes & marchio Provinciæ necnon & Forcalquerii

comes Pontio abbati & monachis ejusdem loci tam præsentibus quam futuris quindecim modia salis annuatim & in perpetuum in salinis suis absque ulla *gabella* aut qualibet exactione percipienda concessit. Postea volunt alteri Pontio successisse in præfectura Sanct-Egidiana, ubi vide.

XXVII. G. abbas Psalmodii recensetur anno 1243. in charta Petri Bermundi domini de Andusia, & adhuc temporibus S. Ludovici Francorum regis & R. episcopi Nemausensis.

XXVIII. Raimundus IV. an. 1248. mense Augusto, assentiente capitulo cessit regi S. Ludovico territorium de Aquis mortuis, ubi postea exædificata fuit civitas, accepta vicissim quadam terra, sive condamina, quam rex habebat in territorio Somedrii *Somieres* juxta muros ejusdem castri, præter justitiam, quam sibi retinuit rex, ex archivo regio Carcassonensi.

Ch. XXXI. col. 202.

XXIX. Guillelmus VI. Catelli 1249.

XXX. Giraldus & Guiraudus de Brugeriis 1258. & 1269.

XXXI. Petrus IV. abbas erat tempore Nicolai papæ IV. qui cum tunc Psalmodienses monachi male in publico audirent, eosdem corrigendi jus concessit episcopo Massiliensi; quare mox Petrus abbas statuta pro monasterio condidit an. 1288. Memoratur 1298. & 1300. quo anno societatem precum iniit cum abbate & conventu S. Egidii. Interfuit an. 1303. die 25. Julii prælatorum conventui apud Montempessulanum habito, ubi adhæsit appellationi factæ ad concilium generale a Philippo Pulcro adversus Bonifacii papæ VIII. usurpationes. Anno 1308. suffragiorum spiritualium societatem renovavit cum Raimundo abbate sancti Egidii, similemque sancivit cum abbate & conventu S. Michaelis de Coxano an. 1315. Defunctus est anno sequenti ex actis pontific. Avenionensis.

Baluz. catal. diplom. mss. pag. 88. n. 28.

XXXII. Raimundus V. Bernardi antea prior S. Martini de Aleyraco, Psalmodiensis abbas efficitur bulla Johannis papæ XXII. anno saltem 1317. quo Raimundus legatum misit ad concilium Biterrense. Rexit ad annum 1319. quo Cluniacensis abbas evasit.

XXXIII. Arnaldus I. monachus & eleemosynarius S. Papuli, Psalmodiensis abbas instituitur bulla Johannis papæ XXII. data Avenione anno pontificatus III. E vivis excessit eodem an. 1319.

XXXIV. Fredolus ex monacho & decano Psalmodii nominatur abbas a Johanne XXII. anno pontificatus IV. hic est Incarnationis 1319. aut 1320. Regi clientelam professus est pro abbatia Psalmodii an. 1321. at ita volente summo pontifice cessit hanc abbatiam Gaillardo abbati S. Tiberii, qui & ipsi Sanctiberianum monasterium dimisit circa annum 1330. ut volunt

XXXV. Gaillardus ex priore Montis ferrati in diœcesi Uceticensi bulla pontificia Johannis papæ XXII. renunciatur abbas S. Tiberii, at ipso annuente summo pontifice pedum cessit anno circiter 1330. Fredolo abbati Psalmodiensi, sicque factus est ipse Gaillardus Psalmodiensis abbas. Migravit a sæculo anno 1331. ut fertur.

XXXVI. Raimundus VI. de Serinhaco antea Gellonensis abbas & prior Gordanicensis, ex actis pontific. Avenion. postea Sanctegidianus abbas, Psalmodiensis demum evasit bulla pontificia Johannis XXII. pontificatus anno XVI. Rexit ad annum primum Innocentii VI. hoc est 1352. Vide infra in Arnaldo de Luseria S. Salvatoris Leutevensis abbate ad annum 1337.

XXXVII. Gaucelinus de Deucio nepos Bertrandi de Deucio Ebredunensis archiepiscopi, de quo vide Baluzium in notis ad vitas paparum Avenion. col. 816. Psalmodiensis abbas renunciatus fuit bulla Innocentii papæ VI. data Avenione pontificatus anno primo. Memoratur præsens confirmationi statutorum ecclesiæ Cabellicensis sub Philippo episcopo. Eidem suo nepoti Bertrandus memoratus jam tum Sabinensis episcopus & cardinalis testamento condito die Sabbati 17. Octob. 1355. legavit divum Thomam in quatuor Evangelia, & alios inter ejusdem testamenti exsecutorem nominavit. Reperitur 1361. in archivis cameræ rationum Parisiensis, insequenti ad cathedram Nemausensem sublimatus ab Urbano V. pontificatus anno primo, ex schedis Suarezianis. Sane an. 1363. *Gaucelinus abbas Psalmodiensis, & modo episcopus Nemausensis, ac domini nostri papæ thesaurarius*, inter Guillelmam ex de Remolinis abbatissam S. Cæsarii Arelatensis una parte & Mabiliam de Resignano S. Cæsarii de Nyons priorissam ex altera concordiam fecit.

XXXVIII. Raimundus VII. e decano S. Egidii institutus abbas Psalmodiensis brevi pontificio Urbani papæ V. anno primo pontificatus, hoc est 1362. Obiit Avenione anno ejusdem Urbani tertio.

XXXIX. Guillelmus VII. Columbi monachus sancti Petri Montis majoris eodem anno Psalmodiensis abbas effectus est ad breve tempus.

XL. Petrus V. Lasteyrie filius Gerardi ex Margareta de Peyresumade, frater vero Guidonis equitis domini de Saillant regi a consiliis, senescalli & capitanei Ruthenensis agri, Psalmodiensi cœnobio præerat 29. Januarii anni 1368. quo frater ejus Guido de illo sic habet in testamento: *Lego reverendo in Christo patri & domino meo domino Petro Lasteyria germano meo vacellam argenti, quam sibi tradidi, cum fuit factus abbas.* Rexit ad annum quintum pontificatus Gregorii XI.

XLI. Petrus VI. antea sancti Albini Andegavensis abbas, alteri Petro in abbatiæ Psalmodiensis regimine subrogatur bulla Gregorii XI. data pontificatus anno V. ex actis pontificatus Avenion. Anno 1379. priorem de Petra viridi sibi subjectum in diœcesi Sistaricensi, quod minus bene se gereret, deposuit. Transegit cum incolis sancti Laurentii pro facultate pecora sua ad pastum ducendi, quam illis concessit 1384. Idem anno 1395. in capitulo generali Carcassonæ habito cœnobiorum Nemausensis & Uceticensis diœceseon visitator institutus est. In capitulo generali anni 1399. suffragia particularia decrevit pro defunctis monachis in omnibus a Psalmodio dependentibus ecclesiis: hæc inter notanda sunt: singuli sacerdotes pro quolibet defuncto tres

missas celebrabunt; clerici fratres & conversi 300. Pater & *Ave* recitabunt, abbas quindecim pauperes crastina die obitus alet, septem prior & officiales monasterii. Obiit 28. Aprilis 1400. apud S. Laurentium, ubi solent abbates residere, media leuca a Psalmodio, uti colligitur ex actis electionis Aimerici des Gardies ejusdem successoris.

XLII. Aimericus de Gardia, *de la Gardie*, seu de Gardiis, *des Gardies*, reperitur abbas 1400. & 1404. quo anno inter Antonium Magalonensem episcopum & ejusdem ecclesiæ canonicos querelam composuit, ex Gariello in serie episcoporum Magalonensium part. 2. pag. 119. Procuratorem misit anno 1409. ad concilium Pisis congregatum pro schismatis exstinctione, ex ejusdem actis tom. 6. spicil. & t. XI. concil. col. 2225.

XLIII. Arnaldus II. de S. Felice 1415.

XLIV. Petrus VI. Narbone. 1438.

XLV. Arnaldus III. de S. Felice, idem fortasse qui supra, Petrum Narbone æmulum passus, occurrit abbas 1439. & 1448. quo anno fuit definitor capituli generalis apud Carcassonam celebrati. Interfuit eodem anno die 4. Decembris elevationi corporum sanctarum Mariarum, cujus historiam rythmice recitavit Johannes Eustasii abbas Nizellensis. Adhuc præerat 1459.

XLVI. Guillelmus VIII. 1462.

XLVII. Guido Laureti, seu de Laureto protonotarius apostolicus & abbas Psalmodiensis memoratur an. 1484. in instrumento Capellæ, & adhuc 1486.

XLVIII. Jacobus de Beaune episcopus Venetensis fuit etiam abbas Psalmodii usque ad annum quo defunctus est 1510. vel 1511. statimque monachi e suo gremio Gisardum Pelet abbatem elegerunt, sed frustra, prævaluit enim

XLIX. Martinus de Beaune.

L. Reginaldus de Martigny episcopus Vabrensis Psalmodiensem abbatiam possedit usque ad obitum, qui contigit anno 1536. Insequenti Psalmodienses monachi in canonicos sæculares converti a Paulo III. pontifice obtinuerunt idibus Decembris, quo circiter tempore ob intemperiem aëris, suam in oppido Aquarum mortuarum fixerunt sedem; illicque paulo post debacchati sunt Calvinistæ, adeo ut sola ecclesia superstite cum parte dormitorii & claustri reliqua funditus perierint.

LI. B. de Fayolles Psalmodiensis abbas Lutetiæ morabatur 22. Maii 1566. ubi negotia comitis stabuli de Montemorenciaco curare videbatur.

LII. Marcus de Calviere cessit in gratiam fratris, postea præses in parlamento Tolosano, ex codice ms. mox laudando.

LIII. Johannes de Calviere superioris frater, ex ejus cessione abbas erat 1634. & 1635. ex codice ms. bibliothecæ D. de Coislin episc. Metensis notato 121. in bibliotheca sancti Germani a Pratis fol. 221. Vocatur Ludovicus in bulla erectionis episcopatus Alesiensis an. 1694. Cessit & ipse in gratiam nepotis Francisci de Calviere clerici diœcesis Nemausensis, pro quo ad hanc abbatiam promovendo scripsit rex ad cardinalem Barberin negotiorum Franciæ in curia Romana procuratorem, vacantem, inquit, per resignationem Johannis de Calviere ejus patrui in gratiam nepotis, sub retentione tertiæ partis redituum abbatiæ quoad viveret, præter aliam tertiæ partis fructuum ejusdem abbatiæ pensionem antea retentam in gratiam D. Marci de Calviere præsidis in parlamento Tolosano fratris Johannis abbatis, cui pridem Marcus resignaverat, ex memorato codice ms. ubi & exstant aliæ regis ad comitem Noallium suum in curia Romana legatum litteræ pro impetranda eidem Marco a pontifice memoratæ pensionis conservatione, ubi Marcus jam dudum abbatiam, in quam sibi servari pensionem postulat resignasse suo fratri dicitur. Abdicasse tamen dicitur Johannes de Calviere an. 1689. in gratiam novi episcopatus Alesiensis ex ipsius abbatiæ reditibus dotandi, pro qua Lyræ abbatiam obtinuit. Defunctus est mense Februario anni 1698.

Ch. IV. col. 257.

LIV. Franciscus Chevalier de Saulx primus Alesiensis episcopus hanc abbatiam suo uniendam episcopatui anno 1690. a rege impetravit.

DE MONASTERIIS

Quæ abbatialem hactenus titulum conservarunt.

Quatuor sunt, primum, quod olim virorum ordinis sancti Benedicti, nunc est collegium canonicorum sæcularium. Alterum monialium ordinis S. Benedicti, tertium virorum ordinis Cisterciensis, quartum denique Clarissarum virginum.

S. Egidius, abbatia sæcularis, *S.t Gilles*.

S. Salvator & S. Maria de Fontibus, seu de Fonte Nemausi, *Nostre-Dame de la Font de Nismes*, monialium ordinis S. Benedicti.

Francæ valles seu Libera vallis ord. Cisterciensis, *Franquevaux*.

Clarissæ Nemausenses.

S. EGIDIUS.

FUit olim abbatia Benedictina, nunc abbatialis & collegiata sæcularis ecclesia. Primam originem Carolo Martello & fundationem acceptas refert, si fides habenda codici recentiori ms. S. Egidii. Venerandæ quidem hoc cœnobium antiquitatis est, sed profecto non tantæ, quæ suam a sancto ipso Egidio repetere possit originem, maxime si sit ille Egidius abbas, qui una cum Messiano notario Romam directus a Cæsario est, ut libellum Symmacho papæ offerret ad renovanda privilegia sedis Arelatensis. Tam vero intricata sunt acta, quæ de hoc sancto circumferuntur, ut vix in eis quidpiam certi reperias. E Græcia unde oriundus ex regia stirpe erat, in Galliam accessisse ad Cæsarium Arelatensem episcopum tradunt, sed cum deinde Aurelianos a Carolo Francorum rege accitus fertur, qui ducentis post annis a Cæsario vixit, quam fidem talia merentur? Sed idem fuerit Egidius Græcus abbas, quem Cæsarius cum Messiano ad

T. 4. concil. col. 1310.

Symmachum papam direxit; is ex ipsius vulgatis actis, transmisso Rhodano se adjunxit Veredemio eremitæ; dein in secretiorem locum penetravit, ubi cum cervæ lacte pasceretur, a Flavii Gothorum regis venatoribus, cerva ad eum refugiente, deprehensus fuit; idemque postea Flavio auctor fuit condendi cœnobii, quod ipse rexit. Dicebantur quidem Flavii omnes Gothorum reges, sed cum omnes Arianæ sectæ addicti fuerint, quis putat Amalricum, qui tempore Cæsarii Septimaniam obtinuit, aut quemvis alium de condendo monasterio cogitasse? Ita fere Mabillonius annalium tom. I.

Sed tamen Cointius haud inane putat Visigothorum opus esse monasterium, dictum primo S. Petri, deinde ab instauratione sub Francis nomen S. Egidii sortitum. Quam quidem sententiam haud parum elucidant nuperi rerum Occitanarum scriptores, dum in fundo sibi a Flavio, quem Theodoricum Italiæ regem interpretantur, tradito S. Egidium condidisse monasterium volunt, cujus ipse primus abbas fuerit. Vide tom. I. nota LXV. pag. 666. Utcumque sit, in valle Flaviana prope Nemausum uno quadrante leucæ ab Rhodano situm, inter Septimaniæ monasteria, quæ regi solas orationes debebant, primum nominatur in constituto Ludovici Augusti cognomento Pii de monasteriis regni Francorum an. 817. in concilio Aquisgranensi; tanto subinde peregrinorum concursu ob tumulum sancti patroni frequentatum, ut lapsu temporis in urbem amplissimam excreverit, a qua & comites Tolosani comites quoque S. Egidii voluerunt appellari, & ubi concilium circa 1050. habitum est. Sui vero primum hæc abbatia juris exstitit, tum visa est episc. Nemausf. jurisdictioni obnoxia, a qua Gregorius VII. papa illam exemit epist. 68. lib. I. ad Froterium episc. Nemausensem, qui abbatem S. Egidii a Romano pontifice consecratum capere præsumserat, & nuper cœnobium interdixerat, quod, ait papa, idem gloriosus confessor juri B. Petri tradidit. Ipsum dein ex parte saltem in jus devenit Pontii (comitis Ruthen. & Nemausf.) qui dimidiam illius partem sponsæ suæ Majoræ undecimo mediante sæculo concessit, uti legere est charta VIII. inter instrumenta ecclesiæ Albiensis tom. I. col. 4. At paulo post beneficio alterius Pontii, conjugis Almodis, & filii ejus Raimundi translatum fuit in Cluniacensium disciplinam & potestatem an. 1066. qua de re ingens olim inter utriusque loci abbates controversia exarsit, quam Innocentius papa II. epist. 33. ad Petrum venerabilem Cluniacensem abbatem exstinxit. Sic igitur ab omni dominio liberum monasterium; suumque in oppido & ipsius territorio in clerum & populum spirituale ac temporale per abbatem exercens, merumque & mixtum imperium habens, floruit plus minus sub ordine sancti Benedicti usque ad annum 1538. 17. Augusti quo monachi in sæculares canonicos mutati sunt bulla Pauli papæ III. ex qua discimus ea tunc in ecclesia fuisse commendatarium abbatem, priorem majorem, decanum, priorem claustralem ad nutum abbatis revocabilem, camerarium, eleemosynarium, infirmarium, operarium, hospitalarium, præcentorem, correarium (coquum) archidiaconum, cellerarium, succentorem, & tres sacristas, nempe duos pro altari S. Egidii, & alterum pro sacristia S. Petri *de Via sacra* nuncupata, necnon priorem prioratus non conventualis B. Mariæ Magdalenæ prope & extra muros dicti oppidi, officiales claustrales, ac denique his computatis, LX. & forte amplius monachos, quorum omnium loco instituit pontifex unum abbatem vere sæcularem, qui æque ac si regularis esset, dominus foret spiritualis & temporalis urbis & totius territorii S. Egidii, unum decanum, majorem & minorem archidiaconos, qui principales dignitates, sacristam unum, præcentorem & thesaurarium, qui personatus habeantur, ac decem[a] & octo canonicatus majores, computatis decano, duobus archidiaconis, sacrista, præcentore & thesaurario, tredecimque canonicatus & præbendas minores. Notatu vero haud indignum judicamus bullæ hujus fulminationem, ut vocant, a Pontio de Ranco abbate Francarum vallium, altero a sede apostolica delegatorum factam apud S. Egidium die 11. Maii 1539. irritam quoad unionem beneficiorum cum mensa capitulari, declaratam fuisse placito majoris consilii anno 1550. 28. Junii. Unde plures canonici ut ad monachatum redirent libellum supplicem regi obtulerunt; iterumque circa 1653. suo duce decano Christophoro de Villy supplices litteras privato regis consilio dederunt, vel ad obtinendum plenarium bullæ *sæcularisationis* effectum, vel ad suam ecclesiam ordini Benedictino sub reformata S. Mauri congregatione restituendam. Suo tamen hactenus utrumque caruit effectu, tametsi pene ad exitum perducta ista reformatio visa est an. 1655.

Nunc de abbatibus dicendum, quorum seriem nos debere potissimum studio & humanitati reverendi patris Gaspardi Loys Minoritæ conventualis animi gratitudo prætermittere non sinit.

T. 9. concil. col. 1082.

T. X. concil. col. 55.

Ch. XII. col. 177.

T. X. concil. col. 963.

Charta XXXVI. col. 205.

Ibid. col. 222.

SERIES ABBATUM.

I. S. EGIDIUS conditi a se monasterii sub S. Petri patrocinio primus fuit abbas jam ab anno saltem 514. quo, ut supra diximus, a S. Cæsario ad Symmachum papam missus est. Ejus festivitas celebratur die 1. Septembris, cujus corpus hæresi grassante Tolosam translatum, ibidem in ecclesia S. Saturnini honorifice requiescit; basilicæ vero S. Egidii dedicatio anniversaria celebritate recolitur VI. idus Octobris.

II. Atticus sedisse octavo sæculo inibi præfectus a Carolo Martello cœnobii fundatore dicitur a Stephanotio nostro, laudante codicem mss. S. Egidii sed recentiorem.

III. Christianus episcopus Nemausensis hanc abbatiam in valle Flaviana sub titulo S. Petri

[a] Tempore Francisci de Nogaret abbatis solummodo quindecim erant, nempe tres prædictæ dignitates, totidemque personatus, & novem canonici, cum aliquot beneficiatis, quorum numerus minime notatur, qui postea tamen cura & studio Christophori de Villy decani meritissimi numero quindecim admissi sunt.

possedisse legitur ex dono Ludovici Pii impera- A toris anno I. ejus imperii.

IV. Leo suum obtinuit cœnobium an. 878. liberum esse a dominio Gilberti episcopi Nemausensis, ex pontificio Leutevensi pag. 32. Vide Andoquum lib. 8. p. 243. Catellum hist. comitum Tolos. lib. I. cap. XI. pag. 80. Baluz. tom. 7. Miscellan. pag. 349. & 351. ac denique tom. 2. novæ historiæ Occitaniæ pag. 5.

V. Autulphus vel Antulphus præerat 925. ex Sammarthanis : quo sedente e terra levatæ sunt sacræ S. Egidii exuviæ, uti legitur in pontificio Arelat. auctore Saxio pag. 188.

VI. Rangefridus ex abbate S. Egidii evasisse B dicitur episcopus Avenionensis circa annum 940. Vide tom. 2. hist. Occit. pag. 81.

VII. Giraldus reperitur anno Roberti regis octavo in synodo episcoporum & nobilium habito super reædificando Psalmodiensi cœnobio, tom. 12. fragm. Stephanotii nostri pag. 200. Idem anno XXVI. ejusdem regis *lege* XXIV. hoc est 1020. die Jovis XIII. cal. Novembris testis laudatur in charta Bernardi Pelet militis domini de Andusia & filiorum ejus Fredoli Aniciensis & Geraldi Nemausensis episcoporum, &c. in gratiam ecclesiæ Nemausensis. Subscripsit anno 1025. mense Novembri chartæ electionis Judi- C thæ primæ abbatissæ S. Genesii in diœcesi Magalonensi.

Ch. VII. col. 348.

VIII. Galterius anno 1032. ab Eldeberto, Ermengarda conjuge & liberis Eldeberto & Garaco abbatiam sancti Eusebii diœcesis Aptensis accepit.

Ch. X. col. 176.

IX. Virgilius, quo suadente una cum Rainaldo & Guiraldo ejusdem loci monachis, Raimbaldus quidam, uxor & liberi, cum suo fidele Arnaldo Octaviense, uxore & omnibus liberis ecclesiam sancti Maximi de Medenis diœcesis Arausicensis, quam injuste possidebant, S. Egidii cœnobio dimiserunt. Factum est hoc V. cal. April. regnante D rege Henrico an. 1044.

X. Ermengardus Andaonensis abbas circa 1050. deinde S. Egidii, post annos septem istic obiisse dicitur a Mabillonio, tom. 4. annalium pag. 522. de quo nihil aliunde rescire licuit.

XI. Beraldus interfuit an. 1060. Avenionensi concilio per Hugonem Cluniacensem abbatem sedis apostolicæ legatum celebrato, ex hist. ms. Avenionensi, auctore D. Polycarpo de la Riviere doctissimo Carthusiano. Adstitit 1068. concilio Tolosano, mendose Bernardus appellatus tom. 2. hist. Occit. pag. 221. Legitur & præsens Cabilonensi concilio VI. nonas Martii an. 1072. ce- E lebrato per Geraldum Ostiensem episcopum sedis apost. legatum, cujus acta publicavit D. Edmundus Martenne tom. 4. anecdot. col. 97. Regebat itaque Beraldus, quando 1066. Almodis comitissa & Raimundus Ruthenensis & Nemausensis comes ejus filius hanc abbatiam Hugoni Cluniacensi abbati ejusque in perpetuum successoribus ordinandam tradidere, quorum litteris Bernardus Vabrensis abbas subscripsit. Ad ejusdem etiam fortasse tempus referenda est epistola Gregorii VII. papæ ad Froterium episcopum Nemausensem,

T. 9. concil. col. 1197.

Ch. XII. col. 177.

quem graviter redarguit, quod monasterium S. Egidii, B. Petro ab ipso sancto confessore mancipatum usque adeo affecisset injuriis, ut ejusdem abbatem, a Romano pontifice consecratum ausus esset capere, spreto rigore canonum, contemtisque privilegiis ab apostolica sede derivatis, quæ res in Romanæ ecclesiæ contumeliam vertat. Addit sibi displicere, quod prædictum cœnobium interdixerit, præcipitque ut deinceps ejus loci fratres nullo modo perturbet. Data Romæ XI. calend. Aprilis indict. XII. hoc est anno 1074. Attamen post biennium abbas S. Egidii ab eodem Gregorio papa excommunicatus fuit in concilio Romano an. 1076. fortasse quia Cluniacensi abbati obedientiam denegabat.

XII. Benedictus solo nomine cognitus ex necrologio S. Andreæ secus Avenionem ubi notatur ejus obitus dies XI. Maii, & anniversarium habere dicitur.

XIII. Odilo memoratur præsens synodo Nemausensi, in qua Raimundus comes Tolosanus coram Urbano II. papa & pluribus episcopis, illi omnes honores dimisit, quos tam in villa sancti Egidii, quam extra, juste vel injuste possidebat. Actum an. 1096. ind. IV. septima (*lege* sexta) feria, IV. idus Julii regnante Philippo rege. Hanc restitutionem in concilio Tolosano pridem factam laudaverat & confirmaverat idem pontifex bulla data XII. cal. Martii pontificatus anno septimo, quæ relecta & approbata postmodum fuit in concilio Placentino. Ex urbe Nemauso in Italiam repedans Urbanus papa adivit monasterium sancti Egidii, ubi Raimundi comitis donationem confirmavit, aram basilicæ novæ omnipotenti Deo consecravit, & monasterium ecclesiæ Romanæ subdidit, ut constat ex diplomate dato apud Avenionem in monasterio S. Andreæ XI. cal. Aug. anno 1096. Alterum eodem anno & in eadem urbe Odiloni abbati & monachis sancti Egidii, quos *tamquam oculi sui pupillam* vult haberi, privilegium concessit pridie idus Septembris, in quo se B. Egidii amore Nemausensem episcopum, qui monachis illis infensus erat, auctoritate sua cum iisdem reconciliasse declarat. Eodem insuper anno Raimundus comes Tolosanus Jerosolymam iturus factam in concilio Nemausensi cessionem de qua supra, ratam habuit apud S. Egidium in capitulo monasterii, præsentibus Odilone abbate & monachis, litteris datis quas *se vidisse & audivisse* tunc temporis monachi Sanctegidiani, Petrus postea Narbonensis archiepiscopus, & Raimundus subinde præsul Aptensis scripto testati sunt XI. cal. Novembris an. 1151. Scribit Albericus in Hungaria sanctum regem Ladislaum Belæ pugilis filium *nobilissimam abbatiam de Sentigis, in qua non solent recipi nisi Franci* fundasse memorari. Quænam illa sit abbatia discimus ex diplomate Paschalis II. inscripto *Hugoni abbati monasterii sancti Egidii, quod in valle Flaviana situm est* prope Nemausum, Galliæ Narbonensis civitatem. In hoc enim diplomate legitur, quod Latislavus, bonæ memoriæ Hungarorum rex ad honorem Dei & SS. apost. Petri & Pauli, in memoriam

T. 10. conc. col. 609.

Ch. XVI. col. 182.

Spicil. t. 6. pag. 21.

Ch. XVIII. col. 184.

Baluz. Miscell. tom. 2. pag. 183.

ſancti confeſſoris Egidii Semichenſem fundavit eccleſiam, & eam per manus Odilonis felicis memoriæ prædeceſſoris ipſius Hugonis, prædicto S. Egidii obtulit monaſterio, ubi ejus venerabile corpus requieſcit. Denique Odilo an. 1097. IV. idus Aprilis Ricardo abbati S. Victoris Maſſilienſis conceſſit locum in burgo ſancti Egidii ad ædificandum hoſpitium, ex magno chartario S. Victoris fol. 41. Fortaſſe hic eſt, qui ſub nomine Odonis memoratur IV. cal. Aprilis in necrologio S. Roberti de Cornilione tom. 6. fragm. Stephanotii noſtri pag. 2.

XIV. Stephanus Odiloni ſucceſſit exeunte ſæculo XI. aut ineunte XII. Ait enim Petrus Narbonenſis archiepiſcopus in allato ſupra teſtimonio anni 1151. *Vidi quod abbas Odilo, Stephanus & Hugo libere & abſque impedimento poſſederunt & habuerunt omnia quæcumque comes* (Raimundus) *poſſederat in villa & territorio S. Egidii.* Idem quoque teſtatur Raimundus Aptenſis epiſcopus his verbis: *Vidi quod abbas Odilo, Stephanus & Hugo diu tenuerunt & poſſederunt per ſe, vel per alios, omnes poſſeſſiones, omnia uſatica, quæ comes poſſederat in villa & territorio S. Egidii.* Addit: *Vidi præterea & audivi quod Bernardus Petri Engerii ſpecialiter recognovit abbati Stephano vicariam totius villæ S. Egidii; & omnia alia quæ habebat vel poſſidebat in villa & territorio ſancti Egidii, feudi titulo, nomine S. Egidii habebat & poſſidebat.* Is autem eſt Stephanus Blancus qui poſt mortem pœnas acerbas paſſus fuiſſe dicitur, quod *in multis & ante abbatiam, & poſtmodum deliquiſſet*, ob idque preces ab Hugone Cluniacenſi abbate depoſcebat. Legendus ea de re Petrus Venerabilis lib. I. miraculorum cap. X. in bibl. Cluniac. col. 1266.

Prob. hiſt. Occit. t. 2. col. 537.

XV. Hugo I. ex dictis ſuperius Stephanum excepit in præfectura. Ei Paſchalis II. papa abbatiam S. Egidii Semichenſis, a Ladiſlao Hungariæ rege fundatam, ac per manus Odilonis abbatis oblatam monaſterio Sanctegidiano confirmat eo pacto, ut quicumque Semichenſis abbas fuerit, abbati monaſterii S. Egidii obedientiam profiteatur & perſeveranter obſervet; negotia vero, quæ monaſterio Semichenſi acciderint, ſolo regis judicio terminentur. *Datum Parmæ per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis & bibliothecarii IV. nonas Novembris, indict. XV. anno Dominicæ Incarnationis MCVI. pontificatus autem domni Paſchalis II. papæ octavo.* Incœpta eſt major abbatiæ S. Egidii baſilica menſe Aprili an. 1116. ut probat inſcriptio ſequens ſculpta in clauſtro juxta parietem eccleſiæ: *Anno Domini MCXVI. hoc templum S. Ægidii ædificari cœpit menſe Aprili feria II. in Octaba Paſchæ.* Hanc autem baſilicam inferior eccleſia & rudera ſuperioris tam eleganti opere exſtructam fuiſſe teſtantur, ut cum Julio papa II. vix in toto Galliæ regno ſimilem inveniri potuiſſe quivis audacter poſſit aſſeverare. Verum debacchante hæreſi Calviniana annis 1562. & 1622. devaſtata & maxima ex parte diruta hactenus ſub ruinis ſepulta jacet. Ceterum dum nova ſancti Egidii baſilica exædificaretur, duo miracula patrata ſunt, quæ Petrus Guillelmus ejus loci monachus & bibliothecarius inſeruit libro de miraculis S. Egidii, quem ſui abbatis Hugonis juſſu compoſuerat, ſub hac inſcriptione: *Reverendiſſimo patri domno Hugoni abbati monaſterii S. Egidii, quod in valle Flaviana ſitum eſt, frater Petrus cognomento Guillelmus, ejuſdem loci bibliothecarius, debitum in omnibus ut filius famulatum:*

Ch. XXII. col. 189.

Dum enim, inquit auctor, *anno Incarnationis Dominicæ MCXVI. fundamenta baſilicæ novæ poneremus, quia eccleſia alia minus continens erat, & multitudinem adventantium capere non poterat, ſubverſioni eccleſiarum operam dedimus. Cum autem eccleſiam majorem, quæ cum tribus cryptis, maximis & quadratis lapidibus antiquitus exædificata fuerat, deſtrueremus, necnon eccleſiam S. Petri, quæ octoginta fratres in choro capere poterat, ſimul cum porticu lapidea, quæ ei adhærebat, a parte Septentrionis & a capite ſuperioris eccleſiæ uſque ad extremitatem eccleſiæ S. Petri in longum protendebatur, in qua fratres ad proceſſionem diebus ſolemnibus egredi ſoliti erant, & antiquitus Via ſacra vocabatur, necnon & eccleſiam S. Mariæ deſtrueremus, mira virtus omnipotentis Dei patefiebat. Inter tot quippe moles ruinarum & ædificiorum corruentium, beato Egidio interveniente, & plebem fidelem defendente, nunquam aliquis ingredientium & egredientium eccleſias ipſas, lapidis unius ictu attaminatus eſt, &c.* Anno 1118. Gelaſio papæ II. S. Egidium adventanti obviam ivit Hugo abbas cum fratribus, eumque honorifice excepit, ex hiſtoria paparum auctore Ducheſne tom. 2. pag. 80. Addit Pandulfus cardinalis in vita ejuſdem papæ n. 16. Hugonem abbatem huic pontifici diu ibidem cum frequenti comitatu moranti ſumtus liberaliſſime ſuppeditaſſe, & equos decem obtuliſſe. Gelaſii ſucceſſor Calixtus II. apud Magalonam exiſtens privilegia monaſterio conceſſa Hugoni abbati confirmavit bulla data IV. calend. Julii indictione XII. hoc eſt 1119. Eidem Raimundus Uceticenſis epiſcopus anno 1121. menſe Junio feria V. dedit Hugoni abbati & monachis ſancti Egidii eccleſiam de Cambonaz cum juribus & pertinentiis. Donationis chartam firmarunt Bertrannus præpoſitus Ucetićenſis, Raimundus abbas S. Privati & alii multi. Hiſce temporibus Hugo abbas totuſque conventus ab Ildefonſo comite e monaſterio ejecti querimoniam detulerunt Calixto papæ, qui comitem excommunicationis vinculo innodavit, & ſubditos ejus ab obſequio & fidelitate ſubtraxit, donec monaſterium reſtitueret. Exſtat ea de re epiſtola pontificis data Laterani X. cal. Maii ad Attonem præſulem Arelatenſem, Raimundum Barchinonenſem comitem, & Gaufredum Porcelletum, qua eos adhortatur, ut Hugoni abbati & monachis Sanctegidianis auxilium impendant, ex archivo marchionis de Porcellet domini de Maillane. Hic forſan eſt Hugo memoratus in necrologiis S. Andreæ ſecus Avenionem & canonicæ XVII. cal. Aug. aut idibus Auguſti in necrologio Dervenſi.

Prob. hiſt. Occit. t. 2. col. 408.

XVI. Petrus Hugoni mortuo, cum tunc belli fragor in patria ſtreperet, a Calixto II. ſubrogatus

fuit, salvo jure Cluniacensis monasterii, ut docet Honorius II. Calixti successor in suis ad eumdem Petrum litteris, quibus jubet ut ad Cluniacum tendat Petro abbati Cluniacensi sponsurus obedientiam. Imo vero idem Honorius pro conservanda in abbatiis S. Egidii, S. Bertini, & sancti Benedicti super Padum religione eas circa annum 1124. Petro Cluniacensi abbati reformandas tradidit, salvo jure S. R. E. Datum Laterani IV. nonas Aprilis. Litem nihilominus habuit Petrus abbas S. Egidii cum Petro Cluniacensi abbate pro libertate sui monasterii, quam Innocentius papa II. qui a Petro Leonis pseudopontifice an. 1130. Roma exire coactus ad S. Egidium se contulerat, terminavit 1132. ut constat ex ipsius diplomate dato Valentiæ pridie idus Martii pontificatus anno tertio ad Petrum sancti Egidii abbatem, & alio ad Petrum Cluniacensem dato ibidem VIII. calendas Martii ejusdem anni. Subscripsit Petrus abbas sancti Egidii anno 1134. cujusdam domus oppignerationi factæ Bernardo Arelatensi archiepiscopo. Memoratur eodem anno P. abbas sancti Egidii in conventu Monspeliensi, ubi ecclesia de Beciano Sanctiberianis monachis attributa fuit; cumque iterum ea causa Stephanum inter Casæ Dei abbatem & Ademarum S. Tiberii in concilio Uceticensi retractata fuisset an. 1139. ejusdem compositioni factæ a Guidone sedis apost. legato subscripsit. Idem in bulla Innocentii II. data hoc anno pro cœnobio Juncellensi dicitur una cum Guillelmo Nemausensi & Everardo Uceticensi episcopis & Petro Massiliensi abbate de consensu partium concordiam procurasse in palatio Lateranensi Juncellensem inter & Psalmodiensem abbates. P. abbas testis laudatur 1146. in quadam B. Atonis vicecomitis Nemausensis facta Rostagno de Pusqueriis oppigneratione. Ei Petrus Sistaricensis episcopus ecclesiam S. Mariæ & S. Mauricii in castro de Roca concessit, testibus Guillelmo præposito & ejusdem ecclesiæ canonicis. Factum est hoc regnante Conrado Romanorum imperatore III. idus Junii feria prima luna XII. epacta XII. hoc est 1150. Denique Petrus ad archiepiscopatum Narbonensem assumtus est, quem certe jam administrabat XI. cal. Novembris, ut liquet ex allato supra in Odilone abbate ipsius testimonio, ubi quod ad rem præsentem facit additur: *Vidi, inquit, & audivi quod Bernardus Petri, &c. specialiter recognovit abbati Hugoni vicariam totius villæ S. Egidii, &c. & idem postea fecit mihi Petrus Engerius filius ejus.* Notatur ejus obitus IX. cal. Novembris in necrologio Andaonensi. Fortasse vero is est Petrus cognominatus *de Situlvero*, de quo in antiquis monasterii consuetudinibus legitur: *Helemosynarius debet facere bene & honeste sepulturam fratribus defunctis, & famulus, qui eam fodit, debet ipsa die tantum comedere in refectorio, & debet recipere pauperes, & debent esse duodecim, unus debet esse pro domino P. de Situlvero archiepiscopo & abbate, duo pro Psalmodio, &c.*

Ch. XXIV. col. 190. — T. 1. Anecd. Martenn. col. 363. — Chron. Andrensis monast. spicil. tom. 2. novæ edit. — Ch. XXV. col. 191. T. 10. conc. col. 963. — Ch. VII. col. 318. — Ch. X. col. 321. — Ch. XI. col. 136.

XVII. Bertrandus de sancto Cosma primum innotescit ex bulla Adriani papæ IV. data Laterani idibus Decembris, qua eum pontifex ab archiepiscopi Narbonensis sedis apostolicæ legati, aut alterius cujuscumque, nisi legatus esset a latere, jurisdictione absolvit, ac pro ejus ecclesiæ dignitate usum mitræ illi concedit. Anno 1155. Sabbato 15. Januarii regnante Francorum rege, qui tum ex peregrinatione S. Jacobi revertebatur, præsens memoratur, quando Ermengardis vicecomitissa Narbonensis pravæ auferendi & occupandi bona decedentium archiepiscoporum consuetudini renunciavit. Dedit hortum fratribus militiæ Templi sancti Egidii Bertrandus abbas eodem anno X. cal. Febr. necnon factæ ab iisdem cujusdam domus emtioni præbuit assensum V. cal. Febr. 1156. ex chartario domus militiæ Templi S. Egidii fol. 1. & 14. *verso*. Idem anno seq. Raimundo hospitalis Jerosolymitani magistro facultatem concessit oratorium & campanile in loco S. Egidii ædificandi. Actum in præsentia Aldeberti Nemausensis, & Petri de Sabrano Sistaricensis episcoporum, Arnaldi Sendracensis abbatis & aliorum. Dux Narbonæ Raimundus, Tolosæ comes & marchio Provinciæ cum sua conjuge Constantia regina, Francorum regis sorore dedit Deo & B. Egidio, necnon Bertrando abbati & monachis præsentibus & futuris pratum *de Bions*, quamdamque paludem quæ ad territorium de Bions pertinere videbatur, iisdem vendidit pretio 2200. solidorum Melgoriensium an. 1160. Reperitur idem abbas in instrumento Guillelmum inter dominum Montispessulani & dominos de Piniano initæ concordiæ an. 1162. Scripsit epistolam Bertrandus abbas ad Ludovicum Francorum regem, ad quem plurimas aromatum species miserat, in qua conqueritur de comite S. Egidii, qui *pedatica* injusta ab hominibus S. Egidii exigebat; rex autem ei jura & possessiones monasterii confirmavit litteris datis apud Stampas an. 1163. regni 27. Arelatense capitulum, seu Raimundus archiepiscopus nonnullas ei decimas concessit an. 1158. ex Arelatensi tabulario; quo etiam anno memoratur in charta Raimundi Tolosani comitis pro Hugone Diensi episcopo. Denique an. 1168. mense Junio B. abbas occurrit, sed male 1170. in donatione Rostagni Guillelmi facta Bertrando abbati Francarum vallium, t. XII. fragm. Stephanotii nostri pag. 170. ubi littera B. irrepsit pro R. hoc est Raimundo, qui sequitur: Bertrandus autem locum habere dicitur in necrologio Andaonensi V. idus Maii.

Prob. hist. Occit. t. 2. col. 585. — Duchesne t. 4. script. hist. Franc. pag. 736.

XVIII. Raimundus vocatur electus abbas S. Egidii an. 1169. in litteris Ludovici Francorum regis abbatiæ privilegia eidem confirmantis, quæ Bertrando antecessori contulerat, ex archivo regio Monspeliensi. Idem dum inauguratur fidei sacramentum domino R. sanctæ Mariæ in via lata diacono cardinali nomine Alexandri papæ III. præstat, seseque obstringit jurejurando invisurum singulis annis ecclesiam Romanam, sed ab hoc eum sacramento pontifex absolvit, indulgens, ut quolibet tantum biennio per se vel per nuncium sedem apostolicam visitaret. Datum Verulis VIII. idus Augusti. Hunc subinde pontificis existimationem

existimationem ac benevolentiam sibi conciliasse ex eo colligitur, quod ipsi & Egidiano monasterio papa litteris datis tum Ferentini III. idus Maii, tum Anagniæ XI. calend. Julii abbatiam S. Trinitatis de Altorio recens in territorio Arelatensi constructam subdiderit, adeo ut nullus ibi deinceps promoveretur abbas, nisi prius in ecclesia sancti Egidii regulam S. Benedicti professus obedientiam promisisset. Hic est haud dubie R. abbas S. Egidii, qui una cum A. Nemausensi episcopo delegatus fuit ad componendas inter canonicos ecclesiæ Ruthenensis & S. Amantii monachos controversias, maxime pro sepulturis, quas alibi quam apud S. Amantium, nisi forte episcopi & canonicorum seu clericorum majoris ecclesiæ, facere vetitum erat. Denique Raimundus nonnulla prædia in damnum sui monasterii abalienasse dicitur in duobus Alexandri papæ III. ad Ermengaudum successorem rescriptis, datis Laterani V. idus Junii & XVI. cal. Julii.

XIX. Ermengaudus haud minus quam antecessor Alexandrum pontificem benevolum expertus est; ab eo videlicet privilegiorum confirmationem accepit, & maxime juris ecclesias villæ S. Egidii sacris interdicendi, a clericis obedientiam accipiendi, ac tam clerum, quam populum ligandi aut solvendi, sicut ab annis 40. eo potiti fuerant antecessores. Datum Laterani per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii, IV. nonas Julii indict. XII. Dominicæ Incarnationis anno MCLXXIX. pontificatus XX. Sub hoc etiam tempus idem pontifex celebri admodum, & per orbem universum famoso S. Egidii monasterio regendam ac disponendam abbatiam S. Gervasii diœcesis Arelatensis commisit, bulla data Anagniæ XIII.* cal. Januarii. Anno 1180. Henricus Albanensis episcopus sedis apostolicæ legatus, ad terminandam litem jam pridem agitatam Raimundum inter Arelatensem præsulem & Mathildem S. Laurentii Avenionensis abbatissam pro ecclesia Castri veteris delegavit A. Nemausens. episcopum & Ermengaudum S. Egidii abbatem, qui hoc ipso anno mense Octobri causam amicabili compositione definierunt apud S. Egidium in ecclesia Hospitalariorum, præsentibus P. episcopo & R. præposito Avenionensibus, ex authentico viridi archiepisc. Arelat. fol. 315. Eidem abbati Lucius papa III. litteris datis Velletri calendis Februarii indulsit, ut non obstante quolibet appellationis effugio monachorum excessus punire posset & infligere pœnas regulares. Memoratur adhuc Ermengaudus abbas in pluribus documentis authenticis domus militiæ Templi S. Egidii ad annos 1183. 85. 88. 90. 94. & 1195. Eodem circiter anno Cœlestinus papa III. Tolosanum comitem monuit, ut quæ damna e constructione castri in allodio cœnobii S. Egidii, & ejusdem ecclesiarum de Asperano & de Scieura hostili invasione, huic cœnobio intulerat quantocius satisfactione congrua repararet, alioquin se Bituricensi, Narbonensi, Arelatensi & Aquensi archiepisc. eorumque suffraganeis mandasse significavit, ut ipsum, bajulos omnes, fautoresque excommunicationis jaculo ferirent, totamque ipsius terram ecclesiastico subjicerent interdicto. Datum Romæ apud S. Petrum calendis Martii pontificatus anno quinto. In hac quidem bulla haud exprimitur Ermengaudi nomen, sed profecto hæc pontificis verba de ipso intelligi debent: *In quibus ædificiis* (ecclesiæ scilicet de Asperano) *dilectus noster abbas S. Egidii plusquam LX. millia solidorum se asserit expendisse.* Notatur ejus obitus dies X. cal. Maii in Andaonensi necrologio.

* XVIII. tom. I. col. 601.

XX. Rainerius haud dubie is est qui prima nominis littera R. designatus ea bona dedisse legitur Pontio Liberæ vallis abbati, quæ Bernardus Petri cœnobio S. Egidii reliquerat, anno, inquit Stephanotius noster tom. XII. fragm. pag. 172. MCLXXXV. pro quo legendus MCXCV. Certe ut primum Innocentius III. summum adeptus est pontificatum, fratri Rainerio legato suo permisit, ut si comes Tolosanus vellet satisfacere, accepta sufficienti cautione eum ab excommunicationis vinculo, quo innodatus erat, absolvere posset. Datum Romæ apud S. Petrum X. calendas Maii pontificatus anno primo. Abbas & monachi S. Egidii anno sequenti 1199. apud eumdem pontificem conquesti sunt, Raimundum comitem Tolosanum nedum, uti piæ recordationis Cœlestinus III. præceperat, castrum *Mirâ petrâ* nuncupatum diruisse, quin potius novo opere munivisse; quamobrem Innocentius Arelatensi archiepiscopo, & fratri Rainerio sedis apost. legato mandavit, ut secundum antecessoris decretum comitem ad castrum diruendum cogerent. Datum Laterani III. idus Julii pontificatus anno secundo. Minime tamen dissimulabo hunc Rainerium nullibi abbatem vocari præterquam a Stephanotio nostro, & quidem haud alia subnixo ratione, quam prædictis annorum 1198. & 1199. bullis Innocentii III. ubi certe mirari subit fratrem Rainerium legatum ab ipso creditum fuisse abbatem. Prosequar nihilominus sub hoc articulo quæ de monasterio, & abbate tacito nomine, reperi, donec alicujus abbatis nomen occurrat. Anno 1202. Arelatensis præsul cum S. Egidii & Vallis magnæ abbatibus ab Innocentio papa missus fuit ad monasterium sancti Guillelmi, ut spontaneam Hugonis abbatis cessionem notam facerent, quatenus monachi alium sibi abbatem auctoritate apostolica præficere possent. Datæ sunt hæ litterræ in monasterio Sublacensi VIII. idus Aug. anno pontificatus V. In fragmento veteris inventarii archivi Sanctegidiani hæc leguntur: *Item una bulla cujus plumbus propter ejus vetustatem cecidit, incipiens: Innocentius episcopus, &c. directa per SS. dominum nostrum papam P. de Castro-novo & magistro Rad. monachis Fontis frigidi sedis apost. legatis, tenore cujus eisdem legatis mandabatur, quod licet abbas S. Egidii satis in religione servanda providus & in cura temporalium sollicitus fuerit, quidam tamen monachorum suorum invidiæ stimulis provocati, ejus famam lædere præsumentes super dilapidatione monasterii & aliis quibusdam criminibus querimoniam erga A.* præfatum ad SS. dominum nostrum papam deposuerunt, & propterea mandat præfatis judicibus delegatis, ut veritate inquisita, præfatos monachos de sua*

* Numquid hic abbas in simulatus?

præsumtione in eorum abbatem puniant & castigent, appellatione remota, ut latius in dicta bulla continetur concessa Laterani VII. cal. Octobris pontificatus prædicti domini Innocentii papæ anno nono. Scriptum in dorso *Bullæ veritas.*

XXI. Pontius I. præerat an. 1208. quo Innocentius III. papa in ejus gratiam bona, privilegia & jura monasterii, ac præsertim initas cum Johanne Nemausensi & Raimundo Ucceticensi episcopis de quartonibus ecclesiarum transactiones confirmavit. Datum Laterani per manum Johannis S. Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, II. idus Nov. ind. XII.* Dominicæ Incarn. 1208. pontificatus an. XI. Huic diplomati abbatiarum, prioratuum, & ecclesiarum a monasterio dependentium inserta sunt nomina adinstar diplomatis Calixti II. Eodem anno frater Petrus de Castro-novo Fontis frigidi Cisterciensis ordinis monachus & sedis apost. legatus ad portum Rhodani ab hæreticis Albigensibus trucidatus est. Corpus ejus in claustro monasterii S. Egidii tumulatum, anno sequenti translatum est in ecclesiam, ubi ex speciali S. sedis apostolicæ licentia honore debito colebatur, sed an. 1562. ecclesia a Calvinistis occupata, Petri de Castro-novo, aliorumque sanctorum reliquiæ dissipatæ sunt, ex Bailleto in ejus vita, & ex variis Innocentii papæ III. epistolis editionis Baluzianæ. Omnia jura, quæ Pontius abbas in oppido S. Egidii acquisierat, ei Philippus rex Francorum confirmavit. Actum Parisiis anno ab Incarnatione 1210. regni 32. Habitum est hoc anno concilium in cœnobio Sanctegidiano, vide annales ecclesiæ Massiliæ auctore Guesnaio p. 344. Ejusdem abbatis fit mentio in epist. 49. lib. 15. & in epist. 40. lib. 16. Innocentii III. edit. Baluzianæ. Recensetur cum A. Nemausensi episc. inter prælatos, qui scripsere ad Innocentium papam, ut Tolosam hæreticorum perfugium, & ipsius comitem eorumdem fautorem profligaret an. 1212. X. cal. Martii. Anno 1214. XI. cal. Aprilis *Pontius per Dei gratiam monasterii sancti Egidii minister & abbas & conventus monasterii* consuetudines in villa S. Egidii & ejus *tenemento* longissimo tempore obtentas, & scripto mandatas auctoritate *domini Arnaudi episcopi Nemausensis & Bertrandi Arelatensis decani, vicarii domini Michaelis Arelat. archiepiscopi, qui ad hoc a domino Petro de Vernareti Dei gratia S. Mariæ de......... diacono cardinali, apostolicæ sedis legato fuerant judices delegati*, laudarunt, confirmarunt, & approbarunt. Acta fuerunt hæc in curia S. Egidii, præsente totius universitatis concilio, &c. Eodem anno 1214. III. cal. Febr. P. abbas S. Egidii testis habetur in charta *infeodationis* castri Bellicadrensis factæ in gratiam Simonis comitis Montis fortis a Michaele archiepiscopo Arelatensi, præsentibus G. Avenionensi episcopo, E. decano S. Egidii, & aliis multis tum clericalis tum laicalis ordinis proceribus, ex archivo archiepisc. Arelat. Cum anno 1221. monasterium S. Gervasii de Fossis, inconsulto Pontio sancti Egidii abbate, ad cujus pertinebat jurisdictionem, mutatum esset in collegium canonicorum, rem promovente Conrado Portuensi & S. Rufinæ episcopo, sedis apost. legato, abbas pro sui juris tutela provocavit ad summum pontificem, qui Pontio abbati Psalmodiensi rem discutiendam commisit; sed Hugone Arelatensi archiepiscopo ad sedem eamdem appellante, Psalmodiensis abbas hanc appellationem frivolam reputans, abbatem S. Egidii in possessionem rei petitæ, custodiæ causa inducendum decrevit. Inter hæc archiepiscopus causam archidiacono Nemausensi obtinuit delegari, quo per triennium & amplius eam fine canonico concludere denegante, Pontius jam tum, ut aiunt, sed perperam, e Psalmodiensi Sanctegidianus abbas apud Gregorium IX. se justitiam obtinere non posse conquestus est, cui malo ut mederetur pontifex, prædicto archidiacono, qui tunc Avenionensis episcopus erat, ut huic controversiæ finem intra tres menses imponeret, litteris Anagniæ datis idibus Octobris pontificatus anno VII. mandavit. Quid inde contigerit, ignoramus. At Pontius abbas S. Egidii anno 1226. XVII. cal. Maii in litteris O. Guarini & G. Meschini fratrum ad regem Franciæ testis laudatur eorum devotionis ad negotium pacis & fidei, & quod non sit eis pax nec concordia cum R. filio Raimundi Tolosæ quondam comitis. Testis etiam est eodem anno mense Maio clientelæ Petri Bermundi domini Salvii regi Franciæ præstitæ. Idem Pontius memoratur abbas 1227. in instrumento cameræ rationum Parisiensis, & 1233. in transsumto bullæ Gregorii papæ IX. sigillis P. episcopi Ucetícensis & J. Braccarensis archiepiscopi consignato. Eodem anno XI. cal. Febr. præsens occurrit sententiæ latæ in castro Bellicadri ab Amico Arausicensi episcopo, & Artaldo Diensi canonico de controversia Regensem inter episcopum & priorem domus hospitalis S. Egidii pro ecclesia S. Apollinaris, ex archivo magni prioris S. Egidii ordinis sancti Johannis Jerosolymitani, in instrumento præceptoriæ *de Puymisson*. Ceterum Pontius rexit ad annum saltem 1241. quo adhuc Pontius alter, quem volunt ei successisse, Psalmodium administrabat, proindeque non prius nec etiam serius 1243. transiisse videtur ad Sanctegidianam præfecturam. Itaque

XXII. Pontius II. prius abbas Psalmodiensis, cui, ut diximus, circa 1221. summus pontifex querelam Pontii I. abbatis S. Egidii de monasterio S. Gervasii de Fossis, eo inconsulto, in collegium canonicorum mutato discutiendam commiserat, an. 1245. XIII. cal. Junii cum suo sancti Egidii conventu ex una parte, & Bertrandus Bermundi abbas sancti Eusebii diœcesis Aptensis cum suo itidem conventu ex altera compromiserunt in Guillelmum de Scieura priorem majorem claustralem & Bertrandum Petri operarium S. Egidii, qui de mutuis hæc inter monasteria controversiis, præsidente Guidone Fulcodii, sententiam tulerunt anno 1246. VI. cal. Maii. Memoratur Pontius anno seq. V. idus Aprilis in sententia Petri archipresbyteri Arelat. lata pro sepulturis inter monasteria S. Egidii & Francarum vallium disputatis. Alterutrius Pontii depositionis dies consignatur

* a Septembri inchoata.

Catel. hist. comit. Tolos. pag. 285.

Extrait de la loy municipale.

in necrologio Andaonensi IV. cal. Augusti, ac pridie cal. Febr. in necrol. S. Egidii apud Fratres Prædicatores Camberiaci asservato.

XXIII. Guillelmus I. de Scieura major prior claustralis sancti Egidii assumtus in abbatem post obitum Pontii, memoratur in transsumto bullæ Innocentii IV. an. 1252. sigillo Petri Arausicensis episcopi obsignato. Statuta valde utilia promulgavit, quorum adhuc fragmentum exstat in instrumento anni 1353. In alio veterum monasterii consuetudinum fragmento hæc de Guillelmo de Scieura leguntur: *Hæc sunt illa quæ fecit conventui, scilicet stabilivit, ut helemosynarius faceret helemosynam a festo omnium SS. usque ad Pentecosten, scilicet feria IV. & Sabbatho in mane circa primam, & abbatia similiter feria II. cum antea non facerent.* Ratam habuit anno 1254. x. cal. Decembris quamdam alienationem factam a priore S. Ceciliæ de Stagello. Anno 1256. pridie idus Decembris fratre Pontio de S. Egidio priore domus Fratrum Prædicatorum de Montepessulano & Guidone Fulcodii arbitris, R. episcopus Nemausensis & G. abbas S. Egidii iniere compositionem pro chrismate, ecclesiarum consecratione, monachorum & clericorum S. Egidii ordinationibus, quam firmavere cum Nemausensis ecclesiæ capitulum, tum cœnobii Sanctegidiani conventus. Insequenti 1257. XVIII. cal. Junii B. de Dorna Biterrensis archidiac. & G. de Codolis jurisperitus, consilio & assensu Guidonis Fulcodii varias inter Guillelmum abbatem & conventum S. Egidii ex una parte, & homines syndicosque universitatis ejusdem loci ex altera contentiones, arbitrorum vice fungentes lata sententia terminarunt. Transegit an. 1261. VIII. idus Septembris cum Martino de Lonay architecto Poscheriarum pro absolvenda majori monasterii basilica, jam incepta, ut diximus, an. 1116. Exeunte anno 1265. Guillelmus *jam vergens ad senium & corporis debilitate gravatus*, ut saluti suæ consuleret, & contemplationi vacaret, absolvi a præfectura instantissime petiit a Clemente IV. pontifice, idque non solum obtinuit, verum etiam, ut ad nullum officium aut dignitatem tam intra quam extra monasterium assumi posset; unde in perscriptis actis de abbate S. Eusebii eligendo, monachi Sanctegidiani convenientes, quod quivis de suo capitulo per monachos sancti Eusebii electus teneretur electioni suæ consentire, subdunt: *Non autem intelligimus in prædicta conventione, seu concessione dominum Guillelmum de Scieura, cum ipse per dominum papam Clementem IV. immunis habeatur a talibus, ut apparet in littera dicti domini Clementis sibi concessa, & si contingeret ipsum primo nominari, eis minime concedatur.* Demum Guillelmus ad extremam provectus senectutem anno 1275. meritis plenus obdormivit in Domino: de quo hæc olim in veteri sancti Egidii necrologio legebantur: *Anno Domini 1275. nonas Maias obiit dominus Guillelmus de Scieura bonæ memoriæ quondam abbas hujus monasterii B. Egidii, qui multa bona contulit, &c.*

XXIV. Berengarius Barnerii de Salve monachus sancti Egidii & prior sancti Johannis de Gardonencha, abbatiæ per spontaneam Guillelmi cessionem vacanti præfectus est a Clemente IV. pontifice, litteris datis Perusii XIV. cal. Januarii anno pontificatus primo, hoc est 1265. Hoc etiam anno pridie nonas Febr. idem pontifex qui ab oppido S. Egidii trahebat originem, peculiare sigillum argenteum misit ad priorem & conventum S. Egidii, ea donationis allata ratione: *Cum*, inquit, *monasterium ex eo quod nonnisi unicum habebatur sigillum, quo utebantur abbas & conventus ejusdem, non modicum retroactis temporibus sustinuerit detrimentum, nos hujusmodi defectum congrua restauratione supplere, ac ipsius monasterii incommodis volentes obviare, sigillum ad opus vestrum & successorum vestrorum de opere argenteo fecimus fabricari, &c. Datum Perusii II. nonas Febr. pontificatus nostri I.* Abbatem Berengarium & successores papa studuit honorare, dum illis violatas in toto sancti Egidii territorio reconciliandi ecclesias, in clerum & populum ejusdem censuras ecclesiasticas exercendi, minores ordines tam monachis, quam aliis sancti Egidii subditis conferendi, annulo, aliisque pontificalibus utendi ornamentis, necnon indulgentias pœnitentibus & confessis fidelibus elargiendi facultatem variis diplomatibus concessit. Neque vero contentus pontifex per se huic monasterio benefacere, illud an. 1266. regi Francorum S. Ludovico commendavit. Abbatem nihilominus monuit eodem anno ut reformando cœnobio sedulus incumberet, epist. 286. in qua ejus decessorem redarguit quod patrimonio S. Petri longo jam tempore injuriam fecerit. Ad eumdem misit pontifex brachium S. Georgii cum duobus candelabris, quæ in processionibus solemnibus cum cereis facibus brachium idem antecederent, VII. idus Novembris anno pontificatus III. Vide ejusdem papæ epistolam 599. Mortuo Bertrando Bermundi abbate S. Eusebii 1268. 27. Novembris, mox electores monachi dicti loci ex inita quondam compositione, die 16. Decembris ad monasterium sancti Egidii accesserunt, ubi coram Berengario, spectante toto S. Egidii conventu in abbatem elegerunt fratrem Petrum de Montusserio Sanctegidianum monachum & priorem S. Amantii de Sumidrio, qui tamen die tantum 14. Januarii electioni de se factæ assensum præbuit, flexisque genibus obedientiam promisit in hunc modum: *Ego frater Petrus de Montusserio electus in abbatem monasterii S. Eusebii, & per vos confirmatus promitto obedientiam vobis domino Berengario Dei gratia abbati monasterii S. Egidii secundum formam compositionis habitæ inter monasterium S. Egidii & S. Eusebii.* Anno 1269. IV. idus Januarii laudavit *infeodationem* quarumdam terrarum *tenementi* de Stagello, præsentibus dominis Hugone Barnerio & Vincentio de Mirabello. Obtinuit a S. Ludovico rege præceptum an. 1270. mense Junio datum Nemausi, quo monasterii privilegia confirmantur. Insequenti, Petro de Montusserio S. Eusebii abbate ad S. Andreæ Avenionensis regimen assumto, monachi S. Eusebii XVII. cal. Nov. quosdam e suo collegio pro novi abbatis electione facienda

Charta XXXIII. col. 203.

T. 2. Anecd. Martenn. col. 528. & 538.

Ibid. col. 325.

Ibid. col. 572.

miserunt ad S. Egidium, qui IV. nonas Novemb. coram Berengario & capitulo in abbatem secundum formam solitam postularunt, Petrum de Lunello S. Egidii decanum, qui dierum aliquot inducias ad deliberandum deprecatus, suæque posthac electioni consentiens VII. idus Novembris, obedientiam, sicut superius expressum est, Berengario promisit. Exstant in archivo capituli S. Egidii litteræ Berengarii abbatis an. 1273. die 9. Septembris sigillo ejus obsignatæ. Denique 1275. V. cal. Martii clientelarem fidem professus est Philippo Francorum regi in manibus Philippi de Salice Bellicadri & Nemausi senescalli, suumque S. Egidii monasterium, villam, territorium, loca circumvicina, castra, jurisdictiones, & alia ab ipso dependentia monasterio sub regis protectione ac dominio tenere se recognovit.

XXV. Petrus II. de Lunello, primum infirmarius, tum decanus S. Egidii, ac deinde ad S. Eusebii abbatiale regimen an. 1271. ut diximus, postulatus, demum an. 1275. ut pristino suo monasterio præesset accitus est. Eodem anno VII. idus Septembris tres a conventu S. Eusebii deputati electores ad S. Egidium pro novi abbatis electione se contulerunt, quibus in Petrum de Lunello abbatem S. Egidii jus suum transferentibus, hic de consensu omnium utriusque collegii monachorum fratrem Isnardum Cambis S. Eusebii alumnum prioremque de Abuseo IV. idus ejusdem mensis nominavit & confirmavit. Instrumentum electionis hujus ita incipit : *Anno Domini MCCLXXV. videlicet VII. idus Septembris, post translationem venerabilis patris domini Petri de Lunello sola Dei permissione olim abbatis S. Eusebii Aptensis diœcesis factam de ipso ad monasterium sancti Egidii Nemausensis diœcesis, &c.* Petri de Lunello nulla deinceps occurrit memoria.

XXVI. Astorgius an. 1281. cum aliis pluribus episcopis, abbatibus & proceribus a Carolo Salerni principe convocatis adfuit translationi reliquiarum B. M. Magdalenæ factæ apud S. Maximinum Dominica post Ascensionem Domini pontificatus Martini papæ IV. anno primo. Eodem anno præsens memoratur, quando B. Arelatensis archiepiscopus motam inter episcopum Mimatensem & priorem S. Egidii ordinis Jerosolymitani controversiam apud Alestum terminavit, e schedis D. Polycarpi de la Riviere doctissimi Carthusiani. Clausisse vitam dicitur VI. idus Maii an. 1286. in libello Honorio papæ oblato pro confirmanda Raimundi successoris Astorgii electione.

Bouche t. 2. hist. Prov. pag. 297.

Ergo mendum est in Plantavitio hist. Leutevensium episcoporum pag. 225. ubi Nicolaum S. Egidii abbatem cum Berengario Magalonensi præsule nomine provinciæ Narbonensis ad Philippum Galliæ regem an. 1283. delegatum scribit, ut ei Petrum recens electum Narbonensem archiepiscopum commendarent. Et certe si hac Egidianus abbas provincia decoratus est, non alius esse potuit quam Berengarius num. XXIV. cum ista delegatio facta jam fuerit anno 1273. non vero 1283. Vide Narbon. archiep.

XXVII. Raimundus II. Regis successit in hunc modum. E vivis sublato Astorgio, ejusque corpore ecclesiasticæ tradito sepulturæ, Hugo de Fulhaquerio prior major & conventus S. Egidii pro novi abbatis electione compromiserunt in Bernardum de Montemirato Montis majoris cœnobiarcham, & quatuor Sanctegidiani collegii monachos, qui 1286. idibus Julii concorditer elegerunt Raimundum Regis, monasterii eleemosynarium, virum ætatis maturæ, in sacerdotio constitutum, vita & moribus ac litterarum scientia commendatum ; eodemque die ad summum pontificem Honorium IV. procuratores destinarunt, qui electionis factæ confirmationem suppliciter postularent. Hæc eruta sunt ex ipso libello pontifici oblato. Anno sequenti Stephanus de Monteareno, qui fuerat officialis Berengarii Barnerii de Salve abbatis S. Egidii, cœnobium Montis majoris regendum suscepit, qui postmodum Viterbii æger an. 1297. indict. XI. die 5. Januarii condidit testamentum, quo in ejusdem urbis ecclesia Fratrum Minorum visceribus suis sepulturam elegit, ossa vero ad monasterium S. Egidii, in quo vitam monasticam amplexus erat, terræ mandanda deferri jussit. E vivis excessit altera die a condito testamento, quanquam tabula funeraria Montis majoris sic habet : *VII. idus Jan. depositio domni Stephani abbatis, qui jacet in claustro.* Romæ degebat Raimundus abbas anno 1291. VII. cal. Novembris, quo vacare prioratus S. Petri de Provincheriis & de Laugnaco ei conventus indicavit. Anno 1293. una cum conventu speciales constituit procuratores *ad exigendum & recuperandum X. libras Turonenses annui reditus, quas dedit nobilis vir dominus Robertus comes de Drocis, & nobilis domina Beatrix comitissa uxor ejus percipiendas & levandas in præpositura de Drocis in festo B. Egidii.* Memoratur in pluribus instrumentis archivi capitularis ann. 1295. & 1297. Idem a Bonifacio papa VIII. rescriptum apostolicum obtinuisse legitur anno pontificatus quarto. Octavo cal. Maii an. 1300. Raimundus S. Egidii & Petrus Psalmodiensis abbates servare solliciti veterem morem, quem sui hactenus antecessores observaverant, habita cum suis monachis collatione, fraternitatem seu societatem spiritualem renovarunt. Anno seq. e vivis sublato Isnardo Cambis abbate S. Eusebii, ejus loci conventus Raimundo abbati S. Egidii eligendi quem ex Eusebianis monachis vellet, potestatem fecit ; sed cum ejusmodi potestate monachi S. Egidii ab electione excluderentur, Raimundus litteris datis idibus Maii, Eusebianos ut conventis starent commonuit, eis in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna excommunicationis præcipiendo, quatenus secundum formam compositionis abbatem e capitulo S. Egidii postularent ac deligerent. Interim Raimundus Regis V. cal. Junii e vita migravit. Hanc nacti occasionem monachi S. Eusebii fratrem Pontium de S. Michaele priorem B. M. de Vellarone e suo monasterio abbatem sibi constituerunt ; quod audientes Hugo de Fulhaquerio prior major & capitulum S. Egidii appellationem ad summum pontificem Bonifacium VIII. interposuerunt.

XXVIII. Bertrandus de Turre electus est eo qui

sequitur modo. Mortuo, ut diximus, Raimundo abbate v. cal. Junii an. 1301. cœnobii regimen de jure penes Hugonem de Fulhaquerio majorem priorem remanebat. Hujus & capituli cum fuisset voluntas in eligendo successore procedendi per viam compromissi, eodem anno die S. Bartholomæi apostoli octo monachis ejusdem monasterii plenam & liberam fecerunt potestatem insumendi totam diem usque ad occasum solis eligendo abbati de suo gremio. Constat vero ex bulla Bonifacii VIII. concordi voto ab illis octo unum ex ipsis Bertrandum de Turre priorem de Molesano, accedente aliorum ultra centum monachorum consensu delectum fuisse abbatem, suæ consensum electioni præbuisse, mox adiisse de more sedem apostolicam, ac demum quodcumque jus sibi ex prædicta competebat electione in manibus summi pontificis libere ac sponte resignasse.

XXIX. Hugo II. de Fulhaquerio nobili genere natus, cœnobii major prior, spontanea Bertrandi cessione vacanti monasterio præesse jussus est a Bonifacio papa VIII. litteris datis XVII. cal. Decembris pontificatus anno septimo. Statim hic anno 1302. III. cal. Junii procuratorem suum creavit pro discutienda causa electionis fratris Pontii abbatis S. Eusebii, de qua supra in Raimundo Regis abbate n. XXVII. coram auditore palatii a Bonifacio papa delegato. Fuit is dominus Onuphrius de Trebis decanus ecclesiæ Meldensis, ac domini papæ capellanus, qui specialiter ab eodem domino papa delegatus, anno 1303. die 13. Martii interposito judicio, irritam ac indebite factam fratris Pontii abbatis electionem declaravit; eamque sententiam altera simili Simon de Marvilla thesaurarius Metensis sacrique palatii auditor anno 1304. die 9. Martii Benedicti papæ XI. pontificatus anno primo confirmavit. Hinc anno 1305. XII. cal. Martii electores a conventu S. Eusebii deputati in capitulo S. Egidii secundum consuetam compositionis formam elegerunt fratrem Guigonem de Garda monachum Sanctegidianum & priorem de Menerba, qui electus nonis Martii confirmatus est abbas per dominum Hugonem ejus immediatum superiorem solemnitatibus fieri solitis rite & canonice observatis. Anno 1307. VIII. idus Maii scripsit Hugo abbas capitulo S. Eusebii electum fuisse abbatem dicti loci secundum formam consuetam fratrem Rostagnum de Salve monachum S. Egidii & priorem de Rossilione. Memoratur idem Hugo in archivo S. Egidii III. cal. Febr. anni 1311. & in instrumento anni 1314. XIV. cal. Jan. P. de Escura officialis S. Egidii in causa Bertrandi Raimundi corresarii, seu coquinarii ejusdem monasterii delegatus a reverendo in Christo patre H. Dei gratia abbate dicitur. Anno 1315. IV. nonas Septembris Hugo abbas S. Egidii & conventus ejusdem loci in capitulo generali congregati prædictum inter Bertrandum Raimundi coquinarium & priorem de Stagello ex una parte & Arnaudum de Remolinis militem ex alia initam compositionem super limitibus territoriorum de Stagello & de Aquis vivis approbarunt. Reperitur eodem anno VI. cal. Apr. in charta de servitiis a camerario debitis. Delegavit an. 1317. ad concilium Biterrense. Adhuc occurrit 1318. 16. Maii & 16. Nov. ind. I. Ac proinde expungendus Vitalis de Furno patria Vasatensis, ordinis Minorum theologus doctissimus, postea cardinalis titul. S. Martini in Montibus creatus an. 1312. X. cal. Januarii, & a Johan. XXII. pontificatus anno 2. datus in conservatorem privilegiorum cœnobii Montis majoris, Sanctegidianus abbas dictus 1318. pridie idus Aprilis in veteri Gallia Christiana; cujus alibi nulla mentio quatenus abbatis. Fortasse altercantibus monachis in eligendo abbate, distractisque eorum suffragiis hæc a summo pontifice administratio Vitali commissa est, quemadmodum priori Fratrum Prædicatorum & guardiano Minorum Arelatensium ratione Montis majoris monasterii similem legimus a Clemente IV. demandatam fuisse provinciam. Scripsit Vitalis plura opera, quæ recensentur a Ciaconio, cum hac inscriptione apud Minores Avenionenses tumulo apposita: *Hic jacet reverendus in Christo dominus frater Vitalis ordinis Minorum, bonæ memoriæ episcopus Albanensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, qui obiit die XVI. mensis Augusti anno Domini MCCCXXVII. cujus anima requiescat in pace.*

XXX. Bertrandus III. ex cellerario bulla Johannis XXII. data 1319. abbas institutus, memoratur 1320. in duobus recognitionum instrumentis pro territorio de Stagello, XVII. & XVI. cal. Julii. Cum insequenti dominus Johannes de Arreblayo domini Caroli regis Franciæ & Navarræ hospitii magister, ac Bellicadri & Nemausi senescalliam regens diem 22. Martii omnibus & singulis prælatis, baronibus & nobilibus dixisset, quo illorum fidei sacramenta & recognitiones bonorum, quæ tenebant aut tenere debebant a domino rege, exciperet, die crastina 23. Martii ejusdem anni 1321. comparuit apud Nemausum coram dicto domino Johanne *religiosus vir frater Raimundus de Malobosco prior de Reumis, monachus S. Egidii, vicarius generalis & locum tenens reverendi in Christo patris & domini Bertrandi Dei gratia abbatis S. Egidii, & dixit se nullo erga regem hominio teneri, nec quidquam illi solvere debere, secundum litteras patentes Philippi regis datas mense Julio 1281. sed solum ex consuetudine stabilita regi duos equites cataphractos regio stipendio alendos subministrare.* Reperitur adhuc 1324. in archivo Monspeliensi; quo anno ad abbatiam Conchensem diœcesis Ruthenensis promovente Johanne papa translatus est.

XXXI. Raimundus III. de Serinhaco, cujus nominis & cognominis duo monachi recensentur in compromisso anni 1301. facto super electione Bertrandi de Turre, alter Sanctegidianus & alter Anianensis, abbas erat S. Guillelmi de Deserto tum cum Johannes papa XXII. Bertrando ad Conchensis cœnobii regimen translato, eum Sanctegidiano præfecit litteris datis ad Carolum regem Franciæ & Navarræ IV. nonas Aprilis anno pontificatus octavo. A tergo litterarum hæc veteri charactere, licet post mortem Raimundi scripta, leguntur: *Litteræ apostolicæ*

super provisione domini Raimundi de Serinhaco quondam abbatis S. Egidii. Bulla donatur ab eodem pontifice anno decimo pontificatus contra monasterium infestantes. Recensetur in variis anni 1326. instrumentis & in charta anni 1330. die 7. Maii. Hunc denique Johannes XXII. transtulit ad abbatiam Psalmodiensem anno pontificatus XVI.

XXXII. Hugo III. ex priore sancti Gervasii Rotomagensis diœcesis evasit abbas S. Egidii bulla Johannis XXII. pontificatus anno XVI. statimque alio ejusdem pontificis diplomate ad abbatiam S. Johannis Angeriacensis translatus est.

XXXIII. Girbertus & Gislebertus de Cantabrio antea monachus & camerarius S. Papuli, & post abbas S. Johannis de Pinna Oscensis diœcesis, jussu papæ Johannis XXII. S. Egidii monasterium per translationem Hugonis regendum suscepit an. 1332. litteris Avenione datis IV. cal. Junii pontificatus anno XVI. Die 2. Septembris ejusdem anni generale sui monasterii capitulum celebravit. Varia quoque mensium Septembris & Octobris ejusdem anni 1332. instrumenta sic notantur: *Anno...... regnante.... & reverendissimo in Christo patre, ac etiam domino villæ S. Egidii præsidente.* Memoratur anno seq. die 8. Novembris in charta de Stagello. In instrumento an. 1334. die 13. Febr. religiosus vir dominus Raimundus de Arenis procurator *reverendi in Christo patris domini Guitberti abbatis sancti Egidii* nominatur. Inde factus est abbas S. Victoris Massiliensis, tandemque sacris infulis ecclesiæ Ruthenensis decoratus.

XXXIV. Bertrandus IV. occurrit abbas jam anno 1335. III. nonas Novembris, & adhuc 27. Maii & 18. Julii 1336. necnon 26. Octobris 1338. in variis archivi domestici instrumentis. Quæ vero sequuntur de alio ejusdem nominis abbate intelligenda videntur.

XXXV. Bertrandus V. ex priore majori S. Egidii in abbatem assumtus est, ut ipsemet Benedictus papa XII. testatur litteris datis Avenione V. cal. Maii 1339. pontificatus anno V. quibus promovet Raimundum de Arenis monachum S. Egidii ad majorem ejusdem loci prioratum, quem *dilectus filius Bertrandus abbas, olim prior major claustralis....... tempore promotionis per nos factæ de ipso obtinebat.* Hæc sane pontificis verba intelligi debere de Bertrando hujus nominis V. videntur; nam si unus & idem esset Bertrandus IV. sequeretur majorem prioratum quinque annis vacasse, quod tunc in more haud positum erat. Bertrandi nomen reperitur adhuc in bullis pontificiis aliisque documentis monasterii Sanctegidiani ab anno 1339. usque ad diem 3. Aprilis anni 1347. Et certe anno 1343. Clemens papa VI. Bertrando abbati privilegia monasterii confirmavit, idemque anno seq. Bertrando & successoribus indulsit ut altare portatile quocumque deferre possent pro missa per se aut per alium sacerdotem celebranda. Datum apud Villam novam diœcesis Avenionensis III. idus Sept. pontificatus anno tertio. In veteri transsumto cujusdam documenti, quod Bertrandi abbatis sigillo munitum erat, sic legitur: *Sigillum domini abbatis erat in cera rubea: in eo erat quoddam fenestoragium, & in medio imago ad similitudinem abbatis stantis pedes ad medium & more prælatorum, & in capite tenens mitram, & in dextra manu faciens signum crucis, & in sinistram manum tenens crossam, sive baculum pastoralem, & sub pedibus scutum, in quo erat similitudo unius chati, & sub dextra manu similitudo alterius chati, & in circumferentiis erat scriptum: Bertrandus Dei grā abbas mon̄rii Sci Egidii.*

XXXVI. Raimundus IV. cognomen habuisse *de Agentico* videtur; de hoc quippe intelligendum putamus, quod in fragmento veteris inventorii archivi S. Egidii absque ulla temporis nota scriptum reperitur in hæc verba: *Item unus rotulus longus pergameni incipiens: In nomine Domini amen: tenore cujus continentur boni & utiles articuli probativi alias oblati coram reverendo patre domino episcopo Sabinensi a SS. domino nostro papa deputato ad decidendam electionis abbatis monasterii S. Egidii quæstionem ortam inter religiosos viros fratrem Hugonem decanum ipsius monasterii, & fratrem Raimundum de Agentico ejusdem monasterii religiosum, electos, &c.* Hic, inquam, Raimundus est, qui sententia, ut putamus, Sabinensis episcopi abbas confirmatus, an. 1348. ad sedem apostolicam provocavit *de priore & religiosis monasterii S. Eusebii Aptensis diœcesis immediate subditis monasterio S. Egidii, qui electionem fecerant de persona fratris Rostagni de Cornuolis,* (*al.* de Carmiolis) *in abbatem S. Eusebii contra statuta, consuetudines, privilegia & constitutiones dicti monasterii S. Egidii.* Memoratur in bulla Clementis papæ VI. data IX. cal. Aprilis pontificatus anno X. Die 13. Januarii 1353. decretoriam tulit sententiam in causa quæ vertebatur inter camerarium S. Egidii & conventum ejusdem loci, perpetuo utrique parti silentio imperato. Ejusdem abbatis occurrit mentio in variis sancti Egidii documentis usque ad diem 23. Maii an. 1358.

XXXVII. Arnaldus & Arnaudus e monacho Sanctiberiensi & priore de Serignano renunciatur abbas S. Egidii bulla Innocentii VI. data pontificatus anno IX. Nomen ejus reperitur in variis recognitionum instrumentis a die 22. mensis Februarii an. 1362. ad 20. Januarii 1366. vel 1367.

XXXVIII. Guillelmus II. de Mederio, *de Miers*, frater Eblonis Vasionensis episcopi, ex abbate Mansi Garnerii diœcesis Tolosanæ instituitur abbas S. Egidii bulla Urbani papæ V. data pontificatus anno V. ex actis pontific. Avenion. Hic una cum fratribus suis Eblone de Mederio Vasionensi præsule & Oliverio nobili milite fundavit seu dotavit hospitalem domum sanctimonialium de Feudis, *des Fieux*, ordinis S. Johannis Jerosolymitani in diœcesi Caturcensi, ut constat ex charta Avenione scripta in domo ejusdem Vasionensis episcopi absque ulla temporis nota t. I. novæ Gall. Chr. ch. VI. col. 154. Anno 1367. die 6. Maii *reverendo in Christo patre domino Guillelmo Dei gratia abbate monasterii sancti Egidii*

præsidente, religiosus vir dominus Johannes de Bastida monachus & prior de Castario remisit ad conventum S. Egidii varios libros & præsertim librum vocatum *scripturæ super quarto sententiarum fratris Thomæ de Aquino ordinis Prædicatorum*, & sermones diversos domini Clementis VI. Ex pluribus archivi S. Egidii documentis constat Guillelmum rexisse monasterium usque ad ultimam diem mensis Aprilis an. 1373.

XXXIX. Esquivus præerat anno 1373. die ultima Nov. ex charta domestica, in qua Fredolus de Levesone infirmarius monasterii dicitur vicarius generalis in spiritualibus & curialibus domini Esquivi abbatis monasterii S. Egidii. Idem Esquivus recensetur abbas in variis chartis ab an. 1374. usque ad 13. Augusti 1378. Discimus autem ex litteris Clementis papæ VII. ad comitem Armaniacensem tom. 2. vit. pap. Avenion. Baluz. col. 877. hunc abbatem fuisse comitem, familiarem, & consanguineum cardinalis Albanensis.

XL. Salvator Guillelmi, favore cardinalis Albanensis per obitum Esquivi ad abbatiam promotus, ut innuitur in prædictis Clementis VII. papæ litteris Avenione datis 1379. 17. Novembris, eodem anno juris canonici professor & abbas S. Egidii nuncupatus, apud Bernicium existens misit vicarium, qui nomine suo electioni pitanciarii conventus S. Egidii interesset, & confirmaret, quod fecit die 20. Novembris ejusdem anni. Fidem clientelarem exhibuit regi, suique bona monasterii recensuit an. 1393. ex archivo regio Carcassonensi. In variis anni 1394. recognitionibus exstantibus in libro prioratus sancti Amantii Salvator cognomento *Guillelmi* nuncupatur. Interfuit anno 1409. concilio Pisano, ex actis hujus concilii. Inde una cum Johanne de Vitriolis priore de Rometa diœcesis Vapincensis delegatus a Petro cardinali de Tureyo, in Narbonensi & aliis regni Franciæ provinciis cum plena potestate legati a latere & nuncii apostolici specialiter deputato, pro pace ac disciplina regulari resarcienda & firmanda in cœnobio Anianensi, litteris Avenione datis IV. nonas Aug. pontificatus Johannis XXIII. anno I. harum vi, cum collega suo statuta nonnulla condidit, quæ misit ad Philippum abbatem Anianensem an. 1412. Memoratur adhuc Salvator Guillelmi abbas in instrumentis domesticis usque ad diem 24. Martii an. 1417.

Spicil. t. 6. pag. 356.

XLI. Johannes I. Melzenni seu Melzieni monachus S. Egidii & quorumdam monasterii bonorum œconomus, post Salvatorem abbas delectus est anno primo Martini papæ V. In epistola encyclica Francisci postmodum abbatis appellatur *Johannes Melzenni baccalaureus in decretis abbas quondam*; & in scripto Antonii Folquerii successoris ejus tempore exarato fit mentio *reverendi patris domini S.* (Salvatoris) *abbatis hujus monasterii, domini Johannis Melzieni abbatis hujus monasterii, Poncii camerarii hujus monasterii, &c. ac etiam domini Antonii nunc abbatis moderni.* Sedebat Johannes anno 1418. ut constat cum ex bulla Martini papæ V. data Constantiæ III. idus Februarii pontificatus anno I. tum ex charta domestica ejusdem anni XI. Octobris.

XLII. Antonius I. Folquerii præfuit ex chartis domesticis a die 18. Febr. an. 1421. usque ad an. 1444. Convenit an. 1423. die 1. Augusti cum suo capitulo de capite S. Egidii in theca ex argento inaurato recondendo, cui operi de piis legatis incertis quadraginta libras Turonenses Nicolaus episcopus Nemausensis litteris datis die 24. Julii concessit; aliisque litteris datis iisdem die & anno omnibus Christi fidelibus, qui pro dicta reparatione manus adjutrices porrigerent, quadraginta dierum indulgentiam elargitus, asserit corpus S. Egidii in eodem cœnobio requiescere; quod quidem variis in bullis Clemens papa IV. testatum reliquit; proindeque sacrum beati Egidii corpus non Albigensium tempore, sed potius XVI. sæculo Tolosam translatum est. Anno 1436. delegatur ad nescio quid agendum a Petro Anianensi abbate. Insequenti hominium exhibuit regi, ex archivo regio Carcassonensi. Die 3. Sept. an. 1442. in capitulo generali apud S. Egidium celebrato, præsidente Antonio abbate, officium conresariæ seu corresariæ, hoc est coquinæ, conventuali unitum est mensæ, quam unionem Eugenius papa IV. eodem anno confirmavit. Memoratur anno 1444. in computo anni 1445. regii patrimonii in senescallia Bellicadri & in camera rationum Parisiensi. In inventorio reliquiarum monasterii die XI. Octobris anno 1491. exarato hæc de Antonio enunciantur: *Item una crossa de argento, quam fieri fecit dominus Antonius Folquerii de argento longitudinis septem cornibus, sive palmis, in qua est una imago.* In epistola quoque encyclica domini Francisci abbatis an. 1512. archiepiscopis, episcopis, abbatibus, &c. directa commendantur animæ *dominorum Johannis Melzenni baccalarii in decretis, & Antonii Folquerii in decretis licentiati abbatum quondam, &c.*

XLIII. Johannes II. Preverandi decretorum professor, ac perpetuus administrator Uceticensis archidiaconatus an. 1448. adfuit una cum cardinali de Fuxo & aliis Provinciæ præsulibus elevationi reliquiarum SS. Mariarum factæ ad preces Renati Siciliæ regis; cujus etiam acta perscripta sigillo suo munivit cum aliis in hunc modum: *Nos etiam Arnaudus de S. Felice Psalmodiensis & Johannes Preverandi S. Egidii S. Benedicti & Johannes Eustacii S. Mariæ Nizellæ Cisterciensis ordinis monasteriorum, Nemausensis & Cameracensis diœcesum humiles abbates in processu sententiæ supradictæ nominati, &c. prætestimoniales litteras per magistrum Humbertum de Rota dicti processus notarium & scribam supra signatum fieri mandavimus & fecimus, sigillorumque nostrorum & cujuslibet nostrûm jussimus appensione muniri, anno, indictione & pontificatu superius in dicto processu, &c.* Anno 1453. 10. Julii Alriacum de Putheo in decretis baccalaureum, monachum & infirmarium S. Egidii suum in spiritualibus & temporalibus vicarium generalem instituit, ut liquet ex ejusdem vicarii litteris. Testis laudatur an. 1459. hominii Uceticensi episcopo præstiti ab Hugone de Lauduno domino Montis falconis. Insequenti Laurentius Mercator ordinis Minorum

commendatarius abbas sancti Eusebii diœcesis Aptensis regimen abdicasse dicitur in manibus abbatis S. Egidii; quare hic anno 1461. die 5. Januarii huic abbatiæ præfecit Raimundum Magnaudi de Alvernia, ex t. 1. novæ Gall. Christ. col. 380. Verumtamen in fragmento sæpius laudato veteris inventorii hæc leguntur: *Item unum instrumentum sub anno Domini 1467. ind. XV. & die Jovis 2. mensis Aprilis, tenore cujus constat, quod in præsentia notarii & testium personaliter constitutus reverendus pater D. Laurentius Mercatoris sacræ paginæ professor, commendatarius S. Eusebii ordinis S. Benedicti Aptensis diœcesis, & sacrista S. Andreæ prope Avenionem, prius per eum revocatis omnibus suis vicariis, procuratoribus, actoribus, & negotiorum suorum gestoribus, de novo die datæ supradictæ fecit, constituit, & creavit vicarium suum in spiritualibus & temporalibus generalem, specialem, &c. ad beneficia conferenda, venerabilem virum fratrem Beraudum Montisfrini, monachum camerarium S. Egidii Nemausensis diœcesis, solum & in solidum, ut ad plenum constat tenore dicti instrumenti collati per V.* Ex quibus constat Laurentium Mercatoris adhuc monasterio S. Eusebii præfuisse an. 1467. Johannes vero Sanctegidianus abbas occurrit adhuc 1465. ad 1472. quo sponte ac libere dignitati suæ nuncium remisit in manibus Sixti papæ IV.

XLIV. Johannes III. de Marcuil Uceticensis episcopus spontanea Johannis superioris cessione vacantem abbatiam in perpetuam commendam obtinuit bulla Sixti papæ IV. data Romæ apud S. Petrum an. 1472. IV. idus Octobris pontificatus II. Hanc autem administrabat 18. Aprilis 1480. quo tempore memoratur in senatusconsulto parlamenti Tolosani occasione litis quæ inter ipsum & universitatem de Mossaco diœcesis Uceticensis vertebatur, ubi simul episcopus Uceticensis & abbas commendatarius S. Egidii nuncupatur. Obiit 1482. ex archivo regii patrimonii Monspeliensis.

XLV. Julianus de la Rouere Sixti papæ IV. ex fratre nepos, cardinalis tit. S. Petri ad Vincula, major ecclesiæ Romanæ pœnitentiarius, archiepiscopus Avenionensis, & successive Sabinensis & Ostiensis episcopus, ab eodem Sixto patruo renunciatus est abbas S. Egidii an. 1483. quo nomine 1486. clientelam regi Francorum exhibuit. Sedisse abbatem 1485. liquet ex litteris Innocentii papæ VIII. datis Romæ apud S. Petrum VI. idus Maii pontificatus anno primo. Idem annis 1489. & 1491. fratre Bernardo Montisfrini monacho & camerario S. Egidii usus in abbatia vicario generali legitur. Anno 1495. XV. cal. Aprilis Massiliæ constitutus fratri Antonio de Beaumont (abbati postea regulari) contulit prioratum S. Salvatoris & B. Mariæ de Cayssanicis in diœcesi Nemausensi. Ipsius in manibus anno 1503. die 16. Augusti frater P. de Belletesse monachus S. Crucis Burdegalensis prioratum S. Mariæ Magdalenæ a S. Egidio dependentem resignavit; necnon ad permutandam sacristiam prioratus S. Macharii constituit procuratores Antonium de Beaumont priorem de Menerbia, Thomam de Mogros priorem......... & Johannem de Roziers priorem de Moulezano, ex regesto N. de Pitaud notarii fol. 65. *verso.* Demum hoc an. 1503. Julianus de la Rouere salutatus est summus pontifex Julius II. appellatus; quem haud multo post deprecati sunt monachi S. Egidii, ut omnibus Christi fidelibus, qui largirentur eleemosynas pro perficienda superiori ecclesia olim *a Carolo magno* ædificari cœpta indulgentias concedere dignaretur. Annuit postulatis pius pontifex litteris Romæ apud S. Petrum datis XII. cal. Maii pontificatus anno III. Hinc collige monachos ecclesiæ suæ primordia tunc ignorasse, inscriptione, de qua ad annum 1116. forte adhuc claustri fornice tecta oblitescente.

Ch. XXXV. col. 203.

XLVI. Franciscus I. de Chassaignes Burdegalensis, post Julianum cardinalem reperitur abbas commendatarius in actis capituli S. Egidii. Anno 1511. die 2. Septembris reverendus pater Antonius de Beaumont prior major claustralis & vicarius generalis domini Francisci generale monasterii capitulum celebravit, ex regesto Ludovici & Antonii Giraudi notariorum. Memoratur eodem anno Franciscus abbas in bulla Julii papæ II. data Ostiæ XIX. cal. Febr. pontificatus anno VIII. Generale monasterii capitulum de more celebravit die 2. Septembris anno 1512. litterasque encyclicas ad archiepiscopos, episcopos, capitula & conventus direxit, ut pro abbatibus & monachis solita suffragia persolverent; post quas litteras rotulus exstat in quo confœderatorum & confratrum nomina interseruntur, ex archivo capituli S. Egidii. Anno 1516. 12. Junii frater Georgius Beraud diœcesis Sarlatensis clericus vota religionis, qua sancti Egidii monachus emisit inter manus Heliæ de Chaumont in juribus baccalaurei, eleemosynarii S. Crucis Burdegalensis, prioris S. Sacerdotii ord. S. Bened. & vicarii generalis Francisci de Chassaignes, in ecclesia S. Crucis, præsente conventu, ex regesto N. Grouffert notarii fol. 154. In instrumento anni 1518. dicitur Franciscus licentiatus in decretis, canonicus & cantor Burdegalensis, simulque sancti Egidii commendatarius abbas. Denique an. 1520. die 3. Septembris Johannes de Rosario sancti Egidii monachus, & prior S. Genesii de Mediogotho Uceticensis diœcesis erat vicarius generalis in spiritualibus domini Francisci de Chassaignes administratoris perpetui abbatiæ S. Egidii, ut liquet ex litteris ejusdem Johannis de Rosario. Fortasse Franciscus gentilis erat Johannis de la Chassanhe licentiati in juribus & procuratoris generalis in parlamento Burdegalensi die 31. Martii 1512. quo suam domum in vico Bedillon recognovit cardinali de Final Carolo de Carret archiepiscopo Remensi, quatenus abbati S. Crucis Burdegalensis, ex regesto N. Pitaud notarii fol. 189.

XLVII. Antonius II. de Beaumont, *al.* de Bremond nobilibus parentibus natus, primum fuit monachus S. Egidii, tum prior S. Stephani de Menerbia diœcesis Cavallicensis, deinde an. 1495. promovente, ut diximus, Juliano cardinali Ostiensi, prior S. Salvatoris & beatæ Mariæ de Cayssanicis diœcesis Nemausensis, posteaque major

major prior claustralis sancti Egidii, ac tandem suffragiis monachorum abbas regularis ejusdem monasterii renunciatus. Dignitatis possessionem adeptus, generale capitulum celebravit die 10. Junii, ex regesto Ludovici & Antonii Giraudi notariorum. Rexit ad obitum, qui contigit an. 1529. ut constat ex bulla Clementis VII. de qua inferius.

XLVIII. Johannes IV. du Rosier ejusdem coenobii alumnus, idem, ut videtur, qui Johannes de Roziers prior de Moulezano dicitur anno 1503. sodalium suffragiis electus abbas, confirmatur a Clemente papa VII. bulla data Romae apud S. Petrum 1529. XIV. cal. Septemb. pontificatus anno VI. Nonnisi tamen die 5. Febr. sequentis monasterii possessionem adiit, cujus operarium fratrem Gouninum Priat crastina die vicarium generalem instituit. Die 2. Septembris ejusdem anni generale capitulum celebravit, a quo pro jucundo adventu 800. libras Turonenses accepit. Ipsius autem vicarius generalis frater Gouninus Priat die 2. Septembris anni 1531. generale capitulum habuit; sed posthac nullibi Johannis du Rosier occurrit memoria, nisi quod lapis ejus sepulcralis, in quo erat illius imago cum habitu monachali incisa & duplici scuto gentilitio, ex parte fractus adhuc in ecclesia inferiori visitur.

XLIX. Gabriel de Acromonte cardinalis presbyter tit. S. Ceciliae abbas erat commendatarius an. 1531. die 1. Decemb. Resignavit anno seq. VII. cal. Novembris in manibus Clementis papae VII. in gratiam Theodori Johannis de Clermont, ut ex bulla ejusdem pontificis colligitur data Romae apud S. Petrum die & anno praedictis pontificatus IX.

L. Theodorus Johannes de Clermont ortus est e nobili gente de Tallard in Delphinatu, patre scilicet comite de Tallard primo regis Francisci I. cubiculario, qui frater erat Francisci de Clermont sacri collegii decani & legati Avenionensis. Clericus ipse Vapincensis dioecesis abbatia potitus est cessione Gabrielis ab anno 1532. ad 1559. ut patet ex variis archivi domestici instrumentis. Bullas duas obtinuit a Paulo III. pontifice, alteram an. 1534. contra monasterii bonorum invasores, alteram 1538. 17. Aug. qua monachis abjecto instituto sancti Benedicti vitam & habitum saecularem amplecti permissum est; quod quidem insequentis Maii die XI. Pontius de Ranco abbas Francarum vallium vi bullae exsecutioni demandavit. Postea fuit Theodorus episcopus Senecensis anno 1551. & prolegatus Avenionensis 1553. Neque tamen abbatiae regimen deseruit, quinimo retinuit ad annum, ut diximus 1559. sed non ultra; enim vero hoc ipsomet anno die 5. Septembris decanus collegii S. Egidii, sede vacante, praefuit capitulo generali post festum S. Egidii solito celebrari. Vacabat & annis 1560. & 1561. sedes abbatialis, quibus scilicet Guillelmus Belon praecentor capituli & vicarius generalis a capitulo, sede vacante, institutus capitulis generalibus praesedit.

Charta XXXVI. col. 205.

LI. Martinus de Beaune reginae cancellarius, abbas Regalis montis & S. Petri Carnotensis, necnon episcopus Aniciensis an. 1562. ecclesiae saeculari S. Egidii praefuisse abbas dicitur a Sammarthanis. Hoc autem anno S. Egidii oppidum, faventibus nonnullis canonicis fuit occupatum a Calvinistis, sacrae reliquiae dissipatae, templa & conventus Fratrum Minorum & SS. Trinitatis redemtionis captivorum destructa, libri, chartularia, & instrumenta celeberrimi archivi Sanctegidiani prae foribus ecclesiae igni tradita, paucis exceptis documentis, quae penes canonicos S. Trophimi Arelatensis in tuto posuerat Guillelmus Belon praecentor ecclesiae Sanctegidianae; qui quidem vicarius generalis sede abbatiali vacante die 3. Nov. 1564. & 2. Sept. 1565. capitula generalia celebravit.

LII. Rainaldus de Beaune libellorum supplicum magister abbatiae possessionem nactus est die 1. Febr. an. 1566. scribente Giraudo notario Sanctegidiano. Anno 1567. 1. die Oct. iterum Calvinistae facta irruptione ecclesiam Sanctegidianam occuparunt, aliquot sacerdotes trucidarunt, & alios fugere coëgerunt. Tunc major pars capituli Bellicadrum secessit, ubi adhuc an. 1570. 1. Julii morabatur. Ultima die Martii an. 1568. transegit Rainaldus cum capitulo collegiato S. Agricoli Avenionensis ratione pensionis, ad quam pro prioratu S. Stephani de Menerbia dictum capitulum erga Sanctegidianum tenebatur; in eaque transactione libellorum supplicum magister, episcopus Mimatensis & abbas S. Egidii nuncupatur. Factus subinde Bituricensis archiepiscopus S. Egidii abbatiam retinuit, quam adhuc 1. Febr. 1592. administrabat. Paulo post tamen resignavit in gratiam sequentis regio accedente consensu.

LIII. Egidius Chambrier regia schedula designatus abbas, praeerat die 15. Decemb. 1593. Cessit & ipse mense Decembri anni sequentis in gratiam sequentis.

LIV. Johannes Bapt. Seguier canonicus & operarius S. Egidii, a rege 10. Jan. 1595. designatus abbas, vi decreti a supremo consilio regio lati 25. Februarii adiit possessionem 23. Aprilis ejusdem anni, quo exceptus in capitulo solemnem fidei catholicae emisit professionem, seque jura, libertates, & immunitates abbatiae & capituli servaturum juravit. Aliunde vero Calvinistae in abbatiae possessionem immiserunt Guillelmum Jacquet, qui stipatus quinquaginta militibus ecclesiam ingressus est, ex oppido interim Johanne Baptista Seguier 28. Sept. exire coacto, qui primo Bellicadrum, mox Avenionem contendit, ubi aliquandiu mansit, donec eo ipso anno exeunte quidquid juris in abbatiam habebat pro bono pacis dicto Guillelmo dimisit, transactione inita capitulum inter Sanctegidianum & Abdiam de Chaumont dominum de Berticheres Calvinistarum in hisce regionibus ducem & antesignanum.

LV. Guillelmus I. Jacquet canonicus Aquarum mortuarum in sacerdotio constitutus, contra superiorem abbatem Johannem Bapt. Seguier a Calvinistis modo praedicto abbas intrusus est.

LVI. Michael de Mathis regi ab eleemosynis abbas erat an. 1601. 16. Octobris, quo Lugduni existens vicarium suum generalem constituit dominum Stephanum Courtois canonicum & archidiaconum minorem capituli S. Egidii, ut constat ex litteris vicariatus. Sedebat adhuc Michael 29. Septembris anni 1608.

LVII. Bartholomæus de Chaumont Abdiæ de Chaumont domini de Berticheres filius naturalis, in sacro diaconatus ordine constitutus, memoratur abbas in archivo capituli S. Egidii 8. Dec. 1607. Biennio post, anno scilicet 1609. die 14. Junii, Bartholomæus regi ab eleemosynis Lutetiæ Parisiorum litteris datis vicarium suum generalem instituit dominum Stephanum Courtois minorem archidiaconum. An. 1619. in carcerem detrusus est jussu Abdiæ patris, qui ecclesia occupata illuc milites introduxit; frustra interim canonicis apud regem pro ecclesiæ & abbatis libertate queritantibus: Abdias enim de Chaumont rebellium partes secutus, spretis jussis principis & supremi consilii decretis, alium nothum suum abbatem constituit.

LVIII. Johannes V. Picard, quem alibi *Gallianum* legimus appellatum, loco Bartholomæi fratris an. 1620. abbas instituitur per communem parentem Abdiam de Chaumont, qui ejus nomine abbatia potitus est usque ad diem 4. Sept. anni 1622. quo tempore Ludovicus XIII. existens in obsidione Montispessulani supremi sui consilii decreto eum deturbavit.

LIX. Guillelmus II. de Noset archiepiscopus Seleuciensis & prolegatus Avenionensis schedula regia die 7. Septembris ejusdem anni 1622. abbatiam consecutus est.

LX. Claudius de S.t Bonet de Toiras cleri Gallicani administer generalis, abbas Longi villaris, prior Longipontis prope Parisios, & Patriaci in Burgundia, necnon episcopus Nemausensis, possedit quoque abbatiam S. Egidii ab anno 1625. ad 1642. quo, die 4. Maii apud Montempessulanum repentina morte occubuit.

LXI. Anthimus Dionysius Cohon episcopus Nemausensis, favore Armandi cardinalis de Richelieu a Ludovico XIII. tunc Perpinianum obsidente abbatiam impetravit, quam, ut audivit mortem dicti cardinalis, & postea regis, bullis nondum acceptis sponte dimisit in manibus reginæ.

LXII. Julius de Nogaret de Calvisson de Manduel filius Johannis Ludovici marchionis de Calvisson, ex Francisca de S.t Bonet de Toiras sorore Claudii superioris, admodum juvenis abbatiam adeptus est an. 1643. Bullis acceptis, adiit possessionem 12. Febr. 1644. Adhuc præerat 10. Maii 1658. at paulo post accedente consensu regio in gratiam Francisci, qui sequitur, resignavit, retenta sibi ex abbatiæ proventibus annua 3000. librarum pensione, necnon alia 2000. pro suo altero fratre Melitensi equite.

Ejus temporibus Christophorus de Villy nobilis familiaris marescalli de Schonberg abjecta militia clericus in ecclesia Forojuliensi factus, tum sedis apostolicæ protonotarius, ac in theologia baccalaureus, demum ecclesiæ S. Egidii decanatum obtinuit, vere pius ac rei divinæ sollicitus, pro qua resarcienda multa passus est ab anno 1644. ad 1652. quo superatis omnibus adversariis, quindecim beneficiatos clericos jam pridem suppressos hac in ecclesia restituit. Idem circa 1654. supplicem privato regis consilio libellum obtulit ad obtinendum ex integro bullæ *sæcularisationis* effectum, aut ad statum regularem sub reformata S. Mauri congregatione illuc inducendum, quod ultimum pene tunc obtinuit.

LXIII. Franciscus II. de Nogaret de Calvisson Julii fratris cessione abbatiam consecutus, memoratur abbas die 6. Maii 1661. simulque presbyter 1665. Ejus temporibus archiva monasterii furto ablata sunt 12. Maii an. 1663. Sedebat adhuc Franciscus 1704. die 16. Septembris, nisi forte sit alter ejusdem familiæ qui sequitur.

LXIV. Franciscus III. de Louvet vel de Louvel de Cauvisson frater marchionis de Cauvisson regis locum in Occitania tenentis, tertius familiæ suæ dicitur abbas. Obiit in loco de Massilargues an. 1707.

LXV. Carolus le Goux de la Berchere Narbonensis archiepiscopus, designatus abbas 1707. obiit 1719.

LXVI. Jacobus Antonius Phelypeaux Leutevensis episcopus vacante abbatia per obitum præcedentis a rege donatus est 8. Jan. 1721. Fuit etiam abbas de Nanto diœcesis Vabrensis, & S. Salvatoris Leutevensis.

LXVII. Johannes Cæsar Rousseau de la Parisiere Nemausensis episcopus renunciatur abbas die 14. Junii 1732. Romæ in consistorio pontificio 28. Septembris 1733. propositus fuit. Obiit 15. Novembris 1736.

Præter hos abbates certa temporis nota circumscriptos, memoratur in hagiologio domestico tom. VI. fragm. Stephanotii nostri Adalardus abbas S. Egidii calendis Januarii; occurrit quoque Ludovicus de Pandavro juris utriusque doctor, sedis apostolicæ protonotarius.

S. SALVATOR & S. MARIA DE FONTIBUS, seu DE FONTE NEMAUSI, vulgo, *Nostre-Dame de la Font de Nismes.*

HUic ordinis sancti Benedicti parthenoni, olim in suburbio Nemausensi juxta fanum Dianæ & fere ad scaturiginem celebris fontis Nemausensis sito initium dedit Froterius episcopus Nemausensis: sic enim habet ms. codex Nemausensis: *Anno IV. Hugonis regis dominus Froterius Nemausensis sedis episc. ædificavit monasterium S. Salvatoris.* Paruit aliquando abbati Casæ-Dei & priori S. Baudilii, at petente Aldeberto de Ucetia Nemausensi episcopo illud ab eorumdem abbatis & prioris dominio absolutum, circiter annum 1140. Innocentius papa II. subdidit episc. Nemausensi, idque ratum habuit Adrianus IV. an. 1156. In priori fundationis sede perseveravit cœnobium, donec a novatoribus diruto sæculo XVI. sanctimoniales ad Bellicadrum sese receperunt, quas nihilominus fertur pristinum suum locum ab alienis ereptum manibus anno 1680. resarcire serio meditari.

Ch. XXVII. col. 198.

SERIES ABBATISSARUM.

I. GILBERGA præerat annis 1114. v. idus Novembris & 1127. quo tempore, VI. scilicet calendas Aprilis regnante Lodoico rege dedit ad beneficium Bernardo Bolgarello quinque *cautiatas* de terra culta, & quintam partem de alia *cartariata* ad panem & ad vinum; & ista terra est ante civitatem Nemausum in loco quem vocant *Gramago*.

II. Raimunda memoratur 1138. VII. cal. Aug. quo ei Bertrandus quidam restituit honorem situm in comitatu Nemausensi, in valle Anagia, in decimaria S. Saturnini de Calvissino, retento ad vitam usufructu. Sedit ad annum saltem 1142.

III. Odila reperitur mense Julio anni 1156. quo Guillelmus Gaufredi ei domum prope Fontem majorem, ubi faciebat *bugatas*, quam a monasterio tenebat, præsente Aldeberto Nemausensi præsule concessit. Anno 1161. mense Februario Odila dedit in beneficium perpetuum Emerico Mejanello vineas omnes cum arboribus, quæ sunt in podio de Combreto, titulo venditionis, ea conditione ut medietatem fructuum inde provenientium conventus haberet. Emit anno sequenti mense Julio pretio solidorum Melgoriensium 140. a Guillelmo Cœlesti quam propter magisterium in molendino superiori de Fonte habebat medietatem diei Veneris ab ortu solis usque ad eamdem horam diei Sabbati. Eidem titulo venditionis Bertrandus de Arenis & Petrus Bernardus filius ejus tradiderunt in perpetuum quidquid in molendinis & in resclausa & in fonte & in Graverone habebant, præsentibus Pontio de Vezenobrio milite, Petro Aldeberto milite, Pontio Guillelmo episcopo, Guillelmo de Ponte, Guillelmo Roberto Porcelli, & Pontia de Dion vicecomitissa, necnon Aldeberto episcopo Nemausensi, qui suum his tabulis sigillum apponi fecit, in quo veste monastica indutus exhibetur.

IV. Ayblina occurrit 1169. quo, (non 1159. uti legitur in probationibus t. 2. hist. Occitaniæ pag. 573. tunc enim Odila præerat) Petrus Bernardus de Capitolio quas partes habebat in *carto* molendini superioris de Fonte, & quidquid ibi possidebat in ipso molendino hac ei conditione concessit, ut filiam ejus Agnetem in sanctimonialem susciperet. Factum est hoc coram domino A. Nemausensi præsule, qui salvo suo dominio, & quatuor alberga militum laudavit hoc pactum, præsentibus G. Nemausi vicecomitissa, Guillelmo de Calmis, Guillelmo de Cortico, &c.

V. Geralda & Guiralda paciscitur an. 1199. pro nonnullis decimis cum Frotardo Nemausensis ecclesiæ præposito, in manu G. episcopi Nemaus.

VI. Beatrix I. eodem an. 1199. mense Octobri laudavit prædictam compositionem. Reperitur adhuc 1201. & 1206.

VII. Maria I. de Monte olivi sedit ab anno 1206. ad 1218.

VIII. Pontia de Capitolio, *de Cadoule*, nobili stirpe genita præerat 1228. VII. idus Febr. quo finis impositus controversiæ quæ hanc inter abbatissam & dominam Guiraldam uxorem quondam Rostanni Malzane tutricem liberorum suorum vertebatur in curia D. Arnaldi Nemausensis episcopi, pro bonis dominæ Pontiæ de Turre uxoris quondam Bernardi Guillelmi, quæ testamento heredem illorum monasterium instituerat. Eidem an. 1238. Bertrandus de Montemirato & Raimundus de Balma fratres pro se & pro Willelmo ac Bernardo fratribus suis certam condaminam a Raimundo de Montemirato testamento legatam monasterio pro fundanda capellania *desamparaverunt*. Fortasse tamen Pontia cesserat anno saltem præcedente; nam

IX. Maria II. Amalrici d'*Amaury* Guilaberto clerico domini senescalli cessit an. 1237. IV. idus Octobris in perpetuum beneficium reditus, obventiones & cetera omnia bona & jura quæ ad ecclesiam sancti Pauli pertinebant. Rexisse dicitur ad 1239.

X. Guillelma I. de Mascarone ab an. 1240. ad 1243.

XI. Ermessendis I. de Acrimonte a 1244. ad 1249.

XII. Guillelma II. de Mascarone, eadem forte quæ prima, rexisse dicitur ab anno 1249. ad 1255.

XIII. Beatrix II. de Blanziaco, seu Blandiaco, *de Blanzac* præfuisse memoratur ab anno 1255. ad 1261. quo tempore Ceciliam Fulcodii filiam Guidonis Fulcodii qui postea fuit papa Clemens IV. in sanctimonialem admisit. Huic Johannes Arelatensis archiepiscopus an. 1255. XIII. cal. Aprilis domum illam cum suis omnibus pertinentiis, quam olim *Repentitæ* in condamina castri Bellicadri incolebant, concessit habendam & tenendam in perpetuum suos ad usus sub regimine, correctione & obedientia archiepiscoporum. Actum apud Bellicadrum, præsentibus Guidone Falconio, fratre Pontio de S. Egidio, Bertrando de Croso, domno Bernardo Julliano Arelatensi archidiacono, & multis aliis. Anno 1259. Beatricem inter & dominam Petronillam uxorem Bertrandi de Montemirato militis pro bonis quæ Raimundus de Montemirato Bertrandi pater testamento legaverat inita est concordia, qua monasterium unum in perpetuum teneretur habere capellanum, qui quotidie pro animabus ejusdem Petronillæ & parentum ejus celebraret.

Ch. XXXII. col. 202.

XIV. Beatrix III. de Mirabello reperitur annis 1262. 65. & 74.

XV. Alixenda 1274.

XVI. Nilia 1275. ex archivo Monspeliensi.

XVII. Ermessendis II. de Montepesato 1276. & 1295.

XVIII. Guillelma III. Cadella 1295. 1299. & 1315. quo anno, die 4. Februarii Petrus Raynoardi domicellus filius quondam Petri Raynoardi de Nemauso vineam unam, quæ est in decimaria sancti Baudilii ad Fontem Odonelli in purum alodium ei vendidit.

XIX. Raimunda Amalrici rexit ad annum 1322.

XX. Beatrix IV. de Mascarone 1322. & 1329.

XXI. Berengaria I. d'Aramon ab anno 1330. ad 1340.

XXII. Arnalda de Capieriis moderatur ab anno 1342. ad 1348.

XXIII. Adelais a 1349. ad 1352.

XXIV. Draconeta de Ancezune cœnobio præficitur a Johanne episc. Nemausensi an. 1352. Rexit ad 1357.

XXV. Aldeberta d'Aramon Berengariæ superioris consanguinea sedit ab an. 1360 ad 1380.

XXVI. Berengaria II. de Genestoso a 1380. ad 1400.

XXVII. Petronilla de Posqueriis præfuit ab anno 1400. ad 1409.

XXVIII. Isabella I. Piconis a 1410. ad 1428.

XXIX. Catharina I. de Rupeforti ejus loci alumna per cessionem Isabellis Pichone instituitur a Martino V. octavo calendas Maii pontificatus anno XII. ex archivo Monspeliensi. Rexit ad 1468.

XXX. Catharina II. d'Aube de Roquemartine sedit ad annum 1480.

XXXI. Catharina III. de Pineto a 1480. ad 1500.

XXXII. Margareta I. Trencarda ad 1513.

XXXIII. Blanca de Albiniaco a 1513. ad 1522.

XXXIV. Isabellis II. de Rovery ad 1526.

XXXV. Guillelma IV. de Rispo ad 1560.

XXXVI. Catharina IV. de Bornjuif ad 1576.

XXXVII. Claudia de Cubiere ad 1596.

XXXVIII. Margareta II. de Murot ad 1617.

XXXIX. Margareta III. de Rodolfe ad 1652.

XL. Armanda de Varaire assumta e cœnobio S. Petri Lugdunensis memoratur abbatissa S. Salvatoris de Bellicadro 1655. & 1680.

XLI. N. de Raoussel defuncta est 1693.

XLII. N. de Georges de Taraut de Laugnac abbatissa Bellicadri designatur a rege 8. Septembris 1693.

XLIII. N. de la Fare loci alumna schedula regia fit abbatissa S. Salvatoris de Bellicadro 23. Maii anno 1711.

FRANCÆ VALLES seu LIBERA VALLIS, *Franquevaux.*

Cisterciensis ordinis e linea Morimundi monasterium situm est in magna planitie una leuca a S. Egidio, ad oram scilicet vallis Flavianæ, ubi fundatum est III. cal. Junii an. 1143. a nobili viro Pontio Guillelmi, opem ferentibus S. Egidii comitibus & abbatibus ac monachis Sanctegidianis, cui plurima quoque contulit Raimundus dux Narbonæ & marchio Provinciæ. Ejus meminerunt Eugenius papa III. cap. *Imperatorum* de juramento calumniæ, quod est ad Nemausensem episcopum, & Innocentius III. an. 1198.

Prob. hist. Occit. t. 2. col. 501. Ch. XXVI. col. 192.

ABBATUM SERIES.

I. GALTERIUS excepit fundationem, locum scilicet, qui dicitur *Franca vallis*, quem ei dederunt Pontius Guillelmi, Bacheria uxor, & Raimundus Guillelmus, Geraldus, Pontius & Petrus eorum liberi circa 1143. subscriptis testibus Aldeberto Nemausensi præsule, Rostagno de Poscheriis, & filio ejus Rostagno, Petro Bellivicini, & altero Petro de Poscheriis. Eodem circiter anno Petrus de Chassario, Gilia uxor & alii querimoniam suam Galterio abbati relaxarunt.

Ibid.

II. Willencus memoratur abbas secundus in charta mensis Maii anno 1147. qua Gosselinus dominus de Lunello ei se beneficum præbuit, assentientibus fratribus ejus Rainone & Guillelmo Rainone in gratiam Willenci abbatis secundi & Hugonis abbatis tertii. Reperitur eodem anno & 1152. in codice ms. D. marchionis d'Aubais. Nonnulla Willenco abbati contulit Alfannus episcopus Cavellicensis, quæ postea Benedictus sedis ejusdem antistes Hugoni successori anno 1156. confirmavit.

Ibid. col. 193.

III. Hugo I. dicitur abbas tertius in charta memorata anni 1147. non quod esset abbas hoc anno, sed quod Raino & Guillelmus Raino assensum datum donationi Willenco factæ a fratre suo domino de Lunello, in eadem postmodum charta ratum habuerunt in gratiam Hugonis abbatis tertii. At vere occurrit abbas 1154. & 1156. pridie nonas Junii, quo Benedictus episcopus Cabellicensis ab Alfanto decessore factam Willenco donationem Hugoni confirmavit. Eodem anno 25. Martii Raimundum comitem Tolosanum, ducem Narbonæ & marchionem Provinciæ assentiente Constantia regina, ipsius conjuge, regis Francorum sorore munificum experitur. Denique anno seq. Guillelmus cognomento Gregorius eidem cessit quidquid habebat vel habere debebat apud Podium Calvinum.

Ibid. Ibid. col. 194.

IV. Pontius I. an. 1158. eorum omnium quæ Pontius de S. Justo habebat vel habere debebat apud Fontillas donum ab eodem accepisse dicitur, vereor tamen ut sincera sit hæc nota chronica; enim vero similis omnino habetur donatio anno 1188.

Tom. XII. fragm. Stephanotii nostri p. 168. Ibid. pag. 173.

V. Bertrandus I. 1160. plurima comparavit apud Roveriam.

Ibid. pag. 169.

VI. Vivianus anno 1161. donum accepit a Raimundo seu Ragimundo Petri de Agantico, cui subscripsit Ermengaudus abbas Vallis magnæ. Anno 1163. mense Martio ei quædam contulit Bertrandus de Cavaillon.

Ch. XXVI. col. 194.

VII. Bertrandus II. beneficos experitur Pontium Bremundum, & Bremundum de Somidrio, necnon Petrum de Ripalta mense Junio anni 1168. præsente B. abbate sancti Egidii. Eodem anno Rainonis domini du Caylar fratris Gosselini domini de Lunello donationem excepit, cui consensit Raimundus ejus filius mense Martio anni sequentis. Ei Petrus Caussamira totum hoc ipso anno 1169. vendidit honorem, quem prope silvam Fornelos possidebat. Anno 1171. mense Junio eidem se munificos exhibuerunt Hugo & Bertrandus de Baux fratres, Alfonsus rex Aragonum, comes Barcinonensis & marchio Provinciæ mense Febr. ejusdem anni; Raimundus Gaucelinus dominus de Lunello an. 1173. Bermundus dominus Ucetiæ & Posqueriarum anno 1174.

Ibid. col. 195. Ibid.

præsentibus Petro d'Usez abbate Psalmodiensi, & Guillelmo abbate sancti Tiberii, & circa hunc annum Raimundus Narbonæ dux, comes Tolosæ & marchio Provinciæ. Transegit an. 1173. mense Martio Bertrandus cum Raimundo, Berengario, & Guillelmo du Caylar fratribus, arbitris Pontio Gaucelin & Petro de Posquieres. Reperitur adhuc 1175.

Ibid. col. 196.

VIII. Pontius II. acquisivit paludes Pontii Aquilonis sitas juxta stagnum Scamandri anno 1176. Insequenti donum accepit a Bernardo Atonis vicecomite Nemausensi. De monasterio legatis a Guillelmo de S. Columba pro sua ibidem sepultura concordiam iniit eodem anno 1177. arbitris A. Nemausensi & W. Tricastino episcopis, necnon A. abbate B. Mariæ de Aquabella. Pepigit eodem circiter anno cum Guillelmo Psalmodiensi abbate, coram episcopo Albanensi, in provincia Occitaniæ sedis apostolicæ legato, & Aldeberto Nemausensi præsule. Bertrandum de Baux, assentiente Tiburge uxore cum eorum liberis Bertrando, Guillelmo & Hugone beneficum expertus est an. 1178. Emit anno sequenti VII. idus Aprilis ab Ermengarde consilio & voluntate ipsius mariti R. de Vicenobrio, &c. quidquid habebat, vel habere debebat in *pertinemento* de Campanol, pro trecentis quadraginta solidis Melgoriensibus. Actum apud Montempessulanum, ex ms. codice bibliothecæ D. marchionis d'Aubais 77. I. fol. 321. & 322. Acquisivit 1180. a Bernardo de S. Justo totum quem habebat honorem apud Fontillas. Mense Octobri anni seq. de nonnullis eidem Pontio Eleazardus dominus de Posqueriis gratificatus est. Eodem anno 1181. pridie cal. Julii Alix uxor Dalmatii du Caylar ei terram de Piscatoriis vendidit. Extant ad eumdem litteræ Ildefonsi regis nonnulla cœnobio dantis an. 1184. mense Martio. Eodem Raimundus Niger miles de Lunello dimisit Pontio abbati quidquid habebat, vel habere debebat in villa de Levedonio, *de Levezon*. Anno 1187. mense Augusto Raimundus dux Narbonæ & marchio Provinciæ ei quædam largitus est. Privilegium accepit ab Elezardo domino de Posqueriis, præsentibus Guillelmo Nemausensi præsule, & Bernardo filio domini Monspeliensis, Francarum vallium monacho, 1188. mense Aprili. Memoratur 1190. cum Guillelmo Psalmodii abbate, 1194. 1198. & 1200. quo Willelmus episc. Mimatensis ei decimas mansi de Bercadura concessit. Anno seq. pridie cal. Martii precum iniit societatem cum Gauscelino Anianensi abbate, cum quo etiam convenit pro ecclesia S. Salvatoris de Pinu; grangia vero ejusdem loci 1202. mense Aprili donatus est a Raimundo duce Narbonæ, comite Tolosano & marchione Provinciæ, reginæ Constantiæ filio. Pervenit Pontius abbas ad annum 1208.

Prob. hist. Occit. t. 3. col. 141.

Ch. XXVI. col. 196.

Prob. hist. Occit. t. 3. col. 151.

Ch. XXVI. col. 197.

Ibid.

Charta XXVIII. col. 199.

IX. Petrus I. Benedicti gente in Septimania haud ignobili satus, paciscitur an. 1209. cum Bernardo de Viridi folio Anianensi abbate & conventu super ecclesia S. Salvatoris de Pinu, ex tabulario Anianæ. Sub eo 1215. Guillelmus de Pinu & Oliva uxor sese monasterio devoverunt. Produxit regimen & vitam ad annum saltem 1219.

X. Rostagnus 1232. de quo ad limen basilicæ Francarum vallium, quæ satis est ampla & culta, hæc leguntur: *Anno Incarnati Verbi MCCXXXII. abbas Rostannus operari..... ius fecit ruiturum.....* Cetera legi non potuerunt.

XI. Guillelmus I. de Beliart an. 1235. litem pro decima & ecclesia S. Salvatoris de Pinu pacifice finivit.

XII. Firminus 1243. & 1258.

XIII. Guillelmus II. 1273. & 1276.

XIV. Hugo II. 1299. & 1300.

XV. Raimundus I. 1312. & 1317. quo anno misit ad concilium Biterrense. Occurrit adhuc 1318. & 1321. die 24. Martii, quo regi hominium præstitit.

XVI. Petrus II. Fredoli vulgo *de Fredols* Andreæ Fredoli episcopi Magalonensis patruus, de quo vide Gariellum part. 1. pag. 455. rexit anno 1321.

XVII. Renaudus 1328. idem haud dubie qui Remundus 1329.

XVIII. Berengarius de Levesono 1333. & 1340.

XIX. Bernardus 1351. Rexit ad annum quartum Innocentii papæ VI. hoc est 1354. aut 55. quo factus est abbas Sinanquæ, ex actis pontific. Avenion.

XX. Johannes I. Amalrici monachus Vallis magnæ evasit abbas Francarum vallium bulla Innocentii papæ VI. data Avenione anno pontificatus IV. Occurrit 1359. anno pontificatus IX. Innocentii VI. seu 1360. aut 61. e schedis doctissimi Henrici Suarezii.

XXI. Petrus III. de Bellovicino hujus loci alumnus Johanni subrogatur bulla Innocentii papæ VI. anno pontificatus IX. Rexit ad annum VII. pontificatus Urbani VI. ex actis pontificatus Avenion.

XXII. Gerardus Corregii Fontis frigidi monachus abbas Francarum vallium efficitur bulla Urbani VI. anno pontificatus VII. ex iisdem actis. Guiraudus abbas memoratur 1370. 15. Nov. & 1373. 18. Jan. in chartis authenticis collectionis D. de Gagneres asservatæ in bibliotheca regia.

XXIII. Raimundus II. 1388.

XXIV. Petrus IV. 1405. & 1409.

XXV. Johannes II. 1437. & 1461.

XXVI. A. 1461. fortasse Antonius, qui Francarum vallium legitur abbas 1479. in veteri charta ecclesiæ Nemausensis.

XXVII. Pontius III. de Ranco, *de Ranc*; 1482. & 1508. die 26. Febr. in charta authentica laudatæ collectionis. Reperitur 1527. & 1536. quo anno simul erat canonicus & sacrista ecclesiæ Nemausensis ordinis S. Augustini, necnon prioratum regularem sancti Germani de Calberta ordinis S. Bened. Mimatensis diœcesis, ex concessione apostolica obtinebat. Denique an. 1539. XI. Maii bullam pro abbatia S. Egidii a statu regulari convertenda in sæcularem a papa delegatus promulgavit.

Ch. LXVII. col. 399. & 400.

XXVIII. Petrus V. de Pierrevive 1548.

XXIX. Benignus I. de Mascharon, *al.* de Macheco vir nobilis, 1556. & 1557. Obiit 1564. 8. Febr. conditus in cœmeterio SS. Innocentium Parisiis, cum pluribus suæ nobilis gentis, qui omnes habent epitaphium commune adhærens ossium conditorio a parte plateæ *de la Feronerie.*

XXX. Claudius de Faucon nepos Francisci episcopi Carcassonensis, XI. Augusti 1565.

XXXI. Johannes III. du Bousquet 1620.

XXXII. Stephanus du Bousquet obiit anno 1678.

XXXIII. Petrus VI. du Crousset rexit ab an. 1678. ad 1702. quo migravit a sæculo.

XXXIV. Ludovicus de la Petitiere designatus a rege die I. Nov. 1702. sedit ad annum 1725. quo per ejus obitum

XXXV. Ludovicus Franciscus de Vivet de Monclus major vicarius episcopi Lingonensis, a rege Christianissimo Francarum vallium abbas nominatus est 27. Aprilis 1725. Nunc est episcopus Sanbriocensis.

CLARISSÆ NEMAUSENSES.

JOHANNES papa ejus nominis XXII. meminit cœnobii monialium S. Claræ Nemausi, quarum & abbatissæ impense laudat vitæ sanctitatem; quapropter eadem illis quæ concessa erant Avenionensi sanctæ Claræ monasterio privilegia concedit. *Datum Avenione calendis Septembris anno XII.* ex regesto ejusdem pontificis & anni num. 2801. Huic etiam monasterio idem pontifex concessa olim ab Alexandro IV. & ab Urbano IV. privilegia confirmavit XIII. cal. Decembris anno pontificatus XIII. Duæ tantummodo nobis occurrerunt abbatissæ.

B

Paula de Codolia an. 1326. in actis cujusdam venditionis factæ ab Alassia de Bardico moniali S. Claræ Nemausensis, ex Baluzio in codicibus mss. in quarto n. 544.

Luquina memoratur ejusdem loci abbatissa an. 1362. mense Decembri in archivis cameræ rationum Parisiensis.

ALAIS.

ECCLESIA ALESIENSIS.

ALESIA & ALESTUM urbs est in provincia Narbonensi duabus Andusia leucis versus fanum S. Spiritus, *le Pont S.t Esprit,* Ucetia quinque ad Occasum, ubi Vardo fluvius, *le Gardon,* præterlabitur, ad pedem montium, nec longe a Gebennis, *les Cevennes,* quorum est primarium caput. Laudatur capax, elegans, muro cincta, arce munita, præsidio instructa, & ornata præfecto. Hæc urbs portio quondam Nemausensis episcopatus, præmissis omnibus requisitis, nempe Ludovici magni Francorum regis precibus, cardinalis de Bonzi Narbonensis archiepiscopi consilio, ob nimiam scilicet recens ad fidem catholicam conversorum multitudinem, quibus haud poterat episcopus Nemausensis sufficere, & assensu tam episcopi Nemaus. & capituli, quam Alesiensis & Psalmodiensis capitulorum, erecta fuit in episcopalem ecclesiam ab Innocentio papa XII. anno 1694. XVI. cal. Junii. Eapropter collegiata sancti Johannis Baptistæ Alesiensis basilica, cujus tunc capitulum decano, qui choro præsidebat, & sacrista, qui curam animarum gerebat, utroque canonico, decemque[a] aliis canonicatibus constabat, facta est cathedralis, haud parum nobilitata & ditata collegiatæ & sæcularis abbatiæ Psalmodii in oppido Aquarum mortuarum existentis accessione, utpote quæ tribus constabat dignitatibus[b], decanatu scilicet, præpositura & archidiaconatu, duobus personatibus, canonicatibus quindecim, totidemque [c]presbyteris, cum duobus servientibus; sive, ut alibi notatur, [d]hoc erat compositum capitulum quatuor dignitatibus, præpositura scilicet, archidiaconatu, cantoria & succentoria, undecim canonicatibus, ac duodecim presbyteris revocabilibus inservientibus choro, præter duos acolythos & unum clericum pariter revocabiles. Hisce ita dispositis, ea fuit ordinatio capituli cathedralis, ut quamdiu decanus Alesiensis decanatum retineret, eodem tamdiu cum præposito Psalmodiensi frueretur honore, sed statim ac cederet, aut decederet, suppresso decanatu, præpositura foret prima post episcopalem dignitas, & caput capituli, absente episcopo: proximum ab illo gradum obtineret primus archidiaconus, qui appellaretur magnus archidiaconus Alesiensis, erigendus & dotandus ex reditibus suppressi decanatus, post eum archidiaconus Psalmodii, successiveque cantor Psalmodii, sacrista Alesiensis, & succentor Psalmodii, ceteræque aliæ dignitates, officia & personatus, ac quilibet canonicus Psalmodii & Alesiæ ratione antiquitatis indifferenter sumendæ a die initæ possessionis, necnon duodecim presbyteri, duoque acolythi & unus clericus ad nutum præpositi & capituli revocabiles. Statutum quoque est sacristam Alesiensem curæ animarum, ut prius, operam daturum, propriumque parochum in ecclesia Psalmodiensi relinquendum. Hanc autem bullam suo rex diplomate dato mense Junio ejusdem anni ratam haberi voluit & in commentarios referri a senatu Tolosano, qui hoc præstitit eodem anno 22. Octobris. Dos igitur episcopatus fuit ipsamet abbatialis mensa Psalmodiensis valoris 18000. librarum Turonensium, cujus aliunde præsuli omnia jura ceterorum provinciæ episcoporum competunt, qualis est prærogativa in comitiis Occitaniæ generalibus sedendi, &c.

Ch. I. II. III. & IV. col. 225. 229. 249. & 255.

[a] *Ibid. col.* 226. 228. & 256. octo vero, *ibid. col.* 234. & 249.
[b] *Ibid. col.* 227. & 228.
[c] duodecim, *ibid. col.* 228. & 246.
[d] *Ibid. col.* 249.

Ch. V. col. 261. & 263.

Protenditur diœcesis juxta terminos diœcesum Nemausensis & Uceticensis ab Oriente, Ruthenensis & Vabrensis ab Occidente, Montispessulani & Leutevensis a Meridie, ac Mimatensis a Septentrione; sexdecim leucis Occitanicis communibus Galliæ longioribus in longitudinem, decemque in latitudinem patet, aut circiter: quæ quidem distincta in septem archipresbyteratus, octo continet

oppida, seu civitates, oppida inferiora triginta sex, oppidula quadraginta quinque, ac nonaginta unam parochias præter ecclesiam cathedralem.

Tres sunt in urbe Alesia virorum conventus, Fratrum Prædicatorum, Minorum & Capucinorum, duo sanctimonialium cœnobia, Cistercienfium & S. Ursulæ, duo sodalitia, confalonis, vulgo Pœnitentium alborum, ac sanctissimi sacramenti, ac publica egenorum domus. Nunc primum texenda series episcoporum.

EPISCOPI ALESIENSES.

ANNI CHRISTI

I. Franciscus.

CHEVALIER DE SAULX. 1687.

Primus a rege Christianissimo præ ceteris ecclesiasticis viris cleri Gallicani ad hanc sedem regendam jam anno 1687. mense Augusto delectus est Franciscus Chevalier de Saulx, quod in hæreticorum conversione summa jam dudum prudentia se gessisset. Nempe, ut diximus, ob nimiam seu recens ad fidem catholicam conversorum, seu reliquorum heterodoxorum multitudinem, qui hisce in montibus latitabant, hic locus nova sede episcopali insignitus fuit. Haud prius tamen Franciscus nobili apud Pictones gente, Sorbonicus doctor, ac socius admissus 31. Martii 1678. & abbas de Voto, Romæ proclamatus est novi episcopatus præsul, quam 10. Aprilis 1694. quando videlicet omnia, quæ spectabant ad erectionem episcopatus, completa sunt. Sacram dein unctionem accepit apud Montempessulanum in ecclesia monialium Visitationis die Dominica 29. Augusti ejusdem anni a Petro cardinali de Bonzi Narbonensi archiepiscopo, collaborantibus Michaele Poncet de la Riviere Uceticensi, & Jacobo Antonio Phelypeaux Leutevensi episcopis. Regi fidem juravit die 3. Julii 1695. Inter legatos Occitaniæ comitiorum, qui regi codices exhibuerunt an. 1701. die 21. Junii, unus omnium nomine ad regem verba fecit. Interfuit anno 1705. cœtui cleri Gallicani. Obtinuit a rege 1708. mense Januario sex mille librarum pensionem ex episcopali mensa Mimatensi percipiendam. Denique obiit præsul optimus in sua diœcesi sub finem mensis Octobris an. 1712.

(1694. 1695. 1701. 1705. 1708. 1712.)

II. Ludovicus Franciscus Gabriel.

DE HENNIN LIETARD.

Cabilonensis episcopi vicarius erat generalis Ludovicus Franciscus Gabriel de Hennin Lietard, quando rex illum designavit Alesiensem præsulem 23. Jan. 1713. Die 9. Julii ejusdem anni episcopali charactere insignitus est ab eminentissimo cardinali Noallio Parisiensi archiepiscopo, in sacello archiepiscopali, opem ferentibus Monspeliensi & Mimatensi præsulibus. Inde vero transfertur ad metropolim Ebredunensem anno 1719. mense Nov. ut videre est t. 3. col. 1100.

(1713. 1719.)

III. Carolus.

DE BANNES D'AVEJAN.

Alesiensi ecclesiæ vacanti jam quatuordecim mensibus nominatione regia præfectus est Carolus de Bannes d'Avejan die 8. Jan. an. 1721. Admissus 28. Maii in consistorio pontificio, seu bullas consecutus, die 27. Julii ejusdem anni 1721. sacro delibutus est oleo in ecclesia Carmelitarum discalceatorum Parisiis ab archiepiscopo Ebredunensi, suo in Alesiensi cathedra antecessore, assistentibus Nannetensi, & Lombariensi episcopis. Regi fidem obstrinxit 10. Augusti ejusdem anni. Est etiam abbas de Monteburgo ab anno 1723.

(1721.)

PRÆPOSITI ALESIENSES.

I. N. de Meretz abbas S. Petri Salvensis, & vicarius generalis episcopi Alesiensis, ejusdem ecclesiæ præposituram obtinuit. Scripsit colloquia de variis circa religionem capitibus.

II. N. Scovin Alesiensis præpositus nominatur a rege an. 1720.

Duo hujus ecclesiæ decani nobis occurrerunt.

I. Marcus de la Fare filius Francisci baronis de la Salle ex Anna de Cambis, qui nuptias contraxerunt an. 1655.

II. Antonius Aurelius de la Fare Tornac superioris ex fratre Christophoro nepos, simul abbas Silvanesii, & præpositus ecclesiæ collegiatæ Aquarum mortuarum, obiit Alesiæ 4. Novemb. 1699. ætatis 30.

DE VETERIBUS MONASTERIIS DIŒC. ALESIENSIS.

I. Tornac. Ch. I. col. 165.

Sanctus Stephanus de Tornaco, antiqua cella est diœcesis olim Nemausensis, nunc autem Alesiensis, quam Ludovicus augustus IV. calend. Decembris anno imperii primo, hoc est 814. Christiano episc. Nemausensi confirmavit. Nunc est prioratus ordinis Cluniacensis, de quo sic habetur in biblioth. Cluniacensi col. 1727. *Prioratus de Tornaco, Nemausensis diœcesis, ubi debent esse priore computato quindecim monachi, & debent ibi celebrari quotidie tres missæ cum nota, & debet fieri ibidem eleemosyna continue; & ante unionem prioratus de Buxetis, non erant nisi tredecim monachi priore computato, sed propter dictam unionem fuerunt additi duo monachi, qui olim morabantur in dicto prioratu.* Prioratus autem immediate subditi prioratui de Tornaco, ita recensentur *ibid.* col. 1731. *Prioratus de Andusia Nemausensis diœcesis; prioratus S. Nazarii de Gardiis Nemausensis diœcesis; prioratus de Columberiis Nemausensis diœcesis; prioratus de Buxeriis*, al. *de Buxetis*

unitus de novo mensæ prioris de Tornaco; prioratus de Soca, & prioratus de Vabres.

Hunc prioratum adhuc conventualem anno 1410. obtinebat Petrus Gerardi S. R. E. card. & episcopus Tusculanus, ut liquet ex ipsius codicillo qui sic habet: *Item donamus, legamus, & concedimus pro reparationibus ædificiorum ecclesiæ & hospitii nostri prioratus conventualis de Tornaco Cluniacensis ordinis Nemaus. diœcesis summam XL. francorum auri semel solvendorum.*

DE MONASTERIIS

Quæ abbatiali titulo gaudent.

Tria sunt quæ ad Nemausensem antea diœcesim pertinebant, duo ord. S. Benedict. virorum, tertium ordinis Cisterciensis feminarum.

B. Maria de Sendraco, *Sendras*, ord. S. Bened.

S. Petrus Salvensis, *Salve* ou *Sauve*, ord. S. Bened.

S. Clara Alesiensis, seu B. Maria de Fontibus, ordin. Cisterciensis feminarum.

B. MARIA DE SENDRACO, *Sendras.*

PRimus auctor monasterii Sendracensis ordinis S. Benedicti ad Wardonem fluvium, diœcesis olim Nemausensis, nunc Alesiensis, quod una circiter ab Alesia leuca ad Austrum distat, nullis ex monumentis deprehenditur. Id unum constat datum fuisse Aldeberto Nemausensi episcopo ab Innocentio papa II. confirmatumque ab Eugenio III. & a Ludovico Francorum rege, ex Catello commentariorum Occitaniæ fol. 980. & ab Adriano IV. ex bulla anni 1156. quam in appendice nostra descripsimus. Urbanus papa V. illud cœnobio S. Victoris Massiliensis subjectum voluit idibus Julii 1366. anno pontificatus IV.

Charta XXVIII. col. 198.

SERIES ABBATUM.

I. SEGUINUS abbas *Cendratis* subscribit chartæ Bernardi Peleti domini de Andusia, ejusque liberorum Fredoli Aniciensis & Geraldi Nemausensis episcoporum, pro ecclesia Nemausensi anno 1020. die Jovis XIII. cal. Novembris, regnante Roberto rege anno XXVI. *lege* XXIV.

II. Petrus I. anno 1143. præsens memoratur donationi mansi de Serrimagis factæ hospitalariis de Mierus a Bremundo Pelet comite Melgoriensi & Alesiæ domino cum uxore Agnete. Idem fortasse qui Petrus Arnaldi anno 1157. subscripsit cuidam chartæ, quam Raimundo magistro hospitalis Jerosolymitani indulsit Bertrandus sancti Egidii abbas. Petrus vero simpliciter dictus interfuit concilio Lumberiensi diœcesis Albiensis adversus hæreticos Albigenses an. 1165. latamque in eos sententiam ratam habuit, ex tabulario Inquisitionis.

III. Emeno innotescit abbas Sendracensis, ex necrologio S. Egidii, ad XII. cal. Maii, annus non notatur.

IV. G. 1280. excusat se quod non interfuerit concilio Biterrensi, fortasse Geraldus cujus habetur memoria in necrologio S. Egidii IV. idus Junii.

V. Johannes I. an. 1317. delegat ad concilium Biterrense.

VI. Arnaldus Sendraci abbas una cum Willelmo d'Olargue Caunensi & Raimundo S. Polycarpi abbatibus fit collector pecuniarum in capitulo generali habito apud S. Tiberium an. 1329. in quo unus erat ex præsidibus.

VII. Petrus II. instituitur abbas Sendracensis anno IV. Urbani papæ V. eodem quo monasterium Massiliensi S. Victoris subditum est, ex actis pontificum Avenion.

VIII. Johannes II. interest capitulo generali monachorum Carcassonæ habito 1401. in quo visitator Narbonensis, Tolosanæ, & Auxitanæ provinciarum institutus dicitur, *al.* visitator solummodo monasteriorum S. Egidii & Salviensis, ac cœnobiorum sanctimonialium diœcesum Nemausensis & Uceticensis die 16. Maii.

IX. Petrus III. adfuit concilio Pisano anno 1409. ex actis ejusdem editis tom. 6. Spicil. pag. 367. Idem est profecto ac Petrus de Gaudiaco decretorum doctor & officialis metropolitanus Narbonensis 1429. qui postea permutavit cum Johanne Caunensi abbate, approbante Martino V. pontifice anno pontificatus duodecimo XII. cal. Novembris.

X. Johannes III. de Gosis prius abbas Caunensis, & ex permutatione Sendracensis anno XII. pontificatus Martini V. idem fortasse ac J. qui capitulo provinciali monachorum adfuit 14. Julii an. 1445. quippe Johannes nominatur 1448.

XI. Johannes IV. de Sorbieres reperitur 1466. 8. Martii & 30. Octobris, 1470. 18. Martii & 1476. 3. Febr. simul etiam prior sancti Martini de Pontibus & Tessonis in diœcesi Santonensi, in chartis authenticis prioratus S. Martini de Pontibus. Incendio consumtus est cum duobus monachis & maxima cœnobii parte anno 1480. XI. Aprilis, ex archivo Monspeliensi.

XII. Ludovicus du Poix monachus & sacrista Gellonensis, seu S. Guillelmi de Deserto abbas Sendracensis, de quo sic habet necrologium Gellonense ad X. cal. Aprilis: *Obiit Ludovicus du Poix sacrista hujus monasterii, abbas vero Sendracensis, qui obiit anno 1591.*

XIII. Henricus Rotondi abbas Sendracensis & præpositus ecclesiæ cathedralis Montalbanensis, circa 1630.

XIV. Johannes Armandus de Rotondis de Biscaras episc. Biterr. & antea Diniensis ac Leutev. abbas erat Sendracensis an. 1680. ex cessione Henrici patrui. Biterris decessit 15. Febr. 1702.

XV. Robertus Pocquelin socius Sorbonicus, a rege nominatus 15. Aprilis 1702. cessit, inquiunt, mense Martio anni 1709.

XVI. N. Fanti designatur abbas die 5. Aprilis an. 1709.

XVII. N. de Broissia nominatur 24. Decembris 1710.

XVIII. Honoratus Franciscus Casaubon de Maniban renunciatus 15. Augusti 1712. adfuit comitiis generalibus cleri Gallicani anno 1715. Postea fuit episcopus Mirapicensis, nunc vero archiepiscopus Burdegalensis ab anno 1729.

S. PETRUS SALVENSIS, *S.t Pierre de Salve.*

CŒnobium, seu cellam S. Petri *in confinio Nemausensi, in loco qui vocatur Salvens*, septem leucis a Nemauso Occidentem æstivum versus construxerunt, & ex propriis impense dotaverunt an. 1029. feria VI. XV. cal. Jan. nobilis quædam matrona, Garsindis nomine, Bernardi domini d'Anduze & de Sauve vidua, duoque ipsius liberi Bermundus & Almeradus, eamque cellam *altari S. Salvatoris & ligno S. Crucis* ibi refulgenti, & B. Guillelmo illic quiescenti tradiderunt, ut Gaufredus abbas Gellonensis cum sua congregatione novum illud monasterium ordinaret, a quo in signum subjectionis viginti solidos annui census, decem videlicet in Natali Domini, totidemque in solemnitate S. Petri, III. cal. Julii acciperet. Actum in præsentia Willelmi comitis Tolosani, Froterii Nemausensis episcopi, Attonis vicecomitis & aliorum quos vide-sis in chartis appendici nostræ insertis, & apud Catellum hist. comitum Tolos. pag. 102. & 103. Id vero non solum ratum habuit confirmavitque Petrus Bermundi an. 1074. feria VI. (*lege* III.) nono cal. Octob. ind. XII. sed etiam an. 1077. hanc adauxit fundationem, Berengario tunc abbate Gellonensi, pro remedio animarum tam suæ quam parentum, & ob convenientiam quam fecit avus ejus Bernardus marchio & pater ejus Bermundus Gaufredo abbati Gellonensis monasterii; iterumque huic cœnobio prioratus sancti Petri de Salve confirmatur an. 1146. pontificio Eugenii III. diplomate. At Salva in abbatiam sui juris erecta a Clemente IV. pontificatus anno tertio, hic est 1267. tandem bulla Urbani papæ V. anno pontificatus IV. idibus Julii Massiliensi sancti Victoris monasterio subdita est, ex actis pontificum Avenion. & schedis doctissimi Henrici Suarez.

Ch. VIII. & IX. col. 173. & 174.
Ch. XIV. col. 180.
Ch. XVI. col. 280.

INDEX PRIORUM.

I. GERALDUS de Uglas primus prior recensetur in charta quasi fundationis an. 1029. ubi vir valde prudens dicitur. Postea tamen ejectus a prioratu & ad Gellonense monasterium revocatus, inibi decanus a Gaufrido abbate fuit constitutus.

Prob. hist. Occit. t. 2. col. 184.
Ch. IX. col. 176.
Ch. XIII. col. 179.

II. Guillelmus Pharaldus ab eodem Gaufrido abbate in locum Geraldi subrogatus, memoratur prior Salviensis an. 1052. in testamento Almeradi domini Andusiæ. Rexit per plurimos annos, factus postmodum Psalmodiensis abbas, tandemque mortuus est in prædicta S. Petri Salviensis cella; quam dum regeret nondum abbas, invidia ductus quidam monachus nomine Pontius Garnerius fraudulenter adiit principes offerens eis pecuniam pro prioratu S. Petri Salviensis. Obtinuit quidem, sed Gellonenses monachi conquesti apud Froterium Nemausensem episcopum effecerunt ut illum excommunicaret; quod cum ille parvi penderet sæculari potentia fretus, monachi Romam petierunt ad Alexandrum papam, qui Froterii præsulis sententiam confirmavit. Attamen Gellonensium beneplacito rexisse videtur ex dicendis, sed nonnisi post Emenonem & Pontium Eblonem, qui sequuntur.

Prob. hist. Occit. t. 2. col. 219.
Ch. XIII. col. 179.

III. Emeno & Emmeno fuit monachus Gellonensis, postea prior Salvæ, ac demum Anianensis abbas ex necrologio Gellonensi, in quo memoratur XIV. cal. Maii.

IV. Pontius Eblo decanus Gellonensis monasterii, & abbas cœnobiorum Leutevensis & Juncellensis, a Petro Gellonensi abbate prior S. Petri Salviensis constitutus est. Forsan is est Pontius de quo necrologium Gellonense, *IX. cal. Aprilis obiit Pontius prior Salviensis.*

V. Pontius Garnerius prius invasit hunc prioratum, uti supra diximus, quem postea legitime possedit an. 1085. Ejus ita meminit Gellonense necrologium: *XII. calendas Septembris obiit Pontius Garnerius prior Salviensis.*

VI. Raimundus de Brodeto donum ecclesiæ S. Petri de Mayrois pro cœnobio Gellonensi, tempore Berengarii abbatis, excepit a canonicis ecclesiæ Nemausensis, ex tabulario Gellonensi fol. 147. Memoratur & Petri Ermengaudi Nemausensis episcopi tempore circa 1090. De eo sic habet necrologium Gellonense: *II. idus Aprilis obiit D. Raimundus de Brodeto prior Salviensis.*

VII. Rainaldus innotescit ex solo Gellonis necrologio, ubi sic habetur: *II. nonas Junii obiit Rainaldus prior Salviensis.*

VIII. Guillelmus Rostagnus e monacho Gellonensi prior Salvæ haud etiam aliunde dignoscitur quam ex necrologio Gellonensi, VIII. calend. Sept. & VII. calendas Decembris.

IX. Petrus I. prior Salvæ laudatur circa 1162. in charta Bernardi de Andusia.

Prob. hist. Occit. t. 2. col. 589.

X. Hugo memoratur hoc ipso anno 1162. in festo S. Martini, quo Guillelmus de Petramala consilio & voluntate Bernardi d'Anduze senioris sui Hugoni priori Salvæ recognoscit vicariam de Portis, &c. tenere se a cœnobio Salviensi.

Prob. hist. Occit. t. 2. col. 590.

XI. P. Rai. prior de Salve mense Octobri an. 1184. testis est in charta Bernardi de Andusia cœnobio Bonæ vallis apud Ruthenos & Petro ejus abbati nonnulla concedentis.

XII. Petrus II. de Cerviera Gellonis monachus Salvam regebat 1221. & adhuc fortasse 1229. quo Petrus episcopus Leutevensis huic cœnobio se munificum præbuit, ex pontificio Leutevensi Plantavitii fol. 140. Petri prioris ita meminit necrologium Gellonense: *VI. idus Novembris obiit D. Petrus de Sermeira vel Cerviera prior Salviensis.*

ABBATES.

I. FREDOLUS de Chavanon rexit ad annum saltem 1279.

II. Guido 1280. cujus obitus dies memoratur XV. cal. Aug. in necrologio Silvæ majoris.

III. H. de Tribus fontibus, *de Tresfons*, præerat an. 1307.

IV. Raimundus I. an. 1321. die 23. Martii procuratorem instituit, qui ipsius nomine regi fidem juraret.

V. Decanus de Ucetia stirpe nobilissima Uceticensium toparcharum natus, e monacho

Gellonensi fit abbas Salviensis ad annum 1324. quo translatus est ad abbatiam sancti Guillelmi de Deserto, bulla Johannis papæ XXII. data Avenione anno pontificatus VIII. ex regesto ejusdem pontificis asservato in archivo vicelegati Avenion.

VI. Raimundus II. eadem bulla constituitur abbas monasterii Salviensis.

VII. Hugo Seguini interest anno 1372. die 5. Junii translationi corporis Urbani papæ V. in ecclesiam sancti Victoris Massiliensis, ex archivo hujus cœnobii. Vide Cassianum illustratum fol. 633. & seq. Adhuc præerat 1390.

VIII. Guarnerius de Cornelio occurrit abbas annis 1416. & 1417.

IX. Johannes I. de Rocamaura filius Ermengaudi de Rochemore domini de Manduel sedebat an. 1442.

X. Rostagnus d'Ancezune de Caderousse commendatarius abbas 1492. tum episcopus Forojuliensis, ac deinde archiepiscopus Ebredunensis.

XI. Johannes II. d'Ancezune de Caderousse legitur abbas commendatarius ab anno 1510. ad 1517.

XII. Jacobus I. de Mannis abbas commendatarius aliquot annis, sed non pacificus possessor.

XIII. Petrus Coltereau superioris, ut videtur, æmulus præest an. 1517. & aliis.

XIV. Johannes III. de Faucon abbas commendatarius ab anno 1530. ad 1533. quo cessit.

XV. Franciscus de Faucon decennio præfuit.

XVI. Johannes IV. de Pierrevive rexisse dicitur ab anno 1543. ad 1563. quo eidem trucidato successit Maurelius; fortasse legendum 1553. in instrumento enim Fuliensis monasterii Ludovico de Crussol abbati Salviensi nondum bullis munito datus legitur œconomus anno 1558.

XVII. Maurelius de Lunelle rexit ad annum 1589.

XVIII. Jacobus II. Guerin præfuit ad annum saltem 1640.

XIX. David Delmas abbas Salvæ, canonicus, vicarius generalis & officialis Agathensis, & prior B. Mariæ S. Leodegarii deputatus adfuit comitiis cleri generalibus an. 1645.

XX. Henricus Delmas canonicus Agathensis.

XXI. N. de Meretz vicarius generalis Alesiensis episcopi, & ejusdem ecclesiæ præpositus, nominatur abbas 24. Decembris an. 1712.

XXII. N. de Vallory nominatus a rege per obitum præcedentis mense Januario anni 1721. admissus est Romæ in consistorio pontificio, seu bullas accepit 28. Maii ejusdem anni.

B. MARIA DE FONTIBUS IN VILLA ALESTI, seu FONTES ALESTI, vel S. CLARA DE FONTIBUS ALESTI, seu denique S. CLARA ALESIENSIS, *Fonts S.te Claire, les Fontaines,* ou *S.te Claire d'Alais,* & *Font-aux-nonains.*

Hanc abbatiam virginum ordinis Cisterciensis abbati Mansiadæ proxime subjectam, discimus ex instrumento ejusdem capituli reperto in tabulis abbatiæ S. Claræ secus Claromontem, qua nobilis & generosa domina Isabella de Montborner, legendum de Montboissier, abbatissa devoti monasterii beatæ Mariæ de Fontibus in villa Alesti diœcesis Nemausensis, ordinis Cisterciensis, ab abbatia Mansiadæ immediate dependentis, convocat religiosas & nobiles moniales dicti monasterii, quibuscum dat licentiam sorori Annæ de Belaygue filiæ Johannis de Belaygue domini de Roqua diœcesis Claromontensis, dicti monasterii expresse professæ transeundi ad aliud monasterium. *Actum in capitulo de Fontibus anno Incarnationis Domini 1516. die 25. Septembris, Francisco Francorum rege.*

Cur autem supra monuerimus legendum *de Montboissier* loco *de Montborner*, ratio est, quia hoc ipso anno 1516. die 3. Oct. optime legitur *Isabella de Montboissier abbatissa S. Claræ Alesiensis* in charta authentica collectionis D. de Gagneres vol. 4. abbatiarum.

Exstabat jam anno saltem 1254. ut liquet ex testamento Elzeari Uceticæ domini huic cœnobio *de Fontibus* nuncupato triginta solidos Turonenses concedentis. *Prob. hist. Occit. t. 3. col. 504.*

Quinque solummodo præter laudatam Isabellam de Montboissier nobis occurrerunt abbatissæ.

Agnes de Montepezato paciscitur cum Raimundo de Andusia domino de Floriaco an. 1309. Philippo Francorum rege, ex charta Mercoriæ.

Mabilia de Castro novo de Randone reperitur mense Novembri an. 1445. in charta authentica collectionis D. de Gagneres in biblioth. regia, vol. 7. abbatiarum.

Claramunda Virgilie 1467. 4. Nov. 1469. 19. Octob. & 1476. 2. Novembris, ex eadem collectione.

Jacoba Gregorie 1483. 1. Martii, & 1493. 20. Octob. *ibidem.*

Isabella de Montboissier superius laudata 1516. diebus 25. Sept. & 3. Octob. *ibidem.*

Delphina de Ouaillois de Vogué abbatissa circa 1726.



ECCLESIA LEUTEVENSIS.

INTER civitates, quæ varia a variis ſortita ſunt nomina, Leutevam rectè annumeraveris: hanc enim Leutevam, Leotevam, Lutevam, Luctevam, Lotevam, Lutebam, Lutubam, Lutuvam, Lotobam, Lodovam, Lotovam & Lodevam paſſim appellatam reperies. Sincerum urbis nomen, ſi Adriano Valeſio harumce rerum inveſtigatori ſagaciſſimo fides, eſt Leuteva, vel Leoteva, unde Leutevani & Leoteveníes: non rejicit tamen Lutevæ nomen a quo Luteveníes. Cætera vero nomina pro corruptis habet, litterarum converſionis habita ratione. Leuteva igitur Volcarum Tectoſagum urbs ignota Straboni & Ptolemæo, ævi non poſterioris fuiſſe oſtenditur a Plinio, qui in capite 3. lib. 3. a Romanis dictam fuiſſe docet *forum Neronis*, quod confundas cave cum alio hujus nominis trans Rhodanum prope Druentiam ſito. Recenſetur & in notitiis antiquiſſimis provinciarum ac civitatum Galliæ, quæ Leutevam in provincia Narbonenſi prima quinto, ſexto, & ſeptimo loco modo civitatem, modo caſtrum ponunt. Robertus in chronico ſextum Leutevæ in provincia Narbonenſi aſſignat locum. Denique in notitiis recentioribus quartum, & interdum quintum inter antiſtites Narbonenſi ſubjectos Leutevenſis epiſcopus locum obtinet.

In ſolo ſterili, ſed ob commercium prædivite tredecim a Narbone leucis Septentrionem verſus ſita Leuteva, montibus undique cingitur, duobuſque fluviolis Lerga & Solundro in Araurim perenniter fluentibus abluitur. Inter ceteras Narbonenſis provinciæ civitates, quas anno ab Urbe condita 633. bello partas ſuo Romani adjecere imperio, non minus antiquitate quam dignitate claret, quippe quæ a Plinio municipiis ſeu oppidis latinis accenſetur, quæ a Romanis Latio ſunt donata. Sexcentos poſt annos Auguſtis cedentibus, tranſiit ad Viſigothos, qui ſæculo ſexto ineunte a Theoderico Clodovei filio devicti, Leutevam Francis dedere. A Theodorico Oſtrogothorum rege non multo poſt recepta quidem fuit, ſed iterum devenit in poteſtatem Francorum duce Theodeberto Auſtraſiæ regè Theoderici filio an. 533. Atque hinc repetenda Deuterii Leutevenſis præſulis in concilio ab epiſcopis ex ditionibus Theodeberti apud Arverniam biennio poſt congregatis ſubſcriptio: quoties enim in Francorum poteſtatem veniebat Leuteva, toties a Narbonenſi avulſa, Bituricenſi ſubjacebat metropoli; ſicut eidem rurſum ſubjacebat Narbonenſi, quotieſcumque regno Francorum accenſeri deſierat. Sed nec diu repetita potiti ſunt Franci victoria; hoc enim eodem currente ſæculo Leuvigildus vel Reccaredus Leutevam recuperatam anno 572. vel ſaltem 585. Gothorum imperio coadunavere, nec alios ad irruptionem Saracenorum dominos comperimus, quos tota late Narbonenſi regione vaſtata, ad initium ſæculi octavi Leutevam quoque expugnaſſe veriſimile eſt. Ut ut hæc ſunt, Pipinus victor Gothiſne cedentibus an Saracenis deletis, medio circiter eodem ſæculo Leutevam Gallicanæ adjunxit coronæ. Quænam poſtea fuerit Leutevæ fortuna ex ſequentibus fiet manifeſtum.

Quonam potiſſimum tempore Chriſti fidem amplexi ſint Leutevenſes penes nos non eſt ſtatuere. Jam a Romanorum ætate, imo ſi non ab apoſtolis, ab eorum ſaltem ſucceſſoribus Leutevæ chriſtianæ nonnulli repetunt originem. Inde ab ipſo chriſtianæ religionis exordio epiſcopali ſolio ornatam volunt, in quo primus conſediſſe traditur S. Florus, qui fidem illic plantaverat. Florum primum Leutevenſium præſulem non inficiamur, ſed tempus ejus ordinationis præfigere quis audebit temerarius? vel nulla enim, vel ſaltem nutant quæ de eo exſtant monumenta. Antiquiſſima illa eſt Bonifacii ſummi pontificis ad Hilarium epiſcopum Narbonenſem data epiſtola Honorio & Theodoſio Coſſ. qua ſcribit *Lutebenſis eccleſiæ cleri ordinem & plebis* apud ipſum queſtos eſſe *Patroclum* Arelatenſem epiſcopum *in locum epiſcopi ſui mortui neſcio quem in alia provincia, prætermiſſo metropolitano* Narbonenſi, *contra patrum regulas ordinaſſe:* ex quibus intelligitur Honorii Auguſti XIII. conſulatu an. 422. jam tum Leutevam inter civitates ſedeſque epiſcopales provinciæ Narbonenſis primæ non ultimum locum habuiſſe, at nulla inibi Flori protopræſulis mentio. Maſſonum prætereo, qui Leutevæ epiſcopatum in monaſterio canonicorum regularium S. Auguſtini a Johanne epiſcopo Romano conſtitutum eſſe ſcribit: hæc quippe nullo fulta teſtimonio, nullius ſunt momenti.

Leutevenſis epiſcopus ſupremus eſt toparcha per totam diœceſim ratione comitatus Montiſbruni, quo ab antiquo decoratur. Eſt arx, ſeu caſtrum illud in ſuburbio Solundri quingentis aut circiter paſſibus extra muros in ſummo collis jugo olim excitatum, ſed nunc dirutum. Habet porro jura regalia munificentia regum Francorum pluries confirmata. Cudendæ quoque monetæ privilegio gaviſus eſt uſque ad Franciſcum I. Omnes item nobiles totius diœceſis debent hominium epiſcopo, ac ſolvunt jura in mutatione vaſſalli. Denique in comitiis trium Occitaniæ ordinum inter antiſtites provinciæ locum obtinet.

Eccleſia cathedralis duos agnoſcit patronos. Præcipuus eſt S. Geneſius Arelatenſis notarius martyrii laurea donatus, eo quod impia miniſtrorum Diocletiani decreta in commentarios referre nollet. Hujuſce reliquias, brachium nempe & ſanguinem pixide incluſum, eccleſiæ Leutevenſi conceſſit Johannes Bauciani Arelatenſis archiepiſcopus anno 1257. Secundarius urbis patronus eſt S. Fulcrannus Leutevenſis & ipſe ſæculo decimo epiſcopus. Capitulum duodecim conſtat canonicis, ex quibus archidiaconus, præpoſitus, præcentor & ſacriſta dignitatum titulo decorantur. Binæ in urbe & quinquaginta per totam diœceſim parochiæ annumerantur.

Præter abbatias ordinis sancti Benedicti, de quibus post episcoporum seriem sigillatim faciemus mentionem, sunt in urbe Franciscani conventuales, Carmelitæ, Recollecti, & moniales S. Ursulæ, quibus addendum collegium clericorum Doctrinæ christianæ. Duæ quoque extra muros Claromontenses exstant Religiosorum familiæ, altera Dominicanorum, Recollectorum altera. Prioratum conventualem unica ab urbe leuca distantem habent Grandimontensis ordinis reformati, & Militia sancti Johannis Jerosolymitani Præceptoriam in oppidulo de Nebiano.

In diœcesi Leutevana continentur Leuteva, Clarus mons, Cannetum, Monspetrosus, Cellæ, Ripæ, Vaccaria, Salvus mons, Podium, Olivetum, S. Martini in convallibus locus, S. Martini de Castris, Garrica.

Nulla est ecclesia de qua melius meriti sint episcopi. Bernardus Guidonis documenta omnia ad episcopos & ecclesiam Leutevenses spectantia quinque voluminibus compilari jussit, quibus novum repertorium in epitomen addidit Guillelmus Briçonnet : ex his & istis præsulum Leutevensium chronologiam contexuit Johannes de Plantevit de la Pause & ipse Leutevensis episcopus, quam centum abhinc annis publici juris fecit, cui fere totum quod subjiciemus acceptum debebit posteritas. Atque utinam qualibet in diœcesi, si non episcopi, quales isti omni exceptione majores, saltem canonici suarum ecclesiarum origines & monumenta posteritati tradere curavissent, cum iis omnia suppetant instrumenta, quibus historia ecclesiastica maxime posset illustrari, publicum commodum adjuvari, fides & religio promoveri, & hæresis confundi, quæ nobis magnis & diuturnis laboribus, sollicitudine incredibili, & successu non ita certo, ex omnibus non tantum Galliæ, sed & exterarum nationum scriniis eruenda fuerunt. Dissimulare tamen non possum non undequaque perfectam, suisque omnibus absolutam numeris editam a Plantavitio seriem ; nec mirum cuiquam videri debet antistitem alioqui doctissimum & eruditissimum aliquando labi & delinquere, eo præsertim tempore, quo nondum vera a falsis, dubia a sinceris secernendi tanta erat facultas, nec ea monumentorum seges, quibus nostra abundat ætas. Ceterum Sammarthanorum vestigiis inhærentes, Plantavitium sequi, quoties nulla major obstabat auctoritas, honori & religioni duximus.

LEUTEVENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI

I. S. Florus.

Quem in Leutevensium episcoporum albo S. Floro dant locum Bernardus Guidonis, Plantavitius de la Pause, & populares, hunc & nos dabimus : absit enim ut quod pervetusta roboratum est traditione, destruere tentemus. At cum debita tot tantisque viris reverentia dicere saltem liceat S. Flori episcopatum Leutevensem nullo niti idoneo ad persuadendum fundamento. Nihil moror ipsius sancti *legendam* a Bernardo sæculo decimo quarto exaratam: quantæ enim sint auctoritatis ejusmodi instrumenta norunt omnes, qui prima historiæ limina salutaverint. At quod Leutevensis episcopus in demortui alterius locum ab Arelatensi metropolitano Patroclo fuerit ordinatus an. 419. quod Florus episcopus sede non assignata interfuerit concilio Arelatensi pro causa Lirinensis insulæ terminanda anno 451. habito ; denique quod Florus eodem anno sigillum suum apposuerit epistolæ præsulum Gallorum ad Leonem papam, illud solum inde colliget quis merito in episcopale fastigium jam tum surrexisse Leutevam sæculo quarto ; ignota autem esse episcoporum Leutevensium nomina, tam cui defuncto suffecit Patroclus, quam qui suffectus est. Florus itaque prior inter episcopos Leutevenses annumeretur, per me licet : at de tempore quo sederit non constat. Hic ille forte est episcopus, cujus in locum alterum subrogavit Patroclus, sive potius qui antistitis a Patroclo consecrati successor, concilio Arelatensi adfuit, & epistolæ ad sanctum Leonem subscripsit sæculo quinto. Ut ut hæc sunt, Florum primum Leutevensium episcopum populis montem Indiciacum in Arvernia habitantibus evangelium prædicasse vult auctor ejus vitæ, ibidemque sancto fine quievisse, ubi constructa est urbs, quæ ab illius nomine Floropolis, seu sancti Flori civitas nuncupata est. Celebratur autem S. Flori Leutevensium protopræsulis & Floriensium patroni festivitas die 3. Nov.

Coust. epist. sum. pontific. pag. 1032.

Tillemont. tom. 15. pag. 407.

Quesnell. pag. 581. opera S. Leonis edit. in quarto.

Quod de S. Floro, id de quinque episcopis dicimus, qui ipsum tum apud Plantavitium, tum apud Sammarthanos & alios excipiunt, omni auctoritate destitui.

1.° Enim quod ad Sylvanum spectat, qui, Bernardo auctore, concilio Illiberitano interfuit anno 305. mera chimæra est : nullus enim episcopus Gallus, nullus Sylvanus nomine inter episcopos concilii Illiberitani accensetur.

Card. de Aguirre t. 1. concil. Hisp. pag. 270.

2.° S. Amantium episcopum Leutevensem, tum postea Ruthenensium antistitem sæculo quinto comminiscitur recentior quædam *legenda* contra constantem apud Ruthenos traditionem, & ipsiusmet sancti Amantii vitam.

3.° Proximè S. Amantio successisse S. Basilianum vult Franciscus Graverol advocatus Nemausensis, qui in notitia viginti duarum Septimaniæ sedium episcopalium pag. 34. tradit cujuscumque auctoritatis sint instrumenta ad seriem Leutevensium præsulum a Catello, Plantavitio, & Sammarthanis texendam adhibita, ab his post sanctum Amantium omissum fuisse S. Basilianum, qui sedebat an. 381. at cum id non probet, penes lectorem esto judicium.

4.° Helladius Plantavitio innotuit ex manuscripto clarissimi viri N. Savaronis in curia Claromontana apud Arvernos præsidis : tanti autem

ANNI CHRISTI

momenti non est codex, quem non vidit Plantavitius, ut ei cito fides sit adhibenda. Quod autem subscripserit Helladius synodicæ ad Leonem papam Gallorum epistolæ, mera conjectura est nullo fulta probabili testimonio.

5.° Denique non pluris facienda pervetusti ecclesiæ Leutevensis breviarii auctoritas est, sicut & schedulæ fundationis domus leprosorum Leutevensis, quæ ætatem Ranulphi non notat, quam ipsiusmet Bernardi Ranulphum ad annum 492. assignantis, nisi quæ id probent præsto sint argumenta. Itaque

II. Maternus.

Primus Leutevensium episcopus indubitanter notus Maternus cum aliis episcopis regni Gothici interfuit celebri concilio apud Agatham III. idus Sept. an. 506. habito concessu Alarici regis. 506.

III. Deuterius

Arvernensi concilio adfuit cum aliis coepiscopis regni Theodeberti, non anno 541. ut apud Plantavitium & Sammarthanos, sed VI. idus Nov. an. 535. Consule Labbeum t. 4. col. 1805. 535.

Edibius vero, qui concilio Parisiensi tertio an. 557. sigillum apposuit suum, non magis Leutevensis, quam alteriusvis civitatis erit episcopus, si ad severioris censuræ leges res discutiantur.

IV. Agrippinus.

Agrippini Leutevensis episcopi nomen reperitur in subscriptionibus concilii tertii Toletani anno 589. habiti, in quo Ariani hæresi abjurata catholicam fidem amplexi sunt. Adfuit & concilio Narbonensi die 1. Novembris ejusdem anni una cum septem aliis ejusdem provinciæ episcopis, qui priori interfuerant. *d'Aguirre tom. 2. pag. 350.* 589. *Ibid. pag. 387.*

V. Leontianus.

Leontianus, sic enim scribitur apud cardinalem d'Aguirre, non vero Leontius, una cum Sergio Narbonensi, aliisque ejusdem provinciæ antistitibus subscripsit edicto Flavii Gondemari Visigothorum regis, quo ecclesia Toletana totius Carthaginensis provinciæ metropolis renunciatur anno 610. *Ibid. pag. 436.* 610.

VI. Anatolius.

Duobus Toletanis conciliis ex Hispania & Occitania coactis adfuit Anatolius, nempe quarto an. 633. regnante Sisenando Gothorum rege, & sexto mense Januario anno 638. habito cum Selva præside & Ataloco Elnensi episcopo sub alio rege Chintillano. Volunt & Sammarthani post Plantavitium Anatolium concilio Toletano quinto interfuisse an. 636. at in subscriptionibus nullius Septimaniæ episcopi legitur nomen, præterquam Carcassonensis, qui loco Tarasconensis in Hispania ponitur, quam tunc ecclesiam regebat Elpidius, ut constat tum ex veteri manuscripto, tum ex subscriptionibus Elpidii in conciliis Toletanis sequentibus. *Ibid. pag. 493.* 633. *Ibid. pag. 517.* 638. *Ibid. pag. 509.*

VII. Firminus.

Plantavitius post Bernardum auctor est Firminum Leutevensem episcopum an. 652. Narbonam cum aliis comprovincialibus vocatum, ut duo ex illis ad concilium Toletanum VIII. proximè celebrandum delegarentur. Et certe huicce concilio Georgius Agathensis & Sylvester Carcassonensis præsules subscripserunt anno 653. 652. *Ibid. pag. 547.*

VIII. Ansemundus.

Gisibertus diaconus vicem agens Ansemundi Leutevensis episcopi concilio XIII. Toletano interfuit cum omnibus Narbonensis provinciæ episcopis eorumve vicariis, Nemausensi excepto, sub Ervigio Gothorum rege ineunte anno 683. *Ibid. pag. 703.* 683.

At cum solus Biterrensis episcopus e provincia Narbonensi concilio Toletano XVI. interfuerit anno 693. nullumque episcoporum qui concilio XVII. adstiterunt anno 694. ad nos usque nomen pervenerit, hinc patet nonnisi temere inter Leutevenses episcopos annumeratum fuisse Eugenium. *Ibid. pag. 746.* *Ibid. pag. 752.*

Bernecharius solo nititur Bernardi Guidonis testimonio, quod tantum non est, ut huic uni fides denegari non possit. Quod autem translatum inde Bernecharium velit Plantavitius ad sedem Parisiensem, facit nominum similitudo: tunc enim temporis inter Parisienses episcopos recensetur Bernecharius solo hactenus notus nomine. Mitto raras admodum aurea illa ecclesiæ adolescentis ætate fuisse translationes.

Christianus item ex abbate Reomaensi in diœcesi Lingonensi factus episcopus Ambianensis; non Leutevensis Cointio teste ad annum Christi 721. n. 54.

Stephani papæ epistola, quam ad Michaelem episcopum Leutevensem post Romanum concilium adversus Iconoclastas an. 769. scriptam ex Bernardo tradit Plantavitius, suspecta nimis videtur, ne dicam falsa, quam ut pro fundamento esse queat. Quod autem addit Michaelem concilio Narbonensi an. 788. *al.* 791. adfuisse, absurdum est: non recensetur enim inter episcopos qui huic interfuere synodo apud Baluzium not. in libr. concordiæ sacerdotii & imperii t. 2. pag. 992. & alios conciliorum collectores.

Nebridius nullibi reperitur, nec in chartis datis anno 804. a sancto Guillelmo pro monasterio Gellonensi, saltem quæ tum ex editis libris, tum ex manuscriptis codicibus ad nos usque pervenerunt, nec in vita ipsiusmet sancti Guillelmi apud Mabillonium, nec in capite 6. lib. 1. hist. comit. Tolos. a Catello, quod annotant Sammarthani.

Raimundus denique, quem an. 805. consecrationi altaris Anianensis adfuisse comminiscitur Catellus, simul cum fictitiis, quibus accensetur episcopis evanescit. Nec mirum videri debet tot episcopos e numero Leutevensium præsulum expungi: fatetur enim ipsemet Plantavitius in præfatione ad chronologiam hujusce ecclesiæ, sedem tribus prioribus sæculis diutissime vacasse, longumque passam propter Gentilium persecutionem interpontificium, aut præsulum nomina oblivioni fuisse prorsus tradita. Quis autem nesciat toto tempore, quo Franci Saracenos ultra Pyrenæum montem summoverunt, Septimaniæ

ANNI CHRISTI

ecclesias, si non longo, ut quibusdam placuit, interpontificio, at saltem diutina laborasse oblivione, hincque mancos omnes fere catalogos præsulum provinciæ Narbonensis qui hactenus texti sunt.

IX. Sisemundus.

Ecclesiam Leutevensem administrabat Sisemundus anno IV. imperii Ludovici Pii, qui ipsum & homines ejus sub sua protectione suscepit dato diplomate XIV. cal. Jun. ind. X. Anni autem Ludovici Pii computari debent, vel a mense Septembri anni 813. quo a patre in societatem imperii vocatus fuit, vel a mense Februario sequenti, quo patri defuncto successit: utrumlibet assumas mensem, annus quartus imperii Ludovici incidit in annum Christi 817. minime vero in annum 824. quem Plantavitius assignat. Sisemundo jam concesserat imperator ecclesias sancti Amantii, S. Mariæ, S. Martini & S. Petri, necnon & valles de Laurosio & de Pegueirollis, Plantavitio auctore, qui tempus donationis non notat. [817.]

Quis autem credat trigesimo sexto post conditum Gellonense monasterium in terra deserta & vasta solitudine anno, jam inibi fuisse villam duasque parochias, quarum capellanis Radulpho Leutevensi episcopo denegantibus obedientiam & reverentiam, Gregorius IV. summus pontifex archipresbytero & archidiacono Narbonensis ecclesiæ mandaverit, ut episcopi circa capellanos querimoniam audirent eique jus facerent. Apage ejusmodi commenta, quæ a verisimilitudine abhorrent: ecclesia enim S. Bartholomæi ante sæculum XII. parœcialis non fuit, ac proinde sæculo nono capellanum non habebat: hæc igitur de Gregorio forsan septimo, aut saltem nono dicta sunto, per me licet, at de quarto non possunt intelligi.

Sed nec sequentis Audoberti nomen in subscriptionibus concilii Pistensis reperitur an. 862. apud Labbeum. Praeterea [T. 8. concil. col. 757.]

X. Tatila.

Tatila, qui & Totillus, jam præerat an. 844. quo Carolus Calvus donationes Ludovici patris Sisemundo jam pridem factas Tatilæ confirmavit in monasterio S. Saturnini V. cal. Junii, dum in obsidione Tolosæ versaretur. Non autem audiendus Plantavitius, qui hanc confirmationem ad annum 879. revocat, dum a Normannis obsideretur Tolosa: nullam enim Tolosanam obsidionem hoc anno a Normannis factam legimus, sed nec ullum a Carolo Calvo datum præceptum in suburbano S. Saturnini monasterio, præterquam an. 844. quo varia pro variis edidit ecclesiis, quorum apud Mabillonium mentio. Denique jam obierat imperator an. 879. quo hanc datam vult confirmationem Plantavitius, qui & addit Carolum Calvum villas de Salasco & de Barlinco, quas a Carolo Magno ecclesiæ Leutevensi concessas Milo & Arnaldus præripuerant, eidem de novo donasse, aut certe restitui curasse. [844.] [Ann. ad hunc annum pag. 648.]

XI. S. Georgius.

S. Georgius nobilibus apud Ruthenos editus, monasticen primum in asceterio Conchensi ejusdem diœc. professus est, tum postea sub Adalgiso I. Vabrensis monasterii circa annum 863. abbate militavit, unde ad pontificiam evectus dignitatem, Leutevensis ecclesiæ factus est episcopus. Huic Carolus Calvus telonium, una cum pascuariis, vineis, prædiis & villis loci de Sallelles liberalitate vere regia donavit, ex documentis Leutevensibus, in quibus annus non notatur, at certe ante annum 877. quo obiit Carolus. Sancti præsulis reliquiæ in majori S. Genesii basilica olim ante Calvinisticam direptionem asservabantur. Vide quæ de eo Plantavitius ex legendario Leutevensi pag. 32.

XII. Macharius.

Georgio successit Macharius, qui ad consecrationem Theodardi Narbonensis archiepiscopi recens electi invitatus an. 885. præ infirmitate adesse non potuit. Huic Adrianus papa III. donationes decessoribus ipsius a regibus Francorum factas confirmavit bulla data pontificatus sui anno IV. pridie nonas Junii. Recensetur inter antistites qui ad synodum Nemausensem in villam Portum XV. cal. Dec. anno 887. convenere pro restitutione Servi-dei episc. Gerundensis, quem Theodardus Narbonensis archiepisc. ordinarat, ejecerat autem Selva clericus Hispanus, qui pro archiepiscopo se gerebat, constituto in Servi-dei locum quodam Ermemiro. [Bolland. t. 1. pag. 148.] [885.] [887.]

XIII. Autgarius.

Autgarius, qui & Autgerius, & Audkarius, jam subscripserat chartæ, quam Emma abbatissa S. Johannis Baptistæ obtulit conventui episcoporum in ecclesia sanctæ Crucis apud Barcinonam anno 906. indict. VIII. habito, cui præfuit Arnustus Narbonensis. Anno sequenti alii synodo apud S. Tiberium in diœcesi Agathensi interfuit, in qua eadem quæ in priori apud Barcinonam, pro ecclesia Ausonensi iterum ventilata est quæstio. Adstitit una cum comprovincialibus concilio apud Juncarias habito V. nonas Maii anno 909. indict. XII. [Ch. XII. col. 13.] [907.] [909.]

Rodulphus perperam post Autgarium ponitur: si enim ecclesiam Leutevensem per biennium rexerit, certe ante annum 900. quo jam translatus, ut fert Plantavitius, ad ecclesiam Laudunensem consecrationi Hervei archiepiscopi Remensis adstitit, sicut & concilio Remensi. Sed nec inter episcopos Leutevenses locus ei assignari posse videtur, nam nec concilio Portuensi anno 897. nec Suessionensi an. 899. quod commentitium est, interfuit. [T. 9. concil. Labb. col. 480. & seq.]

XIV. Theodericus.

Theodericus, & Theudericus, recensetur inter episcopos, qui concilium celebrarunt an. 911. ind. XIV. in villa cui nomen Fons cooperta in territorio Narbonensi in ecclesia martyris Christi beati Juliani, in quo sedata fuit controversia, quæ episcopos Urgellitanum inter & Palliarensem vertebatur circa diœcesis utriusque confinia, ita Baluzius adversus Suritam. Eidem una cum [911.] [Marc. Hisp. col. 380.]

ANNI CHRISTI

plurimis aliis episcopis inscribitur epistola Johannis X. pro Agio Narbonensi archiepiscopo contra Gerardum anno 914. Præsens fuit anno 937. consecrationi ecclesiæ monasterii S. Pontii Tomeriarum a Pontio comite Tolosano nuperrime exstructi cum plurimis præsulibus, qui omnes postea ad concilium Ausedinense convenerunt, ubi confirmata fuit eadem dedicatio. Subscripsit an. 940. chartæ Aimerici archiepiscopi Narbonensis pro Tomeriensi monasterio, & instrumento Rodoaldi Biterrensis episcopi pro eodem monasterio, dato mense Augusto ejusdem anni. Villam de Subertio commutavit cum ecclesia S. Johannis de Plenis vulgo *de la Blaquiere*, an. 942. Tanta autem morum sanctitate inclaruit, ut ejus nomen, & bonus odor (verba sunt veteris chartularii apud Plantavitium,) omnibus vicinis populis mirum in modum innotuerint: ita ut potentiores sui temporis nobiles benevolentiam ejus atque amicitiam summopere ambiverint. Obiit die 3.* Jan. an. 949. ex necrologio Leutevensis ecclesiæ.

Ch. XIV. col. 14. — 914. — 937. — 940. — 942. — *alias 7. — 949.

Atque hinc patet qua ratione omittantur a nobis Herimannus, ad quem bulla Johannis papæ X. anno pontificatus II. Incarnationis 915. missa supponitur,

Et Hilduinus, quem a Leutevensi quinquennio vix elapso ad Veronensem, & post ad Mediolanensem ecclesiam transiisse volunt, cum probatum jam maneat Theudericum ecclesiam Leutevensem ab anno saltem 911. usque ad 949. rexisse.

XV. S. Fulcrannus.

Fulcranus, aliis Fulchrannus, Fulcrandus, & Folcrandus e Sustantionensium comitum stirpe maternum genus ducens, duas habuit sorores, quarum una Montempessulanum, Montempessulanellum altera ecclesiæ Magalon. donavere. Puer optimis moribus & disciplina ecclesiastica ab ipso Theoderico Leutevensi episcopo imbutus, tantam de se in animis Leutevensium existimationem reliquit, ut factum inde Magalon. archidiaconum, in locum Theoderici paulo post defuncti communibus cleri & populi votis suffecerint Leutevensem antistitem. Quo audito Fulcrannus fuga lapsus, in occulto se continuit, sed frustra. Repertus enim Narbonam invitus perducitur, ubi ab Aimerico archiepiscopo in basilica sancti Pauli pridie nonas Februarii an. 949. consecratur. Episcopus factus innumeris claruit virtutibus & miraculis. In quodam placito apud S. Baudilium Nemausensem die 7. Julii 971. habito cum Bernardo Nemausensi episcopo & aliis electus arbiter Fulcrandus Amelio episcopo Agath. adjudicavit ecclesiam sancti Martini nonnullosque vicinos pagos in comitatu Agathensi adversus Raimundum Ruthenensem comitem. Interfuit an. 972. consecrationi altaris ecclesiæ monasterii Galliacensis factæ a Froterio Albiensium episcopo, donationique nonnullorum prædiorum huic factæ monasterio subscripsit. Cum Bernardo Biterrensi episcopo quædam permutavit anno 973. Ecclesiam cathedralem vili materia ab aliquot sæculis in honorem sancti Genesii Arelatensis martyris exstructam funditus instauravit, & auxit, ut eam de novo construxisse dicatur: vocatisque Aimerico Narbonensi metropolita, Ricuino Magalonensi & Deusdedit Ruthenensi episcopis consecravit anno 975. Huic autem ecclesiæ multa contulit bona, tum ex iis quæ sibi ex amplissimo obvenerant patrimonio, tum etiam ex reditibus episcopalibus: inde enim repetit Plantavitius reditus illos annuos, quibus etiamnum pacifice canonici potiuntur, quos *tertia* vulgo nuncupant. Cœnobium ordinis sancti Benedicti in ipsa civitate construxit, monachos e loco minus idoneo in ecclesiam sancti Salvatoris prope cathedralem transtulit, plurimis ditavit possessionibus, eisque Agelmarum ex canonico abbatem præfecit. Monasterium quoque Juncellense in diœcesi Biterrensi jam pene eversum ac dirutum multo labore reparavit, Stephanumque virum strenuum & religiosum monachis patrem præposuit. Testamentum suum anno circiter 987. condidit, quo plurima ecclesiis & monasteriis S. Salvatoris & Juncellensi legavit. Dedit monasterio Gellonensi mansum unum in villa dicta Juncarias VII. cal. Decemb. an. 988. Subscripsit anno circiter 1004. decreto de treuga & pace edito ab episcopis alicubi a Widone episcopo Aniciensi congregatis. Alteri eodem anno adstitit conventui episcoporum apud Psalmodium habito pro restaurando hoc monasterio. Denique post annos 57. & dies novem cum laude in pontificatu exactos febre correptus, Matfredum Biterrensem sibi amicissimum, necnon & ecclesiæ suæ canonicos convocavit, quibus coram adstantibus pretiosam Deo reddidit animam idibus Februarii feria IV. an. 1006. defunctus sepelitur in tumulo, quem ipse sibi dum viveret suisque paraverat successoribus in sacello sancti Michaelis. Corpus sancti præsulis post centum annos integrum repertum, pia fidelium devotione colebatur, donec a sacrilegis hagiomachis labente sæculo XVI. impie discerptum, & in ignem projectum fuit, ita ut ex tam barbara strage vix quædam asservari potuerint frustula, quæ venerationi fidelium in ecclesia Leutevensi objiciuntur. Celebratur sancti Fulcranni depositio die 13. Febr. Ejus vita in chronologia præsulum Leutevensium legitur pag. 46. necnon & apud Bollandistas t. 2. Febr. pag. 710. recentior edita est an. 1651. a Francisco Bosquet tunc Leutevensi & post Monspeliensi episcopo.

971. — 972. — 973. — Ch. IV. col. 266. — 975. — 987. Ch. VI. col. 268. — 988. — 1004. — T. 2. instr. col. 225. — 1006.

XVI. Matfredus.

Post sancti Fulcranni obitum ecclesiam Leutevensem novennio toto administravit Matfredus Biterrensis episcopus, qui utriusque simul ecclesiæ gubernaculum usurpavit, ut ait Plantavitius. Unde a Guidone e catalogo præsulum ejectus, nec pro legitimo habetur antistite. Constat tamen ex testamento, quod in probationibus subjecimus, S. Fulcrannum singulari illum benevolentia fuisse prosecutum.

Ch. V. col. 268.

XVII. Olimbellus.

Olimbellus, seu Odo Imbellus, & Odimbellus Leutevense pedum jam tenebat anno 1015.

ANNI CHRISTI 1033.

ex Catello & Sammarthanis, attamen non reperitur ante annum 1033. quo legitur præsens donationi seu potius guirpitioni monasterio Gellonensi a Gisla factæ feria v. cal. Febr. luna 27. regnante Aianrico rege. Adstitit & cuidam synodo Narbonensi sub Guifredo habitæ, cujus annus non notatur, at certe post 1031. & ante 1042. forte circa 1032.

XVIII. BERNARDUS I.

Duos post Olimbellum Bernardos narrant ecclesiæ Leutevensis scriptores, Catello excepto: nos vero eadem qua duos Catellus, unum e numero episcoporum ratione expungemus, quia, ut Plantavitii verbis utar, certo caret diario, nullumque distinctum facinus exprimitur. Bernardus itaque adfuit concilio apud sanctum Egidium in provincia Narbonensi congregato die 4. Septemb. an. 1042. pro confirmanda treuga & pace. Hoc quidem concilium ad annum 1056. post Baluzium revocat Labbeus, sed perperam, ut optime annotarunt nuperi rerum Occitanarum scriptores t. 2. pag. 611. Duobus aliis subscripsit conciliis an. 1043. apud Narbonam habitis, quorum in altero XVI. cal. Aprilis dictum est anathema adversus invasores bonorum monasterii Coxanensis: in altero vero calendis Augusti confirmata fuit facta donatio ecclesiæ Carcassonensi a Willelmo Hugonis. Impetravit an. 1046. aut sequenti unionem ecclesiarum sancti Andreæ de Sangonis, & sancti Petri de Granopiaco mensæ episcopali a Clemente II. Migravit e vivis anno 1049. ex necrologio & repertorio ecclesiæ Leutevensis.

1042. 1043. *Anecdot. tom. 4. col. 84. 86.* 1046. 1049.

XIX. BERNARDUS II.

Bernardus alter, si tamen diversus a priore; qui idem prorsus videtur, at hic saltem Leutevensi necrologio habeatur honos, interfuit concilio apud S. Tiberium idibus Julii an. 1050. habito adversus invasores monasterii Arulensis.

Anecdot. tom. 4. col. 87. 1050.

XX. ROSTAGNUS.

Rostagnus, quem a Guifredo Narbonensi multa pecunia ordinatum satis innuit Berengarius vicecomes in querimonia, quam adversus archiepiscopum ad præsules in concilio Arelatensi anno 1059. detulit, jam sedebat an. 1054. quo concilio Narbonensi adfuit VIII. cal. Sept. ind. VIII. in quo confirmata fuit pax & treuga. Adstitit eo circiter tempore consecrationi Magalonensis ecclesiæ factæ ab Arnaldo episcopo. Unus fuit ex episcopis qui cum Guifredo metropolitano celebrarunt concilium Narbonense an. 1055. cal. Oct. adversus invasores bonorum ecclesiæ Ausonensis. Interfuit concilio Tolosano jussu Victoris papæ II. ad simoniacam hæresim plane exstirpandam, & restituendam ecclesiæ disciplinam celebrato idibus Septembris anni 1056. Rostagno diœcesanam synodum celebranti quatuor solidos Melgorienses solverunt die 29. Maii anni 1057. syndici B. Mariæ de Roviniaco ratione *albergi* ab incolis ejus loci una quaque Paschali synodo Leutevensi episcopo debiti. Subscripsit chartæ Hugonis Nivernensis episcopi pro abbatia sancti Stephani in concilio Cabilonensi anno 1064. Romam pontificatu Alexandri II. profectus, id inter alia ab eo obtinuit, ut diœcesanorum suorum corpora ad extraneam diœcesim absque suo permissu humanda non deferrentur: hanc autem Gellonensibus concessit facultatem epistola, quam ex tabulario hujusce monasterii inter instrumenta reperies, ex qua intelligitur Gellonense monasterium a Rostagno episcopo intra fines Leutevensis diœceseos minime fuisse comprehensum. Scriptam autem post annum 1066. epistolam probat Alexandri II. diploma privilegia Gellonensis asceterii igne consumta confirmantis ad preces Rostagni Romæ datum VII. idus Martii pontificatus anno V. indict. IV. Addit denique Plantavitius Alexandrum II. ad petitionem civium Giniacensium in diœcesi Biterrensi Rostagno mandasse, ut primarium imponeret lapidem ædi sacræ, quam ædificare meditabantur.

1054. *T. IX. conc. col. 1072.* 1055. 1056. 1057. ANNI CHRISTI 1064. Ch. VII. col. 273. Ch. VI. col. 273.

XXI. BERNARDUS III.

DE PROVENCHIERES.

Bernardus, cognomento de Provenqueriis, pro jurium ecclesiasticorum tuitione sedulo laboravit, decessorum suorum statuta synodalia confirmavit & auxit, christianorum cum Judæis connubia interdixit. A Berengario de Monte desiderio clientelare excepit obsequium pro eo quod habebat in castro de S. Privato. Præsens laudatur in charta Jordani de Creixel pro monasterio Gellonensi anno circiter 1077. Adstitit conventui episcoporum circa annum 1090. habito, qui anathema dixerunt in invasores bonorum ecclesiæ Biterrensis. Ecclesiam S. Gregorii in episcopatu Ruthenensi territorio Valleoli de manibus Willelmi de Provenchieres cognati sui pretio 3000. solidorum Podiensium redemit, Richardoque abbati & monachis S. Victoris Massiliensis largitus est VI. non. Oct. 1095. Ecclesiam S. Martini de Adiciano sub castello de Montepetroso, assentientibus Richardo & Petro archidiaconis, necnon & canonicis congregationis S. Genesii, cœnobio S. Guillelmi de Deserto dimisit an. 1097. ind. V. Attamen concilio Claromontano apud Arvernos an. 1095. Bernardum interfuisse tradit Plantavitius, inibique Urbani II. classico excitatum, sacræ militiæ nomen dedisse, peregrinationemque in terram sanctam aggressum, triennio post ejus in civitatem sanctam adventum hominem exuisse. Catellus & Sammarthani ejus mortem assignant an. 1099.

1077. 1090. *Anecdot. tom. 4. col. 420.* 1095. Ch. IX. col. 274. 1097. 1099.

XXII. DEODATUS I.

DE CHASLUS.

Bernardo defuncto cathedram Leutevensem pretio adeptum fuisse Deodatum an. 1100. narrat Plantavitius, indeque biennio post a coëpiscopis exauctoratum, a clero & populo fuisse expulsum, rejecta illius ad regem Philippum I. appellatione. Et merito quidem, hunc enim sacrilegum, multis ac nefandis criminibus convictum, idiotam quoque & imperitum repræsentat, de quo nihil fastis dignum notatur.

1100.

ANNI CHRISTI

XXIII. Petrus I.

RAINON, *al.* RAIMOND.

Deodati expulsi in locum quemdam sufficit episcopum Plantavitius, qui ob virtutum omnium splendorem non alio, quam *Boni pastoris* nomine fuit designatus : hunc autem ex privilegiorum repertorio Raimundum appellatum vult : contra Franciscus Graverol, de quo supra, verum boni pastoris nomen fuisse Petrum adversus Plantavitium ex instrumento publico præfracte asserit; qui quidem Petrus an. 1102. instituit Bernardum Guibertum monetæ magistrum cum facultate ipsam cudendi. Tantas non potis est componere lites, nec definire utrum bonus ille pastor, idem sit ac Petrus, de quo nunc agendum.

1102.

Petrus Rainonis, qui & Raymundi alicubi cognominatur, clericus Agathensis ecclesiæ antequam fieret episcopus Leutevensis, dicitur electus in veteri charta Agathensis ecclesiæ, in qua cum Bernardo episcopo recensetur, cujus nulla post annum 1122. mentio. Cathedram autem Leutevensem jam occupabat Petrus an. 1120. ex tabulis Gellonensibus : hoc enim anno, referentibus iisdem actis, Augerius abbas S. Salvatoris Leutevensis Benedictum de Ferruciaco, ejusque familiam, fratres, sorores, &c. Gellonensi monasterio cum Petri Leutevensis episcopi & conventus sui consilio *guirpit* mense Martio regnante Ludovico. Præsens eodem nominatur anno in charta Fredolæ pro monasterio Anianensi. In placito apud Castarium an. 1122. habito Petrus electus arbiter præsentibus G. Magalonensi episcopo & Arnaldo S. Tiberii abbate controversiam finivit, quæ inter monachos S. Fidis Conchensis & Juncellenses inerat super ecclesia sancti Martini de Canalibus, quam Juncellensi cœnobio adjudicavit. Sigillum apposuit suum IV. cal. Martii anno 1125. instrumento Arnaldi archiepiscopi Narbonensis canonicis sancti Justi præpositatum restituentis. Adstitit anno circiter 1129. cum R. episcopo Magalonensi & Augerio abbate Leutevensi cuidam placito apud Lupianum habito, in quo A. Narbonensi archiepiscopo auctor fuit, ut ecclesiam de Beciano monasterio S. Tiberii a Casadensibus restituendam curaret. Consensit eodem anno, & chirographum apposuit in festo S. Hilarii pactis matrimonialibus Sybillæ filiæ Petri de Obilione, cujus dicitur cognatus, cum Armanno de Omelaz. Nuptialibus tabulis Guillelmi domini de Montepessulano subscripsit mense Augusto anni ejusdem. Unus est ex episcopis, quibus Innocentius II. scripsit III. cal. Dec. 1130. ut milites suos, qui hominem monasterii Anianensis interfecerant, monerent, ut abbati & monachis quamprimum satisfacerent. In concilio Monspeliensi an. 1134. testatus est, quod cum esset clericus Agathensis ecclesiæ, a clericis ejusdem audivisset Berengarium episcopum Agathensem ecclesiam S. Petri de Beciano sancto Tiberio & Deodato abbati dedisse. Petri nostri occurrit mentio in actis celeberrimis Pontii de Larazio, qui monasterium Salvaniense anno circiter 1136. fundavit. Edita sunt in Miscellan. Baluz. t. 3. Instituit an. 1138. canonicos regulares in ecclesia beatæ Mariæ de monte Cornelio, quibus montem & ecclesiam largitus est ea lege, ut inibi tredecim canonici regulariter conversarentur. Berengarius de Alba aqua clientelæ sacramentum præstitit Petro anno 1142. qui in instrumento apud Plantavitium dicitur filius Mariæ. Jurejurando obstrinxit eodem anno civitatis Leutevensis notarios, ut omnia instrumenta juxta rei veritatem conficerent. Raimundus de Leyratio confessus est an. 1144. teneri se Petro reddere domum, quam ipse in loco dicto *casale episcopi* construxerat, cum ab episcopo foret requisitus. Eugenius III. bulla data idibus Aprilis donationes omnes ecclesiæ Leutevensi tempore Petri factas confirmavit. Querelam habuit circa furnum & molendinum loci dicti de Pegeirollis, quæ per arbitros ita finita est an. 1146. ut soli competeret episcopo jus molendini. Testis legitur donationis factæ Guiraldo abbati Salvanesii an. 1147. a Raimundo Ricardi de Foderia & Jordano fratre. Præsens fuit sacramento quod Raimundus Tolosæ comes præstitit VI. non. Maii 1149. Rogerio vicecomiti Carcassonensi. Una cum aliis duobus arbitris electus compescuit anno circiter 1150. querelam, quæ inter Berengarium de Alzara inerat & Hugonem de Cornuccio, Guiraldumque abbatem Salvanesii circa vicum de Olmeto. Controversiam quoque inter Raimundum episcopum & capitulum Magalonense judex cum Petro Narbonensi diremit an. 1152. in instrumento quod videsis in appendice, ubi dicitur Petrus Raimundus. Permutavit an. 1153. cum capitulo ecclesiæ cathedralis ecclesiam de Laussono cum ecclesia sancti Genesii de Salasco quibusdam retentis. Præsens laudatur eodem anno in charta Raimundi abbatis S. Guillelmi plura hospitali Jerosolymitano concedentis. Anastasius IV. summus pontifex bulla data XVI. cal. Maii an. 1154. Petro mandavit, ut canonicos compelleret ita retinere præbendas, quas in aliis obtinuerant ecclesiis, ut officium cathedralis inde non minueretur. Eidem alio diplomate XVIII. cal. Junii concessit idem pontifex, ut canonicos, vel moniales in ecclesia de Cornelio constitueret. Ipsi quoque archidiaconatum sancti Petri indulsit, ut reditibus illius episcopus frui in æternum posset. Subscripsit eodem anno Petrus litteris *guirpitionis* Hugonis Ruthenensis comitis pro monasterio Gellonensi. Ecclesiæ suæ magnificus hic præsul, quam toto episcopatus sui tempore innumeris locupletavit donis, diem suum clausit an. 1154. ex Plantavitio. In capella episcoporum sepultus jacet sub campanili.

Margin notes: 1120. — Ch. XII. col. 276. — Ch. XIII. col. 277. — 1122. — 1125. — Ch. VII. col. 319. — 1129. — Spicil. t. 9. pag. 139. — 1130. — 1134. — 1136. — 1138. — Ch. XV. col. 279. — 1142. — 1144. — 1146. — 1147. — 1149. — 1150. — 1152. — Ch. XIX. col. 356. — 1153. — 1154.

XXIV. Petrus II.

DE POSQUIERES.

Raimundi Decani dynastæ Posqueriarum & Ucetiæ filius Petrus, frater autem episcoporum Raimundi Vivariensis, Raimundi Uceticensis & Alberti Nemausensis, Leutevense pedum tenebat an. 1155. quo memoratur in charta Ermengardis vicecomitissæ Petro archiep. Narbonensi cedentis quidquid in archiepisc. Narbonensium obitu solebat auferre. Arbiter est an. 1156. concordiæ initæ inter Ademarum Agathensem præsulem & Richardum abbatem S. Guillelmi. Ludovicus

Margin notes: 1155. — 1156.

ANNI CHRISTI 1157.

VII. Galliæ rex anno regni sui 21. Christi 1157. concessit Petro litteras confirmationis omnium prædiorum ac jurium ad ecclesiam Leutevensem spectantium. Eodem anno de consensu capituli donavit Petrus fratribus hospitalis Jerosolymitani ecclesiam S. Juliani & S. Vincentii de Nebiano, salvis *quartone*, synodatico jure, episcopali reverentia, necnon & jure tertiorum capituli. Testis est an. 1159. donationis factæ Ermengaudo abbati Vallis magnæ ab Hugone abbate Villæ magnæ, sicut & donationum ejusdem abbatis & Berengarii archiepiscopi Narbonensis monasterio Salvaniensi. Pepigit cum canonicis suis circa munitionem Ulmeti an. 1160. statutumque fuit inter eos episcopum ad ejusdem tuitionem, canonicos vero ad restitutionem teneri ad episcopi nutum. Differendam ejus mortem ad annum 1161. suadet instrumentum Salvanesii, quo Deodatus se suaque dedit Salvanesio, præsente Petro episcopo Leutevensi, &c. Præsulis hujus memoria in benedictione est, quippe qui non solum ecclesiæ suæ, sed & ipsi Leutevæ civitati multa bona comparavit & contulit: fundavit enim eleemosynam claustri, dedit ecclesiæ bona canonicorum decedentium, quæ prius ad episcopum spectabant, urbem de novo mœnibus cinxit, portas & fossas propriis sumtibus confecit, & acquisivit honorem de Lauroso & de Salasco. Obiit optimus antistes VI. cal. Julii an. 1161. teste Catello, conditus in tumulo episcoporum.

1159. 1160. 1161.

DE MONT-PEYROUX.

XXV. Gaucelinus Raimundus.

Petro defuncto Leutevensis episcopus ab Alexandro tertio instituitur Gaucelinus Raimundus de Montepetroso abbas Anianæ in diœcesi Magalonensi, qui ab eodem pontifice maximo facultate obtenta monasterium simul cum ecclesia Leutevensi administrandi, monasterii curam in alium transmisit. Factus autem episcopus videtur an. 1162. quo Alexander III. bulla data apud Turones III. non. Januarii pontificatus anno IV. canonicis Leutevensibus mandat, ut Gaucelino tanquam ipsorum episcopo & domino obediant. Altera ejusdem temporis bulla summus pontifex Gaucelino donavit quidquid concessione pontificum aut largitione regum ecclesiæ ipsius jam obvenerat. Diploma eodem anno a rege obtinuit, quo Ludovicus VII. ecclesiæ Leutevensis bona enumerat, confirmat, & sub sua suscipit protectione, additque de novo regalia totius episcopatus. Denique anno 1162. pacis sequester fuit inter Richardum abbatem Gellonensem & Guillelmum Ademari pro quibusdam litigiosis apud Lundras. Delegatus fuit an. 1163. ab Alexandro III. ut mederetur abusui, quo excommunicati ritu christiano terræ mandabantur. Bulla autem Alexandri III. apud Plantavitium data Monspelii VIII. calendas Maii pontificatus V. anno Christi 1164. qua mandavit Alexander Hugoni Agathensium episcopo, ut cognosceret de querimonia, quam Gaucelinus moverat de rectoribus ecclesiarum S. Laurentii & S. Bartholomæi villæ sancti Guillelmi de Desertis, qui ad synodos episcopi non accedebant, stare nequit cum itinere Alexandri, qui *celebrato Paschate exivit Senonis..... & post festum apostolorum* (anni videlicet 1165.) *ad Montempessulanum remeavit*, ibique mansit usque ad diem 19. Augusti; sed nec cum chartis Agathensibus convenit, in quibus unius Hugonis fit mentio ad 1371. Interfuit Gaucelinus cum plurimis episcopis concilio Lumbariensi anno 1165. adversus Albigensem hæresim celebrato, ubi contra Oliverium & Siccardum sectæ hujus antesignanos egregie disputavit, erroresque confecit testimoniis novi testamenti solius, quia vetus respuebant, hunc in modum: *Ego Gaucelinus Leutevensis episcopus ex domini mandato Albiensis episcopi & assessorum ejus judico istos esse hæreticos, & damno sententiam Oliverii & sociorum ejus, ubicumque sint, & hoc judicamus per novum testamentum.* Eodem anno cum archiepiscopo Narbonensi & episcopo Nemausensi arbiter est querelæ episcopum inter & præpositum Magalonensem exortæ. Una cum quibusdam præsulibus auctor fuit an. 1166. concordiæ initæ inter Gaucerandum de Capite stagni & Pontium archiepiscopum Narbonensem. Querelam habuit cum Richardo Ruthenarum comite circa dominium Montisbruni, pro qua finienda confessus est alteruter an. 1167. habere alterutrum sex menses in eadem turri. Electus arbiter Gaucelinus cum B. Biterrensi episcopo, Bernardo Raimundo de Cane suspenso, Petro Raimundo de Montepetroso, &c. inter Petrum Rainardi & Ermessindem pro partienda hæreditate, judicium tulit anno 1170. Berengarius Claromontius cognomento Guillelmi episc. nostro clientelam professus est an. 1172. Insequenti Gaucelinus Hugoni Ruthenensi comiti sex millia solidorum commodavit II. idus Martii, ea lege ut ipsum usque ad restitutionem nullo modo infestaret. Adstitit compositioni factæ inter Rogerium Biterrensem & Guillelmum de Lunacio VII. cal. Jun. 1175. Præsens fuit probato in castello Monspeliensi testamento Guillelmi domini Monspeliensis pridie idus Martii 1179. Cessit an. 1180. Gellonensi cœnobio ecclesiam B. Mariæ de Cambo. Huic Aimericus Guillelmi dominus Clarimontis donavit anno 1184. allodium, quod ipse & pater suus habebant a Bocacis. Bernardo abbati Salvanesii donationem fecit an. 1185. Cessit III. cal. Jan. an. 1186. Bernardo abbati Fontis frigidi quidquid ipsi debebant abbas Vallis magnæ, prior de Cassiano, abbas S. Tiberii, & alia multa, quæ videsis in charta ipsiusmet donationis. Ecclesiam B. Mariæ de Foderia prioralem fecit & instituit an. 1187. Sanctissimus fuit hic præsul & in enodandis scripturæ sacræ difficultatibus versatissimus, ut constat ex duabus epistolis Hugonis monachi Salvaniensis, qui scripsit historiam Pontii de Larazio, in quibus Gaucelino proponit quasdam de scriptura sacra quæstiones, & responsione Gaucelini ad priorem Hugonis epistolam. Has habes tom. 1. Anecd. col. 466. & seqq. Multa tam in ædificiis quam prædiis in civitate adauxit, unde quæ diu humilis jacuerat & paupercula (verba sunt chartularii apud Plantavitium) ex tunc his omnibus ditata Leuteva, longe lateque

1162. 1163. 1164.

ANNI CHRISTI *Acta Alexandri III.*

1165. 1166. 1167. 1170. 1172. 1173. 1175. 1180. 1184. 1185. 1186. Ch. xx. col. 283. 1187.

famam suam propagavit. Tandem senio confectus, morti debitum solvit VII. id. Junii *al.* Julii, 1187. anno ætatis 82. sedis 27. humatus in sepulcro episcoporum.

ANNI CHRISTI

DE MONT-PELLIER.

XXVI. RAIMUNDUS I. GUILLELMI.

Qui Gaucelini abbatis Anianensis successor, Gaucelinum quoque Leutevensem episcopum excepit an. 1187. Raimundus Guillelmi filius Guillelmi domini de Montepessulano. Huic Philippus II. Franciæ rex plurima per totum Leutevesium concessit privilegia, & confirmavit antecessorum suorum donationes an. 1188. vide instrumenta. Emit eodem anno Raimundus ab Hugone comite Ruthenensi quidquid habebat in castris Montisbruni, de Lezara, & aliis Leutevesii municipiis pro 60000. solidis Melg. Hugo autem promisit se nihil unquam in Leutevensi pago acquisiturum absque licentia Leutevensis episcopi. Quædam hoc tempore Anianensi S. Salvatoris asceterio largitus est *pro salute,* inquit, *animæ meæ, & parentum meorum, & expressim patris mei, & matris meæ, & Guidonis, & Guillelmi fratrum nostrorum.* Impertiit anno 1189. Raimundo de Popiano facultatem construendi pistrinum in flumine Erauris sub annuo censu trium heminarum frumenti, totidemque hordei: Stephanum Pictavum monetæ Leutevensis probatorem instituit: laudavit & donationem ecclesiæ S. Martini de Castellari a canonicis factam præceptori hospitalis de Nosseran. Donavit ipse an. 1190. de consilio Raimundi archidiaconi ecclesiam beatæ Mariæ de Cornelio una cum monte & appenditiis Belixendi antistitæ monasterii de Elnonenca,* monialesque suscepit in sorores, ecclesiam quoque de Rogaz eis concessit auctoritate Bernardi Narbonensis archiepiscopi in præsentia Eblonis abbatis sancti Guillelmi. Donationes a decessore factas Bernardo abbati Fontis frigidi calumniatus est eodem anno Raimundus: re ad Bernardum Narbonensem delata, eam ita composuit archiepiscopus, ut Gaucelini dona restitueret abbas, Raimundus vero monachis cederet quidquid in eorum bonis exigere poterat. Petrus Narbonæ vicecomes Raimundo ejus consanguineo donavit an. 1192. quidquid habebat in urbe vel diœcesi Leutevensi, sicuti Raimundus dux Narbonæ, comes Tolosæ, & marchio Provinciæ ante mortem, quæ an. 1194. Nemausi obtigit, totum ei illud cessit tam quod ab Hugone Ruthenensi comite emerat, quam quod ipse dux in toto habebat Leutevesio. Præsens erat an. 1194. dum Guillelmus Montispessulani dominus Raimundo comiti Tolosati sacramentum fidelitatis præstitit. Facta est eodem anno permutatio inter ipsum & capitulum, qua canonicis dedit episcopus ecclesiam de Planis & de Somonte, capitulum vero dedit episcopo ecclesiam de Castellari. Cœlestinus III. pontificatus sui anno IV. Raimundo concessit facultatem gerendi negotia capituli & canonicos cum consensu capituli instituendi. Eo circiter tempore captus fuit & male a nefariis tractatus, ut discimus ex concilio Monspeliensi an. 1195. mense Decembri habito, in quo confirmata fuit excommunicationis sententia jam lata in ipsos de Capestagno, vel extra, qui dominum R. (Raimundum) Leutevensem episcopum ceperant, & usque ad redemtionem male tractarant. Emit an. 1197. ab Ermessende filia quondam Raimundi de Podio & uxore Guillelmi de Cornon mansum de Balma cum ejus appenditiis, & quidquid habebat in pago S. Johannis de Plenis & in pago de Usclatio & de Boccasers pro 1010. solidis Melgoriensibus. Emit adhuc eodem anno mansum, ubi munitissimum oppidi de Castellari castrum postea exstructum est. Guillelmum Montispessulani dominum nepotem suum mense Novembri an. 1199. solvit ab omnibus quæcumque vel nomine proprio, vel ecclesiæ Leutevensis nomine exigere poterat ratione possessionum, quas ab antecessore ipsius Gaucelino Leutevensi episcopo vel alio quovis modo tenebat. Occurrit adhuc eodem anno in tabulis Fontis frigidi, ubi transegisse dicitur cum abbate hujusce monasterii. Hincque satis refellitur Plantavitius, qui Raimundi obitum an. 1197. ex necrologio assignat. Melius ergo juxta Catellum obiit Raimundus an. 1201. defunctus autem sepelitur in conditorio episcoporum.

1188. Ch. XXI. col. 284.

1189.

1190.

*Nonnenque.

1192.

1194.

1195.

ANNI CHRISTI

Baluz. conc. Narbon. pag. 37.

1197.

1199.

Comment. Occitan. pag. 297.

1201.

XXVII. PETRUS III.

FROTIER.

Petrus, quem ex antiqua Froteriorum Petragoricensium familia oriundum vult Plantavitius, episcopus Leutevensis jam recensetur an. 1195. in tabulis Villæ magnæ, in quibus facultatis cujusdam a Berengario abbate oppidanis de Loderano die 8. Octob. hujusce anni concessæ testis legitur: at errorem in apographo amanuensis incuria irrepsisse, qui forte pro MCCV. *legerit* MCXCV. inde certo colligo, quod ex allatis supra testimoniis Raimundum Guillelmi tunc temporis nondum obiisse satis constet & abunde. Petrus vero ei successerat an. 1202. cum calendis Maii de consensu capituli Aimerico Guillelmi quædam prædia clientelæ titulo commisit. Eodem anno Innocentius III. bulla data v. idus Junii privilegia omnia ab imperatoribus & regibus ecclesiæ Leutevensi jam concessa confirmavit. Quam negotia capituli gerendi Raimundo concesserat facultatem Cœlestinus, hanc Petro confirmavit Innocentius anno 1203. Insequenti testis adfuit appellationis a Berengario metropolita a legatis pontificiis mense Augusto interpositæ. Huic Guillelmus & Berengarius de S. Gerardo & alii donavere anno 1204. villam de S. Gerardo cum appenditiis. Eodem anno Petrus abbas S. Salvatoris Leutevensis Petro episcopo obsequium debitum more solito persolvit, & permutationem fecit, qua episcopus dedit abbati ecclesiam sancti Cypriani de Sobertio, abbas vero dedit episcopo ecclesiam sancti Genesii de Furnis, &c. Mense Aprili anni currentis Guillelmus Ruthenensis comes ratam habuit venditionem a patre & fratre factam prius Raimundo episcopo eorum omnium, quæ in toto habebant Leutevesio. Una cum pluribus episcopis & viris religiosis P. regem Aragonum & Monspelienses discordantes conciliavit VI. cal. Nov. 1206. Novam cum Aimerico

1202.

1203. Ch. LVII. col. 51.

1204.

1206.

ANNI CHRISTI

abbate S. Salvatoris die 6. mensis Nov. permutationem fecit Petrus, quam videsis apud Plantavitium pag. 106. Agnes monasterii Nonnatici per obitum Petronillæ antistita electa Petro episcopo reverentiam professa est & obedientiam anno ad summum 1207. quo a sicariis, quod nollet plebiscita jurejurando per injuriam extorto confirmata probare, gladiis miserrime ædibus in propriis confossus occubuit Petrus post sex annos pontificatus, ut vult Catellus. Jacet in cathedralis sacello episcoporum.

1207.

XXVIII. Petrus IV.

De Lodeve.

Ex antiqua & illustri Fontesiorum materno ex latere prosapia repetens originem Petrus, quamprimum in defuncti locum sufficitur, reos cædis sui decessoris extremo supplicio affici curat, satagente imprimis Aimerico Guillelmi Clarimontis toparcha, qui audita Petri Froterii nece Leutevam citissime advolaverat, ut de tam diro facinore vindictam sumeret: sexdecim itaque sicarios Aimerico curante in arctissima vincula conjectos morti, bonaque eorum fisco adjudicat Petrus decreto, quod rex Philippus anno regni sui 29. approbavit. Commutationem fecit eodem anno cum Arnaldo Leutevensi archidiacono, arbitris Bernardo Calveto abbate S. Afrodisii & Guillelmo Ruthenensi archidiacono. De mandato Arnaldi abbatis Cisterciensis sedis apostolicæ legati sedata est anno 1209. quæ Petrum episcopum inter & monachos S. Salvatoris circa abbatis electionem inerat controversia, definitumque fuit monachos absque consensu episcopi abbatem non posse eligere, confirmataque est facta a Petro Bogonis electio. Eodem anno Petrus dedit Aimerico Claromontio villam de Salasco sub clientelæ sacramento. Bernardus de Magalatio abbas Juncellensis de consensu Biterrensis episcopi donavit ei mense Julio an. 1210. ecclesiam B. Mariæ de Pruneto, &c. sub annua 45. sextariorum frumenti pensione. Privilegia jam Raimundo concessa Petro iterum confirmavit Philippus rex diplomate dato Parisiis anno 1210. Ab Innocentio III. delegatus an. 1211. cum B. abbate Bonæ cumbæ Hugonis Ruthenensis episcopi admisit cessionem. Insequenti concilio Narbonensi II. cal. Maii adfuit. Petrus Biterrensis episcopus de mandato Raimundi Uceticensis Petro Leutevensi jus pedagiorum adjudicavit eodem anno, assistentibus sibi Bernardo abbate & Guillelmo Trebaiano præcentore S. Afrodisii. Præsens fuit clientelæ quam Arnaldo Narbonensi electo professus est Aimericus vicecomes Narbonæ mense Martio anni exeuntis. Vocatus fuit an. 1213. ab Arnaldo metropolita sedis apostolicæ legato, ut cum aliis Narbonensis provinciæ præsulibus conveniret in oppida Savarduni & Murelli, qui de pace tractarent cum Petro Aragonum rege bellum gerente adversus comitem Montisfortis in gratiam Raimundi Tolosæ comitis: rege vero conditiones pacis abnuente, pugnatum est apud Murellum, quod castellum obsidebat rex, qui in prælio fuso exercitu occisus est. De celebri hac victoria reportata feria v. in octava Nativitatis B. M. episcopi, quos inter aderat noster Petrus, scripserunt epistolam ad omnes fideles, quam refert Petrus monachus Vallis cernaii hist. Albig. p. 75. Instituit Petrus an. 1214. duos visitatores macellorum urbis Leutevensis. Interfuit concilio Monspeliensi an. 1215. in quo præsente Petro de Benevento cardinali summi pontificis legato damnata fuit hæresis Albigensium. Eodem anno Raimundus de Monte desiderio & Petrus Raimundi de Montepetroso donaverunt Petro allodium omnium bonorum, quibus in Leutevesio potiebatur. Eo circiter tempore Petrus Raimundi de Alba aqua divendidit ei nemus in loco vocato *Crosets*. Philippus rex anno regni sui 37. proceribus Leutevensibus mandavit, ut in regaliis Petro obedirent, & fidelitatis sacramentum præstarent. Raimundus de S. Mauritio dedit ei allodium castri de Pegeirollis in diœcesi Monspeliensi III. idus Mart. an. 1217. Raimundus Raimundi de Foderia ejusque frater ei recognoverunt quidquid habebant in territorio de Calmels an. 1218. Insequenti Philippus rex concessit Petro & successoribus facultatem tendendi & laxandi catenas in vicis Leutevæ. Honorius III. mandavit Petro pontificatus anno IV. ut Johanni de Cambannico archidiaconatum S. Petri Leutevensis conferret, modo tandiu vacasset, ut ejus collatio ad sedem apostolicam esset devoluta. Arbiter ab Honorio summo pontifice electus querelæ inter Petrum Bermundum & Viernam relictam Bernardi de Andusia super villam Alesti, vices suas committit Arnaudo Nemausensi episcopo mense Septembri an. 1223. Amalricus dux Narbonæ donavit ipsi XVIII. cal. Decemb. ejusdem anni quidquid habebat juris in castro de Malavetula. Eodem anno Petrus Bermundi ab eo tenere confessus est quidquid habebat in Leutevesio. Guillelmus de Montepetroso, uxorque Ermessindis dederunt ei allodium omnium, quæ in Leutevesio tenebant an. 1224. Interfuit eodem anno concilio Monspelii auctoritate Honorii papæ III. coacto, ut exciperentur in eo conditiones pacis cum Amalrico de Monteforti & aliis. Insequenti rex Ludovicus VIII. pater S. Ludovici agnoscens se ex copiis auxiliaribus Petri viri bellicosi in expeditione Albigensi multum accepisse subsidii ad victoriam adversus comitem Raimundum VII. reportandam, dedit ei & successoribus ejus comitatum Montisbruni vel potius donationem a Raimundo VI. jam ante obitum Raimundo Guillelmi episcopo factam de dicto comitatu confirmavit, ut & concessiones regaliorum, aliaque jura, & privilegia, quæ produnt antiqua regesta & repertoria chartarum. Adfuit concilio Narbonensi a Petro Amelio archiepiscopo tempore quadragesimæ anno 1226. coacto adversus Albigenses eorumque fautores. Excepit eodem anno varias recognitiones capituli Leutevensis, necnon Johannis de Malavetula & Biernæ. Convenit an. 1228. cum Petro Amelio aliisque comprovincialibus, primo Meldas, deinde Lutetiam, ubi facta fuit concordia inter S. Ludovicum & Raimundum Tolosæ comitem, quæ confirmata est anno sequenti Tolosæ in concilio ab iisdem præsulibus celebrato. Permutationem

Margin notes: 1208. 1209. 1210. Ch. XXI. col. 284. 1211. 1212. 1213. 1214. 1215. 1216. 1217. 1218. 1219. 1223. 1224. 1225. 1226. 1228.

fecit an. 1229. cum monachis Salviensibus in A dioecesi Nemausensi. Tradidit eodem anno notariatum Leutevensem Johanni de Aspris. Petrus Amelius sedavit an. 1230. controversiam, quae Petrum inter & canonicos Leutevenses inerat circa obedientiam episcopo debitam & alia nonnulla. Una cum Sibiuda antistita Nonnatici dedit die 4. Jan. an. 1231. Berengario capellano duas partes de quinque decimarum omnium & primitiarum eccl. S. Stephani de Rogatio. Iisdem anno & die de consensu capituli concessit eidem Sibiudae decimas omnes hujusce ecclesiae de manibus laïcorum extortas. Petrus Ermengavi de Montepetroso ei praestitit hominium anno 1232. Interfuit concilio apud Biterras an. 1233. habito, ut procuraretur pax inter comitem Tolosae & comitem Provinciae. Querelam habuit cum praeceptore domus Jerosolymitanae de Nebiano, quae sententia arbitrorum finita est an. 1234. Petrus de Podio fidem ei juravit pro castro de Bosco an. 1235. Confirmavit XIX. cal. Sept. an. 1236. donationem olim a B. Fulcranno capitulo factam redituum illorum, quos *Tertia* vocant. Aedificavit eodem anno magnam turrim de Castellari, & nonnulla acquisivit. Petrus denique longaevus, & senio fatiscens, sub finem vitae habitum Fratrum Minorum, quos annos ante aliquot in urbem C induxerat vivente adhuc S. Francisco, sumsit in conventu Leutevensi, in quo tandem fatis cessit, unde forsan Sammarthani Petrum e Franciscano ordine ad cathedram Leutevensem assumtum putarunt, sed perperam : anno enim 1208. quo praeesse coepit, nondum institutus fuerat ordo S. Francisci. Rexit autem annos triginta & nonnullos menses tam feliciter, ut demortuo datus fuerit titulus Patris cleri, & populi Pastoris. Ante altare coenobii Franciscanorum Leutevensium fuit sepultus an. 1237. vel 1238. juxta Sammarth.

ANNI CHRISTI 1229. 1230. 1231. 1232. 1233. 1234. 1235. 1236. 1237.

XXIX. BERTRANDUS I.

DE MORNAY.

Nobilibus in Avenionensi comitatu ortus parentibus Bertrandus, e monacho Benedictino S. Andreae Avenionensis factus prior de Salagone, tum sancti Laurentii de Barreto in dioecesi Vapincensi, vivente adhuc Petro decessore eligitur episcopus Leutevensis & confirmatur a Petro Amelio metropolita, sed consecrationis munus toto quo Leutevensem rexit ecclesiam quadriennio obtinere non valuit. Nihilominus tamen Aimericum Guillelmi anathemate percussit an. 1239. quod castrum suum de Claromonte nollet profiteri in feudum ab ecclesia Leutevensi. Sedata eodem anno XVI. cal. Dec. controversia, quam E cum praeceptore domus Jerosolymitanae S. Eulaliae habebat. Bernardus Malaura & Berengarius Tomesius clientelam ei exhibuerunt anno 1240. Insequenti e pago de Nisatio in dioecesi Biterrensi ad castrum de Castellari se conferens Bertrandus paucos post dies illic moritur an. 1241. unde Leutevam translatus, tumulatur in cathedralis sacello S. Michaelis : de eo necrologium Andaonense sic: *VIII. cal. Julii depositio Bertrandi de Mornaco Leutevensis electi, monachi nostri, pro quo fiat sicut pro abbate.*

1239. 1240. 1241.

XXX. GUILLELMUS I.

ANNI CHRISTI DE CASOULS.

Paucis post obitum Bertrandi diebus assumtus est Guillelmus de Casulis Biterrensis, praepositus Nemausensis, vir prudentiae & eruditionis non vulgaris, quem electum rogarunt Narbonenses canonici litteris nonis Julii datis, ut confirmationem ab archiepiscopo non peteret absque ipsorum consensu & consilio. Confirmatus autem, a Christiano Agathensi episcopo assistentibus sibi Biterrensi & Magalonensi antistitibus consecrationis munus accepit in aede parochiali apud Pedenatium. Varia variorum primo praesulatus sui B anno 1241. dynastarum excepit hominia. Insequenti cum B. Elnensi episcopo & R. electo Biterrensi recensetur in archivis Narbonensibus XII. calend. Martii an. 1242. Berengarius Guillelmi clientelam profiteri cogitur Guillelmo an. 1243. de mandato S. Ludovici, qui & ipse post Berengarium eidem episcopo pro Ceyratio similem exhibuit recognitionem. Occurrit eodem anno in litteris Raimundi comitis Tolosani ad Tolosanum, Agennensem & Cadurcensem episcopos. Anno 1244. ab Innocentio IV. delegatus ut solemniter inquireret an Raimundus senior Tolosanus catholicus obiisset necne, bulla data Lugduni IV. cal. Mart. pontificatus anno IV. centum & sex testes audivit, qui affirmarunt comitem decessisse poenitentem. Circa id tempus concilio Narbonensi adfuit. Anno sequenti Petro Narbonensi archiepiscopo juravit obedientiam & reverentiam V. idus Aprilis an. 1245. Recensetur inter episcopos qui XVIII. cal. Julii litteris ad Innocentium IV. apud Biterras datis summum rogarunt pontificem, ut libera daretur Inquisitoribus in haereticos agendi licentia. Concilio oecumenico apud Lugdunum tunc habito interfuisse Guillelmum vult Plantavitius, unde redeunti & per Arelatem transeunti Johannes Baucianus Arelatensis archi- D episcopus concessit reliquias S. Genesii martyris Leutevensium protopatroni, brachium videlicet & sanguinem pixide inclusum. Innocentius bulla data Lugduni XIII. cal. Decemb. ejusdem anni ad archiepiscopum Auxitanum, Leutevensemque & Aniciensem episcopos indulget, ut si nihil rationabile impediat, corpus Raimundi comitis ecclesiasticae sepulturae mandetur. Adfuit Guillelmus concilio apud Biterras XIII. cal. Maii an. 1246. habito post obtentam a summo pontifice in haereticos agendi licentiam. Acquisivit eodem anno mediam partem castri de Alba aqua a Braimunda filia Petri Raimundi. Praesens memoratur cessioni Trincavelli vicecomitis Biterrae & Carcassonae factae in manibus S. Ludovici Francorum regis VII. idus Aprilis 1247. Concilio Valentiniano adfuit an. 1248. quo & construxit sacellum aulae episcopalis B. Mariae de Bello loco, & emit a Dulcia villam de Pouscombes. Recognitiones & clientelas prosecutus est an. 1249. Permutationes fecit an. 1250. cum prioribus de Laurosio & de Ripa, statuitque in capitulo, ut deinceps tam episcopus quam canonici singulis annis in capitulum die crastina Inventionis S. Crucis convenirent res capituli pertractaturi. Innocentius

1242. 1243. 1244. 1245. 1246. 1247. 1248. 1250. 1249.

ANNI CHRISTI 1251.

IV. Guillelmo noſtro confirmavit anno 1251. donationem archidiaconatus factam Petro deceſſori per Adrianum papam, de qua in hoc epiſcopo. Synodalem librum in uſum diœceſis in lucem emiſit an. 1252. quo uſi ſunt hactenus in ſynodis annuis Leutevenſes epiſcopi. Statuit eodem anno duo in poſterum capitula generalia per triduum ſingulis annis celebratum iri, alterum poſtridie feſti S. Martini, alterum poſtridie Inventionis S. Crucis. Querelam habuit adverſus abbatem S. Guillelmi de Deſertis circa cauſas matrimoniales, aliaſque res eccleſiaſticas, quam præcentori Biterrenſis eccleſiæ & abbati S. Pontii dijudicandam commiſit Innocentius an. 1253. Fundavit eodem anno Guillelmus eleemoſynam ſextariorum decem mixturæ, & recepit clientelam Berengarii Clarimontis dynaſtæ, qui excommunicationem potius elegerat, quam debitam epiſcopo reverentiam præſtare. Subſcripſit VII. cal. Junii litteris epiſcoporum Narbon. provinciæ ad Alfonſum comitem Toloſanum de hæreticis eorumque ſucceſſionibus. Petrus Gontheri, Petrus Roſſelli, & Berengarius Roſtagni preſbyteri, & Pontius Gazel laïcus omnia ſua hoſpitali Jeroſolymitano de Nebiano tradiderunt an. 1254. ſub onere decem librarum ceræ novæ quotannis epiſcopo Leutevenſi ſolvendarum. Anno ſequenti interfuit Guillelmus concilio apud Biterras VIII. idus Maii an. 1255. a Guillelmo Narbonenſi archipræſule convocato, ut regi præberent auxilium ad obſidendum caſtrum de Querbus hæreticorum & latronum propugnaculum. Confirmavit eodem anno Agneti abbatiſſæ de Elnonenca donationes prius Belixendi a Raimundo factas, & emit a Petro de Montepetroſo quidquid habebat in villa de Arboratio pretio 300. ſolid. Turonenſium. Comparavit an. 1256. a Guillelmo de Mandagot toparcha Montiſpetroſi quidquid habebat juris in manſo de Cerclieres & pertinentiis, & excepit clientelam præceptoris domus de Nebiano pro eo quod habebat in municipiis de Lauſſono & de Moreſio. Querelam habuit cum Guillelmo de duabus virginibus abbate S. Guillelmi ſuper juriſdictionibus majoribus & minoribus villæ de Arboracio, quæ an. 1257. finita eſt arbitri ſententia Petri abbatis S. Salvatoris, quicum quædam fecit pacta. Nonnullas ab eo eodem anno factas acquiſitiones narrat Plantavitius. Sedata eſt an. 1258. per arbitros quæ inter Guillelmum inerat & Bernardum Amalricum dominum de Sobertio controverſia circa juriſdictionem territorii de Buxata. Subſcripſit epiſcoporum litteris an. 1259. menſe Maio ad Alfonſum comitem Toloſanum datis. Apud regios inquiſitores a rege S. Ludovico inſtitutos eo circiter tempore conqueſtus eſt, quod plurima eccleſiæ Leutevenſi ablata fuiſſent prædia, quæ reſtitui poſtulavit: annus autem non deſignatur. Vitam tandem dierum plenus cum morte commutavit, traditusque ſepulturæ fuit X. cal. Nov. an. 1259. in templo prioratus ſancti Michaelis Grandimontenſis ordinis unica ab urbe leuca diſſito, cujus inſignis exſtiterat benefactor: huic enim donaverat eccleſiam S. Vincentii de Maſonis, vulgo de Salelles, una cum ſilva, ea lege ut in eodem prioratu duodecim monachi ordinis Grandimontenſis inſtituerentur.

(Margin: 1252. 1253. 1254. 1255. 1256. 1257. 1258. 1259.)

XXXI. Raimundus II.

BELLINI.

Triduo poſt exſequias Guillelmi Leutevenſis eligitur epiſcopus Raimundus Bellini canonicus eccleſiæ Albienſis, ſeptimo ſcilicet cal. Novemb. an. 1259. & conſecratur in eccleſia Narbonenſi a Petro epiſcopo Agathenſi III. idus Januarii ſequentis, eademque die, ſede archiepiſcopali vacante, obedientiam promittit capitulo Narbonenſi, ut docent nos tabulæ hujus eccleſiæ, quibus id omne refellitur, quod Plantavitius de Raimundi hujus inauguratione comminiſcitur, quem e nobili Rocoſellorum gente Aſtulphi cognominatum vult. Vix autem epiſcopatus poſſeſſionem adipiſcitur, & in urbem ingreditur, cum a civibus fidelitatis ſacramentum exigit. Habuit querelam cum Armando de Valauqueſio circa manſum de Balma, quæ eo circiter tempore ſedata eſt. Anno ſequenti 1260. privilegia quædam & libertates ſuis conceſſit canonicis, quæ refert Plantavitius pag. 195. Dedit an. 1261. Petro abbati S. Salvatoris Leutevenſis, ejuſque monachis facultatem ducendi & reducendi quaſdam aquas ad monaſterium. Pepigit an. 1262. cum Ruthenenſi comite pro quibuſdam diſſidiis.

(Margin: 1260. 1261. 1262. Plantavit. pag. 200.)

XXXII. Raimundus III.

ASTULPHE.

Ipſe eſt procul dubio Raimundus Aſtulphi e nobiliſſima Rocoſellorum gente ortus ex Plantavitio, quem ſola littera R. deſignatum, idibus Januarii an. 1263. ſede Narbonenſi vacante, a Petro Agathenſi epiſcopo conſecratum, fidei ſacramentum capitulo dixiſſe legimus in archivis eccleſiæ Narbonenſis. Eodem anno, ni forte de præcedenti epiſcopo adhuc ſit intelligendum, Guillelmus de Parlages hominium ei præſtitit pro eo omni quod in toto habebat Leutevesio. Statuit nonis Septembris anno 1264. ut deinceps archipreſbyter Leutevenſis ſumeretur e numero tredecim canonicorum & poſt archidiaconum, ſacriſtam & præcentorem ſederet. Hugo de Salve canonicus Leutevenſis arbiter ſententia diremit X. calendas Julii 1265. controverſiam, quæ Raimundum epiſcopum inter & Petrum abbatem Anianenſem inerat circa villam de Coſſenatio, &c. Plura acquiſivit eodem anno a Raimundo de Rocoſello & Aldeberto Segnoreti. Raimundus de Vico ſicco Raimundo epiſcopo clientelam eſt profeſſus anno 1268. pro caſtro de Tudera. Statuit anno 1269. canonicum recens aſſumtum primo anno de reditibus canonici nihil percepturum, qui capitulo applicarentur. Regi S. Ludovico libellum ſupplicem obtulit anno 1270. in quinque diviſum capita, quo de injuncta ſibi obligatione veniendi in conſpectum Guillelmi de Cohardone militis ſeneſcalli Carcaſſonenſis & Biterrenſis conqueſtus eſt, ut regi fidem præſtaret pro bonis quæ ab ipſo tenebat. Excepit eodem anno clientelas Berengarii Guillelmi, Aimerici Claromontii, & Petri de S. Privato. Sedata eſt IV. Junii 1271. quæ

(Margin: 1263. 1264. 1265. 1268. 1269. Tab. Carcaſſon. 1270. 1271.)

ANNI CHRISTI 1272.

Raimundum inter & Paulum de Claromonte movebatur controversia circa villam de Cellis. Terminata est per arbitros an. 1272. alia quam cum Bernardo Raimundi de Montepetroso & Pontio de Valauquesio dominis de Bosco habebat controversia. Recensetur inter episcopos Narbonensis provinciæ qui an. 1272. ad Gregorium X. & cardinales Viterbii congregatos scripsere, ut Petrum de Montebruno electum Narbonensem quamprimum ad ecclesiam suam accedere sinerent. Excepit an. 1273. clientelam Berengarii de Moresio. Confirmavit an. 1274. donationem ecclesiæ de Cassari factam a canonicis Leutevensibus præceptori hospitalis de Noseran. Cum plurimis præsulibus Carcassonam a Guillelmo de Cohardone senescallo convocatur die Jovis post festum sancti Nicolai ejusdem anni in diem Circumcisionis sequentis simul deliberaturi, quid facto opus, ne frumentum extra provinciam asportaretur. Litem habuit cum monachis sancti Guillelmi, quæ finem accepit anno 1275. Insequenti excepit clientelas & recognitiones Petri & Johannis Borrassac. Quædam emit an. 1277. quo vocatus legitur ad concilium Biterrense. Biennio post ad alterum apud Biterras habendum concilium denuo invitatus, excusat se quod propter senectutem Biterras accedere non possit. Senio itaque confectus obiit : in sacello S. Fulcranni sub campanili exstructo quiescit.

Ch.LXXIII. col. 68. Baluz. conc. Narb. app. pag. 176.

1273. 1274.

Tab. Carcass.

1275. 1277. 1279.

XXXIII. BERENGARIUS I.

DE BOUSSAGUES.

Vir in sedandis controversiis, bonisque pro ecclesia acquirendis industrius Berengarius de Bociacis diœcesis Biterrensis a Leutevensibus post Raimundum assumitur, ut constat ex archivis Narbonensibus, in quibus Petri Narbonensis archiepiscopi legimus litteras XVI. cal. Septemb an. 1280. suffraganeos invitantis, ut Narbonam in crastinum instantis festi B. Matthæi apostoli convenirent ad munus consecrationis impendendum magistro Berengario de Bociacis Leutevensi electo, quam arduis ecclesiæ suæ negotiis impeditus ad Dominicam post instans festum S. Michaelis 6. nempe Octobris prorogavit. Eodem anno Berengarius clientelam admisit Berengarii Guillelmi de Castro Clarimontis & Guillelmi de S. Mauritio domini Montispavonis. Acquisivit idibus Novembris a Johanne Grimaldo rectore ecclesiæ de Salsis quidquid inibi habebat. Obtinuit an. 1281. sanctioris regis consistorii decretum adversus Guillelmum de Andusia, qui clientelam ei profiteri recusabat. Emit a Bertrando de Montepetroso quidquid possidebat in territorio S. Privati pretio 3000. solid. Melgor. Querelam habuit cum dynastis oppidi de Giniaco, quæ a Petro Raimundi arbitro composita fuit pridie nonas Febr. an. 1282. Aliquot post diebus XIII. scilicet cal. Martii confirmata fuit auctoritate Johannis abbatis Cistercienfis sedis apostolicæ legati electio abbatis S. Salvatoris per Berengarium facta, contra electionem per monachos attentatam. Sedata est eodem anno quæ Berengarium inter & Guillelmum abbatem S. Guillelmi vertebatur controversia circa limites vallis de Desertis. Subscripsit anno 1283. litteris episcoporum provinciæ Narbonensis ad Philippum regem pro Petro Narbonensi archiepisc. Eodem anno juxta ordinationem olim anno 1209. ab Arnaldo abbate Cisterciensi factam elegit in pervigilio S. Lucæ Ermengaudum de Vinerono abbatem S. Salvatoris, & acquisivit nonnulla a Johanne & Hugone Borrassac. Anno 1284. Petrus Narbonensis archiepiscopus electus arbiter cum duobus Leutevensis ecclesiæ canonicis controversiæ Berengarium inter & capitulum circa quotidianas distributiones obortæ definierunt judices, episcopum simplici portione canonici sicut antecessores contentum esse debere. Raimundus Verectus sacrista itidem arbiter ipsi adjudicavit dominium loci de S. Privato. Eodem denique anno IV. cal. Oct. sedata sunt quæ a longo tempore inter episcopum Leutevensem & abbatem sancti Guillelmi mota erant dissidia, Berengario de Bociacis & Guillelmo de duabus virginibus in arbitros compromittentibus. Hunc autem annum non excessit Berengarius, e vivis exemtus die natali SS. Innocentium juxta archiva Narbonensis ecclesiæ. Humatus fuit in sacello sancti Michaelis.

1280. 1281. 1282.

ANNI CHRISTI 1283. 1284.

XXXIV. BERENGARIUS II.

GUITARD.

Berengario defuncto canonici Leutevenses Sabbato post Epiphaniam an. 1284. seu, ut nunc loquimur 1285. per compromissum elegerunt Berengarium Guitardi Leutevensem, archidiaconum hujusce ecclesiæ, decretumque electionis Petro Narbonensi archiepiscopo statim id. Jan. significarunt, qui litteris XIV. cal. Mart. insequentis datis suffraganeos invitavit, ut apud Leutevam personaliter adessent consecrationi IV. nonas Martii canonice impendendæ discreto viro Berengario electo Leutevensi, cujus electionem rite celebratam confirmaverat. Quasdam recognitiones excepit anno 1285. de quibus chronologia Leutevensis in Berengario de Bociacis eodem anno, quo nonnulla permutavit cum Aimerico Claromontis dynasta. Capellam B. M. de Nova cella in parœcialem erexit an. 1286. Clientelam excepit an. 1287. a Guillelmo de Leuteva & Bertrando de Montepetroso. Ad regem appellavit an. 1288. eo quod Biterrensis episcopus quamdam ab eo exigeret decimam in loco de Nisatio. Collegium quatuor capellanorum qui quotidie celebrarent in ecclesia S. Stephani de Goriano instituit an. 1289. Diversæ ei fuere præstitæ clientelæ a nobilibus feudatariis an. 1290. quo e vivis excessit juxta Plantavitium. Defunctus conditur in cathedrali. Catello qui ejus obitum in annum 1291. differt, ignotus fuit sequens

Ch.XXXIV. col. 203.

1285. 1286. 1287. 1288. 1289. 1290.

XXXV. BERNARDUS IV.

DE POITIERS.

Plantavitio Bernardus innotuit ex nomenclatura Guidonis & veteri quodam an. 1290. cal. Oct. instrumento recognitionis factæ Bernardo de Pictavia Leutevensi episcopo a Salomone de Felgariis Lunatii dynastæ pro loco de S. Mauritio.

ANNI CHRISTI

DE LA GARDE.

XXXVI. Gaucelinus.

Gerardi de la Garde filius Gaucelinus, ex decano Brivatensis ecclesiæ & Egidii archiepiscopi Narbonensis vicario generali ab anno 1290. electus Leutevensis episcopus Egidio metropolitæ promittit obedientiam X. cal. Jun. an. 1292. qui quidem annus primus ne præsulatus ejus fuerit necne quis definierit? Sopitæ sunt ab arbitris hoc eodem anno diversæ, quas cum Gaucerando præceptore domus de Nebiano habebat querelæ. Misit procuratorem ad concilium provinciale Biterris congregatum an. 1294. Emit an. 1295. medietatem jurisdictionis Durantii & Croci Henrici ab ipso Philippo rege. Raimundus Abrandi Gaucelino fidelitatis sacramentum præstitit pro castro S. Mauritii idibus Junii an. 1296. quo Bonifacius VIII. Gaucelinum litterarum scientia, maturitate morum, prudentia, spiritualiumque & temporalium providentia insignem a Leutevensi ad Magalonensem ecclesiam promovit bulla data Anagniæ IV. id. Augusti pontificatus anno II. De eo jam in decanis ecclesiæ Brivatensis t. 2. col. 493.

1292. 1294. 1295. 1296. Ch. XLIX. col. 378.

XXXVII. Iterius.

Iterius de Burdegala ex ordine Minorum ad episcopatum Leutevensem evehitur a Bonifacio VIII. bulla data XVI. cal Jan. an. 1296. Vix autem adeptus fuit possessionem, cum Berengarius Guillelmi baro de Claromonte, & Raimundus Albrandi ei professi sunt clientelam. Egidio Narbonensi archiepiscopo obedientiam & reverentiam juravit an. 1299. Adstitit IV. cal. Nov. concilio apud Biterras, quo absoluto subscripsit litteris prælatorum ad Philippum IV. Francorum regem pro archiepiscopo Narbonensi adversus vicecomitem ejusdem urbis. Eodem anno ab apostolica sede legatus monasterio Vallemagnensi adjunxit prioratum de Palatio. Ransa de Villareto & Ermengarde pro abbatia Nonnatici contendentibus, Bonifacius VIII. summus pontifex fratrem Iterium Leutevensem & Gaucelinum Magalonensem episcopos commisit, ut de utriusque jure cognoscerent, qui quidem utraque exclusa, Elixim abbatissam elegerunt an. 1299. Officium præconis Leutevæ instituit an. 1300. quod contulit Hugoni de Carennaco, hancque biennio post confirmavit institutionem. Anno eodem in festo S. Clementis scriptis ad Egidium Narbon. archiep. litteris assensum præbuit, ut Petri electi Carcasson. consecratio extra provinciam fieret. Adfuit conventui episcoporum & procerum Parisiis die Mercurii ante festum Paschæ an. 1302. convocatorum, in quo Bertrandus Burdigalensis archiepiscopus declaravit minime se teneri ad clientelam regi profitendam. Privilegium obtinuit a rege Philippo mense Maio Dominica post festum S. Nicolai eodem anno, quo defunctus humatur in ecclesia Franciscanorum Burdegalensium cum hac epigraphe

Ch. XXIV. col. 286. 1299. 1300. 1302.

Hic jacet Reverendus in Christo pater frater Iterius ordinis Minorum, bonæ memoriæ episcopus Lodovensis, qui obiit anno Domini MCCCII. tertio cal. Julii, cujus anima requiescat in pace.

A

XXXVIII. Deodatus II.

ANNI CHRISTI

DE BOUSSAGUES.

Berengarii I. in episcopali sede antecessoris ex fratre Aimerico nepos Deodatus Iterio suffectus est an. 1302. ex Plantavitio, qui addit Deodatum sub præsulatus initium a Philippo rege impeditum, quominus Romam ad concilium a Bonifacio VIII. III. cal. Nov. celebrandum proficisceretur, summi pontificis iram & minas in se concitasse, a quibus ut eum tegeret rex, ipsum apud se Parisiis in regia detinuit, suaque sub protectione suscepit. Interfuit mense Maio anno 1303. sponsalitiis Isabellæ regis Philippi filiæ & Eduardi II. filii Eduardi I. Angliæ regis ab Egidio Narbonensi archiepiscopo celebratis. Bernardus abbas S. Salvatoris recognovit V. id. Dec. monasterium Leutevense tenere se sub dominio Deodati in clientelare prædium. Elix abbatissa Nonnatici debitam ei præstitit clientelam pro ecclesia de Rogatio. Eo quoque tempore Petrus de Combis ejus procurator ad regem appellavit occasione homicidii perpetrati in personam diaconi, cujus judicium sibi arrogabat senescallus Carcassonensis. Anno 1306. Philippus rex senescallo Carcassonensi mandavit, ut Aimericum de Claromonte ad clientelam episcopo præstandam compelleret, nec Judæos impediret a pedagio Leutevensi antistiti debito. Ecclesiam de Elceria parœcialem effecit anno 1308. quo & Egidio Narbonensi archiepiscopo obedientiam juravit die Jovis ante festum sancti Nicolai. In catalogo diplomatum Baluzii recensentur litteræ Deodati Leutevensis episcopi datæ die 10. Maii an. 1311. ad vicarios generales archiepiscopi Narbonensis de subsidio fratribus Jerosolymitanis ad loca sancta recuperanda concesso. Pepigit III. non. Junii cum priore villæ de Cossenatio. Anno sequenti inita fuit Leutevensem inter & Agathensem ecclesias arctissima societas. Deodati obitum an. 1312. assignant Catellus & Sammarth. quem incertum autumat Plantavitius. Defunctus sepelitur in capella episcoporum Leutevensium.

B C D

1303. 1306. 1308. 1311. 1312.

Erunt fortean quibus unus e duobus a Plantavitio & Sammarthanis hic recensitis minus arridebit Deodatus. Nam 1.° addubitat ipsemet Plantavitius annon Deodatus uterque idem fuerit, fatenturque Sammarthani Deodatum primum anno 1312. obiisse. 2.° Clemens, qui ipsum in Plantavitio sequitur, suspectus nimis videtur, tum quia notæ chronologicæ in instrumento allato non quadrant, indictio enim 1308. erat VI. non XI. tum quia Clemens V. summus pontifex, cujus in aula, quam in propria sede morari maluit Clemens Leutevensis, nondum Avenionem accesserat an. 1308. quo dicitur electus auctoritate Clementis V. Sed nec ulla necessitas Deodatum absque idoneo fundamento medium, ut ita dicam, secandi, ut Clemens inseratur, qui forte alius non est a Clemente de quo postea, qui sub alio Clemente apud Avenionem degebat. Similes apud Plantavitium passim occurrunt lapsus, qui conjecturæ nostræ non modicum favent.

E

Sed nec sequenti Petro locus assignari posse videtur. Innotescit enim ex historia comitum Tolosæ Catelli,

ANNI CHRISTI

Catelli, ubi refert Petro Leutevensi episcopo in A nonnullis bibliothecis librum tribui, cui titulus est: *Præclara Francorum facinora ab anno 1202. ad annum 1312.* Mirum sane quod inter antistites Leutevenses a Plantavitio auctoritate Catelli annumeretur episcopus, quem nec ipse in catalogo pontificum hujus ecclesiæ accensuit Catellus.

XXXIX. Bernardus V.

In magno clientelarum libro hujusce ecclesiæ variæ inseruntur recognitiones Bernardo episcopo Leutevensi præstitæ in loco de Nisatio diœcesis Biterrensis an. 1313. Occurrit & in repertorio privilegiorum & documentorum ad annum eundem. B Rectori ecclesiæ Claromontensis die IV. Martii anni præfati licentiam dedit, ut per quemcumque vellet episcopum cœmeterium benedici curaret. Forte idem ac Bernardus Guitardi monachus Gellonensis, de quo in necrologio S. Guillelmi: *II. non. Sept. obiit dominus Bernardus Guitardi quondam episcopus Lodovensis, pro quo debet missa matutinalis celebrari in conventu, qui legavit unum missale.*

1313.

DU PUY.

XL. Guillelmus II.

Bernardi successor Guillelmus jam sedebat die 19. Mart. 1314. ut constat ex libro solutionum C sub Benedicto XI. inibi enim cameræ apostolicæ solvisse legitur die & anno præfatis. Ludovico autem decimo carum fuisse probant septem litteræ ab ipso rege ad diversos in gratiam Guillelmi scriptæ, quarum argumenta in chronologia Leutevensi. Querelam habuit cum Raimundo de Arboratio circa jurisdictionem illius loci, quæ finita est X. cal. Novemb. 1315. Per biennium tantum rexit, si Plantavitio fides, a quo & discimus ejusdem prosapiæ fuisse Gerardum de Podio cardinalem tit. S. Clementis, qui obiit an. 1389.

1314.

1315.

DE MANDAGOT.

XLI. Guillelmus III.

D In assignando Guillelmi successore valde, ut fatear quod res est, anxius sum: si enim Plantavitium solum sequamur ducem, Guillelmus de Mandagoto post Uceticensem ecclesiam Leutevensem administrandam suscepit an. 1316. at obstat quod anno 1308. electum Uceticense pedum tenuisse ab anno 1318. ad 1344. constet ex monumentis hujusce ecclesiæ. Sed nec fuit Leutevensis episcopus antequam fieret Uceticensis: Guido enim Leutevæ jam sedebat, ut mox videbimus, antequam Andreas Fredoli ab Uceticensi ad Magalonensem translatus cathedram, Guillelmo cessisset. Itaque cum Guillelmus Uce- E ticensis diversus sit a Guillelmo Leutevensi episcopo, libentius crederem, si nulla alia esset auctoritas, Guillelmum de Podio Leutevensem episcopum eundem esse, qui electus circa annum 1314. cessit in fata an. 1317. Sed ne totum quidquid id est Plantavitio invidere videamur, Guillelmus de Mandagoto ex gente nobili pagi Leutevensis, patruum habuit Guillelmum de Mandagoto archiepiscopum Ebredunensem, & Aquensem, tandem cardinalem, & episcopum Prænestinum: ipse vero Leutevensibus datus episcopus recognitiones & clientelas ab omnibus ecclesiæ suæ fiduciariis exegit an. 1316. Solemnem recepit a Berengario Guillelmi domino de Claromonte VIII. id. Dec. ejusd. anni recognitionem. Insequenti quædam permutavit cum Gerardo de Leuteva. Decessit an. 1317. in antecessorum mausoleo sepultus, ut testamento suo caverat.

ANNI CHRISTI 1316.

1317.

XLII. Guido I.

Nunc primum innotescit Guido Leutevensis episcopus ex archivis Monspeliensibus, ubi regi clientelam professus legitur die ultima Aprilis anno 1317.

DE CONCOS.

XLIII. Jacobus I.

E nobili stirpe de Cabrairez in Cadurcis originem trahens Jacobus de Conquesio [a], Dominicanæ primum familiæ nomen dedit, tum pœnitentiarius Johannis XXII. cui etiam erat a confessionibus, ab eodem eligitur & inauguratur Leutevensium antistes pontificatus anno II. Cameræ apostolicæ promisit die 3. Martii an. 1318. ex libro obligationum prælatorum sub Johanne XXII. Subsacristæ officium instituit in basilica S. Genesii. Dominicanos in oppidum Clarimontis induxit, quorum conventus constructus fuit XV. cal. Maii an. 1321. in solo, quod eis cesserat Berengarius Guillelmi dominus de Claromonte. In regestis autem Vaticani translatus a summo pontifice dicitur Jacobus ad Aquensem metropolim VII. id. Julii pontificatus anno VI. hujusque in locum suffectus Johannes sequens; sicque evanescit Vidus Perpinianus, quem ex eodem ordine, ab eodemque pontifice in Valdenses fidei inquisitorem prius institutum, tum ex Jacobi cessione Leutevensem episcopum creatum vult Plantavitius an. 1322. Consule archiepiscopos Aquenses tom. I. col. 321.

1318.

1321.

DE LA TISSENDERIE.

XLIV. Johannes I.

Leutevensi ecclesiæ per translationem Jacobi vacanti a Johanne papa XXII. præficitur Johannes de Texenderia Cadurcensis, ordinis Minorum, bulla data Avenione VII. id. Febr. pontificatus anno VI. quam ex Waddingo inter instrumenta retulimus: ubi loco Febr. legendum Julii, tum quod in regestis Vaticani tam Jacobi translatio, quam Johannis promotio mense Julio annotetur, tum quia in libro obligationum prælatorum sub Johanne XXII. cameræ dicitur apostolicæ promisisse die 20. Julii an. 1322. quo electus adhuc vocatur. Cæterum primam hanc sponsam ne quidem salutasse videtur Johannes: Avenione enim nondum discesserat tum cum Johannis XXII. summi pontificis auctoritate ad Rivensem recens in Occitania erectam sedem translatus est in locum Bertrandi ad Caturcensem cathedram assumti bulla data Avenione XIII. cal.

Ch. XXV. col. 287.

1322.

[a] *al.* De Condosis, juxta Johannem le Charpentier in hist. Cameracensi parte 2. pag. 451. ubi dicit Jacobum archidiaconum Brucellensem in ecclesia Cameracensi fuisse an. 1305. antequam fieret episcopus Leutevensis: hincque ex ipso evanescere videtur quam post Plantavitium ei attribuimus, Dominicanæ regulæ professio. Et quidem inter Dominicanos præsules a R. P. Echard in bibliotheca Dominicana recensitos locum non habet.

ANNI CHRISTI 1324.

Aug. pontificatus anno VIII. ex regestis Johannis papæ XXII. in archivis Vicelegati Avenionensis asservatis. Jacet in sacello Rivensi ab ipso in Tolosana Franciscanorum majoris observantiæ ecclesia constructo, ut in episcopis Rivensibus dicetur.

DE LA GUYONNIE.

XLV. Bernardus VI.

Patria Lemovicensis Bernardus Guidonis ex humili familia in loco Roëria nuncupato prope Rupem apis natus anno 1260. Dominicanorum ordinem an. 1279. ætatis 19. ingressus est in conventu Lemovicensi, cumque omnia fere religionis illius officia per triginta quinque annos laudabiliter administrasset, factus anno 1308. B inquisitor fidei & hæreticæ pravitatis adversus Albigenses, procurator generalis totius ordinis Dominicani anno 1312. a summo pontifice per Italiam, Galliam & Belgium pro pace inter christianos principes procuranda legatus anno 1317. tandem his per annos 35. sedulo perfunctus muniis, episcopus primum Tudensis in Gallæcia metropolis Compostellanæ creatur a Johanne papa XXII. an. 1323. unde Johanni episcopus Leutevensis sufficitur mense Julio 1324. ex actis consistorialibus Vaticani, ubi cameræ dicitur promisisse die 2. Augusti ejusdem anni. Inauguratus spatium obtinuit die 21. Febr. ad C clientelam regi profitendam. In urbem solemniter ingressus die 21. Mart. solitam vassallorum episcopatus fidem postridie admisit. Totam inde diœcesim perlustravit, in qua recognitiones & clientelas undequaque sibi exhiberi curavit. Sedata est die 28. Julii an. 1325. controversia, quæ inter eum & Pontium Albrandi dynastam de Pegueyrollis movebatur ad tenorem instrumenti donationis factæ Petro quondam episcopo an. 1217. a Raimundo de S. Mauritio, necnon & querela, quæ ab Itherio episcopo mota fuerat cum Raimundo de S. Mauritio. Habuit eodem anno synodum, in qua statuta quædam promulgavit. Univit D an. 1326. ecclesiam parœcialem de Avoiratio archidiaconatui, ea lege ut collatio ad episcopum solum spectaret, qui tamen ipsum uni e tredecim canonicis conferre teneretur. Ruralem ecclesiam S. Vincentii de Gutta præcentoriæ univit. In ecclesia cathedrali archipresbyteratus officium instituit, quod uni e canonicis ab episcopo conferendum esse declaravit, qui sedem post archidiaconum, sacristam & præcentorem haberet. Pactum iniit eodem anno cum Ransa abbatissa monasterii Nonnatici circa jurisdictionem montis de Cornelio. Excommunicavit duos capellanos ecclesiæ de Nebiano, qui sacri chrismatis cæremoniæ die Cœnæ non interfuerant. Marchesia de Rocafolio abbatissa Nonnatici Bernardo recognovit montem de Cornelio an. 1328. Pepigit an. 1330. cum Petro Maffredi circa territorium de Calmels. In historiis evolvendis diligentissimum fuisse hunc præsulem, varia ejus quæ circumferuntur opera evincunt. Nonnulla luci Calviniana rabies invidit, reliqua in Tolosana Fratrum Prædicatorum bibliotheca manuscripta novem voluminibus & in aliis bibliothecis studiosissime asservantur. Horum elenchum videsis in biblioth.

(margin: 1325. 1326. 1328. 1330.)

A Prædicatorum tom. 1. p. 577. numerantur præcipue chronicon seu speculum historicum Romanorum pontificum, imperatorum, & regum Francorum Johanni XXII. dicatum, ad annum usque 1322. exaratum, quod Berengarii XIII. ordinis sui generalis jussu composuerat. Tractatus plures de conciliis, de officio Missæ, de nominibus apostolorum, & de articulis fidei, chronologia episcoporum Lemovicensium, ac Tolosanorum, nonnullæ Sanctorum *legendæ* sub titulo *Sanctoralis*, liber procedendi adversus hæreticos. Præterea documenta omnia vetera & nova, bullæ summorum pontificum, privilegia regum & diplomata, clientelæ, recognitiones, episcoporum Leutevensium nomenclatura, eorumdem acquisitiones, & gesta celebriora, denique instrumenta omnia ad episcopum & ecclesiam Leutevenses spectantia in quinque volumina congesta, quorum vix unum superest, &c. Ædes episcopales instauravit, & auxit, viam qua ad castrum montis Bruni itur stravit, alia acquisivit & melioravit. Tandem cum omnia boni pastoris munia octo fere annis felicissime obiisset, animam Deo reddidit in castro Laurosio ditionis episcopalis anno 1331. postridie festi S. Thomæ martyris ætatis suæ 71. cujus cadaver ad Prædicatores Lemovicenses, ut ipse testamento præscripserat, delatum, sepultum fuit Dominica infra octavam Epiphaniæ in templi sanctuario ad altaris majoris cornu sinistrum cum hac inscriptione:

Sub hoc humili loco jacet frater BERNARDUS GUIDONIS *ordinis Fratrum Prædicatorum, post nonnullas per Italiam, Galliam & Flandriam legationes apostolicas, primum Tudensis in Gallæcia, deinde Lodovensis episcopus in Gallia Narbonensi, qui animam cœlo reddidit anno salutis Domini* MCCCXXXI. *die tricesima Decembris. Requiescat in pace. Amen.* Vide ejus vitam apud Labbæum bibliothecæ tom. 2. pag. 820.

(margin: 1331.)

DU MAS.

XLVI. Bertrandus II.

Bertrandus de Manso episcopatum adeptus an. 1332. die 17. Februarii favore Johannis XXII. apostolicæ cameræ biduo post promisit, ut docent acta consistorialia & liber obligationum prælatorum. Capitulo generali ecclesiæ suæ mense Maio ejusdem anni celebrato interfuit, ubi statuta ab antecessoribus capitulo concessa confirmavit. Raimundus de S. Mauritio fidelitatis juramentum una cum clientela Bertrando exhibuit XII. cal. Maii an. 1335. Bernardi decessoris ad instar Arnaudus abbas S. Salvatoris eidem an- E tistiti obedientiam spopondit an. 1338. Anglesius de Luzeria se suaque omnia juxta litterarum apostolicarum tenorem in manibus Bertrandi episcopi Leutevensis anno 1347. obligavit pro solvendis sex millibus florenis ad fundandum monasterium de Gorjano: hanc autem obligationem perperam cum fundatione confudit Plantavitius, ut cuilibet chartam inter instrumenta legenti patebit. Sed neque audiendus, cum Bertrandum concilio provinciali Narbonensi adfuisse anno 1351. asserit: hujus enim concilii apud Biterras habiti in actis, quæ ex archivis ecclesiæ Elnensis

(margin: 1332. 1335. 1338. 1347. Ch. XXVII. col. 288.)

ANNI CHRISTI

primus in lucem edidit Baluzius, nulla Leutevensis episcopi fit mentio, ut nec in convocationibus ante concilium ab archiepiscopo factis. Sic tota ruit Plantavitii de Bertrandi obitu & Roberti promotione conjectura, adeoque licet dubitare annon Bertrandus obierit, aut saltem cesserit circa annum 1348. [1348.]

XLVII. Robertus.

Leutevense pedum jam tenebat Robertus an. 1348. si Plantavitio fides, quo auctore a Clemente papa VI. hoc eodem anno delegatus fuit, ut indulgeret matrimonium Arnaldi de Luzeria & Agnetis de Montesquiou ob consanguinitatem. Electus tamen & confirmatus legitur anno 1349. [1349.] in archivis cameræ computorum Parisiensis. Eodem anno Roberto scribit Petrus archiepiscopus Narbonensis Carcassonensem episcopum in malitia perseverantem a se fuisse excommunicatum. Eidem anno 1350. [1350.] die 24. Augusti Anglesius de Luzeria dominam Isabellam de Morello præsentavit, ut eam institueret, [Ch. XXVII. col. 288.] & crearet abbatissam monasterii S. Stephani de Gorjano a se recens extructi: quam quidem Isabellam monialem recepit Robertus, abbatissamque constituit novi cœnobii die & anno prædictis. Jam obierat, aut certe aberat die antepenultima mensis Septembris an. 1351. [1351.] quo ad concilium Biterrense suffraganeos invitavit Petrus metropolita, nulla Roberti facta mentione: quominus obiisse certo affirmemus obstat transactio facta inter eum & syndicos universitatis castri de Cassari super excubiis ejusdem castri, de qua Plantavitius ad annum 1356. [1356.]

XLVIII. Gibertus.

Gibertus qui & Gilbertus, Gisbertus, Gelbertus & Gautbertus e Vapincensi ad Leutevensem sedem translatus dicitur an. 1358. [1358.] in actis consist. Vaticani. De eo diximus t. 1. col. 467. Leutevæ jam sedisse die 8. Nov. an. 1357. vult Plantavitius ex instrumento in archivis monasterii S. Guillelmi reperto, in quo Galberti fit mentio. Hujus temporibus Carmelitarum conventus de auctoritate Innocentii VI. summi pontificis translatus fuit e suburbio Montisbruni ad locum, in quo etiamnum exstat, secus pontem Lergæ ad radicem montis an. 1359. [1359.] Jam obierat Gibertus XII. cal. Augusti an. 1361. [1361.] pontificatus Innocentii VI. IX. ut patet ex epistola hujus pontificis hac die ad Guillelmum Gilaberti canonicum Narbonensem data de reservatis sedi apostolicæ debitis & creditis Gilberti Leutevensis episcopi. Vide Anecd. t. 2. col. 1043.

XLIX. Aimericus. [D'Hugues.]

Canonicum Pictaviensem & officialem Bituricensem fuisse Aimericum an. 1343. antequam fieret episcopus Leutevensis, discimus ex testamento Fulcaudi de Rupecavardi archiepiscopi Bituricensis. Leutevensem autem cathedram beneficio Innocentii papæ VI. ascendit ante 21. Julii an. 1361. hac enim die cameræ solvit apostolicæ, ut legitur in libro solutionum prælatorum sub hoc pontifice. Plurima acquisivit in oppido Claromontano. Varias variorum excepit clientelas an. 1364. [1364.] quo & Petrus abbas S. Salvatoris obedientiam ei promisit. Petro Narbonensi archiepiscopo reverentiam ipse spopondit die 5. Julii an. 1365. [1365.] Obtinuit eodem anno a senescallo Carcassonensi sententiam adversus Guillelmum de Andusia. Vocatus a Petro Narbonensi archiepiscopo litteris datis die 28. mensis Aprilis an. 1368. [1368.] ad concilium die 27. mensis Maii in Vaurensi ecclesia ab antistitibus trium provinciarum celebrandum, cum ipse per se interesse non posset, misit procuratorem, ut testantur acta apud Baluz. concil. Narbon. pag. 126. Verum quidem est in indulgentia a patribus concilii die 3. Junii concessa *ibid.* pag. 295. fidelibus, qui suppetias ferrent ad restaurandam Vaurensem ecclesiam, Petrum Leutevensem episcopum recenseri inter prælatos, qui hanc generalem celebrabant synodum, at mendum irrepsisse necessum est: præterquam quod enim nondum obierat Aimericus, ut mox videbimus, qui fieri potest ut a die 27. Maii ad 3. Junii Petrus in locum Aimerici defuncti statim suffectus, concilio Vaurensi interfuerit. Memoratur adhuc in actis Leutevensibus anno 1369. [1369.] In calendario & necrologio Bituricensis ecclesiæ ultimum vitæ diem dicitur numerasse 24. Aprilis, annum inibi omissum supplet Baluzius 1370. [1370. *Not. ad vit. papar. Avenion col. 1145.*] Ex eadem gente originem duxisse suspicatur Plantavitius Guillelmum d'Hugues archiepiscopum Ebredunensem de quo t. 3. col. 1096.

L. Guido II. [De Malsec.]

Guido de Malosicco e diœcesi Tutelensi oriundus, & Gregorii XI. summi pontificis consanguineus, juri canonico primum operam dedit in academia Tolosana, ubi & illud publice docuit decretorum doctor factus, inde archidiaconus de Corbaria in ecclesia Narbonensi, capellanus & acolythus papæ, in sacerdotio constitutus, Leutevensi ecclesiæ per obitum Aimerici vacanti præficitur ab Urbano V. litteris datis apud Montemflasconem VI. cal. Junii pontificatus anno VIII. Transfertur inde ad Pictaviensem anno sequenti, [1371.] ut diximus tom. 2. col. 1192.

LI. Johannes II.

Guidoni suffectus Johannes sedebat an. 1372. [1372.] quo primus Leutevensium episcoporum mandavit, ut sacrosanctum Domini corpus continue in ecclesia S. Genesii conservaretur. Instituit eodem tempore sanctissimi sacramenti sodalitium in ecclesia cathedrali, ut patet ex veteri instrumento, cujus exemplar subjicit Plantavitius in chronologia pag. 310. Misit anno 1374. [1374.] vicarium ad synodum provincialem Narbonæ die 15. mensis Aprilis habitam, cui ipse vocatus adesse non poterat. Baluz. concil. Narbon. pag. 314.

LII. Ferricus. [Cassinel.]

Procerum Lucensium in Italia genere editus Ferricus, Francisci Cassinel ex nata domini de Pomponne filius, frater autem Guillelmi toparchæ

ANNI CHRISTI

de Romainville Caroli VI. regis dapiferi, locorum de Galargues & de Montclus in Septimania condominus, clericus primum & notarius regius, regi a sanctioribus consiliis & secretis, doctor theologus, cui Carolus V. an. 1372. ducentos francos dari voluit in sumtus convivii doctoralis, ex archidiacono Vulcassino in ecclesia Rotomagensi episcopatu Leutevensi donatus, jam praeerat anno 1375. quo die 19. Febr. mutuas 3000. libras auri dedit Ludovico regis Franciae fratri, Occitaniae proregi. Memoratur an. 1376. in sententia lata a Ludovico duce Andegavensi inter Gastonem Fuxensem comitem & Johannem comitem Armaniaci, Fezensaci, &c. *Capitaneus* generalis dictus in partibus Occitaniae pro eodem Ludovico recipit quotidie duas libras auri, praeter sex alias ipsi pridem attributas: id discimus ex apocha ab ipso data die 26. Maii 1377. in chartis authenticis D. de Gagneres. In alia diei 12. Septemb. ejusdem anni se ipsum nuncupat comitem de Montebruno, & consiliarium regis. Occurrit adhuc an. 1378. in veteri charta ecclesiae Tolosanae. Nullus autem dubito quin Ferricus idem ipse sit ac Sarrusius, de quo Plantavitius ad hunc annum: cum enim nulla alia de Sarrusio fiat mentio, nec alicunde certum sit Leuteva cessisse Ferricum ante annum 1382. quo ad ecclesiam Autissiodorensem fuit translatus, nomine in utroque Plantavitium errasse non mirabitur, qui hunc locum seriemque episcoporum in chronologia legerit a pag. 315. ad 321. Vide elogium Ferrici apud Quercetanum hist. Castillion. lib. 8. cap. 4.

1375. 1376. 1377. 1378.

LIII. Petrus V.

GIRAUD.

Patria Lugdunensis Petrus Geraudi sive Girardi, ex loco S. Symphoriani castri in limite Foresiensi oriundus, honestis parentibus natus, erat licentiatus in legibus & archidiaconus Bituricensis die 9. Febr. 1373. ex testamento Aimari de Pictavia comitis Valentinensis & Diensis, clericus camerae apostolicae an. 1377. ut docent epistolae Gregorii XI. ex quibus colligitur ab illo missum fuisse Petrum in Galliam ad Guillelmum vicecomitem Turenniae, canonicus Eduensis & major poenitentiarius Clementis VII. Plantavitio teste, anno 1380. Ex praeposito autem Massiliensis ecclesiae rogatu Massiliensium factus est episcopus Leutevensis a Clemente, non anno 1380. ut communis fert opinio, anno enim 1382. die 10. Febr. in diario episcopi Carnotensis Johannis Fabri appellatur tantummodo magister Petrus Gerardi, sed anno 1382. ex schedis D. de Ruffi, quo die 22. Octob. recognovit pro Guidone decessore, ut legitur in libro obligationum praelatorum. Cum autem ad ecclesiae Leutevensis praesulatum evectus fuisset, gratias actum pontifici Massilienses miserunt, unde concludit Ruffius Massiliensem eum fuisse, sed perperam, ut vidimus. A Clemente VII. delegatus fuit bulla data Avenione anno 1384. ad visitanda monasteria, abbatias, & parochias semel in anno per Gallias, ita ut procurationum medietas pro necessitatibus sedis apostolicae destinaretur.

1382. 1384.

Translatus inde est ad ecclesiam Aniciensem anno, ut vult Baluzius post Odonem Gisseyum, 1384. die XV. Julii, melius 1385. ex libro obligationum praelatorum, in quo pro Bertrando decessore promisisse legitur die 16. Augusti. Quod spectat ad episcopatum ejus Avenionensem putat Baluzius eam ad cathedram pervenisse circa annum 1386. vide quae jam diximus t. 1. col. 825. & 1329. At non confundendus cum alio ejusdem nominis, Urbani V. nepote ab ipso a Mimatensi ad Avenionensem translato anno 1368. Factum tandem cardinalem tituli sancti Petri ad vincula & episcopum Tusculanum discimus ex Ughello novae editionis t. 1. pag. 239. Condito testamento die 8. Novemb. an. 1410. legavit *capitulo ecclesiae Lodovensis*, minime vero Lugdunensis ut apud D. Claud. Estiennot t. IX. hist. pag. 412. *pro usu & servitio dictae ecclesiae, cui praefuimus in episcopum, & de qua plura bona habuimus, unam bonam & pulcram capellam cum armis nostris de panno coloris de.... deaurato, quem quidem pannum habuimus de exequiis & sepultura faelicis recordationis domini papae Clementis VII.* Consule t. 2. col. 729. & t. 4. col. 174.

ANNI CHRISTI 1385.

LIV. Clemens.

In locum Petri subrogatus Clemens auditor generalis papae, ejusdemque camerarius ac curiae apostolicae, promisit & recognovit die 21. Dec. 1385. pro Guidone decessore ex libro obligationum praelatorum. Hunc inter alios testamenti sui instituit exsecutorem B. Petrus cardinalis de Luxemburgo die penultima mensis Junii an. 1387. Memoratur an. 12. Clementis VII. in archivo abbatiae Corbeiensis. Fastis autem Leutevensibus nihil egit dignum: Avenione enim apud pontificem degens, ecclesiam suam per procuratorem adiit, qui ejus nomine gravem intendit capitulo Leutevensi litem pro fructibus praebendae canonicalis episcopo annexae persolvendis, quos ob ejus absentiam persolvere renuebant canonici; & pro reditibus *Tertiorum* eidem capitulo non solvendis, quae quidem lis nonnisi successore Clementis praesulante diremta est. Delegatus fuit a Clemente VII. in gratiam Carthusiae Boni passus secus Druentiam instrumento dato Avenione XIII. cal. Novemb. anno 1390. Insequenti pro regis negotiis in Germaniam legato Clementi duodecim librae quotidianae attribuuntur die XI. Maii an. 1391. Occurrit & 23. ejusdem mensis in chartis authenticis D. de Gagneres. Ipse est, ni fallor, de quo in necrologio Caelestinorum Parisiensium legitur ad diem 28. Maii: *Obitus reverendi in Christo patris domini Clementis de Grandimonte episcopi Lodovensis, qui inter caetera quae nobis praestitit, etiam quosdam libros de theologia donavit.*

1385. *Prob. hist. card. Gallor. pag. 543.* 1387. 1390. 1391.

LV. Guillelmus IV.

GRIMOARD.

Urbani quinti summi pontificis, & Anglici Avenionensis episcopi & cardinalis, ex fratre nepos Guillelmus Grimoardi, e clerico camerae Leutevensis electus, successit Petro, qui Clementem exceperat: ita habet liber obligationum

ANNI CHRISTI 1392. prælatorum, sed mendose, ut ex aliis probavimus regestis. Cameræ apostolicæ promisit die 13. Novemb. an. 1392. Ecclesiam autem suam nusquam invisit, Avenione semper apud Clementem remanens. Itaque nihil aliud de eo notandum occurrit, nisi quod litem illam circa *Tertia* a Clemente decessore motam requisitus a capitulo Avenione amice terminaverit anno 1393. Per biennium tantum sedisse dicitur a Plantavitio, sed perperam; ex archivis enim Nannonensibus discimus Guillelmum ad annum 1398. pervenisse, eodemque mortuum fuisse ante diem 28. Aprilis, qua sedes Leutevensis vacasse dicitur, sicque restituitur interversus in chronologia aliquot præsulum ordo, dubiique & adventitii evanescunt episcopi.

1393. 1398.

LVI. Johannes III.

DE LA VERGNE.

Post obitum Guillelmi eligitur mense Septembri Johannes de la Vernha dominus de Tressan, diœcesis Biterrensis, Leutevensis ecclesiæ præcentor, & clericus cameræ apostolicæ. Electus autem consecratur a Bartholomæo Biterrensi episcopo mense Novembri. Francisco Narbonensi archiepiscopo promisit obedientiam anno 1399. Coram locumtenente Petri de Mornaio militis, senescalli Carcassonensis & Biterrensis clientelam & fidem regi juravit episcopum indutus die 3. Julii an. 1400. in sacello S. Blasii sito in arce civitatis, procuratoris regii intercessioni non cedens, qui contendebat episcopum, ut comitem Montisbruni, debere alterum crus albis, alterum rubris tibialibus indutum habere; nec ejus clientelam acceptare volebat, quin antea recognovisset episcopus jus *regaliæ*, quod rex sibi vindicabat in bonis episcopatus Leutevensis; renuebat autem episcopus, asserens nullum *regaliæ* in suo episcopatu regi jus competere, eodemque modo antecessores suos clientelam professos hactenus fuisse, quo ipse exhibebat, reveraque exhibuit ex tab. reg. Carcasson. Fundavit Johannes anno 1403. capellam S. Johannis Baptistæ de Pegueyrollis. Parisiis degebat an. 1408. ut constat ex instrumento illius ecclesiæ, in quo dicitur præsens, vocatus testis. Hujus in gratiam Alexander papa V. parœcialem ecclesiam S. Johannis de Plenis univit mensæ episcopali anno circiter 1410. Obtinuit die 9. Maii 1411. decretum supremi Parisiensium senatus contra Guillelmum de la Fillole regium Giniaci vicarium. Unam e cellis Carthusianorum Parisiensium fundasse legitur in necrologio illius monasterii, exemtus e vivis an. 1413.

1399. 1400. 1403. 1408. 1410. 1411. 1413.

LVII. Michael I.

LE BOEUF.

Ecclesiæ Leutevensi per obitum Johannis vacanti præficitur Michael Bovis in jure civili licentiatus, a consiliis & secretis D. Ducis Bituricensis die 25. Augusti, ex regesto provisionum Johannis XXIII. *al.* die 22. Sept. ex regesto Benedicti XIII. antipapæ anni 1413. Frater quidem Petrus e Leutevensi ad Electensem translatus ecclesiam legitur in regesto Benedicti XIII. 15. Jan. 1420. qui tamen Petrus nec Electensi, nec Leutevensi præfuisse videtur ecclesiis: nam Michaelis procurator querelam habuit an. 1423. cum Celvando abbate S. Salvatoris Leutevensis circa jus procurationis debitum episcopo. Jordanus Claromontius condominus castri de Malavetula clientem se Michaeli professus est anno 1424. Occurrit eodem 6. Januarii in chartis authenticis D. de Gagneres, ubi vocatur regis consiliarius. Ad preces Michaelis arces Montisbruni & Castellari auctoritate regia fuerunt visitatæ an. 1426. Mille libras Turonenses accepisse legitur die 25. Maii an. 1427. eo quod comitiis Occitaniæ in castro d'Espali habitis interfuisset, inibique de rege bene fuisset meritus. Composuit eodem anno cum Petro de Rocosello abbate Anianæ. Obiit anno 1430.

ANNI CHRISTI 1423. 1424. 1426. 1427. 1430.

LVIII. Petrus VI.

DE LA TRILLINE.

Michaeli defuncto subrogatur Petrus de Trillina idibus Februarii anni 1430. ut constat ex regesto provisionum prælatorum sub Martino V. In rebus agendis apprime versatus, nuncius ad regem Castellæ a Martino V. papa missus fuerat an. 1426. antequam fieret episcopus: sanctioris dein consistorii consiliarius, ex archidiacono in episcopum Leutevensibus datur. Electus consecratur Lutetiæ a Jacobo du Chatelier Parisiensi episcopo eodem anno: recensetur enim inter prælatos qui celebrarunt concilium Narbonense die 29. Maii 1430. præside Petro Castrensi episcopo, necnon Francisci Narbonensis archiepiscopi vicario generali, cujus in manibus circa id tempus Petrus præstitit juramentum. Regi juravit fidem die XI. Oct. coram vicario Raimundi Aimerici militis, domini de Basilhac, senescalli Carcassonensis & Biterrensis. Instituit an. 1431. vicariam perpetuam ecclesiæ S. Johannis de Plenis, cujus in Johanne anno 1410. facta fuit mentio. Omnes subditos ad jusjurandum clientelæ adegit an. 1432. Vetuit anno 1433. animantium in ecclesias introitum. Una cum aliis Narbonensis provinciæ præsulibus ad concilium Basileense die 26. Novemb. anno circiter 1435. dedit litteras in gratiam G. ab Appamiensi ad ecclesiam Tomeriensem a summo pontifice translati. Sententiam a Bertrando Bourgouhan Dominicano, &c. inter canonicos Leutevenses & rectores sodalitii S. Blasii latam approbavit an. 1437. Defunctus an. 1441.

Bzovius ad hunc ann. pag. 680.

1431. 1432. 1435. 1441.

LIX. Jacobus II.

DE GAUJAC.

Petrum proxime excepit Jacobus de Gaudiaco, qui canonicus & præcentor Leutevensis ecclesiæ eidem præficitur antistes post obitum Petri XIII. cal. Nov. 1441. ex libro provisionum Eugenii IV. Idem, ni fallor, qui vicarius Narbonensis subscripsit primus litteris prælatorum hujusce provinciæ ad concilium Basileense, de quibus in Petro antecessore ad annum 1435. Leutevenses cives ad solitum clientelæ jusjurandum vocavit an. 1445. ex Plantavitio. Processionem solemnem instituit in gratiarum actionem ob Normannos ad Francorum coronam reductos. Regius consiliarius appellatur in chartis authenticis D. de Gagneres, ubi hujus mentio fit ann. 1446. die 4. Julii & 1448. 29. Jan. & 1450. 22. Jan.

1445. 1446. 1450.

ANNI CHRISTI

LX. Guillelmus V.

D'Estouteville.

Revocata ab Andegavensi cardinali Nemausensis ecclesiæ commenda, Leutevensis ipsi demandata est VII. id. Jan. 1450. ita enim lego in libro provisionum prælatorum sub Nicolao V. Hic autem est Guillelmus d'Estouteville cardinalis presbyter tit. S. Martini in montibus, de quo jam in Diniensibus & Biterrensibus episcopis, qui tot successive sacerdotia tenuit, ut ordinem intervertere sit facillimum: at ut ecclesiam Leutevensem administrandam certe suscepit, ita tempus non usquequaque certum: hanc vero commendam adhuc obtinebat an. 1453. ex archivis cameræ computorum Parisiensis, quo ad Maurianensem transfertur VII. cal. Februarii pontificatus Nicolai V. anno VI. ex regestis Vaticani.

1453.

LXI. Bernardus VII.

De Cassiliac.

Ex canonico Albiensi Leutevensis episcopus instituitur Bernardus de Cassiliaco VII. cal. Febr. 1453. post translationem Guillelmi, ut patet ex actis consistorialibus Vaticani.

LXII. Johannes IV.

De Corguileray.

Catellus in commentariis Occitaniæ lib. 5. pag. 998. hunc episcopum vocat Johannem de Horguellerces: verum ejus nomen & cognomen habuimus ex *inquesta* facta die 4. mensis Octobris an. 1490. in qua Stephanus Ferrerii notarius ait se fuisse scribam curiarum spiritalis & temporalis loci S. Tiberii, quo tempore reverendus Dom. Johannes de Corguilleray erat abbas sive commendatarius monasterii dicti loci, &c. Johannes itaque a consiliis Ludovici XI. regis, cujus sacro Remis interfuit die 15. Augusti anni 1461. & sub quo nonnullas postea obiit legationes occasione belli boni publici, aliquot post regis inaugurationem mensibus Leutevensis eligitur episcopus VI. cal. Maii pontificatus Pii II. anno IV. ex libro provisionum. Ecclesiæ suæ eodem anno 1462. iniit possessionem. Confirmavit die 14. Junii 1464. unionem capellæ de Bello loco aulæ episcopalis per decessores factam capitulo. Eodem anno cum procuratore regio Giniacensi circa jurisdictionem pactum iniit, quod Tolosano senatusconsulto fuit confirmatum. Obtinuit anno 1465. administrationem perpetuam abbatiarum sancti Guillelmi de Deserto & S. Tiberii. Sedata est 25. Julii an. 1478. a senatore quodam Tolosano querela, quam cum canonicis circa statuta & privilegia Leutevensis capituli habebat. Memoratur in chartis authenticis D. de Gagneres ann. 1464. 25. Maii 1466. 24. Dec. 1475. 1. Oct. 1477. ultima Maii, 1483. 16. Maii, & in regestis Tolosani senatus annis 1486. & 1488. quo senio confectus excessit e vivis. Humatus autem fuit secus S. Fulcranni sacellum, quod ab ipso ampliatum, instauratum, ornatumque fuerat.

1462. 1464. 1465. 1478. 1483. 1486. 1488.

LXIII. Guillelmus VI.

Briçonnet.

Ex antiqua & perillustri apud Turonenses ortus familia Guillelmus, parentes habuit Guillelmum regni sub Carolo VIII. administrum, A totiusque Occitaniæ proregem, & Raouletam de Beaune, quam duxerat uxorem Guillelmus, antequam fieret Macloviensis episcopus, cardinalis, Remensis archipræsul & tandem Narbonensis. His editus parentibus Guillelmus Ludovicum Pinellum, postea Meldensem episcopum, in Parisiensi Navarræ collegio legentem puer audivit. Factus inde canonicus S. Martini Turonensis, in utroque jure baccalaureus, & notarius apostolicus, annum vixdum attigerat decimum septimum, cum episcopus Leutevensis eligitur VIII. cal. Maii an. 1489. ex regesto provisionum prælatorum sub Innocentio VIII. unde refellitur quod in B historia genealogica magnatum Franciæ de Guillelmo legitur, clericum computorum jam fuisse die 29. Aprilis 1467. exstinctus enim anno 1533. aut saltem ineunte 1534. ut communior fert opinio, agens sexagesimum tertium annum, natus nondum erat anno 1467. Commendam quoque Gellonensis monasterii eo circiter tempore videtur obtinuisse. Fidelitatis juramentum Carolo VIII. præstitit in summa Turonum æde die 22. Maii an. 1491. Litterarum & litteratorum amicus Jodocum Clictoveum quamprimum factus episcopus accivit, quicum totos studebat dies. Præses computorum in locum Roberti patrui cooptatus est die 3. Augusti 1495. mense C elapso legatus a rege in Occitaniam mittitur, quo nomine trecentas libras Turonenses 17. Septembris recipit. Majori Annæ Ducissæ Britanniæ Caroli VIII. uxoris eleemosynario Guillelmo quadringentæ assignantur libræ an. 1496. & sequent. Vicarius generalis a patre archiepiscopo Remensi instituitur anno 1497. Quo permutatione quadam facta Johanni Bourgoin præposito Remensi successit die 26. Julii. Eodem anno 26. Maii rex Carolus 500. libras annui reditus ei donavit in augmentum beneficii. Ærarii præfectus an. 1498. præsens memoratur D in litteris, quibus magister Gabriel de Laia in nobiles mense Aprili est adscriptus. Hujus auctoritate præsulis confectum est eodem anno repertorium privilegiorum, jurium, & documentorum ecclesiæ Leutevensis, necnon & præclare gestorum aliquot episcoporum, quod velut quinque Guidonis voluminum epitome est. Occurrit in regestis senatus Tolosani ann. 1499. & 1500. Hoc eodem anno querelam habuit cum Hugone Truffeti canonico Leutevensi circa decimas loci de Ceyratio, quæ die 24. Maii ab arbitris sedata est. Reperitur in chartis authenticis D. de Gagneres die 19. Mart. 1501. & 10. Febr. 1502. Ca- E nonicus Parisiensis receptus est 8. Aprilis ejusdem anni exeuntis. Præsens legitur hominio præstito a Jacobo de Beaulne Venetensi episcopo ultima Nov. 1504. ex chart. Nannet. Abbas S. Germani a Pratis per resignationem patris renunciatur an. 1507. mense Novemb. Romam eodem anno a Ludovico XII. pro sedandis quæ inter eum & Julium II. inerant discordiis missus, Gallo præsule vere digna & eleganti oratione summum adiit pontificem, quæ pluries emissa est in lucem. Reversus conciliabulo Turonensi contra Julium papam celebrato interfuit an. 1510. velut etiam

ANNI CHRISTI

1489. 1491. 1495. 1496. 1497. 1498. 1499. 1500. 1501. 1502. 1504. 1507. 1510.

ANNI CHRISTI 1511. pseudosynodo Pisanæ una cum patre Guillelmo & Dionysio fratre tunc archidiacono Remensi anno 1511. quo tempore breviarium in usum Leutevensis ecclesiæ auctoritate ejus emendabatur Leutevæ & prælo edebatur. Pristinum ordinis S. Benedicti decus in monasterio S. Germani a Pratis revocavit anno 1513. ut suo fusius dicetur loco. Factus anno 1516. Meldensis episcopus Leutevensem ecclesiam fratri resignavit retentis annua, ut vult Plantavitius, 1200. librarum pensione, beneficiorumque omnium collatione. Aliquanto post Romam iterum legatus, prioris non immemor sponsæ, bullam a summo pontifice obtinuit in gratiam incolarum diœceseon Meldensis & Leutevensis, necnon & suburbii S. Germani a Pratis. De eo in Meldensibus episcopis plura. Guillelmo Leutevensi episcopo Jacobus Clictoveus doctor theologus ejus familiaris opera S. Dionysii dicavit. Vide Guidonem Bretonneau in historia Briçonnetæ familiæ.

1513. 1516.

LXIV. Dionysius.

Briçonnet.

Guillelmi germanus Dionysius, prior Cossiacensis, dein archidiaconus Remensis, postea Avenionensis, & collegiatæ Tarasconensis ecclesiæ decanus, per cessionem patris factus episcopus Telonensis an. 1511. ut diximus t. 1. col. 752. mox abbas S. Martini Esparnaci 1512. Maclo- C viensem ecclesiam post patrem regendam suscepit anno 1513. deinde Guillelmo fratre resignante, sedem Leutevensem consecutus est, ex quo ille Meldensem accepit cathedram an. 1516. annua 1200. librarum pensione, totiusque diœceseos sacerdotiorum collatione sibi reservatis. Anno 1517. die 3. Maii interfuit inaugurationi Laudunensis episc. Ludovici de Borbonio Francisci comitis Vindocinensis ex Maria Luxemburgensi filii factæ in ecclesia prioratus Vallis-Scholarium Parisiensi, in qua diaconi munere functus est. Ad Leonem X. a rege Francisco I. missus, tanta per triennium legationem solertia D obiit, ut Clemens VII. tunc cardinalis, & post summus pontifex, rogatus in consistorio ut sententiam diceret, responderit *frustra sententiam omnes dicturos, consilia omnium adversariis enuntiari, rem actam agi, unum esse Galliæ legatum* (Dionysium significans, qui tunc Romæ oratorem agebat) *qui omnium cogitationes in rebus quæ agerentur percipiendis, sua diligentia vinceret.* Hujus instantia legati B. Franciscus de Paula Minimorum patriarcha sanctorum numero adscriptus est calendis Junii an. 1519. Priusquam autem Roma discederet, summo pontifice urgente E ut gratiam aliquam, ut moris est, legationis ergo ab ipso expostularet, id unum efflagitavit, ut nonnullos vinctos ad triremes damnatos liberaret pontifex, quos e catenis solutos vestimentis & alimentis procuravit Dionysius. Reverso frater Guillelmus Meldensis episcopus vicariam omnium Leutevensis diœcesis sacerdotiorum sibi reservatorum collationem demandavit die 28. Nov. 1519. Per quadriennium tantum cum Macloviensi Leutevensem tenuit ecclesiam, quam necdum salutasse videtur an. 1520. quo cum Renato

1517. 1519. 1520.

A abbate Cormeriacensi permutavit. Quæ autem propius tantum attingunt pontificem, melius in episcopis Maclovienſibus exsequemur.

LXV. Renatus I.

du Puy.

Renatus frater Jacobi du Puy domini de Nassselles, ex abbate Cormeriacensi & priore B. M. de Pomerio ordinis Grandimontensis permutatione facta cum Dionysio Leutevensem episcopatum adipiscitur anno 1520. die 5. Dec. ex regesto provisionum prælatorum, sub conditionibus a Guillelmo Meldensi præfixis, qui Renatum in conferendis beneficiis vicarium suum instituit die 2. Febr. anni 1521. juxta nostrum B computandi morem. Eodem anno Leutevæ solemni excipitur pompa die 24. Martii. Sacerdotiorum collationem Renato ablatam Michaeli Nemausensi antistiti commisit Guillelmus Meldensis die 13. Nov. quam postea eidem renovavit die 10. Julii 1524. Hoc ipso anno probavit Renatus die 2. Julii fundationem factam a Guillelmo Ollier Claromontano in ecclesia monialium de Gorjano. Mense vero elapso ob maximos Augusti calores mortem oppetiit Leutevæ, humatus in mausoleo episcoporum. Utrum de Renato nostro intelligendus Erasmus in epistola 846. novæ editionis ad Natalem Bedam data die 15. Junii 1525. viderint oculatiores: *si quid accidit episcopo Lodovensi tristius, equidem vehementer doleo: nam olim mihi talis visus est, quales optarem multos esse præsules.*

1521. 1524.

LXVI. Johannes V.

Matthieu.

Plantavitii improbo labori hunc ecclesia Leutevensis debet antistitem. Diœceseos enim visitationi incumbens, forte incidit in quemdam recognitionum codicem jussu Johannis Matthæi Leutevensis episcopi an. 1526. confectum. Quis autem fuerit Johannes, quanto rexerit tempore nondum divinare licuit.

1526.

LXVII. Laurentius.

Toscan.

Laurentius Toscanus, patria Mediolanensis, ut ejusdem urbis alumnus testatur Bandellus in epistola dedicatoria 26. novellæ tomi secundi: *Si ritrovo quivi il discreto e vertuoso M. Lorenzo Toscano, cittadino Milanese, il quale à l'hora governava le case del cardinal del Caretto di Finario, che poi habbiamo veduto vescovo di Lodeva in Francia.* Laurentius itaque post administratam nomine Pauli de Carretto jussu summi pontificis Cadurcensem ecclesiam ab an. 1524. ad 1528. hoc eodem a Francisco I. rege nominatus Leutevensis episcopus Romæ confirmatur & consecratur a Clemente VII. papa. Hunc quoque die 24. Maii Guillelmus Meldensis vicarium generalem in conferendis beneficiis instituit. Non alio tamen quam procuratorio nomine ad ecclesiam Leutevensem accessisse creditur, quo quasdam recognitiones censuales excepit an. 1529. Poëta Latinus Johannes Matthæus Toscanus, ex eadem ortus familia, hoc ei morienti edidit epitaphium.

1528. 1529.

Si virtus, pietasque mori, ac prudentia possent,
Debuerant, Laurens, te moriente, mori.

ANNI CHRISTI

LXVIII. Lælius Ursinus.

DE CERC, *vulgo* DE CERCHI. a

Lælius Urſinus Florentinus, frater[a] Johannis Pauli domini de Anguillari, ex ceſſione Laurentii in curia Romana exiſtentis a Franciſco rege nominatus, memoratur in inſtrumento procuratorio a fratre confecto an. 1537. Vicarium generalem Romæ adhuc degens inſtituit Petrum de Barrault priorem eccleſiæ S. Baſilii de Blandas, & poſtea Leutevenſis quoque eccleſiæ epiſcopum, qui dinumerationem omnium bonorum eccleſiæ Leutevenſis nomine Lælii ſeneſcallo Carcaſſonenſi Franciſco rege mandante exhibuit die 26. Maii 1540. quo tempore declaravit Leutevenſem epiſcopum ſupremum eſſe urbis dominum, comitem Montiſbruni, juraque habere regalia. An. 1545. idem Petrus Lælii adhuc agens vicem, Guillelmo Bordin Leutevenſi vicario Berengarium de Cerc epiſcopi conſanguineum ſuffecit. Lælius vero an. 1546. ſequenti ceſſit.

1537. 1540. 1545. 1546.

SFORTIA.

LXIX. Guido Ascanius.

Guido Aſcanius Sfortia e ducum Mediolani ſtemmate, Boſio S. Floræ comite & Conſtantia Farneſia Pauli III. ſummi pontificis notha parentibus ortus, Romæ naſcitur die Jovis 18. Nov. 1518. Litterarum ſtudiis Bononiæ operam dabat, cum decimum ſextum agens annum, creatur a Paulo III. diaconus cardinalis tit. SS. Viti & Modeſti an. 1534. Inſequenti Parmenſis antiſtes renunciatur, deinde per ceſſionem Lælii Leutevenſis epiſcopus die 7. Junii 1546. ex regeſto proviſionum. Bononiæ Flaminiæque legatus, S. R. E. camerarius, & in Pannoniam ad bellum contra Turcas ab eodem Paulo III. miſſus, excitatam apud omnes prudentiæ opinionem felici ſucceſſu ſuperavit. Sub Julio III. diaconus cardinalis S. Mariæ in via lata, ſub Paulo IV. Hiſpaniæ protector, pacis inter Philippum II. regem catholicum & ipſum pontificem conciliator, & S. Mariæ majoris archipreſbyter fuit. At poſt expletum in Leutevenſi adminiſtratione annum, alteri conſignavit. Exemti e vivis in villa Cumediana territorii Mantuani an. 1564. cadaver Romam tranſlatum, marmoreo ſepulcro in baſilica Liberiana ſepelitur, ibique ſequens appoſita inſcriptio:

D. O. M.

Guidoni Aſcanio Sfortiæ cardinali Pauli III. pontificis maximi nepoti, Bononiæ & Flaminiæ legato, atque hujuſce baſilicæ archipreſbytero, Alexander cardinalis Sfortia fratri deſideratiſſimo. Vixit annos XLV. menſes X. dies XII. obiit anno ſalutis 1564. nonis Octobris.

DU GABRE.

LXX. Dominicus.

Dominicus du Gabre Vaſco, ex humili loco natus eſt, at favore innixus cardinalis Turnonii varia conſecutus eſt ſacerdotia. Præceptor de Balliolo in Hannonia, protonotarius apoſtolicus in curia Romana, poſtmodum in Gallica aula primus regis eleemoſynarius, moxque ejuſdem

a Filium volunt Sammarthani.

A ad Venetos legatus, & ſupremus in Italia ærarii regii, bello ibidem graſſante, præfectus, Leutev. cathedram, quam Guidone cedente, & permutatione præceptoriæ domus de Balliolo cum annexis S. Antonii Pariſienſis & de Catenois, necnon prioratus S. Sydonii adeptus fuerat die 17. Aug. an. 1547. ex regeſto proviſionum, conſcendit menſe Novembri per procuratorem Johannem de Manſo epiſcopum Candacenſem* abbatem Fontis calidi. Anno ſequenti urbem ipſe ſolemni ingreditur pompa. Dominico ſedente Julius III. pontificatus anno primo XII. calend. Aprilis capitulo Leutevenſi conceſſit, ut omnia beneficia cathe- B dralis eccleſiæ, quæ ab epiſcopo & canonicis capitulariter congregatis conferri antea ſolebant, in poſterum ab iiſdem ſeorſim & per hebdomadam conferrentur. Apud Ferrariam pro regiis negotiis conſtitutus, Henrico II. conqueſtus eſt quod nimio vectigalium onere epiſcopatus ſuus vexaretur, litteris datis 7. Julii 1553. Salvium Sarruſſium totius epiſcopatus in temporalibus vicarium inſtituit an. 1554. Factus a Georgio fratre Toloſano ſenatore heres ex aſſe die 14. Januar. 1555. biennio poſt, dum iter ad eccleſiam ſuam meditaretur, deceſſit Lutetiæ die 1. Febr. anno 1557. in monaſterio S. Germani a Pratis, cujus C tunc abbas erat cardinalis Turnonius ejus patronus, quo aliquanto ante ſeceſſerat Dominicus, confecto prius teſtamento, in quo Dominicum Gabrum ex fratre nepotem heredem inſtituit, & triginta pauperes in funere ſuo pullatis veſtibus indui voluit. Præſulis hujus munificentiæ debetur prætorium epiſcopale, quod vetuſtate collapſum ita inſtauravit, ut de novo conſtruxiſſe diceres, quemadmodum ejuſdem inſignia, quæ inibi adhuc viſuntur, fidem faciunt. Summis doctum antiſtitem laudibus celebrarunt ſui temporis Poëtæ: de eo Stephanus Forcatulus Biterrenſis juriſconſultus epigr. 180.

1547. *al. Cardenſem. 1548. 1550. 1553. 1554. 1555. 1557.

D

Vade, vola, quæſite diu jam nuncie, ſerva
Gabræum, metuo præſul ut hic pereat.
Nam Phœbum amiſit nuper Parnaſſia rupes:
Hinc doctas lacrymis fons ſacer auxit aquas.
Ni cavet is, fiet doctarum præda ſororum,
Quem cupiunt Phœbo ſubſtituiſſe ſuo.

Defunctus primum ſepelitur in choro eccleſiæ cœnobii Pratenſis, transfertur inde in ſacellum S. Caſimiri, ubi ejus epitaphium legitur a nepotum ſuorum præceptore exaratum:

E *Hic jacet reverendiſſimus D. Dominicus du Gabre epiſcopus Lodovenſis, regis conſiliarius, ac legatus Venetus, qui obiit prima die menſis Februarii anno 1558.*[b]

b

Qui jacet hoc tumulo præſul lectiſſimus olim,
Virtutum merito ſplendidiore fuit.
Legatus varias pro rege electus in oras,
Præſtitit exacte munere digna ſuo.
Sed quia res Chriſti longe ſtudioſius egit:
Jam fruitur tanto poſt ſua fata Deo.

b *Lege* 1557. nondum enim apud nos annus a menſe Januario inchoabatur.

LXXI.

ANNI CHRISTI

LXXI. Bernardus VIII.

DELBENE.

Bernardus Delbene nobilis Florentinus Petri domini de Montefonti & sanctæ Mauræ ex Bartholomæa Corsini filius, juris utriusque doctor, archidiaconus Auxitanus, in utraque signatura referendarius, Leutevensis episcopus per obitum Ludovici (*lege* Dominici) du Gabre memoratur die 18. Jan. anni 1559. (nobis 1558.) in regesto provisionum sub Paulo IV. Anno priore ab Henrico II. rege nominatus, ecclesiæ suæ possessionem accepit 1558. juxta Plantavitium, annos natus 48. Hanc autem per triennium tantum administravit, ad Nemausensem, Francisco II. id ita volente, assumtus an. 1560.

1559.

1560.

LXXII. Michael II.

BRIÇONNET.

Michael filius Guillelmi Briçonnet in senatu Parisiensi consiliarii, & Johannæ Brinon, Guillelmi cardinalis, archiepiscopi Remensis & Narbonæ, necnon Roberti Franciæ cancellarii ex fratre nepos, Guillelmi & Dionysii Leutevensium præsulum patruelis, advocatus primum in senatu Parisiensi, tum in archiepiscopatu Narbonensi vicarius generalis, canonicus Parisiensis 18. Julii 1513. in locum Guillelmi receptus, in Nemausensi episcopatu defuncto patruo successit, abbas S. Guillelmi de Desertis Guillelmo Meidensi episc. cedente renunciatur circa annum 1517. Denique ad Leutevensem transiit ecclesiam anno 1560. permutatione facta cum Bernardo suo cognato. Hanc autem toto non integro tenuit anno, sequenti enim resignavit. Acerrimus exstitit fidei catholicæ adversus Novatores assertor, ut testatur Guido Bretonneau in historia Briçonetæ familiæ, pag. 23. Obiit anno 1574. ætatis 97.

LXXIII. Claudius.

BRIÇONNET.

Claudius regi a sanctioribus consiliis, filius Guillelmi Briçonnet domini de Glatigni, reginæ, regiæque cohortis centum nobilium quæstoris, ex Claudia de Leveville, per resignationem Michaelis patrui factus episcopus Leutevensis urbem mense Martio 1561. consueto ritu ingreditur, & publica privataque lætitia faustis acclamationibus a clero & universo populo excipitur. Annum vix in felici administratione compleverat, cum hæretici Cebennates & Ruthenenses in urbem an. 1562. Maio mense cum turmis militaribus irruunt, quam dubio procul expugnassent, ni glorioso civium molimine, invictoque in primis Claudii episcopi animo obsidionem solvere coacti fuissent. Quantum in urbe munienda & hæreticis profugandis tunc laboraverit Claudius, indicabat ante direptionem aliquot post annis subsecutam marmoreus lapis inscriptus his verbis:

1561.

1562.

Claudius Briçonetus Lodovensis episcopus & comes Montisbruni, magna hostium clade hanc urbem oppressam deffendit, obsessosque cobertoratæ cives ex obsidione exemit. Exultantium Giniacensium & Claromontensium audaciam fregit, eorumque oppida sub regis potestatem subjunxit, vicinosque armis hæreticorum oppressos a summis terroribus vendicavit. Urbem Lodovam omni opere, & bellicis instrumentis munivit, copias instruxit, hostesque ita continuit, ut nihil aggredi aut attentare ausi fuerint. Arcem denique S. Guillelmi de Desertis arte & natura munitissimam recepit, & suos cives in pace semper continuit.

Quibus in laudem Briçonetæ gentis additum erat sequens distichum.

Cuncta suo regi debet, patriæque Lodova,
Sed Brissonetis quod stet adaucta fide.

Anno 1563. ecclesiæ suæ Claudius quædam alienavit bona, ut in partem subsidii pro bello sacro ab universo clero Carolo IX. regi concessi veniret. Triennio post episcopatu in gratiam Petri cognati cessit, reservatis sibi supremo urbis dominio, Montisbruni comitatu, necnon ædibus archidiaconalibus, in quibus reliquum vitæ destinaverat. Sed urbe a Calvinistis anno 1573. capta, aufugere coactus, ad Stephani fanum secessit, ubi tribus post suum ab urbe exilium elapsis annis, testamento prius confecto, quo pauperes heredes instituit, naturæ debitum solvit. Corpus Leutevam postea translatum, in episcoporum tumulo collocatum est.

1563.

LXXIV. Petrus VII.

DE BARRAUD.

Olivarii de Barraud regii apud Armoricos quæstoris & Petronillæ Briçonetæ sororis Michaelis filius Petrus, ex canonico Leutevensi, priore de Blandas, & vicario generali Lælii Ursini, tum Claudii consobrini sui, ex ejusdem resignatione Leutevensis ecclesiæ curam suscepit die 8. Febr. 1566. ex regesto provisionum sub Pio IV. legibus supra memoratis. Nihil de eo in fastis Leutevensibus legitur, nisi quod quasdam exceperit clientelas, litem cum capitulo circa *Tertia* terminaverit, dominiumque aliquod in gratiam Caroli IX. hæreticos profligantis vendiderit. Obiit XVI. cal. Febr. an. 1569. in ædibus suis canonicalibus, ubi etiam episcopus semper habitavit propter allatas jam rationes. Defunctus maximo civium omnium luctu in summa æde sacello S. Michaeli sacro solita pompa humatur, & ad antecessores episcopos apponitur.

1566.

1569.

LXXV. Alphonsus.

VERCELLI.

En rursum adest Italus, Alphonsus cognomento Vercelli, presbyter Bononiensis, juris utriusque doctor. Ex primo eleemosynario Catharinæ Mediceæ reginæ jam abbas Sublaci in diœcesi Cadurcensi, ab ea nominatur ad episcopatum Salutiensem, sed pontifice maximo haud probante, ad sedem Leutevensem vocatus est die 10. Febr. 1570. ex regesto provisionum prælatorum, & mox a Catharina regina orator ad imperatorem fuit delegatus. Vix autem fuit episcopus, cum dominium & jurisdictionem loci de Pegueyrollis vendere coactus fuit, ut regi ad bellum subveniret. Sedente Alphonso an. 1573. Leuteva urbs die Veneris 4. Julii a Calvinistis capta est, ædes episcopales & canonicorum domus direptæ, expilatæ, eversæ; loca omnia sacra profanata, prostrata, dejecta; sanctorum reliquiæ, maxime sancti Fulcranni, per plateas & compita

1570.

1573.

ANNI CHRISTI

impie tractæ; argentea supellex in usus profanos conversa, virginibus & matronis illata vis, sacerdotesque miserrime trucidati a Reformatoribus religionis christianæ. Claudius Briçonnet Montisbruni comes, quondam Leutevensis episcopus, miserando superstes spectaculo, seminudus evasit. Alphonsus vero his auditis tædio ac mœrore confectus, Avenione ubi tunc degebat diem clausit extremum, inibique in Franciscanorum Conventualium æde fuit sepultus.

DE BIRAGUE.

LXXVI. Renatus II.

Renatus de Birague nobilis Mediolanensis, Galeatii ex Theodora Trivultii Franciæ Polemarchi filia natus die 2. Febr. 1506. quo tempore Ludovicus XII. ducatu Mediolanensi potiebatur, juris utriusque laurea insignitus erat, cum ad Franciscum I. legatus mittitur, qui eum apud se retinuit. Exinde in aula regum Franciæ diu vixit Francisco I. Henrico II. aliisque regibus apprime carus. Factus primum senator Parisiensis, tum libellorum supplicum magister, postea Taurinensis præses anno adhuc 1560. Regii oratoris munere in synodo Tridentina & ad Cæsarem functus est. A Carolo IX. civitatis jure donatus an. 1565. & prorex in provincia Lugdunensi renunciatus 1570. in locum Johannis de Morvilliers episcopi Aurelianensis sigilla regia sponte abdicantis hoc eodem anno eorumdem instituitur custos. Præmortuæ anno 1572. uxori Valentiæ Balbianæ, ex qua Franciscam unigenitam suscepit, ipse vivens epitaphium erexit in ecclesia S. Catharinæ Vallis Scholarium Parisiis. Post obitum Michaelis Hospitalii cancellarius succedit anno 1573. quo, Alphonso Leutevensi antistite vita functo, episcopatus administrationem a rege impetravit die 12. Octob. ordinem ecclesiasticum amplexus. Anno sequenti fit abbas Flaviniacensis, ut diximus tom. 4. col. 464. Episcopus autem Leutevensis vicarium generalem instituit die 13. Decemb. 1574. Desiderium Albi canonicum ejusdem ecclesiæ. Quædam ecclesiæ suæ bona vendidit annis 1576. & 1577. in subsidium Henrici III. in Protestantes bellum gerentis. Arx Montisbruni, quæ ab expugnatione Leutevæ a militaribus copiis occupabatur, jussu Henrici Montmorentii, Danvillæ ducis, Franciæ polemarchi & in Auxitania proregis Renato post regium pacis edictum restituta est anno 1577. Blesis in conventu trium ordinum regni eodem anno orationem dixit typis mandatam. Insequenti Henricus rex Renato concessit die 4. Aprilis ratam ejus partem subsidiorum sibi a clero Gallicano concessorum ab an. 1575. necnon decimarum cleri Leutevensis. Regiis sigillis an. 1578. abdicatis, creatus est cardinalis a Gregorio XIII. IX. cal. Maii, regiique S. Spiritus ordinis ab Henrico III. commendator in ipsa institutione die 31. Dec. Cum autem senio confectus Leutevensem ecclesiam invisere, & per se administrare non posset, cessit in gratiam sequentis anno 1580. trienioque post moritur VIII. cal. Dec. 1583. ætatis suæ anno 77. Lutetiæ Parisiorum maxima comitante magnatum & senatorum caterva tumulatus est in S. Catharinæ virginis templo die 6. Dec. ubi hoc epitaphium in marmore conspicitur.

(1574. 1576. 1577. 1577. 1578. 1580.)

Quid tibi opus statua! satis est statuisse, Birague,
Virtutis passim tot monumenta tuæ.

Renato Birago patricio Mediolanensi, multis & summis dignitatibus functo, tum Franciæ cancellario, ac demum S. R. E. cardinali, Francisca filia unica, & Cæsar Biragus agnatus mœstissimi, non memoriæ, sed desiderii perpetui monumentum. H. P. G. vixit annos LXXVII. menses IX. dies XXVI. Obiit VIII. cal. Decemb. MDLXXXIII.

Quibus Philippus Huraltus Chevernius comes & Franciæ cancellarius sequentia apponi curavit.

Hunc Renati Biragi S. R. E. cardinalis Galliæ cancellarii tumulum Philippus Huraltus Chevernius Galliæ cancellarius ob consortium summi magistratus & amicitiam affinitate sancitam auxit hoc titulo ultimo in defuncti munere, & decessori successorem sanctissimo seni hoc quicquid est inferiarum dare pietati adjunctum existimavit, adeo ut quos non fors, sed judicium magni regis & respublica conjunxit, nulla vis fati separare potis esset.

Renati vitam scripsit accurate Johannes de Maumont. Cabrera Biragum nobilitate, scientia, rerum usu bellicaque virtute illustrem prædicat. Annalium Gregorii scriptor virum ante purpuram & post purpuram memorabilem dixit, & Plantavitius hæreticorum malleum nuncupatum testatur. De eo Thuanus ad annum Christi 1583. *Annum clausit mors Renati Biragi cardinalis, Franciæ cancellarii, illustri in Insubribus familia orti, cujus majores fortunam Gallorum semper in Italia secuti fuerant, quorum & ipse æmulatione fidam operam tota vita, quæ illi longissima fuit; regibus nostris navavit. Primum in Parisiensi curia senator, & inde quasi ad honores gradu facto summis dignitatibus, ac legationibus, & sæpius militaribus muneribus, quæ ille fere præ vita togata adfectavit, defunctus, post restitutam Sabaudiæ principi subalpinam provinciam Lugdunensi præfectura donatus, ac postremo ad summum honorum fastigium, hoc est ad cancellarii dignitatem evectus. Vir generosus & prudens, ingenio candido & liberali præditus, sed ut externus parum juris Gallici sciens, ideoque minus tanto magistratu dignus habitus; cum quavis alia maxima dignitate, sive fidem, sive prudentiam, & rerum aliarum usum spectes, esset dignissimus. Tandem cum 76. annum vitæ ageret Lutetiæ decessit VIII. id. Decemb. magna pompa & senatu toto prosequente funeratus, & in B. Catharinæ templo ab eo ad id summa magnificentia antea exstructo, in quo & Valentiæ Balbianæ uxori monumentum posuerat, conditus.* In ejus obsequiis oravit Reginaldus de Beaune Bituricensis archiepiscopus summus Franciæ eleemosynarius.

DE LESTANG.

LXXVII. Christophorus.

Vicesimum ætatis explebat annum Christophorus, cum ad Leutevensem evehitur cathedram an. 1580. ex resignatione Renati cardinalis, cujus puer honorarius fuerat. Insequenti indulgentia

(1581.)

ANNI CHRISTI

summi pontificis inauguratus, Leutevam die 5. Junii solemniter ingreditur, nonaque ejusdem mensis post assertam juramento statutorum capituli observationem, canonicorum obedientiam excepit. Anno 1583. ab ipso rege Henrico III. de defectione ducis Montmorenciaci totius Occitaniæ proregis certior factus, milites coëgit, ut ipsi in ditionis suæ locis obsisteret. Unde Christophoro mirum in modum infensus dux Leutevam mense Sept. anno 1585. obsidet, eamque deditione capit conditionibus hinc inde datis & acceptis. Nihilominus Christophoro cum suis militibus egresso, ædes episcopales, quas biennio ante construxerat, Montmorencii jussu solo æquatæ. Interea Christophorus partim Tolosæ, partim Narbonæ quasi relegatus, episcopatus sui reditibus usque ad pacificationis edictum privatus, Carcassonensibus, quibus dux personato nomine potiebatur, regia auctoritate mense Decembri investitus est. Eo circiter tempore abbatiis Montis olivi & sancti Petri de Usarchia a rege donatur. Dedit an. 1587. ecclesiæ B. Mariæ de Monteserrato centum nummos. Quadam permutatione facta anno 1594. comparavit facultatem conficiendi aquæductum. Capsam argenteam in qua B. Thomæ Aquinatis caput reconditur solemniter benedixit apud Tolosam die 24. Maii 1595. Sententia ab arbitris lata Biterris die 23. Sept. anno 1601. Christophoro Leutevensi episcopo adjudicata fuere laudimia provenientia ex venditione locorum S. Mauritii & de Maderiis. Leutevensis adhuc episcopus anno 1602. delegavit Stephanum Vernede doctorem in decretis, archidiaconum in ecclesia Leutev. officialem & suum vicarium generalem ad cœtum episcoporum provinciæ Narbonensis, de quo vide in Ludovico de Vervins Narbonensi archiepiscopo. Quædam commutavit eodem anno cum prædicto Stephano. Translatus inde est ad ecclesiam Electensem, & postea ad Carcassonensem, ubi de eo plura.

Statim post Christophorum hujusque apud regem auctoritate Leutevensi ecclesiæ datus est episcopus Antonius de Mainard, filius Francisci de Mainard prætoris Brivensis ex Johanna de Lestang sorore Christophori; at morte interceptus Tolosæ, inauguratus non fuit.

Carolus vero ex illustrissima Leviorum familia Annæ ducis de Ventadour Franciæ paris, equitis torquati, & totius Occitaniæ progubernatoris ex Margareta de Montmorenci filius, Leutevensis episcopus nominatus ab Henrico magno an. 1604. ob ætatis defectum sacro charactere inauguratus statim non fuit, quinimo tribus post nominationem annis abdicavit, ut ad secularem statum rediret, ac per Henrici fratris majoris natu cessionem Ventadorii ducatu potitus est.

LXXVIII. Gerardus.

DE ROBIN.

Gerardus de Robin ordinis Eremitarum S. Augustini per ejurationem Caroli a rege nominatus, episcopatum suscepit an. 1607. sub annua pensione 7000. librarum Turonensium Francisco de Levis Caroli germano mox recensendo persolvenda. A Paulo papa V. confirmatus, Leutevam sine pompa ingreditur, statimque omnia boni pastoris munia implere studens, diœcesim lustrat, nonnulla ad disciplinam clericorum & parochorum restaurandam statuit, arcem Montisbruni instaurat. Recollectos in oppido Clarimontis paulo ante admissos in urbem inducit, sed consuetum sequamur ordinem. Anno igitur 1607. quo Leutevam ingressus est Gerardus, die 1. Augusti denunciatur ei regium diploma, quo singulis Narbonensis provinciæ episcopis expresse inhibebatur, ne moniales ullas monasterii S. Spiritus Biterrensis ad professionem admitterent. Litem habuit anno 1608. mense Jan. cum Christophoro Foresio domino de Treguies ratione aliquot fundorum, qui ab episcopali mensa tempore Christophori decessoris fuerant subducti. Sedata est an. 1609. controversia, quæ inter Gerardum & Franciscam de Themines, ex una parte & Dominicanos Claromontenses ex altera vertebatur circa decimas in agro Claromontano. Interfuit eodem anno mense Maio per procuratorem fratrem Fredericum de Charpene Augustinianum concilio Narbonensi Ludovici de Vervins archiepiscopi & metropolitani auctoritate coacto. De horrenda Henrici magni cæde per Annæum de Levis certior factus an. 1610. postremos tanto regi honores persolvi curavit. Permutationem novennio ante a Christophoro de Lestang cum Stephano Vernede archidiacono factam, Stephano consentiente, rescidit eodem anno. Insequenti consulibus & syndicis Leutevæ in senatu Tolosano litem movit, cui subitus & inopinatus casus finem imposuit: obiit enim Gerardus post festorum Natalis Dominici octavas, sin mavis juxta Sammarthanos, die 15. Jan. anni 1611. Defunctus sepelitur in sacello S. Michaelis. Antonius Fromentius Leutevæ judex hoc ei epitaphium edidit.

Corpore si præstans, niveoque colore Gerardus,
Et nardus fragrans virginitate fuit,
Si flagrans solo Christi gaudebat amore,
More parentis ei carus egenus erat.
Vix caput illius sex annos infula sacrum
Cinxerat, accitus cum fuit ipse Deo:
Nec mirere, fuit si hic parvo tempore præsul,
Æternum voluit nam Deus esse polo.

Caroli de Levis superius nominati germanus Franciscus post emensum in regio PP. Societatis Jesu Flexiensi collegio litterarum humaniorum stadium Leutevensis episcopus in locum Gerardi a rege Ludovico XIII. nominatus an. 1612. a Paulo V. confirmatur, sed cum ob ætatis defectum, vix decimum sextum annum prætergressus, episcopalia munera administrare non valeret, vicarii generales per integros tredecim annos assumuntur. Interim Franciscus anno 1622. ætatis suæ 26. Romam tendit, ibique a summo pontifice & cardinalibus benigne exceptus, magnæ spei juvenis famam tulit. Verum in Galliam reversus, fratris ad exemplum clericum exuit, tituloque comitis de Vauvert assumto, Henricum Montmorencii ducem summum rei navalis præfectum avunculum suum contra Rupellanos rebelles comitatur. Hac in expeditione ipse fere solus

ANNI CHRISTI 1625.

tormentaria glande obrutus occubuit mense Augusto anni 1625. Tanta autem erat illustrissimi juvenis in Deiparam virginem religio, ut uno quoque Sabbato in ejus honorem jejunaret.

DE PLANTEVIT DE LA PAUSE.

LXXIX. JOHANNES VI.

Johannes de Plantevit de la Pause sacræ theologiæ doctor, sedis apostolicæ protonotarius, & abbas S. Martini Ruricurtensis diœcesis Bellovacensis, ex nobili & antiqua apud Cebennates ortus familia, Christophoro & Isabella Dassas de Marcassargues parentibus hæreticis, cui sectæ addictus primo, tandem divino afflante numine in ecclesiæ gremium ascitus, hæresim publice in ecclesia cathedrali Biterrensi ejuravit anno 1604. mox theologiæ operam dedit in gymnasio Flexiæ, atque instituto contra ministros Salmurienses de re catholica & religione conventu, Romam profectus est. Hinc regressus, fit Mariæ Mediceæ reginæ, & postea Elizabethæ ejus filiæ Philippi IV. Hispaniarum regis sponsæ major eleemosynarius, tum cardinalis de la Rochefoucault in summa Franciæ eleemosynaria vicarius generalis. Cum autem paulo ante Francisci comitis de Vauvert obitum Ludovicus rex vere justus Margaritæ Montmorenciacæ matri Henricoque Francisci decessoris fratri significasset Leutevensem ecclesiam per Francisci ejurationem pastore destitutam ferre se amplius non posse, episcopatum rege probante & annuente permutarunt cum monasterio sancti Martini Ruricurtensis, quo per annos quatuordecim potitus fuerat Johannes, qui ex hac permutatione a Ludovico XIII. Leutevensis episcopus die 7. Maii anno 1625. nominatus, testimonio clarissimorum virorum ad hoc deputatorum confirmatus ab Urbano papa VIII. die 16. Augusti, atque in ecclesia S. Ludovici domus professæ Societatis Jesu Lutetiæ inauguratur die 18. Oct. ejusdem anni a Francisco de Harlay archiepiscopo Rotomagensi, assistentibus Uceticensi & Nemausensi episcopis in præsentia aliorum sexdecim præsulum. Mense elapso in regiæ Sangermanensis sacellulo fidem clientelarem regi præstitit, a quo Leutevensem præbendam ipsi ratione hujus obsequii debitam obtinuit in gratiam nepotis ex sorore. Pridie Natalis Domini pompa solemni Leutevæ excipitur, dieque assignata primi canonicatus ad episcopum jure spectantis possessionem init: omnes item canonici Roberti Guilleminet archidiaconi organo reverentiam ipsi & obedientiam spoponderunt. Anno sequenti ad oppidum Castaris contendere coactus fuit, ut arcem illius obsidione liberaret. Toto inde septennio ædes archidiaconales in palatium episcoporum instaurat & ampliat, cœnobium Recollectorum perficit, cujus ecclesiam consecrat, sacerdotia a laïcis usurpata titulariis restituit, diœcesim lustrat, nova circa consulatus Leutevensem & Sanctandreanensem statuit, parochorum abusus emendat, vias publicas reficit ac sternit, capituli ac cleri controversias dirimit, prædia & jura Leutevensis ecclesiæ recuperat, recognitiones censuales & clientelas renovat, codicem officii proprii ecclesiæ suæ emendat & prælo vulgat, chronologiamque antecessorum suorum conficit. Totum in illis aliisque bono pastore vere dignis operibus inopinati belli turbo an. 1632. occupavit, solitudinique & otio litterarum addixit. Hinc *Plantavitis*, seu *thesaurus* ille *synonymicus Hebraïco-Chaldaico-Rabinicus*, hinc *Florilegium Rabinicum & Biblicum* universum opus tribus tomis distinctum, totidem belli simul & otii fructus prodierunt. Sed nescio quo fato accidit, ut apud Ludovicum regem maligna quadam invidiæ seu & calumniæ labe antistitis nostri senectus fuerit aspersa, innocensque violatæ fidei crimen sustinuerit, quasi ad Momntorenciaci ducis partes defecisset: illud ipsum est, ni fallor, quod deplorare videtur in epistola ad cardinalem de Richelieu, quam initio chronologiæ Leutevensis præfixit an. 1634. eodemque anno die XI. Julii insons declaratus est a recuperatoribus apostolicis apud Augustinianos Parisienses, & in integrum restitutus. Tandem post 23. in episcopatu exactos annos, variis circumdatus incommodis, cessit in gratiam Francisci Bosquet familiaris sui an. 1648. sub annua pensione 6000. librarum, ac in villam de Margon diœcesis Biterrensis, quam prius emerat a Francisco de Plantevit consanguineo, se contulit, ubi cum podagra diu fuisset vexatus, anno ætatis 75. Christi 1651. 28. Maii in die festo Pentecostes apud Piscenas expiravit: translatus inde in ecclesiam Leutevensem cum suis antecessoribus in sacello S. Michaelis tumulatur marmoreo elegantis operis sepulcro, quod ipse sibi vivens erexerat. Hoc inibi legitur epitaphium.

ANNI CHRISTI 1632. 1634. 1648. 1626.

> *Hic jacet Johannes de Plantevit de la Pause episcopus Lodovensis & Montisbruni comes, summusque reginæ catholicæ eleemosynarius. Obiit anno salutis 1650.[a] ætatis......*

Præsulis hujusce temporibus Stephanus Michael Tarrade canonicus ac præcentor ecclesiæ Leutevensis, decretorum doctor edidit an. 1645. librum, cui titulus: *Amplitudo beneficiorum ad praxim supremarum Galliæ curiarum redacta, & foro ecclesiastico adaucta. fol. Parif. apud Chaudieres.*

BOSQUET.

LXXX. FRANCISCUS.

Narbonæ die 28. Maii an. 1605. natus est Franciscus parentibus doctissimo viro Durando Bosquet primario apud Narbonam prætore & Johanna le Noir, a quibus patribus Societatis Jesu Biterrensibus erudiendus puer traditur. Tum Tolosæ in collegio Fuxensi studiis liberalibus operam dedit, ubi arctissimam cum illustrissimo Petro de Marca societatem iniit. Cum autem honestissimo sciendi flagraret desiderio, Latini Græcique sermonis scientiam non vulgarem assecutus, Hebræorum mysteria & linguam præceptore Germano Spilegio Rosembachio, historiæ quoque veteris arcana diligentissime scrutatus, denique non in philosophicis & theologicis tantum, sed etiam quidquid in canonico & civili jure abstrusius

[a] Mendum in epitaphio irrepsit. Decessit enim Johannes 28. Maii an. 1651. die Pentecostes, ut constat ex libro parochiali mortuorum.

ANNI CHRISTI

mente capacissima complexus, laurea doctoris legum donatus est annum agens decimum septimum. Tum epotos largiter scientiarum latices in alios derivaturus, varia edidit ingenii & doctrinæ monumenta libris, quos adhuc juvenis in lucem evulgavit. Sed non unis addictus litteris, reipublicæ muneribus renunciavit: Narbonensis enim primo judex an. 1634. exin dum ob causas publicas Parisiis ageret, in sacro consistorio factus est ordinarius comes an. 1639. tum cognitoris regii in senatu Normanniæ officio, rege id ita volente, functus est ad an. 1641. quo ineunte rei judiciariæ, ærariæ & politicæ in provincia Aquitaniæ & biennio post Occitaniæ a rege præfectus est. Lutetiam revocatur mense Maio anno 1646. ubi forensium strepituum pertæsus, procul negotiis vitam destinabat: sed cum in variis quibus præfectus fuerat magistratibus, utilem Gallicæ coronæ navasset operam, multiplicique eruditionis supellectile ornatus, doctorum sui sæculi decus & ornamentum evasisset, Leutevenses infulas abdicante Johanne, ad sacram hanc dignitatem a rege nominatus fuit Franciscus mense Aprili an. 1648. Renunciatus ab Innocentio X. summo pontifice die 29. Sept. inauguratur Narbonæ 20. Decemb. in basilica majore a metropolitano Claudio de Rebé assistentibus Clemente de Bonzi Biterrensi & Nicolao Pavillon Electensi antistitibus. Ecclesiæ suæ possessionem adiit ipsa die Epiphaniæ anno 1649. nullisque a pastorali munere feriis sibi indultis, diœcesim suam fere pedes visere institit. Jubilæus magnus anno sequenti ejus jussu promulgatus, cujus ut compotes forent omnes, cathedralem ab omnibus adiri mandavit, sed ne quid pauperibus e longinquo venientibus deesset, annonam ipse sumtibus suis abunde suppeditavit. Haud ita multo post diœcesim fere totam dira depopulante lue, ac præcipue urbem Claromontanam, nec officio suo defuit, nec muneri. S. Fulcranni reliquias argentea capsa cum capitulo inclusit & ipse succollando transtulit. Moniales Ursulinas privatis ex ædibus in commodiorem parthenonem demigrare jussit, & ut juventutis institutioni in iis quæ ad pietatem spectant & eruditionem consuleret, patribus Doctrinæ Christianæ gymnasium publicum concessit. Romam a rege legatus anno 1653. ab Innocentio X. in pretio habitus sacelli pontificii assistens episcopus institutus est, cum quo de quæstionibus Gallias tum agitantibus multa contulit, apostolicumque retulit breve hac de re concinnatum. In Gallias reversus a Narbonensi provincia ad generalia cleri Gallicani comitia Parisiis habenda mense Maio anni 1655. delegatur, ac paulo post voluntaria cessione cardinalis Estensis negotiorum Galliæ apud apostolicam sedem protectoris vacantem e Leutevensi ad Monspeliensem a rege translatus est ecclesiam die 10. Julii. Galliam Sammarthanorum quadripertitam approbatione sua & elogio munivit calendis Julii an. 1656. ut videre est in propylæo tomi prioris, ubi legitur episcopus Montispessulani, licet hujus sedis possessionem nondum tunc adeptus fuisset. Tanti autem præsulis, tam eruditi, & in ecclesiasticis monumentis versatissimi testimonium maxime perpendendum. Denique Monspelium adiit die 24. Junii an. 1657. ut dicemus infra.

1649. 1650. 1653. 1655.

LXXXI. Rogerius.

DE HARLAY CESY.

Rogerius de Harlay, comes Cesii, primogenitus ex Maria de Bethune Philippi primi comitis Cesii, qui per viginti quatuor annos legatione apud magnum Turcarum imperatorem functus fuit, abbas B. Mariæ de Eschaleio, S. Petri Autissiodorensis & Perseniæ, Leutevensis episcopus a rege nominatus anno 1657. a Ferdinando de Neufville episcopo Carnotensi cooperantibus episcopis S. Pauli Tricastinensis & S. Pontii consecratur in ecclesia Fuliensium Parisiensium die Dominica 2. Junii an. 1658. sacramentumque fidelitatis regi præstitit 1. Augusti. Primam in fundamentis palatii episcopalis, quod magnis orsus est sumtibus, petram posuit anno 1667. sed morte præventus perficere non potuit: defunctus est enim die 14. Mart. an. 1669. in comitiis Occitaniæ apud Piscenas. Ejusdem exsequiæ inibi solemniter præsente serenissimo principe duce Vernolii celebratæ sunt, in iisque ab Electensi episcopo publica laudatus est concione. Cadaver postmodum translatum jacet in sacello episcoporum cum hoc epitaphio.

1657. 1658. 1667. 1669.

Hic jacet Rogerius Harlæus peccator, episcopus Lodovensis & comes Montisbruni & Cesii, qui obiit anno salutis 1669. die 14. Martii, ætatis suæ 53.

LXXXII. Johannes Armandus.

DE ROTUNDIS DE BISCARAS.

De hoc episcopo jam locuti sumus in episcopis Diniensibus tom. 3. col. 1136. & Biterrensibus. Sacræ theologiæ doctor, & abbas jam erat Sendracensis, cum episcopus Diniensis designatus a rege anno 1668. nondum inita possessione, ad Leutevensem assumtus est cathedram post obitum Rogerii an. 1669. Fidelitatis præstitit sacramentum die 24. Oct. ejusdem anni, translatus inde ad infulas Biterrenses die 5. Januarii an. 1671. ut diximus col. 377.

1671.

LXXXIII. Carolus Antonius.

DE LA GARDE DE CHAMBONAS.

Carolus Antonius de la Garde de Chambonas Leutevensi ecclesiæ præfectus anno 1671. inauguratur die 15. Nov. in sacello Carthusiæ Parisiensis ab episcopo Vivariensi avunculo, collaborantibus Convenensi & Cenomanensi episcopis, ac die 19. regi sacramentum dixit. Comitiis cleri Gallicani adfuit anno 1685. Assumtus ad Vivariensem ecclesiam in locum Ludovici Francisci de la Beaume de Suse defuncti mense Sept. 1690.

1685.

LXXXIV. Jacobus Antonius.

PHELYPEAUX.

Jacobus Antonius abbas S. Egidii Nemausensis, filius Antonii Phelypeaux domini du Verger, regi a sanctioribus consiliis, ex Maria de Villebais. Laurea doctoris Lutetiæ insignitur die 27. Octob. 1686. tum pro clero Gallicano procuratorem egit generalem. Burgimedii renunciatur abbas a Ludovico XIV. mense Aprili 1688.

ANNI CHRISTI

Secretarii in comitiis generalibus Gallicani cœtus A apud S. Germanum in Laïa munus obibat anno 1690. cum prima Novembris ejusdem anni nominatur Leutevensis episcopus. Bullis obtentis consecratur Parisiis die 24. Augusti 1692. ab archiepiscopo Bituricensi, opem ferentibus Trecensi & Venetensi episcopis, eodem anno ecclesiæ suæ init possessionem. Insequenti mense Martio ad erectionem novi Blesensis episcopatus Burgimedii abbatia cessit in manibus regis, qui vicissim Jacobo Antonio donavit abbatias S. Petri de Nanto diœcesi. Vabr. die 24. Decemb. 1694. & sancti Salvatoris Leutevensis in festo omnium Sanctorum anno 1697. Obiit in sua diœcesi exeunte Aprili an. 1732.

1692. 1693. 1694. 1697. 1732.

LXXXV. Johannes Georgius.

ANNI CHRISTI DE SOUILLAC.

Johannes Georgius doctor theologus, ex antiqua & perillustri editus familia, quam a comitibus Turenniæ repetunt, parentes habuit Franciscum de Souillac dominum de Verneüil, & Carlottam d'Aubusson. Vicarius autem generalis episcopi Petracoricensis defuncto Jacobo Antonio a rege subrogatur episc. Leutevensis die 14. Jun. 1732. quo nomine comitiis Occitaniæ exeunte eodem anno interfuit. Insequenti mense Jan. inauguratur apud Agatham ab illustrissimo D. Cl. de la Chastre Agathensi episcopo comitantibus Montalbanensi &....... antistitibus. Regi fidei sacramentum dixit die 10. Maii ejusdem anni.

1733.

ARCHIDIACONI ALIQUOT LEUTEVENSES.

GAUSFREDUS memoratur in testamento B B. Fulcrandi an. 987. (Ch. v. col. 268.)

Bernardus archidiaconus subscripsit eidem testamento. (Ibid.)

Alcherius recensetur in placito habito XIII. cal. Jan. 1090. inter Gotafridum Magalon. episc. & Guillelmum Montispessulani dominum, inibique judicio episcoporum interfuisse dicitur, qui Guillelmo Monspeliensi feudum S. Petri abstulerunt. (Ch. XIII. col. 352.)

Richardus cujus consensu Bernardus episcopus ecclesiam de Adiciano Gellonensibus concessit an. 1097.

Lambertus occurrit in charta Petri episcopi C Leutevensis canonicis regularibus ecclesiam S. Mariæ de Cornilio largientis an. 1138. ubi dicitur archidiaconus S. Mariæ. (Ch. XV. col. 279.)

Raimundus de Crecio memoratur præsens in charta Magalonensi pridie idus Martii 1179. de cujus consilio Raimundus Guillelmi episcopus ecclesiam B. Mariæ de Cornilio monialibus Elnonensibus donavit an. 1190. Hic ille forte est R. de Crocio archidiaconus Leutevensis, qui subscriptus reperitur in instrumento concordiæ initæ inter monasterium Anianense & Petrum abbatem D S. Ruffi an. 1187.

Arnaldus quædam commutat cum Petro Leutevensi antistite an. 1208.

Johannes de Cambannico jussu Honorii III. summi pontificis archidiaconatu donatur, qui a tanto vacabat tempore, ut illius collatio ad sedem apostolicam esset devoluta, bulla data pontificatus anno IV. Christi 1219.

Berengarius Guitardi ex archidiacono factus episcopus Leutevensis an. 1284.

Guillelmus Arrago Leutevensis archidiaconus & causarum palatii apostolici auditor Arausicanæ ecclesiæ per obitum Bartholomæi vacanti præficitur idibus Oct. 1430. ex regestis Vaticani. Et certe in catalogo diplomatum Baluzii memoratur bulla Martini V. data Romæ die 2. Oct. 1430. ad archiepiscopum Arelatensem, cui summus pontifex Guillelmum quondam Leutevensem archidiaconum commendat translatum ad Arausicanam sedem vacantem per obitum Bartholomæi archiepiscopi. Hinc emenda Sammarthanum nostrum in episcopis Arausicanis, qui prius a Sammarthanis deceptus, Laudunensem archidiaconum loco Leutevensis tradidit tom. 1. col. 781.

Petrus de Trillina archidiaconus antequam fieret episcopus idibus Febr. an. 1430.

Stephanus Vernede, *al.* de Vernet doctor in decretis, archidiaconus & vicarius generalis Christophori de Lestang an. 1602. die 28. Martii vices ipsius implevit in quodam episcoporum provinciæ Narbonensis cœtu, de quo vide in Ludovico de Vervins archiepiscopo Narbonensi. Occurrit adhuc 1610.

Robertus Guilleminet an. 1625. forsan defunctus.

Guichardus Guilleminet vicarius generalis Leutevensis ecclesiæ, & archidiaconus deputatur ad comitia cleri Gallicani an. 1625. sede Leutevensi vacante.

Hi autem sunt archidiaconi Leutevensis ecclesiæ, quos è diversis hactenus eruimus instrumentis; seriem enim seu catalogum obtinere nondum licuit.



ABBATIÆ DIŒCESIS LEUTEVENSIS.

Tres in diœcesi Leutevensi numerantur abbatiæ ordinis S. Benedicti:

Sanctus Guillelmus de Desertis, *S.t Guillem du Desert.*

Sanctus Salvator, *S.t Sauveur.*

Gorjanum, *Gorjan.*

S. GUILLELMUS DE DESERTIS, *al.* GELLONENSE MONASTERIUM.

IN Septimaniæ pago Leutevensi ad Araurim fluvium medio fermè itinere Leutevam inter & Montempessulanum situm est ordinis S. Benedicti monasterium, a situ Gellonense, a conditore simul & situ sancti Guillelmi de Desertis dictum. Hujus quippe auctor fuit dux Guillelmus tota Gallia per illa tempora celeberrimus, præsertim ob Saracenos repetitis cladibus attritos & alia bello præclare gesta, de quo legendi Catellus & Mabillonius ad annum 804. quo dux piissimus ædificato in valle Deserta nubiferis undequaque cincta montium jugis, quam Gellonis appellitabant veteres, cœnobio, basilicam adhuc superstitem in honorem Salvatoris, & sub invocatione sanctissimæ virginis Mariæ, ac beatorum Petri & Pauli, Johannis Evangelistæ, atque Andreæ, ceterorumque apostolorum dedicari curavit pridie calendas Octobris, primosque ex Aniana una duntaxat leuca a Gellone distante eductos novi monasterii constituit monachos, quos amplissimis donationibus locupletatos Anianensibus subjectos voluit. Factus inibi biennio post monachus ipse dux, anno 812. sancto fine quievit. Processu temporis, si non idem qui Anianensi, Gellonensi quoque præfuerit abbas monasterio, at saltem quem abbas permittebat Anianensis, donec, excusso Anianensium jugo, Gellonenses ab Alexandro II. summo pontifice soli Romanæ sedi subjecti fuerunt. Præter monachos, duarum quoque Willelmi sororum ad instar Gellonem olim incoluerunt sanctimoniales, quæ in statutis Gellonensibus exprimuntur *monachæ S. Guillelmi.* Perstitit etiamnum post illatam a Calvinistis sæculo decimo sexto cladem Gellonense monasterium, vigetque sub Benedictina S. Mauri congregatione, cui monasterio adjunctum est oppidum cum duabus ecclesiis parœcialibus S. Bartholomæi & S. Laurentii, in quas abbatia jurisdictionem episcopalem exercet, uti & in totam vallem Gellonensem. Eidem etiam subsunt eremitæ in præruptis montium jugis simul degentes, quorum antesignanus fuit Johannes Alby Leutevensis diœcesis vir pius, qui Benedicto papa XII. Avenione sedente anno 1336. facultatem ædiculæ construendæ idibus Septembris obtinuit. Abbates jam ex chartulario Gellonensi variisque monumentis accipe.

Ch VIII. col. 274.

ABBATUM CATALOGUS.

I. S. BENEDICTUS I. Anianensis abbas in Gellonensi cœnobio condendo duci Willelmo adjutor, primarios loci cultores instituit monachos, quibus ipse duobus aut fere tribus præfuit annis recepto in curam suam asceterio Gellonensi, quod dux Willelmus Anianæ subjecit litteris datis XVIII. cal. Jan. Caroli regis an. 34. a morte Carolomanni fratris imperii IV.

Ch. I. col. 263.

II. Juliofredus I. Caroli magni consanguineus, satagente Benedicto Gellonensium novello gregi præpositus, in litteris Ludovici regis Aquitaniæ laudatur anno 807. quibus pius princeps in gratiam Guillelmi fundatoris tunc monachi cœnobio Gellonensi concedit quædam prædia ex regiis gazis. Exstat inter instrumenta charta hujusce Juliofredi abbatis præferens nomen de honoribus, quos monasterio acquisivit S. Guillelmus princeps totius Galliæ finibus, ubi villæ seu mansi & ecclesiæ numero 77. recensentur. Hoc autem instrumento liquet Willelmum paucis ab obitu annis inter cælites annumeratum fuisse. Quorsum postea evaserit Juliofredus, quid egerit rerum, quo desierit anno, nos latet.

Ch. III. col. 265.

Ch. II. col. 264.

III. Hucerandus an. 824. præfuit ex pontificio Leutevensi.

IV. Ardingus Caroli Simplicis filii Ludovici principatu locum habet in tabulis.

V. Juliofredus II. Carolo Simplice annum regni XXVIII. post obitum Odonis agente, Christi an. 926. VIII. cal. Mart. mansos quatuor in villa Tauladias *altario S. Salvatoris Gellonensis, sanctæque cruci, sanctoque Willelmo* donatas percepit.

VI. Josue vel Jose Gelloni præerat anno XXXI. *regnante Carolo rege post obitum Odonis:* quo tempore Odoagrus & Guerinus diaconus mansum de Martecellos in territorio Magalonensi largiti sunt.

VII. Ebregarius in Amalberti litteris anno Ludovici Transmarini III. Christi 940. munitis uti decessor Alinardi Gellonensis abbatis laudatur. At nullone medio præcesserit, quis edisserat?

VIII. Alinardus ab Amalbertis duobus & Ugosinda femina ante Bernardum & Guidonem vicarium interpellatus, quasi vel ipse, vel Mainerius cœnobii præpositus ecclesiam S. Andreæ præter jus tenerent, hanc se tenere per Ebregarii abbatis chartam respondit Alinardus, qui & Amalbertum veritati concedere persuasit. Tres insuper vinearum *modiatas* guirpivit Amalbertus usufructu retento. Consignationi subscribunt testes Bernardus, Guido vicarius, Ugo, Abolenus, Sicardus XI. cal. Octob. anno III. regnante Ludovico rege, Christi 940.

IX. Benedictus II. anno IV. Lotharii regis æræ Christianæ 958. Gelloni præerat ex Sicardi tabulis vineam & prædiola concedentis apud Melancheda villam Sustantionensis agri vicariæ Agonensis VIII. cal. Julii.

X. Gaufredus I. cui Lotharii regis anno VII. Christi 961. Gariberta, Hildinus & Ado vicecomites alodem de Mairanichos in pago Sustantionensi donarunt.

XI. Guinabertus seu Quinibertus anno XXVIII. regnante Lothario rege, Christi 982. prædia cum Hildino vicecomite & ejus uxore Archimberta, necnon filiis Ermengaudo, Alidulfo, & Odone recepto manso Ternantis villæ territorii Magalonensis in suburbio castro Sustantionensi commutavit.

XII. Rainaldus anno XXX. Lotharii regis Abbone monacho cedente alodem Darboles & alia non pauca percepit fer. 7. VII. id. Nov. Eidem Siguinus pariter monachus mansum de Rovoira eodem anno contulit: quas donationes a militaribus viris monasticen amplectentibus factas intellige.

XIII. Gaufredus II. anno circiter 988. abbas exstitit. Hoc enim tempore Senegundis comitissa Melgoriensis, filius ejus Petrus Magalonensis episcopus, nepos Bertrandus comes, &c. S. Reparatæ ecclesiam S. Guillelmo de Deserto & Gaufredo abbati dederunt X. cal. Mart. luna 3. regnante Domino nostro Jesu Christo.

XIV. Geraldus aut Gerardus laudatur in libro de miraculis S. Guillelmi una cum Fulcranno Leutevensi antistite, qui obiit an. 1006. Gellonem cum accessisset Fulcrannus orationis gratia, *coram ligno Domini prope tumulum B. Guillelmi solo in oratione prostratus jacebat. Audito* (Benedictæ energumenæ) *tumultu, nequaquam surgit a terra: sed oratione, cui totus inhiabat paulisper intermissa, orare specialiter incepit pro illa. Accersito præterea Geraldo monasterii abbate, totaque pariter congregatione, oratum est cum omni devotione, &c.* quæ in actorum ord. S. Bened. t. 6. videre licet. Prædia quædam apud castrum de Duabus virginibus commutavit Geraldus cum Raimundo Augerii filio III. id. Nov. an. IX. regnante Roberto rege. Dida matrona huic dedit mansum Plagias in comitatu Sustantionensi, tum alium in villa Pedoxinis Agonensis vicariæ. Bernardus cum filio Willelmo monachum induturus, eidem totum honorem suum dimisit. Rei domesticæ curator egregius hic abbas, testamentum seu codicem chartarum sancti Salvatoris hactenus exstantem conscribi ac compingi curavit.

XV. Petronus occurrit abbas regnante Roberto. Huic autem Raimundus d'Auriols miles wirpivit terram S. Paragorii Biterrensis comitatus.

XVI. Gaufredus III. is forte cui competit illud necrologii ad VIII. cal. Jun. *qui dum in hoc seculo vixit, Deum diligere studuit*, subscripsit electioni Judithæ I. sancti Genesii in diœcesi Magalonensi abbatissæ XV. cal. Dec. an. 1025. Ademarus *veniens ad sancta Sanctorum, quæ sunt condita in Gellonensi monasterio* dedit duos mansos de Malo bosco Deo & S. Guillelmo in manu Gaufredi abbatis ad luminaria concinnanda anno a passione Domini 993. & ab Incarnatione 1027. Garsindis cum filiis Bermundo & Almerado Salvensem Nemausensis, nunc Alesiensis diœc. cellam insignem erigit, Gaufredoque abbati ordinandam committit XV. cal. Jan. an. 1029. indictione XII. sub annuo censu decem solidorum bis a monachis de Salva quotannis Gellonensibus solvendo. Circa id tempus Gaufredus abbas cum Pontio Anianensi abbate pactum fecit de ponte super Araurim fluvium construendo, cujus opus Gaufredus e materia a Pontio collata perfecit ea lege, ut in illo ponte nulla ecclesia aut arx fabricaretur. Perstat etiamnum pons ille media inter Anianam & Gellonem via. Regnante adhuc Roberto Bernardus & uxor Saixa mansum unum in villa Montels VI. cal. Oct. Petrus & uxor Avia una cum filio fevum unum in villa Stagnole, &c. Bernardus & uxor Guillelma duas ecclesias in villa Espodania in episcopatu Vivariensi IV. non. Oct. Berengarius Raimundus & Deusde mansum unum in villa Rajeto III. cal. Mart. Gausfredo abbati & monachis Gellonensibus concedunt. Siguinus de Rocafolio multa contulit eidem probante Froterio episcopo Nemausensi an. 1032. Gisla & filius ejus Petrus abbati nostro guirpiverunt medietatem terræ Cantalupis, in præsentia Olimbelli episcopi, & Hugonis abbatis fer. V. cal. Febr. luna 27. regnante Henrico rege. Petrus & uxor Guilburga Heliam filium & alodem in villis de Avisas & de Garingonnas Gausfredo offerunt fer. VI. indict. I. Bego & uxor Thaclindis mansum unum in vicaria Arisensi eidem largiuntur feria quarta IV. cal. Jun. ind. II. Gaufredus abbas medium mansum in parochia S. Mauritii emit ab Hugone pro 245. solid. indict. VI. Bermundus Garsindis filius anno 1041. cessit Gaufredo ecclesiam S. Petri de Mairois. Insequenti Bermundus de Salveo & Almeradus de Andusia eamdem eidem largiti sunt. Gausfredus quædam acquisivit a Willelmo Ermengavo in parochia S. Johannis pro 100. solidis fer. VI. indict. X. Stephanus uxorque Adaltrus mansum Montels in præsentia Bernardi Leutevensis pontificis Gaufredo guirpiunt X. cal. Julii. Itherius de Solomiaco & Odilo frater ecclesias SS. Hilarii, Mariæ, & Martini de Esperone in episcopatu Vivariensi subter castrum Pradellas concedunt: donationem ratam habent Stephanus Agathensis, Aldebertus Vivariensis & Geraldus Mimatensis episcopi. Frotardus census quos exigebat in ecclesia S. Paragorii, Petrus & Deusde mansum de Vabre inibi situm mense Maio fer. V. luna 10. Almeradus de Andusia & uxor Enaurs medietatem fisci in parochia S. Martini VII. cal. Mart. an. 1049. alii alia Henrico rege Gaufredo abbati largiti sunt circa annum 1050. e vivis erepto.

XVII. Petrus I. vir in tabulis Gellonensibus eruditissimus, inclytus, & prudentissimus ad monasticam professionem admisit Fredelonem virum nobilem, qui alodium suum apud Venrancium monasterio dedit III. cal. Octob. 1051. Petrus filius Almeradi de Andusia confirmavit pridie idus Januarii an. 1052. abbati Petro alodem in comitatu Ucetico a patre jam datum monasterio Salviensi. Pontius Carbonellus & filii totam Fulchoandi familiam monasterio Gellonensi guirpiunt IV. cal. Septemb. luna 22. regulare V. epacta IX. ind. VI. regnante Henrico. Hugo filius Algardis & uxor

Ch. VII. col. 347.
Ch. VIII. col. 173.
Ch. IX. col. 174.

& uxor Stephania abbati nostro dederunt totam parochiam S. Johannis de Gurgite nigro, præsentibus viris nobilibus Petro Gaucelini, Raimundo & Guillelmo de Marovile, Frotardo de Pogias, Bernardo Radulfo de Servillano, Hugone de Albaiga, Uraldico & Faraldo de Colnas, annus non annotatur. Petrus filius Almeradi de Andusia Gelloni reddidit totum alodem S. Salvatoris, Petrusque abbas & monachi donaverunt ei unum caballum cum freno & sella anno circiter 1060. Abbatis hujusce temporibus cum antiquiora cœnobii documenta igne fuissent consumta, ad preces Rostagni Leutevensis episcopi erga Gellonenses optime affecti Alexander papa II. bulla ad Petrum data an. 1066. monasterium sub tutela sanctæ sedis suscipit, & omnia quæ ipsius juris sunt tam præsentia quam futura confirmat. Ejusmodi instrumentorum jacturam evitaturus Petrus, testamentum memoriæ breviter contractum omnium chartarum monasterii Gellonensis componi jussit sub testimonio sui, Pontii decani, abbatis Juncellensis & prioris S. Petri Salvæ, ceterorumque monachorum, ubi commemorat documentum Juliofredi I. de quo supra. Circa id tempus Rostagnus Roma reversus, Gellonensibus facultatem Leutevensium defunctorum corpora sepeliendi impertitus est litteris in appendice relatis, quibus constat a Rostagno tunc temporis Gellonem intra fines diœceseos Leutevensis minime fuisse comprehensam, sive quod Anianensi monasterio adhuc subjecta, sive quod jam nulli nisi Romanæ ecclesiæ: rescripto enim ad Petrum abbatem anno 1068. dato Alexander II. monasterium Gellonense sub tutela & defensione sedis apostolicæ recipit, ab omni conditione liberum decernit, nulli subjectum vult, liberam concedit abbatis ex regula creationem & provocationem ad curiam Romanam, si quid ab episcopo turbarum acciderit, juraque, cellas, ac bona confirmat. Ermengaudus uxorque Richardis prædia in villis de Avisas & de Valleta in comitatu Leutevensi Petro conferunt mense Decembri an. 1071. Denique Petrus filius Bermundi Petro abbati confirmat feria tertia IX. cal. Oct. anni 1074. ecclesiam S. Petri sitam in territorio castri de Salve a patre jam Gaufredo abbati concessam, ea lege ut nullus ibi instituatur monachus absque licentia abbatis & conventus. Obiit III. nonas Dec. ex necrol.

Ch. VI. col. 273. — Ch. VII. col. 273. — Ch. VIII. col. 274. — Ch. XIV. col. 180.

XVIII. Berengarius anno saltem 1077. abbas partem ecclesiæ S. Petri sub castro Mairuiss Petri Bermundi filii Austorgæ beneficio percepit pro 110. solidis XV. cal. Aug. luna 23. ind. XV. Huic eodem anno Jordanus de Creissel concessit ecclesiam S. Martini de Mauriaco, præsente Bernardo episcopo Leutevensi; Raimundus Geraldi & filius Geraldus mansum villæ Tauriaci in pago Ruthenico situm cedunt an. 1079. Eodem Rengardius filium suum Deodatum IV. non. Febr. & Petrus Bernardi filium Guillelmum II. nonas Aprilis Berengario abbati offerunt monachos. Geraldus & Adelais conjuges filium suum Bertrandum cum parte honoris in diversis parochiis donant eidem II. calend. Maii. Ademarus filius Dagoberti de Pomairols quæcumque in alode Engolani siti in termino Fontis Martii possidet monasterio Gellonensi largitur XVI. cal. Aug. 1080. Insequenti Fredolus Guillelmi Berengario ecclesiam S. Petri de Mayrois IV. non. Oct. Deusde filius Eimerici partem ecclesiæ de Cornus in episcopatu Ruthenensi VIII. id. Jan. 1081. largiuntur. Pontius frater Bernardi filii Petri Gaucelini monachum induit sub Berengario II. cal. Dec. 1082. Huic Rostagnus & Galburgis conjuges honorem Fontis Martii pro 70. solid. Guillelmus Pontii & Guimardis eumdem honorem anno 1085. Bego & Bernardus quidquid habuit Eblo infra terminum villæ de Uglatis IV. id. Jan. 1086. Aldebertus prædia in ecclesia S. Stephani in terminio Larsacgus, &c. pro 87. solidis an. 1087. Ademarus filius Guillelmi ecclesiam S. Martini de Londras pro filio Geraldo monacho cal. Maii an. 1088. Perfecta & filii mansum in villa Portuensi & campum in villa Barronarias XIII. calend. Februar. 1090. Petrus Bolleta alodem in parochia sancti Johannis de Sorbs, Petrus Ademarus de Cantobre & Raimundus Bernardus villas ad Boschet & ad Adsidia, Raimundus filius Adalaix de Mandagot partem ecclesiæ de castro de Meyrueis pro 150. solid. Melg. an. 1093. Raimundus de Galiac & frater Ademarus honorem de Galiac in episcopatu Ruthen. an. 1094. Nicetius Artmannus duas masuras in valle Dursionis an. 1095. Petrus Bochetus & Guillelmus mansum de Remus in villa Solatico pro 75. solid. an. 1096. Bernardus Rigaldi omnem suum honorem, Bernardus Leutevensis episcopus cum Ricardo & Petro archidiaconis & aliis S. Genesii canonicis ecclesiam S. Martini de Adiciano, Petrus Raimundi de Montepetroso cum consobrino Guillelmo, quem monachum offert, eamdem ecclesiam sitam sub castello de Montepetroso; Berengarius Petri de Ginhaco S. Sepulcri ad iter se accingens, partem quam in hac habebat ecclesia, sicut & Pontius Dagon & fratres Bertrandus & Guillelmus, Geraldus de Viridi sicco alodem suum; Ricardis alodem in villa Faixinari, Arsindis mansum de Garrigis in comitatu Nemausensi, Raimundus de Nant usaticum in diversis locis, Deusde Petitus tabernam in villa Solico, Petrus Guillelmi de Ludentione medietatem ecclesiæ S. Caprasii an. 1097. Petrus Bonafos se ipsum in monachum, & quidquid in eadem habebat ecclesia, IV. non. Nov. Rostagnus Guiraudi de Popiano terram in episcopatu Biterrensi, Pontius Chacha feudum in parochia sancti Paragorii, Ricardus Senioretus filium in monachum cum villa de Ulmerias, Laugerius Vivariensis episcopus ecclesiam S. Hilarii de Esperone in præsentia Raimundi Guigonis de Castroluci consentientis, Bernardus Agathensis episcopus ecclesiam S. Martini de Caux, Florentius & Stephanus de Darnils mansum de Cabanis an. 1098. monasterio Gellonensi & abbati Berengario conferunt. Alii eidem aliis, sed incertis annis largiti sunt, inter quos canonici Nemausenses ecclesiam sancti Petri de Mayrois cum Petri Ermengaudi episcopi consilio, Arnaldus Biterrensis episcopus ecclesiam de Murovetulo, Aldebertus ecclesiam

S. Stephani de Larzach, Bernardus Guitberti se ipsum in monachum & medietatem ejusdem ecclesiæ; Gaufredus ecclesiam sancti Martini de Mauriaco; Argentella, Petrus de Cornelac & Hugo de Maisan, quidquid habebant in villa S. Caprasii, decimis de Galleaco, & villa de Parigura, Pontius Ruthenensis episcopus medietatem *paratæ* & synodi in ecclesia S. Stephani de Larzach, aliasque Gellonensi monasterio in pago Ruthenico jam factas donationes, seu de novo largiuntur, seu confirmant. Denique, ut ceteros omittam qui annis non assignatis Berengario, abbati munificos se præbuerunt, Raimundus Guillelmi de Montepetroso, quam abstulerat terram in territorio de Adiciano, Berengario solvit, aliamque pro ea tradidit anno 1099. Hunc autem non excessit Berengarius, cujus lapideo columellis quatuor imposito sepulcro hi duo versus insculpti.

Idibus octonis obiit pater iste Novembris
Abba Berengarius, vir bonus atque pius.

XIX. Guillelmus I. Gelloni præficitur anno 1100. Medietatem omnium rerum parochiæ de Caux pro 300. solidis Melgor. a Petro Berengarii percepit mense Junio, sequentique eamdem ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis tam a Berengario Guillelmo, quam a Petro Guillelmo, &c. Eodem anno Hermengardis & liberi eidem donavere medietatem mansi Redostat pro anima fratris sui Raimundi Berengarii interfecti & liberatione alterius fratris Guillelmi Berengarii captivi. Raimundus & Gaucelinus de duabus virginibus mansum de Arabrio in episcopatu Biterrensi, Pontius Raimundi mansum a Lavabrio, Eustorgia de Montearnaldo relicta Raimundi de *Mariojol partem alodis sui in comitatu Sustantionensi, Bernardus vicecomes Biterrensis Jerosolymitanum arripiens iter, ecclesiam S. Pontii in episcopatu Agathensi. Paria fuere munera Pontii Bernardi de Lecas decimam de valle Brunantis, Raimundi Riculfi de Roiano filium suum in monachum & cum eo quartam partem decimæ sancti Martini de Caux, Berengarii & Bernardi filiorum Pontii de Montepetroso ecclesiam de Adiciano, Pontii Petri feudum quod ab abbate in villa Gellonensi possidebat, Guillelmi Raimundi de Pino mansum in parochia S. Bartholomæi de Albanonenques, Raimundi Guillelmi ecclesiam S. Martini de Lundras, Petri Guillelmi de Paratges honorem de Vilella, Bernardi Moret de Cantobre monachum induentis prædia, Guiraudi Guifredi honorem de Ortos, Guillelmi Matfredi cum filio Hugone monacho medietatem ecclesiæ S. Juliani, G. Magalonensis episcopi ecclesiam de Gremiano, denique Raimundi Guillelmi ecclesiam S. Martini de Lundras Guillelmo abbati anno 1101. vel incerto concedentium.

Ch. x. col. 275.

* f. Marvejol.

XX. Hugo I. occurrit abbas an. 1102. quo a Bertrando Ricardi de villa Arboratio quædam percepit in terminio de Vallejuvant feria sexta XI. cal. Decemb. luna 10. regnante Philippo. Anno eodem Adalaicis de castro Veruna cum Fredelone filio vineam in pago Sustantionensi in jus monasterii Gellonensis abbatisque Hugonis transfert. Longobarda seu Judæana filium suum Frotardum cum Manso de Avesne, & quibusdam aliis reditibus in villa sancti Caprasii S. Guillelmo in manibus Hugonis abbatis offert anno 1103.

XXI. Petrus II. anno 1106. rerum potitus, procerum aliquot munere recreatus est. Pontius Bernardi de Lecas huic quædam concessit XI. cal. Maii ejusdem anni. Guillelmus Raimundi ecclesiam S. Johannis de Murovetulo idibus Aprilis 1107. Bernardus de Montepetroso medietatem mansi de Arneto, Raimundus Rostagni Guiravi de Popiano eleemosynam jam a patre concessam XIV. cal. Mart. anno eodem; Raimundus de Cabrerio campum in parochia sancti Paragorii an. 1108. Petrus Raimundi de Montepetroso ecclesiam S. Martini sub eodem castro an. 1109. Raimundus Guillelmi de Montepetroso Hugonem filium Martini Arnulfi in servum eodem anno; insequenti Pontius de Podio Abonis & fratres ecclesiam S. Martini de Montepetroso, Raimundus Mironis de Alga duos mansos, Richeldis uxor Petri Geraldi de Fullacherio mansum de Quintanello, Ricardus Ramelini vineas in parochia S. Martini de Maurico abbati Petro secundo erogant an. 1110. Eodem Petrus Oliba feudum quod de manu abbatis Petri secundi in parochia S. Paragorii possidet, monasterio Gellonensi restituit, & Ramelinus Raimundi de Molnar monachum induens, donat omnem decimam, quam in territorio sancti Stephani habet. Galterius Magalonensis episcopus quam monasterio Gellonensi jam concesserat Gotafridus ecclesiam S. Martini de Lundras, Petro secundo abbati confirmat, & Raimundus Uceticensis episcopus ecclesiam sancti Martini de Caux, quam quondam Amelius episcopus ecclesiæ S. Theodoriti dedit, eidem abbati donavit an. 1111. Pontius de Materias mansum unum in parochia S. Amantii de Podols, & Raimundus frater alterum in præsentia Raimundi de Pradines Petro conferunt an. 1112. Petrus & Deusde de Nebiano mansum a Lavabre eidem conferunt anno 1113. Bernardus filius Pontii Raimundi de Montepetroso ecclesiam S. Martini de Adiciano; Jocardis filia Pontii Bernardi de Lecas & Richinus de Vallam conjuges terras, quas Pontius Bernardi de manu abbatis habet; Guillelmus Fredoli de S. Martino omnem decimam honoris de Valles Petro tribuunt an. 1114. Bertrandus Eleazarii de Foderia quidquid habet in territorio de Sorbs pro 40. solid. anno 1115. Beliardis uxor Raimundi Giraldi de castro Fontes medietatem mansi de Vesins pro 60. solid. Melg. Beliardis & Pontius Raimundi de Podio Abone Petrum filium Amici de Avenna, & Raimundum Collunt, Petrus Hubertus omnem decimam in parochia sancti Petri de Mayrois eodem anno. Insequenti Guillelmus dictus Agullio Petro secundo abbati se ipsum cum prædiis nonnullis, Raimundus Ricardi de Foderia quidquid sui est, Bertrandus de Usclas alodem in terminio de Molariis, Petrus de Cornus decimam parochiæ S. Mariæ

Ch. xi. col. 275.

pro 40. ſolidis Melgor. Roſtagnus Almeixadi filium Raimundum in monachum cum duobus manſis an. 1116. Auſtorgius de Popiano alodem in villa de Caxenarias, Bernardus filius Matfredi de Cabreria manſum de Veſins, Petrus Guilberti de Creiſſel decimam ejuſdem loci Petro ſecundo abbati concedunt an. 1117. Ermengaudus Guillelmus & filius Raimundus, necnon & Bernardus Raimundi filius Bernardi Raimundi de Caſtello novo totam eccleſiam S. Martini de Caux, Guiraldus filius Guillelmi Girardi de Cabreria manſum in villa Veſins Petro ſecundo abbati largiuntur an. 1118. vel 1119. quo Gaucelinus Berengarii eidem ceſſit domum in villa de Valles pro 8. ſolidis Melgor. III. calend. Aprilis, & Berengarius Petri decimam in parochia S. Martini. Augerius abbas S. Salvatoris cum conſilio Petri Leutevenſis epiſcopi totiuſque Gellonenſis conventus Benedictum de Ferruciaco omnemque ejus familiam Petro ſecundo abbati pro 120. ſolidis guirpivit anno 1120. Denique Raimundus de Caſalis de Planters eidem anno eodem manſum in territorio de Ulmaricis contulit, illudque ultimum eſt chartularii inſtrumentum, in quo de Petro fiat mentio.

Ch. XII. col. 276.

XXII. Guillelmus II. quamprimum ſuffectus abbas librum ſecundum tabularii ſancti Guillelmi compingi curavit anno 1122. quo Guillelmus Petri olivetum pro 30. ſolidis, Raimundus Guillelmi de Montepetroſo vineas & tertiam partem campi, Raimundus de Cornone totum quod poſſidebat in terminio de Gremiano temporibus Galterii Magalonenſis epiſcopi, Rixendis de Pegeirollis quædam prædia, & Florentia de Popiano uxor Raimundi Leotardi de Stagno manſum in villa S. Johannis de Muroveteri in epiſcopatu Suſtantionenſi Guillelmo ſecundo abbati erogant. Eidem anno eodem Guillelmus Aſſalit de Breixac juramentum fidei præſtitit pro feudo, quod a Gellonenſi tenebat monaſterio. Anno 1123. Pontius Raimundi alodem in parochia S. Martini de Adiciano pro 60. ſolid. Ademarus Ruthenenſis epiſcopus eccleſiam S. Saturnini de Creiſſel, Otho Guillelmus & Otho de Gremiano fratres honorem in parochia ſancti Petri de Fonte Martii pro 100. ſolid. An. 1124. Callixtus II. tuitionis apoſtolicæ litteras, Armandus honorem Caſtellaniæ de caſtro de Verdun pro 300. ſolid. Petrus de Aſpirano prædia in Lecas pro 90. ſolid. & anno 1126. Petrus Guitberti nonnulla. Anno 1127. Guillelmus Biterrenſis epiſcopus Raimundi Gaucelini archidiaconi aliorumque canonicorum decem conſilio eccleſiam S. Vincentii de Popiano, & archidiaconus ejuſdem eccleſiæ claves, Humbertus Geraldi Albienſis epiſcopus aſſenſu Raimundi archidiaconi eccleſias S. Petri de Magrin, & S. Salvatoris de Aviſac, teſte Amelio Ugone Caſtrenſi abbate, Ricardus de Meſoa honorem in territorio de Fonte Martis pro 50. ſolidis. Berengarius de Monte Arnaldi omnem decimam in territorio de Valles pro 35. ſolid. An. 1128. Petrus Guillelmi de Arboratio totum quod habet in Lecas pro 56. ſolid. & dimidio Guillelmo ſecundo abbati largiti ſunt; qui quidem abbas anno 1129. Almerado Bernardo & Guillelmo de Viridario ceſſit feudum, quod eorum pater ab anteceſſoribus tenebat ſuis ſub annua clientela. Anno 1130. Guillelma filia Adalais de S. Eulalia honorem in parochia S. Martini de Adiciano pro 32. ſolid. ea lege ut in monaſterio ſepeliretur, Bermundus Biterrenſis epiſcopus cum conſilio Raimundi de Monterotundo & Raimundi de Murovetulo archidiaconorum iterum eccleſiam S. Vincentii de Popiano. Anno 1133. Berengarius Raimundi comes domum villæ de Amillaüs pro 200. ſolid. Melg. Odilo Garini quidquid tenet in Vallebella, Raimundus de Anduſia manſum de Bogeta pro 320. ſolid. Melgor. Petrus de Cambous honorem de Cambous pro 50. ſolid. Anno 1134. Raimundus Berengarii de S. Saturnino Gellone cum reciperetur, prædia quædam apud Arboras, Ermengaudus de Duabus virginibus quidquid habebat in villis de Tuda & de Tudeta Guillelmo ſecundo abbati conceſſerunt, qui anno 1134. ſuperior vixit, rei prudenter & ad regulæ normam geſtæ laude celebratus.

XXIII. Raimundus I. Ermengardi dicitur an. 1137. Pontii de Agone res in molendino de Strada conſecutus fuiſſe, tum ſequenti tranſlationem corporis S. Guillelmi procuraſſe per manus Hugonis Albienſis epiſcopi & Raimundi Nantenſis abbatis temporibus Innocentii papæ II. Arnaldi Narbonenſis archiepiſcopi & Petri Leutevenſis epiſcopi, ſed hæc recentior manus calendariis inſeruit. Berengaria anno 1140. Raimundo abbati pro 20. ſolidis guirpivit quidquid in villa Frodeto requirebat. Raimundus eodem anno quædam donavit Deſiderio abbati & monachis Silvaneſii. Ermengaudus de Duabus virginibus Raimundo abbati nepoti ſuo donat 20000. ſolid. Melg. donationemque de Tuda & de Tudeta, quam Guillelmo deceſſori jam fecerat, confirmat an. 1141. & ſepulturam apud Gellonem deſtinat. Denique Raimundus molendinum de Frodeto a Guillelmo & Stephano filiis Pontii de Podiolo Azmalonis an. 1143. comparat. Obiit III. non. Aprilis.

XXIV. Hugo II. cui Petrus Aienrici medietatem decimæ manſi de Vaiſeira pro 80. ſolid. Melgor. vendit an. 1145. locum habet & in indubitatis Eugenii papæ III. litteris, quibus an. 1146. ſingula monaſterii bona juraque deceſſorum ad inſtar confirmat, ſententiamque Gellonenſes inter & Anianenſes monachos ab Urbano prolatam ratam vult, illoſque nulli niſi Romanæ ſedi ſubjectos.

Ch. XVI, col. 280.

XXV. Raimundus II. quem & Ermengaudi cognominatum reperio in tabulis Silvaneſii, idem forte ac prior Raimundus, S. Guillelmi abbas an. 1151. ad preces Eugenii III. Guiraldo Salvanienſi abbati donat quidquid habebat in territorio del Suobs. Huic eodem anno Aldebertus Nemauſenſis epiſcopus Petri præpoſiti Raimundi archidiaconi ceterorumque canonicorum conſilio eccleſiam de Bers impertitus eſt, data inſimul facultate ſacerdotem inibi pro ipſis collocandi, Guillelmus de Pinnano eidem ſolvit quidquid in manſo

Florentiæ petere posset in præsentia Raimundi Magalonensis episcopi. Anno 1152. Guillelmus Biterrensis episcopus de consilio Matfredi archidiaconi Raimundo confirmat ecclesiam S. Vincentii de Popiano ab antecessoribus Guillelmo de Cerviano & Bermundo jam donatam. Petrus Raimundi transegit eodem anno ratione territorii de Caux cum Raimundo abbate, qui insequenti totum alodem de Vaxeria & alia non pauca hospitalis Jerosolymitani præceptori Bernardo de Pagar confert in præsentia Petri Ruthenensis & Petri Leutevensis episcoporum. Controversiam habuit cum Petro Leutevensi præsule, quæ hoc an. 1153. consilio Aldeberti Nemausensis episcopi finem habuit in præsentia Raculfi abbatis Leutevensis. Anno 1154. Petrus Ruthenensis episcopus Raimundo secundo abbati indulsit seu confirmavit ecclesias de Creissel, & Ugo Ruthenensium comes quidquid inibi habebat, donationi subscribunt P. Ruthenensis, P. Leutevensis episc. & R. abbas Nantensis, idem præstitit Petrus Jordani eodem tempore coram P. Ruthenensi antistite & Hugone comite. Hoc autem anno mortuum credimus Raimundum.

Ch. XIII. col. 137.

Ch. XVII. col. 281.

XXVI. Richardus de Arboratio memoratur abbas Gellonensis jam an. 1154. in veteri charta monasterii Elnonensis. Cum Ademario episcopo Agathensi transegit pro ecclesia sancti Martini de Caux an. 1156. quo prædia Lundris sita a Raimundo de Roca comparavit. Gaucelinus de Montepetroso *bailiam* castri Verduni abbati nostro contra Geraldum Berardi adjudicavit anno 1158. Richardus eodem anno testis laudatur in charta Hugonis del Poget pro Vallemagna. Anno 1161. Deodato Rigaldo & uxori omnem honorem suum laudat ea lege, ut post mortem ad monasterium revertatur, abbasque in extremis monasticum ordinem & sepulturam eis largiatur. Donationem factam ab R. Ermengaudi Salvaniensi monasterio confirmat. Raimundus de S. Pontio eidem anno eodem concedit alodem in parochia S. Petri de Pabirano. Ludovicus VII. ad preces Richardi abbatis monasterii Gellonensis possessiones regio confirmavit diplomate an. 1162. quo Berengarius de Mairosio se ipsum in manibus Richardi tradit ad monasticum habitum suscipiendum, quando abbati placuerit, ubi notandum hujusmodi monachos seculares in habitu laïco remanentes obedientiam secundum regulam tunc spopondisse. Laudavit Richardus apud Anianam in præsentia Raimundi Guillelmi abbatis concordiam Bertrandum Guillelmum inter & Raimundum de Cantobrio priorem S. Martini de Lundris Johannis Magalonensis & Gaucelini Leutevensis episcoporum ope initam an. 1162. Insequenti sopitur a Bernardo Juncellensi abbate quæ Richardum Gellonensem inter & Geraldum Geraldi lis inerat. Probavit Richardus eo tempore pactiones inter Matfredum priorem de Creissel, Raimundum Petri de Amiliano, Petrum de Caunas, & homines de Garriga. Ad ipsius preces Alexander papa III. Gellonensis monasterii possessiones & bona confirmat VIII. cal. Nov. indict. X. pontificatus IV. An. 1164. Aldiardis filium suum Richardo monachum tradit & cum eo honorem rupis Ermengardæ. Acquisivit eodem anno a Guillelmo de Auzamas quartum in manso de Planis. Ratam habuit anno 1165. latam adversus bonos homines in concilio Lumbariensi sententiam. Anno 1167. castrum de Peira in Vapincensi episcopatu in alodem Raimundus de Peira, sequenti mansum de Sorlaguet Ugo Pagani monachum induens, alia Sorlagueti quoque posita Guilla Guillelmi pagani uxor, cum volente marito sanctimonialis fieret, Richardo abbati tradiderunt, qui biennio post cessit: at nondum obierat an. 1180. quo arbiter laudatur concordiæ inter episcopum Biterrensem & monachos Juncellenses initæ Richardus de Arboratio quondam abbas S. Guillelmi.

Ch. XVIII. col. 282.

Ch. XVIII. col. 141.

XXVII. Bernardus I. Guillelmi de Mesua militis filius a parente an. 1124. cum prædiis oblatus in monachum, anno 1170. creatus abbas Bernardum Guillelmi Aldegarii filium monasticis addixit regulis, qui monasterio cessit quidquid habebat in molendinis de Planchameil, & excepit hominium Viernæ de Breissac & Pontii Petri ejus filii, qui centum solidos abbati electo & consecrato recognoscunt. Anno 1171. Bernardus abbas de consilio totius conventus Mariæ relictæ Deodati Rigaldi assignat partem honoris quem maritus ejus monasterio legaverat : factum in præsentia Hyacinthi & Raimundi de Arenis cardinalium, Pontii Narbonensis archiepiscopi, Bernardi Biterrensis episcopi, Guillelmi S. Tiberii abbatis. Excepit an. 1174. a Guillelmo Bonafos honorem in Brenatio, & Petro Fontis Martii cessit ad vitam ecclesiam S. Petri ejusdem loci. Petro Bernardi oppignerat an. 1175. pro 40. solid. quidquid in iis quæ ipsi evenire debent a Rivo torto ad Arauris fluvium habet. Eodem anno monasterio Vallis magnæ cessit in decem annos totum jus quod monasterium Gellonense tenet in terminio S. Martini de Caux in solutionem 4000. solid. Vallemagnensibus a Gellonensibus debitorum.

Ch. XIX. col. 283.

XXVIII. Raimundus III. de Cantobrio e priore S. Martini de Lundris factus abbas innotescit ex instrumento anni 1189. quo Guillelmus de Cabreira Cornusiensi cellæ multa contulit : hoc autem anno vel sequenti cessit, superstes in 1196. quo probavit electionem Hugonis de Foderia.

XXIX. Eblo occurrit abbas S. Guillelmi an. 1190. testis enim laudatur in donatione quarumdam ecclesiarum factæ monasterio Elnonensi a Raimundo episcopo Leutevensi anno 1190. epacta XII. ex tabulis Elnonensibus.

XXX. Hugo III. de Foderia nobili ortus sanguine, pepigit cum Ermesinda Rufa an. 1196. Ecclesiam S. Petri de Fonte Martio quibusdam censibus obnoxiam Petro abbati monachisque Vallemagnensibus dimisit an. 1197. Aimerici de Claromonte ope cum Raimundo de S. Mauritio de quodam usatico bladi pactum emisit XV. cal. Julii anno 1199. quo Guillelmo de Florac ad acapitum & censum prædia pro 40. solid. Melg. concessit.

XXXI. Petrus III. Raimundi quædam emit an. 1204. a Bona pro 100. solid. Melgor. & firmavit ecclesiam S. Petri de Fonte Martio monasterio Vallis magnæ. Excepit an. 1205. hominium B. de Montepetroso, acquisivit a Sybilla Bernardi de Ulmo relicta quartam partem molendini Megerii de Hospitali pro 200. solid. Melgor. Querelam habuit cum Raimundo de S. Mauritio, quæ a B. de Costa Ruthenensi archidiacono & Guillelmo Au. arbitris eodem anno finita est. Insequenti Petri Raimundi & Raimundi Bernardi de Montepetroso germanorum hominium excepit mense Junio 1206. Confirmavit anno 1207. B. Pagani honorem, quem ipsius pater habuit in parochia S. Felicis, &c. testis subscribit Hugo de Foderia. Eodem anno Bernardus Raimundi de Mariojol a Petro tenere recognoscit honorem, quem mater sua ante obitum monasterio reliquerat, & Bertrandus de Mariojol eadem die abbati Petro pro 30. solid. divendidit quidquid habebat in parochiis sancti Genesii & sancti Johannis de Fos. Hugoni de S. Desiderio ecclesiam ejus loci commendavit an. 1208. Excepit an. 1210. hominia Pontii de Vallauques, Aldeberti de Giniaco, Petronillæ & filii Petri de Gorgas. Testis eodem anno reperitur in charta B. Cavallicensis episc. Decimas S. Johannis de Fos a Raimundo de Arenis & Petro de Vallan recepit mense Augusto 1211. De eo necrologium Gellonense sic: *V. id. Octob. obiit dominus Petrus Raimundi abbas S. Guillelmi.*

XXXII. Petrus IV. de Leyssac, quem nonnulli a decessore distinguunt, abbatemque jam ab anno 1212. volunt. Hic itaque, si diversus a priore, Bernardo Vallis magnæ abbate arbitro composuit litem, quæ inter monasterium Gellonense inerat fratresque Guillelmum Ricardi & Ricardum de Foderia. Quædam emit an. 1213. a Jordano de Casnas pro 350. solid. Melgor. Albergam duorum militum in manso de Combis a Gaucelino Berengarii accepit, & mansum de Roqueto dedit ad censum Guillelmo Austorgii ejusque posteritati. Mansum de Sarpalleda Guillelmi & Johannis de la Baira dono consecutus est an. 1217. sicut & partem mansi apud Galliacum a Johanne de Ambolio. Cum Berengario Pontii composuit eodem anno judice Guillelmo abbate Nantensi. Pepigit annis 1217. & 1218. cum Guillelmo abbate Vallis magnæ pro Fonte Martio. Excepit 1218. hominium Guillelmæ filiæ Raimundi de Arenis, & 1219. omnia alodia Guillelmi Geraldi de S. Privato. Decennio post rerum pertæsus, an invitus Guillelmo S. Victoris Massiliensis monacho pedum dimisit an. 1228. quod postmodum, jubente Romano pontifice, uti ex instrumentis liquet, repetere frustra tentavit.

Ch. xxii. col. 285.

XXXIII. Guillelmus III. de Rocafolio Massiliensis ad S. Victorem novitius, sacris initiatus nullis, procerum favore, Petrum ad abdicandum munus illexit. Repugnantibus quantumlibet monachis, & enormia Guillelmi scelera obtendentibus, Romanamque ad sedem provocantibus rerum ac castrorum omnium possessionem init. Mox acerbè desævit in monachos uti contumaces, eosque bonis omnibus ac subsidiis spoliatos etiam anathemati subjicit. Romam deinde petit causam ipse suam oraturus. Antequam liti finem daret pontifex, Guillelmum loco cedere, Petrum jubet restitui. Frustra; nam ægre redintegrata possessione umbratili, quod castra bonaque omnia in Guillelmi fautorum manibus essent, alio sibi consulere cogitur Petrus, dum interim monachi unum e suis Petrum Siguerium iterum ad Romanam curiam destinant. Quid inde rerum acciderit silent tabulæ, nec dubium quin causa vel favore seu merito Guillelmus fuerit melior: anno enim 1230. a Bernardo Alafredo pro 8. libris Melgoriensibus emit quasdam terras in parochia S. Marcelli de Aldeliano VI. cal. Aprilis Guillelmus de Rocafolio abbas Gellonensis, qui Antonii rectoris ecclesiæ S. Martini de Montepetroso excepit obsequia XIV. cal. Sept. 1234. Adstitit exeunte an. 1236. Guillelmus sacramento fidelitatis, quod rex Aragonum Jacobus Johanni Magalon. episc. præstitit. Huic quoque hominium præstitere Raimundus Rostagnus de Popiano II. cal. Junii 1236. Bernardus Petri de Monte olivo mense Sept. 1237. & Pontius de Pojolis VIII. cal. Jun. 1238. Pepigit an. 1239. cum Raimundo de S. Martiali camerario. Excepit hominium Ermesindis relictæ Aldeberti de Pegeirollis & filii ejus Guillelmi nonis Julii 1243. Johanni Planterio medietatem mansi de Grimaudens in parochia S. Martini de Gastrias ad acapitum tradidit, & nonnulla statuit circa pitanciam & eleemosynas monachorum. Martinus de Cartairals Guillelmo fidem juravit an. 1244. Convenit an. 1245. cum Bertrando d'Auriac abbate Vallemagnensi pro litigiosis in ecclesia & decimis S. Petri de Fontmars. Raimundus Bernardi de Montepetroso & uxor Galbores Guillelmo recognoscunt mansum de Plcviels IV. cal. Februar. anno 1247. Denique Guillelmus abbas dedit ad censum Petro & Pontio de Clari fratribus mansum de la Boissiere XII. cal. Maii 1248. Diem suum obiit VII. id. Aprilis ex necrologio. Nec omittendas puto moles sepulcrali ejus in claustro lapidi impressas, loco funalis coronæ gentilitii Rocafoliensium stemmatis. Hæc enim probant, ut volunt, Guillelmum Massiliensem hunc esse monachum, quem Gellonenses ob prætensam scelerum colluviem exsecrabantur, quod a quibusdam revocatur in dubium.

Ibid.

Ch. xxiii. col. 286.

XXXIV. Guillelmus IV. de Duabus virginibus monachus Anianensis electus & confirmatus abbas S. Guillelmi mansum de Veruna ad acapitum tradit B. J. & P. de la Sala, &c. IV. cal. Maii 1249. & excepit hominium Bertrandi de Sobers VIII. cal. Febr. insequentis. Anno 1250. fratrum infirmorum providit necessitatibus III. cal. Jun. & visitavit IX. cal. Jan. monasterium S. Petri Salviensis, necnon & pepigit eodem anno cum Bertrando de Auriaco abbate Vallemagnensi pro litigiosis apud Fontem Martis. Una cum R. episcopo Biterrensi ratum habuit anno 1253. quidquid Guillelmus Lumbardi rector S. Amantii de Podols, & Raimundus de sancto Martiali prior S. Vincentii de Popiano super decimis & terminis harumce ecclesiarum statuerant.

Quædam emit XVII. cal. Aprilis 1256. a Gaufredo domino de Felgariis. Testis laudatur satisfactionis Anianensi monasterio factæ a syndicis universitatis castri de Giniaco, & judicii in eos lati a R. episcopo Biterrensi V. idus Jul. 1257. Raimundo S. Afrodisii Biterrensis, Bermundo S. Tiberii, necnon aliis sociatus abbatibus in gratiam Anianensium salutaria reique monasticæ consentanea constituit decreta an. 1260. Regem Navarræ, Campaniæ, &c. comitem & ejus familiam in societatem precum & suffragiorum monasterii adscivit an. 1261. VII. calend. Martii eumque rogavit ut papæ & amicis suis ipsum & ordinem commendaret. Johannis Jordani B eodem anno recepit hominium. Approbavit anno 1263. nonis Julii compromissum inter Petrum de Conchis priorem sancti Martini de Montepetroso Johannemque sacerdotem initum super capella beatæ Mariæ de Garriga. Quædam ad regularem disciplinam condidit statuta IV. cal. Jun. an. 1264. quæ a Clemente IV. III. non. Decemb. Perusii fuere confirmata primo pontificatus anno. Habuit querelam adversus Pontium Biterrensem episcopum & Raimundum archidiaconum super decimis ecclesiæ de Muroveteri, quæ mediis arbitris finita est idibus Augusti an. 1266. hanc autem definitionem ipse confirma- C vit VI. cal. Dec. insequentis. Jubente Clemente papa IV. Bernardus de Montemirato abbas Montis majoris Guillelmum ejusque monasterium in S. Saturnini Nemausensis diœcesis possessionem induxit VIII. id. Maii pontificatus anno III. Quædam acquisivit a Bernardo de Aixa milite XV. cal. Aprilis 1268. Laudavit eodem anno 1268. conventa inter rectorem S. Salvatoris de Larzaco & Berengarium de Rocalonga militem. Dedit ad censum quosdam mansos XIII. cal. Maii 1270. Guillelmo textori factam venditionem laudat XVIII. cal. Julii 1272. In conventu III. cal. Jun. an. 1276. habito statuit ut monachorum dece- D dentium argentum non signatum sacristiæ utilitatibus inserviret. In capitulo vero generali IV. cal. Jun. 1280. antiquum morem revocavit, quo singuli priores singulis annis beneficiis suis in manibus abbatis solebant renunciare, statuitque ea non resignaturos, nisi de ipsius & successorum ejus voluntate. Eodem anno invitatus ad concilium provinciale excusat se quod interesse non possit. Paulus de Mandagot miles Guillelmo recognovit medietatem territorii dicti *los cros de Mandagost*, & cessit omnimodam jurisdictionem in Montepetroso XVI. cal. Dec. Controversiam de limitibus S. Guillelmi & S. Johannis E de Fos ortam definierunt arbitri a Berengario Leutevensi episcopo, Guillelmo sancti Guillelmi abbate & toparcha de Montepetroso electi die 4. Jan. 1282. Iidem abbas & episcopus IV. cal. Octobr. an. 1284. compromiserunt in discretos viros Raimundum Veretum sacristam Leutevensem, Guillelmum de S. Johanne priorem de Valle Pompiniana, & Jacobum de Bernitio jurisperitum, qui visis & auditis partis utriusque rationibus, omnimodam jurisdictionem Gellonensi monasterio asseruerunt. Hancce definitionem

A videsis apud Plantavitium pag. 228. & seqq. An. 1286. a Guillelmo de Rupelonga priore sancti Martini de Montepetroso accepisse recognoscit IX. cal. Sept. 22. libras Melgorienses ratione talliæ factæ pro compositione inter Berengarium quondam Leutevensem episcopum & ipsum. Denique Guillelmi abbatis nomine Petrus de Vallebona sacrista emit a Guillelmo filio Petri de Monte desiderio militis omnem jurisdictionem in manso de Rainauden. Obitum tamen ejus an. 1284. recentiores consignant, duosque continua serie sufficiunt ab obitu Guillelmi de Rocafolio Guillelmos de Duabus virginibus. Unicum funebres tabulæ III. non. Aprilis recte constituunt.

XXXV. Guillelmus V. de Mostuejolis, vulgo hodie *Moustuejouls*, prope S. Romanum de Tarno in diœcesi Ruthenensi oriundus ex familia, quæ nunc quoque nobilis claraque habetur, electus videtur abbas circa annum 1289. quo plurima ei præstita leguntur hominia VI. cal. Maii in tabulis Gellonensibus. Assignavit XI. cal. Julii anni 1290. Pontio Maurelli clerico portionem panis & vini in beneficium toto vitæ ejus tempore. Gratum se instrumento peculiari erga fratrem Johannem de Rocafolio priorem de Lundris exhibuit pridie id. Sept. an. 1291. In concilio Biterrensi an. 1299. IV. cal. Nov. legitur G. S. Guillelmi de Deserto abbas. Occurrit an. 1301. in tabulis, hoc imprimis clarus nomine, quod Raimundum de Mostuejolis fratris filium, postea S. R. E. cardinalem, in monachum attonderit, qui defunctus sepultus est ad dextrum aræ principis monasterii S. Guillemi latus die 22. Aprilis 1335. ubi & illustre ei mausoleum erectum fuit. Obierat autem Guillelmus initio anno 1303. instrumento enim adhæsionis appellationi ad concilium generale a Philippo pulcro factæ in conventu plurium prælatorum apud Montempessulanum die 25. Julii hujus anni subscribit Guillelmus de Conchis procurator S. Guillelmi de Deserto, monasterio vacante.

XXXVI. Bernardus II. de Valle bona decretorum doctor, priorque S. Martini de Montepetroso, cum adhuc monachum ageret an. 1290. pontificio solutus est rescripto a censuris ac diris, quas ob delicta juventutis meruerat. Anagniæ autem degebat, cum a Gellonensibus deputati decretum ejus electionis offerunt, quibus ad deliberandum tempus postulavit, ex instrumento dato Anagniæ in ecclesia S. Andreæ XVIII. cal. Julii an. 1303. Biennio post in capitulo decernit abbatum & monachorum decedentium lapides pretiosos fabricæ, libros vero armario claustri applicandos, abbatum ornamenta sacristiæ danda, & armario librorum duos quolibet anno committendos monachos, qui nulli omnino absque consensu capituli tradere possent libros IV. cal. Jun. 1305. Appellavit V. id. Jun. 1306. ad Arnaldum S. Marcelli presbyterum cardinalem papæ camerarium a mandatis Galhardi de Malaimorte & Guitberti Marchiæ archidiaconorum Lemovicensis ecclesiæ. Medietatem molendini de Brunanto acquisivit pro 60. solidis IV. id. Maii

1311. Philippus rex mense Junio anni 1313. abbati sancti Guillelmi cognitionem primarum appellationum in tota Gellone concessit. Denique Bernardus per procuratores excepit hominia Raimundi Rossellí & Petri Fabri pridie calend. Dec. an. 1315. Biennio post in curia Romana diem clausit extremum ob institutam precem annuam in necrologio memoratus. In epigraphe lapidi sepulcrali ante altare B. Mariæ de Rosario insculpta legitur : *Anno Incarnationis Domini MCCCXVII. VIII. id. Julii obiit reverendus in Christo pater dominus Bernardus de Valle bona S. Guillelmi abbas, qui rexit hoc monasterium XIIII. annis, cujus anima requiescat in pace. Homo, quid me aspicis ! quod sum, eris ; quod es, fui. Dic pater noster pro anima mea. Mundi Salvator, animæ sis ei amator.*

XXXVII. Raimundus IV. de Serinhaco ex monacho Gellonensi prior de Gardanica Uceticensis diœcesis, volente Johanne papa XXII. Gellonensis jam anno 1317. electus excusat se quod Biterrensi concilio adesse non possit. Guillelmus de Conchis ejus procurator domino de Turre papæ capellano exhibuit XIV. cal. Sept. an. 1320. apocham census cameræ apostolicæ a monasterio debiti ad annum usque 1298. Duos an. 1322. v. cal. Jun. contulit prioratus. Præfuit ad annum 1324. quo novis ejusdem pontificis munitus litteris, Egidianis & postea Psalmodiensibus imponitur abbas.

XXXVIII. Decanus de Ucetia nobili toparcharum Uceticensium stemmate conspicuus ex monacho Gellonensi creatur abbas S. Petri de Salvio, tum an. 1324. Gellonensibus redditur suis bulla Johannis XXII. data Avenione x. cal. Julii* pontificatus anno VIII. Institutus autem abbas procuratorem instituit generalem Raimundum de Monterano mense Novembri. Quibusdam redditibus auxit officium cellerarii, ejusdemque imminuit onera de consensu capituli XVI. cal. Mart. 1328. Baluzius in collectione ad vitas paparum Avenionensium tom. 2. col. 546. refert epistolam B. abbatis S. Guillelmi & monachorum Gellonensium ad Raimundum cardinalem olim ascetam in Gellone, cui obsequia & preces offerunt die 29. Maii an. 1328. quo sedebat Decanus: emendandus ergo Baluzius, restituendusque D. loco B. ut apud D. Cl. Etiennot, qui eamdem descripsit epistolam ex tabulario Gellonensi. Decanus excepit hominium Raimundi de Minulano IV. cal. Dec. 1331. Præcentorem instituit 1332. pridie cal. Jun. Ejus temporibus Benedictus papa XII. Johanni Albi Leutevensi anachoretæ concessit, ut altare construeret in oratorio infra parochiam S. Bartholomæi a se constructo VIII. id. Aprilis pontificatus anno II. Fredolus de Maderiis Decano fidem juravit die 14. Maii 1338. Confirmavit Decanus syndicis villæ S. Guillelmi facultem jam a rege concessam pontes ædificandi in loco dicto *Lo prat* die 10. Jan. 1344. Habuit eodem anno die 28. Maii capitulum generale, in quo compescuit & definivit controversias, quæ ipsum inter & camerarium inerant ratione jurisdictionis. Assensum suum præbuit die 9. Nov. 1346. exsecutioni quarumdam litterarum apostolicarum Clementis Papæ datarum VI. id. Maii pontificatus an. IV. Præfuit ad annum saltem 1347. XVIII. cal. Febr. desideratus in necrologio.

* al. April.

XXXIX. Guillelmus VI. de Leschamello sublato e vivis Decano sancti Guillelmi abbas a Clemente VI. subrogatus brevissimo sedit tempore. De eo necrologium ad XVI. cal. Aprilis: *Obiit domnus Guillelmus de Leschamello quondam abbas, pro quo debent omnes sacerdotes celebrare, qui legavit conventui L. florenos auri, & pulcherrimas decretales, & sextum cum Clementinis, & debet dici officium defunctorum solemniter.*

XL. Raimundus V. prior de Ceseresta ordinis sancti Benedicti in locum Guillelmi suffectus a Clemente papa VI. anno pontificatus VII. benedictionis inducias ab eodem in festum S. Johannis Baptistæ consecutus est bulla Avenione data v. id. Aprilis pontificatus anno VII. Romam profecturus ut loca sancta visitaret, duos in spiritualibus & temporalibus e monachis vicarios generales instituit die ultima Aprilis 1350. Vixit in annum 1361. uti probant Innocentii papæ VI. litteræ successorem ipsi constituentis.

Ch. XXVI. col. 287.

XLI. Petrus V. de Rocafolio e priore Villæ clausæ diœc. Forojuliensis bulla Innocentii papæ VI. data Avenione IV. id. Novemb. pontificatus anno IX. creatus abbas, ratam habuit donationem mansi de Utis factam camerario a nobili Andrea Aybrandi die 5. Dec. an. 1371. E vivis eripitur an. 1374. De eo necrologium ad VII. cal. Apr. *Anno a Nativitate Domini MCCCLXXIV. obiit reverendus in Christo pater dominus de Rocafolio, qui constituit suum obitum.*

XLII. Hugo IV. de Aussaco nobilis Occitanus occurrit in tabulis Anianensibus anno 1378. Is esse videtur Gellonensis abbas, cui vices suas in diœcesi Coloniensi commisit Guillelmus de Agrifolio cardinalis tituli S. Stephani in Cœlio monte. Litteras hujusce delegationis habes apud Baluzium in collectione ad vitas paparum Avenionensium t. 2. col. 850. Præfuit ad anni 1387. calendas Martias, ob concessa dona nempe *sex marchas argenti, unum pulcherrimum calicem, duo bocalia, historiatum lanæ pannum, unum tapetum, duas mitras, chirothecas sericas, parata, sandalias sericas, mappam sericam* celebratus in necrologio.

XLIII. Reginaldus abbas Gellonensis regis consiliarius ad colligendum trium francorum subsidium in senescalliis Tolosæ, Carcassonæ, &c. deputatur die ultima Aprilis 1388. Oppidanorum S. Paragorii excepit hominium diebus 12. & 13. Septemb. 1389. In comitiis generalibus Benedictinorum Narbonensis & Auxitanæ provinciarum Carcassonæ habitis egit definitorem an. 1393. Biennio post in capitulo generali habito die 10. Maii 1395. delegatus est ad visitanda monasteria Biterrensis, Leutevensis, Agathensis, & Magalonensis diœceseon. Claves omnemque jurisdictionem super altare S. Guillelmi deposuit die 30. Maii 1397. inhibuitque capitulum habens generale, ne capitaneus instituere-tur, nisi de ipsius & conventus assensu. In remotis,

forsan in curia Romana, degebat an. 1401. quo ipsius nomine Jacobus Carisine cellerarius monasterii curam gerebat. Aliquot post annis cum monachis necessaria vitæ recusaret, tres e suis elegerunt die 4. mensis Julii an. 1407. procuratores, qui in curia Romana contra abbatem agerent, querelasque ad summum pontificem deferrent, nec frustra: excommunicatum enim fuisse Reginaldum discimus ex sententia absolutionis lata a Ludovico Magalonensi episcopo Francisci Narbonensis archiepiscopi delegato die 10. Sept. 1423. ab excommunicatione & censuris, quas justa monachis minime persolvens incurrerat. Eodem anno monachi die ultima mensis Februarii insequentis procuratores suos revocarunt. Non ideo tamen ad meliorem se frugem recepisse videtur Reginaldus, ut patet ex litteris Martini papæ V. qui cum audisset Reginaldum remisse & perfunctorie bona abbatiæ Gellonensis administrare, quinimo & dilapidare, Petro B. Mariæ in Dominica cardinali mandavit, ut de vita Reginaldi inquireret, & adversus eum ex officio procederet. Petro autem ante negotii exitum defuncto, eamdem commisit provinciam Guillelmo cardinali titulo sancti Marci, qui Reginaldum ab omni administratione ad tempus removit. Pontifex vero, ne quid monasterium ob id detrimenti pateretur, ad monachorum preces Guillelmum de Cenareto œconomum seu administratorem constituit bulla data Genezani Prænestinensis diœcesis VI. cal. Augusti pontificatus anno IX. moxque defuncto Reginaldo abbatem.

XLIV. Guillelmus VIII. de Cenareto, quem ex ordine sancti Benedicti, diœcesis Uceticensis, priorem de Vannis, de baronum genere procreatum, in decretis baccalaureum, & in sacerdotio constitutum pontificiæ nobis exhibent litteræ, Gellonense monasterium jam administrabat, cum in locum Reginaldi defuncti eidem præfectus est a Martino V. II. cal. Martii pontificatus anno X. qui juxta antiquum computandi morem incidit in annum Christi 1426. Difficultatem habuit cum universitate loci S. Johannis de Fos, quam per arbitros utrinque electos compescuit die 7. Junii 1428. Camerario certam assignavit cameram die 30. Maii 1429. A capitulo provinciali monachorum nigrorum deputatus, visitavit monasterium S. Pontii Tomeriarum, necnon & monialium ejusdem urbis die 2. Martii an. 1445. sanctiorisque normæ tenacem ac defensorem se probavit. Inter quatuor præsides capituli die 1. Maii 1448. apud Biterras habiti sedit. Querelas adversus Leutevenses clericos detulit ad Callixtum III. summum pontificem, qui judices delegavit VI. id. Julii 1455. Triennio post obiit Guillelmus XV. cal. Aprilis an. 1458. & ex necrologio multa dedit ornamenta, quorum ergo annuam precem obtinuit.

XLV. Gerentonus (de Montajoco) monachus Gellonensis in sacerdotio constitutus, prior de Popiano, a Gellonensibus post obitum Guillelmi electus & postulatus, Pii II. bulla, solutis Jacobo S. Anastasiæ cardinali pro institutione sua solidis centum ac triginta, promovetur VIII. id. Sept. pontificatus anno I. Christi 1458. Una cum capitulo ratam habuit die 28. Maii anno 1463. transactionem a decessore factam cum universitate loci S. Johannis de Fos. Excepit die 28. Maii an. 1464. hominium nobilis viri Bernardi de Fisco.

XLVI. Johannes I. de Corguillaray episcopus Leutevensis, primus, ni fallor, Gellonem administrationis perpetuæ titulo obtinuit an. 1465. De consensu capituli magistro Johanni Chandocii dedit in feudum *stare de Jormaco* die 4. Januar. anno 1485. Juxta bullam Bonifacii VIII. quæ incipit *cum singula*, decrevit & statuit cum capitulo die 27. Julii an. 1488. abbati non licere aliis quam monachis Gellonensibus beneficia monasterii conferre: hanc conventionem abbatis & monachorum confirmavit Innocentius papa VIII. & observari præcepit bulla data Romæ VI. id. Febr. pontificatus anno III. Abbatis mensam a conventuali diremit Johannes anno 1487. vivendi normam castigatiorem indixit, Johannis Alexandrini patriarchæ librum pontificalem tribuit, bibliothecam nonnullis mss. codicibus instruxit, exemtus e vivis an. 1488. ut diximus in episcopis Leutevensibus.

XLVII. Guillelmus IX. Briçonnet post Johannem Gellonensem commendam consecutus est. Satagensibus monachis abbatiæ fructus in manus regis traditi sunt die 10. Mart. 1490. donec factam extraneo prioratus S. Martini de Montepetroso collationem revocaret Guillelmus. Sedebat adhuc an. 1515. ex tabulis Anianæ. Cessit autem in gratiam sequentis an. 1516. aut 1517. beneficiorum omnium collatione retenta.

XLVIII. Michael I. Briçonnet episcopus Nemausensis, sancti Guillelmi commendatarius anno saltem 1517. quo a Guillelmo decessore vicaria beneficiorum ab abbatia Gellonensi dependentium collatione donatur. Molendinum de *las coras* ad acapitum tradit die 27. Maii anno 1517. Novitii ad monasticam professionem recipiendi facultatem impertiit an. 1536.

XLIX. Claudius Briçonnet Leutevensis antistes cedente Michaele commendatarius, de alimentis diurnis pepigit cum monachis die 28. Jun. 1554. Ejus temporibus Gellonenses monachi hæreticorum furorem omnia depascentem pertimescentes an. 1562. sanctorum reliquias, chartas, aliaque majoris momenti Leutevam partim deferunt, partim in cœmeterio ecclesiæ S. Bartholomæi terræ mandant. Fugatis autem perduellibus, omnia in locum pristinum restituuntur. Obiit Claudius an. 1576. ut diximus in episcopis Leutevensibus.

L. Antonius Martin Juliaci & S. Guillelmi de Deserto commendatarius procuratorem suum instituit fratrem Petrum Philippi cellerarium ultima die Martii an. 1579. Hunc autem annum, aut saltem sequentis non excessit initium.

LI. Laurentius du Pont Gellonensis commendatarius, totiusque monasterii conventus in capitulo generali facultatem olim a Claudio Briçonnet monachis concessam de suis testamento statuendi renovant ac confirmant die 28. Maii 1582.

1582. Prioratum beatæ Mariæ de Garriga fratri Petro Philippi contulit die 25. Mart. an. 1592. & 5. Novemb. 1593. eleemosynarii officium fratri Stephano de la Vallette. Ante mortem cessit: obitus enim ejus dies in necrologio ad XI. cal. Jan. 1612. assignatur.

LII. Michael II. de la Roque præerat jam an. 1596. quo priori S. Petri de Mairosio fratrem Antonium de Valletta socium adjunxit die 6. Julii. Priorem sancti Johannis de Fos de consensu capituli in sodalem suscepit die 28. Maii 1598.

LIII. Scipio de Roquefeuil fratrem Stephanum Philippi cellerarium vicarium suum instituit die 3. Jun. an. 1601. eumdemque prioratu B. M. de Garriga donat die 13. Dec. 1606. A decessore alienati molendini de Fonte redimendi conventui impertit facultatem 19. Jul. 1608. Nonnulla ultima Febr. die an. 1610. monachis concessit, qui manus dederant, ut prioratus de Mairosio a monasterio Gellonensi dependens, domui probationis Jesuitarum Tolosæ uniretur. De eo necrologium: *v. non. Maii obiit reverendus pater dominus Scipion de Rocafolio abbas hujus monasterii anno Domini MDCXI.*

LIV. Johannes II. de Bonzy S. R. E. cardinalis, episcopus Biterrensis Scipioni defuncto successit an. 1611. commendatarius. Huic an. 1621. die 22. Maii senatus Tolosanus facultatem impertit, ut sextam e fructibus abbatiæ partem ab anno 1611. perceptam in supellectilem sacram & reparationes insumeret. Obiit an. 1621.

LV. Thomas de Bonzy Johanni patruo successit tum Biterrensium antistes, tum Gellonensium commendatarius. Pro monachorum pensionibus & monasterii reparationibus cum monachis pepigit 7. Julii 1622. per Jacobum de Catastin canonicum Biterrensem suum vicarium, qui 28. ejusdem mensis a Thoma designatus, ut Gellonis possessionem ejus nomine iniret, hanc Carolo Gourges provinciam committit, quam nona Augusti die adimplet. Thomæ temporibus Gellonenses monachi pristinum decus disciplinamque regularem in Gellonem revocare studentes, in capitulo generali reformatos S. Mauri advocandos decernunt die 24. Maii 1626. hancque definitionem die 4. Dec. 1627. probavit cardinalis Thomas de Bonzy Biterrensis episcopus, qui anno sequenti cessit in fata.

LVI. [Petrus] Henricus Autemar de Vires regi ab eleemosynis, Gellonensis designatus commendatarius pontificiis instituitur litteris pridie id. Febr. an. 1628. possessionemque abbatiæ adipiscitur die 15. Jul. an. 1629. Cum D. Gregorio Tarrisse congregationis S. Mauri superiore generali de revocanda in Gellonense monasterium primæva ordinis disciplina egit die 3. Januar. an. 1632. Nobilis Bernardini de la Tude excepit clientelam die 19. Dec. 1636. Frater Sylvester Perreciot congregationis S. Mauri alumnus Gellonensis monasterii possessionem cum sociis aliquot init die 23. Septemb. anno 1644. de consensu Henrici, qui fratrem Petrum de Roquefeuil præcentorem vicarium suum generalem instituit die 25. Feb. an. 1655. superstes ad annum 1675. quo die 19. Jun. mortuus, in ecclesia S. Paragorii juxta sanctuarium ad latus epistolæ sepulturam accepit.

LVII. Franciscus Eugon de Fourchaud summo pontifici Gellonensis commendatarius præsentatur a rege Ludovico XIV. Interim ad percipiendos suo nomine fructus Gasparem Eugon de Fourchaud germanum adhibet, die 15. Aug. an. 1675. Obiit Parisiis mense Jan. an. 1682.

LVIII. Gaspar Eugon de Fourchaud Francisci fratris in locum a rege designatur S. Guillelmi abbas. Institutus an. 1682. possessionem adipiscitur an. 1685. Mortuus apud S. Paragorium an. 1698. inibi 2. Julii terræ mandatur.

LIX. Ludovicus de la Tour du Pin de Montauban, ex illustri inter Delphinates oriundus stirpe, doctor theologus, canonicus & comes Lugdunensis, Gaspari subrogatus 18. Augusti 1698. possessionem iniit per procuratorem Aspirani rectorem, quem & in temporalibus vicarium instituit suum. Factus inde episcopus Telonensis an. 1712. ut diximus, superest hactenus incolumis.

SANCTUS SALVATOR.

SANCTI SALVATORIS ordinis S. Benedicti monasterium in ipsa civitate Leuteva desinente decimo sæculo conditur a S. Fulcranno episcopo, ut legitur in ejus testamento, in quo ait sibi in animo esse in ipsa civitate Leuteva monasterium stabilire *ad altaria, quæ sunt consecrata ibidem in honorem Salvatoris mundi & sanctæ apparitionis, sive Dominicæ Ascensionis, & vivificæ sacratæque Crucis,* cujus rei gratia quasdam ecclesias & possessiones eidem legat loco ea conditione, ut *in communia monachorum ibidem Deo servientium* pro remedio animæ suæ permaneant, eo pacto ut Matfredus Biterrensis episcopus sit provisor, pater, ordinator, ac defensor ipsius monasterii, & omnes canonici S. Genesii sedis Leutevensis sint ejusdem loci adjutores & consolatores. In vita S. Fulcranni apud Bollandum ad diem 13. Febr. auctor est Bernardus Guidonis, quem secuti sunt Plantavitius & Franciscus Bosquet Leutevenses successores, a Fulcranno cœnobium ordinis S. Benedicti a loco minus idoneo ad locum subjectum ecclesiæ S. Genesii & episc. Leutevensi fuisse translatum, ecclesiam nempe prope ipsam cathedralem sitam, quam in honorem sanctæ Crucis prius ædificatam, tum a Theuderico episcopo Leutevensi in honorem S. Salvatoris consecratam, ac tandem pene dirutam sanctus Fulcrannus reparavit, multisque patrimonii sui prædiis locupletavit. Unde autem translatum fuerit monasterium, quandonam, & a quibus prius fundatum, silent monumenta. Hanc abbatiam sæculo XVI. solo fere æquarunt Calvinistæ, quam tamen denuo excitatam, & utcumque refectam adhuc monachi incolunt. Suberat olim Victorino apud Massiliam cœnobio, ut patet ex bulla Urbani V. anno 1365. inter instrumenta. Sequentes abbates ex chartis, aut aliis monumentis depromsimus.

Ch. VI col. 269.

Charta XXVIII. col. 291.

SERIES ABBATUM.

I. BERMUNDUS primus S. Salvatoris abbas, si Plantavitio fides, sedebat eo tempore, quo, ut vult Bernardus Guidonis, monasterium a S. Fulcranno ex loco minus idoneo translatum fuit ad ecclesiam S. Salvatoris pene dirutam prope cathedralem sitam.

II. Agelmarus vir providus, & bene litteratus, ex canonico monachus factus, a S. Fulcranno monasterio S. Salvatoris post translationem præficitur abbas. Subscripsit cum Stephano Juncellensi abbate testamento sancti præsulis an. 987. condito. Morienti S. Fulcranno adfuit an. 1006.

Ch. v. col. 268.

III. Hugo memoratur sancti Salvatoris abbas an. 1030. sedente Odimbello Leutevensi antistite, & sæpius in chartulario Gellonensi. Testis occurrit in litteris Gislæ Cantalupum Gellonensibus cedentis an. 1033. Ejus temporibus Deusdet altari S. Salvatoris donavit duos mansos in comitatu Biterrensi in terminio de villa, quam vocant *Orcariolas*. Facta charta donationis sub feria secunda XII. cal. Apr. regnante Henrico rege.

IV. Pontius Eblo ex decano monasterii Gellonensis occurrit abbas S. Salvatoris temporibus Petri abbatis Gellonensis & Guillelmi abbatis Psalmodiensis. Fuit & abbas Juncellensis, & prior Salviensis.

V. Willelmus I. præest cœnobio Leutevensi sedentibus Rostagno & Bernardo de Provencheriis Leutevæ antistitibus anno circiter 1060. ex pontificio Leutevensi.

VI. Berengarius I. moderatur cœnobium Leutevense anno 1078. sub eodem Bernardo de Provencheriis & Deodato de Cassus, ex dicto pontificio.

VII. Augerius sedebat an. 1120. quo guirpivit quosdam homines in gratiam cœnobii Gellonensis. Exstat ad eum bulla Callixti II. anno 1123. qua cœnobio Leutevensi concessa confirmat. Adstitit an. 1126. placito apud Lupianum habito pro ecclesia de Beciano S. Tiberio restituenda. Huic Bermundus Biterrensis episcopus dedit anno 1128. ecclesiam loci sancti Felicis. Conventui episcoporum apud Lupianum anno 1129. habito adfuit. Testis est donationis factæ monasterio Salvanesii anno 1133. & institutionis canonicorum regularium in monte Cornelio an. 1138.

Ch. XII. col. 276. Ch. XIV. col. 277. Ch. XV. col. 279.

VIII. Berengarius II. abbas S. Salvatoris præerat an. 1144. Guillelmus Guarinus, uxor Adelais & filii cœnobio S. Salvatoris & abbati Berengario vendiderunt anno 1145. quidquid habebant in manso de Bastida. Præsens laudatur in testamento Guillelmi domini Montispessulani III. id. Dec. an. 1146. Testis occurrit anno circiter 1150. in sententia lata a Petro Leutevensi episcopo. Petrus de Mandalas totum ei cessit anno 1151. quod habebat in villa de Altiniaco.

IX. Radulphus, Raculfus, & Razulfus arbiter interest pactis initis inter Petrum Leutevensem episcopum & Raimundum abbatem Gellonensem super quartis & aliis in variis ecclesiis debitis an. 1153.

A X. Raimundus I. de Cant cognominatus apud Plantavitium, occurrit abbas anno 1164. quo Alexander III. summus pontifex concessa cœnobio Leutevensi confirmat & recenset bulla ad id data. Artmannum de Archimiaco, consentiente Ermensendi uxore, in monachum recepit anno 1173. qui quidem Artmannus cœnobio Leutevensi dedit mansum suum de Romergueriis. Habuit querelam cum Petronilla antistita Elnonensi super decimis & primitiis S. Baudilii, quæ arbitrorum sententia composita fuit anno 1177. Emit III. non. Aug. anno 1180.* a Fredolo de Piniano totum quod habebat in villa de Pireto pro 1370. solidis Melgor.

* *al.* 1182.

B XI. Adhemarus ex monacho Anianensi factus abbas Leutevensis recensetur inter monachos Anianenses in transactione facta an. 1187. inter monachos sancti Salvatoris de Aniana & ascetas S. Rufi, ex tabul. Anian.

XII. Aimericus I. præerat Leutevensi cœnobio an. 1187. quo volente & Ademaro abbate Anianensi Willelmus de Vallauques nonnulla divendidit Petro Casa apud Pojol. Memoratur an. 1195. in charta Anianensi. A Guillelmo Biterrensi episcopo excepit anno 1204. feudum quod de Biterrensi episcopo tenebat Pontius de Leracio.

C XIII. Petrus I. S. Salvatoris abbas electus una cum suis monachis omnia quæcumque in Leutevesio prædia tenebat Petro Leutevensi episcopo recognovit, eique obsequia debita more solito cum *marmotino* aureo persolvit an. 1204. Commutationem fecit cum eodem episcopo eodem anno, quam fusiorem leges apud Plantavitium in chronologia pag. 103. & seqq.

XIV. Aimericus II. legitur abbas an. 1206. quo die 6. Nov. cum Petro Leutevensi episcopo novam fecit permutationem. Plantavit. p. 105.

XV. Dominicus a Plantavitio recensetur abbas S. Salvatoris anno 1209. sub Petro de Leuteva D præsule. Hic ille forte est abbas, qui post obitum Aimerici a monachis electus, cedere coactus fuit sequenti.

XVI. Bogo abbas Leutevensis ab episc. Petro de Leuteva electus, controversiæ inter antistitem & monachos occasio fuit, cujus ergo sedandæ Arnaldus abbas Cisterciensis in Albigenses sedis apost. legatus duos delegavit arbitros, qui an. 1209. definierunt episcopum verum esse monasterii patronum, cujus absque consilio eligere non potis erant monachi, electionemque Bogonis ratam a monachis habendam pronunciarunt. Sede-E bat adhuc an. 1219. & aliis: attamen Bernardus legitur abbas anno 1216. at corrupto Bogonis, ut puto, nomine.

XVII. Raimundus II. de S. Johanne paciscitur an. 1231. cum sacrista S. Genesii pro procuratione in ecclesia S. Martini de Cumbis.

XVIII. Petrus II. Seguerii Leutevense cœnobium moderatur anno 1244. quo sibi reservato jure præsentandi notarium monasterii, episcopo collationem concedit IV. id. Junii regnante Ludovico an. XVIII. A Guillelmo Leutevensi præsule & Guillelmo de Duabus Virginibus abbate

Gellonensi arbiter electus an. 1257. pronunciavit jurisdictionem villæ de Arboratio ad episcopum pertinere. Finem imponit anno 1260. liti, quæ inter cœnobium Leutevense abbatemque & monachos S. Petri de Juncellis inerat super decimis & censibus de Romergueriis. Obtinet an. 1261. a Raimundo episcopo & canonicis ecclesiæ sancti Genesii liberam facultatem ducendi & reducendi aquas ad suum monasterium. Cum Jordano abbate Juncellensi transegit an. 1265. Cum Agnete de Claviers abbatissa Elnonensi permutavit an. 1275. ecclesiam S. Baudilii pro ecclesia S. Stephani de Rogatio. Misit anno 1280. procuratorem ad concilium Biterrense. De eo necrologium Gellonense hæc habet: *II. non. oct. obiit domnus Petrus Seguerii abbas Lodovensis.*

XIX. Ermengaudus de Vinerono ex monacho Villæ magnæ & priore de Redezio eligitur abbas sancti Salvatoris in pervigilio S. Lucæ an. 1283. renitentibus adhuc monachis, a Berengario episcopo, ad quem jus eligendi fuerat devolutum juxta ordinationem ab Arnaldo abbate Cisterciensi, sedis apost. legato an. 1209. factam.

XX. Bernardus I. regit monasterium Leutevense an. 1294. quo misit procuratorem ad concilium Biterrense. Adhæsit appellationi ad concilium generale a Philippo pulcro factæ in conventu plurium prælatorum habito apud Montempessulanum die 25. Julii an. 1303. Eodem anno Deodato Leutevensi episcopo v. id. Dec. clientelam professus est.

XXI. Bego electus dicitur an. 1309. in tabulis Leutevensibus S. Salvatoris, idem forte ac Bogo, de quo anno 1209.

XXII. Bernardus II. cum Aimerico sacrista transigit an. 1313. Occurrit & annis 1315. & 1316. quo obedientiam simul & reverentiam diœcesano episcopo juravit.

XXIII. Johannes I. anno 1317. in archivo sancti Salvatoris.

XXIV. Celvardus 1320. apud Plantavitium.

XXV. Bernardus III. habuit querelam cum Johanne episcopo Leutevensi occasione nemoris de Marcharossa, quæ mediis arbitris finita est anno 1323. Excusat se an. 1326. quod adesse non possit concilio Biterrensi. Omitto Deodatum, qui pedum gessisse an. 1325. & sequentibus legitur, nullo allato fundamento.

XXVI. Arnaudus de Lauziere abbas sancti Salvatoris Leutevensis, electus est definitor capituli generalis monachorum in monasterio S. Tiberii habiti anno 1329. A Benedicto papa XII. una cum Raimundo Psalmodiensi abbate delegatus univit prioratum de Corconassis diœcesis Leutevensis camerariæ Anianensi anno 1337. Insequenti Bertrando episcopo Leutevensi præstitit hominium an. 1338. Fit postea abbas S. Andreæ Avenionensis an. 1341. ut diximus tom. I. col. 879.

XXVII. Stephanus curam habet cœnobii S. Salvatoris an. 1344. & 1348. ex actis pontific. Aven. & tabulis Anianensibus.

XXVIII. Guillelmus II. regit Leutevense asceterium ad annum IX. Innocentii papæ VI. hoc est ad annum 1361. ex schedis D. Suarès, quo quidem anno cessit in fata.

XXIX. Petrus III. ex infirmario Leutevensi abbas instituitur bulla Innocentii VI. pontificatus an. IX. data. Aimerico Leutevensi episcopo promisit obedientiam an. 1364.

XXX. Arnaldus S. R. E. cardinalis post aliquot menses, permutavit cum Giraldo de Lupo alto priore de Lobenchis, ex schedis D. Suarès. Quis sit autem Arnaldus ille prorsus ignoramus, nisi forte Arnaldus Bernard patriarcha Alexandrinus, qui juxta Frizonium ab Urbano V. creatus cardinalis, peste interiit an. 1369.

XXXI. Guiraldus seu Geraldus de Lupo alto prior de Lobenchis diœcesis Appamiensis commutat hunc prioratum cum abbatia S. Salvatoris, quam cedit Arnaldus cardinalis.

XXXII. Bernardus IV. occurrit abbas anno 1379.

XXXIII. G. recensetur an. 1417. in archivis S. Salvatoris.

XXXIV. Celvandus monasterium S. Salvatoris regebat an. 1423. ex pontificio Leutevensi, quo dum procurator Michaelis episcopi vellet visitare monasterium S. Salvatoris, mota est inter eum & abbatem Celvandum controversia circa jus procurationis debitum episcopo, verum utrique silentium imposuit episcopus.

XXXV. Petrus IV. memoratur abbas Leutevensis an. 1423. in archivis sancti Salvatoris ad an. 1430.

XXXVI. Guillelmus III. sexennio pedum gerit ab an. 1430. ad 1436.

XXXVII. Petrus V. recensetur abbas anno 1436. & aliis.

XXXVIII. Johannes II. Bosqueti* præpositus ecclesiæ Carcassonensis, legitur abbas S. Salvatoris anno 1464. quo eligitur abbas Montis olivi, sed non obtinuit hunc titulum.

* *al.* Guasqueti.

XXXIX. Bertrandus, Plantavitio Bernardus, de Morillon sedet ab anno saltem 1470. ad 1490. quo cessit nepoti.

XL. Antonius de Morillon commendam Leutevensem patruo suffectus tenet ad an. 1496.

XLI. Petrus VI. occurrit abbas anno 1496. ad annum 1516.

XLII. Johannes III. de Morlhone, male apud Plantavitium de Morillon, præest anno 1517. defunctus die XI. Mart. 1520.

XLIII. Michael Gaucelini ex camerario electus abbas die 26. Mart. 1521. sedebat 1522. &c. ex tab. S. Salvat. Leutev.

XLIV. Henricus d'Albon, filius Guillelmi ex Gabriele de S. Priest, germanus Antonii d'Albon abbatis Insulæ Barbaræ, canonicus & comes Lugdunensis, & major prior Insulæ Barbaræ jam sæcularis factæ, recensetur commendatarius S. Salvatoris Leutevensis circa annum 1525. a D. le Laboureur, defunctus ante 5. Januarii an. 1560.

XLV. Petrus VII. de Prudhomme electus e gremio an. 1528. regebat adhuc an. 1561.

XLVI. Hector de Neloville seu de Ligneville, utroque enim legitur modo, commendam habet annis 1563. & 1566.

XLVII. Guitardus de Ratte Monſpelienſis, A ſenator Toloſanus, vicarius generalis eccleſiæ Monſpelienſis, abbas S. Aniani ac Vallis Richerii, commendam quoque Leutevenſem poſt Hectorem obtinuit. Factus inde Monſpelienſis epiſcopus an. 1597. obiit die 7. Jul. 1602.

XLVIII. Ludovicus de Ratte Guitardi epiſc. ex fratre nepos, canonicus Monſpelienſis, S. Salvatoris poſt obitum patrui fit commendatarius ad annum 1647.

XLIX. Clemens de Bonzy epiſcopus Biterrenſis abbatia S. Salvatoris donatur 1647. quam ad obitum anno 1659. tenuit.

L. Petrus VIII. de Bonzy patruo defuncto B ſuffectus eſt epiſcopus Biterrenſis ſimul & commendatarius Leutevenſis & Anianenſis an. 1659. factus autem cardinalis abbatiam S. Salvatoris ſequenti ceſſit an. 1672.

LI. Valentinus de Bigorre cedente cardinale de Bonzy fit abbas an. 1672. e vivis exemtus an. 1697.

LII. Jacobus Antonius Phelypeaux epiſcopus Leutevenſis donatur a rege Ludovico XIV. commenda S. Salvatoris Leutevenſis in die feſto omnium Sanctorum anni 1697. Obiit menſe Apr. 1732.

LIII. N. le Noir theologus eccleſiæ Monſpe- C lienſis a rege Leutevenſis commendatarius deſignatus die 14. Jun. 1732. Romæ proclamatus eſt die 2. Decemb. 1733. propoſituſque 17. ejuſdem menſis.

GORJANUM.

AD radices Gorjani Montis olivetis & vinetis maxime conſiti, ſtadio paulo plus ab oppido Clarimontis Leutevenſis fundatus eſt hic parthenon in eccleſia rurali & parochiali S. Stephani, in qua a 62. annis a Berengario Guitardi epiſcopo inſtitutum fuerat quatuor Capellanorum D collegium, qui ſacra in ea etiam tum faciebant, cum Engleſius de Luſeria miles, filius Arnaudi domini de Luſeria, novi a Clemente VI. ſummo pontifice condendi monaſterii facultate obtenta, annuente Roberto Leutevenſi epiſcopo eccleſiam S. Stephani de Gorjano reditibus dotavit pro octo ſanctimonialibus ordinis S. Benedicti an. 1350. eo pacto ut ipſe & heredes abbatiſſæ nominandæ perpetuum jus poſſiderent. Deſtructum funditus ſæculo decimo ſexto exeunte a Neotericis aſceterium deſeruerant moniales, quæ huc illuc diſperſæ, certam non habebant ſedem, niſi quod duæ vel tres in quamdam domum intra E urbis muros ſitam ſeſe receperant, ubi abſque ſacerdote morabantur. His poſtea aliæ ejuſdem ordinis adunatæ fuerunt reformatæ, quibus omnibus præficitur abbatiſſa, quæ Gorjani reformandi occaſionem nacta, recens ad normam congregationis ſancti Mauri inſtituit cœnobium, a qua ne latum quidem unguem hactenus deſciverunt moniales, ita ut Franciſcus Boſquet Leutevenſis epiſcopus non ſemel dixerit, Percino teſte, *devotiſſimum illud cœnobium nullis in Gallia obſervantiſſimis eſſe ſecundum : ſeque ſummo pontifici Innocentio X. pluries eſſe teſtatum Romæ, in ſua diœceſi Leutevenſi ſæpe ſæpius ſe eſſe miratum regulam ſancti Patris Benedicti tam a monachis ſancti Guillelmi de Deſertis, quam a Gorgeanis virginibus Clarimontis non minori rigiditate noſtro ſæculo obſervari, quam in monte Caſſino tempore ipſo recentis ferventiſſimæque inſtitutionis ordinis clariſſimi toto orbe diffuſi.* Hæc autem ſcribebat Percinus an. 1693. in monumentis conventus Fr. Prædicat. Toloſani, pag. 138. Abbatiſſarum ſeriem ex archivis Gorjani contextam accipe.

Ch. XXVII. col. 288.

ABBATISSÆ.

I. ISABELLA DE MORESIO ſtirpe nobili & Gorjano vicina orta, prima monaſterii Gorjanenſis inſtituitur abbatiſſa ab Engleſio de Luſeria ejuſdem monaſterii auctore, volente ac probante Roberto Leutevenſi epiſcopo, a quo ſolemnem recepit benedictionem eodem anno 1350. die 24. Auguſti. Huic interfuere Arnaudus de Luſeria ex abbate ſancti Salvatoris Leutevenſis tunc abbas S. Andreæ Avenionenſis, & Berengarius de Moreſio prior Rupisfortis, Andaonenſis monachus, Engleſii & Iſabellæ conſanguinei, qui quidem abbas & prior multa naſcenti cœnobio contulere, vaſa, ornamenta, pecuniam, &c. ſed & abbas in Gorjanenſi eccleſia ſepeliri voluit. Rexit autem Iſabella ad annum 1366. quo fato functa eſt.

Ch. XXVII. col. 288.

II. Imberta de Conaſſio memoratur Gorjani abbatiſſa ab anno 1366. ad 1377. Hujus meminit D. Julien in hiſtoria dynaſtarum Claromontenſium.

III. Guillelma I. Gorjanum regit 1378.

IV. Guillelma II. de Luſeria e gente fundatorum hujuſce parthenonis eidem præfecta cœnobio ſedebat an. 1410.

V. Brinda, quæ & Bertranda, occurrit anno 1447.

VI. Æglina de Viſſaco ſtirpe Viſſacenſi nobili nata Gorjanenſi præficitur monaſterio anno 1480.

VII. Felicia de Gerſio legitur abbatiſſa Gorjani an. 1493.

VIII. Vavria de Roquefeuil gente nobili Rocafolienſi nata, ex qua præſules nonnulli prodiere, occurrit Gorjani abbatiſſa anno 1520. Huic anno 1524. domum quamdam apud Clarummontem ceſſit Renatus de Podio epiſcopus Leutevenſis.

IX. Martha de Podio regit Gorjanum anno 1540. Hujuſce temporibus Neoterici Gorjanenſe cœnobium funditus evertere, fugatis monialibus, quæ in oppidum Clarimontis confugere coactæ fuerunt.

X. Lietta de Pradines moderatur Gorjanum anno 1580. Hujus ſollicitudine novum, quod modo incolunt ſanctimoniales, apud Clarummontem exſtructum eſt cœnobium.

XI. Ludovica I. de Gras alumna parthenonis S. Praxedis ordinis ſancti Dominici curam habet Gorjani aſceterii ab an. 1597. ad annum 1600. Dura pertulit a polemarcho de Themines a quo cedere Franciſcæ coacta, priſtinam repetiit

domum, ubi eligitur prioriſſa. Una cum nova abbatiſſa Gorjano reformando multum inſudavit.

XII. Franciſca de Luſeria nobili de Themines genere clara, Gorjani obtinet regimen polemarchi de Themines favore an. 1600. Anno vero 1610. juvantibus R. P. Sebaſtiano Michaellis reformatæ congregationis Dominicanæ auctore, necnon & R. P. Dubelly Claromontenſi ejuſdem ordinis priore priſtinam regulæ Benedictinæ diſciplinam revocare cœpit, in qua etiamnum perſeverat. Ceſſit anno 1611. patribus Recollectis antiquum Gorjani quem hæreticorum furore locum deſeruerant moniales. Obiit die 16. Sept. an. 1631.

XIII. Gabrielis de la Vergne de Treſſan electa 17. Sept. 1631. rexit ad annum uſque 1672. quo obiit die 30. Junii, immortali laude digna ob exantlatos labores pro reſtituenda & tuenda regulari diſciplina: nec fructu labores caruerunt, vidit enim plurimas virgines nobiles poſt ſe ad Chriſtum venientes & currentes, quas exemplis potius ducebat, quam imperiis.

XIV. Ludovica II. de la Vergne de Treſſan de Montenard ſoror Ludovici Cenomanenſis epiſcopi amitæ ſucceſſit anno 1672. tum in ſede tum in laude virtutum. Obiit die 9. Maii 1705.

XV. Catharina de Drouillet nominata a D. d'Eſtrées herede primario familiæ de Lauſiere, æmulam paſſa eſt N. de Gaïan d'Albenas, quæ nominata a D. de Lauſiere, poſſeſſionem iniit, ſed non exercuit. Catharina vero tribus annis rexit, quibus exactis, in manibus D. d'Eſtrées ceſſit, ſtatimque N. de Gaïan regimen tentavit, ſed incaſſum, nam

XVI. Anna Polinier deſignata a D. d'Eſtrées Gorjani abbatiſſa an. 1708. poſſeſſionem plenam eſt adepta.

XVII. N. de Murvieil ſucceſſit.

ECCLESIA UCETICENSIS.

Uzès.

UCETIA, Uzetia, ſeu caſtrum Uzetienſe in notitia provinciarum Galliæ, urbs vero Ucetica apud Gregorium Turonicum lib. VIII. cap. XVIII. civitas eſt Occitaniæ inferioris ſub parlamento Toloſano, quæ Carolo anno 870. in partitione regni Lotharii obtigit. Montibus interjacet ad amniculum, vel potius rivum, qui in Vardonem* influit, Ayſſenam dictum aut Eſſenam, cujus aquæ moletrinis compluribus verſandis, panniſque ſtipandis inſerviunt. Ab Eſſenæ vero & Vardonis confluentibus vix duobus paſſuum millibus abeſt Ucetica, a Nemauſo quatuor leucis ad Septentrionem, duabus a * Ponte Gardonis, & ab Avenione ſex ad Occidentem, Aleſiam verſus, ad quam urbem vix propius accedit. Ambitu quidem parva, ſed mercatura variiſque pannorum officinis haud ignobilis, baroniæ primum, dein vicecomitatus, ac demum ducatus titulo inſignita fuit a Carolo Francorum rege an. 1565. in gratiam Antonii vicecomitis Uceticenſis; cujus poſteri exinde duces, ac etiam pares Franciæ ab anno 1572. audierunt.

* le Gardon.

* le Pont du Gard.

Tres nihilominus dominos agnoſcit hæc civitas, regem ſcilicet, epiſcopum ac ducem, qui ſinguli caſtellis peculiaribus ac juriſdictione ſibi propria gaudent. Nonnullis viris litteratis ortum dediſſe gloriatur Ucetica, quos inter eminet Johannes Mercerius linguæ Hebraicæ ætate ſua peritiſſimus, quam in academia Pariſienſi diu docuit profeſſor regius, exſtinctus an. 1570. Ex hac urbe prodiit etiam Raimundus Jordanus cathedralis eccleſiæ præpoſitus, opuſculis ſinceram pietatem ſpirantibus ſub ficto Idiotæ nomine conſcriptis clarus. Plurimis attrita eſt calamitatibus hæc civitas in bello civili ſæculi decimi ſexti, quo tempore hæretici Calviniſtæ, connivente qui tunc ſedebat epiſcopo, loca ſacra in urbe ac circumquaque per diœceſim ferro & igne populati ſunt.

Ad res eccleſiaſticas quod ſpectat, antiquiſſima eſt ſedes epiſcopalis, Narbonenſi primum metropoli ſubjecta, tum aliquandiu Bituricenſi, & inde Arelatenſi, cui præfuere plurimi cum genere tum ſanctitate illuſtres epiſcopi. Hujus eccleſiæ præſul edicto regis anno 1673. pro litteris regiis liberæ fructuum perceptionis cameræ rationum Pariſienſi alterum intra menſem a jurata regi fide inſcribendis, ſexcentas libras perſolvere tenetur. Seſſionis jus habet in comitiis provinciæ Occitaniæ.

Eccleſia cathedralis patronum veneratur ſanctum Theodoricum, ſeu potius Theodoritum preſbyterum & martyrem Antiochenum. Capitulum aliquando regulæ S. Auguſtini addictum fuit, & quidem aliquandiu (annis 40.) ſub Gallicana congregatione a S. Genovefa nuncupata. Conſtabat anno 1638. quatuor dignitatibus & ſexdecim canonicis; nunc vero præpoſito, archidiacono, theologo, capiſcolo, & viginti quatuor canonicis, qui non ita pridem, exeunte ſcilicet anno 1719. Michaele Poncet de la Riviere epiſcopo procurante, ad ſtatum ſæcularem redacti ſunt. Octoginta & una ſupra centum parœciales eccleſiæ numerantur in diœceſi. De abbatiis ſeorſim pro more noſtro dicemus.

Epiſcoporum hujus ſedis indicem e tabulario Uceticenſi aliiſque diverſis manuſcriptis erutum texuerunt Sammarthani fratres in Gallia Chriſtiana quadripartita, & quidem auctiorem, quam Catellus protulerat, qui ſeptem ſupra viginti præſules tantum enumerat. Nos quoque locupletiorem & emendatiorem daturos ſperamus.

UCETICENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI

I. Constantius & Constantinus.

Apud Uceticam & in finibus ejus jam a primis ecclesiæ sæculis christianam religionem floruisse probabile quidem est, ac etiam nonnullos fuisse præsules, qui christianam plebem illic regerent ante Constantium, qui vulgo primus in actis publicis hujus ecclesiæ consignatur antistes, uti ex quibusdam monumentis non ita pridem e terra effossis conjicere licet; quia tamen eorum nomina, si qui fuerint, penitus ignoramus, episcopatus hujusce urbis initia a Constantio repetemus. Is autem, quem a Constantino seu Constantiano diversum fuisse nulla ratio probat, fatente Baluzio in notis mss. ad veterem Galliam Christianam, jam sedebat anno 419. quo ipsi & aliis episcopis per septem provincias constitutis inscripta est epistola Bonifacii papæ I. anno primo ejus pontificatus. Interfuit synodo Regensi anno 439. per Vincentium presbyterum, qui Constantini episcopi nomine subscripsit, ipse vero Arausicanæ primæ an. 441. Innotescit aliunde Constantinus, ex epistola XXXVI. S. Leonis papæ editionis Quesnelli in fol. pag. 255. in qua gaudet pontifex de bona & pacifica Ravennii post Hilarium ad sedem Arelatensem electione. In hujus autem epistolæ inscriptione primus nominatur Constantius; dubitari tamen potest utrum fuerit is episcopus Uceticensis, neque enim ullus id asserit præter Baluzium in notis mss. ad veterem Galliam Christianam. At vero Constantius episcopus memoratus in epistola synodica Galliæ præsulum ad Leonem papam, cujus pontificis epistolam ad Flavianum C P. probavit cum ceteris episcopis in concilio Arelatensi secundo, ad quod convenit sub finem anni 451. & cujus acta subscriptione sua firmavit, vere fuit Uceticensis; qui rursum illos inter episcopos recensetur, quibus idem papa orthodoxam fidem gratulatus est epistola LII. data I. Febr. an. 452. In concilio Arelat. tertio anno circiter 455. sedit judex controversiæ tres inter episcopos & Faustum Lirinensem abbatem. Denique memoratur *Constantius Uceticæ* ecclesiæ antistes in epistola VIII. Hilari papæ ad episcopos diversarum provinciarum Galliæ pro causa Hermetis Narbonensis, in eaque primas vocatur, hoc est præsulum provinciæ antiquissimus more Africano, his verbis: *Ei qui nunc ecclesiæ Narbonensi præsidere permittitur, ordinandorum episcoporum, ob hæc quæ prave facta sunt, sustulimus potestatem, quam ita ad fratrem & coepiscopum nostrum Constantium Uceticæ ecclesiæ antistitem, quia ævo honoris primas esse dicitur, pertinere censuimus, ut si superstite Hermete episcopo defunctus fuerit, illum hæc cura respiciat, quem repererit episcopalis ordo primatem.*

419. Tom. 2. concil. col. 1584.
439. Tom. 3. concil. col. 1289.
441. Ibid. col. 1452.
Ibid. col. 1439.
Ibid. col. 1329.
451.
Ibid. col. 1332.
452.
455. Tom. 4. concil. col. 1024.
Ibid. col. 1042.

II. Probatius.

Subscriptus reperitur *episcopus de Ucetia* Probatius, qui & Probatianus, actis concilii Agathensis anno Christi 506. Tunc autem Uceticensis ecclesia Narbonensi metropoli subjacebat.

Ibid. col. 1395.
ANNI CHRISTI 506.

III. Roricius.

Innotescit Roricius, Bituricensis ecclesiæ suffraganeus ex pervetusto ipsius vitæ fragmento apud Bouchetum in probationibus de origine domus Franciæ, quod sic habet: *In Gallia Narbonensi erat vir quidam nomine Roricius patriciæ dignitatis, & qui originem trahebat ex alta parentum prosapia senatoriæ stirpis. Pater ejus nomine Ferreolus vir præfectorius auctoritate & divitiis pollens, curavit eum a teneris annis litteris humanioribus imbui. Interim Uzetiæ ecclesia pastore destituta, mortuo Probatio, clerus & populus episcopum eum nominarunt, & contra voluntatem suam in episcopali sede posuerunt. Gregem suum diligentissime rexit, alens eum evangelico pabulo & per prædicationes suas sapientiæ salutari liquore eum irrigando. Cum ille ad extremam senectutem pervenisset, subrogavit in functione sua B. Firminum propinquum suum, quem educaverat in omni bonorum morum genere, & vitæ sanctitate, & paulopost migravit ad Dominum*, ferme octogenarius anno 537. ait Bailletus, vel 538. uno circiter anno tardius, juxta novam Occitaniæ historiam.

537.

IV. S. Firminus.

Roricio ex mox dictis successit Firminus, Tonantii Ferreoli filius ex Deutheria quadam, seu Industria, quam Chlodovei primi Francorum regis natam volunt genealogi quidam, fabularum magis quam veritatis amatores. Fratrem, inquiunt, habuit natu majorem Ansbertum illum famosum, per quem regum nostrorum secundæ ac tertiæ stirpis originem cum prima connexam, & a præfectis prætorio Galliarum, imo a Romanis imperatoribus derivatam asserunt. At hæc nimis incerta, quam ut fidem omnimodam mereantur, parumque aliunde ad regnantis familiæ gloriam conferunt. His itaque missis, ad certiora veniamus.

Vide Baillet. XI. Octob.

Narbonæ natus est Firminus, aut saltem in tractu Narbonensi, prosapia nobili anno 516. quem parentes Wisigothis regibus tunc subditi pie educarunt. Ab his puer annorum duodecim cum Ferreolo fratris Ansberti filio septenni missus est Uceticam ad Roricium patruum urbis antistitem, quo doctore eum in litterarum ac virtutis studio progressum fecit, ut vigesimo ætatis suæ anno, præter morem usumque a sacris canonibus præscriptum, sacerdos consecrari ab eodem meruerit, rebusque ecclesiasticis ac diœcesis negotiis admoveri, in partem curæ pastoralis jam tum adscitus, ac successor designatus. Mabillonius in observationibus præviis ad vitam S. Cæsarii Arelatensis, & Bailletus in vita ejusdem Cæsarii existimant Firminum Uceticensem ipsius fuisse discipulum, & ejusdem vitæ libro primo scribendo dedisse operam; at in actis nostri

ANNI CHRISTI

Firmini nulla occurrunt, quæ huic faveant opinioni. Sic habet fragmentum ejus vitæ : *Cum autem Firminus annorum fuisset viginti, ad honorem presbyterii pervenit ; erat autem prædictus Roricius jam senex, octoginta scilicet annorum, posuitque sub ditione sua B. Firminum super omnes civitates provinciæ ; eodem anno subsequente Roricius vita functus est. Remansit vir religiosus Firminus Ucetiæ titulatus, & pastorali culmine sublimatus ;* cleri namque ac populi suffragiis electione confirmata episcopus ordinatur an. 538. admodum licet juvenis, utpote qui necdum ætatis annum vigesimum secundum excesserat, ac proinde in rerum usu parum exercitatus : at divino id factum nutu, brevi quæ in moribus, & in omni ejus agendi ratione elucebat demonstravit sapientia ; forma quippe factus gregis, plebem suam sanctissime gubernavit, assiduæ orationi, vigiliis ac jejuniis intentus, corpus suum in servitutem redegit, quo liberior muneribus suis obeundis spiritus fieret ac promtior.

538.

Eo sedente Uceticensis ecclesia a Narbonensi metropoli jam pridem avulsa, ac Bituricensi postmodum subdita, Arelatensi quoque ecclesiæ aliquandiu subjacuit. Conciliis Aurelianensibus quarto & quinto interfuit Firminus annis 541. & 549. ac Parisiensi secundo anno 551. ex Bailleto in vita S. Firmini, aut aliquanto tardius, non tamen anno 555. uti Sirmondus conjicit in notis hujus concilii, cum Firminus ante biennium e vivis excessisset. Ceterum lucerna illa diu latere non potuit, quin ejus sanctitatis fama Galliarum fines prætergressa in Italiam usque penetraret ; quem Deus tandem meritis potius quam annis gravem ad præmia æterna laborum mature evocavit an. 553. ætatis 37. episcopatus 16. De die obitus ejus sic habet jam laudatum ipsius vitæ fragmentum : *Circa horam diei tertiam rogat se in ecclesiam portari, & jussit sibi sacra* **ministeria celebrari ; ut autem sanctum Domini corpus accepit, signans se signo crucis migravit in pace V. idus Octobris ;* qua die festum ipsius annotatur in Usuardi martyrologio, necnon Romano, ac in veteri hagiologio monasterii sancti Savini Levitani dioec. Tarbiensis, & Canonicæ diœcesis Mimatensis. Recolitur etiam ipsius memoria die 2. Maii, forsan ob sacri corporis translationem. Variis claruit post obitum miraculis, quibus etiam nono ecclesiæ sæculo coruscabat, uti legitur in epistola Amolonis archiep. Lugdunensis ad Theobaldum Lingonensem. Laudatur ab Aratore poëta coævo Romanæ ecclesiæ subdiacono, his versibus :

541. 549. 551. *Tom. 5. concil. col. 388. 398. & 812.* 553. * *mysteria.*

Sunt quia pontifices in religione magistri,
Gallia quos multos dat studiosa bonos.
Est ubi Firminus venerabilis ille sacerdos,
Pascere qui populum dogmatis ore potest.
Hujus ad Italiæ tendit laudatio fines,
Atque ultra patriam gloria nomen habet.

Ecclesiam in honorem S. Baudilii non longe a civitate, & alteram sancto Andreæ apostolo, S. Juliano martyri & sanctæ Basilissæ in media urbe dicitur ædificasse. Sacrum ejus corpus diu requievit in ecclesia S. Baudilii, quod tandem ab impiis Calvinistis in favillas redactum est. Floruit aliquando abbatia S. Firmini Uceticensis, de qua dicemus infra in veteribus hujusce diœcesis monasteriis.

Ch. I. col. 293.

V. S. Ferreolus.

Quamvis eruditis nutare videatur fides actorum S. Ferreoli & aliorum, in quibus ipsius aut parentum aliqua fit mentio, ex his tamen, quæ melioris notæ criticis certiora apparuerunt, hic exscribemus. Ansberto patre viro nobilissimo genitus hactenus creditus est Ferreolus ex Blitilde matre, quam natam Clotarii I. & neptem Clodovei falso dixere genealogi. At certe avum proavumque Galliarum præfectos & imperatorem Avitum progenitores suos numerabat. Prodiit in lucem anno 521. in Gallia Narbonensi, ac puer annorum septem Uceticam mittitur una cum Firmino patruo ad Roricium propatruum, urbis antistitem in litteris ac religione informandus, sub cujus disciplina plurimum profecit, eoque defuncto, eadem litterarum studia, ac solita pietatis exercitia sub Firmino patruo Roricii successore prosecutus est, in cujus postea locum successit annos natus 32. ab Arelatensi, Avenionensi & Arausicano episcopis Uceticensis ecclesiæ pontifex consecratus exeunte an. 553. vel sub initium sequentis.

Uberrimam in eo fuisse ordinationis episcopalis gratiam benedictio cœlitus impensa curæ ipsius pastorali abunde monstravit. Omnibus etenim omnia factus est, ut omnes Christo lucrifaceret, multis peccatoribus ad pœnitentiam, compluribusque hæreticis ad saniorem mentem revocatis. De Judæorum quoque salute sollicitus, qui tunc plurimi in civitate & in finibus ejus erant, illos frequenter mensa sua communicabat, comiter excipiens, muneribusque alliciens, fidei in Christum ac baptismi necessitatem ipsis in familiaribus colloquiis suadebat. Verum quod ipsi gloriæ ac merito esse debuerat, id crimini a malevolis versum est : nam apud regem Childebertum accusatus, quod nimium cum Judæis consuesceret, eosque ad convivia sæpius vocaret, quasi aliquid in regis ac regni perniciem machinaretur cum ipsis, in aulam accersitur, & Parisios ablegatur in exilium, ubi per triennium stetit, donec comperta regi ejus innocentia, ad propria remittitur vir beatus, muneribus etiam donatus, cui ab exilio revertenti omnis populus obviam ivit. Mox ille convocata synodo diœcesana consilium inivit cum clero de Judæis omnibus regionis incolis in fide erudiendis, quorum plurimi ad Christum conversi, sacro regenerationis lavacro mundati sunt, ceteris pervicacibus solum vertere & alio migrare jussis. Rexit inde pacifice ecclesiam suam B. Ferreolus, in qua collapsam se absente disciplinam restituit ; cumque annos viginti octo egisset in episcopatu, migravit ad Dominum fere sexagenarius pridie nonas Januarii anno 581. uti vulgo creditur, quem antiquior vitæ ipsius scriptor confessoris titulo decorat, ob exilium certe, quod passus est : martyrio tamen coronatum ipsum volunt aliqui ;

581.

ANNI CHRISTI

at illum in pace quievisse innuit Gregorius Turonicus lib. VI. cap. 7. qui de B. Ferreolo hæc scribit : *Eo tempore Ferreolus Ucecensis episcopus magnæ vir sanctitatis obiit plenus sapientia & intellectu, qui libros aliquos epistolarum, quasi Sidonium secutus, composuit.* Præter hoc opus regulam quoque monachorum scripsit, quam Lucretii Diensis episcopi censuræ subjecit, eamque monachis cœnobii a se conditi, quod ex ejus nomine Ferreolacense appellatum est, tradidit observandam. Exstat in codice regularum & in concordia S. Benedicti Anianensis abbatis. Ecclesiam sanctorum apostolorum Petri & Pauli construxit, sacris postea ipsius exuviis ditatam, quam Calviniani furentes flammis addixerunt. S. Ferreoli Uceticensis episcopi nomen in omnibus martyrologiis omissum, in Gallicano certe prætermitti non debuit. Festum ejus colitur 4. mensis Januarii, qua die sic habetur in excerpto hagiologii S. Justi Narbonensis : *Pridie nonas Januarii apud Ucetiam civitatem sancti Ferreoli episcopi & confessoris oriundi de Narbona.* Ipsius vitam ex ms. codice Tolosano edidit Marc. Ant. Dominici ; exstat etiam ms. in collectaneis Baluzii ; hujus denique præsulis habetur mentio in prologo chronographi Fontanellensis tom. 3. Spicilegii pag. 185.

Ch. I. col. 294.

VI. ALBINUS.

Favore Dynamii rectoris Provinciæ ad episcopalem cathedram assumitur Albinus, qui ante ipsum Dynamium, Massiliensem, seu provinciæ Austrasianæ præfecturam gesserat : de quo hæc leguntur apud Gregorium Turonicum lib. VI. cap. 7. *Post cujus* (Ferreoli) *obitum, Albinus ex præfecto per Dynamium rectorem Provinciæ extra regis consilium suscepit episcopatum, quo non amplius quam tribus utens mensibus, cum ad hoc causa restitisset, ut removeretur, defunctus est.*

Qui post Albinum inducitur a Sammarthanis Uceticensis episcopus Jovinus, Provinciæ quoque quondam rector fuerat, postulavitque & obtinuit a Childeberto rege, ut in episcopum assumeretur, sed non ideo episcopatum possedit, utpote quem præoccupavit Marcellus diaconus, ut ait Gregorius Turonicus loco citato. Itaque Jovino prætermisso,

VII. MARCELLUS.

Senatorio ex genere, Felice parente Marcellus in lucem editus, diaconatus ordine insignis erat, quando favore prælaudati Dynamii Provinciæ rectoris in antistitem electus est & consecratus in cœtu præsulum metropolis Arelatensis. Æmulum quidem Jovinum, de quo supra, passus est, qui, tametsi Marcellus jam inauguratus esset, nequaquam tamen de occupanda sede despondit animum, sed ad arma confugiens, Uceticam obsidione cinxit, quo citius Marcellum subigeret, qui viribus impar, de conditionibus pacis tractare cœpit, & numerata Jovino pecunia, in episcopatus possessione remansit : de quibus hæc habet Gregorius Turonicus loco citato : *Jovinus iterum, qui quondam Provinciæ* A *rector fuerat, regium de episcopatu præceptum accipit ; sed prævenit eum Marcellus diaconus, Felicis senatoris filius, qui convocatis comprovincialibus, per consilium Dynamii episcopus ordinatus est, sed & ipse vi pulsus deinceps a Jovino, ut removeretur, conclusus in civitate, virtute se defensare nitebatur, sed cum non valeret, muneribus vicit.*

VIII. AURELIANUS.

Episcopatum Uceticensis ecclesiæ obtinebat Aurelianus an. 660. quo tempore Eligium Noviomensem ac Tornacensem episcopum in Provinciam adventantem excepit honorifice, ex fragmento de rebus gestis Dagoberti I. Francorum B regis. S. Audoenus in vita ejusdem sancti Eligii lib. 2. cap. 12. Aurelianum Uzecensem episcopum scribit.

660.

Audoenum Aureliano subjiciunt Sammarthani, nulla ad id probandum ratione adducta. Et certe nihil comperti de hoc episcopo nobis occurrit. Equidem Adrevaldus in vita S. Aigulfi abbatis Lirinensis & martyris eum dicit ab Audoeno episcopo fuisse admonitum de insidiis, quæ ipsi parabantur, sed cum sedes episcopalis taceatur, nihil obstat quominus post Mabillonium dicamus Audoenum fuisse episcopum Ro- C tomagensem, qui hac ætate florebat ; ac proinde ruit conjectura Sammarthani nostri in nota apposita ad calcem col. 1194. tom. 3.

IX. MUMMOLUS.

In vita S. Amandi episcopi Trajectensis ad Mosam auctore Baudemundo Elnonensi monacho æquali, tom. 2. actorum SS. ord. Bened. memoratur Mummolus *Ozindisis* urbis antistes, qui eidem B. Amando monasterium construere molienti mortem intentavit, missis qui illum occiderent satellitibus. Hunc autem Uticensem, sive Uceticensem Galliæ Narbonensis episcopum fuisse D Henschenius censet, nec dissentit Mabillonius ; qui & eumdem existimat esse ac Mummolum *Ucetiæ* civitatis *principem*, hoc est episcopum, qui S. Aigulfum abbatem Lirinensem & martyrem multis affecisse injuriis legitur in vita ejusdem S. Aigulfi tom. 2. actorum SS. ordin. S. Bened. pag. 660.

Qui Potentinum hac in serie episcoporum Uceticensium reponunt Sammarthani fratres, Cointius & Pagi, haud alio nituntur fundamento, quam auctoritate concilii Toletani XIII. an. 683. cui Leopardus abbas subscripsit vice Potentini Uticensis episcopi : sed valde incertum est utrum E ad hanc nostram ecclesiam pertineat hic præsul ; imo certum videtur non pertinere, sed ad Uticensem *Utique* in Bœtica Hispaniæ. Vide novam Occitaniæ historiam tom. 2. in notis pag. 686. col. 2.

Sigipertum quoque ex hoc nostro catalogo tollendum censemus, ut pote non aliunde notum, quam ex brevi chronico S. Theodoriti Uceticensis, parum utique accurato, sed maxime in Sigiperto, quem ordinatum tradit an. 773. a Nimbrisio archiepiscopo Narbonensi, qui certe nondum sedebat anno 791.

X. ARIMUNDUS.

ANNI CHRISTI

X. Arimundus.

Idem qui Harmundus, Armadus, Arnaudus & Arvadus, ſubſcripſit concilio Narbonenſi adverſus hæreſim Felicis Urgellitani epiſcopi an. 791. de quo vide inter inſtrumenta eccleſiæ Narbonenſis.

791. Ch. II. col. 3.

XI. Elephantus I.

800. 841. Vivebat Elephantus anno 800. ex Sammarthanis, & adhuc 841. ex nova rerum Occitanarum hiſtoria tom. I. pag. 531. quo ſcilicet anno Bernardus dux Septimaniæ audito ſuam conjugem filium alterum in urbe Ucetica peperiſſe, juſſit eum adduci ad ſe in Aquitaniam Elephanti epiſcopi miniſterio.

Admiſſus a Catello & Sammarthanis poſt Elephantum Geraldus expungendus eſt, ſi non alio nititur fundamento, quam quod altaris S. Salvatoris Anianenſis adfuerit conſecrationi : prorſus enim fictitia eſt.

Arbaldum vero ſeu Aribaldum putamus eumdem eſſe ac Arvadum ſeu Arimundum, qui ſupra, vel potius Aribaldum, qui ſequitur num. XVI.

XII. Walafridus.

857. Jam ſediſſe Walafridus dicitur an. 857. Sane hujus meminit Aimoinus monachus S. Germani a Pratis in hiſtoria tranſlationis reliquiarum SS. 858. Georgii, Aurelii & Nataliæ anno 858. Initio quippe hujus hiſtoriæ loquens de quibuſdam monachis Benedictinis, qui Valentiam ad corpus S. Vincentii martyris inquirendum pergebant, hæc habet: *Pariter inde pergentes ingrediuntur aliquando pagum Uzecenſem, ubi ab epiſcopo viro religioſo, nomine Walefrido comperiunt (quod Vivarias quoque civitate jam audierant) corpus memorati almi Vincentii martyris a ſupradicta urbe Valentia Beneventum eſſe tranſlatum, &c.* Adfuit autem Walafridus coronationi Ludovici filii Caroli Calvi an. 877. & 877. 878. concilio Tricaſſino 878. in quo dicam impegit Ractefredo Avenionenſi antiſtiti pro reſtitutione cujuſdam villæ ſedi ſuæ ablatæ, quam litem Johannes VIII. papa dirimendam commiſit Roſtagno Arelatenſi & Sigeboldo Narbonenſi archiepiſcopis, uti docet ejuſdem pontificis epiſtola CXXII. Mantalenſi quoque adſtitit concilio an. 879. ac proinde idem eſt ac Widefridus, qui cum Giſberto Nemauſenſi epiſcopo legitur adfuiſſe anno 878. inventioni corporis S. Baudilii martyris Nemauſenſis, cujus ſacræ reliquiæ ad Saxiacenſe in diœceſi Autiſſiodorenſi cœnobium tranſlatæ ſunt.

Tom. 9. conc. col. 90. 313. — 879. Ch. IV. col. 169.

XIII. Asael.

885. Memoratur Aſael epiſc. Uceticenſis an. 885. in vita S. Theodardi Narbon. archiepiſcopi, apud Bolland. I. die Maii pag. 148. col. 2.

XIV. Amelius I.

Occurrit Amelius Uceticenſis epiſcopus in concilio Nemauſenſi celebrato in villa Portu, 887. cui interfuit an. 887. cum S. Theodardo Narbonenſi archipræſule & aliis pluribus epiſcopis

A pro Servo-dei in ſedem Gerundenſem, e qua ejectus fuerat, reſtituendo ; iterumque alteri in eadem villa celebrato concilio adſuit an. 897. Privilegium obtinuit a Ludovico rege Provinciæ anno 896. & aliud ab eodem jam imperatore anno 903. Subſcripſit anno 906. cum aliis pluribus epiſcopis chartæ, quam obtulit Emma abbatiſſa ſancti Johannis ſynodo Barcinonenſi, ex tabulario ſancti Victoris Maſſilienſis. Vide inter inſtrumenta eccleſiæ Narbonenſis. Intereſt Amelius Magalonenſi apud Juncarias concilio anno 909. quo circiter ſeu X. regnante Ludovico imperatore, *loco ſacro ſancti Theodoriti martyris* B *Chriſti ſedis principalis, qui eſt ædificatus & conſtructus in Ucetia civitate, ubi Amelius gratia Dei epiſcopus regere videtur*, donatio facta legitur a Rainaldo ipſius fratre & uxore Agilburge. Circa annum 911. una cum Roſtagno Arelatenſi præſule Gerardum ſuum nepotem nominavit archiepiſcopum Narbonenſem, ſed fruſtra; qua de re vide ſupra in archiepiſcopis Narbonenſibus.

896. Ch. 11 col. 293. — 903. Ch. II. col. 295. — 906. Ch. XII. col. 13. — 909. Tom. I. hiſt. Occitan. in prob. pag. 61.

Itaque Sigipertum II. inductum a Sammarthanis an. 897. ex hoc catalogo tollimus, quod ei locus non ſuppetat. Mantigiſum vero, ſeu potius Nantigiſum, qui apud eoſdem ſequitur, Ur- C gellitanæ ſedi, cui revera præfuit, reſtituimus. Denique Geraldus epiſcopus, vel etiam archiepiſcopus nuncupatus in charta fundationis prioratus S. Saturnini de Portu S. Spiritus an. 948. Stephanotio noſtro viſus eſt epiſcopus Uceticenſis, auctoribus vero novæ rerum Occitanarum hiſtoriæ archiepiſcopus Aquiſextienſis, & Roſtagnus epiſcopus commemoratus in eadem charta, quam volunt datam an. 945. præſul Uceticenſis. Dubia proponimus, ſolvat qui poteſt.

Ch. III. col. 295.

XV. Amelius II.

D In chartario ſancti Guillelmi de Deſerto fol. 101. 102. bis & 103. legimus Amelium gratia Dei epiſcopum in Uſetia civitate anno Lotharii regis filii Ludovici decimo tertio, hoc eſt 966. Subjicitur ibidem *notitia patefactionis, vel redditionis, & guirpitionis, vel evacuationis, qualiter in Nemauſo civitate ad eccleſiam S. Mariæ ſedis principalis veniens quidam homo nomine Raimundus comes & marchio, qui dicebat eccleſiam S. Martini, quæ eſt ædificata in comitatu Agathenſe cum villis Cauchis, Petroliano, &c. ex parte aliqua feminæ nomine Hermegutis, per aqueſta, quæ de ipſa acquiſivit, ipſe habere vel tenere debet........... unde ex hoc altercatio inter Raimundum comitem* E *& Amelium epiſcopum orta eſt. Veniens itaque Raimundus ad eccleſiam S. Baudelii coram Bernardo gratia Dei epiſcopo* (Biterrenſi) *Fulchrando epiſcopo* (Leutevenſi) *Theutbaldo, Eldeberto, &c. proclamavit per guadium ſuum, id eſt per feſtucam de vite, quod ipſas res ſubſcriptas in manu Amelii epiſcopi tradidiſſet, & guirpitionem feciſſet. Acta notitia ſeriei hujus VI. nonas Julii ſub die Veneris in Nemauſo civitate publice, regni domini noſtri Lotharii anno XVIII.** hoc eſt 969. Vide probationes tomi 2. novæ rerum Occitanarum hiſtoriæ pag. 123. ubi pro *VI. nonas* legitur

966. — * al. XVII. 969.

simpliciter *nonas;* unde non mirum quod illic ea notitia referatur ad annum 971. Ceterum nemo non videt hæc Amelio primo convenire non posse; proindeque merito Amelium II. episcoporum Uceticensium censui adjiciendum.

ANNI CHRISTI

XVI. Aribaldus & Arballus.

994. Sedit Aribaldus in concilio Ansano an. 994. ex tomo IV. Anecdotorum Martennii col. 78. imo fortasse jam anno 990. in concilio itidem Ansano, ubi dicitur *Erboldus episcopus urbis Utracæ*, ibidem col. 73. Anno 1010. firmavit cum aliis episcopis decretum Ermengaudi episcopi Urgellensis de vita canonica in ecclesia matrice instituenda. Nominatur in epistola Benedicti papæ VIII. ad episcopos Burgundiæ & Aquitaniæ pro Cluniacensibus circa 1019. scripta. Interfuit alteri Ansano concilio anno 1025. & insequenti convenit ad comitia generalia Lugduni convocata auctoritate Conradi imperatoris, cognomento Salici, ad quæ convenerunt etiam Pontius Arelatensis, ambo Burchardi Lugdunensis & Viennensis, necnon Gualterius Vesontionensis archipræsules, ex schedis D. capiscoli Uceticensis ecclesiæ, in quibus alterato tantisper nomine Raimbaldus pro Aribaldo appellatur.

1010. *Marc. Hisp. col. 423.* *Tom. 9. conc. col. 810.* 1025. *Ibid. col. 859.* 1026.

XVII. Hugo.

Institutionem vitæ canonicæ factam in ecclesia Gerundensi anno 1019. aliquanto post sua subscriptione comprobavit Hugo Uceticensis episcopus. Narbonensi concilio habito circa 1032. nomen quoque suum subscripsit. Anno 1042. die 4. Septembris, non vero 1056. adfuit concilio apud S. Egidium celebrato: cumque a Narbonensi XVI. cal. Aprilis anno 1043. in quo anathemate perculsi sunt qui bona monasterii Coxanensis invaderent, abfuisset, illius paulo post acta confirmavit. Interfuit an. 1050. idibus Julii concilio apud S. Tiberium, ac circiter 1054. ecclesiæ Magalonensis consecrationi; quo anno indictione VII. octavo calendas Septembris misit legatum ad synodum Narbonensem. Subscripsit an. 1066. litteris Almodis comitissæ & Raimundi Ruthenensis comitis ejus filii ecclesiam S. Egidii Cluniacensi congregationi largientium. Præterea ex charta Raimundi in Uceticensi cathedra successoris constat Hugonem se munificum præbuisse erga monasterium Casæ Dei in Arvernis & Seguinum abbatem, qui regimen auspicatus est anno 1078. cui quidem abbati Malliacenses S. Laurentii & sancti Vincentii ecclesias concessit. Denique an. 1080. pridie nonas Octobris interfuit Hugo concilio Burdegalensi, Hugone Diensi episcopo & S. sedis legato præside, ubi Silvæ majoris monasterio, petente S. Geraldo ipsius fundatore, insigne privilegium concessum est. Vide sæcul. VI. Bened. part. 2. pag. 868.

Marc. Hisp. col. 431. *Tom. 7. ampliss. collect. col. 57.* 1032. 1042. 1043. *T. 4. Anecd. col. 84.* 1050. *Ibid. col. 87.* 1054. 1066. Ch. XII. col. 177. 1078. 1080.

XVIII. Raimundus I.

1096. Haud prius anno circiter 1096. nobis occurrit R. episcopus, in historia scilicet comitum Tolosæ pag. 131. ubi Raimundus comes Aniciensi ecclesiæ factam a se donationem in ejus præsentia laudat. Anno 1111. mense Octobri ecclesiam S. Martini de Caux in comitatu Agathensi cessit monasterio S. Guillelmi. Se quoque beneficum præbuit erga monasterium Casæ Dei & abbatem Stephanum, cui asseruit, aut iterum donavit ecclesias Malliacenses S. Laurentii & S. Vincentii, jam ab antecessore Hugone collatas, an. 1114. ind. VII. nonis Martii, consentientibus Bertrando præposito & Pontio Willelmi capiscolo ejusdem ecclesiæ. Ecclesiam de Cambonas cum suorum consilio clericorum dedit anno 1121. cœnobio S. Egidii & Hugoni abbati; testes sunt Raimundus abbas S. Privati & alii tam canonici, quam monachi, ex tabulario sancti Egidii. Exstant ad Raimundum Uceticensem, A. Avenionensem & S. Valentinensem episcopos litteræ Paschalis II. papæ, quibus eos constituit judices querelæ Anianenses inter & Casadenses monachos super ecclesia de Gordanicis. Datæ sunt VI. idus Febr. Ad eum quoque scripsit Calixtus II. papa de uxore Pontii Guillelmi de Barriaco & filio ejus Raimundo, ut eos commoneret de restituendis Gordanicensi monasterio, quæ prædictus Pontius eidem abstulerat. Datæ sunt Tolosæ pridie idus Julii. An. 1125. IV. cal. Martii adfuit synodo, in qua Arnaldus Narbonensis archiepiscopus ejusdem ecclesiæ præposituram suo capitulo restituit. Reperitur adhuc annis 1130. & 1138.

ANNI CHRISTI 1111. 1114. 1121. 1125. 1130. 1138.

XIX. Ebrardus I.

Præerat Ebrardus, dictus etiam Everardus, jam an. 1139. quo in synodo Uceticensi subscripsit compositioni factæ Stephanum inter Casæ Dei abbatem & Ademarum abbatem S. Tiberii jamdudum de ecclesia S. Petri de Beciano litigantes, arbitro Guidone cardinali S. sedis apostolicæ legato. Eodem anno Romæ constitutus concordiam inter Juncellensem & Psalmodiensem abbates procurasse in palatio Lateranensi una cum Guillelmo Nemaus. episcopo, & Petro S. Egidii, alioque Petro Massil. abbatibus, de consensu partium dicitur in bulla Innocentii II. eam firmantis compositionem. Una cum capitulo paciscitur an. 1144. cum Bremundo d'Uzés de moneta Uceticensi & aliis feodis, quæ Bremundus seu Bermundus in damnum & injuriam præpositi occupaverat, arbitris controversiæ Petro sancti Egidii abbate, Rostagno de Posquieres, Pontio de Montlaur, Raimundo de Castries & Bertrando de Marguerite. Habuit controversiam cum nobili viro Rainone, *al.* Raimundo du Caylar & Beatrice ipsius conjuge pro ecclesiæ suæ juribus, de quibus tandem concordiam iniit an. 1145. præsidente Alfonso comite (Tolos.) & iterum 1149. præsidente Raimundo comite. Obiit Ebrardus anno 1150. ut constat ex epitaphio, quod in fundamentis ecclesiæ cathedralis Uceticensis ab hæreticis funditus bis dirutæ, & totidem vicibus reparatæ inventum est, cujus tenor sequitur:

1139. Ch. X. col. 321. ubi pro G. Uticensi legendum E. Ch. XI. col. 136. 1144. 1145. 1149. 1150.

Idibus Julii obiit Ebrardus episcopus.
Ad bona non tardus Jesu Christi præsul Ebrardus:
Vir quondam rectus, æquus, prudens & honestus,
Corporis & mentis qui pavit oves alimentis;

ANNI CHRISTI

Pauperibus etiam multos donavit amictus.
Hunc igitur virum denatum munere vitæ
Credimus esse cœlis magno decoratum honore,
Millenum centum quinquagesimum annum.

Post obitum Ebrardi electus est a clero & populo Petrus ejusdem ecclesiæ præpositus, oblatusque Narbonensi archiepiscopo confirmandus, sed incassum, qua de causa ignoramus.

D'UZÈS.

XX. RAIMUNDUS II.

Nobilissimo genere ortus Raimundus patrem habuit Raimundum Decani, Posqueriarum & Uceticæ dominum, fratres vero Raimundum Vivariensem, Petrum Leutevensem, & Albertum Nemausensem episcopos, uti legitur in epitaphio patris eorum, quod insculptum est muro ecclesiæ monasterii Psalmodiensis prope portam ferream, juxta quam duo sunt sepulcra lapidibus marmoreis facta pro familia vicecomitali Uceticensi. Sic autem habet: *Anno Domini 1138. mense Augusti obiit Raimundus Decani dominus Posqueriarum & Ucetiæ, pater episcoporum Raimundi Vivariensis, Raimundi Ucetiensis, & Alberti Nemausensis.* Raimundus autem noster jura sacra dabat populis Uceticensibus jam temporibus Eugenii papæ III. utpote qui pontifex motam inter hunc episcopum & B. Gordanicensem priorem controversiam finiendam commisit A. Nemausensi & G. Vivariensi episcopis. Præsens memoratur an. 1154. cum Aldeberto fratre episcopo Nemausensi in charta Bernardi Atonis vicecomitis Nemausensis & Agathensis, qua castrum de Bernis dedit ad Feudum Elzearo de Sauve. Eidem præsuli & ecclesiæ cathedrali Uceticensi Ludovicus VII. Francorum rex dedit ecclesias, seu plures abbatias, & loca non pauca etiam castris munita anno 1156. ut liquet ex instrumento in appendice relato. Querelam habuit eodem anno cum Rainone du Caylar & uxore Beatrice, cujus arbiter Raimundus comes assistentibus Bertrando abbate S. Egidii, Bermundo d'Uzés, Hugone de Baux, & Guillelmo de Sabran pronunciavit episcopum Rainoni daturum in feudum castrum de Blanzac cum *accaptis* quæ inibi fecerat episcopus; sicque Raino pactionem initam cum Ebrardo Raimundi decessore ratam habuit. Memoratur circa hunc annum in bulla Adriani papæ IV. compositionem inter episcopum Biterrensem & priorem de Cassiano confirmantis, quam ait Adrianus factam interponentibus sollicitudinem suam Berengario archiepisc. Narbon. Raimundo Uceticensi præsule, &c. Raimundus episcopus plurimas capitulo liberaliter donavit ecclesias sub clientelæ professione sibi ac successoribus ab eodem capitulo exhibenda; quod Adrianus papa IV. confirmavit an. 1157. Compromisit 1159. mense Aprili cum Bermundo de Ucetia pro juramento seu hominio loci de Peireiras. Anno 1162. prioratum de Chuselan commutavit pro prioratu S. Florentii cum Guillelmo priore S. Petri de Portu ordinis Cluniacensis in urbe S. Spiritus. Nonnulla quoque permutavit an. 1164. cum Pontio abbate & monachis S. Andreæ Avenionensis, de consensu Bertrandi præpositi. Ejusdem Raimundi, & episcopi Santonensis consilio Petrus Aniciensis præsul multa concessit Pontio abbati Casæ Dei, ejusque successoribus an. 1167. in his canonicam unam præbendam in ecclesia Aniciensi, sicuti jam obtinebant abbates Cluniacenses. Anno sequenti recognitionem accepit a Bermundo de Ucetia pro quibusdam juribus ac prædiis, qui quidem Bermundus ejusdem Raimundi frater dicitur anno 1169. in actis regii chartophylacii Parisiensis. Testis etiam Raimundus cum suo fratre Aldeberto Nemausensi præsule laudatur in charta Bertrandi comitis Melgorii abbatiæ Francarum vallium benefacientis anno 1171. Interfuit 1179. Lateranensi concilio. Cessit 1185. mense Januario ecclesiam de Barriaco domui militiæ Templi de Jerusalem in gratiam præceptoris domus de Challes. Insequenti 1186. D. papa Urbano III. præsidente, Philippo rege regnante, dedit cœnobio Casæ Dei, *quod,* inquit, *in me & eruditionis & religionis posuit fundamentum,* & abbati Dalmatio ecclesiam S. Dionysii cum omnibus ad eam pertinentibus, præsentibus Guillelmo præposito, &c. in cujus chartæ authenticæ sigillo ex una parte legitur, *S. R. Uzeticensis episcopi,* & ex altera conspicitur dimidiata sancti effigies cum hac epigraphe: *S. Theodoritus MR.* Ceterum quod in hac charta Raimundus episcopus dicit monasterium Casæ Dei in se & eruditionis & religionis posuisse fundamentum, confirmatur ex necrologio S. Roberti de Cornilione prioratus a Casæ Dei monasterio pendentis, ubi sic habetur: *Raimundus episcopus Uticensis Casæ Dei monachus obiit idibus Decembris.* Non decessit ante annum 1188. quem attigisse probat donatio loci de Angostrinis, *al.* de Augustinis ab eo mense Januario ejusdem anni facta Ermesindæ abbatissæ, ut inibi monasterium ordinis Cisterciensis excitaret, a quorumcumque jurium solutione liberum, præsente G. episcopo Nemausensi. Adhuc sedebat mense Junio ejusdem anni, quo arbiter sententiam protulit pro monasterio Francarum vallium.

1154. 1156. Ch. VII. col. 299. Ch. XV. col. 138. 1157. 1159. 1162. 1164. 1167. 1168. 1171. Tom. XII. fragm. Stephanotii, pag. 170. 1179. 1186. 1188.

XXI. BERTRANDUS I.

Non sedit Bertrandus ante annum 1188. ex his quæ supra diximus. Anniversarium habet in cœnobio S. Andreæ secus Avenionem, ex necrologio, ubi dies obitus ejus consignatur IV. *al.* VI. calendas Augusti. Huic autem antistiti locum hîc dedimus post Sammarthanos, nullo præterea ad episcopatum ejus asserendum convicti argumento.

DE VENEJAN.

XXII. GUILLELMUS I.

Innotescit Guillelmus episcopus, vulgariter cognominatus *de Venejan* aut *Benejan* jam ab anno 1190. ex genealogia familiæ vicecomitalis Uceticensis, quem filium Austoris, *al.* Austriæ nominatum reperimus in quibusdam schedis, & in hominio, quod R. Pelet ei pro castro de Rossan exhibuit an. 1199. 29. Aprilis, coram G. Nemausensi episcopo, R. Ucetiæ domino, & R. ejus fratre clerico. Controversiam Guillelmus habuit an. 1197. die 27. Febr. cum Elezaro

1190. 1197.

ANNI CHRISTI

filio dominæ Rosciæ, qui asserebat castellum de Blanzac ad se pertinere, utpote quod Rainoni du Caylar & Beatrici ejus conjugi avis suis concessum erat a Raimundo episcopo Guillelmi decessore. Anno 1199. Bernardus de Andusia & Petrus Bremundus ejus filius Guillelmo episcopo fidem clientelarem præstant pro castris de S. Ambrosio, Montalen, Genouillac, &c. Eodem anno mense Martio in genealogia ms. familiæ vicecomitalis Uceticensis habetur compromissum inter Bernardum de Andusia & Petrum Bremundum ex una parte, & Guillelmum episcopum ex altera, super castro de Genouillac, cujus medietas patri & filio asseritur. Adfuit an. 1200. Guillelmus antistes Uceticensis cum aliis pluribus præsulibus, Imberto Arelatensi archiepiscopo templum beatæ Mariæ virginis ac vivificæ crucis apud Montempessulanum dedicanti. Is est G. Uceticensis episcopus, cui anno 1202. mense Septembri Bernardus quidam transactione inita quidquid habebat apud S. Ambrosium tradidit. Testis anno sequenti mense Septembri legitur in charta Raimundi VI. Tolosani comitis quasdam immunitates ac libertates priori & fratribus Pontis sancti Benedicti olim a patre suo Raimundo V. concessas laudantis & confirmantis. Quasdam hoc anno 1203. IV. idus Febr. permutavit ecclesias cum Gaucelino abbate Anianensi, simulque priore de Gordanicis. Iisdem die & anno religioni Carthusiensi dedit ecclesiam B. Mariæ de Bondillono cum omnibus pertinentiis, appenditiis, & juribus, in manibus Imberti prioris de Silva, ad ædificandam ejusdem ordinis domum, quæ est Vallis bona dioecesis Uceticensis; ad quam mox Guillelmus abdicato episcopatu secessisse videtur, ut innuit nomen & bulla Ebrardi successoris in hac ipsa charta enunciata, quanquam hic potuit aliquot post annis suam huic chartæ confirmationem adjungere. At profecto G. quem revera simpliciter episcopum legimus in genealogia ms. familiæ vicecomitalis Uceticensis anno 1205. dignitati suæ nuncium remiserat eodem anno 1205. VII. idus Julii, quo Raimundus Ucetiæ dominus recognoscit se prædictæ domui Vallis bonæ donasse quidquid habebat in monte Jessel, *præsentibus Guillelmo de Venejano quondam Uticensi episcopo*, Petro de Castro novo sedis apost. legato, &c. Testis laudatur hoc ipso anno VII. cal. Augusti *G. de Venejano quondam episcopus Ucetiensis* in donatione Raimundi Geraldi de Monte-acuto facta ordini Carthusiensi, & specialiter Amblardo priori Vallis bonæ. Recensetur adhuc eodem modo in confirmatione donationis Raimundi Ucetiæ domini facta eidem domui a Decano ejus filio 1207. mense Martio; & in alia simili Guillelmi de Sabrano mense Aprili ejusdem anni, cui donationi Raimundus Guillelmi cancellarius D. episcopi Uceticensis *præsens ante fuit*. Superstes erat Guillelmus de Venejano quondam Ucetiæ episcopus an. 1212. mense Julio, quo Bermundus Ucetiæ dominus ei nomine domus Vallis bonæ laudavit, ac per illum ordini Carthusiensi quidquid pater ejus R. quondam donaverat, seque dedisse Amblardo priori Vallis bonæ recognoverat, necnon quidquid frater ejus R. Decanus laudavit & recognovit Nicolao dictæ domus priori, &c. ex charta in appendice relata.

Margin notes (left column): 1199. — 1200. Ch. XXIX. col. 362. — 1202. — 1203. Bouche hist. Prov. lib. 9. sect. 2. cap. 4. — Ch. X. col. 302. — Ch. XI. col. 303. — Ch. XIII. col. 304.

Margin notes (right column): ANNI CHRISTI. Ch. XV. col. 305.

Utrum vero Carthusianum institutum amplexus sit Guillelmus, hæ quidem chartæ non continuo probant, sed tamen id maxime probabile fit ex litteris D. Polycarpi de la Riviere eruditi Carthusiani ad D. Peireskium, in quibus ait se non raro Guillelmum reperisse monachum in Carthusia Vallis bonæ, ad quam se receperat, cum hoc addito, *quondam episcopus Uticensis*. Charta vero anni 1228. IV. cal. Aprilis facta dicitur in domo Vallis bonæ, in camera, quæ fuit *domini* Guillelmi de Venegano quondam Uceticensis episc. atque inter testes nominatur *Fr. W. de Venegano*. Guillelmi quondam episcopi nomen adhuc reperitur an. 1214. in genealogia familiæ vicecomitalis Uceticensis, & in schedis Martennii nostri, qui quidem ait Guillelmum hoc anno inquiri fecisse de commissis excessibus post mortem sui decessoris, cujus omnem supellectilem diripuerat bajulus seu ballivius Uceticensis. Sed quoad hanc inquisitionem pro MCCXIV. legendum fortasse MCXCIV. cur enim tamdiu illam distulisset?

XXIII. EBRARDUS II.

Sedebat Ebrardus jam anno 1203. ex veteri Gallia Christiana, quo quidem anno, ut diximus, abdicasse videtur ejus antecessor Guillelmus. Et certe hoc anno IV. idus Febr. bullam & signum suum Ebrardus apposuit chartæ fundationis Vallis bonæ ordinis Carthus. factæ ab antecessore Guillelmo. An. 1205. mense Augusto Raimundus de Mamolene, Petrus d'Oulargues & Bertrandus de Mamolene fratres Raimundi nepotes vendiderunt ei molendinum de Pontels; quibus etiam mense & anno B. de sancto Maximino eidem sua jura in dicto molendino vendidit. Eo circiter tempore Berengario archiepiscopo Narbonensi obedientiam promisit. Memoratur & annis 1206. ac 1207. die 15. Augusti, quo ipse, Albericus præpositus & capitulum Uceticensis ecclesiæ pepigerunt cum Ebrardo Ucetiæ domino ex parte, pro castro de Blanzac & domo ejusdem Ebrardi apud Ucetiam sita, necnon & pro debita canonicis ab eodem procuratione; arbitri fuere Petrus de Castro novo sedis apostolicæ legatus, Guillelmus Nemausensis antistes, ac Raimundus Ucetiæ quoque dominus ex parte. Eodem anno Eleazardus Ucetiæ dominus Ebrardo episcopo suam domum recognoscit, & canonicis procurationem, *& non audet aliquem pignorare Ucetiæ*, ex genealogia sæpius memorata. Hoc insuper anno mense Aprili pepigit Ebrardus episcopus cum Bermundo de Ucetia pro hominio & censu loci de Peireiras, seu potius ipse cum Alberico præposito initam anno 1159. Bermundum inter & Raimundum episcopum decessorem ratam habuit transactionem.

Margin notes: Ch. XI. col. 303. — 1205. — 1206. 1207.

XXIV. RAIMUNDUS III.

Rainardum, qui sequitur in indice Sammarthanorum, haud alium putamus a Raimundo,

ANNI CHRISTI 1208.

quem exscriptores perperam legerunt Rainardum. Sane Raimundi nomen integrum occurrit jam an. 1208. mensis Augusti die 8. quo Raimundus & Eleazardus Ucetiæ domini eidem recognoverunt quidquid in diœcesi Uceticensi possidebant. Iisdem die & anno Rascas & Eleazardus Ucetiæ domini profitentur R. episcopum habere *cemonias & cavalcadas ad defensionem bonorum Ucetiensis ecclesiæ, vel treugam, & stratas publicas defendendas, & captores, seu pravos homines depellendos, in castro de Colias, Moutagut, &c.* Insuper hoc ipso die & anno Petrus & G. de Arpailhargues & R. de Vezenobre eidem episcopo horumce locorum justitiam recognoscunt. Pridie calendas Novembris sopivit Raimundus episcopus controversiam, quæ vertebatur inter homines Balneoli & dominos ejusdem villæ super furnis, &c. Eodem adhuc anno Raimundus Pelet castrum de Rosson R. episcopo Uceticensi reddi jubet, claves ipsius tradi, & attolli vexillum S. Theodoriti in testimonium fidelitatis. Die 12. Januarii ejusdem anni G. de Montels & Saurina ejusdem loci domina, adstante viro suo B. de Montels sese pro dicto loco clientes Raimundi episcopi professi sunt. Anno sequenti die 28. Febr. Raimundus episcopus hominium excepit a Raimundo Decan filio defuncti Rascas pro his quæ habebat apud S. Vincentium de Jonquieres, præsentibus Bermundo Ucetiæ domino ipsius fratre, B. abbate Psalmodiensi, B. t.* de Blanzac, Pontio de Montmiral Psalmodiensi monacho, &c. Eodem anno 1209. Albaronus & G. Rainoard domini de Montfrin clientelam pro dicto loco R. episcopo profitentur; quo etiam anno 21. Junii R. Tolosanus comes ei & capitulo totum illud remisit, quod suum esse dicebat in urbe de Montibus, præsentibus Drangoneto de Bocayran, Bermundo de Sauve, &c. Idem comes inita 7. Julii ejusdem anni cum R. episcopo conventione, die 14. ejusdem mensis & anni illi hominium præstitit pro his quæ possidebat in castro seu territorio del Issarts, & apud S. Paulum de Caysson, præsentibus Alberico præposito, R. de Colias & aliis. Insuper hoc anno die XI. Nov. idem R. comes Tolosanus castra *de la Calmette, Mossac, Remolins, Fournez* & alia plurima, imo quidquid in hac diœcesi possidebat, se beneficiario jure ab episcopo Uceticensi R. cui fidem obstringit, tenere profitetur. Memoratur & anno 1210. 23. Augusti in alia clientelæ professione sibi a Petro d'Arpailhargues pro dicto loco exhibita. Initam consules inter Monspelienses & G. de Altiniaco Magalonensem episcopum compositionem de formula electionis consulum R. episcopus Uceticensis sedis apost. legatus ratam habuit VI. idus Febr. ejusdem anni. Injunxit anno seq. 1211. Petro Biterr. episcopo, ut pedagia Leutevæ Petro Leutevensi præsuli adjudicaret; quod ita præstitum scribit Plantavitius pag. 113. a Biterrensi episcopo, assistentibus Bernardo S. Afrodisii abbate, & Guillelmo ecclesiæ Biterrensis præcentore. Eodem anno IV. idus Martii Simon dominus Montisfortis se consilio & auctoritate D. Arnaldi abbatis Cistercii sedis apost. legati & D. R. Uceticensis episcopi castrum de Pezenas Raimundo de Caturco & successoribus ejus propter immensa ipsius in se & ecclesiam catholicam beneficia contulisse profitetur. Testis etiam est 1211. nonis Junii in charta R. Trencavelli dantis Simoni domino Montisfortis quidquid habebat in vicecomitatu Biterrensi, &c. Pridie cal. Sept. ejusdem anni scriptis ad universos fideles litteris encyclicis hortatur ad eleemosynas resarciendis ædificiis parthenonis de Vinegolio diœcesis Magalon. erogandas. Denique hoc ipso anno Philippus Francorum rex quod ipsius pater Ludovicus Uceticensi ecclesiæ privilegium indulserat, Raimundo episcopo & successoribus confirmavit. Vide quæ de hoc antistite diximus obiter tom. 1. col. 927. Ratam habuit anno sequenti 1212. *R. bonæ memoriæ quondam Uticensis episcopus, tunc temporis apost. sedis legatus* electionem Arnaldi Narbonensis archiepiscopi, a quo & restitutam ecclesiam de Cuxiaco Narbonensi capitulo in concilio Narbonæ habito pridie calendas Maii ejusdem anni confirmavit. Die 15. Junii ejusdem anni Ozilo Guerinus & Guido Malchinus fratres, filii Guillelmi Malchini castrum & oppidum de Montfort, mansum de Reseret, villas Falgueriam, Brim, Coujol, &c. tenere se a Raimundo Uceticensi episcopo & sedis apost. legato profitentur. Quo defunctus sit anno Raimundus certo non habemus, at quo desierit præesse huic ecclesiæ sat ex dictis colligitur. Ceterum anniversarium habere dicitur in abbatia S. Andreæ secus Avenionem, ubi dies depositionis ejus notatur IV. idus Decembris.

Margin notes (left): 1209. — *Bertrando. — 1210. Charta XXXIII. col. 366. — 1211. — *Prob. hist. Occit. t. 3. col. 229.* Margin notes (right): ANNI CHRISTI — *Ibid. col. 231.* — Charta XXXIV. col. 366. — Ch. XIV. col. 304. — 1212. — Ch. LIX. col. 52.

XXV. RAIMUNDUS IV.

DE MAS D'ANDRÉ.

Hunc esse putamus Raimundum, qui ex priore sanctæ Mariæ de Lunello, sacerdote & canonico Magalonensis ecclesiæ in præsulem Uceticensem postulatus, Arnaldo Narbonensi archiepiscopo confirmandus oblatus est ab Alberico præposito & aliis canonicis, libello supplici, cui primus ante omnes alios subscripsit Albericus. Initia ejus episcopatus anno 1212. consignanda esse, inter alia plurima argumenta, probat potissimum controversia Bermundi Ucetiæ domini *cum R. episcopo Ucetiensi successore R.* hoc anno 1212. Et certe eodem anno R. episcopus Uceticensis fidei sacramentum excepit a consulibus urbis, & a Raimundo Pelet recognitionem castri de Rosson. Die 9. Februarii ejusdem anni, seu potius anni 1213. secundum hodiernum calculum, idem Bermundus Ucetiæ dominus hominium fideique sacramentum præstitit R. episcopo, coram testibus G. præposito, S. de Boissesson præcentore, P. Bermond domino de Sauve, R. de Posquieres, Bermundo de Sauve, R. de Ucetia, B. de Blanzac, B. de S. Stephano, G. du Pont, R. de Remolins, R. de S. Maximino canonicis, &c. Ad hæc R. episcopus hominium excepit ab Albarono domino de Montfrin pro medietate hujus loci an. 1212. 13. Aprilis, hoc est 1213. & hoc ipso anno 10. Aprilis a Raimundo domino de Montfrin pro altera dicti loci medietate. Eodem anno 24. Aprilis Pabanus, Pontius d'Aramon & P.

Margin notes (right): 1212. — 1213.

ANNI CHRISTI

Audebert ipsius frater, Guiscardus ac G. d'Aramon domini hujus loci clientelarem ei fidem professi sunt pro bonis quæ habebant in dicto loco & aliis. Hunc episcopum & ecclesiam ejus Simon Leicestriæ comes & dominus Montisfortis litteris datis an. 1214. pridie nonas Martii donis plurimis ditavit, in compensationem damnorum quæ huic ecclesiæ intulerat R. quondam comes Tolosanus, eidemque promisit episcopo se de terra, quam illi concesserat, facturum instrumentum, sicut melius & utilius ipsi & capitulo visum fuerit expedire, ac fidelitatem & *homagium* ei præstiturum pro terra Uceticensis diœcesis, quam tenebit ad feudum secundum tenorem instrumentorum, *quæ facta sunt*, inquit, *inter prædecessorem tuum dominum Raimundum quondam Uticensem episcopum & Raimundum comitem Tolosæ.* Eodem anno præsens memoratur clientelæ, quam Henricus comes Ruthen. Simoni Montisfortis præstitit die VII. idus Novemb. Hunc vero præsulem anno primum 1215. cognominatum reperimus *de Manso Andreæ*, in quodam instrumento. Eodem anno 12. Maii Bermundus de Ucetia filius Raimundi Rascas ejus se clientem profitetur pro vicecomitatu (Viguerie) Uceticensi, & his omnibus, quæ ab R. comite Tolosano tenebat in feudum sub alberga centum equitum. Actum apud *Crotam* dicti episcopi, præsentibus & testibus Bertrando de S. Baudilio archipresbytero, Guillelmo de S.t Geniez, Petro de Marsanicis presbytero, Bertrando de Blanzac, Guillelmo de Montagut, Gaucelino de Cornillon clericis, Bermundo de Montalen, B. t. de S. Maximino, Petro d'Aurillac, &c. Anno 1216. vocatur Raimundus de Manso Andreæ, cui per solam primam nominis litteram designato clientelam professus est Raino de Castelar, *al.* du Caylar Rostagni de Sabrano defuncti filius ex Roscia Uceticæ domina, pro castello de Bochet vel de Bouquet mense Decembri anni 1218. Una cum capitulo Raimundus de Manso Andreæ episcopus litem habuit mense Januario anni 1224. cum nobilibus viris Guillelmo de Malo tortallo & Rainone fratribus, filiis defuncti Rainonis du Caylar; eo quod in festo S. Theodoriti *facere procurationem* abnuerent, eam decem abhinc annis non fecissent, nec feoda ab episcopo & capitulo dependentia vellent agnoscere, aut censum suæ domus in Ucetia sitæ persolvere; arbitri fuere Rostagnus de Sabran filius Eleazari de Ucetia dictorum fratrum patruus & Raimundus de Montuberi miles. Eodem anno 15. Septembris Bermundus de Ucetia futurum ut staret judicio R. episcopi Uceticensis, de quodam negotio, spopondit. Anno sequenti 4. Febr. Raimundus de Manso Andreæ episcopus a Gaucelino de Barjac pro castro de Gaudio, & 21. Febr. ejusdem anni a P. Bermond domino de Sauve filio defuncti P. Bermond ex Constantia comitissa, pro loco de Sorbieres, munitionibus ac pertinentiis ejus hominium excepit, coram Benedicto Crassensi abbate. Mense Octobri anni 1226. Ludovicus VIII. Francorum rex dato apud Appamias diplomate totum illud in perpetuum tradit Raimundo Uceticensi episcopo & successoribus ejus, quod Raimundus quondam Tolosæ comes, vel aliquis pro eo habebat, vel habere debebat in Mociaco & ejus pertinentiis, & apud S. Benedictum, ut inter instrumenta legere est. Idem quoque rex litteris aliis ejusdem mensis & anni ac ibidem datis injunxit Peregrino *Latiuario* senescallo Bellicadri ac Nemausi, ut fidei sacramentum eidem episcopo præstaret. Insequenti anno contentionem habuit Raimundus de possessione Montisfortis cum Pontio S. Egidii abbate, quæ tandem compromisso facto in Pontium præpositum Uceticensem, P. de Manso monachum S. Egidii & Pontium de Lussan advocatum, ab his eidem abbati fuit adjudicata. Hunc autem annum vix excessisse videtur Raimundus ex dicendis, quanquam semel reperitur R. episcopus 1230. 1235. & 1236. ubi certe fuit error facilis ob apicum B. & R. similitudinem, uti vice versa legitur B. loco R. anno 1224. & G. loco B. anno 1230.

(Margin: 1214. Ch. XVI. col. 305. — 1215. — 1216. — 1218. — 1224. — 1225. — 1226. — Ch. XVII. col. 306. — 1227.)

XXVI. Berlio.

In indice Sammarthanorum desideratur Berlio, dictus etiam aliquando Bellus & Bellonus, tametsi sæpius reperitur in chartis; & quidem jam an. 1228. bis integro nomine Berlio, & semel initiali littera B. adhucque 1229. integro nomine. Anno 1230. die 15. Febr. Raimundi de Cadignac hominium excepit pro his quæ possidebat in mansis de Lesan, de Cabrieres & aliis. Pepigit eodem anno die 9. Febr. cum priore S. Nicolai de Campanhac; quo etiam anno IV. idus Martii juravit obedientiam Petro archiepiscopo Narbonensi, ex tabulis capituli Narbonensis. Berlionis quoque fit mentio in quodam instrumento anni 1231. 27. Martii, ex quo liquet ei & successoribus deberi procurationem in ecclesia de Primacumba, cujus prior ad unam ceræ libram ministrandam tenetur. Fidem clientelarem eidem professa est 2. Martii 1232. Guida filia defuncti Guidonis Garrichat pro manso dicto *Archidiaconi*, quem emerat a domina de Sabran, Rostagno fratre consentiente. Compromissum fecit eodem anno 28. Febr. cum Rostagno de Sabran de jurisdictione oppidi sancti Marcelli. Anno 1233. transigit cum Bernardo de Andusia & cum Raimundo Jordano ejusdem curatore, de villa Genouillac. Eodem anno 13. Novembris Tiburgæ viduæ defuncti B. Pelet clientelam excepit pro castro de Rosson. Eidem anno sequenti 30. Martii R. de Barjaco recognovit castrum de S.t Brez præstito fidei sacramento. Emit anno 1235. quædam hospitia apud Alestum, adhuc superstes 1239. sed dignitate sua destitutus, uti constat, ait Martennius noster, ex diversis instrumentis.

(Margin: 1228. — 1229. — 1230. — 1231. — 1232. — 1233. — 1234. — 1235.)

XXVII. Pontius.

(Margin: DE BECANILS; al. DU PONT.)

De Becanils cognominatus Pontius in charta anni 1240. *de Ponte* vero in instrumento anni 1280. factæ olim ab eo venditionis nobili viro Raimundo de Turre, e præposito Uceticensi factus episcopus anno 1239. a Petro Narbonensi archiepiscopo confirmationem accepit. Huic anno

(Margin: 1239.)

ANNI CHRISTI 1240.

sequenti urbem Uceticam festive introeunti, clavibus oblatis, vexillum S. Theodoriti Leone rubeo insigne sublime praeivit, ac pluries ei acclamatum est. Eodem anno fidem clientelarem excepit a B. Pelet filio defuncti B. Pelet die 3. Febr. pro castellis de Rosson & de Peyremale.

1241. Anno 1241. 24. Sept. eidem episcopo clientelam professus est Rostagnus de Sabrano filius alterius Rostagni pro castro de Sabrano, & pro his quae possidebant in castro de Nocha & in paroeciis S. Mariae de Columbario & sancti Juliani de Pistignis. Initio mensis Augusti anni

1242. 1242. Pontio episcopo praestitit hominium Raino dominus de la Tour d'Aigues filius defuncti Rainonis du Caylar, & frater Guillelmi de Malo tortallo, pro castellis, jurisdictionibus & praediis, quae tenebat in dioecesi Uceticensi a fluvio *de Cicars* ad Montem pensatum *Montpezat*, & a ponte Gardonis usque ad Alesiam. Eodem anno die XI. Augusti nonnulla emit ab eodem Rainone, consentiente uxore Philippa filia defuncti Raimundi de Matzolone. Recensetur P. episcopus Uceticensis inter praesules, qui litteras ad Innocentium papam scripserunt, ut libera daretur Inquisitoribus agendi contra haereticos licentia,

1245. an. 1245. XVIII. cal. Julii, ex codice Inquisitionis tom. XI. fragmentorum Stephanotii pag.

1246. 105. Compromisit anno seq. die 1. Septembris cum Randone de Chateauneuf de certis bonis.

1248. Anno 1248. die 3. Aprilis a B. de Blanzac milite medietatem, & a B. Bernard ipsius fratre quartam bonorum partem, quae habebant in castro de Senilhac, &c. accepit. Denique Pontius memoratur in diversis chartis annorum 1243. 44. 45.

1249. & sequentium usque ad 1249. quo cessit e vita. Ejus depositionis dies consignatur 16. Aprilis in necrologio sancti Andreae secus Avenionem. Circa id tempus S. Dominicus electus est episc. Uceticensis, sed hunc episcopatum, uti etiam alios sibi oblatos recusavit.

Percin annal. Dominic. Tolos. p. 9.

ARMAND.

XXVIII. BERTRANDUS II.

Pontio mortuo, Bertrandus Armandi presbyter & canonicus Uceticensis, necnon prior de Balneolis suffectus est pridie calendas Junii an. 1249.

1251. Occurrit B. Armandi an. 1251. Insequenti 16.

1252. Oct. Eleazardus de Ucetia filius defuncti Raino-

1254. nis, & 1254. 3. Junii Decanus dominus de Ucetia illius se beneficiarios profitentur pro variis feudis ac praediis, quae ab episcopo (Bernardo perperam dicto in instrumento anni 1252.) possidebant. Rando quoque de Chateauneuf & Guido de Tournel idem praestiterunt pro castris de Genouillac & Montalen anno 1252. 24. Septembris, ex historia genealogica ms. familiae Uceticensis, quod jam pridie, ex eadem historia, praestiterant iidem Rando filius defuncti Guidonis Meschi, & Guido de Tournel filius defuncti Ozilonis Garin pro castro & urbe de Monteforti. Interfuit B. episcopus Uceticensis Biterrensi

1255. concilio an. 1255. Emit anno 1258. 12. Junii

1258. a Petro de S. Quintino milite filio Stephani de Montavene militis quidquid in dicto S. Quintini loco ab episcopo dependens possidebat. Hominium

A

ANNI CHRISTI 1260.

excepit 22. Julii 1260. ab Ermessinde vidua nobilis Guillelmi de Malo tortallo tutrice & administratrice cum Eleazardo de Sabran filio suo liberorum defuncti Ermengaudi filii dictae Ermessindis & fratris Eleazardi, pro variis bonis quae ab episcopo tenebant. Sub hunc annum, cum vacantem nuper archidiaconatum Uceticensis ecclesiae per mortem Raimundi de Buxedone Bertrandus episcopus Raimundo de Salve praecentori ejusdem ecclesiae, & praecentoriam Raimundo de Bagars priori S. Laurentii contulisset, Raimundus praepositus, Guillelmus sacrista & plures alii canonici Uceticenses has collationes

B

1261. coram Guidone archiepiscopo Narbonensi impugnaverunt anno 1261. pridie calend. Martii, eoque ipso anno pridie calendas Decembris utraque pars suae controversiae arbitrum & judicem constituit eumdem archiepiscopum Narbonensem, qui prima die Martis Quadragesimae sequentis has collationes, propter formam debitam non servatam, irritas & inanes declaravit, certamque formam super ordinationibus dignitatum vel personatuum, quorum collatio ad episcopum, aliorumque beneficiorum, seu prioratuum, quorum collatio ad praepositum ejudem ecclesiae pertinet, observandam in posterum praescripsit; idque praefatus Guido ad summi pontificatus api-

C

cem sub Clementis IV. nomine sublimatus, eorum, tam episcopi, quam & praepositi & canonicorum precibus, ratum habuit epistola CCXC. data Viterbii VIII. cal. Junii pontificatus anno

1266. secundo, hoc est 1266. quam videsis tom. 2. Anecd. Martennii col. 329. ubi etiam col. 474. exstat ejusdem pontificis epistola CCCCLXXIV. data quoque Viterbii VIII. cal. Junii pontificatus anno tertio, qua hujus episcopi precibus inclinatus conferendi personis idoneis beneficia ecclesiastica, personatus & dignitates, cum cura & sine cura, quae in ejus civitate ac dioecesi tanto tem-

D

pore vacaverint, ut illorum collatio ad sedem apostolicam secundum Lateranensis statuta concilii legitime devoluta sit, &c. plenam & liberam eidem concedit facultatem; quae ut in acta referrentur litterae, B. episcopus die 23. Julii ejusdem anni P. Belaga notarium rogavit. Interea Bertrandus episc. anno 1262. in vigilia Pentecostes *laupiam* a Pontio Macario cive Uceticensi ante suam domum positam, & a Rainone de Ucetia sublatam tanquam major dominus reponi jussit rogatu consulum urbis. Anno 1266. 17. Junii ei Petrus Bermundus de Matavene recognoscit medietatem, quam indivise habebat apud

Ch. XVIII. col. 307.

E

1267. *Dyons*. Idem praestitit anno 1267. 9. Augusti Petrus de Vezenobre pro his quae tenebat apud

1269. S. Quintinum; & 1269. 25. Augusti Petrus Pelet dominus d'Alais & de Bocayran pro castro

1272. de Rosson. Anno 1272. una cum episcopis, abbatibus, capitulis & praelatis provinciae Narbonensis scripsit ad Gregorium X. papam ut electionem Petri de Montebruno in archiepiscopum Narbonensem confirmare dignaretur. Eodem anno 25. Aprilis clientelam ei professi sunt Raimundus Gaucelinus de Ucetia filius defuncti Rainonis pro *Colias*, & ejus frater Raino de

Ch. LXXIII. col. 68.

ANNI CHRISTI

Ucetia pro terra de Blanzac; quam demum cum suis appenditiis Bertrandus episcopus a Rainone coëmit die 7. Maii ejusdem anni, Guiberta conjuge postridie assensum præbente. Fidem quoque suam eidem episcopo pro bonorum ejus & capituli conservatione obligarunt Raimundus de Rauracio miles, Bellicadri ac Nemausi senescallus, & Johannes Guarelli eadem præditus dignitate, ille 1274. die 7. Augusti, hic vero 1275. 24. Martii. Hoc autem anno 1275. Amalricus Nemausensis antistes a papa delegatus controversiam R. inter *lege* B. episcopum Uceticensem & Oziliam S. Salvatoris de Fonte abbatissam diremit. Anno sequenti 12. Maii eidem episcopo fidem obstrinxit Guillelmus de Vezenobre filius & heres Petri pro media parte jurisdictionis S. Quintini; & 9. Novembris ejusdem anni Berengarius de S.t Martial idem præstitit pro castro *de S.t Brez*. Eodem anno 12. Decemb. domina Randona d'Anduse uxor Guidonis de Chateauneuf domini de Gaudiosa *Gaujac* B. episcopum immisit in possessionem urbis & arcis S. Andreæ de Crugeria. Invitatur idem antistes an. 1277. ad provinciale concilium, cui tamen haud interfuit allata excusatione. Cereum coram ecclesiæ cathedralis altari principe jugiter ardere voluit, nonnullis ad hoc præcentori reditibus constitutis. Anno 1278. XI. Febr. Ozilo Guerin domicellus & dominus de Tournel filius alterius Ozilonis militis ei clientelam professus est pro Monteforti. Fundavit eodem anno die 5. Junii sacellum, seu capellaniam in honorem sancti Theodoriti in ecclesia cathedrali. Anno 1280. 6. Maii Guillelmus de Randon dominus de Luc & de Portes eidem recognovit plurima castra, in his medietatem Montisfortis, & castra de Montalen & Genouillac, ac *vice versa episcopus dimisit eidem Randono ad feudum ecclesiæ Uticensis* alia bona, maxime in territorio *de Valle azineria*. Eodem anno 29. Junii octavam partem urbis Ucetiæ cum mero & mixto imperio mille librarum pretio comparavit ab Eleazardo de Sabran milite domino d'Ansouys & Ucetiæ, qui pollicitus est Ceciliam uxorem eam venditionem firmaturam. Die 14. Julii ejusdem anni fidem clientelarem B. episcopo Uceticensi professus est Berengarius Fredol canonicus Biterrensis tutor Rainonis Ucetiæ domini ex parte, sui nepotis, pro domo sita Ucetiæ, & pro his quæ dictus Raino habebat apud Fossas & in territorio de Jouclar, *al.* de Jonolone prope Fornesium *Fournez*. Iisdem die & anno Berengarius venditionem castri de Blanzac quondam eidem episcopo factam a Rainone dicti Rainonis pupilli patruo ratam habuit. Eodem insuper an. 1280. XVI. cal. Septembris cum Petrus Narbonensis archiepiscopus invitasset litteris suffraganeos ut adessent Narbonæ in crastinum instantis festi B. Matthæi apostoli, pro munere consecrationis magistro Berengario de Bociacis Leutevensi, & magistro Bertrando Languiselli Nemausensi electis impendendo, B. episcopus Uceticensis senio gravatus sese excusavit postridie B. Bartholomæi. Misit legatum ad synodum provincialem anno 1281. ex archivo ecclesiæ Narbon. Invitatus quoque ad consecrationem Berengarii Guitardi electi Leutevensis XIV. cal. Martii 1284. debilitatem obtendit VIII. cal. Martii.

1274. 1275. 1276. 1277. 1278. 1280. 1281. 1284.

Ex his colligitur non semel errasse amanuensem, cum scripsit G. episcopum 1280. 12. Augusti & 26. Septembris in pacto cum G. de Randon & aliis de jurisdictione S. Ambrosii. Et certe B. episcopus Uceticensis præter jam dicta memoratur in variis chartis annorum 1281. 82. & 83. quo quidem anno Bertrandus legitur, non Bernardus, in inventario regii tabularii Parisiensis. Idem anno 1284. 19. Octobris una cum capitulo fidei sacramentum excepit a Guerino de Amplo-puteo Bellicadri senescallo, præsentibus Astorgo de Montagut abbate S. Egidii, & Decano Uceticæ domino. Denique anno 1285. de oppidi Montisfortis dominio pepigit cum prædicto Astorgo S. Egidii abbate. Ergo & Bremundus 1272. & Bernardus 1283. inducti a Sammarthanis jure ac merito exulant a nostro catalogo; tametsi hoc anno legitur Bernardus episc. Uceticensis in epigraphe Gothica ad introitum ecclesiæ Vallis-salvæ, sed facile fuit lectori Gothicæ scriptionis nescio legere Bernardum pro Bertrando.

1285.

XXIX. GUILLELMUS II.

DE GARDIIS.

E præposito Uceticensis ecclesiæ ad ejusdem infulas assumtus est Guillelmus, cui cognomen *de Gardiis*, anno 1285. Certe hoc anno electus & confirmatus dicitur, pollicitusque anno sequenti III. idus Maii obedientiam Petro Narbonensi archiepiscopo. Erravit igitur exscriptor Gallicus genealogiæ familiæ vicecomitalis Uceticensis, quando *Guy* vocat hunc episcopum 1286. & R. 1288. Certe enim G. episcopus sæpissime legitur 1286. 1287. & Guillelmus 1288. Sane G. Uceticensis antistes statuta condidit, seu potius condita firmavit pro monialibus Vallis-salvæ apud Balneolas *Bagnols*, earumque numerum ad vigesimum fixit sub Francisca antistita seu priorissa an. 1287. Clientelam excipit eodem anno 15. Dec. a Dragoneto de Castronovo domino de Gaudiosa, Guidonis filio ex Randona d'Anduse pro Castro novo & castro S. Andreæ de Crugeria. Eidem pridie clientelam quoque professus erat Ozilo Guerinus domicellus, dominus de Tournel, filius alterius Ozilonis militis pro medietate Montisfortis, & *mandamento de Puteo & veteri vico*; alteram autem Montisfortis medietatem titulo beneficii tenere se ab eodem episcopo profitetur an. 1288. 23. Septembris Guillelmus de Randon dominus de Luc & de Portes. Anno 1290. 28. Octob. *Eleazardus de Sabran miles ei fidem clientelarem exhibuit pro quarta parte prædicti castri indivise, quam cum jurisdictione meri ac mixti imperii acquisierat a Guilafredo de Felgeriis & Helixa ejus conjuge. Eodem anno 12. Maii Guillelmo episcopo & Raimundo de Sauve præposito fidelitatis sacramentum præstitit Bermundus filius Decani, Ucetiæ dominus ex parte, pro his omnibus quæ possidebat in diœcesi Uceticensi. Fidem

1286. 1288. 1290.

* *al.* Petrus Elzeardus.

ANNI CHRISTI

Fidem quoque clientelarem ei professus est Raimundus du Caylar, *al.* de Castlar prior monasterii sancti Nicolai de Campanhac, pro his quæ jure *caduci possidebat ex dono Eleazardi de Ucetia & Rainonis ipsius patris 1290. 13. Febr. & 1292. 10. Febr. Memoratur idem episcopus in variis hominiorum documentis ab anno 1290. ad 1298. quo se illius beneficiarium recognovit Raimundus de S. Quintino pro media parte jurisdictionis ejusdem loci. Discimus autem ex tabulis Narbonensibus Guillelmum episcopum Uceticensem litteras ad comprovinciales præsules scripsisse an. 1294. (aut jure antiquitatis in absentia Narbonensis archiepiscopi, aut vicariæ potestatis sibi ab eodem commissæ,) quibus eos ad concilium Biterris celebrandum convocabat. Assensum præbuit anno 1300. ut Carcassonensis electus extra provinciam consecrari posset, ex eisdem tabulis Narbonensibus. Paciscitur anno seq. 24. Maii cum Guillelmo Ricavi domino de Senillac super equo cataphracto, quem sibi episcopus ad equitationes solemnes *Cavalcades* a dicto domino suppeditari debere obtendebat, cujus loco decem solidos Turonenses annui reditus sibi ab eodem consentit assignari, servata nihilominus omnimoda correctione & jurisdictione etiam primarum in dicto loco de Senillac appellationum. Testes hujus compositionis fuerunt Raimundus de Sauve præpositus, Johannes de Barre archidiaconus, Raimundus de Bagars sacrista, Fredolus de Sujolis præcentor & alii. Anno 1303. Nemausi constitutus adhæsit appellationi Philippi regis adversus Bonifacium papam. Sacellum B. Mariæ nuncupatum a fundamentis erexit; & inde sedit ad annum 1307. quo Raimundus de Sauve præpositus Uceticensis nomine ejus fidei sacramentum excepit a Bertrando Jordani de Insula, Bellicadri ac Nemausi senescallo; cum jam anno saltem superiori coadjutorem haberet, hoc est vicarium generalem Fredolum de Sujolis qui præcentor erat. Denique mortalitatem Guillelmum explevisse an. 1307. vertente, aut sub initium sequentis, conjicimus ex charta maxime anni 1308. 30. Martii, quo & annis sequentibus usque ad 1315. vacantis sedis custos legitur Johannes de Barre archidiaconus Uceticensis, qui suæ administrationis tempore die XI. Januarii mediam partem portorii de Genouillac in commodum episcopatus comparavit a Guillelmo de Randon milite domino de Luc & de Portes, quam venditionem Marquisia vicecomitissa de Podoniaco Guillelmi venditoris genitrix postea ratam habuit an. 1311. 17. Januarii. Interea scissis studia in contraria capituli suffragiis, duorum electio facta est episcoporum, Andreæ Fredoli canonici Magalonensis, & Guillelmi de Mandagout superioris nepotis. Unde factum est ut lite pendente neuter ad possessionem admissus sit, sicque vacua sedes remanserit ab eodem anno 1308. ad jam dictum 1315. spiritualium interim ac temporalium episcopatus cura prædicto Johanni de Barre archidiacono Uceticensi demandata. Sane vacabat sedes Uceticensis anno 1309. in crastino S. Urbani papæ, hoc est 26. Maii, quo vicariorum generalium sedis ejusdem vacantis exstant litteræ ad archiepiscopum Narbonensem; eoque ipso die & anno Robertus bajulus Uceticensis erat procurator generalis sedis vacantis. Ceterum ex hac episcoporum Uceticensium serie delendum putamus Petrum, quem Sammarthani jus divinum populis Uceticensibus dixisse an. 1303. scripserunt; sedebat enim hoc ipso anno 27. Martii Guillelmus de Gardiis, præfuitque per quadriennium postea, uti jam diximus.

* a Aubaine.

1292. 1294. 1300. 1301. 1303. 1307.

XXX. ANDREAS.

DE FREDOL.

Nobili genere natus Andreas Fredoli e canonico Magalonensi ad infulas Uceticenses postulatus ab una parte capituli Uceticensis an. 1308. ex veteri Gallia Christiana, competitorem habuit Guillelmum de Mandagout ab altera canonicorum parte in episcopum eodem tempore electum. Itaque Andreas in regesto pontificio dicitur electus Uceticensis anno tantum 1314. 21. Aprilis, & adhuc in instrumento anni 1315. 14. Decembris, quo Guillelmus Maurinus domicellus tenere se in beneficium ab A. electo Uceticensi profitetur, quidquid a Petro de Sabrano milite germano suo, sexcentorum solidorum Turonensium pretio comparaverat apud Lussan, medietatem scilicet quartæ partis cum integra jurisdictione, & alia bona, quæ approbatione sua firmare debeant Guillelmus episcopus & dux Laudunensis par Franciæ, protopræses in camera rationum, & regis in Occitania consiliarius generalis, ac Johannes Dacy regi a libellis, judex major in senescallia Bellicadri & Nemausi, præsentibus Hugone de Lauduno domino de Montfaucon & Ucetiæ, Bermundo du Caylar milite, dicti loci domino, Johanne d'Estampes regio apud Nemausum quæstore, &c. Solo adhuc electi Guillelmus titulo gaudet anno 1316. die 30. Junii in testamento Raimundi Gaucelini Ucetiæ domini ex parte, sui nepotis, ubi memoratur præsens cum G. episcopo Biterrensi, Raimundo abbate S. Tiberii, & Guillelmo Revel Albiensi præposito. Verum an. 1317. XI. Julii pacificam hujus sedis obtinebat possessionem, ut liquet ex alia charta recognitionis eidem tunc episcopo dicto factæ a Gaucelino Arnaud dynasta de Montels ex parte, pro vigesima dicti loci portione, & aliis bonis apud Fontes, & S. Hippolytum sitis. Transiit anno seq. ad sedem Magalonensem, ubi de illo fusius. Ex ipsius, obiter dicam, prodiit gente Berengarius episcopus Tusculanus dominus de Ledenon, filius defuncti Guillelmi Fredol domini de la Verune, heres ex asse Raimundi Gaucelin Ucetiæ domini sui nepotis, adhuc superstes 1321. 18. Martii, quo dicti Raimundi extremæ voluntati in testamento anni 1316. 30. Junii patefactæ obsequens fundavit xenodochium & capellam, necnon 20. libras Turonenses Minoritis fratribus de Lunello constituit pro animabus parentum suorum.

1315. 1316. 1317. 1318. Ch. LII. col. 381.

XXXI. GUILLELMUS III.

DE MANDAGOUT.

Stephanus Baluzius in mss. observationibus ad

ANNI CHRISTI

veterem Galliam Christianam citat Oldradum A consilio 183. ex quo, inquit, auctore patet Guillelmum de Mandagout electum fuisse circa annum 1308. Et certe idipsum est quod supra diximus, scissis videlicet duas in partes capituli suffragiis, favisse alteram Andreae de Fredol, & alteram Guillelmo. At hic non prius ad Uceticensis ecclesiae possessionem pervenit, quam Andreas ad sedem Magalonensem migravit.

De hoc episcopo non sibi constant Sammarthani, quem ab Uceticensi ecclesia ad Leutevensem traducentes, in illa sedisse 1326. & in hac mortuum volunt 1317. Ex quibus profecto duo distinguendi sunt Guillelmi de Mandagoto, alter B episcopus Leutevensis, & alter Uceticensis, qui hanc continue gubernavit ecclesiam ab an. 1318. ad 1344. Ortus erat hic noster Guillelmus, Guillelmi de Gardiis decessoris ex sorore nepos, gente Mandagota dioec. Leutev. quae familia plures variis ecclesiis episcopos dedit. An. 1318. die

1319. XI. Jan. hoc est 1319. Robertus filius Bermundi, Ucetiae condominus beneficiarium se hujus episcopi ac Raimundi de Salva praepositi professus est ; idemque praestitit hoc ipso anno 19. Martii Michael de Cazaleriis prior monasterii sancti Nicolai de Campanhac pro his omnibus quae suum monasterium inibi & apud S. Anasta- C sium possidebat. *Actum apud S. Anastasium in castro episcopali.* Eodem anno 20. Febr. episcopus Uceticensis debita servitia camerae apostolicae promisit, ex libro obligationum Johannis papae XXII. Insequenti 28. Novembris Raimundus de Balma domicellus & Rostagnus Ricavi etiam domicellus, condomini de Senilhac ei fidem suam pro dicto loco obstrinxerunt. Com-

1321. promissum fecit an. 1321. de creatione ac destitutione consulum urbis Uceticensis cum Roberto & Berengario ejusdem urbis condominis ; qua de re lata est sententia 12. Julii ejusdem anni. Pepigit iisdem die & anno cum Roberto de Man- D dagoto gentili suo, Uceticensis ecclesiae archidiacono, de urbis ac dioecesis spirituali jurisdictione. Eodem anno Raimundus de Barjac miles dominus de Lussan & castri de Boquet tenere se a Guillelmo de Mandagoto episcopo testatur mansos beneficiarios de Gorjanicis, de Meyranicis, de Lera, de Lussano veteri, & alia plurima loca, ac in universum quidquid possidet in episcopatu Uceticensi, exceptis castro de Lussan, muris ac portorio dicti loci, quae a rege in beneficium habere se contendit. Reperitur idem antistes 19.

1323. Febr. 1323. in instrumento *accapti* seu emtionis factae per Pontium Blegerii procuratorem suum E a Johanne de Salcayrols de Montels. Pontii de Montelauro domini de Sabran & Berengariae uxoris ejus filiae unicae & heredis Rostagni de

1326. Sabran militis clientelam excepit an. 1326. die 22. Maii pro castro de Sabran & multis aliis locis, praesentibus Pontio du Pont praecentore, Guillelmo de S. Maximino priore S. Victoris canonico, Bertrando de Laudun dicti loci domino, Bertrando de Barjac condomino burgi S. Andeoli, Gilberto de Salvio militibus, Mauricio de la Tour, Petro de Mirabeau, Petro de Cabrieres domicellis, &c. idque praedicta Berengaria 8. Aprilis insequentis ratum habuit coram Pontio du Pont praecentore, *Alberto de Salvio milite, Paulo de Clermont, Guillelmo de Mirabeau, &c. Die vero 23. Maii ejusdem anni 1326. praedictus Pontius de Montelauro Guillelmo antistiti fidem suam obstrinxit pro castro de Tresque, in cujus possessionem immissus est ab episcopo, qui vexillum S. Theodoriti sublime attolli jussit in dicto castro, coram eisdem testibus, Pontio scilicet du Pont praecentore, Guillelmo de S. Maximino priore S. Victoris canonico, &c. Anno

1327. sequenti 17. Januarii eidem episcopo clientelam profitetur Raimundus Pelet domicellus toparcha d'Alais & de Rosson, pro castro de Rosson & aliis locis. Eodem mense & anno Berengarius de Ucetia miles, Ucetiae dominus ex parte idem praestitit pro castro de Colias, &c. Transegit eodem anno de urbis Ucetiae dominio, cujus quarta pars ad se pertinebat, cum Roberto de Ucetia filio Bermundi, mediae partis ejusdem civitatis & d'Aymargues dynasta, qui an. 1328.* XI. Januarii eamdem clientelae fidem, qua sese olim Bermundus ipsius genitor, Decani filius obstrinxerat, eidem Guillelmo episcopo, Raimundo de

1328. Sauve praeposito & capitulo renovavit. Memoratur idem Guillelmus 1330. 22. Septembris,

1330. 1331. & 1331. 22. Maii quo fundavit quatuor capellanias in sacello novo B. Mariae, quod olim G. de Gardiis Uceticensis antistes avunculus ejus exstruxerat, pro quibus dotandis assignavit quidquid apud Bellicadrum & Tarasconem acquisierat, cum certis juribus, quae in molendinis sub castro de *Ponthodorissia* sitis habebat, earumque collationem successoribus episcopis adscripsit. Actum Ucetiae praesentibus Johanne de Mandagout monacho & camerario sancti Guillelmi de Deserto, Petro de Cabrieres domicello & aliis. Quod & actum legimus anno 1338. eo ipso die 22. Maii, mendose, ut videtur, in alterutro loco.

1333. Occurrit etiam G. episc. Uceticensis an. 1333. mense Febr. in regesto quinto senescalliae Nemau-

1342. sensis, & 1342. 27. Octobris, quo cum R. de Mandagout praeposito & capitulo Uceticensis ecclesiae paciscitur de bonis ac spoliis decedentium canonicorum & priorum ejusdem ecclesiae, & quid inde fieri deberet in commune statuunt.

1344. Superstes erat Guillelmus episcopus an. 1344. 21. Aprilis ; utrum vero rebus humanis eodem anno excesserit, ignoramus.

XXXII. HELIAS.

DE SAINT YRIER.

De Annibaldis cognominatur Helias a D. Beaunier in Galliae Christianae compendio Gallico idiomate, cujus cognominis nullam affert rationem. Dicitur autem de S. Aredio *de S.t Yrier* a loco ubi natus est in Lemovicibus. Fuit is monachus ordinis S. Benedicti, doctor in decretis, & abbas S. Florentii Salmuriensis in pago Andegavensi, ad quam abbatiam promotus a papa Benedicto XII. fuerat 1335. mense Junio, & die 22. sequentis mensis Septembris ejus possessionem adeptus. Exinde factus episcopus Uceticensis, eo titulo decoratur ab anno 1344. ac

* f. Gilberto ut supra, aut vicissim.

* vide supra 1318.

ANNI CHRISTI

deinceps 1345. 46. & 48. in codice ms. cui titulus Gallicus *Genealogie de la maison d'Usès.* Sane frater Elias debita servitia cameræ apostolicæ persolvit diebus 23. Junii & ultima Decemb. 1345. Clementis VI. anno III. ex libro solutionum. Interfuit an. 1351. concilio provinciæ Narbonensis apud Biterras mense Novembri celebrato, ad quod evocatus fuerat litteris Petri archiepiscopi Narbonensis datis eodem anno 28. Septembris. Cardinalis ab Innocentio VI. summo pontifice creatur anno 1356. 23. Decembris, dein ab Urbano V. ad ecclesiam Ostiensem assumtus est an. 1363. Obiit Avenione an. 1367. die 10. Maii, sepultus ibidem in ecclesia cathedrali, ubi etiamnum conspicitur ejus sepulcrum, ex Baluzio tom. 1. vit. pap. Avenion. col. 932. & ex Ughello tom. 1. Italiæ sacræ, qui rejecta Ciaconii opinione hunc Heliam cardinalem recte distinxit ab altero per Clementem VI. creato, qui nuncupabatur de Nubiliaco, seu de Nabilanis, fuitque ex ordine S. Francisci ad archiepiscopatum Nicosiæ in Cypro insula promotus, de quibus in historia Cardinalitia. De Helia in necrologio Salmuriensi habetur 27. Maii *depositio D. Heliæ abbatis & cardinalis, Ostiensis patris monachorum.*

1345. 1351. T. XI. conc. col. 920. 1356. Tom. 1. vit. papar. Avenion. col. 331.

D'ARFEUIL ou D'AIGREFEUILLE.

XXXIII. PETRUS I.

Petrum de Agrifolio pluries jam celebravimus, necnon ejus clarissimam olim apud Lemovices gentem; fuit enim ex monacho abbas Angeriacensis, & postea celeberrimi apud Arvernos monasterii Casæ Dei; inde ad Claromontensem assumtus cathedram, quam rexit ab anno 1347. ad 1354. ut patet ex codice hominiorum episcopi Claromontensis p. 256. testante Baluzio. Tum factus est Vabrensis episcopus, postea Mimatensis, ac tandem Uceticensis an. 1357. ex Sammarthanis & aliis instrumentis. Vide appendicem seu instrumenta tomi 2. col. 95. ubi ad ecclesiam Uceticensem pontificio diplomate Innocentii papæ VI. Avenione dato VI. idus Febr. pontificatus anno V. translatus fuisse recte dicitur, sed perperam ab episcopatu Claromontensi. Exstat autem compositio Petrum inter episcopum Uceticensem & Eblonem de Forcia priorem claustralem S. Laurentii de Barjaco a Casa Dei dependentis, ex dono quondam Hugonis & Raimundi episcoporum Uceticensium, quam quidem legimus factam anno 1558. sed profecto legendum 1358. Memoratur Petrus episcopus 1360. & 1361. die 1. Febr. in instrumento venditionis factæ per Albertum de Taraux ejusdem loci condominum, de *deverio* Gallice *devoir* dicto *de Nuffa,* quod cessit in commodum Petri de Agrifolio episcopi Uceticensis. Eodem anno die 13. Julii Raimundus ipsius frater episcopus Ruthenensis testamenti sui illum instituit exsecutorem. Anno sequenti 18. Decembris claves urbis Ucetiæ a consulibus excepit vi sententiæ latæ per Johannem episcopum Bellovacensem Franciæ cancellarium, consulesque duos ex numero senario nominavit, coram testibus Johanne de Deucio præposito, Raimundo de Castillione

1357. 1360. 1361. 1362.

A domicello, Raimundi vicecomitis Uceticensis *agente* seu procuratore, & Rostagno de Monteviserio, &c. quæ omnia suo diplomate Villæ novæ secus Avenionem dato firmavit eodem anno Johannes cognomento Bonus Francorum rex. Compromissum fecit Petrus episcopus cum Mossaci consulibus, qui an. 1363. die 22. Febr. scripto professi sunt teneri se quinquaginta libris Turonensibus novo cuilibet episcopo Uceticensi perpetuo solvendis in testimonium obsequii sui; quæ reapse pecunia Petro ad hanc sedem recens translato numerata fuit. Quinimo sententia lata per Ademarum de Agrifolio Romanæ curiæ B marescallum Petri nostri germanum[a] & Johannem du Pont in decretis licentiatum plebs Mossacensis ducentorum auri florenorum summa eidem episcopo appendenda mulctatur die 23. ejusdem mensis & anni ob convicia ministris episcopi & damna prædiis ejus ac terris illata. Johannes quoque Bellovacensis antistes Franciæ cancellarius eodem anno 17. Febr. summa quadringentorum auri florenorum mulctavit incolas loci S. Ambrosii ad episcopi Uceticensis dominium pertinentis, quod generalem ejusdem præsulis vicarium aliosque ministros injuriis affecissent. Anglici vero episcopi Avenionensis arbitri sententia lata anno C 1364. die 16. Febr. querela Petrum inter episcopum & consules S. Anastasii sopita fuit. Denique Petro adhuc sedente Olricus de Saumate prior de Senilhaco vicarius ejus generalis ac officialis Uceticensis plures capellanias dirutas contraxit in quatuor in urbana S. Stephani ecclesia constitutas; quod firmavit Petrus episcopus an. 1364. vel sequenti die 16. Septembris. Sane adhuc memoratur episcopus an. 1365. Reliqua si quæ sunt hujus episcopi in ea sede gesta, sicut & annum obitus ignoramus. Id unum restat observandum ex Sammarthanis & chartis Uceticensibus Guillelmum Grimoardi de Grisaco, qui ex D abbate S. Victoris Massiliensis ad summum evectus est pontificatum an. 1362. vicarium fuisse ac officialem Petri episcopi, dum ecclesiæ Uceticensi præerat.

ANNI CHRISTI 1363. a 1364. 1365.

GERARD al. DE LA ROUERE.

XXXIV. PETRUS II.

In veteri fratrum Gemellorum Gallia Christiana sequitur post Petrum de Agrifolio Petrus cognominatus *de Ruvera,* & *Gerardi* in episcopis Mimatensibus, Urbani papæ V. nepos, quem nos etiam tomo primo col. 98. scripsimus ab ecclesia Uceticensi ad Mimatensem vocatum, die 2. Aprilis an. 1366. nunc 1367. sacramentum præstitisse, E & inde ad Avenionensem translatum ab eodem Urbano V. mense Oct. 1368. ubi tamen hunc omisimus; neque enim is esse potest Petrus Gerardi n. LXIX. tom. 1. col. 825. quem ex præposito Massiliensi anno 1382. D. de Ruffi ad preces civium Massiliensium creatum a summo pontifice Leutevensem episcopum asserit; quique

[a] Sic habet laudatus ms. codex stemmatis domus Uceticensis, quem præ manibus habemus, ubi sunt excerpta ex chartis authenticis; vir tamen clarissimus D. d'Hosier in sua de nobili Agrifoliorum gente lucubratione vocat hunc Aimarum seu Ademarum patruelem tantum Petri Uceticensis & Raimundi Ruthenensis episcoporum. Vide tom. 1. col. 825.

ANNI CHRISTI

postea factus est Aniciensis episcopus, tum Avenionensis, ac demum cardinalis & episcopus Tusculanus, quod de Urbani V. nepote nullibi legimus. Ceterum ille, de quo nunc agimus, Petrus Gerardi nonnisi brevissimo temporis intervallo, ab anno scilicet 1365. Uceticensi præfuit ecclesiæ, ad annum 1366. quo ad Mimatensem translatus est III. id. Aug. anno IV. Urbani V. ex regestis Vaticani.

1366.

XXXV. Bonuspar.

Vacanti Uceticensi cathedræ per translationem Petri ad Mimatensem anno 1366. pontificatus Urbani V. anno quarto III. idus Augusti, admovetur Bonuspar legum doctor præpositus ecclesiæ Mimatensis, subdiaconus papæ, in sacerdotio constitutus; qui electus nuncupatus 17. Augusti ejusdem anni consueta promisit servitia, ex libro obligationum Urbani papæ V. Occurrit quoque hic episcopus, a Sammarthanis omissus, an. 1367. in archivo ecclesiæ Narbonensis, & in duabus chartis Uceticensis ecclesiæ 1366. & 1368. quo ultimo 27. Apr. Petrus Narbonensis archiepiscopus comprovinciales episcopos ad Vaurense concilium ex tribus provinciis celebrandum convocans, litteras direxit B. episcopo Uceticensi, ad quas in absentia episcopi rescripsit ejusdem vicarius generalis & officialis Blancus Duriane prior S. Baudilii prope Nemausum, se quam diligentissime poterit contenta in eis fideliter observaturum; in actis vero ejusdem synodi legitur B. episcopus ad illam pro se vicarium misisse. Innotescit aliunde Bonuspar nominatus in arresto seu decreto senatus Parisiensis an. 1369. XI. Januarii, hoc est 1370. dato Parisiis inter eum & Guillelmum ac Berengarium de Ucetia milites. Is est haud dubie Bonuspar cognomento *Virgilii* e sede Uceticensi ad Mimatensem translatus a Gregorio papa XI. qui pro decessore recognovit 26. Junii anno 1371. ex regestis Vaticani. Vide quæ de eo t. I. col. 100. scripsimus.

1367. 1368. 1370. 1371.

XXXVI. Bernardus I.

DE SAINT ESTIENNE.

Hujus ecclesiæ gubernacula tenebat Bernardus a S. Stephano jam anno 1371. die 24. Junii, quo debita servitia promisit, ex libro obligationum Gregorii papæ XI. Anno sequenti die 5. Junii adfuit translationi corporis Urbani papæ V. in ecclesiam sancti Victoris Massiliensis, ex archivo ejusdem cœnobii. Sententiam latam per Johannem cardinalem sanctæ Sabinæ, qua potestas & jurisdictio Bernardi episcopi & Jordani præpositi in capitulum certis finibus circumscribitur, Gregorius XI. approbavit & confirmavit anno 1373. ex tabulis ecclesiæ Uceticensis. Ad concilium Narbonense vocatus anno 1374. die prima Februarii promisit se obtemperaturum litteris datis 23. Februarii ejusdem anni; & revera mense Aprili insequenti misit suo nomine procuratorem, uti nos docent hujus acta concilii.

1373. 1374. *T. XI. conc. col. 2498.*

XXXVII. Martialis.

Sedebat in Uceticensi cathedra Martialis episcopus die 3. Martii anno 1375. ex tabulis ecclesiæ Narbonensis. Biennio post transegit cum Raimundo Jordano Uceticensis ecclesiæ præposito de utriusque potestate & jurisdictione. Memoratur anno circiter 1381. in veteri chirographo S. Stephani Tolosæ, quo anno Eleazarus de Sabrano Petri filius, ac Pontii de Montelauro heres clientelam exhibuisse legitur Martiali episcopo Uceticensi, pro quarta parte baroniæ de Sabrano beneficiario jure obstricta episcopatui Uceticensi, ex tabulario episcopali. Occurrit in schedis viri eruditi D. Lancelot anno 1390. in festo S. Andreæ apostoli. Anno sequenti contulit Johanni Armando *al.* Ainardo perpetuam vicariam ecclesiæ de Posilhaco, ad nominationem seu præsentationem fratris Gerardi de Parcello S. Andreæ monachi, qui ratione officii infirmarii hujus ecclesiæ patronatum obtinebat. Actum cal. Aug. anno 1391. Interfuit an. 1394. IV. non. Febr. hoc est 1395. concilio nationali coacto Parisiis a rege Carolo VI. ad sedandum schisma. Sedit inde ad annum saltem 1398. quo alteri eadem de re & in eadem urbe adstitit cœtui prælatorum & doctorum, ex notis mss. Baluzii in veterem Galliam Christ.

ANNI CHRISTI 1375. 1377. 1381. 1390. 1391. 1394. *T. XI. conc. col. 2511.*

XXXVIII. Petrus III.

DE BEAUBLÉ.

Ignotus Gemellis fratribus Petrus *de Beaublé*, lingua vernacula *Belbladi*, reperitur electus, confirmatus & consecratus post annum 1398. ex Baluzio, tempore schismatis, quo ex obedientia Benedicti XIII. seu Petri de Luna subduxit se Gallicana ecclesia, festivaque pompa in sedem suam invectus est, ut liquet ex depositione testium pro juribus episcopi Uceticensis facta anno 1446. in qua unus ex testibus sic loquens inducitur: *& vidi, & præsens fui, dum DD. Petrus Belbladi & Guiraudus de Brolio fecerunt eorum intratas novas, quos dextraverunt gentes tunc domini vicecomitis.* Fuit exsecutor testamenti Ludovici ducis Aurelianensis 19. Octobris 1403. Transiit inde ad ecclesiam Sagiensem an. 1405. ex Baluzio in notis mss. ad veterem Galliam Christianam.

1403. 1405.

XXXIX. Guillelmus IV.

Innotescit Guillelmus episcopus Uceticensis ex actis concilii Pisani an. 1409. tom. 6. Spicilegii pag. 352. cui interfuit, nisi forte is sit Guiraudus, qui sequitur, suppleta perperam littera *G.* aut syllaba *Gui*, per nomen Guillelmi, loco Guiraudi, quod certe innuit testimonium mox relatum in Petro III. de Beaublé: nullum enim aliud Guillelmi vestigium occurrit.

1409.

XL. Geraldus II.

DE BREUIL.

Cognominatus de Brolio, seu de Bruellis Geraldus, qui & Guiraudus, solemni & ipse apparatu in urbem suam intravit, ex supra dictis in Petro n. XXXVIII. Memoratur in variis instrumentis annorum 1412. & 1414. Bullam Martini V.

1412. 1414.

ANNI CHRISTI 1418. 1420. 1424.

pro exemtione capituli Aniciensis ab episcopali jurisdictione promulgavit anno 1418. Clientelæ professionem excepit a Guillelmo de Medullione 1420. quo anno & sequenti reperitur in tabulis ecclesiæ Narbonensis. An. 1424. die 7. Febr. rogatu Guillelmi domini de Montalen militis, senescalli Bellicadri & Nemausi, ac fratris Rainaudi de Cambrone monachi expresse professi monasterii Montisserrati ord. S. Bened. Vicensis diœcesis non Uticensis, ut irrepsit in appendice ch. XX. col. 309. eremiticam vitam agere cupientis, huic ecclesiam & claustrum B. Mariæ de Carsano diœcesis Uceticensis habitare permisit. Denique fato functus est anno 1425. exeunte, aut ineunte 1426. ex bulla promotionis ejus successoris.

1426.

SOIBERT.

XLI. PETRUS IV.

Post obitum Geraldi electus est a capitulo Petrus Soiberti civis Uceticensis, decretorum doctor & Albiensis ecclesiæ canonicus, confirmatusque bulla Martini V. data V. cal. Febr. 1426. anno ejus pontificatus nono, ex regesto pontificio. Transfertur mox ad ecclesiam S. Papuli, ubi de illo plura.

DE CADOENE.

XLII. BERTRANDUS.

Ex monacho Cluniacensi fit abbas Salviensis in diœcesi olim Nemausensi, nunc Alesiensi, ubi omissus a nobis, tum episcopus Paphensis in insula Cypro, postea S. Flori antistes, ac demum Uceticensis præsul, ad quam ecclesiam adhuc 26. Aprilis 1426. vacantem migravit die 4. Maii ejusdem anni, ex regesto pontificio, ritu solemni, antecessorum more, in urbem suam invectus. Interfuit concilio Narbonensi an. 1430. & Basileensi ann. 1432. & 1435. ex Baluzio in notis mss. ad veterem Galliam Christianam. Hoc certe ultimo anno aberat Bertrandus episcopus, utpote quo vicarius Uceticensis subscripsit litteris episcoporum ad concilium Basileense in gratiam Geraldi translati a sede Appamiensi ad ecclesiam S. Pontii Tomeriarum. Anno 1437. die 29. Octobris ipsi & Guillelmo Soiberti præposito fidem clientelarem professi sunt Johannes Uceticensis vicecomes & Alziarius de Ucetia fratres. Quo anno mortalitatem expleverit incertum.

1430. 1435. 1437.

DE CHAMPEAUX.

XLIII. GUILLELMUS V.

Hic est Guillelmus episcopus & dux Laudunensis, comesque consistorianus, qui in partibus Aquitaniæ quindecim annis jussu Caroli VII. regis moratus est, ut videlicet populos in ejus obsequio contineret. De hoc autem quantum ad rem præsentem attinet, sic habet regestum pontificium : *Guillelmus episcopus Laudunensis, revocata ab ipso ecclesiæ Nemausensis commenda, fit episcopus Uceticensis per obitum Gerardi, XVI.* (forte XIII.) *calendas Junii 1441.* & iterum : Guillelmus episcopus Laudunensis fit Uceticensis 20. Maii 1441. Et certe hoc anno mensibus Aprili & Maio administrator perpetuus Uceticensis ecclesiæ dicitur in tabulis curiæ rationum Parisiensis, seu dominii regii senescalliæ Bellicadri. Obierat anno saltem 1445. IV. idus Julii ex dicendis : sed longe ante administrationi nuncium remiserat, nam

1441.

DE COETIVY.

XLIV. ALANUS.

Nobilis Armoricus Alanus de Coetivy episcopus Avenionensis, postea cardinalis, de quo jam diximus tom. I. & in Dolensibus atque Corisopitensibus episcopis adhuc sermo recurret, ecclesiam quoque Uceticensem rexit sub administratoris perpetui titulo die 2. Octob. 1442. & 1443. ex actis cameræ rationum Parisiensis. Reperitur & anno 1444. V. idus Augusti & 1445. in tabulis ecclesiæ Narbonensis. Ejusdem sub hoc titulo fit mentio anno 1444. in laudato ms. codice stemmatis Uceticensis familiæ. Verum anno sequenti IV. idus Julii hæc ab ipso revocata fuit administratio, uti legitur in promotione successoris.

1442. 1443. 1444. 1445.

SOIBERT.

XLV. GUILLELMUS VI.

Ab Alano revocata commenda Uceticensis ecclesiæ, necnon & per obitum Guillelmi (V.) episcopi, ad ejusdem promovetur regimen Guillelmus Soiberti, antea præpositus, IV. idus Julii an. 1445. ex regesto pontificio ; in quo rursum die & anno prædictis creatus legitur episcopus Uceticensis per obitum Bertrandi. Transiit inde ad ecclesiam Carpentoratensem per translationem Sagacis ad Spoletanam, III. calend. Junii anno 1446.

1446.

DU CHASTEL.

XLVI. OLIVERIUS.

Illustri & perantiqua apud Armoricos stirpe satus Oliverius de Castro, protonotarius apostolicus, Uceticensi cathedræ impositus est per translationem Guillelmi ad Carpentoratensem III. cal. Junii anno 1446. ut produnt tabulæ Vaticani. Sacræ etiam capellæ Parisiensis thesaurarius erat an. 1445. necnon prior commendatarius Pontis S. Spiritus in diœcesi Uceticensi ab an. 1444. quo in prioratu an. 1447. visitationis officium implevit. Fratrem habuit famosum illum Tanaquillum seu Taneguidum de Castro, Bellicadri & Nemausi senescallum, magnum Franciæ hipparchum, seu equitum præfectum, majorem domus Britanniæ ducis, Ruscinonis ac Ceritaniæ provinciarum proregem, Johannis Burgundiæ ducis cæde Monsterolii ad Icaunam fluvium perpetrata notissimum.

1447.

Quod spectat ad Georgium d'Ornone, quem diximus Ughelli fide tom. I. col. 909. Uceticensis ecclesiæ fuisse episcopum, quando ad Carpentoratensem pervenit, non Uceticensis, sed Vicensis, ex regestis Vaticani, erat episcopus.

DU CHASTEL.

XLVII. GABRIEL.

Oliverii ex fratre nepos Gabriel, sedis apostolicæ protonotarius, Uceticensis ecclesiæ regimen suscepit III. nonas Dec. an. 1448. ex regesto pontificio, ubi iterum Gabriel Uceticensis electus dicitur 22. Dec. an. 1449. Nicolai papæ V. anno III. idemque rursum in tabulis Uceticensibus legitur

1448. 1449.

ANNI CHRISTI 1452.

electus 1452. tunc admodum juvenis, vix enim annum vigesimum tertium excesserat. Verum post quatuor annos una cum Nicolao Massiliensi episc. adstitit Alano cardinali Avenionensi consecranti episcopum Forojuliensem Dominica Palmarum 21. Martii 1456. Gabrieli quoque episc. Guillelmus de Lauduno vice patris sui Hugonis de Lauduno domini Montis falconis Avenionensis dioec. senescalli Bellicadri & Nemausi recognovit quidquid habebat infra civitatem Ucetiæ & ejus fossata, aliaque plurima an. 1459. de quibus consule chartam in appendice relatam. Romæ defunctus Gabriel episc. 1463. conditus ibidem jacet in ecclesia S. Praxedis juxta sacellum columnæ Domini, ubi hoc habet epitaphium: *Gabrieli de Castro episcopo Uceticensi, origine Britoni, consobrino clarissimo Alanus hujus sacræ ædis cardinalis Avenionensis benemerenti fecit. Obiit anno Christi 1463. mense Septembri, ætatis suæ 34.*

1459. Ch. XXI. col. 311. 1463.

XLVIII. JOHANNES I.

DE MAREUIL.

Inductum a Sammarthanis Guillelmum anno 1463. ex tabulario, inquiunt, hujus ecclesiæ, omittimus, utpote de quo nihil reperimus, & cui aliunde non suppetit locus; fortasse videlicet illius schedæ qua viri docti usi sunt, exscriptores apicem G. Guillelmi nomine loco Gabrielis supplеverunt. Et certe Johannes non semel, neque bis, sed usque tertio in regestis pontificum legitur factus episcopus Uceticensis IV. cal. Octobris Pii II. papæ anno sexto; e Baionensi ad Uceticensem translatus ecclesiam IV. cal. Oct. 1463. in Baionensi sede Johannem alterum nactus successorem; ac denique Johannes episcopus Baionensis translatus ad Uceticensem cathedram IV. cal. Octobris 1463. per obitum Gabrielis. Porro Johannes *de Marolio* dictus, seu *de Marilhogio* (de Mareulh, ut se ipse vocat) quem *& de Mirabilibus* cognominant tabulæ capitulares, fratrem habuit Guidonem militem de Marolio & de Domnopetro *Dompierres* prope Rupellam toparcham, ex charta abbatiæ sancti Leonardi de Calmis ordinis Cisterciensis in pago Alnisiensi *l'Aunis*, in qua ipsemet Johannes episcopus memoratur an. 1467. Regi a consiliis se ipse dicit anno 1470. die 1. Junii in apocha centum & decem librarum Turonensium, quas, quia comitiis Occitaniæ apud Montempessulanum celebratis adfuerat mense Maio anni præcedentis, acceperat, ex charta authentica collectionis D. de Gagneres. Hujus quoque præsulis fit mentio in actis senatus Tolosani an. 1472. necnon in tabulis capituli Ambianensis, cujus fuit cancellarius. Obtinuit eodem anno Sanctegidianam abbatiam dioecesis Nemaus. a Sixto IV. pontifice. Anno 1474. 8. Julii Avenione morabatur simul abbas & dominus S. Egidii, quo se profitetur accepisse centum libras a Ludovico Nivart regio in Occitania quæstore. Interfuit an. 1480. mense Junio Occitaniæ comitiis apud Montempessulanum habitis; quamobrem se 85. libras Turonenses accepisse scripto profitetur die 16. Junii anni sequentis, ex chartis authenticis collectionis D. de Gagneres. Illum beneficum experta est abbatia S. Stephani Bassacensis ordinis S. Benedicti in finibus Santonum, in cujus beneficii memoriam duo quotannis inibi celebrantur anniversaria pro eodem præsule 12. Februar. & 17. Septembris. Fundavit quoque missam quotidianam in ecclesia B. Mariæ de Caduino ord. Cisterciensis apud Petrocorios an. 1483. quo tandem, (non 1482. ut irrepsit errore typographi in abbatibus sancti Egidii) ex hac vita migravit mense Julio exeunte vel ineunte Augusto, ex archivo regii patrimonii Monspeliensis.

1467. 1470. 1472. 1480. 1481. 1483.

XLIX. NICOLAUS I.

MAUGRAS.

Vacante Uceticensi cathedra per obitum Johannis ultimi ejusdem pacifici possessoris, canonici die 8. Augusti anno 1483. Nicolaum Maugras seu Malgrassi, corrupte Molegra, religiosum professum, ac præpositum hujus ecclesiæ, regis consiliarium, & in jure canonico doctorem elegerunt episcopum, quem 2. Octobris Narbonensis archiepiscopus confirmavit; sicque Nicolaus episcopatus adeptus est possessionem, sed tamen minus pacificam; nam Jacobus de S. Gelasio eidem ecclesiæ initio Septembris ejusdem anni a summo pontifice præfectus est; quod gravissimis litibus ansam præbuit, quæ necdum sopitæ erant anno 1488. 13. Augusti, ex commentariis supremæ curiæ Parisiensis; unde profecto etiam in commentariis senatus Tolosani reperitur Johannes (lege Jacobus) episcopus anno 1489. Perstitit nihilominus in sua possessione Nicolaus, qui quidem anno 1484. 16. Julii memoratur in prædictis Tolosani senatus commentariis; & regi Carolo VIII. fidelitatis sacramentum pro temporalibus episcopatus præstitit anno 1486. 7. Augusti. Inde præfuit ad annum 1503. quo chartæ Castrenses ejus obitum memorant die 3. Octobris.

1484. 1486. 1503.

L. JACOBUS I.

DE SAINT GELAIS.

Hunc episcopatum a summo pontifice jamdudum obtinuerat Jacobus de S.t Gelais Petri domini de S.t Aulaye & de Monlieu ex Philiberta de Fontenay filius, nempe an. 1483. III. nonas Septembris, ex libro 173. bullarum Sixti IV. papæ, ubi clericus Nivernensis, notarius apostolicus, baccalaureus in decretis, & nobilis electus Uticensis per obitum Johannis nuncupatur; idemque paulo post, die videlicet 16. Septembris ejusdem anni debita servitia promisit, ex regesto tertio solutionum ejusdem papæ. Verumtamen ad hujus ecclesiæ possessionem non pervenit nisi anno 1503. quo memoratur episcopus Uceticensis, sicut & annis sequentibus 1504. 1505. 23. Januarii, 1509. & 1510. in stemmate ms. domus Uceticensis. Transegit hoc ultimo anno 14. Febr. cum capitulo de archipresbyteratu & præcentoria, quas dignitates aliis quam de capituli gremio religiosis contra statuta contulerat. Recensetur etiam in tabulis Uceticensibus annorum 1514. & 1519. Naturæ tandem debitum solvit anno 1539. octogenario quinque annis major. Vide in abbatibus S. Maxentii in Pictonibus t. 2. col. 1261. quod monasterium

1505. 1510. 1514. 1519.

ANNI CHRISTI 1531.

diu tenuit in commendam, ac beneficiis cumulavit. Illic autem innuitur eum jam anno 1528. hanc abbatiam nepoti suo cessisse; quod etiam dicendum est de episcopatu circiter annum 1531. uti mox patebit.

DE SAINT GELAIS.

LI. JOHANNES II.

Superioris ex fratre nepos Johannes de Saint Gelais patruo successit tam in abbatia S. Maxentii, quam & in sede episcopali Uceticensi, & hic quidem jam anno circiter 1531. ut liquet ex libello supplici, quem regi Carolo IX. contra depositionis sententiam in se a summo pontifice prolatam obtulit anno 1566. in quo se ante annos 35. nominatum episcopum regia schedula dicit, & ecclesiæ Romanæ semper adhæsisse; idque confirmatur ex tabulario S. Maxentii, ubi Johannes a Lotharingia Narbonensis archiepiscopus tres episcopos anno 1531. die Martis ultima mensis Octobris delegasse legitur ad consecrandum Johannem de S. Gelasio electum episcopum Uceticensem. Memoratur episcopus in schedis domini capiscoli hujus ecclesiæ annis 1542. & 1545. A fide catholica devius ad segregum partes defecisse dicitur, jamque an. 1543. die 9. Martii impia Calvinistarum dogmata disseminare cœpisse, uxoremque postea duxisse quamdam abbatissam; quamobrem illum præpositus Gabriel Froment a fidelium communione semoverit. Sane cum Romam citatus ab inquisitoribus fidei sub Pio IV. pontifice maximo, cum aliis pluribus episcopis Gallicanis ad eluendum crimen hæreseos, non comparuisset, in eum lata est sententia a Pio V. 19. Julii an. 1566. qua dejectus ab episcopatu declaratus fuit. At mox eodem anno regi Carolo IX. libellum supplicem obtulit, de quo supra, eumque rex illico redintegravit, scriptis in ejus gratiam litteris ad senescallum Bellicadri, aut ejus locum tenentem. Præterea Henricus Clutinius Oisellius tunc Caroli IX. christianissimi regis apud pontificem orator graviter de prædicta sententia expostulavit; pervicitque apud papam ut libertates & jura ecclesiæ Gallicanæ sarta tecta manerent, quibus cautum est ne prælati regis subditi ex quacumque causa extra regnum aut alio ad tribunal pontificium trahantur, sed eorum causæ metropolitani & comprovincialium episcoporum secundum canones judicio reserventur, salva ad sedem apostolicam appellatione. Interea Johannes anno 1561. adfuit cœtui cleri Gallicani apud Pissiacum, qui si unquam hæretica labe infectus, eam certe postmodum ejuravit. Demum exhalavit animam in domo abbatiali S. Maxentii *l'Hort de Poitiers* nuncupata, in Pictonibus prope S. Maxentii oppidum die 13. Martii an. 1574. sepulcro illatus in eodem S. Maxentii cœnobio. Tres interim ad hanc ecclesiam regendam præsules a papa nominatos subjicimus, quanquam vere non fuerunt episcopi.

(margin: 1542. 1545. Sammarth. — Tom. 1. Prob. eccles. Gallicanæ pag. 418. — 1561.)

Primus est Antonius Garcie, de quo sic habetur in regesto pontificio, seu tabulis Vaticani: *Venerabilis & religiosus frater Antonius Garcie ordinis Cisterciensis fit episcopus Ucetiensis 22. Martii 1564.*

Secundus Marcus Antonius, de quo ibidem: *Marcus Antonius Oradinus clericus Perusinus, juris utriusque doctor, episcopus Uticensis electus die 6. Octobris 1565.*

Tertius denique Johannes Baptista Cheremotius, qui in iisdem Vaticani tabulis factus episcopus Uticensis legitur 17. Martii anni 1567. His itaque missis

DE GIRARD.

LII. ROBERTUS.

Vezenobrii natus Robertus cognomento *de Girard*, ex canonico regulari hujus ecclesiæ in episcopum sublectus, præerat an. 1570. seditque ad annum circiter 1595. quo defunctus erat ex dicendis.

(margin: 1570.)

ROUSSET.

LIII. FRANCISCUS I.

Vacante Uceticensi ecclesia per obitum Roberti de Girard successor a rege designatur Franciscus Rousset presbyter & canonicus ejusdem ecclesiæ, dumque bullas obtineat, nominatur œconomus anno 1595. id approbante consilio magno 14. Julii ejusdem anni. Franciscus postmodum abdicavit.

(margin: 1595.)

DE VIGNE.

LIV. LUDOVICUS.

Ex Carmelitarum familia Ludovicus de Vigne Henrici IV. regis nominatione ad infulas Uceticenses assumtus est anno saltem 1601. quo primus titulum comitis Uceticensis sibi adscivit, quem usurparunt successores usque ad diem 2. Junii 1723. quo illum exuere & abdicare edicto parlamenti Parisiensis coacti sunt. Eo sedente anno 1603. fundantur patres Minimi ad Pontem S. Spiritus. Adfuit anno 1609. provinciali concilio Narbonensi. Moritur Avenione in cœnobio sui ordinis an. 1624. cum prius in partem laborum allegisset coadjutorem, qui sequitur.

(margin: 1601. 1603. 1609. 1624.)

DE FAY PERRAULT.

LV. PAULUS ANTONIUS.

Parentibus Johanne barone de Peralto & Vezenobrio equite torquato & Maria Montmorenciaca Henrici ducis regii stabuli comitis notha genitus Paulus Antonius de Fay patruum habuit Johannem Pictavorum antistitem. In coadjutorem adscitus a Ludovico de Vigne, consecratur sub titulo Leonopolis episcopi an. 1614. Interfuit annis 1615. & 1625. cleri Gallicani comitiis generalibus Lutetiæ Parisiorum congregatis. Vivere desiit quo tempore rebellionis in Occitania exortæ & contumaciæ accusabatur, & quidem ante 4. Aprilis anni 1633. quo nuncius de ipsius morte Parisios allatus est.

(margin: 1625. 1633.)

DE GRILLÉ.

LVI. NICOLAUS II.

De Nicolao jam scripsimus tom. 1. in Vasionensibus episcopis, ad quam sedem, cum esset decanus capituli B. Mariæ Pruvinensis petente regina Anna Austriaca, cui erat a concionibus, nominatus fuit anno 1631. Transiit vero ad Uceticensem ecclesiam mense Aprili anni 1633. cujus capituli reformationem aggressus est inito contractu an. 1638. die 4. Dec. cum canonicis regularibus a S. Genovefa nuncupatis. Anno seq. die 9. Febr. cum aliis episcopis Lutetiæ apud

(margin: 1638. 1639.)

ANNI CHRISTI

S. Genovefam congregatis scripsit ad episcopos Galliæ de damnandis duobus voluminibus, uno de libertatibus ecclesiæ Gallicanæ, altero de probationibus earumdem libertatum. Parisiis facundissime peroravit an. 1643. die 1. Junii cum justa funebria regi Ludovico XIII. clerus Gallicanus persolveret in ecclesia majorum Augustinianorum, præsentibus quotquot aderant in urbe præsulibus; & iterum in funere Johannis de Budes comitis de Guebriant equitum tribuni, hunc celebri laudavit oratione in metropolitana Parisiensi basilica an. 1644. die 9. Junii. Eodem anno die 13. ejusdem mensis cum Octavio de Bellegarde Senonensi archipræsule & Petro de Broc Autissiodorensi episcopo ex delegatione sedis apostolicæ sententiam tulit de strictiori disciplina religiosa ordinis Cisterciensis. Lugduni adfuit sacræ inunctioni Jacobi Adhemar de Monteil de Grignan episcopi Tricastinensis anno 1645. qua facta, Parisios perrexit ad comitia cleri Gallicani; quibus iterum interfuit an. 1656. vide t. 1. col. 734. Ecclesiam cathedralem instauravit. Religionis catholicæ cultor semper studiosissimus eidem in sua diœcesi promovendæ familiarium in Evangelia sermonum librum & catechismum composuit. Uceticæ tandem spiritum exhalavit 12. Febr. an. 1660. assumto prius in coadjutorem Jacobo, qui sequitur; ac proinde emendandum quod diximus in episcopis Olorensibus t. 1. col. 1279. Petrum de Berthier episcopum Uceticensem & coadjutorem Montalbanensem adstitisse Dominico de Vic Ausciensi archiepiscopo Petrum de Gassion episcopum Olorensem consecranti anno 1648. titulus enim Petri fuit Uticensis in partibus infidelium *Utique* in Africa, non Uceticensis.

LVII. Jacobus II.

ADHEMAR DE MONTEIL DE GRIGNAN.

E sede Tricastinensi ad Uceticensem traducitur sub coadjutoris titulo anno 1657. 22. Maii Jacobus Adhemar de Monteil de Grignan, cujus gesta genusque nobilissimum delibavimus tom. 1. col. 733. in Tricastinensibus episcopis. Nicolao defuncto, ecclesiæ Uceticensis possessionem inivit per procuratorem 18. Februarii an. 1660. cum paulo antea die 5. ejusdem mensis regi sacramentum fidelitatis præstitisset. Abbatias quoque sancti Georgii ad Ligerim diœcesis Rotomag. & Fontis dulcis diœc. Santon. ubi omissus a nobis t. 2. col. 1121. obtinuit in commendam. Anno 1663. basilicam cathedralem solemni ritu consecravit. Interfuit anno 1665. cœtui cleri Gallicani, a quo cum pluribus aliis missus est, qui regiam majestatem ejusdem cleri nomine rogaret, ut mentem suam aperire dignaretur super edicto Nannetensi, quod in pravum sensum & in ecclesiæ catholicæ damnum hæretici detorquebant. Unionem capituli cum reformata canonicorum regularium S. Genovefæ congregatione rescindi curavit sanctioris consilii decreto an. 1671. Ædes episcopales construxit, moniales a Nostra Domina in urbem admisit, ac etiam legionem ex collectitiis copiis in patriæ tutelam propriis sumtibus coëgit anno 1674. quo inter vivos desiit esse, Grignani defunctus mense Septembri,

LVIII. Michael I.

PHELYPEAUX DE LA VRILLIERE.

Michaelis genus, parentes & munia in archiepiscopis Bituricensibus tom. 2. col. 109. prosecuti sumus. Quod spectat ad Uceticensem episcopatum, quem fere triennio antea tenuit, ad hunc schedula regia nominatus fuerat an. 1674. 22. Nov. Protinus autem Calvinianæ sectæ adhærentes ab urbis consulatu removendos curavit sanctioris consilii placito, & consilium urbis politicum ex solis catholicis constare in posterum voluit, longe plura eidem urbi ac diœcesi beneficia collaturus, ni ad archiepiscopatum Bituricensem, rege sic volente, translatus fuisset anno 1677. 18. Junii. Abbas fuit B. Mariæ de Absia, Niolii, utriusque, diœcesis Malleac. ut diximus tom. 2. col. 1384. & 1395. ac S. Laudi in Normannia. Obiit Parisiis die 18. Apr. 1694. ætatis 52.

LIX. Michael II.

PONCET DE LA RIVIERE.

Patre comitum consistorianorum decano, summoque ærarii tribuno natus Michael Poncet de la Riviere, doctor & socius Sorbonicus, abbas Brolii Benedicti, & S. Eligii fontis prope Calniacum, ad infulas Uceticenses destinatur a rege Ludovico XIV. an. 1677. 18. Junii; conseeraturque Parisiis in æde sacra Sorbonæ 8. Maii anni sequentis ab archiepiscopo Parisiensi, collaborantibus Engolismensi & Montalbanensi præsulibus. Ex decreto sanctioris consilii obtento a decessore Jacobo 1671. cathedrale capitulum eum in statum restituit, quo erat antequam uniretur congregationi S. Genovefæ; imo & apud pontificem maximum egit, ut a regula S. Augustini, votisque religionis solveretur. Ecclesiam cathedralem, ædesque episcopales variis ædificiis & ornamentis auxit & decoravit. Templum Calvinistarum senatus Tolosani decreto evertendum fategit anno 1684. sacellum in hospitali domo S. Salvatoris Uceticensis a fundamentis erexit; ecclesias parœciales ab heterodoxis dirutas instauravit, labantes refecit. Vias quoque publicas viatoribus & commercio circumquaque per diœcesim stravit; pauperum inopiæ sublevandæ sollicitus, piorum aliquot cœtum virorum instituit, qui eis pecunia & industria opitularentur. Anno 1686. delegatorum ab Occitaniæ comitiis nomine delegatus & ipse ad regem verba fecit, & iterum 22. Augusti 1703. Dum autem ageretur de novi apud Alesiam episcopatus erectione, testis oculatus utilem fore testatus est juridice die 2. Junii an. 1693. ætatis tunc circiter 51. Parisiis demum e vivis excessit meritis annisque gravis mense Nov. anno 1728. antiquissimus præsulum Franciæ, sepultusque est in ecclesia parœciali S. Gervasii.

(1693. Ch. I. col. 225. — 1728.)

LX. Franciscus II.

DE LASTIC DE S.t JAL.

E dynastis de S. Gallo in agro Lemovicensi ortus Franciscus vicarii generalis munia obivit in diœcesi Burdegalensi, tum fuit decanus ecclesiæ collegiatæ B. M. Andeliacæ, & vicarius generalis archiepiscopi Rotomagensis; ac denique regia nominatione

ANNI CHRISTI

nominatione ad episcopatum Uceticensem evocatus est anno 1728. 26. Novembris. Sacram percepit unctionem Parisiis in sacello seminarii S. Sulpicii ab archiepiscopo Rotomagensi, assistentibus Andegavensi & Lucionensi præsulibus die 3. Apr. 1729. & 8. ejusdem mensis regi sacramentum dixit. Ab hac ecclesia ad Castrensem translatus est schedula regia die 8. Sept. 1736. quo nomine propositus Romæ in consistorio pontificio 17. Nov. ejusdem anni, adstitit episcopus Castrensis anno sequenti 14. Martii sacræ inunctioni sui in cathedra Uceticensi successoris.

1729.

1736.

BAUYN.

LXI. BONAVENTURA.

Patria Divionæus Bonaventura filius Johannis Baptistæ Bauyn, consiliarii honorarii in parlamento Divionensi, canonicus primum ecclesiæ A collegiatæ sancti Stephani Divionensis, doctor Sorbonicus 7. Julii 1728. cancellarius ecclesiæ Paris. 4. Dec. anni ejusdem, abbas commendatarius S. Bartholomæi Noviomensis mense Januario 1729. & vicarius generalis archiepiscopi Paris. mense Maio 1730. designatus episcopus Uceticensis 8. Septemb. 1736. Romæ propositus 17. Novemb. ejusdem anni, ibidemque admissus XI. Febr. 1737. hoc ipso anno die 24. Martii Dominica tertia Quadragesimæ sacro delibutus est oleo Parisiis in sacello archiepiscopali ab archiepiscopo Paris. collaborantibus episcopis Catalaunensi & Castrensi. Dominica seq. 31. B Martii regi sacramentum dixit in sacello castri Versalliensis intra missarum solemnia; & insequenti Sabbato sacros ordines contulit Parisiis vice archiepiscopi.

ANNI CHRISTI

PRÆPOSITI UCETICENSES.

PRimaria capituli dignitas, quæque præ ceteris ab antiquo eminet, præpositura est. Hinc pro more nostro seriem illorum, qui ea potiti sunt, ex variis erutam instrumentis hîc attexere juvat.

I. BERTRANDUS I. anno 1114. indict. VII. nonis Martii adstitit & consensit R. Uceticensi episcopo Malleacenses S. Laurentii & S. Vincentii ecclesias confirmanti Stephano abbati Casæ Dei & conventui, annuente pariter Pontio Willelmi ejusdem ecclesiæ capiscolo. Subscripsit etiam mense Junio anni 1121. donationi ecclesiæ de Cambonas, quam Raimundus episcopus Uceticensis contulit abbatiæ S. Egidii.

II. Petrus I. recensetur præpositus annis 1144. & 1148. in archivo regii patrimonii Monspeliensis. Deinde postulatur in episcopum anno 1150. sed frustra, ut dictum est.

III. Pontius I. de Arsacio præposituram obtinebat an. 1156. ex charta XLVII. ecclesiæ Narbon. quæ exstat in appendice col. 41. & ex alia Biterrensis ecclesiæ n. XV. col. 138. Memoratur 1157. mense Oct. in archivo regii patrimonii Monspeliensis, 1159. III. idus Januar. in charta ecclesiæ Carpentoratensis, & 1161. in codice ms. cui titulus Gallicus, *Genealogie de la maison d'Usès*.

IV. Bertrandus II. præpositus Uceticensis, & Robertus abbas sancti Privati assensum præbent commutationi Raimundi episcopi cum Pontio abbate & monachis S. Andreæ Avenionensis an. 1164. IV. cal. Martii.

V. Guillelmus I. testis habetur an. 1186. in charta donationis ecclesiæ sancti Dionysii factæ monasterio Casæ Dei & Dalmatio ipsius abbati a Raimundo episcopo, in ea subscriptus B. archidiaconum inter & Guillelmum sacristam.

VI. Bernardus præpositus consensit an. 1203. permutationi quarumdam ecclesiarum Guillelmum inter Uceticensem episcopum & Gaucelinum abbatem Anianensem prioremque de Gordanicis. Assensum quoque præbuit eodem anno fundationi Vallis bonæ ord. Carthusiensis.

Ch. x. col. 302. Ch. XI. col. 303.

VII. Albericus, qui & Albricius, & Alancus, idem fortasse qui Albericus archidiaconus anno 1203. in charta superius laudata, quique vocatur Albertus eodem anno in charta fundationis C Vallis bonæ ordinis Carthusiani, occurrit præpositus anno 1205. VII. idus Julii in donatione Raimundi Ucetiæ domini factæ Amblardo priori Vallis bonæ. Idem una cum capitulo & Ebrardo II. episcopo transigit cum Ebrardo Ucetiæ domino ex parte pro castro de Blanzac, & domo in urbe sita, necnon *procuratione* canonicis debita, anno 1207. die 15. Augusti. Memoratur adhuc Albricius an. 1209. in archivo regii patrimonii Monspeliensis; quinimo hunc esse putamus A. præpositum, qui testis occurrit fidei clientelaris Raimundo episcopo Uceticensi præstitæ ab urbis consulibus an. 1212. Eodem anno D Albericus præpositus subscripsit primus ante S. archidiaconum libello supplici oblato Arnaldo Narbonensi archipræsuli pro electo Raimundo de Manso Andreæ in episcopum Uceticensem confirmando.

Ibid.

VIII. Guillelmus II. præpositus habetur anno 1224. in tabulis regii patrimonii Monspeliensis. Hic forsan est G. testis laudatus an. 1212. die 9. Febr. hoc est 1213. in clientelæ professione, quam Raimundus de Ucetia Raimundo episcopo exhibuit.

IX. Pontius II. cui cognomen *de Becanils*; alias *de Ponte* præpositus erat anno 1227. quo E arbiter cum aliis duobus assumtus est pro dirimenda controversia, quæ vertebatur R. inter episcopum Uceticensem & Pontium sancti Egidii abbatem, utri amborum cederet oppidi Montis fortis possessio, quæ quidem abbati adjudicata fuit. Adhuc erat præpositus 1238. sed jam anno sequenti Uceticensem pontificatum tenebat.

X. Guillelmus III. Pontio successit, ac primus omnium subscripsit libello supplici, quo clerus & populus Uceticensis Petrum Narbonensem archiepiscopum rogant, ut Pontii præpositi quondam Uceticensis ecclesiæ in episcopum electionem

ratam habere dignetur. Astrenovæ clientelam excepit anno 1241.

XI. Arnaldus præpositura gaudebat an. 1252. sub initia episcopatus Bertrandi Armandi, & adhuc 1254. ex archivo regii patrimonii Monspeliensis.

XII. Raimundus I. de Monte Arserio cognominatus, memoratur præpositus die 3. Junii an. 1254. in sacramento fidelitatis huic præstito & B. Uceticensi episcopo a Decano Ucetiæ domino, & iterum in instrumento anni 1258. quo idem episcopus quamdam pecuniæ summam P. de sancto Quintino soluturum se pollicetur. Hic aut sequens Raimundus intercessit episcopo, qui capitulo inconsulto archidiaconatum & præcentoriam contulerat.

Anecdot. tom. 2. col. 329.

XIII. Raimundus II. Jordanis reperitur an. 1267. quem perperam volunt eum esse, qui vulgo dictus *Idiota* piis opusculis notissimus est. De hoc infra n. XXIII.

XIV. Guillelmus IV. de Gardiis præpositus an. 1277. evasit episcopus 1285.

XV. Raimundus III. de Salva legitur præpositus an. 1290. quo Bermundus Ucetiæ dominus & d'Aymargues Decani filius se Raimundi præpositi & capituli, necnon Guillelmi episc. beneficiarium profitetur die 12. Maii, & adhuc 1301.

XVI. Guillelmus V. Massé præpositus 1303. forsan de præpositura contendit cum Raimundo de Salva, qui præcedit & sequitur.

XVII. Raimundus IV. de Salve idem fortassis ac Raimundus III. Guillelmi præsulis nomine fidei sacramentum excepit a Bertrando Jordani de Insula senescallo Bellicadri & Nemausi anno 1307. Reperitur adhuc 1316. 1318. & 1328. die XI. Januarii, quo Robertus Ucetiæ dominus ex parte clientelam huic professus eamdem est, ac ipsius pater Bermundus dudum juraverat.

XVIII. Fredolus de Sorojolis, *al.* de Sojolis & Sujolis primum fuit præcentor Uceticensis ecclesiæ anno 1301. tum anno 1306. coadjutor Guillelmi de Gardiis episcopi (quod de vicarii generalis munere intelligendum) ac denique præpositus legitur 1330. 1331 & 1336. quo Arnaudus de Verdella decanus ecclesiæ sancti Pauli de Fenolheto Electensis diœcesis, juris utriusque professor, a sede apostolica delegatus ad ecclesias provinciæ Narbonensis reformandas, plurima statuit circa observationem regulæ S. Augustini in capitulo Uceticensi, die 27. Januarii.

XIX. Robertus de Mandagout decretorum doctor, Uceticensis archidiaconus 1321. quo tempore pepigit cum Guillelmo de Mandagout episcopo de spirituali jurisdictione, præpositus erat jam anno saltem 1339. quo inter alios a sede apostolica delegatus pro noviter editis a Benedicto XII. constitutionibus promulgandis, capitulum provinciale apud Narbonam die festo S. Catharinæ celebravit. Cum Guillelmo episcopo pactionem fecit nomine capituli anno 1342. de bonis & spoliis decedentium canonicorum & priorum ab Uceticensi ecclesia dependentium. Postmodum factus est episcopus Massiliensis, de quo vide tom. 1. col. 657.

XX. Franciscus cognomento Brachii fortis munus obibat præpositi an. 1353.

XXI. Johannes I. de Deucio testis aderat cum aliis an. 1362. quando Petrus episcopus ex sententia ab episcopo Bellovacensi lata claves urbis a consulibus accepit. Adhuc erat præpositus anno 1364.

XXII. Bertrandus III. de Valheliis præpositus audiebat 1366.

XXIII. Raimundus V. Jordanus licentiatus in decretis & canonicus regularis præpositum agebat Uceticensis ecclesiæ an. 1373. quo sententiam latam a Johanne cardinali S. Sabinæ potestatem & jurisdictionem tam episcopi quam præpositi certis utrinque limitibus circumscribentem Gregorius papa XI. approbavit. Qua de re post quatuor annos procurator a capitulo constitutus transegit eo pacto cum Martiale Uceticensi episcopo, ut huic jus esset mulctandi canonicos & ad officium revocandi, siquando delinquerent, præpositus autem custodiæ jus haberet pro reis, non alibi tamen quam intra præpositura carcerem concludendis. Porro hic est, qui suo diu suppresso, sub Idiotæ nomine latuit, ait Guillelmus Cave in historia litteraria, canonicus regularis, & Uceticensis in Gallia Narbonensi præpositus, posteaque Cellensis abbas in diœcesi Bituricensi anno 1381. Vide tom. 2. col. 184. Ejus opera sub Idiotæ nomine edidit R. P. Th. Raynaud an. 1654. Parisiis in quarto.

XXIV. Guillelmus VI. Soiberti baccalaureus in decretis, occurrit præpositus 1420. & 1424. in charta Geraldi episcopi ecclesiam & claustrum B. Mariæ de Carsano Uceticensis diœcesis fratri Rainaudo de Cambrone monacho Montis ferrati ordinis S. Benedicti diœcesis Vicensis ad inibi vitam eremiticam agendam concedentis. Reperitur adhuc 1436. & 1437. die 29. Octobris, qui postea factus est episcopus Uceticensis & Carpentoratensis, ut dictum est t. 1. col. 909.

Ch. XX. col. 309.

XXV. Nicolaus Malgrassi, *Maugras,* ex præposito eligitur episcopus anno 1483.

XXVI. Petrus II. Fortezi legitur præpositus in recensione bonorum capituli facta 15. Nov. an. 1539. coram Gaillardo de Montcalin judice majore in curia præsidiali Nemausensi, ad hoc a rege delegato.

XXVII. Gabriel Froment nobili genere natus, titulo præpositi fidelitatis sacramentum præstitit Paulo III. papæ anno pontificatus sexto, hic est 1539. Eodem memoratur frater Gabriel Froment præpositus in archivo regii patrimonii Monspeliensis. Hic zelo fidei accensus Johannem de S. Gelasio, quem fama erat in hæresim lapsum, quin & sacrilega cum quadam abbatissa conjunctione copulatum, excommunicasse dicitur. Sedebat adhuc 1565. & 1570. cujus tempore Calviniani hæretici urbem ac diœcesim ferro & incendiis vastarunt.

XXVIII. Petrus III. Lartoux obiit præpositus die 3. Septembris anno 1584. ex archivo regii patrimonii Monspeliensis.

XXIX. Petrus IV. Froment ex eadem Gabrielis, cujus dicitur successor, familia natus

(forte Petrum Lartoux æmulum habuit) judicem instituit an. 1592.

XXX. Johannes II. Froment in decretis licentiatus, ab episcopo confirmatur præpositus anno 1619.

XXXI. Rodolfus Roy Johanni subrogatus est, & Rodolfo

XXXII. Petrus V. primus e Gallicana congregatione canonicorum regularium a S. Genovefa nuncupata, quæ hanc in ecclesiam inducta fuit an. 1641. Eo subinde ex hac vita sublato, capituli suffragia divisa sunt; antiqui enim hujus ecclesiæ canonici, qui adhuc plures supererant, vota sua contulerunt in Gabrielem Froment, qui regi ab eleemosynis erat & prior de Balneolis; reliqui vero canonici Gallicanæ congregationis Petrum Bonet sodalem suum, præpositum nominarunt, quibus de præpositura litigantibus, a rege nominatus fuit qui sequitur

XXXIII. Thomas Thiboult canonicus sancti Laudi, cujus in gratiam ambo contendentes jure suo cesserunt. Hic autem præposituram tenuit octo circiter annis, quo exstincto

XXXIV. Petrus VI. Mailhot congregationis S. Genovefæ canonicus regularis electus fuit in præpositum a capitulo cathedrali anno 1666. Obiit die 4. Junii anni 1675. ætatis 54. professionis 31. Tolosæ, ubi litigabat pro suo capitulo, cujus erat vicarius generalis, ex necrologio canonicorum regularium congregationis S. Genovefæ.

XXXV. Daniel de Roviere prior de Bagnols præposituram impetravit an. 1684. non tamen possedit, sed in sequentem transtulit.

XXXVI. Johannes Baptista Bellan beneficio Danielis cedentis electus a capitulo, præpositura potitus est viginti circiter annis, quam postea Danieli superiori resignavit, qui quidem ad hoc litteras obtinuit, sed cum diutius inire possessionem differret, electus est, qui sequitur

XXXVII. Jacobus de Marsolier vir eruditus & facundus, in concinnandis historiis versatissimus: præposituram tenuit octo mensibus, quam deinde transcripsit sequenti.

XXXVIII. N. de Pinville ex cessione Jacobi de Marsolier, ac etiam Danielis de Roviere, qui pontificio diplomate munitus civilem præposituræ jam apprehenderat possessionem, eamdem hactenus præposituram obtinet, sub onere tamen pensionis, quam sibi Daniel retinuit.

Altera post præposituram dignitas audit archidiaconatus quo exornatos munere hos paucos subjicimus.

I. B. Archidiaconus memoratur anno 1186. in charta Raimundi episcopi Casæ-Dei monasterio benefacientis, & iterum 1188. mense Febr. in tabulis ejusdem præsulis R. locum de Augustinis ad excitandum cœnobium ordinis Cistercienfis Ermessendi cuidam concedentis.

II. Albericus, qui & Albertus, erat archidiaconus 1203. postea præpositus.

III. P. Garcinus archidiaconus una cum R. episcopo præsens memoratur clientelæ professioni, quam Henricus comes Ruthenensis Simoni Montisfortis exhibuit VII. idus Nov. 1214.

IV. Raimundus de Buxedone, quo defuncto circa 1260. Bertrandus episcopus Raimundum de Salve præcentorem nominavit archidiaconum, sed frustra, ut dictum est.

V. Johannes de Barre archidiaconus Uceticensis, 1301. memoratur episcopii custos sede vacante ab anno 1308. ad 1315. Interea vero 1311. emit a Guillelmo de Randon milite domino de Luc & de Portes quidquid habebat in castro de Genouillac.

VI. Guillelmus de Mandagout archidiaconus Uceticensis & Nemausf. necnon ecclesiæ Tolosanæ præpositus, subinde fuit archiepiscopus Ebredunensis, ac demum cardinalis & episcopus Prænestinus. Obiit Avenione an. 1321. sive, ut aliis placet, 1324. de quo vide Guillelmum Cave in appendice historiæ litterariæ scriptorum ecclesiasticorum pag. 5.

VII. Robertus de Mandagout archidiaconus 1321. postea præpositus, &c.

VIII. Johannes Preverandi perpetuus administrator Uceticensis archidiaconatus 1448. & abbas S. Egidii, uti superius diximus col. 502.

IX. Stephanus Jullien canonicus & archidiaconus 1596. in cœtu cleri Gallicani.

Unus quoque decanus nobis occurrit Bruno de Bordeliis, ex priore Monachiæ Narbonensis anno 1335.

DE VETERIBUS DIŒC. UCETICENSIS MONASTERIIS.

PLurima quondam floruere hac in diœcesi monasteria, quorum vix ulla hodie memoria spirat. Talia sunt

I. S^t. Firmin. — S. FIRMINI vetus abbatia haud aliunde nota est, quam ex præcepto Ludovici VII. regis dato an. 1156. in gratiam Raimundi episc. Uceticensis, (Ch. VII. col. 299.) ubi inter alia quæ recensentur ejusdem ecclesiæ bona, nominatur *abbatia S. Firmini cum villa in qua sita est.* Fuit hic sanctus Firminus episcopus Uceticensis, de quo supra.

II. St Ferreol. — Cœnobium Ferreolacense, sic dictum ex nomine fundatoris S. Ferreoli Uceticensis episcopi, qui istius loci monachis regulam præscripsit, quam Lucretii Diensis episcopi sæculo sexto procedente censuræ submisit. In hujus regulæ præfatione *Lucretio papæ* nuncupata Ferreolus scribit, se hortatu quorumdam, ac propria devotione accensum, servorum Dei habitaculum condidisse, ratum id suæ saluti cessurum, quod sanctæ congregationi deputasset. Ex ejusdem vero regulæ cap. 38. abbas tribus per annum vicibus, die scilicet natalis Domini, primo Paschæ, ac in festivitate peculiaris patroni monasterii, coquinæ ministerium exercere debebat. Nulla subinde mentio hujus monasterii reperitur, præterquam

in præcepto Ludovici regis VII. in gratiam Raimundi episcopi Uceticensis an. 1156. ubi inter alia ejusdem præsulis bona, quæ confirmat, recensetur *in civitate Ucetia abbatia S. Ferreoli.*

Ch. VII. col. 299.

III. S.t Julien. *Ibid.*

S. Julianus in civitate Ucetia recensetur in eodem Ludovici VII. regis præcepto tanquam abbatia, cujus abbas Wittardus interfuit concilio Portuensi an. 897.

IV. S.t Sulpice. *Ibid.*

S. Sulpicius in civitate Ucetia abbatia ibidem memoratur.

V. S.t Privat de Gers. *Ibid.*

S. Privatus de Gartio abbatia reperitur ibidem, cujus abbas Raimundus testis laudatur in charta donationis ecclesiæ de Cambonas factæ monasterio S. Egidii, & Hugoni ejus abbati a Raimundo d'Usès episcopo Uceticensi. Robertus quoque abbas S. Privati consensit anno 1164. IV. calend. Martii cuidam commutationi factæ a Raimundo Uceticensi episcopo cum Pontio abbate & monachis S. Andreæ Avenion.

VI. Saint Estienne. *Ibid.*

S. Stephanus abbatia similiter in eodem præcepto commemoratur.

VII. Gourdaignes.

Gordanicus seu Casa nova vetus abbatia innotescit ex præcepto Ludovici Pii dato imperii ejus anno secundo XII. cal. Junii. Editum est a Mabillonio in appendice ad vitam S. Benedicti Anianæ abbatis sæculi IV. Bened. part. 1. p. 221. ex quo discimus Casam novam sitam juxta castrum Planitium in pago Ucetico super fluvium Cicer *Ceze*, dudum fuisse a Willelmo comite (Aquitaniæ) a fundamento in honorem S. Mariæ semper virginis constructam, rebus quam plurimis ditatam, domnoque Carolo (magno) per chartulam donationis delegatam, sed postea propter compendium & loci utilitatem non procul ab eodem loco cellulam constructam fuisse, quæ nuncupatur Gordanicus in eodem pago & super eumdem fluvium, quam denique cellulam ex re proprietatis suæ præfatus Ludovicus hoc præcepto concedit Anianensi monasterio, cui tunc Senegildus abbas vice Benedicti præfectus erat, hoc est anno 815. Ceterum Casa nova quantumvis ad locum vicinum Gordanicum translata, suum nihilominus primarium nomen retinebat anno 821. ut liquet ex epistola Indensium monachorum ad Anianenses de communis parentis obitu scripta hoc anno 821. Retinebat & anno 837. quo idem Ludovicus imperator cellulam proprietatis suæ, *quæ nuncupatur Casa nova, quæ sita est juxta locum qui vocatur Gordanicus super fluvium Cicer*, sicut eam & genitor noster quondam possedit, & *nos olim præfato monasterio* (Anianensi) *per auctoritatem nostram concessimus*, eidem confirmat XII. cal. Novembris anno XXIV. imperii ind. XV. Quinimo Casa nova memoratur an. 853. in diplomate Caroli Calvi hanc cellam cum rebus sibi pertinentibus eidem monasterio collaudantis XI. cal. Julii ind. I. anno regni XIII.

T. 2. Annal. Benedict. pag. 461.

Prob. hist. Occit. t. 1. col. 72.

Ibid. pag. 101.

Transiit haud multo post cella Gordanica seu Casa nova in ditionem archiepiscoporum Arelatensium, ut infra videbitur; quo tempore anno 933. Umbertus quidam nonnulla prædia apud Montem calvi in episcopatu Diensi confert ecclesiæ S. Mariæ in episcopatu Uzetico sitæ, quæ vocatur Casa nova, seu Gordaniæ, ejusque loci monasterio, multam imponens hujusce donationis violatori *centum solidos Ansoliatos* super altare S. Mariæ ponendos. Facta charta donationis feria tertia X. cal. Augusti regnante Rodulfo rege. Sub idem tempus Geraldus fundator prioratus sancti Saturnini de Portu eidem S. Mariæ ad Gordanicas ecclesiæ mansum unum concessit. Deinde vero Raimundus comes (Ruthenensis) an. 1065. Gordiniacensem abbatiam in pago Uzetico sitam Hugoni abbati & Cluniacensi monasterio subjicit, ut eam Cluniacenses regant & ordinent secundum Deum & regulam S. Benedicti, & sit semper sub moderamine sancti Saturnini, quæ Cluniaci cella erat in eodem pago, de qua mox dicturi sumus. Facta est hæc charta anno ab Incarnat. Domini MLXV. ind. III. mense Augusto in cœnobio sancti Saturnini, scripta a Willelmo monacho & sacerdote Teutonico. Huic instrumento, quod habes in appendice nostra, subscripta sunt signa ipsius Raimundi comitis, Willelmi Sabran & Rostagni Carinian.

Ch. IV. col. 296.

Verumtamen in bibliotheca Cluniacensi col. 1730. nulla hujus cellæ fit mentio, vel in censu prioratuum aut cellarum a S. Saturnino dependentium; nempe fortassis Cluniacenses monachi eam paulo post permutarunt cum cœnobitis Casæ Dei in concilio Claromontano an. 1095. quibus certe suam esse contendentibus obstitere Anianenses, eamque obtinuerunt in conciliis Nemausensi & Tolosano, ut habetur tom. 6. Spicil. pag. 25.

Nec sic tamen quievit Casæ Dei monachorum altercatio, qui causa non semel ad Paschalem papam delata, bis ceciderunt, anno scilicet 1107. & 1114. Interea quidam proxime nominandus hanc cellam invasit, & inde filiam suam dotavit, uti ex hac brevi Paschalis II. papæ ad R. episcopum Uceticensem epistola discimus. *Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri R. Uzeticensi episcopo sal. & apost. benedictionem. Ex fratrum Anianensium suggestione cognovimus, quod Pontium Guillelmi de Barriaco excommunicatum pro possessione Gordanicensis monasterii, quam sacrilege tenet, & unde filiam suam dotavit, non præmisso remedio satisfactionis absolveritis, quo jure quam graviter contra ordinem nostrum excesseris mirum est si ipse non videas. Præcipimus ergo, ut omni occasione seposita de eodem viro debitam supradictis fratribus facias, ne supra re tanti excessus ultio remittatur. Datum Laterani V. cal. Decembris.*

T. 5. Annal. Bened. pag. 675. & 693.

Ch. V. & VI. col. 297. & 298.

Sed neque etiam ea de re felicius litigasse archiepiscopum Arelatensem docent litteræ Calisti II. papæ in lucem editæ t. 6. Spicil. pag. 25. *Et quidem*, ait pontifex, *Anianenses monachi cellam illam per Lodoici imperatoris, Caroli magni imperatoris filii, & filii ejus Caroli regis scripta & largitiones Anianensi monasterio vindicabant, archiepiscopus vero se Lodoici filii Bosonis regis chirographo tuebatur.* Sed tandem auditis utriusque partis momentis, Callistus ipse de consilio cardinalium jus Anianensium possessione roboratum confirmavit. Hinc igitur hæc cella etiamnum juris est Anianensis monasterii, sed vacua jam

dudum monachis, simplex, ut loquuntur, beneficium audit. Tres autem successive Arelatenses archiepiscopi se gesserunt abbates seu rectores S. Mariæ de Gordanicis.

ABBATES.

I. ROSTAGNUS Anianæ monachus, seu Gordanicensis, Anianensem postmodum, Crudatensem & Gordanicensem abbatias possedit, etiam posteaquam factus est archiepiscopus Arelatensis. Huic certe primum jam anno 866. præerat, & adhuc circiter 900. quo sub die Martis in mense Febr. regnante Ludovico rege nonnulla bona ejusdem loci cum Asterio & ipsius conjuge permutavit, ex tomo x. fragm. Stephanotii col. 284. sive a dictis conjugibus prædia quædam accepit hoc anno. Anianensem postea rexit, ac demum Crudatensem factus archiepiscopus, jure sibi velut acquisito, ex ejusdem abbatiæ dono Rodlando decessori facto ab Ludovico imperatore, uti legimus in charta Bosonis regis t. I. Galliæ Christ. col. 546. sive a Lothario Augusto & filio ejus æquivoco, uti legitur in veteri Gallia Christ. t. I. col. 45.

Prob. hist. Occit. t. 2. col. 41.

II. Manasses archiepiscopus Arelatensis tres easdem abbatias obtinuit a Ludovico filio Bosonis, dato diplomate Viennæ calendis Febr. anno XXX. hoc est 921.

III. Iterius archiepiscopus Arelatensis, uti abbas cœnobii Gordanicensis dedit Theutberto fideli suo ad precariam nonnulla prædia ad idem monasterium pertinentia anno XXVIII. regnante Conrado rege, XIII. cal. Januarii, ex chartario S. Trophimi Arelat. tom. x. fragm. Stephanotii nostri pag. 273.

PRIORES.

I. BERTRANDUS prior de Gordanicis & Petrus Anianensis abbas habuere controversiam cum Raimundo Uceticensi episcopo de quatuordecim ecclesiis, quæ tandem arbitro & amicabili compositore Aldeberto Nemausensi episcopo finita est. Eadem profecto de re sic alibi legimus, B. priorem Gordanicensem inter & episcopum Uceticensem R. exortam querelam Eugenius papa III. discutiendam commisit A. episcopo Nemausensi & G. Vivariensi.

II. Bernardus Calveti monachus Anianensis fuit prior de Gordanicis an. 1187.

III. Gaucelinus abbas Anianæ & prior de Gordanicis 1203. quasdam ecclesias permutat cum Guillelmo episcopo Uceticensi.

Ch. x. col. 302.

IV. Raimundus I. prior de Gordanicis, & Nicolaus prior Vallis bonæ ordinis Carthusiensis permutant inter se mansum de Cauzanicis pro *pertinemento* mansorum de Guernaco 1212. XIV. cal. Julii, præsente R. episcopo Uceticensi sedis apost. legato.

V. Raimundus II. de Serinhaco Gellonensis abbas & prior de Gordanicis, ex actis pontific. Avenion. postea fuit abbas S. Egidii, ac denique Psalmodiensis circa 1331.

VI. Johannes I. Penigaudi canonicus S. Gatiani Turonensis, regis ad preces obtinuit hunc prioratum a Girardo Rubei Anianensi abbate anno 1467.

VII. Deodatus de Narbonne abbas S. Andreæ de Sureda & prior Gordanicensis anno 1492. 20. Martii hunc prioratum abdicavit.

VIII. Johannes II. Rubei die & anno cessionis Deodati hunc prioratum obtinuit a Jacobo Anianensi abbate.

IX. Frater Bernardinus Rocho 1533.

DE MONASTERIIS

Quæ hactenus in suo regulari statu perseverant.

Duo sunt, quorum alterum feminarum ordinis Cisterciensis abbatialem titulum gerit; alterum virorum ordinis Cluniacensis, prioratus duntaxat, sed insignis. Eorum nomina subjicimus:

Vallis salva, *Valsauve de Bagnols*, ord. Cist. fem.

S. Saturninus de Portu, vulgo, *le Pont S.t Esprit*, prioratus ordin. Cluniac.

VALLIS SALVA.

QUanquam hujus origo parthenonis ordinis Cisterciensis e linea Cistercii, sub patrocinio B. Mariæ virginis, ut vere dicam, ignoretur, utcumque tamen ejus antiquitas innotescit tum ex testamento Elzeari Ucetiæ domini condito an. 1254. quo monasterio de Valle salva relinquit 30. solidos Turonenses, tum ex inscriptione Gothica incisa lapidi marmoreo veteris ecclesiæ Vallis salvæ, quæ hodieque legitur in hæc verba: *In nomine Domini. Amen. Notum sit omnibus & singulis has litteras in perpetuum inspecturis, quod religiosa domina nostra Maria Firmina hujus monasterii priorissa petiit fieri hoc anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo primo, & quinta die mensis Octobris, ut memoria haberetur pro anima reverendi in Christo patris & domini domini Bernardi* * *bonæ memoriæ Uticensis episcopi, qui anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio ecclesiam in reverentiam & honorem beatissimæ virginis Mariæ ædificare fecit, cujus anima in pace requiescat, amen.*

Prob. hist. Occit. t. 3. col. 504.

* Bertrandi.

His etiam continenter attexuntur verba sequentia: *Anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono Ademarius Audiguerii domicilii de burgo sancti Andeoli Vivariensis diœcesis hanc partem claustri ob reverentiam Dei omnipotentis, & ejus gloriosissimæ matris fecit.*

Balneolum, *Bagnols*, transfertur Vallis salvæ monasterium, probante Gregorio XI. pontifice, qui litteris datis anno pontificatus quinto, hic est 1375. eidem conventui univit beneficium *de Maransan* situm in territorio de Bagnols. Subinde nihilominus ad suum vetus monasterium regressæ videntur aliquot saltem sanctimoniales, utpote quarum nonnullas hæretici trucidarunt an. 1522. sacra suppellectile direpta, chartisque cum ipso cœnobio igni addictis; reliquæ vero confugerunt Balneolum, ubi jam feliciter nulla infelicium illorum tempora vestigia conspiciuntur.

Ceterum nonnisi ab hac translatione titulo

abbatiali donatum fuisse monasterium pene certo colligitur, ex inscriptione superiori, ubi Maria Firmina solum priorissa dicitur anno 1331.

Series Abbatissarum.

I. Beatrix de la Pierre a translato Balneolum monasterio prima nobis innotescit ex procurationis charta, quam ipsa ejusque sorores Ricarda Peyreria subpriorissa, Egidia Macarie, Margareta de Tournon, Lucia de Marisaygues, Agnes du Fort, Sabrana de Posilhac congregatæ ad sonum campanæ dederunt pluribus in charta enunciatis. *Actum Balneoli in domo dictarum sanctimonialium, scriptumque per manum Jacobi Ricou notarii Balneoli.*

II. Margareta I. de la Baume præerat anno 1381. die 29. Maii, quo Jacobus Adhagat indigena de Versueil quidquid possidebat ei donavit, scriptis tabulis per manum Guillelmi de Tolergio notarii.

III. Raimunda de Gaujac sedebat an. 1454. die 27. Martii, ex charta recognitionis scripta per manum Pontii Vivene notarii, quæ fidem facit hanc abbatissam rem familiarem monasterii optime administrasse.

IV. Johanna I. Mauselle, forte Maurelle, ut infra, occurrit an. 1467. die 12. Junii in censu annuo decem denariorum eidem constituto per manum Petri Moyssard notarii.

V. Johanna II. d'Ille, per cujus resignationem

VI. Johanna III. Maurelle, eadem forsan ac Johanna I. munita pontificio Innocentii papæ VIII. dato anno pontificatus I. diplomate, abbatiæ possessionem apprehendit die 13. Aprilis anno 1485.

VII. Catharina Maurelle per obitum, aut cessionem præcedentis facta est abbatissa probante eodem Innocentio pontifice.

VIII. Anna de Mondragon bullis acceptis a Clemente VII. datis anno pontificatus VIII. possessionem adiit an. 1524. 10. Octob. superstes an. 1533. 19. Octobris, ut fidem faciunt plurimæ huic, aut procuratoribus ejus factæ recognitiones, quas in acta retulit Franciscus Vincent notarius. Attamen legitur Johanna de Mondragon abbatissa an. 1530. 16. Januarii in charta professionis religiosæ Gabrielidis neptis * Johannis Petit medici & judicis Balneoli, scripta per manum Petri Rufi notarii, sed *Anna* legendum pro *Johanna* suspicamur.

* Petite fille.

IX. Margareta II. d'Albert ex abbatissa beatæ Mariæ de Planis diœcesis Arausicanæ fit abbatissa de Bagnols bulla Pauli III. data 25. Oct. 1537. pontificatus anno IV. Adiit possessionem 9. Febr. anni sequentis.

X. Johanna IV. d'Audibert de Lussan prævio Clementis VIII. papæ diplomate dato pontificatus anno XI. abbatiæ possessionem assecuta est die 14. Martii an. 1601.

XI. Esther de Lussan sorori successit bulla ejusdem papæ Clementis VIII. data pontificatus anno ultimo, hic est 1605. Rexit sexaginta tribus annis, quibus tam interius, quam exterius totum renovavit monasterium. Interea vero jam annis gravis & affecta valetudine coadjutricem sibi allegit sororem suam Franciscam d'Audibert de Lussan tunc abbatissam de Planis, quæ statim hujusce monasterii abdicato regimine se totam dedit ultimo regendo sub sororis abbatissæ auctoritate; at sui omnibus relicto desiderio, maxime vero Estheri abbatissæ, Balneoli vivere desiit mense Augusto anni 1671. cum annos 15. vel circiter titulo coadjutricis cœnobium administrasset. Tum igitur Esther magis ac magis impar regimini, illud, rege permittente & annuente papa Clemente X. pontificatus anno 2. transcripsit sequenti

XII. Maria de Lussan natu maxima quinque sororum ejusdem cœnobii sanctimonialium, amitam excepit in regimine, cujus invita possessionem capessivit 28. Aprilis 1672. Adhuc regebat 1712. die 4. Maii intenta maxime rei familiari, ac tam novo apud Balneolum, quam antiquo Vallis salvæ parthenonibus reparandis, cujus etiam beneficio & labori tota hæc nostra elucubratio debetur.

XIII. N. de Clesmes nominatur a rege 8. Junii anno 1715.

PRIORAT. S. SATURNINI DE PORTU, vulgo, *le Pont S.t Esprit.*

Sub dominio Cluniaci & patrocinio S. Petri fundatur hoc cœnobium in fano S. Spiritus a Geraldo archiepiscopo, qui Cluniaci monachus factus inde ad portum S. Saturnini gentile prædium missus est, ut illic monasterium conderet. Ita vir doctissimus D. Lancelot. Nonnihil variat fundationis annus, qui Mabillonio 945. tom. 3. annalium ad hunc annum n. LXXVII. & nupero rerum Occitanarum auctori, prob. t. 2. pag. 87. Noster vero Stephanotius ex chartulario majori Cluniacensis monasterii hanc se testatur eruisse chartam: *Ego in Dei nomine Geraldus indignus episcopus dono Deo & S. Petro Cluniensi in manu domni Eymardi abbatis & cœnobio ejus, in quo si Deus annuerit, meipsum sub ordine regulari mancipare cupio, ecclesiam S. Saturnini in agro Uzetico, cum insulis & villis, videlicet Leyracum, Mezemas, & Genesacium; & cum aquis, pratis, terris, silvis, aquarumve decursibus ad præfatam ecclesiam aspicientibus, &c. Signum Geraldus episcopus. S. Rostagnus episcopus. Acta sunt hæc apud S. Saturninum publice anno DCCCCXLIX. Ludovico rege Francorum regnante anno X.* ubi forte legendum DCCCCXXXIX. qui decimus est annus a morte patris ejus Caroli Simplicis, vel *DCCCCXLVIII. Ludovici regis Francorum anno XII.* ut habetur in ampliori, quam damus in appendice nostra, fundationis charta. Ceterum Agapetus II. papa bulla data indictione VII. hoc est 949. hanc S. Saturnini ecclesiam *cum omni alodo, quem Geraldus archiepiscopus dedit prædicto cœnobio*, confirmavit Aimardo Cluniacensi abbati. Edita est in biblioth. Cluniacensi col. 274.

Ch. III. col. 295.

Absolutum fuit hoc cœnobium a S. Odilone Cluniacensi abbate, ut refert ipsius vita in bibl. Cluniac. col. 1820. Ex quibus omnibus patet

Raimundum comitem S. Egidii non immerito recognovisse anno 1164. villam S. Saturnini, allodium & proprietatem esse B. Petri Cluniacensis, qua de re nostra inter instrumenta hujus comitis chartam exhibemus. Et certe in catalogo abbatiarum, prioratuum, &c. a Cluniaco dependentium ita legitur in bibl. Cluniac. col. 1727. *Prioratus S. Saturnini de Portu supra Rhodanum, Uceticensis diœcesis, ubi debent esse priore computato, & officiariis, nempe sacrista, infirmario, hostellario, refectorario & cantore, triginta monachi; & debent ibi celebrari quotidie tres missæ cum nota; & duæ sine nota; & debet fieri eleemosyna omnibus venientibus omni die.* Ibidem quoque col. 1730. series habetur prioratuum seu cellularum n. 27. cum quatuor curis seu parochiis a prioratu S. Saturnini de Portu dependentium.

Ch. VIII. col. 300.

Quanquam vero de prioratibus, aut eorum rectoribus data opera sermonem instituere haud solemus, hic tamen præ multis adeo insignis est, tantosque sui rectores habuit, ut eorum memoriam prætermittere fore nefas existimemus.

PRIORUM INDICULUS.

I. B. GUILLELMUS seu Willelmus I. vir nobilis, Luciacensis in Italia monachus B. Maiolo Roma Cluniacum revertenti, bona cum suorum venia, socium se adjunxit anno fere Christi 987. Transacto Cluniaci unius circiter anni spatio, poscentibus S. Saturnini ad Rhodanum monachis datus est a Maiolo institutor. Quo in loco cum sesquiannum magno suorum emolumento fuisset versatus, contigit ut Brunonis episcopi Lingonensis rogatu, S. Benigni Divionensis monasterio ab eodem S. Maiolo præficeretur; qui deinde plurimorum monasteriorum pater exstitit & reformator.

II. Petrus sub ann. 1100. in charta Cluniac. pro cœnobio S. Gervasii de Fossis.

III. Guillelmus II. an. 1162. cum Raimundo Uceticensi episcopo commutavit prioratum sancti Florentii pro prioratu de Chuselan, qui nunc unitus est sacristiæ prioratus S. Saturnini de Portu, Stephano Cluniacensi abbate & Pontio archipræsule Narbon. approbantibus.

IV. Raimundus de Bruzet vel Brozet jam an. 1164. & adhuc 1202. cujus assensu Raimundus Narbonæ dux & comes Tolosæ filius Raimundi comitis sancti Egidii licentiam obtinuit ab abbate Cluniacensi & a conventu sancti Petri de S. Saturnino de Portu palatium in dicto loco ædificandi, & abbas hominium dicti comitis excepit sub annuo censu unius marabotini.

Ch. IX. col. 301.

V. Pontius Raimundus, *al.* Arimaudi querelas habuit cum incolis an. 1224. de muris, fossatis & clavibus urbis ac pluribus aliis juribus, quæ judicio arbitrorum, episcopi Nemausf. & senescalli Bellicadri eidem asserta sunt cum expensis ad summam 6000. solidorum, quæ soluta fuit.

VI. Guillelmus III. de Portu prior S. Saturnini, & Matthæus prior Vallis bonæ ord. Carthusiensf. dividunt pascua castri de Monteacuto an. 1234. XVI. cal. Aug. idque Johannes sanctæ Viennensis ecclesiæ vocatus archiepisc. apost. sedis legatus comprobavit. Adhuc memoratur Guillelmus an. 1240.

VII. Donadeus 1245. & 1259. XV. cal. Aug. quo de consilio sui conventus assensum præbuit commutationi ecclesiæ de Pradons & S. Stephani de Oliva vel Olivola cum ecclesia de Lippis, seu de Rippis factæ inter Raimundum de Bariaco dominum de Reons & dominum Aymonem episcopum Vivariensem.

VIII. Johannes I. de Tyrangiis die 12. Sept. an. 1265. a suis adjutus monachis constructionem Pontis S. Spiritus aggressus est, ex charta ad calcem posita. Unde merito redarguas qui asserunt pontem istum vel a Romanis, vel a Johanne Benedicto pontis Avenionensis structore ædificatum fuisse. Est autem longus 1200. passus, 22. fornicibus & pavimento decenter stratus.

Ch. XIX. col. 308.

IX. Rostagnus I. de Sancta Gala vel de S. Gallo, *de S.t Jal*, an. 1274. transegit cum incolis de jure furni, superstes an. 1278. pridie cal. April.

X. Thomas I. prior monasterii sancti Petri de S. Saturnino de Portu consensit donationi factæ a Petro Daniel filio Pontii Daniel militis de Abolena XIII. cal. Martii an. 1281. Obtinuit 1289. a senescallo liberam possessionem territorii de Croucholes tanquam ad regis dominium non pertinentis, ex charta authentica in pergameno.

XI. Theobaldus 1298.

XII. Guido de Claromonte 1300. & 1301. quo X. cal. Nov. sibi Philippum regem titulo *pariagii* sociavit in alta, media & infima justitia dicti loci, antiquis sibi retentis juribus. Anno 1302. dominia *de Sarrians, Tulete & la Mothe* pretio comparavit ab Arausicano principe; nec multo post prioratui debitas recognitiones exegit.

XIII. Hugo de Monte lupello benedictione donari sacellum pontis curavit an. 1311. Ejus fit mentio in charta authentica anni 1310. VII. idus Novemb. qua tum ipse, tum ejus monachi contendunt Guillelmum de Tesano priorem S. Johannis de Todon teneri ea quæ sunt ad victum necessaria suppeditare toti conventui, & etiam domesticis, vicario ecclesiæ S. Saturnini, sacerdoti & ejus clerico, supervenientibusque hospitibus die S. Saturnini, *dum tamen talis persona non existat, qui secum ad expensas suas ultra quatuor equitaturas ducat, boscocderi vero, cadrigariis & custodibus animalium dicti monasterii, & aliis qui extra clausuras dicti monasterii fuerint, & qui libram suam extra dictum monasterium consueverunt portare, duntaxat exceptis, quibus dictus dominus prior de Todone in aliquo minime teneatur. Actum per manum Guillelmi Falconis notarii.*

XIV. Johannes II. de Feuteriis præerat jam an. 1313. Fundavit 12. Julii 1318. anniversarium pro abbate (Cluniacensi) suo consanguineo defuncto 1320.

XV. Bertrandus de Capella Johannis papæ XXII. capellanus delegatur ab eodem pontifice ad exigendam vigesimam redituum partem certorum ordinis Cluniac. beneficiorum, bulla data Avenione VI. idus Apr. anno pontificatus X. quæ habetur t. XI. fragmentorum Stephanotii nostri p. 477. Jam vero præerat Bertrandus an. 1321.

XVI. Guillelmus III. de Pictavia *nobilis & humilis prior* sedebat jam anno 1330. Instituit 1333. die 5. Jan. officium hospitalarii, cui jus lectorum in urbe ac ejus territorio morientium, vel patrum familiarum decedentium assignavit.

XVII. Walbertus de Serras emit supremum dominium de Tulleto & insulas de Mondragon, ac de finibus territoriorum insularum S. Spiritus & Mondragon transegit an. 1335.

XVIII. Stephanus de Vassignac transactionem inter Guillelmum Allard hospitalarium monasterii & Petrum Reboul syndicum & consules fani S. Spiritus, qua loco lectorum decedentium dicto hospitalario triginta florenorum pensio assignatur, approbavit an. 1361. legendum forte 1351. Deodatus enim successor jam an. 1357. prioratum obtinebat.

XIX. Deodatus de Viridi sicco 1357. & 1363. qui deinde factus episcopus Castrensis prioratum resignavit Petro de Thureyo qui sequitur. Vide animadversiones in tomum 1. præfixas tomo 2. col. 63.

XX. Petrus I. de Thureyo card. tit. S. Susannæ primus fuit commendatarius, in possessionem inductus 3. Octobris 1385. Clientelari lege accepit a Delphino Viennensi 1418. aquam rivuli Ayguesii, cujus impetu aguntur moletrinæ de Tuleta.

XXI. Henricus card. tit. S. Sabinæ 1411. forte 1421. ad quem annum Petrus decessor pervenisse dicitur.

XXII. Thomas II. de Pileo papæ camerarius ac sanctæ sedis protonotarius, prior 1427. obiit 1431. mense Oct. alias vero rexisse dicitur ab an. 1422. ad 1436. Deinde Eugenius papa IV. contulit hoc beneficium cardinali de Comitibus qui Romæ degebat, unde ortum est dissidium inter Franciam & curiam Romanam.

XXIII. Guillelmus IV. de Campellis episcopus Laudunensis rexit ab an. 1436. ad 1444.

XXIV. Olivarius de Castro 1444. deinde Uceticensis episc. quo nomine (an. 1447.) die 4. Maii juridicam prioratus visitationem instituit.

XXV. Alanus de Coetivy episc. Avenionensis & cardinalis fuisse prior legitur ab anno 1448. ad 1467. legendum forte 1457. nam

XXVI. Julianus de Ruvera cardinalis tit. S. Petri ad vincula memoratur prior 1465. quo circiter anno exstinctum officium camerarii univit pro re vestiaria mensæ conventuali. Fuit postmodum papa Julius II.

XXVII. Amanevus d'Albret card. episc. Appamiensis 1503. & 1508. 13. Martii, hoc est 1507. ante Pascha.

XXVIII. Rostagnus II. d'Ancesune archiep. Ebredunensis 1507.

XXIX. Johannes III. d'Ancesune abbas sancti Rufi hujus prioratus adiit possessionem 27. Julii 1510. quem adhuc obtinebat 1526. & 1544. imo fortasse 1554. ut in quadam serie legimus.

XXX. Nicolaus de Pellevé episc. Ambian. & card. 1554.

XXXI. Alexius de Paganucis Ferrariensis præerat an. 1557. & 1559. sub quo ab hæreticis novatoribus, duce barone des Adrets, diruta fuit ecclesia cum cœnobio, combustis aut ablatis chartis 1557. mense Octobri. Hinc senatus Tolosanus 18. Martii an. 1569. edictum contra devastatores pronunciavit.

XXXII. Cæsar de Brancas, quem cardinalis de Bourbon vocat unum e suis domesticis in epistola an. 1571. 30. Aprilis.

XXXIII. Carolus I. de Mainteternes administrator 1573.

XXXIV. Ludovicus Hervé administrator 1574.

XXXV. Petrus II. Fabri sedis apost. protonotarius 1577. & 1578. 28. Octob. quo pepigit cum monachis.

XXXVI. Elzear seu Elziarius de Rastellis episcopus Regiensis 1579.

XXXVII. Carolus II. de S. Sixto episc. Regiensis parœcialem ecclesiam & prioratum instauravit an. 1581.

XXXVIII. Franciscus I. de la Cour 1614. etiam prior de Montdidier diœc. Ambian.

XXXIX. Claudius Mathe, *al.* de Motta electus a conventu prior regularis possessionem nactus est an. 1615. 28. Septemb.

XL. Franciscus II. Dauvet Desmarets filius Gaspardi ex Isabella Brulart puer novennis cessione præcedentis admissa 22. Octob. 1615. obtinuit hunc prioratum, quem tenuit annis octoginta usque ad obitum, qui contigit 8. Octob. 1695. in abbatia Longivadi in Burgundia, quam simul possidebat, ubi vide t. 4. col. 839.


XLI. Henricus Oswaldus de la Tour d'Auvergne nepos ex fratre cardinalis de Bouillon abbatis Cluniacensis hunc prioratum ejusdem collatione adeptus est 1696. quem deinde factus ipse abbas Cluniacensis fratri suo qui sequitur, contulit.

XLII. Fridericus Constantinus de la Tour d'Auvergne nuncupatus princeps Fredericus an. 1708. Obiit 1732.

XLIII. Franciscus Augustus princeps de Rohan comes de Ventadour canonicus Argentorat. renunciatur prior ab abbate Cluniac. sabbato sancto anni 1732.



ECCLESIA



ECCLESIA AGATHENSIS.

QUAS inter colonias in Volcis Tectosagis, non vero Arecomicis, ut apud Josephum Scaligerum & Sammarthanos, fundavere Phocæenses seu Massilienses, non minimum occupat locum Agatha, Straboni Rhoe-Agatha, quæ Ptolemæo Ἀγαθὴ πόλις, a Græcis, quales tunc temporis erant Massilienses, Ἀγαθῆς τύχης, sive bonæ fortunæ mutuata nomen, forsan ob alicujus prælii felicem exitum: unde solo cognomine retento, Agathæ vocabulum. Hanc alluit Cyrta, sic dictum a Massiliensibus flumen, quod Arauris antiquum Celtarum nomen. In Occitania sita sub metropoli Narbonensi & parlamento Tolosano, ab ipsa Narbona versus ortum octo circiter leucis Gallicis distat in ora fere littorali maris Mediterranei prope ostia Arauris fluvii. Portum ad Mediterraneum mare olim habuisse testatur Gregorius Turonensis lib. 6. hist. cap. 1. Cum autem facilis ad eam pateat accessus, regnante Ludovico XIII. restitutus est portus. Territorium Agathense angustis clauditur terminis, sed supra quam dici possit præpingue ac fertile est. De Agatha scripsere Strabo lib. 4. Plinius lib. 3. cap. 4. Mela lib. 2. cap. 5. Ptolemæus lib. 2. cap. 1. & alii, quos enumerare longum esset.

A Massiliensibus anno ab Urbe condita 706. transiisse creditur ad Romanos terrarum dominos, qui Plinii ætate omnia præter libertatem dedentibus sese Massiliensibus Caïo Cæsare abstulerant, quique inter oppida & agros, quibus eos spoliaverant, Agatha quoque potiebantur: in provincia enim Romana jam tum censebatur, nulla licet ejus in notitia provinciarum & civitatum Galliæ veterrima, quæ Honorii Augusti temporibus tribuitur, occurrat mentio. At in notitiis recentioribus inter provinciæ Narbonensis primæ civitates octo nunc quinto, nunc & sæpius quarto ponitur loco civitas Agathensium post Narbonem metropolim, Tolosam & Biterras. Isidorus in provincia Narbonensi prima, quam Viennensem secundam nuncupat, civitatem Agathensium tertiam a Narbone collocat. Post Romanos, Vandali tota late regione vastata Agatham occupaverunt & desolaverunt. His exturbatis, & ad Pyrenæos montes fugatis, in manus Visigothorum postmodum devenit Agatha, quam anno 673. rebellantem debellavit rex Wamba. Visigothis quoque spoliatis, gemuit sicut & ceteræ provinciæ Narbonensis civitates sub jugo Saracenorum, donec in bello adversus eos a Carolo victore devastata potius quam retenta, Gothorum denuo in potestatem rediit. Ansemundi dono tandem Gallicano fuit adunata imperio anno 752. cujus hodie fasces adorat. Comites omitto, sicut & vicecomites, qui deinceps jure vel injuria Agatham tenuere: hæc porro nostri non sunt instituti.

Quis primus Agathensibus Christi fidem prædicaverit haud scimus. Vult Cointius partem illam Galliarum, quæ Pipini regis ætate nomen cum Gothiæ tum Septimaniæ gerebat, christianam religionem florente Romanorum imperio suscepisse: at cum Agatha nondum inter civitates Galliæ recenseretur, christianæ Agathæ originem statuere difficile est. Venustum Agathensis ecclesiæ pedum jam tenuisse, tum cum in Septimaniam irruperunt Vandali autumant nonnulli, nixi auctoritate cujusdam instrumenti, de quo ambigitur: verum si Venustus barbarorum manibus mortem oppetierit, jam & Croci irruptionis tempus, & ecclesiæ Agathensis origo constabit, quæ tum cœpit esse episcopalis, cum Galliæ civitas fuit ad exordium sæculi quinti. Et certe in *legenda* sancti Severi abbatis alter occurrit episcopus Agathensis, Beticus nomine, Venusti forsan successor, qui circa an. 450. florebat.

Jure cudendæ monetæ, duobusque canonicatibus alias fruebatur episcopus, quorum unus mensæ capitulari unitus, alter ad episcopum spectat. Comitis titulo nunc decoratur, qui olim simpliciter vicecomes, qua quidem dignitate ecclesiam Agathensem cohonestavit Bernardus Atonis vicecomes Agathensis, qui se ipsum pro canonico an. 1187. & vicecomitatum suum ecclesiæ Agathensi mancipio dedit. Donum eodem confirmavit tempore Raimundus Tolosæ comes. Tedesius Petri decessor Simoni Montis fortis pro vicecomitatu fidem clientelarem professus est, deincepsque Francicis regibus hominium spoponderunt episcopi Agathenses ab anno 1228. quo sanctus Ludovicus, pace cum Raimundo Tolosæ comite inita, maximam Septimaniæ partem Gallicano adjunxit imperio. Ex ea autem die, ut volunt nonnulli, non amplius vicecomitum, sed Agathensium comitum titulum assumserunt episcopi Agathenses, quibus singulare privilegium concessit Innocentius tertius summus pontifex, ut a nemine, præter quam ab Apostolica sede, possent excommunicari. In ordinibus Occitaniæ sessionis jure gaudent.

Primarium templum sancto Stephano sacrum, divo Andreæ apostolo, cujus, Gregorio Turonensi auctore, reliquiis plaudit, dicatum olim fuisse videtur: principalem enim & majorem ejus nomini consecratam fuisse apud Agatham ecclesiam tradit auctor vitæ S. Severi apud Mabillonium, celebreque illud concilium in civitate Agathensi anno 506. habitum est in S. Andreæ basilica. Capitulum duodecim constat canonicis, quorum archidiaconus, sacrista, præcentor & camerarius dignitatum gaudent titulo; duodecim hebdomadariis, ex quibus octo ordinaria persolvunt officia, & quatuor obitibus sunt destinati, triginta duobus præbendariis seu beneficiatis, & duodecim *festariis*.

Diœcesis angustioribus coarctata limitibus viginti sex tantummodo parochias annumerat. Sunt in urbe religiosæ familiæ Minorum, Capucinorum & Monialium nostræ Dominæ, quibus adde Seminarium, quod regunt presbyteri oratorii Jesu.

Diœcesi Agathensi continentur præter cetera Agatha, Piscenæ, Mesua, Marcellianum, Araura sive Cesero ad Araurim fluvium, Lupianum, Pinetum, Vallismagna, Montaniacum & Florentiacum.

Eſt apud Piſcenas capitulum aliud duodecim canonicorum, ex quibus decanus; archidiaconus & ſacriſta tres dignitates, & quatuor beneficiatorum. Sunt & Minores, Obſervantini vulgo dicti, Capucini, Urſulanæ, & Hoſpitalariæ. Oratoriani collegium moderantur. Apud Florentiacum ſunt Obſervantini, apud Marcellianum Recollecti.

Quod abbatias attinet, de his ſeorſim more noſtro poſt eccleſiam loquemur. Interim Robertus, Catellus & Sammarthani epiſcoporum Agathenſium nomenclaturam potius & ſeriem, quam hiſtoriam conquiſierunt: nos ex his & aliis ejuſdem eccleſiæ monumentis, quorum partem maximam ſuppeditavit nobis liberaliſſime, ut ſuus eſt mos, D. d'Aubays, ſequentem catalogum auctiorem multo & emendatiorem confecimus.

EPISCOPI AGATHENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Venustus.

Agathensium præſulum agmen ducet Venuſtus, ſi fidem aliquam mereatur fragmentum codicis Avenionenſis eccleſiæ, quod inventum inter ſchedas D. Polycarpi de la Riviere aſcetæ Carthuſienſis, primus in lucem edidit Sammarthanus noſter inter inſtrumenta illius eccleſiæ t. 1. c. 137. Quantæ ſit auctoritatis monimentum hîc expendere non eſt nec animus, nec locus. Pretioſum illud ſit DD. Polycarpo & Sammarthano, per me licet: ſed de tempore quo Crocus Alemannorum dux irruperit in Gallias, totque præſules neci dederit, cum eruditis viris non B convenit: anno enim 265. quo factum id volunt, Vinduaſca, Carpentoracta, & Agatha civitatum nomine nondum donabantur, ſive potius ſedes epiſcopales non erant; quippe quarum in notitia Galliæ omnium veterrima, quæ Honorii Auguſti principatu exeunte ſæculo quarto compoſita eſſe creditur, nulla fit mentio. Itaque, ſi inſtrumento fides, Venuſtus primus Agathenſium epiſcopus gladiis Vandalorum, qui, Croco duce, Agatham obſidebant, occubuit ad exordium ſæculi quinti. Illudque confirmatur ex eo quod tum ante Venuſtum, tum ad Beticum uſque nullus in antiquis monumentis epiſcopus Agathenſis C appareat.

405.

II. Beticus.

In Agathenſi pontificatu Beticum floruiſſe eruitur ex vita S. Severi abbatis, ubi de eo legitur: *Regebat per idem tempus ſtrenuiſſimè ſanctæ Agathenſis-matris eccleſiæ ſedem vir per cuncta laudabilis, claro ſtemmate ortus, antiſtes eximius, in cujus providentia omnis ipſius providentiæ cura perſiſtebat. Hic ſpe & dilectione Chriſti roboratus, plurimorum mentes hominum ſuæ virtutis inſtinctu ad cæleſtia deſideria erigens, theoriticis ſtudiis mancipavit, & honeſtis moribus decoravit. Qui etiam pro* D *ſuorum meritorum magnitudine ab univerſis civibus, ut pater patriæ dignus eſt electus Dominici gregis paſtor, & præſul glorioſus. Noverant enim non ſua propria eum quærere, ſed quæ Jeſu Chriſti ſunt fideliter velle, inveſtigare, & ex adverſo iniquiſſimis hoſtibus occurrere, & aëriarum poteſtatum catervas acriter debellare, atque inexpugnabilem murum pro veritatis defenſione ſagaciter opponere. Hoc quoniam plurimum non ſolum fieri ejus declamabat ſanctitas, verum & matura ipſius morum profitebatur probitas, quoniam quidem exſecrando carnis voluptatem* A *fugiebat, ludibria ac mentis levitatem ſapienter declinabat; talium virtutum gemmis clarus, pontificali apice ſublimatus, in ſuo grege munere divino reſplendebat ut ſol, atque cunctis Dei voluntati parere volentibus, ipſis ſemper ſerviendo ſanctis operibus ſe præbebat in exemplum. Jejunio vero, præcipuis vigiliis propenſus, oratione laudabilis, miſericordia ſingularis, inſtabat tanquam bonus paſtor cura pervigil, ſollicitus ne de ovibus ſibi creditis quolibet modo inferre poſſet damnum hoſtis veternus. Demulcebat pios, ut magis ac magis dietim in Deum proficerent: terrebat improbos, ut reſipiſcerent a ſuis iniquis moribus, & ſecundum Apoſtolum duros, ſuperbos, contumaces, & invidos arguebat, obſecrabat, increpabat, permiſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta. Eratque valde pius & caritate fervidus, ita ut compatiendo diverſis calamitatibus afflictorum, oculus eſſet cæcorum, auris ſurdorum, lingua mutorum, manus aridorum, & pes claudorum. Quantum vero qualemque ſe præbuerit in viſitatione languentium, in ſuſceptione peregrinorum, in conſolatione mæſtorum, in conſolatione miſerorum, in defenſione ſuorum civium, & in redemtione captivorum, nullius explicare valebit lingua mortalium. Omnia ſane omnibus factus eſt, ut omnes Chriſto lucrifaceret. Talis namque eccleſiæ catholicæ merebatur eſſe rector, qui caſte ſobrieque vivendo, patientiam & miſericordiam, manſuetudinem & juſtitiam, ſeu benignitatem ſuis ſubjectis præmonſtrans, gereret de omnibus curam.*

Acta SS. ord. S. Bened. tom. 1. pag. 565.

Tempus vero quo floruit Beticus innoteſcit ex vita S. Maxentii, qui a Severo diſciplinis monaſticis imbutus, *inde progrediens de regione ſua ad diæceſim Pictavienſis civitatis in monaſterio S. Agapiti preſbyteri* abbas eligitur. Anno Chriſti 507. a Clodoveo poſt Vocladenſem pugnam inviſitur Maxentius, tandemque aliquot poſt annis ſeptuagenarius obiit. Hinc Beticum circa ſæculi quinti medium ſediſſe non temere colligas: cum e Syria ad Septimaniam appellentem Severum exceperit Beticus, Maxentiuſque Severi diſcipulus anno circiter 515. obierit, hinc merito concludi poteſt circa annum 450. floruiſſe Beticum.

Ibid. pag. 578.

450.

III. Sophronius.

Sophronius chirographum appoſuit celebri concilio in civitate Agathenſi Meſſala conſule anno XXII. regni domini Alarici regis habito, cui Cæſarius Arelatenſis præfuit III. idus Sept. an. 506. & interfuere epiſcopi triginta quinque octo provinciarum regni Gothici.

506.

ANNI CHRISTI 541.

IV. Leo.

Ecclesiam Agathensem regebat Leo an. 541. de quo mirabile est quid ejus tempore acciderit inter eum & Gomacharium comitem provinciæ præfectum, Agatha tunc sub ditione Gothorum existente. Narrationis tenorem ex lib. 1. de gloria Martyrum cap. 79. ipsiusmet verbis Gregorii Turonensis exscribimus. *Ecclesia Agathensis urbis, quæ sancti Andreæ apostoli reliquiis plaudit, plerumque gloriosis inlustratur miraculis, pervasores rerum suarum sæpius arguit. Denique cum Gomacharius comes agrum ecclesiæ ipsius pervaderet, tunc Leo episcopus hujus ecclesiæ valde mœstus concurrit ad eum, dicens: Relinque, o fili, res pauperum,* B *quas ordinationi nostræ Dominus commendavit, ne tibi sit noxium; & a lacrymis egentium, qui de fructibus ejus ali consueverant, eneceris. Ille vero quia erat hæreticus, parvi pendens de his quæ ab episcopo dicebantur, rem in sua dominatione retinuit. Interim procedente die, arripitur a febre, cumque non modo ardore corporeo, verum etiam animæ vexaretur incommodo, misit ad episcopum nuncios, dicens: dignetur pro me sacerdos orationem ad Dominum fundere, & ego dimittam agrum ejus. Quo orante, hic a valetudine, qua gravabatur, convaluit, factusque sanus, ait suis: quid putatis, quid isti nunc Romani dicant! aiunt enim me ob hoc fuisse febre* C *gravatum, quia tulerim agrum eorum, quod mihi juxta consuetudinem humani corporis accidit: verumtamen non habebunt eum me vivente. Et dicto citius misit qui eum iterum auferret. Quod cum episcopus comperisset, venit ad eum, dicens: num pœnitet te prius fecisse bene, quod hoc iterum conaris evertere! ne facias, quæso, ne ultioni divinæ subjaceas. Qui ait ad episcopum: sile, sile, decrepite: nam infrænatum te loris, circuire urbem super asinum faciam, ut sis in ridiculo omnibus qui te aspexerint. At ille silens ad nota recurrit præsidia: prosternitur in oratione, celebrat vigilias, ac noctem totam in lacrymis & psallentio ducit. Mane autem facto, accedit ad* D *lychnos qui de camera ecclesiæ dependebant, extensamque virgam quam tenebat in manu, effregit cunctos, dicens: non hic accendatur lumen, donec ulciscatur Deus de inimicis, & restituat res domus suæ. Hæc eo dicente, protinus hæreticus ille in redivivam febrem corruit. Cumque in extremis ageret, misit ad episcopum, dicens: oret pro me sacerdos ad Dominum, ut vivam, & restituam agrum, ac similem ejus conferam dominationi. Quibus pontifex respondit: jam oravi ad Dominum, & exaudivit me. Misit & alios & tertios ad eum nuncios. Sed sacerdos in uno responso persistens, non movebatur* E *ad hæc, ut pro eo orationem daret ad Dominum. Hæc ille hæreticus cernens jussit se in plaustro componi, atque ad eumdem evehi, ac per se deprecari episcopum, dicens: quia dupla satisfactione restituo agrum quem inique pervasi, tantum ut oret pro me sanctitas tua. Illo quoque recusante, compulit eum vi ut abiret ad ecclesiam: quo discedente, ut ecclesiam est ingressus, & hic spiritum exhalavit: recepitque confestim ecclesia rem suam.* Huc usque Gregorius, qui annum quo id factum est non assignat. Idem retulit Baronius tom. 7. annalium A sub annum Christi 583. quo fundamento silet. At non desunt argumenta, quæ Gomacharium provinciæ præfuisse circa an. 540. demonstrent.

V. Fronimius.

Fronimius natione Biturix, in Septimaniam appulsus, a Leuvane Visigothorum in Hispania rege honorifice excipitur, sedeque Agathensi vacante, episcopus quamprimum sufficitur an. 569. (569.) Sed defuncto post Leuvane, cum Ingundis Sigiberti filia, Childeberti Austrasiorum regis soror, Hermenigildo Leuvigildi regis ex Theodosia priori Athanagildi conjuge filio in matrimonium collocata, in Hispanias proficisceretur, per Agatham transiit anno 580. (580.) ubi aliquantisper commoratæ Fronimius Agathensis episcopus Arianorum hostis infensissimus, auctor fuit, ut Arianæ perfidiæ veneno imbui se non sineret, fausto quidem felicique præter spem successu: Hermenegildus enim Ingundis precibus illectus, sacro baptismatis fonte ablutus fuit. Quibus auditis ira accensus Leuvigildus rex, in omnibus sanctissimo præsuli, quem hujusce conversionis auctorem suspicabatur, molestus, nihil omisit quo eum ab episcopatu discedere cogeret. Tandem eximia antistitis patientia & fortitudine fatigatus, sicarium Agatham misit, cujus in manus incidisset Fronimius, ni amicorum monitis fuga lapsus, in Gallias sese recepisset. Ibi a plurimis episcopis benigne exceptus, adfuit anno 585. (585.) concilio II. Matisconensi inter episcopos, qui sedem non habebant. Ad Childebertum regem postea transiit, a quo nono post dejectionem suam ab Agathensi sede anno potestatem pontificalem in Venciensi sede suscepit, subrogatus in locum Deutherii mortui. De eo legendus Gregorius Turonensis hist. lib. 9. cap. 24. & vitas patrum cap. 7. ubi mentionem facit cujusdam famuli Fronimii Agathensis episcopi, quem epileptico correptum morbo ad sepulcrum B. Nicetii episcopi Lugdunensis misit Fronimius, ubi & sanatus est. Consule episcopos Vincienses t. 3. col. 1214.

VI. Tigridius.

Tigridius qui & Hygridius, & Nigridius, subscripsit concilio Toletano III. anno 589. (589. *Marca Hispan. col. 82.*) mense Maio, quod Reccaredus rex Gothorum ex Ariana hæresi una cum totius gentis Gothicæ universitate ad veram fidem conversus convocavit, ut Deo gratias agerent episcopi de tam singulari beneficio. Eodem anno adfuit calendis Novembris concilio Narbonensi cum aliis episcopis comprovincialibus, qui præcedenti Toletano interfuerant. Ad annum 590. (590.) pervenisse Tigridius legitur in veteri catalogo Agathensis chartophylacii.

VII. Georgius.

Georgius convenit ad synodum Toletanam VIII. anno 653. (653.) a Reccesvintho rege convocatam VI. cal. Jan. Opinantur nonnulli Georgium fuisse postea archiepiscopum Viennensem, de quo inter Viennenses archipræsules plura.

ANNI CHRISTI

VIII. WILESINDUS.

Wilesindus, qui Lucæ Tudensi Vilesmondus, episcopus Agathensis una cum germano Wilesindo cognomine urbem Agathensem a Wamba Wisigothorum rege anno 673. expugnatam defendere conatus, acriter pugnavit, sed incassum; victori enim cedere coactus uterque, captivus abductus est, eademque quæ non ita pridem Biterræ, sors fuit urbis Agathæ.

673.

IX. PRIMUS.

Antistitis hujus nomine Dexter diaconus subscripsit concilio Toletano XIII. æra 721. Christi vero 683. Post eum quorumdam episcoporum nomina & gesta exciderunt: nec mirum, cum paulo post Saraceni provinciæ potiti, omnia depopulati sint, & in bello quod adversus eos gessit Carolus Tudites, urbs quoque passa sit an. 737. uti refert continuatum chronicon Fredegarii part. 3. cap. 109.

683. 737.

Dagobertus quem anno Christi 777. Agathensem ecclesiam rexisse tradunt Sammarthani anno VII. Caroli magni III. id. Augusti, idem videtur ac Dagbertus de quo postea: nam in chartulario Agathensi nullum Caroli magni ad Dagobertum exstat præceptum, sed Caroli Calvi ad Dacbertum III. id. Aug. anno IX. Carolo rege.

X. JUSTUS.

Justus concilio Narbonensi adfuit cum aliis viginti sex episcopis præside Daniele metropolita adversus Felicem Urgellitanum episcopum anno XXIII. regnante Carolo magno, Christi vero 791. inibique cum duobus aliis testibus Justus totum Redensem pagum Danieli archiepiscopo adversus Winedurium Elnensem episcopum vindicavit.

Ch. II. col. 3. 791.

De Stephano, quem Justo substituunt Sammarthani, idem dicendum ac de Petro Biterrensi: uterque innotescit ex charta de consecratione altaris Anianensis, quam falsam demonstravit Cointius ad annum Christi 805. n. XI. & seq.

XI. DAGBERTUS I.

Dagbertus, qui & Agbertus, ad preces Apollonii comitis Agathensis obtinuit a Carolo Calvo regni ejus 9. XI. mensis Augusti, id est 848. tertiam partem jurium ad dominium spectantium, quæ a regibus decessoribus Septimaniæ ecclesiis jam prius concessa, ab eorum administris Agathensi ablata postea fuerant. Instrumentum reperies inter probationes. Concilio Tullensi II. apud Tusiacum habito ab episcopis quatuordecim provinciarum sub die XI. cal. Novemb. ind. IX. anno Christi 860. subscripsit Dagbertus Agathensium episcopus. In gratiam ejusdem Apollonius comes condidit testamentum anno XXXIII. regnante Carolo, Christi 872. quo Agathensi ecclesiæ quædam legavit, quæ legesis in instrumento donationis in appendice.

848. Ch. I. col. 311. & Ch. XVII. col. 326. 860. 872. Ch. III. col. 314.

Vult D. Claudius Etiennot antiquitatum Septimaniæ parte prima, Dagbertum ex abbate sancti Severi ad cathedram Agathensem assumtum fuisse ante annum IX. Caroli Calvi, a quo eamdem abbatiam postea factus episcopus regendam suscepit, quod infert tum ex diplomate Caroli imperatoris, qui abbatiam S. Severi in suburbio Agathensi subjicit episcopo & canonicis S. Stephani, tum ex præcepto Ludovici Francorum regis, dato an. 1173. qui confirmat S. Stephano Agathensi abbatiam S. Severi, sicut eam dedit eidem sancto antiquitus Carolus imperator. Huic sententiæ adstipulari videtur charta donationis a Mirone quodam viro potente mense Februario anno XXXVII. regnante eodem Carolo factæ *ad ecclesiam S. Severi, cujus corpus requiescit prope Agathæ civitate, & ad ipsam Casam Dei, ubi ipse episcopus Dagbertus præest.* Attamen D. Edmundus Martenne in collectaneis ad episcopatum Agathensem monet nos Dagberto subjungendum esse Reginardum, utpote qui anno XXXVI. regnante Carolo rege exceperit donum cujusdam alodis in villa Aglone. Viderint oculatiores: in iis enim, quæ præ manibus non habemus, plane cæcutimus.

Ch. XVII, col. 236. 876.

Richardus vero subscriptus concilio Mantalensi, in quo regis nomen Bosoni ab Arelatensis regni episcopis proceribusque delatum est idibus Octobris anno Christi 879. non erat episcopus Agathensis, sed Aptensis in Gallo-provincia, ut jam diximus tom. I. col. 353.

XII. BOSO.

Consecrationi Narbonensis archiepiscopi invitatus a comprovincialibus an. 885. adesse non potuit Boso Agathensis præsul propter nimiam *garsionum* vexationem, qua jugiter sui episcopatus territoria devastabantur. At adstitit concilio Nemausensi in villa Portus adversus Selvam clericum Hispanum, qui archiepiscopatum affectabat, a Theodardo metropolita celebrato XV. cal. Dec. sub annum Christi 887. Decennio post interfuit conventui episcoporum apud Nemausum civitatem in loco, qui Portus cognominatur, habito XIII. cal. Maii an. 897. indictione XV.

Bolland. t. I. Maii pag. 148. 885. 887. Baluz. conc. Narbon. pag. 2. 897.

XIII. GERARDUS I.

Agathense pedum jam tenebat Gerardus anno 899. quo recensetur in quodam monumento archivi hujusce ecclesiæ pro feodo de Vian. Subscripserat chartæ quam Hemma venerabilis abbatissa S. Johannis Baptistæ confirmandam obtulit episcopis synodi Barcinonensis anno 906. indict. IX. cui præerat Arnustus Narbonensis. Anno sequenti adstitit concilio Agathensi apud S. Tiberium habito, in quo de ecclesia Ausonensi quæstio, quæ in synodo Barcinonensi, iterum ventilata est. Sigillum apposuit suum synodo Magalonensi apud Juncarias ab Arnusto Narbonensi archiepiscopo cum episcopis decem celebratæ V. non. Maii an. 909. in qua Sinuarius comes cum omni familia sua solemnem absolutionem ac benedictionem accepit. Præsens fuit cum ceteris comprovincialibus concilio celebrato in villa, cui nomen Fons Coopertus, in territorio Narbonensi, in ecclesia sancti Juliani, Arnusto præside an. 911. indict. XIV. Gerardo, uti plurimis aliis

899. Ch. XII. col. 13. 906. 907. Baluz. t. 7. Miscellan. pag. 51. 909. Marca Hispanica pag. 379. 911.

ANNI CHRISTI

episcopis inscribitur epistola Johannis X. summi pontificis pro Agio Narbonensi circa an. 914. Anno XX. regnante Carolo post obitum Odonis, Christi 917. excepit donum Viventii. Commemoratur etiam anno XXV. regnante Carolo post obitum Odonis, hic est annus 922.

Ch. XIV. col. 14. 914. 917. 922.

XIV. STEPHANUS I.

Gerardo Stephanus successit, cujus mentio est in charta donationis factæ a Berta de alode in villa de Medeliano *XIV. cal. Sept. anno primo quo regnavit Robertus fraudulenter.* Robertus autem Odonis frater rex electus coronatur 30. Jun. 922. & obit anno elapso. Stephani etiam nomen annotari aiunt Sammarthani in tabulis annorum 903. & 920. sed ubi sunt hæ tabulæ, quæ eorum diligentiam effugere, qui Agathensia archiva perscrutati sunt? adde quod tunc temporis Gerardum sedisse extra dubium sit.

XV. DAGBERTUS II.

Inter episcopos Narbonensis provinciæ, qui anno secundo regnante Ludovico rege dedicarunt ecclesiam S. Pontii Tomeriarum, quique omnes postea ad concilium Ausedinense convenerunt, recensetur quidam Dagobertus episcopus, cujus sedes non assignatur, qui & biennio post subscripsit chartæ Aimerici Narbonensis archiepiscopi pro eodem monasterio: hic autem Dagobertus diversus non videtur a Dagberto Agathensi episcopo, qui confirmavit anno 943. donationem monasterii B. Mariæ Camboni Soniario abbati Crassensi factam, & adclamavit electioni Riculfi episcopi Elnensis factæ in publico episcoporum Narbonensis provinciæ conventu habito apud Narbonam in ecclesia sanctorum Justi & Pastoris anno Domini 947. Acta habes in appendice.

943. 947. Ch. VII. col. 481.

XVI. BERNARDUS I.

Bernardus, sicut & decessor, Sammarthanis ignotus, occurrit in charta Raimundi filii Guillelmi Bernardi de Marcelliano an. XXI. regnante Ludovico rege, hic est annus Incarnationis 949. incipiendo Ludovici regnum ab obitu Caroli Simplicis ipsius patris, qui contigit anno 929. nam Robertus & Radulfus non reges, sed regni invasores reputabantur in aliquibus locis.

949.

XVII. SALOMON I.

Salomon anno primo regnante Lothario rege, qui regnum auspicatus est anno 954. commutationem facit cum Geiraone & Adalinde ejus uxore. Reperitur anno III. Lotharii regis in vetustissimo judicio in favorem ecclesiæ Agathensis lato. Occurrit & anno IV. ejusdem regni.

954. 956. 957.

XVIII. BERNARDUS II.

Bernardus episc. Agathensis recensetur anno V. regnante Leutherico rege, Christi 958. in charta Pontii Barro de Marcelliano, ex arch. Agath.

958.

XIX. AMELIUS.

Querelam habuit Amelius cum Raimundo Ruthenensi comite occasione ecclesiæ S. Martini, nonnullorumque vicorum in comitatu Agathensi, quæ comes adquisierat ab Ermengarda: re ad Bernardum Nemausensem & Fulcrannum Leutevensem episcopos aliosque arbitros delata, in placito apud S. Baudilium habito die Veneris 7. Julii XVIII. regni Lotharii scilicet 971. Amelio judices controversa adjudicarunt.

971.

XX. SALOMON II.

Paulo post Nemausense placitum alter Amelium defunctum excepit Salomon, si Sammarthanis fides, qui vetus quoddam Agathense commemorant documentum obsignatum XVIII. regni Lotharii regis. Emit in villa Montezellos usum cujusdam mansi anno XXI. Lotharii regis, videlicet 974. & biennio post XXIII. nempe ejusdem Lotharii, Christi 976. Lunizo presbytero duos donavit mansos, ex archivis Agathensibus.

974. 976.

XXI. ARMANDUS.

Ecclesiam Agathensem administrabat Armandus, qui & Arnaudus, anno 982. XXIX. regni Lotharii regis, quo una cum Willelmo vicecomite cuidam placito præfuit XII. cal. Octob. Catell. comment. pag. 652.

982.

XXII. STEPHANUS II.

Episcopalem occupabat sedem Stephanus jam ab anno 990. si ipse sit Stephanus episcopus, ut vero videtur simillimum, cui, & Matfredo Biterrensi testamentum suum exsecutioni mandandum commisit eodem anno Willelmus vicecomes Biterrensis & Agathensis, quo ecclesiæ Agathensi legavit villam S. Andreæ cum appenditiis. Mansum unum in comitatu Biterrensi situm in villa de Caunas Rainaldo abbati de monasterio Aniano & congregationi ibidem degenti vendunt IV. id. Aprilis anno V. regnante Roberto rege Stephanus sedis Agathensis episcopus ejusque canonici, ex tabulis Anianæ. Huic quædam legavit Ermengaudus Narbonensis archiepiscopus testamento anno circiter 1005. condito. Subscripsit una cum episcopis Narbonensis provinciæ decreto ab Ermengaudo Urgellensi præsule de vita canonica in matrice ecclesia instituenda lato XIV. cal. Decemb. anno 1010. Una cum Wifredo archiepiscopo Narbonensi, Stephano Aptensi & Oliba Ausonensi Stephanus episcopus consecravit III. non. Octob. an. 1022. ecclesiam sancti Petri Rodensis, & adfuit concilio eorumdem episcoporum ibidem habito, ubi epistolæ Benedicti VII. anni 979. de confirmatione possessionum ac privilegiorum monasterii Rodensis cum aliis episcopis subscripsit. Anno 1024. die 22. Augusti dedicavit ecclesiam S. Felicis de Vairaco seu de Palatio in honorem Dei, B. Mariæ, sanctæ Fidis, & aliorum sanctorum cum consilio & voluntate domini principis Bernardi de Andusia & Gersindis comitissæ ejus uxoris. Anno circiter 1032. adfuit concilio Narbonensi a Guifredo metropolitano habito, in quo confirmata sunt privilegia Canigonensis monasterii. Subscripsit an. 1035. synodo

990. 1005. 1010. *Marca Hispanica col. 432.* 1022. 1024. 1032. 1035.

habitæ in monasterio Coxanensi a plurimis episcopis pro immunitate hujus cœnobii, & confirmatione unionis ecclesiæ B. Mariæ *inter ambas aquas* dicto monasterio. Præsulis hujusce temporibus S. Isarnus Gauscelinum abbatem sequens, Agatham appulit, ubi a Stephano episcopo habitum sanctæ religionis accepit, unde Massiliam profectus, Wifredi defuncti in locum suffectus est abbas Massiliensis an. 1021.

ANNI CHRISTI

XXIII. Willelmus I.

Willelmus Agathensis præsul subscripsit concilio Narbonæ habito die 17. mensis Martii 1043. adversus invasores monasterii Coxanensis. Recensetur inter episcopos, qui Narbonense concilium celebrarunt præside Guifredo metropolitano anno eodem indictione XI. cal. Augusti, anno XIII. regnante Henrico piissimo Francigeno. In hac synodo confirmata fuit donatio facta ecclesiæ Edrensi in diœcesi Carcassonensi a Willelmo Hugonis. Acta habes t. 4. anecd. col. 86.

1043.

XXIV. Guntherus.

Guntherus, qui & Gontherius, & Gontarius, sedebat an. 1050. quo adfuit provinciali synodo apud S. Tiberium in diœcesi Agathensi habito a Wifredo metropolitano idibus Julii, in quo decreta est excommunicatio adversus invasores ecclesiarum & possessionum monasterii Arulensis. Nominatur inter episcopos qui celebrarunt concilium Narbonense anno 1054. indictione VII. epacta IX. concurrente V. VIII. cal. Septemb. sub Guifredo archiepiscopo, ubi pax & treuga confirmata fuit. Eo circiter tempore adfuit consecrationi Magalonensis ecclesiæ factæ ab Arnaldo hujusce urbis antistite. Una aderant alii episcopi, qui consecratione peracta, decreta apostolica Johannis papæ XX. confirmarunt. Calendis Octobris an. 1055. sub Guifredo metropolitano habitum est apud Narbonam concilium, in quo decreta est excommunicatio adversus invasores bonorum ecclesiæ Ausonensis, cui subscripsit Gontherius Agathensis præsul. Anno sequenti interfuit concilio Tolosano, quo profligata simoniaca pestis, quæ statum ecclesiasticum cum infinita animarum strage pervaserat. Cum Rostagno Leutevensi præsens memoratur restitutioni factæ canonicis Biterrensibus ab Arnaldo Magalonensi VIII. id. Febr. an. 1057. Superstes adhuc erat anno 1064. ex tabul. S. Victoris Massiliensis, ubi legitur Rodgerus comes Agathensis consilio Raingardæ matris suæ uxorisque Sibillæ ad preces Gontherii episcopi, necnon & viri nobilis Pontii abbatis dedisse abbatiam S. Andreæ secus mœnia Agathæ sitam, in qua trecenti fuerant olim monachi, tunc vero solitariam derelictam, Durando abbati sancti Victoris Massiliensis habendam & instaurandam anno 1064. indict. 2. fer. V. mense Aprili.

1050. *Marc. Hisp. col. 447.* 1054. 1055. *Ibid. col. 451.* 1056. 1057. 1064.

XXV. Berengarius I.

Jussu Alexandri summi pontificis convocatum est an. 1068. concilium Gerundense, ubi legatus præfuit Hugo Candidus cardinalis, cui adstitit Berengarius Agathensis episcopus. Memoratur an. 1072. in charta Biterrensi. Quia vero Narbonensi archiepiscopo anathemate percusso communicabat, vicesque episcopales pro illo gerebat, a Gregorio VII. excommunicatus fuit Berengarius in concilio Romano anno 1075. Biennio post Guifredi partes procul dubio reliquerat: invenitur enim ejus nomen inter episcopos, qui interfuerunt concilio ab Amato apostolicæ sedis legato apud Bisuldunum habito VIII. id. Dec. an. 1077. in quo excommunicatus est Guifredus Narbonensis metropolita, abbatesque simoniaci penitus ejecti. Nominatur in conventu episcoporum Septimaniæ an. 1080. nonis Maii, præsensque fuit donationi decimæ salis & piscium factæ 31. ejusdem mensis canonicis sancti Justi a Petro electo Narbonensi. Memoratur & in veteri instrumento an. 1085. Recensetur inter episcopos, qui an. 1090. anathema dixerunt in invasores ecclesiæ Biterrensis. Exstat in tabulario Casæ Dei charta Gaufridi episcopi Magalonensis & Berengarii Agathensis data anno 1098. pro S. Vincentio de Joncheriсis. Denique hic ille est episcopus Agathensis, qui Deodato abbati sancti Tiberii & successoribus ecclesiam sancti Petri de Beciano ordinandam concessit, quæ postmodum gravissimarum inter monachos S. Tiberii & Casadenses querelarum origo fomesque fuit.

1068. *Anecdot. tom. 4. col. 1185.* ANNI CHRISTI 1072. 1075. 1077. 1080. 1085. 1090. *Ibid. col. 119.* 1098. *Ch. VII. col. 319.*

Non moror Bernardum Agathensem episcopum, qui concilio Beneventano an. 1075. sub Gregorio VII. apud Labbeum subscriptus invenitur: non enim de Bernardo Agathensi in Occitania episcopo illic agitur, sed de Bernardo episcopo Agathopolis, seu fani S. Agathæ Gothorum, quæ urbs regni Neapolitani in provincia principatus ulterioris episcopalis est sub archiepiscopo Beneventano in ipso limite terræ Laboris.

Ughell. nov. edit. tom. 8. col. 347.

XXVI. Bernardus III.

DEODATUS.

Bernardus, cognomento Deodatus, Berengario successit an. 1098. Hunc Bernardi vicecomitis Biterrensis filium tradunt Sammarthani, nixi instrumento tabularii Agathensis, quo Bernardus comes vicecomitis filius fratri cognomini tutamen pollicetur anno 1106. At primo Bernardus episcopus an. 1098. filius esse nequit Bernardi vicecomitis, qui anno duntaxat 1083. duxit uxorem. Secundo in diversis quæ Bernardi vicecomitis circumferuntur testamentis nulla Bernardi filii fit mentio, nisi Bernardi Atonis tertio geniti vicecomitis Nemausensis & Agathensis, qui & ipse connubium iniit. Sed nec Bernardus episcopus dici potest frater Bernardi comitis seu potius vicecomitis, qui patrem habuit Raimundum nomine. Bernardus itaque Agathensem cathedram consecutus, ecclesiam S. Martini, quæ est in episcopatu Agathensi, territorio de Caux, cum omnibus ad eam pertinentibus, S. Guillelmo, monasterii ejusdem abbati Berengario & monachis largitus est X. cal. Mart. anno ab Incarn. 1098. luna 16. regnante rege Philippo & præsente Guillelmo archidiacono, ex tabulis Gellon. Dedisse monasterio Casæ Dei ecclesiam de Beciano discimus ex bulla Paschalis II. omnes donationes

ANNI CHRISTI

Ch. VII. col. 319.

factas huic cœnobio confirmantis anno VIII. A pontificatus ind. XV. 2. non. Febr. Hanc autem ecclesiam a decessore monasterio S. Tiberii prius concessam, Arnaldo abbati eripuit Bernardus, ut monasterio Casæ Dei in Arvernia subjiceret, quia a Gomherio Agathensi episcopo jam antea donatam sibi affirmabant Casadenses: at cognita postea ipse veritate, S. Tiberio reddendam judicavit Bernardus in placito eadem de causa habito apud Cabrils ante annum 1106. Anno 1110. Pontius Barrot ei divendidit fer. 6. VII. calend. Jun. totam decimam, quam percipiebat in loco de Marcelliano, pretio 70. solid. Biterr. Dedit an. 1114. Ermengardæ & Aliardæ reclusis ecclesiam B sancti Victoris in territorio de Marcelliano sitam cum campo, prato & adjacentiis. Adfuit Bernardus consecrationi ecclesiæ B. Mariæ de Cassiano anno 1115. Electus arbiter cum aliis nonnullis episcopis & Adalberto legis perito diremit anno 1120. litem, quæ movebatur inter Eleazarum de Castriis Engelradamque ex una parte & Arnaldum abbatem S. Tiberii ex altera. Episcopatui beneficus hic præsul ecclesiæ suæ largitus est 12. Septemb. 1122. ecclesias S. Petri & S. Michaelis de Fabricolis, necnon & medietatem S. Martini de Corbian, insuper basilicas S. Crucis de Mulsan & beatæ Mariæ de Prexian, quibus & aliis piis C hujusmodi dotationibus plurimum auxit reditus ecclesiæ.

Ibid. 1110. 1114. Ch. VIII. col. 134. 1115. 1120. Ch. VI. col. 317. 1122.

XXVII. Adelbertus.

Idem forte ac legis peritus, de quo in præcedenti, Adelbertus post Bernardum assumtus, sedebat an. 1123. ex Anianæ tabulario. Quippe Elisiarius de Castriis filius Ausiliæ & Engelrada ejus uxor castellum Salvianum cum toto ejus territorio, turribus, vallis, muris & fortiis domino Deo & altari S. Salvatoris donant XIV. cal. Nov. feria VI. anno Incarnationis Domini MCXXIII. regnante Ludovico rege Francorum, Bernardo D vicecomite Biterrensi, consilio & in præsentia Adelberti episcopi Agathensis. Idem probatur ex charta cujusdam excambii, cui subscripsit Adelbertus cum S. Geraldo Biterrensi episc. die 23. Octob. an. 1123. Memoratur 1124. in donatione Adalisiæ. Occurrit in charta Arnaldi archiepiscopi Narbonensis IV. cal. Martii 1125. largientis ecclesiæ S. Justi & S. Pastoris præposituram eo prorsus modo, quo Matfredus Biterrensis præsul ea potitus fuerat. Hujus quoque fit mentio in transactione Amelium Tolosanum episcopum inter & Berengarium abbatem Montis olivi an. 1126. Eo circiter tempore in placito apud Cor- E bianum habito ecclesiam de Beciano S. Tiberii monasterio reddendam judicavit Aldebertus una cum A. Narbonensi & J. Nemausensi. Hanc autem sententiam idem postea confirmavit in alio apud Lupianum placito anno 1129. Denique testis adducitur donationis ecclesiarum de Oviliano, de Rivo, de Alamano, & de Beliano cum appendiciis factæ canonicis S. Justi ab Arnaldo Narbonensi archiepiscopo mense Martio anni ejusdem. In necrologio Cassianensi obitus ejus dies annotatur VIII. cal. Julii.

1123. 1124. 1125. 1126. Ch. VII. col. 319. Ibid. col. 319. 1129.

XXVIII. Raimundus I.

ANNI CHRISTI DE MONT-REDON. Ch. VII. col. 319.

Ecclesiæ Nemausensi oblatus a patre Raimundus dum puer esset, in ea nutritur a puero usque ad juvenilem ætatem. Factus deinde canonicus Nemausensis, & mox archidiaconus Biterrensis juxta sancti Tiberii tabulas, quo tempore adfuit cuidam placito apud Lupianum habito inter abbates S. Tiberii & Casæ Dei, electus Agathensis vocatur in bulla ad R. Magalonensem, B. Biterrensem, P. Leutevensem, J. Nemausensem & Agathensem episcopos data III. cal. Dec. 1130. quibus mandat summus pontifex, ut milites suos, qui hominem monasterii Anianensis interfecerant, moneant, ut abbati & monachis quantocius satisfaciant. Guido sanctæ sedis legatus Raimundo Agathensi episcopo scripsit anno circiter 1132. ut latam apud Lupianum sententiam pro monasterio sancti Tiberii exsecutioni mandandam curaret. Permutavit anno 1133. ecclesiam de Lignano cum Bermundo episcopo Biterrensi pro eo quod habebat in ecclesia Beciani. Anno eodem pro Narbonensi archiepiscopo sententiam tulit adversus R. Amelii de Auriag. An. 1134. synodo Monspeliensi interfuit, in qua ecclesia de Beciano monasterio S. Tiberii attributa fuit ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo Innocentii II. legato præside. Largitus est eodem anno Ermengaudo archidiacono & canonicis ecclesiæ Agathensis abbatiam S. Andreæ. Anno 1135. domum acquirit ab Adela. Consensit instituendis a Petro Leutevensi episcopo an. 1138. in monte Cornilio canonicis regularibus. Willelmo abbati Caduini & Fulconi abbati Ardorelli facultatem impertiit cœnobium construendi in honorem S. Mariæ in sua diœcesi, parochia, & loco Vallis magnæ; & monachis hujusce novi cœnobii fundatores & hospites apud ipsos sepeliendi, ea lege ut abbas Vallis magnæ præstaret obedientiam domino episcopo Agathensi. Actum XVII. cal. Jun. anno MCXXXIX. Eodem anno adfuit synodo Uceticensi a Guidone diacono apostolicæ sedis legato & cardinali congregatæ, in qua concordia fit inter monachos Casæ Dei & S. Tiberii super ecclesia de Beciano. Promotus inde est ad Arelatensem metropolim sub annum 1142. uti narrat Petrus venerabilis lib. 5. epist. 4. agens de causa monasterii S. Baudilii cum episcopo Vivariensi monacho Cluniacensi. Vide archiepiscopos Arelatenses tom. 1. col. 560.

1130. 1133. Ibidem. 1134. Ibidem col. 318. 1135. Ch. XV. col. 279. Ch. IX. col. 320. 1139. Ch. X. col. 321.

XXIX. Ermengaudus.

Ex archidiacono factus episcopus Ermengaudus Agathensem administrabat ecclesiam an. 1142. Acquisivit a Guillelmo Bouche fratribusque ac sororibus IV. cal. Febr. 1146. quidquid possidebant in decimis S. Eulaliæ, Perani, &c. pro 500. solidis Biterrensibus & 90. Melgoriens. tab. eccles. Agath. Anno 1149. canonicis suis abbatiam S. Andreæ cum omni jure decessorum præsulum, Bernardi videlicet & Raimundi, eidem cœnobio attributo, non dono dedit, ut volunt Sammarthani, sed confirmavit quam eis largitus jam fuerat an. 1134. Raimundus ejus

1142. 1146. 1149.

decessor. Denique mense Septembri feria sexta A ejusdem anni testamentum condidit, in quo plura tum eleemosynæ S. Stephani, tum ad reædificandam ecclesiam Agathensem legavit, quæ melius leges in instrumento ipso, quod inter probationes inseruimus.

ANNI CHRISTI Ch. XIII. col. 323.

XXX. Berengarius II.

Berengarius prior B. M. de Cassiano Ermengaudo defuncto suffectus memoratur an. 1149. VIII. id. Febr. in charta Raimundi Bocela. Ejus consilio an. 1151. Guillelmus Rainaldi redimit feudum *Sequium* in præsentia Pontii archidiaconi. Testamentum condidit anno 1152. quo & mortuum credimus. De eo Cassianense necrologium *XVII. cal. Octob. obiit dominus Berengarius prior Cassianensis & episcopus Agathensis.*

1151.

B

XXXI. Pontius.

Quisnam ille sit Pontius, qui Berengario episcopo successit, statuere non ita facile. Fratrem Berengarii S. Severi abbatis Ermengaudique ex sorore nepotem fuisse volunt post Catellum Sammarthani. Quidam vero Pontium Agathensem archidiaconum intelligunt. Cum testamento Ermengaudi stare nequit opinio Catelli. Ex hoc enim instrumento liquet duos fuisse Ermengaudo fratres Bertrandum & Raimundum, ex quo nata est Aurosa; & duas sorores Ricsendim & Cerdanam, quarum illa genuit Berengarium abbatem S. Severi, & Guillelmum; hæc vero Guillelmum de Corneliano. Itaque cum tota hac serie non occurrat Pontius, nec ut frater Berengarii, nec ut Ermengaudi ex sorore nepos, vero videtur similius Pontium archidiaconum Agathensem, qui his tabulis an. 1149. sigillum apposuit, in locum Berengarii demortui suffectum fuisse, non anno 1150. ut male in Gallia Christiana legitur, quo adhuc præerat Berengarius, sed an. 1152. quo Demosendis filia Raimundi de Conas dedit Pontio & ecclesiæ Agathensi omnem decimam, quam habebat in ecclesia sancti Albini & aliis locis. Insequenti 1153. Pontius quædam oppigneravit Guillelmo Raimundo pretio 140. solid. Melgor. & 60. Biterr. Eodem anno excepit donationem Jordani de Mata: hunc vero annum non excessit.

Ibid.

C

1152.

D

1153.

XXXII. Ademarus.

Pontio defuncto Agathensis episcopus eligitur Ademarus sub finem anni 1153. nonis enim Januarii ejusdem anni in vigilia Epiphaniæ recensetur in charta Raimundi de Panz. Ortam circa id tempus inter episcopum Biterrensem & priorem Cassianensem controversiam electus arbiter sedavit. Quædam ipsi & ecclesiæ S. Stephani guerpiverunt Bertrandus Armandus & Raimundus Sucrot fratres mense Decembri an. 1156. Exstat in Agathensi tabulario bulla Adriani IV. summi pontificis ad Ademarum Agathensem episcopum data Romæ VI. id. Decemb. an. 1158. qua ei abbatiam S. Severi pluresque alias confirmat ecclesias. Memoratur an. 1160. in charta Raimundi de Preissano agnoscentis Pontium de Agatha patrem suum dimisisse Bernardo episcopo partem, quam in decimis S. Severi habebat, & pro ipsa 300. solidos Melgorienses ab eodem episcopo accepisse. Anno 1161. excepit clientelam Pontii Ros. Memoratur etiam 1162. inter ecclesiæ Agathensis beneficos merito accensendus, cujus census locupletavit annua fundatione missarum, qua canonicorum S. Stephani mensam ampliavit, erogata tertia portione proventuum, quos possidebat apud Corbianum & Pomairols, sicuti memorant tabularia cathedralis.

E

Ch. XV. col. 138.

1156.

1158.

1160.

ANNI CHRISTI 1161. 1162.

XXXIII. Guillelmus I.

In Ademari demortui locum suffectum Guillelmum sedisse anno saltem 1165. plura evincunt argumenta: hunc enim in modum subscripsit concilio Lumbariensi eodem anno habito adversus hæreticos qui *Boni homines* dicebantur. *Ego G. Agathensis præsul similiter facio, & excommunico eos, atque ejicio eos de divino officio sanctæ matris ecclesiæ, & omnes illos qui istos fraudatores christianorum audierint, aut manu tenuerint, sint cum illis in æterna damnatione, donec ad satisfactionem veniant.* tab. inquisit. Testis reperitur eodem anno in charta Raimundi Trincavelli pro monasterio Salvaniensi: necnon eodem tempore composuit litem inter Hugonem de Conchis & Ermengardum Vallis magnæ abbates pro decimis, quas petebat dictus abbas de Conchis in ecclesiis & territoriis S. Fidis de Palatio & sancti Felicis de Vayraco. Memoratur in charta Richardi canonici anno 1166. quo adfuit Berengario de Salella ecclesiam B. Mariæ de Salella-Cluniacensi monasterio confirmanti. A rege Ludovico VII. juniore confirmationem obtinuit privilegiorum a Carolo magno ecclesiæ Agathensi prius concessorum, in quo diplomate Ludovicus Guillelmo & ecclesiæ Agathensi in honorem S. Stephani protomartyris constructæ cessit tertiam partem urbis, burgum cum amplissima immunitate, item abbatiam S. Severi, castrum de Marseillan, aliaque nonnulla privilegia prolixius enumerata in autographo Parisiis dato anno 1173. Eodem anno duodecim canonicos ad instar duodecim apostolorum in sua instituit ecclesia, quibus singulis attribuit domum ex mensa episcopali, reditusque assignavit. Hujus institutionis sicut & regii diplomatis litteras videsis inter instrumenta.

1165.

1166.

1173.

Ch. XVII. & XVIII. col. 326. & 328. RAIMOND

XXXIV. Petrus I.

Petrus cognominatus Raimundus in tabulis Vallis magnæ, præerat anno 1173. Ipsius fit mentio in charta Augerii de Breciano an. 1175. Mense Decembri ejusdem anni Guillelmus de Lille & Garsindis uxor Petro oppignerant feodum, quod habebant apud S. Baudilium pretio 100. solid. Melgor. Insequenti anno donum unius mansi accepit a Bernarda uxore Guillelmi Godre. Bernardus Ato vicecomes Agathensis Petro oppigneravit mense Aug. an. 1181. quidquid possidebat apud Agatham, pretio 13000. solid. Melgor. tabul. Agath. Venditionem factam monasterio Vallemagnensi confirmavit 1182. quo

1175.

1176.

1181.

1182.

ANNI CHRISTI 1184. 1185.

quo & menſe Martio ejuſdem cœnobii poſſeſſiones ratas habuit. Adfuit an. 1184. hominio quod G. Montiſpeſſulani dominus Raimundo comiti Toloſano præſtitit. Acquiſivit anno 1185. a Raimundo Porcelli omnia quæ habebat apud Fornellas. Primus epiſcoporum vicecomes Agathenſis exſtitit dono Bernardi Atonis vicecomitis filii Bernardi Atonis vicecomitis & Guillelmæ, qui totum vicecomitatum, ſeu, ut nunc vocant, comitatum Agathenſem cum omnibus bonis, eccleſiæ ſancti Stephani Agathenſis, Petro epiſcopo & ſucceſſoribus impertitus eſt menſe Junio 1187. Idem Petrus a Raimundo comite Toloſano menſe Julio de comitatu inveſtitus eſt eo pacto, ut fidem hominii jurarent epiſcopi, quos ſuam in tutelam comes admittebat. Eodem anno menſeque eodem, decimo ſexto ſcilicet calendas Auguſti factam donationem iterum confirmavit Bernardus, quæ civitatem Agathenſem cum pertinentiis, caſtra de Marcillan, Lupian, & alia territoria complectebatur. Quæ ad hanc rem ſpectant litteras, ut pote maximi ad hiſtoriam momenti, e chartophylacio Agathenſi inter inſtrumenta inſeruimus. Hoc donum poſtea ratum & ipſe habuit Gregorius IX. papa bulla Peruſii data anno tertio pontificatus, die 3. Februarii, teſte Catello. Petrus anno 1188. cum aliis coepiſcopis confirmavit venditionem a Bernardo Narbonenſi archiepiſcopo factam Fonti frigido. Sedebat adhuc anno 1191. quo cum Petro archidiacono, Petro Biterrenſi S. Jacobi abbati, aſſentiente Gaufredo epiſcopo Biterrenſi & canonico Agathenſi caſtrum de Naſinhano Raimundo Vaſſadello dedit in feudum.

Ch. XIX. col. 329. 1187. Ch. XX. col. 330. Ch. XXI. col. 331. Comm. Occit. pag. 572. 1188. 1191.

XXXV. RAIMUNDUS II.

DE MONTPELLIER.

Ex illuſtri & pervetuſta toparcharum Montiſpeſſulani familia oriundus Raimundus, frater Guillelmi Montiſpeſſulani dynaſtæ, filii Mathildis duciſſæ, ex monacho Grandis ſylvæ Agathenſis epiſcopus ſubrogatus, donavit anno 1192. canonicis decimas quas acquiſierat apud S. Johannem de Florenſac, de Beſſan, de Caſtelnau & de Rovignac. Præſens fuit ſacramento fidelitatis præſtito a Guillelmo Montiſpeſſulani domino Raimundo comiti Toloſano anno 1194. quo & menſe Septembri Eliſarius de Caſtriis ipſi oppigneravit quidquid ſive apud Agatham, ſive in Marcelliano habebat, pro ſumma 1200. ſolid. Melgor. Anno 1197. teſtis fuit pactorum matrimonialium inter Bernardum Convenarum comitem & Mariam filiam Guillelmi domini Montiſpeſſulani ſuam neptim. Eodem an. præſens adfuit ceſſioni quam fecit Maria patri ſuo Guillelmo de hereditate Monſpelii, quæ ad eam pertinebat, quia unica ex prima uxore erat filia. Bernardus de Mucrano quædam oppigneravit Raimundo pro 3000. ſolid. Melg. Memoratur anno 1198. in tabulis nuptialibus Bernardi de Gaſquenhollis & Mariæ Sauveur. Teſtis nominatur in renunciatione Titburgæ pactionibus matrimonialibus cum filio Guillelmi domini Montiſpeſſulani anno 1199. Interfuit nonis Novemb. anno 1200. dedicationi templi ſanctæ Mariæ & ſanctæ Crucis apud Montempeſſulanum. Fleva uxor Arnaldi Dioc Raimundo epiſcopo divendidit quidquid in territorio Agathenſi tenebat pretio 500. ſolid. Melgor. menſe Maio anni 1201. Cancellarius erat Raimundi comitis Toloſani annis 1202. & 1205. ut patet ex variis hujuſce temporis inſtrumentis. Guillelmus dominus Montiſpeſſulani ipſius frater ſuum ipſi teſtamentum exſecutioni mandandum dedit an. 1202. pridie nonas Nov. Ibi autem legitur: *Volo quod bajulus Montiſpeſſulani reditus meos accipiat, & ſingulis menſibus computum reddat prædictis quindecim viris, & ipſe bajulus cum aliis bis in anno computum reddant de omnibus reditibus meis domino Agathenſi epiſcopo fratri meo.* Teſtis fuit concordiæ initæ inter Petrum regem Aragonum & cives Monſpelienſes VI. cal. Nov. 1206. Bernardus de Pueſch Raimundo epiſcopo divendidit dimidium omnium bonorum, quæ ipſi ab avo contigerant, & ſeptimam partem alterius dimidii pretio 7000. ſolid. Melg. menſe Dec. an. ejuſdem. Adfuit VIII. cal. Dec. anno 1209. permutationi factæ inter Agnetem vicecomitiſſam Biterrenſem & Simonem dominum Montisfortis. Anno eodem menſe Martio, ſeu, ut nunc dicimus, anno 1210. præſens fuit hominio quod Simoni Montisfortis præſtitit Stephanus de Cerviano. Anno 1211. Raimundus epiſcopus menſe Decembr. permutationem fecit cum Bernardo S. Afrodiſii Biterrenſis abbate omnium quotquot tum ipſe, tum Agathenſis eccleſia habebat in loco dicto de Porcairanicis cum quibuſdam reditibus, quos abbas ipſi largitus eſt. Quædam acquiſivit a Berengario de Sovonon in territorio Agathenſi pretio 150. ſolid. Melg. menſe Febr. an. 1212. quo una cum aliis comprovincialibus adſtitit concilio Narbonenſi II. calend. Maii habito ab A. electo Narbonenſi, qui reſtituit eccleſiam de Cuxiaco cum aliis nonnullis canonicis eccleſiæ SS. Juſti & Paſtoris. Hic ille eſt Agathenſis epiſcopus, de quo Petrus monachus Vallis cernaii, non vero Tediſius, quem expeditioni Albigenſium interfuiſſe pariter tradit auctor, cui titulus: *Præclara Francorum facinora:* erat enim cum præſulibus Occitaniæ quando dimicatum eſt in celeberrima pugna de Murello, quæ commiſſa eſt feria V. in octava Nativitatis B. Mariæ anni 1213. cujus tempore cum aliis præſulibus preces fudiſſe traditur, & in craſtino victoriæ ſimul cum illis ſcripſiſſe ad omnes fideles epiſtolam. Denique teſtamenti codicillos jamjam moriturus conſcripſit Raimundus III. nonas Novembris 1213. quibus capitulo largitur territorium circa Araurim pro ſuſtentatione hebdomadarii. Ante omnia inibi decernit ut contracta ab eo pro epiſcopatus amelioratione debita perſolvantur: legat quoque baſilicæ Stephanienſi bibliothecam, & abbatiæ Grandis ſylvæ, non vero Vallis magnæ, ut apud Catellum & Sammarthanos, pſalterium a ſe in honorem beatæ virginis elaboratum.

1192. Spicil. tom. X. p. 172. 1194. 1197. Ibid. tom. XI. p. 356. Catel. part. I. p. 254. 1198. Spicil. tom. 8. p. 215. 1199. 1200. Ch. XXIX. col. 362.

ANNI CHRISTI 1201. 1202. 1205. Spicil. tom. 9. p. 165. 1206. 1209. 1210. 1211. 1212. 1213.

XXXVI. PETRUS II.

PULVEREL.

Poſt obitum Raimundi, univerſi cleri Agathenſis communibus votis electus eſt Petrus Pulverellus canonicus eccleſiæ Pariſienſis in antiſtitem, qua

ANNI CHRISTI

peracta electione, statim ad Arnaldum Narbon. archiepiscopum litteras dirigunt canonici, quas in appendice subjecimus, tum ut de ea metropolitanum certiorem faciant, tum ut cleri votis annuat Arnaldus. Consecratum tamen fuisse Petrum affirmare non possumus: electus enim adhuc dicitur in hominio Guillelmi de Leuteva an. 1214. præstito: hunc autem annum vel saltem sequentis exordium non excessit.

Ch. XXII. col. 332.

1214.

XXXII. Tedesius.

Canonicus primum fuerat Genuensis Tedesius, qui & Tedisius, quo tempore una cum Hugone Reiensi episcopo ab Innocentio III. delegatus sententiam adversus Raimundum Tolosæ comitem & hæreticos Albigenses dixit, quam postea primo pontificatus anno confirmavit Clemens papa IV. Factus autem episcopus sedebat anno 1215. quo IX. calend. Sept. fit compromissum de controversiis inter Guillelmum abbatem, monasteriumque Crassense ex una parte, & Simonem comitem Leycestriæ, dominum Montis fortis, &c. super castris de Cepiano, Malveriis & aliis coram Tedisio Agathensi præsule, Isarno de Aragone archidiacono Carcassonensi, &c. Insequenti die cum tribus aliis arbitris litem inter Guillelmum Crassensem abbatem & Alanum de Roci dominum de Terminis definit, ex tabul. Crass. Concilio Lateranensi adfuit mense Novembri ejusdem anni. Basilicam suam sub tutela sedis apost. suscipi, ejusque bona confirmari curavit bulla Honorii III. data Romæ apud S. Petrum 7. Decemb. 1216. qua multa privilegia ipsi largitus est summus pontifex. Insequenti anno III. non. Febr. in obsidione Tolosæ Agathensis episcopus testis est clientelæ Heraclii de Montelauro exhibitæ Simoni Montis fortis domino, comiti Tolosano, &c. Eodem an. hominium præstitit Tedesio episcopo Guillelmus Agathensis miles. Mediator est mense Martio anni ejusdem transactionis inter Alboynum abbatem S. Hilarii & S. Dionysium initæ. Anno 1218. Ermensendis de Meze & Raimundus Guillen Tedesio hominium præstitere pro quibusdam possessionibus in territorio Agathensi sitis. Insequenti fidem ei clientelarem juravit Pontius de Pradines XVIII. cal. Maii. In Gallia quadripertita refertur inita concordia Tedesium episcopum inter & Amalricum ducem Narbonæ ad annum 1213. III. nonas Sept. qua recognoscit alteruter tenere in feodum ab alterutro plurima castra, sed error manifestus est in anno assignato: Raimundus enim tunc temporis adhuc regebat, duobus post mensibus suum condidit testamentum, ut vidimus, & ut ipsi fatentur Sammarthani; Raimundoque successit Petrus anno 1214. Præterea Amalricus nondum tunc temporis erat dux Narbonæ, quam non obtinuit, nisi post mortem Simonis Montisfortis ipsius patris in obsidione Tolosana occisi anno 1218. Vidit in archivis Agat. D. Ed. Martenne concordiam quamdam Tedesii cum Amalrico an. 1219. III. no. Sept. quæ alia esse non potest ab ea qua de quæstio est, ut confirmatur tum ex thesauro cartarum, ex quo eam descripsimus, tum etiam testimonio ipsiusmet

1215.

1216.

1217.

Charta XXXVIII. col. 443.

1218.

1219.

Ch. XXIV. col. 334. *Comment. Occit. pag. 973.*

Catelli. Anno 1221. Tedesius locum emit ad construendum carnarium. Petrus Bernardus de Montagnac ei fidem juravit anno 1222. Insequenti VI. cal. Maii Guillelmus Tedesio hominium professus est pro toparchia de Montagnac. Una cum Nemaus. & Leutev. episcopis gratias egit Philippo Augusto de cœtu magnatum apud Meledunum convocato ad tractandum de Albigensibus, litteris datis apud Biterras calendis Maii 1223. Anno 1224. IV. idus Julii Raimundus de Maurelliano Tedesio episcopo cessit condaminam in territorio Agathensi sitam pretio 600. solidor. Melg. Quot vero quantaque Tedesius a Raimundo comite passus fuerit, & de satisfactione episcopo a comite facta, habes ejus litteras inter instrumenta datas IX. cal. Julii 1224. quibus conqueritur a Raimundo comite filio Raimundi comitis Tolosani Agathensem civitatem VII. idus Aprilis per vim usurpatam, qua die Martis post festum Pentecostes curis & arbitrio archiepiscopi Narbonensis restituta, concordarunt comes & episcopus, qui VII. calend. Sept. sequentis Raimundo hominium præstitit pro vicecomitatu Agathensi. Cum Bernardo Brunet præceptore de Marcelliano controversiam habuit, quæ ab arbitris XVI. cal. Februar. ejusdem anni diremta fuit. Præsens fuit anno 1225. obsequio quod ecclesiæ & regi præstitit Raimundus de Rocafolio, eo quod Raimundi Tolosani partes sustinuisset. Inter episcopos Agathenses optimi sanctique pastoris nomen promeruit Tedesius, ut vel ex hac erga pauperes beneficentiæ nota palam est, qua fundationem annuam ordinavit pro refectione duodecim pauperum, cujus ordinationis tria exemplaria ad rei memoriam confecit anno 1226. XIV. calendas Maii, quæ in archivo Agathensi etiamnum asservantur: tenorem lectori non injucundum fore arbitrantes, post Sammarthanos inter instrumenta unum retulimus. Anno 1227. VII. cal. Sept. Guillelmus Cadaci Tedesio dedit quidquid habebat in territorio de Corbiano. A Gilberto de Caprariis quædam acquisivit pretio 125. solid. calendis Martii 1228. Cum Berengario abbate sancti Tiberii pepigit pro litigiosis apud Becianum anno 1229. Cecilia filia Bertrandi de Gigrano Tedesio cessit quidquid sibi juris competebat in civitate Agathensi pretio 100. solid. Melgor. idibus Aprilis anno 1230. Cum Salomone abbate S. Tiberii composuit XIV. cal. Maii super vicariis quarumdam ecclesiarum. Querelam habuit cum fratre Hugone de Carbonnel præceptore de Pezenas, quæ idib. Octo. arbitrorum sententia finita est. Anno 1231. compromissum fecit cum nobili viro Guidone de Levis, arbitrosque elegerunt C. & B. episcopos Carcassonensem & Biterrensem III. id. Septembris, qui sententiam pronunciarunt II. id. Dec. ejusdem anni; quam postea ratam habuit Gualterus episcopus Tornacensis sedis apostolicæ legatus. Electionem P. Guiraudi e sacrista S. Pauli Narbonensis in abbatem hujusce ecclesiæ irritam declaravit Tedesius cum aliis arbiter VI. calendas Julii anno 1232. eo quod absque consensu P. Narbon. archiepiscopi facta fuisset. Eodem anno VII. calend. Julii querelam inter P. Narbonensem

ANNI CHRISTI

1221.

1222.

1223.

1224.

Ch. XXV. col. 336.

Ch. XIX. col. 201.

1226.

Ch. XXVI. col. 337.

1227.

1228.

1229.

1230.

1231.

1232.

ANNI CHRISTI

archiepiscopum & capitulum componit. Sancti episcopi, cujus memoria in benedictione est, obitus contigit 30. Maii 1236. juxta Sammarthanos, qui Catellum secuti sunt: nos vero de eo nihil habemus certi, nisi quod Bertrandus ejus successor anno 1233. Agathense pedum tenebat, ut mox videbimus. In choro cathedralis ecclesiæ tumulo marmoreo quatuor columnis erecto ad latus sinistrum sepultum Tedesium narrant Sammarthani, qui & cum Catello addere potuissent sancti præsulis corpus anno 1562. a neotericis effossum, flammisque traditum fuisse: locus tamen ubi beati ossa posita olim fuerant, summa adhuc veneratione & concursu plebis colitur.

DE SAINT JUST.

XXXVIII. Bertrandus.

Bertrandus, qui & Bernardus in quibusdam instrumentis, sed facile utrumque simul confunditur nomen, ad ecclesiæ Agathensis regimen assumtus, sedebat, si chartulario Agathensi fides, eccui autem alii haberetur testimonio? anno 1233. quo III. idus Septemb. hominium accepit a Dioc milite omnium quæ possidebat in civitate Agathensi. An. insequenti mense Junio in silva Vincennarum de consensu capituli regi Ludovico IX. cessit quidquid sibi pertinebat ex concordia facta a Tedesio decessore cum comite Montisfortis anno 1219. regemque exemit ab hominio episcopis Agathensibus præstando. Eodem anno VI. nonas Julii domum quamdam acquisivit sitam in loco de Mezua pretio 850. solid. Melgor. querelamque habuit cum Bernardo Brunet præceptore hospitalis Jerosolymitani de Marcelliano, quæ IV. cal. Oct. arbitrorum sententia finita est. Fidem clientelarem Bertrando juravit Guillelmus de Leuteva pridie nonas Octobris anni 1235. Disceptavit an. 1236. cum capitulo pro jurisdictione oppidi Agathensis: controversia autem pacificatur arbitrio Bernardi episcopi Biterrensis & Petri archidiaconi Narbonensis. Acquisivit VII. calend. Oct. ejusdem anni pro 3000. solidis Melgor. quatuor partes domus sitæ in castro de Mezua, quintam enim jam tenebat a Guillelmo de Mezua. Insequenti anno XI. calendas Mart. Petrus Seguerius quædam Bertrando episc. divendidit pretio 2500. solid. Melgor. Anno 1238. IV. idus Mart. quædam commutavit cum fratre Bernardo præceptore hospitalis de Marcelliano. Querelam habuit eodem anno cum Johanne & Arnaldo de Bandac, quæ arbitrorum sententia sopita fuit calend. Nov. Eodem tempore pactum renovat a decessore suo initum cum Salomone abbate S. Tiberii. Quædam acquisivit an. 1239. a Bertrando X. calendas Jun. ac Pontio & aliis pro summa 3700. solid. Melgor. pridie nonas Oct. Obiit in carcere anno 1241. captus una cum pluribus aliis prælatis a Friderico imperatore, dum pergerent ad concilium a summo pontifice appellati. Pontius de S. Justo ejus nepos episcopus Biterrensis corpus curavit deferri Capua Biterras, ubi sepelitur in capella sancti Michaelis majoris ecclesiæ, cujus in necrologio sic legitur: *XIX. calendas Decembris anno 1241. obiit venerabilis Pater D. Bertrandus de S. Justo bonæ memoriæ episcopus Agathensis, qui vocatus a summo pontifice ad concilium generale, captus a Frederico imperatore, in ejus carcere migravit ad Dominum, pro cujus obitu aliorumque patruorum & avunculorum suorum annuatim in perpetuum in præsenti die in Biterrensi ecclesia celebrando reverendus Pontius Dei gratia Biterrensis episcopus nepos ejus, dedit communitati prædictæ ecclesiæ XXX. solidos.*

1233. 1234. 1235. 1236. 1237. 1238. 1239. 1241.

Catel. comm. Occit. p. 975.

XXXIX. Christianus.

Agathensem ecclesiam administrabat Christianus anno 1241. quo cum Biterrensi & Magalonensi assistentibus, Guillelmo de Casulis Leutevensi electo consecrationis munus impendit Pedenatii in templo parœcialis ecclesiæ. Hunc Agathensem præsulem a Sammarthanis omissum suppeditat Johannes Plantavitius de la Pause in chronologia præsulum Leutevensium pag. 153. penes quem sit fides.

RAIMUNDUS FABRI.

XL. Petrus III.

P. Agathensis episcopus recensetur cum aliis episcopis, quibus præsentibus R. comes Tolosæ apud Biterrim ditionis suæ episcopis supplicavit, ut contra hæreticos inquirerent, XII. cal. Maii anni 1243. Petrus vero designatus anno 1244. cum Rigaldo abbate Vallemagnensi convenit pro litigiosis apud Mesuam, hominiaque ei præstita fuere a Bernardo de Caux sacerdote & Petro Carbonnel VIII. cal. Septembris. Circa idem tempus concilio Narbonensi adfuit. Anno 1245. compromissum fecit cum Guillelmo de Leuteva milite pro piscibus stagni Tauri, initumque jam cum abbate S. Rufi prorogavit. Adfuit concilio provinciali apud Biterras habito XIII. cal. Maii 1246. ubi agitatus est modus, quo esset in inquisitione contra hæreticos procedendum. Hic ille est procul dubio Agathensis episcopus, minime vero Bertrandus, ut post Catellum volunt Sammarthani, e vivis enim jam excesserat, cui Innocentius IV. summus pontifex bulla 20. Jan. 1246. impertitus est, *ob constantem*, inquit, *fidei puritatem, quam inter devotos Romanæ ecclesiæ filios habebat*, sicut & episcopis successoribus exemtionis privilegium ab omni anathemate, suspensione vel interdicto, ab alio quam apostolica sede infligendis. Anno 1247. cum G. Narbonensi archiepiscopo & R. Biterrensi præsule testatur cessionem vicecomitatus Biter. a Trincavello vicecomite Biterrensi factam nullum ecclesiis afferre præjudicium: in instrumento quidem hujusce cessionis apud Catell. edito pag. 647. vocatur Pontius, sed nullus dubito quin loco Pontii legendus sit Petrus, cujus prima littera, sicut & aliorum adstantium solummodo exarata, nomen utrumque promiscue amanuenses interpretati sunt: quo in loco adnotandum duximus tam de hoc antistite, quam de quibusdam sequentibus, nullam Catello, nec Sammarthanis, qui Catelli vestigiis insistunt, habendam fidem, sive quia falsæ aut nullæ sunt quas afferunt rationes, sive quia alios tunc temporis episcopos tabulæ Agathenses veteraque monumenta repræsentant. Petrus itaque interfuit concilio Valentino in Gallia celebrato pro fide, pace ac libertate ecclesiæ a Petro Albanensi episcopo & Hugone S. Sabinæ presbytero

1243. 1244. 1245. 1246. 1247.

ANNI CHRISTI 1248. cardinalibus, cui adstiterunt episcopi quatuor provinciarum Sabbato post festum S. Andreæ anni 1248. Impositas reis in facto Raimundi Sabbatherii mulctas remittit Petrus eodem anno. Recensetur in archivis ecclesiæ Narbonensis inter episcopos qui concilium provinciale celebrarunt anno 1251. quo nonis Julii testis sistitur in actis concordiæ Guillelmum de Broa archiepiscopum Narbonensem inter & Amalricum vicecomitem initæ. Hæc habes apud Baluzium append. concil. Narbon. pag. 145. & seq. qua quidem in serie instrumentorum L. Agat. episc. sub finem præsens citatur; sed nemo non videt notarii errorem esse, legendumque P. pro L. sicut in actis præcedentibus, cum nulla ratio alium tunc temporis, tribus scilicet post mensibus, suggerat episcopum. Guillelmus de Leuteva ejusque mater Petro episcopo cesserunt VII. idus Febr. 1251. quidquid habebant in loco dicto de Mezua cum piscibus stagni Tauri. Guidonem quemdam Agat. an. 1252. præsulem substituunt Catellus & Sammarthani, nec rationem subjiciunt; nos tabulas sequimur, in quibus Petri nomen legitur in epistola quam multi episcopi una cum G. archiepiscopo Narbonensi scripserunt anno 1253. A. comiti Tolosano de successionibus liberorum bonis hæreticorum. Eo circiter tempore cum G. Narbonensi archipræsule episcopisque Biterrensi & Carcassonensi Ludovico IX. Francorum regi scripsit Petrus, ut compositionem factam cum abbate Crassensi exsecutioni rex mandaret. Adfuit anno 1255. VIII. id. Maii concilio totius Narbonensis provinciæ apud Biterras habito, in quo lecta sunt statuta Ludovici IX. regis pro reformatione morum. Pactum iniit eodem anno cum Guillelmo de Leuteva milite ejusque matre, qui episcopo totam justitiam cesserunt, quæ penes ipsos erat in loco dicto de Mezua. Memoratur anno sequenti in abbatibus Crassensibus: interfuit enim electioni Berengarii de Grava Crassæ abbatis mense Aprili anni 1256. Emit III. nonas Maii 1258. quemdam locum dictum *le Sommier* & *Courreges* situm apud Marcellianum, ut haberet unde bestiis pascua præberet. Vice Jacobi Narbonensis archiepiscopi consecravit Berengarium episcopum Elnensem die Dominica post quatuor tempora Sept. anni 1259. III. vero idus Januar. anni sequentis sede Narbonensi vacante ad preces capituli iterum consecravit R. episcopum Leutevensem, præsentibus Biterrensi & Carcassonensi episcopis ad utramque inaugurationem. Plura Petro a diversis personis toto anno 1263. præstita fuere hominia. Memoratur anno 1264. in sententia, quam Guido Sabinensis episcopus adversus canonicos S. Afrodisii protulit in gratiam Pontii Biterrensis episcopi. Eodem an. Guiraldus de Leuteva a Petro episcopo tenere se recognovit quidquid habebat in loco de Mesua. Adstitit comitiis generalibus apud Carcassonam habitis mense Julio 1269. Cognominatum fuisse Petrum Raimundum Fabri, si idem sit episcopus, ut vero videtur simillimum, discimus ex testamenti ejus codicillis an. circiter 1270. exaratis, quos e tabulario Agathensi inter instrumenta descripsimus ex tabulis sancti Tiberii & ex necrologiis SS. Justi & Pastoris, & S. Pauli Narbonensibus, in quibus legitur: *Anno MCCLXX. XVII. calend. Aprilis obiit reverendus pater dominus Petrus Raimundus Fabri episcopus Agathensis.* Necrologium vero Biterrense ita habet: *Anno MCCLXXI. pridie idus Martii obiit venerabilis pater D. Petrus Fabri episcopus Agathensis.* Penes lectorem esto judicium. In martyrologio sancti Sebastiani Narbonensis msf. an. 1400. in margine, sic habetur: *Id. Martii obiit P. R. episc. Agath. in cujus anniversario eleemosynarius S. Justi debet dare presbyteris istius civitatis cuique sex denarios Turon.*

[Margin: 1251. 1252. 1253. Ch. XLVI. col. 453. 1255. 1256. 1258. 1259. 1260. 1263. 1264. 1269. 1270. Ch. XXVII. col. 337.]

XLI. Petrus IV.

[Margin: Berenger.]

Petro defuncto subrogatur Petrus alter cognomento Berengarii frater Petri de Montebruno archiepiscopi Narbon. idem prorsus ac Petrus Bernard & Berengarius, de quibus apud Catellum & Sammarthanos. Ex archidiacono assumtus ecclesiæ Agathensis habenas tenebat jam ab anno 1271. si de eo intelligendæ sint episcopales tabulæ, in quibus XVI. cal. Sept. hujus anni Petro præstitum hominium legitur pro loco dicto de Prueignes a viro nobili Guillelmo de Pezenas. Idem præstitit VII. cal. ejusdem mensis Guillelmus de Leuteva pro loco dicto de Bouzigues. An. 1272. scripto rationes deducit Petrus, quibus ab armis pro rege ferendis subditos suos conatur eximere, licet contrarium protestati sint comprovinciales. Recensetur inter episcopos provinciæ Narbonensis, qui anno 1272. litteras ad Gregorium X. & ad cardinales Viterbii congregatos dedere, quibus eos orabant, ut Petrum de Montebruno Narbonensem electum cito expedirent, & ad ecclesiam suam quantocius accedere sinerent. Iidem anno sequenti præsules regi Philippo scripserunt die 6. Feb. ne quid sinistri de Petro recens electo suspicaretur. Guillelmus de Pezenas a Petro episcopo tenere se recognoscit locum de Prueignes XIII. cal. Sept. 1275. ipsique IV. non. hujus mensis Guillelmus de Mesua Fidusque Sicardus domicelli fidem jurarunt. Bernardus Raimundus dominus de Montepetroso Petro episcopo divendidit XIII. calendas Mart. 1276. quidquid possidebat apud Mesuam pretio 160. librarum Turonensium. Invitatur ad concilium provinciale 1277. quo ecclesiastica statuta primus Agathensium præsulum ordinavit. Visitur in tabulario Agathensi instrumentum originale concordiæ initæ inter Petrum episcopum, hominesque de Marcelliano ex una parte, & Guidonem de Levis hominesque de Florensaco ex altera, XIV. cal. Januar. 1278. Interfuit concilio provinciali apud Biterras in crastino festi inventionis sanctæ Crucis anno 1279. a Petro Narbon. archiepisc. celebrato, ad mittendos ad regis parlamentum procuratores pro ecclesiasticis libertatibus defendendis. Quædam commutavit cum Guillelmo de Mesua, qui episcopo tertiam partem de Mesua largitus est calendis Aprilis 1280. quo & pepigit Petrus cum abbate Vallismagnæ pro quibusdam censibus ac juribus apud Lupianum. Guillelmo Doriac archidiacono mandavit 1281. ut e civitate Agathensi quantocius discederet, sin minus dignitate sua spoliatum iri. Audearda Petro

[Margin: 1271. 1272. 1273. Ch. LXXIII. col. 68. Baluz. concil. Nar. app. p. 176. Ibidem pag. 46. 1275. 1276. 1277. 1278. 1279. 1280. 1281.]

ANNI CHRISTI

vendidit anno 1283. domum quamdam sitam apud Mesuam. Plura a diversis personis acquisivit anno 1286. pretio 58. solid. Melgor. De mandato Johannis cardinalis tituli sanctæ Ceciliæ sedis apostolicæ legati senescallum Carcassonensem precatur III. non. Jun. 1287. ut Pontium Majoricæ episcopum in ecclesiarum de Fulcrano, Castromauro, Villamartino possessione retineat, quas ipsi cardinalis in commendam dederat sub annua pensione 600. librarum Turonensium. An. 1290. Raimundo de Costa Elnensi episcopo obedientiam capitulo Narb. juranti adfuit. Eodem an. a nobili Fredolo quosdam census in territorio Agath. emit pretio novem librarum decemque solidor. Fidem ei clientelarem juravit Guillelmus de Pezenas an. 1292. IV. nonas Febr. Vivere desiit an. 1296. De eo S. Pauli necrologium sic : *Anno Domini MCCXCVI. obiit reverendus pater Petrus Berengarii bonæ memoriæ Agathensis episcopus.*

1283. 1286. 1287. 1290. 1292. 1296.

XLII. Raimundus III.

DU PUY.

Petrum proxime excepit Raimundus anno 1296. Vixdum renuntiatus est episcopus, cum ipsi hominium præstiterunt homines de Marcelliano 5. mensis Martii. Eodem anno Guillelmus de Pezenas Raimundo fidem clientelarem professus est pro toparchia de Prueignes. Idem an. seq. præstitit Egidius de Voisin vir nobilis pro omnibus possessionibus, quæ ab episcopo pendebant XVII. cal. Jun. 1297. In inscriptione litterarum synodi Biterrensis IV. cal. Nov. 1299. celebratæ ad Philippum IV. Francorum regem legitur *R. Agathensis*, qui idem prorsus est ac Raimundus noster, qui v. cal. Maii anno 1300. acquisivit a Brunisendi uxore Bernardi Geli plateam in burgo S. Johannis sitam. Hominium a Petro Ermengaudo pro feodo apud Marcellianum recepit IX. calendas Junii. Una cum Berengario Biterrensi antistite a Bonifacio VIII. delegatus bulla data Anagniæ XV. cal. Augusti pontificatus anno 6. ut coram summo pontifice Amalricum vicecomitem Narbonæ, qui fidem & clientelam Narbonensi ecclesiæ recusabat, & archiepiscopum de juribus ecclesiæ suæ responsurum intra trium mensium spatium citarent, Bertrandum Carbonelli canonicum Biterrensem & Albertum Vincentii officialem Agathensem ad id negotium subdelegarunt litteris datis Mirapice XV. cal. Dec. anno 1300. Egidio Narbonensi archiepiscopo X. calend. Dec. ejusdem anni assensum præbuit Raimundus pro consecrando Petro episcopo Carcassonensi extra provinciam. Amalricum de Tureio dominum de Lespinhano matrimonii sacramento conjunxit Dominica infra octavam SS. apostolorum Petri & Pauli anno 1301. ut constat ex ejus litteris ad canonicos S. Martini Turonensis super hac re datis anno 1303. II. Dec. quas habes apud Marten. Anecdot. tom. I. col. 1339. Anno 1302. ante festum Paschæ præsens adfuit quando Bertrandus Burdegalensis archiepiscopus contestando declaravit ad clientelam vel sacramentum fidei regi Franciæ præstandum Burdegalenses archiepiscopos minime teneri. Duorum presbyterorum, quos Petrus decessor pro remedio animæ suæ fundaverat, cultum & vestitum in possessiones quas habebat apud Mezuam assignavit VII. id. Septembris. Ipse est, ni fallor, episcopus Agathensis, qui contra regis edictum concilio Romano adversus Philippum regem a Bonifacio VIII. convocato adfuit mense Novembri anni 1302. Querelam habuit cum Gaucelino Magalonensi episcopo super limitibus utriusque diœcesis, quæ Maio mense anno 1303. composita est. Guillelmus de Mezua Raimundo episcopo hominium præstitit omnium quæ possidebat apud Mesuam X. cal. Julii 1310. Eodem anno VII. cal. Dec. duos obitus fundavit tam pro se suisque parentibus, quam pro Petro Berengarii quondam episcopo Agathensi. Scripsit 21. Maii 1310. & 28. Aprilis 1311. ad vicarios generales archiepiscopi Narbonensis de subsidio fratribus Jerosolymitanis concesso pro recuperandis locis sanctis. Interfuit Raimundus concilio Viennensi sub Clemente V. anno 1311. ex ejusdem pontificis litteris. Cum Pontio Vallis magnæ abbate transegit an. 1318. Guillelmeta Petri Bermondi filia Raimundo episcopo clientelam professa est VI. nonas Julii 1321. Tempus a rege obtinuit 9. Oct. 1322. quo ipsi fidei sacramentum præstaret. Capitulum Agathense dignitate præpositi altera ab archidiacono auxit IX. cal. Sept. 1324. qua donatus est ab ipso Petrus Raimundus de Montebruno canonicus, collatione beneficii sibi successoribusque episcopis reservata. Cultui Deiparæ virginis summopere addictus hic episcopus in conventu generali canonicorum V. id. Oct. 1325. ordinavit in perpetuum in templo B. virginis in urbe juxta capellam episcopalem duos presbyteros, assignata proventuum portione capitulo ad eorum sustentationem. Bernardus de Marcelliano ipsi fidem juravit XVII. calendas Aprilis 1327. Raimundus episcopus & vir nobilis Guillelmus de Pezenas quædam ordinarunt VI. idus Oct. an. 1329. ratione toparchiæ de Prueignes, quæ prolixius recensentur in instrumento originali asservato in archivis Agathensibus, ex quibus colligere licet anno circiter 1331. Raimundum diem clausisse extremum : ibi enim legitur ad preces vicarii generalis Agathensis bona episcopatus, quæ post mortem Raimundi in manu regis tradita fuerant, libera fuisse remissa an. 1331. Tradunt humatum fuisse sub marmoreo illo tumulo qui prostat ad latus dextrum altaris in pariete ecclesiæ B. Mariæ.

1297. 1299. 1300. Charta LXXVII. col. 71. 1301. 1302. Tom. 2. append. col. 300. 1303. 1310. 1311. 1318. 1321. 1322. 1324. 1325. 1327. 1329. 1331.

XLIII. Geraldus II.

Geraldus, ita enim ubique appellatur, nullibi autem Bernardus, nisi apud Catellum & Sammarthanos, electus dicitur Agathensis an. 1332. in libro obligationum sub Johanne XXII. in libro provisionum prælatorum Vaticani, & in charta Montis majoris. An. eodem primus comitatus & vicecomitatus Agathensis, qui a corona Francica in feudum dependet, fidem clientelarem juravit regi præ manibus senescalli Carcassonensis, quemadmodum in scriniis episcopalibus continetur. Vult D. Edmund. Martenne ex iisdem archivis factam fuisse eo tempore divisionem beneficiorum ad episcopum & capitulum spectantium sub Guillelmo

1332.

ANNI CHRISTI

Hunaldi successore. Facta fuerit hoc anno, per me licet: at vero Guillelmi initium ante an. 1337. repetere fas non est, quem ad usque sedisse constat Geraldum, qui an. 1333. pepigit cum consulibus de Marcelliano 4. Januarii. Cum iisdem & Brunisende de Voisins condomina loci dicti de Mezua compromissum fecit 12. Septemb. 1335. Insequenti transegit cum hominibus de Balaruc pro piscibus stagni Tauri ultima Jan. Arbitrorum sententia finita est die 4. Maii 1337. controversia quæ Geraldum inter & Eleonoram de Montfort comitissam Vindocinensem, &c. inerat. Festum translationis corporis S. Stephani instituit eodem anno, assignata canonicis certa redituum distributione, uti & pro duobus obituariis, quæ pro salute animæ celebranda decrevit.

1333. 1335. 1336. 1337.

XLIV. Guillelmus III.

DE LANTAR.

Guillelmus Hunaldi de Lantario ex abbate Lesatensi assumtus ad Tarbiensem cathedram, transiit ad Agathensem 4. Dec. 1337. juxta Vaticani regesta. Reperitur 18. Octobris 1339. in libro obligationum, ubi vocatur Fr. Guillelmus. Octo puerulos symphoniacos delegit 25. April. 1340. ad usus canonicorum ceterarumve functionum in cathedrali deputatos. Querelam habuit cum Ademaro locum tenente senescalli Carcassonensis, cujus in manibus episcopus hominium præstare volebat pro comitatu Agathensi; Ademaro autem recusante, ad regem appellavit Guillelmus die 7. Nov. anni ejusdem. Nobilis Pontius de Pezenas Hunaldo episcopo clientelam professus est pro toparchia de Prueignes 14. Februarii 1341. De tempore ejus mortis non constat. Vide episcopos Tarbienses tom. 1. col. 1233.

1337. 1339. 1340. 1341.

XLV. Petrus V.

DE BERAIL.

E domo de Cessac in Cadurcis Petrus Beraldi fuerat canonicus Atrebatensis, archidiaconus Anturepiensis anno 1332. Parisiensisque tum erat, in ordine diaconatus constitutus, cum Guillelmo defuncto subrogatus est a Clemente VI. VI. cal. Julii pontificatus anno 1. id est 1342. In libro obligationum Vaticani dicitur cameræ apostolicæ promisisse die 3. Jul. ejusdem anni. Petrus Cavallerius ipsi hominium præstitit pro turre & juribus, quæ possidebat apud Prellianum III. calend. April. 1343. Ipse est episcopus Agathensis, ad quem sicut & ad Biterrensem & Magalonensem Clemens VI. dedit litteras anno 1347. ut Bernardum episcopum Aquensem, qui per Agatham transiens in carcerem detrusus fuerat quamprimum liberarent, & in reos inquirerent. Sacramentum Philippo Valesio Francorum regi in aula episcopali pro comitatu Agathensi in manibus senescalli Carcassonensis dixit Petrus anno 1349. stola indutus, librumque evangeliorum tenens præ manibus: ubi obiter observandum errare Catellum, dum vult Petrum primum Agathensium præsulem fidem regibus nostris jurasse. Hoc enim præstitisse jam ante Geraldum vidimus ex ipsiusmet episcopatus archivis. Petrus Narbonensis archiepiscopus Petro Agathensi scripsit hoc anno 1349. Carcassonensem episcopum in sua malitia perseverantem a se fuisse excommunicatum. Huic Clemens VI. bulla data Viterbii VII. calendas Aug. pontificatus 10. facultatem impertit bona quæ e reditibus ecclesiasticis adeptus fuerat ecclesiis legandi. Inter authentica D. de Gagneres in bibliotheca regia asservata exstat testamentum Petri Beraldi 13. Julii 1351. conditum, juxta facultatem ipsi a Clemente VI. concessam bulla data Avenione VII. idus Januarii pontificatus anno 1. in quo multa scitu digna leguntur. Inibi sepulturam in ecclesia fratrum Prædicatorum Caturcensium eligit, quibus multa largitur, dotatque presbyteros, qui missas celebrent, aliis omnibus conventibus & nosocomiis Caturcensis urbis quædam relinquit pro sua matrisque Adam salute. Legat & neptibus suis filiabus dominæ Æglinæ quondam sororis suæ & uxoris domini Petri de Fontanis militis, cuilibet earum 50. libras semel. Legat capitulo Agathensi 100. libras Turonenses semel, ad acquirendos in loco bono & sufficienti 100. solidos Turonenses *renduales* pro anniversario suo anno quolibet perpetuo celebrando, & ecclesiæ libros & ornamenta. Legat capitulo ecclesiæ Parisiensis, *in quo fuimus archidiaconus*, inquit, 50. libras Parisienses pro anniversario quolibet die obitus sui in ecclesia Parisiensi perpetuo faciendo. Ecclesiæ quoque Atrebatensi, *in qua fuimus canonicus*, inquit, 20. lib. Parisienses pro anniversario. Johanni Beraldi canonico nepoti suo omnes libros suos tam canonici quam civilis juris. Nepti suæ Agneti filiæ nobilis viri Francisci Beraldi militis fratris sui 50. florenos semel, totidemque Æglinæ sorori Agnetis. Heredem vero ex asse instituit Arnoldum Beraldi nepotem suum filium Raimundi Beraldi militis germani sui, cui si ante ipsum mori contigerit, substituit ejus filium Ratherium, aliosque ex ordine. Testamenti nominat exsecutores Guibertum episc. Carcassonensem, & Aimericum de Montealto abbatem Auriliaci consanguineos suos. Eodem quo hasce confecit tabulas anno interfuit concilio Biterrensi 7. Nov. coacto, cujus acta reperies in concil. Narb. Baluz. p. 102. Huic eo circiter tempore obedientiam juravit Guillelmus Vallismagnæ abbas. Denique decessit Petrus in castro de Nasinhano 22. Februarii 1353. mensisque sequentis 18. die sepultus fuit, sicut præceperat, in capella nostræ Dominæ de Confort in claustro Dominicanorum Caturcensium, cui conventui legavit 60. libras Turonenses annuatim, ex veteri calendario seu libro obituariorum. Baluzius in notis ad vitas pontif. Ave. col. 1204. vult Petrum exstinctum fuisse decennio post, anno videlicet 1363. Sed refellitur ipsomet necrologio RR. PP. Prædicatorum Caturcensium, in quo certissime legitur: *18. Martii anno Domini MCCCLIII. sepultus fuit reverendus in Christo pater & DD. Petrus Beraldi episcopus Agathensis in capella capituli, qui obierat in castro de Nisinhano 22. die Febr. anno Domini MCCCLIII.*

1342. 1343. 1347. 1349. 1351. 1352. 1353.

XLVI. Arnaldus.

AUBERT.

E loco de Montibus prope Pompadorium, Lemovicensis diœcesis, Arnaldus Alberti oriundus, ex Margarita de Livron filius Guidonis Alberti,

ANNI CHRISTI

quem rex ad preces Petri Rogerii cardinalis Rotomagensis nobilitate donavit, frater Audoïni Alberti cardinalis Magalonensis, nepos autem Innocentii VI. summi pontificis, decanus erat ecclesiæ collegiatæ S. Aredii Atanensis in finibus pagi Lemovicensis 27. Febr. 1351. Inde assumtus ad episcopatum ecclesiæ Agathensi præfuit, tum ex veteri quadam scheda Auscienses ecclesiæ commemorata a Baluzio in notis ad vitas paparum Aven. col. 921. tum ex libro obligationum archivi Vaticani ad annum 1354. ubi legitur Sicardum ei successisse. Autumat Baluzius loco citato Arnaldum cepisse episcopatum Agathensem an. 1354. mense Aprili, transmigrasse anno 1355. ad Carcassonensem, eodemque anno die 16. Jan. assumtum esse ad archiepiscopatum Auscienses. At jam anno 1354. ad Carcassonensem transierat, si vera sunt quæ de successore ex libro obligationum Vaticani referunt Sammarthani. Vide quæ de eo jam diximus tom. 1. col. 995.

1354.

DE LAUTREC.

XLVII. SICARDUS.

Sicardus de gente vicecomitum Lautrici Arnaldo sufficitur 16. Augusti 1354. ex memorato obligationum codice apud Sammarthanos. Cameræ apostolicæ pro Arnaldo decessore solvit 2. Apr. 1356. Innocentii VI. anno 4. & 13. Februarii 1358. pro seipso, ex libro solutionum Vaticani. Penultima ejusdem mensis transegit cum consulibus & hominibus de Marcelliano pro stagno Tauri. Regi fidem clientelarem juravit anno 1360. pro comitatu Agathensi, ex ipsismet archivis. Concordiam iniit cum Petro de Rupesixa pro toparchia sancti Pontii 1. Februarii 1367. pactumque confecit cum hominibus & consulibus de Marcelliano 24. Junii ejusdem anni, pro jurisdictione ejusdem loci. Concilio Vaurensi ab episcopis trium provinciarum Narbonensis, Tolosanæ & Auxitanæ 27. Maii 1368. habito Sicardus per procuratorem adstitit. Querela Sicardum inter & consules de Marcelliano anno 1369. recruduit, qua de causa senatum Parisiensem appellavit. Eodem anno Petro Narbonensi archiepiscopo fidei sacramentum die 17. Mart. dixit. Insequenti cum consulibus transegit, & an. 1371. ad cathedram Biterrensem transiit, ubi vide.

1356. 1358. 1360. 1367. 1368. 1369. 1370. 1371.

Raimundus vero, quem Sicardum inter & Hugonem intrudunt Sammarthani, nullo fultus testimonio, missus abibit.

DE MONTRUC.

XLVIII. HUGO.

Patria Lemovicensis Hugo filius Stephani fratris Petri de Monteruco presbyteri cardinalis tit. sanctæ Anastasiæ, & S. R. ecclesiæ vicecancellarii, nepotis ex sorore Innocentii VI. summi pontificis, Sicardo subrogatus 24. Julii 1371. dicitur in eodem libro obligationum. Biennio post, die videlicet 4. Julii 1373. Raimundi de Canilhaco cardinalis funus cum archiepisc. Narbon. multisque aliis præsulibus præsentia sua cohonestavit. Fidei sacramentum pro comitatu Agathensi cliens regi dixit anno 1374. quo & concilio Narbonensis provinciæ die 15. Apr. habito adfuit, cui præses sedebat Petrus metropolita. Eodem anno cum esset apud S. Pontium interdixit Petrum de Rupesixa, qui S. Pontii toparchiam affectabat. Nobilis Guillelmus de Pezenas Hugoni fidem juravit 17. Octob. 1375. pro toparchia de Prueignes. Juxta bullam Clementis VII. datam Avenione XI. cal. Maii pontificatus anno 4. solvit Hugo cameræ apostolicæ quingentos florenos ad terram sanctam recuperandam. Auctoritate Guillelmi cardinalis tituli S. Angeli cum canonicis solemni pactione transegit anno 1384. qua in perpetuum tam pro se quam pro successoribus spopondit octo puerulis chori subsidia se ministraturum loco fundationis a Tedesio factæ : item certos pensionis proventus canonicis duodecim assignavit, vicissimque toparchia Agathensis prius episcopo & capitulo communis, in episcopi dominium cessit, qui solus remansit Agathensis dominus & comes. Hujusce exemplaris documentum exstat in archivis capitularibus, unde & discimus bona episcopatus in manibus regis tradita anno 1389. restituta fuisse; ratio non subjicitur. Anno 1391. fecit hominium domino regi pro temporalibus bonis sui episcopatus, quæ recognovit habere se & tenere a domino rege, maxime comitatum Agathensem, ex archivo Carcassonensi. Eodem anno Johanna abbatissa de Nitido loco Hugoni præstitit hominium pro feodo, quod a Guillelmo de Leuteva acceperat. Fundator alter gymnasii scholasticorum S. Catharinæ Tolosæ in territorio Deauratæ 1382. 4. Februar. instituti merito haberi potest Hugo, qui statuta edidit anno 1402. in quorum initio sic loquitur: *Hugo miseratione divina episcopus Agathensis, provisor ac patronus domus & collegii sanctæ Catharinæ Tolosæ, per bonæ memoriæ dominum Petrum sanctæ Anastasiæ presbyterum cardinalem, Pampilonæ vulgariter nuncupatum, patruum nostrum fundati, venerabilibus viris priori, sacerdotibus & scholaribus ejusdem domus, & collegii prædictorum, salutem in Domino sempiternam*, &c. *Datum in castro nostro de Nasingnano die quinta mensis Aprilis* MCCCCII. Hujus collegii non meminit Guillelmus Catellus in commentariis Occitaniæ. Hoc eodem anno Hugo reperitur canonicus Ambianensis, ita enim ferebat horumce temporum iniquitas, ut episcopi inferiora sacerdotia diversis in ecclesiis auctoritate papæ aucuparentur. *Anno 1408. die 27. Julii reverendus in Christo pater dominus Hugo bonæ memoriæ episcopus Agathensis spiritum Deo reddidit, qui in suo ultimo testamento instituerat suum heredem capitulum suum Agathense.* Hæc ex veteri instrumento, & in necrologio monialium S. Catharinæ de Monte virginis Avenionensium. *VI. calendas Augusti obiit D. Hugo episcopus Agathensis.* Hunc in Sancti Victoris abbatia Parisiensi sepultum asserunt Sammarthani: verum illius tumulum, licet satis diligenter perquisitum, nusquam repererunt viri sagaces, nec ullus Victorinorum indicare potuit, non ipse Johannes Tolosa rerum Victorinarum scientissimus. Præterea nulla Hugonis mentio in necrologio, sed nec in catalogo manuscripto prælatorum, qui jacent in eadem basilica. Non inde tamen inferas velim ibi non esse tumulatum, cum plurimi sint episcopi, quorum nomina facile delevit oblivio.

1373. 1374. 1375. 1384. 1391. 1402. 1408.

ANNI CHRISTI

XLIX. Guido.

DE MALSEC. Agathensis ecclesia, quæ per obitum Hugonis episcopi vacabat, ab Alexandro V. VIII. idus Julii pontificatus an. 1. Guidoni de Malesicco cardinali episc. Prænestinensi commendatur ad triennium, qui post occupatas successive sedes Leutevensem, Biterrensem & Pictaviensem, pro comitatu Agathensi regi sacramentum dixit an. 1409. At defuncto Alexandro, commendam revocavit Johannes XXIII. VI. id. Jun. pontificatus an. 2. Vide episc. Pictavienses tom. 2. col. 1192. Legendus & de Guidone Bonifacius Ferrerius prior majoris Carthusiæ in responso ad ea quæ adversus se dicebantur in quodam memoriali, quod habes tom. 2. Anecdotorum col. 1460.

1409.

L. Philippus.

DE LEVIS. Philippi domini de Florensac ex Adelaïde domina de Quelus filius Philippus de Levis, præcentor ecclesiæ Biterrensis, in legibus licentiatus & subdiaconus, a Johanne XXIII. in locum Guidonis a commenda revocati sufficitur sexto idus Jun. pontificatus anno 2. id est 1411. ex regesto provisionum hujus pontificis. Hunc anno 1418. Brunisendis vicecomitissa de Lautrec testamenti curatorem nominavit. Occurrit anno 1422. in charta Vallismagnæ, & 1423. in venditione facta vicario suo. Traducitur post hæc ad Auxitanam sedem a Martino papa V. XVI. calendas Martii pontificatus anno 9. hoc est 1425. ex libro provisionum sub Martino V. Videsis archiepiscopos Auscienses col. 999. Non confundendus Philippus noster cum altero Philippo ejus nepote, qui natus anno 1435. patruo successit in Auxitana sede adhuc adolescens anno circiter 1454.

1411. 1418. 1422. 1423. 1425.

Le Labour. des mazures de l'Isle-Barbe. tome 2. pag. 410.

LI. Berengarius III.

GUILHOTI. Berengarius Guilhoti Tyrensis archiepiscopus, cardinalis de Armaniaco olim in Auxitana sede vicarius & successor, Philippo subrogatur commendatarius Agathensis a Martino V. 19. Mart. 1425. pontificatus anno 9. ut docent ipsissimæ summi pontificis litteræ, quæ in archivis Narbon. archiepiscopi leguntur, sicut & in regesto provisionum Vatic. Hinc patet ex albo episcoporum Agathensium expungendum esse Raimundum, quem Sammarthani post Catellum anno 1423. reponunt.

LII. Johannes I.

TESTE. Juris utriusque doctor & canonicus Narbon. Johannes ecclesiæ Agathensi præficitur a Martino V. XI. cal. Junii 1426. ut indicat regestum provisionum hujus pontificis. Anno 1429. canonicos excommunicavit, qui a divinis absentes, sua ipsorum nomina notarent, quasi adfuissent. Concilio Narbonensis provinciæ anno 1430. habito interfuit Johannes, sedente tunc Narbonæ Francisco Conzié, sed non præsidente: in hac synodo suffragatus est querelis prælatorum provinciæ adversus administros metropolitani. An. 1433. Guillelmus de Pezenas pro toparchia de Prueignes præstitit hominium Johanni, qui eodem anno vineam sitam in territorio de Nasinhano a Bernardo Serven acquisivit. Denique sigillum apposuit suum epistolæ episcoporum provinciæ Narbonensis ad concilium Basileense 26. Novembris 1435. datæ in gratiam G. Appamiensis ad ecclesiam sancti Pontii Tomeriarum translati a summo pontifice.

1426. 1429. 1430. 1433. 1435.

LIII. Reginaldus.

DE CHARTRES. Post Johannem ecclesiæ Agathensis administratio per triennium Reginaldo archiepiscopo Remensi Franciæque cancellario commendata est ab Eugenio IV. 4. Aprilis 1436. pontificatus anno 6. ita enim legitur in regesto provisionum hujus pontificis, & in veteri charta Agathensi. De eo in archiepisc. Remensibus plura.

1436.

LIV. Guillelmus IV.

CHARRIER. Guillelmus Ysfiodorensis Arvernus, parentes & consanguineos habuit Guillelmum & Jacobum Charrier a secretis regis, ærarii publici quæstores, Petrum Charrier & alios. Fuit & ipse sacri ærarii quæstor, juxta Sammarthanos. Ecclesiam Aurelianensem gubernabat, cum triennio post factam Agathensis Reginaldo archiepisc. Remensi commendam elapso, hanc ad sedem transfertur V. idus Jan. 1439. ab Eugenio IV. pontificatus anno 9. ex libro secundo provisionum hujus papæ. Vix fuit episcopus Agat. exemtus e vivis an. 1440. ut liquet ex diario Parisiensis cameræ computorum.

1439. 1440.

LV. Johannes II.

DE MONTMORIN. Ex Delphina de Thineriis Goffridi domini de Montemorino filius Johannes, cujus cognominis vetus familia de Montemorino in Arvernis. Institutum Benedictinum aliquandiu tenuerat in monasterio Casædei, cum factus canonicus S. Johannis, comesque Lugdunensis an. 1417. præpositus ejusdem ecclesiæ 1427. decanus capituli S. Juliani & comes Brivatensis 21. April. 1428. legum doctor, libellorum supplicum magister, & prior S. Egidii Surgeriarum, defuncto Guillelmo subrogatur ab Eugenio IV. pridie id. Decembr. 1440. pontificatus anno 10. cujus bulla in archivis ecclesiæ Narbonensis asservatur. Comitiis Occitaniæ adstitit apud Biterras mense Febr. 1440. & apud Montemalbanum a Carolo rege an. 1441. convocatis cum aliis præsulibus & proceribus. Henricus d'Avaugour archiepiscopus Bituric. prioratum S. Egidii vacantem, Johanne in pontificem inaugurato, jure primatiæ Nicolao Ademari clerico, regis Francorum secretario contulit, seu ejus electionem confirmavit, quam Santonensis episcopus Guido admittere recusabat, quemadmodum notatur in sententia confirmationis hujus electionis data die 3. April. 1443. Johannes & Petrus Richardus a Johanne tenere se recognoscunt feudum quoddam situm in territorio de Marcelliano 4. Aprilis 1446. Memoratur & Johannes in sententia data apud Montempessulanum 1. Mart. 1447. adversus procuratorem episcopi Magalon. Defunctus anno 1448. ex regestis Vaticani, in ecclesia Agathensi sepelitur, ubi ejus etiamnum visuntur insignia.

1441. 1443. 1446. 1447. 1448.

LVI.

ANNI CHRISTI

DE ROUPI *dictus* DE CAMBRAY.

LVI. STEPHANUS III.

Stephanus de Roupi dictus de Cambray in libro 3. provisionum sub Nicolao V. & a Jacobo Bedelii presbytero S. Tiberii in quadam *inquesta*, ubi testatur, quod ipse viderit D. Stephanum de Cambray quondam episcopum Agathensem visitantem dioecesim, cui monasterii sancti Tiberii clausa fuerat janua, visis loci privilegiis recessisse. Stephanus itaque patruus Guillelmi de Cambray, qui Bituricensis archiepiscopus anno 1492. est renunciatus, canonicus primum ecclesiae Bituricensis fuerat, tum decanus Agathensis & clericus computorum: ad episcopatum vero provehitur VII. cal. Aug. 1448. post obitum Hugonis ex eodem provisionum libro & ex chartis authenticis D. de Gagneres, in quibus testatur se a generali aerarii quaestore per Occitaniam trecentas libras accepisse 22. Jan. 1448. Occurrit ibid. annis 1449. 1450. 1453. 1457. 1458. 1460. Praesens sistitur hominio quod regi exhibuit Petrus dux Britanniae anno 1450. 3. Novemb. apud Montem Basonis in Turonibus. Consecravit ecclesiam cathedralem Dominica 8. Julii 1453. in cujus majoris arae sacrario reliquias sancti Stephani recondidit. Praeerat adhuc 8. Oct. 1460. ex collectaneis D. de Gagneres in bibliotheca regia asservatis. Ante obitum cessit, ex regestis Vaticani. Hujus anniversarium consignatur in necrologio 22. Febr. Guillelmus de Cambray ejus nepos pro suo patruique Stephani de Cambray canonici Bituricensis, postea vero Agathensis episcopi anniversario moriens Bituricensi legavit capitulo centum scuta aurea & duodecim libras Turonenses annui & perpetui reditus.

Prob. lib. 18. Hist. Britan. pag. 1131.

1450. 1453. 1460.

DE BEAUMONT.

LVII. CAROLUS.

Carolus de Beaumont canonicus Pampilonensis, cedente Stephano, ad cathedram Agathensem evectus est VI. cal. Maii Pii II. pontificatus an. 4. ex regesto provisionum Vaticani. Regebat 1462. ex tabulis Agathensibus. Comitiis Occitaniae adstitit mense Junio 1463. & mense Julio 1466. Pactum iniit 10. Septembris 1463. cum Ludovico Nilau Tolosae thesaurario, quo omnia bona Stephani de Cambray decessoris Carolo adjudicantur, iis exceptis, quae erant in Septimania & apud Montempessulanum. Occurrit annis 1464. 20. Maii, 1467. 6. Julii, 1469. 3. Junii in chartis D. de Gagneres. Carolum adhuc superstitem an. 1470. evincit regestum CXCVI. archivi regii Parisiensis.

1462. 1463. 1464. 1467. 1469. 1470.

DE MINUTOLIS.

LVIII. JACOBUS.

Patria Lucensis Jacobus, e pervetusta oriundus familia anno 1434. humanioribus litteris satis eruditus, juris utriusque lauream promeruit. Romam postea petiit, ubi apud cardinalem Papiensem aliquandiu versatus, Pii II. Paulique II. summorum pontificum favorem sibi conciliavit, ita ut sub Pio apostolicarum litterarum abbreviatoris, sub Paulo vero ecclesiastici exercitus commissarii munus summa cum laude obierit, civilique non minus prudentia, quam bellicae artis virtute se ipsum

A commendarit. Ariminensi bello absoluto, Poenitentiariae apostolicae secretarius, comesque Lateranensis palatii a Paulo factus est. Friderico quoque imperatori acceptus, comes Palatinus ab ipso creatus est. Spoleti gubernator, ob Tiphernates Flaminiaeque populos ad obedientiam Romanae sedis reductos a Sixto praemium tulit Nucerinam in Romana provincia ecclesiam. Nucerinus episc. cum Johanne Andegavensi card. legato ad Ludovicum XI. Galliae regem missus, tanta apud eum gratia valuit, ut suum in Romana curia procuratorem crearit, & post Caroli obitum ad ipsius preces a Sixto IV. XV. cal. Sept. 1476. e Nucerina ad B Agathensem ecclesiam fuerit translatus. Eodem anno vel sequentis initio bullae, qua ecclesiae S. Flori monachos canonicae addicebat vitae Sixtus IV. summus pontifex, Jacobo nostro exsecutionem demandavit. Nobilis Bermundus Senegra ipsi hominium praestitit pro loco dicto de Prueignes 22. Julii 1477. Romam postea profectus, J. Picolomini cardinali Papiensi, qui germanum ipsius officio vicecomitatus cohonestaverat, gratias egit per litteras Romae datas 10. Octobris ejusdem anni, quas habes in epistolis Jacobi Picolomini, pag. 325. Memoratur in libro 174. bullarum Sixti IV. pridie nonas Dec. 1480. pontificatus C anno 10. Anno 1481. Venetias a rege mittitur, ut senatum ad pacem Italiae inclinaret, senatusque quae pontificem inter & confoederatos nuper acta fuerant adprobaret. Innumeris Jacobum rex beneficiis cumulavit: praeter episcopatum Agathensem, abbatiam quoque Pictaviensis dioecesis illi donatam, liberamque possessionem Cameracensis ecclesiae traditam vult Ughellus, at non probat. Nonnulla scripsit de bello Ariminensi ad cardinalem Papiensem carmina, epistolas. In Gallia diem clausit extremum: quinam autem ille sit divinare non possumus. Vide Ughellum Italiae sacrae tom. 1. pag. 1070. a quo, quaecumque D diximus de Jacobo, mutuati sumus.

ANNI CHRISTI

1476. 1477. 1480. 1481.

LIX. MEDERICUS.

Satisne erit S. Tiberii chartula ad suggerendum Agathensi ecclesiae episcopum? Videat lector & judicet. Cum jurisdictionem in monachos sancti Tiberii exercere vellet Nicolaus de Flisco, facta est IV. Octobris 1490. *inquesta* per Johannem Vitalis licentiatum in legibus, qua probatum fuit episcopos superiores ab hac jurisdictione abstinuisse: in hoc autem instrumento videtur episcopis Agathensibus accenseri quidam Medericus: sic enim post mentionem factam Stephani de E Cambray legitur: *Pariter vidit* (testis) *de domino Carolo de Bellomonte episcopo, & de domino Jacobo etiam Agathensi episcopo, & pariter de Mederico, qui venit de novo.* Ceterum nihil impedit quominus Medericus inter episcopos Agathenses recenseatur: annus mortis Jacobi ignoratur, tempusque usque ad inaugurationem Nicolai superest.

1490.

DE FIESQUE.

LX. NICOLAUS.

Jacobi ex nobilissima familia Fliscorum comitum Lavaniae apud Genuenses filius Nicolaus, vir doctrina juxta ac pietate insignis, consanguinei

ANNI CHRISTI

Johannis Ludovici de Flisco apud regem innixus favore, plurima in Gallia acquisivit sacerdotia. Agathensem ecclesiam administrare cœpit anno circiter 1490. quo die IV. Octobr. a clero diœcesis Agathensis indictum est subsidium pro jocundo adventu reverendi patris Nicolai, qui a pauco tempore fecerat suam *intratam*, inquiunt acta S. Tiberii. Iisdem anno & die monachorum hujusce cœnobii jura attentasse irrito conatu jam vidimus. Factus est postea episcopus Forojuliensis, v. nempe cal. Mart. 1494. ut indicat liber provisionum Alexandri VI. vide tom. 1. col. 440. Tolonensis ibid. col. 753. archiepiscopus Ebredunensis tom. 3. col. 1093. abbas Grandimontensis tom. 2. col. 637. & cardinalis.

1490. 1494.

LXI. JOHANNES III.

DE VESC.

Johannes filius Stephani de Vesc, qui erat Caroli VIII. cubicularius, ex genere baronum de Grimault juxta Sammarthanos, canonicus primum sacræ capellæ Parisiensis, cantorque ejusdem, e Vinciensi cathedra ad Agathensem transfertur v. cal. Mart. 1494. ut constat ex regesto provisionum prælatorum sub Alexandro VI. Decanus simul erat commendatarius ecclesiæ Bajocensis anno 1498. quo præsens adfuit electioni Renati de Prie in episcopum Bajocensem, ex ms. archivo ecclesiæ Bajocensis, teste Arturo du Monstier. Congregationem presbyterorum in honorem sanctissimæ Trinitatis instituit in ecclesia parochiali de Genesac anno 1500. Johannes & Petrus de Lille Johanni episcopo quædam divendiderunt in territorio Agathensi pretio 100. librarum 8. Dec. 1504. Ludovico regi navem obtulit anno 1509. quæ per Agatham transierat. Breviarium Agathense correctius edi curavit an. 1510. Abbatia Caunensi donatur a Leone papa X. anno 1519. Confirmavit an. 1521. electionem Gisardi de Corneliano abbatis sancti Tiberii, cujus occasione die 31. mensis Augusti ejusdem anni dies apud majus concilium ei dictus est; rex enim hanc electionem non probaverat, sed nominaverat & papæ designaverat abbatem fratrem Guillelmum de Lanjac. Aliquot post annos episcopatum Johannes cessit consanguineo. Vide episcopos Vincienses tom. 3. col. 1226.

1498. 1500. 1504. 1509. 1510. 1519. 1521.

LXII. ANTONIUS.

DE VESC.

Ex superioris gente Antonius, Caroli de Vesc baronis de Grimaut & Antoniæ de Claromonte filius, præcentor Avenionensis, Johanni cedenti successit 6. Octob. 1525. ex regesto provisionum Vaticani. Erat simul sancti Afrodisii Biterrensis & sancti Petri de Caunis abbas. Memoratur in tabulis episcopalibus an. 1526. Ex Agathensi transiit ad Valentinensem episcopatum an. circiter 1530. permutatione facta cum sequenti. Huic & Castrensem postea adjunxisse videbis tom. 1. col. 75. Fato functus, ut creditur, anno 1551.

1525. 1526. 1530.

LXIII. FRANCISCUS GUILLELMUS.

DE CASTELNAU.

Franciscus Guillelmus de Castelnau cardinalis de Clermont, filius Tristandi de Castelnau domini de Bretenous, Clarimontis-Lodevæ, equitis aurati sancti Michaelis, magnique Franciæ dapiferi sub Carolo VIII. anno 1484. ex Catharina Ambasiana sorore Georgii cardinalis Ambasiani, archiepiscopi Rothomagensis. De eo facta jam mentio in archiepiscopis Auscienfibus tomo 1. col. 1001. & in Narbonensibus. Hic tantum dicere sufficiat cessione Antonii de Vesc anno 1530. ecclesiæ Agathensis regimen suscepisse Franciscum, quod ad mortem usque retinuit, quæ Avenione contigit anno 1540.

1540.

LXIV. CLAUDIUS.

DE LA GUICHE.

Petri domini de la Guiche & de Chaumont regum cambellani, ballivii Æduensis, sub Francisco I. legationibus ad summum pontificem, imperatorem, reges Hispaniæ & Angliæ præclare functi, ex Francisca de Chazeron filius erat Claudius, qui primum protonotarius apostolicus, abbas Altæcumbæ in Sabaudia, & de Bellobecco in Normannia, necnon administrator Galliacensis, favore cardinalis Georgii de Ambasia proavunculi, prior quoque Lothonensis & S. Petri Matisconensis, factus est Agathensis pontifex post obitum Francisci cardinalis an. 1540. Recipitur *in propria* 19. Maii 1545. Hominium pro toparchia de Prueignes a nobili Francisco de Senegra per procuratorem exegit 9. Novembr. anni ejusdem. Ad synodum Tridentinam profectus cum aliis præsulibus, paulopost a rege revocatur, cujus iram metuens, clandestinam corripuit fugam; sed litteris legatorum invitatus, rediit Tridentum, ubi in hoc celeberrimo patrum consessu anno 1546. fama claruit, & paulopost ad vacantem episcopatum Mirapicensem promotus est, ut videbimus.

1545. 1546.

LXV. EGIDIUS.

BOHIER.

Thomæ baronis de S. Cirque domini de Chenonceaux in Turonibus, ærarii Franciæ præfecti ex Catharina Briçonnet filius Egidius, frater autem Antonii Turonum proregis & Francisci Macloviensis episcopi, rector erat parochialis ecclesiæ S. Medardi de Fraxino, cum ad Agathensem sedem evectus fuit per cessionem Claudii 17. Dec. 1546. testante libro provisionum Vaticani. Liberam electionem consulum civibus Agathensibus indulsit anno 1550. quæ prius penes episcopos erat. Querelam habuit 1551. cum Francisco de Senegra ratione toparchiæ de Prueignes, quæ 19. Julii 1552. composita fuit. Memoratur in archivis 11. Febr. 1553. & 29. Aug. 1554. Obiit an. 1561. Celebratur in epigrammatibus Stephani Forcatuli pag. 124.

1550. 1551. 1552. 1553. 1554. 1561.

LXVI. AIMERICUS.

DE SAINT SEVERIN.

Aimericus de sancto Severino clericus Neapolitanus, ex ramo principum Bisignani, parentes habuit Johannem & Aureliam Sanseverinam, Ferrandi comitis de Saponaria frater, cardinalisque S. Severini ex fratre nepos, carus regi Carolo IX. & Catharinæ Mediceæ matri, fit episcopus Agathensis per obitum Egidii ultima Januarii 1561. Calendis octobris 1567. coegit hæreticos urbe cedere, quam nocte præcedenti interceperant. In

1567.

ANNI CHRISTI 1578.

cujus rei testimonium prima ejusdem mensis Dominica fit generalis supplicatio ad Dominum. Obiit Barcinonæ 21. Jun. 1578. dum peregrinaretur ad Deiparam virginem Montis Serrati, in cujus basilica sepelitur. Quædam huic legavit ecclesiæ pro celebratione anniversarii.

DU PUI.

LXVII. BERNARDUS IV.

Post Aimericum Agathensis allectus est episcopus fr. Bernardus du Pui religiosus S. Francisci, propter eximiam eruditionem conspicuus; de quo Rodulphus in historia seraphica lib. 2. Eodem præsule cathedram Agathensem tenente 1583. Henrico item Montmorenciaco prorege Occitaniæ & Franciæ connestabili fundatore, conduntur Capucini in situ amœno valde & solitario prope maris Mediterranei littus, & Arauris fluvii muros Agathenses alluentis fauces, ab eadem urbe duobus milliaribus remoto, necnon a cultu sacratissimæ Dei matris ibi peculiariter honoratæ, vulgo Domina nostra de Gradu, tum a sacro lapide etiamnum hodie in sacelli presbyterio asservato, supra quem, secundum piam traditionem, sacratissima Virgo cuidam anachoretæ ibi olim degenti, ipsiusque cum aliis christianis, contra maris aquas Agathense territorium jamjam inundantes opem imploranti, visibili forma apparens, genua flexit, tum etiam ab arenæ copia ibi inventa, & a proximo fluvii ostio, seu faucibus *Grau*, vulgari idiomate dictis, nuncupato. Locus est sacer, & maxima fidelium e longinquis etiam partibus adventantium erga beatissimam Virginem devotione insignis. In ea basilica Henrici ducis Montmorenciaci ossa anno 1614. collocata fuerunt, ex præscripto ipsius codicillorum, quibus & sancti Stephani Agathensis capitulo sexdecim librarum millia & collegiatæ Piscenensi quatuor millia legavit. Sed ad propositum nostrum redeamus. Bernardus rescripto apostolico ecclesiam parochialem civitatis Nemausensis in collegiatam erexit anno 1601. Ipsius vices supplevit in quodam episcoporum provinciæ Narbon. cœtu coacto 28. Martii anno 1602. Johannes Brugiere vel Bruguiere Agathensis ecclesiæ canonicus, & syndicus cleri diœcesis, deputatus a clero & ab ipso Bernardo episcopo. Concilium Tridentinum per suam diœcesim recepit anno 1604. quo 20. Junii solemniter benedixit Franciscum Boyer abbatem S. Tiberii. Interfuit anno 1609. concilio provinciæ Narbonensis sub Ludovico de Vervins archiepiscopo.

1583. Sammarth. 1601. 1602. 1604. 1609.

DE VALOIS.

Ludovicus de Valois filius Caroli Arverniæ comitis & ducis Engolismensis, Caroli IX. regis nothi, ex Carlotta de Montmorency, abbas Casædei ab anno 1608. Agathensis episcopus nominatur a rege Ludovico XIII. anno 1612. Post annos decem cessit anno 1622. non consecratus: inde Gallo-provinciæ prorex, torquatus eques, dux Engolismæ, comesque Alesiensis duxit uxorem Henriettam de la Guiche Philiberti tormentorum Galliæ præfecti filiam, Claudii in sede Agathensi decessoris proneptim. Parisiis diem suum obiit 13. A Nov. 1653. sepulturæ mandatus apud Guichiam. De eo jam in abbatibus Casadensibus tomo 2. col. 350.

1612. 1622.

ANNI CHRISTI

DE BUDOS.

LXVIII. BALTHASAR.

Ex stirpe nobili marchionum de Portes, Jacobi vicecomitis equitis sancti Spiritus, & Catharinæ de Clermont-Montoison filius Balthasar, frater autem Antonii Herculis marchionis de Portes equitis ejusdem ordinis, Franciæ prothalassiarchæ, & Ludovicæ de Budos uxoris Henrici ducis de Montmorency magistri equitum Franciæ, episcopus jam Augustopolitanus, coadjutorque Castrensis ab anno 1616. interfuit comitiis cleri Gallicani Burdigalensibus anno 1622. quo Ludovici de Valois resignatione designatus est episcopus Agathensis. Cœtui cleri Gallicani Fontaneti in Pictonibus adstitit anno 1628. Fato functus 24. Jun. 1629.

B

1628. 1629.

DE BARREZ.

LXIX. FULCRANDUS.

Canonicus primum fuerat & sacrista ecclesiæ Agathensis Fulcrandus, tum vicarius generalis Biterrensis, quo tempore interfuit an. 1615. comitiis cleri Gallicani Parisiensibus, sequentique, episcopo Biterrensi absente, moniales beatæ Mariæ in urbem Biterrensem excepit. Ad Agathensis ecclesiæ regimen assumtus a Ludovico XIII. die 1. Julii 1629. possessionem personaliter apprehendit 4. Junii 1630. In cathedrali 2. Feb. 1631. consecratus est. Liberalitate in pauperes occultos maxime & verecundos, quos ad exemplum S. Nicolai occulte & benigne fovebat, enituit. Multa prædia, fundos, juraque ad mensam episcopalem pertinentia a pluribus annis usurpata, seu alio modo alienata, inter quæ speciatim fuit suæ urbis consules eligendi facultas, opportunis juris usus remediis, ecclesiæ bono recuperavit. Eo sedente virgines aliquot jam ante ipsius præsulatum Piscenis in una domo congregatæ & commorantes, communibus pietatis exercitiis utentes, puellisque christiane & pie instituendis incumbentes, nullis aliis nisi solius boni sui propositi nexibus adhuc vinctæ, monialium sanctæ Ursulæ sub regula S. Augustini, certisque conditionibus legitime approbatis tria religionis vota publice emittentium institutum susceperunt. Paris auxilii spiritualis teneris virginibus, seu potius toti suæ urbi eo destitutæ procurandi causa anno Domini 1631. die 4. Oct. moniales aliquot ordinis B. Mariæ virginis, vulgo Dominæ nostræ filias nuncupatas, e cœnobio Biterrensi ejusdem ordinis accersiri, eisque ad novum in urbe condendum monasterium locum concedi curavit. Decessit Pozolii in diœcesi Biterrensi, locoque ab urbe Agathensi tribus aut circiter leucis distanti an. 1643. mense Mart. in sua cathedrali sepultus.

C D E

1630. 1631. 1643.

DOLCE.

LXX. JOHANNES IV.

Johannes Dolce Baionensis, Bertrandi d'Eschaux Turonensis archiepiscopi sororis filius, abbas simul sancti Vincentii de Luco diœcesis Oleronensis, & Buxeriæ diœcesis Andegavensis, a Boloniensi episcopatu ad Agathensem translatus,

ANNI CHRISTI

nominatur a Ludovico XIV. 13. Junii 1643. at A nondum inita possessione, Agathensem permutationis causa eodem anno cessit ecclesiam sequenti præsuli Baionensi. Vide episcopos Baionenses t. 1. col. 1322.

FOUQUET.

LXXI. FRANCISCUS.

Franciscus Francisci Fouquet comitis consistoriani, libellorum supplicum in regia magistri & Mariæ de Maupeou natus die 26. Julii 1611. frater Nicolai vicecomitis de Vaux, regii in senatu Parisiensi procuratoris, summique ærarii præfecti, erat jam Baionensis antistes & abbas sancti Severi, cum Baionensis ecclesiæ commutatione B facta pro Agathensi hanc ad sedem traductus an. 1643. 26. Jun. confirmatur ab Urbano VIII. bulla data XVI. cal. Septembr. pontificatus anno 21. possessionemque ipsius per procuratorem init anno 1644. die 18. Januarii. Mensis Aprilis proxime sequentis die 17. in urbem suam solemni ritu, magnoque populi undequaque concursu invehitur. Regi sacramentum dixit mense Septemb. 1648. Sub ejusdem Agathensi pontificatu in Ceta insula mare Mediterraneum inter & stagnum Tauri sita, comitatus dignitate insignita, ad præsules Agathenses pertinente, prope declivum montis in ipsa valde eminentis, & in cujus cacumine C oratorium publicum sub auspiciis S. Clari a longo tempore fuerat exstructum, ad majus incolarum diebus Dominicis & festivis sacrum audire cupientium commodum, ecclesia nova Deo optimo maximo sub auspiciis sanctissimi Josephi conjugis sacratissimæ Christi domini nostri matris ædificata est 1652. Eodem anno in urbe & quidem in basilica & domo claustrali, seu presbyterali sancti Andreæ apostoli jacta sunt fundamenta seminarii ad clericos, seu alios ecclesiasticos homines de rebus ipsorum necessariis & convenientibus pie & sedulo erudiendos, divinæ providentiæ sapientissimo ac in perpetuum adorando D consilio ordinante, ut in quibus ecclesia & domo anno Incarnationis Domini 506. idibus Septembr. celebre illud 35. episcoporum octo provinciarum de disciplina & ordinationibus clericorum, & utilitatibus ecclesiarum agens concilium habitum est, in iisdem post diversas clades a fidei hostibus illatas tantisper reparatis, spes sit tum antiquorum ecclesiæ primitivæ clericorum mores in posterum edocendos, tum omnis generis pietatis, non solum a sacris hominibus exercendæ, verum & plebi christianæ pro Dei gloria utiliter tradendæ methodum ediscendam. Hujusque spei magis ac magis in dies habendæ E ansam præbet divinum illud ac speciale auxilium, quo promovente, cooperanteque tam sanctum opus adeo acceleratum fuit, ut initio anni incarnationis 1653. cellis replendis sufficienti ecclesiasticorum virorum numero adveniente, ejusdem seminarii schola aperta sit. Xenodochium quoque instituit Franciscus. Factus postea coadjutor archiepiscopi Narbonensis 18. Decembris 1656. transfertur ad metropolitanam sedem an. 1659. Consule tom. 1. col. 1322.

1644. 1648. 1652. 1653. 1656.

LXXII. LUDOVICUS.

ANNI CHRISTI

FOUQUET.

Francisci germanus Ludovicus natus die 4. Febr. 1633. clericus Parisiensis, juris utriusque doctor, in supremo Franciæ senatu consiliarius, oratorii regii præfectus, abbas Vezeliacensis, Jardensis, Hamensis, & Soriciniensis, Agathensis episcopus per cessionem fratris a rege designatus, ab Alexandro VII. promovetur bulla data V. cal. Jun. pontificatus anno 3. Regi sacramentum dixit in parochia Retoliensi 24. Augusti 1657. Possessionem per procuratorem iniit 20. Septemb. 1658. A Francisco Rotomagensi archiepiscopo ad minores ordines Parisiis promotus est 2. Feb. 1659. ibidemque ab eodem episcopalem recepit unctionem in templo sancti Ludovici societatis Jesu Dominica 1. quadragesimæ 2. Mart. insequentis, assistentibus Ebroicensi & Cæsariensi episcopis, magna nobilium & magnatum comitante caterva. Cedente Basilio fratre fit cancellarius regiorum ordinum 15. Junii ejusdem anni. Regii oratorii præfecti munus Alphonso de Valbelle episcopo Electensi divendidit pro summa 75000. librarum 20. Octobr. 1680. Exsul viginti tres annos apud Ernodurum transegit. Seminarium presbyteris Oratorii Jesu regendum commisit, quibus & bibliothecam legavit. Fato functus 4. Febr. 1702. insignis pietate vir, summaque erga pauperes liberalitate.

1657. 1658. 1659. 1680. 1702.

LXXIII. PHILIBERTUS CAROLUS.

DE PAS DE FEUQUIERS.

Philibertus Carolus de Pas de Feuquieres natus anno 1657. doctor facultatis Parisiensis 31. Maii 1686. primum sancti Petri Cabilonensis, tum Cormeliensis abbas mense Aprili 1691. vicarius generalis archiepiscopi Senonensis, ad cleri Gallicani comitia bis a Senonensi clero deputatus secundi ordinis, Ludovico Fouquet defuncto, a rege Ludovico XIV. Agathensis episcopus & comes nominatur 15. Aprilis 1702. Manuum impositionem Parisiis accepit ab Harduino Fortin de la Hoguette archiepiscopo Senonensi, assistentibus Monspeliensi & Electensi antistitibus 10. Septembr. anni ejusdem in ecclesia Augustinianorum discalceatorum. Regi fidei sacramentum dixit 13. insequenti in capella Versaliensi. Comitiis cleri Gallicani adsuit an. 1715. Obiit in sua diœcesi ineunte Augusto aut Julio exeunte anni 1726.

1715. 1726.

LXXIV. CLAUDIUS LUDOVICUS.

DE LA CHASTRE.

Ludovici Caroli Edmundi comitis de Nançay, marchionis de la Chastre, prætorii legati & gubernatoris Pecaiæ ex Anna Carlotta de Beaumanoir de Lavardin filius Claudius Ludovicus, abbas jam erat S. Michaelis ulterioris portus ab anno 1717. cum episcopus Agathensis nominatus a rege Ludovico XV. 17. Octobris 1726. consecratur anno sequenti 26. Octobr. in sacello interiori RR. PP. Minimorum plateæ regalis Parisiensium ab archiepiscopo Tolosano, cooperantibus Rivensi ac Mirapicensi episcopis. Provinciæ codices regi deputatus obtulit die 24. Aug. 1733. Comitiis cleri Gall. generalibus adstitit an. 1735.

1727. 1733. 1735.

ARCHIDIACONI MAJORES.

I. GUILLELMUS I. archidiaconus an. 1098. testis reperitur in charta Bernardi episcopi Berengario abbati Gellonensi ecclesiam S. Martini de Caus concedentis in feudum; & in instrumento donationis ecclesiæ sancti Petri de Beciano factæ ab eodem Bernardo monasterio Casædei in Arvernia.

II. Ermengaudus anno 1129. 1130. in testamento Willelmi Rainaldi. Recensetur 1133. in permutatione facta Raimundum Agathensem inter & Bermundum Biterrensem episc. & 1134. in charta Raimundi episcopi abbatiam S. Andreæ ecclesiæ suæ cathedrali largientis. Eodem anno interfuit concilio Monspeliensi. Archidiaconi munere fungebatur adhuc 1139. factus non multo post episcopus. (Ch. IX. col. 320.)

III. Pontius I. an. 1149. in testamento Ermengaudi episc. & 1151. in charta Guillelmi Rainaldi. Ad episcopatum duobus post annis assumitur, ubi vide. (Ch. XIII. col. 324.)

IV. Arnulphus I. 1156. privilegium obtinuit ab Adriano papa IV.

V. Radulphus 1158. in charta Rangardis, 1161. & in bulla Alexandri papæ III. Ratam habet sententiam adversus Bonos homines hæreticos latam 1165.

VI. Petrus I. de Corneliano an. 1182. 1184. 1187. 1191. 1194. in charta Raimundi de Beciano canonici, & 1196. (Ch. XXI. col. 332.)

VII. Bernardus I. de Muroveteri 1210. in ejuratione Stephani de Cerviano. Occurrit annis 1212. & 1213. in charta Raimundi episcopi. Primus omnium canonicorum subscripsit supplicationi factæ A. Narbonensi archiepiscopo, ut Petrum Pulverellum canonicum ecclesiæ Parisiensis electum Agathensem confirmaret. Occurrit & 1217. in clientela Guillelmi de Leuteva pro tribus turribus urbis.

VIII. Pontius II. de Cocone in transactione Tedesium episcopum inter & R. comitem Tolosanum super vicecomitatu Agathensi, & 1234. in confirmatione transactionis initæ inter eundem Tedesium & Amalricum comitem Montisfortis. Recensetur 1237. in compromisso P. Narbon. archiepiscopi & Udalgerii abbatis Electensis v. id. Jan. Approbavit transactionem initam B. episcopum Agathensem inter & Salomonem abbatem S. Tiberii anno 1238.

IX. Fredolus de sancto Johanne testis in actis concordiæ initæ XI. cal. Julii 1251. inter Guillelmum de Broa archiepiscopum Narbonensem & Amalricum vicecomitem. Vide Baluz. append. concil. Narb. pag. 119. 130. 145. & seq.

X. Petrus II. Berengarii præsens hominio, quod anno 1260. VIII. id. Maii Amalricus vicecomes Narbonensis præstitit Guidoni Fulcodio archiepiscopo Narbonensi. Testis anno 1264. in veteri instrumento S. Afrodisii Biterrensis. An. 1270. arbiter nominatur in codicillo Petri Raimundi Fabri episcopi, factus ipse anno sequenti episcopus. (*Append. conc. Narb. pag. 163.* — Ch. XXVII. col. 337.)

XI. Petrus III. Raimundi capellanus papæ, archidiaconus Agathensis *compromissarius* in electione archiepiscopi Narbonensis an. 1272. (Charta LXXIV. col. 69.)

XII. Guillelmus II. Barravi 1281. Nescio utrum ille sit Guillelmus Doriac, cui eodem anno Petrus episcopus jussit ut urbe discederet, sin minus dignitate spoliandum minatus est.

XIII. Bernardus II. de Villario decretorum doctor, canonicus & præpositus ecclesiæ cathedralis Narbonensis, archidiaconus Agathensis, jam anno 1302. vi litterarum Egidii archiepiscopi indicentis concilium Nemausense ad instantes octavas nativitatis B. Mariæ, citatur ad dictum concilium a vicariis generalibus ejusdem archiepisc. Totius capituli Narbonensis nomine transigit cum capitulo sancti Pauli Narbon. pridie calendas Maii 1307. Occurrit 1313. 1328. & 1332. in divisione beneficiorum ad episcopum & capitulum communiter spectantium. Reperitur etiam anno 1338.

XIV. Bertrandus de Chanaco filius Guidonis de Chanaco nobilis de Alassaco & Isabellæ de Monteradulpho, clericus primum cameræ apostolicæ & canonicus Tornacensis, archidiaconus erat Agathensis, tum cum Romam profectus anno 1350. litteras habuit a Clemente VI. quibus mandavit canonicis S. Petri, ut illi vultum sanctum seu veronicam ostenderent. Ita Bzovius ad annum 1216. pag. 248. Factus postea archiepiscopus Bituricensis, ubi vide.

XV. Johannes I. tituli sanctorum Nerei & Achillei cardinalis, archidiaconus Agathensis an. 1383. in præfatione statutorum. Is est forte Johannes de Crosso, qui fuerat episcopus Lemovicensis, ubi vide.

XVI. Nicolaus Helie licentiatus in legibus 1442.

XVII. Stephanus de Currilis 1497.

XVIII. Petrus IV. de Corneliano jurium baccalaureus & vicarius generalis Johannis episcopi occurrit anno 1509. Præfuit capitulis generalibus canonicorum Agathensium a die 26. Aprilis 1512. ad annum 1529.

XIX. Franciscus de Judicati 1542. & 14. Aug. 1544. quo defuncto

XX. Antonius I. Potirat clericus Lingonensis archidiaconus Agath. a vicario generali Claudii de la Guiche Agathensis episcopi capitulo præfectus est.

XXI. Johannes II. Fermer 1553.

XXII. Petrus V. Donjau archidiaconus capitulo præfuit 8. Octobr. 1563.

XXIII. Antonius II. Bandinel a die 25. Apr. 1564. usque ad 1578.

XXIV. Philippus Bandinel jurium doctor, resignante Antonio receptus est archidiaconus 14. Julii 1583. Occurrit 1589. 1595.

XXV. Johannes Antonius Bandinel Philippi ex fratre nepos, quo cedente archidiaconus receptus est 12. Novembr. 1631.

XXVI. Carolus Bandinel baccalaureus in decretis, Johanne Antonio abdicante ad archidiaconatum ab episcopo promotus iniit possessionem 27. Augusti 1647.

XXVII. Jacobus Bandinel clericus Agathensis, baccalaureus in decretis, ex resignatione Caroli recipitur 1. Julii 1678.

XXVIII. Arnaldus II. de Tristan abbas sancti Amantii, presbyter Parisiensis, doctor sorbonicus, canonicus Agathensis, archidiaconus ab episcopo Agathensi nominatus, Caroli resignationem impugnavit, & dignitate a senatu Parisiensi obtenta, receptus est 30. Octobr. 1680. Ludovici Fouquet episcopi vicarius generalis & officialis erat 6. Dec. ejusdem anni.

XXIX. Claudius Julianus de Vin presbyter Parisiensis, baccalaureus in theologia, per resignationem præcedentis recipitur 18. Maii anno 1703.

XXX. Johannes Polydorus de la Vergne de Tressan canonicus Monspeliensis, permutatione cum præcedenti facta receptus est 18. Jan. anno 1715. Apud Montempessulanum octogenarius obiit die XI. Dec. 1736.

XXXI. Johannes Antonius Robertus Stephanus des Fossés presbyter Cameracensis, licentiatus in decretis, ex *indulto* anno 1727. denuntiato archidiaconus ab episcopo Agathensi nominatus, receptus est 19. Februarii 1737.

DE ABBATIIS DIŒCESIS AGATHENSIS.

Vetera monasteria jamdudum destructa.

I. SANCTUS ANDREAS.

ANtiquius nullum in diœcesi Agathensi novimus monasterio sancti Andreæ, quod a sancto Severo juxta principem sancti Andreæ ecclesiam exstructum, ab apostolo nomen retinuit. Severus e Syria oriundus, patriæ & sæculo vale dicto, in Septimaniam appulit, atque a Betico Agathensi episcopo benigne exceptus, postquam aliquandiu extra urbem reclusus vixit, secus urbis Agathensis mœnia juxta sancti Andreæ primam & episcopalem, quæ fuisse videtur, ecclesiam, monasterium, ubi trecenti monachi sub eo fuerunt, instituit exeunte scilicet sæculo quinto, sepultus tandem in basilica sancti Martini, ut fusius leges in vita sancti Severi act. SS. ord. sancti Bened. tom. 1. pag. 565. Abbatiam hanc solitariam derelictam anno 1064. ad preces Guntheri Agathensis episcopi virique nobilis Pontii abbatis Rodgerius comes Durando abbati congregationique S. Victoris Massiliensis possidendam, atque ad regularem ordinem instaurandam concessit. Præter duos illos abbates Severum nempe auctorem, & Pontium, quo sedente Massiliensi unita est abbatia sancti Andreæ, nulli nobis occurrerunt. Ex hoc prodiit cœnobio S. Maxentius, qui digressus ad Pictavensem pagum, in monasterio sancti Agapiti abbas fuit electus. Excisum est jampridem monasterium. Massiliensibus ereptum Raimundus anno 1135. & Ermengaudus 1149. Agathenses episcopi canonicis sancti Stephani donavere, qui latifundiis ab eo tempore gaudent. Evasit inde in ecclesiam parochialem, nunc vero pro seminario est ab anno 1653.

II. SANCTUS SEVERUS.

Aliud in suburbio Agathensi in loco, ubi sepultus fuit sanctus Severus, exædificatum est cœnobium, ejus nomine insignitum, sed a quo & quando prorsus nos latet. Abbatia tamen erat temporibus Caroli Calvi. Quosnam primos habuerit rectores haud scimus: de his altum apud veteres scriptores silentium. Hanc abbatiam Agathensi episcopo canonicisque sancti Stephani subjecit Carolus imperator, Calvus, ni fallor, diplomate in archivis asservato: confirmarunt Adrianus IV. bulla ad Ademarum Agathensem episcopum data VI. id. Decembr. 1158. & Ludovicus VII. Francorum rex anno 1173. quo omnino mensæ episcopali fuit adunata. Nullus quippe in chartis deinceps occurrit S. Severi abbas, sed & in pluribus episcopi Agathenses titulum quoque abbatis sancti Severi assumunt. Modo ecclesia parochialis est intra urbis mœnia, alioque, ut videtur, quam olim loco sita, nec ulla regularium ædificiorum, aliave supersunt venerandæ antiquitatis monumenta. Sequentes abbates reperimus in archivis ecclesiæ Agathensis.

Ch. XVII. col. 326.

I. Dagbertus episcopus Agathensis monasterio sancti Severi præfuisse videtur anno 37. Caroli imperatoris, quo Milo dedit *ad ecclesiam S. Severi, cujus corpus requiescit prope Agathæ civitate, & ad ipsam casam Dei, ubi ipse episcopus Dagbertus præest*, vineam quamdam in villa Curbiano. Forte abbas Dagbertus ex dono abbatiæ sancti Severi facto a Carolo Calvo episcopis Agathensibus.

II. Rainaldus cœnobio sancti Severi præerat anno primo quo Lotharius rex cœpit regnare: eo quippe Eleardis nobilis femina dedit Deo, & S. Severo, & Rainaldo abbati alodem suum in villa Preyssano.

III. Rostagnus abbas sancti Severi anno 25. regnante Lothario rege: hoc enim anno emit a Pontio presbytero vineam de Maliolo.

IV. Bernardus I. curam agebat cœnobii Sanseverensis regnante Henrico rege Francorum, ut patet ex chartis episcopalibus. Huic data fuit decima quædam in suburbio Agathensi. Præerat adhuc elapso 1060. & regnante Philippo rege, quo Durantus Maricanus cessit Deo, & sancto Severo, & ecclesiæ, ubi sacrum ejus corpus quiescit in suburbio de Agathe civitate, totum suum alodem de Musiano, hoc est, vineas, terras, &c.

V. Bernardus II. memoratur abbas S. Severi anno circiter 1100. in litteris Bernardi Agathensis episcopi ad Pontium Casædei abbatem, quibus de consensu Pontii Rostagni abbatis, forte S. Andreæ, & Bernardi abbatis sancti Severi, dimittit ecclesiam sancti Petri de Beciano, quam

beatæ & venerabilis memoriæ D. Guntherus Agathensis episcopus antea eidem abbati concesserat.

VI. Berengarius Ermengaudi episcopi Agathensis sororis filius sancti Severi pedum tenebat anno 1149. ut constat ex testamento Ermengaudi in appendice. Eo sedente aut denato, exstincta fuisse videtur abbatia sancti Severi, quam inter ecclesias S. Stephano Agathensi adjunctas enumerat Adrianus papa IV. in bulla data VI. id. Dec. 1158.

Ch. XIII. col. 323.

De abbatiis veteribus, quæ hucusque stant & florent, nunc dicendum, videlicet S. Tiberii & Vallismagnæ, cui addemus abbatiam B. Mariæ de Nitido loco, quæ quidem per se non exstat, sed cum Vallemagna jampridem coaluit.

S. TIBERI.

ABBATIA SANCTI TIBERII.

SANCTI Tiberii, seu Cæsarionense, aut Cæseronense, & Cesseronense monasterium, sic dictum a loco situs noto apud veteres geographos, oppido Cesarione, quod in Septimania positum est in diœcesi Agathensi ad Araurim fluvium, ubi rivulus Tonga influit, in pago Biterrensi, duabus distans leucis ab Agatha, unaque tantum a Piscenis. Fundatur in honorem potissimum SS. martyrum Tiberii & sociorum, de quibus Ado in martyrologio: *quarto idus Novembris in territorio Agathensi in Cesserone natalis SS. martyrum Tiberii, Modesti & Florentiæ.* Ineunte sæculo nono jam nomen S. Tiberii gerebat a præcipuo patrono monasterii, quod ejusdem sancti Tiberii martyris corpore insignitum est. Quippe in constituto Ludovici Pii de monasteriis, quæ nec dona, nec militiam dare debent, sed solas orationes pro salute imperatoris & stabilitate imperii facto apud Aquisgranum anno 817. in recensione monasteriorum Septimaniæ occurrit quarto loco *monasterium sancti Tiberii.* Recens autem exstructum tunc erat, licet altius nonnulli ejus repetant originem, sed quæ illud probent, desunt argumenta. Quisnam primus auctor, conditorve fuerit, nec nos certo definiemus. Monasterio dedisse videtur initium Attilio, de quo in vita S. Benedicti Anianensis, qui an. circiter 770. ad martyrum Tiberii & sociorum memoriam consedit, ubi aliquot congregavit discipulos, qui cœnobium erexere forte post annum 814. quo Ludovicus Pius Aquitaniam, cujus pars erat Septimania, reliquit: si enim ante discessum pii principis exstitisset, haud dubie huic dona, uti ceteris aliis Occitaniæ monasteriis contulisset. Unum ex paucis Galliæ est, cujus ascetæ fuerint abbates eligendi facultatis retinendæ studiosiores. Nunc quoque non adeo mutata est rerum facies, quin abbas non sit monachus, quod raro alibi reperies. Soli Romano pontifici addictum monasterium sub annuo unius aurei censu docent plurimæ bullæ pontificiæ, Paschalis præsertim secundi, & Innocentii tertii. Illic habita fuit synodus episcoporum provinciæ Narbonensis anno 907. in qua decretum est ecclesiam Ausonensem liberam in posterum fore a tributo, quod pendebat ecclesiæ Narbonensi. Aliud concilium apud S. Tiberium habitum est an. 1050. idibus Julii, cui præfuit Wifredus archiepiscopus Narbonensis, in quo excommunicati sunt invasores prædiorum monasterii Arulensis. Anno 1226. inibi convocatum fuit capitulum generale pro reformatione ordinis Benedictini. Reformatum quoque postea fuit monasterium, unitumque anno 1647. congregationi sancti Mauri. Jam ad abbatum seriem texendam nos accingamus.

Ch. XXIII. col. 332.

ABBATUM CATALOGUS.

I. ATtilio auctor, nonnullis restaurator monasterii S. Tiberii fuisse videtur. Redux e Burgundia in patriam anno circiter 770. sæculo vale dixit, & ad martyrum Tiberii, Modesti, Florentiæque sepulcrum secessit, ubi morum integritate sanctimoniaque celebris, Benedicto Anianensi vicinam Arauris ripam anno 780. subeunti cœpit innotescere. Discipulos, si quos his in crepundiis Attilio jam exceperat, illos ad virtutum studia verbis potius & exemplis, quam stata regulæ traditione animabat. Benedictum ab incœpto deterritum permanere coegit. Nimfridio Narbonensi, Theodulpho Aurelianensi episcopis in pretio fuit ob futurorum prænotionem & prærogativam sanctitatis, qua viventem quoque Theodulphus honoravit in carmine ad monachos Anianenses lib. 2. cap. 6.

Sed nec prætereas sancti loca fratris Atili.

Mabillonius ad annum 793. p. 306. memorat donationem factam a Raimundo Raphinel duce Aquitanorum loci dicti Lumbez Attilioni abbati fratribusque monasterii, quod Cesarion dicitur. Si res ita sit, dicendum Attilionem nondum anno 810. obiisse.

II. Modarius Attilioni successit, notus ex epistola Benedicti Anianensis ad Georgium Anianæ abbatem, in qua de Modario hæc habet: *Abbati quoque Modario de monasterio S. Tiberii auxilium, in quibus indiguerit, ferte.* Hæc scribebat Benedictus anno 821. in extremis positus. Forte erat Modarius unus *ex illis viris ædificantibus monasteria & monachos aggregantibus, quibus sanctus abbas Benedictus, ut poterat, subsidium opemque ferebat*, ut docet Ardo in vita sancti Benedicti sæculo 4. Benedict. part. 1. pag. 196. n. XV.

III. Adrebaldus sedebat anno 859. quo Carolus Calvus imperator dedit ei & monasterio sancti Tiberii fiscum Homegianum Volusianensis monasterii, quod eidem abbatiæ anno 849. contulerat, velut appendicem. Diu post hanc donationem superfuisse non videtur, nam

Ch. II. col. 313.

IV. Grimoardus memoratur abbas S. Tiberii in necrologio Silvæ majoris III. cal. Mart. 863.

V. Bonesindus anno 867. Cesarionis abbas S. Volusiani concessam pridem a Carolo Calvo abbatiam in pago Tolosano, pagique Biterrensis fiscum Homegianum Bernardi comitis & aliorum judicio recuperavit. Ipso necdum e vivis erepto, vastatum a Saracenis tradunt monasterium, quod tamen tunc temporis eversum fuisse non videtur.

Ibid.

VI. Rodoaldus incertum an immediate post

Bonesindum Tiberianos rexerit. Ildegarius presbyter dedit ei fiscum Cirzer anno XXVII. Caroli Simplicis, subscribente Reginardo Biterrensi episcopo, cui circa annum 933. successisse volunt nonnulli.

VII. Ermengaudus anno 977. abbas placito, vel potius initæ Bernardum. Biterrensem episcopum inter & Fulcrannum Leutevensem concordiæ testis adhibetur.

VIII. Berengarius I. anno 990. quo pridie calend. Martii Willelmus vicecomes Biterrensis & uxor Arsindis dimiserunt Domino Deo, præsente hoc abbate, ecclesiam sancti Tiberii cum ipsa villa, quam injuste & vi abstulerant, plurésque alias ecclesias & reditus, quos legere est in instrumento donationis in appendice.

Ch. IV. col. 315.

IX. Guillelmus I. quædam sub annui census conditione dimittit an. 1026.

X. Deodatus, aliis Deusdedit, ex monacho Massiliensi erat tum sacrista sancti Tiberii, cum anno saltem 1065. electus est abbas, favente numine Cesarioni concessus, ut quæ bellicarum cladium occasione irrepserant sanctiori normæ contraria resecaret, virtutum accenderet studia, regularibus ædibus meliorem formam redderet. Morum innocentiæ candorique accedebat mira verborum suavitas, qua nobilissimorum procerum & antistitum sibi gratiam conciliabat. Philippo rege regnante XVII. calend. Jul. dedit *Petro Riculfi terras, quæ sunt juxta ripam Erauri, ubi pontus est fundamentatus.* Huic abbati Berengarius episcopus Agathensis ecclesiam de Beciano concessit, multorum postea jurgiorum ac litium causam & incentivum. Tanti habitus ab omnibus est, ut Tiberiense, Canonicanum in Gabalitanis, Cassianense, &c. necrologia mortem ejus pridie idus Febr. consignent.

Ch. VII. col. 319.

XI. Ebrardus abbas sancti Tiberii innotescit ex judicio lato ab apostolicæ sedis legatis, quo absolutum fuit a dominio & regimine abbatum sancti Victoris Massiliensis cœnobium Psalmodiense anno 1097. XVI. calend. Dec. regnante Philippo rege in præsentia Ebrardi abbatis sancti Tiberii.

Ch. XIX. col. 186.

XII. Arnaldus dum monasterii bona juraque firmare nititur, Bernardi Agathensis episcopi incurrit odium, variisque modis ab eo torquetur. Hinc erepta monasterio Becianensis ecclesia, quam Casæ Dei Bernardus addixit ante annum 1106. diuturnæ litis seminarium. Exstat ad Arnaldum breve Paschalis secundi datum anno 1116. quo concessa sancti Tiberii monasterio confirmat, in iisque ecclesiam B. Mariæ de Gradu*, quæ sæculo XVI. Capucinis cessit. Rescripsit quoque ad ipsum Callixtus secundus anno 1120. vetuitque brevi pontificio, ne milites aut alii provinciæ proceres castra seu fortalitia construerent in territorio sancti Tiberii absque licentia & consensu abbatis & monachorum. Adstitit Arnaldus episcoporum conventui apud Castrum anno 1122. habito. Elizarius ejusque uxor Engelrada judicio episcoporum Arnaldo abbati sancti Tiberii dimiserunt XI. calend. Novembr. 1127. vicariam, leddam, & condaminam, quas Guillelmus Arnaldi morti proximus abbati jam legaverat. Guillelmus Bernardi & Maria uxor huic guirpiverunt quidquid requirebant in decima sancti Martini de Grenoillariis, acceptis ab eo 25. solid. Melg. XV. calend. Aprilis 1128. Emit denique a Berengario Pelliciario *casalem* de Botoneto pro 30. solid. Melg. XIII. cal. Mart. 1132.

Ch. V. col. 316.

*N. D. de Grou.

Ch. XIII. col. 277.

Ch. VI. col. 317.

XIII. Ademarus I. Arnaldo suffectus præerat anno 1134. quo Raimundus de Proillano ejusque fratres & sorores cedunt monasterio & Ademaro abbati quædam, de quibus prius contendebant in condamina de Veiregal ultra rivulum Tongæ. *Vir boni testimonii*, inquit Guido cardinalis, gravissimæ quæstioni pro Beciani ecclesia Casædei monachis olim tributa, anno vero 1134. monasterio sancti Tiberii in concilio Monspeliensi adjudicata, multis implicatus annis, post innumeros litium anfractus, non nisi sub conditione XV. solidorum Melgoriensium de bonis hujus ecclesiæ annuatim in solemnitate Pentecostes Casæ Dei persolvendorum in synodo Uceticensi anno 1139. pacem redimere potuit. Hac autem eruditus vitiligatione, reliquam ætatem pietatis addictus officiis, nihilominus servatis monasterii juribus, in pace composuit. Beneficum expertus est Raimundum Trincavellum Biterrensem vicecomitem, qui ipsi ejusque successoribus cessit omnia jura, quæ sibi vindicabat in urbe sancti Tiberii cum omni justitia, exceptis homicidio & *esguogozamento* anno 1142. Probavit anno 1146. emtionem ferraginis monasterio censualis.

Ch. VII. col. 318.

Ch. X. col. 321.

Ch. XI. col. 322.

XIV. Guillelmus II. anno 1147. asseruit instrumento publico partem feudi de Nataliano ad monasterium spectantem.

XV. Bernardus I. adfuit præsens dedicationi ecclesiæ monasterii Arulensis factæ in conventu episcoporum III. id. Oct. 1157.

XVI. Raimundus I. archimandrita Cesariensis an. 1160. & 1161. Testis in charta Raimundi Trincavelli vicecomitis Biterrensis Pontium abbatem Silvanesii a leuda in terra sua eximentis an. 1165.

XVII. Guillelmus III. de Uzetio dictus in instrumento veteri anni 1272. bonus pastor, vigilans fertur in tabulis circiter an. 1168. exaratis. Anno 1171. adfuit pactis matrimonii inter Rogerium vicecomitem Biterrensem & Adalaisiam filiam Raimundi comitis Tolosæ ducis Narbonæ, eodemque anno placito apud Montempessulanum habito pro monasterio Gellonensi. Anno 1174. generalem agens conventum statuit, ut cellarum ecclesiarumque præpositi certis diebus conventum procurarent. Eodem anno nominatur præsens donationi a Bermundo Uceticensi domino factæ Bertrando abbati Francarum vallium.

Ch. XIX. col. 283.

Ch. XXVII. col. 195.

XVIII. Hugo de Garda sancti Tiberii abbas testis adfuit transactioni factæ inter Raimundum comitem Tolosanum & Ildefonsum Aragoniæ regem super comitatu Provinciæ mense Aprili 1176. De eo in necrologio sancti Egidii in bibliotheca fratrum Prædicatorum Camberiacensium asservato legitur: *VIII. id. Maii depositio D. Hugonis*

D. Hugonis de Garda abbatis sancti Tiberii.

XIX. Berengarius II. Nigreti Raimundi Biterrensis episcopi consanguineus, admisit ad precum bonorumque operum societatem Guillelmum de Magalatio, qui ipsi promisit obedientiam, seque & omnia sua tradidit: huic autem abbas cum consensu capituli ecclesiam sancti Martini de Grenoileriis contulit, retento annuo censu. Actum an. 1184. mense Febr. Eidem abbati Agnes & Petrus Guillelmi maritus ejus oppigneraverunt quartam partem condaminæ in terminio S. Tiberii pro 700. sol. Mel. vel 14. marchis argenti puri, quod pactum factum est anno 1194. mense Oct. Obiit Berengarius an. 1195. ex quadam notitia.

XX. Berengarius III. de Leuteva *al.* Lucteria electus est anno 1195. monachi enim Cesarionenses defuncto abbate hoc eodem anno ante electionem Berengarii quosdam reditus assignarunt operi hujus monasterii. Petrus Raimundi de Falgueriis recognovit huic abbati totum honorem, quem habebat infra villam sancti Tiberii & in ejus terminis, esse illi & monasterio ab ipsius antecessoribus pro 8000. solid. Melgor. obligatum, quem & ipse obligavit amplius pro 1000. aliis solid. Melgor. mense Maio anno 1197. Petrus de Mesua dedit Berengario totum illud quod habebat in decimis de Grenoileriis mense Maio, & Bernerius de Magalatio ejusque fratres vendiderunt ei *sextalarium* quod habebant in villa S. Tiberii pro 12. sol. Melg mense Sept. 1204. Vendidit Berengarius an. 1209. mense Mart totam *bochariam* villæ S. Tiberii cum omnibus pertinentiis pro 600. solid. Melgor. Ipse est procul dubio Benig. male lectus, qui adstitit hominio, quod Simoni Montisfortis præstitit Stephanus de Cerviano anno & mense iisdem. Anno 1211 cum Raimundo Agathensi episcopo composuit lites. Narbonensi concilio præsens fuit anno 1212. Aderat apud Murellum, cum gloriosam reportavit victoriam de Petro Aragoniæ rege Simon de Monteforti, instrumentumque hujus victoriæ sigilli sui munimine confirmavit in crastino ipsius pugnæ, scilicet feria sexta infra octavam Nativitatis B. M. an. 1213. Curavit ut bullæ Paschalis II. & Callixti II. de quibus supra, ab Innocentio III. renovarentur novis adjectis beneficiis VI. nonas Maii anno 1216. Religione fervens hic abbas Albigenses hæreticos acriter insectatus est. Fuxense castrum quod comiti ademtum, Berengario a Petro de Benevento cardinali sedis apostolicæ legato traditum fuerat, nepoti suo Romanæ ecclesiæ nomine commendavit, illudque adversus hæreticorum insidias defendit; sed ab illorum primipilari Bernardo de Serignano, cui Biterrensis ac Fuxensis comites socias adjunxere manus, interceptum monasterium, ingenti patuit ruinæ. Catholicorum adjutus copiis Berengarius adveniens perduelles vicit, & Cesarionem deserere semel atque iterum coegit. Honorius III. summus pontifex Rogerio castrum restituit cum onere solvendi abbati sancti Tiberii 15000. solid. Melgor. quos expenderat in custodia hujus castri, pontificatus anno primo. Comes Fuxensis ira odiisque remissis, abbatem & omnes monachos sub sua custodia recipit, pollicet urque reddere omnes impensas factas pro custodia castelli Fuxensis, litteris datis XII. cal. Mart. 1216. Pepigit cum Bernardo episcopo Biterrensi V. non. Mart. 1218. Celebratum est eo sedente capitulum generale monachorum Benedictinorum in monasterio sancti Tiberii anno 1226. Transegit IV. non. Octobr. 1229. cum Raimunda relicta Bernardi de Serignano, cujus bona monasterii fisco addicebantur, tum quia in monasterio nutritus Bernardus, quidquid habuerat a monasterio tenebat, tum quia dicebatur una cum aliis hominibus villæ S. Tiberii introduxisse Rogerium Bernardum comitem Fuxensem & Raimundum Rogerium vicecomitem Biterrensem fautores hæreticorum Albigensium in villam sancti Tiberii. Eodem anno pepigit cum Tedisio episcopo Agathensi pro litigiosis apud Becianum. Tandem multis pro religione fideque confectus ærumnis eodem anno 1229. laborum requiem invenit.

Ch. XXIII. col. 332.

XXI. Bertrandus I. de Mornacio occurrit in veteri instrumento jam citato anni 1272. post Berengarium de Lucteria. Anno 1234. monachorum stipendia ex Serignani proventibus fecit auctiora.

XXII. Salomon de Columbario. Confessus est Tedesius Agathensis episcopus hunc abbatem habere, ejusque successores habituros jus præsentandi vicarios perpetuos ad ecclesias sancti Tiberii, Florensiaci, Beciani & Castri novi, illudque jus recognovit XIV. calend. Maii anno 1230. Hoc forte anno cum Bertrando decessore de abbatiali dignitate contendebat Salomon, qui cedere coactus, factus est prior Florensiaci, unde in abbatem assumtus cum Bertrando Agathensi præsule nonnullarum ecclesiarum jura definivit an. 1238. quo & cum Geraldo Cassiani priore pactum edidit. Monachorum auxit reditus hic abbas, & quantum per intestina bella licebat, prodesse magis quam præesse studuit. Laudavit venditionem factam conventui suo a Vesiano & Petro Raimundi de Usetia omnium ad eos pertinentium in territorio de Nataliano V. id. Decembr. anno 1243. & venditionem cujusdam condaminæ, & aliquot censuum factam eidem cœnobio a Petro Raimundi de Ginhaco VI. cal. Nov. 1245. Testis fuit cessionis vicecomitatus Biterrensis & Carcassonensis factæ a Trincavello quondam vicecomite in gratiam Ludovici regis Franciæ. Actum est Biterris in plano sancti Felicis VII. id. Aprilis an. 1247. Guillelmo Castrensi abbati precem annuam accepto pretio constituit anno 1249. Pro se suisque parentibus instituit anniversarium VI. cal. Jun. ejusdem anni, assignatis pro mensa conventuali 20. solid. Melgor. super leudis nundinarum martyrum quas acquisierat. Nondum obierat anno 1251. quo VI. non. Maii cum civibus Biterrensibus transegit.

XXIII. Guillelmus IV. Martini Piscenensis, instituitur anno 1251. Cesarionis abbas. Innocentio IV. obedientiam juravit, ex schedis Narbonensibus pag. 283. Quædam emit usatica XVI. cal. Junii 1253. Eodem anno solvit 130. libras pro se & abbate Anianensi & pro toto

capitulo generali provinciali Narbonensis provinciæ ordinis sancti Benedicti de illis 1650. libris Turonensibus, quas Bonifacius Bonsenhor civis & mercator Senensis tradiderat procuratoribus ejusdem capituli in curia Romana 18. Augusti 1253. Assignavit conventui quosdam census a se emtos ad anniversarium pro se ipso & genere suo VI. id. Sept. 1256.

XXIV. Bermundus, cui de Andusia cognomentum addunt recentiores, ex priore de Sommeriis anno 1257. renunciatus abbas a monachis, confirmationem petiit ab episcopo Agathensi III. id. Mart. ejusdem anni. Insequenti cum Guillelmo Castrensi abbate precum ac suffragiorum communionem sanxit. Confirmavit ordinationem factam inter capitulum sancti Nazarii Biterrensis, rectorem sancti Martini de Valranis & priorem de Serinhano super quibusdam decimis III. id. Maii anno 1266. Transegit eodem anno cum Amanevo archiepiscopo Auscienfi pro prioratu de Galano. Fecit anno 1273. transactionem cum senescallo Carcassonæ pro rege agente, qua pacis amore professus est per suos conventusque procuratores se in feudum a rege recepisse, aut a senescallo pro ipso, castrum & villam S. Tiberii cum justitiis altis & bassis, &c. Hæc autem pacta rata habuit Philippus rex filius sancti Ludovici eodem anno 1273. mense Decembri. Huic abbati Jacobus Aragonum rex, Montispessulani dominus, anno 1274. licentiam fecit comparandi domum in Montepessulano, & quingentos bladi sextarios e monasterii villis collectos sine præstatione & impedimento vendendi, quod & successoribus in perpetuum licere voluit. Emit eodem anno una cum conventu quosdam census pro triginta libris, quas Petrus Raimundi Fabri episcopus Agathensis eidem conventui pro obitu suo legaverat. Convenit cum monachis de annuis pensionibus anno 1285.

Charta XXVIII. col. 338.

XXV. Ademarus II. vel, ut Jacobi Majoricarum regis & Montispessulani domini ferunt litteræ anno 1287. datæ, Ademarius hospitium, & adjunctas domos apud Montempessulanum nomine Petri Ademarii militis germani, ni fallor, sui comparavit, qui locus *in carrali Montispessulani* positus fuit *de honore nobilis viri Rousselini domini Lunelli*, necnon & facultatem emendi apud Montempessulanum domos & *tenedones* ad summam quinquaginta librarum Turonensium. Pactorum etiam a decessore Bremundo cum Jacobo rege Aragonum confirmationem accepit, superstes ad annum saltem 1290.

XXVI. Guillelmus V. de Caniliaco genere clarissimus, ex Anianensi monacho Tiberiensis abbas præfuit ad anni 1296. aut sequentis VII. calend. Julias. De eo in consuetudinibus Anianensibus: *VII. cal Jul. camerarius debet 20. solidos pro obitu D. Guillelmi de Canilhaco olim abbatis S. Tiberii.*

XXVII. Berengarius IV. Raimundi anno 1297. centum solidos annui census Guillelmi de Mesua testamento percepit. Adhæsit appellationi ad concilium generale a Philippo pulcro factæ in conventu habito apud Montempessulanum die 25. Julii anno 1303. cui ipse adfuit Berengarius cum aliis prælatis monasteriorumque procuratoribus.

XXVIII. G. occurrit anno 1306.

XXIX. Fredolus I. ex genere toparcharum de Veruna, abbas sancti Tiberii IV. calend. Mart. anno 1316. a quadam petitione prioris de Castronovo de Guersio absolutus fuit ab officiali Agathensi. Volunt nonnulli Fredolum, quo de agitur, unum eundemque esse ac Fredolum, de quo anno 1330. & quatuor sequentibus abbatibus præter morem auctoritate Romanorum pontificum promotis, Fredolum eorum tempore semper pedum retinuisse: at quominus illud pro certo statuamus, obstant Tiberienses tabulæ, in quibus horum abbatum eadem ac aliorum fit mentio, & assignantur monachi S. Tiberii, qui eorum nomine res Tiberienses gerebant. Utut hæc sunt, Odoricus Rainaldus ad annum Christi 1316. §. 15. refert abbatem sancti Tiberii cum Berengario de Landorra tum magistro ordinis Prædicatorum missum fuisse in Galliam, ut componeret dissidia, quæ rursum erumpebant occasione controversiæ, quæ paulo ante mota fuerat de comitatu Atrebatensi. Rainaldus abbatis nomen reticet, qui tam de Fredolo, quam de Raimundo sequenti potest intelligi.

XXX. Raimundus II. anno 1316. Johannis XXII. litteris institutus abbas, præerat mense Junio. Regiis commissariis hominium præstitit ultima Apr. an. 1317. per procuratorem Bernardum priorem de Cassiano. Creatum fuisse primum S. Flori episcopum ab eodem papa pontificatus anno primo in quadam notitia reperio: sunt tamen qui autumant Cesarionensi monasterio præfuisse Raimundum, qui a Johanne XXII. summo pontifice sancti Pontii Tomeriarum antistes est renunciatus anno 1324. penes quos sit fides.

XXXI. Bertrandus II. Berengariorum nobili stirpe satus, Johannis XXII. diplomate subrogatus abbas sedebat anno 1324. ex tabulario Cesarionensi, unde ad Sarlatensem an. 1325. ab eodem pontifice provectus ecclesiam, sequenti locum fecit.

XXXII. Ratherius de Lenac nobilis Vasco, prior de Lautrico anno 1325. pari Johannis XXII. edicto creatus abbas, cum Francorum rege pro Tiberiensis urbis dominio mero & mixto transegit. Anno 1327. erat simul vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus Amelii Castrensis episcopi. Insequenti Massiliam ad sancti Victoris transiit præfecturam. Hic obiter observa varias frequentesque abbatum mutationes, summis pontificibus jam tunc eos pro libito vel accersere vel repellere solitis, contemta electione monachorum.

XXXIII. Gailhardus ex priore Montisferrati dioecesis Uceticensis ejusdem summi pontificis Johannis XXII. rescripto fit abbas sancti Tiberii, quam dignitatem paulopost pontificis ad nutum cum Fredolo Psalmodiensium abbate commutavit anno 1330. ex actis pontificii Avenionensis & schedis D. Suarès.

XXXIV. Fredolus II. ex monacho & decano

Psalmodii nominatus abbas a Johanne papa XXII. volente ipso summo pontifice cessit abbatiam Psalmodii Gailhardo abbati sancti Tiberii, qui vicissim Fredolo regimen sancti Tiberii dimisit. Ejus vicarius generalis creavit consules an. 1330. Concessit universitati sancti Tiberii, ut possent ædificare unum furnum, & percipere trigesimum 10. Dec. 1341.

XXXV. Seguinus d'Authon secundum recentiores, successit. Tiberiensibus ad melioris vitæ normam invitatis, anno 1361. juxta Innocentii VI. rescriptum abbas esse desiit, de cujus bonis sanctæ sedi destinatis idem pontifex Guillelmo Gilaberti canonico Narbonensi, Gaillardo de Balaso, & Guillelmo Palasimi XII. calend. Aug. pontificatus anno 9. scripsit.

XXXVI. Pontius de Afriano monachorum votis substitutus, ea nunquam potitus esset dignitate, ni morum ejus præstantia sedis apostolicæ destinationem prævertisset. Id datis ad Johannem Francorum regem litteris, quas in appendice subjecimus, testatur Innocentius papa VI. anno pontificatus X. quo auctore, Pontius præclarum *de religionis zelo, vitæ ac morum honestate & aliis multiplicium virtutum meritis* testimonium tulit. Solvit annis 1362. 1364. & 1366. varias pecuniæ summas camerario collegii cardinalium Arnaldo Auxitano archiepiscopo, papæ camerario & aliis *pro parte sui communis servitii, in quo præfato collegio tenebatur; pro parte communis sui servitii, in quo erat cameræ ejusdem domini papæ obligatus; pro parte partis quatuor servitiorum familiarium & officialium ipsius domini papæ.* Anno 1371. 19. Jan. vices suas committit Guidoni sancti Andreæ Avenionensis abbati ad recipiendam abdicationem a fr. Petro de Balma monacho sancti Tiberii factam prioratus S. Martini de Fenoleto dependentis a Cesarione. Concilio Narbonensi præsens adfuit anno 1374. Post synodum provincialem anno 1389. Carolum VI. Francorum regem domi excepit. Johannes Barral se ei debere recognovit certam pecuniæ summam 19. Oct. 1392. Generalium Benedictinæ familiæ comitiorum multoties dictus est præses apud Carcassonam an. 1373. 1376. 1393. & 1402. quo e vivis exemtus dicitur.

Ch. XXIX. col. 340.

XXXVII. Bernardus II. mox Benedicti XIII. litteris suffectus abbas sancti Tiberii an. 1402. recipitur a monachis, qui ei obedientiam spoponderunt 31. Aug. 1403. Regi fidem juravit per procuratorem in manibus Roberti de Chalus senescalli Carcassonensis & Biterrensis pro loco S. Tiberii 21. Augusti 1404. Procuratorem ad concilium Pisanum misit anno 1409. Non sine proborum desiderio vivis ereptus an. 1427.

XXXVIII. Johannes I. Armandi Martini papæ V. rescripto fit abbas an. 1427. Regi fidem præstat in manibus vicarii Raimundi Aimerici militis domini de Basilhac, senescalli Carcassonen. & Biterrensis pro loco sancti Tiberii 31. Octob. 1429. quo in hominio dicit se recens factum abbatem post mortem Bernardi. Auctoritate concilii Basileensis munitus, decimas quas episcopus clerusque Biterrensis cameræ apostolicæ solvebant A dimidia sui parte imminuit 19. Jun. 1437. Eodem anno judex a sede apostolica constitutus Ulmeti cœnobium Vallemagnensi adjunxit. Cum non posset interesse comitiis Bituricensibus a Carolo VII. rege coactis, ubi facta est pragmatica sanctio, procuratores instituit Guillelmum Biterrensem, Hugonem Pictaviensem episcopos, Tolosanumque archiepiscopum Dionysium, qui ipsius nomine ferrent suffragia, resque gererent: instrumentum datum est 27. Aprilis 1438. Fit postea abbas Anianæ, ut dicemus.

XXXIX. Antonius I. de Rosena abbas sancti Tiberii regi fidem præstat in manibus vicarii Raimundi Aimerici militis domini de Basilhac, senescalli Carcassonensis & Biterrensis pro loco S. Tiberii 3. Febr. 1444. Monachis infestus & invisus gravissimas cum illis exercuit lites, quibus Tolosani senatus decreto secundum monachos imponitur finis. Adstitit 1. Maii 1448. abbas Cesarionensis capitulo generali monachorum nigrorum provinciarum Narbonensis, Auxitanæ & Tolosanæ habito Carcassonæ in conventu fratrum Prædicatorum. Consensit an. 1455. 23. Mart. uniri prioratum & sacristiam sancti Juliani de Galano diœcesis Auxitanensis collegio in civitate Tolosana proxime erigendo sub nomine collegii Fuxensis. Eidem unioni monachi consensum præbuere. Novæ basilicæ fundamenta jecit an. 1457. quæ ob bellorum repetitas clades aliaque incommoda ante annum 1535. perfici non potuit. Obiit die XI. Septembris 1464. ex litteris monachorum ad papam die 22. Septembr. ejusdem anni datis, quibus significant Antonio mortuo electum fuisse a se per viam scrutinii Johannem Franciscum de Narbona monasterii alumnum, cujus confirmationem petunt.

XL. Johannes Franciscus de Narbona genere perillustris, e Florensiaci priore pari sodalium voto dictus abbas juxta jus antiquum renovatum in concilio Basileensi & in cœtu Bituricensi anni 1438. cedere pedum coactus est sequenti bulla pontificia instituto.

XLI. Richardus S. R. E. cardinalis tituli sancti Eusebii. Huic datum est Cesarionense monasterium in commendam a Paulo II. ut docet ipse in bulla, qua idem cœnobium commendat Johanni episcopo Leutevensi, cui post aliquot mensium possessionem locum cedit Richardus.

XLII. Johannes II. de Corguilleray episcopus Leutevensis per cessionem Richardi præficitur bulla Pauli II. data Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1465. v. non. Octobr. pontificatus anno 2. Hanc autem abbatiam, ut aliam sancti Guillelmi de Desertis cum episcopatu tenebat adhuc an. 1487. ex instrumento monachorum sancti Guillelmi ipsi adstantium. Quandiu autem Tiberiensem habuit commendam, vicario generali usus est Johanne de Podio, quem postea monachi suffecerunt. Obiit Johannes anno 1488.

XLIII. Antonius II. Willelmi de Claromonte notarius apostolicus, abbas seu potius administrator perpetuus sancti Maiani de Villamagna & S. Tiberii, hanc ultimam tenebat commendam

anno 1490. ex instrumentis ac regestis publicis Guiraudi presbyteri & notarii apostolici. Folio 6 ejusdem regesti appellatur archidiaconus Caprariensis ecclesiæ Biterrensis. Die 3. mensis Julii anno 1499. testamentum confecit, in quo mandavit, ut sedilia chori ecclesiæ sancti Tiberii ab ipso incœpta sumtibus heredum suorum perficerentur, & in choro collocarentur. Obiit IV. non. Julii an. 1499.

XLIV. Franciscus Willelmi de Claromonte post Antonii mortem a summo pontifice designatur commendatarius, ut liquet ex litteris cancellariæ Tolosanæ, sed monachi in electione jam facta Johannis de Podio tanta constantia perstiterunt, ut cedere coactus sit Franciscus.

XLV. Johannes III. du Pui oriundus e toparchis de Albayga diœcesis Leutevensis, e monacho sancti Guillelmi de Deserto, vel potius S. Tiberii, ubi fuit eleemosynarius, & vicario generali Johannis de Corguilleray episcopi Leutevensis electus abbas, æmulum passus est Franciscum Guillelmi de Claromonte Antonii consanguineum, qui armata manu prædonis more cœnobium occupavit, sacram supellectilem & pretiosa quæque cemelia partim abstulit, partim comminuit, fugatis monachis, & posito eo loci præsidio; dum tandem Tolosani senatus decreto confirmatus Johannes, pervasorem eique conjunctos satellites ac sicarios protrusit, exsules reduxit monachos. Ecclesiæ coronidem & campanile majus imposuit, reliquas ædes vetustate collapsas restituit. Postulatus Electensium antistes an. 1509. reluctans, ac tantum non coactus, possessionem adit 21. Decembr. 1510. His tamen non obstantibus Petrus Raimundus de Guercio abbas Soricinii & Johannes de Michaele abbas sancti Polycarpi nituntur hunc episcopatum invadere. Johannes vero litem abhorrens, procuratorem ad resignandum in manibus summi pontificis in favorem Raimundi de Guercio constituit, sed postea revocavit die 14. mensis Jul. an. 1511. attamen in quibusdam instrumentis hujus anni appellatur tantum abbas, non episcopus, ut & in aliis anno 1517. Cum autem anno 1518. ut pœnitentiarii pontificii subdelegatus quælibet crimina absolvendi sibi arrogaret facultatem, a senatu Tolosano damnatus in carcerem detruditur. Tolosæ vitam finivit 3. Jun. an. 1521.

XLVI. Gisardus vel Gerardus de Corneliano sancti Tiberii monachus, mortuo Johanni fratrum suorum suffragiis subrogatur mense Junio 1521. at frater Guillelmus de Lanjac ad præsentationem regis instituitur abbas bulla pontificia, & dies datur monachis, quo in magno consilio sua privilegia pro eligendo abbate repræsentent. His visis de consensu Guillelmi de Lanjac consilium magnum confirmavit Gisardi electionem senatusconsulto dato die 23. mensis Febr. 1521. (anno ab Annunciatione inchoato.) Gisardus anno 1533. obtulit bonorum monasterii censum die 3. Maii commissario regio. Perfectam anno 1535. basilicam v. calend. Augusti solemni ritu sacrari curavit, eamque varia supellectile ditavit. Anno 1539. tonsuram clericalem contulit Petro Pi monacho sancti Tiberii. Hoc autem anno præter abbatiam S. Tiberii erat simul magnus prior S. Pontii, vicariusque generalis episcopi Tomeriensis. Die 10. Augusti an. 1543. morte interceptus, incredibile sui desiderium piis omnibus reliquit.

XLVII. Jacobus de S. Felice, qui vicus est diœcesis Leutevensis, Montilii parochus in diœcesi Caturcina, vi collationis subreptitiæ percepit fructus abbatiæ sancti Tiberii a die 30. Jun. an. 1543. at die 5. Octobr. an. 1545. obtinuit a summo pontifice novum diploma cum absolutione pro fructibus indebite perceptis. Die 28. Jan. an. 1553. transigit cum monachis & definit quotidianas distributiones & numerum viginti monachorum, qui debent esse in monasterio. Die 21. Sept. anno 1559. existens in castello de S. Felice constituit procuratores, qui peterent a rege christianissimo facultatem renunciandi abbatiæ in manibus papæ in favorem Jacobi de S. Felice fratris filio legum doctoris, sed utrum votis potitus sit, nemo scit. Obiit alteruter mense Februario anno 1562. quo circiter tempore syndicus S. Tiberii adiit vicecomitem de Joyeuse, eique significavit abbatis mortem, & petiit monachis provideri de alimentis.

XLVIII. Ludovicus de Flavin commendatarius occurrit in chartis an. 1565. 1569. 1575. 1585. Monasterium a Calvinistis anno 1571. pessumdatum ingemuit, fereque solo æquatur hæc sacra domus. Nullum habuit legitimum successorem Ludovicus usque ad annum 1603. nam de Michaele d'Arles personato abbate, qui Julio Montmorencio duci patrono suo nomen commodavit, ut ita fructus abbatiæ perciperet, pudet quidquam dicere.

XLIX. Franciscus Boier urbe oriundus Biterrensi, sancti Tiberii monachus, successive præcentor, eleemosynarius, & vestiarius, abbas renunciatur bulla pontificia data VI. cal. Septembr. an. 1603. & a Bernardo de Podio episcopo Agathensi benedictionis munus accepit 20. Jun. an. 1604. & possessionem iniit eodem anno. Finem vivendi fecit 29. Augusti an. 1635. ætatis 80. sepultus ante majus altare.

L. Mauricius de Bruslet d'Andelot monachus pontificium diploma obtinuit XVII. calend. Jan. an. 1636. possessionem tamen non iniit ante diem 12. Aprilis an. 1642. propter varia impedimenta, orta maxime ex abdicatione facta a Francisco Boier. Statim tentavit Mauricius monachos ad vitæ regularis observantiam revocare: sed cum surdis se loqui experiretur, cum monachis congregationis sancti Mauri convenit anno 1643. quos 12. Octobr. 1647. in possessione monasterii collocavit. Cum oppidanis litem habuit anno 1658. pro dominio S. Tiberii, cujus possessionem iniit 14. Augusti anni ejusdem. Aderat anno 1679. quando Petrus de Bonzy cardinalis abbas Anianensis basilicæ novæ primum lapidem posuit. Redemit villas, jura revocavit, ædibus meliorem formam restituit, nitorique suo basilicam reddidit. Obiit optimus abbas an. 1698.

LI. Petrus-Ludovicus Houdiart cantor regiæ

musices designatur abbas S. Tiberii 29. Martii 1698. in Paschate, defunctus an. 1703.

LII. Guillelmus Nicolaus de Paris illustri inter togatos editus stirpe die 15. Aprilis 1667. parentes habuit Franciscum in curia rationum regiarum præsidem & Mariam du Fos. Vota publice emisit in monasterio Caroli loci Cluniacensis ordinis: tum postea a rege nominatur præpositus Cambonii, tandem abbas S. Tiberii die 14. Aug. 1703. Obiit die 8. Oct. 1730.

LIII. Claudius Simonnot Cabilonensis, monasticen professus est in cœnobio Parisiensi ordinis Cisterciensis in diœcesi Basileensi an. 1686. ubi cum subprioris primum & cellerarii munera diligenter obiisset, alter ab abbate suffectus est prior anno 1706. tum totius diœcesis Basileensis syndicus anno 1708. His autem adimplendis muniis intentus, rege consentiente abbatia Uterinæ vallis in diœcesi Spirensi diplomate pontificio donatus est anno 1727. hancque pacifice regebat, cum baro de Sickinguen cambellanus Electoris Palatini vi novæ cujusdam collationis sub titulo præpositatus sibi ab Electore factæ litem ipsi intentavit. Interim in locum Guillelmi Nicolai nuper defuncti Claudius abbas S. Tiberii nominatus a rege XI. Novembr. 1730. bullas obtinuit XI. Oct. 1731. Solemnem recepit benedictionem 19. Oct. 1732. ab episcopo Cabilonensi, possessionemque iniit 9. Dec. anni ejusdem.

VALLIS MAGNA.

VALLEMAGNE.

Monasterium B. Mariæ de Tortoreira, seu de Valle magna monachorum olim Caduinensium, & post Cisterciensium, filia Bonarum vallium de linea Cistercii, in diœcesi Agat. situm in territorio Tortoreiræ, non longe a castris Mesuæ & Caprariæ distat. Fundatores agnoscit Guillelmum Frezol, & Ermesindem ejus uxorem, eorumque liberos, ac Berengarium Rustan, ejusque uxorem Amadam, Petrumque de Pradines, qui anno 1138. Fulconi abbati B. Mariæ de Ardorello diœcesis Castrensis cesserunt quidquid apud Tortoreiram habebant ad ædificandum inibi cœnobium, ut discitur ex eorum charta in instrumentis relata. Fundationem anno sequenti ratam habuit Raimundus Agathensis antistes, G. Caduinensi in diœcesi Sarlatensi, & Fulconi Ardorelli abbatibus facultate concessa monasterii in honorem B. Mariæ construendi in loco, qui Vallis magna appellatur.

Ch. VIII. col. 319. Ch. IX. col. 320.

Statim ab abbate Fulcone fundata hæc domus, subjecta fuit immediate Ardorellensi, mediate vero Caduinensi, tanquam capiti, quod & ipsum Ardorellum agnoscebat. Caduinenses autem, sicut & Ardorellenses monachos, licet ad instar Cisterciensium vitam agerent, nulla tamen cum Cisterciensi ordine societate junctos tunc fuisse non obscure probant Eugenii papæ III. litteræ ad Guidonem Bonarum vallium abbatem, quibus eum hortatur, ut fratrum Vallis magnæ votis obsecundet, qui ordinem Cisterciensem suscipere peroptabant. His accessit Caduinensis abbatis consensus, qui pro devotione quam erga Cisterciense monasterium gerebat, duo juris sui monasteria Ardorellum & Vallem magnam ipsi contulit, *ut secundum ipsius institutionem vitam & habitum reformarent.* Abbas Cisterciensis admissa donatione, monasterio Bonarum vallium utramque subjecit domum: sed cum huic postmodum dono resilire vellet abbas Caduinensis, amica compositione Ardorellum Caduino restituitur, Vallis vero magna Bonis vallibus unita permansit. Hanc compositionem postea ratam habuit Adrianus papa IV. cujus & Eugenii III. litteras & abbatis Caduinensis cessionem in appendice reperies.

Ch. XII. col. 322. Ch. XIV. col. 324. Ch. XV. col. 325.

Peperit hoc nobile Vallis magnæ cœnobium abbatias Nitidi loci sanctimonialium in diœcesi Agathensi, de qua postea, Ulmeti in diœcesi Arelatensi & Silvæ regalis in eadem diœcesi, quæ quidem aliquanto tempore exstitere; at variis actæ casibus, iisque quasi obrutæ, Vallemagnensi, a qua prodierant, iterum adjunctæ fuerunt, ut jam vidimus alibi.

Seriem autem abbatum ad fidem instrumentorum cœnobii Vallemagnensis contexuimus, ut sequitur.

ABBATUM SERIES.

I. Fulco Ardorelli abbas, primus & abbas Vallis magnæ merito censendus est, cujus pater fuit & auctor. Memoratur in chartis Guillelmi Frezol & Ermesindis ejus uxoris, &c. Raimundi Trincavelli vicecomitis Biterrensis, Guillelmi de Omelas, Bernardi Guillelmi de Monte Baseno, Adalaidis de sancta Eulalia, Petri Willelmi de Montepessulano, Deodati de Pereto, Raimundi Bernardi de Gabiano, Bernardi & Raimundi de Marcelliano, qui omnes Fulconi abbati Ardorellensi quidquid possidebant seu ratione dominii aut in territorio Tortoreiræ anno 1138. concesserunt ad construendum Vallemagnense cœnobium. Occurrit adhuc an. 1140.

Ch. VIII. col. 319.

II. Petrus I. Rodulfi dictus in nonnullis chartis, quem e monacho Ardorellensi a Fulcone Vallis magnæ abbatem creatum vult D. Claudius Etiennot, sedebat jam anno 1146. Trincavella filia Ceciliæ vicecomitissæ Biterrensis dedit ei plura apud Mesuam anno 1147. Exstat in archivis Vallemagnensibus breve Eugenii papæ III. ad Petrum abbatem Vallis magnæ, quo ipsius monasterium sub sua & sancti Petri protectione suscipit, & concessa confirmat. Datum Remis XV. cal. Aprilis indict. XI. pontificatus anno 4. Petrus de Pedenatio Petro abbati Vallis magnæ dedit *molturam* in molendinis suis anno 1151. Reperitur & 1153. in instrumento Guillelmi de Duabus virginibus, & 1155.

III. Ermengaudus I. Petro suffectus præerat anno 1155. quo abbatia Vallis magnæ a Caduinensi & Ardorellensi absoluta, congregationi Cisterciensi adjungitur, ipsomet concedente R. abbate Caduinensi. Occurrit anno 1156. in charta Petri de Missangues, 1158. in instrumento Hugonis del Poget. Eidem anno 1159. Hugo Villæ magnæ abbas libertatem in Villa magna concedit præsentibus Berengario Narbon. archiepiscopo,

Ch. XIV. col. 324.

Guillelmo Biterrensi, & Petro Leutevensi episcopis. Eo circiter tempore Adrianus papa IV. confirmavit unionem Vallis magnæ monasterio Bonarum vallium factam. Accipit Ermengaudus ab Albrando ejusque uxore Guillelma prædium, in quo construxit domum pro monachis & conversis, quam abbas Vallis magnæ administraret cum consilio Albrandi & successorum ejus. Actum mense Dec. an. 1161. Eodem anno testis reperitur in donatione facta mense Martio monachis Francarum vallium. Alexander papa III. brevi apostolico dato apud Montempessulanum VI. cal. Julii indict. X. pontificatus anno 3. confirmavit ecclesiam de Bessaria, quam venerabilis Guillelmus Albiensis episcopus intuitu pietatis cœnobio Vallemagnensi concesserat, monasteriumque strictius congregationi Cisterciensi adjunxit. Raimundus Trincavellus Biterrensis vicecomes dedit VII. id. eorumdem mensis & anni Ermengaudo omnes leudas & usatica de rebus Vallis magnæ per ipsius terram transeuntibus. Transigit anno 1165. cum Ugone abbate Conchensi, a quo quasdam decimas accepit. Eodem anno testis nominatur in charta Raimundi Trincavelli vicecomitis Biterrensis Pontium abbatem Salvanesii a leuda in terra sua eximentis. Guido filius Sibillæ & Guillelmi Montispessulani dedit ei mansum situm in parochia de Colons anno 1166. Beatrix de Omelas eodem anno Valli magnæ concessit medietatem honoris de Creiz. Quam fecerat donationem anno 1166. Guido confirmavit anno 1169. in manu Ermengaudi abbatis, qui præfuit ad annum 1171. quo denatus est: at obitus diem ignoramus; excidit enim necrologium hujus domus.

Ch. XV. col. 325.

Ch. XVI. col. 326.

Ch. XXVI. col. 194.

IV. Amedeus I. abbas Vallis magnæ memoratur in tabulis anno 1171. & 1173. quo donationem illi fecit Raimundus Agathensis episcopus.

V. Johannes I. recensetur annis 1173. & 1174. quo Guido filius Guillelmi Montispessulani ei largitus est molendina de Paoillano. Raimundus comes Tolosæ dedit ei omne *peagium* & usaticum in terris suis anno 1175. Rostagnus de Poscheriis & Guillelmus Arnaldus fratres dederunt ei pro remedio animarum suarum grangiam de Ortis cum appendiciis anno 1176. quo Raimundus Rostagni vitæ sese addixit monasticæ in Vallemagnensi cœnobio. Anno 1177. Guido Guerregiatus suum condidit testamentum, quo plurima Valli magnæ legat, Johanne tunc abbate, qui testamento sigillum testis apposuit. Anno 1178. Sibilla filia Petri Guillelmi de Monteferrario uxor Raimundi de Castronovo dedit Valli magnæ nonnulla apud Vairacum, ubi & domum pauperum secundum ordinem Cisterciensem ædificaturam se pollicita est: huic vero Johannes abbas concessit sepulturam in cœmeterio Vallis magnæ. Memoratur adhuc in charta Seguinæ de Pagriano anno 1179. quo defunctus videtur.

VI. Amedeus II. Vallis magnæ legitur abbas anno 1179. quo Bernardus Ato vicecomes Agathensis totum illud Vallemagnensibus largitus est, quod in loco de Tortoreira acquisierant. Arbitro Bernardo Biterrensi episcopo transegit cum Johanne Magalonensi anno 1180. pro quibusdam decimis. Bernardus Gerardusque de Capraria vendiderunt Amedeo abbati anno 1182. honorem villæ de Vairaco. Concessa Valli magnæ confirmavit eodem anno eidemque abbati Petrus Agathensis episcopus. Imbertus de Capraria multa cessit apud Caprariam & Tortoreiram an. 1183. Quasdam huic monasterio factas donationes Amedeo sedente confirmavit Bernardus Narbonensis archiepiscopus anno 1185. quo Petrus de Parietibus Biterrensis sancti Jacobi abbas Amedeo donavit quidquid habebat in terminio de Ortis. Exstat in tabulis Vallemagnensibus breve apostolicum Lucii papæ III. ad Amedeum, quo Vallis magnæ monasterium sub sua suscipit protectione, prædiaque enumerat & confirmat, datum Veronæ cal. Julii indict. IV. pontificatus anno 4. Monasterium S. Fidis de Palatio, quod S. Fidi de Conchis Garsinda comitissa ineunte sæculo XI. subjecerat, Amedeo ordinandum concessit Guiraudus abbas Conchensis anno 1189. Præsens legitur in concordia anno 1190. inter Raimundum episcopum Leutevensem & Bernardum abbatem Fontis frigidi inita. Jus idem, quod Johanni decessori, Amedeo concessit Raimundus comes Tolosæ litteris apud Clarum montem datis anno 1191. Occurrit & 1193.

VII. Johannes II. reperitur abbas Vallis magnæ anno 1195. quo Guillelmus Montispessulani & Paoillani dominus professus est Guidonem Guerregiatum patruum suum dedisse monasterio Vallis magnæ quatuor molendina in territorio de Paoillano.

VIII. Petrus II. de Altuno e monacho abbas, Vallis magnæ curam agebat anno 1195. quo Raimundus de Mesua aliique ejusdem castri milites ei locum dederunt apud Mesuam ad ædificandam domum, prout ordinem Cisterciensem decet. Anno 1197. Hugo de Foderia abbas Gellonensis cedit ei sub certis oneribus ecclesiam S. Petri de Fonte martio.

IX. Ermengaudus II. ex schedis DD. Baluzii & Estiennot partem decimæ sancti Albani de Columberiis a Raimundo Agathensi episcopo dono accepit anno 1197.

X. Petrus III. præsens nominatur anno 1201. in concordia abbatem de Ulmeto inter & abbatissam S. Cæsarii. Memoratur adhuc annis 1202. & 1203.

XI. H. Vallis magnæ abbas vocatur a Guillelmo Magalonensi episcopo ad reconciliandos discordantes Petrum regem Aragonum & cives Monspelienses VI. cal. Novembr. 1206. ita hist. Occit. tom. III. prob. col. 204. nisi forte hæc prima nominis littera male scripta fuerit, lectumque H. pro P. nam

XII. Petrus IV. emit anno 1206. permutavit 1207. Bernardus de Andusia miles concessa a majoribus suis Valli magnæ Petro abbate confirmavit & sub sua monasterium protectione suscepit, filiumque Marquisium monachum fecit an. 1208. Occurrit adhuc Petrus anno 1211.

XIII. Bernardus a Costa, familia ortus perillustri, Vallis magnæ abbas benedictus fuit XI. Aprilis 1211. quo Guillelmus Montispessulani dominus concessa a Guidone patruo Valli magnæ confirmavit. Interfuit concilio Narbonensi anno 1212. & composuit arbiter litem quæ inerat inter Guillelmum Ricardi & Ricardum de Foderia fratres & abbatem Gellonensem.

XIV. Stephanus I. legitur abbas anno 1216. & sequenti. Petrus Bertrandi donum Petri Bermundi patris sui confirmavit anno 1216. qui Ermengaudo abbati villam sancti Martini de la Guarrigue & pascuaria in Valgarinda largitus fuerat.

XV. Guillelmus I. de Liecan jam Vallemagnensi cœnobio præerat anno 1217. notus ex pactis ipsum inter & Petrum de Leyssac abbatem sancti Guillelmi de Deserto initis pro fonte Martio an. 1217. & 1218. Regebat adhuc 1222.

XVI. Raimundus de Montaignac e familia hujusce nominis nobili natus e monacho abbas Vallis magnæ adstitit capitulo monachorum nigrorum provinciæ Narbonensis apud S. Tiberium auctoritate apostolica pro reformatione ordinis congregato VII. id. Dec. an. 1226. Jacobus rex Aragonensis dominus Montispessulani concessa a patre suo & Maria matre Raimundo abbati confirmavit an. 1228. Insequenti pepigit Raimundus cum Antonio abbate Salvanesii pro Camers. Biennio post concordiam iniit cum Thoma Antonii successore an. 1231. Tedesius Agathensis episcopus dedit ei piscaturam apud Mesuam anno 1233.

XVII. Amedeus III. memoratur abbas Vallemagnensis anno 1234. Paucis forte mensibus sedit, nam

XVIII. Petrus V. Raimundi *al.* Raimundus jam regebat Vallem magnam 1235. Suscepit anno 1239. in sorores Vallis magnæ nobiles domicellas Ermesindem de Meze & Saurinam de Chaux.

XIX. Arnaldus I. 1242. idem forte ac sequens.

XX. Rigaldus abbas legitur Vallis magnæ anno 1244. quo vice Zoëni episcopi Avenionensis sedis apostolicæ legati Conchense monasterium visitavit, in quo reformandæ pacis ergo nonnulla ad victum monachorum infirmorumque spectantia statuit, reliquis prudentiæ Willelmi abbatis relictis. Convenit eodem anno cum Petro episcopo Agathensi pro litigiosis apud Mesuam.

XXI. Bertrandus d'Auriac e monacho abbas permutavit cum Pontio de Stagno priore Cassiani anno 1245. Convenit eodem cum Guillelmo abbate Gellonensi pro litigiosis in ecclesia & decimis sancti Petri de Fonte martio. Transegit cum eodem abbate anno 1250. Huic Petrus Agathensis episcopus dedit facultatem ædificandæ ecclesiæ apud Vallem magnam an. 1257. Reperitur & 1261. Eo sedente Jacobus rex Majoricarum, Aragoniæ, Valentiæ, comes Barcinonæ & Urgelli, dominus Montispessulani cedit ampliando collegio cœmeterium Judæorum.

XXII. Hugo memoratur abbas Vallis magnæ annis 1263. 1266. 1269. & aliis.

XXIII. Johannes III. erat abbas anno 1274. quo Jacobus rex Aragonensis dedit pontem Lunelli & alia multa Valli magnæ. Anno 1275. in capitulo generali Cisterc. ordinis visitationes omnium filiarum Bonæ vallis abbati Vallis magnæ committuntur, usque dum a capitulo revocetur.

XXIV. Arnaldus II. de Pouzols ex inclyta stirpe toparcharum de Pouzols trahens originem, Valli magnæ præfectus occurrit an. 1277. Ejus temporibus an. 1283. Aldebertus Follifollensis abbas in diœcesi Diniensi se suosque ac suum cœnobium Arnaldo abbati Vallemagnensi & successoribus ejus subjecit. Occurrit anno 1285. in charta Boscoduni, regitque ad annum circiter 1295.

XXV. Pontius Maurini Vallis magnæ abbas instituitur anno saltem 1297. Emit an. sequenti ab illustri domina Adelaide feudum cum suis pertinentiis, quod possidebat apud Pedenatium. Pontio abbate Vallemagnensi unita fuit Silvæ regalis abbatia Valli magnæ decretis capitulorum generalium Cistercii annorum 1299. 1306. 1308. unde & hoc anno & annis 1310. & 1313. Pontius in chartis inscribitur abbas Vallis magnæ & Silvæ regalis. Anno vero 1319. factus est abbas Grandis silvæ & præfuit ad annum XI. pontificatus Johannis papæ XXII. hoc est ad an. 1325. ex actis Pontif. Avenion.

XXVI. Berengarius Barsini *al.* Raffini abbas eligitur anno 1319. Insequenti fidem & hominium præstitit domino episcopo Agathensi. Confirmavit die 17. Maii 1322. sententiam latam ab arbitris electis controversiarum inter monachos Silvæ regalis & villæ de Mari. In hac sententia vocatur B. Dei gratia abbas monasterii Vallis magnæ & etiam conventus monasterii Silvæ regalis. In hunc abbatem scripti sunt libelli, quos damnavit Johannes papa XXII. bulla data pontificatus anno VI.

XXVII. Petrus VI. recensetur abbas Vallis magnæ in judicio ab arbitris lato inter conventum Magnæ vallis & universitatem villæ de Mari 26. Februarii 1339. rexit ad annum 1342. aut circiter.

XXVIII. Guillelmus II. sedet annis 1343. 1344. 1349.

XXIX. Arnaldus III. Vallis magnæ abbas an. 1349. Idem videtur ac Arnaldus de Luserna quondam abbas Vallis magnæ anno 1407. in chartis Agathensibus.

XXX. Guillelmus III. Petro Agathensi episcopo jurat obedientiam die 17. Jun. 1352.

XXXI. Azemarius præerat cœnobio Vallemagnensi annis 1353. 1355. 1360. ad annum 1362.

XXXII. Petrus VII. regit Vallis magnæ asceterium annis 1362. 1366. & aliis ad annum 1375. aut 1376.

XXXIII. Guillelmus IV. Guitard pedum gerit Vallis magnæ an. 1377. Insequenti debitam reverentiam ac fidelitatem præstitit domino Agathensi

episcopo pro cœnobio suo aliisque fundis ad ipsum pertinentibus. Memoratur adhuc an. 1383. 1386. 1402.

XXXIV. Johannes IV. abbas Vallis magnæ anno 1412. Philippo episcopo promittit obedientiam die 19. Mart. 1420. Occurrit & 1422.

XXXV. Guillelmus V. Vallemagnensis cœnobii abbas anno 1426. Ad feudum dedit grangiam de Ortis an. 1436.

XXXVI. Johannes V. de Guers in authenticis nonnullis recensetur an. 1455. 1461. Dat censum bonorum suorum anno 1464. Carolo episcopo promittit obedientiam an. 1465.

XXXVII. Johannes VI. Picaud Johanni denato sufficitur, sed quo anno chartæ non docent, cum in plerisque nomen tantum, non cognomen scribatur. Occurrit anno 1472. Præfuit ad 1476.

XXXIII. Arnaldus IV. de Lausieres, de gente dominorum de Lausieres nobili in Occitania, protonotarius erat apostolicus, cum abbatiæ Vallemagnensis bullas obtinuit an. 1477. primus, ni fallor, commendatarius. Anno 1490. Valli magnæ adjunctum fuit cœnobium monialium de Nitido loco, cujus ratione unionis viginti libras Turonenses pro perpetua eleemosyna monasterio de Nitido loco a Ludovico IX. Francorum rege concessas recepisse legitur Arnaldus die 8. Aug. an. 1497. in chartis authenticis D. de Gagneres. Idem an. sequenti ibidem testatur, nisi quod loco Vallis magnæ diœcesis Agathensis se dicit abbatem Villæ magnæ diœcesis Biterrensis, sed error est, tunc enim temporis certo certius est Tristanum de Thesano a monachis electum Villæ magnæ præfuisse. Francisco fratri pedum cessit Arnaldus anno 1506.

XXXIX. Franciscus de Lausieres, Arnaldo germano pedum cedente, recens promotus administrator Vallis magnæ dicitur anno 1506. Possessionem iniit IX. cal. Augusti anni ejusdem, vicissimque nepoti postea & ipse cessit.

XL. Robertus II. de Lausieres Francisco suffectus commendam habebat anno 1556.

XLI. Antonius de Villeneuve Vallis magnæ commendatarius a rege facultatem impetravit abdicandi in gratiam Aymerici de S. Severin episcopi Agathensis anno 1563. Eo sedente dura pertulit domus Vallemagnensis a neotericis & prædonibus Occitaniam devastantibus.

XLII. Vincentius Concombet de S. Severin gente nobili hujusce nominis natus, cedente Antonio de Villeneuve, accedentibusque summi pontificis regisque christianissimi brevibus, commendam habet Vallis magnæ anno 1571. ad 1577. a christiana religione perfuga ab anno 1574.

XLIII. Petrus VIII. de Guers e stemmate toparcharum Guersii in Septimania præpotenti oriundus, abbatiæ Vallis magnæ bullas obtinuit anno 1578. Possessionem iniit sequenti. Memoratur & annis 1583. 1590. & aliis ad annum 1603.

XLIV. Stephanus II. de Verger Piscenensis, Vallis magnæ commendatarius occurrit annis 1603. 1607. Biennio post Marco Antonio de Laurens domino de Andrias toparchiam de Fore cum jurisdictione dedit in feudum die XI. Dec. 1609. Præerat adhuc anno 1613.

XLV. Guillelmus VI. de Marion Biterrensis, quæstorio patre natus, nominatur a rege anno 1613. Commendam habet Vallemagnensis asceterii ab anno 1614. quo in possessionem inducitur die 10. Februarii.

XLVI. Henricus de Thesan de Sazes, e stirpe de Thesan nobili natus, fit commendatarius Vallis magnæ per resignationem Guillelmi anno 1628. Senatusconsultum obtinuit adversus Felicem monialem Cisterciensem quæ Nitidi loci instaurationi instabat 20. Augusti 1636. Transegit cum universitatibus Arelatensi & de Mari die 23. Maii anno 1644. pactum autem rescissum postea fuit a majore consilio.

XLVII. Victorius de Siri Italus commendatarius a rege nominatus, a summo pontifice confirmatur an. 1670. cedit tandem eminentissimo cardinali de Bonzi jam prius a rege nominato.

XLVIII. Petrus IX. de Bonzi S. R. E. cardinalis, archiepiscopus Narbonensis, abbas Anianæ, sancti Salvatoris Leutevensis & Mortui maris, Vallis magnæ jam erat commendatarius an. 1680. Ædes abbatiales ampliavit & cultiores reddidit, prædia dispersa recuperavit, privilegiaque illæsa tuitus est. Sororis filio die 5. Oct. 1697. commendam resignavit, faventibus rege simul ac summo pontifice.

XLIX. Armandus Petrus de la Croix de Castries, filius Renati Gaspardi de la Croix marchionis de Castries, equitis torquati, Occitaniæ proregis vices gerentis, gubernatoris urbis arcisque Monspeliensium, ex Isabella de Bonzi sorore Petri de Bonzi cardinalis, doctor facultatis Parisiensis, majorque archidiaconus Narbonensis erat, cum cedente avunculo ad commendam Vallemagnensem appellatus est die VIII. id. Nov. 1697. quo & sancti Theofredi commendam eodem modo obtinuit. Possessionem per procuratorem adiit 6. Septembr. 1698. Die 18. Decembris ejusdem anni nominatur ordinarius ducissæ Burgundiæ eleemosynarius. Primus postea ducissæ Bituricensis ab eleemosynis, ad metropolim Turonensem evectus a rege, transiit inde ad Albiensem, nominatus 5. Dec. 1719.

Abbatia B. Mariæ de Nitido loco.

Nitidus locus, seu B. Mariæ de Nitido loco monialium ordinis Cisterciensis cœnobium fuit, cui Raimundus de Mesua, Pontius ac Berengarius de Mesua milites initium aliquod dedisse videntur. Hi enim anno 1195. Petro de Altuno abbati Vallemagnensi cesserunt in castro de Mesua locum aptum, in quo domum ædificaret, prout ordini Cisterciensi congruit: verius tamen Guillelmus de Leuteva miles hunc parthenonem fundasse dicitur in litteris S. Ludovici, cujus in cœmeterio moriens sepulturam elegit & multa legavit testamento condito VIII. id. Sept. 1248.

1248. Abbas autem Vallis magnæ juxta castrum in loco, quem Nitidum appellavit, parthenonis fundamenta jecit, in quo moniales bene multas aggregavit, quibus & abbatissam præfecit. Inter benefactores hujus domus numerantur, præter Guillelmum, Guido de Levis dominus de Mirepoix, Francorum regina Blancha mater sancti Ludovici, & ipse S. Ludovicus qui mense Aug. 1248. donavit 20. libras Turon. annui reditus, litteris jam memoratis, quas nuper offendimus. *Carolus Dei gratia Francorum rex, notum facimus nos vidisse, &c. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex, notum facimus, quod nos ob remedium animæ nostræ & animarum inclitæ recordationis regis Ludovici genitoris nostri, carissimæ dominæ & matris nostræ reginæ, & aliorum antecessorum nostrorum dedimus & concessimus in puram & perpetuam eleemosynam ecclesiæ B. Mariæ de Nitido loco Cisterciensis ordinis in diœcesi Agathensi sitæ, quam dilectus & fidelis noster Guillelmus de Lodeva fundavit, & monialibus ibidem Deo servientibus, XX. libras Turonenses annui redditus percipiendas annuatim in pedagio nostro Biterrensi in festo Nativitatis sancti Johannis Baptistæ, pro vestimentis emendis ad opus monialium prædictarum. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, &c. Actum apud Nemausum anno Incarnationis Dominicæ MCCXLVIII. mense Augusti, regni vero nostri anno XXII. astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo, &c. Quas quidem litteras, &c. gratas habentes, ipsas approbamus, &c. Datum Parisiis anno Domini MCCCLXXXVIII. mense Julii.* Benefactorum donationes confirmavit Innocentius papa IV. cœmeteriumque ad quasdam personas sepeliendas apud Nitidum locum concessit. Tandem anno 1490. abbas Clarevallensis in actu visitationis hanc abbatiam propter miserrimam monialium, quæ supererant, conversationem penitus exstinxit, & in Valle magna, a qua prodierat, iterum obvolvit. Exstant hactenus hujusce domus rudera; quantaque olim fuerit, tanta ruina docet. Hanc aliquando relevare tentavit Felixia monialis Cisterciensis, sed incassum: causa enim cecidit senatusconsulto in gratiam abbatis Vallemagnensis dato 20. Augusti 1636. Abbatissarum nomina quæ sequuntur in chartis Vallemagnensibus aliisque tabulariis occurrerunt.

I. N. Nitidi loci abbatissa anno 1295. clientelam professa est episcopo Agathensi pro acceptis a domino de Leuteva apud Marcellianum.

II. Johanna I. anno 1301. fidem facit episcopo Agathensi pro his quæ ipsius cœnobio legaverat apud Marcellianum Guillelmus de Leuteva.

III. Adalaissa Nitidi loci abbatissa an. 1349. nonnulla acquisivit apud Pedenatium. Regebat adhuc anno sequenti, quo moniales de Nitido loco tam præsentes quam futuras generalis præfectus fratrum Prædicatorum bonorum operum, quæ fiunt in ordine suo, in perpetuum participes effecit.

IV. Johanna II. domino Hugoni Agathensi episcopo fidem juravit pro feodo, quod a Guillelmo de Leuteva dono monasterio facto tenebat anno 1391.

V. Marina de Ligons abbatissa Nitidi loci occurrit die 26. Augusti anni 1436. in chartis authenticis D. de Gagneres.

VI. Gausida abbatissa 28. Dec. 1438.

VII. Margarita Aimona jam anno 1452. & adhuc 1457. & 1477. qua sedente pene ad interitum vergit cœnobium Nitidi loci.

VIII. Ludovica de Panat, quam abbas Claræ vallis visitans hoc monasterium, dignitate privavit anno 1490. ipsumque abbatiæ Vallemagnensi, a qua exierat, & cui suberat, omnimode adjunxit cœnobium.

ECCLESIA MAGALONENSIS, *modo* MONSPELIENSIS.

MAGUELONNE.

MAGALONA in finibus Volcarum Arecomicorum sita urbs, mari undique cincta, Theodulfo teste, in parænesi ad judices v. 133.

Hinc Magalona habuit lævam, Sextatio dextram:
Hic scabris podiis cingitur, illa mari.

Unde Josepho Scaligero insula Magalo, arctaque in pelago insula Sugerio in libro de gestis Ludovici Crassi regis Francorum, eadem forte ac Alonis insula, & urbs Massiliensium Stephano περὶ πόλεων ex Artemidoro memorata. Inter Occitaniæ urbes mercaturis nulli fere cessit antiquitus, piratisque maria deprædantibus frenum imposuit, unde stationem navibus tutam, urbem opulentam, civesque generosos fuisse concluditur. De antiquitate vero cum reliquis Occitaniæ urbibus non certat, & merito quidem: Magalonæ enim nulla in vetustissimis notitiis, illam puta, quam Honorii Augusti principatu compositam ferunt, fit mentio, nec ullum ante Wisigothorum imperium, a quibus condita creditur, occurrit vestigium. Hujus primum meminere quatuor notitiæ provinciarum ac civitatum Galliæ posteriores, quarum in una civitas Magalonensium inter civitates Narbonensis primæ ultimum, in ceteris vero sextum a Narbona obtinet locum. In divisione diœceseon facta in concilio Toletano XI. anno 675. a rege Wamba, secundo ponitur loco. Cum autem Gothis ab initio paruerit Magalona, non mirum episcopos conciliis jussu regum Wisigothorum Toleti in Hispania habitis interfuisse ac subscripsisse. Deleto eorum imperio, cum Saracenorum id invadentium Magalona commune perfugium foret, ac receptaculum, quo navigiis ex Hispania & Africa delati appellebant, unde totam late vastabant Septimaniæ regionem, Carolus Martellus his cæsis

fugatisque; Magalonam quoque ut ab hac peste Galliam purgaret, vi expugnavit, & ne iterum reverterentur, usque ad fundamenta destruxit anno 737. quam Pipino filio postea largitus est, qui eam comitis titulo tunc tenebat Gothus pater sancti Benedicti Anianensis.

Magalona a Carolo eversa, Magalonenses episcopi Sustantione sedem habuere, olim nobili nunc diruto loco, a Montepessulano mille passibus dissito, cujus in tabula Peutingeri Theodosiana & itinerario Æthici habetur mentio. Hanc itinerarium Jerosolymitanum Sostantionem corrupte, alii Sextantionem vocant, melius Theodulfus de quo supra, Sextationem nuncupat, quem scabris podiis, id est, montibus cinctum ait. Locus enim erat in praeruptis rupibus positus, quem una sui parte Ledi aquae alluebant. De ejus autem origine & nobilitate primis saeculis non constat, bene quidem post Caroli Calvi regnum comites suos habuisse, qui Magalonensibus episcopis inter alia insulam quoque, in qua prius sederant, postea donavere. Magalonam per trecentos annos desertam ac ruinis deformem tandem Arnaldus episcopus medio saeculo undecimo muris turribusque circummunivit, clausoque gradu quo Saraceni praedones ex Africa & Hispania Magalonam invadere ac in Septimaniam erumpere consueverant, alium non procul ab urbe navibus gradum exstruxit. Audiendus hac de re Verdala in annalibus. *Civitas Magalonae antea famosa & opibus ditissima apud veteres floruerat; erat enim ibi portus maris, vocatus portus Saracenorum usque in hodiernum diem, ad quem per gradum galeae liberum habebant ingressum, sed temporibus magni imperatoris Caroli, ipso jubente, destructa fuit, non in odium ecclesiae, sed ideo quod Saraceni ad ipsam per gradum habebant refugium, & castra seu oppida circumvicina, quae tunc erant modica, pro eo quod Monspessulanus nondum constructus fuerat, devastabant, quae civitas Magalona per Carolum funditus destructa, nec christianis habitaculum, nec paganis refugium exhibebat: sed quamvis pristini decoris honorem perdiderit, nomen tamen retinuit, & caput esse episcopii non reliquit. Destructio ergo hujus civitatis causa quare libri, regesta, instrumenta, privilegia & antiqua alia monumenta fuerunt pro majori parte perdita, & etiam dissipata, propter quod fundamenta hujus ecclesiae, seu gesta patrum praecedentium minime potuimus invenire. Tunc canonici saeculares numero XII. in eadem ecclesia existentes, ad civitatem Sustantionem, quae tunc juxta Castrum novum satis fortis existebat, confugerunt, & ibidem trecentis annis permanserunt; pauci clerici seu presbyteri, qui cantandi habebant officium in eadem ecclesia apud sanctorum reliquias, quae multae ac pretiosissimae ibidem & usque hodie servatae sunt, officiola sua celebrabant, & inde Magalonam rarissime pontifex accedebat; quae quidem desolatio per multa succedentium temporum & episcoporum curricula perduravit; nec aliquis qui manum praeberet extitit, sed suscitavit Deus sacerdotem fidelem, is fuit Arnaldus hujus nominis primus, qui dirutam Magalonensem ecclesiam reparavit.* Inibi autem permanserunt episcopi ad saeculum decimum sextum, quo Monspelium translata sede, Magalona praecipiti collapsa est ruina. Templum cathedrale in quo praesulum tumuli, superest adhuc integrum e ruina totius urbis ac propugnaculi, quae a multo tempore eversa sunt. Cum enim Magalona bellorum fato, aeris inclementia, civiumque paucitate inculta & pene deserta jaceret; Monspelium vero loco opportuno situm, puro aere, saluberrimisque perflatum ventis, Ledo fluvio vicinum, agri circumjacentes vino, oleo, tritico feraces, horti suavissimis floribus halantes, domus magnifico apparatu assurgentes, urbs denique in formam quadratam munita praesules & canonicos ad eam appetendam allicerent, maxime ut divino cultui commodius inservirent, Monspelium Magalonenses episcopos excepit an. 1536. translato Francisci I. regis assensu Magalonensi in Montempessulanum episcopio.

Haec quidem civitas a Magalona quinque circiter millia passuum distans, non tam antiquitate commendanda, quam praedictis titulis commoda, sede episcopali longe augustior facta, Monspelium, Monspessulus & Monspessulanus nunc vocatur. In veteribus documentis Monspistellarius, Monspislerius, & Monspelerius reperitur, nusquam autem Monspuellarum, ut qui sic dictam putant a duabus virginibus, iisdemque sancti Fulcranni sororibus, Sustantionensibus comitibus editis, quae saeculo decimo exeunte Montempessulanum & Montempessulanulum paterna rura Magalonensis ecclesiae & Ricuini Magalonensis episcopi adjecerunt dominio clientelari fide possidenda. Magalona autem a Carolo diruta & vicinis pagis, eorum incolae ad has arces geminas confugere, casasque humiles primum struxere, tum Sustantionis & Latarae huc quoque transmigrarunt cives, & adnitentibus maxime episcopis & comitibus Sustantionis, e ruderibus Magalonae aliarumque mox dictarum urbium ornatissimas apud Monspelium excitarunt domos, unde qui tenuis primum viculus, brevi in opulentissimum evasit, ut vocat Petrarcha, oppidum, totius Occitaniae inferioris caput, alteramque a Tolosa Septimaniae civitatem, ubi nunc quoque saepissime in comitiis sedent tres totius provinciae ordines. Ab antistitibus quorum legibus primum moderata civitas, transiit paulopost ad Guillelmum, cui eam cessit Ricuinus, totius Guillelmeae gentis principem: hac autem deficiente, dynastas habuit Aragoniae & Majoricae, tum Franciae reges, qui eam Navarreis cessere, a quibus eam tandem receperunt.

Innumeris reges Franciae Monspelium dotavere privilegiis. A sancto Ludovico strictioris sigilli conclavi insignita est: subinde accessere subsidiorum, computorum, quaestorum curiae, & praesidialis tribunalis sedes. Academia omnibus scientiarum titulis fulget, sed maxime medicina & jure civili. Erecta videtur circa finem duodecimi saeculi. Hujus tamen nonnulli repetunt originem ab eo tempore, quo Saracenis Hispania pulsis, medicina cum discipulis Arabum Avicennae & Averrois huc migravit. In horto regio extra urbem, plantae omnis speciei medicinae utiles diligentissime excoluntur. Doctissimi suo aevo consulti Placentinus, Azo, & Accursius publice apud Monspelium jus Romanum docuere: nunc quoque schola juris quatuor habet regios professores. Ceterae academiae partes

non ignobilem tenent locum. Plura enim habet gymnasia : amplissimum est ab Urbano II. pontifice maximo conditum & dotatum, alterum ab Henrico III. rege, tertium vocatur de Viridario, &c.

Quod pertinet ad res sacras, cathedralem D. Petro sacram, structura insignem, ex saxis prægrandibus in loco patenti constructam, a segregibus impio furore deletam fuisse aut incensam cum triginta quinque aliis ecclesiis an. 1561. notat Thuanus. Quinque supra quinquaginta aut intra moenia aut inter septa suburbiorum sacris ædibus urbem floruisse asserit Gariellus, pretiosis lipsanis ornatis, xenodochiis duodecim, & cœnobiis pluribus, quæ ab hoc tempore restaurari nondum potuere, præter paucas scilicet sancti Petri, beneficio Richelii cardinalis, qui anno 1629. Monspelium cum rege Ludovico XIII. profectus, urbe expugnata pecuniam assignavit, qua pristino decori restitueretur. Urbs sex in regiones seu sextantes dividitur. Quælibet ecclesiam olim habebat parochialem. Nunc vero tres tantum in urbe sunt parochiæ, S. Petri in cathedrali, B. Mariæ de Tabulis & S. Annæ: in suburbio autem ecclesia S. Dionysii nuper erecta est in parochiam. In tota diœcesi numerantur 107. parochiæ. Magalonensi seu Montispessulanensi diœcesi continentur præ ceteris Monspessulanus, Frontinianum, Fabricæ, Vicus, Lauretum, Lunellum, Melgorium, Aniana, & Sextatio. Diversis olim episcopus gaudebat privilegiis, jure præsertim cudendæ monetæ : sed nec omittendum Majoricæ regnum in feudo pependisse ab ecclesia Magalonensi, a qua rex Galliæ jus acquisivit vassalaticum, ut observat Carolus de Grassalio Carcassonensis tractatu de regalibus. Tertia quoque pars Monspelii urbis, dicta Rectoria, ad episcopum pertinebat, sicut etiamnum ad eum spectat comitatus Montis Ferrandi & Melgorii cum oppidis de Barrave, le Terrail, les Matelles, Murviel, pluresque alii pagi. In comitiis Occitaniæ locum habet suum. Ad capitulum pertinet vetus ecclesia Magalonensis, & Villa nova non longe distans. Viginti quatuor constat canonicis, e quibus præpositus, archidiaconi de Valentia & de Castriis, cantor, sacrista, eleemosynarius, & operarius totidem sunt dignitates. Canonicam ante translationem sancti Augustini regulam sequebantur, tuncque præpositus a priore capituli distinguebatur. At cum Monspelium an. 1536. in ecclesiam prioralem Benedictinorum S. Victoris demigrarunt canonici, utrique statum regularem exuerunt, ut sæcularem amplecterentur.

Abbatias non loquor, quarum post episcopos historiam conscribemus. Presbyteri Oratorii Jesu seminarium moderantur. Patres Jesuitæ juventuti erudiendæ dant operam. Sunt & aliæ domus religiosæ in urbe, Dominicanorum, Trinitariorum seu Maturinorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Capucinorum, duæ Ursulinarum & una monialium B. Mariæ Virginis a Visitatione: extra urbem vero sunt in suburbiis Religiosi, quos vocant Redemptionis captivorum, seu B. M. de Mercede, Carmelitæ discalceati, Franciscani strictioris observantiæ, Recollecti, & Moniales sancti Guillelmi, quæ S. Dominici tenent institutum.

Magalonensium episcoporum seriem primus scriptis mandavit Arnaldus de Verdala præsul & ipse Magalonensis. Catalogum quoque postea Catellus more suo Occitanicis suis inseruit. Petrus Gariel juris utriusque doctor in cathedrali Monspeliensi canonicus & decanus, vir de ecclesia sua bene meritus, pluribus abhinc annis hujus episcopatus historiam e veteribus, quæ post tot ac tantas clades supererant monumentis contextam edidit 1°. anno 1652. tum alteris curis anno 1665. opus affabre elaboratum, nisi quod oratio turget aliquando & inflata est. Hoc Nathanael Sothuel in bibliotheca Jesuitica pag. 108. Benedicto Bonnefoy ejusdem societatis alumno contra Monspeliensium omnium, qui Gariello familiarius usi sunt, fidem adscribit. De stylo forsan intelligendus Sothuel. Ex his aliisque tum manuscriptis tum editis documentis seriem nostram non undequaque perfectam, opere enim in tanto quî fieri potest ! conflavimus.

MAGALONENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI

I. Boetius.

Magalonensium præsulum coronam ordiemur, non a Simone, quem priorem statuit Gariellus : ubi enim nulla civitas, ibi nec episcopus affingi potest. Magalonam autem ante sæculum sextum inter civitates annumeratam non fuisse inter eruditos convenit.

Quæ Simonem e Magalonensium antistitum albo expunxit, hæc eadem expungeret Ætherium ratio, etiamsi aliunde manuscripti Savaronis, qua sola nititur episcopus auctoritate, vitium non innotesceret.

Sed nec Vincentio locum dederit, quicumque Arvernensis præsidis codicem attentius cum Quesnellio perlegerit.

S. Leon. t. 2. p. 864.

Viator autem qui synodo Braccarensi II. interfuisse scribitur anno 572. non Magalonensis, sed

A Magnetensis subscribit episcopus. Magnetum autem apud geographos urbecula quondam fuit episcopalis Hispaniæ Tarraconensis in Callaicis Braccariis, cujus mentio in conciliis Hispaniæ a cardinali de Aguirre editis tom. 2. pag. 319. 323. 678. ubi inter ecclesias Braccarensis suffraganeas in provincia Gallæciæ accensetur Magneto. Diruta postea urbe, episcopatus Portuensi unitus fuit. Locus etiamnum Manedo dicitur, estque viculus tenuis Portugalliæ in provincia Interamnensi.

Boetius itaque omnium quotquot Magalonæ sederunt præsules, si non primus, saltem eorum quos certo novimus antiquissimus jure ac merito B censendus est. Reccaredus Leuvigildi Gothorum in Hispania regis filius regnique heres post ejuratam Arianam hæresim concilium III. Toleti anno 589. celebrandum indixit, cui Boetius per

ANNI CHRISTI

Aguirr. t. 2. pag. 351. 589.

ANNI CHRISTI

Genesium subscripsit hac forma. *Genesius in Christi nomine archidiaconus ecclesiæ Magalonensis vicem agens domini Boetii episcopi subscripsi.* Eodem anno synodo Narbonensi ab eodem Reccaredo coactæ cum septem aliis provincialibus episcopis calculum adjecit suum. *Boetius in Christi nomine ecclesiæ Magalonensis episcopus in has constitutiones interfui & subscripsi.* Gerundam profectum Boetium, tum cum Reccaredus sancti Felicis tumulo regni coronam imposuit, post Gariellum tradunt Sammarthani.

Ibid. pag. 387.

II. GENESIUS.

Genesius vel Ginesius archidiaconus ecclesiæ Magalonensis sub Boetio, hujusce egerat vices in concilio Toletano III. ut diximus. Eidem subrogatus episcopus alteri synodo Toletanæ interfuit anno 597. Reccaredi regis XII. Genesii nomine concilio Toletano IV. anno 633. Stephanus archidiaconus signum vicarius apposuit, præsidente Isidoro Hispalensi singularis eruditionis antistite.

Ibid. pag. 417. 597. 633. *Ibid. pag. 493.*

Quidam post Genesium Eumerium aut Georgium præsulem Magalonensem Toletano in concilio VIII. sedisse volunt anno 653. sed Eumerius inter abbates tantum locum obtinuit; Georgius vero Agathensis antistes, non Magalonensis inscribitur.

Ibid. pag. 548. *Ibid. pag. 547.*

III. GUMILDUS.

Gumildus, qui & Guimildus, Wimildus ac Guimilus cognominatur, Genesium in fastis Magalonensibus excipit. Pseudopontifex Roderico, detestandus vero Juliano Toletano antistes Magalonam tenebat anno saltem 672. quo una cum Ramiro abbate, Hilderico Nemausensi comite, aliisque, qui Wambam recens electum regem nolebant, rebellibus socium se adjunxit. Horum perduellium furorem, qui cæde & incendio Galliam Gothicam vastabant, ut inhiberet rex Wamba, captis Narbona, Agatha, Biterris, Magalonam quoque appulit, cui terra marique cinctæ justus ultor imminebat: consternatus insperato belli nuncio Gumildus, de summa rerum diffidens, fuga se texit, desertoque grege, Nemausum ad Paulum tyrannidis principem confugit anno 673. De hoc Julianus Toletanæ sedis episcopus scribit: *In Magalonensi urbe Gumildus loci antistes cum ad obsidionem sui circumfusum videret exercitum, urbemque ipsam non tam ab his, qui per terras pugnaturi accesserant, quam ab his cingi qui navale prælium acturi, per maria commeaverant, hujus rei clade perterritus compendii viam arripuit, Nemausumque se cum Paulo socium contulit. Sed cum exercitus Hispaniæ Gumildum effugisse persensit, civitatem mox Magalonensem non dissimili victoria cepit.* Expugnata vero Nemauso, captoque cum aliis Gumildo, victor Wamba rebellibus vincula injici jubet, captivosque ad se adduci, quorum cum amentiam increpasset, ita vitam supplicibus donavit, ut custodiri sontes ab exercitu mandaret. Triduo post in rebelles capitali sententia lata, qui ex conciliorum legibus morte turpissima mori debuissent, hos precibus Argebadi Narbonensis archiepiscopi exoratus ponere cæsariem & decalvari satis habuit rex Wamba. Aliquot post mensibus Toletum reversus, victori similis urbem ingreditur: agmen rebelles barba & capite rasis, nudis pedibus, atque pannosi in camelis ducebant, peractaque pompa sontes perpetuo carceri sunt mancipati, quos tamen anno regni sui IV. liberavit Wambæ successor Ervigius.

672. 673. *Quercetan. tom. I. pag. 821.*

Quinam post tot excitatas tragœdias Gumildi fuerit exitus Gariello ipsi ignotum. Quidquid insuper addit nullo nititur fundamento.

IV. VINCENTIUS.

Magalonense pedum jam tenebat Vincentius anno 683. quo cum reliquis episcopis Ervigii regis concilio Toletano XIII. pridie non. Nov. præsens interfuit. Quandiu autem vitam protraxerit incertum, & an adhuc sederet cum Carolus Martellus Magalonam anno 737. delevit, ne iterum insulam illam Saraceni ex Hispania eo navigiis delati invaderent oramque maritimam Septimaniæ deprædarentur. Magalona eversa, episcopus & canonici Sustantionem fugere, vicum Antonini itinerario & Jerosolymitano tabulæque Peutingerianæ notum, ab urbe Montispessuli mille passibus distantem, inibique sacra peregere usque ad Arnaldi præsulis tempora. Magalonam postea incultam & desertam Pipino regi Francorum tradidit anno 752. qui comitatum quoadusque vixit tenuit pater S. Benedicti Anianensis abbatis. Pipinus vero hanc civitatem Gallicano adunavit imperio, cui ab hoc tempore semper paruit.

683. *Aguirre tom. 2. pag. 702.* *Pagi ad hunc annum n. 10.* 752.

Porro per sæculum aut circiter deflenda fuit non solum Magalonensis, sed & omnium fere Galliæ ecclesiarum facies, quæ avaritia principum & ambitione aulicorum cum sacerdotia aut venderentur, aut militibus quasi in prædam traderentur, in miserabilem trahebantur ruinam.

V. JOHANNES I.

Concilio Narbonensi imperatoris Caroli anno XXIII. Christi 791. VII. calend. Julii habito præsertim adversus Felicem Urgellitanæ sedis episcopum, necnon & pro limitibus archiepiscopatus Narbonensis definiendis cum plurimis episcopis subscribit Johannes Madolonensis episcopus.

Ch. II. col. 3. 791.

Amicus autem quem Vincentio substituunt, Johannique præponunt nonnulli, non fuit episcopus, sed comes Magalonensis, ut constat ex actis hujusce concilii a Catello vulgati. Utrum vero fuerit Amicus sancti Benedicti Anianensis avus, ut vult Gariellus, an ejusdem frater, ut Sammarthani, quid hæc ad nos!

Comment. Occit. pag. 743. *Part. I. pag. 74.*

VI. RICUINUS I.

Verdalæ & Catello ignotus, sola Garielli auctoritate nititur Ricuinus. Hunc ex vetustis membranis virum litteratum repræsentat, in omni morum honestate præclarum, strenuissimum pro Christi fide militem, cui Ludovicus pius imperator multa dona & privilegia concessit. Quinquennio toto Magalonensi eodem auctore præfuit ecclesiæ ab anno scilicet 812. ad 817.

Ibid. p. 82. 812. 817.

ANNI CHRISTI

VII. Argemirus.

Ibid. p. 84.

Si Gariello fides, defuncto an. 817. Ricuino, Bernardus Septimaniæ dux Fulbodum substituit, virum quidem divitiis & genere conspicuum, sed meritis degenerem, & alieni præter ceteros appetentem, quem plebs & clerus cum minime probaret, Fredolum Sustantionensem nobilem virtute clarum elegere. Graves inde subortas contentiones composuit Ludovicus pius imperator, cum Argemirum præsulem anno 818. renunciavit legatione nuper apud se strenue defunctum. Hic statim aula relicta, iniit possessionem, mandatis prius & litteris instructus, quibus dissidentes animos ad concordiam revocaret. At Bernardus dux repulsam passus, vindictæ appetens, vastat agros, ædes evertit, templa diripit, in Argemiri fautores sævit; de quibus cum Magalonenses nobiles apud imperatorem conquesti essent, Bonifacium & Donatum comites, ac una Adebraldum abbatem misit, qui Bernardi conatus cohibuerunt, ereptaque sacris ædibus restitui curarunt. Huc usque Gariellus, qui allata nulla auctoritate confirmat. Sed 1°. de his omnibus altum apud Verdalam, qui longe ante Gariellum Magalonensium antistitum seriem contexuit, silentium. 2°. Bernardus Septimaniæ ducatum ante annum 820. non videtur obtinuisse, quo Beræ in exilium acto successit comes Barcinonæ & dux Septimaniæ. Attamen Argemirus Ricuinum jam exceperat anno 819. ut constat ex diplomate Ludovici pii ecclesiæ Magalonensi Villam novam restituentis, quam Roberto comiti nuper defuncto in beneficium prius dederat. Non solum autem Villam novam, sed & ea quæ a Carolo Martello anno 737. Magalonensi ecclesiæ ablata fuerant, qua apud imperatorem valebat gratia, recepit Argemirus. De his Verdala sic habet: *Inter cetera beneficia quæ Magalonensi ecclesiæ Ludovicus imperator plurima contulit sanctissimo Argemiro ecclesiæ Magalonensi præsulante pro æternæ vitæ præmio capessendo, Villam novam prope Magalonam, quam Carolus Martellus ejus proavus in odium Saracenorum ecclesiæ abstulerat, prout in privilegiis suis continetur, pleno dominio in perpetuum possidendam restituit: præterea villam de Terrali, villam de Baianicis, villam de Vedatio, villam de Montellis, villam de Chauleto, & villam de Cocone cum omnibus pertinentiis suis eidem episcopo donavit.* Peculiari insuper diplomate Magalonensem ecclesiam cum omnibus ad eam juste & legaliter spectantibus sub sua constituit defensione, immunitate & tuitione, ita ut clerici in ea sede degentes, Deo liberius valerent militare. Denique vir plenus meritis & cœlo dignus Argemirus, ut testatur vetus instrumentum, animam exhalavit.

818. — 819. — *Ch. II. col. 342.*

VIII. Stabilis.

Omissus a nobis Johannem inter & Ricuinum, hic reponendus, ipso non abnuente Gariello, Stabilis, qui & Stabellus, & Stabulus nuncupatur. Innotescit enim ex vita S. Benedicti abbatis Anianensis ab Ardone auctore coætaneo concinnata: inibi autem pius auctor tradit ipsa hora qua sanctus abbas migravit ad Christum in monasterio Indensi, III. videlicet idus Februarii anno 821. ejus obitum Stabulo episcopo Magalonensi, in cujus diœcesi situm erat Anianæ monasterium, cœlitus fuisse revelatum. Numquid is est Stabilis episcopus, qui missus dominicus commutationi ab Anastasio abbate Conchensi cum Bertrando vasso dominico faciendæ designatus ab imperatore Ludovico præfuit anno X. regni ejus, Christi vero 823. Instrumentum reperies in appendice capitularium tom. 2. col. 1424. Consecrationem autem altaris Anianensis non curo, ut pote quam fictitiam demonstravit Cointius.

821. — 823.

IX. Maldomaris.

Hunc conjiciunt ante Abbonem Magalonæ sedisse præsulem nuperi rerum Occitanarum scriptores ex actis concilii Portuensis a Baluzio editi. Et certe Maldomaris episcopus inibi alodem parochiæ de Cocone haud procul Montepessulano sitæ dicitur possedisse, sed nec sedes assignatur, nec annotatur tempus.

Concil. Narb. p. 3.

X. Abbo.

Chirographum apposuit Abbo privilegio, quod Trenorchianis concessum est in conventu Cabilonensi anno 875. Subscripsit & canonibus synodi Tricassinæ anno 878. mense Augusto. Recensetur inter antistites, qui ad synodum Nemausensem in villa Portu convenerunt XV. cal. Decembr. anno 887. pro restitutione Servidei episcopi Gerundensis. Tandem in altera synodo Nemausensi in villa Portu anno 897. litem habuit adversus Adalfredum presbyterum, cui ecclesiam sancti Johannis Baptistæ de Cocone jussus est integram restituere.

875. — 878. — 887. — 897. — *Ibidem.*

XI. Gontarius.

Gontarii seu Gunterii subscriptum nomen legitur in charta, quam Emma venerabilis abbatissa sancti Johannis Baptistæ obtulit confirmandam in cœtu episcoporum apud Barcinonam in ecclesia sanctæ Crucis anno 906. indict. VIII. congregato sub Arnusto Narbonensi metropolitano. Interfuit synodo apud sanctum Tiberium in diœcesi Agathensi an. 907. habitæ. Recensetur & inter episcopos, qui concilio apud Juncarias territorii Magalonensis in ecclesia sancti Vincentii V. non. Maii anno 909. adfuerunt. Prius quidem legebatur anno 894. ex mendoso codice Sirmondi *quo factum est*, inquit Cossartius in notis ad hanc synodum, *ut Galliæ Christianæ auctores episcopos omnes, quorum hic subscripta sunt nomina, ad hunc annum allegarint, prudenter quidem, sed minus feliciter pessimi codicis vitio.* Hæc autem S. Vincentii basilica olim celebris, ab episcopis Magalonensibus postea Benedictinis Casæ Dei concessa, a sectariis diruta fuit, nuncque nobilitatis suæ tantum rudera ostentat.

Ch. XII. col. 13. — 906. — 907. — 909. — *Tom. 9. concil. col. 520.*

XII. Pontius.

Gontario Wibaldum Gariello duce sufficiunt Sammarthani, nos vero instrumentorum fide

ANNI CHRISTI

Pontium, qui anno 937. interfuit consecrationi ecclesiæ S. Pontii Tomeriarum cum Wadaldo Elnensi, aliisque episcopis, qui postea ad concilium Ausedinense simul omnes convenerunt. Subscripsit litteris Aimerici Narbonensis archiepiscopi & Rodaldi Biterrensis episcopi datis mense Augusto anno 940. pro eodem monasterio. Denique concilio apud Narbonam in ecclesia SS. Justi & Pastoris anno 947. habito adfuit, ubi in locum Wadaldi electus est Riculfus episcopus Helenensis. Vide hujus electionis acta in appendice.

937. 940. 947. Ch. VII. col. 481.

XIII. Ricuinus II.

Ricuinus alter, qui a Bernardo Guidonis Riquitius, aut Riquinus perperam appellatur, a sancto Fulcranno Leutevensi episcopo ad consecrationem basilicæ sancti Genesii cum Aimerico Narbonensi vocatus anno 975. adfuit. Ad eumdem revocat annum Gariellus Ricuino episcopo factam a sororibus sancti Fulcranni Montispessulani donationem Lothario Ludovici Transmarini nato regnante. Rem sic exprimit Verdala in catalogo præsulum Magalonæ. *Duæ quondam, ut in scriptis & fama præcinente comperimus, fuerunt sorores, quarum altera Montempessulanum, Montempessulanellum altera in allodium possidebant.* C *Beatus Fulcrannus a Sustantionensium comitum stemmate maternum sanguinem ducens, Magalonensis archidiaconus, gloriosissimus postmodum Lodovensis episcopus istarum frater fuisse comprobatur: verum istæ cum meliori consilio revolvissent, quod inordinato & præcipiti excursu transeat mundus & concupiscentia ejus, de terrena ac transitoria possessione statuerunt efficere, quo possent cælestia in perpetuum possidere: earum itaque fuit deliberationis consilium, ut possessionem & possessionis jus, quod in his villis & in pertinentiis ad illas videbantur habere, ad Magalonensem ecclesiam jure perpetuo possidendum transferrent: hoc ergo votum Domino persolventes, has villas cum adjacentiis suis Domino Deo & beatis apostolis Petro & Paulo, Magalonensi sedi, & Ricuino ejusdem sedis venerabili episcopo donatione in perpetuum valitura destinaverunt.* Atque hinc notam Monspelii repetunt nonnulli originem, quibus non satis arridet quidquid ad discernendam ab origine donationem commentus est Gariellus. Et certe in annalibus Fuldensibus, quo potissimum ad decoranda Monspelii cunabula usus est fundamento, ne verbum quidem. Non multo post Ricuinus feudi titulo Monspelium tradidit, ut discimus ex eodem Verdala. *Erat tunc temporis* (circa an. 985.) inquit, *in* E *his partibus vir nobilis quidam Guido nomine, qui, ut nobis traditum est, extorris sine prædiis cum Melgoriensi comite militabat; hic quadam die venerabilem adiit Ricuinum Magalonensem episcopum, & ut ei Montempessulanum ad feudum donaret, multum precibus impetravit. Accepit ergo Guido a Ricuino episcopo Montempessulanum ad feudum, & præstitit ei fidelitatem & homagium exposita securitate, ut ei & Magalonensis sedis canonicis deinceps fidelis esset in omnibus.* Hactenus Verdala, quem errore nominis lapsum putat Catellus, qui A Guidonis loco Guillelmum substituit, a quo Guillelmorum omnium Monspelii toparcharum clarissima prodiit familia, quæ Constantinopolis & Burgundiæ principibus stirpis regiæ feminis conjugio sociata est, ac Mariam Monspelii heredem & dominam protulit Petro Aragonum regi in matrimonium elocatam. Alias idem Verdala Ricuino episcopo incertis temporibus factas commemorat donationes, quas hic ex ipso delibare juvat. *Berengarius illustrissimus comes Melgoriensis pro animabus Gislæ comitissæ uxoris suæ & Bernardi filii sui castrum de Gigeano, quod a Ricuino Magalonensi episcopo per donationem habuerat,* B *eidem ecclesiæ Magalonensi reddere congruum duxit: castrum vero de Veruna cum omnibus quæ in ejus terminio Fredolus de jure possidebat, Ricuino Magalonensi episcopo in integrum recognovit, & tunc usque in hodiernum diem qui post eum loco ejus hereditario jure successerunt, a Magalonensi episcopo in beneficium habuerunt. Girardus quidam nobilis vir villam de Vico cum omnibus adjacentiis suis Magalonensi ecclesiæ donavit. Bernardus item comes Melgoriensis nobilissimus villam de Pruneto, quæ est in territorio Biterrensi, villam de Xindrio, villam de Arboratio & de Murmurunegues, & in vicaria Agonensi ecclesiam sancti Baudilii cum omnibus ad ipsam pertinentibus, & villam de Agusanicis, & villam de Novigens Magalonensis ecclesiæ dominio subjugavit. Australdus præclarissimus vir villam, quæ Virag appellatur, Magalonensi ecclesiæ & Ricuino ejusdem sedis episcopo pleno jure tradidit possidendam. Ipse etiam Australdus villam de Mascalgo Magalonensis sedis prædiis adscripsit. Ecclesia namque de Rouet, villa de Perols, villa sancti Dionysii de Genesteto cum omnibus adjacentiis suis, Magalonensis sedis ab antiquo allodia nuncupantur, villam autem de Lunello veteri & villam S. Briccii, villam de Pratis, villam de Jacone cum pertinentiis suis, &c. Magalonensis ecclesia per tempora multa in* D *allodium possedit.* Huc usque Verdala.

Ch. IV. col. 267. 975. Part. I. p. 83. & 93. Comment. Occitan. p. 658.

XIV. Petrus I.

Petrus filius Bernardi II. comitis Melgoriensis ex Senegunda uxore, ad infulas Magalonenses vocatus, præerat anno 988. ut elicitur ex charta donationis factæ a Senegunde comitissa Melgoriensi Petri parente, quæ eo circiter tempore Gellonensi monasterio largita legitur ecclesiam S. Reparatæ in pago Magalonensi x. cal. Mart. Una cum plurimis aliis prælatis convenit anno 1004. apud Psalmodium pro restauranda hac abbatia. Præsulis hujusce temporibus Bernardus comes Sustantionensis donavit monasterio sancti Michaelis de Clusa ecclesiam sanctæ Crucis, quæ est prope Melgorium anno 1005. Petrus auctoritate sua confirmavit decretum, quod Ermengaudus episcopus Urgellensis emisit XIV. calend. Decembr. anno 1010. de vita canonica in matrice ecclesia instituenda. Sigillum suum apposuit bullæ Benedicti VIII. in favorem ecclesiæ Urgellensis datæ anno 1013. Subscriptione sua confirmavit anno 1019. XV. calend. Aug. indict. XI. chartam fundationis parthenonis Cariloci in diœcesi Magalonensi a Godranno constructi,

988. 1004. 1005. 1010. 1013. 1019. Ch. VI. col. 346.

ANNI CHRISTI

Ch. VII. col. 347.

cujus filiæ Judithæ primæ abbatissæ electioni xii. calend. Dec. anno 1025. Petrus episcopus adhuc subscripsit. Quousque sederit ex legitimis non constat documentis.

1025.

XV. Arnaldus I.

Ecclesiam Magalonensem administrandam suscepit Arnaldus circa annum 1030. ut colligitur ex tabulis Biterrensibus. Concilio Narbonensi a Wifredo archiepiscopo circa 1032. habito subscripsit, ubi confirmata privilegia monasterii Canigonensis. Hunc autem suscitavit Deus qui collapsam relevaret Magalonam. Propterea præsulatus sui initio Romanam B. Petri cathedram convenit, bullamque a Johanne XIX. summo pontifice obtinuit, qua fideles invitat ad resarciendas ecclesiæ Magalonensis ruinas, decretumque suum ab episcopis firmari præcipit, quod & quatuordecim præstiterunt, quorum videsis nomina apud Verdalam, qui Johannis epistolæ tenorem exhibet in suo Magalonensium episcoporum catalogo. Reversus Arnaldus piorum opitulante manu, magna sollicitudine opus aggreditur, domos ædificat, Magalonensem insulam muris & turribus cingit, novæque, ut ita dicam, urbis fundamenta jacit, ad quam exædificatam, cum per trecentos annos Sustantione sedem habuissent Magalonenses antistites, tandem postliminio Arnaldo duce reversi sunt anno 1037. Præterea adversus Saracenorum excursiones officinas omnes necessarias, arcem novam, & pontem qui continenti insulam connecteret, operoso sumtu construi fecit: adeo incolarum aliorumque abundabant eleemosynæ, qui census, prædia, allodia, terras, pecunias, & alia bona pro redemtione suorum peccaminum ecclesiæ conferebant, inquit Verdala. Constructa urbe, cathedrali renovandæ animum adjecit. Interim conventui episcoporum anno 1035. ix. calend. Jun. habito interfuit, in quo Coxanensi monasterio confirmata ecclesia B. Mariæ *inter ambas aquas*, ejusque loci immunitas statuta & definita. Dedicationi novæ ecclesiæ Gerundensis xi. calend. Octobr. an. 1038. cum aliis episcopis præsens adfuit; quo etiam anno adstitit conventui Rivipullensi. Almiburgi novæ sancti Genesii abbatissæ benedictionis munus impendit Dominica quadragesimæ anno 1042. indict. x. Concilio Narbonensi habito xvi. cal. Aprilis anno 1043. adversus invasores bonorum monasterii Coxanensis adstitit. Consecrationi ecclesiæ sancti Michaelis Fluvianensis in comitatu Emporitano interfuit die 26. Julii anno 1045. & confirmavit quædam privilegia eidem a Guifredo metropolitano concessa. Recensetur inter episcopos, qui concilium idibus Juliis an. 1050. apud sanctum Tiberium in diœcesi Agathensi celebrarunt adversus invasores ecclesiarum & possessionum monasterii Arulensis. Alteri adstitit concilio a Guifredo metropolita apud Narbonam coacto viii. calend. Septembr. 1054. ubi actum de pace & treuga. Absolutis tandem novæ basilicæ ædificiis, & ad culmen auspice Deo & piorum ope perductis, complurium antistitum cœtum convocavit, qui novam solemni ritu

1030. Mart. vet. script. t. 7. pag. 56. — Marc. Hisp. pag. 438. 1035. — Aguirr. t. 3. pag. 202. 1038. — 1042. Ch VIII. col. 348. Anecdot. t. 4. col. 84. 1043. — Aguirr. t. 3. pag. 206. 1045. — 1050. — 1054.

ecclesiam consecrarent anno exeunte 1054. aut ineunte 1055. Adfuisse perhibentur Guinimannus archiepiscopus Ebredunensis, Austindus Auscienfis, Frotarius episc. Nemausensis, Bernardus Biter. Gontarius Agathensis, Rostagnus Leutevensis, Hugo Ucceticensis, Elephantus Aptensis, Gislebertus Barcinonensis, Arnaldus Elnensis, Petrus Carcassonensis, & ipse diœcesanus Arnaldus, qui simul congregati circa pœnitentiæ rigorem mitigandum & eleemosynis redimendum decreta quædam sanxerunt. Cum autem vel bellorum vitio, vel episcoporum negligentia depravati fuissent Magalonensium ecclesiasticorum mores, ad idque impudentiæ devenissent sacerdotes, ut palam uxores ducerent, pessimum morem abolevit Arnaldus; totusque in reformando clero, a canonicis suis initium fecit, quos ut ad primigenia canonici ordinis instituta revocaret, beatique Augustini ad disciplinam suscipiendam induceret frustra omnia tentavit. Sed ne quid de necessariis ad vitam regularem deesset, uberiorque proventuum copia ad Dei cultum citius alliceret, emit stagnum Magalonæ a comitissa Melgorii & ipsius pulmentum, retentis sibi decimis & dominio, ac pratum de Villa nova, condaminam & hortum ei contiguum, necnon molendina de Tragamendicos sua propria, planterium de Cocone dedit liberaliter communiæ canonicorum, ex ipso Verdala. Aliam quoque stagni partem circa idem tempus anno videlicet 1055. eidem ecclesiæ concessit Adela comitissa Melgorii, cujus seriem ex archivo episcopali excerptam post Sammarthanos in appendice retulimus. At tot beneficiis surdi adhuc canonici, plurimum Arnaldo obstitere, qui quod animo conceperat ante obitum perficere non potuit. Cum ceteris episcopis pesti simoniacæ pharmacum attulit in concilio apud Tolosam die 13. Septembr. anno 1056. habito, in quo cum canonici Biterrenses coram Guifredo Narbonensi & Raiambaldo Arelatensi archiepiscopis conquesti fuissent, quod duas quas a Stephano Biterrensi dono acceperant condaminas, abstulisset Arnaldus, has a quo tenebat Bernardo Biterrensi episcopo restituit viii. id. Febr. anno 1057. Subscripsit privilegio ab Heli duce urbis Deniæ & insularum Balearium vii. calend. Jan. anno 1058. ecclesiæ Barcinonensi concesso, quo omnes ecclesias, necnon episcopatum regni sui Gislaberto episcopo ejusque successoribus subdidit. Denique beatis Matthæo, Paulo, & Nicolao ædibus excitatis, cœmeterioque in suburbiis ritu christiano erecto, sacrum Domini sepulcrum invisit, & post reditum sancta morte quievit Villæ novæ an. circiter 1060. post triginta in episcopatu cum laude exactos annos. Translatus Magalonam iv. cal. Jul. hoc habet epitaphium apud Verdalam.

Hic jacet Arnaldus sedis pater hujus & auctor,
Annis triginta præditus officio.
Qui postquam Jerosolymam devotus adivit,
Ut redit, in Villa fertur obisse nova;
Protinus hic Julias translatus quarto calendas,
In foribus claustri sub gradibus situs est.

ANNI CHRISTI — 1055. — Ch. IX. col. 348. — 1056. — 1057. — 1058. — Aguirr. t. 3. pag. 224. — 1060.

ANNI CHRISTI

Nocte vero monitus præsul post eum Gothofredus
Istud condigno transtulit obsequio.

Ejus quoque vitam brevi elegia exponit idem Verdala, ubi restaurator Magalonæ prædicatur in versibus archivi episcopalis, in quibus post descriptam ejus a Carolo Martello cladem & eversionem Nemausi, hæc subjungit.

Inde manens annis urbs hæc deserta trecentis,
Tandem pontificem repperit artificem.
Præsulis Arnaldi sit semper subdita laudi,
Cujus nacta vicem, crevit in hunc apicem.
Hic muros jecit, turres hic undique fecit,
Clerum divinis contulit officiis,
Ipse gradum clausit, quo prædo piraticus hausit
Sæpe latrociniis littora nostra suis.
Navibus introitus per eum gradus alter apertus
Non procul a terris est, Magalona, tuis.
Illicitumque thorum damnavit presbyterorum,
Pontem constituit, trans mare post abiit.
Ut rediit, moritur, in sede sua sepelitur,
A se compositum servet ut ille locum.

XVI. BERTRANDUS.

Arnaldo ante annum 1061. defuncto in pontificia dignitate successit, aut potius irrepsit, inquit Gariellus, longe impar Bertrandus, qui & Bertrannus. Litteris Almodis comitissæ & Raimundi ejus filii comitis Ruthenensis pro monasterio Cluniacensi XVIII. calend. Januarii anno 1066. datis subscripsit. Præsulis hujusce temporibus Petrus comes Melgoriensis ecclesiæ Magalonensi pro mille solidis oppigneravit die 13. Julii anno 1079. partem suam navium quæ ad mare aut portum pertinebant. Mense elapso has eidem donavit naves die Veneris v. id. Augusti. Chartam hujusce donationis videsis inter instrumenta. De Bertrando autem quid laude dignum frustra apud scriptores Magalonenses quæsieris: hunc enim mercenarium pastorem, simoniæque tabe infectum exhibent, quales tunc temporis omnes fere per Gallias erant episcopi. Apud summum pontificem accusatus, quod res ecclesiæ aut furaretur, aut venderet, aut in usus verteret profanos, Romam citatur; at tribunali apostolico sistere se pertinacius abnuit: quinimo suspensus ab episcopali munere, & a sacrificio celebrando prohibitus, nihilominus celebravit. Tandem e sede Magalonensi, quam sacrilege adierat, impieque occupabat, justo judicio in perpetuum ejectus fuit anno 1080. Sunt tamen qui Bertrandum delictorum in pœnitentiam conversum christiano fine quievisse affirment, quos nec defendere, nec confutare est animus.

(Ch. XII. col. 177. — 1066. — 1079. — Ch. X. col. 349. — 1080.)

XVII. GOTHOFREDUS.

Bertrandi depulsi in locum eodem anno juxta canones suffectus est Gothofredus, qui Gothafredus, Gothefridus, & Gaufridus passim appellatur. Hunc stirpe nobilem, at virtute ipsa magis conspicuum a Raimundo comite Sustantionensi designatum prius vult Gariellus, sed pace tanti viri dixerim, Petrus, non Raimundus, tunc temporis Magalonensem comitatum tenebat. Electus autem a Dalmatio Narbonensi archiepiscopo postea fuit consecratus, ut discimus ex veteri martyrologio Narbonensis ecclesiæ. Non minus autem Gothofredo præsule in ecclesiam Magalonensem liberalis fuit Sustantionensis comes, quam fuerat Bertrandi temporibus, ut patet ex archivi episcopalis membrana, qua Petrus anno 1082. mense Januario canonicis cessit navibus quas in pignus pro 1213. solidis Melgoriensibus habebant. Diversas circa idem tempus terras & possessiones in portu navium sitas Gothofredo emancipavit idem Petrus. Monasterio sancti Victoris Massiliensis dedit Gothofredus ecclesiam sancti Michaelis de Brugeres XII. calend. Decembris an. XXV. Philippi regis Christi 1084. Insequenti in manu ejusdem Gothofredi comitatum suum Sustantionensem Petrus Melgoriensis comes summo pontifici Gregorio VII. sub fide clientelari Romanæ ecclesiæ contulit v. calend. Maii anni 1085. cujus donationis tabulam, ut pote dignam quæ integra e scriniis episcopalibus referatur, inter instrumenta reperies. Ex hac autem discimus quem in allodium tenebant comites Sustantionenses episcopatum Magalonensem, a Petro comite simul cum comitatu per allodium Romanæ ecclesiæ donatum fuisse, ita ut penes Romanum pontificem deinceps staret in cathedra Magalonensi ordinare, ipsiusque auctoritate clericis Magalonensibus liceret episcopum eligere, nulla comitum habita ratione. Anselmi Lucensis episcopi exsequias Mantuæ prosecutus est Gothofredus mense Maio an. 1086. & adstitit dedicationi ecclesiæ sancti Stephani Balneolensis in publico episcoporum conventu factæ VIII. id. Septembr. anni ejusdem. Urbanus II. bulla data XIX. calend. Jan. an. 1088. Gothofredo episcopo sub Romana libertate cum bonis suis confirmavit Magalonensem ecclesiam, quam multis temporibus Sustantionenses comites suæ subjecerant servituti, comitatusque a Petro nuper in feudum donati curam injunxit, ea lege, ut unam auri unciam Lateranensi palatio quotannis persolverent Magalonenses episcopi. Concilio Tolosano interfuit anno 1090. cum reliquis Septimaniæ episcopis, qui dixerunt anathema adversus invasores bonorum ecclesiæ Biterrensis. Litem habuit eodem anno cum Guillelmo Monspelii toparcha, quæ composita fuit per Aquensem archiepiscopum, præsulesque Gratianopolitanum & Cavellicensem, necnon & Melgorii præfectum arbitros in placito hac de re habito XIII. calend. Jan. 1090. indict. XIII. in quo Guillelmus inita cum Gothofredo concordia obsequii clientelaris ei juramentum præstitit, vicissimque Gothofredus Guillelmo condonavit offensas omnes, & restituit feudum ipsius antecessorum, exceptis ecclesiis de Montepessulano, de Montepesseireto & aliis quas dimisit ei Guillelmus. Circa id tempus quasdam diversis monasteriis fecit donationes: Casadensibus ecclesias S. Vincentii de Junqueriis & sancti Petri de Porsano eo pacto contulit, ut quotannis ecclesiæ Magalonensi censum penderent: Gellonensibus ecclesiam sancti Martini de Lundris largitus est, quarta parte

(P. 1. pag. 117. — 1082. — 1084. — 1085. — Ch. XI. col. 349. — 1086. — Aguirr. t. 3. pag. 285. — Ch. XII. col. 350. — 1088. — 1090. — Ch. XIII. col. 352.)

parte decimarum & fructuum retenta, quam non multo post tempore Magalonensibus canonicis tradidit: Psalmodiensibus concessit ecclesias de Celesio, de S. Columba, de Sausanicis, & de Mutationibus dictas. Concilio, quod Dalmatius in provincia Narbonensi XIII. calend. Aprilis anno 1091. habuit, adstitit Gothofredus, qui anno sequenti suis canonicis dedit moletrinam, cui nomen Tragamendicos, cum insula ubi sita erat: in commune autem jam tum vivebant canonici, si fides habenda instrumento capituli, ex quo Gariellus: hunc enim in finem Gothofredus præsulatus sui initio, ut vult Verdala, plures ecclesias iis donaverat, quæ sub hac nomenclatura in veteri tabulario recensentur a Catello & Gariello: *Univit ecclesias omnes Villæ novæ, ecclesias SS. virginum Eulaliæ & Leucadiæ, de Vico, de Valle, de Xindrio, de Maurino, de Cocone, de Montillis, de Chauleto, de Pruneto, SS. Cosmæ & Damiani, de Juviniaco, de Alteiranicis, de Piniano, S. Johannis de Vedacio, S. Georgii de Doreas, S. Johannis de Muroveteri, de Montepessulaneto, omnes ecclesias Montispessulani, de Senteiranicis, de Salzeto, de Novigens, S. Petri & S. Johannis de Montearbedone, S. Michaelis, S. Vincentii de Salviniaco, S. Salvatoris de Perolis, S. Johannis de Fregoricis, S. Marcelli de Frayres, S. Mariæ de Osorio, S. Agnetis de Menojol, S. Sepulcri de Salazone, S. Romani de Melgorio, S. Stephani de Ginesteto, S. Dionysii, S. Briccii, S. Felicis de Sustantione, de Castello novo, S. Ciricii, de Claperiis, de Cornone, S. Jacobi de Pratis, S. Bartholomæi de Balhianicis, S. Johannis de Bodia, S. Mariæ de Gornerio & de Exalchiaco.* Anno 1093. Guillelmus Montispessulani dominus in manibus Gothofredi ex integro reliquit VIII. cal. Maii Dominica *Quasimodo* in ecclesia S. Nicolai omnes ecclesias & decimas, quas ipse in proprio tenebat, aut alii per eum, & hoc non coactus, sed spontanea & libera voluntate, & pro remissione peccatorum. Celebratæ Augustoduni synodo anno 1094. sub Hugone archiepiscopo Lugdunensi legato adstitit inter alios Gothofredus: in ea pronunciatum anathema contra Henricum imperatorem & Philippum Francorum regem. Tum anno 1095. concilio Placentino in Longobardia interfuit, ac privilegio pro sancto Egidio ab Urbano papa concesso subscripsit, a quo bullam ipse quoque obtinuit pridie id. Maii, qua summus pontifex laudat institutam in ecclesia Magalonensi secundum B. Augustini regulam vitam canonicam, ejusdemque possessiones & ecclesias a Gothofredo concessas confirmat. Inde satis patet id quod Arnaldus obtinere non potuerat, ut canonici sui voto se religionis obstringerent, a Gothofredo perfectum, & ab Urbano II. consummatum fuisse. Eodem anno in concilio apud Averniam ab eodem pontifice mense Novembr. habito conquestus est Gothofredus, quod abbas & monachi Anianensis monasterii ordinationes & ecclesiarum consecrationes aliunde quam a Magalonensi episcopo peterent, excommunicatosque recipere præsumerent. Huic ut mederetur abusui Urbanus II. juxta præcedentem Alexandri II. definitionem coegit abbatem coram omnibus Gothofredo obedientiam præstare, inauditumque abrogavit privilegium XIII. cal. Decembr. Eodem adhuc anno Rostagnus Dalmatii cum Gothofredo commutavit *paratam* ecclesiæ de Claperiis, ædemque Pontii Guerini, quam in villa de Cretio comparaverat episcopus. Anno 1096. labente mense Junio Urbanus II. vigilia sanctorum apostolorum Petri & Pauli Magalonam appulit, sequentique die habita concione comitantibus Tarraconensi archiepiscopo, episcopis vero Pisano, Albanensi, Nemausensi, Signiensi, & Magalonensi, comite Sustantionis, Guillelmo Monspeliensi, confluentibus undique nobilibus insulam Magalonensem solemni ritu consecravit, omnibusque in ea christiane morituris noxarum veniam indulsit, cujus in perpetuam memoriam Gothofredus solemnem quotannis indixit supplicationem. Magalona Nemausum appulit Urbanus, ubi concilium habuit die 6. Julii ejusdem anni, cui adstitit Gothofredus. Anno eodem Dalmatius de Castris, uxor Hermescens, Eleazar frater, & Petrus Hugo cum eo permutarunt honorem, quem in villa sancti Martini de Cretio cum omnibus pertinentiis habebant. Guillelmus Arnaldi XII. cal. Septembr. dimisit ei feudum, quod ab antecessoribus episcopis habuerat. Guillelmus Montispessulani dominus e patrimonio suo cessit quoque Gothofredo villam Montispli cum omnibus feodis. Raimundus, Maria uxor & filii eidem cesserunt honorem, quem Vitalis habebat in terminio de Villa nova & de Xindrio. Una cum Bertrando Narbonensi, Gibelino Arelatensi archiepiscopis, necnon & Raimundo Nemausensi ab Urbano II. electus arbiter Gothofredus declaravit abbatiam Psalmodiensem liberam & immunem a jurisdictione abbatiæ S. Victoris Massiliensis in conventu habito apud Caissarum castrum in diœcesi Nemausensi XVI. calend. Octobr. anno 1097. ut satis indicant reliquæ notæ chronologicæ. Confirmavit eodem anno Gothofredus canonicisque sancti Petri corroboravit donum stagni factum prius ab Arnaldo decessore in opus communiæ S. Petri, sed postea ab ipsius familia usurpatum. Exstat ejusdem episcopi & Berengarii Agathensis charta pro sancto Vincentio de Junquariis data anno 1098. Insequenti Gothofredus Raimundo Melgorii comite quod albergarum & naufragii jura, quæ sancti Petri basilicæ tradita genitoris sui codicillis fuerant, sibi arrogaret, a sacris interdicto, Romam ad Urbanum papam controversiam delaturus petiit, ubi concilio Romano hebdomada tertia post Pascha a summo pontifice habito an. 1099. interfuit, cumque non multo post eum Raimundus comes secutus fuisset, amboque se summo pontifici stitissent, conquestus est episcopus de injuria sibi a comite illata, & de violato patris testamento, qui honorem suum Romanæ sedi largitus fuerat. Tunc Raimundus in præsentia cardinalium, Gothofredi, & adstantium juxta testamentum patris sui cessit summo pontifici comitatum suum, quem de

ANNI CHRISTI 1091. 1092. Part. 1. pag. 123. 1093. 1094. 1095. Ch. XVI. col. 183. Ch. XIV. col. 352. Baluz. Misc. t. 7. p. 70. 1096. Ch. XIX. col. 184. 1097. 1098. Ch. XV. col. 354. 1099.

ANNI CHRISTI

manibus ejus accepit, fecitque Urbano II. homi- A nium. Roma autem reversus die Natali sanctæ Mariæ cum Gothofredo episcopo placitum habuit præsentibus Bertrando & Augerio archidiaconis, ac coram aliis canonicis Raimundus comes dimisit in hujus præsulis manu omnes ecclesiasticas possessiones & illicitas exactiones, quas sibi vendicabat in honore sancti Petri, & episcopo juravit auxilium contra omnes impugnatores. Eo ipso anno Raimundus in procinctu itineris ad sanctum Jacobum Compostellæ cessit Magalonensi sedi ecclesiam sancti Cosmæ, de qua Magalonenses clericos inter & Anianenses monachos erat controversia, & possessiones, quas B guerpivit ac donavit Gothofredo. Eodem adhuc exeunte anno, seu ut nunc loquimur 1100. ineunte VIII. scilicet id. Jan. cum Arberto Avenionensi episcopo, Fulcone Psalmodiensi, & Letberto sancti Rufi abbatibus arbiter fuit Gothofredus initæ inter Raimundum Nemausensem episcopum & Pontium abbatem Casæ Dei concordiæ super ecclesia sanctæ Mariæ & sancti Baudilii Nemausensis. Anno 1100. Pontius Jordani ad Jerosolymitanum se accingens iter, Gothofredo & canonicis divendidit quosdam cabanesios, terras, vineas & hortos pro 170. solid. Melgor. Subscripsit Gothofredus unioni sancti C Aniani cum S. Pontio Tomeriarum factæ a Bertrando archiepiscopo & canonicis Narbonensibus XIV. calend. Aprilis anno 1101. Canonicorum communiæ dedit & univit ecclesias de Castello novo, sancti Martini de Cretio, sanctæ Eulaliæ de Miravalle, & de Veruna anno 1102. Clientelare obsequium a Petro Rostagni filio admisit pro Castro de Veruna anno 1103. Hunc autem aut saltem sequentis initium non excessit Gothofredus: die enim 9. Maii anno 1125. Galterus ejus successor vigesimum secundum pontificatus agebat annum, ut constat ex veteri instrumento. D Obierat itaque jam Gothofredus saltem mense Maio anno 1104. In necrologio sancti Roberti de Cornilione obitus ejus annotatur die XI. cal. Jan. aut Junii. De loco ubi defunctus est diffident eruditi: vult Gariellus cujusdam apud Verdalam vatis auctoritate nixus, terram sanctam ante obitum profectum Gothofredum, inibi in Peregrini montis arce supremum obiisse diem. Sunt & quibus longinqua hæc minus arridet peregrinatio, satiusque videtur ibi defunctum fuisse, ubi anno adhuc 1103. degebat, apud Magalonam. Quæ de Gothofredi epistola & exsequiis in Palæstina recitat Gariellus, sua cadunt E sponte, si fictitium est, ut putant, iter transmarinum. Quidquid id est, epitaphii loco exstant hi versus prioribus de Arnaldo adjuncti:

1100.

Ch. VIII. col. 83.

1101.

1102.

1103.

Inde Deo fidus successit ei Gothofredus,
Ante simoniaco præsule deposito.
Hic penitus munus virtutum contigit unus,
Doctor veridicus, pontificumque decus.
Nos hic apostolicæ fundavit in ordine vitæ,
Et libertatem reddidit ecclesiæ.
Militibus tulit ecclesias, comitesque coegit
Se versis vicibus subdere præsulibus.
Post mare transivit, loca contemplatus obivit,
Conditus in gremio, mons Peregrine, tuo.

XVIII. GALTERUS.

Gothofredum proxime excepit Galterus ex Insulis oppido Flandriæ oriundus, vir in divinis studiis longo studio exercitatus, & sæcularium litterarum non ignarus, ingenio præstans, & clarus eloquio, qui suo tempore propter doctrinam & eruditionem magno fuit in pretio. Hic ille namque est Galterus, quem a Waltero episcopo Magolensi, de quo Trithemius, perperam secernit Gariellus: non enim Magolensem, sed Magalonensem apud Trithemium legendum probat epistola ipsiusmet Galteri ad Robertum præpositum Insulanum edita a Mabillonio, cum Maagalæ in Palæstina, vel Magalis in Hispania nullum adscribat pontificatum episcopatuum notitia. Ex hac autem & altera a Brunone Signiensi episcopo ad Galterum data, quam habes tom. XII. spicileg. p. 79. apparet Galterum scripturis sacris plurimum studuisse tum cum apud Insulas moraretur. Sub Gothofredi postea disciplina meruisse, antequam fieret episcopus, docent Verdalæ carmina. Defuncto autem magistro successit discipulus an. 1103. aut saltem 1104. ut liquet ex veteri charta data VII. id. Maii anno 1125. quem vigesimum secundum præsulatus sui annumerabat Galterus, ut diximus. Factus episcopus animum adjecit ut ædes sacras restauraret, nempe Magalonensem basilicam ex parte dejectam suffulsit, turrim sancti Sepulcri, triclinium, dormitorium, conclave a fundamentis excitavit, sacerdotalem ecclesiæ suppellectilem auxit, auream, argenteam, sericamque tradidit, ecclesias sancti Briccii & de Laureto canonicis largitus est. A Pascali II. una cum aliis decem arbitris electus est, qui ortam Casadensem inter & Anianensem abbates super monasterio de Gordanicis querelam referrent, quam Valentiæ compescuit summus pontifex anno 1107. Datam Gellonensibus a B. memoriæ Gothofredo sancti Martini de Lundris ecclesiam confirmavit anno 1110. indict. III. quarta decimarum parte servata sibi & oblationum, canonicisque duodecim solidis Melgoriensibus assertis ex arch. Gellonensi. Eo circiter tempore Guillelmus dominus Montispessulani fidei sacramentum dixit Galtero, cui anno 1111. Eleazarus de Castris ecclesiam S. Martini de Cretio, quartam partem decimarum S. Michaelis de Agusanicis, & quæ prius Gothofredo dimiserat, concessit. Concilio Viennensi adfuit Galterus anno 1112. Guillelmus de Fabricis largitus est anno eodem mediante Galtero ecclesiæ sancti Baudilii podium in quo sita ecclesia, & quidquid habebat in valle Carreria. Ato de Cornone medietatem decimæ S. Michaelis de Grimiano Gellonensibus solvit in manibus Galteri V. idus Maii anno 1113. Guillelmus Monspelii dominus contra paganos ad expugnandam insulam Majoricam pergens testamentum condidit anno 1114. de consilio ejusdem episcopi, cui & ecclesiæ Magalonensi totam villam Montispessulani, quæ erat antiquitus allodium

ANNI CHRISTI

Analect. tom. I. pag. 289.

1104.

Ch. V. col. 297.

1107.

Ch. XI. col. 275.

1110.

1111.

Mart. t. 7. pag. 67.

1112.

1113.

1114.

ANNI CHRISTI

sancti Petri Magalonensis ecclesiæ, & totum feudum quod habebat ab episcopo in parochia S. Firmini & S. Dionysii de Montepeleyreto, & alia dominia legavit. Testamento subscripsit Galterus; cui exemplar custodiendum commisit Guillelmus. A Petro Bernardi Helenensi episc. adscitus fuit anno eodem ut finem simul imponerent diuturnæ controversiæ, quæ inter monasteria Cuxanense & Arulense inerat propter ecclesiam S. Petri de Turriliis. Circa idem tempus Pontius Raimundi Galtero restituit quidquid in ecclesia sancti Stephani de Piniano habebat. Ademarus de Montearnaldo eidem reliquit ecclesiam de Senteiranicis, Petrus de Salsas ecclesiam de Casa veteri & feudum in Gigeano pro quatuor libris Melgoriensibus eidem oppigneravit. Recepit hominia Guillelmi Ribaute, Dalmatii filii & Raimundi de Castris pro castro de Gigeano. Bernardus comes uxorque Guillelma cœmeterium & *stare* ei reddiderunt juxta ecclesiam S. Romani de Melgorio. Eleazarus de Monterotundo communiæ sedis Magalonensis ecclesiam S. Egidii de Fisco pro 50. solid. Melgor. in manibus Galteri dereliquit. Recensetur inter præsules, qui anno 1115. ecclesiam Cassianensem consecrarunt, cujus altare SS. apostolis Petro & Paulo, Andreæ, Jacobo, & S. Fidei ab ipso solemni ritu dicatum. L. Vivariensis & A. Avenionensis episcoporum rogatu Stephano Casæ Dei abbati concessam jam a decessore ecclesiam sancti Vincentii de Junquariis confirmavit an. 1116. adjunxitque ecclesias sancti Petri de Portiano & de Caucone. Approbavit anno 1118. ædificationem ecclesiæ Murlensis. Concilio Tolosano adfuit, ubi judicio a Callixto II. pro Anianensibus lato idibus Julii anno 1119. subscripsit. Ad eumdem revocat annum Gariellus Templariis a Guillelmo Monspelii ad Sonariæ suburbium erectam ædem, dicatamque a Galtero ecclesiam B. Mariæ de Lezes, nunc vero sancti Johannis magni, quæ postea in præceptorialem domum commutata est, at non animadvertit vir doctus Templarios in Occidentem non penetrasse ante annum 1128. Cum plurimis episcopis subscripsit Galterus bullæ a Callixto II. datæ II. id. Julii 1120. pro monasterio Electensi. Memoratur in charta Raimundi de Cornone & Ricardæ uxoris pro monasterio Gellonensi VIII. id. Decem. an. 1121. Eodem anno Guillelmus Montispessulani dominus ecclesiæ Magalonensi testamento legavit moriens vasa sua omnia argentea. Anno 1122. Galterus adstitit conventui habito apud Castarum in diœcesi Leutevensi, ubi ipsius judicio finita fuit, quæ monachos Juncellenses inter & Conchenses inerat controversia super ecclesia de Casulis. Discordantes Guillelmum Monspeliensem & comitem Melgorii cum magna eloquentia suavitateque præditus componere non posset Galterus, ad Callixtum II. pontificem scribit, qui anno 1124. Petrum archiepiscopum Viennensem, Hugonem Gratianopolitanum, Hildegarium Tarraconensem, & Artaldum Carpentoractensem induxit, ut cum Galtero has consopirent inimicitias. Arbitri itaque electi in ecclesia sancti Martini de Cretio die Sabbati 9. Maii anno 1125. Galteri pontificatus an. XXII. convenerunt, ubi quæcumque comitem inter & toparcham controvertebantur definiere, & Guillelmo auctores fuere, ut Bernardo fidei sacramentum diceret. Hanc definitionem mandat Galterus Roberto præposito Insularum epistola, in qua se ipsum S. R. E. legatum nuncupat, quo forte titulo a summo pontifice fuerat cohonestatus, ut judicio inter comitem & toparcham serendo præesset. Hoc adhuc nomine Casadenses excommunicavit, qui litem adversus Anianenses repetierant circa ecclesiam de Gordanicis. Iisdem etiam suadentibus arbitris Guillelmus fidei sacramentum quod abnuebat Galtero exhibuit, ut liquet ex actis consulum a Gariello citatis. Eo circiter tempore quod muneris pastoralis & legationis curis præpeditus præstare nondum potuerat, promissos tandem duobus in libris, non quidem scripsit, ut apud Trithemium, sed vulgavit flores psalmorum a Letberto canonico S. Petri apud Insulas & postea abbate sancti Rufi collectos, & misit ad Robertum ejus consanguineum præpositum Insulanum, ceterosque ejusdem ecclesiæ canonicos. Ipsi quoque non inelegantes ad diversos epistolas adscribit Trithemius, aliaque nonnulla. Denique cum abbas Anianensis synodis Magalonensibus adesse recusaret, re per episcopum ad Honorium II. tunc in cathedra S. Petri sedentem delata, archidiaconum & præcentorem Agathensis ecclesiæ commisit summus pontifex bulla data Laterani II. calendas Junii pontificatus anno V. Christi 1129. qua per legatos significata, Petrus Anianensis abbas Galtero episcopo ante altare sancti Briccii obedientiam secundum Deum promisit, nonnullisque cessit ecclesiis, ac vicissim episcopus cum assensu canonicorum Anianensi monasterio ecclesiam sanctæ Mariæ de Roveto tradidit, aliasque cum abbate prædicto permutavit, quemadmodum habetur in instrumento veteri apud Gariellum. Hanc autem initam non multo post concordiam e vivis excessisse Galterum necessum est: Raimundus enim ejus successor jam præerat mense Augusto, ut mox videbimus. Defunctus autem sepelitur eodem quo decessor Gothofredus positus fuerat loco, ut constat ex carminibus infra subjiciendis: unde concludit Gariellus sub finem vitæ decessorum præsulum pietatis æmulum Palæstinam petiisse Galterum, ibique diem ultimum obiisse, & in monte Peregrino eodem quo decessor tumulo conditum: at cum prius non constet, & a quibusdam in dubium revocetur, ut jam diximus, posterius incertum manet, & fidem omnem superat propter exiguum & breve temporis spatium. In veteri necrologio Magalonensis ecclesiæ legitur: *Prima die Lunæ post synodum Paschæ tenetur capitulum facere missam pro anima D. Galteri Magalonensis episcopi.* Ejus obitus assignatur ad nonas Decembris in necrologio sancti Egidii asservato in bibliotheca fr. Prædicatorum Chamberiacensi, ubi dicitur monachus Molismensis, quod nullibi adhuc reperi. De Galtero vetus quoque musa apud Verdâlam cecinit.

Marginalia: *Marc. Hisp. pag. 109.* — Ch. VIII. col. 134. 1115. — 1116. — 1118. — 1119. — Ch. VIII. col. 109. 1120. — 1121. — 1122. Ch. XIII. col. 277. — 1124. — ANNI CHRISTI 1125. — *Analect. tom. 1. pag. 289.* — 1129. — *Part. 1. pag. 143.*

ANNI CHRISTI

Illi Galterus succedit filius ejus,
Filius obsequio, filius officio,
Doctus, & astutus, [a] *per versus clarus, acutus,*
Magnus consilio, magnus & eloquio,
Corpore sincerus, & religione severus,
Impatiens sceleris, compatiens miseris,
Normæ cultores, & nostros auxit honores,
Crevit thesaurus, fabrica, fama, domus.
Inde sequens tristi vestigia sorte magistri
Interiit, positus quo pater ante suus.

XIX. RAIMUNDUS.

Raimundus e nobili toparcharum Guillelmorum sanguine satus, quem Poscheriarum Decanum nulla certa ratione cognominat Gariellus, e canonicorum collegio ad episcopatum assumtus mense Julio, aut saltem Augusto an. 1129. ab Arnaldo metropolita de more confirmatur & inauguratur. Hujus electionis tempore Bernardus comes Melgoriensis multa ecclesiæ Magalonensi damna intulit, obtendens, inquit Gariellus, Melgorii comitibus jus inesse præsules designandi. Antiquitus a majoribus usurpatam non inficiamur hanc auctoritatem, sed huic nuncium miserant Petrus, & post eum Raimundus comites, totumque jus nominationis penes summum pontificem clerumque & populum Magalonensem stare concesserant, ut jam vidimus. Unde autem illud didicit Gariellus? Non ex instrumento certe in quo damni a comite illati mentio fit: nullæ enim exhibentur causæ. Diu tamen exasperatum non fuisse Bernardi Melgoriensis animum probat insignis ab ipso paulopost ecclesiæ Magalonensi facta satisfactio. Canonicis enim Magalonæ commorantibus optimum quotannis in festo assumtionis B. Mariæ concessit apparatum, pulmentum stagni a Lezo veteri ad Amasionem restituit, fidemque & auxilium ecclesiæ Magalonensi deinceps spopondit. Quod autem addit Gariellus, Bernardum Guillelmi Monspelii dynastæ fretum auxilio, mala hæc ecclesiæ intulisse, omni destituitur fundamento: contracto enim tunc temporis Guillelmi cum Sibilla matrimonio non solum episcopus interfuit Raimundus, sed conventionibus pactis mense Augusto anno 1129. subscripsit. Una cum P. Leutevensi præsule & Augerio abbate sancti Salvatoris adfuit placito apud Lupianum eodem anno habito, ubi Narbonensi archiepiscopo auctor fuit, ut ecclesiam de Beciano sancti Tiberii monachis a Casadensibus restituendam curaret. Diffidentes inter se Guillelmum Monspelii & Bernardum comitem Melgorii interventu quoque Arnaldi Narbonensis composuit an. 1130. Eodem anno Innocentius II. antipapæ Petri Leonis vim fugiens venit in Gallias, ubi synodum Claromontanam convocavit mense Novembri, cui adfuit Raimundus unus ex episcopis, quibus idem pontifex bulla data III. calend. Decembr. mandavit, ut milites suos, qui hominem monasterii Anianensis interfecerant, monerent, ut abbati & monachis quantocius satisfacerent. Concilio Remensi ab Urbano II. 18. Oct. an. 1131. habito, in quo die 25. Ludovicus junior inauguratus est adstitit Raimundus. Synodo Monspeliensi pro ecclesia de Beciano die 3. Novembris 1134. coactæ interfuit. Cluniaci monachos an. 1138. advocavit, quibus annuente papa Innocentio Guillelmus monasterii condendi jus concessit, necnon & locum dedit ad Lezi ripam non procul Salzeto: Innocentius vero bulla data Laterani IV. cal. Maii licentiam eis impertit divina officia celebrandi, iisque qui in eadem ecclesia sepeliri deliberaverint, salvo nimirum jure matricis ecclesiæ, liberam indulget facultatem. Circa idem tempus cum multa ad redemtionem peccatorum erigerentur ptochodochia, domum leprosorum in ponte Castelli novi instituit Guillelmus de Montepessulano, quos ut pie viverent, legibus munivit Raimundus episcopus, quas in gratiam studiosorum antiquitatis e veteri instrumento depromtas visum est post Sammarthanos in appendice attexere. Multa autem huic domui a Guillelma & Guillelmo Guillelmi monachi avo concessa, tum ab Ermesenda, Guillelmo & Sybilla liberis, ac Beatrice comitissa Melgorii in codicibus leguntur. Motam inter Petrum Anianensem abbatem & Petrum Raimundi litem occasione ecclesiæ de Vallecrosa compescuit Raimundus hoc eodem anno, & assensum præbuit instituendis a Petro Leutevensi episcopo in monte Cornilio canonicis regularibus. Concilio Narbonensi, quod anno 1134. perperam nonnulli attribuunt, adstitit anno 1140. Exortæ ipsum inter & Guillelmum Monspelii dominum, qui castrum in agro Latarae ædificaverat, controversiæ mense Septembri hujusce anni sopitæ sunt, indultumque ab episcopo, ut arx illa Guillelmi foret ea lege, ut ecclesiæ Magalonensi beneficiario jure manciparetur; & si apud Lataras ecclesia conderetur, foret sub jurisdictione episcopi Magalonensis. De honoribus quoque & possessionibus in Montepessayreto statutum est, ut unusquisque sua teneret, sicut G. quondam habuit cum Galtero episcopo, & ipse G. cum Galt. & R. episcopis, & sicut Galt. episcopus cum G. domino Monspesuli, & G. & R. cum Guillelmo, & Guillelmus heresque ejus episcopo & ecclesiæ Magalonensi fidei præstarent sacramentum, quod ipse fecit G. quondam episcopo Magalonensi. Hoc autem in instrumento duplicis generis canonicorum fit mentio claustralium & obedientialium, hi forte erant qui nunc sunt minores canonici addicti choro: claustralibus vero suffecti sunt qui nunc sæculares, quibus minores submittebantur, unde dicti obedientiales, quamvis actis capituli sæpius adessent. Hoc eodem anno Guillelmus de Cornone quidquid pater ipsius Guillelmus in nemore de Arisqueriis habuerat tradidit, quidquid etiam in ecclesiis sancti Marcelli & sancti Justi, sive aliis ubique locorum ecclesiis, & ecclesiasticis rebus per se, vel per alios juste vel injuste possederat, hoc totum bona fide guerpivit ipse Guillelmus in manu Raimundi episcopi & omnino reliquit. Guillelmo anno 1141.

[Marginalia: 1130. — Ch. XVI. col. 354. — Ch. VII. col. 319. — 1131. Ch. VII. col. 318. — 1134. — 1138. — Ch. XVII. col. 355. — Ch. XVIII. col. 355. — Ch. XV. col. 279. — 1140. — 1141.]

[a] Hoc forsan deceptus loco confundit doctissimus Pagi Galterum nostrum cum Galterio de Castellione celebri poeta, qui sæculo 13°. florebat. Alii autem legunt *percomis*.

ANNI CHRISTI

per rebelles ejecto, Raimundum præsulem pontificis auctoritatem imploraſſe tradit Gariellus, ut Guillelmus reſtitueretur. Quorſum poſtea evaſerit, quid rerum toto hoc in negotio inſuper egerit, aperiat, qui hæc in bulla Innocentii ad Guillelmum Laterani data v. non. Mart. verba penitus ſcrutatus fuerit: *de epiſcopo veſtro Magalonenſi quid actum ſit per nuncium tuum agnoſcere poteris.* Guillelmi a partibus haud ſtetiſſe inde ſuſpicantur Sammarthani, quod archiepiſcopum Narbonenſem, non diœceſanum epiſcopum commiſerit Innocentius papa, qui in rebelles excommunicationis ſententiam promulgaret, Monſpeliumque a divinis interdiceret officiis, præter baptiſmum puerorum, & pœnitentias morientium; ſed hæc ratio nullius, aut ſaltem levioris eſt ponderis, cum nihil impediat quominus Romam profectus Raimundus ad implorandum ſummi pontificis auxilium, tunc in remotis egerit. Anno 1143. teſte Gariello, ſacellum in honorem B. Mariæ a Guillelmo in caſtro ſuo excitatum paulo poſt recuperatum Monſpelium conſecravit, quod auctius multo & locupletius in regium collegium erectum nunc eſt. Anno 1144. brevi dato Laterani IV. calend. Apr. Raimundus a Lucio II. delegatur, ut monaſterio S. Theofridi reſtitui a comite Melgorienſi curaret, quæ ipſi olim a Bernardo legata per vim auferebat comes, ſin minus quadraginta elapſis diebus ſententiam excommunicationis in eum laturus. Cum Guillelmus Montiſpeſſulani dominus patri longe abſimilis jura quæ avi quibuſdam eccleſiis conceſſerant invaderet, ſacerdotes legitimos ejiceret, aliosque pro arbitratu intruderet, id ægre ferens Raimundus ab Eugenio III. epiſtolam ad Guillelmum obtinuit die IX. Aprilis 1150. qua ſummus pontifex ei mandat, ut eccleſias de Montepeſſulano, ſcilicet S. Crucis & S. Nicolai liberas epiſcopi diſpoſitioni permittat, juraque Magalonenſi eccleſiæ reſtituat. Conſenſit pontifici Guillelmus ea lege, ut ſibi tria ſolidorum millia a prioribus S. Firmini & S. Crucis darentur. Sub id tempus Raimundo Magalonenſi & Nemauſenſi epiſcopis reſcriptum miſit idem pontifex, ne in pertractandis cauſis ſacramentum calumniæ paſſim adhiberetur, niſi cauſæ & perſonarum qualitate inſpecta: hinc tertium in capitulo de juramento calumniæ caput in decretalibus confectum eſt. Alia adhuc ex Cluniacenſi tabulario citatur Eugenii III. bulla ad R. epiſcopum Magalonenſem data, qui diœceſanis ſuis interdixerat, ne novo monaſterio Cluniacenſi apud Montempeſſulanum ſito de bonis quid conferrent ſuis, & de propriis culturis monachorum & animalibus decimas contra privilegia apoſtolica extorquebat. Huic autem jubet ſummus pontifex, ut ad partes illas accedens, tales emendet præſumtiones. Nonnulla quoque Magalonenſium canonicorum bona a Raimundo uſurpata teſtatur capituli regeſtum, quorum occaſione ortam compoſuerunt litem anno 1152. electi Petrus Narbonenſis archiepiſcopus, & Petrus Raimundi Leutevenſis epiſcopus arbitri. Anno 1153. de canonicorum conſenſu hoſpitali domui Jeroſolymitanæ,

Part. 1. p. 181.

1143.

1144.

1150.

Decretal. lib. 2. tit. 7.

1152. Ch. XIX. col. 356.

1153.

A fratribuſque ibi degentibus hortum ſuum, unam terræ *petiam*, & quinque ſolidos cenſuales conceſſit, prout affirmant tabulæ S. Johannis Jeroſolymitani Arelatenſis. Anaſtaſius IV. papa omnia ſedis Magalonenſis privilegia reſcripto apoſtolico ad Raimundum dato confirmavit IV. id. Decembr. indict. II. pontificatus anno primo. Regia quoque auctoritate Magalonenſis eccleſiæ poſſeſſiones munivit Ludovicus VII. die 8. Febr. anno 1155. cujus diploma ex archivo regio Nemauſenſi poſt Sammarthanos inſeruimus. Idem præſtitit menſe Aprili ejuſdem anni Adrianus IV. qui alias inter S. Jacobi Melgorienſis clericos cooptatus, Anaſtaſio defuncto ſubrogatus B fuerat die 3. Decembr. anno 1154. Alia ad Narbonenſem archiepiſcopum & Raimundum Magalonenſem data III. non. Maii idem pontifex Guillelmi de Montepeſſulano & fratris ejus Jeroſolymis tunc verſantis ditiones eis commendat. Raimundus diœceſim ſuam per id temporis perluſtrans, decreta quædam ſynodalia edidit. Tum anno 1156. tribus aliis cum præſulibus præſens fuit ſponſalitiis Guillelmi de Montepeſſulano cum Mathilde de Burgundia celebratis apud Monſpelium v. calend. Mart. & poſtea nuptiis Anicii factis. Eodem quoque anno Ludovicus junior C diplomate dato anno 1156. regni ſui XX. declarat eccleſiam Magalonenſem ab ipſo tanquam ſupremo domino pendere. Teſtamento Ermeſindæ uxoris Guillelmi de Tortoſa teſtis adſuit Raimundus anno 1157. qui apud ſummum pontificem accuſatus, quod bona eccleſiæ ſuæ communibus clericorum uſibus deſtinata, ſuo arbitrio diſpenſaret, objurgatoriam ab eo accepit epiſtolam VI. calend. Novembr. pontificatus an. IV. Chriſti 1158. Aliquot elapſis diebus magnis donariis, quæ in eccleſia B. Mariæ Monſpelii miraculis celebri a populis ſancti Salvatoris altari in dies offerebantur, ad hanc ſacram ædem relevandam uti permiſit Adrianus datis litteris Magalonenſi D epiſcopo IV. id. Novembr. & biduo poſt Guillelmo de Montepeſſulano, ea tamen lege, ut per quinquennium tantum has oblationes pro inſtauranda inſumerent eccleſia, quæ poſtea de more antiquo ad priorem B. Mariæ reverterentur. Per 30. annos menſes 3. dies 12. juxta Verdalam a Gariello citatum ſedit Raimundus. Cum autem anno 1129. menſe circiter Auguſto epiſcopatum iniiſſe Raimundum probaverimus, inde ſequeretur anno 1159. obiiſſe menſe Octobri aut Novembri, ni jam anno 1158. ſucceſſorem tabulæ ei ſubſtituerent. Raimundi munificentiam E in reſtauranda & ornanda Magalonenſi eccleſia ſic complexus eſt Verdala: *Magalonenſe capitulum a fundamentis conſtruxit, ciſternam fecit, turrim ſancti Sepulcri a muris ſuperius conſummavit, ſimiliter S. Coſmæ turrim a muris ſuperexaltavit, turrim quoque coquinæ a fundamentis ædificavit, altare ſancti Petri, & cathedram epiſcopalem retro ipſum, & lavatorium clauſtri ſuperioris ſimiliter fecit, cortinale, & portalia, & murum quo clauditur cœmeterium laicorum, domum molendini, & in qua reconduntur lecti lignei, domum converſorum, domum in qua recipiuntur equi juxta pontem, eccleſias*

ANNI CHRISTI

Ch. XX. col. 357.

Ch. XXI. col. 357. 1155.

1156.

Ch. XXII. col. 358.

1157.

1158.

ANNI CHRISTI

sancti Desiderii & de Molinis, ac honorem Guillelmi Helbraldi de Coconeto communiæ dedit, libris, calicibus & diversis pretiosis ornamentis Magalonensem ditavit ecclesiam.

DE MONTLAUR.

XX. JOHANNES II.

E canonico Magalonensis ecclesiæ multorum repugnantibus suffragiis cathedræ per Raimundi seu obitum seu cessionem vacanti imponitur Johannes anno 1158. juxta Verdalam & Gariellum, qui tabulas Magalonenses laudat. Natalibus clarus hic episcopus, patrem habuit Guillelmum, avum vero Pontium de Montlaur, & avunculum Bernardum de Valhauques, qui cum Raimundo comite Tolosano & Guillelmo Monspelii domino in expeditionem Jerosolymitanam profecti memorantur. Generis nobilitatem propria virtute superavit Johannes, in quo maxime enituit in lucrandis Deo populis eloquentiæ vis summa, sacrarum scripturarum peritia haud vulgaris & singulare fovendæ subditos inter pacis & concordiæ studium : unde apposite omnino familiæ suæ stemmati hoc lemma sibi proprium appinxit, nempe militem cataphractum cum hac epigraphe sancti Pauli *labora sicut miles Christi*, a tergo citharœdum cum his verbis *psallite Domino in cithara*, quæ sigillo plumbeo insculpta habentur. Orto interea schismate, dum Alexandro III. in locum Adriani nuper defuncti suffecto Victorem substituere satagit Fridericus imperator, a partibus Alexandri stetit Johannes, cujus gratiam demeritus, tribus ab eo ineunte anno 1161. dignatus est rescriptis, quorum 1.° Laterani dato VII. calend. Febr. pontificatus anno 2. perstringuntur canonici licentius agentes & extra diœcesim vagantes : in altero XV. calend. Mart. de reddenda a canonicis administrationis ratione statuitur : 3.° denique VII. cal. ejusdem mensis correctionis modus & termini assignantur. Coacto per id tempus adfuit Johannes concilio Tolosano, in quo Alexander III. rejecto Victore a Francis & Hispanis agnitus fuit. A Ludovico VII. regium obtinuit diploma, quo præter ea quæ Raimundo decessori largitus rex fuerat anno 1155. Johanni concedit, ut tam ipse, quam ejus barones, & castellani in castris & villis suis auctoritate regia exercerent justitias tam in civilibus quam in criminalibus causis. Diremit mense Octobri in domo militiæ templi querelam quam habebat Guillelmus Monspeliensis cum Guidone fratre. Moto per hæc tempora bello inter Bernardum Peletum Melgorii comitem & Guillelmum Monspeliensem, arbiter mense eodem electus est pacis Johannes episcopus, qui hoc etiam anno dominis de Vico concessit facultatem construendi munitiones in dicto loco, & ab eis clientelare sacramentum accepit. Querelam quoque habuit cum Raimundo de Pipiano, qua per arbitros sedata, episcopo Raimundus præstitit hominium. Solitam quoque fidei clientelaris professionem excepit a Guillelmo Monspelii dynasta in ecclesia sancti Petri Magalonensis mense Januario. Quamdam cum capitulo fecit permutationem in vigilia Dominicæ Palmarum, qua canonicis ecclesias de Lunello veteri, S. Fructuosi, & S. Pauli de Cabreriis tradidit : Bernardus vero Gaucelinus præpositus suo & capituli nomine ecclesiam de Gigeano & quasdam vineas Johanni concessit. Sequens annus Magalonensibus Alexandri III. summi pontificis adventu notabilis exstitit, qui solitum in Galliis quæsiturus subsidium, Magalonam appulit die XI. Aprilis anno 1162. ubi a Johanne de Montelauro perhonorifice exceptus, majus altare consecravit, aliquot post diebus Monspelium petiit, ubi die Ascensionis 17. Maii concilium habuit, in quo excommunicavit Octavianum antipapam coram plurimis præsulibus, inter quos recensetur Magalonensis episcopus. Nonnullas quoque anno 1162. lites composuit Johannes; nam, teste Verdala, mense Julio cum Bernardo Gaucelino Magalonensi præposito statuit ejusdem præpositi fore deinceps ordinare cellerarium Magalonæ procuratorem communis mensæ cum consilio episcopi & capituli. Mota item controversia inter Alexiam Rostagnam & Beatricem Jaconiam pro Maurillano prædio, cum jam feminæ utriusque consanguinei armis & cædibus se vexarent, Johannis auctoritate concordiæ sunt restitutæ. Cum Gaucelino episcopo Leutevensi & Willelmo Anianæ abbate præsens astitit concordiæ Richardum Gellonæ abbatem inter & Guillelmum Ademari pro nonnullis litigiosis apud Lundras. Exstant in collectione Quercetana tom. 4. pag. 650. & 667. binæ hujus præsulis ad Ludovicum Francorum regem epistolæ anno circiter 1163. datæ, quarum prima Ludovicum rogat, ut præsentium latores benigne suscipiat; altera vero de excessibus injustisque usurpationibus Berengarii de Podio Serguerio certiorem facit. In concilio Turonis habito ab Alexandro XIV. calend. Jun. anno 1163. terminata est quæ Johannem episcopum & capitulum Magalonensis ecclesiæ inter & monasterium Cluniacense inerat controversia super monasterio de Salzeto, inhibuitque concilium ne plures quam duodecim inibi collocarentur monachi, nec abbas absque episcopi consensu constitueretur. Romam vocatus Alexander, ad Montempessulanum post festum apostolorum anni 1165. remeavit, ubi usque ad octavam Assumtionis mansit, quo ut credimus tempore prior ecclesiæ sanctæ Mariæ apud eum conquestus est, quod elapso quinquennio ab Adriano papa concesso, ut oblationes suæ ecclesiæ ejus ædificationi destinarentur, nihilominus ipsius damno ecclesia Magalonensis has adhuc oblationes perciperet. Id autem prohibuit Alexander epistola Johanni & capitulo Magalonensi apud Montempessulanum data VI. id. Augusti. Diffidentibus eodem anno Ildefonso, qui comitem sese Melgoriensem ferebat, & Guillelmo Monspeliensi de tutela filiæ comitis Melgoriensis, Johannes episcopus certis conditionibus controversiæ imposuit finem. Habuit & ipse querelam cum Petro de Tirallo super mansis sitis in parochia de Vadatio, pro qua elegerunt de mandato Guidonis fratris Guillelmi Montispessulani arbitros Raimundum de Castriis &

1161. 1162. 1163. 1165.

Baluz. Miscell. t. 7. pag. 87.

ANNI CHRISTI

Petrum de Veruna. Diffidii quod hoc anno cum Bernardo præposito habuit arbiter fuit archiepiscopus Narbonensis cum Nemausensi & Leutevensi episcopis. Ad eumdem revocant annum a Cecilia Biterrensi vicecomitissa erectum Monspelii Clarevallensibus cœnobium. Anno 1166. adfuit Johannes Berengario de Salella ecclesiam B. Mariæ de Salella monasterio Cluniacensi confirmanti. Ad annum sequentem aut circiter referri posse videtur epistola Alexandri III. ad Johannem data Beneventi III. id. Dec. qua facultatem ipsi impertivit, ut civiles causas adversus capitulum motas tractaret & definiret, canonicos delinquentes juxta B. Augustini regulam emendaret, & a præposito administrationis rationem exigeret. Anno pariter 1168. XIX. calend. Jan. ecclesiam cum hospitali recens in silva Galteri constructam ejus jurisdictioni subjecit. Altero ejusdem anni XVIII. calend. Jun. rescripto Johannem increpavit, quod capellanum sæcularem, scutiferos ac cursores haberet, & a vestiario plus quam decessores repeteret. Motam per id temporis Johannem episcopum inter & Fulcrandum præpositum quæstionem super provisione beneficiorum per canonicos gubernari solitorum definivit Alexander, hancque ipsius declarationem ratam postea habuit Honorius III. Munificentissimum præsulem prædicant, quas eodem anno res novas paravit, quibus episcopales reditus auxit: emit enim albergas & usatica in loco sanctæ Mariæ de Xindrio. Pepigit cum domino de Agantico & paulo post cum abbate Vallis magnæ super decimis possessionum suarum in diœcesi Magalonensi, necnon & cum Fulcrando præposito, cui & canonicis contulit anno 1169. ecclesias de Lunello veteri, & de Salsano: vicissimque canonici totius capituli assensu eidem & parentibus & propinquis anniversarium spoponderunt. In capitulo generali habito in Natali apostolorum Petri & Pauli ejusdem anni statuta a decessoribus confirmavit, ne quis canonicus extraneus in collegium Magalonense admitteretur præter canonicos sancti Rufi, de Cassiano, Mimatenses, Uceticenses, & Asprenses quibuscum iisdem religionis & instituti vinculis adstricti erant. Quod etiam Magalonensis ecclesia societatem habuerit cum Tolosana constat ex antiquo Tolosanæ ecclesiæ necrologio. Cum Fulcrando præposito adfuit Johannes pactis inter Guillelmum Montispessulani dominum & Bertrandum de Andusia initis mense Novembri hujusce anni pro matrimonio filii & filiæ ipsorum. Exstant apud Bollandum litteræ Johannis Magalonensis episcopi datæ Magalonæ mense Octobr. anno 1170. quibus significata gravissima pro nefandis delictis Bernardo injuncta a se pœnitentia, fideles exorat, ut pœnitentem eleemosynis sustentent, orationibus sublevent, & de ejus pœnitentia relaxent. Guillelmus Montispessulani dominus filius Sibillæ testamento an. 1172. in festo sancti Michaelis mense Sept. condito Magalonensi ecclesiæ mille solidos Melgorienses concessit, unde quotannis fieret anniversarium pro remedio animæ suæ. In eo vult totius dominii administrationem penes

[Margin: 1166. — 1167. Ch. XXIII. col. 359. — 1168. Ch. XXIV. col. 360. — 1169. — Ch. XXV. col. 361. — Tom. 8. Spicileg. p. 165. — Tom. 2. Aprilis. p. 675. — 1170. — 1172.]

Johannem de Montelauro & Guidonem fratrem suum permanere, donec heres suus attigerit ætatem viginti annorum. Mense eodem Guillelmus de Fabricis filius Guillelmi confirmavit donationem a decessoribus suis ecclesiæ Magalonensi factam de ecclesia sancti Baudilii pro 50. solidis consensu Johannis illi datis. Interea cum Genuenses mare deprædarentur, gravesque cum Monspeliensibus agerent inimicitias, nec pontificis Alexandri, nec Johannis episcopi litteras curarent, tandem veriti regis Aragonum & comitis sancti Egidii arma, quæ eis minabantur, inito cum Guillelmi curatoribus colloquio, quos inter Johannes antistes adscribitur, fœdus cum Monspeliensibus sanxere. Anno 1173. iidem curatores sancti Baudilii montem ad canonicos spectare declararunt pretio 400. solid. Melgor. quos in grati animi specimen eis largiti sunt canonici. Probavit & confirmavit Johannes decimam salis in loco de Porcheria ecclesiæ Magalonensi a Raimundo comite Tolosæ anno 1174. donatam. Non multo post tempore cum archiepiscopo Narbonensi & abbate Anianensi discordantes Guillelmum Monspelii & comitem Tolosanum ad pacem revocavit, sacramentoque a Guillelmo comiti præstito mense Decembri præsens adfuit. Petro Beguino ejusque asseclis anno 1176. impia dogmata spargentibus, theologorum synodum in eos convocavit. Probavit anno 1177. testamentum Guidonis Guerregiati in gratiam Cisterciensium Vallismagnæ conditum. Ludovicus VII. anno 1179. regio diplomate Johanni concessit facultatem nundinas & mercata in nonnullis locis faciendi. Coacto eodem anno Lateranensi concilio interfuit Johannes, necnon cum Gaucelino Leutevensi præsule dissidiis inter se disceptantes Guillelmum Montispessulani dynastam & ejus cives ad fœdus induxit. Guillelmus autem ad commune commodum diplomate an. 1180. cuivis medicinam, quam tunc physicam vocabant, publice explicandi per totum Montempessulanum concessit facultatem. Inita est eodem anno transactio inter Johannem episcopum & Amedeum Vallis magnæ abbatem, qui decimas Johanni solvere recusabat. Huic anno 1181. Petrus de Veruna quasdam salinas concessit. Defuncto III. calend. Septembris Alexandro III. funebrem pompam, precesque publicas indixit episcopus Magalonensis, quem hoc quoque anno demortuum tradidit Verdala, sed perperam, nam ad annum saltem 1190. vitam produxisse Johannem ex sequentibus patebit: unde Raimundum Gaucelini, quem ei hoc anno substituit, e præsulum Magalonensium albo expunxit Gariellus, & recte quidem: nam anno 1182. summum pontificem Velletri adiit Johannes cum episcopo Biterrensi pro negotiis ecclesiæ Narbonensis. Eodem permutavit ecclesiam de Scafiaco cum Raimundo Anianæ abbate pro ecclesia S. Sebastiani de Mariojols. Memoratur mense Novembri ejusdem anni in testamento Borguononii, & Decembri recepit depositiones testium pro eodem. Insequenti de ipsius consensu & Petri Vabre præpositi sacrista Magalonensis Bertrandus

[Margin: 1173. — 1174. — 1176. Tom. 9. Spicileg. p. 151. — 1177. Ch. XXVI. col. 361. — 1179. — 1180. — 1181. — 1182. — Ch. LIII. col. 46. — 1183.]

ANNI CHRISTI

fundavit anniversarium pro sua salute & Raimundi episcopi quondam Magalonensis avunculi sui. Aliarum testis est donationum Johannes hoc anno, quo mortem æterna vita commutavit vir pius Bernardus, cognomento pœnitens, patria Magalonensis, qui in sancti Bertini Audomarensis familiam cooptatus, ibidem in sacello tumulatur. Cum episcopatus Magalonensis prædonum incursibus magna ex parte vastaretur, impetravit Johannes IV. calend. Febr. anni 1184. a Lucio III. summo pontifice, quas sibi specialius jam reservaverat, quasdam presbyterorum defunctorum ecclesias. Clientelare sacramentum juramenti a Guillelmo Monspelii domino, cujus fuerat tutor, mense Aprili ejusdem anni admisit coram altari sancti Nicolai Magalonensis, necnon & adfuit hominio, quod idem Guillelmus 9. Maii præstitit Raimundo comiti Tolosano. Una cum archiepiscopo Narbonensi Johannes Magalonensis episcopus Guillelmum censuris ecclesiasticis, agrumque Magalonensem anno 1187. interdicto pontificio multavit, eo quod Guillelmus quam Eudoxiæ Constantinopolitanæ conjugi juraverat fidem fregisset, superinducta Agnete Aragonum regis consanguinea, quam duxit uxorem. Cum aliis coepiscopis ratam habuit venditionem Fonti frigido factam anno 1188. a Bernardo metropolita. Præsens fuit hominio quod Guillelmus Montispessulani dominus præstitit Raimundo comiti Melgoriensi mense Mart. anno 1189. Denique quo in cathedrali sub nomine sancti Johannis sacellum erexit, anno eodem 1190. condito prius testamento animam Deo reddidit: vixit enim in episcopatu, ut habet Gariellus, annis 32. In veteri necrologio legitur: *Die S. Matthiæ tenetur capitulum facere unam missam pro anima D. Johannis de Montelauro Magalonensis episcopi.*

Ch. XXVII. col. 362. 1184. *Spicileg. tom. 10. p. 171.* 1187. 1188. 1189. 1190.

XXI. GUILLELMUS I.

RAIMOND.

Guillelmi Monspelii dynastæ patruum & abbatem Anianæ post Gariellum tradunt huuc factum episcopum Sammarthani; at cum nec in Montepessulanorum stemmate, nec in tabulis Anianensibus ullum de Guillelmo occurrat vestigium, satius est Catello stare, qui asserit Guillelmum Raimundi e canonico Magalonensi proxime post Johannem assumtum fuisse. Quin tamen Guillelmi Montispessulani frater fuerit inficias non imus: neque enim repugnat Guillelmorum series. Magalonensem episcopum electum volunt anno 1190. Ut ut hæc sunt, stirpe nobilis, virtutumque omnium gloria insignis hic præsul, suæque ecclesiæ instaurator eximius eam immunitatibus auxit, litesque exortas inter decessores & canonicos ipso sui præsulatus exordio arbitrali sententia terminavit una cum Guidone tunc capituli præposito, quam Cælestinus pontifex postea confirmavit, ut pluribus narrat Verdala. Donationem viginti solidorum censualium domui Grandimontensi de Montearbedone a Guillelmo Monspeliensi factam hoc tempore confirmavit Guillelmus, qui anno 1191. Pontio Gothofrido nonnulla & ipse largitus legitur.

1191.

Excepit eodem anno debita obsequia a Raimundo de Cornone, Raimundo & Berengario de Gigeano. Guillelmus Monspelii dominus eidem fidei sacramentum juravit in ecclesia S. Nicolai Magalonensis, adstantibus Georgio sancti Angeli cardinale apostolicæ sedis legato, Berengario archiepiscopo Narbonensi, & Gimundo Ilerdensi archidiacono. Idem præstitit Petrus de Veruna, ut constat ex mss. codicibus. Præsulis hujusce temporibus Placentinus jurisconsultorum facile princeps Monspelii jus interpretatus, vivere desiit anno 1192. & in cœmeterio S. Bartholomæi tumulo conditus est. Anno 1193. Guillelmus recognitionem recepit a Raimundo de Cornone pro parte Castellaniæ castri de Gigeano, necnon & hominium a Guillelmo domino Montispessulani filio Mathildis 1193. mense Novembri & a Raimundo & Berengario de Gigeano. Præsens nominatur quando Guillelmus Montispessulani dominus fidelitatis sacramentum præstitit Raimundo comiti Tolosano IV. calend. Jun. anni 1194. Vitæ & episcopatus metam attigit VI. calend. Febr. ejusdem anni, seu ut nunc loquimur, sequentis, cum per annos 4. menses 4. dies 12. ecclesiam rexisset. Sunt qui Guillelmo Raimundo tribuant rythmicis versibus veterem ad clerum admonitionem de modo dicendi horas, ut & quadragesimales homilias aliquot: carmina legesis apud Gariellum part. 1. pag. 249. & seq.

ANNI CHRISTI 1192. 1193. *Spicileg. tom. 10. p. 172.* 1194. 1195.

XXII. GUILLELMUS II.

DE FLEIX.

Guillelmo defuncto Guillelmus alter sufficitur patria Monspeliensis e nobili Flexiorum sanguine. Ecclesiæ Magalonensis erat & ipse canonicus, cum ad sedem episcopalem vocatur nonis Martii an. 1195. Hujus autem electionem Cælestino III. summo pontifici ratam fuisse probant variæ, quas tunc temporis in eum congessit laudes. Eodem anno mense Augusto Guillelmus de Monteferrario totum honorem, terras, homines, & feminas, quartas partes & usatica, quæ in tota sancti Andreæ de Maurino parochia possidebat, Magalonensi ecclesiæ dedit, exceptis duabus terræ *petiis*, quarum unam Guillelmo episcopo Magalonensi, alteram vero eleemosynæ ejusdem ecclesiæ tradidit. Quin ipse idem Guillelmus de Monteferrario pro salute animæ suæ & omnium parentum suorum universa usatica, & alia quæcumque jura, quæ in terminio de Villa nova habebat, Magalonensi ecclesiæ pro suo anniversario cessit, ut habetur in autographo episcopali. Habita est mense Decembri synodus Monspeliensis a magistro Michaele sanctæ Romanæ ecclesiæ legato, cui procul dubio adfuit Guillelmus noster: synodi hujus acta videsis apud Baluzium. Duplici rescripto Magalonensem episcopum Cælestinus III. dignatus est an. 1196. Horum altero facultatem ei impertit certis capituli dignitatibus vacantibus personas idoneas sufficiendi, nulla malevolorum ratione habita: altero vero eos excommunicat, qui sive episcopum, sive canonicos Romam tendentes impedirent. Ex hoc autem discimus non solum Guillelmum, sed &

Concil. Narbon. pag. 28. 1196.

ANNI CHRISTI

& decessorem, dum Romanam ecclesiam peterent captos, omnibus spoliatos, eorumque socios ad redemtionem coactos. Innocentius III. in locum Cœlestini subrogatus bulla data die 23. Aprilis an. 1198. ordinem regularem Hospitalariorum sancti Spiritus nuper, ut apud Spondanum habetur, auctore magistro Guidone apud Montempessulanum in Gallia erigi cœptum confirmavit, & privilegiis auxit. Primam hanc ordinis S. Spiritus institutionem Augustinianorum codex ad annum 1144. refert, sed mendum in ms. irrepsisse, legendumque forte 1194. inde colligitur, tum quod recens anno 1198. institutus esset ordo, Spondano teste, cum summus pontifex hunc auctoritate sua confirmavit; tum quod aliquot post fundationem annis Guidonem primum auctorem Romam acciverit Innocentius, eique hospitale S. Mariæ in Sassia commiserit, & bulla data an. 1204. ecclesias S. Mariæ in Sassia & S. Spiritus Monspeliensis conjungens, ordinem S. Spiritus constituerit, ea lege, ut ordinis universi præses commendator diceretur, & Magalonensi episcopo censum annuum persolveret, unam scilicet ceræ libram, duos denarios cum obolo, & duos capones. Perseverat etiamnum iste ordo, quem confundas cave cum ordine equestri S. Spiritus ab Henrico III. Galliarum rege anno 1579. instituto. Sed ad Guillelmum præsulem redeamus. Eo circiter anno motam inter eum & præpositum ecclesiæ Magalonensis pro nominando archidiacono litem ita definivit Innocentius summus pontifex, ut episcopus jus suum obtineret, & præpositus causa caderet. Adstitit consecrationi templi S. Crucis, quod a Guillelmo Monspel. erectum Imbertus Arelatensis archiepisc. dedicavit nonis Nov. an. 1200. Sed nec omittendum singulare privilegium quo Innocentius III. anno 1201. domesticum Guillelmi sacellum sub sua protectione suscepit, & a generali interdicto exemit. Hoc autem propterea adjecimus, inquiunt Sammarthani, ne novum aliquid videatur, quod episcopi privata domibus magnatum altaria concedant. Anno 1202. Guillelmus approbavit donationem factam hospitali S. Spiritus de horto quodam & pertinentiis suis. Dedit & præsul ipse eidem hospitali & domui hortum alium suum. Confirmavit, inquit Verdala, *acapitum* mansi de la Lausa datum per D. Guillelmum ejus antecessorem. Probavit factam a Guidone præposito permutationem cum hospitali sancti Johannis Jerosolymitani. Hujus auctoritate sopita est eodem anno quæ inter præceptorem sancti Antonii Cadulensis & Magalonensem præpositum movebatur quæstio hoc pacto, ut singulis annis nummum aureum solveret præceptor præposito pro hospitali sancti Antonii. Denique Guillelmus Monspelii testamento pridie nonas Novembris condito R. Agathensis episcopi fratris sui, G. Magalonensis & Guidonis præpositi pro uxore, infantibus & hominibus suis implorat fidem, statuitque bis in anno de omnibus reditibus suis rationem iis reddendam. Guillelmo autem defuncto, præsul noster v. id. Novembr. sacramento ab omnibus qui testamento adfuerant excepto, illud vulgavit, bullæque suæ plumbeo patrocinio communivit. Sed vix elapsus erat mensis, cum vitam & ipse explevit. Magalonæ sepultus jacet hoc subscripto epitaphio:

(Margin: 1198. — Charta XXVIII. col. 362. — Ch. XXIX. col. 362. — 1200. — Ch. XXX. col. 362. — 1201. — 1202. — Spicileg. tom. IX. p. 155.)

Hic requiescit Guillelmus de Flexio, patria Monspeliensis, episcopus Magalonensis, qui de religione & de republica bene meritus, obiit idibus Decembris anno Domini 1202. Vixit in episcopatu annis septem, mensibus novem, diebus sex, sedentibus Romæ Cœlestino III. & Innocentio III. regnante in Gallia Philippo Adeodato.

XXIII. Guillelmus III.

D'AUTIGNIAC.

Post Guillelmum Guillelmus alter assumitur, & ipse canonicus Magalonensis, ad ecclesiæ gubernaculum promotus sapientia singulari, morum suavitate, & vitæ laudabilis specimine, quam nobilitati stirpis de Altiniaco inter Leutevenses claræ adjunxerat. Electus dicitur a Gariello anno 1203. Hunc autem ad consecrandum comprovinciales cum vocasset Berengarius Narbonensis archiepiscopus, ab apostolicis legatis inhibiti sunt, donec eorum legationi stetisset Berengarius, a quo tamen non multo post inauguratum Guillelmum discimus ex eodem instrumento, in quo mense Augusto anni 1204. inter episcopos recensetur, qui appellationis Berengarii testes fuere. Ejus autem consecrationi interfuerunt, Gariello auctore, Raimundus Agathensis, Petrus Leutevensis, non vero, qui nondum sedebat Raimundus Uceticensis episcopus. Primis præsulatus sui annis approbavit Guillelmus cessionem a Guidone præposito factam sacristæ Magalon. & laudavit placitum ab eodem & magistro militiæ domus S. Egidii initum pro quibusdam ecclesiis ab iis dependentibus. Sacramentum quoque clientelæ a Guillelmo Monspelii filio Agnetis admisit. Petrus Aragonum rex mense Januario anno 1205. donum monasterio Calmiliacensi a decessoribus suis anno 998. factum confirmavit coram Guillelmo Magalonensi & Guidone præposito. Colloquii apud Monspelium hoc anno adversus hæreticos habiti meminit Percinus, quod diversum putat a concilio inibi coacto anno 1207. ubi negotii contra Albigenses tota moles S. Dominico imposita est. Interim Maria Eudoxiæ filia legitima herede Monspelii post expulsum spurium heredem Guillelmum Petro Aragonum regi in matrimonium collocata, cum rex bello ærarium omne exhausisset, Monspelienses que propterea bonis spoliaret, exasperati in regem & reginam rebellionem concitant, fugientem regem ad Lataren se castrum obsident & premunt. His tumultibus prudens antistes Guillelmus obvius furentes mitigat, & annitente Petro de Castro novo summi pontificis legato, accitisque Arelatensi, Nemausensi, Biterrensi & Leutevensi præsulibus fœdus pacis sancitum est VI. cal. Novembr. anno 1206. quod Innocentius III. summus pontifex rescripto confirmavit dato Laterani id. Apr. pontificatus an. X. Christi 1207.

(Margin: Ch. LVIII. col. 50. — 1203. — 1204. — 1205. — Lib. de hær. part. 2. p. 19. — 1206. — Ch. XXXI. col. 363. — 1207.)

ANNI CHRISTI

Eo circiter tempore Guillelmus medietatem vicariæ curiæ Monſpelienſis pretio 500. ſol. Melg. emit a Petro de Montaleone; eccleſiæ S. Martini de Lundris decimam panis & vini conceſſit; nonnullaque eccleſiæ Magalonenſi adverſus homines de Villa nova adjudicavit. Anno 1208. a Philippo Auguſto Francorum rege civitatis Magalonæ aliorumque locorum temporalium ipſa confirmatione expreſſorum non ſolum protectionis munimen, ſed & pleraque alia privilegia obtinuit ad eum modum, quo prius Johanni de Montelauro ad exemplum deceſſoris ſui Ludovicus rex conceſſerat. Diploma Philippi ex antiquo codice chartophylacii regii Pariſienſis a Sammarthanis depromtum meruit apponi in appendice. Eodem anno menſe Aprili Guillelmo fidem clientelarem juravit Maria domina Montiſpeſſulani filia Guillelmi ultimi. Occurrit & præſul noſter in archivis Monſpelienſibus annis 1209. & 1210. Cum Monſpelium in dies augeretur, eccleſiaque ſancti Firmini ſola tot populis non ſufficeret, urgentibus apud pontificem conſulibus, ad Guillelmum dedit litteras VII. cal. Februarii anni 1212. ut huic mederetur incommodo. Adfuit concilio ab A. Narbonenſi II. cal. Maii ejuſdem anni coacto, in quo eccleſiam de Cuxiaco canonicis ſancti Juſti reſtituit archiepiſcopus. Nominatur quoque inter præſules, qui motam inter Arnaldum Amalricum archiepiſcopum Narbonæ & Simonem comitem Montisfortis querelam terminarunt. Per hæc tempora Petrus Aragonum Guillelmi hortatibus incenſus, in Aben Mahometanum principem dictum *viridem* bellum movit glorioſum inſigni victoria, cujus etiamnum Hiſpani die 6. Julii feſtum agunt. Pauperum commodis invigilans eis valetudinarium hoſpitium ſancti Stephani de Brianicis ſuis ſumtibus excitavit anno 1213. teſte Catello. Finita eſt die Mercurii poſt Epiphaniam VI. idus Jan. an. 1214. hodie 1215. ſynodus Monſpelii a Petro Beneventano cardinali Romanæ ſedis legato adverſus Albigenſes & Toloſanos hæreticos, cui adfuerunt archiepiſcopi Ebredunenſis, Narbonenſis, Auxitanenſis, Arelatenſis, Aquenſis & 28. epiſcopi, quorum maxime diœceſibus ſerpebat hæreſis. Hoc inſuper in concilio ditio Raimundi comitis Toloſani data eſt Simoni comiti Montisfortis. Hujuſce canones a Gariello ex Anianenſi codice mendoſe editos correctiores reperies apud Baluzium. Guillelmo Innocentius III. in feudum conceſſit XVIII. calend. Maii an. 1215. comitatum Melgorii ſeu Montisferrandi ſub cenſu viginti marcarum argenti Romano pontifici quotannis ſolvendo, eaque lege, ut caſtrum Melgorii alienare non poſſet. Hanc deinceps infeudationem Honorius III. Gregorius IX. Alexander IV. Clemens IV. & Gregorius X. ſuis reſcriptis ratam eſſe voluerunt, iſte quidem diplomate dato Laterani X. cal. Jun. pont. an. I. Hunc autem comitatum a Romano pontifice non gratis accepiſſe Guillelmum declarat ingens illa pecuniarum ſumma ad pontificem ab epiſcopo miſſa, de qua ſic Verdala: *Porro ut laborum & expenſarum onera, quæ præfatus Guillelmus Magalonenſis epiſcopus hujus acquiſitionis occaſione ſuſtinuit, memoriæ miniſtrentur, ſciendum eſt nos in archivi noſtri monumentis fide dignis legiſſe, quod dictus D. papa Innocentius III. qui dictum feudum conceſſit, a dicto prædeceſſore habuit mille ducentas viginti marcas ſterlingorum argenti, & domini cardinales quingentas libras proviſionum: item camerarius D. papæ habuit 320. lib. proviſionum valentes C. marcas ſterlingorum: item habuit unum roſſinum & unam mulam, quæ conſtiterunt 34. libras. Item tres fratres dicti camerarii habuerunt 30. libras. Item capellanis, notariis, oſtiariis, ſcriptoribus & aliis familiaribus D. papæ quingentas libras dedit. Item pro litteris ſcribendis & bullandis quinque libras. Item expenderunt procuratores eundo Romam & redeundo pro equitaturis & aliis expenſis 300. libras. Item conſtiterunt uſuræ dictæ monetæ mutuatæ 25000. ſolid. Et ſic conſtitit dictum negotium quantum ad curiam Romanam ultra expenſas alias factas in partibus iſtis in adipiſcendis poſſeſſionibus, vendicationibus, litigiis & recuperationibus caſtrorum & jurium dicti comitatus 6600. libras Melgor.* Eodem adhuc anno Guillelmus epiſcopus dominus Melgorii & Montisferrandi conſulibus Monſpelienſibus ceſſit duos denarios ex duodecim, quos comes Melgorienſis percipere conſueverat in moneta Melgorienſi. Dedit præterea in *acapitum* iiſdem totum Valenæ nemus, retentis decem albergis militum annuis, juriſdictione, & quibuſdam aliis, & ab ipſis habuit 25000. ſolid. Melg. Prope omiſeram conventiones quas prius fecerat VI. idus Febr. anni 1210. ſeu, ut nunc loquimur, anni 1211. cum iiſdem conſulibus de ipſorum electionis forma & modo, decretum confirmantibus ſedis apoſtolicæ legatis. Electionis formulam a Sammarthanis ex antiquo codice chartophylacii Pariſienſis erutam in appendice ſubjicimus. Denique aliquanto ante obitum, ut Innocentii III. juſſa perageret, quorum ad annum 1212. mentionem fecimus, nec non ut laboranti apud Monſpelium multitudini conſuleret, cui una minime ſufficiebat eccleſia S. Firmini, templum B. Mariæ de Tabulis in parochiam erexit die feſto Pentecoſtes IV. calend. Jun. an. 1216. ac paulo poſt diem ſupremum obiit, expletis in epiſcopatu annis duodecim, & menſibus quatuor juxta Gariellum. Ergo ſaltem ante annum 1204. inauguratus non eſt epiſcopus: ſi enim annis 1204. addas duodecim & menſes quatuor, habebis an. 1216. quo defunctus Guillelmus humatur in eccleſia Magalonenſi. De eo in necrologio ſancti Dionyſii: *XI. calend. Julii obiit Guillelmus piæ memoriæ Magalonenſis epiſcopus.*

1208. — Ch. XXXII. col. 363. — *Ex Schedis Sammarth.* — 1209. — 1210. — 1212. — 1213. — 1214. — *Concil. Narb. pag. 38.* — Ch. XXXV. col. 367. — 1215. — Charta XXXIII. col. 365. — Charta XXXVI. col. 367. — 1216.

XXIV. BERNARDUS.

DE MESE.

Monſpelienſis ortu Bernardus, a teneris clericali inſtitutus diſciplina, inde canonicus & præpoſitus eccleſiæ Magalonenſis, cathedram epiſcopalem aſſequitur die II. Julii an. 1216. Conſecratus a metropolita ſuo Arnaldo Amalrico menſe Auguſto memoratur in archivis Magalonenſibus. Quamprimum factus epiſcopus confirmavit erectionem parochiæ B. Mariæ de Tabulis ab anteceſſore factam, cujus occaſione diſcordantes

ANNI CHRISTI

novum rectorem & sancti Firmini priorem ad christianam revocavit concordiam, quos inter sic convenit ex veteri codice. Ecclesia beatæ Mariæ de Tabulis subjicitur sancto Firmino; in eadem duo tantum presbyteri esse debent, qui confessiones & alia sacramenta populo administrent: prior ecclesiæ de Tabulis in pannis, lectis lignariis, candelis, cereis, & aliis funeralibus nihil petere debet, sed totum absolute prior sancti Firmini accipere. Item prior de Tabulis nullum recipere potest, nec consuevit ad sepulturam in dicta ecclesia sine licentia prioris sancti Firmini. Item ecclesia sancti Firmini prius in festivitatibus debet pulsare ad horas, quam ecclesia de Tabulis. Item prior & capellani de Tabulis ad omnes supplicationes generales, quas ecclesia sancti Firmini duxerit faciendas, venire tenentur, ita quod crux sancti Firmini semper & ubique præcedat. Item si contingat aliquem legatum, aut aliam honorabilem personam, venire ad Montempessulanum, & dicta persona elegerit recipi in dicta ecclesia beatæ Mariæ de Tabulis, hanc prior S. Firmini ibi honorifice recipiat, &c. Hanc autem sententiam cardinalis Prænestinus confirmavit, revocatis ad pacem S. Firmini & B. Mariæ prioribus. Melgorienses quoque cum Monspeliensibus confœderavit Bernardus, consulibusque spopondit se nunquam, nec successores permissuros Melgoriense castrum ab episcopi dominio distrahi, nec novum excitaturos in honore comitatus Melgoriensis. Permittit & diplomate anni 1216. curiam Monspeliensem eas lites dijudicare, quæ ad ipsam advenerint per appellationem factam a curia domini Monspeliensis ad episcopum. Institutum fuisse Monspelii an. 1217. sanctæ Trinitatis cœnobium pro redemtione captivorum patet ex rescripto Honorii papæ dato Laterani VIII. idus Aprilis pontificatus an. 1. apud Gariellum. Bernardus eodem anno cessit Bernardo operario Magalonensi omnes *gardias* & usatica, quæ habebat episcopus in toto vineto de Domonova, de Costabella & de Aigueta pro nongentis solid. Melg. & recuperavit a Raimundo de sancto Firmino bailiam de Melgorio a decessore pro 12. solidis oppigneratam. Rescriptum quoque ab Honorio impetravit, quo Melgoriensibus fidelitas Bernardo exhibenda mandatur. Anno 1218. X. cal. Julii e singulis libris Melgoriensibus quartenos denarios Jacobo Aragonum regi appendi voluit, deditque ei jus quod habebat in castris de Piniano & de Salsano, dominium, hominium, & alia quæ dominus Monspeliensis episcopo facere tenebatur pro castris de Frontiniano, de Castro novo, de Senteiranicis, seu potius pro stratis publicis, ripariis, &c. pro quibus omnibus dominus Montispessulani debet dare episcopo unum marabotinum auri, & valorem dictorum castrorum; adde quod si dicta castra a dominatione villæ Montispessulani separentur, episcopus possit omnia prædicta feuda recipere pro commisso: pro ea tamen infeudatione habuit episcopus 20000. solidos Melgor. Electum Guillelmum de Abriniaco abbatem Anianensem confirmavit pridie idus Jul.

1217.

Part. I. p. 319.

1218.

ejusdem anni. Sigillum apposuit suum bullæ Honorii III. datæ ad Ludovicum Delphinum pro Monspeliensibus XV. calend. Jun. anni 1219. Insequenti Dominicani Monspelium admittuntur, & peregrinis excipiendis xenodochium a Guillelmo de Petrafixa dotatur. Circa id temporis calend. Septembr. collapsa medicinæ schola pristino splendori restituitur, ordinatis a Conrado cardinali legato legibus, quas Monspelii sanciit una cum Magalonensi, Agathensi, Leutevensi, & Avenionensi præsulibus. Inter alia statuere, ne quis medicinam profiteretur, qui artis non edidisset specimen publicum coram episcopo & antecessoribus medicis. Eodem anno aut sequenti XI. cal. Mart. a Conrado Portuensi episc. & sedis apostolicæ legato una cum F. episcopo Tolosano destinatur Bernardus pro fundatione novi monasterii S. Petri de Almanarra in diœcesi Tolonensi. Decretum Alexandri III. super quæstione Johannem episcopum inter & Fulcrandum præpositum ratione beneficiorum ad capitulum spectantium motam confirmavit Honorius III. bulla ad Bernardum data IV. cal. Jun. pontificatus an. 5. Indictæ per Bernardum synodo diœcesanæ adesse cum renueret Guillelmus Anianensis abbas, interpellavit hac de re summum pontificem episcopus, a quo epistolam accepit datam Laterani II. calend. Jun. an. 1221. ad archidiaconum & præcentorem Agathensis ecclesiæ, quibus mandavit Honorius, ut convocatis & auditis partibus, quod canonicum foret peragerent. Hi igitur re mature discussa ad synodos adegerunt abbates Anianenses. Excepit eodem anno Bernardus fidei sacramentum a Raimundo Petri pro dynastia Brissiacensi. Insequenti Bertrando de Vallauques montem Rotundum ad *acapitum* tradidit. Circa id tempus Petro Guntardo de Montepessulano remisit omnia quæ ei facere tenebatur pro manso sito in decimaria S. Dionysii, Guntardus vero cessit alia usatica in Montearbedone. Guillelmus Lechas prior ecclesiæ de Cluseneto visitationem & præsentationem quando voluerit Bernardo episcopo obtulit, qui aliud iniit pactum cum Rostagno de Montearbedone, & Johanni de Montelauro præposito cessit dominium castri de Lundris sub hominio. Habitum est anno 1224. intra octavam assumtionis concilium Monspeliense ab episcopis trium provinciarum in causa Raimundi comitis Tolosani, &c. Permutavit eodem anno Bernardus V. id. Novembr. cum monasterio sancti Honorati Lirinensis castrum & ecclesiam de Avinioneto & S. Valerii olim a Sancio comite & marchione traditam pro ecclesia B. Mariæ de Adau. Constructas Grandimontensium & Prædicatorum ecclesias solemni ritu anno 1225. consecravit Bernardus. Præsens fuit eodem anno obsequio regi & ecclesiæ præstito ab Raimundo de Rocafolio, qui Raimundi Tolosani comitis partes sustinuerat. Balarucense castrum a Guidone Capitis porci per vim occupatum mandante summo pontifice Honorio per archiepiscopum Narbonensem hujus controversiæ judicem recuperavit an. 1226. Eodem Bernardus episc. cum hominibus Villæ novæ transegit,

ANNI CHRISTI 1219. 1220. 1221. 1222. 1224. 1225. Ch. XXX. col. 201. 1226.

ANNI CHRISTI 1227.

a quibus hominium excepit. Instituit quoque A Petrum de S. Gervasio præceptorem hospitalis de Salasone. Anno 1227. quædam prædia in loco de Piniano permutavit cum Raimundo de Rocafolio, qui jurisdictionem & castrum de Briziaco in prædium clientelare tenere se ab eo professus est. Exstat Gregorii IX. ad archiepiscopum Bituricensem data VIII. calend. Jan. pontificatus an. I. epistola, ut Ludovicum Francorum regem admoneat comitatum Melgoriensem ad Romanam ecclesiam pertinentem ab eadem Magalonensi episcopo donatum fuisse. Anno 1229. conquestus apud summum pontificem Bernardus, quod Rex Aragonum Jacobus fidei sacra- B mentum ei denegaret, litteras a Gregorio IX. ad archiepiscopum Narbonensem calend. Julii obtinuit, cui mandabat summus pontifex, ut regem ad id attentius induceret. Pepigit IV. cal. Aprilis an. 1230. cum dominis castri de Assatio super modo recognoscendi sibi dictum feudum. Ludovicus IX. Francorum rex litteris apud Parisios mense Julio datis ipsi & successoribus ejus facultatem impertit juramentum recipiendi a *licentiandis* & *doctorandis* in facultate canonica seu civili in studio villæ Montispessulani. Beatæ Mariæ de Tabulis templo miraculis illustri ampliorem augustioremque in formam edito, ut C ejus consecrationem celebriorem quoque instituer et Bernardus, a summo pontifice Gregorio IX. ad Narbonensem, Arelatensem & Aquensem archiepiscopos eorumque suffraganeos litteras obtinuit XV. calend. Aug. pontificatus anno IV. ut huic adessent solemnitati; annum vero integrum de injuncta pro noxis pœna relaxavit iis omnibus, qui consecrationi templi religiose interessent, præter remissionem quam debent facere secundum statuta concilii generalis præsules ad ipsius ecclesiæ consecrationem convenientes. Hanc solemni ritu eodem anno celebravit Bernardus, cui cum Massiliensis & Regiensis episcopi pro- D pter tumultus Aquensis provinciæ & Massiliæ dedicationi adesse non potuissent, rescripto VII. calend. Septembr. an. 1230. ad exemplum præsulum qui ecclesiam consecraverant, 40. dies de injuncta pœnitentia misericorditer relaxarunt iis, qui solemnitati interfuerant, & usque ad octavam devote accesserant. Ad eumdem quoque annum revocant fundatum a Jacobo Majoricarum rege Monspessulanum sancti Francisci conventum. Biennio post, si Gariello fides, dum Romam peteret Bernardus, vivere desiit an. 1232. Constat tamen ex Verdala Bernardum post expletos in episcopatu annos 14. menses 5. & dies E 14. supremum obiisse diem VIII. calend. Jan. & certe in necrologio Magalonensi, ipso fatente Gariello, ejus anniversarium vigilia Nativitatis Christi annotabatur. Inde sequeretur Bernardum mense Julio an. 1216. electum, jam an. 1230. obiisse, nec repugnant Magalonenses tabulæ, in quibus hoc elapso tempore nulla Bernardi amplius mentio.

Anecdot. tom. 1. col. 939.

1229.

1230.

Baluz. vit. Pap. Aven. col. 976.

XXV. JOHANNES III.

DE MONTLAUR.

Bernardo defuncto communibus canonicorum calculis generalis universæ diœceseos curator eligitur Johannes de Montelauro ex illustri hujusce nominis familia prognatus. Bernardi episcopi agebat vices anno 1223. cum monialibus Augustinianis aream struendo cœnobio idoneam prope templum S. Leonis descripsit, ecclesiamque sancti Germani de Fornelio assignavit. Inde præpositi Magalonensis dignitate potitus, cum munus utrumque digne obiisset, ad infulas assumtus an. 1232. si rectum putat Gariellus, a Narbonensi archiepiscopo Petro Amelii consecratur an. 1234. ex eodem Gariello. Pauperum sollicitus, non iis modo sua impendit, sed clericos & laicos diœcesis excitavit, concessis trium dierum indulgentiis fidelibus, qui vere pœnitentes & confessi leprosis sancti Lazari juxta pontem de Castro novo eleemosynas largirentur, litteris Monspelii datis X. calend. Aprilis anni 1234. Regestorum episcopalium fide affirmant Sammarthani Johannem sacris operatum in ecclesia B. Mariæ de Tabulis, dum nuptiarum S. Ludovici solemnitas cum Margareta Raimundi Berengarii comitis Provinciæ filia calendis Novembris Jacobo rege Aragonum præsente celebrata est, licet omnes ad unum quotquot de Ludovici & Margaretæ nuptiis scripsere tradant connubium apud Senones peractum fuisse a Galtero archiepisc. eodem anno. Exstant denique hujusce temporis litteræ Johannis, quibus castellum de Casulis B. episcopo Biterrensi ab Amalrico duce Narbonensi comite Tolosano vicecomite Biterrensi & Carcassonensi ac domino Montisfortis anno 1223. donatum fuisse testatur. Anno 1235. Rostagnus Monlaureus Johannis germanus castrum de Montelauro ipsi recognovit, at paulo post mutata sententia jus omne regi Aragonum concessit an. 1236. XVI. calend. Jun. Gregorius IX. summus pontifex ecclesiæ B. Mariæ de Tabulis miraculis claræ indulgentias 20. dierum concessit bulla data pontificatus an. X. Aliquanto post Johanni episcopo indulsit, ut in eadem ecclesia quibuslibet postulantibus sacramenta ministrarentur, & in die Palmarum tribusque ante Ascensionem diebus fierent supplicationes. Clericis quoque alia eadem die VIII. id. Jun. data bulla inhibuit, ne pro pulsandis campanis, seu pro cruce deferenda ad defunctorum corpora tumulanda pretium exigere vel extorquere præsumerent. Hisce temporibus florebat Hugo Miramarensis archidiaconus Magalonensis, qui capitulo dicavit 2. Septembr. ejusdem anni ingenii sui lucubrationes, libros nempe de rebus sacris. Rex Aragonum, qui Bernardo Magalonensi episcopo fidem clientelarem more decessorum pro Monspelio ac Latarensi castro antea denegarat, hanc recognitionem solemnem & juramentum fidelitatis coram corpore Christi posito super altare S. Firmini Monspeliensis Johanni episcopo exhibuit XVII. calend. Jan. an. 1236. instrumentum deprompsimus ex regestis curiæ Franciæ de feudis senescalliæ Carcassonensis. Aliquot post diebus Ermenjardis de Monte desiderio abbatissa S. Genesii pro monasterio suo Johanni præsuli se sacramento fidelitatis obstrinxit pridie calendas

ANNI CHRISTI

1232.

1234.

1235.

1236.

Charta XXXVII. col. 368.

Charta XXXVIII. col. 368.

ANNI CHRISTI

Januarii, eique duos mirabolinos auri singulis annis spopondit & 50. solidos Melgorienses pro concessis sibi ab episcopo agro de Massanicis, totaque S. Columbæ parochia, & iis omnibus quæ in ecclesia S. Michaelis annuatim cœnobium exigebat. Consules urbis excommunicatos quod clericis vectigal imposuissent restituit an. 1238. Johannes, ita tamen ut pecunia mulctaret erga clericos. Eodem anno Hugo Ruthenensis comes suo & Elizabethæ conjugis nomine filiæ & heredis Raimundi de Rocasolio locum de Brissiaco cum adjacentiis a D. Johanne Magalonensi episcopo in feudum habere se professus est. Cum autem Jacobus Aragonum rex multoties sacramenti fidem violasset, nonnullaque contra ecclesiam Magalonensem perpetrasset, Johannes Monspelii & Lataræ dominium in comitem Tolosanum transtulit v. calend. Septembr. qui cessit episcopo castrum de Mirabello, & villas Frontiniani & Balaruci: instrumentum in actis publicis repertum ob multa ad antiquitatem spectantia post Sammarthanos recensuimus. Anno sequenti Monspelium venit rex Aragonum, referente Johanne de Soto in ejus vita. Qui quidem episcopo Magalonensi infensus, statuit, ut probatur ex scriniis consulum, quod Magalonensis episcopus nullo deinceps tempore ad electionem futurorum consulum Monspelii vocaretur, nec ipse electioni interesset, nec alius pro eo, nec in manu ipsius aut alterius pro ipso præsentes vel futuri consules jurarent, scripto dato XVI. cal. Nov. 1239. Eodem Rostagnus de Assatio pro castro suo sacramentum Johanni præstitit. Post multas altercationes cum Jacobo Aragonum rege sequestro B. Biterrensi episcopo iniit concordiam ratione jurisdictionis Montispessulanæ super consulibus, justitiis reorum, &c. IV. idus Martias 1241. Adfuit eodem anno consecrationi Guillelmi de Casouls Leutevensis episcopi per Agathensem factæ. Academiæ Monspeliensis cancellarius Johannes episcopus leges optimas sanxit academicis die 6. Aprilis 1242. cujus prolixum diploma ex archivis episcopalibus suæ historiæ intexuit Gariellus. Subscripsit eodem anno VIII. id. Decembr. litteris Gregorii X. contra hæreticos ad fratres Prædicatores datis. Concilio Narbonæ anno circiter 1244. habito subscripsit. Ad novum *acapitum* dedit an. 1245. Petro de Montilis quidquid habebat in villa de la Lauza & totam villam de Noals, compositisque nobiles inter toparchas jurgiis, quæ pro limitibus prædiorum apud Montferrienses orta erant, iisdem in cædua Valanensi silva lignationem indulsit sub alberga novem militum. Concilio generali Lugduni habito mense Junio adfuit, defunctoque paucis post absolutum concilium diebus Raimundo Berengario Provinciæ comiti, quocum dum in vivis ageret conjunctissime vixerat, funebri pompa parentavit. Anno 1246. III. non. Augusti Bertrandus Ademarus, Berengarius Dalmatii, & Dalmatius ejus frater tutores Hugonis Guillelmi de Montearnaldo Johanni recognoverunt, quod Bertrandus & Hugo filii Hugonis tenerent in feudum villam sancti Martini de Lundris, hancque esse de mandamento castri Montisferrandi, eique sacramentum fidelitatis dixerunt apud castrum du Terrail. Anno 1247. consules universitatis de Latis, Guiraudus de Melgorio pro se & domina Guillelma uxore Bertrandi de Blandiaco Johanni quoddam jus recognoverunt pro usaticis in stagno Melgorii. Denique post sedem annorum 14. mensium 9. dierum 5. eodem anno Lugduni vivere desiit Johannes mense circiter Junio aut sequenti, cum curiam Romanam ibidem tum morantem visitaturus perrexisset. Hinc Plantavitium Leutevensem præsulem jure redarguas, qui in chronologia sua Ludovicum quemdam Magalonensem episcopum Petri Amelii Narbonensis archiepiscopi coætaneum induxit, cum & legitimis instrumentis compertum sit Johannem de Montlaur eo quo Amelius Narbonæ agebat Magalonæ sedisse tempore, nullusque tunc inter antistites Magalonenses Ludovicus inveniatur.

[Marginalia: 1238. — Charta XXXIX. col. 368. — 1239. — Spicil. tom. 10. p. 181. — 1241. — 1242. — Part. 1. p. 336. — Percin. Part. 2. p. 92. — 1245. — 1246. — 1247.]

XXVI. Rainerius.

Johanni Lugduni e vivis sublato, *pro jure de morientibus in curia* ab Innocentio IV. suffectus est mense Julio an. 1247. Rainerius Italus, Lombardus natione a quibusdam dictus, ordinis fratrum Prædicatorum alumnus, vir natalibus, doctrina, pietate, ac agendorum peritia clarus, qui ob eximias animi dotes Gregorio IX. in primis acceptus, S. R. E. vicecancellarius institutus est anno pontificatus XI. Christi 1237. Hunc autem confundas cave cum altero eorumdem nominis, ordinis, & nationis scriptore Rainerio de Pisis, de quo Trithemius in libro de scriptoribus ecclesiasticis, sæculo XIV. medio circiter currente clarissimo, qui Pantheologiam edidit & obiit anno 1351. Magalonensis vero quamprimum factus episcopus Rainerius noster, regi sacramentum dixit, nonnullaque circa bona ecclesiæ suæ temporalia sancivit, canones quoque ad restaurandam disciplinam edidit, unde exortæ contra præsulem rixæ quem habuerint finem haud satis scitur. Cum abbate Francarum vallium transegit III. id. Dec. an. 1247. de juribus villæ de Pinu. Eodem anno cum Bernardo de Muro veteri præposito de consilio & assensu capituli in beneficium per se vestiarii munus erexit a præposito Magalonensi conferendum. *Huic autem vestiario dedit in perpetuum ecclesiam sancti Gervasii de Juviniaco cum capella sua de Aussanicis, & ecclesiam sancti Juliani de Grabellis cum omnibus parochiis, decimis, usaticis, dominationibus, &c. Dedit præterea mansum de Vallemalhanica cum omnibus juribus suis & pertinentiis, quas prior sancti Firmini in archidiaconatu Magalonensi percipere consuevit: dedit & cellarium, quod est inter domum canoniæ sancti Firmini, & cellarium præpositi, statuitque hoc mediante vestiarium teneri induere omnes canonicos & conversos, exceptis prioribus. Priores autem tenentur dare vestiario singulis annis pro singulis canonicis, quos induere consueverunt, quadraginta solidos Melgor. quorum medietatem solvere teneantur eidem in synodo S. Lucæ, & aliam medietatem in synodo Paschali.*

[Marginalia: 1248.]

ANNI CHRISTI

Statuit etiam quod deinceps dictus vestiarius induat omnes canonicos, qui ad studium iverint de licentia episcopi & præpositi, modo deferant habitum ibidem commorando, aliter vero non teneatur eis in aliquo providere: codicillis datis Magalonæ XII. calend. Jan. an. 1247. Hoc statutum Clemens papa IV. rescripto ad priorem sancti Firmini ratum fecit, annuitque Rainerio, qui consilio capituli statuerat, *ut sancti Martini de Pruneto, sancti Johannis de Vedatio, sancti Sebastiani de Cassaniaco & sancti Mauritii de Sauzeto ecclesiæ ad prioratum ipsum spectantes, una cum ipso prioratu unus essent processu temporis prioratus. XVI. calend. Aprilis ejusdem anni acquisivit Rainerius ecclesiam parochialem B. Mariæ de Melgorio episcopali mensæ a præposito & capitulo, & dedit ei pro excambio ecclesias S. Petri de Cornone, S. Juliani de Casalignis & sancti Stephani de Castris & sancti Theodorici de Veyranicis cum earum capellis, retentis tamen in eisdem sibi & successoribus suis reverentia episcopali, debitis procurationibus, & antiquis synodis.* Ipse est, ni fallor, cui Innocentius IV. rescripto dato Lugduni nonis Julii pontificatus anno 6. mandavit, ut Judæos cogeret ad dimittendas capas rotundas & largas, quas ad instar clericorum & sacerdotum deferre præsumebant. At dum omnibus boni pastoris muniis adimplendis totus incumbit Rainerius, inaudito hactenus scelere intoxicata sacrosanctæ Eucharistiæ hostia sublatus est idibus Januarii 1249. juxta consuetum hodie computandi morem, post octodecim in episcopatu transactos menses. Ad vitandum deinceps tale sacrilegium communi canonicorum decreto statutum, ut presbyter sacrum peragens, diacono & subdiacono in altari sibi ministrantibus hostiæ consecratæ fragmentum & sacri calicis stillam impertiret. Necnon & canonicos omnes tam atrociter facinoris adeo exsecrandi portentum perculit, ut congregatis pro vicario generali deligendo comitiis, (quotiescumque enim cathedra pontificia vacat, episcopali munere funguntur canonici,) ordinaverint ad delendam citius ex animis tanti sceleris memoriam, ejus auctores non inquirendos esse diligentius, sed si proderentur, publicis capituli sumtibus puniendos; cautumque, ne cui ex eorum gente ad quartam usque generationem in diœcesi tota Magalonensi beneficium ecclesiasticum traderetur. Rainerio defuncto, præcepit Innocentius IV. præposito & sacristæ Magalonensis ecclesiæ, quos sui exsecutores constituerat testamenti, ut libros, ornamenta, & bona, quæ ante promotionem habebat, priori fratrum Prædicatorum Monspeliensium, ut pote quæ ad dictum ordinem de jure pertinebant, quantocius remitterent: datum Lugduni III. idus Februar. pontificatus an. 6. De eo Bernardus Guidonis sic habet: *Fr. Rainerius ecclesiam Magalonensem gubernavit. Hic fuerat vicecancellarius in curia Romana. Ejus feruntur acta plura; statuta synodalia pro cleri populique sui recto regimine, & dictionarium varia eruditione refertum.*

Baluz. Miscell. t. 7. p. 407.

1249.

Ibid. pag. 466.

XXVII. PETRUS II.

DE CONQUES. Ibid. pag. 467.

Ecclesia Magalonensi per obitum Rainerii pastore destituta, canonici W. archidiaconum, B. archipresbyterum, & priorem de Ovorio canonicum Magalonensem ad summum pontificem destinarunt, amplissima illis concessa potestate episcopum eligendi. Hi autem consulto prius summo pontifice, una elegerunt voce Petrum sacristam Magalonensem, quem confirmavit Innocentius IV. litteris ad præpositum & capitulum, necnon ad P. electum Magalonensem datis Lugduni calendis Martii an. pontificatus 6. quarum altera rite celebratam electionem denunciat, altera vero ecclesiæ Magalonensis regimen Petro committit. Sed ne quid ex hujusmodi electione eis præjudicium oriretur, aliis ad idem capitulum biduo post missis litteris liberam eis, si quando ecclesiam vacare contingeret, eligendi potestatem concessit, quam sibi etiam reservasset summus pontifex. Petrus itaque e Conchensium familia apud Monspelienses consulari natus, a teneris clero addictus, e sacrista Magalonensi præsul electus mense Februario an. 1248. hodierno more 1249. quamprimum factus episcopus summum Lugduni adiit pontificem adversus Zoen Avenionensem episcopum, qui pontificis vicelegatus Magalonensem ecclesiam indignis divexaverat modis, patrocinium quæsiturus, a quo privilegium hoc eodem anno obtinuit, ut nullus sedis apostolicæ delegatus vel delegati subdelegatus, seu conservator, aut etiam exsecutor a sede deputatus eadem in personam episcopi Magalonensis interdicti, vel suspensionis, vel excommunicationis sententiam valeret promulgare absque speciali sedis ipsius mandato faciente de indulgentia hujusmodi mentionem. Transegit IV. id. Novembr. cum abbatissa beatæ Mariæ de Bello loco, statutumque terræ portionem vulgo *la Serra* in Verunensis agri confinio ab episcopo jure possideri. Eodem anno Guillelmus de Broa Narbonensis archiepiscopus pacis inter Petrum episcopum & Aragonum regem lectus est arbiter: *consequenter,* ut habet autographum capituli, *Guido Caput porci juris peritus Magalonam veniens, reddidit Petro episcopo & capitulo litteras regis sigillo sigillatas III. cal. Mart. quibus redditis Guido dixit, quod erat paratus recipere laudimium capituli super compromisso regis cum episcopo, quod capitulum laudavit.* Permutationem fecit calend. Febr. anno 1250. cum Guillelmo Christophori archidiacono & Johanne le Blanc procuratoribus Raimundi de Rupe vestiarii, qua cessit episcopus 20. solidos Melgorienses, quos annuatim recipiebat a vestiario, pro albergis, quas Pontius de Valhauques pro suo feudo facere tenebatur. Anno 1251. a priore de Muro veteri jurisdictionem loci obtinuit, & permutavit cum domo hospitalis sancti Johannis de Montepessulano, datis per episcopum duabus libris piperis & una libra ceræ annui census sibi debitis pro horto sancti Johannis & aliis dominiis: permutationis autem nomine sibi suisque successoribus acquisivit quatuor sextaria & duos denarios censuales in tenemento de Laigalonga. Anno 1252. Maurilianenses ad clientelæ sacramentum adegit. Urbis codices declarant portorii cogendi jus

ANNI CHRISTI

1250.

1251.

1252.

ANNI CHRISTI

antiſtitibus Magalonenſibus datum, Philippi regis codicillis ſancitum, Bellicadrenſis ſeneſcalli ſententia firmatum, Petro circa id temporis aſſertum fuiſſe. Anno 1254. Petrus epiſcopus vendidit Guiraudo Galterio de Lugduno & Marcæ uxori quamdam terram in territorio de Montepeſſulaneto. Bernardus de Brugeriis prior B. Mariæ de Lundris recognovit a Petro ſe tenere in feudum quæcumque a Bertrando Guillelmi armigero emerat, albergamque octo militum ſingulis annis epiſcopis ſpopondit. Alexander IV. ſummus pontifex omnes immunitates & privilegia abbatiſſæ & monialibus de Paradiſo in ſuburbio Monſpelienſibus a Petro epiſc. an. 1254. conceſſa, quibus dictum cœnobium in multis a diœceſani juriſdictione eximitur, confirmavit, aliaque addidit Clariſſarum propria bulla data Neapoli idibus Martii pontificatus an. 1. uti docent diplomata Alexandri & Petri, quæ ex archivo cathedralis deſcripſit Gariellus p. 1. p. 571. Ludovico IX. Francorum regi fidem juravit Petrus XVII. cal. Maii an. 1255. coram Guillelmo de Antonino ſeneſcallo Bellicadri, & recognovit ſe tenere ad feudum a D. rege villam Montiſpeſſulani, caſtrum de Palude, & omnia & ſingula contenta in privilegio Philippi regis Franciæ. Aliquot poſt diebus canonici Magalonenſes dictam recognitionem ratam habuere IV. calend. ejuſdem menſis, iis exceptis quæ in privilegio regis Philippi continentur ad capitulum ſpectantia. Inſtrumentum e tabulario curiæ regis Franciæ de ſeneſcalliis Carcaſſonæ, Bellicadri & Nemauſi depromtum in appendice retulimus. Miſit eodem anno Petrus procuratorem ad concilium Biterris habitum VIII. id. Maii. Circa id tempus lapſo in facinus canonico cum pœnas depopoſciſſet Petrus, oppoſuiſſentque privilegium pontificis canonici, quod id fieri abſque conſenſu capituli erat nefas, epiſcopus ſummum pontificem Alexandrum IV. appellavit, a quo reſcriptum obtinuit, ut canonicos moneret, quatenus intra tempus ab ipſo præfigendum exceſſus emendarent, ſin minus, delinquentes ipſe corrigeret. Bulla data Laterani XI. calend. Maii pontificatus anno II. ad Petrum non pervenit : duo enim jam elapſi erant menſes, ex quo obierat, defunctus, ex ipſo Gariello, VI. id. Febr. an. 1255. juxta veterem computandi modum, poſtquam ſediſſet annos 6. menſes 11. dies 24. quo tempore Thomas Conchenſis urbis præfecturam adminiſtrabat. Alio quoque ejuſdem temporis reſcripto canonicos Magalonenſes ab eodem pontifice correptos vult Gariellus, quod comparatam legum peritiam ad cauſarum ſæcularium patrocinium transferrent.

1254. 1255. Ch. XLI. col. 370. Ch. XLII. col. 371.

XXVIII. GUILLELMUS IV.

CHRISTOPHLE.

Integer vitæ vir, & verbi Dei præco egregius, Guillelmus Chriſtophori Monſpelienſis, ex canonico Magalonenſi & archidiacono fit præſul ineunte Maio 1256. ut patet ex litteris Johannis Gundalrici præpoſiti ad G. Narbonenſem archiepiſcopum V. non. ejuſdem menſis datis, quibus Guillelmi electionem ſignificat. Magalonenſis eodem die electus delegavit Guillelmus P. Juliani priorem de Lunello canonicum Magalonæ, qui pro ipſo & eccleſia Magalonenſi defenſionem feudi Monſpelienſis a Ludovico rege expoſceret. Anno eodem juxta veterem ſtylum die Martis poſt octavas Nativitatis Domini juravit ſuper ſancta Dei evangelia D. Guillelmo de Antonino militi ſeneſcallo Bellicadri recipienti pro D. Ludovico rege, quod fidelis eſſet eidem domino & ſucceſſoribus ipſius pro feudo quod tenebat ab ipſo, & inſuper pro omnibus aliis, quæ D. Petrus bonæ memoriæ anteceſſor ſuus ſe tenere recognoverat a D. rege Franciæ, ex regeſto curiæ Franciæ de ſeneſcalliis Bellicadri & Carcaſſonæ. Habitum eſt VIII. id. Septembr. an. 1258. a Jacobo Narbonenſi metropolitano provinciale Monſpelii concilium adverſus invaſores bonorum eccleſiaſticorum, & eos qui perſonis eccleſiaſticis injurias intulerint, adverſus clericos mercimoniam publice, aut mechanicas artes exercentes, circa tonſuram clericalem, & majorum ordinum promotionem. Hujus ſtatuta videſis apud Gariellum, qui primus in mſ. codice Anianenſis monaſterii reperta in lucem edidit. Aliquanto ante a conſulibus & academicis Monſpelienſibus deprecator & arbiter electus fuerat Guillelmus, ut rixas inter ipſos & regem Aragonum ſubortas compeſceret. Rege itaque Monſpelium veniente, ut inde Corbolii Ludovicum regem conveniret, exorantibus prælatis, ipſoque interveniente Ludovico, rex Aragonum Monſpelienſibus pepercit diplomate dato in plano juxta domum Prædicatorum Monſpelienſium, ubi populus ad mandatum regis ad publicum convenerat parlamentum IV. id. Decembr. 1258. adſtantibus Jacobo Narbonenſi archiepiſcopo, Guidone Anicienſi, Arnaldo Barcinonenſi, B. Elnenſi, G. Ruthenenſi, G. Magalonenſi epiſcopis, Pontio præpoſito Magalonenſi, &c. Suborta frequentius inter Magalonenſes epiſcopos & regem Aragonum diſſidia Guido Anicienſis epiſcopus Narbonenſis electus judex tum a Jacobo rege, tum a Guillelmo epiſcopo conſtitutus diremit an. 1260. ſtatuitque juriſdictionis utriuſque apud Montempeſſulanum limites, quibus ita compoſitis, Jacobus rex Guillelmo præſtitit hominium, quemadmodum Johanni deceſſori prius fecerat. Biennio poſt ſcilicet an. 1262. nunc 1263. 14. Jan. ad meliorem vitam tranſiit Guillelmus poſt regimen annorum ſex, menſium octo & dierum undecim, quibus a 14. Jan. 1263. detractis, habetur dies 3. Maii 1256. quo electum diximus. Corpus in ſancti Petri Magalonenſis eccleſia deceſſorum more tumulo conditur.

1256. 1258. Ch. XLIII. col. 372. 1260. 1262.

XXIX. BERENGARIUS.

FREDOL.

Aliquanto poſt defunctum Guillelmum electus eſt Berengarius Fredoli canonicus Magalonenſis, e nobili Fredolorum ortus familia, Aleſti comitibus cognatione proxima, germanus Petri domini de Veruna. Sedebat autem exeunte jam 1262. ſeu, ut nunc loquimur, 1263. ineunte, ut conſtat ex inſtrumento aſſervato in bibliotheca Colbertina, in quo Urbani papæ bullam inſpexiſſe teſtatur eodem anno. Coacta circa id tempus

1263.

ANNI CHRISTI

synodo sacerdotes omnes ad virtutem accendit. Eo quoque anno Johanni de Ripa, duobusque aliis Monspeliensibus ad legem decem denariorum cudendæ monetæ, Miliarensis dictæ, facultatem impertit in toto episcopatu & comitatu, exceptis castro Melgorii & fortia superiori Montisferrandi. Constantiam Manfredi regis Siciliæ filiam cum Petro rege Aragonum a Berengario in ecclesia B. Mariæ de Tabulis tunc temporis matrimonio junctam auctor est Mariana. Anno 1263. Berengarius quædam emit a Bonifacio Guidonis Capitis porci, unaque cum Johanne Atbrandi præposito, Pontio de Soregio sacrista & Raimundo de Bociacis Magalonensi canonico & sancti Firmini Monspeliensis priore compositionem totius capituli consilio fecit cum Guiraudo priore & fratribus conventus Prædicatorum Monspeliensis, quibus concessit episcopus ampliationem cœmeterii, multiplicationem altarium, liberam prædicandi facultatem, nisi aliquis de canonicis ad prædicandum paratus prædicare vellet, decimas denique hortorum, terrarum, vinearum in domo & conventu. De sepulturis, lectis funeralibus, oblationibus & legatis eadem compositione definitum est. Debent vicissim dicti fratres ob honorem episcopi & ecclesiæ Magalonensis solvere singulis annis infra octavam apostolorum Petri & Pauli episcopo unum marabotinum, præposito alium, & alium sacristæ, debentque duo fratres in festo S. Firmini sequi processionem parochialem. Orta inter Berengarium & consules circa Valenensem silvam lis anno 1264. finita est, statutumque ad episcopum spectare jurisdictionem. A summo pontifice Clemente IV. delegatus fuit II. cal. Sept. an. 1265. qui pacem inter Narbonensem archiepiscopum & Biterrensem antistitem componeret. Idem pontifex Berengario ob proventus suos in bello Saracenorum consumtos decimam certis in regionibus concessit XIII. calend. Mart. pontificatus anno I. Cum autem Ludovico IX. Francorum regi suggestum fuisset injuste sibi vel Petro Peleti domino Alesti comitatum Melgoriensem abstractum fuisse, consultus ab eo summus pontifex Clemens IV. rationes deduxit XVI. calend. Octobr. an. 1266. quibus ad episcopum Magalonensem devolutus comitatus pertineret; eademque die ut omnem Ludovico tolleret contentionis ansam, inhibuit episcopo, ne monetam Miliarensem cuderet in feudis non suis. Permutavit eodem anno Berengarius cum Raimundo de Bociacis præposito. Insequenti monitus a Berengario summus pontifex Monspeliensem clerum consulum auctoritate vectigalibus premi, ut ab hujusmodi vexationibus desisterent rogavit bulla data non. Aprilis pontificatus anno 3. A Deodato de Podio furnum de Balaruco comparavit calend. Jul. 1268. feudasque de Gigeano acquisivit a B. de Grazillericis. Eodem anno consecravit ecclesias beatæ Mariæ de Tabulis, S. Firmini & sancti Dionysii. Interim Jacobus rex Aragonum, Monspelii dominus, in scholas juris civilis G. Sergenium cum intrusisset professorem futurum, illum & ejus scholares sententia excommunicationis multat Berengarius, quod eo non consentiente id muneris occupasset: re ad summum pontificem delata, confirmatur jus Magalonensis episcopi amplissimo diplomate, in quo citat canonem synodi papæ Eugenii, statuentem ab universis episcopis omnem habendam esse curam, ut magistri constituantur, qui studia litterarum assidue doceant, monetque Magalonenses episcopos id juris semper in aliis facultatibus habuisse. Ea procul dubio de causa graves intercesserunt inter hunc episcopum & Jacobum inimicitiæ, ut liquet ex hujus regis litteris ad Maurinum Narbonensem archiepiscopum. Expostulante circa idem tempus Berengario de nonnullis ad comitatum Melgorii contra fas sibi ablatis, Ludovicus rex binis ad senescallum Bellicadri scriptis litteris ita Berengarium protegit. *Ne permittatis,* inquit, *episcopo Magalonensi, vel feudalibus suis in illis feudis quæ tenentur a nobis violentiam indebitam seu injuriam in aliquo inferri seu fieri in quantum ad vos pertinet, nec feuda propria illicite occupari, & eosdem episcopum & ejus feudales & subfeudales ipsos a talibus, prout justum fuerit & ad vos pertinet, defendatis*: datum Parisiis Dominica ante Nativitatem Domini 1268. Hoc etiam tempore Raimundus Vassadellus, Raimundus Monlaureus domicellus & Raimundus de Bociacis præpositus Magalonensis condomini de Vico omnes simul & singuli pro partibus a Berengario Magalonensi episcopo & ecclesia Magalonensi in feudum se tenere confessi sunt totum castrum de Vico cum omni jurisdictione & pertinentiis suis, ac consequenter manibus junctis hominium fecerunt. Anno 1270. Ludovicus rex apud Aquas mortuas Monspelium in suæ tutelæ patrocinium admittit. Eidem Berengarius libellum supplicem obtulit, quo de injuncta sibi obligatione veniendi in conspectum Guillelmi de Cohardone senescalli Carcassonensis & Biterrensis, ut pro bonis quæ a rege tenebat fidem præstaret, conquerebatur. Insequenti 1271. regi clientelare obsequium exhibuit, dominumque Montispessulani agnovit & limites Gigeani & Balaruci castri præfixit. Scripto rationes deduxit anno 1272. quibus ab armis pro rege ferendis subditos suos eximere conabatur. Subscripsit eodem anno litteris comprovincialium ad Gregorium decimum datis, ut Petrum de Montebruno Narbonensem electum cito expediret & ad ecclesiam eamdem destinaret, simulque eorumdem litteris ad cardinales Viterbii congregatos, ut Petrum ad ecclesiam suam quamprimum accedere sinerent. Quin & ab iisdem prælatis una cum abbate sancti Egidii ad regem missus est litteras laturus in gratiam ejusdem electi. Cum Jacobo Aragonum rege pactum iniit nonis Jan. an. 1273. & nonis Apr. insequentis jurisperitis quibusdam arbitris lites exstinxit, quas cum ipso habuerat pro jurisdictione de Cornone. Gregorius X. qui concilium generale Monspelii celebrare in mente habuerat, mutato consilio, Lugduni celebravit an. 1274. huic autem adfuit Berengarius. Invitatur anno 1277. ad concilium provinciale Biterris habendum.

Petri

Marginalia: 1264. 1265. Ch. XLIV. col. 373. 1266. Ch. XLV. col. 374. 1267. Ch. XLVI. col. 375. 1268. — Ch. LXXII. col. 68. 1270. 1271. 1272. Charta LXXIII. col. 68. Baluz. conc. Narb. app. pag. 176. 1273. 1274. 1277.

ANNI CHRISTI

1278. Petri Narbonensis archiepiscopi opera novam cum rege Majoricarum Jacobi nuper defuncti filio iniit compositionem pridie calendas Julii an. 1278. circa utriusque jurisdictionem in Montepessulano: hujus tenorem videsis inter instrumenta. Anno 1279. interfuit synodo provinciali Biterris habitæ in crastino inventionis S. Crucis. Permutavit eodem anno cum Nicolao ministro S. Trinitatis prope villam Montispessulani, Balarucensiumque pro silva de Balaruco recognitionem admisit. Fundavit & dotavit anno 1280. capellam sancti Blasii inter aulam & cameram episcopalem Melgorii, ea lege ut quotidie in ea celebraret capellanus, horisque canonicis in ecclesia B. Mariæ vicina interesset. Quo etiam tempore Jacobus Balearium rex & dominus Montispessulani, sequestro Berengario, magistratibus pepercit, qui minus honeste consulatum administraverant. Anno 1281. ecclesiam S. Michaelis de Villa paterna prope Gigeanum dotavit, retenta visitatione & procuratione: hanc autem postea permutavit cum priorissa S. Felicis de Montesevo, quæ ei cessit ecclesiam parochialem S. Christinæ prope Melgorium. A sede apostolica deputatus fuit anno 1282. ut dissidium inter archiepiscopum Narbonensem & abbatem sancti Pontii exortum terminaret. Confirmavit eodem anno factam inter Bertrandum de Duroforti vestiarium & Bertrandum de Vallauquesio domicellum compositionem super jurisdictione de Gra-bellis, sedensque pro tribunali clericos ad aliquam contributionem cum laicis faciendam compelli non posse pronunciavit. Collapsam Melgorii politiam optimis legibus restituit anno 1287. In-sequenti Henricus Ruthenensis comes se tenere a D. Berengario Magalonensi episcopo & comite Melgorii & Montisferrandi castrum de Brissiaco recognovit in præsentia Pontii de Canillac Anianæ abbatis, Petri Peleti domini de Alesto, &c. Emit eodem tempore Berengarius furnum de Muroveteri pro 16000. libr. Melgor. necnon ob evidentem utilitatem ecclesiæ Magalonensis, & specialiter ad satisfaciendum nobili viro comiti Ruthenensi in 3000. libr. Melgor. pro pretio castri de Brissiaco, quod ab eodem comite emere proposuit, Ademaro de Capreolis Magalonensi præposito totum montem sancti Baudilii de Montesevo & garrigiam de Noalibus vendidit, & a Bernardo Gaudalmari milite, pro his quæ in villa sancti Martialis de Assatio habebat recognitionem & jusjurandum genibus flexis ac manibus junctis præstitum recepit. Anno 1289. Nicolaus IV. summus pontifex diplomate dato apud S. Mariam majorem VII. calend. Novembr. universitatem, sive gymnasium generale in civitate Monspeliensi auctoritate apostolica, si non erexit, at saltem confirmavit, plurimumque illustravit, quod hodieque celeberrimum est, maximaque scientiæ laude & gloria floret. Jam tum Montispessulani locus celebris plurimum & famosus erat, valdeque aptus pro studio, ut ipsemet asserit pontifex, qui inibi voluit esse studium generale, in quo magistri docerent, audirentque in quavis licita facultate scholares, & ut ad magisterium promovendi episcopo præsentarentur, ab eoque examinati probarentur; vacante autem sede, examen fieret ab aliquo e tribus archidiaconis. Neque tamen academiæ Monspeliensis primordia ab hoc anno repetenda: constat enim Placentinum ibi docuisse ante annum 1190. Azonemque Accursium circa annum 1220. ideoque Nicolai diploma non tam de nova erectione & institutione, quam de apostolica confirmatione intelligendum. Hanc plurimis postea Carolus IV. Johannes, Carolus VII. & Franciscus I. reges academiam privilegiis ditavere. Anno 1290. Berengarius præsens adfuit juramento, quod Raimundus Costa Elnæ episcopus capitulo Narbonensi præstitit. Anno 1291. XIV. calend. Augusti Bertrandus Matthæi officialis Magalonensis Monspelium septem mensium solemni multavit interdicto, eo quod Monspelienses consules pluribus excommunicationum sententiis posthabitis, Magalonensis ecclesiæ clericos contributionibus laicorum contra fas in suis collectis submisissent, rebusque eorum direptis ipsos violenter cepissent & detinuissent, portas eorumdem & locorum divino cultui mancipatorum ab hospitiis removendo, hospitia etiam clericorum ad porcorum porcilia, ad latronum speluncas & stabularia bestiarum redegissent, pro quibus omnibus & aliis similibus delictis totam villam Montispessulani cum suburbiis generali supposuit interdicto, vetuitque ne divina celebrarentur officia, ecclesiasticaque inibi ministrarentur sacramenta, nisi quæ canones sanciunt. At Narbonensis archiepiscopus interdicti spatium septimestre ab officiali promulgatum auctoritate sua contraxit. Paupertati sancti Leonis monialium Berengarius in capitulo generali Magalonæ celebrato v. calend. Jan. 1292. subvenit, eisque concessit omnem usum ecclesiæ sancti Baudilii de Montelauro tunc vacantis. Exinde cum attenderet jura ecclesiæ Magalonensis a rege Majoricarum impune violari, ad regem Galliæ tanquam ad sacram anchoram confugit, ideoque jurisdictionem temporalem episcopi in Montepessulano, quam rex Majoricarum nimis opprimebat, cum Philippo rege Francorum permutavit mense Martio ejusdem anni, & in compensationem habuit quingentas libras Melgoriensis annui reditus assignandas in terra regis, qui ecclesiæ Magalonensi eodem quoque anno indulsit, ut intra quindecim annos episcopus & capitulum ducentas libras annui reditus in diœcesi Magalonensi possent acquirere, salvo censu regali; pollicitusque est, quod si acquireret partem domini Monspeliensis in moneta Melgoriensi, hanc episcopo & successoribus dimitteret. Permutationis administer Petrus de Capella Carcassonensis antistes negotium hoc postea absolvit, assignatis episcopo ad exstinguendas quingentas libras annui reditus villa & balio Salvii, castro & balio de Duroforti, totoque jure quod rex habebat in Porsiano. Interim Philippi regis nomine Alphonsus de Roveiraco Bellicadri senescallus Monspelii iniit possessionem calend. Martii 1293. novosque creavit magistratus, quibus sigillum regium tradidit. Johannes de Rocafolio monachus S. Guillelmi de Desertis

Marginalia (left column): 1278. — Ch. XLVII. col. 375. — 1279. — 1280. — 1281. — 1282. — 1287. — 1288. — 1289. — Gariel. Part. I. p. 410.

Marginalia (right column): 1290. — 1291. — Ibid. pag. 412. — 1292. — Charta XLVIII. col. 376. — 1293.

ANNI CHRISTI 1294.

prior ecclesiæ de Lundris Berengario sacramentum profitetur XI. calend. Jun. 1294. Paulopost Berengarius conventionem initam inter Petrum de Conchis & Melgorii procuratores firmavit. Emit v. cal. Febr. an. 1295. varias possessiones a Petro Fredoli domino de Veruna germano suo, quem cum Berengario de Omelatio sacrista Magalonensi procuratorem instituit eodem anno, ut nomine ipsius possessionem nanciscerentur castri de Porsiano, eorumque omnium, quæ causa permutationis a Philippo rege ei fuerant concessa. Idem annus sororum sancti Dominici seu virginum Pruliani parthenonis initium fecit, qui in suburbio Monspeliensi conditus est. Harum ecclesiam postea consecravit Berengarius. At anno 1381. bello pulsæ domo sua istæ moniales, tandem Albanensis cardinalis precibus sancti Guillelmi valetudinarium a consulibus obtinuere. Berengarius vero expletis 33. annis, aliquotque in episcopatu mensibus, plenus meritis, anno 1296. tumulo a se condito ad dextram majoris altaris Magalonæ conditur. Gariellum non sequor, qui 34. annos 8. menses & dies 3. regiminis Berengario tribuit: ab anno enim exeunte 1262. quo electum ipse concedit usque ad mensem Augustum anni 1296. non plures numerantur quam 33. anni cum mensibus aliquot.

1295.

1296.

XXX. GAUCELINUS I.

DE LA GARDE.

Ch. XLIX. col. 378.

De successore Berengarii defuncti dissentientibus diu canonicis Magalonensibus, pauciorum suffragiis electio permissa est. Hi Bernardum de Viridisco elegerunt e gremio suo archidiaconum Magalonensis ecclesiæ, qui jus suum in manibus Papæ sponte ac libere abdicavit. Bonifacius itaque Gaucelinum a Leutevensi ecclesia absolutum ad Magalonensem promovit bulla data Anagniæ IV. id. Aug. pontificatus an. 2. Renunciatus antistes Gaucelinus solemne fidei sacramentum a Balarucensibus suo & Magalonensis ecclesiæ nomine præstitum excepit pridie id. Novemb. in capitulo generali circa id tempus habito. Statutum olim a decessore editum circa bona morientium canonicorum, priorum, & rectorum ecclesiarum confirmavit, rixantesque inter se super collatione beneficiorum canonicos ad concordiam revocavit, qui jus ei omne suum ad quinquennium transtulere mense Decembri, data episcopo potestate ut personatus, ecclesias, prioratus & beneficia ad collationem præpositi, seu ejus institutionem cum Magalonensi capitulo pertinentia infra dictum temporis spatium conferret, dummodo se eorum nomine & vice fecisse declararet. Anno sequenti pridie id. Maii de ejus consensu mensæ capitulari unita est quædam domus sita in Villa nova. Delegatus a Bonifacio VIII. pontificatus anno III. fratres hospitalis famosi Aubracensis paulo ante hospitalariis sancti Johannis Jerosolymitani subjectos ad regulam & institutum sancti Augustini revocavit litteris datis die Lunæ ante Natale Domini an. 1297. Eodem pepigit cum consulibus Monspelii de furtis in nemore de Valena patratis, & cum consulibus de Frontiniano super stagno dicto *Agnes*. Eo etiam tempore excepit hominium a Pontio Petri domino de Agantico pro castro de Brissiaco. Guillelmus de Fabricis, Roquetenses proceres, Raimundus Ruteanus Grabelensis, aliique Occitaniæ nobiles viri Gaucelino jus clientelare rependerunt anno 1298. Idem præstiterunt an. 1299. Guillelmus de Fabricis, Petrus de Cornone, Raimundus Atbrandi de Sausano & de Pegueirolis, Petrus Fredoli & Bertrandus monachus pro castello de Fabricis. Concilio Biterrensi IV. calend. Novembr. ejusdem anni adfuit Gaucelinus, ibique cum episcopis qui simul interfuerant subscripsit litteris ad Philippum IV. regem pro archiepiscopo adversus vicecomitem Narbonensem. A summo pontifice cum Leutevensi episcopo delegatus, Elixim de Fara abbatissam de Elnonenca instituit. Anno 1300. a regiis administris propter comitatum Melgorii divexatus, a summo pontifice ad regem obtinuit litteras XV. calend. Aug. pontificatus an. 6. quibus Philippum rogat Bonifacius, ut ab injuriis hujusmodi deinceps desistat. Interfuit eodem anno initæ inter Bernardum Appamiarum episcopum & Rogerium Bernardi comitem Fuxi concordiæ super castro & villa Appamiensi, ipsiusque ope Rogerius Bernardo fidem juravit. Exstant Gaucelini litteræ anni ejusdem, quibus excusat se quod non possit interesse consecrationi electi Carcassonensis. Apud Silvanectum agebat pro negotio Bernardi episcopi Appamiensis anno 1301. ut testantur litteræ ibidem datæ mense Octobri. Guido de Roca miles Gaucelino præstitit hominium pro castello de Porsiano anno 1302. Philippus rex eodem anno Parisios remeans, Monspelii dies aliquot substitit, ubi Gaucelinum episcopum, Magalonensem clerum, & Monspelium variis auxit privilegiis. Sancti Genesii abbatissam nuper electam Alberissam ad obsequium clientelare adegit eodem anno Gaucelinus, nova semper aut præsulis, aut abbatissæ creatione restaurandum. Id præstitit Guillelmus Apianus miles pro castro de la Roquete & villis Sustantionensibus. Ex charta thesaurarii regii Parisiensis tradunt Sammarthani Gaucelinum an. 1302. cum Suessionensi episcopo delegatum fuisse pro pacis fœdere ineundo super controversiis Philippi pulchri Francorum & Jacobi Aragonum regis. Stagnum de Tauro limitavit an. 1303. mense Maio, & quantum in eo diœceses Magalonensis & Agathensis se extendunt cum Raimundo Agathensi episcopo terminavit. Litteris XIII. calend. Septembr. datis apud Rippam diœcesis Leutevensis, ubi tunc ægrotabat, promisit se regem contra Bonifacium VIII. qui multa comminatus fuerat, pro virili tutaturum, nec ab eo unquam discessurum, eosque omnes qui appellationi ab ipso factæ adhæserint defensurum. Recognitiones & hominia III. cal. Octobr. a Raimundo Ademaro, necnon & a Raimundo Puteano canonico & priore de Grabellis eodem anno excepit. Sedit, juxta Gariellum, annis octo, mensibus sex, diebus tribus. Ergo non anno 1303. ut ipse vult, sed 1304. juxta veterem stilum die XI. Mart. corporis ergastulo solutus est Terralii, præsentibus Biterrensi, Agathensi,

1297.

ANNI CHRISTI

1298.

1299.

1300. Ch. L. col. 379.

Anecdot. tom. 1. col. 1334.

1301.

1302.

1303.

Diffid. Bonifac. & Philipp. instrum. pag. 164.

1304.

ANNI CHRISTI

Leutevensi episcopis, & Anianæ, Vallis magnæ A sanctique Egidii abbatibus. Et certe in necrologio sancti Egidii asservato in bibliotheca fratrum Prædicatorum Camberiacensi legitur : *IV. id. Mart. depositio D. Gaucelini de Garda bonæ memoriæ quondam episcopi Magalonensis an. Domini 1304. habeat officium cum processione & pauperis refectione.* Magalonæ celebri pompa funeratus ante altare sepelitur.

DE MIREPOIX.

XXXI. Petrus III.

Gaucelino humanis rebus exemto, scinduntur contraria in studia incerti canonici, dumque altercantur inter se annus est. Nefarias interea non- B nullorum canonicorum molitiones tabulæ publicæ commemorant, qui adversus capitulum insurrexerunt, multaque sacrilego ausu moliti sunt, donec curis Johannis de Montlaur archidiaconi, ecclesiasticæque rei sede vacante præfecti, tot dissidiis agitatæ mentes in Berengarium Fredoli cardinalem episcopum Biterrensem conspiraverint, quo recusante, Magalonensi ecclesiæ pastorem designandum sibi reservavit Clemens V. & præfecit capellanum suum Petrum de Levis canonicum Parisiensem bulla data XI. calend. Febr. pontificatus an. I. quem a se confirmatum regi commendavit. Petrus autem patre Guidone & C marescallo Mirapicensi, Florensaci dynasta, ex clarissima simul & vetustissima stirpe de Levis & ramo dominorum Mirapicesii oriundus, qui bellica virtute inclyti, & præclaris facinoribus contra Albigenses hæreticos marescallorum fidei titulum promeriti sunt, matrem habuit Elizabetham de Marliaco Burchardi Marliacensis natam ex clarissimo Montismorenciaci sanguine exortam. Factus episcopus adfuit translationi capitis S. Ludovici ad sacram capellam Parisiensem anno 1306. ubi cum aliis prælatis largitus est indulgentias. Judæi ex universa Gallia regis edicto ejecti, circa id tempus Monspelio excedunt. Anno 1307. Petrus D clientelare obsequium excepit a Johanne Marci jurisperito & a Pontio Petri pro villa de Agantico ; terminataque est quæ inter eum & procuratores regios lis inerat circa fines ditionum Melgoriensis & Lunelensis. Egidio Narbonensi archiepiscopo juravit obedientiam die Jovis ante festum sancti Nicolai anno 1308. Statuit eodem anno ne moniales in sancti Genesii parthenone numerum quinquagesimum deinceps excederent. Usatica quædam, quæ faciebat præceptor domus sancti Salvatoris domui Teutonicorum Monspeliensi, permutavit cum quibusdam aliis usaticis per eumdem præceptorem ipsi datis. Hic autem ordo E non multo ante Monspelii exceptus fuerat, cui amplum civitas hospitium pro ægris in suburbiis erexit. Exstant litteræ vicarii generalis Petri Magalonensis episcopi ad Egidium Narbonensem archiepiscopum datæ die 21. Maii anno 1309. pro subsidio hospitalariis Jerosolymitanis concesso ad recuperandam terram sanctam. Ad Cameracensem sedem paulo post evocatus Petrus, transiit inde ad Bajocensem. Vide quæ de eo diximus tom. 3. col. 41.

1306. 1307. 1308. 1309.

XXXII. Johannes Raimundus.

DE COMINGES

Petro successit Johannes Raimundus Bernardo V. Convenarum comite & Laura de Montfort parentibus ortus, vir prudentia, sanguinis nobilitate, & morum integritate commendandus. Creatur episcopus Magalonensis, non a Johanne XXII. qui nondum apostolicam sedem ascenderat, ut tradiderunt Verdala & Catellus, sed a Clemente V. qui ad Johannem Magalonensem & Majoricensem episcopos bullam direxit IX. calend. Julii pontificatus anno IV. Christi 1309. (annis a Clemente coronato computatis) qua eis Jacobum de Roma eremitam commendabat, qui infantes pauperes & orphanos alebat de eleemosynis, quas a fidelibus colligebat. Hoc eodem anno Raimundi Conchensis pro Botoneto prædio excepit hominium, & a rege obtinuit præceptum, ne strictioris sigilli curiæ custos presbyteros aut clericos aliosve in sacris ordinibus constitutos caperet, etsi obligatos viribus parvi sigilli, sin, ut captos episcopo Magalonensi aut ejus vicario requisitus restitueret. Epistola apud Murumveterem scripta IV. calend. Feb. an. 1310. prædictum Jacobum de Roma per totam diœcesim commendatum vult, iisque omnibus qui tam pio operi manus porrigerent adjutrices, indulgentias elargitur. Concilio Viennensi anno 1311. interfuit. Ortam inter Raimundum de Bellopodio & universitatem hominum de Villa nova super stagno Magalonæ quæstionem electus arbiter definivit anno 1312. quo solemni quatuor dierum indicta supplicatione pluvia per Deiparam obtinetur, nuncupatis ad ecclesiam B. Mariæ de Tabulis votis. Exortæ inde ex siccitate annonæ caritati ut subveniret, Monspelium petiit, episcopalem domum in hospitalem convertit, omniaque in egenos vere pauperum pater erogavit. Comitiis patriæ Occitanæ apud Tolosam mense Augusto an. 1313. habitis adstitit cum plurimis episcopis, quos regi suspectos, præcipuosque rebellionis fautores fuisse tradit Guillelmus Bardini in historia Parlamentorum linguæ Occitanæ. Cameræ apostolicæ eodem anno die 28. Oct. solvisse legitur in regestis Vaticani. Vespertinum campanæ ad salutationem B. Virginis pulsum Johannis Magalonensis episcopi auctoritate sancitum circa annum 1316. notant codices urbici. Apotheosi sancti Ludovici Tolosani episcopi a Johanne XXII. VII. id. Aprilis an. 1317. celebratæ adfuit. Denique erectæ in metropolim aliquot post mensibus ecclesiæ Tolosanæ præficitur Johannes, factus inde cardinalis, episcopus Portuensis, ut suo loco fusius enarrabimus.

1310. 1311. 1312. 1313. 1316. 1317.

Johanni suffectus est germanus Simon de Convenis, qui ante inaugurationem defunctus, Magalonensium episcoporum fastis adscribi nequit.

XXXIII. Galhardus.

SAUMATE.

Villa nova in territorio Ruthenensi oriundus Galhardus, Johanni XXII. papæ familiaris, notusque ob constantem vitæ cum dignitate traductæ famam, e Reiensi ad Magalonensem præsulatum

Tom. I. col. 404.

ANNI CHRISTI

a summo pontifice assumtus, cameræ apostolicæ promisit die 6. Novembr. 1317. ut liquet ex libro obligationum prælatorum. At pontificis distentus negotiis, cum Magalonam accedere non posset, per patruum Olricum Saumate, quem vicarium generalem XIV. calend. Decembr. renunciaverat, per aliquot tantum menses rexit, translatus inde a Johanne XXII. ad archiepiscopatum Arelatensem VI. id. Febr. pontificatus an. 2. ut diximus tom. I. col. 575. edocti bulla Johannis ad præpositum & clerum Arelatensis ecclesiæ, quam nunc primum edimus: alterius vero ad ipsummet Galhardum eadem die datæ, quam edituros nos Magalonensibus episcopis aliquando sperabamus, solum superest initium.

1318. Ch. LI. col. 380.

XXXIV. ANDREAS.

FREDOL.

Galhardum proxime excepit Andreas virtute nobilis & sanguine, filius quippe Petri Fredoli domini de Veruna, germanus autem Berengarii & Guillelmi Biterrensium episcoporum. Ex canonico Magalonensi factus primum episcopus Uceticensis, ad Magalonensem transiit ecclesiam bulla Johannis XXII. data Avenione VI. idus Febr. pontificatus anno 2. Christi 1318. Cameræ apostolicæ promisit die 25. ejusdem mensis. Huic Avenione Magalonam petenti ad Lunellum vetus solemni delegatione salutaturi obviam iverunt canonici, a quibus cum intellexisset magnam capituli bonorum præpositi sive negligentia seu infirmitate factam jacturam, huic remedium allaturum spopondit. Ortas inter eum & præpositum quæstiones terminaverunt an. 1319. electi arbitri Johannes de Montlaur & Berengarius de Fabricis. Eodem anno a Johanne XXII. bullam accepit IV. non. Novembr. adversus eos qui ad ecclesias tanquam ad asyla confugiebant, ne debita persolverent, quos ne defendant clerici vetat summus pontifex. Eo etiam tempore Sancius rex Majoricarum fundavit Monspelii domum B. Antonii pro infirmis ignitis, ac propterea concessit præceptoriam & hospitium de Villafranca cum capella & juribus omnibus. Hoc adhuc anno procuratores regios episcopi jura violantes obtento a rege Philippo diplomate repressit Andreas, Monspeliensibus academicis armis interdixit, & feudi titulo sibi subditum Raimundum Rupæum sancti Martini Lundrensis priorem & Assatii dominum ad jusjurandum adegit, necnon & anno 1321. Bertrandum Villanovensem ecclesiæ Magalonensis vestiarium, Guillelmum de Vallauquesio Gabrelli & Montisrotundi toparchas, quin etiam Petrum Fredoli patruum abbatem Francarum vallium & nobiles dynastas castri Fabricensis, villæ Aisiriensis & Rothilensis ad idem obsequium induxit. Procuratorem nominavit die 21. Mart. 1322. qui ipsius nomine regi fidem præstaret in manibus senescalli Bellicadrensis. Circa idem tempus cum Majoricarum rege Tolosam adiit Carolum Francorum regem salutaturus, ibique sex exegit hebdomadas. Ab eodem Carolo anno sequenti diploma obtinuit, quo universa Magalonensis ecclesia regis protectioni subjicitur, & senescallo Bellicadri jubetur, ut hujus ecclesiæ jura sarta tectaque servet codicillis apud sanctum Germanum in Laia scriptis mense Maio 1323. Statuit summus pontifex VIII. calend. Febr. an. 1324. nullum Magalonensem canonicum posse esse judicem, nisi qui in dignitate foret constitutus. Anno 1326. Johannes XXII. ad preces Andreæ ecclesiam de Agantico mensæ episcopali univit bulla data Avenione pontificatus anno XI. Denique Februarii ultimo an. 1328. mortalitatem explevit Andreas annis decem & 20. diebus in episcopatu traductis. Magalonæ cum decessoribus episcopis conditus est, canonicis funus cum debita veneratione prosequentibus. Anno superiore ad cælos evolaverat S. Rochus Monspeliensis, genti Crucæorum sanguine conjunctus, multis per Italiam signo Crucis editis miraculis percelebris, cujus reliquias e Monspelio tradunt Arelatem & Venetias fuisse translatas.

1319. Ch. LII. col. 381. 1321. 1322. 1323. 1324. 1326. 1328.

XXXV. JOHANNES IV.

DE VISSEC.

E nobili toparcharum Visetensium dioecesis Leutevensis familia oriundus Johannes, factus Magalonensis canonicus optimis præceptoribus traditur imbuendus, quorum ope tanta diligentia studiis incubuit, ut doctoris ipse postmodum lauream adeptus, quos scientiarum fontes exhauserat, in alios derivarit. Multi enim ad eum confluebant, quibus perplexos juris nodos, intricatissimasque difficultates evolvebat. His munitus præsidiis ad maxima quæque brevi conscendit: Magalonensis enim præpositus, tum a Johanne XXII. auditor Rotæ creatur, atque etiam cardinalis, referente Gariello contra auctorum omnium qui de cardinalibus scripsere fidem, nisi forte synchroni Verdalæ. Demum ab eodem summo pontifice vacanti Magalonensi ecclesiæ præfectus est Avenione, ubi tunc degebat, die 17. Febr. an. 1328. juxta computum Garielli, 23. vero ejusdem mensis ex actis consistorialibus Vaticani, & 8. Aprilis secundum nonnullos, quæ quidem ita componi posse videntur, ut dicatur declaratus episcopus Magalonensis 17. Febr. promisisse cameræ die 23. promotusque fuisse 8. Aprilis. In regesto autem LVII. thesauri chartarum electus dicitur confirmatus die 26. Apr. 1328. Ecclesiæ universæ negotiis cum summo pontifice pertractandis intentus, episcopale onus per vicarios primum sustinuit: unde cum fidei obsequium regi Philippo exhibere distulisset, senescallus Bellicadri in episcopales proventus an. 1329. regiam injecit manum, quorum libertatem ob eas quas diximus rationes postea a rege obtinuit Johannes. Hoc eodem anno Monspelii sacrorum usu a vicario generali Carmelitani patres interdicti sunt, quod nocentibus quibusque justam pœnarum severitatem declinantibus asylum præberent: sic enim jura convellebantur, & oblata impunitatis spe, crescebat & corroborabatur in dies peccandi licentia. Religiosis nihil per contumaciam adversus censuram ecclesiasticam ausis, contra vero promtum deinceps obsequium pollicentibus laxata protinus est interdicti sententia. Anno 1330. Johannes cum adesse coram non posset, statuta

1329. 1330.

ANNI CHRISTI

synodalia a vicariis suis edi jussit, ipse vero cal. Nov. in generali canonicorum coetu sanctiones edidit, quibus singulis ecclesiae suae dignitatibus quid cuique muneris incumberet definitum habetur. Has autem postea usus abolevit leges, forma vivendi regulari per saecularisationem abrogata.

1331. Anno 1331. diebus 4. & 5. Novembr. capitulum & praepositus ordinant statuta super gubernatione ecclesiae, capituli, prioratuum, & ecclesiarum totius dioecesis, ac super pensione solvenda, &c. Eodem anno Johannes divisit ecclesias parochiales de Matellis & de Casa veteri ab ecclesia parochiali de Cucullis. Rixantes inter se consules & cives Monspelienses a Johanne praesule & Rogerio de Roveiraco reconciliantur eodem tempore, ut patet ex documento archivi consularis, quo provoluti in genua praesulis divi Petri solio innitentis supplicantium exhibent specimina. Limitavit an. circiter 1332. territorium de Melgorio cum territorio partis regiae Montispessulani permutatae cum domino rege Franciae. Sub hoc tempus a toparcha du Caylar Montlaurensi dynasta & Guillelmo condomino castri de Cornone recepit hominium clientelare. A rege diploma obtinuit die 8. Maii an. 1334. quo procuratoribus regiis interdictum, ne munus suum exercerent in terris episcopi Magalonensis, in quibus ipsum omnimodam habere justitiam constaret. Delegatus a Johanne XXII. bulla data XVII. cal. Octobr. pontificatus an. 18. mensae monachorum Casae Dei univit prioratum sancti Vincentii prope Porsianum, retentis sibi duabus quotannis procurationibus, ut probant ejus litterae datae die 20. Jun. anni 1334. apud Monturellum dioecess. Paris. in hospitio Gaufredi de Florino burgensis Parisiensis. Terralii eodem anno pie defungitur, hortatus in extremis canonicos ad vitae sanctimoniam quam semper coluerat, & cujus famam post mortem est consecutus. Vixit episcopus annis 6. mensibus 6. diebus 11. Exstinctus die 28. Augusti an. 1334. jacet Magalonae.

1332. — Ch. LIII. col. 381. — 1334.

XXXVI. PICTAVINUS.

DE MONTESQUIOU.

De Pictavino jam diximus in episcopis Vasatensibus tom. 1. col. 1203. Hac enim in ecclesia infulis sacroque magistratui initiatus, transiit inde ad Magalonensem, translatus a Johanne XXII. an. 1334. die 4. Septembr. ex regestis Vaticani, quod mense Octobri evenisse scribit Verdala: at facile utrumque conciliabitur, si dicatur designatus episcopus Magalonensis ineunte Septembri, promotus vero mense Octobri. In libro obligationum legitur solitas fecisse promissiones camerae domini papae & collegio cardinalium die 20. Septembr. hujus anni. Pacem omnibus in ipso praesulatus sui exordio adprecatus est, sedataque sunt quae diuturna episcopos inter Magalonenses & consules Monspelienses vigebant dissidia, necnon amota de Valenensi saltu orta a multo tempore lis. Anno eodem sub clientelari tutela excepit templum & domum xenodochii S. Simeonis, sicuti & ecclesiam Augustinianorum, qui cum reos quatuor episcopi jurisdictione mox damnandos intra coenobium profugos admisissent, & lictores episcopales per vim repulissent, ex religiosis totidem in carcerem conjici jubet, at post aliquot dies mitior factus, eis liberatis regularem tamen poenam imposuit. Anno 1335. Philippus rex octiduum Monspelii in aula episcopali diversatus, urbanas immunitates ratas esse voluit. Pictavinus eodem anno pepigit cum hominibus Aquarum mortuarum super leudis, &c. per eos solvendis in passu stagni de Cornone. Diploma tutelare a Philippo rege concessum est die 17. Mart. an. 1336. Pictavino episcopo & Magalonensi capitulo. Missus est praesul noster an. circiter 1337. in Germaniam ad Ludovicum IV. imperatorem, qui mores & motum principis erga ecclesiam indagaret. Anno 1338. datis ad regem litteris impetravit ut castellum de Vico ad capitulum sexta ex parte pertinens a regiis procuratoribus occupatum liberaretur, & sedavit per arbitros quam cum praeposito habebat querelam. Hujus temporibus quaedam exarserunt inter ipsum & academiam Monspeliensem dissidia, ad quae componenda Guillelmus de Aura prius abbas Montis olivi, tum cardinalis, & postea Bertrandus de Deucio cardinalis adhibuerunt operam, ut liquet ex statutis Bertrandi hac de re editis anno 1339. Quae autem gessit Pictavinus ad Albiensem cathedram translatus die 27. Jan. hujusce anni per Benedictum XII. diximus tom. 1. col. 27. Magalonae stetit episcopus quatuor annis, mensibus quatuor & diebus 23.

ANNI CHRISTI — 1335. — 1336. — Baluz. not. ad vit. Pap. Avenion. col. 897. — 1337. — 1338. — 1339.

XXXVII. ARNALDUS II.

DE VERDALE.

Arnaldus nobili apud Carcassonenses stirpe oriundus, quae celebrem illum Hugonem de Loubens de Verdala militiae Jerosolymitanae principem & cardinalem protulit, germanum habuit Petrum abbatem monasterii de Niolio ordinis S. Augustini Malleacensis dioecesis. Optimis adolescens studiis & virtutibus imbuitur, quibus ecclesiae muneribus adimplendis idoneus postea haberetur. Canonicus primum Mirapicensis anno 1321. tum officialis a Raimundo praesule suo delegatur inquisitor, ut serpentem Albigensium & Beguinorum haeresim profligaret. Juris utriusque laurea in ecclesia Tolosana donatus die 24. Jan. anni 1330. Placentini cathedram Monspelii obtinuit. Fundavit die 5. Decembr. anni 1337. pro duodecim scholaribus apud Tolosam collegium a Clemente VI. anno pontificatus 2. confirmatum. Hujus in instrumento fundationis, cujus initium habes in chronico episcoporum Carcassonensium pag. 130. dicitur Arnaldus juris utriusque professor, decanus ecclesiae de Fenoilledesio Electensis dioecesis, regis clericus & consiliarius, ac condominus loci de sancto Vincentio Tolosanae dioecesis. Porro tanta erat viri sagacitas & legum peritia, ut a Benedicto XII. summo pontifice deputatus fuerit, qui reformaret jura, res, & personas ecclesiasticas, hospitalia, & alia pia loca civitatis, dioecesis, & provinciae Narbonensis. Cum autem habito circa haec tempora concilio ejus doctrina effulsisset, Benedictus XII. Avenione degens eum inter sacri sui consilii assessores annumeravit. Ad Bavarum quoque antequam

ANNI CHRISTI

fieret episcopus missum ab eodem pontifice vult A Arnaldum Gariellus, ut conciliandæ pacis vias pertentaret. His autem omnibus sedulo persunctus honoribus, ad Magalonensem demum sedem effertur Arnaldus die 20. Aprilis an. 1339. ut notant acta consistorialia: at pontificiis in aula Avenione distentus negotiis, vicarios designavit, qui episcopalia munia ad tempus obirent, Johannem Vernholam legum professorem suum collegam, & Paulum de duabus Virginibus. His pro Botonensi prædio Jacobus Marchi hominium præstitit. Non multo post tempore ipse suam adiit ecclesiam Arnaldus, nonnullaque cum Monspelii consulibus pactus est, necnon & cum Anianensi B abbate Guillelmo de Landorra transegit pro jurisdictione Podii acuti in agro Verunensi, & clientelam excepit a Guillelmo Laudunensi & Guillelmo Montlaureo. Eodem anno cum canonicorum elanguisset disciplina, synodum suam generalem coegit Arnaldus 20. Oct. indict. VII. in ecclesia parochiali S. Dionysii Monspeliensis in præsentia priorum, rectorum, vicariorum, aliorumque plurimorum canonicorum suæ dioecesis, ibique multa promulgavit statuta, quorum elenchum ex archivis capitularibus post Sammarthanos inter instrumenta retulimus. Christophorus de Claperiis in ecclesia S. Catharinæ capellæ instiC tutæ die 7. Aprilis jus patronatus ab Arnaldo obtinuit, qui rectoriam studii Monspeliensis faciendam, quando novus rector efficitur, confirmavit: publicare etiam fecit statuta nova ejusdem studii per Paulum de Deucio monachum sancti Guillelmi de Desertis & camerarium de mandato cardinalis Ebredunensis Bertrandi a sede apostolica ad hoc deputati. Vexatus a regiis ministris quod fidelitatis jusjurandum nondum exhibuisset, a rege procrastinationem ad annum obtinuit, ut patet ex diplomate Philippi dato die 7. Decembr. apud Vicennas. Anno 1340. controversiam inter Mombasenses & eorum priorem diutius aliD tam sustulit Arnaldus. Matellensibus civibus mercatus semel in hebdomada, bis vero nundinarum quotannis instaurandarum jus concessit cum immunitate vectigalium. Berengarium a Turribus & Guillelmum de Pignano ad fidelitatis sacramentum compulit. Monspeliensis academiæ cancellarius Arnaldus Stephanum Martinenchium rectorem ad solemne jusjurandum adegit. Ecclesiam de Cambaliouſ a decessoribus erectam, & a Johanne de Viridisco dotatam in honorem sancti Blasii consecravit, & sacerdoti administrandam commisit. Cum G. Anianensi abbate ecclesiam S. Crucis Cellanovensem vicariatu perpetuo, E aliisque instruxit beneficiis. Emit agrum Terralio castro conterminum & episcopatui adjunxit. Benedicti etiam XII. statuta de reformatione ecclesiæ & capituli Magalonensis curavit approbari, ac inter capitularia instrumenta recenseri. Cogendi portorii jus Arnaldo episcopo confirmatum anno 1341. Annuum viginti marcharum censum cameræ apostolicæ pro comitatu Melgorii & Montisferrandi solvere per viginti annos cum neglexissent Arnaldi decessores, ad summum ipse pontificem confugit, a quo bullam obtinuit pro

Ch. LIV. col. 382.

1340.

1341.

Ch. LV. col. 383.

hujusmodi relaxandis debitis, datam Avenione non. Jul. pontificatus anno 7. Eo circiter tempore Guillelmus de Spiraco miles Bellicadri & Nemausi senescallus Magalonensem insulam visitavit, cunctaque ad ejus tuitionem ordinavit in aula episcopali, præsente inter alios Arnaldo episcopo, qui anno 1342. clientelaria excepit officia a Guillelmo Fredoli, Johanne de Sausan & de la Roque Aynier, & anno 1344. a Raimundo Majulano condomino de Montearnaldo. Tutelari diplomate eodem anno a Philippo rege dignatus est. A Clemente VI. epistolam accepit an. 1345. ut litem suam cum Philippo Bertrando de Levis de castro Porsiani pacifice dirimeret. Gravem quoque habebat tunc temporis controversiam cum Raimundo Montlaureo, quod in Murlensis castri sacello, priore loci invito, sacrum fieri juberet, aliaque sacerdotis jura invaderet, propter quæ oratorium & castrum interdixit anathemate, & Montlaureus parere coactus, Arnaldo tandem Murlense dominium ac Vallauquesium beneficiatum subjecit. Hoc eodem anno ratum habuit decretum communi canonicorum consilio editum, quo vestiario in annuos proventus largiuntur ecclesiam sancti Gervasii de Juviniaco cum capella de Ausanicis & sancti Juliani de Grabellis ecclesiam eo pacto, ut vestiarius omnibus canonicis Magalonæ vestes tradere teneretur. Emit quoque Arnaldus circa id temporis a Majoricensi rege Jacobo castrum & villam sancti Johannis de Vedacio pretio 1300. librarum. Apotheosi sancti Ivonis Hallori Britanni presbyteri pauperum advocati a Clemente VI. apud Avenionem die 16. Jun. anni 1347. peractæ adfuit. Imbertus Puteanus Monspeliensis basilicæ duodecim Apostolorum presbyter cardinalis die 26. Maii an. 1348. ibidem moritur præsente Arnaldo. Is autem testamento suo caverat, ut capella sancti Salvatoris, quam canonice construi fecerat & dotaverat, in collegiatam erigeretur, certusque capellanorum numerus in ea deputaretur, necnon juxta eam hospitale pauperum fundaverat, declaratis exsecutoribus Bertrando episcopo Ostiensi, Guillelmo de Texeriis præposito Nemausensi, Francisco Bedocii canonico Reiensi, Antonio de Coselis canonico Barcinonensi postea episcopo Majoricensi, Alaudino canonico sancti Petri de Area, & Guillelmo de Puteo milite. Hi Imberto defuncto testamenti tenorem Clementi VI. exhibuerunt, qui in eo contenta complere eis permisit bulla data Avenione calend. Octobr. pontificatus anno 7. Bertrandus itaque Ostiensis anno sequenti, aliique exsecutores *vi pontificii diplomatis ecclesiam sancti Salvatoris Monspeliensis in capellanorum collegium erigunt numero duodecim presbyterorum, quorum alter prior, alter sacrista censebitur, præterea duos diaconos qui missæ, horis canonicis, aliisque inserviant: prior & ceteri capellani mortui eligentur a capitulo, uno excepto a rege nominando: deinde pro dotatione incorporant omnes reditus spectantes ad hospitale & ecclesiam sancti Salvatoris, quos Imbertus vivens a fratribus sanctæ Mariæ Teutonicorum Montispessulani emerat, statuunt ut omnes obediant priori, curent hospitale bene*

ANNI CHRISTI

1342.

1344.

1345.

1347.

1348.

ANNI CHRISTI

administrari, capitulum annuale fiat in octava Paschæ, distributiones assignent priori, capellanis diaconis pro suo officio, & pro diversitate festorum, omnes in eadem domo habitent, comedant, dormiant, proximum exemplis & verbis ædificent. Subscribit has constitutiones Bernardus de Marchia Cadurcensis notarius Avenioni an. 1349. indict. 2. die 28. Jan. Bernardo Ostiensi, Nicolao electo Urgellensi, Guillelmo Baralli archidiacono Avenionensi præsentibus. Aliquot elapsis annis collegii hujusce capellani easdem deferunt Innocentio VI. papæ qui illas confirmavit bulla data Avenione idibus Decembr. pontificatus anno 4. integram cum reliquis ad hanc erectionem spectantibus instrumentis habes apud Gariellum part. 2. p. 17. Interim Arnaldus Petro Narbonensi archiepiscopo obedientiam promisit die 5. Januarii an. 1349.

1349.

1350. Insequenti Jacobi Majoricarum regis paulo ante occisi, & regnis spoliati filius Jacobus in extremis positus Monspelii & Latarensem dynastiam Philippo regi Francorum divendidit 120000. aureorum pretio, exinde Magalonensis episcopatus Gallicano principatui penitus subjici cœpit. Eodem anno Arnaldus Raimundum de Melgorio domicellum vassallum suum contumacem multavit feudo in commissum sepofito. Demum Augustinianis vicinum cœnobio amplificando agrum concessit die 25. Februarii. Prior sedit in concilio

1351. apud Biterras celebratæ die 7. Novembr. 1351. ob antiquitatem ordinationis, licet Carcassonensis præsul hanc suæ sedi prærogativam deberi contenderet. Superstes adhuc Arnaldus mense Sep-

1352. tembri & die 3. Novembr. an. 1352. ut patet ex duobus vetustis instrumentis, ad meliorem vitam transiit Monspelii mense Decembri, juxta Gariellum, & postridie Magalonam celebri pompa delatus, cum antecessoribus sepulcro conditus est sub hac epigraphe: *Decimo calendas * Julii obiit dominus Arnaldus de Verdala jurium professor, bonæ memoriæ Magalonensis episcopus anno Dominicæ Incarnationis MCCCLII.* Porro immortalitate dignus hic episcopus eo potissimum nomine nobis commendandus venit, quod decessorum suorum Magalonensium præsulum a Ricuino II. usque ad Pictavinum, cui successit, historiam e tenebris ad lucem revocarit & collegerit, sequentibus vero facem prætulerit, ut honestissimo huic studio vacarent, aut saltem curarent ecclesiarum suarum monimenta non jacere in pulvere & sordibus, quod in bonum & commodum non dicimus tantum litteratorum, imo totius ecclesiæ cedere.

* Leg. Januarii.

AUBERT.

XXXVIII. AUDOINUS.

Audoinus parentibus Guidone Alberto, quem rex nobilem creavit an. 1338. & Margarita de Livron natus, Innocentii IV. summi pontificis fratris filius, baptizatus est in ecclesia de Beissaco diœcesis Lemovicensis. Peritus in utroque jure & consultissimus, varia successive tenuit sacerdotia, rexit parochias de Pluma in diœcesi Condomiensi, de Tillio, de sancta Fide, & de Pogolio Tolosanæ diœcesis, factus inde canonicus sancti Gaugerici Cameracensis, & sanctæ Radegundis Pictaviensis, tum decanus ecclesiæ collegiatæ sancti Aredii, & præpositus collegiatæ Ariensis in Morinis, ad infulas Parisienses a Clemente VI. evectus est anno 1349. Ad Autissiodorenses translatus an. 1351. ab Innocentio patruo ad episcopatum Magalonensem promovetur in Nativitate Domini an. 1352. & paulo post inter purpuratos patres adscitur die 15. mensis Febr. an. 1353. feria sexta quatuor temporum presbyter cardinalis tituli SS. Johannis & Pauli, quem ante promotionem habuerat ipse Innocentius. Id autem ea ratione factum legitur in gestis episcoporum Autissiodorensium, quia si remansisset in cathedra Autissiodorensi tempore suæ ad cardinalatum promotionis, dictus fuisset cardinalis Autissiodorensis: solebant enim ut plurimum cardinales vocari ex nomine ecclesiarum, quibus antea præfuerant: hanc autem denominationem jam habebant duo alii cardinales, scilicet Talairandus Petragoricensis & Petrus de Croso; ideoque ab Innocentio ad sedem Magalonensem promotus est, ut vocaretur cardinalis Magalonensis. Sed cum non fuerit translatus, nisi paulo ante acceptam cardinalitiam dignitatem, qua adepta, non fuit amplius Magalonensis episcopus, hinc factum ut nonnulli de ejus pontificio Magalonensi dubitaverint. Nec leve ducunt argumentum, quod in fastis Magalonensibus de tanto viro summi pontificis nepote & cardinali ne hilum quidem; quod in testamento ecclesiis Parisiensi & Autissiodorensi plurima leget, nulla episcopatus Magalonensis habita ratione; qnod a clero Magalonensi admissus nusquam fuerit, ut constat ex vita Durandi successoris: sed hæc facile diluuntur instrumentis authenticis Vaticani, prima vita Innocentii VI. ubi Audoinus pene initio dicitur episcopus Magalonensis, secunda vita Urbani V. in qua Audoinus dominus Magalonensis, licet tunc esset episcopus Ostiensis, Urbanum manibus suis coronasse scribitur, auctoritate Onuphrii quem secuti Ciaconius, Bosquetus, & Columbus in episcopis Valentinensibus, ubi ait Audoinum Magalonensem episcopum cum aliis præsulibus judicem ab Innocentio VI. constitutum in causa Diensis antistitis cum Ademaro Pictaviensi, testimoniis doctissimi Baluzii, qui citat gesta Autissiodorensium episcoporum, & Antonii Pagi in breviario gestorum Romanorum pontificum. Et certe Audoinus Magalonensis episcopus una cum fratre Radulpho redemit die 27. Februarii anni 1352. *al.* 1353. hominium, quod Ranulfo Heliæ II. debebant ipsorum nepotes pro prædiis quæ apud Pompadorium possidebant. Denique hæc affert Gariellus ex necrologio Carthusiæ Villæ novæ Avenionensis. *Audoinus Alberti Lemovicensis, fratris papæ Innocentii VI. filius, ex episcopo Magalonensi presbyter cardinalis SS. Johannis & Pauli, tit. Pammachii, postea episcopus Ostiensis, consecravit Urbanum V. Romanum pontificem. Vir doctrina & pietate insignis, animo nobili & sincero, moribus erat honestissimis & gravibus, qui illum reddebant unicuique gratissimum, ab omnibus diligebatur, conversatione semper se ostendit urbanum & civilem, maximam devotionem in religionem*

1353.

Not. in vit. Pap. Aven. c. 925.

Tom. 4. pag. 153.

Prob. hist. card. Gallorum p. 382.

ANNI CHRISTI

Carthusianorum habuit, multa bona domui Carthusianorum Vallis bonæ donavit. Obiit sexto idus Maii anno Christi 1363. Avenione in domo habitationis suæ, sepultus est in eodem cœnobio Carthusianorum in medio chori, &c. Sed nec ad adstruendum Audoini præsulatum parum proficit facta ab ipso in extremis posito die 3. Maii an. 1363. collegii sub nomine Magalonæ apud Tolosam fundatio, hac in testamento clausula addita: *item ordino arbitrio exsecutorum meorum unum collegium, vulgariter dictum bursam, in civitate Tolosanensi, grammaticorum & logicorum, includendo alias liberales artes in tanto numero, quanto apparebit eis quod supportare poterit residuum bonorum meorum, emendo domos necessarias in locis convenientibus, & animam domini regis includendo participem, si expedire viderint, ad finem quod det personam nomine suo hoc favorabiliter prosequentem, & consimiliter aliquam personam capitolariis Tolosanensibus, ut dent etiam aliquam personam hoc prosequentem, & advertant etiam de archiepiscopo Tolosano & universitate studii. Quod quidem collegium bonis meis mobilibus & immobilibus & se moventibus, nominibus debitis & quibuscumque aliis, quocumque nomine censeantur, heredem universalem facio & constituo.* Non me latet fundationem hanc Petro de la Forest cardinali tribui a scriptore historiæ universitatis Parisiensis tom. IV. p. 320. qui inde concludit Petrum ab episcopatu Parisiensi translatum fuisse ad Magalonensem: sed Petrum cum Audoino, qui antea episcopus Parisiensis fuerat, confundit præfatus auctor, & vehementer errat, ut optime observat Baluzius. Ceterum vix fuit episcopus Magalonensis Audoinus: creatus enim cardinalis mense Febr. an. 1352. hodierno more 1353. aliquanto post reliquit Magalonensem ecclesiam, quam nusquam invisit. Factus inde episcopus Ostiensis anno 1361. obiit Avenione 9. Maii 1363. sepultus ad Carthusianos e regione patrui, ut diximus.

Not. in vit. Pap. Aven. col. 931.

DE CHAPELLES.

XXXIX. Durandus.

Audoino in sacrum collegium allecto, in sede Magalonensi eodem anno subrogatus ab Innocentio VI. Durandus invitis compluribus canonicis extraneos sibi acciri pontifices conquerentibus. Refulgebant in eo omnia egregii antistitis insignia, pietas, scientia, orisque majestas; juris utriusque, necnon rerum divinarum scientiam apprime callebat. Singulari pietate eximius incruentum missæ sacrificium quotidie celebrabat. Electus itaque Avenione præsente summo pontifice & cardinalium insigni corona consecratur, dein Magalonam proficiscitur. At Magalonenses canonici indigne ferentes, quod ab iis electus non fuisset, diutius a pontifice missum neglexere, nullaque ut moris erat ad præsulem præmissa legatione, capitulari decreto sanxerunt, ne quis Durandum episcopum haberet, neve Durando adhæreret. Repulsam passus præsul Terralium Magalonensis episcopatus castrum secessit, ubi prudentia, patientia, paternaque indulgentia rebellium animos emollivit, statutisque egregiis laxiori vitæ tunc temporis assuetos coercuit, & ad meliorem frugem revocavit, ut horis canonicis adessent frequentes, ne ultra quatriduum mense quolibet ab ecclesiasticis cœtibus abesse liceret, nec quisquam canonicus, nisi saltem subdiaconus capitulo interesset. Anathema quoque dixit in eos qui res ecclesiæ in proprium commodum vertebant. Sed nec debitum regi obsequium exsequi cunctatus, senescallo Bellicadri pro rege in Occitania præfecto sacramentum fidelitatis præstitit die 3. mensis Februarii an. 1353. *al.* 1354. & aliquanto post cameræ apostolicæ pro Audoino antecessore solvit die 26. Aprilis, ut constat ex libro solutionum prælatorum. Clientes quoque & feudatarios episcopii omnes adegit anno eodem, ut ipsi fidem jurarent, quos inter recensentur toparchæ de Ganges, de Poussan, de la Vallette: Monspelienses etiam consules pro Valenensi silva, Caravetensi prædio, & pro Veisseriano debitum pollicentur. Durando in actis consulum tribuuntur leges sancitæ pro monialibus B. Mariæ & sancti Egidii, quarum monasterium a Berengario de Mairosio anno 1348. fundatum, religiosis virginibus Visitationis postea addictum est. Ex Malvenda in chronico refert Gariellus convocatos sub id temporis ad generalia comitia fr. Prædicatores largo commeatu Durandum aluisse, eorumque in publicis theologiæ disceptationibus magnam ejus doctrinam enituisse: at præter quam quod hos annales nec suos agnoverit, nec ab aliis haberi voluerit ipse Malvenda propter innumeros quibus scatent errores, comitia Dominicanorum generalia apud Montempessulanum habita sunt die 15. Maii an. 1350. quo nondum erat episcopus Durandus. Circa hæc tempora pacis amans certis Magalonensem ab Agathensi diœcesi disterminavit limitibus. Multas & graves inter eum & præpositum capitulumque Magalonæ enatas altercationes ratione ecclesiarum, jurium, & privilegiorum tandem anno 1356. 18. Novembr. Monspelii in camera prioris sancti Dionysii electi composuerunt arbitri Pontius de Euseria decretorum doctor, & Berengarius de Villa nova canonici Leutevensis ecclesiæ, ordinatis statutis, quorum nonnulla post Sammarthanos in appendice reperies digniora, quæ fusius habentur in instrumento hujus pactionis apud Gariellum. Anno 1358. aut sequenti Bernardus Brixiæ episcopus Monspelii graviter ægrotus summam 3400. florenorum testamento reliquit ad emendos reditus pro sustentandis decem pauperibus scholasticis in jure civili & canonico apud Monspelium studentibus. Eodem mortis genere exstinctum Durandum vult Gariellus: Monspelium enim tum morbus lethifer invaserat, qui totam late regionem depopulatus est. Vivere desiit mense circiter Januario an. 1360. seu 1361. ut constat ex Innocentii VI. rescripto Avenione dato nono pontificatus sui anno, quo suffectus est

ANNI CHRISTI

Ch. LVI. col. 383.

1354.

Echard. script. ordinis tom. 1. pag. XVII.

1356.

Ch. LVII. col. 384. *Part. 2. p. 49.*

1358.

1361.

DE CANILLAC.

XL. Petrus IV.

Vacanti per obitum Durandi Magalonensi ecclesiæ Petrum a vinculo quo ecclesiæ S. Pontii Tomeriarum tenebatur adstrictus, absolutum præfecit

ANNI CHRISTI

præfecit Innocentius VI. IV. calend. Febr. anni 1361. Ortus erat e diœcesi Mimatensi e castro videlicet, quod hodie vocant Rupem Caniliaci, filius Guillelmi ex sorore Bertrandi de Deucio cardinalis, frater autem Raimundi præpositi Magalonensis & cardinalis tituli S. Crucis in Jerusalem. Monasticen amplexus in monasterio Montis majoris creatur abbas ab anno 1348. ad 1353. quo assumptus ad cathedram Tomeriensem, inde transfertur ad Magalonensem, cujus possessionem iniisse non videtur: episcopalem enim dignitatem ultra semestre spatium non prorogavit, apud sedem apostolicam defunctus mense Julio anni ejusdem. Jacet in monasterio S. Petri Montis majoris juxta Arelatem. Paucis ante obitum diebus eidem quinque florenos auri censuales pro anniversariis duobus testamento legaverat, cujus exsecutorem instituit germanum suum Raimundum cardinalem: unde in necrologio hujusce monasterii legitur: *Nonis Julii depositio domini Petri de Canilhaco episcopi Magalonensis, antea abbatis hujus monasterii.*

XLI. DEODATUS.

DE CANILLAC

Deodatus, quem e nobilissima in Arvernis stirpe de Caniliaco ortum volunt, Petro defuncto ab Innocentio VI. sufficitur. Inter monachos Anianenses prius nomen dederat, ibique camerarii munere a Pontio consanguineo abbate insignitus, ad ecclesiam sancti Flori evehitur, ut diximus tom. 2. col. 424. Tum in locum Petri Magalonensis episcopus creatur ab Innocentio bulla data Avenione IV. id. Augusti pontificatus anno 9. Paulo post pro Petro decessore promisit 22. ejusdem mensis & solvit cameræ apostolicæ die 6. Septembris anni 1361. ut habet liber solutionum prælatorum. Electo recens præsuli gratulatum misere canonici. Cum autem pontificiis distentus negotiis, obsequium regi præstare distulisset, episcopales proventus a Bellicadri senescallo occupati, donec Johannes Francorum rex diplomate dato die 9. Junii anni 1362. apud Regalem locum prope Compendium in annum protraxerit fidei clientelaris sacramentum, quod a Deodato exigebat senescallus. Magalonam vero jam tum appulerat, si Gariello fides: hac enim ipsa die Valmonferrandensibus, qui novo antistiti fausta antiquo de more deprecaturi accesserant, immunitates & jura omnia integra esse jussit. Revocatur postea Avenionem ab Innocentio in extremis posito, cujus funus in carthusiam Villæ novæ deduxit die 22. Novembr. Suffectus in ejus locum summus pontifex Urbanus V. Monspelii olim humanioribus litteris enutritus, postea professor juris, quam arcte Monspeliensem civitatem complectebatur, variis quibus eam ditavit, immunitatibus, indultis, privilegiis, aliisque pontificiis prærogativis satis ostendit: duabus enim datis Avenione IV. non. Jan. pontificatus anno 1. bullis, alia mandatum Gregorii VIII. renovavit & confirmavit, quo prælatis & clericis Monspeliensibus nefas erat pro benedictione nubentium, decedentium sepulturis, aliisque sacramentis ecclesiæ pecuniam extorquere, longum

1362.

super hac re abusum inexcusabiliter obtendentibus: altera ad exemplum Honorii III. decessoris nefandam abolevit consuetudinem, qua defunctis non prius permittebatur effodi sepulturam, quam pro terra, in qua sepeliendi erant, certum ecclesiæ pretium solveretur. Avenione per hæc tempora degens Deodatus vicario generali usus est Pontio de Garda canonico Magalonensi & priore sancti Firmini Monspeliensis, ut patet ex instrumento archivi consularis, quo Theobaldus Carronensis episcopus licentia sibi a vicario generali concessa capellam domus consularis, altare, & sacristiam benedixit, consecravit, & dedicavit in honorem B. Virginis Mariæ die 5. Octobr. anni 1363. Biennio post 8. Sept. 1365. moniales nostræ Dominæ Rivensis in Sanctegidianarum virginum leges ejusdemque religionis corpus Deodati præsulis auctoritate coierunt. Anno 1367. ineunte, die scilicet septima Januarii Montempessulanum adiit Urbanus V. visitandi gratia monasterii, quod ibidem magnis sumtibus factus pontifex ædificaverat & dotaverat in honorem SS. Benedicti & Germani pro sustentatione certi numeri monachorum nigrorum seu Benedictinorum, partim ut divinis insisterent officiis, partim ut litterarum studiis vacarent, tuncque altare majus hujus monasterii consecravit, magnis decoravit privilegiis, multisque reliquiis, ornamentis, & donariis pretiosis adornavit. Interea dum apud Montempessulanum versaretur Urbanus V. animam suam exhalavit Deodatus quinquennio toto & aliquot mensibus in episcopatu expletis.

Ch. LVIII. col. 384.

1363.
1365.
1367.

XLII. GAUCELINUS II.

DE DEUX.

Gaucelinus, qui & Gaucelmus, episcopus Nemausensis, Venaissini comitatus pro sede apostolica rector, & papæ thesaurarius, ad Magalonenses infulas translatus ab Urbano V. cameræ apostolicæ promisit pro Deodato decessore, & ecclesia Nemausensi die 13. Mart. 1367. & biduo post die scilicet 15. ejusdem mensis recognovit pro Petro antecessore, iterumque pro priore ecclesia cui præfuerat promisit, ut docet liber obligationum Vaticani. Monspelium solemni ingreditur pompa postridie quam excessit Urbanus V. papa, qui Montepessulano Avenionem rediit die 8. Martii an. 1367. Romam petens eodem anno Massiliam applicuit, declinavitque ad monasterium sancti Victoris Massiliensis, ubi Gaucelini non immemor, plurima eidem concessit diplomata. Missam facio bullam ibidem datam idibus Januarii pontificatus an. 5. quam refert Gariellus part. 2. pag. 89. constat enim ex dictis jam tum a die septima Januarii anni 1367. Montempessulanum accessisse Urbanum, ibique ad mensem Martium divertisse. Hoc autem diplomate Gaucelino indulsit, ut de fructibus ecclesiæ Avenionensis tunc vacantis, quos ipsi percipiendos committebat, mille florenos auri quotannis ad ecclesiæ hujusce restaurationem impendere valeret. Ast alia in monasterio sancti Victoris data bulla idibus Maii ejusdem anni propter obsequia Urbano exhibita a Gaucelino in thesaurariæ officio, aliisque ipsi commissis duo

Ch. LIX. col. 385.

ANNI CHRISTI

Ch. LX. col. 385.

millia Florenorum auri concessit e debitis cameræ apostolicæ ab episcopis Magalonensibus ratione communis servitii: altera eorumdem anni, diei, & loci facultatem ei impertit conferendi omnia beneficia diœcesis Magalonensis vacantia, quæ 20. librarum Turonensium valorem non excederent: aliis ejusdem temporis ad eumdem datis ab Urbano bullis conceditur, ut exigere valeat fructus beneficiorum vacantium, absolvere eos qui satisfecerint cameræ apostolicæ & dispensare, procedere contra quoscumque litterarum apostolicarum abusores in partibus citramontanis, contra detinentes libros, instrumenta, apodixas & alia monumenta ad cameram apostolicam spectantia, contra raptores & detentores pecuniarum apostolicarum; corrigere & punire quoscumque religiosos exemtos, & ipsis justitiam ministrare, punire canonicos Magalonenses exemtos, ipsisque prohibere ne in Montepessulano habitent cum sæcularibus, ubi mulieres habitant. Romam appulsus Urbanus, monasterii apud Monspelium a se conditi non oblitus, diplomate dato Romæ apud sanctum Petrum XI. cal. Febr. pontificatus anno sexto, hic est 1368. quod exstat in archivis Massiliensibus sancti Victoris, asserit ad propagationem ordinis sancti Benedicti & liberalium fomenta studiorum, per quæ ecclesia scientiæ radiis illustratur, in Montepessulano, in quo generale studium maxime in utriusque juris facultate dudum floruit, ecclesiam per se esse fundatam, prioratum videlicet conventualem sancti Benedicti, quem monasterio sancti Victoris Massiliensis immediate subjectum vult, & statuit ut in dicto monasterio seu prioratu sint viginti monachi conventuales, de quorum numero sit unus prior, ut duodecim etiam sint perpetui presbyteri sæculares, qui horis diurnis ac nocturnis continue deserviant in divinis, ut ultra priorem sint sexdecim monachi ejusdem ordinis professores, qui ab abbate sancti Victoris Massiliensis tam de suo monasterio, quam de aliis ab ipso dependentibus, ad studendum in jure canonico mittantur, denique ut pro claustralibus quatuor, & pro studentibus sex mittantur monachi oriundi de civitate & diœcesi Mimatensi. Summi pontificis ad exemplum germanus Anglicus Grimoardi cardinalis propter ipsum monasterium collegium erexit & dotem adjecit pro 18. canonicis regularibus sancti Rufi die 13. Aprilis an. 1368. A Petro Narbonensi archiepiscopo litteris die 28. ejusdem mensis datis invitatus Gaucelinus ad concilium Vaurense die 27. Maii celebrandum, gravissimis alibi præpeditus negotiis generalem vicarium suum eo delegavit. Eodem anno episcopatus & diœceseos jura & privilegia levibus chartis hac illac dispersa justum in volumen coacta synodo referri curavit. Insequenti Urbanus V. bulla data Viterbii VII. calend. Octobr. pontificatus anno 7. seu an. 1369. quæ exstat apud Gariellum part. 2. pag. 86. Monspeliense collegium 12. medicorum e civitate Mimatensi oriundorum annuis proventibus assignatis stabilivit. Anno 1371. querelam habuit Gaucelinus cum consulibus Monspeliensibus pro insignibus jurisdictionis in agro Caravetano, quæ ad cardinalem Nemausensem discutienda defertur. Adfuit anno 1372. translationi corporis Urbani V. in ecclesiam sancti Victoris Massiliensis die 3. Jun. ut constat ex instrumento hujusce translationis asservato in archivis sancti Victoris. Anno sequenti diem & ipse clausit extremum V. id. Aug. an. 1373. si fides habenda necrologio monialium sanctæ Catharinæ de monte Virginis Avenionensium. Idem colligi potest ex bulla Gregorii XI. qua Gaucelino Petrum suffecit. Attamen ejus olim apud Magalonam sic habebat epitaphium: *Hic jacet reverendus in Christo pater dominus D. Gaucelinus, primo Venaissini comitatus rector, demum Magalonensis episcopus, qui obiit an. 1373. die ultima mensis Martii cujus anima requiescat in pace, amen.*

1368. 1369. 1371. 1372. 1373.

XLIII. PETRUS V.

DE VERNOBS.

Gaucelino defuncto, Magalonensi ecclesiæ a Gregorio XI. præfectus est Petrus Vernobius Anianæ abbas, papæ thesaurarius bulla data Avenione idibus Augusti pontificatus anno 3. Id ipse fatetur Gariellus in serie præsulum Magalonensium editione posteriori pag. 94. unde mirari satis nequeo, quod idem Gariellus altera post pagina, & post eum Baluzius in notis ad vitas Pap. Avenion. pag. 896. Petrum Magalonensem episcopum recenseant inter eos qui Raimundi de Canillaco cardinalis Magalonam delati die 4. Jul. funus cohonestarunt: ex hac enim bulla quam non Gariellus tantum, sed alii bene multi præ manibus habuere, constat ea die nondum electum Petrum, qui cameræ apostolicæ promisisse legitur die 29. Augusti in libro obligationum. Et certe in epistola hujusce præsulis data Avenione 1. Octobr. 1373. se ipsum adhuc nuncupat Magalonensem electum. Eodem anno Anglicus Grimoardi cardinalis sancti Petri Magalonensis pronaon nuper conditum solemni pompa dedicavit. Initam Petrum inter & canonicos concordiam circa formulam pœnæ ecclesiasticæ delinquentibus canonicis infligendæ laudavit Gregorius XI. bulla data IV. calend. Febr. pontificatus anno 4. Mense Aprili ejusdem anni legatum misit Petrus qui vice sui adforet synodo Narbonensi, ut produnt acta ejusdem. Aderat præsens tum cum Gregorius summus pontifex testamentum die 5. Maii condidit, cujus exsecutorem inter alios Petrum nominavit. Exstant hujusce plures epistolæ hoc anno & sequentibus datæ, quibus ut thesaurarius papæ, & locum tenens D. Petri Arelatensis archiepiscopi papæ camerarii testatur summas cameræ apostolicæ solutas. Sodalitas sub tutela B. Mariæ Bethlemiticæ in sacello consulari instituta a Petro confirmatur an 1375. qui testis fuit conventionum matrimonialium inter Raimundum filium Guillelmi Turennæ vicecomitis & Mariam filiam Johannis comitis Boloniæ & Arverniæ eodem circiter anno, ut liquet ex arresto parlamenti ejusdem anni edito a Baluzio inter probationes historiæ domus Arver. part. 2. pag. 202. An. 1376. cum ecclesia B. Mariæ de Tabulis ruina & vetustate periclitaretur, subsidia

1374. *Spicileg. tom. 6. pag. 688.* 1375. 1376.

ANNI CHRISTI

fabricæ a plebe eroganda obtinent consules a Gregorio IV. id. Jan. Solemnes in eadem ecclesia die XI. ejusdem mensis supplicationes indixit Petrus ad sedanda quæ inter reges Franciæ & Angliæ vertebantur dissidia, & die 17. quadraginta de injunctis pœnitentiis relaxavit dies iis omnibus qui eamdem ecclesiam devote visitarent, ipsiusque operi & fabricæ manus porrigerent adjutrices. Idem præstitit Narbonensis antistes die 20. ejusdem mensis. Eodem anno Petrus facultatem obtinuit a summo pontifice Monspelienses absolvendi, qui incurrerant in sententias latas in eos qui Florentinos rebelles receperant: cum autem audisset Florentinos iterum Monspelium declinare, litteris ad consules datis 19. Septembris monuit eos, ne iterum in eumdem scopulum impingerent. Præsulis hujusce temporibus insignis illa Monspeliensium seditio accidit, in quos cum gravissime animadverteret Andium dux Occitaniæ prorex, commodum intervenit Anglicus cardinalis episcopus Albanensis frater Urbani V. qui a duce pœnarum imminutionem impetravit. Eodem anno collegio sancti Martialis apud Avenionem erigendo consensit Petrus Clementis VII. thesaurarius. Anno 1380. interfuit nuptiis Gerundensis comitis cum Iolanda Barrensi in castro Pignanensi: ac paulo post in ecclesia B. Mariæ de Tabulis funebrem Caroli V. mortui habuit orationem. Hoc eodem anno de ipsius consensu sorores Prulianæ e vetere monasterio, quod latronum pateret incursibus, in hospitale sancti Guillelmi demigrarunt. Armenum quoque regem a Sultano Babilonico regno spoliatum Monspelii Petrus humanissime excepit, & Biterras usque deduxit. *Per hæc tempora Petrus episcopus*, ut observant vetusta statuta, *in Magalonensi capitulo existens & generale capitulum celebrans, statuta & ordinationes ad bonorum temporalium, communiæ utilitatem & conservationem ordinavit ; statuitque primo ut quolibet anno in omnium Sanctorum festo in capitulo generali quinque de ipsius ecclesiæ gremio, qui electores vocabuntur, eligantur, quorum unum eliget episcopus, duos D. præpositus, & canonici alios duos.* In regestis Vaticani Petrus locum tenens camerarii renunciatur die 23. Jun. anni 1382. inibique Lepius cognominatur. Clemens VII. bulla data Avenione VI. calend. Octobris pontificatus an. 6. hic est annus Christi 1383. Petro Magalonensi episcopo potestatem indulsit fundandi & dotandi capellanias ex ejus bonis ad valorem 100. librarum Turonensium. Aliquanto post, ut habent regesta capituli, *canonici considerantes magnos sumptus, labores, & expensas, & multa alia quæ episcopus sustinuerat in persequendo continue negotia ecclesiæ & capituli, recognoscentes etiam grata & utilia beneficia, quæ ab eodem episcopo ipsi & dictum capitulum acceperant, volentes eumdem aliqua promotione saltem spirituali remunerari, libera voluntate prælibato episcopo præsenti obtulerunt, dederunt, & perpetuo concesserunt tres perpetuas capellanias perpetuo deserviendas in ecclesia præfata Magalonæ per tres canonicos ipsius ecclesiæ, per priorem claustralem qualibet septimana eligendos, qui tres missas qualibet die pro ejus anima, & pro parentibus suis ac aliis benefactoribus, maxime pro anima sanctæ memoriæ D. Gregorii papæ XI. benefactoris sui præcipui celebrare teneantur, de quibus una erit cum nota, & aliæ duæ ad voluntatem celebrantium, cum commemoratione ipsius episcopi. Item dederunt & concesserunt dicto episcopo & ordinaverunt 12. anniversaria facienda sive 12. obitus quolibet anno per capitulum prædictum, scilicet quolibet mense unum die qua prædictus prior claustralis eliget, sicut & quemadmodum pro aliis prædecessoribus suis episcopis, quæ omnia præpositus, priores, officiarii, & alii canonici capitulum celebrantes juraverunt super sancta Dei evangelia. Et præfatus episcopus in capitulo præsidens, dictas oblationes & concessiones ratas & gratas habens, de dictis largitionibus suppliciter benigneque quantum potuit regratiatus est, & reputans se illis teneri obnoxium, a quibus tot & tanta cognoscit se recepisse, auctoritate litterarum apostolicarum super gratiam de bonis suis ordinandis per dictum D. papam eidem factam donavit eidem capitulo duo millia florenorum, quorum quinque valent quatuor francos, & in diminutione dictæ summæ dedit, transtulit, & dereliquit capitulo piscariam seu partem piscariæ maneguerïarum de Cornone vocatarum de Quinto, & aliarum maneguerïarum seu teyrarum gradus de pauco bono, quam tenebat ante acquisitionem per dictum episcopum certo modo Jacobus Alemandini, dedit etiam eidem capitulo proventus inde provenientes cum aliis omnibus juribus & pertinentiis universis ad dictam piscariam pertinentibus.* Sub id temporis sanctiones a se quondam editas canonicorum rogatu planiores & explicatiores effecit Petrus. Sedata sunt anno 1387. quæ judæos inter & catholicos Monspelienses erant dissidia, synagogæ ædificandæ indulta est judæis facultas plena, sancitumque ut prætereunti episcopo assurgerent, cui numeratis 400. libris Turonensibus, omnes ad Parisiense tribunal lites delatæ terminantur. Obtinuit eodem anno Petrus uniri prioratum de Lunello novo præposituræ a Clemente VII. Adstitit die 15. Novembr. 1388. Petro de Croso cardinali Arelatensi suum testamentum facienti Avenione, ut in eodem instrumento legitur. Eodem anno pullatas moniales e flagitio transfugas S. Magdalenæ pœnitentibus religiosis aggregavit. Denique IV. id. Oct. an. 1389. Petrus Monspelii in aula episcopali ad immortalitatem transitum fecit. In Franciscanorum ecclesiam translato funebribus psalmis parentatum est. Postridie Magalonæ sepelitur, prius oratione funebri laudatus a Johanne Minorita. De eo martyrologium Ruthenensis ecclesiæ.

Arnaldus vero Julianus, quem Catellus in catalogo Monspeliensium præsulum decessorem Petri asserit, e fastis ecclesiasticis expungendus, ut pote qui in Magalonensibus tabulis locum non habet.

Margin notes: Ch. LXI. col. 385. — 1380. — 1382. — 1383. — 1387. — 1388. Baluz. vit. Pap. Aven. tom. 2. col. 1020. — 1389.

XLIV. ANTONIUS I.

DE LOVIER.

Petrum immediate excepit Antonius, patria Delphinas, e Revelli oppido diœcesis Viennensis. Ingenii laude non mediocri præditus, juri operam navavit: in utroque laurea insignitus, canonicus

ANNI CHRISTI

& decanus Viennensis ecclesiæ ad episcopatum Redonensem primum, inde ad Magalonensem sublectus dicitur 19. Octobr. 1389. in regesto Clementis VII. jam promiserat die 18. ejusdem mensis ex libro obligationum. Fuit & ipse Clementis VII. thesaurarius, hoc enim nomine litteris datis pontificatus anno XI. summus pontifex ei mandavit ut 40000. francos auri suppeditaret Ludovico duci Borbonesii, quem rex Francorum mittebat cum auxiliaribus militum turmis ad Ludovicum Siciliæ regem contra Margaritam de Duratio & Venceslaum ejus filium. Cum autem ob assidua thesaurarii pontificii munia Avenione sæpius juxta Clementem pontificem morari cogeretur, Bartholomæum Barriere diœcesis Castrensis archipresbyterum de monte Leyderio vicarium generalem instituit, ut ipso absente diœcesi consuleret: ipse nihilominus 19. Januarii ejusdem anni *al.* 1390. regiis ministris pro more decessorum præsulum sacramentum clientelæ obtulit pro Saunio castro, Durofortio, Porsiano, cujus tenor in regesto Nemausensis domanii. Fundavit die 22. Aprilis anni 1390. in ecclesia Viennensi, cujus decanus fuerat, 12. anniversaria, unum pro quolibet mense, quæ hac etiam ætate in sacello, cui ab antistite nostro Magalonæ nomen est, celebrantur. Translatum ad Tolosanam ecclesiam 7. Novembr. ejusdem anni legimus Antonium in regesto Clementis VII. sed irritam fuisse hanc translationem inde certo concluditur, quod in tabulis Tolosanis Antonii nulla occurrat mentio, quod eadem die qua electus dicitur Antonius, Franciscus promiserit & recognoverit pro Johanne in Tolosana sede decessore ex libro obligationum, quod denique ipse Antonius Magalonensis episcopus cameræ apostolicæ solvisse dicatur die 19. Dec. 1391. in regesto servitiorum prælatorum Vaticani. Jam a summo pontifice obtinuerat privilegium pro Monspeliensibus grassante tunc temporis morbo afflictis, ut confessarii per trium mensium spatium omnium peccatorum plenam remissionem eis largiri valerent litteris datis Avenione ad consules die 4. Decembr. ejusdem anni. Concessit quoque eidem Clemens VII. amplam ecclesiastica nonnulla beneficia conferendi potestatem. In comitatu papæ agebat IV. Jun. anni 1392. ut discimus ex instrumento dato hoc tempore in palatio Avenionensi, quo Margarita comitissa Genevæ & Vadanimontis, vidua Petri Gebennensis instituit procuratores suos Guillelmum de Vienne sancti Georgii dominum, Gerardum de Ferrici militem, &c. Francisci archiepiscopi Narbonensis papæ camerarii vices gerebat an. 1394. cujus in remotis agentis nomine plurima a variis cameræ apostolicæ debita accepisse scripto declarat. Nicolao Albanensi cardinali Guillelmum Lausanensem episc. 23. Aug. Avenione benedicenti adstitit. Eo quoque anno concilio Parisiensi a Carolo sexto IV. non. Febr. convocato adfuisse videtur. Defuncto 16. Septembr. hujusce anni Clementi VII. præsens adstitit. Petro vero de Luna, qui olim Monspelii jus canonicum docuerat, apostolicum solium invadente, Magalonam adiit Antonius, Melgoriensis comitatus possessionem iniit, lustravit ecclesiam S. Martini de Scaphia, sancivitque ut turris sacra restauraretur. Biennio post a rege Carolo diploma accepit, quo ab episcopi subditis obtentæ tutelares litteræ revocantur & annihilantur die 5. Septembr. anno 1396. Benedictus XIII. bulla Avenione data cal. Dec. pontificatus anno 3. Antonio & capitulo Magalonensi indulsit, ut ab officio Conrafarii, quia propter bella imminuti fuerant utriusque reditus, nec pares erant oneribus, divelleretur prioratus sancti Marcelli Magalonensis, cui pridem unitus fuerat; ut venientibus ad ecclesiam prædictam hospitibus provideret Conrafarius de omnibus ad victum pertinentibus, prioratusque Bertrando Augeri concederetur ea lege, ut Conrafariam capitulo resignaret pristino in statu remansuram. Eodem anno debita Antonio obsequia juravere clientes Bertrandus Petri domicellus pro villa de Agantico & castro de Brixiaco, ac Guillelmus Fredolus pro castro de Veruna, quod in clientelæ signum reddidit traditione clavium, vexilli erectione, & buccinatione præconis. Adstitit Avenione anno 1399. inaugurationi a Pontifice factæ Ludovici primogeniti Caroli VI. in Siculum ac Neapolitanum regem, qua peracta, Carolum regem Parisios remeantem Monspelii summo excepit honore. Interfuit translationi corporis Clementis VII. Avenione factæ 18. Septembris an. 1401. ab ecclesia nostræ Dominæ, in qua prius fuerat reconditum, ad ecclesiam novam Cœlestinorum, quo tempore Benedictus XIII. in palatio obsessus erat, ut observat Baluzius ex codice bibliothecæ Colbertinæ 817. Acquisivit & univit episcopatui anno 1402. omnia quæ Johannes Olivarii de Lunello uxori suæ Johannæ Staque legaverat in Villa nova. Publicis anno 1404. litteris summum jus venationis in comitatu Montisferrandi Antonio adstruitur. Salinæ de Porqueria eodem anno de ejus assensu limitatæ sunt. Litem habuit cum procuratoribus ecclesiæ Magalonensis, & administratoribus bonorum communiæ, quæ 17. Octobris ejusdem anni intervenientibus D. Aimerico Psalmodiensi abbate, D. Astorgio de Gozono præposito, aliisque amicis sopita est. Anno sequenti e vivis excessit Antonius die Veneris 23. Octobris anni 1405. Monspelii in episcopali palatio, cujus corpus post triduum in ecclesia Augustinianorum exactum, Viennam transfertur, ubi sepulturam elegerat, & tumulatur in capella Magalonæ. Sed nec ad ejus famæ commendationem omittemus salutarem illam legem, qua cautum voluit, ne Monspelienses medici ægrotos a prima inspectione, nisi peccata rite confessos reviserent.

[Margin: 1390. 1391. 1392. 1394. *Labb. t. X. col. 2511.* Ch. XLII. col. 386. 1396. 1399. 1401. *Vit. Pap. Aven. col. 538. & 1398.* 1402. 1404. 1405.]

XLV. PETRUS VI.

ADEMAR.

Antonio defuncto, canonici Magalonenses in capitulo congregati instituerunt die 25. Octobr. anni 1405. vicarios generales, qui sede vacante ad novi præsulis electionem episcopales obirent vices. Haud ita multo post, si Gariello fides, a Benedicto XIII. eodem anno electus est antistes, vir sagacis ingenii Petrus Ademarus, vel

ANNI CHRISTI

Ademardus, Monspelienſis academiæ quondam anteceſſor, tunc vero canonicus & infirmarius Magalonenſis eccleſiæ, non ex perilluſtri illo Ademarorum baronum de Grignan & de Montilio ſtemmate oriundus, ſed e familia Monſpelienſi conſulari dignitate pluries condecorata. Electus Ademarus non continuo poſſeſſionem iniit, ſed Benedicti XIII. comes individuus, regis odium incurrit, interverſique epiſcopales proventus, eo quod in remotis agens, clientelare obſequium ſerius exhibuiſſet. Promulgata autem in Galliis neutralitate, cum Benedictus Aragoniam repetiſſet, concreditum ſibi gregem adiit Petrus anno 1408. cui adventanti obviam proceſſere eccleſiaſtici laicique ordines. Monſpelienſes cum Villanovanis ſacramentum fidelitatis obtulere, & Montferrandenſes de more comiti ſuo antiſtiti 50. libras adjunxere. Ratam habuit anno 1409. donationem ab Aſtorgio præpoſito factam xenodochio SS. Simonis & Judæ: erui priſtiniſque ſedibus refigi juſſit eodem anno limites, quos Antonius deceſſor in decimaria ſancti Jacobi & Lironenſi loco præfigi mandarat. Ad eccleſiam Appamienſem tranſlatum Petrum die 6. Septembr. 1410. a Johanne XXIII. ſcilicet, ipſique eadem die ſubrogatum Nicolaum de Branchaco legimus in regeſtis Vaticani, ſed præterquam quod in tabulis Appamienſibus altum de hac tranſlatione ſilentium, nullaque in Magalonenſibus Nicolai fiat mentio, Petrus occurrit epiſcopus Magalonenſis ad annum 1418. ut patebit ex dicendis. Anno enim 1412. rata habuit ſtatuta nuper condita ab Ambroſio Gaſqui rectore univerſitatis Monſpelienſis ſub anathematis pœna in eos qui ea infringerent. Anno 1415. ab Ademaro præſule poſt aſſertam Galliarum tranquillitatem ſolemne ſacramentum pronunciatum eſt Rebuffo Occitaniæ proregis vicario. Eodem anno Sigiſmundus imperator e Conſtantienſi concilio in Aragoniam profectus, Monſpelium appulit die 13. Auguſti, ubi a clero & univerſa civitate maximo excipitur honore. Petrus antiſtes ad S. Egidii portam urbis obviam ei procedens, ad eccleſiam B. Mariæ de Tabulis Cæſarem deduxit, quem templum ingredientem eleganti oratione ſalutavit. Peractis ſacris in palatio epiſcopali univerſa civitas grati animi munera ſplendido apparatu Sigiſmundo obtulit, quæ fuſius recitantur in actis domus conſularis Monſpelienſis. Quid annis ſequentibus ab Ademaro ſit præſtitum in regimine eccleſiaſtico ſilent faſti, aut periit injuria bellorum. Obiit autem primis anni 1418. menſibus, ut mox dicemus.

1408. 1409. 1410. 1412. 1415. 1418.

ALEMAN.

XLVI. LUDOVICUS.

Petri demortui in locum Magalonenſis epiſcopus creatus eſt Ludovicus decretorum doctor: fuerat canonicus & præcentor eccleſiæ Narbon. Lugdunenſis vero cuſtos erat & abbas S. Petri de Turre cum a Martino V. bulla data Gebennis x. calend. Julii pontificatus an. I. hic eſt 1418. promotus eſt. Hunc autem jam tum Magalonenſem electum fuiſſe ſuſpicabitur, quiſquis in regeſtum Benedicti XIII. offenderit, in quo

Tom. 2. col. 754.

A Ludovicus electus Magalonenſis tranſlatus ad eccleſiam Gebennenſem dicitur x. calend. Jun. an. 1418. At cum nec in aliis regeſtis, nec in tabulis Gebennenſibus ullus Ludovico Genevenſi epiſcopo detur locus, nullo fulta fundamento hæc tranſlatio cum priore electione ruit. De claris Ludovici natalibus, pietate, doctrina, dignitatibus jam ſatis ſuperque in Arelatenſibus archiepiſcopis diximus, ubi poſt Sammarthanos Ludovicum abbatem Trenorchienſem aſtruentes, perperam cum Ludovico de la Palu confudimus. Ludovicus ergo electus Magalonenſis, non Maclovienſis, ut vult Robertus, Florentiæ degens in B curia Romana, ubi Franciſci Narbonenſis archiepiſcopi papæ camerarii in partibus ultramarinis agentis locum tenebat, cum ipſe per ſe eccleſiam ſuam adire non poſſet, Petrum Anianæ abbatem alioſque commiſit die 8. Martii an. 1419. vicarios generales, qui eo abſente Magalonenſem eccleſiam regerent. Nonnulla pro Monſpelienſi academia a ſummo pontifice, cujus lateri ſemper aſſidebat, obtinuit privilegia XVI. calend. Jan. anni 1422. quæ apud Gariellum prolixius recitantur. Graſſante Ticini peſtilentia, cum concilii locum mutari Senaſque transferri patribus placuiſſet, Ludovico præcepit Martinus, ut cum C Senenſium oratoribus de excipiendis patribus & tuenda concilii libertate, ad quod una cum cardinalium cœtu ſe conferre meditabatur, paciſceretur bulla data apud ſanctam Mariam majorem idibus Auguſti pontificatus anno VI. Latam a Franciſco Narbonenſi archiepiſcopo papæ camerario ſententiam exſecutioni mandavit, & abſolvit Reginaldum ſancti Guillelmi abbatem ab excommunicatione, aliiſque quas incurrerat cenſuris inſtrumento dato Romæ apud S. Mariam majorem die Veneris 10. menſis Septembris an. 1423. indict. I. Hoc aliquando e chartulario Gellonenſi edendum olim ſperabamus, at cum D exſcriptum tantum ad nos pervenerit, oppigneratam liberare fidem non poſſumus. Ludovicus autem paulopoſt III. non. Decembris ejuſdem anni ad Arelatenſem metropolim a Martino V. aſſumtus eſt, ut conſtat ex actis conſiſtorialibus Vaticani. Porro Magalonenſem eccleſiam nuſquam inviſit, ſemper apud ſummum pontificem pro negotiis eccleſiæ univerſalis immorans. Plura qui de Ludovico deſideraverit, conſulat archiepiſcopos Arelatenſes tom. I. col. 582.

1419. *Part. 2. pag. 128.* 1422. 1423.

XLVII. GUILLELMUS V.

FORESTIER.

Sancti Cornelii Compendienſis abbas Guil- E lelmus, vacanti per tranſlationem Ludovici eccleſiæ Magalonenſi a Martino V. præficitur eadem die III. non. Dec. 1423. omniumque ordinum ſumma exultatione & pompa excipitur menſe Decembri an. 1424. Ejus autem cognomen Castello ipſique Gariello ignotum compertum habetur ex chartophylacio ſancti Cornelii Compendienſis, ubi tum erat archimandrita, cum ad epiſcopatum aſſumtus eſt. Factus epiſcopus quamdam laudavit venditionem die 24. Febr. 1424. Inſequenti Lutetiam petiit Fuxenſem comitem Occitaniæ & Aquitaniæ proregem deſignatum

1423. 1424.

ANNI CHRISTI 1426.

salutaturus, a quo tutelares adversus militares incursus tabulas accepit. An. 1426. ab eodem obtinuit ut episcopalis & consularis jurisdictiones a pecunia quam a Monspeliensibus reposcebat forent immunes. Sub id temporis a Johanna Montlaurea clientelare sacramentum excepit. Graves in academia Monspeliensi ortas an. 1427. contentiones, monachis a rectoris dignitate depulsis, quibus tamen pontificia patrocinabatur bulla, sedavit Guillelmus universitatis cancellarius, qui congregatis coram eo in capella episcopali rectore, utriusque juris priore, & decano facultatis theologicæ die 12. Mart. 1428. oblatas a Roberto Pinhono academiæ rectore sanctiones pro facultatibus theologiæ & juris ratas habuit & confirmavit. Cum Leodegario Vapincensi episcopo permutavit anno sequenti Guillelmus, ut constat tum ex litteris Martini V. datis Romæ apud sanctos apostolos III. id. Febr. an. 12. tum ex bulla ejusdem pontificis data Romæ ad archiepiscopum Narbonensem die 11. Febr. 1429. apud Baluz. catalog. diplom. pag. 29. n. 198. denique ex regestis Vaticani, ubi Guillelmus dicitur e Magalonensi ad Vapincensem ecclesiam translatus die 18. Maii anno 12. Martini V. Unde omissus a nobis post Leodegarium in Vapincensibus episcopis reponendus Guillelmus tom. 1. col. 469.

1427. 1428. 1429.

XLVIII. Leodegarius.

SAPORIS.

Leodegarius, quem Leontium perperam nonnulli appellarunt, cognomento Saporis in tabulis Magal. & in regestis Vaticani, patria Monspeliensis, consularibus ortus est parentibus ex Gariello. Post adeptam in utroque jure peritiam non vulgarem, legum doctoris laurea insignitur, tum decanus sancti Petri de Claromeo diœcesis Condomiensis, Vapincensis episcopus eligitur à Johanne XXIII. VI. cal. Sept. pontificatus anno 2. Christi 1411. in locum Alexii ad Placentinam in Italia sedem traducti, ut diximus tom. 1. col. 469. Inde permutatione cum Guillelmo facta, transiit ad Magalonensem ecclesiam litteris Martini V. datis Romæ apud sanctos apostolos III. id. Februarii an. 12. unde in regestis Vaticani translatus recensetur ab ecclesia Vapincensi ad Magalonensem 25. Maii 1429. Eodem anno episcopatus inita possessione, huic fidelitatis obsequium persolverunt Guerinus Thaleri præpositus xenodochii sancti Spiritus, & Antonius Murviel de Sausanicis miles Biterrensis diœcesis. Præsulis hujusce temporibus pervagata ubique felicissimæ per Aurelianensem puellam a rege Carolo in Anglos partæ victoriæ fama, ecclesiam B. Mariæ de Bonis nuntiis Monspelienses excitarunt a Calvinianis postea dirutam. Anno 1430. confirmavit Leodegarius donationem cujusdam capellæ factam a Petro Jausselini presbytero de Agantico, & Petrum Andream priorem sancti Martini delegavit, ut a Murvielensibus & Casillacensibus emphyteusis rcognitiones exigeret. Convocatum est eodem anno apud Narbonam provinciale concilium, ad quod B. Magalonensis episcopus invitatus dicitur, qua prima nominis littera Bertrandus Leodegarii successor designari videtur; at cum invictis constet argumentis nonnisi anno post concilium elapso electum Bertrandum, vel errorem in notis chronologicis irrepsisse, seu potius, quod plerumque fit, litteram B. pro L. assumtam fuisse necessum est. Leodegarium enim paulo ante Bertrandi promotionem adhuc superstitem satis indicat bulla Eugenii IV.

1430. Anecdot. tom. 4. col. 351.

XLIX. Bertrandus II.

ROBERT,

Ecclesiæ Magalonensi per obitum Leodegarii pastore destitutæ Eugenius IV. summus pontifex præfecit V. cal. Jul. pontificatus anno 1. scilicet 1431. Bertrandum Roberti legum doctorem, papæ referendarium, qui curiæ vectigalium præsidis munere Parisiis olim perfunctus fuerat, ut constat ex schedis nonnullis. Romæ autem apud summum pontificem degens, Johannem Anianæ abbatem, aliosque nominavit, qui Magalonensis ecclesiæ possessionem ipsius nomine apprehenderent, instrumento dato Romæ die 11. Julii an. 1431. sub sigillo Petri Electensis episcopi. Nemausensi senescallo sacramentum fidelitatis eodem anno exhibuit. Insequenti cum Andrea Colossensi & Johanne Tarentino archiepiscopis ab Eugenio IV. ad concilium Basileense delegatus fuit, ut synodus Basileæ primum congregata, in Italiam transferretur; at cum salvus conductus eis concessus die 18. Julii 1432. in bona forma & juridica non esset, protestati sunt die 26. ejusdem mensis de nullitate omnium, quæ inibi contra beneplacitum summi pontificis fierent. Episcopatum ad an. 1433. prorogasse certo affirmat Gariellus: at hoc anno saltem ineunte cessisse constat ex actis consistorialibus Vaticani.

1431. 1432. *Mart. t 8. pag. 149.*

L. Robertus.

DE ROUVRES.

Bertrando e vivis exemto, suffectus est Robertus episcopus Sagiensis regi Carolo VII. a sanctioribus consiliis, ab Eugenio IV. IV. nonas Martii pontificatus anno 3. ut constat ex secundo libro provisionum ejusdem pontificis. Memoratur iterum in alio regesto die 22. Jun. an. 1433. at jam tum electum probant procurationis tabulæ datæ Ambasiæ Turonensis diœcesis in hospitio præfati domini Magalonensis episcopi die 17. Junii 1433. quo pontifex primum fuit apud Gariellum part. 2. pag. 142. Porro cum singulari rerum polleret usu Robertus, & in politicis apprime versaretur, suo quandiu vixit pastore caruit Magalona: vel enim varias Francos inter & Anglos tunc temporis conciliandæ, & inter alios principes conservandæ pacis ergo obivit legationes, vel regem quocumque belli turbines agitabant sequebatur. Hinc est quod cum ipse per se diœcesim suam moderari non posset, vicarios generales substituit Guillelmum episcopum Laudunensem, & alios qui episcopalia munia supplerent. Hujus frequens mentio in chartis authenticis D. de Gagneres die 24. Oct. an. 1434. 16. Mart. 1435. & aliis. Aberat procul dubio anno 1435. quo Johannes de Grangia vicarius Magalonensis subscripsit litteris episcoporum Narbonensis provinciæ datis 26. Nov. ad concilium Basileense in gratiam translati a sede Appamiensi

1433. Ch. LXIV, col. 387. 1434. 1435.

ANNI CHRISTI

ad ecclesiam sancti Pontii Tomeriarum. Ipse vero interfuit pactis matrimonialibus inter Iolandam Caroli VII. filiam & Amedeum primogenitum Ludovici ducis Sabaudiæ die 16. Aug. an. 1436. initis. Ducentas libras die 18. Martii ejusdem anni accepit, ut regem in Occitaniam proficiscentem comitaretur. Clientelæ jusjurandum per procuratores admisit an. 1437. a Guillelmo Pelet pro Verunensi castro, & a Carolo de Frontiniano pro Fabricensi. Anno eodem a rege destinatus possessionem apprehendit prioratus sancti Leontii ab abbatia Salmuriensi dependentis die Jovis 7. Nov. Insequenti anno a Basileensi synodo privilegia & immunitates Monspeliensium confirmantur. Comitiis Occitaniæ a Carolo rege an. 1441. convocatis adfuit cum aliis præsulibus & proceribus apud Montem albanum. Sigillorum Franciæ custos appellatur Robertus in instrumento provocationis ad parlamentum Parisiense factæ a procuratore Johannis Armaniaci comitis anno 1442. cui Robertus inhibuerat, ne hæc verba in exordio litterarum suarum usurparet *Johannes Dei gratia comes,* &c. quibus summum sibi jus vindicabat, ex tab. Ruth. ejusque inventario in bibliotheca regia asservato. Præsens fuit tum cum Margarita Convenarum comitissa denegavit die 6. Jun. an. 1443. appellationem ipsius nomine factam a quodam decreto lato a regiis commissariis. Præses in curia juvaminum dicitur anno 1444. a Guillelmo Bardino in historia chronologica parlamentorum patriæ Occitanæ mſ. p. 211. codicis Colbertini n°. 1551. Fidelitatis obsequium Bellicadrensi senescallo præstare distulit ad annum 1445. uti testantur tabulæ Nemausenses. Carolum a Francia ducem Biturigum, Normanniæ & Aquitaniæ Caroli VII. filium natum in castro Montilii juxta Turones die sacro Innocentium an. 1446. sacro baptismatis fonte abluit Robertus. Dato chirographo confessus est die 4. Martii 1448. se pro pensitatione annua centum libras Turonenses accepisse a præfecto ærarii regii, seu ab exceptore generali regiorum redituum & tributorum, ex schedis D. de Clairambault. Eodem anno die 9. Decembris apocham dederat de ducentis libris sibi persolutis pro consiliarii regii officio. Appendet sigillum in quo ad latus dextrum visitur trifolium. Rothomagi degebat die 9. Decembr. anni 1449. ex chartis authenticis D. de Gagneres in bibliotheca regia asservatis vol. 8. *M*, ibique occurrit adhuc anno 1451. 10. Septembr. & 16. Mart. 1452. & 16. Julii anni 1453. quo exeunte defunctum credimus.

(1436. 1437. 1442. 1443. 1444. 1445. 1446. 1448. 1449. 1451. 1452. 1453.)

LI. MAURUS.

DE VALLEVILLE.

Maurus, quem patria Turonensem opinantur nonnulli, e collegio canonicorum assumtus Magalonensis episcopus creatur, non anno 1450. ut in serie Magalonensium præsulum, & apud Sammarthanos legitur, sed XIV. calendas Jan. anno 7. Nicolai V. seu 19. Decembris anni 1453. ut discimus ex regestis Vaticani, ubi electus adhuc nuncupatur die 11. Januarii anni 1454. Inauguratum eum, quandoquidem ita vult Gariellus, non inficiamur ab archiepiscopo Narbonensi, assistentibus Biterrensi & Agathensi episcopis, modo de anno non constet. Quod autem addit Maurum initio episcopatus quosdam Æthiopes sacro baptismatis fonte abluisse, penes auctorem sit fides. Anno 1456. Frontinianensibus piscationis terminum in feudum dedit. Nec ita multo post agrum de Limperi dictum, Terralio vicinum antea Anianensis abbatis, mensæ episcopali annectit, concesso prioratu de Valflaunesio eidem abbati. Recensetur in chartis authenticis D. de Gagneres die 25. Novembr. 1458. Insequenti prioratus sancti Pauli Frontinianensis permittente Pio II. necnon & assentiente Mauro capitulo Magalonensi annexus est anno 1459. Prioratum sancti Saturnini de Agonesio eodem anno jure patronatus contulit Maurus, & per sacerdotes prioratum sanctæ Fidei regi voluit. Conventui mense Aprili anni 1464. apud Anicium habito interfuit, id ipse testatur in apocha data mense Aprili anni sequentis. Mota inter eum & consules Monspelii circa jurisdictionem nemoris de Valena & mansi de Caravetis lite, ex archivis vetustisque documentis declaravit mense Decembri ejusdem anni Magalonenses episcopos comitatum Montisferrandi ab ecclesia Romana in feudum tenere, nemus & mansum sub jurisdictione comitatus semper fuisse, consulesque ea ab episcopis in feudum habuisse. Biennio post prioratum S. Juliani Andreæ Paulo presbytero contulit anno 1466. Præfuit tribus ordinibus Auxitanorum apud Monspelium congregatis mense Februario an. 1467. ut fidem facit ipsius apocha data die 2. Januarii an. 1468. apud D. de Gagneres. Capellaniam SS. Johannis Baptistæ & Evangelistæ Johanni Monbruno contulit an. 1471. Hoc autem anno Maurum defunctum volunt, postquam ecclesiæ suæ pontificios ornatus legasset, capitulo bibliothecam, & argenteum calicem cum sacra Eucharistiæ asservandæ pyxide. Ducentos quoque aureos nummos vicenosque solidos pro anniversario sibi suisque instituendo assignavit, & pensilem lychnum ante S. Sacramentum semper ardentem fundavit. De eo in veteri necrologio: *Die translationis sancti Augustini tenetur capitulum facere unam missam pro anima Mauri de Vallevilla Magalonensis episcopi.*

Part. 2. p. 146. — 1454. 1456. 1458. 1459. 1464. Ch. LXV. col. 387. 1466. 1467. 1468. 1471.

LII. JOHANNES V.

BONALD.

Eligendi facultate per Bituricense decretum canonicorum arbitriis liberisque voluntatibus restituta post obitum Mauri usi sunt Magal. canonici. Elegerunt autem Johannem Bonald, cujus promotio Sixto IV. Romano pontifici æque ac regi Ludovico XI. & aliis proceribus quam maxime accepta fuit & probata: Johannes enim non solum natalibus, sed virtute & doctrina conspicuus, Gangeii Monspeliensis tractus urbe natus, patrem habuit Johannem, proavum vero Bartholomæum Bonaldum Fesqueti & Balmæ toparcham, & cognatos domi & militiæ spectatos. Ipse autem canonici, vestiarii, totiusque Magalonensis diœcesis generalis vicarii munia tanta nominis sui fama obierat, ut Maurus in vivis

ANNI CHRISTI

agens, Johannem fratrem filiumque cariſſimum appellaret, virtute doctrinaque præſtantem, pauperum refugium, litigantium arbitrum, captivorum ſolatium, & induſtrium morum caſtigatorem, ut fidem faciunt acta capituli. His inſtructus præſidiis Johannes electus per obitum Mauri quondam epiſcopi dicitur XVI. calendas Mart. pontificatus Sixti IV. anno 1. hic eſt juxta veterem ſtylum an. 1471. in regeſto hujus pontificis. Inauguratur autem Narbonæ a Bernardo de Roſergio Toloſano archiepiſcopo. Continuo vigili cura gregi intentus, canonicorum vitæ licentiam, frequenteſque a choro abſentias coercuit, & recens editam renovavit legem, ne quis canonicus inſcio capitulo a ſacris abeſſet, & a piis ſacerdotibus eccleſiaſtica beneficia adminiſtrari curavit. Conventui Occitanorum apud Monſpelium menſe Martio an. 1473. habito interfuit. Bremundus a S. Felice Johanni præſtitit hominium pro Calagenſi villa an. 1474. Biennio poſt unius canonici in collegium ſuum cooptandi ipſi poteſtatem faciunt canonici anno 1476. Elapſis annis aliquot majus altare eccleſiæ de Tabulis recens a ruina vetere reſtauratum, ædemque beatæ Mariæ in cœmeterio ſancti Bartholomæi dedicavit, & confirmavit Frontinianenſibus piſcationem & Magalonenſia paſcua. Varia a variis annis inſequentibus excepit hominia, a Monſpelienſibus conſulibus pro Valenenſi ſaltu, a Margarita S. Catharinæ Roquenſis antiſtita, necnon & ab abbatiſſa ſancti Geneſii pro prædiis nonnullis, & ab Antonio de Lautrico pro caſtro Roquetenſi. Comitiis Occitanorum apud Piſcenas menſe Maio an. 1482. habitis interfuit, ut ipſe teſtatur in apocha data die 16. Maii 1483. Academiæ rectorem confirmavit an. 1485. & dedicavit in eccleſia ſancti Guillelmi in ſuburbiis Monſpelii aram B. virgini & ſanctis Antonio & Cleophæ ab Antonio Chalonio nuper erectam & dotatam. Guillelmus Bonald Johannis germanus caſtrum quadringentis libris a Roſtagno de Aſſaſio coemtum epiſcopo clientelare ſubjecit anno 1486. Inſequenti poſt ſexdecim annorum ſexque menſium adminiſtrationem ardentiſſima febre correptus, animam Deo reddidit Johannes in epiſcopali domo die 15. Auguſti an. 1487. libris & pontificia ſuppellectile capitulo legatis. Viſitur adhuc marmorea ejus imago ad majorem eccleſiæ Magalonenſis aram poſita cum gentilitio ſtemmate, his verbis ſubſcripta: *Johannes Bonal Magalonenſis epiſcopus comes Melgorii & Montisferrandi.* Poſt ejus obitum affixum marmori ejus epitaphium his carminibus, quæ Virgilianos ſane non redolent floſculos.

1473. 1474. 1476. 1482. 1483. 1485. 1486. 1487.

Hic jacet Johannes Bonal, præſul quondam Magalonenſis,
Clarus honore ſimul, ſimul & ingenio,
Maxime devotus, civis bonus, urbis amator,
Principi amabilis, refugiumque bonis.
Si quis in hoc ſaxo ſuum legis advena nomen,
Non dedigneris dicere, bene vale.

LE ROI.

LIII. GUILLELMUS VI.

Hic ille eſt Guillelmus, de quo Catellus in Occitanicis, Quercetanus in ſtemmate Pleſſeo Richelio, Claudius Robertus Lingonenſis, Baluzius hiſt. domus Arverniæ t. 1. p. 427. D. du Fourni & ceteri, cui in Monſpelienſibus tabulis omiſſo, locum aſſignare nequiverunt Gariellus & Sammarthani. Guillelmus itaque filius Guillelmi III. le Roi domini de Chavigni in agro Juliodunenſi, & Franciſcæ de Fontenais, matrimonio junctorum an. 1443. & patruus Jacobi Bituricenſis archiepiſcopi, licentiatus in legibus, & archidiaconus de Cithra vada in eccleſia Bajocenſi, Magalonenſis epiſcopus eligitur per obitum Johannis V. non. Octobr. anni 1487. ut conſtat ex regeſto Innocentii VIII. a quo forſan creatus, æmulum paſſus eſt Iſarnum Johanni a capitulo ſuffectum, cui morte præventus anno 1488. locum cedere coactus eſt. Gariellum autem & Sammarthanos fefellit aſſignatus a Catello Guillelmi obitus anno 1512. quo infulas Magalonenſes alter tenebat Guillelmus, de quo poſtea.

1488.

BARRIERE.

ISARNUS.

Fatis functo Bonaldo, Ludovicique neſcio cujus æmuli & aliorum diſſipato ambitu, abſens Franciſci Hallé Narbonenſis archiepiſcopi & Johannis a Coſta præpoſiti Magalonenſis induſtria præſul eligitur Iſarnus canonicus & procurator eccleſiæ Magalonenſis, e Monſpelienſi Barreriorum ſtirpe natus, quæ Porſianenſem toparchiam tenuit. Accepta quidem fuit regi electio. At Iſarnus ægre ferens ſe jam ſeneſcentem, tantoque imparem onere premi, Villam novam latebras quæſiturus ſeceſſit. Verum campanis dum fugeret nemine pulſante reſonantibus proditus, tam maniſeſto paruit teſtimonio, jubentique Deo obſecutus, Biterris a Franciſco metropolita ſociis Agathenſi, Biterrenſi, & Nemauſenſi epiſcopis conſecratur, fidei Regi debitæ ſacramentum ſeneſcallo Bellicadrenſi præſtat, occupatos a regiis adminiſtris epiſcopales reditus recuperat & clientelare a Villanovenſibus de more excipit obſequium. Ita quidem poſt Gariellum Sammarthani, qui totum illud ad annum 1487. referunt, ſed pace tantorum virorum dixerim, hæc omnia ſtare nequeunt, tum cum regeſtis Vaticani, tum etiam cum commentariis ſenatus Toloſani: Guillelmum enim Magalonenſem electum diximus V. non. Octobr. an. 1487. ex regeſto Innocentii VIII. Iſarnus autem Guillelmo, quicum contendebat, defuncto ſubrogatus eſt decreto ſenatus Toloſani dato die 3. Aprilis an. 1488. Non equidem inficior a capitulo anno 1487. electum Iſarnum, ſed qui forſan creato a ſummo pontifice Guillelmo cedere coactus, epiſcopalem non aſcenderit cathedram, niſi anno 1488 quo die 6. Septembr. conceſſis indulgentiis fideles invitavit, ut viſitarent manuſque porrigerent adjutrices altari S. Crucis & S. Sepulcri in capella B. Mariæ de Cornerio. Eodem anno in capitulo generali 2. Novembr. habito audita præpoſiti nonnullorumque priorum querimonia, qui quaſdam ad ipſos ſpectantes a deceſſoribus epiſcopis uſurpatas collationes objiciebant, generalem ſanxit conſtitutionem ad lites & jurgia deinceps

ANNI CHRISTI

deinceps sedanda perpetuo observandam, quid cuique competeret ex æquo & bono definivit. Hanc videsis apud Gariellum part. 2. pag. 167. Hoc quoque anno Isarnus & syndicus capituli procuratori collegii medicinæ emphyteusis jure concesserunt villas Escarric & Masclas ea lege, ut idem procurator cuilibet episcopo recens consecrato 6. libras Turonenses, quatuor vero capitulo solvere teneretur. A Francisco Narbonensi archiepiscopo 1. Maii an. 1491. delegatus fuit, ut recens electo Electensi consecrationis munus impertiretur. Sopita est anno 1492. quæ episcopum inter & canonicos inerat controversia circa dominium Villæ novæ. Porsianensem sancti Petri ecclesiam rite a se consecratam reliquiis locupletavit anno 1495. Nonnulla de eligendo rectore statuta academiæ cancellarius confirmavit anno 1496. quo & capellam B. Annæ Monspeliensis una cum capitulo erexit in ecclesiam collegiatam, fundatore Petro Aristeti priore de Saussanicis, quem prioratum huic univit collegio episcopus certis legibus & conditionibus, quæ fusius habentur apud Gariellum part. 2. pag. 173. Circa hæc tempora a rege obtinuit ex ære publico pecunias ecclesiis Monspeliensibus reficiendis. Obiit pius antistes die 19. Aprilis 1498. ut testatur hoc ei epitaphium Magalonæ exaratum.

1491. 1492. 1495. 1496. 1498.

Ille ego qui quondam Magalonæ præsul Isarnus,
Quem genuit miro Monspessulanus honore,
Cujus in hac tenerum corpus circumdedit urna
Barriere Albertus fratris non immemor ejus.
Accipe, summe Parens, precibus si flecteris ullis,
Hanc animam, æthereo sedeatque reposta cubili.

Obiit anno 1498. die vero 19. mensis Aprilis.

PELLICIER.

LIV. GUILLELMUS VII.

Isarnum proxime excepit Guillelmus Pellicier, antiquior dictus, patria Melgoriensis, canonicus & cellerarius ecclesiæ Magalonensis, sed non abbas Grandimontensis, ut suspicatur Gariellus. Ætate jam grandævus, theologicisque disciplinis apprime eruditus, ultimus a capitulo antistes renunciatur die 13. non Martii, quo nondum obierat Isarnus, sed forte Maii an. 1498. per resignationem cardinalis Senensis, ut annotant Sammarthani ex actis consistorialibus Vaticani. Petro Narbonensi archiepiscopo obedientiam promittit die 17. Junii. Mandatum excepit eodem anno a Ludovico XII. veteres Monspelii professores amovendi, ut quatuor regios subrogaret. Ad preces Tonequini Bucelli militis sancti Johannis Jerosolymitani, a quo ad obtinendam bullarum suarum in curia Romana expeditionem adjutus plurimum fuerat, emtionem medietatis loci de

Ch. LXVI. col. 388.

A Porsiano a Margarita domicella factam laudavit, plurimumque de suo concessit anno 1499. Hominium regi decessorum more eodem anno præstitit, de cujus mandato Philippum Austriæ archiducem in episcopali palatio an. 1500. excepit. Annos 1501. & 1502. ad restituenda quæ ad Dei cultum & morum disciplinam in sua diœcesi spectabant insumsit, variaque a variis excepit hominia. Interim cum peste grassante rex ipse affligeretur, Guillelmus jussu summi pontificis solemnes ad Deum habuit supplicationes, quibus sacra hostia publice delata numinis ira placaretur: ter autem renovatus est hic ritus sacris operante B Guillelmo. Concilio Turonensi anno 1510. & 1511. Pisano in Etruria pro rege adversus Julium II. interfuit, & subscripsit litteris prælatorum ad universitatem Parisiensem super libello Thomæ de Vio Cajetani de auctoritate papæ & concilii datis Mediolani die 10. Jan. 1512. Reversus Monspelium Guillelmus, sodalitium sancti Dionysii de Ginesteto comprobavit die 3. Maii 1514. Fundatam a Johanne Pertusio capellam sancti Johannis Baptistæ in ecclesia S. Georgii de Dourques & testamento dotatam an. 1518. confirmavit. Præsulis hujusce temporibus instituta C anno 1522. a Francisco I. Monspelii rationum curia. Breviarium & missale Magalonensis ecclesiæ mendis quibus scatebant purgari & typis edi curavit Guillelmus an. 1523. Sunt qui ex male intellectis die 10. mensis Septembris hujusce anni datis litteris, quas habes apud Gariellum part. 2. pag. 189. Dominicum quemdam tunc temporis Magalonensem episcopum fuisse inferunt: at cum nec in mss. domus consularis codicibus, nec in aliis tabulis ulla hujusce Dominici episcopi occurrat mentio, facile assentior Gariello, amanuensis errore id factum, qui D pro domino Dominicum scripsit, aut certe suffraganeum seu vicarium tantum fuisse Dominicum: certis enim constat argumentis ad annum 1529. vitam prorogasse Guillelmum, qui anno 1527. nepote successore dignitatis designato, episcopum ad mortem usque id ita volente nepote semper egit. Circa id tempus S. Claræ virgines in cœnobium observantiæ minoris transtulit. Illud quoque Guillelmi in omnes curæ suæ traditos vigilantiæ perhibetur testimonium, quod cum Dominicani Monspelienses a sancto vivendi instituto multum deflexissent, eosque ad meliora E frustra revocare studuisset ordinis magister, pluribus etiam a religione deficientibus, ceteros ita prudenter curavit Guillelmus, ut tandem sanati fuerint. Denique laboribus & senio fatiscens in episcopali palatio diem obiit extremum an. 1529. exeunte, ac Magalonæ ad decessores appositus est.

ANNI CHRISTI 1499. 1500. 1501. 1502. 1510. 1511. 1512. 1514. 1518. 1522. 1523. 1527. 1529.

EPISCOPI MONSPELIENSES.

PELLICIER.

I. GUILLELMUS VIII.

GUILLELMUS alter junior, superioris ex fratre nepos, patruo præsule canonicus Magalonensis, dein S. Trinitatis collegii decanus, coadjutor renunciatus anno 1527. privata nihil unquam auctoritate patruo superstite gessit. Biennio post demortui Guillelmi in locum successit an. 1529. exeunte, & sex libras Turonenses ab oppidanis S. Georgii de Dourques veteri de more

ANNI CHRISTI

accepit. Francisco I. doctorum hominum amantissimo carissimus, ab ipso Cameracum cum aliis principibus viris delegatus fuit ad ineundum cum Imperatore fœdus pacis, quod eodem anno absolutum est die 5. Augusti. Massiliam postea regis jussu proficiscitur anno 1533. de nuptiis Henricum inter Francisci filium & Catharinam Mediceam Clementis VII. summi pontificis neptim acturus. Sed de ecclesia sua magis sollicitus, quam inamœnissimo & infrequenti loco commorantem tædebat, cum interim Monspelium aere saluberrimo, templorum multitudine, civium frequentia, domorum pulcra commoditate ipsum & canonicos ad transmigrationem incitaret, arduum aliquid tentavit, sedem nempe episcopalem in Benedictinam Monspeliensium ecclesiam transferendam, canonicosque & monachos a cœnobiticis legibus eximendos, & in unum sæcularium corpus redigendos. Francisco igitur rege, cujus gratiam aucupatus fuerat Guillelmus, non solum annuente, sed & id negotii per legatum suum apud Romanum pontificem urgente, necnon & assentientibus Lotharingo Narbonensi metropolitano, & Augusto Trivultio S. Victoris Massiliensis abbate, cui fundata ab Urbano V. subjecta fuerat ædes Monspeliensis Benedictina, Romam proficiscitur rem apud Clementem VII. cui innotuerat, ipse properaturus & perfecturus, interimque vicariis generalibus diœcesim regendam commisit. At Clemente anno 1534. fatis functo, biennium insumsit, priusquam a Paulo III. translationem sedis, canonicorumque regularium ordinis sancti Augustini & monachorum Benedictinorum in statum sæcularem conversionem obtineret bulla data VI. calend. Aprilis an. 1536. qua Magalonensi capitulo & Benedictinis Monspeliensibus significata mensibus Junio & Augusto & promulgata, non jam Magalonæ, sed Monspelii episcopi sedes, non canonici regulares, nec Benedictini amplius exstitere, sed canonici sæculares, quales etiamnum subsistunt. Venetias inde a Francisco I. legatus Guillelmus, Caroli V. imperatoris machinationes detexit. Sed nec Galliæ res strenue tantum procuravit, regis insuper impensis magnam voluminum Græcorum, Hebraicorum, ac Syriacorum copiam cumulavit, mille aureis in eam rem græco nobili collatis, ut patet ex epistola ipsius Guillelmi ad Franciscum data die 29. Augusti 1540. qua etiam apparet illum codices exesos cura sua restituisse, amanuensesque ad codices græcos mss. exscribendos adhibuisse, quibus regia Francisci bibliotheca ditesceret. Hi autem libri bibliothecæ regiæ nunc sunt adjuncti. Hæc dum Venetiis præsul more suo accuraret, obiit Franciscus rex anno 1547. collata prius Guillelmo forte pro legatione rite inita Lirinensi abbatia, hoc enim anno in tabulis hujusce monasterii legitur commendatarius. Francisco defuncto, ex Italia Monspelium reversus Guillelmus, diœcesim suam visitavit. Paulo post cum statuta per bullam pontificiam canonicorum inæqualitas multa inter eos dissidia excitasset, lis ad Tolosæ senatum regiumque & Romanum tribunal delata Guillelmi arbitrio tandem committitur, cujus prudentia restituta fuit pax, æqualitate inter omnes facta, restrictoque juxta apostolicam sanctionem canonicorum numero, quæ a rege & pontifice comprobata anno 1549. tranquillitatem revexere. Sed & translatio cathedralis Monspelium cum nonnulla immutasset, consulesque Monspelienses eumdem ordinem, & sedem in hac ecclesia sibi vindicarent, quam antequam in cathedralem erigeretur obtinebant, syndico capituli obnitente, lis ad episcopum devoluta sedata est anno 1557. Serpente interim per totam Galliam Calvinianæ hæreseos veneno, Monspelium quoque contagio infecit, sive negligentia eorum, quorum intererat tanto morbo vigilantius occurrere, sive novitatis amore, seu denique divina quadam ultione, tantam permittente calamitatem Deo, ut clericos a socordia excitaret, quorum specioso reformandorum obtentu ecclesiam sus deque vertebant hæretici. Tolosana autem curia simulatam hanc nascentis erroris causam sublatura in clericos immorigeros sævissime pronunciavit, in iisque Guillelmum præsulem implicuit, triplici potissimum de crimine reum: quod Petro Ramo lutherano familiarius uteretur, quod Venetam secum abductam haberet mulierem, & quod ad eam ditandam bona ecclesiæ dilapidaret, & in turpes usus verteret. Quamobrem a comitis Villarsii in ea provincia proregis satellitibus Bellicadrum captivus in carcerem conjicitur, ubi auxilio & præsidio omni destitutus jacebat, dum episcopales proventus in rem aliam comes insumeret. Innoxii præsulis diutius non tulit infamiam Narbonensis clerus: re enim comperta, tanta sollicitudine egit, eum ut non modo a vinculis liberarit, sed a calumniis & calumniatore vindicarit, qui extremo supplicio ulciscente Deo affectus est. Et certe a libidine amor litterarum, a peculatu bibliotheca percelebris, quam sumtibus suis paraverat, ab omni demum erroris suspicione alienus ab illicitis novatorum cœtibus animus Guillelmum nostrum satis vindicabant: hinc illæ cardinalis ad ipsum Lotharingi datæ anno 1560. litteræ, quibus ad arcendos hæreticos, vetitasque disturbandas synagogas eum hortabatur. Guillelmus autem concepto ex hac contumelia ingenti mundi fastidio, solus habitavit secum, solutusque ac liber totum se litteris devovit. Interea longe lateque grassata hæresis omnia vastat: Monspelii enim anno 1561. basilicas sacrilega direptione, profanis concionibus in iis habitis, necnon religiosorum & canonicorum complurium sanguine ac nece fœdaverunt neoterici. In ipsa etiam saxa quibus templa magnifico apparatu assurgebant anno 1562. sæviere, suburbiorum ecclesias disturbavere & solo æquavere: earum indicem pristini Monspelii splendoris triste monumentum, luctusque ingentis solatium aliquod videsis apud Gariellum, qui 46. ædes sacras ab hæreticis disjectas enumerat part. 2. pag. 267. Supererant septemdecim ecclesiæ, quæ sacrilegas novatorum manus evaserant: sed recrudescentibus an. 1565. sectariorum furoribus, omnes disturbatæ sunt, tribus exceptis, quarum duas impiis usibus

Marginal notes: 1533. — 1534. — Ch. LXVII. col. 389. 1536. — Gariel. Part. 2. p. 251. 1540. — 1547. — 1549. — 1557. — Gariel. Part. 2. p. 259. 1560. — 1561. — 1562. — 1565.

ANNI CHRISTI

devoverunt. Stetit sancti Petri templum cathedrale, B. Mariæ de Tabulis ædes hæreticorum fit synagoga, alia B. Virginis de Consulatu dicta, in armamentarium permutatur: interimque latrociniis, sævitia, sanguine, nece totam regionem Monspessulanam fœdavere, Monspelii ducentis & amplius cæsis catholicis. Tot ac tantis ut mederetur malis Occitaniæ prorex Henricus Montmorancius Damvillæus mittitur, hunc comitatus Guillelmus episcopus post triste suorum & religionis exilium exul ipse Monspelium ingreditur mense Novembri, restitutisque rebus sacris, pax tandem rediisse videbatur, qua paulopost iterum exulante, diruta ab hæreticis sancti Petri basilica, canonicos & episcopum Frontinianum secedere coegit. Guillelmus autem senio & tot calamitatibus fractus, ad Montisferrandi radices in oppido sancti Matthæi ex mundana tempestate ad portum quietis appulit die 25. Jan. an. 1568. postridieque sine apparatu Magalonam delatum corpus sepelitur, canonicis Frontiniani justa persolventibus. Porro ingenium a natura scientiis omnibus feliciffimum tam diligenti excoluerat studio Guillelmus, ut litteratorum ævo suo princeps & ordinis sui decus & ornamentum merito haberetur. Testatum id reliquere Cujacius, Rondeletius Monspeliensis, Thuanus, Turnebius, Sylvius, Scævola Sammarthanus, & alii plures viri docti, a quibus & de scientia juris civilis, ac medicinæ, physicæ, humaniorum litterarum & divinarum magnis encomiis extollitur. Sed ne quid tanto deesset viro, peragratis Italia & nostra Gallia, non modo ex selectissimis omnibus bibliothecis ingentes scientiarum thesauros, sed & vitæ politicæ ac honestissimæ genus sibi comparaverat. Ast alios præstat audire. De eo Scævola Sammarthanus celebre hoc protulit testimonium libr. 1. elogiorum.

1568.

Florente bonis litteris Italia, Franciscus primus, qui & hujus pulcherrimæ laudis æmulatione flagrans, ingenia suæ gentis ostentare cupiebat, oratorem ad Venetos legavit hunc merito Pellicerium, quo doctiorem illa ætas, aut qui non Italorum modo, sed omnium cujusvis nationis hominum luminibus officere melius posset, habebat profecto neminem. Quique hac celebri legatione tanto præclarius & majore cum Galliæ splendore perfunctus est, quod præter infinitam illam exquisitæ doctrinæ copiam, qua doctissimos Italiæ homines in sui admirationem adducebat, tanta insuper exciperet eos tum humanitate, tum etiam benignitate, ut munifici cujusdam patroni loco a compluribus eorum haberetur. Nec defuere tam egregiæ virtuti sua præmia: Pellicerius enim æquissimo usus principe, & in sacro ejus consistorio sedere meruit, & Monspeliensi pontificatu, cujus in diœcesi natus erat, aliisque præterea sacerdotiis liberaliter honestatus est. Non tamen eo rerum proventu plane felix, bacchante nimirum & incitata more suo in rarum & præstantem virum invidia, ut a sycophantis objecta criminatione, quasi severam cœlibatus legem non satis pro sacrati ordinis dignitate observaret, in summo fortunarum & famæ periculo indignissime versaretur. Qua ex contumelia excepto ingenti nec inani totius aulæ fastidio, abdidit

Tomus VI.

A *se in Monspeliensem illum secessum, ubi liber, solutusque in dulci & optato musarum sinu placidissime acquievit; cum in hunc usum bibliothecam haberet locupletissimam, innumerisque veterum manuscriptis, & aliis omnium generum codicibus undique conquisitis ornatissimam. Ac hujus quidem otii testes æterni erant futuri, cum alii complures utriusque linguæ auctores fideliter emendati, multoque passim lumine illustrati, tum ipse ante omnes Plinius, quo in castigando & explicando naturam omnem evolverat, aditumque ad perfectam ejus cognitionem studiosis hominibus incredibili cum sudore & industria muniverat. Sed quod plerumque his accidit, qui sua dum vivunt* B *ipsi edere negligunt, hæc fere omnia simul cum auctore suo periere. Vixit ad exactam ætatem, contabuitque miserabilis demum senex inter frequentes ac molestissimos cruciatus, erosis lento & insanabili vulnere præcordiis, incertum errore an culpa pharmacopolæ certe pessimi, qui catapotia quædam ex male trita colochyntide sumenda ægrotanti obtulit. Multum indignantibus medicis, quod quæ saluberrime præscripserant, ea tam infelici casu in amici præsulis perniciem verterentur.*

Laudatur etiam Guillelmus a Jacobo Augusto Thuano præside libr. 38. historiarum sui temporis. *Hic annus*, ait, *nobis Guillelmum Ron-* C *deletium Montispessuli natum medicinæ arte præcellentem abstulit . . . . . Unum est quod hominis nomen maxime posteritati commendavit, quod de piscibus edidit, sed eo minore laude, quod illud potius alienæ industriæ, quam suæ debuit, nimirum ex Guillelmi Pellicerii episcopi Montispessulani, viri rara eruditione ornati, commentariis concinnatum, quod doctissimarum annotationum, quas ille in Plinium scripserat, magno litterarum dispendio amissarum, aut hactenus suppressarum pars erat.* Id ipse fatetur Rondeletius in præfatione libri de piscibus, ubi ait: *multorum eruditorum & bonorum virorum doctrina & judicio usus, auctoritate atque* D *adhortatione compulsus, primum omnium Guillelmum Pelisserium Monspeliensem episcopum, in honestissimarum & pulcherrimarum rerum cognitione præcellentem, non solum piscium, sed etiam stirpium, plantarumque ac multarum rerum historiæ cognoscendæ suasorem, auctorem atque præceptorem habui.* Guillelmi elegantissima in Plinium, aliosque probos antiquitatis auctores commentaria pleraque extant manuscripta in Parisiensi Patrum Societatis Jesu bibliotheca. Asservantur & hujus præsulis, dum Venetiis legatum ageret, epistolæ in musæis partim illustrissimi D. Colbert Monspeliensis episcopi, partimque marchionis d'Aubais. E Guillelmus Dorotheus dicavit ei an. 1541. commentarios Philoponi, & Andreas Morguesius ei nuncupans libros Plinii historiæ naturalis editos an. 1561. illum in epistola dedicatoria sic alloquitur: *Magno doctorum desiderio tuas castigationes & enarrationes, quibus tantus auctor affabre poliatur, suæque pristinæ restituatur dignitati, ac quidquid in eo abstrusum fuerit, felicissime explicetur, exspectant.* Ex quo sequitur præstantissimas tanti ingenii dotes eum perspectas habuisse, & ita Plinii mentem fuisse assecutum, ut alter Plinius esse videretur. Plures quoque ad Guillelmum epistolas scripsit Dionysius

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

Faucherius doctus monachus monasterii Lirinensis. Guillelmo defuncto Petrus de Boulhe, quem perperam de la Rouille vocat Gariellus, Sambausensis nescio cujus ecclesiæ abbas, Damvillæi opera a rege nominatur antistes, sed qui summo pontifici non acceptus, a clero Monspeliensi non admissus, non inauguratus, nec ullis episcopi muniis perfunctus, neque regi fidem professus, inter episcopos Monspelienses accenseri non potest: toto tamen quadriennio proventus episcopales per procuratorem administravit, temporalibusque potitus est ab anno 1569. ad 1573. quibus œconomum Simonem de Fixes præfecit, a quo toparchiam de Belló loco a jurisdictione episcopali sejunctam ferunt acta episcopalia, quæ tamen per Monspelienses consules ad episcopum postea rediit. In spiritualibus vero regebatur diœcesis a Leonardo Aguillono Magalonensi præposito, qui vicarius generalis a canonicis post obitum Guillelmi electus fuerat, ut diœcesim universam sede vacante moderaretur: quo fatis functo anno 1572. in ejus præposituræ & vicariatus locum subrogatus Guillelmus de Pelet Monspeliensem ecclesiam ad Antonii inaugurationem rexit, cui a rege suffecto cessit Petrus de Boulhe, qui nondum obierat mense Julio anni 1599. quo nominatus adhuc recensetur in archivis Monspeliensibus. Debacchante per hæc tempora hæresi, moribusque populorum corruptis, cultus sacer ab urbe Monspeliensi penitus exulabat, donec Crozetus Monspelii præfectura sub Damvillæo potitus, novatoribus expulsis cœlestia mysteria revocavit die 27. Julii anni 1569. Joyosa profugos clericos & canonicos posthac in urbem revocavit, & canonicam ædem divinis restaurandis destinavit, sicque VIII. calend. Nov. exauctorata hæresi, edicto regio fides catholica triumphum egit.

II. ANTONIUS II.

DE SUBIET.

Antonius de Subiet, cui Cardot cognomen a gentilitio stemmate Carduo, in pago juxta Avenionem parentibus pietate magis quam opulentia conspicuis natus est VIII. id. Octobr. an. 1514. Puer admodum cantorum S. Symphoriani Avenionensis gregi adscriptus, tantos in musicæ scientia fecit progressus, ut Parisios profectus, inter regios cantores jam tum sacerdos fuerit aggregatus. Sanctæ peregrinationis studio postmodum incensus, sacra Palæstinæ loca adiit, Compostellamque altero post itinere ad sanctum Jacobum profectus est. Lutetiam reversus, studium musices in aula repetiit, tantaque apud regem gratia valuit, ut ab eo archidiaconus S. Mariæ de Doms Avenione, Tarasconensis decanus, abbas Tironelli, denique Monspeliensis præsul designatus fuerit. Pactis cum Petro de Boulhe conventis, pontificiisque bullis gratis regia commendatione susceptis, Monspelium magna omnium lætitia accessit anno 1573. ubi solitum decessoribus die 3. Novembr. in capitulo præstitit sacramentum. Insequenti anno 1574. vigil incubuit, ut cuncta in melius restitueret: religiosos in urbem evocatos propriis sumtibus aluit, breviarium & missale juxta Tridentinam synodum emendata induxit, & sacra privatis in ædibus religioni consecratis ob diruta templa fieri curavit. Sæva paulopost peste Monspelium deprædante, non fugit Antonius, sed animam pro ovibus exposuit, quas non tantum spiritali accitis sacerdotibus medicamine fovebat, sed & temporali recreabat subsidio. Urbem per densata tot civium funera fere vacuam sectarii occupant, episcopumque cum reliquo catholicorum grege fœde expellunt: at Damvillæus prorex, qui per aliquod tempus hæreticorum partibus faverat, Monspelio expugnato ab iis discedens, urbem anno 1576. recepit. Reduce anno 1579. Antonio antistite, sacra quoque Monspelii restaurantur & ceteris in urbibus diœceseos, sacerdotesque aris redditi, quos sumtibus suis alebat præsul, Calvinistis ecclesiarum bona diripientibus. Diu non illuxit lætior hæc dies, ecce enim iterum pestis depascitur, quæ Frontinianum cum capitulo episcopum abire cogit. Magalona interea ab hæreticis expugnata a Damvillæo repetitur 17. Sept. & custodienda traditur expertæ fortitudinis viro, qui contra fas capitulum exclusit: at paulopost cum collegæ unius opera pulsis militibus præsidiariis in capituli potestatem rediisset, a canonicorum stationariis regis nomine custodiendam concessit Damvillæus. Ineunte anno 1582. cultus divinus iterum a canonicis Monspelii in Canorga, ut tum vocabant, templis solo æquatis recreatur, & Antonius sacrarium episcopale dirutum instaurat, ac stipendiis auget. Nec minus liberalis fuit in ædem B. Mariæ de Doms Avenionensem & S. Symphorianum, cujus ecclesiam proventibus locupletavit, ut pueri symphoniastæ, inter quos fuerat olim enutritus, litteris imbuerentur. Sancti Justi prioratum, cujus incolæ ab hæreticis undequaque circumdabantur, Carmelitæ religioso tradidit anno 1583. ut pia ipsius doctrina a novatorum veneno eos tueretur. Juris quoque episcopalis assertor circa idem tempus Salviensem, Dursortensem, Salanesiam dynastias recuperavit. At vero non est hic omittendum quod tunc fide dignum referebatur, puerum duodecim annorum mutum ope B. Mariæ de Tabulis, quam supplex etiam renitente hæretico invocaverat, usum loquendi recepisse die 15. Augusti anno 1588. Insequenti 1589. Antonius sacrarum missarum celebrationem negligentes canonicos pœnis multavit, ni intra paucos menses sacerdotes primam missam celebrarent, subdiaconi vero sacris ordinibus initiarentur. Officium quoque beatæ Mariæ ob bella neglectum in choro & privatim sub peccati mortalis anathemate deinceps recitandum mandavit. Statuta alia & leges in capitulo generali die 24. Octobr. an. 1594. canonicis præscripsit, ut ordine suo rite & modeste officia divina & missas quisque celebraret, recusantes vero privatione fructuum per hebdomadam plecti, & ipso anathemate, si perseverent: ut hebdomadarius die Dominico missam solemnem celebraret: denique ut canonici qui presbyteratus ordinem suscipere recusarent, privilegiis hebdomadario addictis privarentur: quæ omnia hujusce præsulis summam

ANNI CHRISTI 1596.

erga sacrosancta mysteria pietatem satis ostendunt. Denique octogesimum secundum ætatis suæ annum agens, testamentum die 4. Julii an. 1596. condidit, in quo legata capitulo pontificia supellectile anniversarium fundavit. Tum morti proximus aliquot post diebus Guitardum de Ratte canonicum Monspeliensem & senatorem Tolosanum successorem designavit. Duos quoque pueros cantores ante obitum codicillis die 4. Octobr. instituit, qui canonicum celebrantem quotidie in missa ad Antonii defuncti memoriam revocarent. Mense elapso animam Deo reddidit die 8. Novembr. corpusque Magalonæ sepultum cum hoc addito epitaphio: *Hic ossa R. Antonii Subieti primi post secularisdtionem episcopi, qui in Domino obdormivit anno Domini 1596. sexto idus Novembris, omnibus Sacramentis ut viator munitus, in cælum ut pastor christianissimus evolavit.* In ærea vero lamina ad jacentis pedes episcopi incisum hoc minutis litteris elogium legebatur.

DEO OPT. MAX.

Et memoriæ æternæ ANTONII DE SUBIET, *qui ita vixit, ut ejus memoria nullo sæculo exstingui possit. Ætatis ille suæ prima rudimenta non tam Avenioni apud sanctum Symphorianum posuit, quam Christo, ejusque matri virgini Mariæ dedicavit. Deinde pietate incredibili, suscepta, & peracta ad loca Domini nostri Jesu Christi vita, & morte nobilitata, & præterea ad D. Jacobum de Compostella peregrinatione, juventutem sacello Francisci I. & Henrici II. Gallorum regis ad sacrum chorum obtulit: ob hoc virtutis & pietatis ergo, primum archidiaconus sanctæ Mariæ de Doms Avenioni factus, & meritis crescentibus abbatia Tironelli auctus, qua pietate solita, qua christiana liberalitate omnes ita, & regem christianissimum devinxit, ut omnium suffragiis sacris episcopatus Monspeliensis infulis fuerit insignitus. Quo in honore, & religionis ardore annis 24. ita versatus est, ut ad sacrum ecclesiæ D. Petri chorum perpetua de suis fructibus fundatione binos, totidemque ad sanctam Mariam de Domnis, & ad sanctum Symphorianum pueros curaverit instituendos; & gregem non modo in mediis hostibus servaverit incolumem, verum etiam ipsos hostes castitate primum vitæ, victusque abstinentia, & pietate captos, virtute fregerit, & a suis omnibus pastoris dignissimi nomen obtinuerit. Hic verba apostoli Pauli*, cupio dissolvi & esse cum Christo, *repetens emisit spiritum. Anno Christi nati 1514. 7. idus Octobris natus, ejusdem sæculi* MDXCVI. *6. idus Novembris in cælum evolavit. Hunc, viator, tumulum erigendum curavit Horatius Hugo doctor utriusque juris, prior Grandismontis, canonicus, & cantor ecclesiæ cathedralis Monspeliensis, ac nepos observantissimus.*

III. GUITARDUS.

DE RATTE.

Ex togata Monspeliensi familia honestis functa muneribus oriundus Guitardus, majorum decus omne unus superavit & auxit prudentia, morum suavitate & caritate in pauperes. Factus & ipse senator Tolosanus, cujus animi constantia patuit in illis Tolosæ tumultibus, quibus Johannes Stephanus Durantus senatus princeps & Jacobus Daffis regis advocatus sæviente plebecula trucidati sunt, hancque eamdem subiisset aleam Guitardus, nisi se prudenter ab hostium minis & telis subduxisset Parisiis, ubi a rege optime habitus mille ducentos aureos ejus liberalitate pro direptæ suppellectilis domesticæ compensatione obtinuit. Missus a rege in Normanniam, Cadomensis arcis præfectum Verunensem cognatum suum & alios nobiles in fide continuit: mox a fœderatis ipse captus, liberatur a rege, & inter sacri consistorii assessores cooptatur. Clero autem jam tum ascriptus erat Guitardus, ex canonico enim Monspeliensi factus præcentor, archidiaconus Valentinus, ad episcopale munus aptum se comparavit, cum hujus diœcesis vicarius generalis constitutus est: inde nominatur abbas sancti Aniani, S. Salvatoris Leutevensis, Vallis Richerii in Normannia, ac regis eleemosynarius, demum præsul Monspeliensis sacerdotium transcribente Antonio die 15. Julii 1596. designatur. At cum Antonius obiisset, antequam ejus abdicatio Romæ a pontifice grata haberetur, vir prudens cardinalis Ossatus alias a rege postulavit litteras, quibus Guitardum non titulo permutationis ad resignandum nominaret, sed per Antonii mortem. Id discimus ex epistola ipsiusmet cardinalis Ossati ad regem data Romæ die 17. Jan. anni 1597. Guitardus itaque alio a rege impetrato diplomate, bullisque a summo pontifice obtentis, Lutetiæ inauguratur a Petro cardinali de Gondi Parisiensi episcopo. Dicto de more regi sacramento Terralium episcopale castrum adiit v. idus Novembris anni 1597. Inde Monspelium ingressus baronibus umbellam deferentibus, magna ordinum omnium gratulatione excipitur, tum capitulo illibatam statutorum observationem spondet. Circa id tempus reliquiæ S. Germani, S. Maurini, S. Chrysostomi & S. Lazari ab hæreticorum furore subductæ Monspelium felici omine relatæ sunt. Anno sequenti cum synodum centum & quinquaginta neomystarum hæretici Monspelii VIII. calend. Jun. pararent, Guitardi prudentia profanum conventiculum dissipatum est. Pace Vervinensi v. calendas Julias indicta cum abuterentur hæretici ut capituli mancipes exactionibus vexarent, ope Guitardi compressi sunt. Diœceseos visitationem paulopost aggressus, ecclesias Miravallensem, Pignanensem & Cornoterraliensem dirutas refici jussit: at cum hæretici nocte disturbarent quidquid interdiu fuerat restitutum, privatis ædibus sacra peragendi sacerdotibus jus fecit, variasque in diœcesis partes theologos misit, qui hæreticos ad meliora revocarent, plebique instruendæ serio vacarent; sed obstinatiores facti sectarii, depulsis a gymnasii publici administratione catholicis, magistros Calvinistas subrogarunt. Mariæ Mediceæ Henrico magno nupturæ ex Italia anno 1600. Massiliam appellenti una cum pluribus episcopis gratulatur Guitardus. Eodem anno cum post Nannetense edictum rege annuente sacram Tabularum ædem restituere vellet, ob idque propugnaculum ab hæreticis infessum deturbandum foret, præsente Ventadorio præfecto subito irruit

ANNI CHRISTI

1597. Gariel. Part. 2. p. 298.

1598.

1600.

ANNI CHRISTI 1601.

Calviniana cohors die 28. Decembr. minis, telis, vulneribus catholicos fugant: episcopus vero paucis comitantibus manet imperterritus, palmam gloriosa morte quæsiturus. Anno 1601. iterum apud regem instat de templo restaurando, missisque ob hanc rem a rege mandatis, Piscenis orthodoxorum primarii per militiæ præfectum convocati oblata supplicatione die 2. Septembris templa, cultum divinum, festos dies, ecclesiæ patrimonia restitui postulant, quibus omnibus benignus annuit præfectus. Itaque anno 1602. purgato Tabularum templo in sacello B. Magdalenæ, quod intacto fornice integrum est repertum, divina mysteria magno populi concursu ab episcopo Dominica quarta Quadragesimæ celebrata sunt, minoribusque ordinibus eadem die inauguratus Petrus Gariel præsulum Magalonensium simul & Monspeliensium scriptor mox futurus. Guitardus autem cum equo Tolosam proficisceretur, lapsus infausto casu, dysentericum morbum contraxit. Tolosam deportatus diem ultimum obiit die 7. Julii anni 1602. ecclesiæ sacramentis prius magna religione susceptis. Corpus Monspelium, inde Magalonam solita pompa defertur, ubi sepulcrum habet. Sub ejus imagine hi versus exarati leguntur.

1602.

De Cambous materna, dedit de Ratte paterna
Stemmata, sed virtus nobiliora dedit.
Ob decus ingenii summo splendore Tolosa
Inter sacratos vidit honore patres;
His meritis majora dedit rex signa favoris;
Et Magalonenses pascere jussit oves.
Dum lupus arma parat, rapuit te pastor olympi;
Tutus ut in cælo pascua tuta petas.

Petrus de Ratte generalis consiliarius regius in supremo subsidiorum senatu præsulis nepos, amoris, honoris, & familiæ splendoris causa flens posuit. Circa tumulum hæc quoque leguntur. *Guitardus de Ratte Monspeliensis episcopus obiit Tolosæ 7. Julii anno Domini MDCII. ætatis 50. pontificatus 6. R. J. P. A.*

Notas in legem duodecim tabularum Guitardo inscripsit Theodorus Marcilius. Petrus Colvius lucubrationes in Sidonium Arvernorum episcopum, Sebastianus Michaelis ordinis Prædicatorum alumnus, aliique alios nuncupaverunt libros, a quibus ut patriæ decus & religionis columen honorifice celebratur.

GRANIER.

IV. JOHANNES VI.

Johannes e vico Burgundiæ diœcesis Lingonensis prope Barrum ad Sequanam natus, Benedictinæ familiæ nomen dedit in monasterio sancti Dionysii, dehinc laurea doctoris in facultate Sorbonica donatus, tum pastor sancti Albini Catalaunensis, capellanus & concionator regis tantam sibi eruditione singulari, nativoque facundiæ robore famam conciliavit, ut sacris in pulpitis verba facientem haud semel demiratus sit Henricus IV. Galliæ rex. Hanc autem præstantem eloquentiæ vim tum maxime explicuit, cum Carolum Gontaldum ducem Bironium capite damnatum hortatus est die 31. Julii 1602. Tot ac tantis virtutibus ornatus a rege ad sedem Monspeliensem designatur an. 1603. Parisiis sacra unctione delibutus, ecclesiam suam adiit. Avenione a canonicis suis festive salutatur, quibuscum Monspelium aliquanto post ingressus, honorifice excipitur anno 1605. Archidiacono de Valentia incitante jurat capituli statuta se fideliter observaturum; utque divina cum majestate celebrarentur, Melgoriensem sacram ædem restaurat, divenditis consentiente capitulo quibusdam jurisdictionibus. Ecclesiam quoque Tabularum Monspeliensem pretio 17200. aureorum absolvit: cumque ineunte Martio suo hunc titulum templo præfixissent hæretici *veræ religionis sacrum*, hanc illatam ecclesiæ injuriam non ferens præsul, ad regem hac de re scribit, quo accepto sectarii alium substituere. Tolosa reversus quo causa litis a canonicis motæ profectus fuerat, qui ab eo sumtuum partem repetebant, quam instaurandæ ecclesiæ suppellectili impenderant, aqua intercute correptus, elapso vix mense animam exhalavit die 15. Septembr. 1607. postera autem die, non Magalonæ, ut decessores, sed Monspelii in ecclesia B. Mariæ de Tabulis sepultus est. Hoc epitaphium ab optimo vate conscriptum ante eruptionem a novatoribus anno 1620. factam legebatur.

ANNI CHRISTI 1603.

1605.

Siste hic, viator: ossa, quæ calcas, rogant.
Somnum supremum dormit hic GRANERIUS.
Negotiosus semper in vita fuit,
Tandem quiescit mortuus. Primos Deo
Dicavit annos, & juventutem abditam
Sacro in recessu. Missa cælo oracula,
Et sanctiorum disciplinarum chorum
Non indiserta miscuit facundia.
Illi magistra nexuit lauro piam
Sorbona frontem, differenti regias
Henricus aures præbuit. Tandem infulis
Quas non petierat auctus, hanc ædem, sacra
Quam restituerat Virgini, tumulo occupat,
Ejusque tabulis voluit inscribi civis,
Ut animus inseratur albo cælitum.

Quod & aliis versibus sic expressum;

Hospes siste gradum, quæ calcas ossa precantur,
Quique sepulti animus corporis hospes erat.
Vix tota expertus GRANERIUS *otia vita,*
Hac tandem in placida nocte quiescit humo.
Ille Deo primos vitæ sacraverat annos,
Civili strepitu solus & urbe procul.
Cinxit honorata lauro Sorbona capillos,
Index ingenii laurea fronte viret.
Arcana explicuit magnorum oracula vatum;
Dum populos cæli nectare lingua rigat.
Inde pii sacras implevit principis aures,
Eloquii Henricus testis & aula fuit.

ANNI CHRISTI

Tandem virtutum suffragatore senatu
Pressit ei meritas infula sacra comas.
Nunc quam restitui nuper curaverat ædem
Virginis, exiguo marmore tectus habet.
Virgineis tabulis civis est inscriptus, ut albo
Cælituum adscriptus spiritus astra petat.

De eo quoque sic habet mſ. codex : *Vir fuit acris ingenii, flagrantisque & ad omnigenam sapientiæ & religionis gloriam anheli, litterarii splendoris firmus assertor, omnis theologicæ obscuritatis illustrator, sed virtute & religione splendidior.* Nonnulla scripsit, teste Gariello, quatuor codicibus mſſ. B comprehensa, quæ illibata adhuc asservantur in tabulis Monspeliensibus.

FENOILLET.

V. PETRUS VII.

Sabaudus natione, Petrus Annecii honestis parentibus natus, decurso studiorum stadio theologicam doctoris lauream assecutus est, cumque totum se prædicationi devovisset, celeberrimus evasit concionator, adeo ut æquus rerum æstimator Franciscus de Sales Genevensis episcopus parochialis ecclesiæ curam ei contulerit, canonicumque cathedralis crearit. A Vapincensi inde capitulo accitum vult Gariellus, ut juventutem C Christi rudimentis imbueret: hoc autem in munere tam diligenter se gessit, ut canonicus & ecclesiastes paulo post factus, theologicis quæstionibus explicandis summa cum laude claruerit, gratiamque apud magnates aucupatus fuerit, a quibus Lutetiam perductus, e sacro suggestu per triennium præconis munus egit. Tanta vero erat in eo dicendi vis, tantusque lepos, ut delicatiorum quorumque aures permulceret. Testes ejus facundiæ in æternum erunt funebres illæ orationes, quibus Pomponio de Bellievre Franciæ cancellario die 17. Septembr. anni 1607. D & Henrico Borbonio Montispenserii duci 21. Mart. an. sequentis parentavit. Typis editæ sunt Parisiis apud Rollinum Thierry. Hunc cum Henricus ipse quartus e suggestu dicentem sæpius audiisset, tantis permotus naturæ dotibus, simul ac de Granerii obitu nuncius advenit, triginta nondum annos natum, Pictaviensem jam destinatum, Monspeliensem designavit episcopum. Quod ubi Monspelienses canonici rescivere, ad regem ex primoribus destinarunt, qui de tanto exhibito eis munere gratias agerent. Hæc porro omnia didicimus ex celebri illa epistola, quam Franciscus de Sales Genev. episc. ad E Clementem VIII. circa id tempus scripsit, ut de Petri electi moribus & origine summum pontificem de more edoceret. Clemente itaque nominationem ratam habente, bullis pontificiis consecratur Petrus die 8. Augusti anni 1608. Monspelium adiit XIX. calend. Januarii anni ejusdem fausta ubique gratulatione omnium ordinum susceptus, latino sermone in ecclesia cathedrali perorante Claudio a S. Boneto archidiacono tunc majore. Postridie capitulo Monspeliensi solitum statuta servandi exhibuit juramentum. Narbonam convenit anno 1609. ad concilium provinciale

Charta LXVIII. col. 411.

1608.

1609.

A a Ludovico de Vervins metropolitano convocatum. Exinde adversus hæreticos certamen instituit, & ut ad tantum opus auxiliares sibi adsciſceret copias, patres Capucinos in urbe locandos meditatus, amplam cœnobio struendo sumtibus suis emit aream. His quantum potuit obstitit Calvinianus furor, & crucis vexillum figentem Petrum ad construendum Capucinorum cœnobium minis, telis, seditione nequicquam terrent & lacessunt: alios vero religiosos aut in urbem revocavit, aut saltem reformavit. Dominicani primigeniæ disciplinæ restituti, Franciscani dirutum ab hæreticis conventum restaurarunt, Augustiniani quoque, Carmelitæ, & SS. Trinitatis religiosi ejus munificentiam experti sunt. Erepti anno 1610. e vivis Henrici magni in exsequiis elegantem Monspelii habuit orationem publicæ luci assertam, novoque regi mox inaugurato debitam coram Montmorancio fidem spopondit. Lutetiam ineunte vere anno 1611. cum adiisset auxilium regis adversus hæreticos imploraturus, hanc e superiore loco diserte in utramque partem agitavit quæstionem, utrum in ullo casu supra Romanum pontificem concilium sit. Reversus præsul vigilantissimus, pastorali officio serio incumbens, parochos muneri tanto minus idoneos submovit. Anno 1612. flagitiosos sacerdotes ejecit, cœnobitas ad claustra sua revocavit, novosque ubique instituit ministros. Diœcesim suam postmodum lustrare cœpit, multa pro ecclesiastico statu decreta sancivit, suisque concionibus doctissimis & elegantissimis, suavissima conversatione & exemplo pietatis multas e suis oves ab errore ad lucem fidei inclinavit. Anno 1614. academiam Monspeliensem, facultatem præcipue theologicam pristino decori restituit. Parisiensibus regni comitiis hoc etiam anno Petrus a clero delegatus adfuit, ubi coram rege ecclesiastici cœtus nomine contra duellorum usum prolocutus est. Annis 1615. & 1616. confidentias aliquot per diœcesim sparsas sustulit, bonisque ecclesiæ recuperandis egregiam navavit operam. Solemnibus regni comitiis Lutetiæ anno 1617. habitis interfuit Petrus, cujus hortatu rex Jubileum a Paulo V. indultum Monspelii celebrari jussit. Annis proxime sequentibus in vitam ac famam præsulis insurrexere malevoli, eumque falsis laceratum criminibus procul dubio occidissent, ni ad Montferrandense castrum profectus, tutas ab hæreticorum insidiis latebras quæsiisset. Oppugnatum a duce Rohanio anno 1622. castrum, ast infausto marte. Regem eodem anno Biterras appulsum convenit Petrus, triumque urbis ac diœceseos Monspessulanæ ordinum nomine diserte, ut solebat, peroravit die 20. Julii, eique auctor fuit, ut Monspelium obsessurus tenderet : ipse vero Montferrandense repetiit castrum, ibique substitit ad diem 18. Octobr. quo pace constituta, urbem cum regiis copiis ingressus, postridie regem solemni pompa intromissum luculenta simul & gratulatoria excepit oratione. Clero in bonorum possessionem misso, diligenter curavit Petrus cuncta quæ ad religionem spectabant pristino splendori revocari, ac primo quidem die

ANNI CHRISTI

1610.

1611.

1612.

1614.

1615.

1616.

1617.

1622.

ANNI CHRISTI 1623. 23. mensis Octobr. solemnis instituta supplicatio quotannis repetenda in gratiarum actiones pro asserta Deo regique civitate. Anno 1623. Capucini patres priore conventu relicto, in alium commodiorem demigrarunt. Congressus an. 1624. cum hæreticorum ministris Petrus, illæsus e pugna & victor evasit. Parisios eodem anno ad cathedralem ecclesiam restaurandam profectus, regium diploma ad opus tam religiosum reportavit. Ecclesiam Capucinorum novam circa id tempus consecravit, ædem sancti Ludovici inchoavit. Conventui notabilium Parisiensi adstitit anno 1626. Patres Societatis Jesu a Richelio cardinale Monspelium an. 1629. introductos benigne excepit, eisque hortum, in quo palatium episcopale fuerat constructum, dono dedit. Cum pestifera lues exeunte Augusto ejusdem anni exorta in totam urbem debaccharetur, officio suo non defuit Petrus, ægrotos curavit, sinceraque incensus caritate, cuncta ad salutem mentis & corporis necessaria providit. Moniales Visitationis Annecio Monspelium induxit an. 1631. & Piscenas Ursulinas accivit. Hisce fere temporibus Magalona iterum eversa est, relicta tantum ecclesia eaque semidiruta, at Monspelii restaurata sancti Petri cathedralis ecclesia, quam hæretici more suo diripuerant, & everterant. Aræ, cultus sacer, templum Tabularum præcipue ab eo reparata, cui nunc hic titulus præfixus: *Petrus Fenollietus Monspeliensis præsul magnæ illius matris patronus, quam patronam sibi Monspelienses adoptarunt.* Comitiis cleri generalibus adstitit anno 1635. ubi die 6. Julii de matrimoniis principum luculentam habuit orationem. Adfuit anno eodem generali synodo a Claudio de Rebé archiepiscopo Narbonensi indictæ. (Gariel. part. II. p. 331.) Hinc extraordinarius a rege ad Urbanum VIII. summum pontificem orator est missus, ubi multa doctrinæ dedit specimina. Pestilentiæ metu canonici anno 1640. perculsi, Anianam concedere ab episcopo jussi sunt ecclesiasticis officiis perfuncturi. Haud ita multo post in Occitanicis apud Piscenas comitiis delegatus Petrus, qui provinciæ codices regi offerret, Ludovici XIII. benevolentiam expertus est. Perlato an. 1643. de morte regis nuncio, huic illico solemni pompa parentavit, ejusque laudes solita facundiæ laude prosecutus est, ubique inter eloquentiæ Gallicanæ & christianæ principes jure annumerandus. Denique terminata secundum canonicorum vota, quæ inter eos & episcopum triennium aut quadriennium tenuerat rixa, Petrus paulopost episcopalibus insignitus virtutibus, præsulum Galliæ antiquissimus juxta ac disertissimus episcopatum simul & vitam Parisiis exuit die 24. Novembr. anni 1652. Corpus postridie in ecclesia sancti Eustachii sepulturæ mandatum. Defuncto canonici Monspelienses debitis honoribus, necnon & funebri laudatione justa solverunt. Cumque in Monspeliensem, uti mandaverat, virginum Visitationis ecclesiam translatum postea cor fuisset, funebres iteraverunt cantus, & post instauratum missæ sacrificium in tumulo quem ipse exstrui curaverat condiderunt. Qui vero Petro suam episcoporum Magalonensium & Monspeliensium dicaverat historiam Gariellus, huic quoque defuncto hoc edidit epitaphium

Petro Fenollieto illustrissimo Monspeliensium episcopo.

Corpus humo, mentemque Deo transmittis habendam,
Cor superest, Virgo, pars mea, dixit, erit.

Obiit Parisiis die 24. Novembris anni 1652. ibique sepultus die 25. R. I. P. A.

VI. Rainaldus. D'Est.

Sublato e vivis Petro, episcopus Monspeliensis a rege nominatus est Rainaldus cardinalis Atestinus ex principibus Mutinæ, Alphonsi ducis & Elizabethæ Sabaudæ filius, illustrissima & vetustissima gente Estensi marchionum & ducum Ferrariæ ac Mutinæ oriundus, abbas S. Mariæ Vallis lucentis, Galliæque in curia Romana protector, quo in munere ei jam præluserat princeps nobilissimus Aloysius cardinalis Estensis ejus consanguineus Romæ defunctus anno 1586. Rainaldus autem Romana condecoratus purpura ab Urbano VIII. summo pontifice die 16. Sept. 1641. galeroque insignitus cardinalitio ab Innocentio X. cujus electionis comitiis interfuit, episcopus Regii lepidi consecratus jam fuerat mense Novembr. 1651. ab episcopo Mutinensi in sua cathedrali, cum demortui Petri in locum ad Monspelienses infulas a rege christianissimo designatus, electionis regium diploma Romæ accepit, quod & in Monspeliensibus insertum tabulis. At bullis a summo pontifice nunquam obtentis, biennium totum cum semestri temporarios percepit episcopatus reditus, misso qui œconomum ageret Hercule de Mansieres, qui 16. Oct. an. 1653. possessionem iniit, spiritalibus interim penes vicarios generales a capitulo delegatos remanentibus. Cum autem edixisset Innocentius X. ut episcopatuum alterutrum optaret cardinalis Atestinus, Monspeliensis nominationis diploma ad regem remisit.

VII. Franciscus. Bosquet.

Vacanti per cessionem cardinalis Estensis Monspeliensi ecclesiæ præficitur a rege Franciscus Bosquet Leutevensis episcopus die 10. Julii anni 1655. dum a provincia Narbonensi deputatus pro comitiis generalibus cleri Gallicani Parisiis tum ageret. Verum ecclesiasticis negotiis per biennium fere totum detentus, licet a summo pontifice ultima Jan. anni 1656. fuisset confirmatus, ad ecclesiam suam accedere non potuit ante diem 24. Jun. anni 1657. quo Monspelium appulsus summa ordinum omnium gratulatione excipitur. Illico diœcesim suam lustrare cœpit, damna a Calvinianis illata resarturus. Missi ubique ab eo qui oves suas Christi dogmata edocerent præcones, & ut a clericis faceret initium, collationes quolibet mense bis a parochis faciendas instituit, seminariumque pro junioribus clericis erudiendis exstruxit. Quanti sit roboris exemplum haud ignarus, Carmelitas discalceatos & patres Recollectos

ANNI CHRISTI

Recollectos accivit, necnon ut puellarum recens A ad fidem revocatarum saluti & instructioni consuleret, domum a Providentia dictam a fundamentis excitavit, & ut hæresim ad incitas redigeret, sex Reformatorum templa radicitus evulsit. Parochiæ sancti Petri & S. Annæ ab eo sunt erectæ, palatium episcopale constructum, castella Gigeani & Terralii restaurata, denique baroniam Salvæ ab annis fere centum distractam mensæ episcopali multo labore magnisque impensis univit. Mitto effusam & pene inauditam in pauperes caritatem, veteres inter oppidanos exstinctas rixas, segregum pene duo millia ad ecclesiæ gremium revocata. Omnia denique optimi & vigi- B lantissimi pastoris munia rite adimplevit. Pro reformanda restaurandaque academia nonnulla statuit 1. Julii 1658. Comitiis Occitaniæ generalibus apud Tolosam habitis interfuit an. 1659. Ad alteram anno 1662. exeunte dioecesis suæ visitationem sese accinxit, Frontinianique potissimum suum explicuit zelum. Ad comitia cleri Gallicani iterum delegatus an. 1675. antequam Parisiis discederet, nepotem suum Carolum de Pradel coadjutorem a rege obtinuit. Anno sequenti dum pascendo gregi totus incumberet, nervorum stupore sublatus est die 24. Jun. anni 1676. annos natus 71. defunctus sepelitur in C sacello sancti Angeli Custodis, ut præscripserat. Flebilis autem omnibus occidit, non solum suis, quibus virtutum omnium exempla præbuerat, sed & doctis omnibus, qui in eo doctissimum virum desiderarunt. Præter enim editum latine cum notis ejus cura totius juris Romani veluti compendium a Psello versibus græcis comprehensum pro Michaele Duca imperatore, cujus Psellus erat pædagogus, ecclesiæ Gallicanæ historiarum exordia quatuor libris a primo Christi in Galliis evangelio ad datam ecclesiæ pacem publici juris fecit, eademque secundis curis ampliavit & absolvit: pontificum Romanorum histo- D rias, qui e Gallia oriundi in ea sederunt, notis auxit: epistolas Innocentii III. hoc est 13. 14. 15. & 16. libros regesti hujus papæ commentariis historicis illustravit: Raimundi Martini Dominicani opus Pugionis fidei contra Judæos & Mauros in pulvere bibliothecæ Fuxensis tenebris damnatum ejus ope & opera primum luci patuit. Denique sancti Fulcranni Leutevensis episcopi vitam conscripsit. Alia bene multa majoris molis opera posteris transmittenda nepotibus legavit, in iis lucubrationes nonnullas de privilegiis, libertatibus, & immunitatibus ecclesiæ Gallicanæ, & annotationes in universum jus canonicum. Ab E omnibus eruditis honorificentissime ubique passim appellatur.

1658. 1659. 1662. 1675. 1676.

ANNI CHRISTI

DE PRADEL.

VIII. Carolus.

Francisci decessoris ex sorore nepos Carolus germanum habuit Franciscum de Pradel gubernatorem sancti Quintini: ipse vero factus primum canonicus Monspeliensis ecclesiæ, avunculi coadjutor a rege institutus est an. 1675. Laurea doctoris donatus die 19. Jun. anni 1676. bullis obtentis sacram sub titulo episcopi Marcopoleos recepit unctionem die 28. ejusdem mensis Parisiis ab eminentissimo cardinali de Bonzi, assistentibus Biterrensi & Uceticensi episcopis in ecclesia patrum Societatis Jesu Sanludovicea. Postera autem die nunciata avunculi morte, ipsi defuncto successit, ejusque per viginti episcopatus annos vestigiis sedulus institit. Comitiis generalibus cleri Gallicani an. 1681. & 1682. adfuit. Defunctus Monspelii die 22. Septembris 1696.

1681. 1682. 1696.

COLBERT DE CROISSI.

IX. Carolus Joachimus.

Carolus Joachimus natus est die XI. Jun. an. 1667. parentibus Carolo Colbert marchione de Croissi, regiorum ordinum thesaurario, regnique administro & Margarita Beraud, frater Johannis Baptistæ marchionis de Torci regi a secretis & commentariis, regni administri ac regiorum ordinum cancellarii. Sacris a puero destinatus, abbas Frigidi montis a rege renunciatur mense Maio an. 1684. Cleri Gallicani negotiis agens generalis præponitur mense Octobri an. 1691. Doctoris theologi in facultate Parisiensi lauream assecutus est die 21. Mart. anni 1692. Vicarius generalis Pontisarensis a patruele Jacobo Nicolao Colbert Rotomagensi archiepiscopo jam nominatus die 12. ejusdem mensis possessionem iniit die 28. quo in munere cum aliquandiu sese exercuisset, virtutumque pastoralium specimen in se exhibuisset, Carolo defuncto a rege suffectus est episcopus Monspeliensis in die festo Sanctorum omnium an. 1696. aliquot post parentis obitum mensibus. A summo autem pontifice confirmatus inungitur ab archiepiscopo Rotomagensi die 10. Mart. 1697. Parisiis in ecclesia Fuliensium collaborantibus episcopis Autissiodorensi Andrea Colbert consanguineo, & Alesiensi Francisco Chevalier. Regi sacramentum dixit die 19. ejusdem mensis in sacello Marliacensi. Provinciæ codices regi deputatus obtulit 17. Aug. 1700. Felicibus Clementis XI. auspiciis gratulatus perhonorificum ab eo breve accepit 19. Aprilis 1701. Inter honorarios Academiæ Monspeliensis cooptatus est mense Decembri anno 1706. Decessorum suorum statuta, ea maxime quæ ad divinum spectant officium, zelo domus Domini accensus, renovavit & confirmavit anno 1736.

1697. 1700. 1701. 1706. 1736.

PRÆPOSITI ECCLESIÆ MAGALONENSIS
& post MONSPELIENSIS.

Ch. VII. col. 348.

I. PONTIUS I. ecclesiæ Magalonensis præpositus electioni Judithæ primæ S. Genesii abbatissæ subscripsit an. 1025. Sigillum apposuit suum instrumento Adelæ comitissæ pro ecclesia Magalonensi circa annum 1055. Laudavit chartam Petri comitis pro ecclesia Magalonensi datam

Ch. IX. col. 348.

Ch. x. col. 349.

x. calend. Aug. anni 1079. alteramque ejusdem v. idus Augusti. Præsens laudatur in concordia Petrum comitem inter & Guillelmum de Montepessulano inita circa annum 1080. Chirographum apposuit chartæ Petri comitis Sustantionensis pro ecclesia Magalonensi mense Januario anni 1082. Adstitit placito habito XIII. calend. Jan. anni 1090. inter Guillelmum Monspelii toparcham & Gothofredum Magalonensem episcopum. Sed idemne est Pontius?

Ch. XIII. col. 352.

II. Bernardus I. Gausselin suo & capituli nomine Johanni episcopo cessit ecclesiam de Gigeano cum pertinentiis an. 1161. Cum Priore & archidiaconis præsens fuit sacramento fidelitatis, quod Johanni Magalonensi episcopo anno eodem mense Januario præstitit Guillelmus V. dominus Montispessulani. Insequenti anno inter eum & episcopum mense Julio statutum est penes præpositum deinceps fore ordinare cellerarium Magalonæ procuratorem communis mensæ. Dissidium habuit anno 1165. cum Johanne de Montelauro episcopo. Testis quoque reperitur hominii, quod Hugo Goffridi ejus cognatus præstitit, recognoscens cum Bertrando de Massilia honorem Arelatensem & honorem sancti Genesii se habere ab Arelatensi ecclesia: non notatur quidem annus, sed ejusdem hominii testis fuit Gaufredus Avenionensis episcopus, primus an secundus non liquet, at primus ab altero parum distat temporis. Bernardus postea ad ecclesiam Biterrensem promotus fuisse videtur.

III. Fulcrandus archidiaconus jam an. 1166. Præposito autem facto huic & canonicis dedit Johannes episcopus anno 1169. ecclesias de Lunello veteri & de Salsano. Testis eodem anno in actis sodalitatis ecclesiæ Mimatensis cum Magalonensi. Nominatur in pacto inter Guillelmum Montispessulani dominum & Bertrandum de Andusia pro ineundo matrimonio inter filium Guillelmi & filiam Bertrandi facto anno 1169. Dissidium habuit cum Johanne antistite super collatione beneficiorum per canonicos gubernari solitorum. Decretum hac de re circa id tempus ab Alexandro III. latum postea confirmavit Honorius III. Totius capituli consilio Johanni episcopo dereliquit 650. solidos Melgorienses, quos Raimundus Johannis antecessor ipsis persolvere debuerat, & alia pleraque. Hanc quidem cessionem ad annum 1161. retulit Gariellus part. 1. pag. 207. sed absque fundamento, ut videtur. Testis adhuc recensetur Fulcrandus duplicis transactionis anno 1175. inter Bernardum Biterrensem episcopum & capitulum ejusdem ecclesiæ, quin & inter ecclesiam Biterrensem & abbatem sancti Afrodisii.

Ch. XXV. col. 361.

Ch. XVI. col. 139.

IV. Bertrandus Gauzmar præpositus Magalonensis testamentum condidit an. 1176. elegitque sepulturam in ecclesia S. Petri Magalonensis.

V. Petrus I. de Vabere anno 1177. in testamento Guidonis Gueregiati vocatur præpositus Magalonensis. Cum Johanne episcopo subscripsit transactioni inter fratres Vallis crosæ & Fontis calidi initæ mensæ Octobri an. 1179. Huic & capitulo dedit anno 1181. Fredolus episcopus Forojuliensis sub certis conditionibus ædem S. Petri in castro Avinionis. Ejus assensu fundavit Bertrandus sacrista anno 1183. anniversarium pro Raimundo quondam Magalonensi episcopo avunculo suo. Præsens legitur hominio, quod G. Montispessulani dominus Johanni episcopo præstitit mense Aprili anni 1184. Memoratur etiam in bulla Clementis papæ III. chronicis notis destituta & in veteri charta data calendis Julii anni 1187. ubi vocatur P. de Vabere.

VI. Guido de Ventadour filius Ebuli III. de Ventadour & Aleidis de Montepessulano, frater autem Ebuli IV. vicecomitis de Ventadour & Ebuli abbatis Figeacensis, e canonico Magalonensi factus præpositus multa canonicos inter & episcopos orta compescuit dissidia una cum Guillelmo R. episcopatum ineunte. Memoratur in bulla Cœlestini papæ III. data XII. calend. Jun. pontificatus anno 3. Præsens fuit mense Nov. ejusdem anni hominio, quod episcopo Magalonensi præstitit Guillelmus D. Montispessulani filius Mathildis. Testis reperitur sacramenti fidelitatis, quod R. comiti Tolosano & Melgoriensi exhibuit G. dominus Montispessulani filius Mathildis ducissæ IV. calend. Jun. anni 1194. Cum fratre Helia recensetur in tabulis nuptialibus inter Bernardum comitem Convenarum & Mariam filiam Guillelmi domini Monspelii factis mense Decembri anni 1197. Adstitit eodem tempore cessioni, quam fecit Maria patri suo Guillelmo de hereditate Monspelii, quæ ad eam pertinebat, quia unica ex prima uxore filia erat. Litem habuit anno 1199. quæ mediis arbitris finita est. Testis eodem anno nominatur in charta Titburgæ renunciantis pactionibus matrimonialibus, quas ejus parentes, cum nondum esset adulta, fecerant inter illam & filium Guillelmi domini Montispessulani. Assensu episcopi omniumque canonicorum cum hospitali sancti Johannis Jerosolymitani composuit anno 1202. super stagno de Cucule & manso de Grenouilleres. Guillelmus dominus Montispessulani eodem anno testamenti sui exsecutionem Guidoni & multis aliis commendavit. De consilio Guillelmi episcopi concessit an. 1203. Bernardo de la Treille sacristæ unam terræ portionem in suburbio Villæ novæ ad vitam tantum pro 100. solid. Melgor. Iniit circa id tempus pactum cum magistro militiæ sancti Egidii pro ecclesiis ab ipsis dependentibus. Testis etiam fuit donationum ob nuptias factarum inter Petrum Aragoniæ regem & Mariam Montispessulani dominam, cum eam duxit anno 1204. Testis anno 1205. confirmationis a Petro rege Aragoniæ mense Januario factæ de dono ab antecessoribus suis facto monasterio Calmiliacensi.

VII. Bernardus II. de sancto Gervasio testis hominii, quod Maria domina Montispessulani exhibuit Guillelmo episcopo anno 1208. quo etiam tempore quædam permutavit cum Petro de Cornone. Numquid iste est Bertrandus præpositus pro Bernardo, qui testis laudatur in formula electionis consulum Monspelii VI. idus Febr. 1210?

Charta XXXIII. col. 365.

VIII. Bernardus III. de Mesua e præposito factus episcopus Magalonensis anno 1216.

IX. Johannes I. de Montlaur vicarius generalis Bernardi episcopi an. 1223. Augustinianis monialibus aream struendo cœnobio accommodam descripsit, ecclesiamque sancti Germani de Fornelio assignavit. Eo circiter tempore facto præposito huic circa finem Augusti dedit Bernardus episcopus quasdam possessiones ad Coconem & Maurinum, dominium quoque castri de Lundris sub homagio reliquit. Permutationem fecit VII. id. Febr. 1227. cum Guillelmo de Abriniaco Anianensi abbate. A Gregorio papa IX. privilegiorum ecclesiæ Magalonensis obtinuit confirmationem anno 1228. Factus episcopus circa annum 1232.

X. Sicardus d'Olargue præpositus cum Michaele de Monsir & Hugone de Miramart archidiac. subscriptus an. 1236. in hominio Jacobi regis Aragonum. Testis quoque reperitur concordiæ inter Jacobum regem Aragoniæ Montispessulani dominum, & Johannem Magalonensem episcopum anno 1241. initæ.

XI. Bernardus IV. de Murvieil ex antiqua familia de Muroveteri, cum Johanne de Montelauro Magalonensi episcopo recensetur pridie cal. Mart. anni 1246. & cum Rainerio successore, cui XVI. calend. Aprilis 1247. ecclesiam parochialem B. Mariæ de Melgorio ad episcopalem mensam assensu capituli tradidit: his vero dedit episcopus pro excambio ecclesias sancti Petri de Cornone, sancti Juliani de Casalignis, sancti Stephani de Castris & sancti Theodorici de Veiranicis cum earum capellis. Eodem anno de consensu capituli Rainerius episcopus cum Bernardo præposito in beneficium per se vestiarii munus erexit a præposito Magalonensi conferendum. Gaucelinus de Montepetroso huic divendidit an. 1254. calend. Decembr. pretio 10. librarum & 5. solidorum Melgoriensium usatica 100. denariorum in parochiis SS. Eulaliæ & Leocadiæ de Vico.

XII. Johannes II. Gundalrici memoratur in veteri instrumento an. 1254. Electionem Guillelmi Christophori significavit G. Narbonensi archiepiscopo litteris V. non. Maii anni 1256. datis. Oppressus a quibusdam contra ecclesiasticas immunitates eo circiter tempore ab episcopo suo protegitur.

XIII. Pontius II. testis adest diplomati Jacobi regis Aragonum pro Monspeliensibus dato IV. id. Dec. anni 1258.

XIV. Johannes III. Atbrandi præpositus cum Berengario episcopo, Pontio de Soregio sacrista, Raimundo de Bossiacis Magalonensi canonico & sancti Firmini priore compositionem fecit cum fratre Guiraudo priore Dominicanorum anno 1263.

XV. Raimundus I. de Bociacis *al.* Tassiacis ex monacho Anianensi factus præpositus quædam usatica in Villanova permutavit an. 1266. cum Berengario episcopo. Biennio post cum ceteris condominis castri de Vico episcopo hominium præstitit. Una cum Berengario præsule pepigit anno 1272. cum Jacobo Aragonum rege super unione, divisione, & limitatione villæ Montispessulani, & aliorum castrorum, quæ mixtim & contigue habebant. Reperitur VII. id. Febr. 1276. nunc 1277. in thesauro chartarum. Cum Bernardo de sancto Justo de Monteferrario domicello octavam panis & vini, necnon 5. solidos, & 8. denarios censuales, quidquid denique juris in honoribus mansi de Veireriis habebat excambii nomine commutavit an. 1286.

XVI. Ademarus de Capreolis emit a Berengario antistite totum montem sancti Baudilii de Montesevo & garrigiam de Noalibus an. 1288. Adstitit & assensum præbuit Bertrando Matthæi officiali Magalonensi, cum interdictum tulit XVI. calend. Augusti an. 1291. in Monspelii urbem. Consensit donationi ecclesiæ sancti Baudilii de Montelauro monialibus sancti Leonis factæ ab episcopo V. calend. Jun. anni 1292. Fit procurator eodem anno Berengarii episcopi & capituli in permutatione inita cum Philippo rege feudi Monspelii pro castro de Porsiano & aliis dominiis. Præfuit electioni Magalonensis episcopi anno 1296. Adstitit eodem anno cum canonicis capitulo generali mense Decembri habito, in quo collationes ad præpositum pertinentes infra quinquennium episcopo concesserunt.

Charta XLVIII. col. 376.

XVII. Raimundus II. de Bellopodio. Cum quæstio inter eum capituli nomine & universitatem de Villa nova verteretur super stagno Magalonensi, arbitrum elegerunt anno 1312. Johannem Magalonensem episcopum, qui determinavit quomodo Villanovenses possent piscari.

XVIII. Raimundus III. de Agone præpositus Magalonensis subdelegatus Roberti Aquensis archiepiscopi excommunicavit fratres Minores, & Narbonenses qui eorum vel missis vel concionibus interessent, a qua excommunicatione appellarunt Narbonenses anno 1316. Occurrit adhuc in charta ecclesiæ Albiensis die 4. Mart. anni 1318.

XIX. Guillelmus I. a Turre quem inter & Andream episcopum orta contentio super jurisdictione Peiratæ pontis, & super jure levandi pedagium, & habendi furcas erectas juxta pontem Amansionis in proprietate Magalonensis præpositi, & super hoc quod episcopus dicebat se habere jus instituendi vicarios perpetuos in omnibus & singulis vicariis dictæ præpositurae, & quod præpositus, cum eas vacare contingeret, dicto episcopo vicarios perpetuos præsentare deberet, ut eos institueret in eisdem, dicto præposito contrarium asserente, lis tandem Villæ novæ per Johannem de Montelauro, sancti Firmini de Montepessulano priorem, & Berengarium de Fabricis dicti loci de Fabricis priorem electos arbitros sopita est anno 1319.

XX. Johannes IV. de Viridisco præpositus antequam fieret episcopus an. 1328.

XXI. Raimundus IV. de Canillac e rupe Caniliaci oriundus in diœcesi Mimatensi, parentibus Guillelmo & sorore Bertrandi de Deucio cardinalis Ebredunensis, factus Magalonensis præpositus

piſcariam ſtagni de Villa nova cujuſque anni pretio 160. librarum per procuratorem oppigneravit anno 1333. Pulmentum piſcium in Cornonenſi ſtagno captorum ipſi & epiſcopo æqua portione adjudicatum anno 1337. Inſequenti cum Raimundus jus regium perſolvere cunctaretur, caſtellum de Vico ab adminiſtris regiis occupatum. Compoſuit eodem anno 1338. litem quam cum Pictavino epiſcopo habebat pro quadam terræ portione ſtagnum inter & mare a Frontiniano ad Melgorium. Præſes electus eſt capituli provincialis canonicorum regularium apud Narbonam die ſanctæ Catharinæ an. 1339. habiti pro publicandis canonicis conſtitutionibus a Benedicto XII. recens editis. Regium diploma pro omnibus capituli bonis a Philippo rege obtinuit anno 1340. Cum Johanne Arelatenſi archiepiſcopo & Guillelmo de Aura cardinali arbiter electus eſt anno 1342. qui litem dirimerent, quæ inter Guillelmum de Lauduno veſtiarium Magalonæ & canonicos clauſtrales movebatur ſuper augmentis, quæ veſtiarius eiſdem canonicis dare tenebatur. Factus dein archiepiſcopus Toloſanus & cardinalis obiit Avenione die 20. Jun. anni 1373. unde 4. Julii corpus Magalonam tranſlatum tumulatur in ſacello Caniliacorum. De eo plura in archiepiſcopis Toloſanis.

XXII. Pontius III. d'Olargue ratas habet ſententiæ arbitrorum conventiones latas 18. Nov. 1356. quibus epiſcopi Durandi & capituli lites innumeræ dirimuntur. [Ch. LVII. col. 384.]

XXIII. Berengarius de Salmo anno 1383. ob provectam ætatem juribus omnibus in capituli gratiam ſe exuit, conceſſuſque fuit ei prioratus de Lunello novo.

XXIV. Aſtorgius de Gozono anno 1404. cum Aimerico abbate Pſalmodienſi & aliis compoſuit litem quam habebat Antonius epiſcopus cum ſuis canonicis. Xenodochio SS. Simonis & Judæ ad pontem Salazonium beneficium contulit anno 1409. conſentiente epiſcopo Petro Ademaro.

XXV. Faber de Actiles præpoſitus Magalonenſis creatur vicarius generalis Roberti Magalonenſis epiſcopi cum Guillelmo epiſcopo Laudunenſi, Henrico Taurinenſi canonico, & Guillelmo Valeſio canonico Aurelianenſi an. 1433. [Ch. LXIV. col. 387.]

XXVI. Secundinus de Sarratis prioratum S. Mauricii Sauſetenſis poſſeſſore vacuum contulit anno 1483. Initio obſtitit Johannes epiſcopus, ſed poſtea acquievit. Anno 1484. jus obtinuit una cum Carolo Belfortio marchione de Canillaco & domino de Aleſto alternæ ad Magalonenſe ſanctæ Trinitatis collegium præſentationis. Bullam ab Innocentio papa obtinuit VIII. id. Auguſti an. 1485. adverſus invaſores fructuum prioratus ſancti Firmini, quem in commendam tenebat.

XXVII. Johannes V. de Coſta cum Franciſco Halé Narbonenſi archiepiſcopo electionem Iſarni epiſcopi Magalonenſis procuravit an. 1488. Interfuit ſynodo ab eodem eodemque anno habitæ, in qua jus ei aſſeritur nominandi & conferendi hæc beneficia: eleemoſynariam eccleſiæ Magalonenſis, prioratus B. Mariæ de Adano, de Balhargueto, de Jacono & ſancto Briccio, de Laureto & ſancti Jacobi de Pradis, vicarias de Villa nova, de Corbeſſaſſio, de Perolis, Decanatus S. Trinitatis Magalonenſis præſentationem, & omnium canonicatuum hujus eccleſiæ nominationem & inſtitutionem, collationem capellæ ſancti Thomæ Monſpelienſis in parochia S. Firmini, & capellæ ſancti Simeonis in parochia ſancti Dionyſii. Adfuit inſtitutioni & erectioni capellæ B. Annæ Monſpelienſis ab Iſarno epiſcopo in eccleſiam collegiatam Petro Ariſteti fundatore 2. Novembr. 1496.

XXVIII. Michael de Sarratis præpoſitus tempore ſæculariſationis capituli Magalonenſis & tranſlationis ad ſedem Monſpelienſem a Paulo III. factæ anno 1536. VI. calend. Aprilis. Confirmatur præpoſitus eadem bulla, ſed ſæcularis. [Ch. LXVIII. col. 399.]

XXIX. Leonardus Aguillon * adfuit cœtui notabilium in aula ſancti Ludovici curiæ parlamenti Pariſienſis die 5. Jan. an. 1557. Electus vicarius generalis ſede vacante per obitum Guillelmi Peliſſerii anno 1568. cum canonici Frontinianum ſeſe recepiſſent, Monſpelio ab hæreticis occupato. Vicarii autem munus egit ad mortem, licet antiſtes nominatus & deſignatus fuiſſet Petrus de Boulhe, ſed qui pontificio diplomate inſtitutus nuſquam fuit. Obiit anno 1572. [* al. Agueſchon & Aguchon.]

XXX. Guillelmus II. Pelet filius Stephani domini de Veruna, abbas ſancti Aniani, defuncto Leonardo creatur præpoſitus & vicarius generalis anno 1572. Diœceſim univerſam adminiſtravit uſque ad Antonii epiſcopi conſecrationem factam anno 1573. Sede iterum vacante per obitum Antonii de Subiet, vicarius generalis iterum deligitur anno 1596. Ceſſit ſequenti an. 1600.

XXXI. Ludovicus de Claret *al.* de Clairel ſenator & canonicus Toloſanus Guillelmo reſignante fit præpoſitus Monſpelienſis die 15. Jul. 1600. Deputatur a clero anno 1605. Ad infulas S. Papuli a rege aſſumitur anno 1626. ut dicemus ſuo loco. Obiit an. 1636.

XXXII. Claudius I. de S. Bonet de Thoiras Ludovici in locum ſucceſſit. Canonicus primum fuerat Monſpelienſis, tum major archidiaconus anno 1608. quo Petrum Fenoillet ſermone latino excepit, dum Marianum limen intraret XIX. calend. Jan. Inde generalis vicarius, ſyndicus cleri Gallicani, epiſcopus Nemauſenſis an. 1625. abbas ſancti Egidii & Longivillaris, Ludovico defuncto electus eſt a capitulo præpoſitus: at repentina venæ abruptione ſublatus, obiit die 4. Maii an. 1642. ex Gariello part. 2. p. 332.

XXXIII. Carolus de Raimond de Brignon clericus Uceticenſis abdicante Claudio, a ſummo pontifice præpoſitus jam 25. Martii 1642. a capitulo receptus eſt die 4. Aug. anni ejuſdem. Inſequenti ſacris Ludovici XIII. funeribus operatus eſt Monſpelii. Magalonenſium præſulum hiſtorico Petro Gariel accinuit an. 1652. heroico carmine, quod in propylæo prioris editionis legitur. Obiit anno 1660.

XXXIV. Franciſcus I. de Beauxhoſtes de Roanel ex archidiacono majore electus præpoſitus die 12. Aprilis anno 1660. Petro Gariel epigrammate gratulatus eſt in chronologiam & ſeriem epiſcoporum Magalonenſium anno 1665. Sequenti ceſſit an. 1667.

XXXV. Johannes Antonius de Beauxhoſtes de Ste Colombe abdicante Franciſco adlectus præpoſitus die 23. Junii an. 1667. obiit anno 1682. exeunte aut 1683. ineunte.

XXXVI. Claudius II. de Pradel defuncto Antonio aſſumitur die 27. Januarii anni 1683. Dignitatem ſequenti tranſcripſit.

XXXVII. Franciſcus II. d'Haudeſſan cooptatus die 8. Jan. anni 1688. per abdicationem Claudii.

XXXVIII. Petrus II. Mas in locum Franciſci defuncti a capitulo aſſumtus 21. Januarii anni 1724. Biennio poſt obiit.

XXXIX. Franciſcus Ignatius de Belleval a canonicis eligitur præpoſitus die 21. Septembris anni 1726.

ABBATIÆ DIŒCESIS MONSPELIENSIS.

Tres ſunt in diœceſi Monſpelienſi abbatiæ ordinis S. Benedicti, quarum una virorum, Aniana, duæ mulierum, S. Geneſius & Gigeanum, & parthenon Ciſtercienſis, Vinegolium.

ANIANA.

Ab Aniano Magalonenſis pagi rivo, qui in Araurim influit, nomen ſumſit Anianenſe ordinis ſancti Benedicti monaſterium. Ad montis Calmenſis, ubi caſtrum vetus ſolo nunc æquatum, radices poſitus primum eſt locus, Gallicis milliaribus duodecim a Suſtantione, totidemque a Magalona Leutevaque, decem a Montepeſſulano, cujus diœceſi continetur, a Giniaco demum Gellonenſique cœnobio tribus ferme remotus. Cœnobii conditor Wittiza, natione Wiſigothus, Magalonenſis comitis filius, qui mutato propter duritatem nomine, Benedictus deinceps appellatus fuit. Hic ſpretis ſæculi illecebris, ad Segeſtrenſe S. Sequani cœnobium ſeceſſit, ubi cum aliquot per annos cellerarii munus impiger obiiſſet, abbatis defuncti in locum ſubrogatus eſt. At mores eorum cum ſuis non convenire certus, e monaſterio clam ſe ſubduxit, & in Septimaniam natale ſolum reverſus, cellam permodicam in paterno fundo juxta exiguam ſancti Saturnini eccleſiam ſibi, ſociiſque ſuis conſtruxit anno 780. Atque hæc ſunt inſignis illius monaſterii Anianenſis fundamenta, quod e nihilo, ut ita dicam, in immenſum paulopoſt excrevit. Benedictus enim creſcente paulatim diſcipulorum numero, quia vallis, in qua primum ſederat, perانguſta erat, in patentiorem locum paululum declinavit, monaſteriumque novo opere, ſed ſtramine vilique materia condidit, alteramque Deiparæ virgini nuncupatam ædificavit eccleſiam, quam decima Octobris die numini conſecrari curavit. Splendidior multo fuit, quam biennio poſt ex præcepto Caroli regis, adjuvantibus ducibus & comitibus, ad honorem Salvatoris conſtruxit. IV. calend. Jan. aſſignant hujuſce conſecrationi, quam præ ceteris ſolemnem fuiſſe varia probant inſtrumenta, ſed in primis Johannes XV. Nicolaus II. & Alexander item II. ſummi pontifices conceſſis in annua memoria, quas vocant, indulgentiis. Non ideo tamen fidem adhibeas velim ineptæ cuidam relationi, Leonem Romanum pontificem cum epiſcopis 366. fictitiis omnibus, conſecrationis auctorem, & Carolum magnum teſtem fingenti, quando rerum conſcius. Ardo nihil inde narrationi ſuæ voluit inſertum. Novæ baſilicæ dignitati reſpondebat ſacra ſupellex, multo quam initio pretioſior. Alia quoque clauſtra materia & forma elegantioribus conſtruxit Benedictus, nec jam ſtramine domos, ſed tegulis cooperuit. Monachorum vero recens exſtructa habitacula tantæ erant amplitudinis, ut mille amplius homines capere poſſent, habebant etenim centum cubitos in longitudinem, & viginti in latitudinem: attamen quia piæ religionis fama ſenſim per circumhabitantium ora volitante, ſeſeque ad longe poſita loca extendente quotidie augebatur monachorum multitudo, quos cetera loca amplius capere non valebant, locis congruis conſtituit cellas Benedictus cum aliquot fratribus, quibus magiſtros præpoſuit. Hinc Anianæ monaſterium cunctorum evaſit cœnobiorum caput, non ſolum quæ in Gothiæ partibus conſtructa, verum etiam illorum, quæ in aliis regionibus ea tempeſtate ædificata, ac de theſauris illius locupletata fuere. Ex hoc enim velut e ſpiritali quodam alveari proruperunt monachorum examina, vel qui nova exſtruxerunt, vel qui retro collapſa inſtaurarunt cœnobia, Benedictinamque religionem longe lateque propagarunt. Infinitus eſſem, ſi varia a variis Anianenſi monaſterio Benedicto tum ſuperſtite, tum defuncto, collata beneficia, regum diplomata, ſummorum pontificum privilegia recenſere vellem. Nonnulla edidit Mabillonius, aliorum meminit in vita ſancti Benedicti Anianenſis ſæculo 4°. Benedictino part. 1. & in annalibus ordinis. Sed quota pars eſt chartarum adhuc ab ignibus ſoſpitum! Tot enim donis immunitatibuſque locupletatum ſæculo decimo ſexto labente Calviniſtica rabies abſumſit monaſterium. Ab illis præclara Salvatoris baſilica, tot imperatorum & regum ornata donariis, tot ſanctorum pignoribus ditata, cum altaribus, ſacris iconibus, atque reliquiis, cum immenſa ſæculorum octo ſuppellectile, cum vaſis, & campanis ampliſſimis, devota flammis & funditus everſa eſt. Chartæ, libri, vetera documenta, & quid non! in area publica ſacrilegis ignibus tradita. Deinde ſævitum in reliquas ædes, clauſtrum, dormitorium, hoſpitum, & infirmorum cellas, omnia denique ſolo æquata. Fugatis hæreticis, domum reverſi monachi violatos lares, ut

licuit, insedere, donec Clemens Bonzius episcopus Biterrensis & abbas præsentis rerum status conscius, primævique Anianæ splendoris haud ignarus, hunc revocare omni ope enixus sit. Congregationis sancti Mauri ascetas sæculo sequenti accivit, qui in amœnissimo totius Occitaniæ solo collapsam instaurarunt Anianam. Pene mihi exciderat Aniani monasterii mentionem fieri in statuto Aquisgranensi anno 817. inter monasteria Septimaniæ, quæ nec dona, nec militiam, sed solas orationes pro salute imperatoris dare debebant. Hi autem sunt abbates, quos tum ex archivis monasterii, *Panchartam* vocant, tum ex aliis veteribus monumentis eruimus.

ABBATUM ORDO.

I. SANCTUS Benedictus Anianæ conditor, & primus abbas, totiusque Benedictini ordinis parens alter, nobilibus editus parentibus an. 751. patre præsertim Magalonensi comite in Septimania armis strenuo, in palatio Pipini regis enutritur, cui postea in pincernæ officio ministravit. Mortuo Pipino, Caroli magni obsequio adhæsit. Cum vero regem in Italica expeditione secutus esset anno 774. accidit ut Benedicti frater ipso spectante in tranando fluvio ab undis tumentibus abriperetur. Mox itaque præcipitem se dedit inter undas, ut periclitanti subveniret. Verum utroque jamjam morti proximo, Benedictus voto sese obstrinxit, mundo non amplius militaturum: nec mora, Segestrense in Burgundia monasterium annos natus viginti duos conversionis gratia petiit, ubi corpus inedia & vigiliis domans, animam oratione & piis meditationibus recreabat. Neque vero ita spiritualibus studebat, ut temporalium curam negligeret in officio cellerarii ei demandato. Mortuo abbate, Benedictus in ejus locum electus est an. circiter 780. ut docent Cointius & Mabillonius, sed e monasterio fugit, ut in patrium solum rediret. Ibi erat paternum prædium ad rivulum, cui nomen Anianus, nec longe ab Arauri fluvio, quo loco Benedictus cellam exiguam juxta sancti Saturnini ecclesiolam condidit sibi & paucis sociis illic in magna inopia solo pane & aqua victitantibus, interdum addito modico lacte, & in diebus Dominicis ac festis solemnibus pauco vino. Hic Benedictus ejusque sodales celeberrimi monasterii sancti Salvatoris fundamenta posuerunt. Crescente vero discipulorum numero, trecentos enim & amplius accivit normæ retinentissimos, eorum ac procerum adjutus copiis, insignem basilicam & ceteras ædes nobiliter erexit. Fama autem ejus ubique percrebrescente, ad informanda per totam Galliam cœnobia evocatur. Ejus itaque disciplina recepta fuit in Bella cella pagi Albigensis, Cella nova pagi Tolosani, Cormarico Turonensis, Gellonensi cœnobio in Septimania, Miciacensi prope Aurelianos, Senonensi sanctæ Colombæ, & aliis bene multis. Neque solo propagandæ religionis monasticæ studio fervebat, strenue etiam pro fide catholica laboravit adversus Felicianam hæresim, obstititque ne in Septimania serperet, atque ab ejus veneno multos etiam præsules tutatus est, ut testatur ejus vitæ scriptor coævus Smaragdus. Id forte in causa fuit, cur tum ad concilium Francofordiense vocatus anno 794. tum Urghellum missus sit a Carolo magno cum Leidrado Lugdunensi & Nefridio Narbonensi archiepiscopis ubi an. 799. præsens concilio Felicianum dogma coram & scriptis repressit. A Carolo magno Ludovicoque Pio maximi factus, donisque cumulatus innumeris, præcipuam munerum partem contulit in egenos, non minus eleemosynis, quam cœlestis vitæ pabulo pauperes ac monachos enutriens. Inter præcipua quæ a Carolo excepit dona, jam anno 787. Benedicto abbati omnem immunitatem concessit pro bonis acquisitis & acquirendis monasterio. Recens parta alio diplomate confirmavit idem imperator anno 799. Trudoinus & Salomon advocati Autsindanæ abbatissæ eidem dedere villam Berthomates in territorio Nemausensi an. circiter 800. Plurima Benedicto largitus est Braidingus VII. idus Febr. anni 813. Insequenti Aiglubertus & uxor Deda dederunt pridie id. Martii anni 814. villam Granatiacar in territorio Biterrensi. Eodem anno præceptum Caroli patris confirmavit Ludovicus IX. calend. Maii, qui plura quoque de suo addidit alio diplomate, & monachos ab omni vectigali exemit pridie calend. Maii, & quasdam commutationes inter Benedictum & aliquot sæculares auctoritate sua munivit VIII. cal. Mart. an. 815. quo a regimine Anianæ in favorem Senegildi destitit Benedictus, non vero ab Anianæ defensione & tuitione: in remotis enim agens ab imperatore obtinuit anno 816. id. Octobris, ut advocati monasterii perdita quærerent, & justa possessa ubique secundum legem defenderent. Post Caroli mortem, cui carus fuerat Benedictus, filio ejus Ludovico carior, Indæ, ubi novum ei construxit monasterium, sex tantum millibus ab Aquisgranensi palatio, ubi sedere solebat imperator, dissitum, demorari coactus est. Itaque Anianæ, Maurimonasterio & aliis cœnobiis suæ curæ demandatis abbates constituit, cum ipse tot sacris locis tanquam generalis abbas præesset. Hinc in synodo Aquisgranensi anno 817. data est ei provincia visitandi monachorum cœnobia, & in eis commune vitæ genus instituendi juxta regulam sancti Benedicti. Tot laboribus defunctus & consumtus, septuagenario major cœpit ægrotare VII. id. Febr. anni 821. in suo Indensi asceterio: e lecto vero suo pene mortuus scripsit egregias epistolas ad imperatorem Ludovicum, ad Nefridium Narbonensem archiepiscopum, & ad Georgium abbatem Anianensem & ad suos alumnos. Has epistolas, ea excepta quæ ad imperatorem scripta est, quæ periisse creditur, noster Mabillonius inseruit tum suis annalibus ad an. 821. n. 6. 7. &c. tum sæcul. 4. Benedict. part. 1. Animam denique efflavit an. 821. fer. 2. III. id. Febr. cum in psalmorum recitatione impigre versaretur. Quædam ejusdem sancti abbatis opuscula de Incarnatione, de Trinitate & iteratione baptismi contra Felicianam impietatem, & alia typis evulgavit ex codice bibliothecæ

Ch. t. col. 341.

Colbertinæ doctiſſimus Baluzius Miſcellan. tom. 5. pag. 1. & ſeq. Concordiam regularum ab eodem ſumma cum diligentia conditam jam ediderat Menardus noſter cum ejuſdem vita, auctore Smaragdo ejus diſcipulo. Hanc autem auctiorem multo reperies ſæcul. 4. Benedict. part. 1. pag. 192. quam apud Menardum & Bollandum. Benedictum celebrant martyrologia vetera tum Anianenſe, tum Gellonenſe III. id. Februarii, qua die ſancti memoria de toto ordine tam bene meriti recolitur.

II. Senegillus, vel ut præfert Ludovici pii diploma, Senegildus abſentis & in Maurimonaſterio conſiſtentis Benedicti geſſit vices, Anianenſiumque præfectus gregi circiter anno 815. quo tempore Caſa nova ſive Gordanicus in Uceticenſi pago Willelmi Gellonenſis donum Anianæ confirmatur diplomate Ludovici pii dato XII. calend. Jun. imperii anno 2. exſtat ſæcul. 4. Benedict. part. 1. Vixit autem Senegildus in annum, ut fertur, 819. tametſi præter memoratum Ludovici præceptum, nulla ejus mentio occurrat in tabulis.

III. Georgius anno ſaltem 819. ſuffectus a Benedicto legitur in ejuſdem Auguſti diplomate, quo Bella cella pagi Albienſis ſuper fluvium Aquotis in honore ſancti Benedicti conſtructa in rebus, quas Wulfarius comes Anianenſi cœnobio delegarat, eidem aſſeritur, *ut ſemper de ipſa congregatione ibidem eligerentur abbates, quamdiu ibi tales inveniri potuiſſent:* alias, ex Anianenſis congregationis grege conſtituerentur. Si a religione deficerent Bellicenſes, ab Anianenſi rectore corrigerentur : ubi regulæ vigeret ſtatus, nihil in illos auctoritatis exerceret. Annum Ludovici imperatoris VI. exhibet diploma VII. id. Mart. Inſequenti II. non. Decembr. Ludovicus Arelatenſem ſancti Martini cellam Anianenſibus indulſit & confirmavit anno 820. addita Maſſacia villa. *Georgio ſummæ in Domino beatitudinis ac felicitatis abbati*, ceteriſque fratribus Anianæ degentibus præclaram Benedictus morti proximus ſcripſit epiſtolam, qua religionis curam, caritatis, & in pauperes miſericordiæ ſtudium commendat. Anno Georgius integro ſuperſtes magiſtro vixit, nam

IV. Tructeſindus electus eſt præſentibus Agobardo Lugdunenſi & Nefridio Narbonenſi archiepiſcopo, cui ſanctus Benedictus moriens ſuos commendarat alumnos. Electionem confirmavit Ludovicus imperator ſcriptis ad Anianenſes & Gellonenſes litteris, in quibus ſancti Benedicti memoriæ parentare viſus eſt, eoſdem ſimul hortatus, ut in conſtituto a Benedicto vivendi genere perſeverarent, pollicituſque ea conditione tutelam & gratiam. Has edidit Mabillonius ad an. 822. n. 31. Ad Tructeſindi preces idem imperator diplomatibus datis XIV. & XIII. calend. Aprilis & XIX. cal. Septembr. imperii an. IX. monaſterii auxit immunitatem, bona firmavit, prædia a miſſis dominicis fiſco addicta revocavit.

V. Ermenaldus anno XVI. imperii Ludovici pii legitur in Bertilæ matronæ litteris, quibus res ſuas in Plaxano villa pagi Biterrenſis concedit, & an. XVII. Johannis ſacerdotis quidquid ibidem habet largientis. Anno XXII. Ludovicus privilegium de monaſterii advocato prius indultum confirmat: excuſum reperies in notis Dacherii ad Guibertum pag. 647. Aliud edidit Mabillonius ejuſdem Ludovici diploma rogatu Ermenaldi abbatis datum an. XXIV. ejus imperii indict. XV. XIV. calend. Novembr. in appendice ad vitam ſancti Benedicti Anianenſis ſæcul. 4. Benedict. part. 1. Biduo ante Ermenaldo confirmaverat Ludovicus villam Corcionatis in pago Leutevenſi, ubi poſtea fundatum eſt monaſterium ſancti Martini de Corcionate : poſtremas has litteras in appendice noſtra reperies. Quamdiu poſt annum 838. vixerit Ermenaldus haud liquet, nec magis notum quo tempore Bertenagas villæ prædia cum aliis commutarit, & granarium in pago Magalonenſi perceperit a Cognerico.

Ch. IV. col. 344.

VI. Elias Ludovico imperante ab Aliardo conſecutus eſt quidquid in villa Franconica ſeu ſtagno Piperello tenebat.

VII. Arnulfus anno XIII. Caroli Calvi Poncione degentis bonorum ac jurium, in his Gordanicæ cellæ, confirmationem accepit ex tabulis; quæ & ſequenti anno Wiſtrimuri donum in villa Granario, Siſegoti aliud, & villæ de Bertenagas in territorio Magalonenſi ſuburbioque caſtri Suſtantionenſis emtionem a Rotfredo conſignant anno Caroli Calvi XXXV. Chriſti 875. Tranſlatus poſtea dicitur ad Carcaſſonenſes inſulas.

VIII. Gilmundus anno III. Odonis regis XIV. calend. Maii, Chriſti 890. Rovetum Auderici dono conſecutus eſt in pago Biterrenſi. Poſt ipſum Aniana regularibus diu caruit abbatibus.

IX. Roſtagnus I. Anianenſis, ut videtur, cœnobii monachus, Gordanicæ cellæ Anianæ appendici præfuit, antequam in Arelatenſem archiepiſcopum eligeretur, ſedis apoſtolicæ vicarius a Johanne VIII. inſtitutus, non modo Gordanicam & Crudatenſem poſſedit abbatias, ſed Anianenſem quoque cum aliis ſedi ſuæ conjunctam voluit, & tenuit ad an. 913. vitæ poſtremum, ac Manaſſi ſucceſſori morte conſignavit. Huic Anianenſibus incubanti Sigoaldus anno 2. Caroli Simplicis V. calend. Septembr. prædia contulit in villa montis Aſinarii & Lunatis poſita. Vide quæ de eo jam diximus in archiepiſcopis Arelatenſibus, tom. 1. col. 547.

X. Manaſſes Arelatenſis & ipſe archiepiſcopus, non ſolum Anianenſe monaſterium velut epiſcopii dictam appendicem, verum etiam abbatias de Gordanicis & de Crudatis devoravit, quarum obtinuit confirmationem a Ludovico Boſonis filio diplomate Viennæ dato calend. Febr. imperii anno 20. quod videſis inter inſtrumenta eccleſiæ Arelatenſis tom. 1. pag. 94. Quin & Tridentinum, Veronenſem, Mantuanum ac denique Mediolanenſem epiſcopatus ſimul cum Arelatenſi poſſedit infelix ac nefarius diſciplinæ profligator, qui regum quos affinitate contingebat abuſus potentia, ad mortem uſque graſſatus eſt, vide archiepiſcopos Arelatenſes t. 1. col. 548.

XI. Bernardus I. Geraldi Biterrensis episcopus Aniana quoque post Manassem potitus est ab anno saltem 960. Lotharii regis VI. Quippe hoc anno calendis Maii alodem ministerii Pupianensis in villa S. Eulaliæ & Terrenciacio, sive Vado petroso, seu & Calmæ cum Arico & conjuge Richilde filioque Gaufredo commutavit. Biennio post Godoïnus huic dedit mansum apud Popianum X. cal. Dec. VIII. regni Lotharii.

XII. Leufredus jam abbas anno XVII. regnante Lothario commutationem fecit cum Bernardo Biterrensi episcopo & Bernardo Nemausensi quorumdam prædiorum apud Caput stagni.

XIII. Rainaldus, cui Ildinus donavit ecclesias S. Martini & S. Johannis VIII. id. Octobr. an. XVIII. Lotharii regis, Ragonus ecclesiam sancti Amantii in territorio Biterrensi VIII. cal. Maii an. XXIV. Archimbertha vicecomitissa mansum in villa Paciolis IV. calend. Julii an. XXIX. Ab eadem villam de Caunas percepit Rainaldus 2. non. Junii an. I. Ludovici post obitum Lotharii, ab Bernardo villam Teleudo an. III. Hugonis VII. id. Novembr. Insequenti dedit ei Pontius partem mansi in villa S. Eulaliæ pridie calend. Julii an. IV. Hugonis. Mansum alium in villa de Caunas coemit an. V. Roberti regis IV. id. Aprilis a Stephano Agathensi episcopo. Hunc Johannes papa XIII. aut e sequentibus proxime duobus hujus nominis alter privilegio remuneratus est, quo primo quidem Anianensi monasterio concessa confirmat, tum abbates excludit extraneos simoniaca labe protrusos. Deinde liberam abbatis & monachorum ordinationem largitur, postea pœnitentes admittendi solvendique abbati facit licentiam. Ad hæc interdicti generalis tempore Anianensibus vult esse licitum divina celebrare officia. Denique sepulturarum ac donationum cavet libertati, sed hoc multarum subinde litium fuit seminarium. Ejusdem stili ac tenoris sunt bullæ Nicolai II. Alexandri II. Urbani II. Paschalis II. Innocentii II. Eugenii III. Anastasii IV. & Adriani IV. eidem monasterio concessæ.

Ch. V. col 345.

XIV. Hugo I. Johannis item summi pontificis donatus litteris apud Sammarthanos forte Johannis XVII. aut XVIII. elucidandæ enim rei nihil faciunt codices mss.

XV. Salvator Roberto rege præfuit. Huic Fredolus Aniciensis episcopus Camajagas & alia plura donasse legitur IV. non. Maii regnante Roberto rege. Idem esse videtur, ac Salvatus qui subscripsit chartæ electionis Judithæ abbatissæ Cariloci factæ die 20. Novembr. anni 1025. indict. VIII.

Ch. VII. col. 347.

XVI. Pontius I. regnantibus Roberto & Henrico regibus sedit. Fredoli episcopi suasu prædiorum limites cum Gaufredo Gellonensium abbate definivit, & apud gurgitem nigrum Erauri pontem communibus impensis imposuit, ut diximus in Gaufredo. Huic Raimundus de valle Auchensi ecclesiam sancti Jacobi donavit X. calend. Septembr. an. 1036. Leutardus largitus est alodem suum in villa Columbarias in pago Biterrensi ad illuminandum altare sancti Salvatoris III. id. Septembr. an. 1039. Willelmus Garnerius vendidit ei alodem suum in eadem villa III. id. Febr. an. 29. regnante Henrico, Christi 1059. Petrum Lantardi filium offerente patre cum prædiis apud villam Retensem positis Poncius suscepit ad monachandum. Varia a variis regnante Henrico rege excepit, ab Emenone mansum in vicaria Andusensi, alium ibidem a Baldoino Gausfredi, Bramundus ei guerpivit omnem interpellationem, quam eis faciebat de quibusdam mansionibus, Willelmus filius Ermengardæ de Duabus virginibus guerpivit ei bastidam de podio alto. Dedit ipse Pontius cum monachis Amalrico de Clareto mansum in villa Reveto. Ecclesiam S. Saturnini de Interaquis dono Gazfredi de Carnuto, Petri & Guifredi filiorum Raimundi excepit. Germundus pergens in Hispaniam largitus mansum de Bernardo de la Lauda, Pontius Bonuspas medietatem alodis de villa Columbarias. Cum Ænea de Frontiniano pepigit Pontius de piscatoriis. Denique a Nicolao papa II. an. 1061. privilegium obtinuit Johannis decessoris diplomati simile, quo jura, bona, immunitas, ecclesiæ, cellæ firmantur, addita facultate monachos ad quem mallet episcopum mittendi sacris ordinibus initiandos. Ad V. calend. Febr. notatur in necrologio Lirinensi.

XVII. Emmeno Gellonensis primum asceta, tum cellæ sancti Petri de Salva præpositus, demum Anianensis abbas, peracris vir ingenii, in revocandis ac tutandis juribus, in fulcienda sanctiore norma totus fuit. Ejus temporibus Gellonenses ab exordio Anianæ subjecti, Anianensi abbati obedientiam detrectarunt, quo inconsulto assumere sibi abbates licere contenderunt. Adversus rebelles Emmeno ad Alexandrum papam II. provocavit, qui anno pontificatus IV. Christi 1066. indict. IV. decrevit, ut ordinatio & dispositio illius cellæ in manu abbatis & congregationis Anianensis consisteret: sed Gellonensibus nequaquam obtemperantibus, ad Gregorium VII. iterum confugiendum fuit, qui intactam videtur causam reliquisse. Plura quoque Emmeno a diversis dona accepit, quæ in tabulis Anianensibus recensentur regnante Philippo. Donatam jam Pontio decessori ecclesiam S. Saturnini Emmenoni confirmarunt Aldebertus Mimatensis episcopus, aliique qui donationem priorem jam fecerant an. 1075. IV. id. Jul. Willelmus Pontii largitus ei est ecclesiam S. Mariæ de Stagno IV. id. Febr. an. 1076. Signatur in necrologiis S. Egidii & Gellonensi ad XIV. cal. Maii.

XVIII. Petrus I. de Sauve memoratur in tabulis an. 1094. quo Petrus Raimundus dedit ei mansum de Cumbas. Insequenti latam jam ab Alexandro II. sententiam in abbatem Anianensem, qui Magalonenses excommunicatos suscipiebat, Anianensiumque ordinationes aliunde quam ab episcopo Magalonensi petebat, confirmavit & renovavit Urbanus II. in concilio Claromontano an. 1095. ubi cassato & abraso in bullis præcedentibus memorato privilegio, Petrum coegit in medio concilio ad obedientiam Gothofrido

Baluz. Miscell. t. 7. pag. 70.

Gothofrido episcopo de ordinationibus, & consecrationibus, & judiciis præstandam. Petrus de Giniaco donavit ei medietatem S. Petri de Giniaco VII. id. Aprilis an. 1096. Eodem Willelmus Arnaldi de Biterris quosdam mansos largitus est. Excepit Petrus XVIII. calend. Maii anni 1097. castrum & villam de Salviano a Raimundo Matfredi de Salviano, moxque fidei obsequium. Arnaldus Biterrensis episcopus eidem eo quoque anno dedit ecclesiam sancti Petri de Giniaco, quæ postea prioratus Anianæ subjectus evasit. Exstat Urbani II. papæ bulla decessorum Johannis, Nicolai & Alexandri privilegiis simillima, qua monasterium Anianense Petro abbate petente sub pontificia potestate posuit XVIII. cal. Maii an. 1099. pontificatus an. 12. Mirum sane tam cito ab eodem pontifice concessum quod triennio ante detraxerat. Idem præstitit anno sequenti Paschalis II. bulla data Laterani V. id. Aprilis indict. VIII. an. 1100. pontificatus I. Eodem Berengarius de Vallauques donavit ei mansum de Roveria, & Guillelmus Gerardi de Monteabono vineam cum filio Geraldo. Aldiardis an. 1103. concessit ei medietatem honoris quem habebat in ecclesia S. Petri de Giniaco. Altero Petrum abbatem dignatus est diplomate Paschalis II. dato Laterani VIII. id. Maii anno 1106. quo ab episcoporum vexationibus Anianenses protegit. Fulcrannus de Nebiano reddidit Petro decimam alodis de S. Baudilio an. 1109. Insequenti Fredolus de Moreze donavit ei aliam medietatem pro 150. solid. Melg. X. cal. Maii anno 1110. Mota jam a longo tempore inter Anianenses & Casadenses monachos super ecclesia B. Mariæ de Gordanicis controversia, quam per arbitros definierat & terminaverat mense Julio an. 1107. Paschalis II. nondum finierat an. 1113. ut constat ex bulla ejusdem pontificis ad Petrum data II. id. Apr. pontificatus an. XIV. qua monasterio Anianensi eamdem cellam post latum a se judicium confirmat. Neque sic tamen conquieverunt Casadenses, quos iterum atque tertio de jure quod sibi vindicabant, cella Anianensibus asserta, depulit Paschalis altera bulla data Petro V. cal. Decembr. pontificatus anno XVI. hic est 1114. quo Bertrandus Lautardi & uxor Senegundis dederunt ei pro Bertrando & Segunde monachandis decimam in parochia sancti Johannis Baptistæ de Aniana. Poncius de Cornu & uxor Bonafos Petro reddiderunt eodem anno decimam in terminio sancti Amantii de Teuleto. Alias donationes mitto ejusdem temporibus Anianensi monasterio factas, ut pote nulla temporis nota donatas.

(Ch. V. col. 297. — Ch. VI. col. 298.)

XIX. Poncius II. anno 1115. jam electus docente Garsindis instrumento, quæ eodem an. confirmavit donum, quod ipsa & Petrus Raimundus maritus prius fecerant, ea lege, ut idem pro se ipsa defuncta ac pro defuncto monacho præstaretur. Ejusdem fit mentio in tabulis XII. calend. Aprilis an. 1116. Petrus Berengarius Poncio suadente commutationem fecit an. 1117. cum Petro Richardi de Montepetroso. Guillelmus Assalitus de Popiano solvit ei honorem beatæ Mariæ de Stagno an. 1119. quo repressa tandem Arelatensium archiepiscoporum & Casadensium monachorum cellam de Gordanicis sibi vindicantium pervicacia in concilio Tolosano, in quo diuturnis jurgiis finem imposuit Callixtus II. cellamque Anianensibus confirmavit bulla data Tolosæ idibus Julii pontificatus anno I.

(Spicileg. tom. 6. p. 25.)

XX. Petrus II. Raimundi de Calz filius Viernæ excepit a Fredola an. 1120. mansum in villa Pabeirani in præsentia Petri Leutevensis episcopi. Poncius de Mota largitus est ei alodem in parochia sancti Martini de Carcares an. 1121. Sancia mansum in parochia sancti Juliani de Antonegues an. 1122. Eliziarius de Castriis & Engelrada uxor dederunt ei castrum Salvianum, & hominium præstiterunt XIV. cal. Novembr. an. 1123. Aliquot ante diebus jam confirmaverant ecclesiam sancti Baudilii monasterio Anianensi prius concessam a Gaucelino Arnaldi Engelradæ avo & aliis. Quædam donavit Petrus Stephano Pabeirani anno 1126. Honorius II. bulla ad Petrum directa VIII. id. Aprilis anni 1127. statuit ut eis a Casadensibus reddantur monumenta ecclesiæ de Gordanicis, ab iisque 500. solid. Melgor. pro damnorum restauratione solvantur. Ejusdem pontificis pulsatus litteris Petrus ad Galterum Magalonensem episcopum se contulit, ubi ventilatis ultro citroque rationibus, debitam antistiti promisit obedientiam, nonnullis cessit ecclesiis, aliasque recepit, in quibus debitos episcopo census persoluturum spopondit. Raimundus Guillelmi de Montepetroso dimisit ei alodem in parochia S. Martini XV. calend. Maii an. 1129. Insequenti Innocentius II. apud Clarummontem positus, eidem litteras per manum Amici diaconi cardinalis direxit scriptas ad Raimundum Magalonensem episcopum, Bermundum Biterrensem, P. Leutevensem, Johannem Nemausensem & R. Agathensem electum, ut quosdam milites eorum parochianos, Poncium nempe Agonensem, Raimundum Puniacensem, Olivarium Melgoriensem, Petrum Raimundi Malaura, &c. qui hominem Anianæ a nundinis redeuntem miserabiliter interfecerant, communione privarent. Idem pontifex rogatu Petri confirmavit quidquid Raimundus Uceticensis episcopus Gordanicensi cœnobio donaverat, & possessiones monasterii Anianensis bulla data III. calend. Decembr. an. 1130. Maria uxor Bernardi Raimundi de Maregulo & liberi abbati nostro donaverunt an. 1131. quidquid habebant in manso de Monte Asinario. Petrus an. 1132. excepit hominium Petri Raimundi, Guiraudi & Arnaldi de la Laveneira pro castro de Salviano. Berengarius de Ravath largitus est ei an. 1133. honorem in parochia de Sestairanegues. Dedit ipse Stephano de Pabeirano *ministraliam* in quibusdam villis. Bertrannus de Margons plura ei largitus legitur an. 1137. Querelam habuit Petrus cum Petro Raimundi super ecclesia S. Mariæ de valle Crosa, quæ R. Magalonensis episcopi arbitrio terminata est anno 1138. Domum emit in villa

(Ch. XVIII. col. 355.)

Aniana pro 400. ſolid. Melgor. eodem anno. Sedebat adhuc 1140. quo nonnulla ei donata leguntur in tabulis Anianenſibus.

XXI. Guillelmus I. filius Belliardis quam dura pertulit a Bermundo Biterrenſi epiſcopo, docente Petri venerabilis ad Aimericum cardinalem epiſtola, tam ſæpe recreatus eſt Eugenii III. apoſtolicis reſcriptis, qui bulla data Viterbii III. id. Novembr. an. 1146. monaſterii jura poſſeſſioneſque firmavit, donationeſque Raimundi Uceticenſis Gordanicæ factas cellæ confirmavit. Petrus Ricaudi de Pojeto & Veziana uxor Guillelmo tradiderunt terram de la Lauſa an. 1149. Inſequenti Raimundus de Monteabono & filii hortum, viridarium, campum, & boſcum an. 1150. Eodem Guillelmus donavit Stephano de Gurgite nigro quaſdam domos ea lege, ut Stephanus dare teneretur quotannis decem ſolidos auri Melgor. coco ad refectionem propter D. Petrum de Calz olim abbatem. Anno 1151. excepit hominium Raimundi Sicaudi pro uno manſo, necnon Agnetis filiæ Engelradæ pro caſtro de Salviano. Guillelmus & Poncius Arnaldi fratres eidem juraverunt fidem menſe Julio an. 1153. Apoſtolicæ tuitionis patrocinium quæſiturus Romam cum monachis aliquot perrexit, depoſitiſque in Eugenii ſinu querelis, ab eo litteras detulit ad Raimundum Magalonenſem Biterrenſemque Bermundum epiſcopos monachis infeſtos, ut vexationibus ponerent modum, & militum nefarios auſus cohiberent. Eidem pontifex eccleſiam S. Salvatoris de Rubo Arelatenſis præſulis aliorumque ab apoſtolica ſede delegatorum ſententia Anianæ tributam confirmavit. Bullas denique ab Anaſtaſio IV. XV. calendas Decembris & Adriano item IV. II. id. ejuſdem menſis anno 1154. obtinuit ejuſdem tenoris ac bulla Eugenii III. de qua ſupra.

Biblioth. Cluniac. p. 624.

XXII. Petrus III. quædam acquiſivit anno 1155. ab Ermeſinde filia Raimundi de Celca. Guillelmum Arnaldi de Biterris pro caſtro de Salviano ſuſcepit in fidem anno 1158. Pontificiis & ipſe munitus eſt litteris Adriani IV. qui confirmavit initam ab Adelberto Nemauſenſi epiſcopo tranſactionem inter Petrum abbatem Anianenſem Bertrandumque priorem de Gordanicis ex una parte, & Raimundum Uceticenſem epiſcopum ex altera de 14. eccleſiis, quas utraque pars ſibi vindicabat. Alexander quoque III. monaſterii privilegia nundinaſque quotannis Anianæ celebratas in integrum ſervavit, diris in illos intentatis, qui mercatoribus inſtitoribuſve nocerent.

XXIII. Gaucelinus Raimundus de Montepetroſo gente nobili ortus in vicinio Anianæ, reperitur abbas an. 1161. quo quædam donaſſe legitur in chartis Anianenſibus. Aſſumtus inde ad inſulas Leutevenſes, ab Alexandro pontifice ſedis utriuſque tenendæ licentiam accepit: verum mutato conſilio, monaſterii curam in alium tranſmiſit.

XXIV. Raimundus I. Guillelmi e nobili Monſpelienſium toparcharum ſanguine ſatus, filius Guillelmi & Sibillæ, e monacho Cluniacenſi factus abbas Anianenſis jam præerat anno 1162. quo Raimundi de Calmis excepit hominium pro eo omni quod habebat in caſtello de a Podioabono. [a] Anno 1162. Alexander III. ſummus pontifex Raimundo abbati & monachis Anianenſibus monaſterium Liviniacenſe ab Arnaldo epiſcopo quondam donatum confirmavit bulla data apud Montempeſſulanum III. non. Maii, quam in fine paginæ legeſis. Biennio poſt an. ſcilicet 1164. Bertrandus de Monteabono clientelam ei profeſſus eſt. Inſequenti Bertrannus de Popiano & Raimundus Atfredi ſolverunt ei medietatem manſi de Cabrares. Quaſdam decimas recuperavit anno 1166. Petrus Raimundi de Lavenaria Raimundo recognovit caſtellum de Salviano anno 1169. Eodem Magalonenſium pulſatus querelis, Genuenſes ut a Gallicarum orarum infeſtatione ceſſarent litteris admonuit. Pejora quotidie patrantes Anagniam profectus ad Alexandrum coram accuſavit. Apoſtolicis inde litteris nihilo magis illi morem geſſere, non ſecus ac dæmones, ac maris harpyiæ nec immerito vocitati. Huic Raimundus Petri de Agantico donavit decimas parochiæ de Giniaco an. 1170. In Anecd. D. Martenne tom. I. col. 558. legitur Alexander Anianenſis abbas ſubſcriptus chartæ Rodulfi Leodienſis epiſcopi pro monaſterio S. Trudonis an. 1171. ſed error eſt manifeſtus: nullus enim Anianenſis abbas Alexander nec in tabulis nec alibi reperitur, ſed legendus Amanienſis in diœceſi Leodienſi, quo tempore notatur abbas in nova editione operum Miræi pag. 1175. Anno 1173. talis inita eſt inter Bernardum Biterrenſem epiſcopum & Raimundum abbatem omnium præteritarum querelarum compoſitio; Bernardus epiſcopus confirmavit abbati omnes eccleſias in Biterrenſi diœceſi ſitas, exceptis ſynodis, albergis, & juſtitiis, & donavit eccleſiam S. Petri de Nizatio; abbas vero alia quædam ei rependit in inſtrumento annotata. Anno 1174. Albertus de Salva vendidit Raimundo quidquid habebat in manſo de Pojol. Circa illud tempus cum Poncio archiepiſcopo Narbonenſi arbitri electi Raimundus & Johannes Magalonenſis epiſcopus ad chriſtianam revocaverunt concordiam Guillelmum

[a] Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Raimundo Willelmi abbati & fratribus Anianenſis monaſterii ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Juſtis poſtulantium deſideriis facilem nos convenit impertire conſenſum. Vota, quæ a rationis tramite non diſcordant, opere ſunt proſequente complenda. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, monaſterium Liviniacenſe cum omnibus pertinentiis ſuis ex dono bonæ memoriæ Arnaldi quondam Ruthenenſis epiſcopi eidem monaſterio veſtro piæ devotionis intuitu oblatum, ſicut in ſcripto exinde facto continetur, devotioni veſtræ auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Volumus etiam ut ſi aliqui ejuſdem Liviniacenſis monaſterii bona rapere præſumpſerint, vel furari, aut fratres vel converſos inibi ad Dei ſervitium deputatos graviter offendere attentaverint, niſi commoniti reſipuerint, excommunicationis ſint vinculo innodati. Sepulturam quoque in prædicto Liviniacenſi monaſterio liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat. Statuimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Montempeſſulanum tertio nonas Maii. *Ex archivo Altobracenſis præpoſituræ* Domerie *in diœc. Ruthen.*

Monſpelii & comitem Toloſanum. Præſens adfuit teſtamento Guidonis Guerregiati anno 1177. Inſequenti Guillelmi nepotis ſui nomine, cujus gerebat adminiſtrationem, quædam conceſſiſſe legitur menſe Auguſto Goffrido inauratori in tabulis Monſpelienſibus. Adſtitit anno 1179. pridie idus Martii probationi teſtamenti Guillelmi Monſpelienſis. Bertrandus Raimundi & Arnaldus de Mariojols fratres tradiderunt ei honorem, quem habebant in parochia S. Sebaſtiani anno 1181. Eodem excepit hominium a toparchis de Mariojols & de Podioabono. Quaſdam eccleſias cum Johanne Magalonenſi epiſcopo permutavit an. 1182. Bernardus Raimundi & Arnaldus de Mariojols eidem oppignerarunt quidquid ibi habebant pro 100. ſolid. Melgor. calend. Aprilis anni 1183. Eodem Garſendis uxor Guillelmi de Maderiis dimiſit Raimundo quidquid pater ſuus habuerat in Podioabono & in decimis de Camajacas. Acquiſivit an. 1187. menſe Maio ab aliis quidquid apud Podium abonum habebant. Latam ab arbitris inter monaſterium Anianenſe & Petrum abbatem S. Rufi ſententiam de Seta in diœceſi Agathenſi eodem anno menſe Junio approbavit. Occurrit adhuc calendis Julii 1187. in donatione facta a Raimundo Atone de Muroveteri. Denique Gaucelino Leutevenſi epiſcopo VII. id. Julii hujus anni defuncto ſucceſſit Raimundus, ut diximus.

XXV. Ademarus filius Galburgis cum Aimerico abbate Leutevenſi jam recenſetur in venditione facta an. 1187. menſe Martio. Petrus Raimundi de Lavinaria recognovit in manu Ademari VI. id. Jan. an. 1188. jus quod habebat monaſterium Anianenſe in caſtro Salviano. Idem præſtitit Eliſiarius XIV. calend. Aug. an. 1190. Quædam infirmorum in gratiam apud Caprariciam comparaſſe dicitur an. 1193. Teſtis adhuc in venditione facta monaſterio menſe Octobri an. 1195. reperitur cum Aimerico abbate Leutevenſi.

XXVI. Gaucelinus ex cellerario abbas priſtinum munus non dimiſit, precum ac ſuffragiorum communionem ſanxit cum Poncio Francarum vallium abbate ceteriſque monachis pridie calendas Martii anni 1201. quibus & eccleſiam S. Salvatoris de Pinu cum appendicibus dimiſit. Anno 1202. urgentibus bellis, aliiſque multis intervenientibus impedimentis, quia monaſterium feneratitiorum debitorum mole prægravatum erat, Guillelmo domino Montiſpeſſulani filio quondam Mathildis duciſſæ medietatem totius pulmenti, & uſatici maris, & ſtagni, & terræ, & inſulæ Vacheriæ, & nemoris, & venationis, laudimiorum, & albergorum, quam monaſterium Anianenſe percipiebat, in ſtagno maris, & manegueriis, vel uſaticis in tota parochia, & decimaria S. Pauli de Frontiniano, &c. vendidit Gaucelinus XIV. calend. Jul. ea lege, ut pars quæ jure acapiti concedebatur, ſemper remaneret indiviſa cum parte monaſterii. Data quatuor millia ſolidorum Melgorienſium pro pretio, & abbati præſtitum a comite hominium, & jurata fidelitas. Hanc autem nobiliſſimi prædii diſtractionem, quæ ſub annuo cenſu 30. piſcium luporum, ſive mugilum pro beneficiario munere pacta erat, Maria Aragoniæ regina Guillelmi filia reſcidit, priſcumque jus monaſterio ſanum & integrum reſtituit teſtamento anno 1213. condito. Gaucelino autem Adailicia Guillelmi Rotgerii conjux annuente marito quidquid juris obtinebat in molendinis Erauri impoſitis dimiſit an. 1203. quo enatas cum Aimerico de Claromonte lites apud Canetum ſedavit. Eodem quoque anno Gaucelinus ut prior Gordanicenſis quaſdam permutavit eccleſias cum Guillelmo Uceticenſi epiſcopo, & conſenſit fundationi carthuſiæ Vallis bonæ. Cum Guillelmo Biterrenſi epiſcopo pro quibuſdam decimis & eccleſiis pepigit eodem anno. Gaucelino denique reſtituit anno 1204. Poncius de Vallauques quidquid parentes ejus in eccleſia de Valleretenſi rapuerant.

Charta XXVIII. col. 199.

Ch. XI col. 302. Ch. XII col. 303.

XXVII. Amianus occurrit apud Andochum catalogo epiſcoporum Biterrenſium pag. 75. Huic anno 1204. tradidiſſe legitur Guillelmus Biterrenſis feudum a Poncio de Ceiras acquiſitum.

XXVIII. Bernardus II. de Viridifolio jam ſedebat an. 1205. ut colligitur ex inſtrumento recognitionis menſe Julio hujus anni factæ. Conceſſit biennio poſt quoſdam honores apud Giniacum pro 3000. ſolid. Melgor. an. 1207. Tradidit eleemoſynæ monaſterii tres manſos in parochia S. Marcelli de Adelhano anno 1208. Excepit hominium Bernardi de Beziers filii Adalaiciæ pro caſtro de Salviano anno 1209. Litem habuit cum Petro Benedicti abbate Francarum vallium pro eccleſia S. Salvatoris de Pinu, quæ ab Hugone Regenſi epiſcopo ſedis apoſtolicæ delegato hoc anno ſedata eſt. Bernardus de Calmis & G. de Podioabono hominium ei præſtitere pro caſtro de Podioabono menſe Januario anni 1211. Idem præſtitit Raimundus de S. Mauricio. Petrus Guillelmi ejuſque filii eodem anno Bernardo abbati fidem jurarunt pro villa ſancti Sebaſtiani de Mariojols. Simile recepit hominium a Petro Raimundi & aliis pro caſtro de Montepetroſo anno 1212. Ermengardis recognovit ei an. 1213. quidquid habebat in villa ſancti Sebaſtiani de Mariojols. Ripæ altæ molendini medietatem eodem anno comparavit a Raimundo de Turre, & hominium excepit a Petro de Bruciis. Aliam ripæ altæ molendini medietatem acquiſivit anno 1214. R. de Podioabono & Bernardus Berardi fidem ei ſpoponderunt anno 1215. pro nonnullis prædiis a monaſterio dependentibus. Idem præſtitit eodem anno R. de Rocafolio pro villa S. Salvatoris. Prædia quædam ad S. Sebaſtianum de Mariojols & ſanctum Silveſtrum de Bruciis emit anno 1216. quo Raimundus de Bruciis quæ ſua ibi eſſe contenderat dimiſit & guirpivit. Ermeſindis tres villas in territorio ſancti Marcelli de Abellaſio largitur Bernardo, quem ſingulis annis generalem conventum, capitulum generale vocabant, celebraſſe volunt ad anni 1218. pridie idus Julias, quibus ex mſ. codice e vivis ſublatus eſt.

XXIX. Guillelmus II. de Abriniaco mox substitutus Bernardum Magalonensem episcopum adiit, a quo post confirmationem proximæ synodo ut adesset commonitus cum recusaret, querelas ad Honorium papam detulit Bernardus. Delegati a pontifice anno 1221. archidiaconus & præcentor Agathensis Guillelmum ad synodales conventus adegere. Recensetur in instrumento anni 1225. Biennio post Johanni de Montlaur Magalonensis ecclesiæ præposito Guillelmus anno 1227. prædia dimisit apud Villamnovam, Maurinum, & Coquonem, acceptis vicissim a præposito, quæ apud Podiumabonum Magalonensium Clericorum esse videbantur. An. 1230. conciliante Petro Narbonensi archiepiscopo pacem cum Bernardo Biterrensi episcopo de capellis, & Anianensium ecclesiis, & earum censibus antistiti solvendis reformavit: quod pactum Anianenses Petro IV. abbate denuo firmarunt. Prædia quoque nonnulla comparavit probantibus monachis, quos ad triginta litteris inde confectis subscripsisse legimus. Vixit autem Guillelmus, ut volunt, ad annum 1232.

Gariel. part. 1. pag. 321.

XXX. Guillelmus III. de Vallauques genere nobilis Raimundi Biterrensis episcopi germanus, aut saltem consanguineus, occurrit in instrumento venditionis factæ an. 1232. Recipit hominium Guillelmi Martini vicarii S. Amantii de Teuleto XV. cal. Febr. an. 1233. Laudavit quoddam acapitum datum monasterio a Raimundo de Rocavetula anno 1235. Ob institutam precem annuam ad III. non. Novemb. signatur in necrologio.

XXXI. Guillelmus IV. de Parme abbas Anianæ & papæ capellanus arbiter electus fuit an. 1246. inter Guillelmum Narbonensem & Udalgerium Electensem electos. Memoratur in charta cessionis vicecomitatus Biterrensis VII. id. Aprilis 1247.

XXXII. Petrus IV. de Salvenatalium & ipse splendore clarissimus Anianense pedum tenebat an. 1250. mense Januario, ut colligitur ex instrumento visitationis abbatiæ S. Petri de Salva diœcesis Nemausensis, factæ a Guillelmo de Duabus virginibus abbate S. Guillelmi de Deserto: inter Salvenses enim monachos recensetur Poncius de Salve frater domini abbatis Anianensis. Innocentius IV. bulla data Assisii idibus Junii anno 1253. Petro facultatem impertit Anianenses monachos dispensandi ab exsequendis statutis, quæ ad reformationem decessor suus Gregorius sanxerat. Eodem anno sacristæ Magalonensi mandavit idem pontifex, ut ministros regis, qui monasterii Anianensis jurisdictionem usurpabant, compesceret. An. 1256. pepigit Petrus cum Bernardo Andrea de Comajacis. Condita an. 1260. IV. cal. Julii a Raimundo de Vallauques Biterrensi episcopo aliisque quatuor arbitris, lectaque III. id. Mart. insequentis in capitulo Anianensi reformationis capita testantur quot & quantis Aniana tunc premeretur malis in capite & in membris. Quamdam fecit permutationem Petrus VI. id. Septembris 1262. cum infirmario. Lites cum Petro & Aimerico de Claromonte ob jurisdictionem castri de Giniaco natas sedavit an. 1263. Alias anno sequenti cum Raimundo episcopo Leutevensi, & cum Agathensi episcopo anno 1265. compescuit. Unam terræ peciam Berengario Saurelli divendidit an. 1268. Orta cum suis dissidia composuit anno 1269. & sequenti dum generalia teneret comitia, 50. in monachos & fratres recepit, spe facta quatuor aliorum intra quatuor annos admittendorum. Eodem anno regi Francorum fidei sacramentum dixit pro Giniaco, &c. Fundationem ab Alberto de Salve, tam pro se, quam pro abbate Petro factam confirmavit in capitulo Petrus abbas III. calendas Aprilis anno 1280. quem III. non. Octobris humanis rebus exemtum discimus ex instrumentis agitatæ in curia Romana litis inter fratrem Johannem de Salve camerarium & Raimundum de Serinhaco priorem de Salviano, in defuncti abbatis successores a monachis duas in factiones scissis electos III. non. Decembris ejusdem anni: utrumque autem causa cecidisse liquet, nam

XXXIII. Raimundus II. Delmas obtinebat an. 1281. quo exeunte celeri occumbens fato, vivere simul & regere desiit. Id docet sepulcralis Raimundi lapis e ruderibus non ita pridem elatus cum hoc lemmate. *Hic jacet Raimundus Delmas an. MCCLXXXI.* Sunt qui Raimundum de Serinhaco sufficiunt ad annum 1282. & Johannem de Salve inde ad annum 1285. quibus freti argumentis me latet: feruntur tamen ambo cum abbatis schemate in S. Benedicti sacello tumulati, forte quia uterque a monachis electus fuerat, ut diximus: de utroque tamen totum per id tempus altum in tabulis silentium.

XXXIV. Poncius III. de Canillac Raimundi cardinalis patruus. Hujus temporibus arbitri a Jacobo Majoricarum rege, & abbate Anianensi, prioreque S. Amantii anno 1285. electi jurisdictionem in Cellanova monasterio Anianensi asseruerunt, aliaque viginti capitibus contenta definierunt apud Montempessulanum IV. cal. Jun. an. 1286. Laudavit Poncius an. 1287. fundationem factam unius lampadis quibusdam festis accendendæ in ecclesia S. Salvatoris. Cum Berengario Magalonensi episcopo factam laudavit definitionem parochiarum S. Stephani de Volio, & S. Saturnini de Vallauquesio XIII. cal. Nov. an. 1288. Comes Ruthenensis Poncio hominium eodem anno exhibuit ut heres Raimundi de Rocafolio avi sui. Laudavit quamdam fundationem an. 1289. Cum syndicis universitatis villæ Anianæ habuit litem, quæ mediis arbitris finita est pridie cal. Julii an. 1293. Efflanti animam Gaucelino Magalonensi episcopo die XI. Mart. 1304. adstitit. Capitulum generale habuit an. 1310. in quo ea statuit decreta, quæ temporibus illis accommodata, veram nihilominus spirant pietatem. Pepigit an. 1311. cum Michaële de Piano pro jurisdictione mansi de Alausa in parochia de Violo. Ingenti suorum desiderio occidit magni nominis abbas Poncius, *bonæ & felicis recordationis* in tabulis vocitatus.

XXXV. Guido de Canillac Anianæ came-

rarius germanum excepit, si Gariello fides, an. 1312. Regi hominium præstitit ultima Aprilis an. 1317. Bernardus de Gosono ejus procurator laudavit quamdam venditionem pridie nonas Martii an. 1319. Nonnulla ipse dedit ad emphyteosim die 23. Oct. an. 1323. Pitanciariæ officium corrasariæ adjunxit anno 1325. In comitiis generalibus ordinis S. Benedicti Narbonensis provinciæ definitorem egit in S. Tiberii ascenterio an. 1329. Occurrit adhuc in tabulis anno 1330. & apud Gariellum anno 1332. De eo necrologium ad v. non. Mart. hoc refert. *Obitus D. Guidonis de Canillaco olim abbatis Anianæ, pro quo debet ecclesia de Villanova XXV. solidos, & conventus debet habere verutum, & mandatum trium denariorum.*

XXXVI. Guillelmus V. de Landorre Anianæ jam occurrit abbas anno 1335. in instrumento capituli. Consensit an. 1337. unioni factæ prioratus de Corconassis cum cameraria. Una cum Arnaldo Magalonensi episcopo ecclesiam S. Crucis Cellanovensem plurimis auxit beneficiis an. 1339. Constituit an. 1341. procuratorem, qui Bernardum de Oratorio clericum ad ecclesiam B. Mariæ de Ortolis vacantem præsentaret Aimerico Gerardi Nemausensi episcopo. Ratam habuit die 25. Martii an. 1342. transactionem inter priorem du Rosier & parochum S. Johannis de Balmes. Procuratorem generalem in omnibus causis suis instituit die 14. Januarii 1344. Præfuit in annum 1349. quo Biterrensium electus est antistes, forte dominatus ob brevitatem a Sammarthanis prætermissus. Antequam Biterras migraret, missalem librum prægrandem sanctorum continentem historias, & gentilitiis Landoriorum scutis insignitum Anianæ contulit, signatus in necrologio ad diem 29. Maii. Capellam sancti Michaëlis in ecclesia Anianensi instituit sub onere triginta solidorum pro ipsius anniversario.

XXXVII. Poncius IV. de Canillaco superiorum nepos, filius Guillelmi ex sorore Bertrandi de Deucio cardinalis, germanus autem Raimundi item cardinalis, & Petri Magalonensis episcopi, pari monachorum voto Guillelmo subrogatus an. 1349. componendis rebus & firmandis abbatiæ dominiis multam navavit operam. Procuratores eodem anno constituit. Cum Anianæ civibus de consulatu, censibus, & monasterio debitis obsequiis transegit an. 1355. clientelares vero nobiles occasione bellorum contumaces ad debitæ fidei sacramenta revocavit. Ab administris regis monasterii jura violantibus ad ipsum regem appellavit an. 1356. Obiit anno IX. Innocentii papæ VI. 1361. a quo suffectus est

XXXVIII. Johannes I. de Gascq urbe Manuasca in Provincia oriundus, prior de Canonica in diœcesi Mimatensi. Erecti ab Urbano V. apud Montempessulanum cœnobii S. Germani bullas publicavit. Anno 1365. die 19. Sept. pontificatus Urbani V. an. III. Raimundus de Canillac episcopus Prænestinus procuratores suos creavit venerabilem in Christo patrem D. Johannem abbatem monasterii Anianæ Magalonensis diœcesis, & Petrum de Molins officialem Magalonensem, ad emendos & acquirendos quoscumque census &c. Rexit Johannes ad annum 1367. quo Nemausensium renuntiatur antistes. Hujus meminit necrologium ad XIV. cal. Sept. *Obitus D. Johannis Gasconis Nemausensis episcopi, quondam abbatis Anianensis.*

XXXIX. Bernardus III. de Castelnau diœcesis Agathensis, Urbani V. agnatus, in locum Johannis a summo pontifice subrogatus sedebat anno 1367. Johannes enim episcopus Nemausensis, & Poncius de Garda prior S. Firmini de Montepessulano procuratores a D. Raimundo episcopo Prænestino cardinali constituti in præsentia venerabilis patris D. B. abbatis Anianæ; & conventus dicti monasterii in remissionem seu pro salute dicti cardinalis, & animarum reverendorum patrum bonæ memoriæ Poncii & Guidonis patruorum dicti cardinalis, ac Poncii germani sui abbatum dicti monasterii, ac felicis recordationis domini Petri de Canillac monachi Massiliensis prioris de Aheriis, & aliorum suorum parentum unam capellaniam per dictum dominum abbatem erectam in ecclesia S. Salvatoris Anianæ in capella B. Petri apostoli juxta altare S. Salvatoris sitam, juxta quod ossa dicti domini Petri translata sunt seu tumulata, dotaverunt, & ei assignaverunt 15. libras Turon. &c. die 14. Mart. an. 1367. quam fundationem Raimundus approbavit Avenione die 19. Jan. an. 1369. indict. VII. pontificatus Urbani V. an. VII. præsentibus Johanne Nemausensi episcopo, Poncio de Garda priore S. Firmini Monspeliensis &c. Bernardus autem ad cathedrales S. Papuli infulas evectus est an. 1369.

XL. Petrus V. de Vernobs patria Muratensis, Gregorii XI. thesaurarius, fratrum calculis renunciatus abbas rexit ad an. 1373. quo dictus est Magalonensium episcopus a Gregorio XI. idibus Augusti pontificatus anno III.

XLI. Petrus VI. la Plotte Caroffensis erat abbas, cum an. 1373. Anianæ præficitur. Hunc inter alios testamenti die 5. Maii an. 1374. conditi nominavit exsecutorem Gregorius XI. summus pontifex. Cum multis cardinalibus & præsulibus testis est conventionum matrimonii inter Raimundum filium vicecomitis Turenniæ, & Mariam filiam Johannis comitis Boloniæ & Arverniæ circa 1375. Variis interfuit Benedictinorum generalibus comitiis Carcassonæ habitis, regularemque disciplinam pro modulo sartam tectamque voluit. De eo tom. 2. col. 1283.

Spicileg. tom. 6. p. 688.

Prob. Hist. domus Arvern. 204.

XLII. Hugo II. de Pouzols genere nobilis, electus jam præerat an. 1378. ex tabulis Anianensibus. Hunc tamen nonnisi post longam altercationem adversus Romanæ curiæ præventores nono post obitum Petri mense electum a capitulo volunt circa an. 1381. Occurrit & annis 1382. 1383. 1384. Nonnulla sacristiæ contulit an. 1395. Eodem definitor eligitur in capitulo Benedictinorum generali apud Carcassonam in domo Prædicatorum habito. Addunt nonnulli Hugonem circa id tempus peregre profectum

creasse Johannem Bordeti monachum Anianæ A vicarium generalem. Et certe in tabulis sedes tunc vacasse, vicariique generales a capitulo instituti leguntur, quandiu vacaret sedes, at non ideo cesserat Hugo: in comitiis enim generalibus Tolosæ apud B. Mariam Deauratam anno 1397. habitis definitorem egit Hugo Anianensis abbas, non ita multo post defunctus.

XLIII. Philippus communibus & ipse suffragiis electus vicarium suum generalem Avenione degens instituit Johannem episcopum Tusculanum cardinalem Ambianensem die 16. Jun. an. 1399. qui monachum S. Petri Cabilonensis ad Anianam ipsius nomine transferret, B eique prioratum S. Petri de Giniaco conferret. Eodem anno limites urbium Anianæ & Giniaci disterminati sunt inter procuratorem Philippi regisque administros, pro quibus bodulas & pilaria statuerunt an. 1403. Præfuit an. 1401. capitulo monachorum nigrorum provinciæ Narbonensis & Auxitanensis, monasteriorumque Psalmodii, Sendracensis &c. necnon monialium diœcesis Monspeliensis renunciatus est visitator die 16. Maii. Hunc Benedictus XIII. in ecclesia Arelatensi tunc vacante vicarium suum generalem in temporalibus & spiritualibus, necnon & officialem instituit III. cal. Maii pontifica- C tus an. IX. Pisanum ad concilium se contulit an. 1409. Inde reversus an. 1410. præses capituli generalis Benedictinorum Carcassonæ habiti apud Prædicatores eligitur. Diutina cum monachis dissidia tulit ad an. 1411. quo jussu Petri cardinalis de Turreio sedis apostolicæ legati abbas S. Egidii cum Johanne de Vitriolis Rometensi priore pagi Vapincensis Anianense subiit monasterium, & multa de pace, ritibus, officiis, proventuumque administratione constituit. Occurrit adhuc Philippus an. 1412.

Ch. LXIII. col. 386.

XLIV. Guillelmus VI. vir pius & doctus, abbas institutus procuratorem generalem creavit D die XI. Dec. 1413. Memoratur & an. 1414. Concilio Constantiensi provinciæ Narbonensis nomine interfuit ac subscripsit an. 1416. Insequenti Guillelmus Anianensis, & Robertus Cluniacensis abbates duobus e suis monachis permiserunt, ut officia permutarent. Nonnulla comparavit prædia, conditisque pro morum emendatione salutaribus decretis an. 1422. consumitur.

XLV. Petrus VII. de Rocosello decretorum doctor, cum B. Mariæ Deauratæ priorem ageret, Constantiam ad generale concilium se contulit. Inde factus abbas Anianensis laudatur in chartis Anianensibus an. 1423. & Biterrensibus E an. 1425. Cum Michaële Leutevensium episcopo de villici Curcenatici stipendiis componit an. 1427. Insequenti cum Guillelmo de Levis permutationem fecit. In capitulo generali an. 1430. creavit procuratores ad percipienda spolia mortuorum. In alio post quadriennium habito statutum ut fieret generalis receptio monachorum (parvulorum scilicet) quorum duo ab abbate nominarentur, ceteri vero monachi unum quilibet eligerent, qui parvuli annos 13. non excederent. Occurrit adhuc in tabulis usque ad annum 1443. quo defunctus est mense circiter Augusto.

XLVI. Bertrandus de Brisone monachus Anianæ, priorque sancti Amantii de Teuleto post Petrum ab Anianensibus eligitur abbas mense Septembri an. 1443. cujus confirmationem juxta sanctionis pragmaticæ tenorem a R. Magalonensi, & J. Narbonensi præsulibus petierunt die 17. ejusdem mensis. A summo autem pontifice dictus abbas, procuratores instituit die 27. Decembr. ejusdem anni, qui jus suum in curia Romana prosequerentur adversus Johannem Armandi a rege electum, & alios quoscumque. At licet a regiis in favorem Johannis significatis litteris ad regem senatumque Parisiensem appellassent monachi nonnulli die 21. Jan. an. 1444. ut nunc dicimus, Johanni Bertrandus cedere coactus fuit.

XLVII. Joannes II. Armandi ex abbate S. Tiberii ad Anianam regiis translatus litteris exeunte anno 1443. æmulum patitur electum a capitulo, nec novæ dignitatis suæ tranquillam possessionem obtinuisse videtur ante finem anni 1444. quo vicarios generales instituit, qui ipsius nomine capitulo generali quotannis celebrari solito interessent. Id discimus ex instrumento signato sigillo rotundo, quo Johannes utebatur dum erat abbas S. Tiberii. Anno sequenti procuratores, vicarium & officiales creavit. Comitiis generalibus monachorum nigrorum apud Biterrim in domo Prædicatorum an 1448. habitis interfuit. In capitulo generali an. 1450. statuit, ut festum S. Mauri deinceps sub ritu duplici celebraretur. Dicitur regis consiliarius an. 1451. in regestis senescalliæ Bellicadrensis. Condita sub antecessoribus statuta, novaque ab se superioribus addita Nicolai papæ V. auctoritate roborari studuit bulla data Romæ apud S. Petrum idibus Junii anno VI. pontificatus, Christi 1452. Cessit eodem anno Johannes, retentis sibi locis de Appirano & de Cissano. Superstes adhuc an. 1457. quo testamentum condidit die 3. Maii.

XLVIII. Girardus Rubei cedente Johanne fit abbas an. 1452. Biennio post a Carolo septimo Francorum rege litteras tuitionis & regiæ protectionis accepit ultima Augusti 1454. Coram Durando Chaudocii judice Claromontensi de injuriis sibi a Petro Biterrensi episcopo illatis conquestus, ad regem appellavit die 12. Aprilis an. 1456. Huic concesserunt monachi, ut baculum pastorale per dies decem extra monasterium exsportaret die 7. Augusti an. 1459. Mauro episcopo Magalonensi ejusque capitulo dedit an. 1463. territorium de Lemperi pro prioratu de Valstaunes, commutationem probante Pio II. V. id. Oct. Girardo Paulus II. commendavit abbatiam S. Jacobi Biterrensis una cum Aniana administrandam, vacantem per cessionem Johannis Erault an. 1465. Regis ad preces donavit prioratum S. Mariæ de Gordanicis Johanni Penigaudi canonico S. Gatiani Turonensis anno 1467. Recepit hominium Bertrandi de Fisco 26. Martii anno 1470. Comitiorum

Benedictinorum Tolosæ præses institutus anno 1478. in capitulo generali an. 1482. fundavit unum obitum quotannis celebrandum in capella S. Michaelis, ubi sepulturam elegit. Clientelam a Guillelma de Fisco accepit an. 1482. quæ idem repetiit an. 1488. Girardus autem anno 1490. gravis annis fratris filio Anianam consignavit. Anniversarium solemne instituit anno 1495. cujus rei gratia multa legavit. Nondum obierat an. 1501.

XLIX. Jacobus Rubei protonotarius apostolicus, administratorque perpetuus sancti Jacobi Biterrensis jam ab anno 1473. Anianam per resignationem patrui adeptus, regi fidem præstitit B mense Maio an. 1490. sequentisque Junii prima die possessionem ipse iniit. Vixit ad annum 1494. quo ei successit

L. Antonius I. de Narbone e Talairanorum diœcesis Agathensis nobilissima gente, filius Johannis de Narbone ex Sibilla de Carmain, Jacobo defuncto suffectus abbas, & ab Isarno Magalonensi episcopo confirmatus die 18. Febr. an. 1494. Anianæ possessionem adipiscitur die 22. ejusdem mensis per procuratorem Deodatum de Narbone ex Anianensi monacho abbatem S. Andreæ de Sureda diœcesis Elnensis, & priorem de Podioabono. Ritu solito Anianæ C receptus est 25. Nov. ejusdem anni. Eligitur anno sequenti definitor generalis monachorum Tolosæ comitia generalia celebrantium, aliis quoque Carcassonæ habitis interfuit. Eodem anno æmulum passus est Johannem Peleti de Veruna, qui a rege nominatus & ab Alexandro papa confirmatus v. cal. Mart. possessionem per procuratorem iniit die 6. Maii an. 1495. sed qui causa cecidisse videtur: biennio enim post Antonius vicarium Biterrensi episcopo legitur præsentasse die 22. Sept. an. 1497. Memoratur in tabulis annis sequentibus. Capellam S. Sebastiani excitavit an. 1506. Restauratio dormitorii D & refectorii Anianæ a senatu Tolosano indicta est Antonio die 13. Sept. an. 1509. Eodem anno idem senatus monachis Anianensibus dedit facultatem ut electionem a se factam de Rossono de Brinhaco Anianensi monacho in abbatem coram archiepiscopo Narbonensi prosequerentur, qui quidem Rossonus causa cecidit senatusconsulto dato 2. Junii 1514. & insequenti factus est abbas S. Polycarpi. Occurrit autem Antonius in tabulis usque ad an. 1516. quo senio confectus nepoti suo munus consignavit, sub reservatione quorumdam prioratuum, medietatis collationum, vocisque activæ & passivæ. Abbas quoque Moissiacensis fuisse dicitur in historia Magnatum Franciæ tom. 7. pag. 771. ubi mortuus legitur 28. Octobr. 1521. Ipse est forsan Antonius de Narbone, de quo diximus tom. 1. p. 170.

LI. Antonius II. de Narbone filius Guerini domini de Salellis, superioris ex fratre nepos, post exactam an. 1507. in monasterio Anianæ religiosam professionem, cellerarius factus an. 1513. abdicanti patruo die 16. Junii an. 1516. successit regularium postremus, abbatiæque possessionem adipiscitur die 7. Sept. ejusdem anni.

A Recensionem bonorum abbatiæ regi exhibuit an. 1519. Ad Sistaricenses infulas evehitur a rege anno 1531. vi concordatorum cum Leone decimo factorum, & aliquot post annis ad Matisconenses, neque tamen abbatiam dimisit: litteris enim ad eum datis mense Septembri an. 1533. Franciscus I. nundinas bis in anno apud Anianam esse jubet. Has anno 1535. iterum confirmat Franciscus litteris apud Stramiacum datis mense Martio. Exstant in veteri regesto archivi regii Parisiensis. Antonio an. 1541. Arnaldus Contadis judex Narbonæ dicavit epitomen in 33. Pandectarum librum, editam Parisiis eodem anno in 4°. Rexit autem Antonius ad annum 1543. episcopus simul & abbas. De eo tom. 1. col. 503. & IV. col. 1095.

LII. Johannes III. du Bellay S. R. E. cardinalis, & Parisiensis episcopus, primus commendatarius a rege nominatus, ceteris quibus toto vitæ suæ tempore ditatus est sacerdotiis Anianam quoque adjunxit, quam an. 1546. in sequentis gratiam dimisit.

LIII. Rostagnus II. de la Baume Arausicanus episcopus, de quo tom. 1. col. 783. Aniana commendatarius potiebatur anno 1546. quo exeunte, die scilicet 31. Jan. spopondit monachis Anianensibus ad vitam quolibet anno attributurum se 500. frumenti sextaria, modiosque 50. vini. Statuta quædam condidit circa divini officii celebrationem de monachorum consensu an. 1550. Cum iisdem biennio post convenit de sumtibus ad restaurandam ecclesiam necessariis. Obiit Rostagnus die 24. Jul. an. 1555. aut 1556. Vacabat adhuc sedes die 17. Jan. an. 1556.

LIV. Johannes IV. de S. Chamond, de quo egimus tom. 1. col. 331. Aquensis archiepiscopus, Anianæ commendam obtinet in tabulis an. 1558. Initas a Rostagno decessore annis 1546. & 1550. transactiones approbavit 17. Aprilis 1559. Tanquini de Loseran domini de Fisco eodem anno & die excepit hominium. An. 1561. Anianenses a perduellibus rebus sacris interdicti die 29. Dec. monasteriumque ipsum die 25. Apr. an 1562. pessumdatum, suppellex, diplomata, chartæ &c. tum in monasterio, tum in platea publica igne sunt consumta: ipse quoque Johannes ob hæresis Calvinianæ crimen privatus sacerdotiis, abbatiam quam ad annum usque 1567. tenuerat, cessit in favorem fratris Johannis N. quo propter inscitiam Romæ rejecto, petiit Johannes a rege an. 1571. ut quoad usque bullas ab ipso nominatus obtinuisset, proventibus abbatiæ frui ipsi E liceret, at juri nominandi successorem, constituta sibi 1200. scutorum aureorum pensione, eodem anno renunciavit, quam postea una cum dodrante redituum episcopatus Biterrensis ipsi a rege concesso in Claudium de Sabaudia equitem torquatum an. 1572. transtulit, ex archiepiscopo & abbate apostata Calvini sectator effectus, fideque ejurata monialem duxit uxorem cum qua Genevam secessit, ubi panem emendicans, aquamve indigentibus pretio deferens miserrime interiit.

Laurentius Strozzi archiepiscopus Aquensis, quem pro abbatia Anianensi cum Rostagno

de la Baume contendisse diximus annis 1562. & 1563. ex D. Claudio Estiennot tom. 1. col. 332. vel non fuit abbas, vel causa cecidit. Rostagnus enim anno saltem 1556. mortuus nullum passus æmulum legitur in tabulis, Johannes vero ejus successor memoratur adhuc abbas an. 1567. at forte circa an. 1562. ob hæresim Romam citatus, Laurentio ansam præbuit abbatem se gerendi, sed frustra, hujus enim nulla occurrit in tabulis mentio.

LV. Johannes V. Bourgois mera initiatus tonsura, Johanne de S. Chamond beneficiis spoliato, alteroque Johanne cui cesserat, a summo pontifice repudiato, a rege nominatus apostolica auctoritate confirmatur VI. cal. Julii an 1568. Insequenti exeunte possessionem adipiscitur. Fiduciarius, ut habent tabulæ, commendam tenuit ad an. 1571. quo illam ejuravit pro nutu Johannis de S. Chamond, cui post edictum pacificationis rex concesserat jus nominandi. Volunt tamen nonnulli Johannem Bourgois abbatiam tenuisse ad an. 1580. quo uxorem duxit, nec repugnant tabulæ. Insequenti enim Henricus III. Anianæ œconomum instituit Jacobum de la Roche an. 1582. abbatiæque administrationem commisit Raimundo de Fizes & Laurentio Sarrut die 5. Febr. an. 1582. Forte quam post edictum pacificationis Johanni dimiserat, hanc post Johannis apostasiam recepit & administravit Johannes ad annum 1580. quam tunc uxorem ducturus abjecit.

LVI. Laurentius de Fizes clericus Agathensis S. Launomari Blesensis jam abbas, litteris munitus regiis, abbatiæ per nuptias Johannis vacantis commendam a Gregorio XIII. obtinuit bulla data id. Febr. an. 1582. Possessionem per procuratorem adiit die ultima Maii an. 1583. Anianamque ipse ingreditur die 15. Febr. an. 1584. Insequenti vicarium instituit. Davidis de Loseran domini de Fisco clientelare sacramentum excepit ultima Maii an. 1588. Toparchæ de Spondeillan locum cedere, pejora ne contingerent, coactus est circa an. 1595. qui miles illico Petrum Host presbyterum Biterrensem infimæ sortis hominem personato nomine abbatis honestavit, dum adolesceret, cui servabatur abbatia,

LVII. Ludovicus I. du Caylar de Spondeillan prædicti chiliarchi filius possessionem adit die 19. Augusti an. 1600. Hanc ipse aliquanto pervasam tempore militiæ sæcularis amore non sine pretio committit sequenti.

LVIII. Taneguinus le Blanc de Rollet domini de Rollet civis Anianensis Henrico IV. addictissimi, bellica gloria inclyti, totiusque Normanniæ adversus reos justitiæ præfecti filius, Anianæ commenda a rege donatus, abbasque per arrestum supremi consilii adversus Ludovicum recipitur, potitusque est ab an. 1603. ad 1614.

LIX. Petrus VIII. le Blanc de Rollet Taneguini frater minor natu cedentis munus accepit, & unico possessam anno cum cardinali Bonzio commendam permutavit an. 1615.

LX. Johannes VI. de Bonzi cardinalis, Biterrensis episcopus permutationis vi abbas factus Anianensis, vicarium suum generalem creavit Dominicum de Bonzi nepotem episcopum Cæsareensem die 13. Jun. 1616. Anianam tenuit usque ad an. 1621. Nonnulli tamen indices post Johannem reponunt Thomam germanum, & paulo post Dominicum. Sed 1°. Thomas frater Johannis fuisse non legitur, sed ex fratre nepos. 2°. bullas a Gregorio XV. obtinuisse dicitur XIV. cal. Febr. an. 1621. per obitum Johannis: at Gregorius XV. ante diem 9. Februarii electus non fuit; Johannes autem adhuc superstes erat Julio ineunte: deinde Dominicus ante patruum obiit, quem abdicasse nulla probant instrumenta. Itaque

LXI. Clemens de Bonzi canonicus basilicæ apostolorum Petri & Pauli annos natus 22. abbatiam vacantem per obitum Johannis cardinalis a rege designatus die 26. Julii, a Gregorio XV. obtinuit V. id. Aug. an. 1621. Possessionem per procuratorem adiit 17. Aprilis 1622. Anianæque solemni ipse pompa excipitur 5. Sept. 1627. factus anno sequenti Biterrensis episcopus. Cum autem Anianenses monachi reformatos S. Mauri appellandos decrevissent jam ab an. 1625. eorum votis obsecundante Clemente, interpellati anno 1630. reformati Anianam susceperunt reformandam die 22. Oct. 1633. Anianæ autem Clemens annis cum præfuisset 28. volente rege anno 1659. Clementis ultimo successor ei datus est

LXII. Petrus IX. de Bonzi S. R. E. cardinalis, episcopus Biterrensis, deinde successive archiepiscopus Tolosanus & Narbonensis, Clementi seu abdicanti, ut volunt, seu defuncto a rege subrogatus, novæ basilicæ primum posuit lapidem die 28. Aprilis an. 1679. præsentibus illustrissimis præsulibus Carolo de Pradel Magalonensi episcopo, Carolo-Francisco de Chambonas episcopo & comite Leutevensi, Armando de Biscaras episcopo Biterrensi, Mauricio de Bruslet abbate regulari S. Tiberii, & aliis plurimis. Perfectam domum & absolutam benedixit, & altare majus consecravit die 10. Februarii anno 1688. Nunc refloret vetus & celebris abbatia unita Congregationi sancti Mauri. Obiit die XI. Julii anno 1703.

LXIII. N. Bloüin dictus abbas die 14. Augusti anno 1703.

LXIV. Ludovicus II. de la Tour du Pin de Montauban filius Alexandri marchionis de la Chau ex Lucretia du Puy de Montbrun, doctor in theologia, abbas sancti Guillelmi de Desertis ab anno 1698. ut edidimus col. 601. cum adhuc agebat in vivis, episcopus Telonensis a die 15. Augusti 1712. nominatus Anianæ commendatarius 17. Octobris 1723. renunciatur in consistorio pontificio 27. Septembris 1724. Bis a clero Arelatensi delegatus adstitit generalibus cleri Gallicani comitiis annis 1715. & 1735. Obiit in sua diœcesi 12. Septembris 1737.

SANCTUS

S. GENIÉS.

SANCTUS GENESIUS

ORdinis S. Benedicti puellare monasterium duabus a Monspelio distans leucis, fundatur an. 1019. a viris nobilibus Godranno, filiisque Helesiari & Berengario in pago Sustantionensi, & diœcesi Magalonensi apud Carumlocum prope Marcianicum, ubi sancti Genesii martyris ecclesia constructa jam exstabat, unde S. Genesii monasterio nomen. Hunc autem parthenonem construxit Godrannus pro anima sua, suorumque, maxime Deo devotæ Judithæ, quam Marcianici villa ecclesiaque sancti Genesii dotavit ea lege, ut habitatio sanctimonalium esset, atque Deo dicatarum feminarum, quæ eligendæ abbatissæ facultatem haberent, secundum regulam S. Benedicti, providentiæ abbatis Psalmodiensis obnoxiæ. Recens exstructi cœnobii sexennio post iidem germani in conventu procerum hujus regionis sororem suam Juditham abbatissam eligendam curarunt ad regendam Deo familiam, quæ tredecim jam sanctimonialibus nobilibus constabat, quarum nomina recensentur in instrumento. Diu floruit nobile asceterium, quotidiano auctu majus, tantoque monialium numero ineunte sæculo XIV. excreverat, ut ne plus quam quinquaginta deinceps initiarentur decreto suo sanciverit Petrus Magalonensis episcopus. Perstat adhuc, at quantum mutatum ab illo! si duæ tantum, ut fama est, cum abbatissa nunc supersint Deo dicatæ virgines, pristinæ amplitudinis tristes reliquiæ. Seriem abbatissarum ad fidem vetustissimorum monasterii documentorum contexuimus, ut sequitur.

Ch. VI. col. 346.

Ch. VII. col. 347.

ABBATISSARUM INDEX.

I. JUDITH fundatoris ipsius filia an. 1025. electa prima S. Genesii abbatissa. Hujusce temporibus Rostagnus vir nobilis in gratiam Bonafusse filiæ suæ monasterium in comitatu Nemausensi fundavit, atque sancti Genesii parthenoni subjecit.

Ch. VII. col. 347.

Ch. VII. col. 172.

II. Alimburgis præcedentis neptis an. 1042. electa, ab Arnaldo Magalonensi antistite benedictionis munus accepit.

Ch. VIII. col. 348.

III. Bonafusse præerat tempore Odalrici Arausicani episcopi & regnante Philippo rege, anno scilicet 1050. & ultra. Huic dedit Berengarius & uxor Blice ecclesiam S. Martini in diœcesi Arausicensi, & Poncius medietatem vineæ sitæ in comitatu Sustantionensi.

IV. Stephania transegit cum Adalaide uxore Guillelmi Alcherii de Ballanicis anno 1099. æra 1137. indict. VII.

V. Galliciana sedebat anno 1130.

VI. Guillelma de Pardellis occurrit in vetustissimis chartis an. 1134. & 1140. Cum Ebrardo priore S. Martini de Gadalaricis transegit de capella S. Mariæ juxta pontem S. Ambrosii, quam transactionem an. 1155. confirmavit Adalbertus Nemausensis episcopus. Mabenam uxorem Bertrandi de Murs in monacham recepit an. 1157. Adalaidem filiam Bremundi Cadelli an. 1167. & Garsindem atque Guillelmam filias Poncii Cadelli an. 1168. quo etiam anno memoratur in dono Hugonis de Lentrecble.

VII. Ermengardis I. Marquesiam filiam Raimundi de Boissedon in monialem recepit an. 1175. Memoratur in necrologio Cassianensi his verbis : *IV. cal. Augusti obiit Ermengarda abbatissa S. Genesii.*

VIII. Ediardis occurrit in veteri instrumento anni 1200.

IX. Ermenjardis II. sedebat anno 1205.

X. Ermenjardis III. de Montedesiderio innotescit ex duabus chartis an. 1235. & 1236. qua Johanni Magalonensi episcopo se sacramento fidelitatis obstrinxit pridie cal. Jan. apud Gariel. part. 1. pag. 348. Ejus obitus notatur ad IV. cal. Augusti in necrologio Cassianensi.

Charta XXXVIII. col. 368.

XI. Bergonda de sancto Johanne an. 1262. & 1265.

XII. Florentia I. Aurusace 1282. 1287. 1290. 1300.

XIII. Alberissa, electa an. 1302. defert obsequium clientelare Gaucelino Magalonensi episcopo. Gariel. part. 1. pag. 431.

XIV. Adalaisis cujus tempore Petrus Magalonensis episcopus decrevit anno 1308. ne moniales plus quam 50. deinceps in monasterio reciperentur.

XV. Adalais Coronata eadem forte ac præcedens, occurrit anno 1321.

XVI. Ermensendis de Enseira seu de Enseric 1328. 1335. 1336. 1343.

XVII. Florentia II. Aurusace 1350. 1363. 1365. 1385. 1389.

XVIII. Johanna de Vias 1390.

XIX. Sibilla de Tarascone, per cujus obitum

XX. Margarita d'Agarna eligitur die 18. Feb. anni 1436. Præfuit ad an. 1484. quo cessit.

XXI. Catharina Molette per Margaritæ spontaneam cessionem electa die 29. Augusti 1484. præfuisse reperitur annis 1495. & 1512. immo & 1517. quo abdicavit.

XXII. Maragda seu Maria de Malbec 1517. 1518. 1530. 1539. 1548. 1549.

XXIII. Anna I. Molette præerat an. 1568. A sæculo migravit anno 1582.

XXIV. Anna II. Brigier de Malbec a Gregorio XIII. bullas accepit datas an. 1582. Vivere desiit anno 1596.

XXV. Antonia de Bertrand de Fayet vacantem per obitum Annæ Brigier abbatiam occupavit vi brevis regii die 30. Novemb. 1596. & bullarum sedis apostolicæ III. non. Mart. 1597. Vivebat adhuc anno 1636.

XXVI. Gabrielis de Bertrand de Fayet sedebat annis 1648. & 1654. Decessit 1672.

XXVII. Ludovica Teresia de la Croix de Castries filia Renati Gaspardi de la Croix, marchionis de Castries, equitis torquati, ex Isabella de Bonzi sorore cardinalis de Bonzi, ex parthenone visitationis B. Mariæ annos nata 28. assumta brevi regio bullisque apostolicis donatur an. 1672. Munus benedictionis ab Armando Johanne de Rotundis de Biscaras Biterrensi antistite accepit an. 1673. Restaurato monasterio, migravit a sæculo anno 1705.

XXVIII. Maria de la Croix de Castries præcedentis soror & abbatissæ de Gigeano breve regium accepit 30. Mart. bullas vero VI. cal. Septembris anno 1705. Possessionem adepta est die 18. Maii 1706.

XXIX. N. de la Marre Tornac Villars.

GIGEAN.

GIGEANUM.

PArthenon S. Felicis de Montecenio, alias de Montesevo, tribus aut quatuor a Monspelio distans leucis, fundatur prima sui origine pro monialibus ordinis S. Benedicti prope castrum Gigeani, a quo nomen mutuatus: sed quo præsertim anno, & a quibus fundatus fuerit prorsus ignoratur. Jam exstabat sæculo XII. temporibus Galteri Magalonensis episcopi, si documentis fides. Insequenti Maria regina Aragonum legavit moriens monialibus de Montesevo castrum de Miraval, & Berengarius Magalonensis episcopus cessit ecclesiam S. Michaelis de Villapaterna. His auctore Garielo adjunctæ sunt moniales S. Augustini, quibus circa annum 1223. Johannes de Montlaur præpositus, tum episcopus Magalonensis aream propter S. Leonis templum struendo cœnobio descripta, assignatisque ecclesia S. Germani de Fornelio, & hospitali de Silva Galteri cum ejusdem ecclesia in annuum vectigal, regulares præscripsit leges: in iis moniales ultra septemdecim profiteri vetuit, easque aut virgines aut viduas nullo status discrimine. At processu temporis urgentibus paupertatis incommodis, e claustro exire compulsæ sunt S. Leonis moniales, ut corrogata vicatim stipe vitam protogarent, quod ægre sustinens Berengarius episcopus, dedit eis ecclesiam S. Baudilii an. 1292. quo forsan, aut certe non multo post tempore deserto S. Leonis monasterio, S. Felicis de Montesevo cœnobium immigrarunt. Utroque ex ordine conflatæ moniales, quantum conjectura assequi possumus, in Cisterciensem convenere, cujus usus & consuetudines ad sæculum decimum quintum tenuerunt, quo ad primigenium S. Benedicti institutum postliminio reversæ sunt. Sub priorissis primum, dein abbatissis fuit monasterium, quod bellis civilibus pessumdatum sæpius, ac denique funditus eversum est, adeo ut mirum quod illius memoria ad nos usque pervenerit. Exstant adhuc in pauperrimo parthenone quatuor cum abbatissa moniales. Priorissarum seriem qualemcumque & abbatissarum ex paucissimis monumentis eruimus, ut sequitur.

PRIORISSÆ.

I. PULSIA reperitur in instrumento Galteri Magalonensis episcopi, qui obiit an. 1129. Præerat adhuc anno 1158.

II. Raimunda anno 1162. litteras tuitionis apostolicæ ab Alexandro III. obtinuit.

III. Ermengardis de Felgueiras sedebat annis 1182. 1184.

IV. Lombarda 1188. 1190.

V. Sibenda 1208.

VI. Marsibilla 1223. 1224.

VII. Maria I. Hytere 1238. 1248.

VIII. Guillelma I. de Lunello, cui successisse videtur

IX. Maria II. de Lunello, quæ præfuit an. 1261.

X. Maria III. de Corconna anno 1268.

XI. Guillelma II. de Soregio successit. Occurrit ad annum 1282.

XII. Alasatia transegit cum Poncio Bremundi domino Castarii & Montislauri an. 1286.

XIII. Maria IV. Rogier occurrit in diversis instrumentis annis 1294. 1296.

XIV. Sicarda I. de Montelauro præerat anno 1301.

XV. Berengaria de Soregio 1303. 1309.

XVI. Sicarda II. de Montelauro ipso anno 1309. successit, quo procuravit unionem ecclesiæ S. Baudilii.

XVII. Cecilia I. du Puy præfuit annis 1314. 1315.

XVIII. Maria V. de Cadolla 1319. 1324.

XIX. Johanna I. de Monte olivo 1335.

XX. Dulcia Gaucelma 1347.

XXI. Alisetta de Poupian 1352.

XXII. Anna I. de S. Privato 1357. 1359.

XXIII. Admeda du Puy 1375.

XXIV. Cecilia II. de Bourdelles 1386. 1391. 1399.

XXV. Johanna II. de Montelauro annis 1421. 1427. Unionem prioratuum S. Germani & S. Baudilii obtinuit an. 1430. Multa acquisivit a Jacobo des Prés anno 1436. Cessit in gratiam sequentis an. 1457.

XXVI. Maria VI. de Portes nobili genere nata præficitur ætatis suæ anno 22. Occurrit adhuc an. 1468.

XXVII. Johanna III. Garsabalde an. 1492. Obiit an. 1517.

XXVIII. Anna II. Garsabalde eligitur priorissa die 9. Maii sede vacante per decessum Johannæ. Præfuit in annum 1545.

XXIX. Margareta Garsabalde de Racolles successit. Memoratur in plurimis instrumentis ab anno 1546. ad an. 1566.

XXX. Isabellis de Roquefeuil hisce temporibus creditur præfuisse.

XXXI Magdalena de Roquefeuil soror Isabellis anno 1590.

ABBATISSÆ.

I. JOhanna de Carcassonne de Soubes priorissa S. Felicis Clementi VIII. fidelitatis sacramentum præstitit, a quo forte abbatissæ nomen obtinuit, quod prima assumsit. Præerat adhuc anno 1606.

II. Maria de Bournet de Marignac occurrit multis in instrumentis ab anno 1642. ad an. 1667. Postulavit a rege die 17. Maii anno 1656. Johannam de Fabre coadjutricem, quæ forte obiit, vel electa est alterius monasterii abbatissa, aliam enim coadjutricem Ludovicam de Fabre petiit die 20. Aprilis an. 1662.

III. Ludovica de Fabre de Marignac anno 1671. & 1674.

IV. Catharina de Joly monialis S. Ursulæ electa abbatissa anno 1677. obtinuit die 4.

Maii facultatem e suo monasterio egrediendi, ut abbatiæ de Gigeano possessionem adipisceretur.

V. Renata Angelica de la Croix de Castries filia Renati Gaspardi marchionis de Castries, equitis torquati, ex Elizabetha de Bonzi sorore eminentissimi cardinalis de Bonzi, germana abbatissarum S. Genesii, designata die prima Novembris anno 1692. bullas obtinuit die 25. Januarii sequentis.

VI. N. de Villars la Farre Ursulina de Sommieres, nominatur abbatissa die 30. Aprilis anno 1722.

VINEGOLIUM.

VIGNOGUE.

PUellare B. Mariæ de Bono loco seu Bello loco, & de Vinegolio monasterium apud Monspelium situm ordinis S. Benedicti primum, nunc Cisterciensis, ante annum 1150. fundatum probant antiquiora ejusdem documenta sub invocatione B. Mariæ Magdalenæ, & postea sub sanctæ Dei genitricis patrocinio. Quis autem parthenonis hujusce conditor, desunt monumenta: at tantus illarum numerus sæculo XIII. ineunte excreverat, ut labascentibus jam præ vetustate ædificiis, nec eas capere sufficientibus, R. Uceticensis episcopus sedis apostolicæ hisce in regionibus legatus fideles litteris encyclicis hortatus fuerit, ut tam pio operi reficiendo manus porrigerent adjutrices. Per priorissas in prima sui origine gubernatum monasterium, sub abbatissis tum fuit, cum Cisterciensium suscepit institutum anno scilicet 1245. quo Innocentius IV. Vinegolium Vallimagnæ subjecit. Innocentii autem bullam sicut & R. litteras in appendice reperies. Priorissarum seriem & abbatissarum ex chartis monasterii contexuimus: hæc autem est.

Ch. XXXIV. col. 366.

Ch. XL. col. 370.

PRIORISSÆ.

I. ERMENGARDIS, seu Ermenjardis monasterium regebat annis 1181. 1192. 1199. 1202. 1206. 1210. 1211. quo ultimo anno cum antiqua monasterii ædificia penitus corruerent, R. Uceticensis episc sedis apostolicæ legatus communem ad universos fideles dedit epistolam, qua eos ut resarciendis ædificiis necessarias impensas largis eleemosynis suppeditarent hortatur.

II. Margarita Fredoli anno 1211.

III. Beatrix annis 1219. 1225. 1239.

IV. Æglina 1241.

ABBATISSÆ.

I. ELizabeth annis 1243. 1246. 1247. 1250. cum priorissæ titulo reperitur. Ejus temporibus moniales Cisterciensium institutum suscepere, ut fidem facit bulla Innocentii papæ IV. Abhinc priorissæ titulum abbatissæ sumserunt, quo omnium prima donata est Elizabeth.

II. Guillelma Deodata, dicta aliquando Guillelma Daudeza, præerat annis 1259. 1261. 1275. 1278.

III. Gausiunda seu Jausiunda de Avene 1279. 1282. 1304. 1309.

IV. Jausimunda de Auriaco 1313. 1315. 1320.

V. Huga de Monte desiderio 1324. 1326. 1328

VI. Tiburgis 1343. 1344. 1347.

VII. Iolanda 1356. 1359.

VIII. Beatrix I. de Combreto 1364. 1370.

IX. Beatrix II. Brengaire 1390. 1392.

X. Sibilia de Alesco 1407. 1413.

XI. Margarita I. d'Aramonits 1429.

XII. Margarita II. de Panat anno 1447. ex chartis Vallismagnæ.

XIII. Margarita III. de Auriaco 1465. 1473.

XIV. Margarita IV. Allemand 1480. 1485. 1489.

XV. Margarita V. Alamande in possessionem mittitur anno 1504. præfuitque annis 1513. 1517. ex chartis authenticis D. de Gagnieres.

XVI. Johanna I. Allemand 1527. 1539. 1540. 1546. Sequenti resignavit an. 1548.

XVII. Francisca Allemand 1548.

XVIII. Johanna II. Allemand 1557.

XIX. Johanna III. Azemares, alias Suelhes 1575. Cessit 1586. Superstes adhuc 1589.

XX. Johanna IV. Claret, alias de S. Felice per cessionem præcedentis bullas accepit datas Romæ idibus Junii 1585. Possessionem adipiscitur mense Junio anno 1587. Benedictionis munus ab Edmundo a Cruce abbate Cisterciensi accepit anno 1597.

XXI. Johanna V. de Montenard primum coadjutrix anno 1609. dein abbatissa, decessit anno 1622.

XXII. Claudia filia Jacobi de S. Bonnet, domini de Restinclieres & de Thoiras senescalli Monspeliensis, & Ludovicæ Gregoriæ de Gardies, septennis brevi regio donata 30. Aprilis 1622. bullas tantum accepit pridie id. Aprilis an. 1643. ab Urbano VIII. Coadjutricem sibi adscivit an. 1664. Migravit a sæculo an. 1682.

XXIII. Tiphania Francisca filia Johannis Ludovici de Nogaret marchionis de Calvisson, ex Francisca de S. Bonnet de Thoiras, soror abbatis S. Egidii, nata die 30. Dec. an. 1634. facta coadjutrix an. 1664. coadjutricem & ipsa appellavit mense Decembri 1711.

XXIV. N. de Berard de Bernis coadjutrix ab anno 1711. 25. Dec. successit præcedenti, cessit sequenti.

XXV. N. de Vestrie de Montalet abbatissa a rege designata die 3. Julii 1737.

CLARISSÆ MONSPELIENSES.

UNus olim & forsan alter exstitit apud Monspelium Clarissarum parthenon. Abbatiam beatæ Mariæ de Paradiso pro Reclusis S. Damiani regulam S. Benedicti profitentibus in suburbio Monspeliensi fundatam, Innocentius IV. bulla data Lugduni v. id. Febr. pontificatus an. VIII. Christi 1251. apostolico diplomate dignatus est. Triennio post Petrus Magalonensis episcopus litteris apud Gariellum part. 1. pag. 373. quæ huic jam concessa fuerant monasterio confirmavit an. 1254. Idem præstitit an. eodem

Wadding. tom. 2. upp. pag. 1.

Gariel. part. 1. p. 372.

Alexander IV. monialesque sub apostolica suscepit protectione bulla data Neapoli pontificatus anno 1. idibus Martii indictione XIII. S. Claræ regulam amplexatæ jam fuerant an. 1267. cum Clemens IV. abbatissæ & conventui S. Damiani Montispessulani ordinis S. Claræ bulla data Viterbii III. calendas Maii pontificatus anno 3. indulgentias concedit iis omnibus qui earum ecclesiam in festo S. Damiani visitaverint. Simile in quibusdam aliis festivitatibus indulsit Nicolaus IV. an. 1291. beneficium.

Anecd. tom. 2. col. 460.

Wadding. tom. 2. pag. 612.

Exstat & apud Waddingum Benedicti XII. bulla episcopo Magalonensi data Avenione v. id. Maii pontificatus anno v. Christi 1339. ut nobili viro infanti Ferdinando de Majoricis Montispessulani domino adsit in condendo monasterio S. Claræ in ædibus suis. Quidquid sit, nullum nunc superest apud Monspelium Clarissarum monasterium, ab anno 1550. bellorum æstu destructum. His successere moniales, vulgo dictæ Visitationis B. Mariæ. En aliquot Clarissarum Monspeliensium abbatissæ, quas ex chartis authenticis D. de Gagneres excerpsimus.

Id. t. 3. app. pag. 258.

I. Maria de Terine abbatissa S. Claræ Monspeliensis temporibus Raimundi Ruthenensis episcopi anno circiter 1290. Amiglavum accessit, ut ibi monasterium sui ordinis conderet, quæ cum duas moniales ad habitum suscepisset, ab excommunicatione ob hoc ei ab Aquitaniæ Provinciali intentata ad sedem apostolicam appellavit. tom. 1. col. 214.

II. Dulcia Alaine occurrit in chartis authenticis D. de Gagneres 1. Dec. an. 1437.

III. Constantia Anseaulme 2. Nov. 1491. & 23. Dec. 1499.

IV. Catharina de Montbalat 15. Septembris 1505. & XI. Aprilis 1521.



ECCLESIA CARCASSONENSIS.

CARCASSO Volcarum Tectosagum præclara civitas sub archiepiscopatu Narbonensi, & parlamento Tolosano. *Carcasum Volcarum Tectosagum* Plinio lib. 8. cap. 4. Narbonensis provinciæ oppidis latinis, hoc est quæ Latii jure gaudebant, seu per se regebantur, annumeratur. Ptolemæo dicitur Volcarum Tectosagum urbs mediterranea Carcasso: in Itinerario a Burdigala Jerusalem *Castellum Carcassone*, id est *Carcasso:* in tabula Peutingeriana *Carcassione* pro *Carcassio* inter Eburomagum & Livianum: Procopio in lib. 1. de bello Gothico *Carcassiana urbs*, in qua Visigothorum reges gazam regiam servare tanquam in munitissimo loco consueverant. Gregorius Turonicus in libris 8. & 9. *Carcassonam urbem* vel *Carcasonam*, & ejus incolas *Carcassonenses* appellat: denique Johannes Biclarensis in chronico *Carcasonensem urbem.*

Deest in veteribus notitiis provinciarum, ac civitatum Galliæ Carcasso, uti etiam Helena, propterea qnod non nisi post cæsum Alaricum, subactamque a Clodoveo Aquitaniam ambæ videntur sedes episcopales factæ. Qua de re audiendus illustrissimus Petrus de Marca lib. 1. de Marca Hispanica cap. 16. *Existimandum est*, inquit, *Carcassonam & Helenam civitatum episcopalium decus adeptas esse procurantibus Gothorum regibus, qui detrimenta Tolosæ al.* Lodovæ, pro Tolosa si quidem prius subacta Francis, jam in urbem erecta fuerat Magalona; *& Ucetiæ, quæ a Francis tenebantur, sarcienda eo modo arbitrati sunt, ut provinciæ Galliæ antiquus numerus octo cathedralium episcopalium constaret.* Vide Pagi tom. 2. pag. 475.

Porro Carcassona, quæ circumvicinæ regioni Carcassensi pago, *le Carcassez* suum nomen imposuit, Perpinianum & Tolosam interjacet, media circiter utrinque, ab Electo quinque leucis ad septentrionem, & octo ad occasum Narbona distans. Floret curia præsidiali, commoditate situs, fertilitate soli, ædificiorum elegantia & civium opulentia multas Occitaniæ urbes antecellit; idcirco in chronico Autissiodorensi dicitur urbs grandis & plena divitiis, Innocentio tertio, scriptori vitæ Ludovici VIII. Petro Vallium Cernaii monacho, & aliis historicis. Duas in partes divisa, superiorem & inferiorem Atace fluvio intersecatur. Superior in supercilio montis posita, *civitas* dicitur, quæ cathedrali basilica, episcopi palatio, ac senescalli prætorio exornatur: inferior autem *burgum* nuncupatur, ubi elegantissimæ ædes, & officinæ pretiosarum lanarum, quarum illic ingens copia, & frequens est mercatura. Tertiam partem addit Baudrandus castrum.

Hujus urbis dynastiam & pagi Reddensis obtinuit a rege Carolo Calvo Bernardus comes Tolosæ, qui vivebat an. 871. eam deinde nobilissimi comites occuparunt, in quibus historici celebre faciunt nomen Rogeri I. an. 887. & Arnaldi, cujus posteri Carcassonensem, Biterrensem, Fuxensem, & Convenarum comitatus aliquot sæculis possederunt. Carcassonæ quoque vicecomites Biterrensi, Albiensi & Reddensi potiti sunt vicecomitatibus. Inter hos fuit Raimundus Rogerius anno 1191. nefaria Albigensium hæresi, sicut & subditi pene omnes, infectus, sub quo a Crucesignatorum exercitu prædictæ civitates expugnatæ fuerunt anno 1209. nec longe post ipse Raimundus Rogerius, qui tunc in Simonis comitis Montisfortis custodia tenebatur, excessit e vita; post cujus obitum Raimundus Trincavellus ejus frater natu minor Simoni cessit codicillis mensis Junii anno 1211. jus quod habebat in hisce vicecomitatibus, quos deinde Trincavellus filius & hæres Raimundi Rogerii dimisit an. 1247. S. Ludovico regi. Unanimi ergo episcoporum & principum cruce insignitorum consensu, necnon synodi Monspeliensis 1214. & concilii generalis Lateranensis 1215. decretis, jam dicto Simoni comiti dominium attributum est; qui rerum potitus fuit usque ad an. 1218. quo

Vide Tom. 3. hist. Occit.

in obsidione Tolosana egregius princeps occubuit, successore relicto Amalrico filio, sub quo hæretici reparatis viribus, & renovata rebellione ingentes turbas tota provincia excitarunt. His componendis & tuendo, tenendoque principatui cum imparem se conspiceret Amalricus, jus suum in Ludovicum VIII. Francorum regem transtulit, ab eo donatus constabularii præfectura, unde ab eo tempore harum urbium dominium penes Francorum reges remansit.

Quod ad res ecclesiasticas pertinet, ex quo sedes episcopalis evasit Carcasso usque ad Pippini principatum, non synodis in Gallia, sed conciliis in Hispania Toleti habitis, alibique Carcassonensis antistes interfuit decretisque subscripsit, Septimania, vel Gothia, cujus urbs Carcasso, Gothis tum primum, deinde Saracenis in Hispania regnantibus subjecta, qui regni sedem in Hispania fixerant. Unde in divisione diœceseon & parœciarum Hispaniæ Wamba rege facta, *Narboni metropoli subjacere* sedes jubentur, *Beterra, Agatha, Magalona, Nemausus, Luteba, seu Luteva, Carcassona, Elna.*

Episcopus in Occitaniæ comitiis jus habet sessionis, idemque pro facultate regia suæ fructus ecclesiæ percipiendi tabulis cameræ rationum Parisiensis infra secundum a jurata regi fide mensem inscribenda, debet libras septingentas.

Diœceseos præcipua loca sunt Carcasso, Confluentes *Cossolens*, Crassa *la Grasse*, Monslaureus *Montlaur*, Pratella *Pradelles*, Balneola *Banholes*, Aquævivæ *Aigues vives*, Canis suspensus *Canpendu*, Mons regalis *Montreal*, Mons clarus *Montclar*, Rufiacum *Rofiac*, Villasicca *Villeseque*, Villare *le Villar*, Rivi *Rieux*, aliaque castra.

Primaria civitatis Carcassonensis ecclesia beatum Nazarium tutelarem agnoscit & veneratur. Hæc olim habuit piorum operum societatem cum ecclesia Tomeriensi: legimus enim in fragmento necrologii S. Nazarii Carcassonensis: *pridie calendas Junii facimus mysterium pro defunctis fratribus Tomeriensis ecclesiæ.*

In illa diu perseveravit status regularis ordinis sancti Augustini, sed tandem ab eo ad sæcularem descivit anno 1439. bulla Eugenii IV. summi pontificis data precibus Godefridi de Pompadour episcopi XVIII. cal. Decembris. Excusam hanc in chronico Gerardi de Vic pag. 161. recudere visum non est, ut pote quæ viris eruditis suspicionem movet.

Ceterum ex hoc, vero an falso, habemus diplomate post episcopum primæ hac in ecclesia dignitatis titulo gaudere decanum; secundam obtinet archidiaconus, ac denique tertiam thesaurarius. Tum sequuntur quindecim canonici, computatis præcentore, qui officium audit, & sacrista, qui personatus, ac viginti duo præbendarii qui omnes a canonicis per vices promoventur, nempe decem & octo presbyteri, duo diaconi, totidem subdiaconi, necnon quatuor clerici pueri, ex bulla Sixti IV. data Romæ nonis Junii 1478.

Sunt insuper in urbe domus religiosæ, Fratrum Prædicatorum, Fratrum Minorum, Carmelitarum, Eremitarum S. Augustini, B. Mariæ de Mercede, Minimorum, Capucinorum, Jesuitarum, Ursulinarum, & Hospitalariarum.

Exstat etiam apud Montem-regalem hujus diœcesis capitulum quindecim canonicorum, dignitates habens decanum, sacristam & præcentorem; & ibi quoque sunt Carmelitæ. Capucini vero Crassæ & Tribus-bonis *Trebves* domicilium habent. Denique diœcesis 114. parochias complectitur; cum abbatiis quinque, de quibus infra. Nunc vero texendus nobis episcoporum catalogus incumbit, qua in re prævios duces habuimus doctissimum Catellum in suis Occitaniæ commentariis lib. 5. Sammarthanos fratres in Gallia Christ. quadripartita, & Geraldum de Vic presbyterum & canonicum Carcassonensem, qui eorumdem chronicon digessit anno 1667.

EPISCOPI CARCASSONENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Hilarius.

Crescente & Guimera, quorum uterque a D. de Vic, alter vero tantum huic catalogo a Sammarthanis præmittitur, multas ob rationes prætermissis, quarum non minima est, nondum tunc institutam sedem episcopalem, ab S. Hilario episcoporum Carcassonensium seriem exordimur, quanquam & ignoratur quo præcise vixerit tempore, nisi quod antiquum hujus ecclesiæ martyrologium ejus ad Arianorum ætatem meminerit. Sed quid inde? cum Visigothi, qui Carcassonæ dominati sunt a sæculo quinto ad initium octavi, haud prius ab Ariana hæresi ad catholicam B fidem conversi fuerint, quam sub finem sæculi sexti. Verumtamen si hac in re conjecturæ locus est, S. Hilarius vivere potuit hoc ultimo tempore, ac Sergium antecedere. Et quidem verosimile A est Hilarium fuisse primum Carcassonæ episcopum. Sepultus est in ecclesia suæ diœcesis S. Saturnino dicata, cui subinde adjunctum fuit monasterium, ipsomet Hilario, ut aliqui volunt, auctore, quod certe jam ineunte nono sæculo S. Saturnini & S. Hilarii nomina præferebat. De hoc fortasse intelligendum est quod legitur in hagiologio Silvæ majoris, tom. 9. fragmentorum Stephanotii nostri: *XIII. cal. Junii Toloza civitate festivitas S. Hilarii episcopi & confessoris.* Sane uti sanctus colitur in ecclesia Carcassonensi die 3. Junii, non Januarii, & quidem conjunctim cum S. Valerio, quem Sammarthani sancto Hilario dant successorem. At vero jam laudatus D. de Vic in chronico, ex hoc festorum concursu haud temere conjicit, & nos cum illo, sanctum Valerium eumdem esse ac S. Hilarium. Et certe præterquam quod hæc nomina sat sibi sunt affinia, vetus

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

calendarium Gothicum ecclesiæ Narbonensis solius S. Valerii mentionem facit die 3. Junii, nec omisisset profecto S. Hilarium, si diversus a Valerio esset, cum hæc utraque sibi vicina sit ecclesia, & in eadem provincia. Translatum est corpus S. Hilarii a Benedicto laudati cœnobii abbate, ut infra dicetur in Francone episcopo; quæ quidem translatio celebratur calendis Martii, ex hagiologio ms. Carcassonensis diœcesis, tom. XI. fragment. Stephanotii nostri pag. 248. Alii existimant legendum VIII. calendas Martii, quod expendemus in Francone.

II. Sergius.

Primus hic est episcopus Carcassonensis, cujus ætas certo dignoscatur, nimirum ex conciliis Toletano III. & Narbonensi habitis anno 589. quibus interfuit Sergius.

589. *Tom. 5. conc. col. 1016. & 1601.*

III. Solemnius.

Subscripsit Solemnius Toletanæ synodo quartæ anno 633. per suum vicarium Donellum ecclesiæ Carcassonensis archidiaconum. Sed perperam illi successor datur Elpidius, qui Toletano concilio an. 636. nomen apposuit; hic enim Tarraconensis in Hispania, non Carcassonensis in Septimania fuit episcopus, ut liquet ex veteri codice ms. & ejusdem Elpidii subscriptionibus in conciliis Toletanis annorum sequentium.

633. *Ibid. col. 1728.* *Ibid. col. 509.*

IV. Silvester.

Adfuit Silvester concilio Toletano anni 653. sed minime alteri quod habitum est anno 656. utpote cui nullus episcoporum Septimaniæ subscripsit.

653.

V. Stephanus.

683. Concilio Toletano anni 683. Stephani vice subscriptus habetur Citruinus vel Citruvinus Castrensis abbas, dein episcopus Albiensis, cujus elogium habes tom. 7. Spicil. Obiit Citruinus anno 698. testante ipsius epitaphio ex ruderibus abbatiæ Castrensis eruto in hac verba: *Hic dormit in Domino Citruinus episcopus Albiensis, quondam abbas Castrensis, & legatus episcopi Carcassonensis in concilio Toletano. Moritur lethali morbo III. cal. Junii anno DCXCVIII.* Stephanus vero idem est fortasse ac Stapinus in antiqua Carcassonensium episcoporum serie anno 1552. descripta ex antiquiori martyrologio, quo nunc eadem utitur ecclesia, recensitus, quem & traditio beatum prædicat, inquit D. de Vic in chronico. Exstant tom. 2. Bollandiano mensis Augusti ad diem VI. acta sancti Stapini confessoris, episcopi, ut fertur, Carcassonensis.

VI. Hiscipio *vel* Hispicio.

Primus sub Francorum regibus episcopus Carcassonensis Hiscipio subscripsit concilio Narbonensi anno 791. contra Felicem Urgellitanum episcopum. Vixit ad annum 798. ex Cointio.

791. *t. VII. conc. col. 965.* 798.

VII. Rogerius.

Sammarthani tradunt Rogerium circa annum 800. ordinatum fuisse episcopum a Leone III. summo pontifice, satagente Carolo magno, qui fidem catholicam apud Carcassonam instauravit, ex historia comitum Carcassonensium Guillelmi Besse. Sane Rogerius, & alio nomine Robertus, vir nobilis & clericus probatæ vitæ recensetur a D. de Vic in chronico præsens anno 804. altaris sancti Salvatoris Anianensis consecrationi, sed hæc est fictitia.

VIII. Senior.

Chirographum apposuit Senior episcopus Carcassonensis instrumento Ruderici presbyteri domum Carcassonæ sitam Attalæ abbati & monasterio Crassensi concedentis pridie idus Octobris anno 46. sub domino nostro Carolo Imperatore, id est 14. Octobris anno 813.

813.

IX. Liviula.

Innotescit Liviula episcopus Carcassonensis ex veteri membrana ad annum 851. relata, quæ in capsa reliquiarum S. Lupini confessoris exeunte postremo sæculo reperta est. Vide tom. 1. hist. Occitaniæ pag. 551.

851.

X. Eurus.

Interfuit Eurus anno 860. mense Octobri concilio Tusiacensi.

860. *t. 8. concil. col. 705.*

XI. Arnulfus.

Ex abbate S. Salvatoris Anianensis, postremis annis Caroli Calvi ad infulas dicitur evolasse Carcassonenses post annum 875. At certe perperam hunc interfuisse volunt translationi corporum S. Antonini & sociorum ejus anno 887. quam fictitiam demonstrarunt nuperi rerum Occitanarum scriptores, tom. 2. nota 3. pag. 528.

XII. Gislerannus & Willerannus.

Præsedit Willerannus placito, seu judicio publice lato in gratiam Recamundi abbatis S. Hilarii, VI. calend. Martii anno tertio imperante Carolo (Crasso) hoc est 883. ex probationibus tom. 2. hist. Occit. pag. 20. Editum est quoque lib. 6. de re diplom. tit. 61. pag. 506. sed ibi perperam anno 803. illigatum. Illud quoque nostra in appendice recudimus. Anno 885. indict. III. die dominica 15. Augusti idem Gisslerannus cum Agilberto Biterrensi & Ausindo, seu Audesindo Helenensi præsulibus sanctum Theodardum Narbonensem archiepiscopum, cujus interfuerat electioni, consecravit; cum quo subinde præsens memoratur in concilio Nemausensi habito in villa Portu anno 887. rursumque alteri concilio ibid. celebrato interfuit an. 897. sub Arnusto archipræsule Narbonensi.

883. *Ch. VIII. col. 418.* 885. 887. *T. 9. conc. col. 395.* 897. *Ibid. c. 478.*

XIII. Guimera *vel* Gimera Gallice *S. Gimier.*

Gimera Willerando successit anno 903. uti colligitur ex quadam schedula reperta in theca continente reliquias sacelli B. Mariæ in ecclesia parochiali S. Stephani loci de Palajano diœcesis Carcasson. quas Petrus de Auxilione episcopus Carcasson. die 13. Octob. an. 1504. visitavit;

ANNI CHRISTI

sic autem habet scheda: *Anno Incarnationis Dom. 917. indict. IV. octavo idus Februarii sub Carolo rege consecratum est hoc altare a Gimerra Carcasson. episcopo XV. sui ordinis anno, precibus Dignifredi venerabilis sacerdotis.* Interfuit concilio Barcinonensi anno 906. Agathensi apud S. Tiberium 907. Magalonensi apud Juncarias 909. & anno 911. indictione XIV. concilio habito in villa, cui nomen *Fons cooperta*, in territorio Narbonensi. Recensetur circa 914. inter præsules, quibus Johannes X. papa scripsit mittendo pallium ad Agionem archiepiscopum Narbonensem. Idem anno 916. calendis Septembris ex appendice Marcæ Hispan. col. 839. vel anno 917. ex tomo 2. hist. Occit. pag. 50. adfuit Helenensis ecclesiæ consecrationi. Subscripsit anno XII. regnante Carolo (Simplice) filio Ludovici regis, chartæ Sanxii & Richildis ejus conjugis, qua Richimiro abbati S. Johannis de Malasta vendunt allodium, cui vocabulum *Caucus* in territorio Carcassonensi. Duo exstant in tabulario Montis-olivi instrumenta, primum anni 925. quo Gimera episcopus & omnis sedis Carcassonensis congregatio ecclesias S. Romani & S. Saturnini commutant cum Arifonso abbate & congregatione S. Johannis castri de Malasto, pro eorum villæ Orentianæ alode. Datum idibus Junii anno regnante Carolo post obitum Odonis regis XXVIII. *al.* XXIX. In altero Gimera *S. Nazarii Carcasson. titulo fungens* per consilium cathedralium clericorum suorum ad cœnobium almi Johannis-Bapt. castri Malasti & ad Arifonsum archimandritam, villam Crissagum cum ecclesiis S. Columbæ, S. Eugeniæ, S. Andreæ & S. Mariæ pro villa alba, & S. Petri ecclesia, &c. permutat anno incarnationis dominicæ CM. XXXI. sub æra CM. LXIX. indictione IV. Utrumque jam alibi editum nostra in appendice recudimus. Quidni vero Gimeræ adscribamus quod legitur in chronico Gerardi de Vic de Guimera primo pag. 34. mortuum videlicet idibus Febr. die Dominica (anno 931.) & quidem, ut alibi legimus, sicuti prædixerat, sepultumque in ecclesia S. Nazarii cum cilicio & superpellicio, in manu tenentem vilissimum baculum, & de ferro habentem annulum; ac denique hoc ipso die festum ejus celebrari Carcassonæ, ac ejusdem reliquias in duabus capsis argenteis asservari?

906. Ch. XII. col. 13. & tom. VII. vet. script. col. 50. 914. Ch. XIV. col. 14. 916. 925. 931. Ch. XI. & XII. col. 421. & 422.

XIII. Abbo.

Is est fortasse Abbo subscriptus archilevita in commutatione Gimeræ episcopi facta cum Arifonso abbate Montis olivi anno XXVIII. regnante Carolo post obitum Odonis regis. Legitur autem episcopus Carcassonensis anno secundo Rodulfi regis pridie idus Januarii in veteri Gallia Christiana, & in scheda Martennii nostri, anno tertio ejusdem regis pridie idus Aprilis, quo Guntaldus quidam huic episcopo & sancti Nazarii canonicis pro remedio animæ suæ terram dedit in territorio Carcassonensi, hoc est circa 932. & 933. post obitum Caroli Simplicis; quo tempore plurimi Transligerani Rodulfum non agnoscebant regem: unde hæc nota chronologica in testamento Acfredi Aquitaniæ ducis. *Datum anno V. quod Franci dehonestaverunt regem suum Carolum, & contra legem elegerunt Rodulfum sibi in regem.*

932. 933.

XVI. Wisandus, Guisandus & Gisandus.

Gisandus arc. subscripsit chartæ Gimeræ episcopi anno XXVIII. regnante Carolo rege post obitum Odonis. Wisandus vero episcopus testis laudatur in charta Acfredi comitis plurima dantis Donadeo abbati Montis-Olivi, anno V. regnante Rodulfo rege (post obitum Caroli.) Huic episcopo & ecclesiæ S. Nazarii Dodolinus quidam & uxor ejus Radlinda vineam dederunt in territorio Carcassonensi, in terminio de Villa alba, in loco qui dicitur *Taurano*, IV. nonas Martii an. primo, quo obiit Radulfus rex, hoc est an. 936. ex archivo ecclesiæ Carcassonensis. Subscripsit idem antistes chartæ Raimundi Poncii comitis Tolosani & Aquitaniæ ducis pro cœnobio S. Poncii Tomeriarum, cujus ad dedicationem convenerat, anno secundo regnante Ludovico (Transmarino) hoc est 937. nec multo post adfuit concilio Ausidinensi. Guisandus quoque appellatus testis est donationis plurium ecclesiarum prædicto S. Poncii cœnobio factæ anno 940. ab Aimerico archiepiscopo Narbonensi; Gilamnus vero in confirmatione donationis monasterii B. Mariæ Camboni, vulgo *Camon*, factæ Soniario abbati Crassensi, anno octavo regnante Ludovico (Transmarino) X. calendas Julii. Memoratur & anno 947. in concilio Narbonensi, in quo Riculfus electus Helenensis episcopus VI. cal. Aprilis ab episcopis præsentibus consecratus est. Pervenit ad annum saltem 951. quo Suniarium inter abbatem Crassensem & Seniofredum comitem Barcinonensem quorumdam bonorum facta legitur commutatio IX. calendas Augusti præsente hoc episcopo.

Ch. XI. col. 422. 936. 937. 940. 947. tom. 2. capitulari col. 634. 951.

XV. Franco & Francus.

Sedebat Franco anno 965. seu duodecimo regnante Lothario rege, IX. calendas Maii, quo consensit venditioni cuidam factæ a Sigerio abbate & ab omni congregatione monachorum monasterii B. Mariæ Crassensis. Interest an. 974. consecrationi ecclesiæ sancti Michaelis de Cuxano, & annis 975. ac 977. notatur in schedis ecclesiæ Narbonensis subscriptus hoc anno in instrumento curatorum testamenti Aimerici Narbonensis archiepiscopi, quod habes in appendice chart. XX. col. 19. Transtulisse Franconem corpus S. Hilarii Carcassonensis episcopi adstantibus Benedicto abbate sancti Hilarii & Rogerio comite, certum quidem est, sed non ita certus annus: alii siquidem anno DCCCCLXX. VIII. calendas Martii, id peractum volunt, in quibus Catellus, Petrus de Marca & nuperus auctor rerum Occitanarum historiæ; Bollandiani vero tom. 2. Jun. præfationis pag. LXXXI. an. DCCCCLXXVIII. calendis Martii, quorum opinio magis arridet Vide in appendice charta XVI. col. 426. & lege 978. pro 970.

965. T. 4. Annal. Bened. pag. 853. col. 1. 974.

ANNI CHRISTI

XVI. Eimericus.

984. *T. 4. Annal. Bened. pag. 23.*

Omissus a Sammarthanis Eimericus innotescit ex consecratione cujusdam ecclesiæ in honorem S. Petri & S. Hilarii anno 984. calendis Novembris; sive, ut alibi legimus, IV. vel V. calend. curante Rogerio comite & marchione, qui cum uxore sua Adalaissa in alode suo Corniliano eam ædificari curaverat, & una cum alode prædicto contulerat cœnobio S. Hilarii Carcassonensis, & abbati Benedicto. *Id actum est anno secundo ordinationis Eimerici Carcassonensis episcopi, fueruntque cum eo archilevitæ Aribertus & Roostannus, Langerius abbas, Heinricus, qui dicitur Leutarius. Isarnus monachus & sacerdos propriis karraxavit articulis.* Ex quo colligas Eimericum jam fuisse episcopum anno 983. Adhuc erat superstes an. 986. mense Febr. quo huic episcopo & domui sancti Nazarii, id est canonicis in eadem ecclesia ministrantibus facta per K. Gombertum legitur venditio quorumdam agrorum, vel vinearum, in territorio quod dicitur de Villacentullo prope Alairacum in comitatu Carcassonis.

Chron. de Vic p. 58.

XVII. Adalbertus & Adarbertus.

1002. *Ch. XIX. col. 429.*

Omittitur & Adalbertus in veteri Gallia Christiana, cujus tamen frequens occurrit memoria. Ac primo quidem placitum habuit anno sexto Roberti regis mense Septembri, in quo Arnaldus vicecomes Carcassonensis bona quæ repetebat, olim a Rogerio I. vicecomite Carcassonensi abbatiæ sancti Hilarii concessa, dimittere coactus est. Consensit Adalbertus donationi alodis de Cauchenne cœnobio Cuxanensi ejusque abbati Guifredo factæ ab Ermengaudo Narbonensi archiepiscopo, anno VII. regnante Roberto rege, indictione II. sub die III. cal. Novembris, hoc est anno 1004. Insequenti Ermengaudus archiepiscopus Narbonensis, nonnulla testamento legavit Adalberto, suo, ut videtur, consanguineo, cujus fit mentio tempore Sergii papæ IV. Anno 1010. adfuit celebri apud Urgellam conventui pro instituenda vita canonica in ecclesia Urgellensi habito. Ad gradus ecclesiasticos promovisse dicitur Borellum filium Richildis, qui fuit electus an. 1017. XI. calendas Decembris Rodensis seu Ripacurciensis episcopus, eumdemque inaugurasse, collaborantibus Ermengaudo Urgellensi & Petro Convenensi episcopis. Cum aliis plurimis episcopis & abbatibus convenit anno 1019. XII. cal. Decembris ad ecclesiam Gerundensem, ubi communi decretum est consensu, ut exemplo Barcinonensis ecclesiæ vita canonica institueretur in Gerundensi. Idem quoque videtur esse Adalbertus qui anno 1020. conventui episcoporum Tolosæ habito interfuit, idemque rursus qui recensetur in necrologio Montis olivi VII. id. Jan.

1004. *Marc. Hisp. col. 961.* 1010. *Ibid. col. 974. 423. 427.* 1019. 1020. *T. 9. concil. col. 843.*

Post hunc episcopum collocandus esset Petrus de Carcassone, si vere fuisset hujusce præsul ecclesiæ, sed fuit Gerundensis, non Carcassonensis.

XVIII. Fulco.

1028.

Interest Fulco cum aliis episcopis dedicationi ecclesiæ sancti Salvatoris, seu sancti Martialis Lemovicensis anno 1028. XV. cal. Decembris ex brevi chronico Lemovicensi tom. 4. Anecdot. Martennii col. 1402. Hunc vero Stephanotius noster putat esse Fulconem, qui fuit conditor monasterii S. Sepulcri de Aquaviva in comitatu Carcassonensi.

XIX. Guifredus & Wifredus.

Antea Guifredus abbas erat Campi rotundi; vide lib. VI. de re Diplom. tit. 204. Jam vero Guifredus episcopus in historia chronologica manu scripta parlamentorum patriæ Occitanæ, quæ est ad manum, auctore Guillelmo Bardino, legitur adstitisse placito apud Tolosam habito an. 1031. Interfuit an. sequenti XVIII. cal. Febr. conventui Rivipullensi, in quo facta est quarta dedicatio ecclesiæ Rivipullensis. Circa id tempus præsens memoratur in concilio Narbonensi, ubi firmata sunt privilegia monasterii Canigonensis. Testis habetur an. 1035. IX. cal. Julii in confirmatione unionis ecclesiæ B. Mariæ inter ambas aquas, vulgo *Tramesegues*, sitæ olim in antiquo episcopatu Tolosano, nunc in Appamiensi cum cœnobio Coxanensi, dum ibidem conventus episcoporum haberetur. Consecravit eodem anno ecclesiam B. Mariæ de Hedera, seu de Mayrac, assistentibus Petro Gerundensi & Bernardo Conseranensi episcopis. Anno 1038. adstitit conventui Rivipullensi, & XI. cal. Octobris ejusdem an. adfuit dedicationi ecclesiæ Gerundensis, Urgellensis an. 1040. & Arulensis XVII. cal. Decembris anno 1046. Memoratur & anno 1043. 17. Martii in concilio Narbonensi, ex actis capituli Carcassonensis, necnon in alia synodo in qua Guifredus Narbonensis archipræsul sua & multorum episcoporum auctoritate privilegia concessit ecclesiæ S. Michaelis Fluvianensis, quando videlicet consecrata fuit an. 1045. Consecravit eodem anno rogatu Guifredi Narbonensis archiepiscopi ecclesiam monasterii S. Martini de Lenis tunc in diœcesi Narbonensi nunc in Electensi. Idem videtur esse Guifredus qui concilio apud S. Tiberium celebrato 1050. idibus Julii postea subscripsit. Locum habet inter præsules, qui sederunt in concilio Narbonensi an. 1054. indict. VII. epacta IX. concurrente V. octavo calendas Septembris. Denique ad annum saltem 1058. protrahendus esset Guifredi præsulatus, si non fallit chronica nota instrumenti in appendice Marcæ Hispan. col. 1117. relati, quo apud Helenensem ecclesiam IV. idus Decembris anni memorati Berengarius Helenensis episcopus villam Salellas eidem ecclesiæ contulit, præsentibus Guifredo Narbonensi, Berengario Gerundensi & Guifredo Carcassonensi præsulibus, qui omnes decreverunt excommunicationem adversus eos, qui hanc villam Helenensibus canonicis eripere conarentur. At suspicandi errorem in anno, præter alia momenta, quæ in Helenen. episc. exponemus, præbet ansam indictio VI. ipsimet instrumento præfixa, quæ certe non convenit an. 1058. adeo ut Baluzius loco citato pro VI. substituerit XII. Sed quidni etiam nos substituamus annum 1053. vere præditum indictione VI.

ANNI CHRISTI 1031. 1032. *T. 9. conc. col. 932. T. 7. vet. script. col. 57.* 1035. *Marc. Hisp. col. 438.* 1038. 1040. 1046. *T. 9. conc. col. 938. & 943.* *Ibid. col. 1042.* *Ch. V. col. 105.* *Marc. Hisp. col. 1088.* *Ibid. col. 447.* 1054. *T. 9. conc. col. 1072.*

XX.

ANNI CHRISTI

XX. Petrus I.

Unum obstat quominus Petrum Carcassonensem episcopum, qui ex Verdala dedicationi Magalonensis ecclesiæ interfuit, admittant nuperi rerum Occitanarum scriptores tom. 2. pag. 607. quia adhuc sedebat decessor Guifredus an. 1054. mense Augusto, ut diximus; sed quare hæc dedicatio, cujus tempus non notatur, anno æque exeunte 1054. aut ineunte 1055. peracta non fuerit, ac peractam velint vere anni 1054. non video. Is autem forsan est Petrus, de quo necrologium abbatiæ S. Germani Paris. ad IV. idus Nov.

XXI. Arnaldus I.

1056. Vere quidem interfuit Arnaldus episcopus concilio Tolosano anni 1056. at ex conjectura potius, quam ex certis monumentis Sammarthani tradunt fuisse Carcassonensem, cum ipsius sedes minime notetur in conciliis Labbeanis.

DE ROCHEFORT.

XXII. Bernardus I.

1072. Præerat Bernardus anno 1072. ut constat, inquiunt Sammarthani, ex titulo donationis cujusdam decimæ capitulo factæ per Adalbertum & Rodgarium. Memoratur B. episcopus Carcassonensis tempore Isarni episcopi Tolosani, in charta Rotgerii comitis Fossensis seu Fuxensis pro ecclesia sancti Poncii Tomeriarum & ejus abbate Frotardo. Edita est in appendice nostra. (Ch. VI. col. 81.) Obiit autem Bernardus episcopus Carcassonensis XII. calendas Novembris ex fragmento necrologii sancti Nazarii Carcassonensis; idem fortasse cujus sic meminit necrologium, testante chronico D. de Vic: *Obitus patrum nostrorum Simplicii, Raimundi Xatberti & Bernardi.*

ARTALDUS.

XXIII. Petrus II.

1077. Petrus episcopus Carcassonensis anno 1077. VIII. idus Decembris interfuit concilio Bisuldunensi celebrato ab Amato sedis apostolicæ legato, in quo Guifredus Narbonensis archiepiscopus excommunicatus est. 1078. Insequenti sedit in concilio Gerundensi habito ab eodem Amato Olorensi episcopo. 1080. Anno 1080. in comitiis generalibus Septimaniæ cum aliis episcopis sedens inmunitates ecclesiæ SS. Justi & Pastoris confirmavit. Eodem anno ex tabulis S. Pauli annuit donationi Petri se dicentis electum Narbonensem factæ hoc anno calendis Junii canonicis S. Pauli. 1083. Anno 1083. indictione VI. decimo cal. Augusti, Petro favente cum Geraldo episcopo Cadurcensi & Frotardo S. Poncii Tomeriarum abbate, Guillelmus comes Tolosanus, expulsis monachis, quos nuper injuste loco canonicorum in ecclesiam S. Saturnini introduxerat, canonicos restituit. Hic est haud dubie Artaldus, de quo legitur in fragmento necrologii ecclesiæ Carcassonensis: *III. nonas Septembris obiit pater noster Artaldus episcopus Carcassonensis.* Et certe in chronico D. de Vic notatur obitus Petri Artaldi episcopi Carcassonensis die 3. Sept. Vocatur autem simpliciter *Artallus* tom. VI. miscell. Baluzii pag. 437.

A

XXIV. Petrus III.

Petrum a Petro distinguit Gerardus de Vic ad annum 1085. in chronico. Et merito quidem: nam in martyrologio Montis olivi memoratur Petrus abbas hujus monasterii, cujus nulla post annum 1083. in archivis mentio, factus postea episcopus Carcassonensis: & alibi Petrus ex abbate Montis-olivi episcopus Carcassonensis regnante Philippo, quod de alio intelligi nequit Petro, qui proinde cum Poncio abbate S. Salvatoris firmavit donationem eidem ecclesiæ factam ab Ermengarda vicecomitissa, omnium decimarum B in cunctis dominiis suis, VII. cal. Junii feria secunda an. 1085. (1085.) Insequenti, VIII. idus Sept. (1086.) adfuit dedicationi ecclesiæ monasterii sancti Stephani Balneolensis in celebri episcoporum virorumque principum conventu. (Marca Hispanica col. 466.) Memoratur & anno 1087. (1087.) in charta S. Victoris Massiliensis, & 1088. (1088.) XIV. cal. Octobris in confirmatione unionis seu donationis B. Mariæ de Monachia factæ S. Victori Massiliensi. (Baluz. conc. Narb. pag. 82.) Petrum episcopum eodem anno instituisse regulares clericos tam in ecclesia S. Nazarii, quam & in aliis duabus ejusdem civitatis, colligitur ex bulla Urbani II. quæ sic habet in appendice charta XXIII. col. 431. C *Urbanus episcopus &c. Dilecto fratri Petro Carcassonensi episcopo salutem, &c. Petitionis tuæ justitiam agnoscentes, institutionem regularium clericorum, quam tuæ prudentiæ sollicitudo apud matricem ecclesiam S. Nazarii, & apud ecclesias sanctæ Mariæ,*[a] *seu B. Stephani, Domino cooperante, disposuit, præsentium litterarum auctoritate firmamus, &c. Datum Mediolani XII. cal. Junii anno 1088.* Adfuit Petrus concilio Tolosano XIII. cal. Aprilis anno 1090. (1090.) & Narbonensi 20. Martii anno 1091. Recensetur anno 1093. (1093.) in instrumento S. Saturnini apud Tolosam, quo, satagentibus Isarno Tolosano, Simone Aginnensi, & Petro Carcas- (Catel. hist. comit. Tolos. pag. 125.) D sonensi episcopis facta est compositio inter canonicos S. Stephani & canonicos S. Saturnini pro sepultura comitum Tolosanorum, quæ postremis asserta fuit. (Chron. de Vic pag. 64.) Donatur eidem Petro episcopo & canonicis ecclesia S. Saturnini de Vales prope Miravallem in Cabardesio, cum primitiis, decimis & cœmeteriis an. 1094. XIV. cal. Aprilis. Insequenti 1095. (1095.) XI. calend. Octobris una cum Frotardo S. Poncii Tomeriarum abbate litem composuit Petrus Isarnum inter Caunensem abbatem, & Guillelmum Segerium, de castro Ventajonensi. Vide Marc. Hisp. col. 1077. & Catellum hist. comitum Tolosæ pag. 126. & 127. E Insequenti anno ex Sammarthanis, Urbanus II. (1096.) papa Carcassonam ingressus 11. Junii cathedralem basilicam benedixit: qua de re sic lego in codice ms. Carcassonensi: *Anno Dominicæ Incarnationis MXCVI. IV. indictione feria IV. Urbanus papa Carcassonam ingressus, & missas ibidem celebravit, vivos & defunctos benedicens absolvit, etiam*

[a] Hæc ecclesia B. Mariæ in suburbio Carcassonæ aliquando dicta *de Abbatia*, fovisse primum monachos videtur, quibus a regula deficientibus canonicam effecit Petrus episcopus in ea clericos regulares instituens; tum post varios casus parochialis evasit, tandemque cessit patribus Capucinis. Ecclesia vero S. Stephani modo destructa matrici ecclesiæ adjuncta fuit. Ita Stephanotius noster tom. XII. fragmentorum.

Kkk

ANNI CHRISTI

ecclesiæ B. Nazarii saxa benedixit, & subsequenti A *sexta feria super B. Mariæ semper virginis, sanctique Salvatoris altare missas celebrans sermonem nobis fecit, cœmeterium propriis manibus salis aspersione absolvit, & sic diebus quinque nobiscum commorans, vivis ac defunctis consignatis, cum laude & gratiarum actione discessit.* Nonnullæ donantur ecclesiæ Petro ipsiusque canonicis anno 1099. regnante Philippo rege. In his ecclesia B. M. de Edera, eo pacto, ut episcopus & canonici inibi canonicos locare teneantur, qui regulariter vivendo ibidem Deo serviant, alioquin nulla est donatio. Anno sequenti æra centesima trigesima octava III. idus Nov. adfuit Petrus & cooperatus est dedicationi B ecclesiæ villæ Bertrandi in diœcesi Urgellensi. Denique in tabulis S. Aniani Petrus Carcassonensis, Isarnus Tolosanensis, Arnaldus Biterrensis, & Gaufridus Magalonensis episcopi, necnon Aimericus vicecomes (Narbonensis) Bernardus de Narbona, & alii probant atque consentiunt ut Bertrandus Narbonensis archiepiscopus, ejusdemque sedis canonici abbatiam S. Aniani reditibus suis a sæcularibus hominibus spoliatam, & ab honestate sanctæ regulæ seclusam Petro S. Poncii Tomeriarum abbati ejusque fratribus restaurandam committant. *Datum XIV. cal.* Aprilis an. ab Incarnatione Domini MCI. De Petro hæc le- C guntur in necrologio Montis olivi apud Stephanotium nostrum: *Calendis Septembris obiit Petrus episcopus. . . . . Iste Petrus episcopus fuit abbas istius monasterii.*

1099. *Chron. de Vic pag. 64.*

1100. *Marc. Hisp. col. 476. & card. Daguirre t. 3. conc. pag. 314.*

1101. Ch. VIII. col. 82.

BERNARDI.

XXV. GUILLELMUS I.

Præsens memoratur Guillelmus episcopus, quando Arnaldus Guillelmi capitulo dedit sacristiam & cœmeterium in ecclesia de Edera, nonis Novembris feria secunda Philippo regnante, hoc est anno 1106. Idem cognominatus *Bernardi* & Sifredus Bernardi archidiaconus pignori tradidere totam leudam Carcassonis, sive jus epi- D scopo & capitulo competens exigendi tributum in res omnes, quæ transeundo Carcassone transvehuntur: facta charta IV. nonas Augusti VI. feria regnante rege Philippo, hoc est 1107. Ejus obitus dies notatur his verbis in necrologio ecclesiæ Carcassonensis: *IV. idus Augusti obiit pater noster W. Bernardi episcopus Carcassonensis.* Gerardus de Vic in chronico pro IV. idus habet V. id. seu 9. Augusti.

1106.

1107.

XXVI. RAIMUNDUS I.

Initæ concordiæ Richardum inter archiepiscopum Narbonensem & Bernardum Atonis vice- E comitem Biterrensem circa 1107. testis est Raimundus. Subscripsit etiam regnante Philippo rege, ac proinde anno saltem 1108. chartæ donationis, seu cessionis cujusdam ecclesiæ factæ monasterio Montis olivi calendis Novembris. Denique reperitur anno 1110. in veteri charta ecclesiæ Narbonensis. Fortasse hic est Raimundus, qui XIII. calendas Novembris memoratur in fragmento necrologii ecclesiæ Carcassonensis, cum *Xatberti* cognomento, in chronico Gerardi de Vic pag. 297.

Ch. XXXV. col. 31.

1108. *T. 5. annal. Ben. p. 461.*

1110.

XXVII. ARNALDUS II.

ANNI CHRISTI DE GIRONNE.

1113.

Fit Arnaldi mentio in instrumento ecclesiæ Carcassonensis anni 1113. quo Bernardus Atonis, Cecilia conjux & eorum liberi Rogerius ac Raimundus cedunt episcopatui Carcassonensi quidquid eidem abstulerant, injustam scilicet vindicationem in bona hujus ecclesiæ, & maxime defuncti episcopi bonorum usurpationem, consentiuntque ut omnes ejusdem res duorum archidiaconorum custodiæ cedant, reddendæ successori, nonnullis exceptis, quæ testamento legaverit. *Actum V. nonas Maii die Sabbati an. Christi 1113. anno quinto Ludovici regis, præsidente domino ac venerabili præsule Arnaldo in sacra S. martyris Nazarii sede: nobilissimo ac serenissimo hujus sanctissimæ atque venerandæ sedis conventu ibidem degente, scilicet Bernardo archidiacono, & quam plurimis aliis ibidem canonice viventibus, simul convocatis multis ex honoratioribus urbis Carcassonæ.* Anno 1115. pridie non. Oct. interfuit consecrationi ecclesiæ B. Mariæ de Cassiano diœcesis Biterrensis, ex tabulis ejusdem ecclesiæ. Eodem anno una cum canonicis dedit Petro Ferreoli ejusque fratribus terram S. Nazarii in terminio S. Michaelis excolendam, iique vicissim primitias & quartam ac decimam fructuum partem spoponderunt mense Jul. regnante Lodoico rege, ex tabulis ecclesiæ Carcassonensis. Paschalis II. papa pontificatus anno XVI. pridie calend. Aprilis indict. VIII. Arnaldo episcopo & successoribus ejus Carcassonensis ecclesiæ possessiones laudavit & confirmavit. Anno 1117. fuit Arnaldus sequester compositionis Richardum inter archiepiscopum Narbonensem & Hugonem abbatem S. Pauli, ex tabulario capituli Narbonensis. Adfuit anno 1119. concilio Tolosano quod habuit Calixtus II. papa, & an. 1120. epacta XVIII. concurrente IV. nono cal. Septembris feria tertia memoratur Arnaldus episcopus cum Richardo Narbonensi antistite. Sententiam tulit una cum Bernardo Ferrando, qua molendina quædam cœnobio Montis olivi contra Raimundum Poncium comitem Tolosanum ejusque filios asserta sunt an. 1123. XVIII. cal. Oct. regnante Ludovico rege, ex tabulario hujus monasterii. Testis laudatur anno 1125. donationis ecclesiæ de Oviliano factæ a Raimundo Berengario fratri suo Berengario, ex tabulario capituli Narbonensis. Insequenti una cum aliis episcopis factus est arbiter transactionis Amelium inter episcopum Tolosanum & Berengarium vallis Sigerii abbatem. Anno 1127. XI. cal. Novembris Luna XIV. feria VII. epacta XVII. fuit alter judicum & arbitrorum controversiæ inter Elisiarium, Engeliardamque conjuges, & Arnaldum abbatem sancti Tiberii. Testis est anno 1129. in concilio Narbonensi donationis ecclesiarum de Oviliano, de Rivo, de Alamano & de Beliano factæ capitulo Narbonensi ab Arnaldo ejusdem sedis archiepiscopo, & X. calendas Febr. ejusdem anni in charta Petri episcopi Helenensis nonnulla Helenensi canonicæ tradentis. Anno 1130. III. cal. Junii, præsentibus domina Cecilia vidua Bernardi Atonis vicecomitis, Rogerio ac Raimundo filiis ejus,

1115.

Ch. VIII. col. 134.

Ch. XXV. col. 343.

1117.

1119. Ch. VIII. col. 109.

1120.

1123.

1125.

1127.

1129.

Marc. Hisp. col. 1268.

1130.

ANNI CHRISTI

socer ac gener cum suis in Arnaldi episcopi manu & potestate dederunt canonicis S. Nazarii sedis Carcassonensis omne jus sibi competens in ecclesia vel pago de Edera & in aliis locis. Arnaldi temporibus, aiunt Sammarthani, civitas ab Atone Carcassonensi comite oppugnata fuit, & a civibus strenue per triennium defensa: qua de re sic lego in codice ms. bibliothecæ D. de Rignac: *Anno 1120. epacta XVIII. concurrente IV. Carcassona negata est vicecomiti Bernardo & * hominibus ejusdem urbis die IX. cal. Septembris feria tertia, regnante Ludovico, præsidente in cathedra Romana Calixto papa, archiepiscopo Narbonensi Richardo, episcopo Carcassonensi Arnaldo Gerundensi. Reddita vero fuit anno.* . . . . Fit Arnaldi mentio VI. nonas Octob. & X. cal. Novemb. in necrologio ecclesiæ Carcassonensis, ac pridie nonas Sept. vel etiam 2. Sept. in necrologio Montis olivi.

* ab.

XXVIII. RAIMUNDUS II.

Cognominatur *Sorecenis* a Martennio anno 1131. quo, inquit, IV. idus Junii feria quarta, *Raimundus Sorecenis in episcopatu Carcassonæ noviter electus*. Subscripsit diplomati Ceciliæ vicecomitissæ & filiorum ejus Rogerii Trincavelli atque Bernardi tradentium Arnaldo Narbonensi archiepiscopo castrum de Corneliano cum suis omnibus munitionibus. Anno sequenti nonis Decembris indict. XI. * epacta XII. concurrente V. una cum Bernardo Biterrensi & Johanne Nemausensi præsulibus adstitit Arnaldo Narbonensi archiepiscopo ecclesiam S. Martini de Creissano consecranti, ex tabulario capituli Narbonensis. Nominatur in donatione primitiarum, decimarum, & aliorum jurium ecclesiæ S. Saturnini *de Vales* facta ecclesiæ S. Nazarii a Raimundo de Duroforti & aliis, VI. idus Octobris feria tertia, regnante Ludovico rege anno 1133. ex tabulis ecclesiæ Carcassonensis. Adfuit anno sequenti concilio Narbonensi, quod Arnaldus archiepiscopus in sua ecclesia celebravit. Eodem anno VI. calendas Aprilis feria III. Xatmarus de Goginco pergens ad S. Jacobum, Arnaldo episcopo præsente, profitetur pœnitens coram Deo quædam allodia pertinere ad ecclesiam S. Nazarii Carcasson. Fuit præsens definitioni controversiæ quæ vertebatur inter ecclesiæ suæ canonicos, & quosdam usurpatores prati, quod vocatur *Ferchale*, in terminio de Cavanaco, IV. idus Julii feria IV. anno 1139. Lodoici regis anno secundo. Insequenti interfuit concilio Narbonensi; at tandem vivere desiit Raimundus episcopus anno 1141. cal. Junii, ex codice ms. 2242. biblioth. Colbert. & ex antiquo ecclesiæ Carcass. necrologio.

1131. 1132. * inchoata a mense Sept. Ch. XXXIX. col. 36. T. X. conc. col. 989. 1133. 1134. 1139. 1140. 1141.

Quod ad Gaufridum spectat, qui primus ante Gaufridum archiepiscopum Bituricensem subscriptus legitur diplomati Ludovici VII. regis pro parthenone B. Mariæ Santonensis dato an. 1140. indict. III. epacta nulla his verbis: *S. Gaufridi Carcassonensis episcopi, S. R. E. legati*, dicendum apographum D. Stephanotii nostri in antiquitatibus Santonensibus mendosum esse, ut liquet ex subscriptione Josleni, qui pro Suessionensi legitur Senonensis episcopus. Eadem ratione pro Carcassonensi legendus Gaufridus Carnotensis episcopus, qui tunc revera temporis legati in Francia munere fungebatur.

XXIX. PONCIUS I.

DE TRESMALS

Ab originis loco Poncius appellatus de Tribus malis *de Tresmals*, non *de Tresbes*, ut habent Sammarthani, occurrit episc. Carcassonensis an. 1142. Ejusdem fit mentio in judicio lato Narbonensem inter archiepiscopum & homines de Capite stagni anno 1145. Eodem, seu potius 1146. IV. cal. Aprilis feria sexta, præsentia sua & auctoritate laudavit firmavitque donationem allodii Judaici in terminio de Mildars & de Goginco a duobus fratribus cum uxoribus & liberis capitulo factam. Anno eodem 1146. IV. cal. Julii Rogerius vicecomes & Bernarda uxor ejus Poncio episcopo & canonicis S. Nazarii jura quædam relaxarunt, ex regio tabulario Carcassonensi. De consensu ejusdem Poncii Rogerius filius Ceciliæ munificum se præbuit hoc ipso anno VII. calendas Julii erga monasterium Montis olivi & Bernardum ejus abbatem. Anno 1148. seu potius 1149. regnante rege Ludovico XI. cal. Aprilis feria tertia, Arnaldus de Laurano huic præsuli & ecclesiæ S. Nazarii capitulo cessit quidquid jure vel injuria sibi vindicabat in filium Bernardi Frederici de Villa alba. Memoratur an. sequenti cum Bernardo abbate vallis Sigerii, in charta Fuxensis castri; quo etiam anno feria VI. * XI. Augusti testis habetur in testamento Rogerii vicecomitis Biterrensis. Subscripsit Poncius 1152. pridie cal. Novemb. feria VI. tabulis Petri & Petronillæ, quibus cum liberis offerunt ac donant Petrum filium Deo ac sedi S. Nazarii in canonicum ibidem Deo serviturum. In chartis Fuxensibus occurrit eodem anno 1152. * feria III. VII. idus Aug. & 1153. feria III. XVI. cal. Julii, quo sententiam tulit de discordia mota inter Raimundum Trincavelli & ejus fratres. Obtinuit anno sequenti ab Anastasio IV. rescriptum Laterani datum nonis Aprilis, quo pontifex precibus canonicorum regularium ecclesiæ Carcassonensis confirmat institutionem, quam Petrus quondam episcopus Carcasson. in ecclesia S. Nazarii & aliis disposuerat. Exstat hæc bulla in chronico de Vic pag. 71. quam Adrianus IV. Anastasii successor eodem anno pontificatus I. confirmavit. Pepigit idem episcopus anno 1155. cum G. abbate S. Aniani pro ecclesia sancti Stephani de Caprareтis, quam quidem Adrianum IV. pontificem eidem contra prædictum abbatem asseruisse bulla data X. * cal. Januarii legimus in regio Carcassonensi tabulario. Denique Poncius episcopus dedit ecclesiæ suæ parochialem ecclesiam S. Johannis Evangelistæ de Preixano &c. hoc pacto ut tunc & in perpetuum singulis Sabbatis officium B. Mariæ celebraretur, & in die obitus sui anno quolibet recurrente officium seu vigiliæ defunctorum & missa, cum alimonia præbenda tredecim pauperibus christianis persolverentur, anno 1156. septima feria decimo * calendas Maii. Obiit Poncius episcopus anno 1159. III. idus Febr. ut constat ex ipsius epitaphio, quod in veteri necrologio

1142. 1145. 1146. Ch. XXVII. col. 436. 1149. 1150. T. 1. Anecd. Marten. col. 411. * al. feria VII. pridie idus, hoc est 12. Aug. Prob. t. 2. hist. Occit. col. 531. * Prob. t. 2 hist. Occit. c. 542. lege 1151. aut, pro feria III. lege V. 1153. 1155 * al. VIII. 1156. * l. XII. 1159.

ANNI CHRISTI

nunc in bibliotheca viri clarissimi Stephani de Rignac in Monspeliensi subsidiorum curia senatoris legitur his verbis: *III. idus Febr. obitus patris nostri Poncii Carcassonensis episcopi.*

Nobilis antistes & Christi clare symystes
Undena Februi mensis sub luce secundi
Migras milleno divini luminis anno
Ter quinquageno, numeroque trias triplicato.

XXX. Poncius II.

[DE BRUGAL.]

Ut duos Poncios admittamus, faciunt epitaphium primi mox allatum, diversumque utriusque cognomen. Hic enim cognominatur de Brugali in charta Fuxensi anni 1163. XII. cal. Oct. feria septima *; idem ex Baluzio in notis mss. ad ecclesiam Carcassonensem, qui Narbonensis archidiaconus erat anno 1145. & abbas S. Antonini Fredalacensis annis 1162. & 1165. ex codice ms. archivi regii Fuxensis, testante Baluzio. Sane hic Poncius liquido distinguitur a primo in veteri membrana ecclesiae Carcasson. quae sic habet: *Anno 1159. Incarnationis Dominicae, septima feria 2. cal. Novembris rege Ludovico regnante, civitati, quae dicitur Carcassona, R. proconsule dominante, ejusdem civitatis ecclesiam Poncio post alium Poncium episcopum disponente.* Carcassonae placitum habuit Raimundus Trincavelli proconsul, seu vicecomes Biterrensis de controversiis, quae erant inter Hugonem Escafredi & fratres, atque Isarnum Jordani & illius fratrem eorumque nepotes, pro castris de Monte regali & de Sexaco, in quo Poncium Carcassonensem episcopum assessorem habuit feria secunda pridie nonas Novembris an. 1163. eodemque anno pridie idus Decembris in alio placito de controversia inter Raimundum de Terminio & Guillelmum fratrem ejus pro castro de Terminio, ex chartis Fuxensis castri; in quarum etiam altera mense Junio anni 1165. Arnaldo abbati S. Laurentii de Comba longa permisisse legitur eligere locum in silva Bolbona ad aedificandam ecclesiam & quasdam aedes. Poncius interfuit anno sequenti XVI. calend. Augusti feria I. confirmationi prioratus Salellae Cluniaco factae a Berengario de Salella. Eodem anno cum aliis episcopis fuit arbiter pacis & concordiae Narbonensem inter archiepiscopum & Gaucerandum de Capite stagni. Ex quibus colligitur Poncium perperam mortuum dici a Sammarthanis anno 1165. ex martyrologio, inquiunt, Carcassonensi. Dies obitus ejus notatur in necrologio Montis olivi IV. nonas Februarii, & in chronico Gerardi de Vic III. nonas seu 3. Februarii.

[Prob. t. 2. hist. Occit. col. 597. — * l. VI. — 1163. — 1165. — 1166.]

Hisce temporibus haeretici crearunt in conciliabulo Peliciensi in oppido sancti Felicis de Carman quinque leucis Tolosa distante episcopum Carcassonensem Giraldum Mercerium an. 1167. ex notis Johannis Jacobi Percin in historia Tolosani conventus fratrum Praedicatorum pag. 1. notarum in concilia, ubi vide, duosque alios episcopatus constituerunt, Tolosanum & Aranensem, quibus tribus dioecesibus tota late comprehensa est regio, quae Albigensium veneno infecta jacebat.

[Pseudo-episcopus.]

XXXI. Otho.

E praeposito & sacrista sancti Nazarii Carcassonensis, quibus Otho dignitatibus praefulgebat anno 1165. successit Poncio in episcopali anno saltem 1170. quo donum Rogerii proconsulis Biterrensis & Carcasson. comitis factum canonicis S. Salvatoris Carcasson. approbavit V. cal. Julii, ex tabulario civitatis. Anno 1173. ejusdem Rogerii donum canonicis sancti Nazarii factum confirmavit, ex eodem tabulario. Altare B. Mariae in ecclesia B. Nazarii sedis Carcasson. fundatum consecravit an. 1177. VIII. idus Maii die Dominica. Adfuit anno 1179. Lateranensi concilio, ex quo redux dedit anno sequenti Raimundo abbati Villae longae ecclesiam S. Johannis & B. Mariae Villae longae. Anno 1181. seu potius 1182. XI. cal. Febr. feria sexta ecclesiam sancti Hilarii de Cazilhaco cum decimis & oblationibus univit sacristiae cathedralis ecclesiae S. Nazarii, cum assensu & consilio Raimundi archidiaconi & sacristae, Berengarii archidiaconi & prioris B. Mariae, &c. Insequenti 1183. cal. Martii feria IV. *lege* III. regnante Philippo rege, Udalguerius de Punciano sese obtulit Deo, S. Nazario, Othoni episcopo & canonicis, ut ipse canonicus esset, illisque omnem restituit honorem, quem apud Talabois usurpaverat, quidquid vero in comitatu Reddensi & in episcopatu Tolosano possidebat Rogerio Biterrensi (vicecomiti) dedit, ex tabulario Carcassonensi. Eodem anno IV. cal. Maii Otho dedit Guillelmae abbatissae & monasterio Rivi nitidi ecclesiam, primitias, decimas, justitias & omnia jura quae illic habebat, sub annuo censu unius librae cerae albae sacristae Carcassonensi persolvendo ex chartario Rivi nitidi. Testis est an. sequenti Sabbato mensis Aprilis in charta Rogerii vicecomitis in gratiam civium Carcassonensium. Sub eodem episcopo Rogerius Biterrensis vicecomes & comes Carcassonensis, Albiensis, &c. dedit Alfonso filio Alfonsi Aragonum regis, comitis Barcinonensis & marchionis Provinciae, aut alteri filiorum ejus, si prior non esset superstes, omnes civitates, burgos, castella, urbes, episcopatus, abbatias, prioratus & alias possessiones, eumque in filium adoptavit, memor defensionis sibi ab rege Aragonum impensae adversus hostes, qui eum bonis omnibus spoliare tentaverant. *Actum anno MCLXXXV.* ex regio tabulario Carcassonensi; quae idcirco adnotamus, ut liqueat quam in ecclesias auctoritatem sibi vindicaret hic princeps. Anno 1188. cum aliis episcopis laudavit Otho & confirmavit coenobio Fontis frigidi factam eidem a Bernardo Narbonensi archiepiscopo venditionem. Celebris coram ipso & Rogerio vicecomite Biterrensi agitata est controversia canonicos inter ecclesiae cathedralis & cives Carcassonenses pro decimis hortorum an. 1191. die 2. Novembris feria VII. ex Catello commentariorum Occitaniae pag. 641. Rogerius vero summa cum Othone episcopo amicitiae necessitudine conjunctus testamentum suum Othonis sigillo muniri voluit, factum XVI. cal. Aprilis feria V. anno 1193. seu potius 1194. Editum est inter

[ANNI CHRISTI — 1170. — 1173. — 1177. — 1179. — Ch. XXXIV. col. 440. — 1182. — 1183. — Ch. XXXV. col. 441. — 1185. — 1188. — 1191. — 1194.]

ANNI CHRISTI 1197.

probationes historiæ domus Arverniæ pag. 500. Anno 1197. feria secunda VI. calendas Martii obligationem per præpositum Villæ albæ contractam firmavit. Obitus ejus notatur VIII. idus Decembris in necrologio Carcassonensis ecclesiæ, & nonis Decembris in necrologio monasterii Cassiani.

XXXII. Berengarius I.

Othonis nepos Berengarius erat archidiaconus S. Nazarii Carcassonensis an. 1191. & episc. ac prior B. Mariæ, & Villæ albæ, necnon Goginchi præpositus anno saltem 1201. quo causa duorum de abbatia Electensi contendentium discutienda ei commissa fuit, ut ibidem supra diximus. Anno 1202. Petro Baldomarii tres terræ portiones sub certis conditionibus dedit. Memoratur episcopus Carcassonensis an. 1204. in veteri membrana ecclesiæ Carcassonensis, testante Baluzio. Recensetur eodem an. non. Sept. inter canonicos S. Pauli Narbonensis in charta Petri ejusdem ecclesiæ abbatis suo capitulo dantis totam decimam vinearum clausi sacristiæ majoris, ex tabulario S. Pauli. Eodem anno 1204. IV. idus Octob. testis habetur in charta Berengarii archiepiscopi Narbonensis suo capitulo benefacientis, ex tabulario hujus capituli. Anno 1206. feria tertia, IV. calendas Septembris regnante rege Philippo, consilio, assensu & voluntate Guillelmi Raimundi archidiaconi & Bernardi archipresbyteri contulit ecclesiam de Verzellano Willelmo de sancto Fulcone clerico. Reperitur & an. 1207. in chronico Gerardi de Vic Berengarius episcopus, qui tandem ex urbe Carcassona ab hæreticis Albigensibus ejectus fuit, cum incolis prædicaret Deum illis pœnam infidelitatis præparare expugnationem urbis a Cruce signatis. Huc enim referenda sunt verba Petri Vallium Cernaii monachi cap. 16. hist. Albig. ex quo sequentia depromsimus.

(1201. 1202. 1204. 1206. 1207.)

Capta & destructa civitate Biterrensi, proposuerunt nostri recto gressu tendere Carcassonam: cives etenim Carcassonenses pessimi erant hæretici, & peccatores coram Domino nimis. Audiens autem vicecomes quod nostri ad obsidendam tenderent Carcassonam, milites quoscumque potuit adunavit, seque cum eis in Carcassonam recipiens, præparavit se ut contra nostros defenderet civitatem. Nec silendum quod cives Carcassonenses pessimi & infideles, refectorium & cellarium canonicorum Carcassonensium, qui erant canonici regulares, ipsa etiam stalla ecclesiæ, quod execrabilius est, destruxerunt, ut muros civitatis inde munirent. Civitas autem Carcassona in montis cujusdam supercilio posita duplici suburbio cingebatur, quorum utrumque munitum erat muris pariter & fossatis, &c. His gestis consilium habuerunt nostri quomodo caperent civitatem; animadvertentes autem quod si facerent hîc sicut in Biterrensi factum fuerat civitate, destrueretur civitas, & omnia bona quæ in ipsa erant consummarentur, ad consilium baronum tractatum est de pace in hunc modum. Ordinatum est quod omnes egrederentur nudi, & ita evaderent, vicecomes autem in custodia teneretur. Egressi sunt ergo omnes nudi de civitate nihil secum præter peccata portantes. Tunc adimpletum est, quod dictum fuerat per venerabilem virum Berengarium, qui fuerat episcopus Carcassonæ. Hic cum quadam die in civitate sua prædicaret, civibusque, sicut solitus erat, hæresim improperaret, noluerunt eum audire: quibus ille, vos me audire non vultis, credite mihi, ego tantum mugitum emittam contra vos, quod a remotis mundi partibus venient qui destruent villam istam. Certissime autem sciatis, quod si ferrei & altissimi essent muri civitatis istius, non possetis vos defendere, quin pro vestra incredulitate & malitia, condignam recipiatis a justissimo judice ultionem. Propter hæc & his similia, quæ eis vir sanctissimus intonabat, quodam tempore expulerunt eum dicti cives de civitate, inhibendo præconis voce districtissime, & sub pœna gravissima ultionis, ne quis in emendo vel vendendo sibi vel suis auderet in aliquo communicare. De tempore, quo hæc peracta sunt, legitur in veteri necrologio ecclesiæ S. Nazarii Carcasson. *XI. cal. Augusti anno 1208. destructa est civitas Biterris, & XVIII. cal. Octob. anno 1209. fuit reddita Carcassona Crucesignatis.* Mortuus est Berengarius X. calendas Novembris, ex necrologio ecclesiæ Carcassonensis.

XXXIII. Bernardus Raimundi.

DE ROCHEFORT.

Fratrem habuit Bernardus Raimundi Willelmum de Rupeforti nobilem dynastam, sed Albigensium pertinacissimum propugnatorem, de quo variis in locis Petrus Vallium Cernaii monachus. Ex archidiacono & Montis longi præposito, necnon ecclesiæ Carcassonensis canonico, jam dicitur electus anno 1208. feria V. XIV. cal. Aprilis. hoc est 1209. præsens, cum Isarnus de Aragone tradidit ecclesiam de Limoso monialibus Prulianis. Memoratur anno 1210. in chronico Gerardi de Vic, & anno 1212. pridie cal. Maii B. episcopus Carcass. testis laudatur in charta A. Narbonensis archiepiscopi ecclesiam de Cuxiaco cum aliis nonnullis Narbonensi S. Justi ecclesiæ restituentis. Anno 1215. seu 1216. I. feria pridie calendas *lege* III. cal. Martii tanquam Villæ albæ præpositus excepit hominium Guillelmi militis de Caunis, ex chronico Gerardi de Vic. Hic autem præsul strenuam pro Crucesignatorum exercitu operam impendit, uti videre est cap. 42. hist. Albigensium. *Cum rediisset marescallus ad comitem, ipsum enim miserat, ut cum Raimundo loqueretur, consulit episcopus Carnotensis, quod marescallus ducat secum episcopum Carcassonensem qui erat in exercitu, eo quod erat indigena & notus carnifici: insuper mater ejus quæ erat pessima hæretica, esset in castro, & frater ipsius episcopi nomine Guillelmus de Rupeforti, de quo supra fecimus mentionem. Iste Guillelmus erat crudelissimus, unusque de pejoribus pro posse suo ecclesiæ inimicis. Venientes igitur dictus episcopus & marescallus iterum ad Raimundum, verbis preces, precibus minas addunt, instantissime laborantes, ut tyrannus eorum consiliis acquiescens, secundum modum quem supra diximus, reddat se comiti nostro, imo Deo; sed quem marescallus durum invenerat, obstinatum in malitia sua, episcopus Carcassonensis & marescallus modo inveniunt duriorem. Noluit etiam sustinere supradictus*

(1209. 1210. — Tom. VI. vet. script. Marten. col. 439.)

ANNI CHRISTI

Raimundus, ut episcopus cum fratre Guillelmo secretius loqueretur: nihil igitur proficientes episcopus & marescallus ad comitem revertuntur.

Hinc profecto mirari subit quod cum Bernardum multis incommodis & defectibus præpeditum officii sui curam resignare velle Innocentius III. pontifex didicisset, statim episcopo Uceticensi sedis apost. legato mandaverit, ut cessionem ipsius accipiens illum a cura ecclesiæ Carcassonensis absolveret, &c. Datum XVII. cal. Maii pontificatus anno quarto decimo. Pontifici forsan ob fratrem ejus infensissimum ecclesiæ hostem suspectus fuit. Itaque de Bernardo Raimundi intelligendum videtur quod de anonymo quondam episcopo Carcassonensi legitur fol. 4. reg. cur. Franc. & in codice mſ. 2422. biblioth. Colbert. fol. 100. his verbis: *Anno XVII. pontificatus Innocentii III.* (hoc est 1214.) *XVI. cal. Maii Rogerius comes Convenarum hæresim Albigensium abjuravit in ædibus archiepiscopi Narbonensis coram P. Diacono cardinali tit. S. Mariæ in Aquiro, testibus* S. Mariæ *episcopo & quondam episcopo Carcassonensi, comite Sancio & comite de Fuxo, necnon abbatibus S. Poncii Niciensis, & Aletensi;* ac fol. 71. similis abjuratio facta legitur a comite Fuxensi coram iisdem testibus; ac iterum a Tolosæ consulibus, VII. calend. Maii ejusdem anni, adstantibus iisdem qui supra, præter Electensem abbatem, cujus loco ponitur abbas Crassensis. Et certe Bernardus Raimundi quondam episcopus Carcassonensis anno 1217. arbiter sententiam tulit in gratiam Arnaldi Narbonensis archiepiscopi adversus Guillelmum priorem de Salella, ex tabulario Moissiacensi. Exstat in chronico Gerardi de Vic compromissum ejusdem anni ac mensis Maii in duos abbates, nempe S. Jacobi Biterrensis & Caunarum diœcesis Narbonensis, Guidonem inter Dei gratia Carcassonensem episcopum, ex una parte, & Bernardum renunciatum quondam episcopum Carcassonensem, & Johannem (*lege* Isarnum) ac Bernardum archidiaconos, Raimundum archipresbyterum, Bernardum sacristam, Raimundum præcentorem, ac universos ecclesiæ Carcassonensis canonicos ex altera parte. Ex chartis Pruliani monasterii ab Arnaldo Narbonensi archipræsule rogatus B. episcopus Carcassonensis sexto cal. Decembris an. 1218. ut quam Alboinus S. Hilarii abbas ecclesiam S. Martini de Limoso Prulianis sanctimonialibus abstulerat restitui curaret, an. sequenti idibus Aprilis hanc restitutionem procuravit. Memoratur in iisdem tabulis B. episcopus Carcassonensis an. 1220. Eodem, VIII. idus Julii Bernardus Dei gratia Carcasson. episc. abbati Villæ longæ & conventui ejusdem ecclesiæ medietatem decimarum villæ S. Martini olim laicis pertinentem ad construendam ecclesiam & officinas ejusdem loci in perpetuum assignavit, ut habetur in charta ad calcem hujusce voluminis excusa; ex qua potissimum colligitur Bernardum ad hoc tempus visum Carcassonensem ecclesiam regere: quem & episcopum agnitum fuisse ab ecclesiæ suæ canonicis docet ipsorum charta, qua proximam ejus donationem ratam habent eodem anno idibus Septembris, in hæc verba: *Universis Christi fidelibus, &c. notum facimus universitati vestræ, quod nos donum illud quod dominus Bernardus Raimundi tunc episcopus noster fecit abbatiæ Villæ longæ, &c.* Quin etiam cives Carcassonenses an. 1226. XVI. cal. Julii illum habuisse pro episcopo liquet ex ipsorum litteris ad regem de suo erga eum obsequio, quas rogant venerabilem D. B. R. & capitulum Carcassonæ, ut cum sigillorum suorum munimine corroborent. Sic autem in charta an. 1224. exarata de se ipse loquitur: *Ego dominus Bernardus Raimundi quondam episcopus ac præpositus Montis longi per me & per omnes successores meos dono tibi Bernardo Raimundi baroni filiolo meo, &c.* Ad hunc modum in Crassensi tabulario legitur Gaubertus de Fontibus clientelarem fidem pro omnibus quæ possidebat in villis S. Mariæ de Fontibus & S. Felicis de Pediliano diœcesis Elnensis præstitisse Benedicto abbati Crassæ cal. Julii an. Christi Incarnationis MCCXXIX. testibus Bernardo Raimundi quondam episcopo Carcassonensi, &c. Obiit B. Raimundi episcopus quondam Carcassonæ anno 1230. ex chronico ecclesiæ S. Pauli Narbonensis. Et certe Bernardus Raimundus episcopus recensetur in necrologio sancti Nazarii, his verbis: *Nonis Junii an. 1230. obiit pater noster B. episcopus Carcassonensis.* Memorat autem Petrus Vallium Cernaii monachus c. 55. Willelmum de Rupeforti ipsius fratrem in obsidione Tolosana cum cognato comitis Convenensis interemtum fuisse.

Baluz. t. 2. epist. Innoc. col. 524.

Prob. t. 3. hist. Occit. col. 240.

Ibid. col. 243.

Tom. 6. vet. script. Marten. c. 439.

Ch. XL. col. 445.

Prob. t. 3. hist. Occit. col. 314.

XXXIV. GUIDO.

Guido ex abbate Vallium Cernaii, opera comitis Montisfortis ad episcopatum provectus, ei in omnibus sacri belli expeditionibus fideliter adstitit: erat enim egregie pius, prudens ac doctus ordinis Cistercienſis alumnus, ut notat hist. Albig. c. 6. *Subtractis, inquit, duobus luminaribus episcopo videlicet Oxomensi, & F. Radulfo, venerabilis Guido abbas Vallium Sarnaii in diœcesi Parisiensi, qui cum aliis abbatibus causa prædicationis in Narbonensem provinciam venerat, vir nobilis genere, sed scientia longe nobilior & virtute, qui etiam postea episcopus factus est Carcassonensis, prior inter prædicatores constitutus est & magister, abbas siquidem Cisterciensis ad alias partes se transtulit. Discurrentes igitur prædicatores sancti, hæreticosque disputando manifestissime convincentes, sed quia obstinati erant in malitia, convertere non valentes, post multum temporis, cum parum aut nihil prædicando sive disputando proficere potuissent, ad partes Galliæ sunt reversi.* Hic Guido sua ætate inter episcopos Gallicanos cumprimis clarus, summo animi robore sacrum bellum adversus Albigenses promovit: Petrus monachus Vallium testis oculatus, qui historiam Albigensium, vel expeditionis in eos susceptæ anno 1209. duce Simone de Monteforti conscripsit, a Nicolao Camuzato primum, mox & Andrea Quercetano historiæ Francor. Scriptorum tomo 5. editam, docet id cap. 28. sic loquens: *Ipso tempore venerabilis abbas Vallium Sarnaii Guido vir prudens & bonus, qui negotium Jesu Christi miro amplectebatur affectu, & post abbatem Cisterciensem præ omnibus promovebat, causa confortandi nostros, qui in*

ANNI CHRISTI

multa depressione tunc erant, a Francia venerat Carcassonam. Adeo siquidem ardenter, sicut diximus, Christi negotium diligebat, quod a principio negotii prædicans per Franciam discurreret. Illi autem qui erant in civitate Carcassonæ, in tanta turbatione erant positi & timore, quod quasi penitus desperantes, de fuga tantummodo cogitabant. Circumclusi quidem erant ex omni parte infinitis & fortissimis inimicis, sed vir virtutis, in illo qui cum tentationibus dat proventum, metus & depressiones eorum, monitis quotidie salutaribus mitigabat.

Episcopus renunciatus est Guido an. 1210. quo jam in abbatia successorem habebat, adhuc tamen electus tantum nuncupatus 1211. quo Tolosam obsidente Simone comite Montisfortis, supervenisse Guido ex abbate Cernensi episcopus Carcassonensis electus, ut eum juvaret consilio, legitur in historia Tolosani conventus Fratrum Prædicatorum part. 4. pag. 53. De ejus electione apud eumdem Petrum Guidonis nepotem cap. 60. hæc leges: *Advenerat ibi a Francia venerabilis abbas Vallium; erat enim electus in episcopum Carcassonensem; quem cum comes & milites nostri in prædicta reperissent civitate, gavisi sunt valde: omnes enim ipsum affectu præcipuo diligebant; erat enim a multis annis familiarissimus comiti: idem insuper comes quasi ab infantia ejus consiliis se subdiderat, ad ejus se habuerat voluntatem.* De se ipso verba faciens Petrus monachus eodem capite, sic fatur. *Electus autem Carcassonensium erat in civitate illa (Albia) & ego cum eo: me enim adduxerat secum de Francia, ob solatium suum in terra aliena peregrinus, cum essem monachus & nepos ipsius:* pergit cap. 62. *Dum esset exercitus apud castrum, quod dicitur S. Michael, distabatque una leuga a Castronovo, supervenit episcopus Carcassonensis Guido, qui fuerat abbas Vallium, & ego cum eo, ipse enim post captionem Altipuli recesserat ab exercitu adhuc electus, & perrexerat Narbonam, ut cum domino abbate Cisterciensi, qui etiam erat electus in archiepiscopum Narbonensem, consecrationis beneficium sortiretur.* Ex quo colligit Henricus Manrique eamdem utriusque consecrationem non ultra festum Pentecostes dilatam esse. Porro de hujus in extirpanda hæresi zelo præclarum elogium est cap. 63. ubi de obsidione Pennæ castri scribitur an. 1212. *Erat in obsidione illa venerabilis episcopus Carcassonæ, de quo sæpius mentionem fecimus, & ego cum eo. Hic in exercitu Domini de mandato archiepiscopi Narbonensis, qui fuerat abbas Cisterciensis, & erat legatus, vice fungens legati, in fervore spiritus indefesso, in labore corporis incredibili, officium prædicationis, ceteraque ad obsidionem pertinentia sedulus exercebat; ut breviter dicam, tanto & tam importabili curarum sibi invicem succedentium pondere premebamur, quod vix licebat comedere, vel modicum pausare.* Cum N. archidiacono Parisiensi vicelegati pro Philippo Augusto functus est an. 1212. in concordia prædictum inter regem & Moissiacensem abbatem, ex cod. ms. D. de Coislin episcopi Metensis notato 121. in bibliotheca S. Germani a Pratis fol. 144. Circa id tempus Parisiis cum Tolosano antistite egit de Crucesignatorum expeditione promulganda adversus eosdem hæreticos, quorum antesignanus ferebatur rex Aragonum, ut auctor est idem Vallium Cernaii monachus cap. 68. apud quem cap. 70. sub annum 1213. laudatur idem Guido hoc encomio: *In tota Francia non erat nisi unus, venerabilis scilicet Carcassonensis episcopus, vir eximiæ sanctitatis, qui pro sæpedicto fidei negotio laboraret: ipse enim cum magna instantia discurrebat per Franciam, & negotium fidei ne in oblivionem veniret, omnimodo in quantum poterat promovebat.* Ceterum, quod notatu dignum est, quando in Franciam ivit pro Cruce prædicanda, nullum Cisterciensium in partem sollicitudinis vocavit, sed sancto Dominico vices suas commisit, illum instituens suæ diœcesis vicarium generalem, ait vir doctissimus Percin ordinis Prædicatorum alumnus in historia Tolosani Fratrum Prædicatorum conventus. Tempore vero famosæ pugnæ Muretensis, in qua rex Aragonum occubuit, Guidonem Carcassonensem episcopum falso asserit Guillelmus de Podio Laurentii cap. 21. in ecclesia Mureti ad Dominum fudisse preces pro militibus Christi, nam si fuisset inibi, suum profecto nomen apposuisset epistolæ, quam postridie pugnæ præsentes antistites scripsere ad omnes fideles, ubi tamen deest; & aliunde constat tunc in Francia exstitisse Guidonem, teste Petro Vallium Cernaii monacho cap. 78. Anno 1214. destinatur ad partes Albigenses cum Crucesignatis aliis, duce Jacobo de Vitriaco, cum iisque partes Lugdunenses, Ruthenenses, Carcassonenses, ceterasve peragravit. Memoratur item cap. 79. officio legati perfunctus in obsidione Cassanolii castri, Aginnensis territorii: & hæc Petrus in historia Albigensium de avunculo Guidone perhibet. Hujus autem episcopi liberalitate pars tertia decimarum retenta ab antecessoribus ex ecclesiis ab iisdem suo capitulo donatis, remissa fuit, uti constat ex ejusdem Guidonis charta XIII. cal. Septembris an. 1215. quo anno memoratur in charta Simonis de Monteforti consulatum & urbis Nemausensis privilegia confirmantis die XIV. calend. Augusti. Pepigit anno 1217. VII. cal. Junii cum Ermengaudo abbate S. Johannis Montis olivi super nonnullis eccelesiis & decimis, arbitris adjudicantibus abbati & monachis ecclesias de Ventenaco & de Villario, earumque decimas ac primatias, necnon territorii Fontis de Alsono, præsuli autem primitias & decimas de Cressenteriis. In ecclesia regali S. Dionysii prope Parisios, præsente abbate sacros ordines administravit, ut fidem faciunt ejusdem episcopi litteræ, quarum calci adscribitur: actum anno D. millesimo ducentesimo octavo decimo, Sabbato proximo ante Dominicam, qua cantatur *Isti sunt dies*, ex chartulario S. Dionysii tom. 1. pag. 106. & ex antiquitatibus ejusdem ecclesiæ pag. 553. Die 22. Februarii ejusdem anni invitatus a Galterio S. Germani Pratensis abbate translationem corporis S. Leufredi ex veteri capsa in aliam recentiorem celebravit, eique tunc Sangermanenses monachi os unum ejusdem sancti liberaliter concesserunt, ex hist. ecclesiæ Parisiensis auctore Geraldo Dubois. Anno 1220. IX. cal. Octobris donationem Amalrici de Monte forti factam hoc ipso die Ermengaudo abbati Montis

[Margin: 1211. 1212. 1213. Catel. com. Tolos. pag. 297. 1214. 1215. 1217. 1218. 1220.]

ANNI CHRISTI 1223.

olivi confirmavit. Tertio post anno 1223. feria IV. decimo quinto calendas Martii Guillelmus a S. Felice ejusque liberi Jordanus & Raimundus Jordanus Guidoni episcopo & ecclesiæ S. Nazarii cesserunt quidquid ipsis debebat Guillelmus Radulfi, ex tabulario regio Carcassonensi. Denique mortuus est Guido die 21.* Martii, ex veteri necrologio ecclesiæ Carcassonensis, testante D. de Vic in chronico, quanquam Cisterciense calendarium ipsius meminit IV. idus Augusti. Cæterum eo adhuc superstite contigit quod in vetusto ecclesiæ S. Nazarii Carcasson. necrologio legitur his verbis: *XVIII. cal. Februarii* (lege XV.) *anno MCCXXIII. Incarnationis Dominicæ dominus vicecomes Biterrensis recuperavit Carcassonam a Gallicis, videlicet III. feria XV. cal. Febr. regnante Ludovico rege*, hoc est 1222. quo feria tertia incidebat in XV. calend. Februarii.

* al. 20. seu XIII. cal. Aprilis.

Guidoni perperam protracto ad annum 1228. in chronico ad calcem hist. comitum Tolos. pag. 130. Sammarthani & Gerardus de Vic subrogant Bernardum Raimundi, qui profecto ex dictis idem est ac antecessor Guidonis, diu post abdicationem suam & Guidonis obitum superstes, imo fortasse hanc in sedem aliquando restitutus, & postea iterum amotus.

XXXV. CLARINUS.

1226. Haud nobis occurrit Clarinus qui & Clarius, ante annum 1226. quo & sequenti reperitur in chronico Gerardi de Vic. Unde haud dubie de eo intelligenda Alberici verba ad annum 1226. pag. 520. chronici: *Tota provincia circa Tolosam subjugata fuit; duos etiam episcopos dominus rex, unum in Avenione, & unum in Carcassona renovavit.*

1228. Anno 1228. ex regesto curiæ Franc. Carcasson. fol. 35. Oliverius & Bernardus de Terminis regi cesserunt castrum de Terminis, cujus in possessionem regis nomine induxerunt P. archiepiscopum Narbonensem, C. episcopum Carcassonensem & Guidonem de Levy marescallum, præsentibus B. abbate Fontis frigidi, priore ejusdem loci, O. senescallo Carcassonensi, Petro de Voisins, &c. Eodem anno Gregorius IX. pontificatus primo, quinto cal. Febr. indict. I. data priori & capitulo Carcassonensi bulla precibus eorum annuens, singula ipsorum bona recenset atque confirmat, ubi ex omisso episcopi nomine perperam infert Ger. de Vic sedis Carcassonensis possessionem incertam fluctuasse inter Bernardum Raimundi & Clarinum.

1229. Insequenti, XVI. calend. Julii in conventu episcoporum & abbatum apud S. Johannem de Verges præsens fuit Clarius reconciliationi Rogerii Bernardi Fuxensis comitis cum sede apostolica & rege Franciæ, adstantibus cum eo P. archiepiscopo Narbonensi, F. episcopo Tolosano, G. Tornacensi, C. Conseranensi, B. abbate Crassæ, P. de Bolbona, G. Fuxensi, & J. de Comba longa, ex regesto curiæ Franc. Carcasson. fol. 69. & 70. Eodem anno legatus apostolicus judices constituit pro finienda lite Clarinum inter episcopum Carcassonensem & ejusdem ecclesiæ capitulum.

1230. Recognovit Clarius eodem anno 1229. & 1230. litteras Amalrici ducis Narbonæ & comitis Tolosani pro monasterio Montis olivi. Electi arbitri hoc ultimo anno P. Narbonensis archiepiscopus & Clarius Carcassonensis antistes, uterque sanctæ sedis vicelegatus controversiam regem inter & episcopum Biterrensem super jurisdictione composuerunt, ex eodem regesto fol. 115. & 116. Missus est eodem anno Clarius ad summum pontificem, ut legatum apostolicum adversus Albigenses obtineret in locum ejus qui recesserat Romani S. Angeli cardinalis, ut innuit Guillelmus de Podio Laurentii cap. 41. chronici: *Anno Domini 1230. procurante consilio prælatorum, venerabilis pater dominus Clarius episcopus Carcassonensis accedens ad sedem apostolicam, legatum obtinuit mitti ad negotium pacis & fidei prosequendum, virum magnæ probitatis & providentiæ episcopum Tornacensem (Waltherum) qui cum venisset, convenit comitem super illis articulis emendandis, qui dicebantur contra pacem nuper factam Parisius esse commissi.* Et certe hoc ipso anno IV. idus Maii Romæ interfuit Clarius benedictioni Ademari abbatis Castrensis, ex tabulario episcopatus Albiensis. Ex urbe redux 1231. III. idus Martii prædii beneficiarii nomine concessit Arnaldo de Solerio ejusque heredibus toparchiam, seu villam de Gorgoneto, cum obligatione clientelaris obsequii & vectigalis libræ unius ceræ singulis annis die natalis Domini successoribus episcopis exsolvenda. Dedit capitulo prioratum B. Mariæ de suburbio Carcassonensi, qui postea *de Abbatia* dictus est, ea ratione ut esset veluti portio capituli, & utraque ecclesia cathedralis & prioralis in unum quasi corpus coalesceret; *Datum apud Lemovicas VII. cal. Novembris anno 1232.* Interfuit anno 1235. IV. idus Novembris sententiæ excommunicationis latæ in *capitularios* Tolosæ, qui inquisitionem recipere detrectabant. Memoratur insequentibus idibus Martii Clarinus episcopus in charta Matthæi Botini recognoscentis coram Bernardo de Corzano archidiacono & Guillelmo Arnaldi priore de Manso, capituli sancti Nazarii Carcasson. procuratoribus se esse hominem ejusdem ecclesiæ. Anno 1237. ecclesiam de Mairac cum omnibus primitiis & decimis, vel alio quocumque jure ecclesiæ suæ canonicis dedit. Cum autem anno 1240. ex incendio generali burgi Carcassonensis per Raimundum Trincavel capituli reditus adeo imminuti essent, ut vix deinceps sustentationi canonicorum sufficere valerent, idem capitulum supplices litteras obtulit Innocentio IV. summo pontifici, qui Lugduni existens pontificatus anno tertio Christi 1246. VI. cal. Aprilis rescripsit venerabili fratri Clarino episcopo Carcassonis, simulque dilectis filiis capitulo ejusdem urbis ecclesiæ, quatenus nullum reciperent in canonicum, aut recipere tenerentur in sua cathedrali ecclesia per litteras apostolicas impetratas vel impetrandas, nisi facerent de hac indulgentia mentionem. Jam antea vero monitus Innocentius ab eodem capitulo Francorum regem S. Ludovicum quasdam terras, possessiones, & alia bona, quæ nonnulli ab ipsa tenebant in feudum ecclesia, feudatariis ipsis, ut pote pacis & fidei hostibus tam per suum patrem quam per se

ANNI CHRISTI Ch. XXIV. col. 152. — 1231. — 1232. — 1235. Tom. I. Anecdot. Marten. col. 992. — 1236. — 1237. — 1240. — Chron. de Vic p. 98. — 1246. — Tom. I. Anecd. Marten. col. 992. — Ch. XLIII. col. 448.

ANNI CHRISTI

se de partibus illis expulsis, ad manus suas recepisse, & suæ ditioni subdidisse, in ipsius capituli & ecclesiæ non modicam læsionem, commonuit regem ut illa bona ecclesiæ restitueret, litteris datis Laterani IV. cal. Martii pontificatus anno I. hoc est 1244. Insequenti 1245. XVIII. calendas Julii Clarinus episcopus una cum B. Helenensi, R. Tolosano, P. Uceticensi, G. Leutevensi, & R. Nemausensi ab eodem Innocentio inquisitionem sua in diœcesi postulat continuari, ex tabulario Inquisitionis. Interfuit anno 1246. XIII. cal. Maii concilio Biterrensi. Hoc etiam anno cal. Septembris eidem C. episcopo & Johanni de Cranis senescallo Carcassonensi Trincavellus in signum suæ erga regem reverentiæ filium Rogerium obsidem dedit. Eodem, pridie idus Decemb. donum ecclesiæ de Mairac cum omnibus primitiis & decimis, vel alio quocumque jure, quod jam anno 1237. suo capitulo fecerat, confirmavit. Sanctus Ludovicus rex anno 1247. loco burgi Carcassonis a Trincavello incensi burgum novum trans fluvium Atacem construi jussit. Clarinus vero episcopus anno 1248. XVII. cal. Febr. cum suo capitulo una ex parte, & consules ac cives Carcassonenses ex altera compromiserunt in Guillelmum archiepiscopum Narbonensem & Johannem de Cranis senescallum Carcassonensem super damnis sibi in publica contra regem rebellione illatis, ex tabulario Carcassonensi. Denique obiit Clarinus VII. cal. Maii, ex necrologio Montis olivi, & ex necrologio S. Justi VII. cal. Junii, sexto autem cal. Maii, seu 26. Aprilis 1248. ex chronico Gerardi de Vic, qui vigere adhuc hodie Clarini memoriam scribit ex veteribus libris ab ipsius bibliotheca profectis. Clarino fuisse nepotem Johannem dictum *de Carcassona*, tametsi Gallicum natione legimus tom. VI. veterum script. Martennii col. 475.

1245. *Prob. t. 3. hist. Occit. col. 446.*

1246. *Tom. XI. concil. 688.*

Prob. t. 3. hist. Occit. col. 458.

1248. Ch. XLIV. col. 449.

XXXVI. GUILLELMUS II.

ARNALDI.

Ex archidiacono non majori Guillelmus occurrit episcopus anno 1248. mense Aug. quo probavit cum consilio capituli *excambium* factum a senescallo Carcassonæ jussu Ludovici regis, *de medietate villæ Villalerii, sive soli, in quo novus burgus ædificatur Carcassonæ*, ex instrumento sigillato, dato apud Aquas mortuas, quod exstat in codice ms. 2670. bibliot. Colbert. p. 320. Recensetur eodem anno mense Aprili in charta permutationis factæ regem inter S. Ludovicum & capitulum ecclesiæ Carcassonensis, cui consensit Guillelmus episcopus. Anno 1249. VIII. idus Januarii monasterio S. Johannis de Valle sicarii, seu S. Johannis Montis olivi & Geraldo abbati confirmavit ecclesiam S. Mariæ de Vernazona, cujus litteræ inseruntur brevibus apostolicis Alexandri papæ IV. anno secundo ejus pontificatus, & Clementis IV. pridie cal. Januarii anno pontificatus primo, Perusii. Contulit eodem anno mensæ capitulari sancti Nazarii ecclesiam B. Mariæ de Alsono, seu de Alzona, cum decimis & pertinentiis, cujus donationis sive unionis instrumentum factum V. nonas Martii 1249. confirmavit G. Narbonensis archiepiscopus VIII. cal. Augusti 1252. quibus etiam accessit bulla Innocentii papæ IV. data V. idus Decembris anno X. pontificatus, hic est annus Christi 1252. ex tabulario capituli. De hac iterum actum est unione anno 1255. calendis Septembris, ubi Guillelmus episcopus eam agere dicitur in gratiam beneficiorum a capitulo acceptorum. Reperitur an. 1251. in tabula Castrensi & in chartario Inquisitionis. Bulla vero pontificia data Lugduni 3. Aprilis ejusdem anni factus est fidejussor transactionis habitæ inter archiepiscopum Narbonensem & abbatem Caunensem. Eodem anno III. nonas Aprilis fuit judex controversiæ inter Geraldum abbatem Montis olivi & Guiraldum de Cane suspenso militem. Memoratur anno 1252. in archivo patrimonii regii Monspeliensis. Circa 1253. fuit unus e tribus episcopis, qui cum G. archiepiscopo Narbonensi scripserunt ad sanctum Ludovicum Francorum regem ut compositionem initam cum abbate Crassensi exsecutioni demandare dignaretur. Ecclesiam de Mairac hoc ipso anno pridie cal. Junii univit officio infirmarii ecclesiæ Carcassonensis. Eodem anno V. cal. Febr. petenti capitulo bullam indulsit Innocentius IV. pontifex, ut ecclesiæ S. Nazarii canonici æque ac si non essent regulares in paternas opes succedere possent. Adfuit an. 1255. VIII. idus Maii per vicarium seu procuratorem concilio Biterrensi sub Guillelmo Narbonensi archiepiscopo. Duos in ecclesia Carcassonensi presbyteros instituit hoc anno, ut liquet ex charta in appendice relata, eodemque fato functus est die 4. Septembris, ut fidem facit vetus martyrologium, seu necrologium ecclesiæ Carcassonensis. Ex testimonio cujusdam Raimundi de Puteo Soricinensi 1277. mense Sept. declarantis coram Inquisitore fratre Poncio de Perenaco *al.* de Parnaco, se auguria servasse, contra quod promiserat Inquisitoribus Johanni & Reginaldo de Carnoto, discimus fuisse consultum semel ante 12. annos vel circiter a Guillelmo Arnaldo quondam episc. Carcas. super quadam infirmitate. Unde forsan quis concluderet eumdem esse ac qui sequitur

1249.

1251.

1252. 1253. Ch. XLVI. col. 453.

1255. Charta XLIX. col. 456.

XXXVII. GUILLELMUS III.

RADULFI.

Adversus invasores grangiarum de Tramesaigues, &c. quæ juris erant cœnobii Bolbonensis bullam accepit Guillelmus episcopus Carcassonensis ab Alexandro IV. pontifice datam IX. cal. Novembris pontificatus an. primo, hic est 1255. quam & promulgavit XV. cal. Martii insequentis, ex tabulario Bolbonensi. Eodem anno 1255. Fratres Prædicatores, quorum monasterium aquarum eluvione pene absorptum fuerat, perhumaniter excepit in domo pontificali, ac ære proprio fovit sustentavitque a festo omnium SS. hujusce anni usque ad primam Dominicam Quadragesimæ anni sequentis, quemadmodum notant tabulæ conventus S. Dominici Carcassonensis; iisdemque hoc anno 1256. VII. cal. Februarii permisit habere locum in territorio nuncupato de Aquis mortuis. Circa id tempus de pedagio sententiam tulit, a qua ministri regis appellarunt V. cal. April. 1256. Eodem anno III. idus Martii juravit Guillelmus episcopus obedientiam Guillelmo Narbonensi archiepiscopo; ac mense Maio sequenti

1256.

Tom. 6. vet. script. Marten. col. 476.

adstitit concilio Biterrensi per procuratorem. Exstant in tabulario regio Carcassonensi litteræ S. Ludovici Francorum regis datæ mense Maio anni 1257. ad senescallum Carcassonensem, ut locum prope burgum intra fines jurisdictionis episcopi largiatur Fratribus Prædicatoribus ad ædificandum cœnobium, centumque libras Turonenses ad sumtus ædificii persolvat; annuus vero reditus cum in pecunia, tum in frumento Guillelmo episcopo constituitur in fundi ablati compensationem. Quapropter G. Carcassonensis episcopus cum capitulo certum locum trans fluvium Atacem cessit Petro de Autolio militi senescallo Carcassonensi nomine regis ad inibi construendum ordinis Fratrum Prædicatorum conventum, pro septem annui reditus libris, XVII. cal. Octobris anno 1257. idque comprobarunt mense Novembri ejusdem anni Poncius magnus archidiaconus Carcassonensis, Vaschome magnus archidiaconus, B. archidiaconus minor & Rogerius prior ecclesiæ S. Mariæ in burgo, ubi modo sunt Capucini; ratumque similiter habuit rex mense Januario 1257. hoc est 1258. secundum hodiernum calculum. Testatur idem episcopus an. 1260. IV. cal. Aprilis vidisse se omnia instrumenta donationis de ecclesia de Limoso factæ sororibus Prulianis. Denique G. episcopus Carcassonensis bullam accepit ab Urbano IV. pontifice datam XI. cal. Junii pontificatus anno tertio, quam publicam fecit pridie calendas Augusti an. 1264. ex tabulis de Pruliano. In veteri martyrologio Carcassonensi ejus obitus dies incurrit in primam Octobris.

(ANNI CHRISTI 1257. 1258. 1260. 1264.)

XXXVIII. Bernardus II.

(DE CANE SUSPENSO. DE CANPENDU.)

E gente nobilitate præcipua ortus Bernardus, regimen ecclesiæ Carcassonensis obtinebat anno 1265. XIV. cal. Novembris; haud dubie siquidem hic est B. episcopus Carcassonensis, qui conservator privilegiorum Bolbonensis monasterii a sede apostolica nominatus, die & anno prædictis excommunicationi latæ in abbatem & monachos per vicarium generalem R. episcopi Tolosani revocandæ adlaboravit, ex tabulario Bolbonensi. Idem B. dicitur solummodo electus an. 1267. in veteri charta Montis olivi, cujus auctoritate & mandato anno 1269. mense Novembri Petrus Ariberti de portionibus episcopalibus, quas singulis in ecclesiis percipere debebat, inquisivit. Hoc anno singulas ipsemet suæ diœceseos ecclesias perlustrasse dicitur in chronico Gerardi de Vic, & statuta condidisse quæ promulgavit anno sequenti in synodo annuali. Eodem anno 1269. Francorum rex dedit episcopo & canonicis Carcassonæ quoddam terræ spatium super strata publica ad chorum basilicæ S. Nazarii construendum. Hic est B. electus in episcopum ecclesiæ Carcassonæ, qui hoc anno interfuit trium ordinum senescalliæ Carcassonensis comitiis. Seipse adhuc vocat electum mense Februario anni 1270. qui nunc 1271. in libello supplici exhibito regi S. Ludovico, in quo amare conqueritur quod ipsum Guillelmus de Cohardone miles senescallus Carcassonensis & Biterrensis ad se venire compelleret, juraturum fidelitatem pro his quæ tenebat a rege, ex archivo regii patrimonii Monspeliensis. Haud aliter etiam quam electus appellatur in litteris Gaufridi de Avesia vicarii Biterr. locum tenentis D. senescalli Carcass. & Biterr. quibus illum invitat ad comitia trium ordinum senescalliæ Carcasson. eodem anno. Idem memoratur electus pridie calendas Novembris 1272. in archivo regio Monspeliensi. Causas & rationes protulit eodem anno quibus ab armis pro rege ferendis suos eximere subditos conabatur, ex regio Carcassonensi tabulario. Exeunte hoc ipso anno vocatur adhuc solum electus in litteris communibus episcoporum Narbonensis sedis suffraganeorum ad cardinales Viterbii congregatos super electione Petri de Montbrun archiepiscopi Narbonensis, & in aliis eorumdem episcoporum litteris ad ipsum Gregorium X. papam super eodem negotio. Tandem anno sequenti 1273. nomen episcopi præfert in veteri charta Montis olivi de jure præsentandi ad curionatum ejusdem loci; quod quidem abbati contra B. episcopum Lugdunensi tunc concilio præsentem assertum est an. 1274. VI. idus Julii. Anno 1275. III. calendas Januarii purgat se a quibusdam accusationibus, de quibus apud regem insimulatus fuerat, ex archivo regii patrimonii Monspeliensis. Insequenti 1276. B. episcopus Guillelmo de Cohardone militi senescallo Carcassonensi alveum Atacis fluminis deflectere volenti assensum præbuit III. cal. Mar. Exstat in catalogo codicum mss. Baluzii pag. 117. num. 788. statutum domini Bernardi episcopi Carcassonensis contra usurpatores officii juris alieni editum anno 1277. Litigans anno sequenti cum Geraldo Caunensi abbate de prioratu sancti Laurentii, compromisit in Poncium archiepiscopum Narbonensem; quo ipso anno 1278. XV. cal. Februarii obiisse legitur in veteri necrologio Carcassonensis ecclesiæ, postquam instituisset sacerdotem qui pro ipsius animæ requie sacrum faceret, necnon annuos reditus constituisset ut cereus in ecclesia totius diœcesis principe jugiter arderet.

(ANNI CHRISTI 1265. 1267. 1269. — Prob. t. 3. hist. Occit. col. 585. & 586. — 1271. — Ibid. col. 604. — 1272. — Charta LXXIII. col. 68. — 1273. — Tom. 1. Anecd. col. 1149. — 1276. 1277. 1278.)

XXXIX. Galterius.

A Sammarthanis in veteri Gallia Christiana & a Gerardo de Vic in chronico vocatur Johannes Galterii, qui passim a nobis reperitur sub solo Galterii nomine. Primum scilicet Galterius archidiaconus Carcassonensis eligitur in episcopum VII. calendas Febr. an. 1278. Idem Galterius nonis Februarii 1279. juravit obsequium Petro Narbonensi archiepiscopo. Eodem anno constitutiones edidit, ex catalogo codicum mss. Baluzii pag. 117. num. 788. ex quibus palam fit virum fuisse bene peritum regularum ecclesiasticarum, strenuamque operam posuisse, ut pravæ consuetudines, quæ in diœcesim irrepserant, abolerentur. Interfuit eodem anno in crastino Inventionis S. Crucis concilio Biterrensi. Anno seq. 1280. VIII. cal. Junii Augerius abbas Crassensis Galterio præsentavit ad ecclesiam S. Petri de Caprafpina. Eodem, XII. cal. Julii G. Carcassonensis episcopus reperitur in notis mss. Baluzii ad veterem Galliam Christianam. Denique Galterius

(1279. — Tom. XI. conc. col. 1061. — 1280.)

ANNI CHRISTI

epiſcopus memoratur in necrologio Montis olivi xiv. & xviii. cal. Octobris, *al.* 19. Septembris, ubi duos inſtituiſſe legitur preſbyteros attributis reditibus annuis, qui quotidie rem divinam facerent in remiſſionem pœnæ ab animabus exigendæ, tam ſua quam ſuorum anteceſſorum, ac fratrum canonicorum. Et iterum ibidem legitur: *x. cal. Aprilis officium domini Gauterii epiſcopi Carcaſſon.* Ex quibus hunc ipſum eſſe Carcaſſonenſem epiſcopum colligere eſt, cui rex Francorum permiſit habere in palatio ſuo epiſcopali quatuor feneſtras in muro civitatis, & unam e turribus *fortalitii* dedit, quæ feneſtræ claudi deberent tempore belli, menſe Auguſto an. 1280. Haſce litteras habes in chronico Gerardi de Vic pag. 109. Fortaſſe hic eſt Galterius de Montebruno recenſitus in antiqua Carcaſſonenſium epiſcoporum ſerie deſcripta anno 1552. ex antiquo necrologio, quo nunc eadem utitur eccleſia.

XL. Berengarius II.

Non ſine formidine Berengarium hunc Carcaſſonenſibus epiſcopis accenſemus, ut pote de quo nihil omnino reperimus præter obitum, notatum, inquit Martennius noſter, anno 1280. in necrologio ſancti Pauli Narbonenſis, cujus eccleſiæ dicitur canonicus.

XLI. Isarnus.

Vivebat Iſarnus an. 1280. inquiunt Sammarthani, minime vero 1295. ut iidem aſſerunt ex auctoritate Bzovii tom. xiii. annalium eccleſ. ubi miſſus a Bonifacio viii. legatus dicitur ad regem Daniæ pro libertate Johannis archiepiſcopi Lundenſis in carcere detenti obtinenda. Iſarnus enim, de quo apud Bzovium, non erat epiſcopus ſeu archiepiſcopus, quomodo hunc vocat, ſed archipreſbyter Carcaſſonenſis, uti legitur tom. xviii. hiſtoriæ eccleſiaſticæ D. Fleury laudantis annales Rainaldi ad hunc annum num. 50. & 51. Præterea tunc temporis Petrus regebat eccleſiam Carcaſſonenſem; Iſarnus autem quem fuiſſe quidem epiſcopum Carcaſſonenſem certo colligimus ex necrologio Montis olivi parte 1. antiquitatum Occitaniæ Stephanotii noſtri pag. 414. ubi memoratur vii. idus Febr. vix annis tribus præfuit. Sedes enim vacaſſe legitur in chartis Montis olivi an. 1283. iv. nonas Jun. ac pridie nonas Aug. & 1285. quo Poncius electus S. Hilarii confirmatus a capitulo Carcaſſonenſi, ſede vacante, dicitur, adhucque 26. Junii 1291. ex regeſto Inquiſitionis.

DE LA CHAPELLE.

XLII. Petrus II.

Oriundus Petrus de Capella e vico Capellæ de Taillefer in marchia Lemovicenſi, ſex millibus paſſuum a Garacto, patrem habuit Stephanum de Capella, ex actis authenticis illorum temporum, ait Baluzius in notis ad vitas Paparum Avenion. col. 626. ſcriptis die Dominica poſt octavas Annunciationis B. Mariæ anno Domini 1294. in quibus continetur qualiter *nobilis vir Guillelmus de Albuconio dominus de Bornia miles vendidit domino Petro de Capella Carcaſſonenſi epiſcopo, filio quondam domini Stephani de Capella militis*

A *pretio quingentarum & ſexaginta trium librarum domos ſuas de Peiraco ſitas in dicta villa.* Ex quibus, addit Baluzius, facile eſt exiſtimare falli viros clariſſimos Joſephum Mariam Suarezium in libro ſecundo Præneſtes antiquæ cap. 14. & Auguſtinum Oldoinum in vita hujus Petri, ſcribentes eum fuiſſe filium Guidonis, qui vitam ad centum viginti annos produxit. Verumtamen haud diſſimulabo hanc ipſam chartam ex tabulario eccleſiæ de Capella Taillefer in Marchia erutam habere me præ manibus, in qua nec Stephanus, nec Guido, ſed Petrus epiſcopi noſtri pater dicitur, ubi & pro *Annunciationis* legi- B tur *Aſſumtionis.* Ceterum Petrus fuit primum præpoſitus Ahentenſis, vulgo *Eymoutiers* in diœceſi Lemovicenſi; quo loco, ait ibidem Baluzius, emendandum nobis eſt ejus epitaphium, ubi editum eſt *præſes Aginnenſis* pro *Ahentenſis.* Fuit etiam juris civilis profeſſor in academia Aurelianenſi an. 1270. ubi auditorem habuiſſe creditur Bertrandum de Gutto poſtea Romanum pontificem. Hinc evaſit canonicus Pariſienſis & clericus regis, qua tempeſtate, anno nimirum 1288. menſe Januario tenuit parlamentum Toloſæ una cum Bertrando abbate Moiſſiacenſi, & Laurentio Vicini capicerio Carnotenſi, ut conſtat ex C pluribus veteribus inſtrumentis, quæ ſervantur in archivis archiepiſcoporum Narbonenſis & Toloſani, & ex Guillelmo Cruceo in ſerie Cadurcenſium epiſcoporum num. 140. Biennio poſt tenuit parlamentum Pariſiis una cum magiſtro Egidio Cameli, ut docet antiquus ſtilus parlamenti Pariſienſis par. 7. cap. 7.

Denique Petrus electus nuncupatus anno 1291. miſſus a rege ad Nicolaum IV. pontificem legitur in annalibus Rainaldi num. 56. Inſequenti Petrus epiſcopus litteras accepit a Philippo rege ut relaxaret clericum in quem miniſtri epiſcopi violentas injecerant manus, neve clericos burgi novi per- D turbaret aut capere faceret. Datæ ſunt feria vi. ante feſtum SS. Simonis & Judæ. Anno eodem iii. idus Martii Pariſiis conſtitutus eligitur ab archiepiſcopo & a vicecomite Narbonenſibus arbiter diſſidiorum quæ inter ipſos inerant, ex archivo Narbonenſi; qua de re ipſos vel eorum procuratores anno 1294. in die ſancti Nicolai vocavit apud Carcaſſonam die Sabbati ante inſtans feſtum B. Thomæ apoſtoli. Conſtituitur adminiſter permutationis factæ inter Philippum regem & Berengarium Fredoli Magalonenſem epiſcopum menſe Martio anno 1292. Inſequenti P. Carcaſſonenſis antiſtes litteris Phi- E lippi regis datis anno 1293. feria vi. ante Dominicam Palmarum judex inſtituitur inter procuratorem regium in ſeneſcallia Toloſana ex una parte & conſules de Caſtro Saraceno ex altera, ſuper adminiſtratione domus hoſpitalis ſitæ ad portam Toloſanam de Caſtro Saraceno. Exſtant ipſius Petri litteræ in catalogo codicum mſſ. Baluzii pag. 58. num. 12. inſcriptæ Alfonſo de Rouvray ſeneſcallo Bellicadri & Nemauſi die Veneris ante feſtum omnium SS. anno 1294. de aſſignatione ſexaginta librarum, quæ facienda epiſcopo Magalonenſi reſtabat pro facto Montiſ

ANNI CHRISTI: 1292. 1293. 1294.

ANNI CHRISTI 1295. pessulani, de quo supra ad an. 1292. Procurator & nuncius regis una cum Petro episcopo Aurelianensi anno 1295. deputavit Johannem de [a] Arreblaio senescallum Carcassonensem ad tractanda negotia de quorumdam castrorum finibus & eorum restitutione facienda Jacobo de Aragonia. Datum Perpiniani die Veneris post festum B. Dionysii, ex Baluzio tom. 2. vit. pap. Aven. col. 25. & seq. usque ad 51. ubi quæ ad hanc rem pertinent adsunt instrumenta. Eodem anno die Martis post festum omnium SS. diœcesanam habuit synodum, ubi præter cetera constituit, ut singulis diebus Dominicis singuli curiones processionem agerent in sua quisque ecclesia per circuitum cœmeterii & ecclesiæ, utque singulis diebus lunæ circumirent cœmeterium præeuntibus cruce & aqua benedicta, inibique preces ad Deum pro defunctis effunderent. Anno 1296. 1296. in vigilia Purificationis de consensu capituli quatuor instituit præbendarios in ecclesia de Mirabello, qui divina peragentes officia & munia curionis exercentes, ejusdem ecclesiæ reditus inter se partirentur, ex tabulario Bolbonensi. Petrus eodem anno mense Februario, Guido de Levis ordinis Minorum & Philippus de Turcia judices eliguntur ad componenda dissidia inter Rogerium Bernardum Fuxensem comitem & Guidonem de Levis toparcham Mirapicensem, ex tabulario castri Fuxensis. Interfuit eodem anno inito matrimonio Constantiam inter filiam natu majorem Rogerii Bernardi comitis Fuxensis ex Margarita de Bearn & Johannem de Levis de Mirepoix in aula capituli Fratrum Minorum Carcasson. Habentur in catalogo codicum mss. Baluzii p. 117. num. 788. *constitutiones Petri* 1297. *de Capella episcopi Carcassonensis editæ an. 1297.* Et certe Gerardus de Vic in chronico statutum Petri episcopi in synodo diœceseos post octavam Paschatis hujusce anni refert, ut parochi aut vicarii gratis nullaque mercede pueros ab anno ætatis quarto ad octavum litteras & maxime orandi 1298. Deum rationem doceant. Vetuit anno 1298. XVII. cal. Maii rectoribus omnibus aut vicariis, quominus in posterum die Paschatis vice panis benedicti distribueretur panis, qui in specie ac forma referret panem conversum in Christi carnem, post enunciata consecrationis verba, ne sic veneratio debita sacratissimæ Dominici corporis hostiæ minueretur. Adhuc præerat hoc anno die 30. Junii; at mense Oct. translatus est ad episcopatum Tolosanum, ubi de illo plura, creatus cardinalis a Clemente V. die 15. Decemb. 1308. qui mortuus 16. Maii 1312. sepultus est in choro ecclesiæ, cujus ædificandæ in loco natali obtinuerat a rege facultatem.

Tom. 2. vit. pap. Aven. col. 51. & 280.

XLIII. JOHANNES I.

DE CHEVRY.

Primum Johannes de Capriaco fuit ecclesiæ Carnotensis succentor, cui pro anniversario domum suam claustralem legavit, ut habent excerpta ex secundo ejusdem ecclesiæ chartulario pag. 35. tum archidiaconus Rotomagensis, ut notat Prevotius in annalibus ecclesiæ Rotomag. ac tandem translato Petro ad Tolosanam sedem subrogatus est a Bonifacio papa VIII. qui quidem litteris datis ad Narbonensem & Senonensem præsules anno IV. pontificatus V. cal. Novembris jussit ut ab eorum alterutro consecrationis munus acciperet, idque præstitit Egidius Narbonensis Dominica secunda intrantis Quadragesimæ insequentis, cui postmodum Johannes Parisiis constitutus promisit obedientiam die Dominica qua cantatur *Oculi mei.* Præsens memoratur 1298. definitioni induciarum inter Franciæ & Angliæ reges, ex inventario regii chartarum thesauri fol. 17. verso. Eodem anno in vigilia Paschæ 18. Aprilis, seu potius anno sequenti debita cameræ apostolicæ servitia solvit. Exstant inter codices mss. Baluzii pag. 117. num. 788. *constitutiones domini Johannis de Chevry editæ anno 1299. die Jovis ante* 1299. *festum B. Andreæ apostoli;* quarum una hæc est. *Item præcipimus observari statuta, sive consilia de novo edita in concilio Biterrensi, & specialiter illud, in quo continetur de festo duplici B. Ludovici die statuto in singulis ecclesiis celebrando.* Declaravit eodem anno die lunæ post octavam Epiphaniæ se de capituli consensu quædam beneficia de novo creata contulisse, salvo capituli jure. Obiisse dicitur anno 1300. die 13. Junii in martyrologio ec- 1300. clesiæ Carcasson. Ejus sic meminit necrologium Faræmonasterii: *XIV. Junii depositio bonæ memoriæ Johannis quondam Carcass. episcopi.*

XLIV. PETRUS IV.

DE ROCHEFORT.

Ex eadem Petrus, qua & Bernardus Raimundi de Rupeforti episcopus familia prodiit, ni fallat conjectura. Statuta synodalia condidisse dicitur an. 1299. in catalogo codicum mss. Baluzii pag. 117. num. 788. Attamen anno 1300. 17. Sept. electus solummodo dicitur, qui necdum erat inauguratus die Dominica post festum omnium SS. ex litteris Egidii archiepiscopi Narbonensis ad episcopos suæ provinciæ, quorum jam aliqui electionem ejus ratam habuerant ex admonitione dicti archipræsulis, in quibus litteris postquam præfatum electum declaravit enixe postulare ut sibi consecrationis munus impenderet, hortatur eos, cum ipse non possit eundo Romam tam pro domini regis Franciæ quam pro ecclesiæ suæ negotiis per provinciam Narbonensem transire, ut si prædictæ consecrationi, quam in provincia Bituricensi aut Lugdunensi peracturum se tertia vel quarta Dominica mensis Novembris pollicetur, interesse nequiverint, huic saltem inaugurationi suum per litteras præbeant assensum; quod & præstiterunt R. Agathensis episcopus X. cal. Decembris anno 1300. B. Biterrensis, P. Tolosanus, G. Magalonensis, R. Helenensis & B. Appamiensis episcopi VI. cal. Decembris, ac denique fr. Iterius Leutevensis antistes in festo sancti Clementis anno 1300. Petrus autem episcopus Carcassonensis appellatus anno 1301. III. cal. 1301. Januarii constituit procuratores suo & Carcassonensis ecclesiæ nomine dominum Guillelmum de

t. 6. Miscell. Baluz. pag. 459.

[a] Hoc ipsum de Arreblaio cognomen Petro nostro episcopo affingunt Gerardus de Vic in chronico, & Rainaldus in annalibus ecclesiasticis ad annum 1291. ubi a Philippo rege ad Nicolaum IV. papam missus dicitur petendæ gratia decimæ per sex annos ad bellum contra regem Aragoniæ gerendum.

ANNI CHRISTI

Villa nova militem, dominum de Palatano, & magistrum Bernardum de Scrihano jurisperitum, ex veteri instrumento pergameno. Exstant in catalogo codicum mss. Baluzii pag. 117. n. 788. *statuta domini Petri de Rupeforti edita anno 1301.*

1302. Insequenti 1302. die 21. Maii Mathildæ abbatissæ Rivi nitidi ea omnia confirmat quæ a suis antecessoribus eidem abbatiæ donata fuerant, ex chartario hujus parthenonis. Hic ille est procul dubio Carcassonensis episcopus, qui concilio Romæ a Bonifacio VIII. adversus Philippum Pulcrum hoc anno habito interfuit; qui tamen anno seq. adhæsit appellationi Philippi regis contra

1304. Bonifacium papam. Recognovit anno 1304. idibus Februarii jus Petri Augerii Crassensis abbatis in quasdam suæ dioecesis ecclesias, ex tabulario Crassensi. Eodem anno v. idus Decemb. lite pendente super ecclesia B. Andreæ de Monte olivo inter nobilem virum Amalricum de Vicinis canonicum Aurelianensem ex una parte & Ademarum de Planhano clericum ex altera; hanc ecclesiam in suam custodiam ponit propter scandala quæ oriri possent, salvo jure ipsius abbatis, ad quem, ait, custodia ipsius ecclesiæ noscitur pertinere tanquam ad patronum, ut dicitur, volens ut per actus superioritatis hujusmodi *Salvægardæ* abbati vel successoribus ejus, seu monasterio præfato non possit tunc vel in futurum quoad dictam ecclesiam præjudicium vel gravamen generari. *Actum in camera episcopali Carcassonæ die & anno præfatis in præsentia domini Bernardi Aicardi prioris*

1306. *B. Mariæ burgi novi, &c.* Anno 1306. die 15. Aprilis P. tituli sancti Vitalis & Berengarius sanctorum Nerei & Achillei cardinales curam eidem episcopo detentorum in carceribus Inquisitionis Carcassonensis demandarunt, ex tabulario

1308. urbis Albiensis. Idem anno 1308. die 1. Jan. sodalitium B. Ludovici in ecclesia S. Saturnini civitatis Carcasson. instituit, cujus occasione subortum jurgium curionem inter proximæ ecclesiæ, & ipsius sodalitii matricularios & sodales compo-

1309. suit pridie cal. Julii 1309. quando laudatam S. Saturnini ædem sacram pontificio jure lustravit. Priorem B. Mariæ de burgo, qui bona Templa-

1311. riorum curaret designavit 1311. Adfuit eodem anno synodo oecumenicæ Viennensi, ex actis ejusdem tom. XI. conciliorum col. 1565. Habentur in catalogo codicum mss. Baluzii pag. 117. n. 788. ejusdem Petri constitutiones editæ post concilium Viennense, & rursum ibidem aliæ anno

1315. 1315. editæ. Anno circiter 1315. ecclesiam & monasterium de Bello loco in nemore de Lupateria sesquimilliario a castro episcopali de Lupateria positum a se exstructum & fundatum Carthusianis attribuit, quos inibi aluit & protexit ad extremum usque annum vitæ 1321. Sed tunc nescio quo ductus spiritu, & parum provido, ut rei docuit eventus, consilio, vi forsan morbi parum sui compos, eosdem e dicto ascetério ejici, atque eorum loco tredecim sæculares presbyteros subrogari mandavit postremæ voluntatis tabulis, quarum exsecutores Johannes de Belna ordinis Prædicatorum alumnus & Inquisitor hæreticæ pravitatis, ac Bertrandus de Auriaco

A canonicus Montis regalis nihil morati hanc ejus inconstantiam ad Johannem papam XXII. detulerunt; hic autem pontifex bulla data III. calend. Novembris anno pontificatus septimo indulsit, ut antiquato in hac parte testamento Carthusiani qui jam loco pulsi fuerant, in pristinam & legitimam possessionem redintegrarentur; sicque beneficio pontificii rescripti in cœnobium suum postliminio sunt reversi; primusque præfectus, seu prior eorum Johannes de Monte martyrum ab abbate S. Tiberii & decano S. Papuli pontificii diplomatis exsecutoribus in possessionem loci immissus fuit 12. Septembris 1323. Revertor

B ad gesta Petri. Ejus assensu anno 1316. pontifex maximus Johannes XXII. ecclesiam parochialem S. Vincentii in oppido Montis regalis in collegiatam erexit. Anno sequenti 17. Februarii una cum capitulo societatem precum iniit cum Odone abbate & conventu S. Rufi. Adfuit anno 1319. die 8. Decembris sententiæ latæ in fratrem Bernardum Delitiosi ordinis Minorum, quam vide tom. 2. vit. paparum Avenion. col. 355. Huic VII. cal. Februarii 1321. Guillelmus Crassensis abbas præsentavit ad ecclesiam de Caprasspina. Hoc autem anno Petrus episcopus pridie calend. Aprilis mortuus est, ex necrologio sancti Nazarii

C Carcassonensis, ubi & memoratur III. cal. Julii. Sepultus dicitur in sacello SS. Petri & Pauli, quod in ecclesia principe construi curaverat. Basilicam S. Nazarii pro majori parte construxit, caput S. Guimeræ Carcassonensis episcopi theca argentea inclusit. Annuos reditus constituit unde quotannis in prædicto sacello missæ defunctorum pro anima sua agerentur diebus ultima Januarii & 29. Junii, necnon officium defunctorum prima feria tertia post primam Dominicam Quadragesimæ, & postridie missa in eodem sacello cum diacono & subdiacono celebrarentur.

1316. 1317. 1319. 1321.

D Post obitum Petri Johannes papa XXII. bulla data III. calendas Novembris anno pontificatus septimo Hugoni d'Angoulesme Claromontensis ecclesiæ archidiacono ejusdemque pontificis nuncio mandavit, ut bona Petri episcopi ad manum sedis apostolicæ apponeret, ejusque legatariis alteram vasorum partem, alteram vero Guillelmo successori episcopo cum reliqua supellectile dispensaret, ex tabulario Inquisitionis.

XLV. GUILLELMUS IV.

DE FLAVACOURT.

Petro defuncto successerat Guillelmus de Flavacourt antea Vivariensis episcopus, jam anno

E septimo pontificatus Johannis papæ XXII. tertio cal. Novembris, ex dictis superius, imo jam die 27. Augusti ejusdem anni 1322. servitia promisit, ex libro obligationum Vaticani. Transivit anno sequenti ad Ausciensem metropolim, ubi vide tom. 1. col. 994. ac deinde ad Rotomagensem.

1322. 1323.

XLVI. STEPHANUS II.

Haud aliunde Stephanus innotescit episcopus, quam ex libro obligationum Vaticani, ubi electus servitia promisisse legitur die 7. Octobris anno 1323. ex Sammarthanis.

ANNI CHRISTI

XLVII. Petrus V.

RODIER.

Nobilis Arvernus Petrus Roderii ex historia genealogica & chronologica cancellariorum Franciæ, *al.* oriundus ex villa de Traynhaco Lemovicensis diœcesis, in qua tum canonicus Remensis & episcopus Carcassonensis ædificavit fundavitque collegiatam ecclesiam, canonicus erat Ahentensis *d'Eymoutiers*, cum ex chartis Ahenti seu Antimonasterii in bibliotheca regia asservatis, jam episcopus Carcassonensis anno 1324. ex fundo 72. librarum, centum annui reditus solidos pro duobus anniversariis prædicto Ahenti capitulo assignavit. Obtinuit etiam canonicatum B in ecclesia S. Martialis Lemovicensis, ex memorata historia genealogica, & in ecclesia Parisiensi, ut scribit Petrus Davisy; simpliciter autem canonicus Lemovicensis & clericus domini regis appellatur in litteris regiis eidem Petro Roderii & Johanni de Barris Franciæ marescallo militi regis contra prædatores inscriptis anno 1319. die 23. Septembris, & rursus in aliis ejusdem regis 27. Septembris ad eosdem & Petrum de Goland militem sagittariorum ducem datis apud Maziacum *Mezi*, quibus illis imperatur ut comiti Flandriæ vadimonium per se obeundum denuncient, solum dicitur canonicus Lemovicensis, ex C regesto 58. Anno vero 1320. cancellarius Caroli comitis Marchiæ & canonicus Remensis, ex regesto 71. cancellariæ. Dein ob singularem in agendis tractandisque negotiis industriam factus est cancellarius Franciæ die Sabbati post Circumcisionem anno 1321. usque ad 19. Novembris 1323. quo sigilla reddidit apud Andegavum, quando creatus est episcopus Carcassonensis. Ita loco citato historia genealogica &c. Et certe Johannes papa XXII. Petrum a se confirmatum episcopum Carcassonensem per translationem Guillelmi ad archiepiscopatum Auscensem regi commendavit litteris datis anno pontificatus sep- D timo. Eodem anno 1323. fundavit anniversarium & quasdam festivitates in ecclesia Carcassonensi, ex regesto 71. cancellariæ. Anno 1324. duo fundavit anniversaria in ecclesia Ahentensi, cujus canonicus fuerat, uti supra diximus. Litteras accepit a rege die 10. Februarii anno 1326. ut Narbonæ consules induceret ad suppetias ferendas pro Vasconiæ bello; qui die 6. Maii 1327. responderunt pacem inter Franciæ & Angliæ reges jam esse promulgatam, ex tabulario civitatis Narbonensis. In carthusiam de Lupateria beneficum Petrum docent quæ huic cœnobio die 24. Augusti 1327. largitus est. Regi Philippo mu- E tuos dedit mille sexcentos florenos auri pro subsidio adversus Flandros anno 1328. ut patet ex regesto cameræ rationum Parisiensis. Præsulis hujusce temporibus cum translationi Eremitarum S. Augustini e loco in quo prius habitabant in suburbium a Johanne papa XXII. permissæ obstitissent canonici, hos rogavit summus pontifex XVII. calend. Aprilis pontificatus anno XIII. ut intercessionem remitterent, ubi notandum quod inibi canonicis Carcassonensibus profitetur Johannes, eamdem se cum illis observare sancti

1324.

1326.

1327.

1328.

A Augustini regulam. Insequenti 1329. die 13. Sept. Petrus episcopus transegit cum Guillelmo Crassensi abbate. Mortuus mense Januario anni 1330. sepultus est in medio capellæ S. Bartholomæi, quam ipse in ecclesia principe construxerat, sex per annum missis ibidem pro anima sua fundatis, nempe diebus 25. Martii, 7. Julii, 28. Aug. 24. Novemb. 11. & 25. Decemb. ac insuper officio defunctorum persolvendo prima feria V. post 1. Dom. Quadrag. & postridie missa cum diacono & subdiacono in eodem sacello.

ANNI CHRISTI 1329.

Petro defuncto, cum Bernardus Vinaudi judex major (juge-mage) & Jacobus Bartholomæus fisci advocatus vicibus senescalli fungentes, vi regiarum litterarum, ut aiebant, regaliorum jure, episcopatus reditus fisco addixissent, Arnaldus Pomar archipresbyter & canonicus, capituli procurator regem ipsum appellavit die 6. Januarii an. 1329. hoc est 1330. causatus hunc episcopatum regaliorum juri obnoxium non esse, ex tabulario capituli. Rex vero Philippus dedit præceptum die 3. Februarii ejusdem anni, ex quo se a regalium jure exemtos esse contendunt episcopi Carcassonenses.

XLVIII. Petrus VI.

DE JEAN.

Successor Petri Petrus alter cognomento de Jean designatus an. 1330. die 14. Jun. ex actis consistorialibus, die 6. Sept. ejusdem anni memoratur præsens in formula Petri de Corbario pontificatum non legitimum ejurantis. Approbavit 7. Nov. confirmavitque capituli statutum, quo inprimis cautum ne juniores canonici vocem haberent in capitulo, aut alias interim vestes quam novitiorum deferrent, donec cantum & officium ecclesiasticum perfecte didicissent, ex tabulario ecclesiæ Carcassonensis. Eodem anno 13. Januarii, seu 1331. pro hodierna computandi ratione, servitia promisit debita, ex regesto pontificio. Hic ille sane est Carcassonensis episcopus qui jussus est a rege Philippo Valesio anno 1330. ut sex mille libras, quas ille & Senonensis archiepiscopus Johannæ reginæ Franciæ & Navarræ filiabus tradere tenebantur, annumeraret, ex inventario thesauri chartarum *Melanges*, fol. 169. verso. Anno 1332. 28. Julii pomerium carthusiæ de Lupateria nimis angustum dilatavit, & fontem in medium claustri suis sumtibus induxit, ex documento prædictæ donationis. Denique ob beneficia in Eremitas ordinis S. Augustini collata, prior & ascetæ conventus Carcassonensis decreverunt die 4. Novembris anni 1336. missam quotidie celebrandam pro ipso dum viveret ac post mortem, & ex sodalitio deligendum unum presbyterum qui eam celebraret, appellareturque hebdomadarius reverendi in Christo patris & domini Petri Johannis episcopi Carcassonensis, ex archivo conventus Augustinianorum Carcassonensium. Ad hujus quoque conventus ædificandam ecclesiam amplam & elegantem sumtus suppeditavit Sancius Axilana canonicus & eleemosynarius Carcassonensis, ut liquet ex litteris prioris provincialis in Provincia jubentis, ut singulis diebus pro ipso missa diceretur, sive dum superstes esset, sive post mortem. Litteræ datæ sunt VIII. idus

1330.

Odor. Rain. tom. 15. ad hunc an. §. XI.

1331.

1332.

1336.

ANNI CHRISTI

Maii anno 1335. ex eodem archivo, male ut videtur 1305. in chronico Gerardi de Vic, hoc ad episcopatum Petri IV. de Rochefort referentis. Verum idem auctor optime notat Petri VI. temporibus collegii, quod excitavit Arnaldus de Verdala Tolosæ, in vico, qui vulgo audit de *Valadés*, ut ibi nutrirentur 12. adolescentes, & addiscerent disciplinas, quæ in illius urbis doctorum conventu edocentur, capitulum ecclesiæ Carcasson. patronum fuisse designatum, adeo ut quoties opus esset, in eodem collegio adolescentes collocaret.

DE JEAN.

XLIX. Gaucelinus.

Patria Cadurcensis Gaucelinus de Jean ortus e clarissima familia Divonæ, Gaucelini cardinalis ex Benedicto fratre nepos, Petro consobrino suffectus est 25. Maii anno 1337. ex libro obligationum Vaticani. Debita servitia cameræ apostolicæ promisit 28. Maii 1338. ex regesto pontificio. Hoc autem anno in remotis agebat ex charta Crassensi, sicut & 1340. 20. Dec. quo Rogerio de Combalon sacrista & canonico Carcassonensi vicario generali utebatur, ex charta Montis olivi. Constitutiones tamen ab eo editæ leguntur anno 1339. & 1342. in catalogo codicum mss. Baluzii pag. 117. n. 788. Anno 1343. doctrinæ christianæ libellum pro parochis suæ dioecesеos elucubravit, uti adnotatur in codice statutorum episcop. Carcasson. Monachos S. Hilarii ad viginti redegit 26. Octobris 1344. hoc ipsius decretum approbante summo pontifice Clemente VI. quarto calendas Januarii anno pontificatus tertio, qui & ei permisit bulla data 26. Junii 1345. ut canonicos ecclesiæ cathedralis ad triginta, etiam dignitatibus hoc in numero comprehensis, redigeret. Anno 1345. levavit e terra ossa S. Saturnini & aliorum SS. in cœnobio S. Hilarii, transtulitque in locum decentiorem tempore Jordani abbatis. Renovatam Montis olivi basilicam consecravit die 3. Novembris an. 1346. De Gaucelino patruo hæc leguntur in necrologio Fratrum Prædicatorum Cadurcensium: *16. Maii obiit reverendissimus in Christo pater & dominus D. Gaucelinus Johannis S. R. E. cardinalis & episcopus Albanensis, oriundus de hac civitate Cadurci, qui qualis quantus vita & moribus fuerit, notum est toti ecclesiæ Dei. Dilexit summe ordinem nostrum & singularissime conventum istum, in quo est sepultus in capite ecclesiæ coram altari majori, in loco ubi tenet sacerdos pedes quando offert sacrificium. Gaucelinus hic duos nepotes habuit filios fratris successive episcopos Carcassonæ, quorum unus vocatus dominus Gaucelinus tantæ sanctitatis & exemplaris vitæ exstitit, quod Deus per ipsum multa mirabilia operatur. Præfatus autem dominus cardinalis caput ecclesiæ propriis sumptibus construi & ædificari fecit, in quo ad sinistram manum est sepultura patris & matris, & omnium progenitorum suorum. In dextera autem parte, in loco satis polite sculpto sepultus est venerabilis ac commendabilis memoriæ pater episcopus præfatus, ubi insignia qualis vitæ sanctitatis ac meriti quondam fuerit, omnibus intueri volentibus demonstrantur. Secundus autem nepos vocatus dominus Gilbertus sepultus est in loco satis contiguo illi: prænominatus autem & attente commendabilis dominus cardinalis sepultus fuit in loco præfato anno Domini MCCCXLIX. cujus anima requiescat in pace, & legavit pro anima sua, & pro suo obitu annuali C. solidos Turonenses, quos solvere debet anno quolibet nobilis & potens vir D. Benedictus Johannis filius domini Philippi domini de la Johanneta & de Salviaco & de Gualesya.*

1337. 1338. 1339. 1343. 1344. 1345. 1346.

Quod autem diximus tomo 2. col. 749. episcopum Carcassonensem Guigonem de S. Germano præpositum Aniciensem, prodiit error ex scheda D. Jacobi Boyer, quæ sic habet: *Guido de S. Germain patria Aniciensis episcopus Carcassonensis sepultus est in capitulo cathedralis Aniciensis, in tumulo canonicorum, inter quos olim adscriptus fuerat. Annus obitus ejus notatus ad 1348. reperitur in archivis capituli S. Majoli Aniciensis.* Minime vero Carcassonensis, sed Cassinensis in Campania episcopus fuit Guigo anno 1341. sicut & Guillelmus d'Aure, quem ex abbate Montis olivi episcopum Carcassonensem perperam laudat Bessus anno 1344.

Baluz. t. 1. vit. Pap. Aven. col. 784. & 898. Vide t. 1. Ital. sacræ col. 575. & 576.

DE JEAN.

L. Gilbertus.

Gaucelini frater Gilbertus, archidiaconus Montis pensati in ecclesia Cadurcensi, & in diaconatus ordine constitutus Gaucelino episcopo in curia defuncto subrogatus fuit a Clemente papa VI. anno pontificatus quinto, sive 1346. 18. Octob. ex regesto Vaticani. Debita servitia cameræ solvit apostolicæ 21. Decembris 1348. quo etiam anno 25. Februarii, seu potius 1349. secundum hodiernam computandi rationem, una cum Bernardo Helenensi episcopo nominatur exsecutor testamenti Gaucelini de Jean episcopi Albanensis & cardinalis. Eodem anno 1349. 6. Julii, quo tunc habebat vicarium generalem Philippum Eraudi ordinis S. Benedicti, excommunicatus a P. Narbonensi archiepiscopo ob denegatam obedientiam & visitationem, ipsi 14. ejusdem mensis fidelitatis obsequium spopondit, ab eodemque consecratus fuit die 16. Augusti insequentis, ex notis mss. Baluzii. Anno 1350. 23. Decembris pepigit cum Dominicanis Cadurcensibus pro his quæ cardinalis patruus testamento suo eis legaverat, ex tabulario eorumdem. Die 13. Julii anno 1351. Petrus Beraldi episcopus Agathensis eum testamenti sui nominavit exsecutorem. Eodem anno 7. Novembris interfuit concilio Biterrensi, ubi controversiam habuit de prærogativa sedendi ante alios episcopos. Vivebat adhuc anno 1354. ex charta Crassensi, qua Nicolaus sancti Vitalis presbyter cardinalis mandat reverendum patrem Guilebertum Carcassonensem episcopum ex parte abbatis & conventus Crassensis peremtorie citari. *Actum Avenione anno Domini MCCCLIV.*

1349. *T. 1. Anecd. col. 1395.* 1350. 1351. 1354.

ALBERTI.

LI. Arnaldus.

Ex decano ecclesiæ olim abbatialis, modo collegiatæ Athanensis, *S. Irier de la Perche* in dioecesi Lemovicensi Arnaldus factus episcopus Agathensis transiit anno 1354. ad Carcassonensem, ex libro obligationum Vaticani. Anno sequenti

1355.

ANNI CHRISTI

ab Eduardo Walliæ principe civitas Carcassona obsessa, & ipsum burgum totaliter consumtum, ex prima vita Innocentii papæ VI. Eodem anno die 16. Jan. qui nunc 1356. promotus est Arnaldus ad sedem Auscienfem, ubi vide tom 1. col. 995. necnon Baluzii notas ad vitas Paparum Avenion. col. 921. Ipsius ita meminit necrologium ex chronico Gerardi de Vic: *Obitus patris nostri Ar. Adalberti Carcassonæ episcopi 1. Octobris.*

Baluz. t. 1. vit. Pap. Aven. col. 327.

1356.

DE VAIROLS.

LII. Gaufridus.

Per translationem Arnaldi ad metropolim Auscienfem Gaufridus e Carpentoratensi cathedra translatus dicitur in charta ecclesiæ Carpentoratensis anno 1356. Exstant ejusdem constitutiones incerto anno editæ in catalogo codicum mss. Baluzii pag. 117. n. 788. Ejus quoque fit mentio in tabulis carthusiæ de Lupateria anno 1359. 8. Aprilis. Circa id tempus prioratum S. Petri de Vic permutavit cum capitulo pro prioratu B. Mariæ burgi novi, quod probavit Innocentius VI. pontifex sexto cal. Febr. pontificatus anno VII. qui respondet anno Christi 1359. Visitavit Gaufridus an. 1360. die 2. Septembris monasterium sancti Hilarii. Eodem anno præter diem festum dicatum memoriæ defunctorum postridie festi omnium SS. celebrari solitum, instituit alia duo festa eidem memoriæ dicata singulis diebus lunæ per singulos annos agenda post octavam Paschatis & post festum diem S. Hilarii, adeo ut his diebus cesset omne opus servile, saltem usque ad peractum missæ sacrificium. Anno sequenti indict. XIV. Innocentius papa VI. dedit præposito de Villasicca Basser Carcassonensi canonico & ejusdem capituli procuratori speciali litteras appellationis contra venerabilem patrem Gaffredum episcopum Carcassonensem. Transfertur hoc ipso anno 1361. seu nono Innocentii papæ VI. sexto idus Martii ad archiepiscopatum Tolosanum; quo anno Gaufridus olim Carcassonensis, nunc archiepiscopus Tolosanus debita servitia cameræ solvit apostolicæ die 10. Aprilis. In sacello quodam carthusiæ Cadurcensis, ubi olim sepeliebantur milites Templi, cujus fundatores censentur toparchæ de Vairols, visitur pro tessera gentilitia aquila expansis alis in area cærulea, & ante sacelli ostium tumulus est lapideus cum hac inscriptione: *Anno Dñi: M: CC: LXXX: mori: Gauffre: de: Vairols: el: mes: de: Jul: lo: Jord: de: S. Margarita:* hoc est, anno Domini 1280. moritur Gaufridus de Vairols mense Julio die S. Margaritæ.

1359.

1361.

ALBERTI.

LIII. Stephanus III.

Oriundus ex diœcesi Lemovicensi Stephanus Alberti, filius Galteri domicelli, Audoini cardinalis nepos, ac proinde Innocentii papæ VI. pronepos, ex Baluzii notis ad vitas Paparum Avenion. col. 960. translato ad sedem Tolosanam Gaufrido subrogatur in cathedra Carcassonensi ab eodem Innocentio, cujus erat notarius, tunc in minoribus ordinibus constitutus, bulla data Avenione VI. idus Martii anno pontificatus nono, seu Christi 1361. quam videsis in collectione

A Baluziana ad vitas Paparum Avenion. col. 753. Nunquam fuit consecratus, at 17. Septembris ejusdem anni factus est diaconus cardinalis tituli S. Mariæ in Aquiro ab eodem pontifice, uti legitur in priori vita Innocentii VI. cujus scriptor Stephanum vocat ejusdem papæ pronepotem ac electum Carcassonensem, qui a Papyrio Massono fol. 293. verso perperam dicitur fratris sororisve Innocentii VI. filius. Cardinalis Carcassonensis nuncupatur anno 1367. die 5. Sept. quo die in tumultu Viterbiensium adversus papam excitato ivisse ad palatium pontificis sine capello & in habitu fratris Minoritæ dicitur. Anno seq. B presbyteralem titulum S. Laurentii in Lucina obtinuit, fato functus Viterbii die 4. Septembris, ex libro obligationum Urbani papæ V. *al.** 29. Septembris anno 1369. ibique sepultus est in ecclesia cathedrali.

* Baluz. t. 1. Pap. Aven. col. 961.

FABRA & FABRI.

LIV. Johannes II.

Consanguineus Innocentii papæ VI. Johannes Fabra erat episcopus Dertusanus *de Tortose*, cum per promotionem Stephani electi Carcassonensis ad purpuram, bulla ejusdem pontificis data Avenione IV. idus Januarii pontificatus anno decimo, hoc est 1362. traductus est ad ecclesiam Carcassonensem. Unde colligas annum 1361. quo C Johannes memoratur in archivo regii patrimonii Monspeliensis, sumtum esse secundum veterem inchoandi annum a Paschate rationem, qui a Januario mense initio ducto annus est 1362. Die 15. Februarii ejusdem anni 1362. debita servitia promisit pro Arnaldo, Gaufrido & Stephano antecessoribus. Inscribitur eidem præsuli, & Inquisitori Carcassonensi bulla Urbani papæ V. data pontificatus anno secundo XIV. calend. Novembris, ut sedulo inquirant de hæresi, cujus Ademarus de Portabone miles e Sabaudia, aliique nobiles insimulabantur, ex tabulario Inquisitionis. D De Johanne legitur in Crassensibus tabulis, quod cum ad Crassæ monasterium advenisset, non prius aperta sit ei porta, quam se non visitandi aut subjiciendi monasterium, sed peregrinationis & devotionis causa accessisse, nec intendere ejus exemtionem in aliquo infringere, declarasset, qua de re facto instrumento publico ingressus est monasterium die 10. Maii an. 1365. Insequenti 12. Januarii statuta quædam circa canonicorum exsequias rata habuit & observari jussit. Vaurensi concilio trium provinciarum celebrato 1368. a die 27. Maii ad 3. Junii interfuit. Eodem anno III. idus Junii in cœnobio Montis olivi princi- E pem aram B. Johannis Baptistæ consecravit. Insequenti 1369. die 2. Aprilis mutuos dedit Ludovico regis quondam Francorum filio, regisque regnantis germano quingentos auri florenos, ex litteris authenticis Ludovici, qua ex summa die 15. Junii ejusdem anni solutas sibi jussu regis septingentas libras Johannes profitetur; cujus & habentur litteræ datæ X. Junii an. 1369. super collegio Carcassonensi Tolosæ fundato ab Innocentio V. Eodem an. mense Nov. veniam omnimodam promeritus est ab Ludovico laudato filio Johannis quondam regis & germano Caroli V. regis

1362. Baluz. not. ad vitas Pap. Aven. col. 960.

1365. 1366. 1368. 1369.

ANNI CHRISTI

regis ejusque locum in Occitaniæ partibus tenente, quæ illata fuerant ipsius regis legatis ad quasdam urbes Occitaniæ muniendas deputatis, ex archivo regii patrimonii Monspeliensis. Defunctus est anno sequenti 1370.

1370.

LV. Hugo.

DE LA JUGIE.

Ab ecclesia Biterrensi ad Carcassonensem per obitum Johannis vacantem transfertur Hugo bulla Gregorii XI. data v. calendas Julii anno pontificatus primo apud Villam novam prope Avenionem, hic est 1371. ut supra diximus in ecclesia Biterrensi: hoc autem Avenione mortuo 13. mensis Julii ejusdem anni, Gregorius papa die prima Septembris anno pontificatus primo Bertrandum Ruffini capellanum suum & sedis apostolicæ nuncium, atque Sicardum de Brugayresio S. Poncii Tomeriarum presbyterum, licentiatos in decretis, vicarios episcopatus in spiritualibus & temporalibus instituit.

1371.

LVI. Petrus VII.

GARDESII.

Anno 1371. 17. Decembris Petrus Gardesii efficitur administrator hujus ecclesiæ, ex actis consistorialibus, aiunt Sammarthani. Eodem anno 17. Februarii, hoc est 1372. pro Hugone decessore servitia debita recognovit, ex regesto pontificio, ubi dicitur *frater Petrus*, quod ipsum denotat ex aliquo assumtum fuisse ordine religioso. Cetera quæ de Petro congerunt Sammarthani, non ad hunc pertinent, sed ad sequentem: ac vicissim quæ hic de Petro Gardesii dicimus, sequenti convenire non possunt.

1372.

LVII. Petrus VIII.

DE SAINT MARTIAL.

Ortus Petrus e castro de S. Martiale in parochia S. Thomæ de capella de Planis, vulgo *la Chapelle aux Plas*, in diœcesi Tutelensi, frater Hugonis de S. Martiale cardinalis, primum fuit episcopus Rivensis, tum Carcassonensis, ac tandem Tolosanus archiepiscopus. Ex annis vero quibus in unaquaque harumce ecclesiarum sedit, certo certius colligitur hunc ipsi locum deberi ante, non post Simonem de Cramaud. Rivensem quippe gubernavit ecclesiam ab anno 1359. ad 1372. quo traductus ad episcopatum Carcassonensem sedit eo nomine anno 1374. in concilio provinciali Narbonæ, ex ejusdem actis tom. XI. concil. part. 2. in appendice col. 2498. Eodem anno vicarium generalem habuisse legitur Bertrandum abbatem S. Hilarii, testante Besso, qui & ipsum Petrum memorat 1373. Carthusiæ de Lupateria benefactor, sicuti supra dicti ejusdem nominis Petri Carcassonenses pontifices, ecclesiam de Villardonello suæ diœcesis univit mensæ conventuali ejusdem carthusiæ de mandato Gregorii XI. an. 1375. die 4. Maii. Consecravit an. 1380. altare S. Matthiæ in ecclesia S. Michaelis burgi Carcassonensis. Testis laudatur in actis fundationis ecclesiæ collegiatæ sancti Germani de Mansoserено *Maseré* diœcesis Lemovicensis factæ ab exsecutoribus testamenti Hugonis Rogerii cardinalis. *Datum Avenione die Sabb. ultima Decembris anno 1384.* ex collectione Baluziana ad vitas Paparum Avenion. col. 981. Reperitur adhuc episcopus Carcassonensis 1381. 88. & 1390. in veteri Gallia Christ. ac 1391. in chronico Gerardi de Vic, & apud Bessum. Verum hoc ipso anno jam e Carcassonensi ad ecclesiam Tolosanam translatus servitia debita promisit pro Francisco antecessore tunc archiepiscopo Narbonensi, die 23. Octobris. Ipsius ita meminit necrologium S. Nazarii Carcassonensis: *VII. cal. Febr. obitus D. Petri de sancto Martiale episcopi.* Hic testamento condito 1397. die 6. Septembris Avenione, memor ecclesiæ Carcassonensis jussit ei restitui *capellam albam pontificaliter munitam in omnibus tam pro prælato, quam diacono & subdiacono, cum duobus pluvialibus ejusdem coloris.* Condidit aliud eodem anno die 17. mensis Septembris in castro de Balmario, ubi post memoratam restitutionem addit: *Item recognosco & confiteor me habere & tenere a dicto capitulo Carcassonæ ex gratuito & amicabili mutuo quamdam mitram & crossam argenti, cum ejus baculo, necnon thuribulum & navetam argenti:* quæ omnia vetat unquam venumdari aut oppignerari, ut serventur ad usum futurorum episcoporum Carcassonensium. Vide collectionem Baluzii ad vitas Pap. Avenion. col. 1076.

1374. 1375. 1380. 1384. 1388. 1390. 1391.

LVIII. Simon.

DE CRAMAUD.

Simon Alexandrinus patriarcha post Johannem de Cardaliaco anno 1391. *al.* 1390. & Pictaviensis episcopus, e qua provincia ortum habuerat in vico Cramaudo stirpe nobili; Agathensis item antistes, Biterrensis, Avenionensis & Aginnensis, Remensis quoque archiepiscopus & cardinalis, necnon cancellarius Johannis Biturigum & Pictonum reguli, quem perperam & mendose nonnulli Dioscorum vocitant, de quo Hieronymus Surita lib. 3. factus est administrator Carcassonensis an. 1391. & quidem ante diem 28. Octobris, utpote qui jam die 25. ejusdem mensis & anni servitia debita cameræ promisit apostolicæ, quæ solvit 24. Aprilis & 28. Maii anno 1392. ex regesto servitiorum prælatorum. Vix autem Simon ecclesiæ Carcassonensi præfectus est, cum jam anno 1391. vocavit in jus Petrum de S. Martiale quondam episcopum Carcassonensem, tunc vero archiepiscopum Tolosanum, quod ecclesias parochiarum diœcesis Carcassonensis, necnon ædificia ad episcopatum pertinentia passus esset dirui. Reperitur annis 1394. die 17. Dec. & 1395. quo procerum regni conventui præfuit Parisiis habito ad exstinguendum schisma. Anno 1398. admissus est ad mensam Venceslai imperatoris, cui accumbebant duo Caroli Franciæ & Navarræ reges, principibus Alamanniæ & Franciæ ad aliam mensam considentibus. Agebat in remotis an 1401. 24. Novembris, ex tabulario Crassensi. Occurrit an. 1403. in chartis ecclesiarum Narbonensis, Carcassonensis & Montis olivi. Anno 1405. die 26. Julii adscribi voluit numero sodalium B. Annæ, quod sodalitium Helias abbas Montis olivi ejus vicarius generalis instituerat in ecclesia cathedrali 26. Maii an. 1397. Anno 1408. indictione I. die 14. Julii in loco

Surita. 1392. 1394. 1395. 1398. 1401. 1403. 1405. 1408.

ANNI CHRISTI

Liburnii diœcesis Pisanæ memoratur præsens publicationi litterarum nonnullorum cardinalium pro convocatione prælatorum ad concilium Pisanum. Eodem anno interfuit concilio ecclesiæ Gallicanæ Parisiis coacto ex præcepto Caroli regis, pro unione ecclesiæ varias in partes ob schisma Petri de Luna discissæ, ex tabulario episcopatus Albiensis; sive, ut alibi legimus, in ejus absentia tum legatione fungentis, eidem concilio præsedit archiepiscopus Senonensis. Quamobrem citatur a Benedicto XIII. (qui vulgo Petrus de Luna) responsurus de fide, bulla data Perpiniani XII. cal. Novembris pontificatus anno 15. Abdicavit anno sequenti administrationem Carcassonensem, patriarcha vero dicitur eodem anno in concilio Pisano, ubi aderat domini Francorum regis orator. Tandem anno 1413. mense Aprili factus est cardinalis, ex Baluzio. Notatur ejus obitus dies in necrologio S. Nazarii Carcasson. XIII. calendas Februarii.

T. VII. vet. script. col. 867.

1409.

LIX. Petrus IX.

Aimerici al. de Lordato.

Petro ad vitam commendatur ecclesia Carcassonensis die 25. Julii anno 1409. ex regesto Alexandri papæ V. Hic est archiepiscopus Bituricensis, qui 2. Julii 1409. factus episc. Carcass. legitur in regestis Vaticanis. Cognominatur *Aimericus* a Gerardo de Vic, *Aimerici* a Baluzio, qui *de Lordato* in appendice historiæ conventus Fratrum Prædicatorum Tolosani pag. 147. Occurrit eodem anno 1409. prima die Octobris patriarcha Alexandrinus, & ecclesiæ Carcassonensis perpetuus administrator in charta B. Mariæ Crassensis, & iterum 24. Octobris ejusdem anni, quo designatum a Guidone abbate de Crassa quemdam vicarium instituit. Hoc duplici exornatus titulo pontificatus Johannis XXIII. anno primo, hic est 1410. a Bertrando sancti Hilarii abbate monasterii regimen ablatum priori claustrali Raimundo Barta commisit. Insequenti 1411. 19. Martii cum Francisco Narbonensi antistite transegit hoc pacto, ut nisi in casibus a jure permissis non uteretur archiepiscopus verbo *mandamus*. Die 3. Aprilis ejusdem anni jus patronatus in quibusdam suæ diœceseos ecclesiis Guidoni abbati Crassensi confirmavit, ex tabulario Crassensi, ubi adhuc reperitur an. 1412. die 16. Dec. Obiit an. 1413. X. cal. Martii seu 1414. ex Baluzio, qui laudat judicium latum in parlamento Parisiensi mense Decembri anni 1413. in quo Petrus Aimerici patriarcha Alexandrinus & administrator Carcassonensis mortuus dicitur. Emendanda proinde quæ de ipsius morte diximus in archiepisc. Bituricensibus, tom. 2. col. 85.

1410.

1411.

1412.

1413.

LX. Geraldus & Guiraudus.

de Podio.

E Mimatensi cathedra Geraldus de Podio, non Heraldus de Miromonte, uti tomo primo diximus, ad ecclesiam Carcassonensem traducitur anno 1413. XIII. cal. Maii*, ex regesto provisionum Johannis XXIII. pontificatus anno tertio. Sane hoc anno sedisse in cathedra Carcassonensi evincit arrestum ejusdem anni, in quo, testante Baluzio, Geraudus episcopus Carcassonensis litem retractasse dicitur pro defuncto Petro Aimerici tunc patriarcha Alexandrino & administratore Carcassonensis episcopatus, aliamque recudisse, quæ fuerat inter dictum patriarcham defunctum & Simonem de Cramaud olim episcopum seu administratorem Carcassonensem. Ut autem huic nostro Geraudo cognomen *de Podio* affingamus, non *de Miro monte* plurima faciunt; ac primo quidem necrologium Carcassonense quod sic habet: *VIII. idus Martii anniversarium DD. episcoporum Geraldi de Podio, Gauffredi de Pompadorio, & Guillelmi Berengarii.* Alterum est, ipsius Geraldi testamentum in tabulis capituli Carcassonensis asservatum, cujus exsecutorem instituit nepotem suum Petrum de Podio monachum & eleemosynarium ecclesiæ S. Flori. Præterea quidni sit idem cum Geraldo de Podio episcopo S. Flori, quam ecclesiam ante Mimatensem rexerit & postea Carcassonensem? Tempora certe conveniunt, id innuit laudatum ipsius testamentum, remque conficit Gerardus de Vic in chronico, dum ait Gerardo cognomento Deloy, *lege* Delpoy, hoc est de Podio, ab ecclesia S. Flori fuisse translatum ad Carcassonensem. Equidem non me latet ab hoc auctore tres ex uno conflari Geraldos, & redargui Sammarthanos, quod unicum admiserint, sed salva ipsi debita reverentia, dum ab allatis alia non aderunt illius opinionis argumenta, huic refellendæ immorari vanum prorsus & supervacaneum liceat existimare. In comitiis universitatis Parisiensis die 30. Martii 1414. exeunte destinatur cum duobus aliis Gerardus Carcasson. episc. ad Johannem XXIII. summum pontificem, moniturus procuratori suo expresse mandaret ut ipsius nomine papatum ejuraret. Missus idem ad concilium Constantiense Caroli VI. Francorum regis orator una cum archiepiscopo Remensi Simone de Cramaud, Ebroicensi antistite & Ludovico Bavariæ duce, cum per idem concilium remissus fuisset ad regem, in ducatu Barrensi ab Henrico de Turre captus est; unde in detentores promulgatæ fuerunt censuræ in sessione VII. concilii an. 1416. Vindicatus tamen est a duce Lotharingiæ. Ejusdem adhuc memoria recurrit 1419. & 1420. quo testamenti tabulis die 7. Augusti conditis vult sepeliri in ecclesia cathedrali, cui mitram & indumenta sacerdotalia nigri coloris & quinquaginta marchas argenti reliquit, centumque libras quatuor ordinibus pauperum Carcassonis (ita vocat mendicantes religiosos) & ecclesiæ sancti Flori crucem argenteam cum vestibus rubei coloris. Obiit Gerardus episcopus Carcassonensis die 4. Septembris, ex necrologio Montis olivi.

* al. die 12. Maii.

1414.

Hist. Univers. tom. 5. pag. 278.

1416.

1419.

1420.

LXI. Godefridus I.

de Pompadour.

Parentibus Ranulfo Helia domino de Pompadorio & Constantia a Marchia secunda uxore natus Godefridus, quem tabulæ gentilitiæ Golfierum aliter nuncupant, ab ecclesia sancti Poncii Tomeriarum ad Carcassonensem traductus est XII. cal. Novembris anno 1420. ex regesto Martini papæ V. Carthusiam B. Mariæ de Lupateria, quæ bellorum injuria ac prædonum incursu

ANNI CHRISTI 1423.

jacturam passa fuerat, carthusiæ Castrensi non multo ante fundatæ, & tum primum adolescenti univit tabulis pontificiis die 7. Decembris 1423. Anno sequenti, die penultima Febr. jura plurima, quæ apud S. Paulum, *Pierre Bussiere & Chabanes* habebat, suo nepoti transcripsit. Die 26. Januarii anno 1426. Golferium nepotem cum Isabella de Comborn matrimonio conjunxit. Anno seq. die festo sanctorum martyrum Nazarii & Celsi patronorum ecclesiæ Carcassonensis 28. Julii adscribi voluit numero sodalium B. Annæ, uti refertur in veteri codice hujus sodalitii. Occurrit die 2. Septembris 1428. & anno 1430. præsens memoratur synodo provinciæ Narbonensis in capella B. Magdalenæ palatii metropolitani coactæ. Circa 1435. una cum suæ provinciæ coepiscopis scripsit ad concilium Basileense pro Gerardi Tomeriensis episcopi electione confirmanda. Postulavit ab Eugenio IV. summo pontifice, annitente Francorum rege Carolo VII. ut capitulum Carcassonense, quod tunc erat regulare ad statum sæcularem transferri liceret; erant autem eo tempore in capitulo quatuor dignitates, major scilicet & minor archidiaconi, & major ac minor archipresbyteri ab episcopo nominandi; novem præpositatus, de Goginco scilicet, de Villa alba, de Talabuxo, de Montelongo, de Cane suspenso, de Benausano, de Sellano, de Badenchis & Villa sicca Bassa: sex personatus seu officia, nempe sacristia, præcentoria, cameraria, infirmaria, eleemosynaria & operaria, necnon quatuor prioratus, de Manso, de Abbatia, de Tribus bonis, de Edera, &c. Postulatis annuit pontifex bulla data XVIII. calendas Decembris anno 1439. pontificatus nono, quam inscripsit Biterrensi & Vaurensi episcopis, iisdem præcipiens, ut si quæ rex & episcopus Carcassonensis asseruerunt, veritate nitantur, ipsi hujus ecclesiæ statum regularem in sæcularem commutent. Edita est in chronico Gerardi de Vic p. 161. ex quo mox daturi sumus cetera quæ ad hanc rem spectant, qualia sunt inter alia novus ordo dignitatum ecclesiæ cathedralis per Johannem Vaurensem episcopum dictæ bullæ exsecutorem institutus, ac etiam 22. capellanorum, seu præbendariorum & quatuor puerorum choralium institutio, quibus additi duo ex decreto capituli die 14. Junii anno 1449.

1426. 1427. 1430.

T. VII. vet. script. Marten. c. 776.

Chron. D. de Vic.

1439.

Tum igitur Eugenii bullam die 5. Januarii an. 1440. Johanni Vaurensi episc. alteri ex delegatis obtulerunt exsecutioni demandandam Helias de Pompadour decanus ecclesiæ collegiatæ Montis regalis, necnon senator in suprema Tolosæ curia, procurator Gaufridi episc. Carcas. & Petrus Raimundi baccalaureus in decretis, canonicus & prior B. Mariæ de Abbatia, ubi modo sunt Capucini, capituli Carcasson. procurator. Sese mox ad civitatem Carcassonensem contulit Johannes Vaurensis episc. ubi cum sibi satis superque satisfactum vidisset a partibus in probandis capitibus diplomati Eugenii respondentibus, convocatis Gaufrido episcopo & canonicis in locum ubi haberi solitum capitulum, seu conventus, sacrosancto evangeliorum codice oculis opposito, pro tribunali sedens hanc tulisse refertur sententiam.

ANNI CHRISTI Chronicon Gerardi de Vic p. 173.

A *Christi nomine invocato, quia visis & inspectis totius præsentis processus & causæ meritis, tam per legitima documenta, quam per fide dignorum depositionem testium in hac causa productorum, ac diligenter examinatorum, nobis Johanni episcopo Vaurensi commissario ad hoc per sanctam sedem apostolicam deputato legitime constat, ecclesiam Carcassonensem ordinis S. Augustini, in qua triginta canonicorum & triginta duarum, quarum episcopus Carcassonensis pro tempore existens duas percipit, præbendarum numerus est, retroactis temporibus unam de notabilioribus provinciæ Narbonensis cathedralibus ecclesiis fuisse, olimque præsidiis & ope personarum generis nobilitate ac scientiis præditarum,* B *quæ fervore devotionis ad regularem inibi professionem in canonicos ipsius ecclesiæ se recipi procurabant, ac ipsius jura persequebantur & defendebant, tantum in spiritualibus & temporalibus incrementum suscepisse, quod mensæ capitularis ejusdem facultates & reditus ultra sex millia librarum Turonensium secundum communem æstimationem annuatim valebant, ac ipsam a quinquaginta, proh dolor! annis citra, propter mortalitatem pestis, ac alia plura inconvenientia, quæ in civitate Carcassonis ac patria circumvicina viguerunt, ac ex eo quod plurimorum refrigescente devotione religiosorum, eorumque incuria sive* C *negligentia, quorum plerique, qui nec scientiis eruditi, neque genere nobiles erant, ipsius jura prædicta conservare & protegere non valebant, tantam in suis reditibus & facultatibus diminutionem recepisse, quod vix duarum millium librarum ejusdem facultates & reditus annuatim ascendunt, & de valore dignitatum & officiorum ac beneficiorum ejusdem, qui prius fuerant, tres fere partes detractæ sunt, ob quod ecclesia ipsa viris exemplaribus, graduatis & nobilibus plurimum destituta, si sub dispositione seu directione religiosorum remaneat, verisimiliter esset opprobrio desolationis omnimodæ subjicienda: quodque eidem utilius consuli posse non videtur, quam quod in sæcu-* D *larem viris eruditis & generosis, qui eidem in ipsius conservandis & augendis juribus suffragentur, fulcienda, reducatur. Idcirco nos Johannes episcopus Vaurensis auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa, in prædicta Carcassonensi ecclesia præfatum ordinem S. Augustini, salvo quod nunc existentes canonici dictum ordinem expresse professi, qui ad monasteria, seu alia loca religiosa transferri voluerunt, secundum litterarum commissionis nostræ tenorem, ne nimium ab aliis ibidem supervenientibus discrepent, relicto rocheto lini albi, cum vestibus honestis non brevitate nimia vel longitudine notandis, coloris bassi non rubei, neque viridis, quos eis pro habitu conde-* E *centi assignavimus, cum eisdem supervenientibus portionem æqualem recepturi, remaneant, supprimimus & extinguimus, statuentes & ordinantes, quod nullus inibi deinceps in canonicum prædicti ordinis recipiatur; dictamque ecclesiam cum quibuslibet insigniis, & immunitatibus reliquis sæcularibus, ejusdem provinciæ cathedralibus ecclesiis quomodolibet competentibus; ad sæcularem auctoritate apostolica redigimus & reducimus, ac in eadem numerum triginta canonicorum, quem perantea in eadem ecclesia per bullas apostolicas super reductione numeri canonicorum ejusdem ecclesiæ per sedem apostolicam concessas, nulla*

ANNI CHRISTI

expost mutatione super dicto numero secuta, nobis constitit fuisse, æqualiter præbendatorum pro idoneis personis sæcularibus in locum dictorum professorum, quamprimum defecerint, singulis singulariter substituendorum, instituimus, ac ipsius dignitates & officia, & beneficia, per primum cujuslibet ipsorum quovis modo contingente vacatione, per clericos duntaxat sæculares regi ac gubernari debere decernimus. Cæterum quia dignitates & officia præfatæ ecclesiæ in sua primæva fundatione secundum regularem ordinem erecta & instituta, eidem ecclesiæ nunc in sæcularem reductæ minime congruunt, & ecclesiam eamdem noviter reductam deceat novis dignitatibus & personatibus ecclesiæ sæculari convenientibus insigniri, ut ipsa ecclesia decore splendeat uberiori, eadem auctoritate nobis in hac parte commissa, majoris archidiaconatus, & majoris & minoris archipresbyteratus, ac cæterorum dictæ ecclesiæ personatuum, officiorum, præpositatuum & prioratuum, præter quam archidiaconatus minoris, quem archidiaconum absque adjectione minoris nominari statuimus, sacristiæ, quæ personatus, & præcentoriæ, quæ officium in ipsa ecclesia erunt, & quas in eadem remanere statuimus & ordinamus, nomina supprimimus & exstinguimus; ac decanatum, qui in præfata ecclesia dignitas major post pontificalem existat, & cui ejusdem ecclesiæ personarum animarum cura immineat, primumque locum & primam vocem in capitulo, & stallum in choro primum post episcopum habeat, & unam thesaurariam, quæ tertia dignitas sit in eadem, & locum & vocem in capitulo, & stallum in choro post archidiaconum, qui secunda dignitas erit, quem in eadem remanere ordinavimus, creamus & instituimus. Collationem quoque & provisionem dictorum decanatus, archidiaconatus & thesaurariæ episcopo ecclesiæ prædictæ pro tempore existenti, sacristiæ vero & præcentoriæ ac canonicatuum & præbendarum earumdem, præterquam nunc vacantium canonicatuum & præbendarum, capitulo ejusdem ecclesiæ in perpetuum reservantes. Incorporationem autem, unionem & annexationem fructuum, redituum & proventuum dignitatum, officiorum, præpositatuum, prioratuum, & beneficiorum, per nos, ut præmissum est, suppressorum, creatis de novo dignitatibus, aut mensæ capitulari, prout secundum Deum nobis faciendæ videbuntur, & quod ad alia nobis in litteris apostolicis commissa valeamus procedere, in futurum nobis reservamus. Hanc sententiam nostram & ordinationem in his scriptis proferentes pro tribunali sedentes. Johannes episcopus Vaurensis.

Ibid. pag. 177.

Alias idem protulit in hunc modum sententias.

Sane, quia per nostram solertem inquisitionem ac sedulam & sollicitam informationem constat nobis Johanni divina miseratione episcopo Vaurensi, commissario, judici & reformatori antedicto, quod quia in dicta ecclesia cathedrali Carcassonis non sunt instituti ultra canonicos in aliquo competenti numero perpetui ministri, videlicet hebdomadarii presbyteri, diaconi, subdiaconi & alii clerici ministerii inferioris, sed solum in ipsa ecclesia aliquando plures & aliquando pauci temporales capellani existunt, quorum aliqui fratres, alii presbyteri chori consueverunt nuncupari, & aliqui alii, qui per canonicos dictæ ecclesiæ pro suo servitio soliti fuerunt teneri; qui omnes ad votum capituli dictæ ecclesiæ & canonicorum ejusdem recepiuntur, & etiam interdum removentur, dicta ecclesia patitur in divino cultu ex servitio chori & ecclesiæ defectum, quod cedit in ipsius ecclesiæ, capituli & canonicorum ejusdem opprobrium & scandalum plurimorum. Hinc est quod nos commissarius præfatus cupiens divinum cultum in ipsa ecclesia potius augeri quam diminui a solemniis solitis, obsequium Deo exhiberi, & in melius præfatam ecclesiam reformari in præmissis, de dictorum dominorum episcopi & capituli consensu, virtute commissionis nostræ antedictæ, statuimus, decernimus & ordinamus, ut in ipsa cathedrali ecclesia Carcassonis per capitulum instituantur & recipiantur decem & octo capellani idonei, qui bene legant & cantent, ac divina officia facere sciant, qui sint in eadem perpetui & vocentur capellani chori, sive præbendarii: de numero quorum eligantur per capitulum quatuor magis idonei in hebdomadarios prædictæ ecclesiæ, qui in missis & aliis divinis officiis suppleant vices canonicorum impeditorum in sua hebdomada, & incipiant in choro horas canonicas & etiam compleant, prout in aliis ecclesiis sæcularibus est fieri consuetum: & duo alii de numero antedicto ponantur curati ejusdem ecclesiæ, qui missas parochiales habeant dicere & curam ipsius gerere, prout est solitum observari. Ac etiam instituantur ultra dictos decem & octo capellanos duo diaconi & duo subdiaconi, qui habeant in ipsa legere & cantare epistolas & evangelia cum apparatu in missis conventualibus, & in aliis dictæ ecclesiæ officiis interesse, qui etiam sint perpetui. Et quod præbendæ dictorum quatuor hebdomadariorum, duorum diaconorum & duorum subdiaconorum, & duorum curatorum requirant residentiam continuam. Et ultra præbendarios dictos instituantur quatuor pueri, qui clerici chori nuncupentur; qui faciant ministeria inferiora in ipsa ecclesia, ad nutum capituli instituendi vel destituendi. Volumus etiam, statuimus, & ordinamus, quod prædictæ præbendæ perpetuæ per capitulum communiter conferantur.

Cæterum quia certarum dignitatum, officiorum, præpositatuum, prioratuum & beneficiorum dictæ ecclesiæ & per canonicos regulares ejusdem regi consuetorum, juxta potestatem nobis attributam in bulla nostræ commissionis, nomina suppressimus, & ipsorum cum omnibus juribus & pertinentiis suis, unionem, annexationem & incorporationem mensæ capitulari, ac per nos creatis & institutis & remanere ordinatis dignitatibus, personatibus & officiis fiendam reservavimus, ad uniones prædictas, absque tamen præjudicio ipsorum sic uniendorum possidentium procedentes de dictorum dominorum episcopi & capituli consensu super hoc cum eisdem matura deliberatione præhabita, decanatui in dicta ecclesia per nos creato & instituto archidiaconatum majorem per nos suppressum una cum omnibus juribus, fructibus & obventionibus suis quibuscumque unimus, annectimus & incorporamus; archidiaconatum vero per prius vocatum minorem, per sub nomine archidiaconatus simpliciter in eadem ecclesia remanere ordinatum, fructus, reditus, & obventiones, quas per prius habuit, integras habere & eidem

ANNI CHRISTI

integranter remanere ordinamus. Thesaurariæ autem per nos creatæ & ordinatæ prioratum de Abbatia ejusque fructus, proventus & oblationes quascumque, necnon & eos quos camerarius dictæ ecclesiæ recipere consuevit, unimus, annectimus & incorporamus. Sacristiam vero, quam personatum, & præcentoriam, quam officium in dicta ecclesia esse & remanere disposuimus, fructus & reditus, quos per prius recipere consueverunt, etiam in futurum integraliter percipere ordinamus. Mensæ insuper capitulari archipresbyteratus, majorem de Alairaco & minorem de Monsano, & prioratum de Berriaco per prius ad dicti domini episcopi, necnon eleemosynariam nunc per obitum domini Bertrandi Carente ultimi ejusdem possessoris vacantem, infirmariam & operariam, olim officia dictæ ecclesiæ, ac etiam præpositatus de Montelongo, de Canesuspenso, de Venausano, de Cellano, de Villasicca bassa, de Badenchis, ac prioratus de Tribus bonis & Hedera ad dicti capituli collationem spectantes, cum omnibus juribus, reditibus, proventibus & obventionibus suis quibuscumque unimus, annectimus & in perpetuum incorporamus, dantes & concedentes licentiam, auctoritatem & potestatem dicto capitulo, ut dictæ eleemosynariæ, sicut præmissum est vacantis & per nos, ut prætactum est, eidem unitæ exnunc, necnon eidem capitulo, decano & thesaurario nunc vel pro tempore existenti, ut quotiescumque contigerit nunc obtinentes cæteras dignitates, officia, prioratus & præpositatus prædictos per nos unitos eidem cedere, vel eos, aut aliquos eorum decedere, possint & valeant dictum capitulum, decanus & thesaurarius auctoritate propria possessionem eorumdem, aut alterius ipsorum, prout ad quemlibet eorum spectat, vel spectabit, libere apprehendere, eorum fructus, reditus & proventus percipere vel levare & in suos usus & cujuslibet ipsorum, prout ad eum pertinuerit, convertere & perpetuo retinere, diœcesani loci & cujuslibet alterius licentia super hoc minime requisita: ordinantes tamen & statuentes quod quamprimum contigerit uniones ecclesiarum de Montelongo, de Canesuspenso, de Alairaco, de Monsano, de Berriaco, & de Villasicca bassa, quibus cura imminet animarum, vel alterius earum, suum debitum sortiri effectum, ne in eis animarum cura prædicta negligatur, vel cultus in eis divinus diminuatur, quod dictum capitulum, cui dicta beneficia, sicut præmissum est, sunt unita, vicarios perpetuos cum sufficienti provisione ad jura episcopalia & alia onera ordinaria in iisdem supportanda, qui divinum habeant inibi officium exercere, & curam animarum gerere, constituant; aut alios in prædictis de consensu episcopi Carcassonensis, qui pro tempore erit, debite provideant. Reservantes nobis, quod ad reliqua nostræ commissionis de die in diem procedere valeamus. Hanc nostram super præmissis sententiam & ordinationem in scriptis dantes, pro tribunali sedentes, Johannes episcopus Vaurensis commissarius præfatus.

Qui tandem die 27. Januarii ejusdem anni 1440. rem ad exitum perducturus, convocandum duxit Gaufridum episcopum Carcassonensem cum capitulo, quibus alta & intelligibili voce perlegendum voluit statutum sexaginta capitibus comprehensum, cujus ordinem cum canonici, tum alii ministri, quicumque vel intra vel extra ecclesiam Carcassonis, consequi deberent. Hoc videsis in chronico laudato pag. 180. Bullam vero Eugenii papæ IV. hæc omnia confirmantis, ex eodem chronico desumtam subjicimus.

Ibid. pag. 195.

Eugenius episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Regno universalis ecclesiæ licet immeriti, divina disponente clementia, præsidentes pro ecclesiarum omnium statu salubriter dirigendo, sicut ex debito nobis desuper injuncti pastoralis tenemur officii, sollicitæ considerationis intuitum extendentes ad ea, per quæ illarum indemnitatibus & personarum Altissimo in eis famulantium commoditatibus salubriter consulitur, sollicitudinem nostræ partis favorabiliter exhibemus. Dudum siquidem ex certis tunc expressis causis, venerabilibus fratribus nostris Biterrensi & Vaurensi episcopis, eorum propriis nominibus non expressis, per alias nostras litteras sub certa forma inter alia dedimus in mandatis, ut in ecclesia Carcassonensi, quæ tunc ordinis sancti Augustini erat, ipsum ordinem (salvo quod tunc existentes ibidem canonici dictum ordinem expresse professi ad monasteria, seu alia religiosa loca, si eorum consensus accederet, transferrentur, vel si non vellent transferri, sub unius ex eis, qui prior appellaretur, & per episcopum Carcassonensem existentem pro tempore deputaretur, obedientia & devotione, sicut prius, ac in eum casum ut tunc quoad hoc ab aliis supervenientibus ibidem minime discreparent, condecenti, de quo ipsis videretur habitu in dicta ecclesia de illius fructibus, reditibus & proventibus æqualem cum eisdem supervenientibus portionem recepturi remanerent) auctoritate apostolica supprimerent & extinguerent, ac quod nullus ex tunc inantea in canonicum præfati ordinis reciperetur, statuerent & ordinarent, ac dictam ecclesiam, cum quibuscumque libertatibus & insigniis ac immunitatibus reliquis sæcularibus provinciæ Narbonensis, de qua illa etiam tunc existebat, cathedralibus ecclesiis quomodolibet competentibus, ad sæcularem redigerent & reducerent; archidiaconatus quoque, archipresbyteratus, præpositatus, prioratus & alia beneficia ecclesiastica in dicta ecclesia existentia, & ab illa dependentia; post primam cujuslibet eorum quovis modo contingentem vacationem, per clericos duntaxat sæculares regi & gubernari debere decernerent, prout in eisdem litteris plenius continetur. Et deinde, sicut nobis nuper pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Francorum regis illustris, & venerabilis fratris nostri Gaufridi episcopi Carcassonensis exhibita petitio continebat, venerabilis frater noster Johannes episcopus Vaurensis solus ad dictarum, prout ex earum forma poterat, procedens exsecutionem litterarum; illarum vigore inter alia præfatum ordinem in dicta ecclesia (salvo quod canonici præfati ordinis tunc ibidem existentes, qui ad monasteria, sive alia religiosa loca transferri non volebant, sub unius ex eis, qui prior appellaretur, obedientia & devotione sicut prius, & ut aliis supervenientibus quo ad minus discreparent, quod in habitu sæcularium canonicorum incedere possent, in ipsa ecclesia remanerent) suppressit penitus & extinxit, ac quod deinde nullus inibi in canonicum dicti ordinis reciperetur, statuit & ordinavit; necnon

præfatam ecclesiam ad sæcularem redegit & reduxit, ac archidiaconatus, archipresbyteratus, præpositatus, prioratus & alia beneficia supradicta, post cujuslibet eorum vacationem quovis modo contingentem, per clericos duntaxat sæculares debere regi decrevit pariter & gubernari. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, illi ex dictæ ecclesiæ canonicis, qui ante illius status immutationem ibidem in canonicos recepti fuerant, ex eo quod per præmissa se a præfatis archidiaconatibus, archipresbyteratibus, præpositatibus, prioratibus & beneficiis, in quorum assecutione propter priorem ipsorum in canonicos dictæ ecclesiæ receptionem merito præferri deberent, se penitus exclusos intuentur, suis honori, & statui nimium reputent derogatum: Nos ut eadem præmissa cujusvis sublato impedimenti obstaculo suum plenum & integrum quantocius sortiantur effectum, ac canonicis in ecclesia ordinis hujusmodi ut etiam habeant unde statum suum decentius tenere valeant, de alicujus subventionis auxilio providere volentes, regis & episcopi prædictorum in hac parte supplicationibus inclinati, suppressionem, extinctionem, statutum, ordinationem, redactionem, reductionem & decretum prædicta, necnon omnia & singula circa illas gesta, facta, ac inde secuta, rata habentes & grata, eadem auctoritate apostolica ex certa scientia tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac nostri scripti patrocinio communimus, supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, & nihilominus cum singulis canonicis in ecclesia ordinis hujusmodi ut cum suis canonicalibus portionibus, quas in dicta ecclesia percipiunt, quodcumque beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura consuetum clericis sæcularibus assignari, quod de archidiaconatibus, archipresbyteratibus, prioratibus, præpositatibus in ecclesia existentibus, & ab ea dependentibus hujusmodi non fuerit, etiamsi canonicatus & præbenda, dignitas, personatus, administratio, vel officium in metropolitana, alia cathedrali, vel collegiata ecclesia, aut parochiali ecclesia, aut ejus perpetua vicaria, & dignitas ipsa in metropolitana, vel alia cathedrali post pontificalem major, aut in collegiata ecclesia hujusmodi principalis fuerit, & ad illam & hujusmodi personatum, administrationem, vel officium, consueverit quisvis per electionem assumi, eique cura immineat animarum, si alias eis canonice conferatur, aut eligatur, vel assumatur, ad illa recipere, & quoad vixerint retinere, illudque simpliciter, vel ex causa permutationis, quotiens sibi placuerit dimittere & loco dimissi aliud simile vel dissimile beneficium ecclesiasticum recipere, & quoad vixerint retinere libere & licite valeant, auctoritate, tenore & ex scientia similibus dispensamus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis ac statutis & consuetudinibus Carcassonensibus, & illius, in qua aliud beneficium hujusmodi forsan fuerit ecclesiarum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque, proviso quod singula beneficia in vim dispensationis retinenda hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis, si qua illis immineat, nullatenus negligatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis commun. . . . . suppletionis voluntatis, & dispensationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ 1443. V. idus Aprilis, pontificatus nostri anno XIII. P. de Riexeto, B. Bonarellæ, Jacobo Bomorte.

Dum autem hæc aguntur, Godefridus episc. Carcasson. anno 1442. die 28. Augusti vicarium perpetuum instituit in ecclesia S. Michaelis burgi Carcassonensis, nominante capitulo, ad hoc rogato per principem Mariam uxorem Caroli VII. Francorum regis. Denique anno 1445. die 1. Januarii, qui nunc 1446. mortuus est ex regesto Vaticani, qua quidem die sic habetur in necrologio carthusiæ Castrensis: *Calendis Januarii dominus Gaufredus episcopus Carcassonæ, qui univit domui isti Belli visus omnia bona & jura domus Lupateriæ.* Voluit idem episcopus a morte sua celebrari missas cum cantu, quas vulgus vocat *obitus* decima die Martii & decima sexta Septembris, pro anima sua, uti habet martyrologium ecclesiæ Carcassonensis.

1446.

LXII. JOHANNES III.

D'ESTAMPES.

In lucem editus est Johannes d'Estampes patre Robineto *al.* Roberto toparcha de Salbris & *de la Ferté-Imbault*, matre vero Jaqueta Rolland (Levrauld). Germanos habuit Johannem Nivernensem & Guillelmum Condomienses episcopos, Robertum seu Robinetum de Stampis militem ex arresto anni 1445. testante Baluzio, & Johannem de Stampis toparcham Feritatis-Naberti, ex chronico Gerardi de Vic pag. 198. & 208. Erat præpositus ecclesiæ Tutelensis annis 1438. & 1439. & ex Sammarthanis cubicularius apostolicus, S. Hilarii Pictaviensis thesaurarius, decanus ecclesiæ majoris S. Petri, necnon summus ærarii regii tribunus, seu generalis, ut tum vocabant, *Financiarum* regni, Johanni Biturigum duci a confessionibus & supplicum libellorum magisterio præfectus; & in schedis D. de Gagneres legitur Johannes de Stampis cantor Parisiensis 1436. factus post litem Carcasson. episcopus. Vocatur subdiaconus apostolicus & decanus Pictaviensis in bulla qua promovetur ad episcopatum Carcassonensem per obitum Gaufredi, IV. calend. Novembris anno 1446. ex libro 2. provisionum Eugenii papæ IV. Eodem anno die 27. Martii, qui nunc 1447. libras 150. accepisse scripto profitetur. Memoratur eodem anno 1447. in tabulis carthusiæ Castrensis, 1448. 1450. & 1451. in chartis authenticis D. de Gagneres, quibus duobus ultimis annis seipse vocat unum ex generalibus rei ærariæ in Occitania præfectis. Ejusdem episcopi & Caroli VII. regis precibus an. 1448. VII. idus Augusti Nicolaus V. papa loco 32. præbendarum, quæ hactenus in ecclesia cathedrali fuerant, decem & octo tantum fore in posterum decrevit, quindecim videlicet pro totidem canonicis, duas pro episcopo & unam fabricæ addictam. Vide chartam in chronico Gerardi de Vic pag. 199. Recensetur & anno 1450. 3. Novemb. in clientela Petri Britanniæ

Vide t. 2. Gal. Chr. col. 679. & Baluz. Append. hist. Tutel. pag. 751.

1447.

1448.

1450.

ANNI CHRISTI *Argentré pag. 654.* 1453.

ducis Carolo VII. regi exhibita apud Montem Basonis. Eodem anno instituit festum corporis Christi in sua diœcesi. Interfuit Occitaniæ comitiis generalibus 27. Martii 1453. Insequenti anno 20. Septembris de mandato regis vectigal in merces e Gallia in Aragoniam & vicissim transferendas elocavit Michaeli Tincturerii civi Monspeliensi & Petro de Fonte cooperto militi Perpiniani, ex tabulario B. Mariæ Deauratæ apud Tolosam. Querelam habebat cum Nivernensi comite pro terris de Druy & de Bussy, ut patet ex judicio senatus Parisiensis lato die 14. Aug. 1456. inter probationes historiæ domus de Chatillon pag. 238. Denique obiit Nivernis in palatio episcopali 25. Januarii an. 1455. exeuntis, tumulatusque fuit in ecclesia cathedrali in eodem quo postea germanus Johannes urbis pontifex sepulcro in capella S. Catharinæ, ubi legitur epitaphium litteris aureis exaratum, quod ex gallico sic habet: *Hic jacent reverendi patres in Domino dominus Johannes d'Estampes permissione divina episcopus Carcassonensis, consiliarius regis Caroli VII. & ærarii ejus generalis, qui decessit Nivernis in palatio episcopali 25. Januarii 1455. Dominus Johannes d'Estampes ejus germanus, episcopus Nivernensis & consiliarius ejusdem regis Caroli defunctus est 24. Decemb. 1462. Hi condidere istam capellam & fundavere missam quotidianam hora primæ, &c.* Ecclesiæ Carcasson. necrologium præcipit diebus 25. Januarii & Junii celebrari missas duas, quas vocat *obitus* pro anima Johannis episcopi Carcasson. in cujus testamenti fragmento legitur: *Facio,* inquit, *exsecutores hujus mei testamenti fratres meos episcopum Nivernensem, dominum Robinetum, Johannem, & magistrum Guillelmum episcopum Condomiensem, &c. Datum in domo episcopali anno Domini 1455. die 22. mensis Januarii, præsentibus R. in Christo patre & domino domino Nivernensi episcopo, & venerabilibus & discretis viris magistris Johanne Raverii & Henrico de Saxonia canonicis ecclesiæ Nivernensis testibus ad id vocatis.* Biennio post Johannes episcopus Nivernensis illius testamenti exsecutor una cum episcopo Condomiensi & Johanne d'Estampes apocham dedit receptori generali pro 600. libris die 4. Febr. an. 1457.

(1455.)

LXIII. Godefridus II. *seu* Gaufridus.

DE BASILHAC.

Defuncto Johanne capitulum Carcassonense vicarios quatuor generales nominavit die 3. Febr. 1456. nec multo post, die scilicet 13. ejusdem mensis & anni Godefridum de Basilhaco ex nobili prosapia & legitimo matrimonio Carcassonæ progenitum, bonis moribus pollentem, canonicum ecclesiæ Carcassonis & in subdiaconatus ordine constitutum, via S. Spiritus, unanimi omnium canonicorum (præsentium) consensu episcopum elegit, quam cum electionem Calixtus papa III. rejecisset die 25. Junii 1456. alteram tentarunt electionem canonici die 21. Julii, iterumque eadem sancti Spiritus via electus est Godefridus; cujus electionis decreto Radulfo Bouverii vicario generali Ludovici de Haricuria Narbonensis archiepiscopi in remotis tunc agentis exhibito 14. Augusti, postridie Radulfus omnibus qui electioni præfatæ contradicebant, & maxime Guillelmo d'Estampes episcopo Condomiensi & canonico Carcassonensi, Johanni de Castro & Petro de Trilia ejusdem ecclesiæ canonicis diem indixit decimam quintam Septembris sequentis Narbonæ causas intercessionis exposituris. Quid factum postea, nobis incompertum, nisi quod Gaufridus diu litigaverit tum in curia Parisiensi, tum in Romana, ut constat ex arresto anni 1460. teste Baluzio, in quo legitur: *Magister Petrus Gaufredi de Basilhaco se dicens electum in episcopum Carcassonensem contra magistrum Johannem de Castro jus ad eundem episcopatum prætendentem:* & ex codice actorum diurnorum capituli Carcassonensis die ultima Septembris anni 1461. Postea tamen cessisse videtur: legitur enim in regesto Pii II. papæ *Gaufridus de Basilhaco electus Carcassonensis & postea Rivensis pridie cal. Maii an. 1462.* quem episcopatum damni sarciendi gratia curavit Johannes a Castro illi conferendum, ex chronico Gerardi de Vic sæpius laudato.

LXIV. Johannes IV.

DU CHASTEL.

Hic ille est Johannes de Castro *du Chastel* qui e Nemausensi ad quam e Viennensi migraverat invitus, ad Carcassonensem ecclesiam traductus est bulla pontificia data VII. cal. Julii an. 1456. quique Carcassonensis episcopus memoratur 25. Julii anno secundo Calixti III. in libro solutionum cameræ apostolicæ. Electus tamen solummodo dicitur an. 1457. die 6. Aprilis, quo Alanus cardinalis S. Praxedis, legatus Avenionensis per Gallias abbatiam S. Leonardi Ferrariensis ex resignatione Harduini Batterel in manibus legati facta, huic electo Carcassonensi commendavit. Æmulum vero pro Carcassonensi cathedra non solum passus est Godefridum de Basilhac, sed & Matthæum de Graves filium Johannis de Graves domini de Villegli in Occitania, & Navarræ de Hauspoul, designatum a Carolo rege VII. die 3. Decembris *al.* Septemb. anno 1456. Verumtamen jam ab anno saltem 1459. 8. Decembris episcopatum Carcassonensem Johannes de Castro possedisse videtur: hac enim die capitulum hujus ecclesiæ Johanni episcopo Carcassonis designavit canonicum e suo gremio ad ecclesiam seu beneficium de Fontiano ripæ Atacis seu Minerbesii. Idem episcopus appellatus, ac perpetuus administrator monasterii sancti Leonardi de Ferrariis hoc monasterium Tironiensem abbatem visitare volentem præsens impedivit die 26. Aprilis 1461. qui tamen eodem anno 16. Maii Leoneto abbati Tironiensi spopondit illi se præstiturum juramenta ab antecessoribus præstari solita, quibus præstitis in administratorem admitteretur, ex tabulario Tironiensi & S. Launi Thoarcensis. Johannes tamen episcopus tracta per aliquot annos mora in comitatu christianissimi regis Ludovici XI. non nisi die Mercurii 13. Martii an. 1464 seu 1465. Carcasson. invisit ecclesiam, quo tempore canonicos blande omnino allocutus est. Serviti debita

(1456. 1459. 1464.)

ANNI CHRISTI 1466. 1470. 1471. 1472. 1473. 1474. 1475.

solvit anno secundo Pauli II. papæ. Recensetur annis 1466. & 1470. in regestis senatus Tolosani. Vocatur episc. Carcasson. & administrator perpetuus abbatiæ Ferrariensis diœcesis Pictav. 20. Julii 1468. in charta sancti Launi Thoarcensis. De eo in arresto anni 1471. teste Baluzio legitur: *Johannes de Castello episcopus Carcassonensis & administrator perpetuus abbatiæ de Ferreriis Pictaviensis diœcesis in universitate Parisiensi studens.* Contulit anno sequenti rectoriam ecclesiæ de Podiocherico, ex Sammarthanis. Reperitur eodem an. XIV. cal. Octobris in regesto Sixti papæ IV. & in bulla ejusdem papæ data 1473. quæ asservatur in archivis ecclesiæ Narbonensis. Eodem anno 1473. 1. Decembris obtinet a rege litteras contra Johannem episcopum Pictaviensem, qui sibi jus visitandi abbatiam Ferrariensem arrogabat. Idem simul etiam præpositus sancti Stephani Tolos. & duarum abbatiarum commendatarius officium præcentoris cum canonicatu & præbenda in ecclesia sua collegiata Montis regalis canonico Carcassonensi die 3. Julii an. 1474. contulit. Tolosæ tandem decessit in domo præpositi die 15. Septemb. an. 1475. sepultus 26. ejusdem mensis in ecclesia Carcassonensi prope majus altare. Sic habet necrologium sancti Nazarii Carcassonensis: *III. nonas Maii obitus D. Johannis de Castro episcopi.* Johanni vero fratrem fuisse celeberrimum Tanaquillum de Castro, vulgo *Tanneguy du Chastel*, vicecomitem de Belliere præclare gestis in bello sub Carolo VII. & Ludovico XI. regibus commendandum docent nos litteræ emortui fundi a Ludovico rege concessæ pro certis capituli Carcassonensis feodis in gratiam Tanaquilli du Chastel, ut posset facilius exsecutioni mandare testamentum fratris sui Johannis Carcass. episcopi, pro quo debet fundum assignare ad celebrandam quotidie missam. Litteræ regiæ datæ sunt Plessiaci prope Turones mense Decembri anni 1476.

al. de Labelliere.

LXIII. Guiscardus & Guichardus.

D'Aubusson.

De hoc episcopo non semel habuimus sermonem, nempe in Cadurcensibus & Conseranensibus episcopis tom. 1. col. 145. & 1139. Frater erat Petri cardinalis d'Aubusson magistri Rhodiorum equitum, patruus vero Antonii militis domini de Monteil, quem ex asse constituit heredem, ex archivo regii patrimonii Monspeliensis. Transfertur ab ecclesia Cadurcensi, cujus necdum apprehenderat possessionem, ad Carcassonensem, bulla Sixti papæ IV. data idibus Julii 1476. ad quam accessit 1477. honoris causa obviantibus illi tribus a capitulo delegatis canonicis 14. Junii. Memoratur eodem anno 24. Febr. in libro solutionum, & in documentis carthusiæ Castrensis annis 1477. 1480. & 1487. ac in regestis senatus Tolosani ann. 1482. 1484. & 1486. Anno 1493. die 29. Martii Alexander VI. pontifex maximus mandavit Guiscardo Carcassonensi episcopo ut finem imponeret liti Claudium inter & Carolum, qui ambo pro S. Flori episcopatu decertabant. Verum hanc provinciam deprecatus est Guiscardus, suaque causatus negotia fratrem Bernardum Sanati episcopum Hipponensem delegavit litteris datis 12. Novembris anno 1493. ex archivo Piperacensi. Vicario generali utebatur Petro de Lanafranca decretorum doctore, sedis apostolicæ protonotario & abbate de Cagnota anno 1494. die 9. Martii. Mense Novembri anni 1497. pro missa ad altare S. Bartholomæi majoris ecclesiæ quotidie dicenda, & altera in B. Virginis honorem prima cujusque mensis die Sabbati alta voce decantanda, necnon & pro anniversario, locum de Gorgoneto *al.* de Borgonheto cum omnimoda jurisdictione ac pertinentiis, librasque ducentas assignavit, ex tabulario capituli, sive uti legitur in chronico Gerardi de Vic pag. 230. condito testamento, millenos aureos capitulo Carcassonis legavit, ad quotidianam unius missæ celebrationem, & annuam obitus, sive altæ missæ. Obiit extra suam civitatem die 24. eorumdem mensis & anni.

1476. Tom. 2. vet. script. col. 1574. 1477. 1480. 1493. 1494. 1497.

LXIV. Petrus IX.

D'Auxilion.

Post mortem Guiscardi Petrus d'Auxilion in decretis baccalaureus & canonicus ecclesiæ Carcassonensis, quod ei munus ex mandato capituli Petrus * Arnaldus de Lanafranca canonicus & præcentor, ac judex major in senescallia Carcass. qui postea electus est in episcopum Electensem vice & nomine capituli anno 1483. contulerat, & anno sequenti vicarius perpetuus S. Vincentii burgi Carcasson. ad præsentationem capituli institutus, eligitur episcopus die 6. Decembris anno 1497. a decem canonicis, quæ major & sanior pars capituli electionem confirmari a Petro archiepiscopo Narbonensi, aut ejus vicario generali postulavit. Hac obtenta 22. Decembris ejusdem anni, continuo Petrus mittitur in possessionem episcopatus, nec multo post inauguratur Narbonæ a collegis episcopis provinciæ, Petroque archipræsuli obedientiam spopondit. De electione nihilominus conquestus Carolus VIII. Francorum rex litteris ad capitulum datis 16. Februarii 1497. hoc est 1498. declarat capitula regni Franciæ teneri mortem sui episcopi quamprimum regi significare, facultatemque ab eo postulare eligendi quem ipsi gratum & fidelem fore cognoverint; cui officio contra quam jusserat canonicos ecclesiæ Carcassonensis defuisse queritur Carolus, dicens Petrum ad hunc gradum pervenisse favore subnixum Petri a S. Andrea judicis majoris in præfectura Carcassonis, cui secundo consanguinitatis gradu jungebatur. Eapropter rex episcopatus reditibus manui suæ suppositis interdixit Petro episcopo, aliumque nominavit Johannem Lopis cardinalem Capuanum, cui paulo post defuncto substituit Jacobum Huraltium sedis apostolicæ protonotarium, Jacobi Huraltii regi a consiliis & Galliæ quæstoris filium, de quibus sic legitur in libro provisionum Alexandri papæ VI. *Johannes* (lege Jacobus) *Uraldi Carcassonensis episcopus per obitum Johannis Lopis cardinalis Capuani 3. Decembris 1501.* & iterum: *Jacobus Uraldus episcopus Carcassonensis 19. Jan. 1504.* in libro provisionum Julii II. papæ. Neque

Chron. de Vic. p. 230. * Petrus simpliciter vocatur in eodem chron. pag. 234.

1498.

ANNI CHRISTI 1501. Neque tamen destitit Petrus pendente etiam lite munia sua ea, qua par est diligentia, obire: nam 22. Januarii an. 1500. vel 1501. recensionem bonorum temporalium episcopatus obtulit cameræ rationum Parisiensi, ac eodem anno fidei & obsequii sacramentum regi præstitit in manibus Ludovici de Ambasia episcopi Albiensis, quod in manibus ipsius regis præstare non potuerat morbo præpeditus, ex regio Carcassonensi tabulario.

1502. Anno 1502. cœnobium S. Hilarii visitavit, sacrosque contulit ordines in ecclesia cathedrali, quam & visitavit die Dominica 4. Decembris.

1503. Insequenti tandem finita lis, quæ Petrum inter & Jacobum inerat, Petro enim cessit Jacobus Huraltius media pensione annua mille quingentarum librarum Turonensium, factus postea Eduensis episcopus: sic enim habet regestum Alexandri papæ VI. *XIV. cal. Febr. anno 1503. Petrus canonicus Carcassonensis electus Carcassonensis episcopus per cessionem Jacobi ejusdem ecclesiæ possessione nondum habita.* Exinde Petrus simul abbas S. Pauli Narbonensis pacificus possessor episco-

1510. patus occurrit an. 1510. in inscriptione, aiunt Sammarth. in capella S. Annæ cathedralis eccle-

1511. siæ Carcassonensis. Anno 1511. die Dominica 17. Augusti inspexit seu visitavit statum ecclesiæ loci de Aragone, tandemque decessit in episco-

1512. pali palatio Carcassonensi an. 1512. die Veneris 24. Septembris, seu VIII. calendas Octobris, ex necrologio, conditus in ecclesia cathedrali ante majus altare, cum hoc epitaphio lapidi ex albo marmore insculpto: *Hic jacet nobilis & reverendus pater dominus Petrus de Auxilione episcopus Carcassonensis, qui obiit in Domino anno ab Incarnatione MDXII. XXIV. Septembris. Ejus anima requiescat in pace, amen. Factus præsens lapis A. M. V*. XXXIV.* Ceterum vacasse adhuc sedes legitur an. 1514. die 6. Martii in charta Montis olivi, ob dubium profecto utri ex duobus contendentibus jus ad episcopatum pertineret.

LXV. MARTINUS.

DE SAINT ANDRÉ.

Mortuo Petro de Auxilione, vir nobilis & venerabilis Hugo de Vicinis ab anno 1509. canonicus Carcassonensis, eligitur a novem e quindecim concanonicis suis in episcopum hujus ecclesiæ die Martis 28. Septembris an. 1512. cujus electionis decretum firmavit senatus Tolosanus, ut constat ex diariis capituli die Mercurii 27. Octobris 1512. & ex regestis senatus die Jovis ante natale Domini, die Mercurii 29. ejusdem mensis & die Sabb. 8. Januarii seq. Sed antequam confirmaretur Hugo ab archiepiscopo Narbonensi, insurrexit Martinus de S. André canonicus & ipse Carcassonensis, a quatuor tantum electus, at litteris tum Pisanæ synodi, tum Ludovici XII. regis suffultus, quorum legati a capitulo petierunt, ut Martinum, rejecto Hugone, in episcopum admitterent. Horum postulata respuit capitulum, utpote contra ecclesiæ Carcassonensis jura antiquissima, servatamque in eadem ab omni ævo consuetudinem, ut patet ex tabulis diariis ejusdem capituli die Martis ultima Maii & prima Junii anni 1513. Inde igitur lis inter

A utrumque agitatur, qua pendente cum Hugo ex hac vita migrasset in civitate Carcassona die 16. Decembris anni 1516. tunc, ut aiebant, sede vacante per obitum Petri de Auxilione quondam episcopi, necnon propter obitum Hugonis de Vicinis electi in episcopum hujus ecclesiæ vacantis per decessum Petri, Johannes de Basilhac ex nobili & potenti familia ortus, presbyter, juris utriusque doctor & regius senator in senatu Tolosano, electus est episcopus 22. Decembris die lunæ an. 1516. calculis novem e quatuordecim canonicorum (aberat decimus-quintus) qui statim Narbonam profectus cum syndicis capituli, die

B scilicet 30. Decembris ejusdem anni, ut ab archiepiscopo Narbonensi cardinali Julio de Medicis confirmaretur, hujus in absentia vicarium generalem (Petrum de Raynoard, ex chronico Gerardi de Vic) adiit, a quo confirmationem accepit. Ab hac autem sic probata electione provocavit non solum regius procurator generalis, verum & Petrus Boërii decanus ecclesiæ Carcassonensis cum quatuor canonicis sui sequacibus, ait idem Gerardus de Vic in chronico, diuque litigatum, ut liquet ex libri cujusdam sub titulo *aureæ summæ de fuga vitiorum*, versibus elegiacis, auctore magistro Petro Antravenensi ordinis Fratrum

C Prædicatorum Tolosani conventus alumno, facta nuncupatione *Johanni de Basilhac electo episcopo Carcassonensi, utriusque juris peritissimo professori ac parlamenti Tolosani regio senatori consultissimo*, a fratre Johanne Vignerii ejusdem ordinis religioso, Parisiis apud Johannem a Prato 1521. Qui tandem annus huic bello finem imposuit, ut discimus ex veteri regesto senescalliæ Carcassonensis fol. 138.* testante Baluzio, his verbis: *Dictum arresti episcopatus Carcassonensis in favorem & utilitatem magistri Martini de S. Andrea provisi per SS. dominum nostrum papam Leonem X. & Christianissimum & illustrissimum principem domi-*

* 128. Chron. de Vic p. 250.

D *num D. Franciscum Francorum regem hujus nominis I. adversus & contra Hugonem de Vicinis, & Johannem de Basiliaco successive electos, latum & pronunciatum. Appellationibus per dictos appellantes interjectis absque expensis causa dictarum appellationum, adnullatis, electiones prædictas de personis dictorum de Vicinis & de Basillaco successive celebratas, cassas, nullas, & irritas, ac eligentes potestate eligendi in utraque dictarum electionum pro hac vice respective privatos dicimus & declaramus, & in quantum opus est, easdem electiones cassamus, adnullamus & irritamus, prædictamque ecclesiam, seu episcopatum Carcassonensem dicto magistro Martino*

E *de S. Andrea proviso, dictis de Basillaco & syndico perpetuum super eisdem electionibus silentium imponendo, adjudicamus; eosdem de Basillaco & syndicum in expensis in principali utriusque instantia factis erga provisum decernimus, & adhærentes prædictos, earum taxatione nobis reservata condempnamus. Lata apud barram capituli ecclesiæ Parisius die 22. Martii 1521.*

1521. Itaque confirmatus, vi concordatorum, hujus ecclesiæ episcopus Martinus de S. André a die 1. mensis Aprilis an. 1510. canonicus Carcasson. Petri toparchæ loci cognominis, legum professoris,

ANNI CHRISTI

judicis majoris in præfectura seu senescallia Carcassonis, regii majoris consilii senatoris, ac protopræsidis in senatu Tolosano ex nobili Clara a Podiomissone conjuge filius, ac præter hunc natalium splendorem, in sacrarum litterarum & juris utriusque scientia apprime versatus, prout testantur interpretationes Tolosanæ, per delegatum magni consilii, episcopatus possessionem adeptus 22. Jun. 1522. in urbem suam solemni apparatu invectus est die Dom. 8. Nov. an. 1523. Fundavit an. 1532. duas missas in ecclesia cathedrali peragendas unaquaque per mensem hebdomada, binas scilicet submissa voce in honorem SS. Trinitatis feriis IV. & V. hebdomadæ primæ, similibus diebus hebdomadæ secundæ, voce & numero pares in honorem Virginis Mariæ, pariterque in tertia & quarta hebdomada, altera quidem ob cultum patronorum ecclesiæ suæ Nazarii & Celsi martyrum, altera vero pro levandis animabus defunctorum patris & matris aliorumque sibi beneficorum, necnon felici proprio statu. Idem anno 1533. ecclesiam parochialem S. Petri de Corneliano contulit ad præsentationem abbatis S. Hilarii. Eodem Clemens VII. papa ratam habuit deliberationem capituli de non amplius canonicatibus in communi, sed per vices, seu per singulos canonicos in sua hebdomada conferendis. Ut autem litteras Martinus amavit, ita & a litteratis dilectus fuit, cui hac de causa Petrus Rebuffus Monspeliensis jurium doctor & in Parisiensi decretorum facultate professor anno 1536. dicavit tractatum nominationum & de pacificis possessoribus. Commendatur insuper hujus præsulis munificentia erga litterarum studiosos, quod S. Raimundi collegium Tolosæ exstruxerit, ut scribunt Sammarthani, seu potius incensum alio loco reædificaverit, & reditibus amplioribus ditaverit, pro tribus novis scholaribus tredecim ex prima institutione superadditis. Martinus tandem occubuit anno 1545. die 2. Martii, ex chronico Gerardi de Vic, & post biduum sepultus est in ecclesia cathedrali ante majus altare sub ærea tabula affabre elaborata, in qua scriptum legitur: *Epitaphium reverendi in Christo patris domini Martini a S. Andrea episcopi Carcassonensis, qui obiit secunda Martii 1545.*

(1522. 1523. 1532. *Chron. de Vic. p. 255.* 1533. *Ibid. pag. 256.* 1536. 1545.)

Qui pietate inopes, casto qui corpore cunctos,
Qui sancta meruit religione Deum,
Qui sibi commissum diligenter pavit ovile,
Quique suis verbo, re quoque præsul erat,
Illius hoc tectum rutilo jacet ære cadaver,
Ast immortalis spiritus astra colit.

Notatur in necrologio: *Idibus Maii obitus D. Petri de S. Andrea primi præsidentis Tolosæ.*

LXVI. CAROLUS.

DE BOURBON. 1546.

Jam anno 1546. die 28. Augusti Carolus de Bourbon filius Caroli primi Vindocini ducis & Franciscæ Alenconiensis memoratur episcopus Carcassonensis in chronico Gerardi de Vic. Natus 1523. in castro Firmitatis seu Feritatis sub Jotrum, cujus susceptor e sacro fonte fuit Antonius frater, postea rex Navarræ, præficitur primum ecclesiæ Nivernensi anno 1539. dein Santonensi 1544. ut diximus tom. 2. tum refertur in album cardinalium nomine Vindocini anno 1548. donec Ludovico patruo cardinali Borbonio archiepiscopo Senonensi mortuo, anno 1557. de novo cardinalis a Borbonio vocatus est. Interea legitur episcopus Carcassonensis per obitum Martini de S. Andrea die 29. Martii 1550. in regesto pontificio, quo, ut tradit Bessus ex actis ecclesiæ Carcassonensis, disceptavit de mobilibus episcopii cum præside de S. André defuncti episcopi fratre & herede. Eodem anno 1550. Rotomagensis archiepiscopus evasit, retenta nihilominus Carcassonensis ecclesiæ administratione, quam anno 1553. resignavit in manibus papæ, qui Francisco de Faucon ab Henrico rege designato eam contulit, reservatis Carolo duabus episcopalis mensæ redituum portionibus, cum facultate Francisco cedente vel decedente, regressum habendi ad resignatam dignitatem, sub annua trecentarum librarum Turonensium Amantio de Fuxo solvenda pensione. Hæc bulla Julii papæ III. data est VIII. cal. Januarii 1553. anno pontificatus quarto; ex qua colliges Amantium seu Amedeum, aut Amanevum de Fuxo, qui Carolum sequitur in veteri Gallia Christiana, inter Carcassonenses episcopos annumerandum non esse, ac proinde retractandum quod diximus tomo IV. in episcopis Matisconensibus, *vicaria scilicet Francisci & Amedei permutatione factum esse Amedeum Matisconensem & Franciscum Carcassonensem episcopum*, ubi verius dicendum fuerat, Francisco ex episcopo Matisconensi a rege designato Carcassonensi, Amedeum de Fuxo prius quidem regiis litteris ad hanc ecclesiam nominatum uti œconomum & administratorem, probante archiepiscopo Narbonensi, & annuente Carcassonensi capitulo, postremo tamen suum jus cessisse, renunciatumque fuisse Matisconensem; quæ, ut ita dicam, permutatio in curia Romana sat longas passa est moras: nam Franciscus quanquam longe antea designatus Carcassonensis antistes, non nisi die 6. Julii anno 1556. e Matisconensi ad Carcassonensem translatus ecclesiam dicitur in regesto pontificio.

(1550. 1553.)

LXVII. FRANCISCUS I.

DE FAUCON.

Cedente Carolo de Bourbon & accedentibus regio Henrici ac pontificio Julii papæ diplomatibus, Franciscus de Faucon Monspeliensis patre Francisco ac matre Carlotta Bucelli natus, antea canonicus sacræ capellæ Parisiensis, abbas sancti Johannis Senonensis, Villæ magnæ, Bellæ perticæ, & Altivillaris, regique a consiliis & eleemosynis, cum jam Tutelensem & Aurelianensem cathedras occupasset, ac tunc Matisconensem obtineret, episcopatum Carcassonensem nactus est anno 1553. die 18. Januarii, hoc est 1554. pro quo 17. Martii ejusdem anni coram Eustachio du Bellay episcopo Parisiensi, summo pontifici fidem obstrinxit suam, ac 20. ejusdem mensis vicario generali in tota diœcesi instituto Antonio Dax abbate sancti Polycarpi, hujus ecclesiæ

(1554.)

ANNI CHRISTI 1556. 1560.

possessionem accepit per procuratorem die 5. mensis Aprilis ejusdem anni; tametsi ad hunc episcopatum Franciscus haud pervenisse dicitur ante diem 6. Julii anno 1556. in regesto pontificio, ut diximus. Francisci habetur mentio in veteri Gallia Christiana annis 1557. & 1560. Is est haud dubie F. episcopus Carcassonensis, qui deputatus a clero & senescallia Carcassonensi adfuit anno 1557. feria IV. die 5. Januarii, hoc est 1558. coetui notabilium habito in aula sancti Ludovici curiæ parlamenti Parisiensis. His mense & anno ecclesiæ suæ per se iniit possessionem. Caroli IX. Francorum regis in urbem Carcassonensem adventus annotatur mense Januario anno 1564. hic est 1565. quo Franciscus condidit testamentum die 15. Aug. cum jam die XI. ejusdem mensis, oblatis mille ducentis libris per manus Claudii de Faucon abbatis de Francis Vallibus sui nepotis, sex missas alta voce celebrandas in ecclesia Carcassonensi instituisset. Denatus est Carcassonæ die Sabbati 22. Septembris ejusdem anni ætatis 81. non autem die 25. uti diximus tom. 2. col. 675. Obitus tamen ejus notatur in necrologio IV. nonas Octobris. Conditur in ecclesia cathedrali ante sedem episcopalem.

* al. 1565. 1565.

LXVIII. CAROLUS *secundum.*

DE BOURBON.

Bullam anni 1553. VIII. cal. Januarii, qua cedenti Carolo jus regressus per obitum vel cessionem Francisci permittebat summus pontifex Julius III. capitulo Carcassonensi die 4. Augusti an. 1554. opera Johannis de Chambert canonici & archidiaconi ecclesiæ Narbonensis significatam, defuncto Francisco iterum capitulo denunciat Carolus ipse litteris datis die 4. Octobris 1565. quibus abbatem Villæmagnæ Johannem de Chambert tam in sacris quam & profanis vicarium generalem constituit. Huic capitulum rescripsit iisdem mense & anno administrationem episcopatus commissam fuisse viris idoneis, quos ipse procul dubio probaturus esset, significavitque sibi a rege vetitum litteris datis 26. Junii 1565. quo jam die defunctus credebatur Franciscus, successorem eligere, ex tabulario capituli; ubi & asservatur epistola ejusdem cardinalis capitulo gratias agentis, quod ipsum habere pro episcopo absque nova collatione consensisset. Insequenti anno 1566. revocatis prioribus, Bertrandum de S. Martin Carcassonensis ecclesiæ canonicum & abbatem de Caunis vicarium habuit generalem dioecesis Carcassonensis; ac tandem anno 1567. iterum cessit in gratiam sequentis.

1566. 1567.

LXIX. VITELLOTIUS.

VITELLI.

Nobilis Tiphernas in Italia Vitellotius Alexandro atque Angela Rubea nobilissima femina parentibus, e vetusta Vitelliorum familia satus, quæ duces protulit bellica virtute conspicuos, puer Patavii humaniores litteras & jus egregie edoctus est. Cum jam esset cameræ apostolicæ clericus, ad patriæ sedem episcopus assumptus est anno 1554. Die 30. Martii cardinalis a Paulo IV. pontifice renunciatus tit. SS. Sergii & Bacchi 1557. evasit quoque Romanæ camerarius ecclesiæ. Anno 1560. die 7. mensis Februarii pro Tiphernate Imolensem optavit ecclesiam, qua se post duos annos abdicavit. Fuit insuper signaturæ gratiæ præfectus, Galliæ protector, Campaniæ legatus, atque inter patres congregationis sancti officii conciliique Tridentini annumeratus. Erat enim singularis consilii, eximia eruditione, rerumque usu & in politicis rebus administrandis valde expeditus, nec non apud pontifices gratia & auctoritate quam plurimum valens. In Galliis autem, resignante cardinali a Borbonio, subvectus ad ecclesiam Carcassonensem, duobus illam annis moderatus est, per vicarios scilicet, utpote qui nunquam eam invisit, nec etiam fructus percepit: unde Carolus IX. Francorum rex scripsit epistolam ad decanum & capitulum, ut finerent procuratorem cardinalis percipere fructus annorum 1567. & 1568. Data est die 7. Martii anno 1569. Romæ e vivis excessit Vitellotius anno 1568. die XIII. calendas Decembris, in æde sacra B. Mariæ in Via lata, ante altare SS. Cyriaci & Catharinæ sepultus absque mausoleo & epitaphio. Hujus elogium scripsit Massarellus episcopus Vicentinus, uti videre est apud Ciaconium.

1567. 1568.

LXX. HANNIBAL.

ORICELLARII *al.* DE RUCELLAI.

In regesto pontificio Hannibali Oricellarii *de Rucellai* data legitur ecclesia Carcassonensis die 23. Martii an. 1569. vel, ut habent Sammarthani, die 1. Aprilis, ex libro, inquiunt, obligationum Vaticani. Florentiæ nobili familia oriundus, cujus proavi quondam perfuncti sunt officio gonfaloneriorum, fratrem habuit Horatium archioeconomum domus Ferdinandi magni ducis Etruriæ, a quo principe adlectus est anno 1589. qui ipsius vice pacta matrimonii cum Christina Lotharinga contraheret. Hannibal autem præfectus palatii pontificii, & abbas S. Johannis de Jardo prope Melodunum instituit possessionem episcopatus Carcassonensis medio oeconomo, seu procuratore Blasio Juneti, qui litteras regias obtulit capitulo die 9. Aprilis an. 1569. Insequentis anni die 1. Aprilis institutus ab Hannibale episcopo Johannes de Marejols juris utriusque doctor admittitur a capitulo vicarius generalis dioeceseos. Anno 1572. die Martis XI. Novembris per semetipsum ecclesiæ suæ possessionem accepit; cumque aliquot annos in sua dioecesi exegisset, Italiam repetiit, ac demum Romæ decessit, ubi cenotaphium habet in ecclesia B. Andreæ de Valle, in superbo sacello familiæ Rucellaiæ, quod Horatius frater munificentissime erexit, cum subjecto epitaphio, quod refert Ughellus tom. 2. Italiæ sacræ in episcopis Pisaurensibus col. 862.

1569. 1570. 1572. *Sammarth.*

DEO OPT. MAX.

ANNIBALI ORICELLARIO *episcopo Carcassonensi, humanitate, munificentia, integritate singulari. Cujus opera summi pontifices Paulus IV. & Pius V. in maximis, arduisque Christianæ Reip. negotiis apud Henricum II. & Carolum IX. Galliæ reges, Clemens vero VIII. in regendis urbibus Ancona, Roma, Bononia, ac demum pontificiæ domus*

ANNI CHRISTI

præfectura maxima cum laude usi sunt. Horatius Oricellarius jucundissimo fratri posuit.

Hannibalis mortem ut resciverunt canonici, rem sacram pro ipsius anima peregerunt die 8. Maii 1601. Hujusce temporibus patres Capucini Carcassonæ an. 1592. admittuntur.

1601.

DE LESTANG.

LXXI. CHRISTOPHORUS.

Stephano Guillerio, vulgo *Guilhon*, domino de Lestang & du Vialar, præside in curia præsidiali Brivensi, & Aloysia de Juyé parentibus natus Christophorus, germanum habuit Antonium ex chronico Gerardi de Vic, Franciscum vero ex dictionario D. de Morery, in senatu Tolosano præsidem infulatum, ac nepotem ex sorore Stephanum de Polverel episcopum Electensem. Christophorus fuit abbas Montis olivi, S. Petri de Usarchia, & Mansigarnerii, quibus præfecturis Crassensem perperam addit D. de Morery. At vero fuit magister capellæ regiæ, torquatorum equitum sancti Spiritus commendator & sacri consistorii consiliarius, quibus etiam titulis additur in ejus testamento *consiliarius in parlamento Tolosano*. In sede Leutevensi, quam prius obtinuit, plurimum vexatus a duce Montmorenciaco, ut ibidem supra diximus col. 572. munificum expertus est regem, qui dato diplomate 20. Dec. an. 1585. quod senatus Tolosanus in commentarios retulit 15. Febr. insequentis, jussit ut Christophorus ædibus episcopalibus Carcassonæ ac etiam reditibus frueretur. At exinde non sequitur fuisse jam an. 1586. episcopum Carcassonensem, uti vocatur in provinciæ comitiis, quibus adfuit, inchoatis Castelnaudarii & Carcassonæ absolutis: Christophorus enim permansit episcopus Leutevensis ad annum 1602. tum fuit Electensis, & mox Carcassonensis, cujus ecclesiæ possessionem non nisi an. 1603. die Merc. 24. Sept. per procuratorem accepit, suam in urbem solemni pompa invectus exeunte anno 1604. Memoratur anno 1606. in commentariis cleri Gallicani, & anno seq. ecclesiam suam cathedralem visitavit. Interfuit anno 1608. cleri Gallicani comitiis, & 1609. synodo provinciæ Narbonensis. Consecravit anno 1610. ecclesiam patrum Capucinorum, & 1611. ducis Aurelianensis pueri corpus sepeliendum in basilica S. Dionysii in Francia præsentavit. Anno 1615. adfuit Parisiis cœtui cleri Gallicani. In funere Dianæ ducissæ Engolismensis Lutetiæ in æde S. Francisci de Paula, sacris operatus est cum Andegavensi, Sagiensi & Gratianopolitano episcopis an. 1619. Denique vita defunctus est in episcopali palatio die 11. * Augusti anni 1621. condito prius testamento iisdem mense & anno, quo sepeliri postulat in ecclesia Carcassonensi coram altari SS. Sacramenti, & heredem instituit Vitalem de Lestang filium fratris, quem jam dudum coadjutorem habebat. Tradit autem Gerardus de Vic in chron. pag. 291. erectum eidem fuisse tumulum marmoreum pontificia mortui statua insignitum, cum hac præ ceteris epigraphe, *Exspecto donec veniat immutatio mea*, quam solam fortasse sibi poni jusserat vir modestus; at nihilominus aliam inscripsit ejusdem ex sorore nepos illustrissimus Electensis episcopus Stephanus de Polverel his verbis exaratam.

[Margin: T. 2. Annal. Tolosæ pag. 892. — Ibid. pag. 398. — 1603. 1604. 1606. 1607. 1608. 1609. — T. XV. conc. col. 1625. — 1619. 1621. — * al. die 16. ex chron. de Vic, vel 12. in obsidione Montalban. ex Samm.]

ÆT. INCOMM. IMM. DEO.

Quisquis tumulum radios vibrantem demiraris; attende, venerare, profice. An te latet quis in monumento lateat! Christophorus ille de Lestang Carcassonensis quondam episcopus, carissimus, præclarissimus, Torq. ord. commen. nobilissimus, utriusque reg. cons. cons. sapientiss. capp. reg. præfec. digniss. ecclesiæ columen & lumen, pastorum speculum, principum delitiæ, Galliæ decus, patriæ parens, populi amores. Quid stupes! desine mirari in amabili deposito tot ornamenta jacere, nec hominem cum de cœlo missum, tum cœlo reddendum A. D. M. D. C. X. X. I. D. X. I. M. Aug. I. D. J. C. M. P. in ævum flebilis Pastoris memoriæ.

Ex altera vero tumuli parte.

P. S M.

Hoc illustriss. ac reverendiss. in Christo P. ac D. D. Steph. de Polverel Elect. episcopus utriusque regis cons. cons. ac reginæ matris magnus eleemosynarius, ex sorore nepos, mœrens construendum curavit verus tanti præsulis gloriæ, ac virtutis præcipue superstes.

Genealogiam hujus episcopi per longam avorum seriem Baluzius in notis ad vitas paparum Aven. col. 935. deduxit a gente de Monteruco per Stephanum de Monteruco fratrem Petri cardinalis & filium sororis Innocentii papæ VI.

DE LESTANG.

LXXII. VITALIS.

Superioris Christophori nepos ex fratre Leonardo Vitalis, uti colligitur ex loco Baluzii proxime citato, natus est Melzerii *Malzieu* in diœcesi Mimatensi die 23. Aprilis anno 1588. Doctor theologus Parisiensis effectus, patrui coadjutor ejusdem precibus a rege designatur, statimque Romam mittitur anno 1615. ubi jussu summi pontificis a cardinale Delphino sacram inunctionem accepit. Eodem anno Carcassonam regressus episcopi munia obit nomine ac titulo Ephesini episcopi, quo quidem anno 14. Maii erexit in patria apud Melzerium sodalitium pœnitentium sub titulo Conceptionis B. Mariæ in capella B. Mariæ Magdalenæ, eisque candidum habitum seu saccum dedit, Paulo V. summo pontifice hanc erectionem probante bulla data 24. Septembris ejusdem anni. Altare S. Benedicti in ecclesia Crassensi adhuc coadjutor inauguravit 21. Martii 1619. Patruo defuncto 1621. continuo successit. Lanovius in chronico ordinis Minimorum ad annum 1629. pag. 559. Vitalis honorificam mentionem facit, ubi narrat eo sedente præsule hujusce ordinis alumnos in suburbio civitatis Carcasson. collocandi domicilium facultatem obtinuisse, sicut in ecclesia loci de Torosella prope oppidum de Tribus bonis patres Capucinos. De ejusdem assensu institutum est collegium in burgo Carcassonis a patribus Societatis

ANNI CHRISTI

Jesu dirigendum: Ursulanis etiam virginibus domicilium concessum. Vitalis episcopi liberalitas enituit maxime in restituenda organorum ecclesiæ cathedralis integra fabrica, & in copiosa eleemosynarum largitione. Nec reticenda quotidiana assiduitas psallendi in choro, sacrificandi in altari, & indefessa cura ad populum verba faciendi. Permisit anno 1650. monialibus Rivi nitidi suam figere sedem in urbe Carcassona, & iterum 8. Jan. 1652. iisdem facultatem indulsit emendi locum pro ecclesia & conventu intra muros ædificandis. Denique hoc anno ætatis 64. die 28. Septembris migravit ad Dominum, conditus primum in æde S. Andreæ, unde elapso post obitum anno translatus fuit ad ecclesiam sancti Nazarii; qua in translatione fertur dextram ejus resoluto corpore incorruptam fuisse repertam. Ita scribit noster D. Jacobus Boyer in schedis mss. Gerardus autem de Vic in chronico mortuum tradit in castro toparchiæ de Villalier die 30. Septembris ejusdem anni, ibidemque sepultum fuisse in ecclesia parochiali, exspectato funere usque adhuc, hoc est usque ad annum 1667. quo scribebat, & forte, inquit, semper exspectando. Attamen etsi forte cadaver retineat ecclesia de Villalier contra votum defuncti, ipsius nomen simul & proximi antecessoris Christophori voluit Vitalis episcopus superesse in ecclesia Carcassonensi, ubi epitaphium legitur his verbis in lapide sepulcrali cineribus Christophori superposito, quod ipsemet Vitalis & sibi scripsit & posuit: *Sepulchrum præsulum Christophori de Lestang & Vitalis de Lestang ejus coadjutoris, & post successoris, exspectantium beatam spem & adventum gloriæ magni Dei.*

1650. 1652.

LXXIII. Franciscus II.

DE SERVIEN.

Franciscus de Servien frater Abelii marchionis de Sablé, comitis de la Roche des Aubiers, equestris militiæ S. Spiritus cancellarii, ac summi ærarii præfecti, jam abbas de Moris ab anno saltem 1640. & S. Jovini de Marnis ab anno 1646. regique a sanctioribus consiliis, schedula Ludovici XIV. die 27. Maii 1653. præficitur ecclesiæ Carcassonensi per obitum Vitalis de Lestang, quo anno Carcassonensis electus & perpetuus commendat. sancti Jovini de Marnis præsentavit ad ecclesiam parochialem B. M. de la Chapelle Seguin die 24. Decemb. at pontificiis bullis non confirmatus, sublato e vivis cardinali Lugdunensi successit in decanatu ecclesiæ S. Martini Turonensis 15. Julii sequentis, quam dignitatem pro abbatia Perredii novi permutavit 29. Martii 1654. nec multo post, die scilicet 23. Maii ejusdem anni ad ecclesiam Bajocensem dimissa Carcassonensi evocatur, ubi de illo plura.

1653. 1654.

LXXIV. Ludovicus I.

DE NOGARET DE LA VALLETTE D'EPERNON.

Ludovicus frater naturalis Bernardi de Nogaret ducis Spernoni, Valletæ & Candalæ, paris Franciæ, capitalis Boiorum, comitis Fuxi & Aquitaniæ proregis, primum coadjutor Mirapicensis sub titulo præsulis Sebastiensis, unctionis sacræ munus accepit Lutetiæ apud Fulienses anno 1629. die 22. Decemb. ex Sammarth. forte 23. quæ in Dominicam incidebat. E Mirapicensi vero ad ecclesiam Carcassonensem promotus est 1655. pro qua regi fidem juravit 24. Maii 1656. in sacello minoris Borbonii, adivitque Carcassonam die 9. Decembris ejusdem anni. Fuit etiam abbas Insulæ ordinis S. Augustini in diœcesi Burdegalensi. Vivere desiit 10. Septembris anno 1679. sepultus in sua ecclesia cum hoc epitaphio: *Hic jacet Ludovicus de Nogaret de la Valette d'Epernon miser peccator, & quondam indignus episcopus Carcassonensis. Hæc ipse sibi jussit apponi 1679.*

1656. 1679.

LXXV. Ludovicus II.

D'ANGLURE DE BOURLEMONT.

Antea rotæ auditor Ludovicus d'Anglure de Bourlemont designatur episcopus Tornacensis an. 1668. quo recusato episcopatu renunciatur Vaurensis 1669. Forojuliensis mense Martio anni 1679. ac tandem nominatur Carcassonensis mense Januario anni sequentis; ad quam ecclesiam propositus est in consistorio pontificio die 6. Apr. pro gratuita bullarum concessione, quam obtinuit, 27. Maii & 15. Julii admissus fuit; sed nondum inita possessione, vocatur eodem anno 1680. ad archiepiscopatum Burdegalensem, ubi vide tom. 2. col. 855. Attamen adhuc anno sequenti nuncupatus episcopus Carcassonensis & archiepiscopus designatus adfuit comitiis cleri Gallicani.

1680.

LXXVI. Ludovicus Joseph I.

ADHEMAR DE MONTEIL DE GRIGNAN.

Ludovicus Joseph Adhemar de Monteil de Grignan Ludovici Galcherii filius ex Margareta d'Ornano, nepos Francisci archiepiscopi Arelatensis & Jacobi Uceticensis præsulis, frater autem Johannis Baptistæ archiepiscopi Arelatensis, primum Ebroicensis episcopus designatus mense Febr. anni 1680. sed a summo pontifice nondum confirmatus, mense Maio anni 1681. schedula regia Carcassonensis nominatus adfuit comitiis cleri Gallicani habitis eodem anno. Consecratur in ecclesia de Grignan ab episcopo Vasionensi, collaborantibus Tricastinensi & Arausicano præsulibus, adstantibusque archiepiscopo Arelatensi patruo, & episcopo Vivariensi Galliæ præsulum decano 21. Decembris 1681. quo anno possessionem adeptus est. Deinde adscivit coadjutorem, qui sequitur, anno 1718. Obiit Ludovicus Joseph episcopus die 1. Martii anno 1722. conditus in sua cathedrali ecclesia.

1681. 1718. 1722.

LXXVII. Ludovicus Joseph II.

DE CHATEAUNEUF DE ROCHEBONNE.

Natus Carolo Francisco de Chateauneuf & Teresia Adhemar de Grignan parentibus Ludovicus Joseph, regi ab eleemosynis & S. Johannis Lugdunensis decanus, superioris avunculi coadjutor designatur 24. Martii anno 1718. Tolosæ inauguratur in ecclesia monialium B. Mariæ a Visitatione dictarum ab archiepiscopo ejusdem urbis designato Narbonensi, assistentibus Electensi & S. Papuli episcopis 21. Julii 1720. Regi fidem obstrinxit 12. Aprilis die Dominica *Quasimodo* 1722. ac tandem obiit in sua diœcesi exeunte anno 1729. aut ineunte 1730.

ANNI CHRISTI

Fratrem habuit episcopum Noviomensem, qui modo sedet in cathedra Lugdunensi.

BAZIN DE BESONS.

LXXVIII. ARMANDUS.

Patre Jacobo marescallo Franciæ ex Maria Margarita le Menestrel procreatus Armandus patruum habuit cognominem Burdegalensem primum ac deinde Rotomagensem archiep. Jam dudum abbas S. Jovini de Marnis, nominatus episcopus Carcassonensis mense Martio anni 1730. propositus in consistorio pontificio 24. Julii, ac tandem eodem anno 18. Decembris admissus in altero consistorio pro episcopatu Carcasson. & abbatia Crassensi, quam cum abbatia S. Jovini de Marnis permutaverat, sacratur 14. Januarii 1731. in ecclesia Theatinorum Parisiis ab episcopo Catalaunensi, assistentibus Tarbiensi & Bellovacensi præsulibus. Die vero 21. ejusdem mensis regi fidelitatis sacramentum præstitit in sacello castri Marliacensis; cui & comitiorum Occitaniæ codices delegatus obtulit 12. Augusti 1737.

Hos præter episcopos, qui certa temporis nota circumscribuntur, nonnullos offendimus, quibus assignare locum haud licuit. Talis est Simplicius, de quo sic habet necrologium, testante chronico Gerardi de Vic: *Obitus patrum nostrorum Simplicii, Raimundi Xatberti, & Bernardi Carcasson. episcoporum 20. Octobris.*

Duo insuper alii solo designati nomine reperiuntur in antiqua præsulum Carcassonensium serie descripta an. 1552. ex antiquiori martyrologio, quo nunc utitur eadem ecclesia, nempe *Johannes de Pejaco & Bernardus Arnaudus.*

Alter quoque nobis occurrit in quodam ecclesiæ Carcasson. necrologio, cui locus non suppetit, Guillelmus Berengarii, de quo sic habetur: *VIII. idus Martii anniversarium DD. episcoporum Geraldi de Podio, Gaufredi de Pompadorio & Guillelmi Berengarii.*

DE PRIMA POST EPISCOPUM DIGNITATE IN ECCLESIA CARCASSONENSI.

VARIA fuit pro vario hujus ecclesiæ statu prima capituli dignitas; quamdiu enim fuit regularis sub instituto S. Augustini, nempe ab anno saltem 1088. ad 1439. tamdiu prima ab episcopali dignitas fuit major archidiaconatus, post quem aliæ tres erant dignitates, archidiaconatus minor & duo archipresbyteratus, de Alairaco & de Monsano, quarum collatio ad episcopum pertinebat, quemadmodum etiam per episcopum unus ordinabatur prior claustralis, sub cujus obedientia & regimine ceteri Deo famulabantur; officia vero sex, sacristia, præcentoria, cameraria, infirmaria, eleemosynaria & operaria per capitulum conferebantur, necnon viginti reliqui canonicatus: capitulum siquidem triginta præbendis constabat, dignitatibus & officiis comprehensis, præter duas, quas episcopus percipiebat. At postquam regularis ecclesiæ status in sæcularem conversus est anno 1439. seu 1440. decanatus fuit prima dignitas, archidiaconatus secunda, & thesauraria tertia, de quibus providet episcopus: sacristia vero personatus, & præcentoria officium conferuntur a capitulo, sicut & ceteri canonicatus, redacti paulo post ad quindecim (dignitatibus &c. similiter comprehensis) anno 1448. Minores quoque præbendas numero 22. totidem capellanis tribuit capitulum, ad quod etiam pertinet jus nominandi quatuor pueros chorales, quibus additi duo per idem capitulum anno 1449. die 14. Junii, tametsi quatuor tantum recenseantur in bulla Sixti papæ IV. data 1478.

MAJORES ARCHIDIACONI
quamdiu regularis ecclesiæ status perseveravit.

I. DONELLUS anno 633. vice Solemnii episcopi Carcasson. subscripsit concilio Tolosano IV.

II. Abbo levita subscriptus in charta ante Floridum & Amelium archidiaconos venditionis factæ Richimiro abbati Montis olivi anno duodecimo regnante Carolo rege filio Ludovici, subscripsit *archilevita* commutationi Gimeræ episcopi factæ cum Arifonso abbate Montis olivi anno XXVIII. regnante Carolo post obitum Odonis regis. Gimeræ postea successit in sede Carcassonensi.

III. Amelius testis laudatur in charta commutationis Guimeram inter episcopum Carcassonensem & Arisonsum abbatem castri Malasti, seu Montis olivi anno 28. regnante Carolo rege post obitum Odonis, hoc est 925. sed tunc minor tantum archidiaconus erat, qui major, ut videtur, in charta Acfredi comitis plurima Donadeo abbati Montis olivi largientis, IX. cal. Junii anno V. regnante Rodulfo rege (post obitum Caroli) hoc est 934.

Ch. XI. col. 422.

IV. Simplicius archilevita cum suis consanguineis initium dedisse videtur prioratui B. Mariæ de Camon dependenti ab abbatia Crassensi, ex bulla Agapiti papæ II. Fortasse is est, qui post evasit episcopus Carcassonensis, uti ad calcem catalogi episcoporum notavimus.

V. Aribertus & Roostannus archilevitæ leguntur in consecratione cujusdam ecclesiæ in honorem S. Petri & S. Hilarii facta ab Eimerico Carcassonensi præsule V. cal. Novemb. an. 984.

VI. Abbabellus archidiaconus Carcassonensis anno 988.

VII. Visulfus archidiaconus anno 994. nonnulla prædia apud S. Petrum de Calmes vendidit

Bernardo abbati B. Mariæ Crassensis.

VIII. Aimo archidiaconus Carcassonensis ante Olibam & Petrum similiter archidiaconos memoratur in charta Arnaldi vicecomitis Carcasson. pro sancti Hilarii monasterio, anno sexto regnante Roberto rege in mense Septembri, hic est 1002.

Ch. XIX. col. 429.

IX. Isarnus I. abbas & archidiaconus subscribit VII. idus Novembris anno XI. regnante Roberto rege, hoc est 1007. chartæ Soniarii comitis & marchionis Burgalensem prioratum in Marchia Hispaniæ tradentis monasterio B. Mariæ Crassensis.

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 165.

X. Sigfredus I. Bernardi erat archidiaconus Carcassonensis 1095. & 1107. ad quem annum vide in Guillelmo Bernardi episcopo Carcassonensi, cujus erat fortasse consanguineus.

XI. Bernardus I. archidiaconus 1113. Vide in Arnaldo de Gironne episcopo.

XII. Benedictus testis est anno 1118. 1. die Maii in charta Bernardi Atonis vicecomitis Biterrensis ecclesiam de Cauna Petro abbati Tomeriensi asserentis. Præsens quoque memoratur judicio seu placito Malasti habito super querela monachorum Montis olivi adversus Raimundum Poncium comitem Tolosanum &c. an. 1123.

XIII. Sigfredus II. archidiaconus 1145.

XIV. Geraldus de Rivo archidiaconus & sacrista reperitur in charta quasi testamentaria Poncii episcopi an. 1156.

XV. Petrus I. de Casilhaco reperitur archidiaconus 1165. 1171. in charta XI. ecclesiæ Tomeriensis col. 84. in pactis matrimonialibus Rogerium inter vicecomitem Biterrensem & Adalaissam filiam Narbonæ ducis & comitis Tolosani, & 1172. in hominio præstito vicecomiti Biterrensi. Occurrit etiam jam tum simul archidiaconus Narbonensis, an. 1176. calendis Maii in conventione Raimundi comitis Tolosani cum Ildefonso Aragonum rege pro comitatu Provinciæ.

Append. Marc. Hisp. col. 1369.

XVI. Raimundus archidiaconus & sacrista, necnon Berengarius archidiaconus & prior B. Mariæ an. 1181. assensisse leguntur donationi ecclesiæ loci de Casiliaco, quam Otho episcopus fecit ecclesiæ suæ, seu potius sacristæ & successoribus. Solus autem Raimundus archidiaconus subscribit donationi factæ cœnobio Villæ longæ anno 1180. necnon alteri Othonis episcopi donationi factæ anno 1183. IV. calend. Maii feria V. Guillelmæ Rivinitidi abbatissæ.

Chartæ XXXIV. & XXXV. col. 440. & 441.

XVII. Berengarius archidiaconus & prior ecclesiæ S. Mariæ una cum Othone episcopo testis laudatur an. 1184. in charta Rogerii vicecomitis in gratiam civium Carcassonensium. Idem Othonis episcopi nepos præsens memoratur judicio controversiæ motæ inter canonicos ecclesiæ Carcassonensis & cives Carcassonenses pro decimis hortorum an. 1191. IV. nonas Novembris feria VII. ex Catello commentariorum Occitaniæ pag. 641. Subscribit eodem anno testamento Rogerii vicecomitis Biterrensis.

XVIII. Guillelmus I. Raimundi reperitur archidiaconus an. 1206. IV. cal. Septemb. feria III. regnante rege Philippo, in charta Berengarii episcopi.

XIX. Bernardus II. Raimundi de Rochefort; postea episcopus Carcassonensis ab anno 1209.

XX. Isarnus II. de Aragone memoratur an. 1212. in charta Arnaldi archiepiscopi Narbonensis ecclesiam de Cuxiaco Narbonensi capitulo tradentis. Occurrit etiam 1215. in pacto Guillelmum inter Crassiæ abbatem, & Simonem Montis fortis comitem. Eodem anno XIII. cal. Septemb. testis laudatur in charta donationis Guidonis episcopi factæ Carcassonensi ecclesiæ; & in alia anni 1217. A. Narbonensis archiepiscopi ecclesiam de Cuxiaco & alia nonnulla S. Justo Narbonensi restituentis. Exstat hoc anno mense Maio compromissum Guidonem inter Dei gratia Carcassonensem episcopum ex una parte, & Bernardum quondam renunciatum ejusdem sedis episcopum, ac Johannem (*lege* Isarnum) & Bernardum archidiaconos, &c. ex alia parte. Recensetur & anno 1219. idibus Aprilis in charta restitutionis ecclesiæ S. Martini de Limoso factæ monasterio de Prulliano, & iterum 1222. pridie nonas Octob. ac 1224. VI. cal. Apr. in chartis de eodem negotio, ex tabulario B. Mariæ de Prulliano.

Chron. D. de Vic pag. 85.

Tom. VI. vet. script. Marten. col. 440. & seq.

XXI. Guillelmus II. major archidiaconus 1229. pridie cal. Decemb. Idem est G. major archidiaconus 1236. Prob. tom. 3. hist. Occit. col. 385.

Ibid. col. 443.

XXII. Bernardus III. de Cerzano 1236. idibus Martii legitur archidiaconus & procurator capituli S. Nazarii cum Guillelmo Arnaldi priore de Manso.

XXIII. Guido major archidiaconus an. 1240. prohibuit ne quis decimas vel aliud quidpiam exigeret e terris, quas propriis manibus Villæ longæ fratres excolerent.

XXIV. Guillelmus III. Radulfi nominatur major archidiaconus in charta de compromisso Clarini episcopi Carcassonensis & capituli ex una parte & consulum urbis ex altera in Guillelmum archiepiscopum Narbonensem & Johannem de Cranis senescallum Carcassonensem super damnis illatis ecclesiæ in publica civium adversus regem rebellione, ubi hicce archidiaconus pro domino episcopo in animam ejus jurasse dicitur an. 1248. XVIII. cal. Febr. Hic est profecto Guillelmus archidiaconus, de cujus & Sancii archidiaconi consensu Guillelmus Arnaldi episcopus officio infirmarii univit ecclesiam de Mairac an. 1253. pridie cal. Junii.

Ch. XLIV. col. 450.

XXV. Po. (fortasse Poncius) archidiaconus Carcasson. 1275.

Tom. I. Anecdot. col. 1149.

XXVI. Galterius archidiaconus, dein episcopus 1278.

XXVII. Petrus II. major archidiaconus 1279. XI. cal. Maii, quo Galterius episcopus duobus tam archidiaconatibus quam archipresbyteratibus nonnullas univit ecclesias.

XXVIII. Guillelmus IV. de Castellione major archidiaconus an. 1283. IV. nonas Junii, sede vacante, Petrum de Roca immisit in possessionem corporalem ecclesiæ S. Juliani de Ventenaco ad

præsentationem Petri abbatis Montis olivi. Anno A 1285. XII. cal. Septembris bonorum indistinctè legatorum collector in subsidium terræ sanctæ memoratur in codice mss. biblioth. Colbert. de rebus ecclesiasticis in genere. Cognominatur de Castillône ac dicitur major archidiaconus, & Sancius Morlanc archidiaconus minor 1287. ex Baluzio tom. 2. vit. pap. Avenion. col. 26. Hic autem Sancius de Morlanc is esse videtur, cui archidiacono B. Mariæ in ecclesia Carcassonensi propter eleemosynam impensam ædificandæ in novo burgo Carcassonis ecclesiæ Carmelitarum, frater Geraldus prior generalis totius ordinis B. Mariæ de Monte carmeli, frater Jorda- B nus prior provincialis in Provincia, & frater Gaufridus prior domus burgi Carcassonis promiserunt missam & *agenda* defunctorum, id est vesperas, & matutinum cum novem lectionibus consuetis per singulos dies in perpetuum, per unum ex fratribus ejusdem domus celebranda & dicenda, seu pro vivo, seu pro defuncto, necnon missam conventualem annis singulis recurrente die obitus Sancii solemni ritu peragendam &c. anno 1297.

XXIX. Poncius Bloquier magnus archidiaconus & Basco de Rocafort, seu Vasco de Ruperforti archidiaconus minor reperiuntur an. 1320. C Vocatur autem Petrus Blanquerius anno 1322. die 7. Dec. in chronico D. de Vic p. 126.

XXX. Garcias Arnaudi de Castroverduno archidiaconus major an. 1330. die 8. Junii de consensu capituli decernit nullum canonicum portionem aut vestimentum recipere, vel capitulum ingredi debere, nisi perfecte cantum didicerit, & officium tam nocturnum quam diurnum calleat.

XXXI. Bernardus IV. de Gordonio magnus archidiaconus legitur anno 1355.

XXXII. Guniotus Sardemie an. 1403. die 23. Januarii recensetur in archivis Carcassonensibus baccalaureus in legibus, archidiaconus, decanus, & eleemosynarius Chiesæ, ac denique servitor & familiaris domesticus patriarchæ Alexandrini episcopi Carcassonensis, ex litteris tutelæ regiæ, testante D. Besse.

XXXIII. Bartholomæus major archidiaconus die Mercurii 13. Martii anni 1464. hoc est 1465. orationem Johannis de Castro episcopi ad capitulum in primo ad suam ecclesiam adventu, vice totius collegii responso excepit, ex chronico Gerardi de Vic pag. 213.

XXXIV. Petrus II. Alquerii ultimus major archidiaconus in ecclesia Carcassonensi, quamdiu regularis in ea status permansit, adhuc ea prima capituli dignitate gaudebat die Mercurii 11. Martii anno 1467. superstes ad mensem Julium anni 1473.

DECANI ECCLESIÆ CARCASSONENSIS
postquam ab instituto regulari soluta fuit.

I. PETRUS I. Alquerii ex ultimo majori archidiacono primus fuit decanus, vel certe sub archidiaconi nomine primatum in capitulo usque ad obitum servavit. Tentavit quidem Gaufridus de Pompadour episcopus Carcassonensis decanum instituere anno 1440. Heliam de Pom- D padour, canonicum Carcassonensem, & in eadem ecclesia post Raimundum de Pompadour, archidiaconum Montis lauri, licentiatum in legibus, & in decretis baccalaureum, necnon ecclesiæ collegiatæ Montis regalis decanum & in senatu Tolosano consiliarium, sed frustra, Petro Alquerii archidiacono primas in capitulo usque ad obitum retinente; quanquam in schedis D. de Gagneres decanus legitur an. 1469. mense Febr. Johannes le Blanc, fortassis Heliæ juri suppositus. Ceterum statim ac Petrus Alquerii defunctus est

II. Philippus de Fontenay decanatum obtinuit promotus a Johanne de Castro episcopo anno E 1473.

III. Ugolinus de la Boissieyre successit anno 1477. non assumtus e gremio.

IV. Johannes le Blanc miles, dictus *Petit Jean*, ex gente dominorum de la Baume le Blanc, decanus erat ecclesiæ Carcasson. 4. Nov. 1491. mortuus ante diem 3. Octob. 1494. tom. 5. hist. genealogicæ magnatum Franciæ p. 487.

V. Petrus Boëri occurrit decanus in electione Hugonis de Vicinis episcopi Carcassonensis, cui contradixit 28. Septemb. die Martis an. 1512. Idem an. 1516. adversatus fuit electioni Johannis de Basilhac & an. 1522. die 8. Novembris adfuit Martino de S. André episcopo Carcassonensi suam urbem solemni pompa ingredienti. Memoratur adhuc 1533. IX. calend. Novembris in bulla Clementis VII. papæ capitulo facultatem indulgentis vacantes canonicatus & alia beneficia conferendi per vices, exceptis præcentoria, & quatuor præbendis hebdomadalibus, eidemque bullæ consensum præbuit die Sabb. 13. Dec. ejusdem anni.

VI. Arnaldus de Calmels canonicus & decanus ecclesiæ Carcassonensis possessionem episcopatus Carcassonensis accepit procuratorio nomine Christophori de Lestang die 24. Septembris anno 1603.

VII. Aimericus de Chalvelet præerat anno 1636. ex archivo regio Monspeliensi.

VIII. Ludovicus Carolus des Alris de Roussel evasit episcopus Biterr. an. 1702.

DE VETERIBUS MONASTERIIS DIŒC. CARCASSONENSIS.

I. S. SALVATOR & S. MARIA Carcaſſon.

VEtus abbatia S. Salvatoris & S. Mariæ infra muros civitatis Carcaſſonæ poſita exſtabat anno XXVI. regnante Carolo Simplice, quo anno Odo pro redemtione animæ ſuæ dedit Deo & abbatiæ S. Salvatoris in ſuburbio Carcaſſonenſis civitatis aliquid ex rebus ſuis in manu D. Gimeræ epiſcopi Carcaſſonenſis, qui quidem præſul ſub hoc principe ſedebat, non autem ſub Carolo Calvo, ad cujus principatum hanc Catellus donationem perperam retulit commentariorum Occitaniæ pag. 1005. Nominatur etiam expreſſis verbis *Abbatia de S. Maria, quæ eſt in ipſo burgo Carcaſſonæ civitatis*, in conventionibus de Carcaſſona habitis inter Raimundum Bernardi vicecomitem Biterrenſem, & Raimundum comitem Barcinonenſem an. 1067. Hac in eccleſia dicta olim *de Abbatia*, Petrus epiſcopus Carcaſſonenſis anno 1088. inſtituit clericos regulares, ut liquet ex bulla Urbani II. hanc inſtitutionem approbantis. Idem Urbanus ſacra fecit in eccleſia abbatiæ S. Mariæ de Salvatore, & ad populum ſermonem habuit an. 1095. ex hiſt. comitum Carcaſſon. Guillelmi Beſſe pag. 105. qui docet etiam pag. 125. eam adhuc eccleſiam incoluiſſe canonicos an. 1170. quo his Rogerius comes Carcaſſonenſis jus habendi furni in ſuburbio conceſſit. Quin etiam annis 1181. & 1184. ejuſdem abbas memoratur Berengarius ſimul hoc anno dictus archidiaconus S. Nazarii. Diruta fuit una cum burgo an. 1209. in bellis Trincavelli, uti legitur apud Catellum commentariorum Occitaniæ lib. 2. pag. 301. & apud Guillelmum Beſſe hiſt. comitum Carcaſſon. pag. 134. Attamen inſtaurata florebat an. 1240. Sed mox iterum a Trincavello deſtructa fuit, ut ibidem tradit Guillelmus Beſſe pag. 163. 164. & 165. Ea ſubinde poſt varios caſus eccleſia evaſit parochialis, ceſſitque tandem patribus Capucinis.

Append. Marc. Hiſp. col. 1132.

Ch. XXIII. col. 431.

Tres ſolum abbates reperimus, Waltherium ſcilicet abbatem S. Mariæ, qui fuit alter exſecutorum teſtamenti Aimerici archiepiſcopi Narbonenſis an. 977. Non me fugit nuperum rerum Occitanarum ſcriptorem id Waltherio abbati S. Mariæ Craſſenſis acceptum referre, at certe nullus eo tempore fuit hujus nominis abbas Craſſenſis.

Alter fuit Poncius, cui Ermengardis vicecomitiſſa Biterrenſis nonnulla ceſſit, aſſentientibus Petro epiſcopo Carcaſſonenſi, & Bernardo vicecomite filio ſuo an. 1085. VII. cal. Junii feria ſecunda.

Tertius denique Berengarius annis 1181. & 1184. ſimul hoc anno archidiaconus ſancti Nazarii.

II. B. MARIA DE VERNAZONE.

Abbatia B. Mariæ de Vernazone ſeu de Varnazena memoratur in teſtamento Rogerii I. Carcaſſonenſis comitis ſub finem decimi ſæculi aut initium ſequentis, *& ipſam abbadiam de Varnazena remaneat ad filio meo Raimundo.* Jam dudum adjuncta fuit Montis olivi cœnobio, cui hactenus adhæret; ſed eccleſia modo deſerta, ſupereſt tantum ſacellum B. Mariæ ſacrum, nuncupatum *de Campo raſo*, vulgo *Campebras.*

Unicus abbas nobis occurrit Rodulfus, qui obiit idibus Septembris, ex necrologio Montis olivi.

III. S. STEPHANUS de Cabardez. *Prob. t. 2. hiſt. Occit. col. 191.*

Solum innoteſcit vetus S. Stephani de Cabardez abbatia ex hominio, quod Rogerius I. comes Fuxenſis patruo ſuo Petro epiſcopo Gerundenſi præſtitit circa annum 1034.

IV. S. CLARA Carcaſſon.

Fuit olim Clariſſarum parthenon in urbe Carcaſſona, cujus abbatiſſæ tacito nomine fit mentio anno 1355.

Unica abbatiſſa Ermengardis de Narbonne reperitur 1374. in archivis cameræ rationum Pariſienſis.

Anno 1478. ex conceſſione Guiſcardi epiſcopi Carcaſſon. hic tranſlatus eſt parthenon Aziliacum in diœceſi Narbonenſi, de quo ibidem diximus quæcumque ad noſtram devenere notitiam.

DE ABBATIIS DIŒCESIS CARCASSONENSIS

Quæ hactenus in ſuo primævo ſtatu perſeverant.

QUinque ſunt, tres videlicet ordinis S. Benedicti virorum, & duæ Ciſtercienſis, una virorum, altera feminarum. Hæc ſunt earum nomina.

B. Maria de Craſſa, *N. Dame de la Graſſe* O. B.
Mons olivus, *Montoliou* O. B.
S. Hilarius, *S. Hilaire* O. B.
Villa longa, *Villelongue* O. C.
Rivus nitidus, *Rieunette* O. C. femin.

B. MARIA DE CRASSA.

PAulo ante annum 778. jacta ſunt fundamenta inſignis monaſterii B. Mariæ de Orbione vel Urbione, ſic dicti a fluvio præterlabente, quod etiam aliquando B. Maria de Novaliis ab amœna valle, in qua ſitum eſt, ac poſtremo B. Maria de Craſſa nuncupatur, quod illi nomen a ſoli fertilitate inditum volunt. Exſtat in Occitaniæ provincia quatuor ab urbe Carcaſſona leucis, habetque Narbonam ad proſpectum orientalem, quinque leucis ab hac civitate, ac verſus meridiem Perpinianum. Conditum a Nimfridio ſeu Nifridio, confirmatur a Carolo magno, dato præcepto in palatio regio Compendio menſe Jan. anno regni undecimo. Alterum ejuſdem Caroli imperatoris diploma profertur datum anno 806. precibus ejuſdem Nimfridii abbatis, ut infra in eodem abbate videbimus. Ludovicum Pium imperatorem ad hujus quoque monaſterii conſtructionem non parum contuliſſe, probatur ex vita ejuſdem principis tom. 2. hiſt. Franc. Ducheſne pag. 293. *Ab eo ſunt in ejus ditione* (regno

Ch. 1. col. 411.

Aquitaniæ) *reparata, imo a fundamentis ædificata monasteria, monasterium S. Filiberti ..... in Septimania monasterium S. Laurentii, monasterium S. Mariæ quæ dicitur de Urobione.* Denique Leo III. papa novum monasterium exemit ab episcopali jurisdictione; idque Gelasius II. anno 1119. & Adrianus IV. 1158. consentientibus Narbonensi metropolitano & episc. Carcassonensi, ratum habuerunt. Aliquando tamen Electensi subditum fuisse monasterio colligitur ex bullis tum Leonis papæ IX. an. 1050. tum Alexandri III. anno 1162. ubi inter Electensis cœnobii possessiones legitur monasterium B. Mariæ Urbionis.

Ch. VI. col. 107. & Ch. IX. col. 109.

Urbeculæ cognomini initia dedit hoc monasterium, quod unum pene ex omnibus in tota Occitania cœnobiis ab impiorum novatorum depopulatione, præfausto Dei consilio illæsum vindicatum fuit; spatioso quippe murorum ambitu, validissimisque aggerum, specularum, ac plurium id genus propugnaculorum munitionibus obvallatum hodieque visitur; quodque inprimis notandum, juxta ipsius majorem portam etiamnum perseverat celebre egenorum xenotrophium ante sexcentos sexaginta annos a primis ejus loci cœnobitis piissime conditum. Floret hactenus hoc cœnobium sub reformata S. Mauri congregatione, ad quam accessit an. 1663. De abbatibus ejus nunc dicendum.

Abbatum Series.

I. Primus auctor cœnobii, idemque primus abbas exstitit Nimfridius seu Nifridius, quem alii Nibidrium & Nebridium vocant, factus demum archiepiscopus Narbonensis, ut ex veteri necrologio discimus. Is ad Carolum magnum accessit in villa regia Compendio tum degentem, eique suggessit, quod ipse cum monachis suis in eremo territorii Narbonensis, super fluvium Orobionem, in loco, quem vulgus Novalias appellat, monasterium in honorem S. Dei genitricis Mariæ novo opere construxisset, ibique domos, ecclesias, ceterasque habitationes monachis congruas ædificasset, ac vineas plantasset, camposque ad laborandum, atque prata a fiscalibus & dominis locorum accepisset; quod a principe ratum haberi cupiebat. Rex annuit pro sua religione, dato præcepto in palatio regio Compendio mense Januario anno regni XI. hoc est anno 778. Dum idem Carolus imperator Narbonæ versaretur, Nimfridii rogatu, anno 806. huic loco præceptum indulsisse dicitur: hæc summa ejus est, virum Nimfridium abbatem ex monasterio S. Dei genitricis, semperque Virginis Mariæ, quod est constructum in territorio Narbonensi super fluvium Urbionis, in valle, quæ modo Crassa nominatur, ad Caroli præsentiam venisse, ab eoque petiisse sibi monachisque suis dari unde in servitio Dei & B. Mariæ sustentari ac vivere possent, Carolum vero eidem ex propriis contulisse vallem Borrianam, quæ tunc Licinianus appellata, in comitatu Narbonensi, cum ecclesiis ibidem constructis, una in honore sancti Felicis, altera S. Nazarii, ac tertia S. Candidæ, cum omnibus ad eas pertinentibus; quibus omnibus adjicitur immunitas a quibuslibet teloneis. *Actum Narbonæ nonis Aprilis anno sexto imperii, tricesimo nono regni in Francia, atque tricesimo secundo in Italia, indictione XIII.* quæ notæ chronologicæ vix simul conciliari possunt, nisi legatur indictio XIV. aut cum annalibus Francicis, in quibus Carolus eo tempore Noviomagi ad Vahalim, *ubi sanctum Quadragesimale jejunium, & sacratissimam Paschæ festivitatem pridie idus Aprilis* celebravit, versatus memoratur. Ceterum exinde profecto ipsemet Carolus magnus monasterii fundator habetur in tabulis urbis Narbonæ.

Nebridius autem probe notus erat Theodulfo episcopo Aurelianensi, ut patet ex hujus carmine ad Benedictum Anianensem lib. 2. cap. 6. atque etiam ipsi Benedicto, qui pridie suæ mortis ad illum jam archiepiscopum scripsit epistolam, suam ipsi & familiaribus ejus animam commendans; ubi his verbis, *in monasterio vestro*, &c. allusisse videtur ad monasterium B. Mariæ de Crassa, sive quod in ejus provincia situm esset, seu potius quod ejus auctor & abbas exstitisset. Et certe in necrologio Crassensi notatur calendis Januarii *Nifridius abbas archiepiscopus Narbonensis.*

II. Attala Rudericum presbyterum inprimis munificum expertus est *pridie idus Octobris anno XLVI. sub domino Karulo imperatore*, hoc est 813. Duo quoque præcepta obtinuit a Ludovico Pio imperatore, anno ejus imperii primo, indict. VIII. quæ consulesis in probationibus novæ hist. Occit. tom. 1. col. 41. & 45.

III. Adalaricus, quem noster Mabillonius Adalainum vocatum rejicit post annum 890. longe antea innotescit ex charta Olibæ comitis Carcassonensis & Elmetrudis ipsius conjugis, alodem cognominatum Favarias, situm in valle Aquitanica *de d'Aigne* in diœcesi Carcassonensi, quem olim abbatiæ Crassensi contulerant, in beneficium ab Adalarico abbate postulantium & accipientium in viginti duos annos sub annuo censu viginti solidorum. Data est charta XI. cal. Octob. anno septimo imperante domno Ludovico, hoc est anno 820.

Prob. t. 1. hist. Occit. col. 55.

IV. Agila & Agilis rogatu Olibæ comitis a Pippino Aquitanorum rege litteras defensionis obtinuit anno 827. V. cal. Octob. quas videsis in probationibus tom. 1. novæ rerum Occitanarum historiæ col. 66. Decimo post anno seu 24. imperante Ludovico, VI. idus Maii, Richildem secundam Olibæ comitis uxorem beneficam expertus est. Anno sequenti 838. seu 25. imperante Ludovico Pio, & 24. regni Pippini III. nonas Septembris indictione prima a laudato Pippino litteras accepit. Denique Agila principatum attigit Caroli Calvi, ut patet ex præcepto Caroli Simplicis pro Witiza Crassensi abbate nostra inter instrumenta excuso n. X. col. 420. ubi sic habetur: *& in pago Narbonensi Caput-spina, &c. quos Agila abbas apprehendit ante Fulconem missum avi nostri Caroli.*

Prob. t. 1. hist. Occit. col. 70.

Ibid. col. 79.

V. Elias I. litteras tutelæ obtinuit a Carolo Calvo anno regni ejus quarto, III. idus Maii indictione VI. hoc est 843. Actum in monasterio S. Saturnini prope Tolosam.

VI. Suniarius & Sonarius I. an. 855. seu XVI. regni Caroli Calvi indictione tertia, IV. cal. Julii, tuitionis præceptum impetravit ab eodem principe, quod videsis in probationibus hist. memoratæ col. 102. & in appendice ad tomum tertium annalium Bened. pag. 670. Adhuc memoratur VIII. cal. Julii anno 23. regnante eodem Carolo; forsanque idem est ac Sunifredus, qui sequitur.

VII. Sunifredus & Songfredus privilegio donatur a Carolo Calvo, anno regni ejus 31. indict. tertia, IV. cal. Julii, anno Christi 870. *Actum Attiniaco palatio.* Eodem anno, ut innuit indictio III. sola diplomatis nota chronica, privilegium obtinuit ab Hadriano papa, ex tabulario Crassensi. Alterum diploma idem Sunifredus consequitur a Carolo Calvo datum Elidione villa VIII. cal. Novembris indict. X. anno 37. regni ejus in Francia, & imperii ejus primo, hoc est 876. Testis est in placito Wileranni episcopi Carcassonensis, VI. calend. Martii anno tertio imperante Carolo (Crasso) hoc est 883. de quo vide supra in hoc episcopo. Eidem Suniefredo abbati & cunctæ congregationi S. Mariæ Urbionensis monasterii plures simul in unum donatores, Sesenanda videlicet, Suniefredus, Wifredus pilosus comes, Rodulfus comes, & Miro comes sese munificos exhibuerunt anno quo obiit Carolus imperator, &c. hoc est 888. Denique hujus abbatis rogatu Odo rex superiorum regum privilegia confirmavit anno 890. III. cal. Februarii, seu anno regni tertio, indictione VIII. cujus rei authenticum, ait Mabillonius, in ejus loci archivo asservatur.

Ibid. col. 120.

Ch. VII. col. 418.

VIII. Saborellus præfuit tempore Odonis regis, a quo Fonteclaram in pago Gerundense, cum ecclesia S. Pauli, nonnullosque fiscos accepit, uti notatur in præcepto Caroli Simplicis pro Witiza Crassensi abbate.

Ch. X. col. 420.

IX. Durandus abbatiæ clavum moderabatur anno 897. quo per Albarum legatum suum, seu vicarium interfuit concilio habito hoc anno in loco pagi Nemausensis, *Portu* cognominato. Diploma regiæ tuitionis obtinuit pro suo cœnobio datum IV. calendas* Junii, seu 29. Maii indict. 2. anno septimo regnante Carolo serenissimo rege, & in successione Odonis secundo, hoc est 899. *Actum apud Hturnum,* ex Baluzio in edito catalogo diplomatum mss. pag. 72. n. 22. Eidem abbati Radulfus comes & uxor ejus Ralindis villam de Pediliano diœcesis Helenensis tradiderunt mense Maio, anno VI. regnante Carolo rege, (forte legendum an. IV. hoc est 901. vel 902.)

* IV. nonas, t. 3. annal. Ben. p. 304.

X. Witiza seu Witizana villam Campi longi dono cujusdam Trasoarii & Sisenandæ sororis ejus, ex eleemosyna patris sui Wadaldi, ditionibus monasterii adjecit. *Facta charta donationis idibus Maii anno V. regnante Carolo post obitum Odonis regis,* ut in authentico legitur, hoc est 902. Carolus siquidem non nisi post obitum Odonis regnavit in Aquitania & in Septimania, unde primi ejus regni nulla fit mentio in chartis illarum regionum. Anno X. regnante eodem Carolo filio Ludovici, illustris femina Relindis Witizano abbati concessit alodem de Sudredo, &c. Ejusdem Witizæ rogatu monasterii possessiones ratas habuit Carolus rex III. nonas Novemb. Datum est præceptum anno XVI. regnante Carolo, redintegrante XI. hoc est 908. indict. XII. inchoata a mense Septembri, non vero 893. ut habet Baluzius in edito catalogo diplom. mss. p. 72. n. 23. Denique plurima prædia Witiza comparavit in territorio Crassensi IV. nonas Jan. anno XIX. regnante Karulo rege.

T. 3. annal. Ben. p. 316.

Ch. X. col. 420.

XI. Suniarius II. occurrit abbas Crassensis III. cal. Julii anno vigesimo regnante Carolo rege post obitum Odonis regis, hoc est 917. & iterum VIII. calendas Julii anno XXIII. regnante Carolo rege, in charta Redlindis comitissæ viduæ Radulfi comitis, donationem villæ de Pediliano ei confirmantis. Anno 937. interfuit dedicationi ecclesiæ S. Poncii Tomeriarum, litterisque Raimundi Poncii comitis Tolosani & ducis Aquitaniæ hujus cœnobii fundatoris subscripsit, nec multo post Ausidinensi concilio nomen apposuit. In ejus gratiam fundatum legitur monasterium B. Mariæ Camboni, vulgo *Camon*, anno VIII. regnante Ludovico rege, hoc est 943. Anno XI. ejusdem Ludovici IX. calend. Nov. indict. IV. a Majolo vicecomite donum accepit Ursiani allodii in comitatu Urgellensi. Agapitus II. papa eidem abbati privilegium indulsit datum mense Dec. indict. X. hoc est 951. curante Arnulfo Rivipullensi abbate Romam profecto, quem pontifex Suniarii *legatum* vocat. Eodem anno, IX. cal. Augusti in præsentia Wisadi episcopi Carcassonensis quædam permutavit cum Seniofredo comite Barcinonensi. Soniarii nomen legitur in quadam permutatione facta *anno I. quo obiit rex Ludovicus,* hoc est 954. & adhuc 959. seu anno V. regnante Lothario rege, XIV. cal. Martii, quo transegit cum Aimerico Narbonensi archiepiscopo de S. Asciscli ecclesia in comitatu Narbonensi. Interea tamen legitur apud Mabillonium tom. 3. annal. pag. 507. Suniarium Bisuldunensem comitem cellam Riondezariam in comitatu Bisuldunensi, Crassensi B. Mariæ Virginis monasterio & Witidæ abbati, ejusque monachis attribuisse *pridie cal. Julii anno ab Incarnatione Domini 953. regnante Ludovico rege.* Sed hic mendum irrepsisse suspicatur ipse Mabillonius in nomen Witidæ abbatis; nam, inquit, Soniarius ante & post hoc tempus Crassensi monasterio præfuit.

T. 3. Annal. Bened. pag. 358.

Ch. XV. col. 424.

Marca Hispanica col. 493.

Ch. XIX. col. 18.

XII. Segerius, Sicarius & Secharius Crassensis abbas Simplicio presbytero vendidit alodem in agro Narbonensi, in loco dicto *ad Ipaa verdena* IX. cal. Maii anno XII. regnante Lothario, seu 965. Subscribunt huic chartæ *Secharius abba, Franco episcopus, Nantigisus monachus, Donatus monachus, Sonarius monachus, &c.* ex tabulario S. Pauli Narbon. Vide appendicem ad tom. IV. annal. Bened. pag. 853. litt. DD. in addendis & corrigendis in tomo 3.

XIII. Rodolfus Crassensi monasterio præerat tempore Suniarii Helenensis episcopi, qui sedit ab anno saltem 968. ad 977.

Tom. 2. hist. Occit. pag. 198.

XIV. Donatus, idem fortasse qui monachus chartæ anni 965. supra memoratæ subscripsit,

reperitur abbas anno XIV. regnante Lothario rege in charta cujusdam Ademari & Rotillæ uxoris ejus, qua monasterio dant alodem in comitatu Tolosano, in loco Keirano, cum ecclesia S. Saturnini. Occurrit adhuc anno XV. regnante eodem Lothario in charta Camonis. Ita noster Martennius, qui & Hugonem exhibet abbatem anno XXIV. regni ejusdem Lotharii, cum e contrario noster Stephanus Dulaura eumdem Donatum se reperisse dicat 7. Aprilis & 4. Septembris anno XXVIII. regnante Lothario.

XV. Bernardus I. anno 994. nonnulla prædia apud S. Petrum de Calmes coemisse a Visulfo archidiacono, & anno 997. comparasse vineas in territorio de Ferrals memoratur. Anno 1008. Seniofredus presbyter ei contulit feudum de Foredones. Subscripsit anno 1019. cum sex episcopis *Bernardus S. Mariæ Crassæ* instrumento de vita canonica in ecclesiam Gerundensem inducta. Reperitur & anno 1021. indict. IV. tertio nonas Septemb. in charta electionis Willelmi Crassensis monachi in abbatem Caunensem, ubi vide, tomi præsentis col. 160.

Append. Marc. Hisp. col. 1016.

Post hunc abbatem Mabillonius dat locum Randulfo, cujus, inquit, habetur mentio in tabulis Crassensibus anni 1020. at legendum videtur 1030. ex dictis in Bernardo, & ex dicendis in Stephano, qui sequitur.

XVI. Stephanus an. XXIV. regnante Roberto rege sententiam tulit adversus quosdam bonorum Camonis usurpatores, ex charta hujus prioratus. Huic abbati quidam Garabertus anno XXVIII. ejusdem Roberti regis mense Sept. loca Paderni & Molheti restituit. Exstat placitum in appendice ad tom. IV. annal. Bened. pag. 711. col. 2. habitum mense Martio feria V. Passionis Domini anno 1026. tricesimo Roberti regis, in villa de Fustiniaco, ubi agitata & finita est causa inter abbates Lezati & Simorræ Aimericum & Odonem pro abbatia de Paderianis, ad arbitrium & ex sententia Stephani abbatis Crassensis, Olibæ abbatis S. Hilarii, &c.

XVII. Randulfus, idem profecto, qui solum monachus cum abbate suo Stephano adfuit placito supra memorato, ei successerat in regimine anno V. Henrici regis IV. idus Julii, hoc est 1036. ut probat Uggonis comitis & Guilæ uxoris ecclesiam Canoicensem *de Canois* Crassensi cœnobio restituentium scripta professio. Hic est *Ranulfus abbas S. Mariæ* memoratus in testamento Guillelmi comitis Bisuldunensis scripto 1034. Randulfo abbati Isimbertus & Richildis conjux largiuntur oppidum Ruhanum an. 1037. eidemque Arnaldus quidam cum filio Bermundo dedit ecclesiam S. Stephani de Supplecentiis nonis Aprilis anno XXV. regnante Aianrico rege. Denique Randulfus abbas privilegium accepit a Victore II. papa, qui sedere cœpit anno 1055. Hanc autem abbatiam Raimundus Bernardi vicecomes Biterrensis an. 1067. dimisit Raimundo comiti Barcinonensi, ex conventionibus inter se initis. Vide append. Marc. Hisp. col. 1133.

Ch. XXII. col. 431.

Prob. t. 2 hist. Occit. c. 1058.

XVIII. Dalmatius magni nominis abbas, doctrina & religione conspicuus, beati etiam titulo donatus in vetustissimo necrologio, cum laude diu rexit, & quidem ab anno saltem 1068. quo præsens memoratur concilio Gerundensi habito ab Alexandro II. papa. Anno 1071. Dalmatii opera quatuor inter tribunos Malvierenses de ditione disceptantes inita est concordia coram Raimundo Barcinonensi comite & Aimerico Narbonensi vicecomite. Occurrit Dalmatius abbas 1075. & anno XVII. regnante Philippo, VIII. cal. Octob. in tabulario Crassensi, simul autem abbas & archiepiscopus Narbonensis anno 1083. X. calend. Maii, & XI. cal. Aprilis anno XXVII. regnante Philippo rege. Hic nempe mortuo Guifredo archiepiscopo, Narbonensi cathedræ impositus, non continuo Crassensis abbatiæ gubernacula dimisit, utpote non tam cito Narbonensis ecclesiæ pacificus possessor, uti supra dictum est in archiepiscopis; sed tamen quasi coabbatem assumsisse Walticum videtur, qui quidem legitur abbas in tabulario Crassensi tempore Isarni episcopi Tolosani pridie nonas Febr. regnante D. nostro Jesu Christo. Ceterum sub Dalmatio abbate Crassense monasterium Barcinonensis comes subditum voluit Massiliensi sancti Victoris circa 1070. ait Martennius tom. I. collect. ampliss. col. 473. Fortasse tamen decennio serius, nempe circa 1080. quo Gregorius VII. idem monasterium abbati Massiliensi Richardo reformandum commisisse legitur tom. 5. annal. Bened. p. 165.

XIX. Robertus I. Dalmatio tandem abbatiæ regimen abdicanti successor datus est an. 1086. die 5. Maii. Hic servata normæ disciplina rem domesticam plurimum auxit; enimvero an. 1086. Talayricum, 1094. S. Symphoriani ecclesiam, annis 1101. & 1102. Casiliacum, & 1106. seu XLVIII. regnante Philippo rege, IV. idus Martii cellam S. Sepulcri de Paleria ab Arnaldo Gauzfredi, qui prius hanc S. Sepulcro Jerosolymitano concesserat, acquisivit sub censu denariorum duodecim Bisontinensis monetæ erga S. Sepulcrum Jerosolymitanum. Robertus interim anno 1088. V. idus Jan. Willelmum abbatem & vicecomitem de Castro novo cedere *fortiam & toltas* Pediliani & Corneliani coegit. Anno 1091. XIII. calend. Aprilis ad concilium Narbonense detulit querelam suam de Dalmatio archiepiscopo super abbatiis S. Laurentii de Nigella & S. Polycarpi, de qua vide supra in archiepiscopis Narbonensibus, & Baluzium in conciliis Galliæ Narbon. p. 18. ac tom. 10. conc. Labb. c. 479. Eodem anno VIII. cal. Jan. Gumbaldo Amelii & Gumbaldo filio ejus fevum & *bagliam* villæ Canoas concessit. Eidem Bertrandus filius Fulconis de Castro, quod vocatur *Durfort*, monasterium seu abbatiam S. Martini de Podio seu de Puteo dedit an. 1093. quæ donatio eidem confirmata fuit an. 1099. III. calend. Jan. Duo molendina ab Raimundo Segerio & uxore Estia 1093. decimas ecclesiæ de Malveriis a Raimundo & aliis 1101. ecclesiam S. Andreæ de Ripis altis a Bisuldunensi comite 1102. & ecclesiam S. Quirini Canoicensis a Raimundo Udalgerio vicecomite de Talzo & Hugone ipsius fratre

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 324.

Ch. XXIV. col. 432.

eodem an. XII. cal. Aug. restitui monasterio curavit. Præsens memoratur an. 1100. 6. Jan. initæ compositioni Poncium inter abbatem Casæ Dei & Raimundum episcopum Nemausensem super ecclesia seu monasterio S. Baudilii. Ermengardem vicecomitissam Biterrensem anno 1101. X. cal. Jul. Bernardum comitem Bisuldunensem 1102. XVI. cal. Apr. Guillelmum Bernardi de S. Paulo 1104. & Guillelmum Udalgerii vicecomitem de Castello novo an. 1105. XV. cal. Julii beneficos expertus est. Denique, singula ne loquar, medietatem placitorum Paderni atque Molheti anno 1108. XIII. cal. Jun. invasori Berengario eripuit. Hunc annum Robertus haud excessit, eo si quidem in Blumacensis villulæ donatione a Guillelmo & Gisla conjugibus facta Petrus cœnobium regere dicitur *Prior ante novam abbatis electionem.*

Prob. t. 2. hist. Occitan. col. 352. & 355.

XX. Leo filius Petri Bernardi domini de Alta ripa & Stephaniæ, qui eum adhuc puerum B. Mariæ de Crassa in monachum offerentes, simul ecclesiam de Alta ripa obtulerunt, legitur abbas die 27. Sept. an. 1109. in charta Agnetis comitissæ Ruscinonensis abbatiam S. Andreæ de Sureda, consilio Ermengaudi Helenensis episcopi Crassensi monasterio confirmantis. Anno seq. ei fidem clientelarem juravit Bernardus Atto Carcassonensis comes pro castris de Consolento, de Leoco, de Cane suspenso, &c. Idem abbas IIII. regnante Ludovico nonis Augusti Poncium de S. Michaele beneficum experitur, ex tabulario episcopatus Albiensis. Caunetam hoc ipso anno Bernardus de Arviniano & uxor ejus Beatrix, ac biennio post Unaldus de Podio Laurentii cum suis fratribus ecclesiam S. Lupi Leoni abbati concesserunt. Ex quadam charta S. Polycarpi data hoc anno 1113. qua huic cœnobio confertur ecclesia de Arva *in manu L. abbatis præfati monasterii Crassensis*, liquet S. Polycarpi monasterium tunc subditum fuisse Crassensi, gubernatumque per priorem, qui vocabatur Petrus. Anno 1114. quo non amplius Castrensis, Soriciniensis, Crassensis & Psalmodiensis abbatiæ a Massiliensi S. Victoris dependebant, Aimericus vicecomes Narbonensis, & Ermengardis conjux ei villam de Laco oppignerarunt. Eodem anno Bernardus Ceritaniensis comes monasterium S. Martini *de Canegu*, quod Guiffredus ipsius atavus ædificaverat, Crassensi B. Mariæ cœnobio subdidit ea lege, ut abbas Crassæ præsens atque futuri illuc abbatem e sua congregatione mitterent, qui ordinem inibi servari secundum regulam S. Benedicti curaret. Denique Leo Crassensis abbas molendinum de Ferrals coemit VIII. cal. Julii an. 1115.

Append. Marc. Hisp. col. 1234.

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 375.

T. 1. novæ Gall. Chr. instr. pag. 115.

XXI. Berengarius I. de Narbona filius Aimerici Narbonæ vicecomitis, ex Mathilde, quæ Robertum Guiscardum Messanæ ducem parentem habuit, e monacho S. Poncii Tomeriarum evasit abbas Crassensis anno saltem 1117. quo, regnante Ludovico, XIII. cal. Febr. a Raimundo Berengario Barcinonensi comite fratre suo monasterium S. Petri de Galli cantu situm juxta Gerundiæ muros cum suis appenditiis ea lege consecutus est, ut ibi abbas & monachi sub regula S. Benedicti viverent. Verum anno seq. idem Berengarius abbas repulsus est a monasterio S. Felicis Guixalensis, quod contra voluntatem ipsius loci abbatis & monachorum invaserat, inconsulto Berengario Gerundensi episcopo & capitulo ejus ecclesiæ, quæ illud monasterium quiete semper possederat. Eodem anno 1118. pridie cal. Decemb. indict. XII. inchoata a mense Septembri ei Gelasius II. papa tum Magalonæ positus privilegium indulsit. Occurrit anno seq. Berengarius Calixto II. Gelasii successori Tolosam properanti, ubi cum in concilio mense Julio habito querelam adversus Electenses monachos de S. Polycarpi ecclesia renovasset, hisce jam vindicata judicio Paschalis II. papæ, iterum asserta fuit, ut patet ex litteris Calixti datis Tolosæ pridie idus Julii anno pontificatus primo. Idem nihilominus pontifex hoc ipso anno XIII. cal. Augusti indict. XII. litteris datis apud S. Theodardum ecclesiam seu prioratum S. Petri de Valeriis Berengario concessit sub annuo censu duorum aureorum. Recensetur 1123. in charta Rogerii Mir. de Bello podio & 1125. in dono decimarum & ecclesiæ S. Juliani de Fonte cooperto per Geraldum Alaricum & Sibillam uxorem. Eodem anno pridie idus Martii conventionem fecit cum Guillelmo Robiani & Petro Adalberti fratribus, atque 1126. cum Amelio episcopo Tolosano. Reperitur anno 1127. XI. cal. Maii in charta donationis ecclesiæ & villæ de Fontibus, seu S. Mariæ de Fonte per Petrum Udalgerii de Fonte & Stephaniam uxorem, 1128. mense Decembri in dono multorum prædiorum apud pagos S. Petri de Calmes & Ripæ altæ facto a Guillelmo de Terminis, 1130. in tabulis Berengarii de Castro novo, & uxoris Ruzenæ donantium molendina de Ferrals, 1133. VII. cal. Decemb. in charta Aimerici Narbonæ vicecomitis Narbonensi capitulo benefacientis, ubi frater ejus [a] Berengarius abbas dicitur. Anno 1139. III. idus Maii Gauzfridus comes Ruscinonensis, T. uxor ejus & Guinardus eorum filius de consensu Udalgerii episcopi Helenensis ei monasterium S. Andreæ du Sureda in comitatu Ruscinonensi cum suis omnibus bonis ea conditione dederunt, seu potius confirmarunt, ut quidem abbas e Crassensibus monachis assumeretur, verumtamen eligendus a monachis S. Andreæ cum consilio eorumdem episcopi & comitis. Eodem anno ipsius frater Raimundus Berengarius Barcinonensis comes castrum Estercianum Cæsaraugustanæ diœcesis ei donavit. Lateranensi concilio illum hoc ipso anno interfuisse colligitur ex epistola 27. libri I. Petri Venerabilis ad Innocentium papam, in qua Crassensis abbas eos inter præsules & abbates commemoratur, qui regredientes a concilio in via intercepti versus pontem Tremulum carceri mancipati sunt. Anno sequenti VII. cal. Augusti Guillelmus Bernardi de Insula & alii terram de suo manso sitam in territorio & parochia S. Felicis Pediliani abbati

Append. Marc. Hisp. col. 1248.

Ibid. col. 1251.

Ch. XXVI. col. 451.

Ch. VII. & VIII. col. 107. & 108.

Baluz. catal. Diplom. mss. p. 3. n. 14. & tom. 2. Miscell. p. 192. & 193.

Biblioth. Cluniac. p. 656.

[a] Ceteri ejusdem fratres præter duos jam commemoratos, habentur in Crassensi martyrologio, Guiscardus de Narbona & Raimundus Bernardi de Narbona.

Berengario tradiderunt. Ei se rursum calendis Maii an. 1142. frater ejus Raimundus Berengarii comes Barcinonensis beneficum præbuit. Insequenti testis habetur in donatione Rogerii de Biterris facta Grandi silvæ & monachis Fontis frigidi. Contulit opem 1148. fratri suo Raimundo Berengarii comiti Barcinonensi Derthusam urbem adversus Sarracenos obsidenti. Memoratur 1151. XIII. calend. Aug. feria VI. in pacto Ermengardem inter vicecomitissam Narbonensem & Raimundum Trencavelli, ex tabulario castri Fuxensis. Eodem, feria III. XVIII. cal. Febr. hoc est 1152. Guillelmus comes & Bernardus frater ejus villam de Casilaco cum omnibus ad eam pertinentibus Berengario abbati ejusque monachis contulerunt, ex eodem tabulario. Hoc etiam anno 1152. seu æra 1190. calendis Maii a Raimundo Berengarii fratre suo Barcinonensi comite benevolentiæ pignus accepit. Cum denique Narbonensem inter archiepiscopum Petrum & abbates S. Poncii nostrumque Berengarium Crassensem exorta esset controversia, Eugenius papa III. scriptis ad eos abbates litteris renovavit decretum Urbani papæ, quo cautum erat, ne presbyteros in ecclesiis collocarent absque consilio episcoporum, quibus de plebium cura, abbatibus vero de rebus temporalibus rationes referre tenerentur. Vide tom. X. concil. Labb. col. 1846. Præfuit Berengarius ad annum 1156. quo Narbonensis ecclesiæ thronum conscendit, defunctus VII. idus Aprilis an. 1162.

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 535.

Ibid. col. 532.

XXII. Guillelmus I. innotescit ex privilegio Adriani papæ IV. dato VI. cal. Maii indict. VII. Incarnationis Dominicæ an. 1158. pontificatus quarto, cui cum Adriano pontifice & Gregorio Sabinensi episcopo novem purpurati patres nomen apposuere. An. 1160. XVII. cal. Septemb. omnes cœnobii reditus apud Ferrals & Fabressan oppigneravit.

XXIII. Robertus II. sacrista sub abbate Berengario an. 1147. renunciatur abbas anno saltem 1163. quo feudum insigne apud Ferrals VI. cal. Febr. acquisivit. Ex hac autem voce *sacrista* primum occurrente, nonnullis persuasum videtur sub Berengarii præfectura cœpisse in hoc cœnobio officiorum & redituum partitionem, qua subinde non mediocri strictioris disciplinæ jactura prorsus labefactata religio. Hæc apud Crassenses officia recensebantur: Major prior seu claustralis duplici monastica portione donatus: Camerarius in vectigali æqualis abbati; major eleemosynarius, loci de Ferrals toparcha; sacrista, cui vectigalia clientelari jure quam plurima nobilia prædia apud Crassam, Montem laurum, Douzains, Nahuze, Rubas, Campum longum, Ripam altam, Leziniacum, Pechericum, Pellat, &c. infirmarius decimas & reditus villæ de Palma olim percipiens, postea vero ex permutatione facta cum Augerio abbate 1287. annua pensione ex abbatis mensa dotatus; operarius cui fidem profitebantur locorum de Bise & de Capestan incolæ; denique hortolanus, quæstorius, vulgo *thresorier*, refectorarius, & præcentor. Pervenit Robertus ad annum saltem 1165. quo Blumacensis molendini donum accepit XVI. calendas Julii.

XXIV. Berengarius II. nonnullas decimas in villa S. Johannis de Palma dono accepit a Gauzberto de Leucata anno 1167. V. cal. Maii, ex charta in appendice relata.

Ch. XXXII. col. 439.

XXV. Arnaldus I. cui cognomentum *de Levis* vulgo adscribitur, appellatur *de castello Rossilionis* in charta anni 1167. XIV. cal. Aprilis, hoc est 1168. qua Guillelmus Ugoni fevum in villa de Pediliano in comitatu Vallis asperii huic abbati & conventui Crassensi elargitus est. Idem una cum incolis Riparum altarum anno 1172. X. cal. Novemb. hoc in loco exstruendæ arcis facultatem obtinuit ab Alfonso rege Aragonum, comite Barcinonensi & marchione Provinciæ, qui & ipsos in suam tutelam suscepit. Eodem anno, mense Augusto, regnante Ludovico, memoratur in litteris Petri & Bernardi, &c. de Palatio, quibus a se factam Deo & B. Mariæ de Palatio donationem hujus abbatis subjiciunt voluntati. Hunc etiam putamus esse Arnaldum Crassensem abbatem, cujus auctoritati subditur Arnaldi de Paladolo testamentum, regnante Ludovico rege anno MCXXXV. *lege* MCLXXV. mense Februario.

XXVI. Franchus vel Franco sedisse fertur annis 1176. & 1178. Certe memoratur in charta donationis multorum nobilium prædiorum in agro Burgalensis ecclesiæ seu prioratus, factæ a Bernardo Palariensi comite & Guillelmicia ipsius matre.

XXVII. Arnaldus II. de Insula mense Julio anni 1178. quidquid habebat in castro & in villa de Palma oppigneravit, assentientibus Petro priore & monachis. Anno 1179. mense Nov. præcipuum immunitatis ac tutelæ diploma obtinuit ab Ildefonso Aragonum rege. Palaidinum de Manso monachum admisit 1186. Tornissarnam villam an. 1188. VIII. cal. Augusti dono accepit a Rogerio, Finesende & Alemanda. Denique prioratum de Petra fitta contulisse reperitur anno 1189.

Hi porro tres ultimi abbates eo leguntur ordine in charta anni 1203. mense Augusto, cujus hæc sunt verba: *Raimundus de Ilice dechanus dedit & cœnobio B. Mariæ de Crassa medietatem totius medietatis honorum quos tenuerat in villa de Pediliano, in præsentia condam Arnaldi de Castello Rossilionis, & condam Franchi, & condam Arnaldi de Insula abbatum Crassensium. Facta charta, &c.*

XXVIII. Raimundus I. pepigit anno 1192. mense Junio cum Ildefonso Aragonum rege & comite Barcinonensi pro castro & villa de Salses quæ in jus regium transtulit abbas, servata solum æde sacra S. Columbæ & cohærente villula, a rege vicissim permultis prædiorum obventionibus apud Ripas altas, Pedilianum & Cornelianum donatus, præsente huic permutationi, eamque sigillo suo confirmante Berengario ex Ilerdensi præsule Narbonensi archiepiscopo. Anno 1197. Casiliacum olim oppigneratum, pretio 16000. solidorum Melgoriensium redemit. Legimus tom. X. fragmentorum Stephanotii nostri pag. 193. Raimundum abbatem Crassæ

locum *Palatium* nuncupatum dediſſe Ermengardi & Willelmæ ſororibus & fratri Johanni de Alcari ad monaſterium inibi conſtruendum, in menſe Sept. anno MCLXXVIII. Philippo rege regnante, at legendum videtur MCXCVIII. neque enim anno MCLXXVIII. regnabat Philippus. Denique anno 1201. menſe Dec. bona plurima Raimundus abbas oppigneravit; poſt quem diu vacavit ſedes ex omnibus catalogis; & quidem ex contentione duos inter competitores, ſi genuina eſt charta Johannis Biſoti a Martennio laudata, ex tabulario Camonis, in qua Guillelmus anno 1205. legitur abbas. Verum ut ut eſt, conſentiunt omnes catalogi Bernardum, poſt quam diu vacua remanſerat ſedes abbatialis, ſucceſſiſſe. Itaque

XXIX. Bernardus II. de Marſilia *de Marſeillete* filius Richardæ feminæ anno 1205. menſe Maio creatus abbas, inſequenti cum abbate & conventu Coxanenſi pactum iniit, ſeu ab illis rivulum emit, cui nomen *Thetis*, vulgo *le Rieumerdey* ad Pratenſium incolarum utilitatem. Eidem abbati Guillelmus de Caſtro novo vicecomes filius Saurinæ feminæ anno 1207. XIII. calend. Octob. clientelare ſacramentum præſtitit ſuper ſanctum altare B. Mariæ Perpiniani, audientibus Guillelmo Helenenſi præſule, Raimundo Rotgerio comite Fuxenſi, Hugone de Tortoſa, Guillelmo de Sancta fide, Arnaldo de Orulo, Ratmario abbate S. Andreæ de Sureda, Petro abbate S. Martini de Canigone & aliis.

XXX. Guillelmus de Cerviano *de Cerviez* reperitur abbas anno 1208. menſe Junio, quo tempore eodem annuente, religioſæ Palatiani cœnobii familiæ nomen dedit illuſtris Rixovendis de Termino. Vocatur ſolum *electus* annis 1209. & 1210. Guillelmus Barrotius anno 1213. quidquid cœnobium poſſidebat apud villam de Palma ei confirmavit. Tranſegit anno ſeq. menſe Aprili cum R. abbate Bolbonenſi ſuper loco de Corbeyras, ex tabulario Bolbonenſi. Idem anno 1215. IX. cal. Septemb. arbitris Thediſio epiſcopo Agathenſi, Iſarno de Aragone Carcaſſonenſi archidiacono, Guillelmo Arnaldi de Soupez & Petro Martini de Caſtro novo iniit conventionem cum Simone Montis fortis domino, Leyceſtriæ comite, & Carcaſſonæ ac Biterrarum vicecomite de caſtellis plurimis, quæ Simon jure pignoris ab abbate poſtulabat. Sic autem finita eſt controverſia ut ex illis multa cœnobio cederent, cetera Simon feudali jure teneret ab abbate & monachis Craſſenſibus, qui quidem ſolvendis expenſis ei decem millia ſolidorum Melgorienſium & centum annonæ modios eodem anno tribuerunt, præſentibus Amalrico Simonis primogenito & Philippo Goloani ſeneſcallo Carcaſſonenſi, &c. Hanc vero compoſitionem Gregorius papa IX. die VII. idus Aprilis 1228. & Philippus Francorum rex menſe Junio 1282. ratam habuerunt. Alteram poſtridie iiſdem arbitris concordiam iniit Guillelmus abbas cum Alano de Roccio domino de Termes ſuper villis de Buxa, de Paſulis, de Covidano, de Maciano & aliis. Anno 1216. idem abbas & G. Caunenſis litteris ad vicecomitem ſcriptis conqueſti ſunt de illatis Villæ magnæ monaſterio injuriis, quas ut emendet ſupplicant. Menſe Maio ejuſdem anni pactionem fecit pro loco & valle de Rodela cum nobili Bernardo Saine mediis 400. ſolidis Melgorienſibus. Alteram iniit anno ſeq. nonis Maii cum Simone Montis fortis domino de plurium locorum poſſeſſionibus, quas (intuitu Dei & in remiſſionem peccatorum) ſibi & cœnobio elargienti Simoni ſic reſpondiſſe legitur Craſſenſis abbas: *Nos igitur Guillelmus Dei gratia abbas Craſſenſis inſpecta devotione & liberalitate, quam erga Deum & monaſterium noſtrum in hoc dono, Domine comes, exhibuiſtis, de conſenſu conventus noſtri, vobis conferimus duo millia ſolidorum Melgorienſium in præſenti.* Demum hic abbas *peciam* terræ infeodavit Guillelmo Vaſſadel *mediante Februario anno Chriſti Nativitatis 1221.* De eo paſſim legitur, ipſum pluribus defunctum curis ad baſilicam reſtaurandam animum adjeciſſe, quam & perfeciſſet vir ſtrenuus, ſi diutius vivere licuiſſet.

XXXI. Benedictus d'Allignan ſexto idus Januarii an. 1224. inſigne donum de centum ſarcinis ſalis annuatim percipiendis a Guillelmo vicecomite Cardonenſi accepit. Anno 1225. XVII. cal. Aprilis præſens memoratur reconciliationi Raimundi de Rocafolio cum eccleſia & cum rege. Inſequenti anno XVI. cal. Julii Carcaſſonenſes cives litteras ſui erga regem Ludovicum VIII. obſequii ad illum deferendas tradidere huic abbati, cui remunerationis gratia, quod non parum ad expugnationem Carcaſſonæ contuliſſet, &c. rex litteris datis menſe Julio ejuſdem anni omnia prædia beneficiaria, quæ a cœnobio pendentia poſſidebant A. vicecomes Biterrenſis & Carcaſſonenſis, ejuſque milites, conceſſit, necnon *hæreſes & faidimenta* (quæ eo loci ſignificare mihi videntur mulctas de hæreticis & hoſtibus) ex archivo regio Carcaſſonenſi; ubi & bullam obtinuiſſe legitur a Gregorio IX. decimo ſexto calendas Junii anno 1228. qua cœnobii poſſeſſiones confirmantur. Proinde is eſt B. Craſſenſis abbas, qui in provincialibus nigrorum monachorum comitiis ad S. Tiberium celebratis an. 1226. VII. idus Decembris definitoris ſeu præſidis munus obivit cum A. S. Hilarii abbate, qui duo, advocatis ſecum B. Fontis frigidi, & R. Vallis magnæ abbatibus, ſtatuta plurima ad correctionem & reformationem ordinis condidere, quæ ſubinde noſter Craſſenſis abbas ad Gregorium IX. papam confirmanda detulit. Memoratur an. 1227. in archivo regii patrimonii Monſpelienſis. Biennio poſt, XVI. cal. Julii* legitur præſens in conventu epiſcoporum & abbatum apud S. Johannem de Vergis reconciliationi Rogerii Bernardi comitis Fuxenſis pro facto hæreſis, cum ſede apoſtolica & Francorum rege. Eodem anno 1229. cal. Julii clientelæ ſacramentum excepit a Jauberto de Fontibus filio Hodonis de Fontibus & Berengariæ vicariæ de Pediliano, quo ſcilicet Jaubertus recognovit debere ſe facere *albergam abbadalem* Craſſenſi abbati, pro his quæ ab eo tenebat in villis de Fontibus & de Pediliano. Actum die & anno

Prob. t. 2. hiſt. Occit. col. 249. & 250.

Ch. XXXIX. col. 444.

Ch. XXIX. col. 101.

Spicileg. tom. 6. pag. 30. & 31.

* *al.* Junii.

prædictis, testibus Bernardo Raimundi Carcassonensi quondam episcopo, Rogerio de Sculencis abbate S. Polycarpi, Bernardo de Tuluges abbate S. Andreæ de Sureda, &c. Denique anno 1230. societatem precum iniit cum Odone abbate S. Germani a Pratis, ex historia hujus monasterii edita pag. 120. Raptus est paulo post ad infulas Massilienses, quas adhuc gerebat anno 1256. mense Augusto, ut patet ex litteris S. Ludovici iisdem mense & anno datis in gratiam abbatis Crassensis.

Ch. XLVI. col. 453. tom. 1. Anecd. col. 1073.

XXXII. Berengarius II. de Grava abbas B. Mariæ de Crassa, Guillelmus prior claustralis, Berengarius de Besauduno prior Cæsaraugustanus, &c. villam Julhacum in diœcesi Tolosana Maurino Appamiensi abbati vendiderunt VII. cal. Octob. 1231. ex tabulario castri Fuxensis. Anno 1234. mense Julio donum excepit ab Odone milite pagi Albiensis senescallo. Eodem anno XIII. cal. Dec. nonnulla apud S. Petrum jura dominica a toparchis de Duroforti pretio 300. solidorum Melgoriensium comparavit.

XXXIII. Bernardus III. Imberti seu de Imberto genere nobilis, ex priore Camonis in Crassæ abbatem assumtus, anno 1237. VII. idus Julii locum & ecclesiam S. Vincentii prope Valentiam obtinuit a Jacobo Aragonum rege pro construendo monasterio in honorem S. Mariæ, omnium SS. & S. Vincentii martyris. Eodem anno XIII. calend. Aprilis Oliverius de Termes ei recognovit se nullum jus habere in castro & villa de Palayraco & aliis multis. Post biennium talis habetur apocha: *Ego Berengarius Rubei recognosco, quod de illis septuaginta libris, quas in causa mutui debebant mihi dominus Berengarius de Grava quondam abbas, & conventus monasterii de Crassa, dominus Bernardus Imbertus abbas dicti monasterii persolvit mihi, &c. Et reddo chartam sigillatam sigillo dicti domini Berengarii de Grava quondam abbatis, &c. Actum anno a Nativitate Domini millesimo ducentesimo tricesimo nono, &c.* Haud dubie is est B. Crassensis abbas, qui una cum Bernardo Helenensi episcopo anno 1245. nonis Octobris pacem renovasse legitur inter *communias* de Solerio superiori & inferiori ex una parte, & castri de Pediliano ex altera; integro quippe Bernardus nomine munificum expertus est regem S. Ludovicum an. 1247. mense Junio; cujus etiam principis plurimæ sunt in regio Carcassonensi tabulario epistolæ, aliæ ex triremi apud Aquas mortuas scriptæ mense Aug. anni 1248. aliæ 1251. mense Octob. e castris prope Cæsaream in Palæstina, quibus præcipit observari inita pacta cum Crassensibus monachis eorumque procuratore Raimundo de Cane suspenso. Neque tamen ea tam cito servata sunt pacta, ut liquet ex litteris G. archiepiscopi Narbonensis, P. Agathensis R. Biterrensis & G. Carcassonensis episcoporum ad regem, quibus ei supplicant, ut illa exsecutioni demandet. Discimus autem ex aliis ejusdem S. Ludovici litteris, Bernardum abbatem renunciasse his pactis, ac pro bonis hæreticorum, quæ sita erant in abbatiæ dominiis, fisco regio addictis, trecentas accepisse libras annuatim solvendas. Nova scilicet inter utrosque inita est compositio an. 1253. mense Augusto, quam pridie idus Maii an. 1254. ratam habuerunt B. abbas Crassensis, ejusdem loci conventus, ubi tunc erant Palatinus quondam abbas S. Andreæ, R. electus dicti loci, G. præpositus S. Cucuphatis, Poncius de Vilario & Bernardus de Rupefixa, quam chartam, monachis sigillum non habentibus, abbas eorum rogatu, suo duplici sigillo roboravit, in quo legitur *sigillum Bernardi abbatis Crassæ*, ex thesauro chartarum *la Grasse n. 3.* Interea B. abbati Crassensi Raimundus episcopus Tolosanus gratias egit an. 1249. V. non. Martii, quod Guillelmo de Felgario ipsius nepoti medietatem redituum ecclesiarum S. Stephani de Soplesenes, & S. Mariæ de Crasseta diœcesis Tolosanæ indulsisset. Reperitur an. 1250. XV. cal. Jan. in tabulario Bolbonensi. Eumdem Bernardum abbatem cum ejus monasterio Jacobus Aragonum rex in suam tutelam suscepit anno 1253. VIII. idus Januarii. Jam vero ab aliquot annis eum infamaverant duo ejusdem monachi Johannes de Rhodis & Poncius de Bolinaco. Delata causa ad summum pontificem Innocentium IV. hic eam commisit Guillelmo Narbonensi archiepiscopo, totum idcirco cœnobium ipsius arbitrio & voluntati permittens. Obsequitur Innocentio Guillelmus, qui vix Crassense monasterium ingressus est XV. cal. Junii anno 1248. cum ecce reperit tam caput quam membra de multis & variis criminibus diffamata, monasterii possessiones pro majori parte, quasdam ad tempus, quasdam ad vitam, & alias perpetuo alienatas, totumque monasterium in temporalibus quasi irreparabiliter lapsum, ac denique abbatem multipliciter de vitio incontinentiæ diffamatum. Tum igitur archiepisc. singula singulis defectibus adhibuit medicamenta, quorum fuit unum, ablegatio plurimorum monachorum ad varia monasteria; nempe Raimundi Bels & Guiraudi Burgundionis ad Cluniacum in septem annos, Guillelmi de Navano & Guillelmi de S. Felice ad Casam Dei, Raimundi de S. Laurentio & Arnaudi de Grava ad S. Victorem Massiliensem, Guillelmi Poncii de Bolonaco & Guillelmi de Corinti ad S. Egidium in totidem seu septem annos, Guillelmi Rotbaudi & Guillelmi de Codaleto ad Psalmodium in quinque annos, Raimundi Jordani & Guillelmi Nevonis apud Moissiacum in septem annos, Poncii de Agathopoli & Rogerii Bernardi apud Anianam in sex annos, Guillelmi Ermengaudi & Guillelmi de Podio Salicone apud S. Poncium in quinque annos, Berengarii de Bacco & Raimundi de sancto Barco apud Villam magnam in quinque annos, Petri Arnaudi & Matthæi apud Electum in sex annos, Berengarii de Rupeforti & Raimundi Berengarii de Lesignano apud Montem olivum in quinque annos, Guillelmi Amati apud S. Martinum de Monte Canigonis in quinque annos, Berengarii . . . . & Aimerici de Lesignano apud Rivumpullum in quinque annos, Rainardi apud S. Andræam (de Sureda) in quatuor annos, Bernardi de Scalis apud . . . . Raimundi de Massilia apud Camonem . . . . Dein

Ibid. col. 239. Ch. XLVI. col. 453. Ch. XLVII. col. 454. tom. 1. Anecd. col. 1050.

Dein archiepiſcopus Narbonenſis abbati diem primum Junii anni ejuſdem 1248. indixit, quo apud pagum Liſiniacum in ſe conflatam criminationem depelleret. Adfuit cum magna parte conventus abbas, qui confeſtim juravit ſe nunquam cognoviſſe *Bonaſos* mulierem, de qua diffamatus erat, neque Ricardem filiam R. Ferrandi de Laurano, verumque juraſſe inibi Poncius S. Poncii Tomeriarum & R. S. Papuli abbates credere ſe jurarunt. At cum horum abbatum teſtificationem acrius ejurarent abbatis adverſarii, iterum apud Biterras in judicium vocatus eſt ab eodem archipræſule, juſſus alios duos abbates intra dies quindecim a proximo Pentecoſtes feſto teſtes edere. Secundo itaque apud Biterras judici ſe ſtitit Bernardus abbas XVI. cal. Julii, inſons & hac vice declaratus teſtimonio Villæ magnæ & S. Polycarpi abbatum, Guillelmi Duranti, Petri de Theſano Montolivenſium, Painardi (forte Rainardi) & B. Gauterii Villæ magnæ cœnobitarum, quorum tandem admiſſa auctoritate, quantumvis adhuc oblatrantibus Bernardi æmulis, omni noxa & noxæ ſuſpicione abſolutus eſt judicio cum archipræſulis Narbonenſis, tum Raimundi Biterrenſis, Petri Agath. (& Guillelmi Carcaſſon.) epiſcoporum, quorum in litteris *religioſus audit & venerabilis*, *ferturque*, aiunt, *poſtquam fuit in officio abbatis, multum laboraſſe & expendiſſe pro recuperandis juribus monaſterii.*

Ch. XLVI. col. 453.

Verum nec ſic deſiere luctuoſa Craſſenſis monaſterii tempora, neque a fatali bello conquietum; immo nefarios adhuc ſceleratorum conatus expertum Bernardum ſatis perſuaſum habetur vel ex Innocentii IV. diplomate, ad cujus opem non multo poſt coactus eſt confugere ad vitandas impendentes adverſariorum factione pontificis cenſuras. At hic precibus abbatis inclinatus eidem indulſit, *ut nullus delegatus, vel ſubdelegatus ab eo conſervator, ſeu etiam exſecutor ab apoſtolica ſede datus, in ejus perſonam interdicti, ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam valeat promulgare, abſque licentia ſedis ejuſdem, faciente de hac indulgentia mentionem, præſentibus poſt triennium minime valituris. Datum Lugduni XII. cal. Octobris* * *pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

* Auguſti ex Baluzio catal. diplom. pag. 10. n. 61.

Tum demum annis aliquot evolutis hujus tam diutinæ ſimultatis nedum tumultuoſæ ſeditionis præcipuus concitator Johannes de Rodis Craſſenſis monachus & preſbyter numinis inſtinctu permotus abbatis ſui propalam agnovit innocentiam, proditioniſque arcana detexit VIII. calend. Aprilis an. 1255. narrans imprimis quo pacto effractæ abbatis capſæ, doloque ſubductæ, ac regiæ litteræ, quas a S. Ludovico pro compoſitione apud Aquas mortuas inita nuper acceperat, in ignem conjectæ, unde falſarii crimine per calumniam circumventus fuerat, quaſi has litteras & alias Caroli magni adulteraſſet; moxque facta coram omnibus tanti reatus publica confeſſione, veniam a Deo & abbate poſtulavit, *non*, inquiunt, *coactus, non deceptus ab aliqua perſona, nec timore alicujus perſonæ, ſed mea ſpontanea voluntate recognoſcens meum maximum peccatum, & recurrens ad conſcientiam meam de hiis quæ dixeram & feceram contra dominum Bernardum abbatem Graſſæ in odium ipſius & confuſionem perſonæ ſuæ, &c.*

Ut vero abbas ſe purgatum vidit, abdicandi continuo facultatem petiit ab Alexandro IV. qui mox eodem anno 1255. Carcaſſonenſi & Biterrenſi epiſcopis, necnon Vallis magnæ Ciſterc. ordinis abbati mandavit ut Bernardi abdicationem excepturi Craſſam ſimul convenirent, eidemque ex abbatis menſa annua penſione aſſignata, novi abbatis electionem Romanæ ſedis auctoritate approbarent. Cum autem Bernardo ſic abbatiali munere exuto integrum S. Cucufatis vectigal pro annua penſione aſſignatum fuiſſet, de hac minuenda Craſſenſes monachi ſummum pontificem appellarunt; quocirca exſtat ejuſdem Alexandri ad Soricinenſem abbatem reſcriptum, ut inquirat utrum revera ſecundum præſentem monaſterii ſtatum iſta penſio ſit gravior. Datum Laterani VIII. cal. Martii pontificatus anno ſecundo.

XXXIV. Berengarius III. de Grava ſucceſſit in hunc modum: poſtquam Carcaſſonenſis & Biterrenſis præſules, necnon abbas Vallis magnæ ſuperius memorati ſpontaneam Bernardi abdicationem Alexandri IV. mandato excepiſſent, & Craſſenſibus monachis dies undecim, ſecundum ſummi pontificis mentem, pro eligendo ſucceſſore indixiſſent, adeo ut ſi intra id tempus non convenirent, ſibimet abbatem pro arbitrio liceret inſtituere, confeſtim monachi Bernardo exabbati, G. de Nairano Craſſenſi monacho tum apud Riondarenſem prioratum ex obedientia commoranti, & Poncio de Marſilia clauſtrali cœnobitæ ſummum jus totius conventus nomine abbatem cœnobio præficiendi conceſſere, id gratum habentibus legatis pontificiis. Hi quidem G. abbatem S. Hilarii Carcaſſonenſis diœceſis concorditer poſtularunt, electumque probarunt legati, at electus Craſſenſem ut abbatiam ſuſciperet nunquam adduci potuit. Quapropter duo e tribus illis conventus procuratoribus G. de Nairano & Poncius de Marſilia (Bernardus ſi quidem receſſerat) Berengarium de Grava cœnobii camerarium uno ore conſalutarunt; ſed cum hunc contra fas juſque abnuerent epiſcopi, ad ſedem apoſtolicam dicti procuratores appellarunt ante exactam electionis diem. Ægre tulit Alexander IV. pontifex, qua de re litteras Petro Agathenſi epiſcopo & Vitali abbati Villæ longæ ſcripſit Laterani datas IV. calendas Martii pontificatus anno ſecundo; ut primum reſciſſa proxima Berengarii electione ferendis denuo ſuffragiis certam Craſſenſibus monachis edicerent diem. Fuit hæc feria IV. poſt Paſcha an. 1256. qua coactis omnibus e gremio capituli numero 54. paucioribus duntaxat exceptis, atque inprimis Bernardo exabbate, quibus tamen ſatis ſuperque innotuerant prioris clauſtralis ea de re litteræ, uno omnium ſuffragii jus habentium ore abbas iterum poſtulatus eſt Berengarius de Grava, quem ex ſeniorum teſtimonio legati præſules approbarunt, & in abbatiali munere pontificia auctoritate confirmarunt his verbis: *Nos igitur invocato Chriſti nomine & Spiritus Sancti gratia, quia pleniſſime nobis conſtat*

per inquisitionem cum magna diligentia & maturitate factam, ipsum Berengarium esse sufficientem & idoneum ad regimen abbatiæ Crassensis; constat etiam nobis nedum duas partes, imo & totum conventum, prædictis quatuor (Bernardo exabbate, G. de Ponte priore de Altaripa, Poncio Ricardo & Berengario de Counac) duntaxat exceptis, in priori voluntate, priorique consensu persistere, ipsum auctoritate apostolica eidem monasterio præficimus in abbatem, præcipientes omnibus & singulis monachis de conventu, & aliis omnibus monasterio subjectis, ut eidem Berengario obedientiam & reverentiam exhibeant, prout debent; contradictores & rebelles, si qui fuerint, excommunicationis vinculo, auctoritate qua fungimur, innodantes, &c.

His ecclesiæ censuris nescio an territi qui necdum Berengarii assensum dederant electioni, mox eumdem prono corpore Crassensis cœnobii abbatem consalutarunt, sicque tandem tota confecta res est. Anno 1256. in vigilia Paschæ cum Petro abbate & monachis Villæ magnæ societatem precum iniit. Insequenti X. cal. Febr. Berengarius abbas & conventus firmaverunt inita pacta cum S. Ludovico, quibus annuæ trecentæ libræ Crassensi monasterio dari jubentur loco bonorum fisco addictorum, faidimentorum & mulctarum pro hæresi; qua de re exstant S. Ludovici litteræ datæ Rotomagi mense Aprili ejusdem anni 1257. quibus senescallo Carcassonensi mandatur, ut Crassæ abbati Berengario ejusque cœnobio annuum vectigal trecentarum librarum Turonensium constituat de regio censu in locis de Malvers, Cepiano, Casilhaco & aliis. Anno 1259. IV. idus Julii nobili viro Olivario de Terminis medietatem redituum metallorum seu venarum metallicarum agri Palairaci & Quintiliani ea lege concessit, ut fossoribus ejusmodi metallicis in Olivarii nemoribus ligna scindere & capere licitum esset, quæcumque necessaria forent ad argentum fundendum & e fece sua separandum, ac Olivario mortuo ista vectigalia ad cœnobium reverterentur. Eidem Berengario abbati Bernarda uxor Guillelmi Pages quam pluprima contulit nobilia prædia apud S. Petrum de Calmes an. 1260. Scripsit ad Petrum abbatem Villæ magnæ an. 1261. cujus initio cessit e vita.

XXXV. Petrus I. in vulgata Soricinensium abbatum serie cognomento *de Petra lata*, ex abbate ejusdem cœnobii Crassensis archimandrita renunciatur electione Guidonis Fulcodii Narbonensis archiepiscopi, prioris B. Mariæ de Camone Crassensis monachi, & camerarii ejusdem cœnobii Crassensis, quibus tribus a toto monachorum conventu data fuerat integra potestas successorem Berengario deligendi. Vocatur P. Raimundi, seu P. Raimundus in charta de testimonio cujusdam Raimundi de Puteo Soricinensi declarantis anno 1277. mense Septemb. coram inquisitore fratre Poncio de Perenaco, *al.* de Parnaco se auguria observantem consultum fuisse inter alios a P. Raimundi quondam abbate de Soricinio quater & pluries *super electione quæ facta erat in abbatem Crassensem de ipso*, & ei respondisse, quod obtineret, & obtinuit; id vero contigisse ante annos decem vel plures, itemque ab eodem pridie nonas Sept. ejusdem anni consultum fuisse de Guidone Fulcodii, primo super facto cardinalatus, secundo pro negotio papatus. Suo in munere Petrus ab Urbano IV. confirmatur bulla data Viterbii nonis Julii 1262. *vir*, ait pontifex, *litterarum scientia præditus, religione conspicuus, morum gravitate maturus, temporalium ac spiritualium industria comprobatus.* Spem non fefellit novus abbas, quippe qui jam anno 1263. XVII. calendas Julii possessiones apud Palayracum & Felinas acquisivit ab Olivario de Terminis pretio 800. solidorum Turonensium, id ratum habente Ludovico rege iisdem anno & mense. Plurima tam mensæ communi ad supportanda divini officii onera, quam infirmariæ ad sublevandas infirmorum ac debilium necessitates adjecit, facta charta eodem anno VII. idus Julii. Permisit an. sequenti die Jovis tertia post festum Annunciationis B. Mariæ magistro Arnaldo de Fraxino admittere sui vice in sanctimonialem & sororem ecclesiæ B. Mariæ de Podio Genestario puellam nomine Rixendem, ita ut, inquit, promittat primum & voveat servare castitatem, & cum nos venerimus ad partes illas, poterit venire ante præsentiam nostram, & tunc promittet nobis obedientiam, &c. ex tabulario Crassensi. Eodem anno III. idus Maii rex S. Ludovicus loco non ita pridem pactæ solutionis annuæ trecentarum librarum pro bonis hæreticorum quæ sita erant in abbatiæ dominiis, fisco addictis, nonnulla prædia suis in dominiis cœnobio assignavit. Adhuc P. reperitur abbas anno 1267. in charta Camonis, sed hoc ipso anno VII. idus Novembris vacare sedes legitur in charta Jacobi Aragonum regis loca de Stereu & de Cazingar fratri Raimundo S. Andreæ de Sureda abbati, vacantisque Crassensis monasterii procuratori restitui jubentis. Vixisse tamen dicitur Petrus in annum 1269. ætate confectus, cum Soricinensibus annis amplius triginta, & Crassensibus septem circiter sanctissime præfuisset. Adhuc cal. Junii an. 1279. caruisse abbate monasterium colligitur ex privilegio Jacobi Aragonum regis concesso Crassensi monasterio ad preces Raimundi abbatis S. Aniani & Petri Ermengaudi prioris claustralis monasterii Crassensis, ejusdem procuratorum generalium. Laudat interim Baluzius in edito catalogo diplomatum pag. 87. n. 20. litteras Geraldi cardinalis de bono regimine Crassensis abbatiæ datas Tolosæ die 11. Novemb. anno 1278.

XXXVI. Augerius de Gogeux cœnobii Crassensis abbate jam pridem destituti regimen assecutus, utiliter officium gessit, multis ædificatis, basilica instaurata & locupletata, annuis reditibus auctis, ac denique regulari disciplina restituta. Primum innotescit ex hac inscriptione insculpta lapidi posito supra portam quæ ducit ad furnum: *Anno Domini MCCLXXX. dnus Augerius de Gogex abbas hujus cœnobii, &c. fecit fieri regiminis anno II.* Ejus precibus Petrus de Montbrun Narbonensis archiepiscopus ecclesiæ S. Martini a Puteo proximam S. Andreæ de Meyrones univit eodem anno

1280. Clientelarem fidem ei jurarunt nobilis Berengarius de Potenaco pro tertia parte sancti Petri .... sub censu annuo triginta assium Narbonensium pridie cal. Decembris an. 1281. nobilis Ferrandus de Solerio IV. cal. Maii ejusdem anni pro feudis Pediliani sub annuo censu albergæ quinque monachorum & quinque *servientium* eorum; nobilis Petrus de Torozella & Bertrandus fratres pro feudo Palayraci XII. cal. Aprilis anno 1283. nobilis Berengarius de Rupecurva pro feudo Robiani V. idus Septemb. ejusdem anni, *recognoscens*, ait, *quod ego cum condominis dicti castri tenemur vobis & successoribus vestris facere albergam abbatialem singulis annis, pro recognitione dicti feudi;* nobilis Simon Subergius de Narbona pro feudo Robiani eodem anno; nobilis Guillelmus de Castilione dominus de Comelles pro ejusdem villæ dominio, quod ab Crassensi monasterio tenere se profitetur sub annuo censu libræ ceræ, professus idem monasterium, ipsumque dominum abbatem pro monasterio habere in dicta villa, territorio & pertinentiis ejus totum merum imperium, *murtrum* & raptum, & omnes alias justitias altas, V. calend. Decembris 1283. Hanc eidem Petrus Vincentius de Corneliano professionem fecit an. 1284. V. nonas Octobris: *Recognosco quod ego teneor contribuere in talliis & servitiis, quæ vel quas homines de Corneliano facient, seu dabunt in futurum monasterio memorato.* Nobilis quoque Rogerius de Guindra miles de Laurano V. calend. Decembris ejusdem anni 1284. pro clientelaribus prædiis in villa de Buadella, de Septem-sororibus, & de Villario-petroso ei recognovit debere se hominem esse dicti monasterii.

Interea ejus in præsentia constituta Ermengardis & Maria sanctimoniales B. Mariæ de Podio Genestariensi juxta castellum Arii (Castelnaudari) in diœcesi Tolosana, se in eadem ecclesia fuisse admissas a Berengario de Grava Crassensi abbate, & confirmatas a Petro Berengarii successore profitentes, obedientiam & castitatem Augerio nostro pollicentur, qui vicissim eo in statu illas confirmat IX. cal. Martii anno 1282. Eodem ac 1300. memoratur in archivo regii patrimonii Monspeliensis. Pactum iniit Augerius abbas XII. cal. Decemb. an. 1283. cum Guillelmo de Carrol regio procuratore, præsente Johanne de Cultura Carcassonensi & Biterrensi senescallo, quo idem Guillelmus Augerio cedit pro 250. libris Turonensibus quæcumque jura sibi vindicabat in locis de Paderno & Molheto; idque pergratum habet Philippus III. rex litteris datis apud Parisios 1284. mense Augusto. Transegit hoc anno 1284. mense Novembri cum eodem fisci procuratore, exposcente regio nomine jus dominii in certa loca, quæ paulo ante ex S. Ludovici regis imperio Crassensi fuerant cœnobio ejusque abbati Berengario de Grava per senescallum Carcassonensem pleno jure adjudicata; quapropter idem senescallus litem composuit, initamque conventionem Philippus rex approbavit calendis Januarii 1285. Anno sequenti I. die Februarii Aimericus vicecomes Narbonensis ei se nullam deinceps talliam ab ejusdem abbatis subditis in loco de Fabresan exacturum promisit. Eodem anno in vigilia S. Matthæi apostoli litteris ad Guillelmum de Castilione majorem archidiaconum Carcassonensem scriptis, de ipsius nepote filio Poncii de Castilione in monachum Crassensem suscipiendo consensum præbet. Crassensibus oppidanis an. 1287. VI. nonas Maii facultatem tribuit quatuor ad summum quotannis eligendi consules & octo consiliarios, quibus liceat publicæ rei negotia gerere, exceptis cœnobii causis, quarum cognitio seu disceptatio illis prorsus vetita absque speciali abbatis & conventus licentia: quos quidem consules statim a sua creatione abbati aut ejus vices gerenti sacramento voluit obstringi, idque, aiunt, hactenus viget. Idem abbas sacrum iniit fœdus cum Ottone Fuxensi abbate & ejus conventu calendis Novembris 1288. Anno 1290. VI. cal. Augusti decrevit habendum quotannis postridie Assumtionis B. Mariæ capitulum generale omnium abbatum, præpositorum, ceterorumque totius cœnobii ditionis monachorum, ut una cum ipso Crassensi abbate de his quæ ad divinum cultum, regularem disciplinam, atque monasterii utilitates spectant studiosius pertractaretur. Eodem anno sabbato ante exaltationem S. Crucis insignem toparchiam de Monte lauro coëmit a nobili Simone de Meleduno milite domini regis Franciæ marescallo, pretio 4500. Francorum, cum Philippi IV. regis assensu & auctoritate. Pepigit eodem anno pridie nonas Octobris cum capitulo Narbonensi. Augerium abbatem Crassensis templi fabricæ imposuisse fastigium non immerito colligitur ex ejus gentilitio stemmate pluries in fornice repetito. Ædes abbatiales instauravit, in quibus sacellum divo Bartholomæo sacrum eleganti, quo hucusque visitur, schemate construxit, ad cujus ingressum una cum Augerii scutario symbolo spectatur hæc inscriptio marmoreo saxo incisa: *Anno Domini MCCXCVI. domnus Augerius abbas hujus loci fecit fieri istam capellam ad honorem sancti Bartholomæi apostoli.* Anno 1299. præsens concilio Biterrensi una cum aliis prælatis litteras ad Philippum regem scripsit pro Narbonensi archiepiscopo adversus vicecomitem ejusdem civitatis. Exoratus Bonifilii Judæi Crassensis precibus, eum multis obnoxium criminibus absolvit idibus Aprilis an. 1300. pro quo beneficio sex libras Turonenses ab eodem accepit, eamque ratam habuit absolutionem anno sequenti. Pepigit hoc an. 1301. VI. idus Febr. cum Amelio de Auriaco milite super ditione castri de Palma. Memoratur in sententia anni 1302. die Martis post Inventionem sanctæ Crucis pro stagni de Marseillete ipsum inter & Arnaldum sancti Petri de Caunis abbatem divisione. Denique Augerius . . . idus Febr. 1304, litteras obtinuit amplissimas a Petro de Rochefort Carcassonensi præsule pro stabiliendo jure nominationis ad omnes ecclesias singulatim expressas, quas intra diœcesim Crassense monasterium possidebat. Postmodum abdicavit, sed non ante 15. Maii anni 1308.

Baluz. conc. Gall. Narb. pag. 87.

XXXVII. Guillelmus III. de Alzona jam

abbas IV. nonas Junii 1309. die 23. Julii ejusdem anni duos e gremio procuratores elegit. Occurrit 1311. III. calend. Julii in charta pro prioratu Camonis, & 1314. die 30. Maii in tutelari diplomate Philippi Pulcri Francorum regis. Pepigit anno seq. VIII. idus Julii cum villæ Crassensis consulibus, de jurisdictione & juribus abbatis, ac ejusdem villæ statutis & libertatibus. Eidem Sancius rex Majoricarum & comes Barcinonensis pro firmanda apud Ruscinonem juris dicendi prærogativa litteras indulsit, datas in camera regia castri Perpiniani III. idus Martii an. 1316. Sacram iniit societatem cum Cuxanensi & Montolivensi cœnobiis, quorum tunc abbates erant Grimaudus & Bartholomæus, annis 1317. IV. nonas Aprilis & 1320. Die 8. Decembris anni superioris 1319. testis laudatur sententiæ in fratrem Bernardum Delitiosi ordinis Minorum latæ ab episcopis Appamiensi & S. Papuli. Eodem anno 12. Febr. & 1320. pridie cal. Maii pro communi servitio solvit apostolicæ cameræ 105. morabotinos aureos, id est quinque hoc ultimo anno, & centum anno superiori. Memoratur G. abbas Crassensis an. 1322. in archivo regii patrimonii Monspeliensis. Anno 1324. 18. Aprilis de assensu conventus oppidanos S. Petri de Calmes antea servos & mancipia in libertatem asseruit. Mense Maio ejusdem anni laudavit omnes antecessorum pactiones cum ejus loci conventu pro partitione mensarum. Transegit anno 1326. III. nonas Febr. cum Rogerio S. Martini milite condomino castri de Campo longo super jurisdictione alta & bassa aliisque juribus ejusdem castri. Die 13. Sept. an. 1329. concordiam iniit cum Petro Carcassonensi episcopo de spirituali in villam Crassensem jurisdictione, cujus hæc summa est: *Item actum & concordatum exstitit, quod dictus abbas in dicta villa de Crassa & ejus territorio clericos & personas ecclesiasticas criminosas & maleficas per se, seu curiales, seu servientes suos capere poterit, & detinere, quos sine difficultate quatenus legitime requisiti gentibus dictorum episcopi vel officialis habebunt reddere. Et quia captionem & detentionem hujusmodi episcopus vel officialis, aut eorum gentes possunt quandoque ignorare, dictus abbas, aut ejus curiales habebunt dictam captionem & detentionem notificare dicto episcopo, vel ejus officiali, aut ejus curiæ infra duos dies a tempore captionis numerandos, aut si prælegerint ad curiam episcopalem remittere dictum captum. Item fuit actum & conventum, quod per recognitionem jurisdictionis spiritualis & ecclesiasticæ supradictam factam per dominum abbatem non comprehendatur ipsum monasterium de Crassa, & quod aliquis actus judicialis per dictum episcopum, vel ejus officialem &c. virtute præsentis ordinationis in dicto monasterio, seu infra septa ipsius monasterii exerceri non possit.* Memoratur an. 1330. die 11. Januarii in charta authentica collectionis D. de Gagneres. Eodem anno mense Maio regiæ tuitionis præceptum obtinuit a rege Philippo VI. Scripsit anno 1332. die 15. Oct. litteras pro habendo capitulo generali feria tertia post festum B. Bricii; cumque jam simul essent congregati omnes monachi, singulique cœnobii præpositi, una mente, unoque ore condiderunt decretum de monachorum numero ad septuaginta redigendo, abbate non comprehenso; necnon de admittendis ad monachatum, cum aliquis ex hoc numero defuerit, penes abbatem fore primæ vacantis sedis nominationem, ac deinde per ordinem penes antiquiores undecim monachos, unum post alium, ita ut cum XI. antiquiores monachi gradatim & successive undecim monachos admiserint, abbas duodecimum admittere debeat vel possit, & sic semper eo servato ordine. Guillelmus abbas in remotis agens, & in procinctu itineris ad Romanam curiam Avenione sedentem pro suis & monasterii negotiis, die Veneris ante festum Purificationis B. Mariæ an. 1333. duos ex alumnis vicarios generales creavit. Adhuc eodem anno 16. Augusti syngrapham sibi a fratribus oblatam approbavit. At hoc ipso anno ad Electenses infulas promotus est, uti supra diximus col. 275.

Baluz. t. 2. vit. Pap. Aven. col. 355.

XXXVIII. Nicolaus Roger e nobili Rogeriorum apud Lemovices gente, Petri Rogerii domini de Rosiers filius & Clementis VI. summi pontificis patruus, legitur abbas anno 1333. mense Augusto & 24. Decembris in tabulario ecclesiæ Rotomagensis. Cum esset Benedicto XII. acceptissimus, latas ab eo leges reformandæ nigrorum monachorum familiæ consentaneas promulgavit in provinciarum Narbonensis, Tolosanæ & Auxitanensis generali conventu Carcassonæ, vel Crassæ habito, & a suis præcepit observari. Pepigit anno 1336. die 4. Novembris cum Raimundo de Castilione domicello de Comellis super jurisdictione alta & bassa castri de Comellis. Reperitur anno 1339. VIII. cal. Febr. & anno primo Clementis papæ VI. quo bulla ejusdem data XVI. cal. Decembris privilegio donatur utendi mitra, pedo, aliisque pontificalibus ornamentis, etiam præsente episcopo diœcesano vel sedis apostolicæ legato. Occurrit abbas 5. Febr. anno 1343. & in schedis Baluzianis hoc ipso anno & sequenti, quo simul abbas & prior de Geliniaco in diœcesi Claromontensi recensetur. Attamen idem Baluzius initia Petri, qui sequitur, consignat anno 1343. cum Nicolaus jam anno 1342. Rotomagensis ecclesiæ pontificatum obtineret. Purpura denique a Clemente VI. pontifice insignitus, Avenione decessit, sed non prius anno 1349. quo scilicet unam e Crassensibus capellaniis instituisse perhibetur.

XXXIX. Petrus II. de Judicia, *de la Jugie*, Lemovix, Gregorii XI. papæ consobrinus, monachus ordinis S. Benedicti, prior S. Liberatæ & abbas Angeriacensis, evasit Crassensis bulla Clementis VI. data pridie nonas Febr. anno pontificatus primo, hic est 1343. cui altera bulla data 5. Martii ejusdem anni facultas conceditur a quocumque prælato voluerit benedictionem percipiendi, necnon a residentia immunitas ratione studiorum. Et certe hoc ipso anno 1343. memoratur abbas in hominiis complurium dynastarum exceptis ejus nomine a Guidone de Lasteyria Carthaginensis ecclesiæ canonico & legum doctore. Hunc abbatem idem papa anno pontific.

tertio VI. nonas Martii præfecit ecclesiæ Cæsaraugustanæ, qua de re commendavit eum Petro Aragonum regi; ipsumque post biennium ab hac ecclesia ad Narbonensem transtulit, ubi vide, ac, si lubet, consule Baluzium in edito catalogo diplomatum mss. num. 143. 144. 145. 146. 148. 149. 150. 151. & 157. ejusdemque Baluzii tomum I. vit. Paparum Avenion. col. 1130. & tom. 2. col. 681.

XL. Raimundus II. de Agrifolio, uti cognominatur a Baluzio in notis ad vitas Paparum Avenion. col. 431. vel ut idem habet in notis mss. ad veterem Galliam Christ. Raimundus Rogerii de gente Agrifolia, nobilis Lemovix fratrem habuisse dicitur Petrum episcopum Claromontensem, Uceticensem, Mimatensem & Vabrensem. Ex asceta S. Martialis Lemovic. & abbate Angeriacensi Crassense monasterium moderabatur 18. Junii 1345. quo anno Clemens VI. papa ei sacrum faciendi pontificali apparatu & 6. Sept. ejusdem anni solemnem dandi benedictionem etiam præsente episcopo vel sanctæ sedis legato facultatem impertivit. Hac autem in bulla fit mentio Nicolai Rotomagensis archiepiscopi, qui fuerat antea Crassensis abbas. Occurrit adhuc Raimundus abbas die 26. Junii 1349. sed hoc ipso anno 16. Julii, non vero Junii Ruthenensem iniit pontificatum. Cumque multos e Crassensi cœnobio optimæ notæ codices secum abstulisset, eos se redditurum promisit anno 1359. die 27. Octob. Cetera vide in episcopis Ruthenensibus tom. I. col. 218.

Baluz. catal. Diplom. n. 164.

XLI. Petrus III. de Agrifolio Raimundi superioris frater eidem in Crassensis cœnobii regimine suffectus est, postea que fuit episcopus Uceticensis, uti docet ipse Raimundus in testamento. Ita Baluzius in notis ad vitas Paparum Avenion. col. 1431. Verumtamen haud dissimulabo de hoc abbate in omnibus catalogis altum esse silentium. Fortasse loco Crassensis monasterii legendum est Angeriacense, in quo revera successit Raimundo fratri, uti diximus tom. 2. col. 1104. quanquam & ibidem col. 344. in abbatibus Casæ Dei, quos inter recensetur, diximus obiter Crassensem.

XLII. Elias II. de Champeriis abbatiale munus obibat an. 1349. die 12. Decemb. quo Ermengaudi de S. Martin hominium excepit pro loco Campi longi. Anno seq. 17. Septemb. villam de Fredonos cœnobio acquisivit. Die 20. Augusti anno 1351. celeberrimam illam cum suo conventu iniit pactionem, vulgo dictam *Rotulum Moysis*, in qua verbis expressis continentur cum perantiquæ monasterii consuetudines, tum abbatis, præpositorum & aliorum monachorum munera. Alteram cum eodem conventionem fecit 17. Augusti 1353. de monachis admittendis, nonnihil immutato, quem olim Guillelmus de Alzona constituerat, nominationis ordine, id expostulantibus cœnobii præpositis, quibus idem jus nominandi monachos tribuitur; cumque hac in conventione quidpiam forte subobscurum esset, alteram adhuc iniit 13. Dec. 1361. quam anno proxime sequenti confirmari ab Innocentio VI. Avenione dato diplomate III. idus Maii curavit. Interim anno 1355. 18. Maii triginta morabotinos aureos pro communi servitio solvit apostolicæ cameræ. Paciscitur eodem anno 16. Augusti cum Crassæ consulibus de abbatis jurisdictione ac de civium libertatibus. Altero quoque cum iisdem consulibus & oppidanis inito pacto 1359. ecclesiam parochialem S. Michaelis in urbem transferre illis permisit, aliisque gaudere civitatis juribus, modo nihil in monasterium attentarent, abbati debita præstarent obsequia, nullisque sive abbas, sive monachi subsidiis oneribusque publicis obnoxii forent. Eodem an. 20. Aug. rem habuit cum Petro de Judicia Narbonensi archiepiscopo de spoliis & de vacantium beneficiorum custodia, quæ demum penes abbatem fore decrevit archiepiscopus. Anno 1360. 4. Aprilis statuta quædam de pannorum in villa Crassensi fabrica confirmavit. Eodem S. Laurentii oppidum sepiri mœnibus permisit ea lege, ut moto indictoque bello duo ejusdem loci milites cum ceteris cœnobii excubitoribus in ejus præsidio collocarentur. Pervenit ad diem 13. Decemb. anni 1362. quo ipsius vicarius generalis emtionis pactum approbavit. Sic autem de illo habetur in veteri necrologio S. Angeli: *Pridie idus Octobris depositio domini Eliæ de Champiers abbatis de la Grassa.*

XLIII. Raimundus III. Folcaudi, quem *bonæ memoriæ decessorem* vocat Guido de Brolio successor, anno 1362. IV. idus Maii Innocentii papæ jussu monasterii census descripsit, quo pro facultatibus ejus monachorum numerus statueretur. Idem anno seq. 17. Augusti fama crebrescente hostes hanc in regionem incursiones facere, rogatu Bernardi de Cominiano castrum Cominianum centurioni custodiendum tradidit. Hoc anno vitam clausisse dicitur.

XLIV. Guido I. de Brolio antea decanus Psalmodiensis, vir egregius, clarus genere, sed religione morumque probitate clarior, ad regimen Crassæ assumtus est exeunte anno 1363. Et certe hoc ipso anno VI. idus Novembris recipiendi monachos ad nutum quatuor proximis vicibus præter statutum ordinem annis 1332. & 1353. facultatem obtinuit ab Urbano papa V. Ejusdem pontificis auctoritate fretus nonnullos e junioribus monachis privatis in ædibus extra claustrum degentes compulit in communi fratrum dormitorio habitare. Singulos abbatiæ clientes, etiam nobilissimos ab anno 1364. ad 1389. ad fidei sacramentum & professionem adegit. Johannem proprium Carcassonæ antistitem anno 1365. Petrum de Judicia Narbonensem archiepiscopum 1375. & Johannem in eadem archiepiscopali dignitate Petri successorem anno 1380. cœnobii aditu prohibuit, nisi prius immunitatem ejus ab omni præterquam Romana ditione proprio obsignarent chirographo. Anno 1363. die 30. Nov. procurationem dedit pro centurione instituendo ad custodiam castri de Cominiano, qui sibi sacramentum fidei præstare teneretur. Crassense monasterium Massiliensi S. Victoris subditum fuisse ab Urbano

papa V. idibus Julii pontificatus anno IV. legimus. Eodem anno 1366. 18. Augusti Guido abbas vi litterarum Caroli V. Francorum regis Johannem de la Servaria clericum Lemovicensem in monachum suscepit. Die 31. Octobris ejusdem anni ecclesiæ Crassensi quam plurima tum ornamenta tum argentea vasa contulit. Insequenti die 5. Martii paciscitur cum suo conventu de sumtibus ad cœnobii custodiam belli tempore necessariis conferendis. In hujus autem pactionis tabula legitur, *quod monasterium pro fortalitio ordinatum magna & diligenti custodia indiget, tam de die quam de nocte, quæ custodia non potest fieri sine magnis sumtibus & expensis, propter ipsius fortalitii spatiosum & magnum ambitum & circuitum, per se omnino a villa Crassæ separatum.* In provincialibus abbatum comitiis Carcassonæ in monasterio Fratrum Prædicatorum celebratis 1371. primo consessu sacrum fecit de Spiritu sancto, ritu, ut moris est, solemnissimo, inibique visitator Electensis capituli delectus est. Anno 1374. die Lunæ 24. Aprilis interfuit lectioni & publicationi constitutionum, quæ in provinciali concilio Narbonensi hoc anno conditæ fuerant. Statutum fuit in capitulo generali an. 1376. Guidonem abbatem Crassensem in capitulo anni 1378. habendo in eodem Carcassonensi cœnobio rem divinam facturum, in eoque munus obivit præsidentis. Eodem anno 1378. 17. Augusti adunato ex more apud Crassam generali monachorum ac præpositorum cœtu legibus optimis cœnobium communivit. Anno 1381. die 2. Augusti cum Petrus Aragonum rex beneficia in ditione sua possidentium, qui non residerent, omnia bona ad manum suam posuisset, ab ea lege fecit immunes abbatem & monachos Crassæ pro bonis, quæ in agro Ruscinonensi possiderent. Eodem anno 23. Novembris Guido bona quædam monasterii ad manum regis posita, quasi rebelles monachi fuissent, probata innocentia, libera recuperavit. Proximo mense Decemb. se Guido dicit domino duci Biturigum dedisse undecim francos, quos sibi attulerant domini Petrus Guitardi senescallus Aginnensis & Johannes de Rocafolio milites, & cuilibet horum viginti francos, idemque præstitisse an. 1382. die 12. Junii, & 1383. 18. Aprilis, ex libello diario expensarum ab hoc abbate factarum. Denique habetur ipsius manu charta exarata die 3. Junii 1390. quo anno, cum villis & castris monasterii custodiendis viros idoneos præfecisset, aliaque præstitisset optimi pastoris officia, plenus dierum in pace quievit. Jacet in sacello B. Mariæ Magdalenæ ædis Crassensis, uti legitur in testamento Hugonis de Pererio abbatis an. 1440.

XLV. Guillelmus IV. de Luco gente Lemovix ex abbate S. Florentii prope Salmurium anno 1390. 27. Maii ad Crassensis cœnobii regimen traductus, continuo mille quingentos florenos aureos monetæ currentis in deductionem duorum millium francorum auri Avenionensi cameræ apostolicæ debitorum ex compositione pro certis mobilibus & depositis, quæ pertinuerant ad Guidonem decessorem eidem cameræ solvit per manum Guidonis abbatis B. Mariæ de Bernaïo vicarii sui anno XII. Clementis VII. Comitiorum ordinis apud Carcassonam præsidem egit 8. Maii 1393. quo anno & ejusdem mensis die 8. scripsit Guillelmo Celhayreno doctori renunciato, monacho & infirmario cœnobii B. Mariæ Deauratæ, suo in abbatia Crassensi vices agenti, ut abbatiæ clientes beneficiarios pagi Ruscinonensis in verba profitendæ fidei adigeret. Eodem anno 12. Octobris suo monasterio dedit calicem cum sua patena ex argento inaurato, & urceolos argenteos cum aliis plurimis ornamentis ecclesiasticis. Demum ipsius spolia ex decreto Clementis VII. cameræ apostolicæ reservata vir nobilis Geraldus de Luco diœcesis Tutelensis domicellus Guillelmi frater ab ejusdem pontificis camerario datis mille centum florenis auri redemit die 12. Decembris an. 1393. Memoratur hic abbas in necrologio S. Florentii IV. idus Octobris.

XLVI. Guido II. de Roffiniaco, *de Roffinhac,* Casæ Dei monachus & Guillelmi de Ulmo abbatis Casæ Dei ordinis Præmonstrat. nepos ex sorore, cum esset abbas B. Mariæ de Bernaïo diœcesis Lexoviensis, & aliquando vicarius generalis Guillelmi superioris abbatis, Prænestini cardinalis favore, cujus exstant litteræ ad Crassenses monachos pro futura post obitum Guillelmi de Luco electione proroganda, Crassensem abbatiam adeptus est. Die XI. Mart. an. 1393. hoc est 1394. vasa quædam argentea, libros & alia sibi commendata cœnobio de Montdesir restitui curavit. Biduo post regi hominium exhibuit pro castro de Montelauro, ex archivo regio Carcassonensi. Idem anno 1395. 19. Jan. ducentos & quindecim florenos aureos pro communi servitio solvit apostolicæ cameræ. In capitulo generali Carcassonæ in domo Fratrum Prædicatorum habito die 10. Maii ejusdem anni definitoris partes implevit. Anno 1396. 23. Martii Johannes Aragonum rex ei privilegia monasterii confirmavit. Plurima clientum excepit obsequia eodem anno, testibus Elia Montis olivi & Antonio S. Polycarpi abbatibus. Insequenti 1397. Guillelmus vicecomes Narbonensis, filius Aimerici & Beatricis d'Arborée suo testamento in Crassensi basilica ante sacellum B. Andreæ lapideum sibi tumulum parari & alium similiter *ad sepeliendum, seu translatandum matrem suam dominam Beatricem*, propriisque iconibus, scutisque gentilitiis exornari voluit. Dissidium habuit Guido cum plebe Crassensi de campanis parœciæ, quas a turri supra pontem sita in urbem transtulerant, sola Carcassonensis episcopi venia, absque abbatis & conventus facultate: jamjamque pristino eas loco reponi senatusconsulto statuendum erat, cum inita pactione permisit abbas in urbe remanere, his conditionibus, prima ut oppidanorum expensis campanaria turris exædificaretur, ab Occidentali & Australi partibus versus cœnobium prædudenda. 2. ut in ipsa parœcia nusquam daretur signum ære campano ad officia matutinorum, missæ majoris & vesperarum, nisi post auditas abbatiæ campanas pro hisce horis persolvendis, edicta in

contrarium mulcta Tolosani senatus decreto plu- ries confirmata; vigetque ista etiamnum consuetudo, qua nihilominus immunes sunt oppidani in utroque S. Michaelis parœcialis ecclesiæ patroni festo, sub unius piperis libræ cœnobio quotannis pensitandæ conditione. Tertia denique conventionis hujus conditione oppidani mulctati sunt expensis. Hisce tricis explicatus Guido in provincialibus abbatum comitiis die Lunæ 16. Maii an. 1401. Carcassonæ celebratis primus præses recensetur, secundus Bernardus Jocundensis abbas, tertius Philippus Anianæ, & quartus Johannes Sindracensis, definitorum munia obeuntibus Hugone Soricinensi, Helia Montis olivi, Johanne S. Aniani & Antonio S. Polycarpi abbatibus; eorumdemque initio solemniter sacris operatus est Guido Crassensis abbas, delectusque monasteriorum Montis olivi & S. Petri de Caunis visitator, necnon perinde ac decessoribus ei commissa sunt tam eorumdem capitulorum decreta, quam etiam singuli codices ad hoc spectantes; quod certe maximo Crassensis archimandritæ vertitur honori, adeo ut vel exinde totius provinciæ patrem suspicere liceat. Idem concessa sibi a Benedicto XIII. seu Petro de Luna auctoritate, Arnaldo Vivati monacho Montis olivi in proximo adversus Turcas Constantinopolim obsidentes profecturo facultatem dedit eligendi sibi presbyterum, a quo tanquam a pœnitentiariis papæ absolvi posset ab omnibus casibus reservatis. Litteræ Guidonis datæ sunt die 13. Jun. anno 1406. Insequenti 21. Aprilis reparandis libris sumtus necessarios assignavit. Interfuit an. 1409. concilio Pisano, & 1410. 20. Octob. capitulo provinciali apud basilicam S. Poncii Tomeriarum celebrato, in quo fuit primus definitor, capituli quæstor seu thesaurarius, visitator capituli Electensis, & cœnobii S. Hilarii, necnon dictorum librorum custos designatus; secundus vero definitor Philippus Anianæ, tertius Vitalis abbas de Pessano, & quartus Bertrandus abbas S. Hilarii, præsides agentibus Johanne S. Aniani abbate, A. sancti Polycarpi, cujus loco suffectus est Jocundensis, A. de Soricinio, cujus absentis locum occupavit abbas de Simorra, ac denique abbas de Villa magna vice A. Montis olivi. Anno 1411. 24. Aprilis testamenti codicillo suum benefactorem agnoscit Guillelmum de Ulmo abbatem Casæ Dei ord. Præmonstrat. suamque in ecclesia Crassensi sacristiam inter & chorum, vel in capitulo ante Crucifixum sepulturam eligit. Anno 1415. die 3. Januarii omnia vasa sua cum argentea tum aurea monasterio legat sub instituta duplici annua prece, altera sibi & altera Prænestino cardinali Guidoni de Malasitta, cujus opera Crassensem, ut diximus, abbatiam obtinuerat, necnon sub ea conditione ut post obitum funeri suo tumulus lapideus instrueretur, quo tamen caruit, denatus apud Melciense oppidum diœcesis Nivernensis calendis Julii anno 1416.

XLVII. Bonushomo de Leomania monachus & sacrista Crassensis, decretorum doctor, unanimi triginta & octo monachorum consensu eligitur abbas die XI. mensis Augusti an. 1416. Obtinuit anno seq. seu 1418. 20. Febr. a Martino V. pontifice bulla data Constantiæ facultatem binos in fratrum numerum allegendi monachos citius quam jure nominationis pridem constituto sibi licebat. Crassensem basilicam instauravit an. 1424. cum jam anno 1418. cardinalis Alemannus sedis apostolicæ legatus eidem litteras hanc in rem direxisset. Fidei sacramentum exhibuit regi pro castro de Montelauro 18. Aprilis an. 1425. ex archivo regio Carcassonensi. Eodem anno 26. Aprilis pactionem iniit cum Bertrando Viguerii milite, domino de Novavilla diœcesis Lemovicensis, ratione tabellionatus curiæ Crassensis. Vita functus est ineunte anno 1431.

Baluz. catal. Diplom. mss. n. 190.

XLVIII. Hugo de Pererio, *de Perier*, decretorum doctor ex abbate Galliacensis cœnobii diœcesis Albiensis ad Crassensem abbatiam translatus 1431. memoratur anno seq. in sententia Petri Leutevensis episcopi arbitri querelæ ipsum inter Hugonem & Bernardum in abbatia Galliacensi successorem. Eodem anno 22. Septembris regi hominium præstitit pro castro de Montelauro, ex archivo regio Carcasson. In provinciali abbatum cœtu habito Tolosæ in monasterio B. Mariæ Deauratæ 26. Januarii 1432. definitoris partes implevit, librorumque capituli de more curator fuit. Rixas frequentes habuit cum suo conventu de mensæ communis vectigali, aliorumque abbatis onerum executione, de quibus causa cecidit in senescallia Carcassonensi 25. Febr. & 20. Maii ejusdem anni 1433. & iterum mense Maio 1436. & 30. Augusti 1438. Interea decretum obtinuit a synodo Basileensi pro minuendis abbatiæ tributis, cui negotio præpositi fuerant a concilii patribus Psalmodiensis & Caunensis abbates litteris datis 19. Novemb. 1433. Idem ab Eugenio papa uniri suo monasterio prioratum S. Petri de Pratis an. 1435. III. cal. Septembris impetravit. Occurrit 1436. die 30. Martii, & 1437. 14. Martii, quo Arnaldum Benet ad S. Petri de Prata rectoriam Galcerando Helenensi episcopo præsentavit. Pactionem fecit cum suo conventu die 20. Jan. 1439. Insequenti 1440. 24. Januarii scriptis testamenti tabulis humari petiit in sacello B. Mariæ Magdalenæ ædis Crassensis, plura monasterio legavit, Leutevensique præsuli avunculo dedit annulum quem a domino suo Rotomagensi archiepiscopo acceperat, aureo alio adjuncto, cui B. Mariæ Crassensis imago erat insculpta. Exstinctus est eodem anno, & ubi postulaverat sepulturam accepit.

XLIX. Ludovicus de Lebreto *d'Albret* Caroli de Lebreto Drocarum comitis & Annæ d'Armagnac filius, protonotarius apostolicus, *vir*, referente Ciaconio, *donatus animo nobili & sincero, moribus honestissimis & gravibus, quæ illum reddebant unicuique gratissimum, amor & deliciæ Urbis; plenus religione & modestia*, primus volente rege ad hujus abbatiæ regimen postulatus sub finem anni 1440. occurrit 29. Octobris 1451. in tabulis Crassæ. Eo procurante Nicolaus papa V. anno 1452. XIII. cal. Febr. factam a se prioratus

de Ruindario cum abbatia S. Johannis de Abbatissis ordinis S. Augustini unionem revocavit. Anno sequenti ecclesiam seu præposituram S. Felicis de Lezignano diœcesis Narbonensis conventuali mensæ univit III. cal. Novembris. Calixtus III. abbatiali mensæ præposituram de Pediliano annexuit bulla data pridie cal. Januarii 1456. necnon Pius II. an. 1462. XVIII. calend. Julii. Renunciatus interim Ludovicus 18. Januarii 1453. Adurensis ecclesiæ perpetuus administrator, transegit cum suo conventu die 2. Martii an. 1454. Creatur episcopus Cadurcensis anno 1460. indeque sacra purpura donatur a Pio II. summo pontifice sub titulo SS. Marcellini & Petri XV. cal. Januarii an. 1461. Crassensibus cœnobitis in tantum benevolus fuit, eos ut testamento ex semisse reliquerit heredes & altero semisse Cadurcensis ecclesiæ, cui præfuerat, canonicos. Denique Romæ vitam hanc mortalem cum meliore commutavit die 4. Septembris 1465. ut diximus in Adurensibus episcopis tom. I. col. 1162.

L. Petrus III. d'Abzac de la Douze e nobili familia dominorum hujus nominis apud Petrocorios, monachus & camerarius Angeriacensis, decretorum doctor & quondam regens in academia Pictaviensi, prior de Fontaneto diœcesis Santonensis, abbas de Allodiis diœcesis Pictav. ante Hugonem ex eadem gente procreatum, Pii II. diplomate dato 1463. necnon prior de Columeriis diœcesis Constantiensis an. 1465. tandem Crassensis abbas hoc ipso anno 25. Sept. bulla Pauli II. papæ renunciatur. Hoc in munere constitutus nihil non egit quo lapsos suorum Crassensium mores ad sanctiores revocaret. Eapropter indictus 21. Julii 1466. generalis monachorum cœtus, in quo saluberrimas leges constituit. Reperitur anno 1468. 12. Februarii in charta authentica collectionis D. de Gagneres. Oppidanos rebelles & ob vindicatam piscationem eo usque contumaces, ut conviciis, lapidibus, saxis & armis monachos impeterent, in ordinem coegit, debitisque pœnis & piscationis interdicto multavit 1476. Eidem 1478. Sixti IV. papæ auctoritate conceditur officii camerarii ipsiusmet Crassensis cœnobii fiducia, quod prius eodem titulo Franciscus, vulgo Senensis diaconus cardinalis S. Eustachii possidebat. Postulatur anno 1480. ob egregia vitæ merita in episcopum Rivensem, confirmaturque a Sixto IV. pontifice III. nonas Maii ejusdem anni, cum licentia servandi tum abbatiam Crassensem, tum officium camerarii. Anno seq. VI. nonas Julii auctoritate Juliani cardinalis S. Petri ad vincula præposituram S. Michaelis de Nahusa Crassensi sacristiæ univit. Memoratur idem Rivensis episcopus & Crassensis abbas die 24. Aug. 1486. in charta authentica collectionis D. de Gagneres; sed anno 1487. sive, ut alibi legimus, die 4. Martii 1488. Lactorensis episcopus & abbas Crassensis subscriptus reperitur in arbitrorum sententia ipsum inter & Carolum Helenensem episcopum lata de jure patronatus, seu nominationis ad ecclesias S. Felicis de Pediliano, S. Petri de Prata, S. Stephani de Stagello, S. Mariæ de Fontibus, S. Stephani de Monasterio, S. Martini de Corneliano, S. Quirici de Canoys, & S. Andreæ de Ripis altis, quarum omnium ecclesiarum rectorum seu curionum nominationem Petro Crassensi abbati, necnon episcopo Lactorensi adjudicant ejus causæ arbitri Antonius Petrus Vabrensis præsul, abbas Fontis frigidi, & Simon Fusseus Helenensis ecclesiæ canonicus, decretorum doctor, hanc sententiam cum ipsis Helenensi episc. & Crassensi abbate laudante utroque eorumdum capitulo, Helenensium scilicet canonicorum collegio, & cœnobitarum Crassensium conventu. Circa annum 1490. sedilia chori ea ipsa forma qua hodie visuntur, fieri curavit. Anno 1491. die 5. Junii Crassensis basilicæ principem aram solemni ritu consecravit, cum jam diebus 2. & 3. ejusdem mensis altaria cetera inaugurasset Antonius Petrus de Narbone Vabrensis antistes. Post annum 1492. Crassensi cameraria cessit in gratiam nepotis Audoini d'Abzac ejusdem monasterii ascetæ ac præpositi Camonensis, id suo rescripto probante Alexandro VI. Sub idem prope modum tempus Petrus consimili Georgii d'Amboise cessione, sub annua tamen pensione, adeptus est archiepiscopatum Narbonensem, cujus adiit possessionem 10. Januarii 1495. ut diximus in archiepiscopis. Hac autem primatis contentus dignitate mox eodem anno nepotem Audoinum in Crassensis abbatiæ successionem vocavit, retento, si prius ille obiret, jure regressus.

LI. Audoinus d'Abzac de la Douze superioris nepos ex fratre, Crassensis monachus & camerarius, ac præpositus Camonensis creatur abbas Crassensis patrui cessione confirmata litteris Alexandri papæ VI. die 4. Maii 1495. Nactus possessionem 10. Octob. ejusdem anni, sacræ munus benedictionis accepit prima die Maii 1496. in æde pagi de Caneto ab Antonio Petro de Narbone Vabrensi antistite. Insequenti prima die Junii sacratissimi Corporis Christi pervigilio cœnobium solemni pompa ingressus est, ac postridie pontificio apparatu sacris est operatus. Circa hunc annum Petrus archiepiscopus Narbonensis eum in officio vicarii generalis totius diœcesis confirmavit, supplicesque litteras scripsit ad regem Hispaniæ & Aragoniæ pro Crassensi monasterio, quas vide inter instrumenta. (Ch. XLIV. col. 459.) Antequam vero Crassensi cœnobio præfectus fuisset Audoinus, Silvæ majoris abbatiam obtinuerat adversus Aimericum de Castro, qui tametsi regulariter electus, jure tamen suo in gratiam Audoini cesserat, media quadam præpositura; at postea renuit hanc abbatiam suscipere, veritus simoniæ labem de qua petiit absolvi ab Innocentio papa VIII. sicque in abbatia Silvæ majoris confirmatus est Aimericus. Ceterum Crassensis abbas legitur Audoinus in codice censuali pagorum de Ripa alta & de Fonte cooperto an. 1497. Præceptum apostolicum obtinuit ab Alexandro papa VI. datum Romæ apud S. Petrum Dominicæ Incarnationis anno 1498. IV. idus Julii, quo cœnobii omnia privilegia confirmantur. Expleto denique trium

circiter

circiter annorum regimine e vita migravit apud Camonem in camera sua de Turre 25. Octobris an. 1498. ibique depositus fuit. Noveno subinde dierum spatio in æde cœnobii sacra pro eo piacularia ritu solemniori oblata sunt, præsidente Antonio Petro de Narbone Vabrensi episcopo, & assistentibus officiali Narbonensi, nobilique dynasta de Talayra missis ab archiepiscopo patruo 7. Novembris ejusdem anni 1498. Die vero anniversaria 13. Novemb. 1499. recurrente, eadem funebri pompa defuncti abbatis memoriæ parentatum fuit, cum sacris inferiis, tum stipe generali bis mille librarum panis ipsa die pauperibus distributa.

LII. Petrus d'Abzac de la Douze archipræsul Narbonensis regressus jure iterum sedit in abbatia Crassensi, a die 2. Novembris 1498. usque ad annum 1501. quo rursus abdicavit. Defunctus est anno seq. in patria domo de la Douze 26. Maii, qua die hoc anno sacratissimi Corporis Christi solemnitas agebatur. Post ejus obitum, vel etiam adhuc illo superstite magna fuit de successore eligendo controversia, ut videre est in sequentibus, quorum primus occurrit

LIII. Antonius I. de Chambert asceta Crassensis ac præpositus Cabraspinæ, patruus Johannis de Chambert jurium doctoris & abbatis Villæ magnæ ab anno 1557. ad 1574. monachorum suffragiis proclamatus abbas, Petro d'Abzac procurante, confirmatur ab officiali Castrensis ecclesiæ, apostolico legato 6. Julii anno 1501. Hac autem ipsa die possessionem adeptus, postridie solemni monachorum agmine facto in ædem invectus est. Verum sub finem ejusdem mensis exuitur abbatiali munere, supremi Tolosani senatus edicto, quod adversus eum obtinuit Philippus de Levis, regio simul diplomate, ac Johannis qui sequitur cessione abbas renunciatus.

LIV. Johannes I. de Lanxis cardinalis tituli S. Mariæ Trans-Tiberim statim a cessione Petri d'Abzac regia schedula munitus abbatiam Crassensem obtinuisse visus est, sed huic, antequam adiret possessionem, nuncium remisit.

LV. Philippus de Levis episcopus Mirapicensis, cessione superioris & supremarum Tolosanæ ac Parisiensis curiarum decretis contra memoratos tam archiepiscopum, quam Antonium de Chambert, perpetuus administrator declaratus, possessionem accepit per procuratorem die 3. Augusti 1501. ipsemet vero ad monasterium accessit 25. Octob. an. 1502. quem soli Crassæ consules primoresque salutarunt, ei cœnobitarum nemine obviam facto; quin etiam his ab nonnullis quæ pro cœnobio reformando ediderat, statutis ad sedem apostolicam appellantibus. Quamobrem Julius II. papa anno 1507. pontificatus quarto XII. cal. Septembris abbatem S. Salvatoris Anianensis ad pacem inter eosdem reformandam delegavit, & quidem haud infelici, ut videtur, exitu; enim vero Philippus huic cœnobio benefacere nunquam destitit: turrim campanariam exstruxit miræ magnitudinis opus, organo affabrè elaborato odeum exornavit, ecclesiasticam harmoniam mirum in modum adauxit, sacra supellectile abunde sacrarium ditavit, necnon in Camonensi prioratu, quem possidebat, arcem perelegantem, castrumque Boloniacum pari magnificentia ædificavit. Anno 1520. mense Dec. a rege Francisco I. præceptum obtinuit, quo cœnobii possessiones ac privilegia roborantur. Litigabat 17. Decemb. 1523. cum Johanne de Bosc abbate Caunensi & aliis. Amplissimum a Clemente VII. papa diploma consecutus est 1534. V. cal. Junii adversus iniquos jurium bonorumque monasterii detentores: inscriptum est Narbonensi, Biterrensi & Carcassonensi præsulibus. Transegit eodem anno 4. Octobris cum Raimundo de Ponte. Denique vita defunctus est Philippus præclare gestorum gloria clarus anno 1537.

LVI. Rodulfus Pius cardinalis de Carpi, Leonelli filius, regio Francisci I. diplomate Crassensis abbas designatus, confirmatusque Pauli III. papæ rescripto dato Romæ apud S. Petrum an. 1537. V. idus Octobris, transegit cum cœnobitis 5. Maii 1540. de quibus erga conventum tenebatur pro excipiendis hospitibus, annua organici cantoris pensione, & ceteris hujusmodi oneribus. Vir singulari solertia, pietatis studio, & in rebus agendis sagacitate præditus, fuit primum episcopus Faventinus, tum legatione apud Cæsarem sub Clemente VII. & ad Franciscum I. Galliæ regem pro indicendo concilio functus est. Inde cardinalis creatus 1535. bis quoque Romanæ urbis legatus, ac demum episcopus cardinalis Albanus, Tusculanus & Ostiensis evasit, sacrique collegii princeps & inquisitor supremus. Ipsius autem quatenus abbatis fit mentio 19. Januarii 1546. & 1547. Diem obiit Romæ an. 1564. VI. nonas Maias, conditus in templo SS. Trinitatis in monte Pincio, sub hac inscriptione marmorea: *Qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt. RODULFO PIO Card. Carpensi, principi senatus, amplissimis ecclesiæ Dei muneribus singulari prudentia perfuncto, juris ecclesiast. deffensori, a gratia, terrore, voluptatum illecebris, & adversis sensibus æque invicto, ad beneficentiam nato, in summa gravitate jucundissimo, Pius V. P. M. salutaris officii, in custodia catholicæ veritatis consortii, perpetuis de Christ. Rep. sensibus studiisque conjunctissimo, hoc amoris & judicii sui monumentum posuit anno sal. 1568. pont. 3. Vixit annos 64. menses duos, dies 8. Obiit an. sal. 1564. VI. non. Maias.* De ejus vita plura apud Ciaconium lege ex notis Andreæ Victorelli, & Ferd. abbatis Ughelli.

LVII. Georgius I. d'Armagnac cardinalis tituli S. Nicolai in carcere Tulliano, Petro Insulæ Jordanis comite & Iolanda de la Haye nobilissimis parentibus natus an. 1500. fit episcopus Ruthenensis 1529. Vabrensis & Lascurrensis administrator 1536. Tolosanus archiantistes 1555. ac demum Avenionensis 1577. cum jam anno 1544. XIV. calend. Jan. a Paulo III. pontifice creatus esset cardinalis. Abbas autem Crassensis renunciatus est post cardinalem de Carpi & quidem per ejus cessionem, uti conjicere par est, cœnobium enim Georgius jam anno 1550. administrasse legitur, rexitque ad annum 1579.

quo in gratiam sequentis regimen abdicavit.

LVIII. Guillelmus IV. de Patris ex archidiacono Ruthenensis ecclesiæ commendatarius abbas Crassensis per liberam Georgii cardinalis d'Armagnac abdicationem XI. Maii 1579. litteras vicarii generalis dedit Antonio de S. Gassien Crassensi monacho & camerario. Post triennalem rerum administrationem, cardinali patrono suo dignitatem restituit anno 1582. haud multo post defunctus.

LIX. Georgius cardinalis d'Armagnac abbatiæ clavo iterum admotus reperitur archiepiscopus Avenionensis & abbas devoti monasterii B. Mariæ de Crassa, ac præpositus Pediliani in comitatu Ruscinonensi a monasterio pendentis, necnon ejusdem ratione dominus de Pediliano, Cornilhano, de Riparia, &c. die 3. Octobris 1582. quo fratrem Antonium de S. Gassiano camerarium monasterii suorum negotiorum procuratorem & vicarium generalem constituit. Denuo abdicavit in manibus Gregorii XIII. papæ biennio circiter antequam Avenione moreretur v. nonas Junii 1585. ætatis anno 85. Conditus est in majori ecclesia B. Mariæ de Donis.

LX. Georgius II. de Mandelot Cluniacensis monachus, fratrem habuit gubernatorem Lugdunensem, cujus favore, ut videtur, obtinuit a rege abbatiam Crassensem; sed cum paulo post, & antequam Georgius bullas apostolicas accepisset, idem frater ejus occubuisset, rex, adeo res mundi caducæ sunt, gentis de Mandelot affinis familiæ de Villeroy per connubium hujusce filii cum illius filia minus studiosus factus, N. du Perrat civi Lugdunensi Crassensem abbatiam dedit, & præfecturam Lugdunensem, cujus in antecessum successionem filio domini de Villeroy ob dictum matrimonium anno 1587. indulserat, duci Nemorosii contulit. Hæc eruta sunt ex commentariis gentis de Villeroy tom. 1. in 8°. pag. 133. Attamen utrum N. du Perrat vere abbatia potitus sit, dubitandi locus est, quippe cujus nulla in omnibus catalogis mentio. Et certe fratrem Antonium de S. Gassien regia auctoritate administrationi rerum temporalium præpositum fuisse legimus, eumdemque vicarium generalem a monachis die 5. Aprilis 1588. nominatum, ac Ludovicum du Mas civem Narbonensem œconomum die 25. Junii designatum.

LXI. Franciscus de Joyeuse Guillelmi Joyosæ vicecomitis & Franciæ marescalli ex Maria de Batarnay filius, Narbonensis archiepisc. 1581. postea Tolosanus, & ultimo Rotomagensis 1604. interim anno 1583. a Gregorio XIII. purpuratos inter ecclesiæ proceres adscriptus, quorum etiam decanus evasit, post adeptas Sabinenses & Ostienses infulas; abbas quoque majoris Monasterii, Fiscanni, Montis S. Michaelis, S. Florentii & Auriliaci, his abbatiis Crassensem adjecit Urbani VII. bulla donatus anno 1590. cujus possessionem mense Aprili 1593. per procuratorem accepit. Præsens memoratur conventui monachorum in ædicula S. Bartholomæi juxta claustrum 21. Aug. 1597. celebrato, ubi inter cetera statutum est, ne quis apud Crassam *de cetero recipiatur in monachum aut religiosum, nisi sit habilis & de gente nobili ab utroque parentum*; quod antea jam decretum fuerat sede vacante, hoc est Francisco necdum possessionem adepto, an. 1592. Postea tamen hæc constitutio improbata penitusque rescissa fuit a patribus congregationis Exemtorum in comitiis generalibus apud Floriacum adunatis anno 1626. *scriba capituli triennalis H. Blanchet.* Anno 1601. post obitum fratris Antonii de S. Gassien Crassensis cœnobitæ & camerarii Franciscus abbas obtinuit a Clemente VIII. papa uniri abbatiali mensæ camerariam monasterii, ex qua illi tantumdem reditus accessit quantum ex ipsa abbatia, idque ratum haberi a monachis curavit XI. Maii 1601. hisce quatuor conditionibus: prima, ut cuilibet monacho abbas deinceps singulis annis sacra in cœlos assumtæ Virginis luce rem vestiariam solveret, priori videlicet claustrali ratione duplicis portionis viginti quatuor nummos, ceteris monachis post nuncupata vota, & sex novitiis duodecim; altera, ut ad cœnobii custodiam bello imminente agi consuetam, præter dimidios sumtus, quibus abbas jam obstrictus erat, septimam quoque camerariæ portionem perpetuo impenderet; tertia, ut unoquoque anno 15. Augusti, pro debito camerarii, quindenas ceræ libras conventui pensitaret, & sacristæ 25. Ultima denique assensus monachorum huic unioni præbiti hæc fuit conditio, ut præter solita camerarii onera, in quibus portandis sedulum ac diligentem oportet esse abbatem, in qualibet novi abbatis creatione, dimidia annui ejusdem officii reditus parte conventus in perpetuum frueretur. Ut autem camerariæ possessionem adiit purpuratus abbas, mox baroniam de Ripis altis insignem camerarii ditionis in agro Ruscinonensi portionem ab elocatore nobili Gaspare de la Carriga Perpinianensi revocavit 3. Aprilis 1603. Denique sub ejus abbatis præfectura an. 1607. 8. Octobris Crassense monasterium ad congregationem Exemtorum accessit, curantibus imprimis Francisco de Bertrand in suprema curia Tolosana senatore, & domno Johanne Rougier ejusdem congregationis provinciali præposito. Obiit Avenione Franciscus abbas 23. Augusti 1615. statimque rescripto regio œconomatum abbatiæ Bernardus Casabonus adeptus est in annum saltem 1619. quo ejusdem procurator Johannes Michael de S. Sivier abbas S. Savini Tarbeiensis abbatiæ Crassensis reditus elocavit.

LXII. Ludovicus II. de Nogaret cardinalis de la Vallette tituli S. Adriani, filius Johannis Ludovici de Nogaret de la Vallette ducis d'Espernon ex Margarita de Fuxo comitissa de Candale, Tolosanus archipræsul, & abbas S. Saturnini Tolos. S. Victoris Massiliensis, S. Melanii Rhedonensis, Grandis Silvæ, S. Vincentii Metensis & prior S. Martini de Campis, demum fuit abbas Crassensis ab anno 1621. quo per procuratorem domnum Johannem Michaelem de S. Sivier abbatem S. Savini possessionem

adeptus est, usque ad 1639. quo migravit a sæculo die 28. Septembris.

LXIII. Felix de Savoye Caroli Emmanuelis ducis Sabaudiæ filius naturalis, sicut & Antonius de Savoye Altæ combæ cœnobiarcha anno 1654. Crassensem abbatiam tribus annis possedit, interim cardinalis, Ursinus nomine, designatus, at morte sublatus est ante acceptam purpuram anno 1643.

LXIV. Ludovicus III. Barbier de la Riviere episcopus & dux Lingonensis, par Franciæ, regi a sanctioribus consiliis, cancellarius ordinis S. Spiritus, abbas S. Petri Carnot. Silvæ majoris, Liræ, Floriaci & Auriliaci, Crassensem quoque abbatiam obtinuit exeunte anno 1643. favore ducis Aurelianensis. Rexit ad 1670. cujus tempore & opera monasterium accessit anno 1663. ad reformatam S. Mauri congregationem, quæ inibi collapsam disciplinam monasticam restituit. Mortuus est Ludovicus anno 1670. die 30. Januarii.

LXV. Ludovicus IV. d'Anglure de Bourlemont filius Claudii ex Angelica Diaceta, Rotæ auditor, & christianissimi regis in curia Romana legatus seu administer, Crassensis abbas designatus a rege & a Clemente X. confirmatus 16. Novembris anno 1670. possessionem adiit per procuratorem 15. Febr. 1671. Nominatur anno 1679. mense Martio Forojuliensis episcopus, sed nondum inita possessione vocatus est ad sedem Carcassonensem mense Januario anni 1680. indeque hoc ipso anno ad metropolim Burdegalensem, qua decoratus dignitate e vivis excessit die 9. Novembris an. 1697. ætatis 79.

LXVI. Annas Maria Joseph de Lorraine d'Harcourt filius natu major Alfonsi Henrici Caroli principis d'Harcourt ex Maria Francisca de Brancas, nominatus abbas Crassensis 24. Decembris 1697. vi bullarum possessionem iniit 3. Novembris an. 1700. Cessit prima die Julii 1705. ut cum filia domini de Castille matrimonium contraheret.

LXVII. Armandus I. Bazin de Bezons archiepiscopus Burdegalensis, ac deinde Rotomagensis, renunciatus abbas 14. Augusti 1705. obiit 8. Octobris 1721.

LXVIII. Armandus II. Bazin de Besons præcedentis ex fratre nepos, antea S. Jovini de Marnis abbas, hanc pro Crassensi abbatiam permutavit denato patruo anno 1721. tandemque simul Carcassonensi cathedra donatus est mense Martio 1730.

MONTOLIOU.

MONS OLIVUS *seu* MONS OLIVI.

CŒnobium S. Johanni Baptistæ sacrum, appellatur *Malaste* in authentico Ludovici Pii, subsequentiumque regum litteris. *Castelli Malasci* nomen exhibet ejusdem Ludovici constitutum an. 817. pro monasteriis, quæ dona, militiam, precesve regi debebant. Quia vero ad illius validissimæ arcis radices in valle Sicarii vel Sigarii Sigueriive positum est, inde posterioribus sæculis *Vallis Siguerii* & *Vallis secura* monasterium audiit; sed ab annis tandem circiter quingentis

A *Montis olivi* denominatio successit, non quidem ex edito loco nata, cum ex Ludovici Pii ceterorumque diplomatibus *super Duranum fluvium*, non longe ab Alsani cum Dura, seu Durano conjunctione constructum feratur, sed quod Tolosa tendentibus ad Austrum primum occurrant oliveta vicinis collibus ac montibus insita, quæ cum ad vitæ delicias, tum ad infarciendos oleo pannos, ibi magna copia confectos, duorumque fluviorum lotos aquis & purgatos abunde sufficiunt. Distat locus a Carcassona Occitanis duabus leucis, totidem a Castello novo Arii (Castelnaudari) paulo minus ab Alsone, & a Soricinio tri- B bus. Cœnobio conjuncta est urbs cognomento *Inter ambas aquas* (Tramesaigues) quæ post eversum castrum Malasti non modo crevit illius ruinis, verum etiam aucta divitiis civiumque numero, jugum abbatis excutere & integram adipisci libertatem sæpius tentavit.

Porro præter memoratos Duranum Alsanumque fluvios, vallem Sigariam intersecat rivulus de Gotina dictus, ad tinctoriam artem, uti superiores, aptissimus. Hinc ob commoda, quæ ex lanificio capiunt Montolivenses incolæ, pannifici non raro vocantur a Tolosatibus, qui meridionalem suæ urbis portam, viciniorum urbium C spreta mentione, Montolivensem dixere.

Cœnobii conditor fuit Olomundus, ex unis Ludovici Augusti litteris, Theodulfique Aurelianensis episcopi notus carmine. Quid enim rerum ante conversionem egerit, quove anno secesserit ad ripas Durani, penitus incompertum. Hunc primitus consedisse ferunt in ecclesia Martino antistiti sacra, secus Lampium rivum, quinque a Malasto milliaribus distantem versus occasum, ibique discipulos aliquot sociasse, ubi modo cœnobii ditio camerariæ deputata cernitur. Verum divinare piget. Potior est Ludovici Pii auctoritas in suo diplomate docentis, *quia vir* D *venerabilis Olomundus abbas ex monasterio, quod nuncupatur Malaste, quod est situm in territorio Carcassonensi super fluvium Duranum, constructum in honorem S. Johannis Baptistæ, obtulit obtutibus nostris quamdam auctoritatem domini ac genitoris nostri Caroli, in qua erat insertum, qualiter idem Olomundus ipsum monasterium novo construxisset opere, & propter ejus defensionem, vel propter pravorum hominum illicitas infestationes in manu ejusdem imperatoris, una cum monachis ibi degentibus se commendavit, ut sub ejus tuitione licuisset cum rebus & hominibus eorum quiete vivere & residere. Et deprecatus est clementiam regni nostri, ut præ-* E *dictum monasterium una cum cellula, quæ nuncupatur S. Martini, prædicto monasterio subjecta, quæ est sita in eodem pago super rivolum Lampii, cum rebus, hominibus & adjacentiis sive terminiis suis sub nostra susciperemus defensione & immunitatis defensione.* Præstitum id a Ludovico libenter anno imperii secundo.

Ne citius autem anno 800. monasterii natales figamus, conjecturæ faciunt duæ; Carolum quippe non regem, sed imperatorem dicit Ludovicus, ubi primariam monasterii confirmationem refert; nec a Benedicto Anianensi prætermissus videretur

Olomundus, si Atilionis, Nimfridi, Anianique A instar, jam tum monasticæ regulæ nomen dedisset, cum Occitanas ad partes Benedictus migravit. At Theodulfi Aurelianensis episcopi notitiam haud fugit Olomundus, quem cum ceteris asceticæ vitæ cultoribus valere jubet antistes hoc versu: *Attala te videat, dicque Olemunde vale.*

Contigit hoc Caroli magni principatu, antequam Miciacenses, quibus abbas præerat Theodulfus, sanctiorem ab Anianensibus normam reciperent. Malasti denique receptam ab initio S. Benedicti regulam docet Ludovicus Augustus, ad cujus præscriptum abbatis liberam electionem concedit. Et quidem deductos Aniana monachos B hoc loco religionis seriem docuisse, etsi nulla quibus id probetur, supersint documenta, vix hæremus asseverare.

Tres saltem in cœnobio exstructas fuisse basilicas probant earum variæ consecrationes. Principis Johanni Baptistæ nuncupatæ primaria, ut videtur, dedicatio calendis Novembris contigit, ex veteri calendario: at non constat illiusne an posterioris substructæ consecrationem Clemens IV. concessis indulgentiis decorarit. Eamdem novo schemate donatam Gauscelinus Carcassonensis episcopus die 3. Novemb. anno 1346. sacravit, ejusdemque majus altare Johannes Car- C cassonensis itidem episcopus III. idus Junias an. 1368. inauguravit. Denique in calendario consignatur idibus Junii *reconciliatio basilicæ S. Johannis Bapt. istius loci.*

Tresmirus Dei gratia abbas (prout habet vetus inscriptio) *ædificavit hanc domum & jussit dedicare in honorem SS. Trinitatis;* quam celebritatem afficere videtur calendarium, ubi legitur: *II. idus Junii ibidem consecratio basilicæ S. Trinitatis, quando lignum Dominicum fuit inventum.*

Sequitur ibidem ad V. cal. Septembris: consecratio basilicæ S. Beati (confessoris) cujus reliquias Malastini possidebant, ut liquet ex instru- D mento anni 1419. in quo inter alia legitur: *capsam argenti S. Beati confessoris cum armitia* * *argenti factam.*

* f. armilla.

Uni Francorum regi qua supremo domino fidem & obsequium profitebantur olim abbates, penes quos integra erat in urbem monasterio conjunctam ceterasque villas jurisdictio. Subortis vero dissidiis, *pareagium*, ut vocant, cum rege initum, hoc est in commune, parique ministrorum numero & auctoritate definita jurisdictio, quæ hactenus perseverat, uti & consulum annua creatio, qui de rebus ad politiam spectantibus judicant, postquam abbatis aut E prioris vicario fidei sacramentum jurarunt.

Varias inter procellas, quibus cœnobium jactatum fuit, gravissima omnium defæviit post annum 1170. frendentibus hæreticis (Albigenses vocabant per omnem Occitaniam effusos) qui monachos adeo ferociter divexabant, ut illis quaquaversum palantibus, Ermengaudo S. Poncii Tomeriarum abbati Lucius III. papa circa annum 1182. committere monasterium coactus sit. At nihil in pervicaces valuit Tomeriensium aliorumve auctoritas, quin monachis & clericis vestem mutare, coronas occulere, novam simulare religionem, aut a perduellibus acerbissima pati supplicia necessum fuerit. Itaque Montem olivum subeuntes hæretici, sacris ædibus, monumentis, supellectile, villisque impune potiti sunt, dum tandem anno 1209. capta flammisque tradita Carcassona, Montolivenses cives Simoni de Monteforti, regioque exercitui palmas obtulere. Tum quidem profugos abbatem & monachos in cœnobium Simon revocavit, at civium & qui cœnobii possessiones invaserant, militum hæreticorum bona fisco addicta, Lateranensis concilii fretus auctoritate sibi vindicavit. Juri quoque suo Amalricus Simonis filius Montem olivum mancipavit in annum 1220. quo circiter post infaustam Castelli novi Arii obsidionem, fratrisque necem res suas in pejus ruere cum sentisceret, rogatu Tolosani & Carcassensis episcoporum, acceptis undecim millibus solidorum Melgoriensium, & quotidiana prece sibi condicta, ditionem omnem Montis olivi, nempe justitias, *fidancias*, leudas, census, laudimia, furnos & alia jura abbati monachisque dimisit. Verum non multo post rebellantibus, qui se catholicos finxerant, hæreticis, ac Raimundo VII. Tolosatum comiti adhærentibus, Ludovicus Francorum rex, ne perduellibus nova rebellandi præberetur occasio, Montis olivi muros disjecit an. 1226. Cetera quæ ad historiam monasterii spectant, ac inter alia ipsius ad S. Mauri congregationem accessum singulos abbates decurrendo prosequemur.

ABBATUM SERIES.

I. Olomundus & Olemundus obtinuit præceptum a Ludovico Pio ejus imperii anno secundo, VI. idus Decemb. indict. VIII. exhibito diplomate Caroli piæ recordationis serenissimi Augusti, in quo legebatur, quomodo idem Olomundus monasterium a fundamentis condidisset, & propter pravorum infestationes hoc in manu ejusdem imperatoris posuisset, quod ratum habet Ludovicus die & anno memoratis. Editum est a Baluzio tom 2. capitularium regum Francorum col. 1408. & in appendice nostra. Olomundi meminit Theodulfus Aurelianensis episcopus in carmine ad monachos S. Benedicti Anianensis lib. 2. cap. 6. *Dicque Olemunde vale.* Obiit III. vel IV. idus Decembris ante annum 828. ex Mabillonio, sive 827. ut alicubi legimus.

Ch. II. col. 412.

II. Wilafredus præcepto donatur a Pipino Aquitaniæ rege, quo memoratum a Ludovico Pio concessum privilegium cum libera eligendi abbatis potestate confirmatur. Datum est VIII. idus . . . . . anno quinto decimo imperii Hludovici serenissimi Augusti, anno vero regni domni Pipini regis quarto decimo, ut in authentico legitur, non duodecimo, ut in editis. *Actum in monasterio S. Martialis*, nempe in civitate Lemovicum. Aliud ab eodem rege diploma Wilafredus abbas obtinuit ad confirmandam donationem villæ Magnianaci sitæ in pago Tolosano super fluvium Fiscavum, monasterio suo factam, secundum limites a Godoilo misso Willelmi comitis assignatos. Datum est diploma in

Theotvado* palatio apud Andecavos cal. Nov. anno vicesimo secundo Ludovici Augusti, Pipini autem vicesimo primo, quod Isaac clericus ad vicem Dodonis recognovit. Decessit Wilafredus calendis Decembris post annum 843. seu anno IV. vel V. Caroli Calvi principatus, uti legimus in duobus catalogis, quos si constaret indubitatis innixos esse documentis, abdicasse ante obitum dicendus foret, aut certe differenda lis quam de prædicta Magnianaci villa scribit Mabillonius ad an. 835. agitatam fuisse post annos quinque, Richimiri successoris tempore.

* Deest. Prob. t. 1. hist. Occit. col. 69.

III. Richimirus & Richemirus jam anno 840. Wilafredo successerat, si vere, ut asserit Mabillonius loco citato, ejus tempore agitata lis in placito Narbonensi de villa Magnianaci. Sane Richimiro quidam Jubolatus quinque terræ modiatas, vineam unam, & medietatem unius molendini in territorio Ausonense, suburbio Carcassense & villa dicta *villa Valeriani* concessit anno X. regnante Karulo rege. Germiniacum villam agri Aurelianensis ad eumdem regem Richimirus accessit, a quo regiæ tuitionis litteras cum abbatis post ipsum eligendi facultate impetravit anno regni ejus decimo quinto III. calend. Aug. indict. 2. hoc est 854. Ejusdem regis anno XXIII. mansum de Staciano in pago Narbonensi sibi restitui fecit in placito Narbonensi habito hoc anno, id est 862. Anno XXVII. regni ejusdem Caroli mense Februario ab Atone quodam excepit alodem & medietatem ecclesiæ S. Fructuosi in loco Cayrano diœcesis Narbonensis. Adhuc memoratur anno I. imperante Carolo & anno I. Ludovici Balbi.

Ch. V. col. 415.

IV. Ugobertus reperitur abbas anno 2. Ludovici Balbi & anno 4. regnante Carolo (Crasso) imperatore, V. cal. Novembris, qua in charta testis legitur Rainulfus *hospitalis* monachus, idem fortasse qui Ugoberto successit. Hanc edidit Mabillonius Diplom. pag. 524. sed minus caute attribuit Caroli magni temporibus, & pro Ugoberto abbate Ligobertum posuit. Occurrit etiam Ugobertus *Christo regnante & Gallia regem sperante*. Idem ab Odone rege idibus Junii regni ejus anno secundo tuitionis præceptum obtinuit datum in monasterio S. Maximini (S. Mesmin) anni Christi 889. uti Mabillonius emendat ad hunc annum num. XXXIX. Præfuisse adhuc dicitur anno 2. regnante Karulo rege, cujus regni exordium, ut norunt omnes, aliquando ab anno 893. sumitur, & aliquando ab Odonis obitu 898. Ugoberti obitus consignatur III. vel IV. idus Martii.

Ch. IX. col. 419.

V. Rainulfus & Ramnulfus, antea fortasse *hospitalis* monachus, uti mox dictum est, litigavit pro villa Magnianaci cum Atone vicecomite seu vicario Odonis comitis Tolosani, qui causa cecidit, in placito *mense Decembrio anno 1. regnante Carolo rege* habito in pago Tolosano. Id quidem Mabillonius Diplom. pag. 524. adscribit ætati Caroli Calvi, sed melius an. 898. Carolo Simplice anno I. regnante. Eodem anno I. Caroli Rainulfus abbas nonnulla comparavit a Froja S. Aniani abbate, ex archivo Montis olivi. Jam autem annis 2. 3. & 5. regnante Odone memoratur, & adhuc 3. & 4. Caroli (Simplicis) regis. Ejusdem Rainulfi temporibus Adalinda comitissa, Acfredi comitis nomine, una cum aliis testamenti ejusdem comitis exsecutoribus quoddam allodium cœnobio Montis olivi contulit an. 906. Chartam exhibet Mabillonius append. ad tom. 3. annal. pag. 696. Rainulfi mentio fit in necrologio IX. X. & XII. calendas Decembris.

VI. Boso pridie calendas Octobris anno XI. regnante Karulo rege filio Ludovici, indict. 2. Christi 908. alodem in territorio Carcassensi, villa, quæ dicitur *Villasicca*, cum ecclesia S. Eugeniæ a quodam excepit Amelio. Obiit hoc ipso anno idibus Decembris.

VII. Richimirus II. innotescit ex ipsi facta venditione alodis, cujus vocabulum est *Caucus* in territorio Carcassense cum ecclesia S. Stephani ibidem fundata & aliis, pretio 200. solidorum, venditoribus Sancio & Richilde conjugibus. *Actum mense Septembri anno XII. regnante Carulo rege filio Ludovici*. Subscribunt post venditores Gimera episcopus, Dignus archipresbyter, Abbo levita, Ato presbyter, Floridus archidiaconus, Amelius archidiaconus, Suniarius presbyter.

VIII. Arisonsus, Erisonsus & Alsonsus præfuit ab anno saltem Caroli regis decimo quarto. Ejusdem anno XVII. III. cal Septemb. quidam nomine Benedictus alodem villæ Albæ Montis olivi cœnobio cessit. Hoc etiam anno pridie cal. Febr. Ferreolus & Sindemirus nonnulla eidem abbati vendiderunt in villa Crexago in comitatu Carcassonensi. Anno ejusdem Caroli XXI. decimo sexto cal. Julii villam Fedosi suo cœnobio liberam vindicavit contra Bernardum vicarium comitis Tolosani in placito Aridemandi Tolosani præsulis Adalbertum inter ejusdem Bernardi *mandatarium* & Arisonsum abbatem Montis olivi, qua de re vide Mabillonium ad annum 918. num. 24. & tom. 2. capitularium col. 1517. Regni ejusdem principis anno XXVII. mense Decembri Odonem vicecomitem & Richildem uxorem ejus beneficos expertus est, consentientibus Hugone (Aigone) archiepiscopo, & Poncio comite. Subscribunt Poncius comes & marchio, Erisonsus episcopus, Aigo episcopus, Aimericus [a] archiepiscopus, &c. Nonnulla permutavit Arisonsus abbas cum Gimera episcopo Carcassonensi anno XXVIII. regnante Carolo rege post obitum Odonis regis idibus Junii, & iterum anno 931. sub æra 969. indict. IV. de quibus vide in Gimera. Denique precibus Dalmatii militis obtinuit præceptum a Rodulfo rege anno regni ejus nono, XIII. * cal. Junii hoc est 931. vel 932. Obiit IX. cal. Febr. ex necrologio.

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 63.

Ch. XI. & XII. col. 421. & 422.

Ch. XIII. col. 423.

* III. cal. t. 2. Capitul. col. 1537.

IX. Donadeus anno tertio regnante Rodulfo rege (post obitum Caroli) XVIII. calend. Maii conventui suo dedit in territorio Carcassonense villam Bordas, & in territorio Reddense villam Brasilhacum cum domibus, casis, casalicis, ortis,

a Hic Aigonis in sede Narbonensi successor aliquanto post tempore huic chartæ subscripsit in signum confirmationis.

&c. necnon ecclesiam ipsius loci de Brasilhaco propter remedium animæ suæ & animæ Arifonsi abbatis. Donatur eodem anno alode in comitatu Carcassense, in villa *Fabricas*. Anno IV. regnante Rodulfo rege post obitum Caroli regis causam obtinuit adversus Poncionem comitem & marchionem, de pane, vino, porcis, & aliis rebus in Staciano & aliis alodiis comitatus Carcassensis ad monasterium pertinentibus, a comite, aut ab hominibus ejus ablatis, lata sententia ab Aimerico Narbonensi archiepiscopo & ab aliis judicibus missis ad causas dirimendas V. idus Martii anno memorato in civitate Narbona, in mallo publico. Signum Poncione comite & marchione, qui se exvacuavit. Signum Richildis vicecomitissa, &c. Insequenti 934. seu quinto regnante Rodulfo, IX. cal. Junii Acfredus comes ei contulit alodes quos habebat in comitatu Carcassense, Brussias videlicet, cum suis adjacentiis, &c. Memoratur in charta anni primi quo obiit Rodulfus rex, Christo regnante, & Gallia regem sperante, præsentibus Savarico abbate & aliis. Anno quinto regnante Lodoico rege (Transmarino) VIII. idus Novembris donum accepit a Bernardo & Amaltrude conjugibus. Dedit ad censum Donadeus abbas Radulfo cuidam & Burgæ uxori alodem suum in comitatu Reddense, ministerio Licionense, cujus vocabulum est ecclesia S. Justi cum decimis & primitiis & omni pertinentia, pridie nonas Octobris anno decimo regnante Ludovico rege. Denique in necrologio fit ejus mentio V. & VII. cal. Novemb. & IV. idus Julii.

Ch. XIV. col. 423.

X. Tresmirus Donadeo successerat anno XIII. regnante Ludovico rege, ex charta cujusdam Arnaldi viri nobilis & Arsindis uxoris, qui una cum liberis Rodario & Odone monasterio S. Johannis Bapt. & Tresmiro abbati ac cunctæ congregationi ipsius monasterii contulerunt alodium suum proprium, situm in suburbio Carcassensi, in territorio Ausonensi, villam scilicet S. Eulaliæ, cum ejus ecclesia & decimis, uti hoc alodium eidem Arnaldo provenerat ex dono Rodgarii ipsius fratris, *de comparatione* Hugonis comitis. *Facta ista charta donationis VII. idus Aprilis anno XIII. regnante Ludovico rege*, hoc est 948. ita tamen ut Abbo clericus ipsam ecclesiam *cum suo ecclesiastico* in vita retineret, sub obligatione unius singulis annis in decollatione S. Johannis Bapt. exhibendæ fratribus refectionis. Huic instrumento subscribit *Ugo episcopus dono Dei episcopus Tolosæ*. Condidit Tresmirus abbas monasterii basilicam, aut certe S. Michaelis capellam, in qua lapis altaris nuper inventus hanc præfert inscriptionem in quadro positam: *Tresmirus gratia Dei abba ædificavit hanc domum, & jussit dedicare in honore sanctæ Trinitatis, id est Patris & Filii & Spiritus sancti. Deo gratias.* Et in longum: *Amelius nutu Dei vicecomes*, cum quatuor symbolis Evangelistarum in quatuor angulis. Privilegium obtinuit Tresmirus ab Agapito II. papa indictione VII. quarto calendas Januarias, hic est annus 949. Eodem, seu XIV. regnante Ludovico rege, V. idus Sept. Alabertus presbyter quas in agro Tolosano, terminio villæ Ulmingi, loco, qui dicitur *Malus-pertusus*, vineas habebat, huic abbati concessit. Ejusdem postea frequens occurrit mentio in chartis donationum; secundo videlicet anno Leutarii regis, IV. cal. Octobris Rodaldus abbas incerti monasterii ægritudine detentus Tresmiro dedit alodem qui sibi ex parentibus advenerat, & ex comparatione, in comitatu Carcass. villa *Caunas*, &c. Theuduardus & Inglana conjux quam repetebant medietatem alodis Cassianiæ, sive Arbuxelli, seu Vairani in comitatu Reddensi, vicaria Teliense siti, seu ecclesiæ ibidem constructæ eidem abbati dimiserunt mense Aprili anno IV. regnante Leutario rege. Memoratur anno V. ejusdem regis, anno VI. mense Febr. anno XI. octavo calend. Maii, anno XIV. octavo idus Aprilis, anno XX. idibus Novembris, anno XXII. pridie cal. Nov. anno XXV. quinto idus Decembris, & anno XXVI. duodecimo cal. Junii, & IV. nonas Junii. Demum exstinctus est anno 981. VIII. idus Januarii.

XI. Rodaldus in charta Rodaldi abbatis superius memorata, cujus fortasse consanguineus erat, monachus & levita nuncupatus scribam agebat. Eidem abbati Montis olivi anno XXVII. regnante Leutario rege, Arnaldus presbyter quod sibi ab Ermoino & Bosinde parentibus advenerat beneficium dedit, casas videlicet, casales, ortos, vineas, terras cultas & incultas, pro sua, parentum, Warini fratris & Rodgarii comitis animabus. Anno XXXII. ejusdem regis VIII. cal. Aprilis Aigbrando & Uguberto facultatem elargitus est comparandi apud villam novam quantum vellent, & absque censu in vita tenendi, qua defunctis totum ad domum S. Johannis remaneret. Defecit Rodaldus abbas V. idus Julii.

XII. Benedictus anno secundo regnante Hugone rege mense Maio alodem in villa Popiliano comparavit ab Amelio & Eltefreda conjugibus, pretio denariorum XXII. Reperitur adhuc eodem anno mense Octobri. Mortuus est pridie calend. Septembris.

XIII. Arnulfus anno VX. Roberti regis mense Martio hanc cum Odone cognomento *Monacho* ad sepulcrum D. J. proficiscente pactionem fecit; nempe voluit Odo ut si hoc in itinere moreretur, amici de ipsius bonis hunc in modum statuerent; *imprimis*, ait, *ad domum S. Johannis dono alodem meum, qui dicitur Canavelles; mea melioratio cum Trilia, capite masi de Seniofredo & molinis Gariberni sit Auterii, & post ejus, aut ipsius filii, si habuerit, mortem, sit S. Johannis, & si Arnulfus abbas vivus fuerit, ad ipsum remaneat; & post mortem Arnulfi & Auterii veniat ad S. Johannem. Istam convenientiam feci*, inquit, *cum Arnulfo, quia solidos quinquaginta, & cum Auterio, quia quadraginta mihi dedit.* Anno IX. regnante eodem Rotberto V. idus Aprilis Arnaldo cuidam & uxori ac liberis eorum vineas dedit Arnulfus abbas quas habebat in comitatu Carcass. in territorio villæ *de Faras ad complantandum & ædificandum, & quando*, ait abbas, *fuerint advineatæ & fructificaverint, una medietas erit in vestra*

potestate, & altera manebit nobis. Ejusdem, ut videtur, temporibus, Radulfus monachus lecto decumbens cœnobio dedit triginta modios vini & octoginta solidos de denariis Narbonensibus ad imaginem Crucifixi faciendam, & in villa Aldario jugera septem de vineis, & in alio loco septem alia jugera ad opus Crucifixi. Hæc autem omnia commendavit Hischafredo monacho, sive Ariberto, vel Barnardo, *ut teneant vineas istas, ut faciant bene cooperiri Crucifixum argento optimo, & faciant deaurare auro optimo; & expleta,* inquit, *opera Crucifixi teneat custos vel claviger ecclesiæ S. Johannis vineas supra dictas in tali ratione ut omni tempore illuminet ecclesiam S. Johannis in die sive in nocte, de cera, sive de oleis. Acta charta donationis istius, vel testamentum, secundo calendas Novembris anno XVI. regnante Rotberto rege.*

XIV. Stephanus anno XX. regnante Rodberto rege, mense Maio accepit a Benedicto sacerdote alodem, seu casas, casales, ortos, terras, vineas, curtem, aream, &c. in comitatu *Carchasense*, villa de Arzenco, vel ejus territorio. Idem Odoni cuidam contulit tertiam partem ecclesiæ S. Martini de Monasterio seu de Monasteriis, hoc est tertiam partem de vino, blado, lana, lino, bestiis, ovis, avibus & aliis omnibus, ac medietatem decimarum de molinis ad ipsam exædificandam ecclesiam, ea lege ut post ejus obitum hæc ipsa teneat Odo monachus ejusdem filius, annisque singulis sextaria quatuor de frumento optimo, quinque de vino, unum de favis & duodecim denarios tribuat per caritatem S. Johannis cœnobitis. *Facta charta donationis ista mense Apr. die pridie cal. Madii anno XXVIII. regnante Rodberto rege.* Septimo cal. Julii anno XXXI. ejusdem Rodberti regis quidam Benedictus & Aribertus filius abbati Stephano suam dederunt portionem alodis in pago Tolosano, terminii S. Saturnini, quem vocant *Wadarzingum*, sive terminium de Aqua viva, propter remedium animarum Folcradæ, & Andraldi, patris ac matris Benedicti, suarum, & omnium parentum. Anno XXXII. regnante Rodberto, hoc est 1028. VIII. idus Decembris Petrus episcopus Gerundensis filius Rodgerii comitis Carcassonensis & Adalaidis comitissæ dedit eidem abbati ecclesiam S. Juliani de Ventenaco. Ecclesias quoque de Sicairag & S. Stephani de Casals post diutinas de his agitatas lites idem præsul Stephano dimisit VIII. idus Febr. regnante D. N. J. Christo. Bernardus Odalricus miles ecclesiam S. Saturnini de Gadarzene in pago Tolosano cum decimis ecclesiasticis, primitiis, & ceteris omnibus ad illam pertinentibus eidem sub hac conditione reliquit, ut filius suus Arnaldus dum viveret eorum medietatem teneret. *Facta charta guirpitionis mense Aprilio anno XXXIII. regnante Rodberto rege.* Memoratur adhuc in duabus donationum chartis, altera mensis Octobris anno VIII. regnante Ingelrico rege, altera VIII. idus Januarii ejusdem anni Ajanrichi regis.

Ch. XX. col. 429.

XV. Willelmus I. Hugonis anno 1041. cuidam Bernardo & uxori Ponciæ ac liberis Stephano, Radulfo & Bernardo vineas dedit ad censum, annuentibus triginta monachis, una cum Ciricio monacho logico, qui chartam exaravit mense Martio anno XIII. regnante Ajanrico rege. Johannes & Aimericus monachi annuente Guillelmo abbate cum toto conventu, vineas illas quæ sibi a parentibus obvenerant in comitatu *Carchasense, in monitate* S. Johannis Baptistæ, vel ejus terminio, adjacentes ex omni parte terræ S. Johannis, monasterio dederunt an. 1044. ita ut conventui una singulis annis refectio præberetur; *Eldricus monachus rogitus scripsit.* Idem abbas & cuncta S. Johannis congregatio, Raimundusque præpositus de villa Trullare *wardam & ministralia* ejusdem loci tradidere Guillelmo presbytero Argilonensi ob triginta ab ipso datos solidos pro liberandis quæ hac in villa erant pignoribus, ea lege ut Guillelmus toto vitæ tempore dicto præposito & monachis S. Johannis obsequeretur, ac vicissim quando ad monasterium accederet, tanquam unus e monachis reficeretur. Constituit Guillelmus abbas ut annuatim in festo S. Beati, quod incidit in calendas Febr. darentur monachis pro piscibus tres solidi: quod tunc habebat vel acquisiturus esset, post obitum cœnobio remaneret, & si in comitatu Narbonensi a sæculo migraret, præpositus de Trullaribus cum ceteris monachis adsportari corpus ad monasterium curaret, idemque pro ipso quod pro uno monacho defuncto ageretur. Facta charta conventionis . . . id. Augusti anno Dominicæ Incarnationis 1054. regnante Ajanrico rege. Obiisse legitur an. 1059.

XVI. Petrus I. innotescit successor Guillelmi Hugonis ex lata sententia contra Petrum, Bernardum, Guillelmum, & Raimundum filios Berengarii honorem impugnantes quem dederat Guillelmus Stephanus Domino Deo & S. Johanni Vallis-figerii, & propterea quod injuste interpellassent, *guirpimus*, aiunt judices, *ex integro, sicut supradictus Guillelmus guirpivit sine fraude & sine ulla retinentia Guillelmo Ugoni abbati, & Petro abbati, & Berengario abbati, & ad cunctam congregationem supradicti loci, qui modo sunt & in antea erunt. Facta charta guirpitoria in potestate Berengarii abbatis Vallis-figerii, &c.* Eidem Petro calendis Novembris regnante Philippo rege Poncius Guillelmi & filius ejus suam querelam de nonnullis in territorio, seu parochia S. Petri, ubi corpus S. Goderici jacere dicitur, dimiserunt. Memoratur adhuc Petrus abbas Vallis-sicharii an. 1083. III. nonas Febr. in instrumento donationis a Raimundo vicecomite Minerbensi factæ ecclesiæ S. Poncii; factus est postea episcopus Carcassonensis, ut diximus.

XVII. Berengarius successor Petri ex instrumento superius laudato, primum occurrit anno 1100. in charta Petri Airoveir omnem suum honorem de Trulharibus cum in Jerusalem pergeret, eidem oppignerantis pro viginti solidis Narbonensibus. Anno 1106. regnante Philippo rege, XIV. calend. Febr. idem abbas & Nizetius præpositus (de Trulhars) Raimundo Geraldo de Troliars, uxori & posteritati dederunt *ad*

fevum molendinum, ea lege ut sibi annuatim *per sex caballarios receptum & sextarium unum de ordeo* tribuerent. Isarnus Bernardi de Prulione cum uxore & liberis donat eidem & *guirpit* hominem nomine Bernardum de Guarmazia cum suis omnibus quæ sibi vindicabat, ita ut ab ea die S. Johannes eum teneat & possideat, ac de eo quidquid voluerit firmissimam faciendi habeat potestatem, & *ne nobis*, ait donator, *grave videatur, accipimus a monachis viginti solidos. Facta charta anno MCX. ab Incarnatione Christi feria VI.* * *X. cal. Octobris regnante Ludovico rege.* Arnaldus Raimundus cum uxore Garsinde & filio Arnaldo quem habebat honorem in villa vel terminio S. Godericі, sive in termino de Ursantio abbati Berengario restituit VII. cal. Maii feria 2*. anno ab Incarnatione Christi MCXI. regnante Ludovico rege. Memoratur 1114. V. cal. Junii, 1124. IX. cal. Junii* feria 2. & 1126. III. cal. Dec. quo anno transegit cum Amelio episcopo Tolosano. Ejusdem adhuc fit mentio in charta anni 1129. idibus Febr. feria V. hoc est 1130. & in alia cujus notæ chronicæ V. idus Februarii regnante Ludovico rege indict. X. hoc est 1132. Ipsius meminit necrologium XII. cal. Novemb.

* V. vel lege IX. cal.

* 3. vel lege VIII. cal.

* Julii.

XVIII. Bernardus I. de Amancianis, *de Amansans*, filius Ermengardis reperitur abbas 1134. XIV. cal. Apr. feria tertia, hoc est 1135. quarto idus Junii feria VI. 1138. octavo idus Junii feria VI. 1141. & septimo cal. Novemb. 1142. Anno 1146. regnante Ludovico rege III. non. Junii feria 2. hominium præstitit Rogerio vicecomiti Biterrensi pro castro Montis olivi, quod ab eodem Rogerio exstructum fuit hoc anno ad cœnobii defensionem, de consensu & voluntate abbatis, Poncii episcopi, Guillelmi de Arnausa fratris abbatis, &c. Exstat & alia charta ejusdem Rogerii vicecomitis abbati Bernardo largientis locum in castro Montis olivi ad ædificandum ibi castellum & *forciam*, data VII. cal. Julii feria III. *lege* IV. anni 1146. Legimus etiam in quadam scheda ad hanc rem spectante Rogerium vicecomitem Biterrensem filium Bernardi Atonis & Ceciliæ, in loco, ubi prius erat castrum Malasti, ædificasse pro securitate & defensione monasterii aliud castrum duos inter fluviolos, abbatem vero & monachos ei cessisse quidquid habebant in Valle-sigerii. Actum XIII. calendas Apr. feria VI. regnante Lodoico MCXLVII. hoc est MCXLVIII. Reperitur adhuc 1149. IV. idus Apr. & 1150. quo anno dedit in alodium Servato abbati Bonifontis quidquid ecclesia S. Johannis Vallis-sicharii & ecclesia de Varnazone habebant in pertinentiis de Compania, ex archivo Villæ longæ. Recensetur in necrologio III. idus Januarii.

Ch. XXVII. col. 436.

XIX. Petrus II. de Insula vel de Illa e præposito de Trulharibus reperitur abbas Vallis-sigerii 1154. 1158. pridie cal. Maii, & 1160. quo Bernardus de la Grasse obtulit S. Johanni & Petro abbati filium suum Bernardum. Occurrit 1162. in charta S. Pauli, 1163. feria V. mense Maio, 1168. XVI. cal. Octobris, 1169. mense Augusto, feria tertia, & III. cal. Octobris, ac denique 1170. X. calend. Octobris feria tertia. Locum habet in necrologio VI. calend. Junii.

XX. Sicardus filius Guillermæ e præposito 1169. legitur abbas 1172. feria 2. mense Februario, 1173. V. idus Septembris & 1174. mense Aprili, quo anno Rogerius proconsul Biterrensis, hoc est vicecomes, medietatem *foriscapiorum* castri de Monte olivo ei concessit XVI. cal. Decembris feria VII. ex archivo regio Fuxensi. Anno 1179. XVII. cal. Octob. venditionem cujusdam vineæ terminii Montis olivi laudavit, & inde suum habuit *foriscapium*.

XXI. Isarnus I. anno 1182. feria prima V. calend. Aprilis quidquid Raimundus Guillelmus habebat, vel habere debebat in furno burgi Montis olivi, quem a cœnobio tenebat, emit ab eodem pretio 25. solidorum Ugonensium Carcassonæ procurandorum. Circa hunc annum Lucius papa III. monasterium S. Johannis de Valle-sicherii S. Poncii Tomeriarum abbati & successoribus regendum ac disponendum commisit. Pepigit Isarnus 1184. V. cal. Maii feria V. *lege* VI. cum Guillelmo de Aragone super honore quem habebat in villa de Ventenaco. Anno 1188. feria VII. idibus Octobris dedit Arnaldo de Brugairolis ecclesiam S. Johannis ejusdem loci cum tertia parte decimæ villæ de Brugairolis & ejus terminiorum, cumque primitiis, ecclesiastico, ac omnibus juribus ad ecclesiam pertinentibus, ut quandiu viveret eam haberet & possideret, inibi rem divinam, sicut consuetum est, procuraret, *albergam* abbati cum sex equitantibus semel in anno bene & honorifice præstaret, & post ejus obitum eadem ecclesia ab omni impedimento libera remaneret. Emit anno sequenti a Bonohomine de Castris pretio sexaginta solidorum Melgoriensium medietatem furni burgi Montis olivi, quem hic a monasterio tenebat. Ejusdem fit mentio in tabulis Fuxensis castri 1188. & 1189. in charta Rogerii vicecomitis Biterrensis prædia monasterii Caunensis oppignerantis. Adhuc memoratur 1190. feria III. octavo idus Maii in charta domestica. Defunctus legitur anno seq. mense Julio.

Ch. XIII. col. 89.

XXII. Bernardus II. de Magalatio, *de Magalads*, occurrit abbas 1192. feria VI. tertio nonas Aprilis *lege* quarto, & 1194. pridie cal. Febr. feria III. hoc est 1195. quo Mabilia & Gualharda sorores filiæ Rogerii de Duroforti ei dederunt quidquid habebant in castro de Ferran pro bis mille solidis Melgoriensibus. An. 1196. de consilio totius conventus dedit ad vitam Berengario de Insula sacristæ quartam partem totius vineæ *de la Colobreira*, quam Guillelmus Bonusbarus pro centum solidis Melgoriensibus a monasterio tenebat. *Actum 1196. feria VI.* (lege V.) *XIII. cal. Octob.* Ejusdem abbatis bajulus Poncius Ballisterii venditionem mansi cujusdam castri Montis olivi laudavit, & inde *foriscapium* ejusdem nomine percepit. Anno 1202. XIII. cal. Febr. dicitur *quondam abbas*. Ipsius meminit necrologium XII. cal. Febr.

XXIII. Isarnus II. de Aragone hoc sortitus cognomen a castro hujus nominis cœnobio Montis olivi vicino, quod illustri familiæ cognomen dedit

dedit, se vocat *procuratorem* monasterii S. Johannis Vallis-figerii anno 1200. XIII. cal. Febr. 1205. feria secunda XVII. cal. Junii, & 1208. feria III. idibus Julii. Dicitur abbas 1213. mense Martio, & iterum procurator 1215. mense Maio crastina die S. Crucis. Superstes erat anno ab Incarnatione Christi 1230. V. cal. Maii, dictus *olim procurator seu abbas* Montis olivi in sententia lata tam ab ipso, quam ab Ermengaudo successore arbitris controversiæ inter Bernardum Enge priorem de Amancianis pro cœnobio S. Johannis Vallis-figerii ex una parte, & Guillelmum de Castilione ex altera.

XXIV. Ermengaudus vocatur electus 1215. abbas vero 1217. idibus Junii, & feria V. mense Octobri, quo Petrus del Boy gratis & spontanea voluntate se in fratrem domus hospitalis Montis olivi tradidit, *& quando*, ait, *placuerit D. Geraldo de Villatraverio sacristæ Montis olivi, statim crucem accipiam sine omni diffugio.* Tum Petrus del Boy & Guillelma uxor se pariter tradens in donatam ejusdem domus datis proventibus duarum vinearum terminii Montis olivi, promittunt & vovent se in omnibus vitæ suæ diebus ad honorem Dei & B. Mariæ, & ad utilitatem prædictæ domus omni ope atque opera curaturos, ut in officio recte se tractent, & pauperes tam indigenas quam peregrinos officiose visitent; statimque Ermengaudus abbas consilio & assensu sacristæ constituit eos cum Bernarda Espinassa nostræ, ait, hospitalis domus procuratores, dominos & rectores. Eodem anno compositionem iniit cum Guidone Carcasson. episcopo pro nonnullis ecclesiis & decimis. Redemit anno 1220. VI. idus Julii a Garsinde filia quondam Stephani Aimerici nescio quam hereditatem, quam a monasterio tenebat in terminio de Villaguinhove, pretio quindecim solidorum Melgoriensium. Amalricus dux Narbonæ, Tolosæ comes & dominus Montis fortis eidem abbati & monasterio S. Johannis Vallis-figarii, quod hodie, inquit, appellatur Montis olivi, concessit quidquid habebat, vel habere debebat in castro, villa, & suburbio Montis olivi, & in terminiis ac pertinentiis eorumdem, exceptis *cavalcata & exercitu* pro 11000. C. solidis Melgoriensibus. *Actum in obsidione Castri novi* (Castelnaudary) *IX. cal. Octobris anno MCCXX.* G. Carcassonensi episcopo & G. de Levis marescallo ejusdem comitis spondentibus eam donationem ab ejus matre & fratribus infra mensem confirmatum iri. Hanc certe confirmavit S. Ludovicus Francorum rex an. 1231. mense Aprili, ex archivo regio Carcassonensi, eamdemque ratam habuit Innocentius papa IV. litteris Perusii datis VI. cal. Nov. pontificatus anno X. Occurrit Ermengaudus abbas 1225. V. calend. Junii, 1227. III. nonas Octobris, 1228. feria IV. XVIII. calend. Decemb. (lege XVII.) 1229. XI. cal. Jan. & nonis ejusdem mensis, ac 1230. idibus Aprilis & V. calendas Maii. Statuta condidit pro villa Montis olivi anno 1231. mense Novembri. Eodem, IV. cal. Febr. Rogerius & Petrus Raimundi de Aragone fratres omnia pignora de vicaria & de hominibus quos habebant in villa & burgo Montis olivi, ac de Bernardo Bonohomine, vel ejus patre & liberis solverunt Ermengaudo abbati & conventui Montis olivi, recognoscentes se ab eis recepisse 150. solidos Melgorienses. Anno sequenti Bringarium abbatem testatur Martennius noster in causam vocatum fuisse a canonicis Carcassonensibus coram Clarino episcopo Carcassonensi, at forsan Ermengaudus binominis erat. Ermengaudus enim hoc anno mense Octobri & longe postea præfuit. Sane reperitur 1233. VIII. idus Decemb. & 1234. quo ejus cum P. Narbonensi archiepiscopo de quibusdam ecclesiis controversia judicio G. de Villanova, Isarni de Aragone & G. Peironeti canonici S. Pauli Narbon. ac prioris de Rivo idibus Julii composita fuit. Ei Raimundus Tolosæ comes & marchio Provinciæ contulit totum jus feodi quod habebat *in agreriis*, quæ dilecti & fideles sui Bernardus & Poncius de Villanova fratres ab eo tenebant in villa, vel terminiis, aut aliis pertinentiis de Brom. *Actum Tolosæ septimo die introitus mensis Junii Dominica die an. 1237.* testibus Guillelmo Arnaldi de Tantalone senescallo Agennensi, Poncio Grimardi de Castro-saraceno, Petro Martini de Castro novo, Bernardo Geraldi de Amiliano, & aliis. Anno 1238. IV. nonas Febr. cœnobii prædia divisit Ermengaudus abbas inter ejusdem monasterii ministros in hunc modum: priori claustrali honorem de Monte-conillo; camerario honorem de Brugairolis & de Monasterio cum omnibus eorumdem pertinentiis; cellerario honorem de S. Gauderico, de Ursantio, & de Busarenchis, cum eorumdem pertinentiis & juribus; sacristæ honorem feudi de Villanova & de Perdix &c. infirmariæ honorem de Uniaco cum suis pertinentiis; eleemosynariæ honorem, seu feudum de Camporaso & de Vernazona cum suis pertinentiis; operi honorem de Cumeriis & de Aquaviva cum suis pertinentiis & juribus; armariæ viginti sextarios frumenti, quos habet abbas in feudo de Villaquicia, assignavit. Acta sunt hæc & sigillis abbatis & conventus communita in capitulo ejusdem monasterii die & anno memoratis. Rogatu Guillelmi de Urmeyo senescalli Carcassonensis pro domino rege Franciæ concessit Odoardo de Moinevilla castellano Montis regalis honorem illum, qui fuit quondam Garinorum de Garmasia, a rege propter hæresim occupatum, quique monasterio devenerat in commissum &c. ea lege ut Odoardus, heredes & successores essent monasterio fideles in ejusdem conservandis & defendendis juribus, ac semel in anno *albergum abbadale* sibi facerent. Actum an. 1240. XI. cal. Maii. Eodem, VIII. idus Jan. Ermengaudus abbas & conventus dederunt ad vitam R. de Canesuspenso & Petro ipsius filio medietatem villæ de Villardonello, intuitu servitiorum illorum, nempe quod occupato monasterio a Trencavello vicecomite Biterrensi palantes abbatem & monachos intra urbem Carcassonam recepissent. Anno seq. mense Augusto dedit supra laudato Odoardo de Moinevilla

Ch. XLI. col. 441.

Tom. 1. Anecdot. Marten. col. 967.

castellano Montis regalis, ejusque infantibus, A posteris & successoribus quem habebat honorem in terminio de Ferrando, pro quo idem Odoardus flexis genibus se fecit hominem monasterii. Eodem anno 1241. Ermengaudus abbas per se, successores, & totum cœnobii conventum debere se profitetur Arnaldo de Alzona capellano Montis olivi, Richæ matri ejus & heredibus ex causa mutui 560. solidos Melgoriensium bonorum, quos impendit solvendis decimis de mandato domini legati, & emendis blado & vino sibi & conventui necessariis, &c. Anno 1243. VIII. idus Maii magistro Pagano vendidit homines, feminas, reditus, proventus, & om- B nia jura, quæ habebat in villa S. Goderici & de Orsancio, & de Castlario & de Bordis, & in terminiis eorum, *in omnibus diebus ejus vitæ*, pretio 200. solidorum Melgoriensium, quos abbas & conventus ab eo se recepisse confitentur, aliisque certis conditionibus, quarum una fuit, ut conventui Paganus daret singulis annis in festo Purificationis B. Mariæ pro *pitancia* quinque solidos Melgorienses. Consuetudines villæ Montis olivi confirmavit mense Septemb. an. 1243. ex transactione inita cum universitate quæ dedit illi 18000. solidos Melgorienses ad sex annos persolvendos, pro damnis utcumque C reparandis, quæ Trencavellus vicecomes, aliique hæretici cœnobio intulerant anno 1240. mense Augusto. Tanta quidem hæc erant ut postquam Trencavellus cum sociis interceptus fuit, seque totum regiæ clementiæ permisit, Malasti castrum, arx situ inexpugnabilis, dirutum sit, excepta S. Andreæ parochia, civesque deletis immunitatum tabulis, abbatiæ servitio mancipati sint, a quo per hanc compositionem solvuntur. Denique Johannes Guid abbati & conventui quidquid sibi ab ipsis debebatur acceptum tulit an. 1244. cal Martiis: testes sunt domnus R. de Altinhaco abbas S. Papuli, domnus Arnaldus de Alzona Montis olivi D capellanus & alii. Obiit Ermengaudus an. 1247.

Prob. tom. 3. hist. Occit. col. 427.

XXV. Geraldus I. de Monte alto, patria Mirapicensis, nonnulla pretio 120. solidorum Melgoriensium a Berengario & Raimundo Natali fratribus comparavit an. 1248. pridie idus Junii. Eodem anno idibus Octobris magister Raimundus de Monte olivo tulit sententiam adversus Armandum de Rivo & fratres ejus ac heredes, qua se abbatis homines de corpore tenerentur agnoscere, & hominium Geraldo abbati & successoribus præstare tanquam ipsius homines honorati (immunes tamen & liberi a tallia & questa) & facere monasterio servitia consueta de anima- E libus, & suis aliis rebus pro villa de Brugairolis &c. Tunc temporis cœnobium ære alieno prægravatum erat, quod attendentes abbas & conventus vendiderunt ad vitam duntaxat licitanti magistro Pagano de Mirapisce Ulmesii archipresbytero fratri abbatis suos integros reditus omnium jurium quæ habebant & habere debebant in villis, seu terminiis sancti Goderici, Orsancii, Castlarii, & de Bordis pro 2400. libris Melgoriensibus. *Actum in capitulo anno Domini MCCXLVIII. feria tertia pridie idus Jan.* hoc est 1249. Eodem anno frater Raimundus episc. Tolosanus ei confirmat ecclesias de Aquaviva, & de Cutinio, cum decimis, primitiis, & omnibus ecclesiasticis juribus consuetisque earumdem libertatibus, necnon prioratum de Amancianis cum juribus & ecclesiis sibi suffraganeis & annexis, ipsam videlicet ecclesiam S. Johannis de Amancianis, ecclesiam sancti Johannis de Heremo, ecclesiam sancti Martini de Coteux, ecclesiam S. Petri de Villarossa, & ecclesiam S. Petri de Felgos, cum decimis & primitiis omnibus, atque juribus & pertinentiis earum. Datum apud Montem olivi IV. nonas Julii anno Domini 1249. præsentibus R. Dei gratia abbate S. Papuli, priore ejusdem loci, &c. Obtinuit Geraldus eodem anno VIII. idus Januarii a Guillelmo Carcassonensi episcopo confirmationem ecclesiæ S. Mariæ de Vernazona, &c. idque ratum habuit Alexander papa IV. calendis Maii pontificatus anno secundo. Controversiam habuit cum Arnaldo de Alzona capellano seu rectore ecclesiæ S. Andreæ Montis olivi, cujus delecti arbitri magister Raimundus de Monte olivo, P. cantor ecclesiæ B. Pauli Narbon. & dominus Petrus de Mirmon miles & vicarius Montis olivi, contra hunc Arnaldum & successores definierunt anno 1252. mense Januario, in festis B. Johannis Evangelistæ, Purificationis B. Virginis, Dominica in Ramis Palmarum, in die Parasceves, in crastino Paschæ & Pentecostes, & in festo S. Johannis Bapt. quibus Montis olivi populus tam ex debito quam ex approbata consuetudine venit & venire tenetur divina auditurus in ecclesia monasterii, debere quoque ad eamdem venire capellanum cum suis clericis, & interesse processionibus & officio majoris sacri, ita ut nec pulsentur campanæ in præscriptis festivitatibus, nec sacrum fiat præsente populo in ecclesia parochiali, &c. Anno seq. 1253. III. nonas Aprilis Arnaldus & Petrus de Grava fratres abbati Geraldo recognoscunt se ab eo tenere medietatem castri de Brossis, necnon medietatem totius terminii atque feudi de Sescairolis, quæ cum eodem monasterio per indivisum habent, pro quibus omnibus, flexis genibus manibusque junctis intra manus abbatis positis præstant illi hominium, fidelitatem, secretum, consilium, auxilium, securitatem de personis & rebus propriis ejusque successoribus & monasterio promittentes. Innocentius papa IV. eodem anno, seu pontificatus X. idibus Junii bulla Assisii data indulget abbati & successoribus, ut a statutis Gregorii papæ pro reformando S. Benedicti ordine, quæ de Benedictinæ substantia regulæ non existant, sui monasterii, ejusque membrorum monachos tam præsentes quam futuros libere queant solvere. Anno 1257. die 5. Januarii Geraldus de Cane suspenso ei vendidit pretio 3200. solidorum Melgoriensium medietatem pro indiviso locorum de Bordis, de Lauzertaco, &c. quæ omnia tenebat ad feudum honoratum a monasterio sub juramento fidelitatis & clientelæ tanquam vassallus: qua de re, *nos Geraldus abbas per nos & successores nostros, atque monasterii nostri*

conventum, & nos Geraldus de Cane ſuſpenſo volumus, inquiunt, *& recognoſcimus nos tenere, habere & poſſidere villam de Villardonello & terminia & loca præſcripta de Bordis, de Lauzertaco, de Cireriis, & de Reſſabits, atque taſcas prænominatas, cum omnibus terminiis & pleno jure & dominio pro indiviſo medium per medium; & quod omnes reditus, proventus, obventiones eorum debemus per medium dividere.* Triduo poſt, ſexto ſcilicet idus Januarii ejuſdem anni Geraldus abbas & Geraldus de Cane ſuſpenſo miles univerſitati & ſingulis hominibus de Villardonello dimiſerunt in perpetuum omnia *jornalia* & *corregia* animalium & corporum per ſe vel anteceſſores juſte vel injuſte illis impoſita, retentis tantum pro uno quoque eorum duobus *jornalibus* de animalibus vel de corpore, uno in hyeme, alio in æſtate, pro quibus relaxatis acceperunt ab eadem univerſitate 40. ſolidos Melgorienſes. Idem abbas an. 1259. menſe Decembri Petrum Iſpani & uxorem Petronam infirmos recepit in donatos & fratres domus leproſorum Montis olivi, ut in eadem Deo ſervirent, eoſque bonorum & jurium ejuſdem domus participes fecit, ea lege ut leproſis tam præſentibus quam futuris, vel per eam tranſituris providerent de eleemoſynis & bonis ſecundum ipſius facultatem. Clemens papa IV. bulla data Peruſii v. calend. Decembris anno pontificatus primo indulſit abbati & conventui ut ad cœnobium revocare & ad ſuos uſus retinere poſſent decimas & primitias eccleſiarum S. Romani de Villaguiſſana, S. Briccii de Buſarencho, S. Mariæ de Camporaſo, S. Mariæ de Vernazona, decimas & primitias S. Saturnini de Monteconilo, quas anteceſſores nonnullis ob eorum devota ſervitia ad vitam conceſſerant. Anno 1266. Geraldus abbas privilegiorum Bonifontis conſervator dicitur. Raimundus de Montepetroſo legum doctor, Arnaldus de Congano juriſperitus, & magiſter Bartholomæus de Podio judex Carcaſſonæ arbitri a Geraldo Montis olivi abbate ex una parte, & a nobili Lamberto de Tureyo domino de Saiſſac ex altera electi decernunt an. 1268. VI. calend. Octobris Montis olivi monaſterium habiturum in perpetuum jure proprietatis medietatem nemoris de S. Benedicto, ac feudi in quo conſiſtit, cum juriſdictione, juribus, pertinentiis, &c. necnon & quatuor partes feudi & terminii de Monaſterio cum juribus & pertinentiis, omniumque molendinorum, &c. quibus adjiciuntur decima, primitia, jus ſpirituale & ſpirituali annexum; Lambertum vero ſolam quintam feudi reſiduam partem, quam pro *aſſiſia* domini regis habere ſe contendit. Nova ſtatuta Geraldus abbas condidit pro univerſitate caſtri de Trulharibus, quæ ſtatim ei fidem juravit an. 1270. XVII. cal. Dec. Eodem anno x. calend. Febr. Guillelmus Bernardi de Durfort & IV. idus Febr. Berengarius de Grava miles abbati G. hominium præſtiterunt, ille pro iis quæ habebat in villa de S. Goderico, hic pro his quæ tenebat in caſtro de Broſſis. Invitatur a Gregorio X. papa ad concilium Lugdunenſe bulla data Lugduni idibus Martii pontificatus anno ſecundo. Hominium excepit ab 745. hominibus Montis olivi in aula monaſterii an. 1272. pridie cal. Maii. Sancius archipreſbyter Carcaſſonenſis, & Arnaldus de Congano judices a B. Carcaſſonenſi epiſcopo Lugduni exiſtente delegati jus patronatus eccleſiæ parochialis ſancti Andreæ de Monte olivo ſententia lata eidem abbati adverſus epiſcopum aſſeruerunt. Datum in curia epiſcopali Carcaſſonenſi anno 1274. VI. idus Julii. Litteris ſupplicibus oblatis rogavit Geraldus abbas D. Anſellum Torris locum tenentem ſeneſcalli Carcaſſon. & Biterr. ne ſuis in bona hæreticorum fiſco addicta juribus fraudaretur. Actum die lunæ ante natale S. Johannis Bapt. 1278. Obiit anno ſequenti menſe Julio ſepultus e regione altaris SS. Trinitatis.

XXVI. Petrus I. de Alzona, quem in uno abbatum catalogo legimus filium P. de Miromonte vicarii Montis olivi, antea operarius & poſtea camerarius, abbas tandem reperitur anno 1279. VI. cal. Novemb. Ab eodem & Amalrico de Narbona Petrus Raimundi de Grauleriis judex major Carcaſſonæ electus arbiter præfixit limites, quibus loca de Trulharibus ad monaſterium, & de Aveliano ad Amalricum ſpectantia ab invicem disjunguntur an. 1281. die Sabb. ante feſtum S. Thomæ. Memoratur 1282. VI. idus Martii, 1283. IV. cal. Junii, & 1284. VI. cal. Januarii, quo cum ſuo conventu ſtatuit, quid in ornamentis eccleſiaſticis ſuppeditare debeat abbas, & quilibet monachorum, qui de cœnobii reditibus habent ad quindecim libras; abbas videlicet capellam integram decentem & ſibi honorabilem, id eſt cappam, infulas, duas dalmaticas de ſerico & auro, & tria veſtimenta eccleſiaſtica cum *paraturis* convenientibus; prior de Amancianis faciet cappam de ſerico & veſtimentum eccleſiaſticum cum *paraturis* convenientibus uſque ad valorem decem librarum Turonenſium; priores de Villardonello, & de Aquis vivis, atque camerarius hoc idem facient, uſque ad ſex libras; ſacriſta uſque ad centum ſolidos, & infirmarius ad totidem; prior de Villario & operarius uſque ad quatuor libras, &c. Anno 1286. calendis Maii Johannes dictus *Malus*, miles de Novavilla regis tutor, Johannæ Johannis de Monachi villa tutor ab officiali Bellovacenſi conſtitutus, Petro abbati Montis olivi eamdem pupillam ſeque ipſius nomine ab eo tenere & a monaſterio unam condaminam in terminio de Ferrando recognoſcit, pro qua flexis genibus & manibus junctis ei præſtat hominium: abbas vero hanc eidem pupillæ condaminam in feudum honoratum conceſſit. Eodem anno pridie cal. Febr. Robinus Larchier Burgundus ſe ſponte ſua cum heredibus hominem fecit Petri abbatis & conventus Montis olivi. Sub hoc abbate reædificari cœpit eccleſia vetuſtate attrita, ad quod opus perficiendum cum facultates non ſuppeterent, Nicolaus papa fidelibus, qui de bonis ſibi a Deo collatis pias conventui erogarent eleemoſynas, centum indulgentiæ dies elargitus eſt idibus Auguſti pontificatus anno ſecundo,

hoc est 1289. Ædes abbatiales eodem anno Petrum abbatem exstruxisse testatur vetus lapis, cui insculptum legitur: *Istud opus fecit fieri dominus Petrus de Ausona abbas istius monasterii an. 1289.* Nonnulla permutavit cum Petro Arnaldi de castro Virduno pridie cal. Septemb. 1294. Vivere desiit sub finem ejusdem anni, ex notitia anni 1295. cal. Decemb. docente quæ reperta fuerint in arcis P. quondam abbatis nuperrime defuncti. Hæc erant, octo scyphi argentei cum pedibus deauratis, quorum tres erant cum argenteo coopertorio, sive *subrecap: 14. tassæ* argenteæ, octo *picharia* argentea, quodlibet eorum cum coopertorio, sive *cubercle:* quadraginta cochlearia de argento: octodecim *grasaleti* argentei: sex alii de minori forma præ aliis: octo cisoria argentea: viginti sex paropsides de argento: duo scyphi de azafeto cum pedibus argenteis, & unus scyphus de nuce nucleata, vel musclata cum circulis argenteis. Quæ quidem omnia sic recognita in sacrario ecclesiæ posita sunt ad *retrotabulum* altaris S. Johannis Bapt. faciendum, prout ipsemet Petrus abbas constituerat.

XXVII. Petrus II. Bernardi de Cane suspenso, Bernardi episcopi Carcassonensis ex fratre nepos, antea prior de Villardonello, memoratur abbas 1295. pridie idus Febr. Dedit ad lucrandum, seu ad *acapitum* & emphyteosim Jacobo Ros de Ferrando quamdam *peciam* terræ in terminio ejusdem castri sub censu quatuor sextariorum frumenti, & *præterea,* inquit abbas, *dabis nobis & monasterio nostro medietatem omnium fructuum ex ipsa terra excrescentium. Actum an. 1296. VIII. idus Aprilis.* Suam & fratrum pitanciam constituit & auxit anno 1297. mense Aprili, hoc tantum de carnium esu addito: si velit abbas conventui aliquando facere pitanciam de carnibus, sicut in Dominica Quinquagesimæ, & Dominica I. Adventus facit, vel infra annum de conventu aliquos, aut alios religiosos hospites ad suam velit convocare mensam, ut melius eos reficiat, cellerarius quotidianas pro singulis distributiones, vel earum æstimationem integre dare tenebitur, quas hi monachi vel religiosi reciperent, si in refectorio vel extra reficerentur, &c. Huic abbati nobilis Bernardus de Cane suspenso miles, ejusdem loci dominus ab eo se & a monasterio tenere in feudum honoratum quidquid juris habet in Villardonello, &c. recognovit an. 1298. pridie idus Januarii. Eidem Arnaldus Bernardi de S. Martino rector ecclesiæ S. Andreæ Montis olivi fidem & obsequium promisit 1302. IV. idus Novembris. Eodem anno abbas & ministri monasterii redituum suorum decimam partem reædificandæ ecclesiæ devovent, donec perfecta sit. Insequenti 1303. 25. Julii adfuit prælatorum cœtui apud Montempessulanum habito, in quo appellationi a Philippo Pulcro Francorum rege factæ ad concilium generale contra Bonifacii papæ VIII. usurpationes adhæserunt. Anno 1305. III. cal. Septembris Bernardo & Petro de Rupeforti fratribus domicellis, dominis de Monteacuto in Salvanesio diœcesis Tolosanæ cessit ac dimisit quidquid habebat juris in medietate pro indiviso castri de Villardonello, ipsis a nepote suo Bernardo de Cane suspenso milite pretio 2000. librarum Turonensium vendita cum hospitio in capite ejusdem castri posito, & cum mixto imperio, &c. quæ pro indiviso cum abbate Montis olivi, eo in castro & in terminiis, &c. possidebat, statimque iidem Bernardus & Petrus fratres hæc omnia tenere se in feudum honoratum a cœnobio Montis olivi profitentur, ac pro his flexis genibus & manibus junctis intra manus abbatis positis osculo interveniente, eidem ac monasterio futuros se bonos & fideles vassallos pollicentur, hominiumque jurant & fidelitatem, quam vassalli præstare debent domino suo, sicque abbas eos de supradictis per traditionem bireti investivit. Destinati ad partes senescalliarum Tolosæ & Carcassonæ jurium regalium perquisitores acceptis a procuratoribus abbatis & conventus ducentis solidis Turonensibus castrum de Trulharibus cum pertinentiis, jurisdictionem & merum ipsius imperium absolverunt, ac auctoritate regia nomine regis per abbatem & cœnobium Montis olivi tenenda & exercenda, sicut consueverant, definierunt, ita ut de præmissis ulterius nec *financiam,* nec *foriscapium,* nec aliam ex dicta causa exactionem præstare, nec extra manum ponere compelli possent. *Actum XII. cal. Decembris, quæ fuit Sabbato die 20. mensis Novembris anno Domini MCCCV.* Hanc vero summam quæstores regii Carcassonæ seu thesaurarii sibi solutam professi sunt a dominis Sicardo de Viussano infirmario & Guillelmo de Lupiano præcentore monachis & procuratoribus generalibus monasterii Montis olivi abbate carentis. *Acta sunt hæc Carcassonæ 10. Aprilis & 17. Junii anno Domini 1306.* Eodem anno VII. idus Maii iidem duo & Arnaldus de Acro monte monachi & procuratores generales in spiritualibus & temporalibus monasterii Montis olivi vacantis per cessionem domini Petri Bernardi ejus olim abbatis, per conventum constituti sunt. Hoc insuper anno die Sabb. post octavas apostolorum Petri & Pauli, VII. idus Julii solus Sicardus de Viussano monachus infirmarius dicitur procurator cœnobii Montis olivi vacantis per mortem domini Petri Bernardi olim abbatis, seu per amotionem ejusdem.

XXVIII. Bartholomæus de Barre vocatur electus & confirmatus in charta anni 1306. VI. cal. Septembris, qua Sicardus de Biussano monachus & infirmarius cœnobii Montis olivi & Petrus Jordani de Barre vicarius Montis olivi procuratores & vicarii generales in spiritualibus & temporalibus ejusdem Bartholomæi Raimundo Bec & Petro Bonafos unum casalem situm in burgo veteri ejusdem loci confirmaverunt, eis *bonam garentiam* ex parte dominii & jurisdictionis polliciti, ac inde se *foriscapium* plene habuisse professi sunt. Se ipse Bartholomæus condominum dicit de Villardonello in charta anni 1307. VII. cal. Septemb. qua feudi de Casellis factam a decessore postquam cesserat venditionem irritam declaravit. Idem paulo post ad curiam papæ sedentis Avenione proficiscens procuratores &

vicarios in spiritualibus instituit Poncium Jordani A monachum Montis olivi priorem de Brucis, & Sicardum de Viussano monachum & infirmarium, necnon Petrum Jordani de Barre militem fratrem suum & Petrum de Cumbis rectorem ecclesiæ de Ripis altis diœcesis Helenensis in temporalibus tantum anno 1307. XII. calend. Octob. Inde reverso Amalricus de Vicinis rector ecclesiæ S. Andreæ Montis olivi promisit obedientiam & fidelitatem VII. cal. Aug. 1308. quo etiam anno castrum de Malast ab abbate usurpatum regi adjudicatur senatusconsulto dato die Martis post conversionem S. Pauli. Mense Martio anni 1312. Parisiis cum rege Philippo B *pariagium* fecit, hoc est jurisdictionem Montis olivi æqua lance cum rege partitus est. Hominium excepit a nobili viro Piloforti de Ventajone pro feudo quod habebat apud Brugairolas 1313. XI. cal. Aug. Eodem anno 18. Martii coram Sicardo de Viussano eleemosynario, &c. Gaufredus de Manhavilla domicellus de Rivo & Guillelmus Petri de Manhavilla domicellus de Pichingis Bartholomæo abbati recognoverunt se quam habebant prope villam de Ferrando condaminam a monasterio tenere. Idem præstitit Bernardus de Sonaco domicellus pro his quæ tenebat a monasterio in castro de Brugairolis C 1314. 26. Maii. Anno 1316. 19. Augusti idem abbas cum Aimerico de Croso milite regis Franciæ, senescallo Carcasson. & Biterrensi Poncium Johannis constituit vicarium Montis olivi loco Radulfi Cocabardi absentis, cujus incertus erat reditus, ut ipsius vice curiam communem regeret ac teneret, donec ea de re aliud per ipsos statueretur. Ad curiam papæ an. 1317. proficiscens excusat se quod Biterrensi concilio adesse non possit. Nonnulla emit a Petro Arnaldi milite, castri Virduni ex parte domino die 3. Febr. 1318. Eidem abbati præsenti promisit conventus infra monasterium habiturum se in perpe- D tuum unum presbyterum, qui singulis diebus sacrum de Spiritu sancto vel in honorem alicujus sancti celebrare debeat, *ut*, inquit, *gressus & actus vestros, domine abba, dirigat Spiritu sancto cooperante, & regna cælestia faciat vos feliciter introire;* cumque obierit abbas, decernit conventus hunc presbyterum sacrum de defunctis pro ejus anima quotidie celebraturum in ecclesia monasterii, in capella S. Benedicti, quousque B. Bartholomæi capella, quam abbas in eadem ecclesia excitare meditatur, absoluta fuerit. *Actum 21. Febr. 1318.* Anno sequenti, Sabbato 8. Dec. testis fuit sententiæ latæ apud Carcassonam ad- E versus Bernardum Delitiosi Minoritam ab episcopis Appamiarum & S. Papuli. Societatem precum iniit cum G. Crassensi abbate an. 1320. Eodem, die Mercurii post Pentecosten Bartholomæus in rem monasterii quingentas libras elargitus est. Exhalavit animam an. 1321. sepultus in sacello S. Benedicti; de quo diebus VI. cal. Maii & VIII. cal. Septembris legitur in necrologio: *Generale officium fiat pro anima D. Bartholomæi de Barre quondam abbatis hujus monasterii.*

Ch. LI. col. 458.

Baluz. tom. 2. vit. pap. Aven. col. 355.

XXIX. Isarnus III. de Altopullo e priore de Amancianis diœcesis Mirapicensis eligitur abbas per compromissum, & a conventu approbatur 9. Maii 1321. sed ejus electio a summo pontifice reprobata videtur, uti non raro his temporibus accidebat. Certe adhuc 1327. 16. Augusti prior de Amancianis memoratur.

XXX. Petrus III. de Castrolucii, *de Chastelus*, abbas nuncupatus in remotis agere dicitur 22. Augusti 1322. quo vicarium generalem Ademarum Roberti canonicum Turonensem habebat; isque vicarius altero utebatur pro temporalibus magistro Petro Penabovis rectore ecclesiæ de Chalona eodem anno 13. Julii. Hoc autem anno transiit Petrus de Chastelus ad regimen cœnobii Cluniacensis beneficio Johannis papæ XXII. subinde factus episc. Valentinensis, ex actis pontific. Avenion.

XXXI. Ozilius de Molone vel de Morlone & de Molthon ex abbate Silvæ majoris, *Dei & sedis apost. gratia* abbas Montis olivi bulla Johannis papæ XXII. institutus an. 1322. Florentiæ existens procuratorem suum constituit D. Rogerium de Vintrona baccalaureum in legibus ad possessionem abbatiæ capessendam, & ad negotia peragenda 1323. die 29. Januarii. Eodem anno 12. Septemb. Ozilii procurator & conventus suos syndicos & actores crearunt Bernardum de Varanhano cellerarium, Bertrandum Callavelli infirmarium & alios sex monachos cum tribus sæcularibus. Insequenti, die 9. Nov. in aula castri de Brugairolis ab ejusdem loci 64. incolis hominium excepit. Memoratur anno 1327. die 16. Augusti in judicio lato contra mulierem adulteram; cujus occasione de pœnis adulterarum agitata fuit quæstio, statutumque illas quibus pecunia non esset ad solvendam multam, nudas per urbem ignominiose trahendas. Qua de re sic alibi lego: *Radulfus Chaloti reformator per regiam majestatem ad partes senescalliarum Carcassonæ & Tolosæ deputatus, & ipse Ozilius abbas pepigerunt cum consulibus Montis olivi, quod adulterantes tam in ipsa villa, quam in ejus terminiis non punirentur ultra pœnam legis Juliæ de adulteriis, seu non cogerentur nudi per villam currere, sed quilibet seu masculus, seu femella solverent tantum pro pœna 60. solidos curiæ ejusdem loci, ni currere nudi mallent;* ad quam pœnam remittendam incolæ mox regi mille libras Turonenses, totidemque abbati obtulerunt. *Actum an. 1327. die 16. Augusti.* Venditionem feudi, seu totius territorii de Casellis laudavit anno 1329. 26. Octob. suumque inde *foriscapium* habuit. Circa id tempus statuit unanimi fratrum consensu abbatem & monachos beneficiatos medietatem decimæ beneficiorum suorum aliquandiu daturos ad fabricam novi operis monasterii consummandam. Obiit ineunte Februario 1332. vel forte 1333.

XXXII. Guillelmus II. de Aura diœcesis Carcassonensis, professor juris canonici & civilis, cognominatus etiam de Puiano vel de Pougana, ex Baluzio in notis mss. ad veterem Gall. Christ. si Francisco Duchesne in historia cardinalium

Baluz. t. 1. vit. Pap. Aven. col. 209. 723. & 822.

Gallorum fides, traxit originem a Dodone Convenarum comite, qui ducta uxore Bertranda comitissa d'Aure, ejus cognomen & insignia retinuit, primum fuit monachus in monasterio Lezatensi, dein Athanacensis abbas; ac tandem Montis olivi 1333. beneficio Johannis papæ XXII. Certe hoc anno 7. Maii Guillelmo sedente tutela (*Salvagardia*) regia in terra & locis monasterii a regiis ministris apposita, volente nobili Guidone de Vela milite senescallo Carcassonensi & Biterrensi amota fuit, nunquam deinceps apponenda. Anno seq. 27. Octobris Vascho de Rupeforti canonicus Carcassonensis & archidiaconus minor pro mille libris totum ei jus dimisit, si quod habebat in feudo, seu in medietate castri de Villardonello pro indiviso cum monasterio, quam ejus parentes sub hominio & fidelitate a monasterio tenuerant. Anno 1335. die XI. Febr. Bernardus archiepiscopus Narbonensis visis abbatis litteris sibi a Raimundo Rogerii de Aura ejusdem germano exhibitis, ecclesiam S. Juliani de Brugairolis contulit Bertrando de Adilone clerico. Circa annum 1336. ejus consilio usus est Benedictus XII. papa ad ordinem nigrorum monachorum reformandum & ad formularum pœnitentiæ codicem emendandum. Guillelmum idem pontifex presbyterum cardinalem creavit 18. Decembris 1338. quo statim anno monasterii regimen abdicasse videtur. Enim vero vacantis abbatiæ vicarii generales leguntur Geraldus de Glujano decanus, Augerius de Barra eleemosynarius, & Guillelmus de Lupiano præcentor monachi Montis olivi die 23. Febr. an. 1338. hoc est 1339. uti modo computamus. De hoc sic habet Petrus Frizon Galliæ purpuratæ pag. 327. *In Montis olivarum cœnobio* * *Benedictini ordinis diœcesis Carcassonensis monachismum professus est dominus Guillelmus de Aura, ibidemque cœnobiarcha, professor juris canonici & civilis, cardinalitia indutus purpura tituli SS. Quatuor coronatorum martyrum Benedicto XII. an. 1337.* * *demum episcopus Tusculanus a Clemente VI. 1350. die XV. calend. Januarii, efflavit animam Avenione pridie idus Junii 1361.* Hæc ille, quæ certe quantum ad obitus diem & annum & ad titulum cardinalitium necrologio domestico non consonant, sic enim ibi de his legitur. *An. 1350.* (1353*.) *die 3. mensis Decembris* (al. XV. & XVII. cal. Jan.) *migravit ad Dominum reverendus in Christo pater dominus G. S. Stephani in Cœlio monte presbyter S. R. E. cardinalis Montis olivi, quondam abbas hujus monasterii, & jacet ante altare S. Johannis, cui Montis olivi ecclesia sacra est, in tumba ex marmore albo cum statua superposita ipsum repræsentante.* Verumtamen nil obstat quin pluribus titulis successive potitus sit Guillelmus, quinve demortui corpus ad Montem olivum translatum fuerit. Sane Baluzio testante, ita rursus legitur in necrologio: *XIII. cal. Junii generale officium pro anima domni reverendissimi in Christo patris domini Guillelmi tituli S. Stephani in Cœlio monte presbyteri S. R. E. cardinalis Montis olivi.* Ejus sepulcrum, quod erat in medio chori, destructum est a Calvinistis. Ceterum anno 1346. die 3. Maii fundavit exsequiales preces, in quibus voluit eo die refici quindecim pauperes, vel dari cuilibet quatuor denarios, ac præterea constituit tres denarios per hebdomadarium tribus quotidie pauperibus distribuendos hora qua datur *mandatum*, quam ob rem dedit mille florenos auri, qui in fabricam ecclesiæ impensi sunt. Tam bene meritus fuit erga totum ordinem Benedictinum, ut in capitulo generali anni 1349. inter alia statutum fuerit, ut pro beneficiis eidem impensis & impendendis per dominum Montis olivi cardinalem millies pro eo res divina perageretur.

* Lezatensi, Baluz. t. 1. vit. Pap. Aven. col. 822.

* l. 1338.

* Baluz. Ibid. col. 824.

Ibid.

Ibid. col. 824.

XXXIII. Raimundus Rogerii de Aura sacrista Electensis, Guillelmi superioris affinis erat ex tomo 1. vitarum Pap. Avenion. col. 824. seu potius frater ex charta superius memorata in Guillelmo, cujus erat vicarius generalis. Hic *abbas Dei & sedis apost. gratia* nuncupatus contra Saxium a fratribus electum, jam anno 1338. jurisdictionem suam adversus senescalli Carcassonensis molitiones acriter defendit. Dedit anno seq. 19. Febr. Poncio Hugonis locum juxta villam Montis olivi in campo Bernardi & Isarni Molinerii ad ædificandam domum sub annuo censu decem denariorum Turonensium. Compositionem iniit cum Petro de Rupe milite domino de Pontiano locum tenente nobilis Johannis de Rupe militis, domini de Heleria senescalli Carcasson. & Biterrensis, qua tribuitur abbati facultas, salva regis voluntate, datisque septingentis libris, instituendi judicem vel judices de primis appellationibus hominum locorum & castrorum de S. Eulalia, Ventenaco, Garmasia, Ferrando, Brugairolis, Trulharibus & Brossis, &c. quam compositionem ratam habuit conventus 17. Martii 1339. & Philippus Valesius Francorum rex mense Julio ejusdem anni. Gaucelinus episcopus Carcassonensis ei possessionem scholarum Montis olivi recognovit die 9. Novembris 1341. Eidem Clemens papa VII. condendi testamentum licentiam concessit mense Febr. pontificatus anno primo. Ratum habuit idem pontifex statutum abbatis & conventus de numero monachorum 37. abbate & converso, qui in cœnobio esse consuevit, minime computatis, IV. nonas Julii pontificatus anno secundo. Huic die 14. Decemb. an. 1344. datis trecentis libris Turonensibus asserta fuit justitia civilis & criminalis in castro de Villardonello, id laudante Philippo Valesio rege anno 1346. mense Junio. Anno 1345. XI. Aprilis pro minuenda pœna adulteriorum bis mille libras a consulibus de Monte olivo accepit. Eodem an. 2. Januarii frater Guillelmus Alfarici monachus Montis olivi & decanus de Villario qua delegatus a Raimundo abbate vicarium curiæ communis ejusdem loci nobilem Aicardum Guillelmi, judicem ordinarium Petrum de Laujaco licentiatum in legibus, patronum causarum fiscalium senescalliæ Carcasson. & Biterrensis, judicem appellationum Raimundum Jordani jurisperitum Carcassonæ, & clavarium magistrum Petrum de Villario creavit. Ecclesiæ consecrationem

Ch. LIII. col. 459. Baluz. diplom. mss. pag. 22. n. 142.

an. 1346. procurasse dicitur, reliquiis S. Christophori martyris, aliorumque plurimorum SS. in altari repositis abbas tunc triginta duorum monachorum. Obiit anno seq. pridie non. Maii, qua die & VII. idus Novembris pro anima ejus officium generale celebratur, ex necrologio.

XXXIV. Guillelmus III. de Cantesio, abbas erat 1348. indict. 1. die 27. Septembris, quo Stephanus Arelatensis archiepiscopus, domini papæ camerarius eum liberatum pronunciavit a 250. florenis, de quibus pro complendis quatuor servitiis erga cameram apostolicam tenebatur. Eidem & successoribus Petrus archiep. Narbonensis perpetuo suum jus cessit, si quod haberet in ecclesiis locorum seu castrorum de Brugairolis, de Ferrando, de Garmasia, & de Trulharibus, illarum scilicet ecclesiarum custodiam & spolia rectorum inibi ab intestato decedentium. Actum in monasterio S. Polycarpi 1349. Cum suo conventu ratam habuit anno seq. 24. Martii initam 1327. de adulteriis compositionem nobilem inter & potentem virum Radulfum Chaloti militem reformatorem quondam auctoritate regia in partibus senescalliarum Tolosæ & Carcassonæ, ac Ozilium abbatem ex una parte, & ex altera Johannem Boneti & G. Baciaci consules quondam Montis olivi pro se & universitate ejusdem loci. Anno 1352. die 4. Decembris Guillelmus Dei & S. sedis apost. gratia Montis olivi abbas pro se & abbatialis beneficii nomine recognovit se mutuo accepisse a dominis Saxio de Montesquivo camerario, & Guillelmo Petri de Altopullo eleemosynario monachis ejusdem cœnobii, thesaurariis seu custodibus thesauri qui solebat in turri capitis ecclesiæ S. Johannis Montis olivi asservari, octo scutellas ex argento, septem catinos, seu *casalets*, quatuor platellos, *seu bassins*, duas *taceas* deauratas, tres *taceas* planas, unum *pitalphum* pro vino ministrando, & unum *justetum*, sive *potetum* pro aqua ministranda, ex bono & puro argento, ponderis triginta sex marcharum, mediæ unius unciæ & semis, ac quinque *sterlingorum* argenti; unum *pitalphum* ex argento ponderis trium marcharum; viginti denarios auri de scuto bonos & boni ponderis. Præterea Guillelmus abbas eodem de thesauro confessus est se accepisse per manus Augerii de Barre quondam eleemosynarii, & Galhardi de Manso monachorum, tuncque thesauri hujus custodum, tam in *taceis*, scutellis, *grosaletis*, quam &c. argenti 32. marchas, mediam, 12. *sterlingos* & medium, quæ de die in diem redditurum se eisdem thesaurariis & conventui promisit. Anno 1355. 3. Aprilis magister Arnaldus de Castellione notarius regius, oriundus de Colonia diœcesis Lumbariensis se & omnia bona monasterio tradidit, castitatem & obedientiam vovit, quo pacto hunc abbas in fratrem & donatum monasterii suscepit, cum suo conventu promittens illi se daturos pro labore viginti quinque florenos auri. Anno 1358. die 16. Septemb. Johannes Franciæ rex Londonii detentus mandavit & strictius præcepit Guillelmo Vidal magistro & generali præfecto portuum regnique *passagiorum*, ut heredibus magistri Guillelmi de Monte olivo trecentos florenos auri de Florentia recti ponderis ab eodem in Anglia sibi commodatos solveret; ex quibus verbis colligas mortuum Guillelmum putasse regem. Verumtamen eidem abbati conventus quod super fluvium *Cesser* in jurisdictione castri de Trulharibus molendinum habebat ea lege dimisit, ut fratribus quotidie præter duos panes & dimidium, & duos *cartones* vini consuetos, daret dimidium panem & dimidium vini *cartonem*, huicque stetit abbas conventioni anno 1358. 8. Decembris. Fato functus est Guillelmus abbas anno 1361. 20. Julii, seu XIII. calend. Augusti, qua die generali officio gaudet, ex necrologio.

XXXV. Saxius de Montesquiou, idem, ut videtur, qui jam anno 1338. post cessionem Guillelmi de Aura cardinalis, a fratribus abbas electus fuerat, e camerario tandem evasit abbas bulla Innocentii papæ VI. data pontificatus anno X. hic est 1361. Eodem anno die 6. Novemb. procuratores & actores speciales ac generales ad agendum constituit Petrum Montis regalis, Jacobum Sophiæ in legibus baccalaureos, & Arnaldum de Castellione notarium regium, hunc procul dubio, quem supra diximus ad annum 1355. se suaque omnia cœnobio tradidisse. Spopondit anno 1366. 21. Januarii constructurum se fortalitium bonum & sufficiens, ad regis, suum & monasterii honorem, & ad homines castri de Trulharibus conservandos, qui propterea 65. florenos auri ei tradiderunt. Anno 1368. ultima die Maii in capitulo monachorum ordinis S. Benedicti provinciarum Auxitanæ, Tolosanæ & Narbonensis apud Vaurum habito in claustro Fratrum minorum electus fuit præses una cum Petro Juncellensi, Johanne Mansi-garnerii & Bertrando S. Severi de Rustano abbatibus. Die 30. Octobris an. 1374. positus in conspectu Petri Isarni judicis majoris & locum tenentis Arnaudi de Hispania senescalli Carcasson. & Biterr. stolamque in collo gerens more prælati recognovit tenere se a domino rege locum de Monte olivo tunc in pariagio cum ipso, & loca de Brossis, de Villardonello, de S. Eulalia, de Trulharibus, de Brugairolis, de Ferrando & de Garmasia cum omnibus eorum juribus & pertinentiis, sub fidei sacramento, quod & continuo eidem judici majori præstitit super sancta quatuor Dei Evangelia manibus corporaliter tacta, promittens futurum se bonum & fidelem regi, heredibus, successoribus & coronæ Franciæ, eorumque jura defensurum ac servaturum, quæ continentur in epistola Philiberti. *Actum in consistorio commissionum Carcassonæ, die & anno quibus supra.* An. 1379. 10. Septemb. Saxius abbas & conventus Jordanum Vinati camerarium, Jordanum Restelli priorem de Cumerio, Johannem Boneti hostellarium, & Jacobum de S. Felice ejusdem cœnobii monachos instituunt procuratores speciales & generales. Ipsius quoque temporibus Philippus abbas de Soricinio a papa subdelegatus ecclesiam parochialem S. Andreæ Montis olivi univit auctoritate apostolica officio

camerarii ad supportanda ejusdem officii onera, A ita ut cedente vel decedente ipsius rectore, camerario liceret corporalem illius possessionem apprehendere. Datum an. 1384. penultima die Jan. indictione sexta.* Obiit Saxius abbas eodem anno die 9. Novembris, ex necrologio; pro cujus & parentum animabus celebratur officium generale IV. idus Novemb. Attamen legimus conventum, vacante monasterio per mortem domini Saxii ultimi abbatis, constituisse cœnobii speciales & generales vicarios in spiritualibus & temporalibus dominos Jordanum Vinati camerarium, Raimundum de Aura priorem de Villavalrano, Guillelmum Garciæ sacristam, & Guillelmum B de Cantesio decanum monachos ejusdem monasterii an. 1384. IV. Novembris, sed legendum IV. idus, hoc est postridie mortis Saxii abbatis.

* *septima.*

XXXVI. Bertrandus de Palaya & de Palaiano, prius abbas S. Severi de Bigorra, seu de Rustano, doctor effectus a Guillelmo de Agrifolio protonotario apostolico 1365. tum abbas S. Hilarii 1369. denique Montis olivi abbas erat die 13. Decembris 1384. quo Franciscus episcopus Gratianopolitanus domini papæ camerarius litteris Avenione datis, quingentos florenos auri de camera eidem per manus domini Petri Carcassonensis episcopi eo die acceptos tulit. C Idem permissione divina Montis olivi abbas & conventus procuratores crearunt Dominicum Dominici baccalaureum in decretis, Bertrandum de Rocavilla, Arnaldum Boneti & Raimundum de Montereguli presbyteros & monachos anno 1385. indict. VIII. die 13. Febr. Insequenti 8. Januarii nobilis Antonius de Castellione recognovit Bertrando abbati medietatem loci de Brossis, pro qua fidem obligavit. Idem hoc anno 24. Febr. præstitit Raimundus de Glujano domicellus de Laurano pro quibusdam feudis nobilibus sitis in jurisdictione, terminalibus & territoriis de Brugairolis. Anno seq. vir nobilis Gui- D raudus de S. Juliano medietatem villæ antiquæ S. Goderici cum mero mixtoque imperio se sub abbatis clientela tenere professus est. Paciscitur an. 1388. 10. Aprilis cum suo conventu de faciendis ad custodiam cœnobii expensis, quarum abbas tertia parte, duabusque aliis conventus teneatur. Biennio post indict. XIII. sententia Carcassonensis officialis spolia Raimundi de Malveriis rectoris ecclesiæ de Garmasia defuncti Bertrando abbati adversus heredem Arnaldum de Malveriis asseruntur. Instituit Bertrandus magistrum scholarum in loco de Malasto prope Montem olivum Fortanerium Nepotis in artibus baccalaureum E Petragoricensis diœcesis, data ei potestate docendi quoscumque pueros & scholares alphabetum, grammaticæ & logicæ facultates, & primaria scientiarum artiumque documenta; clericis omnibus & capellanis districtius inhibendo, ne quem in eodem loco his artibus informare præsumant. *Datum*, inquit, *in castro nostro de Ventenaco 17. Octob. an. 1392.* Hominem exuit anno sequenti mense Aug. non vero Urbani papæ VI. anno septimo, ut diximus tom. I. col. 1245.

tom. I. vit. Pap. Aven. col. 419.

XXXVII. Helias Jacobi de Chalez Petri de Chalezio episcopi Montalbanensis nepos, antea monachus Auriliacensis & prior Longævillæ in diœcesi Rotomagensi, a Clemente VII. pseudopontifice credito abbas institutus, die 16. Aug. an. 1393. quingentos florenos auri de camera per manus Blasii de Podio procuratoris solvit apostolicæ cameræ. Eodem anno apud Villamurum diœcesis Montalbanensis degens constituit tres procuratores, qui conjunctim vel divisim bona & spolia ultimi defuncti abbatis sibi per sedem apostolicam divendita reciperent. Anno 1394. Arnaldo Boneti decano & monacho Montis olivi vicario generali in spiritualibus & temporalibus utebatur. Hoc autem an. 17. Dec. Helias vicarius & ipse generalis Simonis de Cramaud episcopi Carcassonensis Raimundum de Rossigaldo a Crassensi abbate nominatum instituit parochum de la Bastide de Surlato, e tabulario Crassensi. Contulit an. seq. 8. Jan. fratri Petro Eisignati monacho & infirmario prioratum S. Stephani de Villario. Eodem anno in capitulo generali visitator ecclesiarum & monasteriorum provinciæ Tolosanæ renunciatus est. An. 1397. 20. Maii quatenus vicarius generalis Simonis de Cramaud ecclesiæ Carcassonensis administratoris in eadem basilica sodalitium erexit causa majoris honoris erga Filium & matrem Virginem ac beatissimam Annam. Sub hoc tempus peramanter ad eum rescripsit P. Tolosanus archiepiscopus de Scholis, *quas*, inquit, *quandiu fuit contentio regem inter & monasterium Montis olivi de loco castri S. Johannis, antea vocato de Malasto, nos dabamus illas scholas, sed post finito litigio, cum nobis constitisset prædecessores vestros abbates eas dedisse, dum ille locus erat monasterii, sicut est modo, liberam collationem dimisimus prædecessoribus vestris. Scriptum in viridi folio 17. Julii.* Anno 1401. in capitulo generali seu provinciali nigrorum monachorum habito apud Carcassonam in conventu Fratrum Prædicatorum definitor creatus est. Arnaldum Grelle clericum ab Helia Montis olivi abbate designatum Franciscus archiepiscopus Narbonensis an. 1403. die 13. Decemb. instituit rectorem ecclesiæ parochialis de Trulharibus vacantis per obitum Bertrandi Poncii. Reperitur adhuc 1405. 1407. & 1409. sed incaute huic anno dies XI. Novembris adjectus est, quem certe non attigit ex dicendis. At longe amplius fallit necrologium prioratus de Longavilla in diœcesi Rotomagensi, dum Heliæ mortem consignat an. 1393. ex Baluzio in notis ad vitas Paparum Avenion. col. 1018. ubi sic legitur ad XV. cal. Jan. *officium fiat in cappis pro domino Petro de Chalesio condam Montis albani episcopo, & pro fratre Helia Jacobi, quondam priore hujus loci, nepote dicti domini episcopi Montis albani.* Attamen hæc ultima verba diu post adjici potuere.

XXXVIII. Geraldus II. de Penna vel de Pena major prior Electensis ecclesiæ abbas Montis olivi per obitum præcedentis renunciatur ab Alexandro papa V. die 4. Aug. 1409. pontificatus anno primo. At nonnisi 23. Julii an. 1411. possessionem apprehendit, unde non mirum si vacare adhuc sedes dicatur 29. Maii ejusdem anni.

Prioratum

Prioratum de Cumerio die 4. Augusti 1411. contulit fratri Bernardo Isarni monacho & thesaurario. Insequenti 28. Aprilis nobilis Guillelmus Aturati abbati Geraldo præstitit hominium pro feudo quod habebat apud Brugairolas. Creavit una cum suo conventu syndicos & procuratores speciales ac generales dominos Johannem Saleles, Saxium de Montesquivo cellerarium, & Bertrandum Peirolerii decanum, ejusdem cœnobii monachos die XI. Julii an. 1413. Cum autem Geraldus abbas consuetis monachorum stipendiis non satisfaceret, hunc apud castrum Ventenacum Arnaldus Vinati eleemosynarius & alii quatuor a conventu missi adeuntes sic allocuti sunt: *Reverende pater & domine metuende, prior claustralis & conventus sentientes se gravatos, quod privatis eos de pane, lignis in coquina & lavanderia, &c. & quod ædificia veniunt in ruinam, quia unum denarium in reparationibus non posuistis, licet quinque annatas de bonis monasterii receperitis, & quia tenetis officiarium ..... judicem totius temporalitatis, qui conatur vexare religiosos, &c. Actum an. 1416.* Quorum orationis submissione victus abbas male gesta & negata emendaturum se spopondit. Reperitur adhuc 1417. 24. Julii, sed hoc ipso anno mense Octobri vitam clausisse dicitur.

XXXIX. Arnaldus Vinati ex eleemosynario cœnobii Montis olivi a fratribus abbas electus secundum Basileensis concilii decretum, anno 1417. 18. Octobris una cum suo conventu procuratores instituit Scotum de Rocavilla priorem de Aquis-vivis diœcesis Tolosanæ, Saxium de Montesquivo sacristam, Bernardum Villaudraudi thesaurarium, & Petrum Mosserii hostellarium e gremio monachos. Huic anno sequenti 14. Novembris Bernardus Ricordi tinctor Limosii civis Carcassonensis sine caputio & zona flexis genibus hominium præstitit ob acquisita apud Brugairolas. Die 25. Junii an. 1422. Guillelmus de Rabastenquis domicellus, loci seu bastidæ de villis Guissanis condominus flexis genibus, discooperto capite & manibus junctis positisque intra manus Arnaldi abbatis fidei clientelam professus est. Anno 1426. indict. IV. die 2. Octobris ad ejusdem abbatis nominationem Gaufridus episcopus Carcassonensis Arnaldo Fornerii clerico contulit ecclesiam parochialem de Cuxiaco. Migravit a sæculo die 30. Septemb. 1429.

XL. Saxius II. de Montesquivo sacrista 1417. & alter procuratorum abbatis & conventus, tum eleemosynarius 1419. quo anno thesaurarius alter electus reliquias & ornamenta recensuit, demum creatur abbas per obitum Arnaldi a Martino V. pontifice, XII. cal. Novembris anno pontificatus duodecimo. Coram Bertrando Corserii judice majore senescalliæ Carcassonensis & locum tenente Raimundi Aimerici domini de Brasilhaco senescalli, stola in collo pendente, & ambabus manibus super missale in altari capellæ S. Blasii castri regii Carcassonæ civitatis positum, regi clientelare sacramentum professus est mense Januario 1429. hoc est 1430. Eodem anno in comitiis monachorum ord. S. Benedicti Tolosæ habitis definitor institutus est. Communione paulo post privatur, quod *annatam* cameræ cardinalium non solveret, eidem restitutus missa pecunia 1431. Die 26. Januarii 1433. una cum Hugone Crassensi & Johanne Jocundensi abbatibus fuit definitor capituli generalis. Ipsius nomine anno 1437. Bertrandus Peirolerii decanus Montis olivi & procurator abbatis Guillelmo de Noguerio laudavit condaminam territorii Montis olivi ab eo comparatam. Vita defunctum Saxium seu Sanctium an. 1445. mense Martio, & Johannem Piconis in ejus locum subrogatum fuisse via scrutinii (ex pragmatica sanctione) docet D. de Vic in chronico episcoporum Carcassonensium pag. 197.

XLI. Johannes I. Piconis, monachus & operarius Montis olivi, ex dictis abbas electus 1445. & confirmatus a Gaufrido Carcassonensi antistite, eodem anno XI. Maii regi hominium præstitit pro locis de Brossis & de Villardonello. Insequenti 21. Januarii Johannes Brunere & Raimundus Galopini syndici universitatis loci de Villardonello in Cabardesio de consensu assessorum ei teneri se pro *questa* annuali quindecim Turonensibus libris, pro *mondamento* & furno tribus libris, pro domibus infra fortalitium sitis viginti solidis, & pro censu *devesii* de Bordis sex avenæ sextariis professi sunt. Eodem anno 2. Martii nobilis Arnaudus de Cabarez dominus de Villarzello ab eo & conventu tenere se loca de Brossis cum pertinentiis infra senescalliam & diœcesim Carcassonensem recognovit. Præsedit una cum abbatibus Gellonensi, S. Salvatoris Anianensis, & S. Martini de Canigone capitulo provinciali nigrorum monachorum ex provinciis Narbonensi, Tolosana & Auxitanensi celebrato in Biterrensi Fratrum Prædicatorum conventu, inibique cum collegis A. Psalmodiensi, H. Villæmagnæ, R. S. Aniani, G. S. Hilarii, & A. S. Tiberii abbatibus aliquot statuta edidit an. 1448. indict. XI. prima die Maii. Memoratur an. 1456. 12. Aug. 1460. 9. Febr. & 1461. XI. Octobris quo fratrem Johannem Piconis cœnobii Montis olivi monachum præfecit officio eleemosynarii vacanti per obitum fratris Ginoti de Albairaco ejusdem loci monachi. Obiit Johannes abbas in monasterio die Martis 12. Febr. an. 1464. hoc est 1465. & crastina die in ecclesia sepultus est.

XLII. Amalricus de Senergiis vel de Senerguis nobili genere ex utroque parente procreatus, in decretis baccalaureus, ordinis S. Benedicti monachus expresse professus, & in sacro presbyteratus ordine constitutus, e priore B. Mariæ civitatis Tolosæ die Dominica 16. Febr. 1464. hoc est 1465. electus est abbas unanimi fratrum consensu, præter Johannem Carbonelli gyrovagum dyscolumque monachum, qui tamen an. 1481. 20. Februarii ad meliorem frugem reversus, prior de Villario legitur, & anno seq. 26. Septemb. operarii munus beneficio Guillelmi de Rupe abbatis assecutus est, superstes 1492. Amalricum abnuit confirmare Johannes

episcopus Carcassonensis, quapropter ad apostolicam sedem recurrit, sed incassum; etenim Paulus II. papa jure sibi factæ reservationis Johannem Guasqueti præpositum ecclesiæ Carcassonensis ord. S. Augustini cubicularium suum nominavit abbatem, & aliunde rex designavit Guillelmum de Rupe, qui palmam tulisse aliquando visus est. Nihilominus Amalricus post quinquennium apprehendit possessionem, & quanquam ad perceptionem fructuum nunquam pervenerit, jus tamen suum nec amisit, nec dimisit, utpote cujus postmodum cessio suum plane sortita est effectum etiam contra Guillelmum ut infra videbitur.

XLIII. Guillelmus IV. de Rupe, *de la Roche*, vel de Rupe draconis, monachus, sacrista & presbyter monasterii Mansi azilis diœcesis Rivensis, Bertrandi de Rupe constabularii gentilis sui favore obtinuit a rege abbatiam Montis olivi, pro qua incunctanter eidem hominium præstitit coram Antonio de Tornisio judice ordinario Carcassonæ & locum tenente Arnaldi de Miglos militis senescalli Carcassonensis & Biterr. anno 1465. 27. Febr. ex archivo regio Carcassonensi, & ejusdem inventario fol. 134. verso. Necdum quidem confirmatus erat Guillelmus, sed cum paulo post regiæ nominationi cessio Johannis Guasqueti precibus Ludovici XI. regis sub annua 150. librarum Turonensium pensione accessisset, hoc totum Paulus papa II. approbavit bulla data 1465. IX. cal. Aug. pontificatus anno primo. Verumtamen nobilis frater Bernardus de Vicinis monachus & sacrista Montis olivi syndicus & procurator conventus a Jacobo Valade infirmario & priore claustrali, & a Johanne Piconis eleemosynario generalibus sede vacante in spiritualibus & temporalibus vicariis, ceterisque fratribus constitutus provocavit a legato regio exsecutore litterarum, quibus mandabat rex senatui Tolosano, vicariisque & judicibus Carcassonæ, Biterrarum, &c. ut Guillelmum de Rupe abbatem Montis olivi permanere, & inita jam abbatiæ locorumque & redituum ejus possessione gaudere permitterent, & ad id monachos & subditos adigerent. Actum anno 1466. die 14. Aprilis. Inutilis tamen fuit hæc appellatio; Guillelmus enim postea sæpius abbas memoratur, & habitus est a syndicis universitatis loci de Villardonello, confessis an. 1467. 14. Aprilis hanc teneri quindecim libris de *questa* annua solvendis Guillelmo de Rupe abbati Montis olivi domino suo soli & in solidum, eumque jus habere illam per *servientem* suum exigendi. Officium resecturarii in Montis olivi cœnobio & prioratum de Cumerio ab eo dependentem contulit fratri Johanni Molini abbatiæ S. Polycarpi sacristæ, per cessionem fratris Jacobi Valade ex permutatione cum eodem Johanne sacrista, qui quidem Johannes an. 1471. 29. Martii nactus est possessionem. Reperitur adhuc Guillelmus 1472. 19. Apr. & 1478. mense Nov. quo cum Geraldo Anianæ, Geraldo Mansi Garnerii & Odone S. Polycarpi abbatibus præsedit capitulo provinciali nigrorum monachorum ex provinciis Narbonensi, Tolosana & Auxitanensi in cœnobio B. Mariæ Deauratæ celebrato. Eodem circiter anno chori sedilia affabre fieri curavit, testante gentilitii scuti tessera. Anno 1484. sacristiæ officium fratri Johanni de Malafayda dedit per cessionem fratris Michaelis de Malafayda, quando prioratum de Amancianis assecutus est. Evasit postea episcopus Electensis, ut diximus.

XLIV. Petrus IV. Roserii, vel de Rosergio, *du Rosier*, juris utriusque doctor, præpositus ecclesiæ metropolitanæ S. Stephani Tolosani ord. S. Augustini, & cancellarius universitatis Tolosanæ, cedente Amalrico de Senergiis, tunc ad Vasionensem cathedram evecto, jus suum strenue defendit adversus memoratum Guillelmum. Illum quidem neque Carcassonensis præsul, neque archiep. Narbonensis confirmare voluerunt, sed admissam resignationem summus pontifex approbavit; unde jam anno 1481. vocatur abbas in litteris Juliani episcopi Sabinensis & cardinalis S. Petri ad vincula pro unione prioratus S. Michaelis de Nahusa cum sacristia Crassensi confirmanda; quanquam in exsecutione harum litterarum Guillelmus abbas loco Petri legitur; tunc nimirum uterque litigabat. Jam pridem nihilominus possessionem adeptus Petrus ejusdem monasterii nuncupatur abbas IX. cal. Martii 1487. Et certe hoc anno 14. Augusti Tolosani senatus consulto Guillelmum expensis & fructuum restitutione multatum loco cedere compulit; quem tamen inito pacto congruis donatum stipendiis aluit. Alteram die 22. Junii an. 1490. abbatiæ possessionem nactus est Petrus, qui subinde vocatus electus & confirmatus in archiepiscopum Tolosanum, & abbas commendatarius Montis olivi provinciam dedit Johanni Piconis ejusdem loci monacho & camerario dandi habitum monasticum nobili Petro Desus* clerico Tolosano, &c. die 19. . . . . an. 1493. Ejusdem vocati administratoris vicarius generalis decanatum S. Stephani de Villario contulit Johanni Piconis ultima die Julii an. 1498. Vaurensis tandem creatus antistes monasterium reditibus pene vacuum sequenti transcripsit an. 1499. Controversia tunc inerat illum inter & fratres Petrum Piconis eleemosynarium & Bertrandum Glotonis infirmarium, cui 13. Febr. anno 1500. idem Petrus vocatus doctor in utroque jure, episcopus Vaurensis, præpositus ecclesiæ metropolitanæ Tolosanæ, & universitatis studii Tolosani cancellarius, olimque Montis olivi abbas finem imposuit.

* *thesaurarius erat 1517. 15. Sept.*

XLV. Simon de Bello sole canonicus regularis, præpositus ecclesiæ Vaurensis & archidiaconus major in ecclesia Narbonensi, per cessionem Petri de Rosergio fit abbas ab Alexandro VI. pontifice sub finem anni 1500. Memoratur hoc anno in instrumento fundationis capellæ S. Marthæ. Anno sequenti 21. Jan. nonnullas loci de Brossis terras Petro Galinæ in emphytheosim perpetuam dedit. Ejusdem precibus Georgius de Ambasia tituli S. Sixti presbyter cardinalis, Rotomagensis nuncupatus, sedis apost. legatus anno 1505. VIII. idus Martii omnibus Christi fidelibus qui ad reparandum monasterium aliquid

conferrent, certisque festivitatibus ecclesiam frequentarent, tres annos & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis relaxavit. Anno 1511. die 25. Septembris Simon vocatus decretorum licentiatus, Dei & S. sedis apost. gratia abbas, sive administrator perpetuus monasterii Montis olivi, una cum suo conventu dedit Jacobo Carterii presbytero, capellano & procuratori suo ordinario os brachii S. Christophori martyris ad ecclesiam de Castenerio diœcesis Malleacensis sacram eidem sancto & Carterii patriam terram deferendum. Idem appellatus commendatarius, una cum ceteris monachis dedit ad novum feudum Petro de Grassalio legum doctori Carcassonæ, condomino loci de Brossis castrum ejusdem loci, & certam illius partem ab Aquilone, sub annua quinque solidorum Turonensium *alberga*. Actum 1514. 24. Septembris. Eodem anno 6. Martii, seu potius 1515. dictus in episcopum Vaurensem electus & confirmatus, quatenus abbas Montis olivi Petrum Ciconis oriundum loco de Donzenaco Lemovicensis diœcesis nominavit ad ecclesiam parochialem S. Ceciliæ de Cuxiaco vacantem per decessum Aimonis le Voidier, quam ei contulerunt vacantis ecclesiæ Carcassonensis vicarii generales. De hoc abbate sic habetur in necrologio Vaurensis ecclesiæ: *24. Junii obitus reverendi in Christo patris D. Simonis de Bello sole quondam Vaurensis episcopi, fundatus per venerabilem D. Simonem de Bello sole canonicum & archidiaconum ecclesiæ Vaurensis, nepotem & heredem dicti reverendi patris, qui ex hac luce migravit plenus dierum, centum videlicet annorum, & operibus bonis, prout insignia solis demonstrant in choro, organis, & capis & per totam ecclesiam.*

XLVI. Johannes II. de Bello sole in utroque jure baccalaureus, & Narbonensis ecclesiæ succentor, cedente patruo, qui dimidiam beneficiorum & officiorum partem sibi pro annua pensione retinuit, evasit abbas bulla Leonis X. papæ data 1515. VIII. idus Septemb. anno pontificatus tertio, qua facultas eidem conceditur mitra, annulo pastorali, baculo, & aliis pontificalibus ornamentis in monasterio & aliis eidem subjectis locis utendi, ac post missarum solemnia benedictionem populo elargiendi, necnon monachis & subditis minores ordines conferendi, actis capitularibus præsidendi, monachos & alias ejusdem monasterii personas corrigendi, uno verbo singula faciendi, quæ abbas pro tempore existens facere poterat. Die 25. Julii an. 1516. creavit judicem specialem & generalem cum omnimoda potestate Petrum de Grassalio legum doctorem ad vadia consueta quantum sibi placuerit; viguerium, nobilem virum Guillelmum de Rupe; locum tenentem, Antonium Agasse; bajulos, de Ventenaco Isarnum Rassirat; de S. Eulalia Petrum Calveirac; de Villardonello Petrum Gauterii; de Brossis Petrum Majade; de Brugairolis Petrum Roquefort; de Garmasia Antonium Perache; & de Ferrando Guillelmum Conilhargans, ad vadia consueta, & ad nutum suum. Insequenti Johannes commendatarius abbas ejusdemque procurator regiis legatis censum exhibuerunt redituum omnium, qui percipiuntur in locis de Monte olivo, de Brossis, de Villardonello, de Ventenaco, de S. Eulalia, de Brugairolis, de Ferrando, de Garmasia, de Trulharibus & de feudo de Sererariis. Ejusdem procurator & vicarius frater Petrus Piconis cuidam Matthæo Bartholomæi de Monte olivo dedit unam *peciam* terræ in emphytheosim perpetuam anno 1518. 9. Decembris. E vivis excesserat Johannes abbas 14. Januarii 1518. hoc est 1519. quo vicarios generales & speciales in spiritualibus & temporalibus conventus creavit fratres Petrum Piconis eleemosynarium & camerarium ac Franciscum de Campellis decanum, ita tamen ut beneficia & officia vacatura sede vacante conferre non possent, nisi de consensu capituli, & neuter eorum quidpiam facere absque collegæ consensu & voluntate, sin facta essent irrita. Hoc autem de dimidia solum beneficiorum & officiorum parte intelligendum est, alteram utpote sibi vindicante Simone de Bello sole, ut diximus, pro qua solus Petrus Piconis ejusdem vicarius generalis irrevocabilis constitutus, eo nomine fratri Antonio Piconis Montis olivi monacho die 19. Maii an. 1519. prioratum S. Johannis de Eremo ab officio hostellarii ejusdem monasterii dependentem contulit.

XLVII. Sebastianus de Bonne antea prior major ecclesiæ regularis & cathedralis Castrensis, precibus regis abbatiam Montis olivi adeptus est bulla Leonis papæ X. data VIII. idus Februarii 1518. hoc est 1519. pontificatus anno sexto, ejusdemque possessionem apprehendit hoc ipso anno 1519. 14. Junii. Statim dicam impegit Simoni de Bello sole, qui sibi jura nonnulla in abbatiam Montis olivi retinuerat, ex concessione, aiebat, summi pontificis, ad quem ideo provocavit an. 1519. XVII. cal. Febr. hoc est 1520. Hac de causa qui cognoscerent legatos papa nominavit archidiaconum de Lautrec in diœcesi Albiensi, decanum S. Petri de Burlassione & officialem Carcassonensem, at ejusdem exitus nobis incompertus est. Eodem anno 28. & 29. Octobris viguerium per totam terram suam constituit nobilem virum . . . . de Rupe militem, cum omnimoda faciendi & exercendi justitiam potestate, judicem Petrum de Grassalio jurium doctorem; viguerius autem locum suum tenentem instituit Bartholomæum Sagerii viguerium regium Montis olivi. Clientelæ sacramentum excepit a nobili Clara de Chaucenoux domina castri & dominii de Villalissiis pro eodem castro die 1. Febr. 1523. Nominavit anno seq. 8. Junii Antonium de Bonne pro ecclesia S. Eulaliæ diœcesis Carcassonensis; & anno 1536. 9. Oct. fratri Johanni de Caudiera Montis olivi monacho professo contulit prioratum S. Michaelis de Cescairolis vacantem per cessionem Ludovici de Bonne Castrensis canonici factam causa permutationis cum eodem Johanne pro prioratu de Cumeriis. Anno 1538. die 2. Junii se nobili Johanni de Altopullo presbytero legitima munito indulgentia benevolum exhibuit concesso prioratu

S. Petri de Cumeriis Mirapicensis dioecesis vacante per ultimi prioris cessionem. Insequenti, die 20. Julii Carolus de Grassalio ei recognovit tenere se ad hominium & fidei sacramentum medietatem pro indiviso omnimodæ jurisdictionis loci de Brossis in Cabardesio. Abbatia cessit anno 1540. in gratiam nepotis permutatione cum eo facta pro coenobii cameraria, annuente rege 24. Julii ejusdem anni.

XLVIII. Antonius I. de Bonne prius monachus & major prior ecclesiæ cathedralis Castrensis, ejusdemque factæ sæcularis præpositus, necnon Montis olivi camerarius, cessione patrui, cui vicissim camerariam cessit, annuente rege, ut diximus, 24. Julii 1540. abbatia donatur a Paulo III. pontifice bulla data Balli Portuensis dioecesis an. pontificatus septimo XI. cal. Januarii, hoc est 1541. Mota paulo post querela hunc inter & conventum ratione pensionum monachalium, aliarumque rerum quibus abbas tenetur, conventus an. 1542. die 5. Julii creavit procuratores speciales qui pro ipso in curia senescalli Carcassonensis comparerent. Anno seq. prima die Augusti hominium excepit a Carolo de Grassalio decretorum doctore pro medietate ditionis & justitiæ altæ, mediæ & bassæ locorum de Brossis & Cescairolis. Permutavit anno 1544. 29. Maii præposituram Castrensem cum D. Raimundo Suitardo de Taurinis pro curionatu S. Johannis de Fiaco & annexis ejus dioecesis Castrensis, quem illi Paulus papa III. in commendam concessit. Vacasse jam ab aliquanto tempore sedes abbatialis dicitur an. 1547. 17. Jun. quo fratres Guido de Altopullo camerarius & Carolus de Capluc decanus monachi Montis olivi & vicarii generales *ab aliquanto tempore vacantis Montis olivi abbatiæ* prioratum de Amancianis Mirapicensis dioecesis vacantem per obitum Thomæ de Fitta contulerunt fratri Guidoni de Glotone absenti, seu pro eo recipienti nobili fratri Antonio de la Tour ejusdem coenobii monacho & Guidonis procuratori. Nonnisi tamen anno 1549. Antonius fertur exstinctus.

XLIX. Franciscus de Crequy episcopus Boloniensis Antonii cessione probata regi Henrico II. abbatiæ fructus percepit, usque dum illam fratri suo resignavit, pro quo cessionem acceperat, uti legitur in regio diplomate Jacobo, qui sequitur, concesso.

L. Jacobus de Crequy Francisci superioris & Antonii Boloniensium episcoporum frater, monachus S. Dionysii in Francia, volente rege litteris datis mense Octobri an. 1550. & consentiente fratre, renunciatur abbas bulla Julii III. papæ data Romæ 1550. XIII. cal. Decembris pontificatus anno primo, in qua eidem inscripta, & in aliis ad monachos Montis olivi, atque ad episcopum Carcassonensem datis Jacobus dicitur a pontifice electus per obitum Antonii Bonne, quapropter eum rex confirmavit anno sequenti. Attamen exstat in catalogo edito Diplomatum mss. Baluzii pag. 32. num. 217. bulla ejusdem papæ ad Henricum II. regem qua se illi significat promovisse Jacobum per obitum Antonii de Bonne 23. Decembris 1553. idemque denunciatum legitur Francisco Faucon episcopo Carcassonensi, qui non prius sedit quam anno 1553. Certe Jacobus abbatiæ possessionem adeptus est die XI. Januarii 1551. eodemque anno 20. Febr. magistrum Nicolaum de la Gorgue presbyterum, in artibus magistrum designavit archiepiscopo Narbonensi rectorem seu perpetuum vicarium S. Martini de Trulharibus Narbonensis dioecesis. Anno 1553. 18. Septemb. nobilis Johannes de Chaucenoux miles dominus de Villalissiis Carcassonensis dioecesis prope Alzonam, poplite uno in terram flexo, nudo capite & manibus junctis Jacobo de Crequy supremo domino loci de Villalisses hominium præstitit. Ejusdem abbatis collatione frater Philibertus Dales S. Dionysii in Francia monachus prioratus S. Stephani de Villario per liberam fratris Guidonis de Glotone Montis olivi monachi cessionem vacantis possessionem adeptus est per procuratorem 10. Januarii an. 1556. Parisiis degens an. 1558. 18. Maii fratri Claudio le Masson presbytero & monacho S. Dionysii in Francia contulit officium operarii vacans per simplicem fratris Jacobi Chambort resignationem. Nobilem quoque fratrem Arturum de Mornal dioecesis Ambianensis monachum Benedictinum in sacra pagina doctorem promovit ad prioratum de Amancianis Mirapicensis dioecesis vacantem per obitum Johannis de la Roche. Actum an. 1558. 29. Januarii. Ejusdem beneficio frater Jacobus le Bossu presbyter & monachus S. Dionysii in Francia eleemosynarii coenobii Montis olivi possessionem apprehendit per procuratorem anno 1565. die XI. Junii. Eodem anno 27. Nov. Jacobi abbatis concessione Guido Glotonis seu de Glotone Montis olivi monachus prior iterum evasit sancti Stephani de Villario per cessionem ultimi possessoris. Anno 1569. 7. Apr. frater Bernardus Picon Montis olivi monachus prioratu S. Michaelis de Cescairolis vacante per decessum fratris Antonii Franc, sibique a Jacobo de Crequy abbate concesso, gaudere inita possessione incepit. Insequentis anni ultima die Junii medietatem jurisdictionis altæ, mediæ & *bassæ*, necnon *tenementi* de Sereriis * cum omnibus pertinentiis ter mille librarum pretio abalienavit in gratiam nobilis de Bellissen. Huic Johannes de Altopullo dominus de Villanova pro parte de Brugairolis clientelam professus est die 2. Aprilis 1571. Eodem anno 24. Novembris fratri Petro de Vidal Montis olivi monacho contulit prioratum sancti Petri de Cumeriis Mirapicensis dioecesis vacantem per liberam fratris Johannis de Laulmeux cessionem. Exstant similes ejusdem collationes an. 1573. 14. Martii, 17. Aprilis, & 17. Julii, ac 1576. mense Januario. Denique eo adhuc sedente Calvinistæ monasterium nocte diem vigesimam Januarii 1579. præcedente ingressi infirmorum ædes immisso igne solo æquarunt, nec sine cædibus ingentique præda recesserunt: ita testati sunt prævio sacramento duo consules, aliique probi viri Montis olivi; qua de re sic etiam loquitur in necrologio ad hanc diem

* *f. Sererariis,*

quidam illius temporis monachus: *Abstulerunt sacrarum reliquiarum thecas, quas ara major decem regios pedes longa, septem vero lata vix capiebat, pannos auro bombicinoque filo contextos, vestes sacras pretiosissimas, margaritisque & gemmis distinctas. Denique monachos tres ad Jocum de Dourgne captivos traxerunt.* His auditis tanto Jacobus abbas dolore correptus est, ut anno sequenti 24. Sept. Carcassonæ supremum diem obierit. Tum igitur monachi 10. Octob. ejusdem anni duos e gremio elegerunt monachos, qui res monasterii tam spirituales quam temporales sede vacante curarent; rex autem magistrum Antonium Cabos ecclesiæ Narbonensis hebdomadarium percipiendis mensæ abbatialis reditibus œconomum præfecit; quo quidem nomine hic diebus 16. & 17. Maii anno 1581. locorum de S. Eulalia, Garmasia, Ferrando, Ventenaco, Brussis & Montis olivi proventus elocavit. Adhuc vacabat sedes 20. Maii 1582. quo Guillelmus Mercier rectoriam seu vicariam perpetuam S. Ceciliæ de Cuxiaco diœcesis Carcassonensis abdicavit in manibus nobilium fratrum Petri de Vidal, & Guidonis de Glotone vacantis cœnobii Montis olivi vicariorum generalium causa permutationis faciendæ cum Johanne Canongetes rectore S. Clementis de Coffolencs.

LI. Ludovicus de Lorraine cardinalis a Guisia vulgo nuncupatus, archiepiscopus Remensis, abbas erat Montis olivi die 6. Julii 1582. quo anno nobilis Antonius de Marescot ejus negotiis præpositus quarumdam vinearum territorii Montis olivi decimam elocavit. Ejusdem vicarius generalis nobilem Franciscum de Donadieu Montis olivi monachum, futurum subinde abbatem S. Hilarii & postea Sampapulensem episcopum, promovit ad prioratum S. Stephani de Villario Carcassonensis diœcesis, vacantem per obitum fratris Guidonis de Glotone Montis olivi eleemosynarii, cujus adiit possessionem 23. Januarii 1584. Denique Ludovicus in comitiis Blesensibus an. 1588. die 24. Decembris enecatus est. Cujus rei certiores facti monachi vicarios generales & speciales in spiritualibus & temporalibus creaverunt Johannem de Pichon cellerarium, & Johannem Bernon camerarium 23. Januarii 1589. qui quidem eo adhuc munere fungebantur sede vacante 1590. 17. Maii, 1591. XI. Nov. & 1592. 30. Septembris.

LII. Christophorus de Lestang episcopus Leutevensis nominatur ab Henrico III. rege abbas Montis olivi, fortasse in compensationem privationis redituum episcopatus, e quo illum depulerat Henricus dux Montmorenciacus, sed bullas non obtinuit. Fuit etiam abbas Userciæ, episc. Electensis & Carcassonensis.

LIII. Liberatus de Lestang Briva curretia, *Brive la Gaillarde* pagi Lemovicensis oriundus, licentiatus in juribus, vicarius generalis Christophori gentilis episcopi Leutevensis, perceptis tum ejusdem Christophori, tum suo nomine a Ludovici cardinalis obitu abbatiæ fructibus, obiit mense Nov. 1591. apud Montem olivum, ubi jam acceptis litteris regiis pontificias præstolabatur, ut ex ipsius testamento palam fit. Postea magister Antonius de la Personne œconomus abbatiæ vacantis a rege constitutus, fratresque Johannes Pichon & Johannes Bernon vicarii generales ac Matthæus Gloton eleemosynarius & Franciscus de Casaletz hostellarius syndici & procuratores capituli loca de Monte olivo, de Ventenaco, de S. Eulalia, &c. Ludovico Gandilh mercatori de Alzona elocaverunt ultima die Maii anno 1593. a quo tempore usque ad annum 1624. sedes vacavit. Multis interea litibus per diversos œconomos vexati monachi, fratri Ogerio Fournier ejusdem cœnobii monacho & sacristæ 19. Aprilis 1599. abbatiæ bona regenda commiserunt; nec multo post, anno scilicet 1601. 22. Januarii, cellerarius nummos sex, eleemosynarius decem, totidem hostellarius, ... de Triez sex, camerarius decem, operarius, thesaurarius, infirmarius, Philippus, Oliverius, singuli duos, sacrista quatuor, & capitulum triginta restaurando claustro ab hæreticis labefactato gratis & ex mera liberalitate destinarunt.

LIV. Raimundus Ruffi, *de Roux*, presbyter diœcesis Carcassonensis, frater judicis majoris Carcassonæ, cum regia, tum pontificia Urbani VIII. schedulis creatus abbas possessionem adiit mense Aprili an. 1624. Hic anno sequenti 10. Julii loca & castra de Monte olivo, de S. Eulalia, de Garmasia, de Ferrando, de Brossis & de Trulharibus cum omnibus juribus & proventibus loco pensionum fratribus cessit ac dimisit. Obiisse dicitur initio anni 1631.

LV. Johannes III. de S. Johanne de Mossolenchis, *de Moussolens*, clericus Carcassonensis diœcesis a rege nominatur abbas per obitum prædecentis, anno 1632. at donec bullas pontificias obtinuerit, Gabriel Gasque ab eodem rege delegatur ad fructus percipiendos 28. Aprilis ejusdem anni. Adhuc quidem vacare sedes dicitur 20. Junii 1632. sed tamen hoc ipso anno bullis donatus est ab Urbano VIII. qui & ipsi retinere permisit ecclesiam parochialem S. Nazarii de Baings de Montferrant Electensis diœcesis. Datum Romæ apud S. Mariam majorem IV. non. Augusti anno 1632. pontificatus nono. Insequenti 3. Febr. possessionem adeptus per procuratorem, die 3. Augusti an. 1636. camerarii officium cum annexis de Monasteriis & de Monte conillo vacans per obitum fratris Francisci de Casalets contulit fratri Jacobo de Buisson. Anno 1645. die 3. Januarii Antonius Huc sacerdos & ecclesiæ parœcialis B. Mariæ de Belastrade loci de Brossis Carcassonensis diœcesis rector eidem rectoriæ nuncium remisit in manibus Johannis a S. Johanne Montis olivi abbatis. Pepigit anno 1647. cum domno Antonio d'Espinasse priore B. Mariæ Deauratæ apud Tolosam congregationis S. Mauri, pro suo eidem congregationi uniendo monasterio; cumque jam nihil deesset ad hanc rem consummandam, antiqui videlicet monachi consentirent, senatusque Tolosanus approbasset 21. Januarii 1649. eodem abbate præsente domnus Josephus de la Roque prior

B. Mariæ de Soricinio ejusdem congregationis A possessionem Montis olivi capessivit die 2. Maii vel Martii ejusdem anni 1649. Tunc in pluribus monasterium deficiebat, sed a domo Dei æquum incipere visum est. Itaque domnus Johannes Queulhe prior ejusdem cœnobii ecclesiæ principem aram columnis quatuor e marmore, quod de Caunis vocant, elegantissimis, 14. palmis oblongis, trium circiter millium librarum pretio exornavit die 1. Aug. an. 1665. eamdemque pictis imaginibus decoravit, quarum præcipua S. Johannem Baptistam qui Christum baptizat exhibet. Anno 1674. die 14. Aug. Johannes abbas Montis olivi simul & Villæ longæ fratri B Bartholomæo de Pagez monacho expresse professo & presbytero contulit prioratum de Cumeriis Mirapicensis diœcesis vacantem per obitum prioris commendatarii. Eodem anno 26. Sept. Johannes Chalvon prior ejusdem cœnobii totum illud renovare aggressus primum in fundamento lapidem posuit, adstantibus Francisco de la Roge Crassensi, Paulo Saporta Soriciniensi & Augustino Poirani Caunensi prioribus, &c. Denique obiit Johannes abbas in abbatiali domo 18. Aug. 1682. sepultus in sacello S. Michaelis; quo anno Antonius Morin prior monasterii & vicarius generalis sede vacante a fratribus constitutus cellas C hospitum & infirmorum construxit, eodemque anno 17. Octobris hominium excepit ab Andrea de Sapde domino de Pugeto & de Villalissiis senatore Tolosano pro terra & ditione de Villalissiis; ac insuper Francisco Merlac congregationis S. Mauri presbytero & monacho contulit prioratum de Cumeriis, cujus possessionem adiit Franciscus 12. Decembris ejusdem anni 1682.

LV. Michael Gueynier de Roulliere presbyter Andegavensis, designatur abbas Ludovici Magni schedula 4. Septemb. 1682. simulque Johannes Petit in sex annos delegatur ad fructus percipiendos, usquedum Michael bullas obtineret, D quibus denegatis ob discordiam duas inter curias Romanam & Gallicam, ex decreto magni consilii lato 2. Junii 1683. ad possessionem admissus est 10. Julii ejusdem anni. Rexit ad annum 1713. quo defunctus est die 13. Octobris. Interea vero Petrus de Casamajou dominus de Carlario & condominus de S. Goderico & de Villaveteri in manibus domni Antonii Morin prioris ejusdem loci cellerarium agentis clientelam professus est de his omnibus, quæ in locis de S. Goderico, Villaveteri, Malagouda, Cerviera, &c. possidebat. Actum die 2. Octobris 1683. Anno 1688. 29. Apr. magister Paulus Maupel vica- E rius perpetuus parœcialis ecclesiæ S. Andreæ de Monte olivo capitulo monachorum ejusdem loci recognovit, ipsorum esse juris omnes supplicationes publicas & solemnes, tum consuetas, tum de novo pro qualibet causa per diœcesanum episcopum præscribendas celebrare, suarum vero partium in eorum ecclesiam mature se conferre, eos præcedere, nec ad sua remeare nisi finita supplicatione. Denique monasterium ab annis 21. inchoatum domnus Jacobus de la Gorrée prior ejusdem pene absolvit annis 1694. 95. & 96.

LVII. Josephus de Lordat de Bran nominatione regia 31. Octob. 1713. renunciatus abbas, possessionem accepit 21. Aug. 1714.

Huic abbatum indici duo sunt addendi, quorum ætas ignoratur: Udalgerius scilicet notatus in necrologio 27. Decemb. & Bernardus Jordani XIX. cal. Septembris.

S. HILARIUS.

Benedictinum S. Hilarii monasterium fundatorem, inquiunt, agnoscit ipsum S. Hilarium Carcassonensem episcopum, qui primum illud sub S. Saturnini martyris patrocinio constituerit, sortitum postea S. Hilarii nomen, quod in eo ejusdem corpus conditum sit. Ad Leucum * fluvium positum est una leuca ab Atace *, duabusque vel circiter meridiem versus ab urbe Carcassona, in finibus pagi Redensis, nec longe a monasterio Crassensi. At vero hujus cœnobii maxime dubius est fundator, de quo id unum scribit nuperus rerum Occitanarum auctor, S. Hilarium conditum fuisse in ecclesia suæ diœcesis dedicata in honorem S. Saturnini, cui postmodum adjunctum fuit monasterium, quod jam ineunte sæculo IX. SS. Hilarii & Saturnini nomen gerebat, quodque processu temporis, ut fit, solum S. Hilarii nomen obtinuit retinetque.

* Leoc ou Lauquet.
* l'Aude.

ABBATUM SERIES.

I. NAMPIO regiæ tutelæ privilegium obtinuisse a Carolo magno memoratur in diplomate Ludovici Pii pro successore. (Ch. III. col. 413.)

II. Monellus laudatum privilegium accepit a Ludovico Pio circa 820. Hoc habes loco citato appendicis nostræ & tom. 2. capitularium col. 1409. Rexit ad annum XIV. ejusdem Ludovici, quo in villa Pomario nonnulla dono accepit.

III. Egido & Egidonius sedit ætate ejusdem Ludovici, qui precibus ejus citatum in Monello privilegium confirmavit.

IV. Leoninus consimile obtinuit præceptum a Pipino Aquitaniæ rege, quod editum est tom. 2. capitularium col. 1429.

V. Ana vel Ano rexit tempore Caroli Calvi, qui rogatu ejus monasterium in suam tutelam suscepit, ejusdemque possessiones omnes confirmavit, quas inter cellæ tres in pago Ruscinonensi recensentur, una *Nitolariæ* dicta ad amnem, qui dicitur *Thetus*, cum ecclesia S. Martini, alia in monte Furcato, tertia in monte Albaria, qui vocatur valle Vitraria, cum ecclesia utrobique S. Martini. (Ch. VI. col. 416.)

VI. Emanus & Emmunus occurrit annis 13. & 18. regnante Carolo rege, quem putamus esse Calvum. Forsan vero hic Emmunus idem est ac Ermemirus memoratus abbas an. XXII. regnante Carolo rege.

VII. Castellanus cellam Nitolarias S. Stephani in pago Ruscinonensi commutavit pro aliis prædiis cum Ermenaldo filio Amelii, ex quodam placito mox laudando. (Ch VIII. col. 419.)

VIII. Recamundus laudatur in placito Wileranni episcopi Carcassonensis anno III. regnante Carolo imperatore, hoc est 883. in quo de consensu partium, id est, Recamundi & Ermenaldi (Prob. t. 2. hist. Occit. col. 20.)

memorata commutatio hunc inter Ermenaldum & Castellanum Recamundi abbatis decessorem nulla declaratur.

IX. Benedictus I. solemnem reliquiarum S. Hilarii translationem a Francone Carcassonensi episcopo fieri curavit an. DCCCCLXXVIII. calend. Martii, cui præsens Rogerius comes cum uxore Adalaide cœnobium ab omni censu liberum esse voluit. Nonnulla prædia Benedictus comparavit anno 25. regnante Lothario rege, hoc est 979. Eodem anno Rodgerius comes & uxor Adalais alodem suum de Corniliano eidem abbati dederunt, & consecrari fecerunt ab Eimerico episcopo Carcassonensi anno 984. calendis Novembris. Interea Benedictus abbas cum eodem Rogerio comite & Adalaide conjuge accessit ad limina apostolorum, ibique postulatam omnium cœnobii possessionum confirmationem obtinuit, ut discimus ex bulla Benedicti papæ VII. circa annum 980. Idem quoque Rogerius ob insignem victoriam adversus Olibam comitem reportatam, quam S. Hilario acceptam retulit, ejusdem cœnobio & abbati Benedicto plurimos alodes contulit anno 27. regnante Lothario, mense Augusto, hoc est 981. Oliba quidam anno I. regnante Ludovico rege (Lotharii filio) huic abbati alodium dedit in pago Carcassonensi, loco de Pomars. Quædam commutavit cum Radulfo Caunensi abbate anno 2. Hugonis regis. Eidem sub Guarino abbate generali anno 993. in bulla Johannis XV. confirmatur administratio particularis hujus cœnobii & aliorum, nempe S. Petri Lezatensis & S. Mariæ Electensis; qua de re vide appendicem Marcæ Hispan. col. 996. ubi tamen incaute hoc ad annum 1008. revocatur. Pervenit ad annum quartum Roberti regis.

Ch. XVI. col. 426.

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 134. & 138.

Ch. XVII. col. 427.

Ch. XVIII. col. 428.

X. Gaufridus Benedicto successerat anno circiter 1002. seu sexto regnante Roberto rege, quo in ejus gratiam Arnaldus vicecomes Carcassonensis scripsit chartam guirpitionis de his omnibus quæ dederat olim S. Hilario Rodgarius comes. Exstat in appendice nostra.

Ch. XIX. col. 428

XI. Benedictus II. innotescit ex duobus instrumentis, altero anni 12. regnante Roberto rege, altero 15. ejusdem regis mense Aprili, quo huic Rogerius comes & uxor Adalais domos ac terras, quæ habebant in comitatu Redensi, in villa de Limoso contulerunt.

XII. Oliba & Olibanus legitur abbas 1020. & 1034. tom. 2. capitularium col. 1102. Anno 28. regnante Roberto quidam Guimera cum Auruca conjuge alodem in villa, quæ vocatur Pomars ei concessit. Adfuit Oliba ex monasterio S. Hilarii Carcassensis abbas placito in præsentia Rogerii comitis habito in comitatu Tolosano, villa de Fustiniaco ad dirimendam contentionem Aimericum inter Lezati abbatem & Odonem abbatem Simorræ pro abbatia S. Mariæ, quam dicunt Paderianis, * sita in comitatu Cominico, die calendis * Martii feria quinta Passionis Domini an. 1026. seu XXX. Roberti regis mense Martio. Legesis hoc placitum in appendice ad tom. 4. annal. Bened. pag. 711. Abbo presbyter de Villanova in villa *Nidolarias* constitutus coram Olibano abbate se guirpivit de alode S. Hilarii, qui est in comitatu Ruscinonensi, in adjacentia de villa *Nidolarias*, XVII. cal. Apr. feria III. anno 4. regnante Henrico, hic est 1035. Eodem anno XV. cal. Septemb. Raimundus comes Olibano dedit alodem Vallevesiam in comitatu Reddensi, *propter amorem Dei, propter remedium animæ Beliardis mulieris suæ, & propter ipsam pugnam, quam habuerat in castrum Reddas cum Arnaldo Giberto propter mortem filii sui, quia Deus eum fecerat vincere.* Exstant integræ litteræ tom. IX. fragmentorum historic. Stephanotii nostri pag. 465. Attigit Oliba annum XI. regni Henrici.

* de Patricianis, t. 3. annal. Ben. p. 322.

* l. pridie cal. Apr.

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 197.

Ch. XXI. col. 430.

XIII. Henricus anno XV. regnante Henrico, seu anno 1045. accepit a Bernardo viro nobili alodem de villa *Bordas* in pago Tolosano. Quandiu postea sederit incompertum. At Raimundum Bernardi vicecomitem Biterrensem anno 1067. hanc abbatiam dimisisse Raimundo Barcinonensi comiti ex conventionibus inter se habitis, discimus ex appendice Marcæ Hispan. col. 1133.

XIV. Poncius I. anno XX. regnante Philippo, hoc est 1080. villam de *Cassanias* sitam in comitatu Reddensi a Bernardo Amulone recuperavit. Sedisse dicitur usque ad annum 1094.

XV. Willelmus rexit ab anno 1094. ad annum circiter 1105. Ita Stephanotius noster.

XVI. Cono reperitur 1105. in charta Petri Rogerii. Pepigit anno 1110. cum Atone Gilaberti Reddensi, & uxore Beatrice, super decimis quas in honore S. Hilarii possidebant. Addit Stephanotius Ademarum quemdam anno 1120. S. Hilario & Cononi abbati wirpivisse medietatem decimæ de Gardia; sed legendum videtur 1110. nam

XVII. Udalgerius occurrit abbas 1117. in charta Poncii de Ponciano. Eodem anno Guillelmus Raimundi ei contulit alodem suum in villa de Raixag. Bullam obtinuit Udalgerius abbas a Calixto II. pontifice, qua monasterii possessiones confirmantur. Data est Ebreduni idibus Martii indict. XII. an. pontificatus secundo, hic est 1119.

XVIII. Poncius II. memoratur anno 1125. in chartis pro cella S. Stephani de Nidolariis. Anno 1124. Ermengaudus abbas S. Michaelis de Clusa cœnobium sancti Hilarii suo subjectum visitavit.

XIX. Bernardus præerat 1146.

XX. Geraldus I. 1154.

XXI. Raimundus 1170. 1175. 77. 80. & 1186.

XXII. Poncius III. de Bravo legitur abbas 1187. 1189. & 1194. quo anno Rogerius vicecomes Biterrensis, qui jam anno præcedenti dominium Gardiæ cœnobio restituerat, Poncium abbatem & quidquid habebat in pagis Carcassensi & Reddensi in suam tutelam suscepit mense Januario, ex archivo regio castri Fuxensis. Anno 1200. duos instituit presbyteros, alterum qui pro abbatum, alterum, qui pro monachorum animabus quotidie missas *de requiem* celebrarent, illum ab abbatibus eligendum, hunc a duobus illis monachis, quorum est ratione beneficiorum

solvere pro *pitancia*, cameraria & *vestiaria*. Guillelmo Reddensi bona quædam infra duos annos recuperandi facultatem concessit anno 1202. XVI. cal. Decembris. Superstes erat 1206.

XXIII. Alboinus. Cum aliquando S. Hilarii monasterium propter suspicionem hæreseos addictum fuisset fratri Dominico priori S. Romani & aliis fratribus Prædicatoribus, postea tamen Hilariani monachi sinceræ suæ fidei argumenta dedissent, ac inter alia suum pene destructum ab heterodoxis monasterium demonstrassent, compromisso facto in Tedisium episcopum Agathensem sub mulcta centum argenti marcharum, conventum est, suum monachis remansurum monasterium, at illos pro bono pacis fratribus Prædicatoribus cessuros cœnobium S. Martini de Limoso pinguissimum sub annuo censu, idque tam Alboinus abbas, quam frater Dominicus approbarunt anno 1217. mense Martio, regnante Philippo. Huic abbati largitus est Guillelmus de S. Juliano quidquid habebat in villa S. Hilarii an. 1220. Bullam obtinuit ab Honorio III. pontifice anno 1224. IV. nonas Febr. qua cœnobii prædia confirmantur. Contulit anno seq. ecclesiam de Campo libero. Anno 1226. eligitur præses capituli generalis seu provincialis nigrorum monachorum in S. Tiberii cœnobio celebrati, cujus statuta legesis tom. 6. Spicil. pag. 30. Villam S. Basini pretio 7000. solidorum Melgoriensium redemit a Guillelmo de Villeneuve an. 1231. VII. cal. Septembris. Anno 1235. V. idus Decemb. quoddam jus in incolas S. Hilarii relaxavit. Sedebat adhuc 1236.

Charta XXXVIII. col. 443.

XXIV. Guillelmus I. Petri reperitur 1237. 38. 44. & 48. Idem haud dubie ac G. abbas 1250. Anno 1253. priorissa Prulliani monasterii, *Prouille* seu de Fanojovis, *Fanjou* ord. S. Dominici, cui Fratres Prædicatores suos omnes reditus dimiserant post illud celeberrimum capitulum generale, in quo omnino reditibus renunciarunt, impugnare voluit transactionem, de qua supra in Alboino; sed incassum: Guillelmus enim Alboini successor a Guillelmo Bardino præposito Forojuliensi capellano Innocentii papæ IV. cui pontifex eam causam discutiendam commiserat, adversus illas sanctimoniales, Asilii eodem anno V. idus Julii indict. XI. pontificatus D. Innocentii papæ IV. anno XI. sententiam obtinuit, quam ipsemet papa ratam habuit hoc anno XV. calend. Septembris dato Assisii diplomate, quo inhiantes monasterii possessionibus coercentur sanctimoniales. Anno 1256. fuit arbiter querelarum abbatis & conventus Mansi Garnerii adversus vicinos proceres. Eodem circiter G. abbas S. Hilarii in Crassensem propositus consentire abnuit, tanto erat in ecclesiam suam zelo pietatis accensus, cui resarciendæ post Albigensium direptionem mille ducentos solidos Melgorienses impendit. Occurrit etiam 1257. 58. & 62. quo anno pacis & concordiæ inter abbatem Montis olivi & Vitalem Villælongæ abbatem fuit sequester. Idem quoque munus obivit Petrum inter abbatem de Caunis & heredes Bernardi de Bellomonte disceptantes de medietate dominii & villæ castri S. Andreæ prope Limosum anno 1263.

Ch. XLV. col. 452.

XXV. Arnaldus I. e monacho S. Hilarii electus in abbatem sistitur episcopo Carcassonensi confirmandus & consecrandus, a quo repulsam passus est, eo quod olim mater ipsius de hæresi condemnata fuisset, quod ipse natus XI. vel XII. annos interfuisset hæreticorum prædicationibus, quod ejus pater de hac pravitate fuisset suspectus, & ejusdem frater & consobrinus hanc ob rem sæculari judici traditi & combusti fuissent. Re ad papam Clementem IV. delata, citatur Arnaldus ab inquisitore, visa & audita referuntur in acta & ad summum pontificem transmittuntur: quibus ille perpensis, mox episcopo Carcassonensi mandavit pridie cal. Aug. anno pontificatus primo, hic est 1265. ut huic abbati benedictionem impertiretur, ex tabulario inquisitionis in Bibliotheca Colbertina. Nonnulla commutavit 1267. Sui jura monasterii pro virili tuitus est 1276. rectoremque designavit ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ de Villard an. 1280. Arnaldo Romam profecto anno 1283. eodem, VII. calend. Octobris cœnobii administratores ab ipso nominati prior, infirmarius & camerarius bona Bernardi Landrici de S. Hilario defuncti absque liberis, Raimundæ uxori dimiserunt. Romæ degebat adhuc 1284. quo tamen anno regi hominium præstitit, & abbatiæ bona recensuit, e tabulario regio Carcassonensi, ait Stephanotius noster; at id fortasse per procuratorem exsecutus est: superstes enim 1285. e tomo 2. capitularium col. 1102. Romæ defunctus dicitur a Martennio nostro.

XXVI. Poncius IV. de Gajano e gente nobili in Septimania, præficitur abbas beneficio bullæ Honorii papæ IV. datæ anno pontificatus primo, hoc est 1285. cedente Arnaldo, ait Stephanotius, vel ut habet D. Edmundus Martenne, Arnaldo Guillelmi electioni de se factæ renunciante, electus Poncius confirmatur a capitulo Carcassonensi sede vacante, & postea ab Honorio IV. anno pontificatus primo. Memoratur anno seq. 1286. in charta abbatis jura in universitatem de Gardia, & huic ab eodem concessa privilegia recensente. Poncii quoque fit mentio annis 1292. 95. 1302. & 1316. tempore Petri episcopi Carcassonensis. Legitur anno seq. apud Biterras interfuisse concilio provinciali, & alibi se excusasse quod ad illud non accessisset.

XXVII. Bertrandus I. de Touron e gente apud Carcassonam haud ignobili, cum tunc esset cœnobii camerarius, ejusdem abbas fuit institutus bulla Johannis papæ XXII. data Avenione anno pontificatus nono. Idem una cum Bartholomæo Electensi episcopo, & Raimundo abbate S. Polycarpi memoratur præsens juramento nobilium Occitaniæ, & maxime civitatis Carcassonæ, quo se insecuturos justis omnibus modis hæreticos promiserunt episcopis & inquisitoribus, anno 1329. indict. XII. die Dominica post festum Nativitatis B. Mariæ, IV. idus Septembris. Sedit Bertrandus usque ad annum 1340.

XXVIII. Jordanus præerat anno 1344. die 13. Augusti, quo ipsius procurator adversus Petrum de Montagut volentem suscipi monachum in

in cœnobio S. Hilarii ad ſedem apoſtolicam provocavit. Eodem anno 26. Octobris Gauſcelinus Carcaſſonenſis epiſcopus ex apoſtolica delegatione monachorum numerum ad vigeſimum fixit; idque ratum habuit Clemens papa VI. an. 1344. IV. cal. Januarii. Inſequenti præſul idem Carcaſſonenſis oſſa S. Saturnini & aliorum in locum decentiorem transferenda e terra levavit. Sedebat adhuc Jordanus an. 1350. e tomo 2. Capitularium col. 1102.

XXIX. Petrus Arquerii decanus eccleſiæ Rotomagenſis, abbas erat S. Hilarii an. 1351. ex charta eccleſiæ Narbonenſis.

XXX. Guillelmus II. nuncupatur electus menſe Decembri an. 1353. quo regi fidem clientelarem profeſſus eſt, ex archivo regio Carcaſſonenſi. Obiit anno V. pontificatus Innocentii papæ VI. hoc eſt 1357. e ſchedis doctiſſimi Suarezii.

XXXI. Arnaldus II. Raimundi abbas inſtituitur S. Hilarii ex abbate S. Severi de Ruſtano bulla Innocentii papæ VI. data Aven. quinto pontificatus anno. Die 23. Dec. an. 1361. triginta florenos auri, & alios ſeptemdecim die 5. Aprilis 1362. Aven. ſolvi Arnaldo Auxitanenſi archiep. papæ camerario curavit. Interea monachi ſuas de illo querelas detulerunt Gaufrido Carcaſſon. epiſcopo, qui die 2. Sept. an. 1360. monaſterium viſitavit. Aberat tunc abbas, contra quem monachi libellum obtulerunt viginti capita complectentem. Hæc ſunt præcipua: 1. quod a feſto S. Andreæ citra abſuerit, nec ſciri potuerit ubi eſſet: 2. quod eo abſente per ſæculares regatur monaſterium, qui nec poſſunt nec ſciunt regere, unde plures depereunt libertates & *franchiſiæ*. De his epiſcopus ſtatuit ut infra menſem a litteris ad abbatem ſcribendis veniret abbas ad reſidendum, vel conſtituendum virum religioſum honeſtæ vitæ, & in temporalibus expertum, qui regendi & gubernandi jura & bona cum ſpiritualia tum temporalia poteſtatem haberet. Abbati quoque objectum eſt, quod cum ex cœnobii conſuetudine elargiri quotidie Chriſti pauperibus certam panis & vini quantitatem abbatis eſſet, id tamen a feſto Purificationis ad feſtum S. Johannis Baptiſtæ fuiſſet omiſſum; cumque feria quinta in cœna Domini omnibus adventantibus pauperibus ad dandum panem, vinum & fabas teneretur, hoc anno abbas neglexiſſet. De quibus in gratiam pauperum ſtatuit epiſcopus, ut eleemoſyna duplicaretur, donec quidquid negligentia omiſſum fuerat compenſaretur. Cum vero nihilo melior factus eſſet abbas excommunicatus efflagitatu ſyndici monaſterii, ſuos paſſus eſt reditus alteri regendos committi die 24. Decembris an. 1367. Ceſſit tandem in gratiam ſequentis an. 1369.

XXXII. Bertrandus II. de Palaya egregius decretorum profeſſor, de quo vide tom. 1. col. 1245. ex abbate S. Severi de Ruſtano creatur abbas S. Hilarii bulla Urbani V. data pontificatus anno ſeptimo, hoc eſt 1369. Camerariam contulit anno ſequenti. Guillelmo cardinali pro ſacro collegio duodecim florenos auri die 29. Octob. 1372. ac viginti octo Petro Arelatenſi archiepiſcopo papæ camerario ſolvit 24. Febr. 1376. Eodem fuit præſes capituli generalis nigrorum monachorum ex provinciis Narbonenſi, Toloſana & Auxitanenſi Carcaſſonæ celebrati; & in alio ibidem coacto 1379. viſitator inſtitutus eſt monaſteriorum & eccleſiarum cathedralium diœceſis Electenſis & Elnenſis, ſive ut alibi legimus, monaſterii S. Guillelmi de Deſerto & eccleſiæ cathedralis S. Poncii Tomeriarum. Interea 1374. dicitur vicarius generalis Petri de Judicia archipræſulis Narbon. & anno 1377. rectorem eccleſiæ de Campo libero deſignavit. Denique tranſiit ad abbatiam Montis olivi 1384. ut diximus.

XXXIII. Jacobus I. præerat an. 1385. quo ipſius vicarius generalis quas habere ſe duas claves fortalitii oſtio eccleſiæ vicini conſules univerſitatis S. Hilarii recognoverunt, acceptas Hugueto de Batulo *capitaneo* ſeu cuſtodi ejuſdem fortalitii ab abbate inſtituto tradidit ſervandas die 20. Auguſti. Tranſegit anno ſequenti 1386. vel ut alibi legitur, 1389. 15. Octobris cum univerſitate S. Hilarii de jure ſervandi claves omnes fortalitii, ſeu portarum urbis, deque muris tam cœnobii quam urbis reparandis. Adfuit anno 1393. capitulo generali monachorum nigrorum Carcaſſonæ habito; in altero anni 1395. definitoris munus obivit; fuitque præſes alterius in cœnobio B. Mariæ Deauratæ celebrati 1397. Inſequenti rectorem eccleſiæ parochialis de Breſſia nominavit. Rexiſſe dicitur a Stephanotio uſque ad annum circiter 1405.

XXXIV. Bertrandus Arnaldus procuratorem miſit ad concilium Piſanum an. 1409. Definitoris partes implevit in capitulo generali anno 1410. celebrato in eccleſia cathedrali S. Poncii Tomeriarum. Anno 1411. indict. V. * 18. Dec. de illo conquerentibus monachis, ablatum ei regimen Petrus Alexandrinus patriarcha & epiſcopatus Carcaſſonenſis adminiſtrator, conventus precibus commiſit Raimundo Barta priori clauſtrali. Poſtea tamen reſtitutum illi regimen videtur; nam an. 1415. rectorem eccleſiæ S. Petri de Corneliano deſignavit.

* *inchoata a menſe Sept.*

XXXV. Guillelmus III. Babonis anno 1441. contulit prioratum de Corneliano. Eodem, 19. Julii placito regio Caroli VII. claves majoris portæ fortalitii non longe ab eccleſia ſibi contra univerſitatem S. Hilarii obtinuit reſtitui. Anno 1444. eligitur præſes capituli generalis Carcaſſonæ celebrati; fuitque in altero anni 1448. ibidem in conventu Fratrum Prædicatorum coacto definitor. Migravit ex hac vita die 27. Julii an. 1451.

XXXVI. Gaubertus Augerii ex abbate S. Polycarpi electus abbas S. Hilarii an. 1451. indict. XIV. confirmatur menſe Decembri ejuſdem anni ab officiali Carcaſſonenſi, ex delegatione Johannis epiſcopi Carcaſſonenſis data eodem anno 25. Octobris. Anno 1453. menſe Decembri regi clientelam profeſſus eſt, ſuorumque bonorum exhibuit cenſum, ex archivo regio Carcaſſonenſi. Bullam obtinuit a Pio papa II. die 9. Jan. anno pontificatus quarto, hoc eſt 1461. qua menſæ monachorum uniuntur eccleſiæ S. Mariæ de

Capella & S. Johannis de Campo libero cum suis annexis. Adhuc legitur abbas 1455. & 1468. Abdicasse tandem dicitur an. 1476. in gratiam sequentis.

XXXVII. Arnaldus Raimundus de Roqueta senator clericus in parlamento Tolosano, præfuisse dicitur a Stephanotio ab anno 1476. Attamen *recens abbas* & perpetuus administrator S. Hilarii nuncupatur in hominio quod pro feudis enunciatis regi præstitit an. 1481. 18. Octobris in manibus judicis majoris vices agentis Odonis d'Aydie domini de S. Columba & de Corbayrano senescalli Carcasson. & Biterrensis, e regio Carcasson. tabulario. Adhuc memoratur 1490. tandemque cessit e vita XI. Januarii an 1509.

XXXVIII. Geraldus II. Boniti & Boneti electus & confirmatus munus accepit benedictionis a Petro episcopo Carcassonensi an. 1509. Ædes abbatiales decoravit, aliaque plurima in commodum cœnobii perfecit. Anno 1512. cum episcopo Carcassonensi litigabat.

XXXIX. Leo Chasteigner an. 1535. 29. Novemb. litteras Odonis de Castellione archiepiscopi Tolosani exhibuit capitulo Bellovacensi. Fuit etiam præpositus Carrofensis, & abbas Nantolii in valle. Defunctus est 1537. ex Sammarthanis.

Duchesne hist. des Chasteigners pag. 120.

XL. Johannes I. de Basilhaco commendatarius abbas an. 1540. sententia senescalli Tolosani confirmatur in jure spolii rectoris ecclesiæ de Campo libero.

XLI. Johannes de Gondy filius Antonii Florentini, paris Franciæ, ex Maria Catharina de Pierrevive Franciæ liberorum institutrice, fraterque Alberti Franciæ marescalli, abbas erat 1545. 1560. 7. Julii & 1564. 5. Novemb. Obiisse dicitur an. 1574. simul abbas Calmensis.

XLII. Jacobus II. Lespervier abbas regularis memoratur a Stephanotio annis 1560. & 1564. ac 1565. ab Edmundo Martenne, ex quibus suspicari licet de abbatia fuisse contentionem inter Jacobum & Johannem de Gondy. Ut ut est, horrenda nece trucidatus fuit Jacobus ab incolis oppidi, quod jura cœnobii acrius tueretur.

XLIII. Franciscus de Donadieu Montis olivi monachus per obitum Jacobi Lespervier electus abbas S. Hilarii 1588. idibus Decembris, reperitur annis 1589. 90. 91. XI. Novembris, 1606. & 1608. quo S. Papuli cathedram episcopalem conscendit. Abbatiam nepoti suo resignavit anno circiter 1624. obiitque 1626. testante necrologio Montis olivi his verbis: *III. nonas Aprilis obiit anno Domini MDCXXVI. reverendus in Christo pater dominus Franciscus de Donadieu monachus professus istius monasterii, abbas S. Hilarii benemeritus, & episcopus S. Papuli vigilantissimus.*

XLIV. Bartholomæus de Donadieu de Griesc cessione avunculi sui in commendam obtinuit abbatiam S. Hilarii anno circiter 1624. ac paulo post alterius avunculi cognominis cessione consimili episcopatum Convenensem. Obiit anno 1637. die 12. Nov. sepultus in hac cathedrali basilica, ut diximus tomo I. col. 1109.

XLV. Martinus de Lucas rexit ab anno 1639. ad 1664. non mediocriter commendandus, quod unire suum monasterium congregationi sancti Mauri tentaverit, licet irrito conatu.

XLVI. Petrus de Berthier episcopus Montalbanensis sedit ab anno 1665. usque ad obitum, ut videtur, qui contigit anno 1674. die 30. Junii.

XLVII. Josephus de la Barre Parisinus præfuit ad annum 1677.

XLVIII. Johannes Bapt. Lully creatur abbas 1677. superstes 1687. quo anno, ex permutatione cum sequenti, ut videtur, factus est abbas S. Georgii ad Ligerim diœcesis Andegavensis.

XLIX. Ludovicus Josephus Adhemar de Monteil de Grignan episcopus Carcasson. & abbas S. Georgii ad Ligerim ab an. 1674. hanc abbatiam pro Hilariana permutavit an. 1687. Decessit an. 1722. prima die Martii ætatis anno 78. episcopatus 41.

L. N. Plantavit de la Pause de Margon 17. Octobris 1723. nominatus a rege, Romæ in consistorio pontificio proponitur abbas S. Hilarii an. 1732. die 9. Aprilis, & in altero admittitur 13. Aprilis 1733.

VILLA LONGA.

Suam hæc abbatia ordinis Cisterciensis e linea Morimundi ducit originem a pluribus viris nobilibus, qui quasi certatim erga cœnobium Bonifontis diœcesis Convenensis sese munificos exhibentes, ejusdem abbati Petro dederunt occasionem ædificandi monasterium in loco de Compania fluviolos inter Sori & Lampii juxta Saixacum *Saissac* posito, quatuor a Soricinio milliaribus, nec multo longius a Monte olivo. Ea scilicet prima fuit sedes novi monasterii, quod pleræque donationes locum de Compania spectarent, ut patet ex charta Isarni Jordani & uxoris ejus Willelmæ, omniumque liberorum, donantium Deo & B. Mariæ ac ordini Cisterciensi, necnon Guillelmo de Compania Bonifontis monacho quidquid habebant in Compania inter aquam fluminis de Sor usque ad fluvium de Lampi, &c. an. 1149. XVII. cal. Junii feria 2. Eodem anno XV. cal. Junii simile donum Bernardus de Castellione & Raimundus Claver fecerunt. Rogerius quoque vicecomes & uxor ejus Bernarda Deo & S. Mariæ Bonifontis atque Arnaldo priori Bonifontis, cunctisque successoribus ejus habitantibus in Compania dederunt quidquid habebant & habere debebant in terminio de Compania, quantum est inter aquam de Sor & aquam de Lampi anno 1150. idibus Julii feria VII. idemque præstitit Bernardus abbas Montis olivi in manu Servati abbatis Bonifontis & Arnaldi prioris eodem anno 1150. V. cal. Sept. feria 2. Hactenus quidem solo prioratus titulo gaudebat hæc congregatio, sed mox abbatia evasit hoc ipso anno 1150. quo idem Arnaldus legitur abbas in donatione Bernardi de Caunis de Podio Laurentii largientis totum *lo quarto*

Ch. XXVIII. col. 437.

Ch. XXIX. col. 437.

quod habebat in Sermeia, in herbis, aquis & bofcis ad conftruendas domos & ad omnia neceffaria. Plura fimilia fuppetunt documenta annorum 1151. & 1152. quo quidem anno menfe Maio Bernardus de Caftellione & Clavellus ejus filius totum jus fuum quod habebant in villario S. Johannis de Villa longa dederunt Deo & S. Mariæ de Compania & Arnaldo abbati, omnibufque fratribus ejufdem loci Companiæ & Villæ longæ, tefte inter alios Bernardo Biloth abbate Gimundi. Ex ea vero donatione & aliis fimilibus, ob afperitatem loci de Compania & aëris intemperiem, inde ad Villam longam duabus ab hinc leucis ad meridiem novemque a Carcaffona milliaribus & a Montis olivi cœnobio duobus initum eft confilium monafterii fedem transferendi. At hoc nondum exfecutioni demandatum erat anno VI. pontificatus Alexandri papæ III. quo adhuc in ejufdem bulla data XII. cal. Augufti indict. XIII. hoc eft 1165. inter loca abbatiæ Bonifontis fubjecta abbatia de Compania recenfetur. Quinimo nulla hujus tranflationis apparet nota ante V. nonas Martii feria VI. an. 1166. hoc eft 1167. quo Ifarnus Jordani a Petro de Canavellas fuæ donationis in villario S. Johannis de Villa longa *mandator*, cuftos & defenfor conftitutus, feipfum donat cuftodem & defenforem & facit *guirentiam* per fe & per fuam pofteritatem Deo & S. Mariæ Bonifontis, & P. abbati ejufdem loci, ac G. Raimundi abbati S. Johannis de Villa longa & omnibus in eodem loco habitantibus, &c. Hæc autem abbatia Villæ longæ affervare fe rochettum S. Dominici, five fuperpelliceum lineum gloriatur, ad quam, inquiunt, cum ceteris reliquiis ex parthenone Rivi nitidi, ubi pluribus fæculis permanferat, adfportatum fuit feculo XVI. quando hic parthenon, Villæ longæ ab initio fubjectus, ab heterodoxis everfus eft. Seriem abbatum contexuimus ad fidem inftrumentorum ejufdem monafterii, quæ pro fua humanitate D. Antonius Laurent prior clauftralis ejufdem loci perluftrare noftris D. Edmundo Martenne & D. Urfino Durand permifit.

Ch. XXX. col. 438.

SERIES ABBATUM.

I. ARnaldus I. prior Bonifontis primus eo nomine rexit monafterium de Compania anno 1150. idibus Julii feria VII. Legitur abbas ejufdem loci hoc ipfo anno menfe Augufto, & 1152. menfe Maio, ex charta fuperius laudata. Eodem anno feria VI. XVIII. cal. Decemb. Bernardus de Caunes de Podio Laurentii fe quoque Arnaldo abbati munificum præbuit, cui pariter Rixovendis totum honorem fuum loci de Compania anno 1155. conceffit, necnon Bernardus de Caftellione & uxor ejus Rena eodem anno menfe Julio. Præfuit Arnaldus ad annum faltem 1159.

II. Guillelmus I. Raimundi ex monacho abbas erat Companiæ anno 1165. V. nonas Martii, quo Raimundus de Canavellas & Herveus frater ejus quam habebant partem in villario de Villa longa ei contulerunt. Eodem anno pridie nonas Martii Poncius de Caftellione & fratres ejus Hugo & Ifarnus eidem Arnaldo & Petro abbati Bonifontis fuam totius honoris villarii S. Johannis de Villa longa dederunt partem. Hoc infuper anno VII. cal. Septembris Bernarda de Laurago ejufque liberi iifdem abbatibus omne rectum quod habebant in villario Villæ longæ conceffe-runt. Vocatur autem Arnaldus abbas S. Johannis de Villa longa anno 1166. V. nonas Martii feria VI. hoc eft 1167. in charta Ifarni Jordani fe ipfum cuftodem ac defenforem Villæ longæ offerentis P. abbati Bonifontis & G. Raimundi abbati S. Johannis de Villa longa. Denique anno 1169. Poncius Ifarni, Guillelmus Ifarni, & Raimundus Ifarni nonnulla Guillelmo abbati in terminio Villæ longæ largiti funt.

III. Petrus I. occurrit abbas Companiæ & Villæ longæ an. 1171. VI. idus Julii, quo Bernardus Raimundi dominus de Alzona & infantes ejus licentiam ei dederunt pafcendi & adaquandi in Vernazono, &c. Eodem anno VII. idus Martii Petrus de Villa longa & forores ejus Guillelma & Bernarda eorumque liberi illos omnes honores & jus quod habebant in villario de Villa longa Petro abbati dimiferunt. Simile donum accepit eodem anno pridie cal. Febr. a Raimundo Gauberto, & an. 1174. ab Ifarno Caftellionis.

IV. Guillelmus II. Raimundi, qui & fimpliciter Raimundus, an. 1177. donum excepit Raimundæ filiæ Engelberti de Villa longa, cujus loci ecclefiam Otho Carcaffonenfis epifcopus eidem conceffit anno 1180. Memoratur adhuc 1196. & 1202. quo anno pridie idus Maii Bernardus & Poncius de Villanova fratres ei Podium Aldeberti feu Adalberti contulerunt, qua in charta monafterium ædificari dicitur in loco, qui vocatur Villa longa. Hunc effe Raimundum colligimus, qui legitur abbas 1181. & 1201. quo quidem temporis intervallo monachi Villæ longæ fanctimonialium Rivi nitidi negotia gerebant anno 1190.

Chartæ XXXIII. & XXXIV. col. 440.

V. Arnaldus II. fedebat anno 1205. quo Ifarnus de Caunis *Tollicium* de Serra-mejana ei contulit, tefte Bertrando Soricinii abbate. Anno 1208. ei Bernardus & Poncius de Villanova germani dederunt campum in territorio de Podio Audeberto. Eidem anno feq. Raimundus Fortis, Bernardus Raimundi, & Rigaldus de Rocone cum fratre fuo Pagano totum caftrum S. Martini veteris contulerunt, id ratum habente Simone domino Montis fortis litteris datis apud Vaurum an. 1212. die fefto Sanctæ Agnetis virginis. Hic effe videtur abbas, quem Bernardus epifcopus Carcaffonenfis in inftrumento donationis medietatis decimarum villæ S. Martini eidem factæ 1220. VIII. idus Julii magnæ religionis virum appellat.

Ch. XLI. col. 445.

VI. Petrus II. hoc ipfo anno 1220. villam de Carlipaco diœcefis Carcaffonenfis emit a Petro Senglario milite pretio 380. librarum Melgorienfium, annuente Amalrico domino Montis fortis. Accepit eodem anno ab Hugone de Rocone quidquid habebat in caftro S. Martini veteris.

Prob. t. 3. hift. Occit. col. 265.

VII. Poncius an. 1224. xv. cal. Aug. testis laudatur in charta Montis olivi, in qua vocatur *magister Poncius*. Anno 122... Raimundam de Castellione in sororem & precum ac beneficiorum participem admisit.

VIII. Ainardus, non Aimardus, cui anno 1236. nonis Martii Bernardus & Poncius de Villanova *ad acapitum* dederunt agrum in terminio Castri veteris pro 450. solidis Tolosanensibus, &c. Anno 1240. Guido major archidiaconus Carcassonensis interdixit quominus decimæ, vel aliud quidpiam exigeretur a fratribus Villæ longæ in terris quas propriis manibus excolebant. Eidem abbati & fratribus Villæ longæ an. 1244. mense Januario Hugo de Duroforti ejusque liberi dederunt agrum dictum *Caput porci* in territorio de villa Fesano, ea lege ut in ecclesia Villæ longæ, ubi Richa de Roca uxor ejus sepulta jacebat, lampas coram altari B. Mariæ diu noctuque luceret. Transegit eodem anno cum nobilibus sancti Martini veteris. Insequenti Ludovicus Francorum rex dato diplomate die ... mensis Julii quædam ab hæreticis Albigensibus usurpata bona restitui monasterio præcepit. Anno denique 1247. nonnulla jura & bona in castro S. Martini veteris sita dedit ad feudum honoratum Geraldo de S. Martino, Raimundo Bernardo, Bernardo de S. Martino ac Aimerico fratribus, filiis Raimundi de S. Martino. Hunc Ainardum in duos scindit Stephanotius noster, admisso intermedio quodam Antonio, ex litteris ad eum scriptis a Petro Soriciniensi abbate MCCXXXVII. tom. IX. fragmentorum, sed forsan nudum apicem A. interpretatus est Antonium loco Ainardi.

IX. Vitalis an. 1256. adfuit electioni Berengarii de Grava abbatis Crassensis. Anno seq. nonis Julii ei Fabrissa uxor Bernardi de Villanova dedit medietatem leudis de Podio Aldeberto. Transegit anno 1262. XIV. cal. Augusti cum Geraldo abbate Montis olivi de utriusque abbatiæ limitibus. Adhuc memoratur 1264. & 1266. ac proinde is est abbas, cui & episcopo Agathensi Alexander papa IV. gravem causam commisit litteris datis Laterani IX. cal. Mart. pontificatus anno secundo, ex annalibus ordinis Cisterc.

X. Guillelmus III. Petri jam abbas 1267. biennio post idibus Decembris pepigit cum Jacobo filio regis Aragonum de parte cujusdam *garrigæ* in territorio de Salses. Occurrit 1272. & 1274. quo anno regi hominium præstitit facta recensione bonorum ad abbatiam pertinentium, ex archivo regio Carcassonensi. Ipse vero 1276. Bernardi & Aimerici fratrum toparcharum S. Martini veteris hominium excepit.

XI. Augerius I. legitur abbas 1279. in charta Bolbonæ. Anno 1285. terram decimalem in loco vocato *ad comas* dono recepit a Guillelmo Astar de S. Martino. Occurrit adhuc 1286. & post hunc Bernardus eodem anno in schedis Stephanotii nostri. Augerius forte binominis erat.

XII. Ademarius an. 1287. VIII. cal. Febr. hominium excepit a Bernardo de S. Martino, superstes 1289. & adhuc fortasse 1290. & 1293. testante Stephanotio nostro; at certe hoc anno haud amplius regebat, nam

XIII. Raimundus I. an. 1291. X. cal. Octob. cum decem & tribus monachis sese obligatum profitetur, ac etiam successores quoscumque in perpetuum capitulo ecclesiæ Carcassonensis, necnon & omnibus animarum curæ præfectis ejusdem dioecesis, vel in posterum præficiendis, bis in anno, quando in ecclesia cathedrali synodus habetur, sufficere panem azymum in corpus Christi convertendum ad proprios usus, propter quod fatentur sibi numeratas fuisse 150. libras. Reperitur adhuc 1296. & 1297. quo anno adstitit Arnaldo abbati Fontis frigidi obedientiam Egidio Narbonensi archiep. promittenti.

XIV. Perpinianus an. 1299. excepit hominium Raimundi Bernardi tutoris Petri Bernardi heredis Raimundi Fortis. Eodem anno VI. idus Decembris Perpinianus abbas, Bernardus de Murello prior ac ceteri fratres syndicos suos constituerunt fratres Bernardum Rainerii, Raimundum Denhuc & Bernardum de Pomaredo monachos & sacerdotes suos. Hoc etiam anno transegit cum P. Bernardi abbate Montis olivi pro limitibus Villæ longæ. Reperitur adhuc 1306. & 1309.

XV. Petrus III. Gras occurrit annis 1314. 1316. & 1317. sub quo, 1314. in abbatia memorantur 26. monachi sacerdotes.

XVI. Johannes I. Ainardi an. 1318. hominium excepit a consulibus S. Martini veteris, testante Martennio nostro.

XVII. Petrus IV. legitur abbas 1320. in abbatum serie Stephanotii nostri, sed fortasse legendum 1310. qua ratione non erit diversus a Petro Gras, qui supra.

XVIII. Raimundus II. de Aura anno 1325. de consensu fratrum regem Franciæ vocavit in consortium dominii villæ S. Martini veteris, ex archivo regio Carcasson.

XIX. Rogerius de Aura 1332. & 1337. quo anno die 13. Febr. quam cum regis procuratore controversiam habebat de justitiis castelli de Carlicapo, ea finita est a Petro de Palude domino de Varambon milite, senescallo Carcassonensi & Biterrensi, tali ratione ut medietas villæ de Carlicapo regi cederet, abbati vero & conventui darentur ducentæ libræ; quam sententiam litteris suis ratam habuit Rogerius die 8. Maii 1338. ex archivo regio Carcasson.

XX. Bernardus anno 1345. nomine Cisterciensis abbatis visitavit parthenonem Rivi nitidi immediatam Cistercii filiam, ubi tunc præerat Geralda de Sanctona, ibique nonnulla ad disciplinæ regularis nutrimentum constituit, ex charta Rivi nitidi, ait Sammarthanus noster, pro quo anno legimus 1346. die XI. Julii, tum apud Martennium, tum apud Stephanotium, ubi Bernardus tanquam pater immediatus visitasse monasterium dicitur. Fit adhuc Bernardi mentio an. 1352.

XXI. Johannes II. anno 1367. hominium excepit a nobili Masseta filia Raimundi Fortis de Nutis condomina sancti Martini.

XXII. Petrus V. Andreas vel Andreæ antea prior grangiæ B. Mariæ mansi de Guaringua in agro Ruscinonensi dependentis a Villa longa anno 1375. fidem obligat regi & censum bonorum exhibet, ex archivo regio Carcassonensi. Anno 1377. die 15. Martii hominium præstitit tenenti locum Arnaldi d'Espagne senescalli Carcassonensis pro quarta parte villæ S. Martini. Adhuc memoratur 1376. & 1379.

XXIII. Augerius II. in solo abbatum catalogo Stephanotii nostri reperitur an. 1382. ubi forte legendum 1282. ita ut idem sit ac Augerius I. Et certe

XXIV. Jacobus I. quem reperimus an. 1410. in catalogo Martennii, is esse videtur Jacobus de la Jugie, quem Stephanotius creatum abbatem dicit bulla Urbani papæ VI. anno pontificatus tertio, hoc est 1380. vel 1381.

XXV. Petrus VI. regi fidem obstrinxit in manibus vicarii, seu tenentis locum Raimundi Aimerici militis, domini de Basilhac, senescalli Carcasson. & Biterr. pro quarta parte loci sancti Martini veteris anno 1428. mense Julio, ex archivo regio Carcassonensi. Superstes erat 1429.

XXVI. Johannes III. Martini legitur abbas XI. Maii 1431. in quodam arresto pro Rivo nitido, quod habes in appendice nostra. Cognominatur autem *Vairini* eodem anno, in catalogo Stephanotii nostri.

Ch. LV. col. 467.

XXVII. Petrus VII. reperitur annis 1432. & 1438.

XXVIII. Johannes IV. Garsias anno 1453. excipit hominium Guiraudi de Bonovillari condomini S. Martini veteris; & anno 1454. ipse regi clientelam professus est, ex archivo regio Carcassonensi.

XXIX. Johannes V. de Vendogne 1475. idem fortasse ac Johannes, qui prius abdicato regimine mortuus legitur 1508. in catalogo Stephanotii.

XXX. Antonius Vacquier ultimus abbatum regularium præfuisse reperitur annis 1488. 1489. 1500. & 1504. quo censum abbatiæ bonorum exhibuit senescallo Carcassonensi. Sedebat adhuc 1523. & 1528.

XXXI. Petrus VIII. de Puymisson reginæ ab eleemosynis hanc abbatiam primus in commendam obtinuit 1528. & 1554. factus interim 1551. Laurentii Strozzy Biterrensis episcopi vicarius generalis tam in spiritualibus quam in temporalibus. Attamen lego tom. 2. hist. genealogicæ & chronologicæ magnatum Franciæ Robertum de Lenoncourt episcopum Catalaunensem anno 1551. abbatiam S. Martialis Lemovic. cessisse pro abbatia Villæ longæ, quam subinde abdicaverit circa 1556. At vero si de illa unquam permutatione actum est, suum profecto non habuit effectum.

XXXII. N. de Porto Carrero cardinalis.

XXXIII. Jacobus II. de la Jugie ex toparchis de Rivo *de Rieux* diœcesis Narbon. adiit possessionem sub initium mensis Decembris anno 1595. ex charta Montis olivi.

XXXIV. N. de Coustaussan.

XXXV. N. de Fourquevaux.

XXXVI. N. de Montesquieu 1634.

XXXVII. Henricus de Marcassus monachus & abbas, contra Johannem, qui sequitur abbatiam obtinuit edicto contradictorio an. 1650. Litem habuit cum Cecilia de Noë abbatissa Rivi nitidi, eaque cecidit, ut liquet ex arresto in appendice relato. Tandem abbatia cessit in gratiam sequentis.

Ch. LV. col. 463.

XXXVIII. Johannes VI. de S. Jean de Moussolens de consensu Henrici antecessoris abbatiæ possessionem assecutus est arresto consilii privati lato 26. Augusti 1653. Memoratur annis 1654. 55. 65. & 1680. simul abbas Montis olivi.

Ibid.

XXXIX. Josephus Vitalis de Roux de Montbel nepos Raimundi de Roux de Revel archidiaconi Carcassonensis, adiit possessionem circa 1683.

XL. Urbanus de Noe filius Rogerii toparchæ de l'Isle, ex Margareta de Pouy, doctor theologus & canonicus Auscienſis nominatur abbas 17. Octob. 1723. Deputatus ab Auscienſi provincia interfuit comitiis generalibus cleri Gallicani an. 1725. Abbatia cessit, pro qua prioratum S. Mauricii Silvanectensis obtinuit mense Martio anni 1733.

XLI. N. Novy regia schedula designatur abbas 12. Martii 1733.

RIVUS NITIDUS.

RIEUNETTE.

PUellare S. Mariæ de Rivo nitido monasterium ordinis Cisterc. e linea Morimundi, quod olim Cisterciensem abbatem patrem immediatum habuisse docent vetera monumenta, prius situm erat inter prærupta montium asperrima, peneque inaccessa, leucis duabus a cœnobio S. Hilarii, sex ab abbatia S. Polycarpi, & octo a Crassensi. Minime constat quos habuerit auctores, secus vero de primis benefactoribus jam anno 1162. Arnaldo Sigerii, Rixovendi ejus matre & aliis, quorum notitiam præbet ipsorum charta in appendice relata. Hinc aut falsum existima, quod ait Bessius in historia comitum Carcasson. pag. 150. ubi Simonem Montis fortis dominum ejus conditorem agnoscit, aut intellige de secunda ejusdem loci constructione seu restauratione. Primum vero a Gothis eversus est hic parthenon, qua de re profertur charta unionis Rivi nitidi cum Villa longa 7. Novembris an. 1432. auctoritate Guidonis Morimundi abbatis. Cumque iterum sæculo XVI. ab heterodoxis pene dirutus fuisset & a sanctimonialibus desertus, illum abbas Villæ longæ suo adjunxit cœnobio, cujus deinde fuit quasi prædium usque ad annum 1648. quo litteris regiis, & 1650. pontificiis Cecilia de Noé Rivi nitidi creata est abbatissa. Suæ quidem possessionis intercessores habuit abbates Villæ longæ, sed frustra, ut patet ex variis tum senatus Tolosani, tum privati consilii decretis. Eidem interim abbatissæ suum in urbem Carcassonensem transferendi monasterium facultatem indulsit Vitalis de Lestang episcopus Carcasson. an. 1650. at hoc ultimum effectum sortitum

Ch. XXXI. col. 438.

Ch. LV. col. 462.

Ibid.

non est, nisi sub Elisabetha de Levi abbatissa. A Ceterum novus hic parthenon de die in diem clarescit, pristinumque resumit decorem, dispersa congregantur, disrupta consolidantur, & depravata convertuntur, adeo ut, si Deus faverit, futura sit gloria hujusce novissimæ domus major quam primæ.

Abbatissarum Series.

I. RAina I. seu Regina, relicta seu vidua, ut conjicit Stephanotius noster, Bernardi de Castellione, qui ambo totum suum honorem de Compania Arnaldo abbati ejusdem loci seu Villæ longæ dederunt an. 1155. non abbatissa, B sed præsidens negotiis domus ecclesiæ B. Mariæ de Rivo nitido nuncupatur in charta memorata Arnaldi Sigarii data die 6. Novembris anno 1162. ubi quoque notandum est donationem hanc fieri simul Bernardo de Allairaco sacerdoti ejusdem loci *tuo confratri*, omnibusque sanctimonialibus, nec ullam ibidem Cisterciensis ordinis haberi mentionem; unde profecto vana est illorum conjectura, qui Villæ longæ monachos hujus parthenonis fuisse conditores suspicantur, quamvis postea subjectus eidem abbatiæ fuerit, sub abbatis Cisterciensis auctoritate, quando scilicet ad ordinem Cisterciensem accessit. Adhuc C autem Raina memoratur anno 1165. die 30. Octob. quo Arnaldus Toirozella & Sigarius ipsius nepos ei quidquid apud Rivum nitidum habebant, oppigneraverunt, ex quadam hujus abbatiæ chronologia a Johanne du Perrou presbytero Cadurcensi ad nos transmissa.

Ch. XXXI. col. 438.

II. Guillelma successit anno saltem 1172. quo Rogerius Biterrensis proconsul, seu vicecomes totum suum honorem apud Rivum nitidum ei concessit. Anno 1174. Bernardus de Villedeguert cum uxore & filio pro filia sua Pagana ad habitum religionis admittenda partem justitiæ D loci de Urseria prope Rivum nitidum eidem Guillelmæ abbatissæ largitus est. Emit anno seq. a Petro S. Aniani abbate & monachis de consensu Hermingardæ Narbonensis vicecomitissæ quidquid habebat in loco de Villa novetta prope rivum Urbionis. Anno 1177. nonnulla de consensu ejusdem Hermingardæ in loco de Codane prope Villam novettam acquisivit a Berengario Boltenac & liberis ejus. Otho Carcassonensis episcopus eidem contulit abbatissæ ecclesiam, decimas, primitias, reditus, justitias & cetera sua jura apud Rivum nitidum, sub annuo censu unius libræ ceræ Carcassonensi sacristæ persolvendo, IV. cal. Maii 1183. quo etiam anno 27. Aprilis Claudius Andreas Albiensis episcopus pro sororibus suis Catharina & Martha ad habitum monasticum suscipiendis, omnia sua jura, terras, atque reditus apud locum de Carsac prope Carcassonam donavit, sub annuo petasi cinguli onere. Eodem anno Jordanus de Caparés & Petrus Rogerius erga eamdem abbatissam sese munificos exhibuere. Nonnulla prædia in loco de Villa novetta comparavit anno 1190. a Berengario de Boltenac ejusque liberis. Hermengaldus & Bernardus Raimundus hortum suum terrasque apud Rivum nitidum pro Sicarna sorore sua in sanctimonialem recipienda huic abbatissæ an. 1192. dederunt. Anno 1196. prædictam Arnaldi Toirosellæ oppignerationem ipsius nepotes Guillelmus & Raimundus fratres comprobarunt. Bernardi quoque & Poncii de Villa nova donum excepit Guillelma abbatissa anno 1202. & insequenti molendinum de Carsac prope Villam novettam ad rivum Urbionis emit ab Hermengarda vidua Peregrini Monderii. Denique anno 1207. Poncius Guillermi suis omnibus in locum Docnove juribus in ejus gratiam renunciavit. Ita duo catalogi, nostri videlicet Martennii B & memorati Johannis du Perrou presbyteri Cadurcensis, & tamen in hoc ultimo & in alio tertio Stephanotii nostri tres interim memorantur abbatissæ; unde suspicamur Guillelmam quidem ad hunc annum superstitem fuisse, sed pedum abdicasse anno circiter 1192. Hinc fortasse apud Gerardum de Vic in chronico p. 79. in donatione post annum 1200. seu potius confirmatione, territorii Rivi nitidi Willelma modo dicitur monialis ordinis Cisterc. modo abbatissa.

Ch. XXXV. col. 441.

III. Johanna I. de Valombre die 23. Sept. anni 1192. nonnulla cœnobii prædia in loco de Valderos seu Cominal sita recognovit abbati C Fontis frigidi. Præfuit ad annum 1198. ex catalogo Stephanotii nostri.

IV. Saralonga *al.* Maria Saraloga an. 1199. præstitisse hominium dicitur Othoni abbati Fontis frigidi pro Villa novetta.

V. Amelia I. reperitur annis 1201. & 1203. ubi fortasse legendum 1301. & 1303.

VI. Raimunda I. Bonnerie *al.* Boverie 1230.

VII. Lombarda an. 1237. die 3. Octobris accepit a Raimundo de S. Martino quidquid fundi jurisque habebat in loco de Cominal. Duæ ad illam exstant bullæ Innocentii IV. datæ anno D 1248. altera qua cogi nequeat ad plures recipiendas moniales, altera 26. Octobris qua quisquis contra res abbatiæ attentaverit excommunicatur. Adhuc sedebat 1250. imo in arresto ad calcem edito ipsi vindicatur acquisitio anni 1259. quam alibi legimus factam à Raimunda quæ sequitur.

Ch. LV. col. 467.

VIII. Raimunda II. reperitur 1250. 53. & 56. quo anno paciscitur cum Bernardo de Domo nova, ex tabulario Villæ longæ. Anno 1259. 17. Dec. terram, feodum, dominia, piscationes, justitias &c. loci de Cassenels emit ab abbate & conventu Villæ longæ, de consensu episcopi E Carcassonensis. Eidem abbatissæ an. 1265. die 14. Martii Geraldus de Cane suspenso dominus de Salvaza triginta dedit *sestereas* terræ in ipso Salvazæ loco, qua in charta Villæ longæ abbas pater immediatus ac tutor hujus parthenonis appellatur. Haud tamen dissimulabo tres interim alias abbatissas ipso anno 1260. occurrere, Mariam de Sarrelongue, quam dicunt hoc anno præstitisse hominium abbati Fontis frigidi, Johannam Perrelongue & Genser, de quibus judicet lector.

IX. Gersendis seu Genseria an. 1275. die 5. Febr. Ricam de Thaurisans & Gaillardum ipsius

maritum donatores omnium habuit quæ possidebant apud Villedaigne.

X. Jordana de Ceuillan in solo Johannis du Perrou presbyteri Cadurcensis catalogo reperitur an. 1284. ex apocha, inquit, duodecim librarum ceræ Carcassonensi sacristæ solutarum.

XI. Mathildis I. sedebat anno 1290. XIV. cal. Novemb. quo Guillelmus Peironelli presbyter, frater ac donatus monasterii Rivi nitidi & procurator Amalrico vicecomiti ac domino Narbonensi grangiam de Villa novetta recognovit, pro qua ipsi dictam abbatissam hominium præstituram, quando Narbonam adiret, pollicetur, quod quidem exsecuta est pridie nonas Nov. an. 1298. ex tabulario vicecomitatus Narbonensis. Eadem interim emit a Simone Briseteste senescallo Carcassonensi, Philippi regis nomine feodum ac terras de Villedeguert & Lavaur an. 1292. XI. cal. Novembris, pro ducentis libris Turonensibus semel solutis & annuo censu librarum decem regio fisco Carcassonensi solvendarum, idque firmatum est mense Decembri ejusdem anni. Memoratur adhuc 1293. 94. & 95. 22. Junii. Anno 1299. die SS. Apost. Petri & Pauli, cum triginta tribus monialibus bona sita in loco de Valderos recognovit abbati Fontis frigidi. Denique an. 1302. ei Petrus Carcassonensis episcopus Othonis decessoris donationem confirmavit. Ex quibus certo colligitur Guillelmam perperam notari abbatissam 1291. pro quo legendum 1191.

XII. Amelia II. occurrit an. 1302. in apocha octo librarum ceræ Carcassonensi sacristæ solutarum; quo etiam anno ad ipsam refert Martennius noster prædictam Petri Carcassonensis episcopi confirmationem. Eadem porro videtur esse cum Johanna Amelia, seu Amelii quæ anno 1304. abbati Fontis frigidi hominium præstitit.

XIII. Geralda I. de Sanctone 1304. in solo Martennii catalogo.

XIV. Gersendis II. de Crusio, *de Crusy*, an. 1318. hominium præstitit abbati Fontis frigidi. Jura quædam permutavit an. 1322. 27. Apr. cum Bernardo de Belmont & Abraham de Fanjaux condominis loci de Ladern. Memoratur anno seq. pridie calend. Martii in tabulario Caunensi, superstes 1326.

XV. Raina II. seu Regina de Rupecurva præerat jam anno 1332. Arnaldo Fontis frigidi abbati hominium præstitit 24. Novemb. 1334. ex tabulario Fontis frigidi, ubi etiam reperitur annis 1336. & 1342.

XVI. Geralda II. de Sanctone litteras tuitionis obtinuit a Philippo rege an. 1345. Præstitit hominium eodem anno Bernardo Berengario abbati Fontis frigidi, & iterum anno seq. die 31. Augusti Bernardo Rogerio abbati ejusdem loci, ubi jam diximus legendum in utroque loco simpliciter Berengarium.

XVII. Mathildis II. innotescit anno 1356. ex hominio præstito abbati Fontis frigidi, aliunde penitus ignota nostris tum Stephanotio, tum Martennio.

XVIII. Raina III. de Rupecurva idem hominium præstitisse dicitur abbati Fontis frigidi an. 1378. in uno similiter catalogo Johannis du Perrou presbyteri Cadurcensis.

XIX. Amelia III. idem quoque hominium exhibuit an. 1389.

XX. Johanna II. Sarraloga an. 1393. suam fidem obligavit abbati Fontis frigidi; eadem fortasse quæ Sartologa nominatur MCCCXXIV. pro MCCCXCIV.

XXI. Gausseranda & Gausserendis reperitur jam anno 1392. in duobus catalogis. Numquid de abbatia disceptavit cum præcedente? Occurrit adhuc 1398. 1402. & 1404.

XXII. Geralda III. de Sanctone 1409. quo anno Robertus de Chalucio fisci regii Carcassonensis ac Biterrensis præfectus in rationario suo ita scribit: *Ab abbatissa Rivi nitidi ratione forestæ de Vauro termino Nativitatis Domini decem libræ.* Ibidem inter expensa sic legitur: *monialibus de Rivo nitido pro eleemosyna per beatum Ludovicum quondam Francorum regem eis concessa per annum solvenda termino S. Johannis Baptistæ pro tota personarum conventu viginti libræ.*

XXIII. Raimunda III. Boverie *al.* Bouerie an. 1429. cum viginti quatuor monialibus hominium præstat abbati Fontis frigidi. Reperitur an. 1431. in apocha sex librarum ceræ Carcassonensi sacristæ solutarum.

XXIV. Johanna III. de Cartonne an. 1432. die XI Julii idem hominium præstat. Memoratur & annis 1439. & 1445. cujus tempore facta dicitur unio Rivi nitidi cum Villa longa.

XXV. Johanna IV. de la Porquerie 1451. die 5. Octob.

XXVI. Geralda IV. de Cabanac 1471.

XXVII. J. de la Porquerie 1489.

XXVIII. Raina IV. de Fanjaux 1490. die 2. Decembris.

XXIX. Anna de Lordat 1492.

XXX. Gaillarda de S. Martin 1498. Sex istæ abbatissæ in solo Johannis du Perrou catalogo reperiuntur.

XXXI. Antonia I. de Panajad 1502. in catalogo Martennii.

XXXII. Mauricia de Castres 1506. die 30. Septembris.

XXXIII. Geralda V. de Palaia & de Palaiano 1506. 1507. 1508. & 1510. in catalogo Johannis du Perrou.

XXXIV. Johanna V. de Ceuillan 1511. ibidem.

XXXV. Antonia II. de Palaia & de Palaiano præerat 1518. 22. Octobris, quo prædia Rivi nitidi & Vauri elocavit. Anno 1528. 29. Augusti recensita sunt bona mobilia conventus, statimque vitandi Calvinistarum furoris causa, depositis apud abbatem & fratres Villæ longæ tutores, procuratores & confessarios suos omnibus ecclesiæ suæ mobilibus & ornamentis Carcassonam secessit, a quo tempore ob bellorum tempestatem toto sæculo & ultra monialibus repetere domum non licuit, totoque illo temporis spatio

nulla fuit abbatissa. Et certe an. 1575. Villæ longæ monachi abbatiam Rivi nitidi cum suis pertinentiis uti dominium ac prædium dederunt ad censum & fevum dominis de Villegly qui sic ea potiti sunt ad annum fere 1655. non tamen pacifice octo ultimis annis. Nam

XXXVI. Cecilia de Noé Cisterciensem ordinem professa die 9. Decemb. 1639. & quidem ut videtur in abbatia Salanquiarum, die 7. Julii an. 1648. regiam pro abbatia Rivi nitidi schedulam accepit, quam bellis civilibus attritam, & jam diu vacantem restaurare, distracta bona & usurpata conquirere, dotesque virginum pro ingressu in monasterium dandas mobilibus acquirendis insumere jubebatur. Abbatissam confirmavit Innocentius X. papa an. 1650. die 18. *al.* 20. Aprilis, litteris die & anno iisdem ad archiepiscopum Narbon. & episcopos Carcasson. & Biterrensem datis, ut confirmatam denunciarent, additaque forma juramenti, quod excepit 2. Junii 1651. episcopus Carcassonensis. Verumtamen eidem Ceciliæ per procuratorem adeunti possessionem 15. Septembris anni 1650. intercessit domnus Bernardet monachus & syndicus Villæ longæ; quamobrem causa defertur ad supremam curiam Tolosanam placito regio anni 1653. 17. Junii, ejusdemque senatusconsulto 1654. 27. Martii causam obtinuit Cecilia, quo inter alia cautum erat ut omnia emolumenta ipsi ab abbate Villæ longæ Henrico de Marcassus & syndico a die motæ controversiæ restituerentur. Verum Johanne de S. Jean de Moussolens Henrici in abbatia Villæ longæ successore Tolosani senatusconsultum rescindi a supremo regis consilio petente an. 1655. 10. Septemb. causa in plures adhuc annos protracta fuit. Interim eidem Ceciliæ sociabusque Vitalis de Lestang episcopus Carcassonensis hospitium sua in urbe quo se reciperent procuravit anno 1650 opem ferente nobili domina d'Hermenis relicta domini de Belissen. Memoratur adhuc Cecilia 1660. 10. Septembris, exstincta Parisiis 1662. cum ibi laboraret pro suæ abbatiæ bonis recuperandis. Sepulta est in collegio Parisiensi S. Bernardi.

XXXVII. Elisabeth de Levi filia Alexandri marchionis de Mirepoix ex Ludovica de Roquelaure secunda conjuge, Rivi nitidi sanctimonialis effecta 6. Novemb. 1652. superioris abbatissæ manibus, abbatissa nominatur a rege 20. Apr. an. 1662. bullisque pontificiis confirmatur die 26. *al.* 25. Septembris ejusdem anni, cum jam edicto consilii regii dato 27. Junii 1662. iisdem die & anno possessionem accepisset in sacello S. Germani Autissiodor. Continuo prædictam adversus abbatem Villæ longæ prosecuta litem, supremi consilii decreto lato 1663. 8. Septembris fructuum perceptionem obtinuit; bullisque tandem ab officiali Mirapicensi, quod abnuerat Carcassonensis, die 10. Martii 1664. fulminatis, possessionem adiit per procuratorem 22. Martii ejusdem anni tam in abbatia Rivi nitidi quam in hospitio Carcassonensi. Demum anno sequenti 30. Septemb. peremtorio majoris consilii edicto pacem adepta, cogitavit de accipienda benedictione, quam in ecclesia Fuliensium vici S. Honorati apud Parisios eidem impertivit archiepiscopus Bituricensis, assistentibus S. Antonii Parisiensis & S. Georgii de Nanceyo abbatissis die 10. Januarii an. 1666. Hactenus votis omnia prospere cedebant, jamque in id solum studebat ut suum conventum in civitate Carcassonensi stabiliret, quod etiam, renitente licet episcopo, impetravit. Præsidio fratris & favore innixa Rivi nitidi prædiorum invasoribus fortiter restitit, compluraque suo cœnobio vindicavit. At vero cum multis pro domo Dei, cujus altera jure dicenda est fundatrix, exantlatis per annos fere decem laboribus, dominium de Cassanels, quod senatusconsulto consecuta fuerat, inviseret, a Sicariis occisa fuit die 13. Junii an. 1671. ætatis 39. religiosæ professionis 20. Condita jacet in sacello recens consecrato in civitate Carcassonensi, juxta suppedaneum altaris, cum hac inscriptione: *Cy gist Madame Elisabeth de Levi abbesse de Nostre Dame de Rieunede, assassinée le Samedy jour de S. Antoine le XIII. Juin MDCLXXI.*

XXXVIII. Maria Martha de Bruyeres le Chastel filia Johannis Petri militis baronis de Chalabre & Gabrielis de Levi de Lera, in Pruliensi cœnobio S. Dominici regulæ addicta 1662. mortua Elisabetha Rivi nitidi abbatissa, in ejus locum diplomatibus regio ac pontificio subrogatur an. 1671. quam Ludovicus Hercules de Levi de Ventadour episcopus Mirapicensis solemni benedictione donavit 6. Aprilis 1674. Vivere desiit an. 1682. sub qua degebant viginti moniales. Hæc habuit neptem sepultam in recentiori sacello novi apud Carcassonam cœnobii, cum hac epigraphe: *Cy gist Magdelaine Louise de Bruyeres le Chastel fille de Messire Jean Aimeric de Bruyeres le Chastel, marquis de Chalabre, niece de Madame l'abbesse de Rieunede, decedée le XXXI. Mars MDCLXXVII.*

XXXIX. Magdalena Maria Martha Auger soror domini de la Chabessiere equitum levis armaturæ tribuni nominatur abbatissa 1683. Chorum ecclesiæ, dormitorium & infirmariam domum exstruxit, nonnullis domibus acquisitis. Adhuc præerat quando nostri D. Edmundus Martenne & D. Ursinus Durand hoc adiere cœnobium, ut ejusdem chartas revolverent, hoc est, anno circiter 1712.

XL. Catharina de Lostanges de Beduer filia Francisci Ludovici equitis, marchionis de Beduer & Mariæ Menardeau, ex ordinis alumna coadjutrix adscita 19. Julii 1721. obiit abbatissa 9. Febr. 1730. ætatis anno 65. in parthenone sororum hospitalariarum suburbii Carcasson.

XLI. Francisca de Moncal * de S. Veran designatur abbatissa die 27 Dec. anni 1731.

* *al.* de Moncalin.



HELENENSIS



HELENENSIS ECCLESIA.

HELENA, Helna, & recentioribus Elna sine aspiratione, vulgo *Elne*, urbs est pagi Ruscinonensis * olim primaria, in confinio Galliarum & Hispaniarum, sita in clivo, cujus pedem alluit rivus aut amniculus, dictus olim Illiberis, nunc Techus, *le Tech*, qui una leuca inferius in mare mediterraneum demergitur. Ipso in loco posita est, ubi quondam erat antiquissima civitas Illiberis Sardonum, prorsus diversa ab alia recentiore Illiberi, seu Caucoliberi, *Collioure*, tribus a nostra & quinque a Perpiniano leucis disjuncta, seu etiam ab Illiberi in Bœtica *Elvire*, non procul ab urbe Granata. Sanior enimvero est opinio Helenam urbem ex antiquissimæ civitatis Illiberitanæ ruderibus conditam fuisse auctore vel Constantino Magno imperatore in memoriam suæ matris Helenæ sic dictam; vel Constante, aut alio aliquo ipsius Constantini filio in ejusdem aviæ suæ recordationem. Sane Constans a Magnentii tyranni satellitibus cæsus ibidem occubuit anno 350. uti testatur S. Hieronymus in appendice ad chronicon Eusebii Cæsariensis, sic loquens: *Constans non longe ab Hispania, in castro, cui Helenæ nomen est, interficitur.* Ita etiam Orosius lib. 7. cap. 38. & Eutropius. Hi porro tres auctores antiquiores sunt, qui hujus meminerint civitatis, quæ quidem priscis geographis Straboni, Mellæ, Plinio ac Ptolomæo fuit prorsus incognita.

* le Roussillon.

Destructa fuit a Francis Helena anno 1285. & iterum an. 1474. ex chronico ecclesiæ S. Pauli Narbonensis ad calcem historiæ comitum Tolos. Catelli pag. 168.

Prima fidei Christianæ semina in Ruscinonensi comitatu & finitimis regionibus jacta fuisse a B. Paulo Gentium apostolo in Hispanias proficiscente antiqua fert Helenensis ecclesiæ traditio. Et certe Hispanicam peregrinationem meditatum fuisse Apostolum constat ex ejusdem epistola ad Romanos; an vero illuc reipsa profectus aliquando fuerit, haud ita compertum est. Affirmare videntur quidam ex SS. Patribus, negant alii, inter quos Gelasius & Innocentius papæ, & ex recentioribus DD. Dupin & Tillemont argumenti negantis auctoritate nixi. Nos fidei lumen invectum in hos tractus, Ruscinonensem scilicet, Confluentinum & Vallispiriensem ex ecclesia Narbonensi probabilius censemus.

Rom. xv. 24. 28.

Episcopalem vero cathedram serius in hisce regionibus erectam existimat illustrissimus archipræsul Parisiensis Petrus de Marca, eo ductus argumento, quod in antiquissima Narbonensis provinciæ notitia Honorii imperatoris tempore descripta, & a Jacobo Sirmondo viro eruditione ac pietate clarissimo edita, vel etiam in posterioribus, nulla de Helenensi civitate mentio habeatur. Censet igitur doctissimus archipræsul cathedras episcopales Carcassonæ & Helenæ fuisse tantum institutas post Visigothos a Theodeberto Austrasiorum rege Luteva & Ucetia spoliatos, sicut Magalona haud prius erecta fuit in episcopatum, quam ablata eisdem fuerat a Clodoveo rege Tolosa; ut numerus scilicet octo cathedralium ecclesiarum, ex quibus antea constiterat Narbonensis provincia, etiam Tolosa, Luteva & Ucetia juris alieni factis conservaretur. Hoc docent Hispaniæ concilia, quibus episcopi Narbonensis, Beterrensis, Agathensis, Magalonensis, Nemausensis, Lutevensis, Carcassonensis ac Elnensis adsunt atque subscribunt. Docet hoc & descriptio ecclesiarum Hispaniæ ac Septimaniæ vel Gothiæ a Wamba rege facta circiter annum 675. in qua *Biterræ, Agatha, Magalona, Nemausus, Luteba, Carcassona, Elna Narboni* metropoli jubentur subjacere.

Marc. Hisp. col. 24.

Et certe Helenensis ecclesia, S. Eulaliæ virginis & martyris reliquiis & patrocinio nobilis Narbonensi ecclesiæ veluti suæ matri subjacuit usque ad sæculum decimum quintum, quo jugum excutere cœpit, sic volentibus Hispaniæ regibus. Tum anno 1511. sub Jacobo Serra episcopo a Narbonensi provincia distracta, sanctæ sedi apostolicæ, Julii II. Romani pontificis decreto reservata fuit. Dein anno 1517. a Leone X. Narbonensi provinciæ restituta, donec Tarraconensi provinciæ, volente Gregorio XIII. (vi decreti concilii Tridentini) adjudicata est, ejusque facta haud ignobilis portio, Ferdinando a Loazes tunc temporis existente archiepiscopo Tarraconensi, qui fuerat antea Helenensis antistes. Ab hoc quidem decreto appellatum est anno 1573. sed nihilominus eam attributionem suis postea litteris Urbanus papa VIII. roboravit

Ibid. col. 1482.

Verum ex quo Ruscinonensis ager Francici juris esse cœpit, suspensa mansit & interrupta hæc subjectio, & ex imperii mutatione, distantia ecclesiæ Tarraconensis, ac difficultate ad eam confugiendi, maxime belli tempore, factum est ut in rebus litigiosis provocationes fierent, sicut antiquitus, ad Narbonensem archiepiscopum tanquam viciniorem metropolitam, & ex ejus sententiis ad primatiam.

Ceterum Helenenses episcopi manserunt assidue apud Helnam pagi Ruscinonensis olim, ut diximus, primariam urbem, donec illa decrescente ac civium numero imminuta, contra vero in dies crescente civitate Perpinianensi, Ruscinonensium comitum palatio & curia nobilitata, paulatim ad Perpinianense S. Johannis templum sedem suam ac mansionem transferre cœperunt, maxime post majoris capellaniæ hujus templi mensæ episcopali unionem factam. Sed de his omnibus alibi fusius disseremus. Interim præmittendus est Helenensium præsulum index ex antiquis hujus ecclesiæ documentis, aliisve scripturis contextus, qui certe auctior & emendatior nunc prodit in lucem, uti legentibus patebit.

HELENENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI

I. Domnus.

Appellium & Ildesindum, qui Helenensium episcoporum agmen apud Sammarthanos ducunt, merito amandamus, ut pote qui sedisse dicuntur ubi nondum erat civitas, ideoque nec sedes. Verum quidem est inter duodecim patres, qui Cæsaraugustano interfuere concilio adversus Priscillianistas coacto æra 418. id est anno Christi 380. vel 381. Ampelium quarto loco subscripsisse: at episcopum Helenensem fuisse acta hujus concilii non probant. Quod autem ex Lusitania veniens obierit Ganaæ Veracensi oppido, quid ad nos! Ildesindus vero haud dubie non differt ab altero cognomine, qui ecclesias in honorem sanctarum Justæ & Ruffinæ ac S. Martini episcopi in valle Pradensi *de Prades* pagi Ruscinonensis consecravit anno circiter DCCCCLXXXII. non autem CCCCLXXXII. uti legerunt Sammarthani.

T. 2. concil. Labb. col. 1009.

Marca Hispanica col. 410. 411.

Itaque Helenensium episcoporum prior annumeretur Domnus, qui vitæ sanctimonia, morum candore & divinarum scripturarum peritia insignis, ac hæreticæ pravitatis acerrimus profligator Helenensem gubernabat ecclesiam ante annum 568. aiunt Sammarthani. De illo Johannes abbas Biclarensis in chronico pag. 134. ad annum sextum Justini II. imperatoris, seu quartum Leonegildi regis, qui fuit Christi 571. *Domnus Helenensis ecclesiæ episcopus clarus habetur.* Adhuc sedebat anno 580.

568. 571. 580.

II. Benenatus.

Benenatum Helenensem in provincia Narbonensi episcopum fuisse vetera docent exemplaria concilii Toletani III. nam in vulgatis ejusdem concilii subscriptionibus mendum irrepsit ex nominum trajectione; Johannes siquidem, qui Helenensis ibi episcopus dicitur, fuit præsul Egabrensis, uti constat ex synodo Hispalensi anno 590. habita, altero post Toletanam anno: Benenatus non Egabrensis, ut ibidem appellatur, sed Helenensis fuit episcopus, ut antiqui testantur codices. Hæc Jacobus Sirmondus in notis ad concil. Narbon. Interfuit igitur & subscripsit Benenatus concilio Toletano III. die VIII. idus Maii an. 589. in quo Gothi ejurata Arianæ hæreseos perfidia orthodoxam fidem professi sunt; & iterum concilio provinciali Narbonensi eodem anno calendis Novembris celebrato regnante Reccaredo Gothorum in Hispania rege. Sammarthani vero in Gallia Christiana quadripartita utrique huic episcopo inter Helenenses dant locum, & quidem Benenato quoad prædicta concilia, Johanni autem in Cæsaraugustano II. concilio an. 592. at huic in subscriptionibus sedes non assignatur, & in notis ad hoc concilium legitur Johannes Mentesanus antistes.

Tom. 5. conc. Labb. col. 1032.

589.

Ibid. col. 1601.

III. Acatulus *vel* Acutulus.

Interfuit Acutulus concilio Toletano IV. anno 633. die 5. Decembris. Adstitit & VI. anno 638. ineunte Januario. Huic substituunt Sammarthani Amamingum præsentem concilio Toletano VIII. XVII. cal. Jan. anno 5. regni Flavii Recesvindi, qui fuit Christi 653. sed in subscriptionibus hujus synodi vocatur Amanurus Abilensis episcopus.

Ibid. col. 1727. & 1750. 633. 638. 653. T. 6. conc. col. 410.

IV. Ilitaricus *vel* Ilitarius.

Subscripsit concilio Toletano X. anno 8. Recesvindi regis æra 694. Christi vero 656. calendis Decembris.

Ibid. col. 472. 656.

V. Hyacintus.

Illiberi * a Wamba Gothorum rege captus moratur Hyacintus, eo quod adversus eum una cum Paulo tyranno & principe Araugiselo arma moveret, anno 673. ex Sammarthanis, qui addunt eo sedente Helenensem episcopatum proprios limites sortitum fuisse, divisionem terminorum diœcesium & parochiarum Hispaniæ eodem rege Wamba procurante æra 704. Christi autem anno 676.

* Collioure.

673. 676.

VI. Clarus.

Veremundum abbatem Clarus episcopus vicarium misit ad concilium Toletanum XIII. Ervigio regnante æra 721. Christi vero 683. sub Leone II. Romano pontifice celebratum, ut liquet ex ejusdem subscriptione, *Veremundus abbas agens vicem Clari episcopi Elnensis.* Addunt Sammarthani aliquibus abhinc transactis annis pontificiam sedem Illiberitanam Elnensi ecclesiæ unitam & attributam fuisse; at inter auctores controvertitur, utrum huic Illiberi ullus unquam præfuerit episcopus; & aliunde pene certum est Helenam civitatem loco Illiberis destructæ a Constantino imperatore fuisse ædificatam & eo nomine donatam in memoriam ipsius matris Helenæ imperatricis. Ceterum diu in ecclesia Helenensi episcopatum defecisse conjicimus ob lamentabilem totius Hispaniæ ruinam a Sarracenis inflictam, vel si qui ea tempestate sederunt episcopi, eorum acta penitus ac ipsamet nomina exciderunt.

Ibid. col. 1269. 683.

Marc. Hisp. col. 23.

VII. Wenedurius.

Hic omisso Riculfo, quem tradunt Sammarthani ab Arnusto Narbonensi archiepiscopo, qui sæculo nono exeunte sedebat, primatum seu primæ sedis post Narbonensem prærogativam inter suffraganeas ecclesias obtinuisse, Wenedurium, seu Veredarium & Vinedarium Sammarthanis ignotum substituimus, ex concilio Narbonensi anni 791. in quo querelam habuit cum archiepiscopo Narbonensi de limitibus suæ diœcesis, seu de pago Redensi *, qui Danieli archiepiscopo assertus est.

T. 7. conc. Labb. col. 965. & Ch. II. in appendice nostra col. 2.

791.

* le Razés.

ANNI CHRISTI

De Audesindo, qui perperam sequitur in veteri Gallia Christiana, inferius ordine suo mentionem faciemus.

VIII. RAMNUS *vel* RAMNO.

Ludovici Pii imperatoris & Francorum regis munificentia Ramno ecclesias & privilegia, quæ Carolus Magnus sedi Helenensi donaverat, imperiali decreto rursum obtinuit roborari Aquisgrani die 5. Martii anno ejusdem principis non quidem vigesimo, hoc est Christi 833. uti legitur Marcæ Hispan. col. 350. quo anno Ludovicus Vormatiæ degebat, sed octavo, id est 821. cui anno optime convenit indictio XIV. Vide notam XCV. tom. I. novæ historiæ Occitaniæ pag. 745.

821.

IX. SALOMON *qui & FULMO*.

Salomon episcopus cum Berengario comite memoratur in veteri Arulensis monasterii documento, quo lis inter Babilam seu Babilanum abbatem & incolas loci pro finibus ejusdem cœnobii diremta est, Salomone episcopo, haud dubie Helenensi, ad cujus ditionem locus ille pertinebat, IV. nonas Febr. anno XIX. imperante domno nostro Hlodoico imperatore, hoc est 832. Eidem Lotharius imperator immunitatis præceptum indulsit datum Clunaco villa die 7. mensis Apr. anno I. imperii sui in Francia & octavo regni in Italia indictione XII. Ita Baluzius in appendice Marcæ Hisp. col. 776. ubi pro anno VIII. in Italia substituit vigesimum, & indictionem III. loco XII. sicque præceptum anno 840. primo imperii Lotharii post obitum patris consignat. Verum huic anno convenire non posse luculenter probat novissimus historiæ Occitaniæ scriptor pag. 745. tom. primi, nempe quia die 7. Aprilis an. 840. necdum e vivis excesserat Ludovicus Pius imperator, eratque tunc in Italia Lotharius. Melius itaque ab eodem auctore hoc refertur præceptum ad annum 834. primum imperii Lotharii ab exauctorato patre, cui anno indictio XII. notata in præcepto optime convenit, maxime cum aliunde constet Lotharium tunc fuisse in Gallia & imperatoris nomen assumsisse. Annus quidem octavus regni Lotharii in Italia conciliari nequit cum hoc anno 834. sed neque cum anno 840. Legendum igitur in Italia XIII. pro VIII. substituto apice X. pro V. qui utique facilis error irrepere potuit amanuensi. Ex hac autem charta colligitur Salomonem fuisse fautorem Lotharii contra Ludovicum imperatorem. Denique Fulmo seu Salomon episcopus Helenensis ab imperatore Ludovico Pio tuitionis & immunitatis obtinuit præceptum pro ecclesia sua & omnibus rebus ad eam pertinentibus, datum Aquisgrani III. nonas Martias anno Christo propitio XXIII. imperii domni Ludovici piissimi Augusti indictione XIII. *lege* XIV. hoc est 836. Quod quidem præceptum innuit Salomonem in gratiam rediisse ejusdem imperatoris.

832. *Marc. Hisp. col. 769.*

834.

836. *Marc. Hisp. col. 773.*

Ceterum tres istos ultimos episcopos & Audesindum, qui sequitur, hoc ipso ordine successisse invicte probat habitum placitum auctoritate Bernardi III. marchionis Gothiæ in causa Audesindi episcopi cum quodam Auvaldo, XVI. cal. Jan. anno XXXVI. regnante Carolo rege, hoc est 875. ubi hoc ordine prædicti episcopi memorantur.

Prob. t. I. novæ hist. Occit. col. 129.

X. AUDESINDUS.

Reperitur Audesindus anno decimo septimo Caroli Calvi, hic est annus Christi 856. Tusiacensi in diœcesi Tullensi concilio adfuit XI. cal. Novembris anno 860. vocatus *Roscellensium episcopus*, id est Helenensis, quemadmodum recte adnotatur in observationibus ad hoc concilium, quo sub titulo privilegium S. Martini Turonensis subscriptione sua firmavit. Memoratur & in altero ejusdem Caroli regis anno 32. dato nonis Aug. indictione IV. hoc est 871. quo tuitionem suam concessit monasterio S. Andreæ Exalatensi sito in valle Confluentina, ubi narratur Witizam, Protasium, aliosque liberos ac pios viros monasterium sub titulo S. Andreæ construxisse in loco Exalada *juxta fluvium nomine Tete in capite vallis Confluentis . . . . . . qui locus situs est in confinio Ceridaniæ marchiæ nostræ, sub diocesi Fredaldi Narbonensis archiepiscopi, & parochia Audesindi Elnensis episcopi.* Anno 875. mense Decembri, seu, ut legitur tom. 2. Capitul. col. 1497. XVI. calend. Januarii an. 876. in judicio quod ab Isimberto locum tenente Bernardi comitis actitatum est, Auvaldus quidam, qui nomine comitis tenebat locum S. Felicis, & inde servitia regalia exigebat, confessus est se illum injuste hactenus tenuisse, eumque juste pertinere ad Audesindum episcopum & ecclesiam Helenensem, possessumque jure ecclesiastico per annos quinquaginta & amplius a Viredario, Ramnone & Salomone episcopis antecessoribus Audesindi. Denique Audesindus unus fuit ex episcopis, qui Theodardum archiepiscopum Narbonensem anno 885. consecrarunt.

856. 860. *Tom. 8. conc. col. 705.* 871. 876. *Prob. t. I. novæ hist. Occit. col. 129.* 885. *Marc. Hisp. col. 365.*

XI. RICULFUS I.

Berengarium omittimus, cui Riculfum archiepiscopum Narbonensem prærogativam primæ sedis post suam, Helenensi episcopatui ab antecessoribus attributam, geminato decreto stabilivisse fingunt Sammarthani: nullus enim unquam Riculfus nomine sedit in cathedra Narbonensi, uti nec Arnustus eam prærogativam sedi Helenensi prius attribuisse potuit, qui non ante annum 893. Theodardo archiepiscopo successit, quemadmodum supra diximus in Wenedurio episcopo n. VII.

Itaque Riculfus Audesindo proxime suffectus est in sede Helenensi, qui certe anno 887. XV. cal. Decembris interfuit concilio Nemausensi in villa Portu celebrato contra Selvam clericum Hispanum, qui se archiepiscopum gerebat. Occurrit anno sexto regnante Odone rege, hoc est 893. Recensetur in privilegio Stephani papæ VI. anno sexto imperii Lamberti, qui est annus Christi 897. quo forte anno cum Romam orationis gratia petiisset, obtinuit post mortem Stephani epistolam a Romano papa, qua ipsi pontifex Helenensis ecclesiæ confirmat possessiones. Data est idibus Octobris anno sexto imperante Lamberto

887. *Tom. 9. conc. col. 395.* 893. 897.

ANNI CHRISTI 897. indictione prima, hic est annus 897. sed inibi perperam legitur annus VI. pontificis Romani, quippe qui aliquot tantum mensibus sedit. Exstat epistola in appendice Marcæ Hispanicæ col. 833.

898. Anno 898. calendis Novembris Carolo regi significari curavit *quemadmodum sua sedes & pene omnes ecclesiæ ejusdem sedis ruinæ tam proximæ existebant, ut per ipsum nullatenus possent restaurari*, & auxilium Adeleidis matris Caroli regis imploravit; cujus precibus motus princeps Riculfo & successoribus ejus, ecclesiæque Helenensi dedit quasdam villas & possessiones. Anno sequenti VIII. idus Junii, intercessu Arnusti Narbonensis archiepiscopi præceptum ab eodem rege obtinuit, quo eadem Helenensi ecclesiæ confirmata sunt, quæ Adeleidis Augustæ opera jam concessa fuerant, ac præterea dona, quæ Miro comes Ruscinonensis fecerat Helenensi ecclesiæ & facultas emendi prædia in regno Gothicæ sive Hispaniæ. Interfuit anno 902. concilio Atilianensi, 906. conventui plurium episcoporum apud Barcinonam habito, & 907. concilio apud S. Tiberium celebrato. Riculfo multisque Occitaniæ & Hispaniæ præsulibus inscribitur epistola Johannis papæ X. anno circiter 914. pro Agio Narbonensi archiepiscopo contra Gerardum ejusdem sedis invasorem. Denique anno 915. decimo octavo regnante Carolo filio Ludovici indictione tertia, die 9. Decembris Riculfus testamento condito Helenensem ecclesiam heredem fecit ex asse, cui præter varias villas & possessiones dedit amplam & locupletem supellectilem ecclesiasticam & bibliothecam suam, statimque abiisse in cœlum videtur.

(Marc. Hisp. col. 830. — 899. — T. I. novæ hist. Occit. pag. 715. col. I. — 902. — 906. — Ch. XII. col. 13. — 907. — Ch. XIV. col. 14. — 915.)

XII. HELMERADUS & ALMERADUS.

916. Anno 916. calendis Septembris ordinem episcopalem suscepit Helmeradus frater Bentionis & Gauzberti comitum Ruscinonensium, filius autem, ut arbitratur Baluzius, Suniarii comitis & uxoris ejus Ermengardis; anno etenim 917. die calendarum Septembrium in primo die anniversarii venerabilis Elmeradi antistitis, anno XVIII. Caroli regis, Almerado episcopo curante, accersiti pontifices, Wigo Gerundensis, Guimera Carcassonensis, & Erifonsus Vendascensis, Helenensis ecclesiæ consecrationem peregerunt; qua de re vide chartam in appendice Marcæ Hisp. col. 839. ubi fit mentio donationis Palatioli quam Bentio comes Ruscinonensis fecit ecclesiæ Helenensi IV. nonas Martii anno XIX. regnante Carolo rege filio Ludovici: quod intelligendum pro varia computandi annos regni Caroli ratione. Vide tom. 2. novæ historiæ Occitaniæ not. VI. pag. 533. In hac autem dedicatione obtulit Helmeradus testamentum Riculfi decessoris, tum etiam chartam donationis villæ Palatioli factæ a Bentione bonæ memoriæ comite, & donationem, quam Gauzbertus comes inpræsentiarum faciebat ipsi altari S. Eulaliæ; ipse vero Helmeradus Monasteriolum villam in comitatu Barcinonensi *citra clusas Spaniæ* dedit eidem ecclesiæ, & aliquam supellectilem ecclesiasticam magni pretii. Denique ipsum esse putamus Helmeradum episcopum, qui Gerundensi ecclesiæ nonnulla in Palatiolo dedit, quæ Carolus rex eidem ecclesiæ confirmavit anno XXX. regni sui indictione X. hoc est 922.

(Marc. Hisp. col. 383. — 917. — Ibid. col. 841. — Ib. c. 844. & tom. 2. Capitul. col. 1535.)

XIII. WADALDUS.

Almeradi superioris frater Wadaldus, uti Baluzius existimat, vel, ut conjiciunt nuperi historiæ Occitaniæ scriptores, filius Franconis vicecomitis ex Arsinde conjuge, ac frater Eudonis Narbonæ vicecomitis, memoratur episcopus anno XXVIII. regnante Carolo filio Ludovici, id est 920. vel 921. quo villam Baixanos in comitatu Ruscinonensi ecclesiæ suæ comparavit. Idem anno tricesimo regni ejusdem emtionis titulo feuda & alodia de Anglares & de Salellis una cum ecclesia S. Stephani ac juribus universis ab Ottone pro sua ecclesia acquisivit. Casas quoque coopertas in comitatu Ruscinonensi obtinuit *anno primo quo obiit Carolus filius Ludovici, Christo regnante & regem expectante*. Anno secundo ab ejusdem regis obitu sub die IV. idus Aprilis, hoc est 931. Wadaldus donationem quamdam una cum Gauzberto comite faciens ecclesiæ Helenensi, id se facere profitetur *propter amorem Dei & propter remedium animas nostras, vel propter remedium animæ de Suniario comite & uxori Ermengardis & Bencone comite & Almerado episcopo condam*. Suniuldus & Adalrada alodem in villa nova ei dederunt, anno tertio regnante Rodulfo rege: quo circiter tempore Adalradus quidam ei concessit quidquid habebat infra terminos villæ S. Laurentii & villæ Judaigas. Interfuit Wadaldus consecrationi ecclesiæ S. Poncii Tomeriarum & concilio Ausedinensi anno 937. Memoratur adhuc annis 3. & 10. regnante Ludovico filio Caroli, Ultramarino dicto, qui regnare cœpit anno 936. Præsens subscripsit cum aliis episcopis donationibus ab Aimerico archiepiscopo & Rodoaldo Biterrensi præsule factis S. Poncio Tomeriensi anno 940. quarto regni Ludovici. Pervenit ad annum saltem XI. ejusdem regis quo ægrotus erat IV. cal. Februarii.

(Tom. 2. hist. Occit. p. 62. — 920. — 931. — Marc. Hisp. col. 845. — 937. — Ibid. col. 370. — 940. — Ibid. col. 387. 391.)

Stephano qui sequitur in indice fratrum gemellorum non suppetit locus. Dicitur inibi a Sergio Romano pontifice, petente Olbeto monacho Benedictino facultatem obtinuisse consecrandi ecclesiam de Chorago, a Carolo imperatore in comitatu Rossilionis sub Deiparæ virginis, ac sanctorum Johannis Bapt. Petri apostoli & Benedicti abbatis tutela constructam ab anno 903. at Sergius qui sedere cœpit ineunte Junio 904. obiit Aug. exeunte 911. quo temporis intervallo sedebat Riculfus I. ut vidimus. Conjicimus autem Stephanum fuisse episcopum alicujus vicinæ sedis, qui absente forsan Helenensi episcopo ecclesiam, de qua hîc mentio est, cum licentia Sergii Romani pontificis consecravit.

XIV. RICULFUS II.

Jam anno 938. aut circiter sedisse dicendus esset Riculfus, si sana foret ab omni parte Leonis VII. pontificis ad varios episcopos in gratiam monachorum Rivipullensium epistola; sed hanc

(Ibid. col. 851.)

ANNI CHRISTI

Ib. c. 387. 390. & tom. 2. Capitul. col. 634.

Baluzius emendandam censet in hoc loco, ubi Riculfum Helenensem nominat, sicut & chartam quæ in archivis ecclesiæ Helenensis testatur Riculfum fuisse episcopum Helenensem XIV. cal. Aprilis *anno secundo regnante Ludoyco rege filio Karulo rege. Et* certe Wadaldo episcopo substitutus non est Riculfus ante annum 947. ut constat ex instrumento ipsiusmet electionis, quod ex chartulario Helenensi habes nostra inter instrumenta. Facta autem legitur hujusmodi.

Ch. VII. col. 481.

Cum ea tempestate concilium in ecclesia Narbonensi celebrarent Aimericus archiepiscopus, Rodaldus episcopus Biterrensis, Guisadus Carcassonensis, Dacbertus Agathensis & Poncio Magalonensis, edictum est Helenensem ecclesiam adfore orbatam pastorali consortio Wadaldi episcopi. Cumque quærerent num aliquis in eadem ecclesia, sicut sacri præcipiunt canones, dignus inveniretur, qui ecclesiam illam regere & administrare sciret & posset, in illa hora egressa est in Riculfum digna & affabilis clericorum electio, ac conclamatio omnium populorum Helenensis ecclesiæ. Sic igitur ordinatus est ab episcopis præsentibus VI. cal. Aprilis. Sane in actis ordinationis ejus adnotatum est illam fuisse peractam anno 947. *indictione instantis cronois habens lustrum unum annosque duos*, quod de indictione in antiquis actis vulgo usurpata intelligendum non est, alioquin ista ad annum 949. revocanda esset, sed de indictione instantis decadis, id est ejus decadis, quæ ab anno quadragesimo primo excurrebat usque ad quinquagesimum. Ejus enim indictionis jam prætererat lustrum unum & anni duo, id est septem anni. Ceterum anno 953. III. cal. Augusti Riculfus dedicavit ecclesiam monasterii Cuxanensis, & anno secundo Lotharii regis quamdam fecit commutationem. Memoratur adhuc in variis privilegiis annorum 4. & 8. ejusdem regis.

947.

953.

Marc. Hisp. col. 868.

XV. SONIARIUS & SUNIARIUS I.

Parentibus Guifredo comite Ruscinonensi & Ava comitissa genitus est Suniarius, uti nos docet tabula vetus monasterii B. Mariæ de Crassa, cui dedit alaudem vocatum Kanouas cum ecclesia S. Quiritii. Haud quidem constat quo præcise anno hujus ecclesiæ regimen auspicatus sit: at certe jam sedebat anno XIII. Lotharii regis, ex Baluzio Capitular. tom. 2. col. 1303. Anno 968. cum patre Guifredo, Arnulfo episcopo Gerundensi & magna optimatum populorumque caterva venit ad monasterium Rodense celebraturus solemnia S. Petri in mense Augusto, ubi cum Hildesindus ejusdem cœnobii abbas querelam suam deposuisset apud comitem & episcopos reliquamque multitudinem adversus Adalbertum, quod eis auferret piscationem stagni Castilionensis & trium insularum ei adjacentium, eamque probasset abbas ad ipsum monasterium pertinere, eidem omnes prædicti judices III. nonas Augusti asseruerunt. Circa id tempus Suniarius episcopus excommunicavit publice invasores ecclesiarum ad diœcesim suam pertinentium in comitatibus vallis Asperi & Confluentis. Dedit ecclesiæ Helenensi cum Ava matre sua comitissa alodem suum de Troliars III. cal. Augusti anno XVIII. regnante Lothario filio Ludovici. Instrumentum habes tom. 2. Capitular. col. 1543. ubi observandum est Suniarium vocari theologum sedis Helenensis. Unus fuit ex episcopis quibus Johannes XIII. bullæ demandavit exsecutionem, qua ad preces Borelli comitis Barcinonensis titulum archiepiscopatus Tarraconensis cathedræ Ausonensi attribuit mense Januario indictione XIV. quæ tamen effectum suum non est sortita usque ad tempora Urbani II. qui antiquam restituit sedem Tarraconensem. Anno 974. idem Suniarius & pater ejus Gaufredus comes dederunt monasterio S. Petri Rodensis quasdam possessiones, quæ ad eos pervenerant seu ex donatione regia, seu ex hereditate parentum, in his castrum Verdariam vicinum monasterio. Quo etiam anno *retro calendarum mensis Octobris*, sive sub finem Septembris, * cum sex aliis episcopis novam cœnobii Coxanensis basilicam consecravit. Adfuit anno 977. XVII. cal. Decembris dedicationi ecclesiæ monasterii Rivipullensis factæ a Mirone Gerundensi episcopo.

Prob. t. 2. hist. Occit. col. 197.

968.

Marc. Hisp. col. 892.

Ib. c. 401.

Ibid. col. 403.

974.

Ibid. 405. & 903.

Ibid. 909.

* *IV. cal. Octobris ex Samm. & Marc. Hisp. col. 406.*

977.

Ibid. 917.

XVI. HILDESINDUS.

S. Petri Rodensis abbas Hildesindus filius Tassii, qui ibidem monasticum habitum induit, Helenensis factus episcopus dignitatem abbatialem retinuit: ipsi enim episcopo & abbati Benedictus VII. papa scribens confirmat ejusdem monasterii immunitates & possessiones omnes *ab urbe Narbona usque in finibus Hispaniæ*, anno 979. indictione VII. mense Aprili. Idem quoque nominatus episcopus & abbas præceptum obtinuit a Lothario rege in gratiam ejusdem monasterii anno 982. regni Lotharii XXIX. Quo etiam circiter anno consecravit ecclesiam sanctarum Justinæ & Ruffinæ in valle Pradensi *de Prades* in pago Ruscinonensi. Anno 987. VII. calend. Julii Hildesindus episcopus & abbas pro suo monasterio sententiam impetravit a Borello comite & assessoribus ejus. Privilegium accepit a Johanne XV. papa in favorem cœnobii Rodensis mense Febr. indictione XI. legendum forte II. quæ incidit in annum Christi 989. Denique anno quarto regnante Hugone quamdam fecit permutationem cum Stephano abbate in loco, quem vocant *Agumano*, juxta alveum Ted.

Ibid. 921.

979.

Ibid. 927.

982.

Tom. 1. hist. Occit. pag. 618.

987.

Marc. Hisp. col. 941.

XVII. BERENGARIUS I.

Fuit Berengario pater Oliba Cabreta, qui monachus dies absolvit in Monte Cassino, mater vero Ermengardis, cum qua plurima donavit monasterio Arulensi IV. idus Febr. anno VI. regnante Hugone. Insequenti, seu, ut nunc loquimur, eodem anno & septimo ejusdem regis XIII. cal. Decembris consecravit ecclesias S. Stephani & S. Martini de Rivo ferrario. Eodem anno XV. cal. Jan. judex sedit cum matre sua suisque proceribus in placito pro monasterio Arulensi. Idem anno quarto regnante Roberto rege testis occurrit in charta commutationis Mironem inter & Sintillum abbatem Arulensem; ipse vero anno quinto

Capitular. tom. 2. col. 1522.

993.

Marc. Hisp. 947.

Ibid. 948.

ANNI CHRISTI

ejusdem regis cum eodem Sintillo abbate permutationem fecit. Reperitur præsens in charta Bernardi comitis Bisuldunensis, qua suum monasterium *Monisaten*, quod est in honore S. Pauli apostoli in provincia Gociæ, in comitatu Fenoliotense, ac diœcesi Narbonensi (modo Electensi) Coxanensi monasterio elargitur anno 1000. indictione XIII. octavo calendas Martii.

Ibid. 954. 1000.

XVIII. Fedelo, Fredolo & Fredolonus.

Fredelo subscripsit cum Adalberto Carcassonensi præsule & Ermessinde cognomento *Bona* vicecomitissa instrumento Ermengaudi archiepiscopi Narbonensis Guifredo abbati Cuxanensi & ejus monasterio certis conditionibus concedentis alodem S. Laurentii III. cal. Novembris anno septimo Roberti regis indictione 2. Hic est annus Christi 1004. Insequenti, procurante Guidone Aniciensi episcopo habitus est præsulum aliquot & virorum nobilium conventus, quos inter adfuit Fredelo, ubi varia statuta pro pace & tranquillitate publica condita sunt. Ermengaudus archiepiscopus condito testamento circa annum 1005. nonnulla vasa argentea Fredeloni episcopo legavit, ex quo & altero prius memorato instrumento non immerito colligas Fredolonem cum Ermengaudo consanguinitate, vel saltem affinitate conjunctum fuisse. Adhuc occurrit in charta Udalgerii presbyteri pro ecclesia Helenensi anno VIII. quo Robertus rex solus regnare cœpit in Francia. Insequenti 1006. memoratur in testamento Aidroardi, ac denique anno XIII. ejusdem Roberti regis sexto idus Junii in tabulario Arulensi.

1004. Ibid. 961. T. 2. Gall. Chr. instr. ch. V. col. 225. 1005. 1006.

XIX. Oliba & Oliva, *seu* Olibanus.

Interfuit Oliba episcopus Helenensis anno 1009. VII. idus Martii insigni apud Barcinonam conventui, in quo actum est de instaurando statu canonico in ecclesia Barcinonensi. Eodem anno consecravit ecclesiam monasterii Canigonensis IV. idus Novembris. Insequenti IV. idus Januarii rogatus a Gauzberto Arulensi abbate venit in vallem Asperiensem, illicque duas ecclesias in villa Montis aurioli in honorem S. Michaelis & sanctæ ac perpetuæ Virginis Mariæ pontificali consecratione lustravit. Adfuit eodem anno 18. Novembris cœtui apud Urgellam habito pro vita canonica in ecclesia Urgellensi instituenda. Munificus erga ecclesiam suam memoratur anno 17. regnante rege Roberto.

1009. Marc. Hisp. 968. Ibid. 971. 1010. Ibid. 972. Ibid. 974. 1012.

XX. Berengarius II.

Reperitur & anno 17. Roberti regis Berengarius, hoc est 1012. Interfuit anno 1019. XII. cal. Decembris celebri episcoporum & abbatum conventui habito in ecclesia Gerundensi pro vita canonica ibidem instituenda. De ejus assensu Oliba episcopus Ausonensis, itemque abbas Cuxanensis vendidit eodem anno alodem monasterii Cuxanensis. Cum autem eclesia cathedralis Helenensis sita prius in inferiori villa bis a Sarracenis destructa fuisset, placuit episcopo & capitulo ejus situm mutare. Itaque cum Berengarius ad sanctam civitatem Jerusalem devotionis ergo accessisset, formam hujusce ecclesiæ in pergameno descripsit, unde reversus ædificavit in villa superiori Helenensi ecclesiam cathedralem, cujus altare majus in honorem B. Eulaliæ constructum est ad preces comitis Rossilionis, qui sanctarum Eulaliæ & Juliæ reliquias e civitate Emeritanensi adsportatas ad hoc concessit. Ex quo Berengarii peregrinationem, ex eodem instrumento illius mortem discimus accidisse anno 1020.

1019. Ibid. 1016. 1020. Ibid. 1149.

XXI. Berengarius III.

Berengarii successorem cognominem cogit admittere antecessoris mors notata 1020. loco citato Marcæ Hisp. col. 1149. Berengarius igitur anno 1025. XVII. cal. Junii consecravit ecclesiam, quam pii quidam viri apud Perpinianum ædificaverant in honorem sancti Johannis Bapt. eique concessit decimas & oblationes ac cœmeterium *in gyrum ecclesiæ ad corpora mortuorum sepelienda;* ea tamen lege, ut ecclesia illa perpetuo esset subdita ecclesiæ Helenensi & episcopis ejus, & ut ecclesiæ Helenensi per singulos annos censum unius denarii persolveret. Anno XXXIV. regnante Roberto rege alodem de Crosanchas Udalgerio archipresbytero donavit.

1025. Ibid. 1040.

XXII. Suniarius II.

Brevis ævi pontifex Suniarius occurrit anno XXXV. Roberti regis, quo, testante Martennio nostro, cum Olibano comite transegit, vel, ut aiunt Sammarthani, cum Olibano Ruscinonis comite discordes animos super finibus de Baxanis & Basono, facta terminorum divisione sub annum 1031. ad concordiam revocavit.

1031.

XXIII. Berengarius IV.

Soniarii successor Berengarius Rivipullensis ecclesiæ consecrationi XVIII. cal. Febr. 1032. interfuit. Factus est IX. cal. Julii anno 1035. episcoporum conventus in monasterio Cuxanensi, inter quos aderat Berengarius. Una cum abbate Arulensi in judicium vocavit quemdam Wadallum pro hereditate Wifredi monachi, quæ a comite Guillelmo cœnobio est adjudicata VIII. idus Decembris anno VI. regnante Henrico. Aliquot post dies, XVII. nempe cal. Januarii nominatur in commutatione alodis Frexani in comitatu Vallis asperi a Willelmo comite, Adalaide conjuge, & filio Bernardo facta cum Bonifilio abbate Arulensi pro alode in valle Pratis. Adfuit anno 1038. conventui Rivipullensi, & XI. calendas Octobris consecrationi novæ Gerundensis ecclesiæ. Suam contulit operam dedicationi basilicæ Urgellensis X. calendas Novembris an. 1040. Habitum putant anno 1041. novi rerum Occitanarum scriptores, quod ad annum 1045. Baluzius, & Cossartius 1065. differunt concilium Tulugiense in pago Ruscinonensi, ubi pax & treuga confirmata fuit, quia juxta Hugonem Flaviniacensem in chronico treuga Dei primum constituta fuit anno 1041. & quidem uti Glaber coævus auctor asserit, in partibus Aquitaniæ, ad

1032. Ibid. 1052. 1298. 1035. Ibid. 458. 1036. Ibid. 1063. Ibid. 1064. 1038. Ibid. 1065. Ibid. 1069. 1040. Ibid. 443. Labb. tom. 1. Bibl. nova pag. 187. lib. 5. cap. 1. pag. 55.

ANNI CHRISTI

quam tunc pertinebant Septimania & Marca A Hispanica, ubi plurima pro ea confirmanda habita sunt hoc anno concilia. Quod autem Raimundi nomen, qui vigesimo quarto post anno factus est episcopus Helenensis, concilio præfigatur, hinc ortum putant, quod Raimundus factus episcopus, Tulugiensis concilii decreta confirmavit, & exsecutioni demandari præcepit, quod amanuensibus errandi occasionem præbuit, qui Raimundi nomen concilio præfixere. Berengarius autem adstitit concilio Narbonensi XVI. cal. Aprilis anno 1043. habito. Sigillo suo confirmavit consecrationem ecclesiæ S. Michaelis Fluvianensis in comitatu Emporitano die 26. Julii 1045. Subscriptus B reperitur eodem anno actis consecrationis ecclesiæ S. Martini de Lenis. Dedicavit ecclesiam S. Mariæ Arulensis XVII. cal. Decembris 1046. Partibus in Transmarinis peregrinus agebat anno 1047. ex novis rerum Occitanarum scriptoribus, quo Oliba Ausonensis episcopus ejus agens vices in synodo Helenensi XVII. cal. Junii confirmavit ea quæ ab episcopis in prato Tulugiensi congregatis statuta fuerant de treuga & pace. Acta quidem hujus concilii annum 1027. præferunt, sed perperam, ut ipsemet fateri cogitur Baluzius, qui concilii Tulugiensis decreta in synodo Helenensi confirmata agnoscit: nec est quod dicas C Olibam anno 1047. obiisse; quidni enim anno exeunte, seu post mensem Maium obierit, cum præsertim dies ejus obitus non adnotetur? Adfuit Berengarius concilio apud S. Tiberium in diœcesi Agathensi celebrato idibus Juliis anno 1050. Transegit cum Raimundo S. Andreæ abbate anno XXIII. regnante Henrico rege.

1043. Marc. Hisp. 442. Ibid. 1087. 1045. Ch. V. col 106. 1046. 1047. Ibid. 443. Ibid. 447. 1050.

Præsulis hujusce temporibus cum plurimi e diversis urbibus viri inter quos Guifredus Narbonensis archiepiscopus, Berengarius Gerundensis, & Guifredus Carcassonensis ad reædificandam sedem Helenensem, quæ tertio forsan destructa fuerat, convenissent, Berengarius noster canonicis S. Eulaliæ villam Salellas donavit IV. idus Decembris anno Henrici regis XXVIII. Christi 1058. indictione VI. cujus loco reponendum censet Baluzius XII. quidni legamus & nos annum 1053. pro 1058. erratum enim potius in notis chronologicis tum anni tum regni irrepsisse quam in indictione plura evincunt: primo enim indictio optime congruit cum Berengario, qui sedebat anno 1053. Secundo donatio est veluti testamentum episcopi jam senis, qui quod diu peccavit redimere studet, *pro delendis peccatorum meorum oneribus*, inquit, *quæ gravissime super sanctam Eulaliam peregi*, dono &c. quod intel- E ligi nequit de altero Berengario, cui post Arnaldum sequentem intra 23. dies ad summum electo, confirmato & consecrato tanta adversus S. Eulaliam peccare per tempus non licuit. Tertio quatuor ab anno 1053. ad 1061. sedisse episcopos, quorum duo Berengarii & duo Arnaldi, verisimile non est. Quarto denique, quod conjecturæ nostræ non modicum favet, Guifredus Carcassonensis episcopus, de quo in actis, amplius non sedebat anno 1056. si Arnaldus ejus successor concilio Tolosano adfuerit, ut volunt Sammarthani.

Ibid. 1117.

XXIV. Arnaldus I.

ANNI CHRISTI DALMAD.

Sub exitum anni 1054. aut initium sequentis interfuit Arnaldus consecrationi ecclesiæ Magalonensis; deinde concilio Tolosano decem & octo episcoporum adversus simoniam & alia cleri & populi vitia celebrato III. idus Septemb. an. 1056. tempore Victoris papæ II. & anno 1058. XIV. cal. Decembris dedicationi Barcinonensis ecclesiæ cum Guifredo Narbonensi & Raimbaldo Arelatensi archiepiscopis, ac pluribus aliis præsulibus. Ecclesiam S. Quintini de Balneis consecravit anno 1061. ex schedis Martennii.

1054. Tom. 9. conc. col. 1087. 1056. 1058. Marc. Hisp. col. 1114. 1061.

XXV. Raimundus I.

Sedebat Raimundus jam ab anno 1064. ex Baluzio Marc. Hisp. col. 443. Sigillum apposuit suum actis concilii Narbonensis habiti circa annum 1032. sed longe postea in signum assensus. Concilii Tulugiensis anni 1041. decreta confirmavit & observari præcepit. A Ceritaniæ comite Raimundo Priestretum & Allonem ob vastationem suæ illatam ecclesiæ acquisivit anno 1065. Una cum Gauzefredo comite Azalaideque comitissa jussit ædificari majus altare ecclesiæ Helenensis in honorem Domini & martyris Eulaliæ anno 1069. indictione VII. ut patet ex veteri inscriptione in duobus lateribus majoris altaris posita. Hoc est procul dubio altare argenteum, de quo ad hunc annum Sammarthani. Dedicavit nonis Aprilis anno XIII. Philippi regis ecclesiam S. Mariæ de Riquerio, consensitque ut illic esset deinceps cella monachorum sub monasterio Cuxanensi; cujus in ecclesia cum Willelmi Raimundi comitis Ceritaniæ satellites in Guilabertum comitem Ruscinonensem irruissent ferocissimeque in eum sæviissent, Willelmus Raimundum episcopum adiit *ad accipiendam pœnitentiam pro ejusdem* D *sacrilegii delicto, atque ad faciendum directum secundum præcepta canonum.* Accepta autem ab eodem pontifice pœnitentia, scripto pollicitus est se singulis annis quamdiu viveret venturum ad ecclesiam Helenensem in mense Decembri, & expensurum inibi ex suo censu proprium ad victum ejusdem canonicorum quadraginta solidos denariorum & modios decem vini ad mensuram Valle aspiri & vaccam unam. Varia insuper dona dedit eidem ecclesiæ & monasterio Cuxanensi. Datum anno 1075. VI. cal. Augusti. Amatus Oleronensis episcopus & sedis apostolicæ legatus anno 1077. VIII. idus Decembris concilium celebravit apud Bisuldunum, cui cum ipso interfuere Berengarius episcopus Agathensis, Raimundus noster Helenensis & Petrus Carcassonensis. Recensetur eodem anno in testamento Guillelmi vicecomitis, & anno 1080. cum eodem vicecomite *placitavit.* Sedit in concilio Gerundensi, quod habuit prædictus Amatus vice Gregorii VII. papæ an. 1078. Reperitur adhuc 1084. XIV. cal. Junii, & 1086. VIII. calend. Maii, quo munificum expertus est Guillelmum Raimundi Ceritaniæ comitem. Denique obiit Raimundus episcopus ineunte anno 1087.

1064. Sammarth. 1065. Marc. Hisp. 458. 1069. Ibid. 1162. 1073. Ibid. 1164. 1075. 1077. Ibid. 462. 1078. T. 4. Anecd. c. 1190. 1084. 1086. Marc. Hisp. 443. Ibid. 1178. Ibid. 466.

ANNI CHRISTI

XXVI. ARTALDUS I. *seu* ARTALLUS.

Electus Helenensis Artaldus *VI. idus Maii XXVII. anno regnante Philippo rege*, hic est 1087. 1087. passus contradictionem est a Dalmatio archiepiscopo, uti colligitur ex capite *Artaldus* apud Gratianum, ubi ex gestis Urbani II. legitur: *Artaldus Arelatensis (lege* Alanensis, qui idem est ac Helenensis*) Narbonensis ecclesiæ suffraganeus, Romam consecrandus ad dominum Urbanum papam venit. Suus quippe archiepiscopus eum consecrare nolebat*, propter quamdam conventionem, quam cum ecclesiæ suæ canonicis fecisse dicebatur ante electionem, quam haud dubie Narbonensis archiepiscopus contendebat esse simoniacam, ille vero negabat se eam fecisse ante electionem. Consecratus itaque est ab Urbano, cum prius jurejurando affirmasset nullam se conventionem fecisse ut eligeretur episcopus, nulliusque se sibi criminis conscium esse, propter quod eum archiepiscopus Narbonensis a sacerdotio repellere deberet. Consecratum tamen noluit Artaldum habere pro episcopo Dalmatius: unde Urbanus postea Reynerio legato mandavit, ut de causa Helenensis episcopi diligenter inquireret, eamque finiret. *Elenensis* quoque *episcopi*, inquit, *causam diligenter inquirito, & inter Narbonensem archiepiscopum & ipsum justo omnia judicio definito.* Electus adhuc nuncupatus subscripsit anno 1088. seu potius 1089. 1089. feria tertia 9. Januarii chartæ Willelmi abbatis vicecomitis de Castello novo & Willelmi Udalgerii vicecomitis ejus nepotis relaxantium Roberto abbati Crassensi pravas illas consuetudines quas instituerant in villis Pediliani & Corneliani; episcopus vero interfuit concilio Narbonensi die 20. Martii anno 1090. nunc 1091. 1091. celebrato. Eodem, ni fallor, anno IX. cal. Aprilis villam de Trullars acquisivit a Guillelmo archidiacono de Castro novo, & Guillelmo Udalgarii ejus nepote. Annus quidem 1121. præfertur in instrumento, sed facile fuit scribere MCXXI. pro MXCI. quibus annis æque convenit indictio XIV. Idem Guillelmus Dominici sepulcri iter carpens testamenti sui idibus Apr. die sancto Paschæ conditi Artallo inter alios curam demandavit & plurima legavit eodem anno 1091. Sigillum apposuit suum instrumento Guillelmi Ceritaniæ comitis abbatiam S. Michaelis de Coxano Massiliensi S. Victoris monasterio calendis Maii 1091. indict. XIV. subjicientis. Convivium opiparum primoribus festis quotannis cuncto S. Eulaliæ capitulo parandum VI. idus Nov. ejusdem anni Artallus episcopus una cum dignitatibus indulsit. Sammarthani sub idem referre tempus videntur, ab Artallo concessam Guillelmo Raimundi Ceritaniæ comiti facultatem ædificandi ecclesiam in Villa franca Confluentis. Qua de re videnda charta a Baluzio in appendice Marcæ Hispanicæ relata col. 1163. Actum id in ea legitur V. idus Aprilis anno XV. Philippi regis, hic est annus Christi 1075. quo Raimundus tunc & longe post episcopus erat Helenensis, uti supra vidimus; deinde Petrus Guillelmi abbas S. Michaelis de Cuxano hac in charta commemoratus successit Girberto, qui adhuc illi cœnobio præerat anno XVII. Philippi regis; ac proinde haud vereor affirmare loco anni XV. legendum XXXV. Certe hoc anno Philippi regis, seu 1095. 1095. nonis Octobris Guillelmus Raimundi Ceritaniæ comes Artaldum episcopum inter alios sui testamenti nominavit exsecutorem. Hic ipse est Artaldus, non vero Arnaldus, qui una cum multis Hispaniæ & Septimaniæ præsulibus, ac Petro Cuxanensi abbate interfuit concilio Nemausensi, quod celebravit Urbanus papa II. mense Julio anno 1096. Sicque delendi ex hoc indiculo 1096. Guillelmus & Arnaldus, quibus hîc locum perperam dedere Sammarthani fratres; ac primus quidem, quod Templariorum ordo, cum quibus transegisse dicitur anno 1094. nonnisi post recuperata loca sancta institutus fuerit, anno videlicet 1118. viginti ferme annis ab expugnata Francorum armis urbe Jerosolyma: alter vero unius litterulæ mutatione male ab Artaldo distinctus est.

Ibid. — *8. q. 3. cap. Artaldus.* — *Marc. Hisp. 1258.* — *Ibid. 1188.* — *Martenne ampl. coll. tom. 1. col. 537.* — *Sammarth.* — *Ibid. 1194.* — *Card. d'Aguirre tom 3. conc. col. 306.*

XXVII. ERMENGALDUS *seu* ERMENGAUDUS.

Helenensem ecclesiam regebat Ermengaudus anno saltem 1097. IV. nonas Martii seu XXXVII. 1097. Philippi regis, quo Guillelmo Jordani Ceritaniæ comiti concessit, ut ecclesia S. Jacobi de Villa franca semper foret sub jussione B. Mariæ de Corniliano. Subscripsit anno 1100. VIII. idus 1100. Augusti restitutioni factæ ab eodem comite monasterio Cuxanensi, ubi error irrepsit in annis regis Philippi, qui tunc 41. numerabantur, non 44. ut in charta. Electus tantum in episcopum dictus VII. cal. Octob. ejusdem anni redemit a Guilaberto comite Ruscinonensi tertiam partem villæ de Texneres cum ecclesia S. Genesii, quas Helenensi ecclesiæ dederat Arnaldus Willelmi de Salses. Anno sequenti donum excipit Poncii 1101. Adalberti de S. Laurentio. Willelmus Jordani Ceritaniæ comes Jerosolymam profecturus suum anno 1102. testamentum condidit, cujus exse- 1102. cutores constituit Ermengaudum episcopum, Petrum Willelmi abbatem Cuxanensem, Petrum abbatem Canigonensem & alios. Guilabertus comes Ruscinonensis, Stephania uxor & filius Guirardus tradunt eodem anno XVII. calend. Octobris ecclesiæ S. Johannis Perpinianensis decimas & primitias ejusdem parochiæ per manum Ermengaudi episcopi, ut ipse & successores provideant qualiter clerici ibidem communiter secundum canonicam auctoritatem vivant. Anno 1105. loca sancta petiturus Ermengaudus eccle- 1105. siæ suæ tertiam partem villæ Ternarii concessit. Recensetur anno sequenti in testamento Ugonis 1106. vicecomitis. Ecclesiæ suæ munificus contulit molendinum anno 1109. quo etiam anno *placi-* 1109. *tavit* seu litigavit cum Hugone Eblonis clerico. De ejusdem consilio & assensu Agnes comitissa Ruscinonensis cœnobium S. Andreæ de Sureda ejusdem diœcesis monasterio B. Mariæ de Crassa addixit V. cal. Octob. ejusdem anni, cujus abbati Leoni secundum Deum & S. Benedicti regulam instaurandum commisit, ex tabulis Crassensibus, quas vide in appendice Marcæ. Hispan. c. 1234.

Marc. Hisp. 1197. — *Ibid. 1218.* — *Ibid. 1219.* — *Ibid. 1224.* — *Ibid. 1226.*

Ecclesiam

ANNI CHRISTI

Ecclesiam Helenensem gubernabat Arnaldus anno 1109. ex Sammarthanis, qui & hunc cardinalem presbyterum tituli sancti Clementis in monte Cœlio a Paschali II. Romano pontifice factum credi memorant. Arnaldum quidem anno 1104. a Paschali creatum cardinalem asserit post Onuphrium Albericus, at de episcopatu ejus Helenensi non loquitur, nec ulla nobis occurrit mentio.

XXVIII. Petrus I.

Bernardi.

Præerat Petrus cognomento Bernardi anno 1113. ex Sammarthanis. Delegatus a summo pontifice Paschali II. ut ortam Cuxanense inter & Arulense monasteria de ecclesia S. Petri de Turriliis querelam finiret, secum assumsit judices Berengarium Gerundensem, & Galterum Magalonensem episcopos, atque Oldegarium S. Rufi abbatem, quibuscum decrevit ut quia Cuxanenses fratres se possedisse hanc ecclesiam per triginta annos & amplius probaverant, nec quidquam in contrarium afferre potuerant Arulenses, ecclesia cederet Cuxanensibus; qua de re instrumentum datum IV. non. Jan. 1114. ipse Bernardus Arulensis abbas manu propria firmavit, subsignavitque Petrus Bernardi episcopus, de cujus assensu Bernardus Ceritaniæ comes monasterium S. Martini de Canigone Crassensi B. Mariæ cœnobio subjecit die 2. Februarii anni ejusdem. Consecravit hoc ipso anno IV. nonas Julii ecclesiam S. Stephani Salsinensis in comitatu Ruscinonensi, quam non ita multo ante pii quidam viri ædificaverant ut esset parochialis. Anno insequenti VIII. idus Maii Willelmus Uzalgarius vicecomes Castri novi & uxor ejus Ermessendis, necnon eorum filii Uzalgarius archidiaconus, Robertus & Artaldus donationem in ejus manu fecerunt ecclesiæ S. Stephani de Pontiliano in diœcesi Helenensi. Ecclesiam S. Nazarii de Tordarias in diœcesi Helenensi anno 1116. XII. cal. Septembris, præsente Bernardo Arulensi abbate divino cultui mancipavit, eique nonnulla donavit. Anno 1118. IV. idus Aprilis Raimundus comes Barcinonensis impignoravit ei ecclesiam sanctarum Justæ & Ruffinæ fundatam in valle quæ vocatur *Prades*. Consecravit ecclesiam monasterii S. Andreæ Suredensis XVI. cal. Novembris indictione XIII. forte XIV. anno 1121. Memoratur hoc anno XVIII. cal. Decembris in charta donationis Berengarii vicecomitis de Tazone ecclesiæ Pontiliani factæ, & XVI. cal. Jan. donum Raimundi Barcinonensis comitis excepit. Subscripsit chartæ Arnaldi Narbonensis archiepiscopi præposituram canonicis suis restituentis IV. cal. Martii an. 1125. Testamentum condidit pridie cal. Julii an. 1126. Pepigit VIII. idus Augusti an. 1128. cum Gausberto vicecomite de Castro novo. Sanctæ Eulaliæ condaminas de Bages reliquit X. cal. Febr. 1129. quo etiam anno reperitur in veteri instrumento. Denique subscriptione sua firmavit Villam francam & ecclesiam de Corneliano, de quibus in Artaldo.

1113. — 1114. — *Append. Marc. Hisp. col. 1241.* — *Tom. 4. Anecdot. col. 131.* — *Marc. Hisp. 1242.* — 1115. — *Ibid. 1244.* — 1116. — *Ibid. 1246.* — 1118. — *Ibid. 1250.* — 1121. — *Ibid. 1259.* — *Ibid. 1257.* — *Ibid. 1259.* — 1125. — 1126. — 1128. — *Ibid. 1263.* — 1129. — *Ibid. 1268.*

XXIX. Udalguerius & Udalgarius.

Nobili genere satus Udalgarius, Gausberti de Castro novo & Artaldi (frater) ac nepos Guillelmi vicecomitis de Castro novo abbatis S. Pauli Narbonensis, ex archidiacono Helenensis ecclesiæ, ad ejusdem cathedram episcopalem evectus est anno 1130. uti docet titulus appositus in chartulario illius ecclesiæ, qui sic habet: *Anno 1140. Domminicæ Incarnationis domno Udalgario præsulante decimo anno, regnante Ludovico serenissimo rege, de regum Francorum, sive Apostolorum privilegiis, & de S. Eulaliæ diversis chartis liber iste collectus est, & in unius voluminis seriem redactus.* Et certe Udalgarius occurrit episcopus VIII. cal. Martii ineuntis anni 1130. quo Guillelmus de Paraquols dimisit ei honorem, quem in villa superiore & inferiore S. Felicis repetebat; eodemque anno V. idus Junias ecclesiam B. Mariæ Aspiranensis consecravit. Falsam igitur aut vitiatam esse oportet veterem chartam de ecclesia de Oveliano, quæ data dicitur anno 1125. XV. calendas Septembris ex chartulario, inquiunt, capituli Narbonensis; tum enim Richardus, qui illic nominatur, non amplius erat archiepiscopus Narbonensis, & Udalgarius, qui illic quoque memoratur, nondum erat episcopus Helenensis. Transegit anno 1133. cum Arnaldo de Turre. Insequenti prædictam B. Mariæ de Aspirano ecclesiam a Gregorio abbate Cuxanensi, facta permutatione acquisivit V. idus Novembris, in eaque canonicos regulares instituit secundum regulam B. Augustini, quibus præfecit Petrum Arnaldi canonicum Helenensem an 1136. VIII. calend. Januarii, ita ut nihil eis habere proprium liceret, nec ipsi ejusdem loci priori. Cum ejus consilio Gausfredus Ruscinonensis comes & uxor ejus Trencavella Berengario Crassensi abbati reddunt S. Andreæ monasterium possidendum & regendum III. idus Maii an. 1139. Udalgario episcopo & ecclesiæ illi commissæ VIII. calend. Aprilis 1140. Raimundus comes Barcinonensis fidem juravit. Erat tunc temporis valde misera illa ecclesia, cui ita graves erant Sarraceni, ut passim Christianos ejus regionis trucidarent, in captivitatem abducerent, & nunc pro eorum redemtione petebant centum virgines adolescentulas: ita hoc anno perorabat Udalgarius episcopus in præsentia totius synodi, quam Arnaldus archiepiscopus in ecclesia sua cathedrali celebravit: quibus commoti tam archiepiscopus, quam & alii qui synodo aderant, Bernardus scilicet (*lege* Bremundus) Biterrensis, Raimundus Magalonensis, Raimundus Carcassonensis, & Raimundus Tolosanus decreverunt auxilium quærere a filiis ecclesiæ in provincia Narbonensi. Et ut illud facilius obtinerent, eis qui pecuniam pro ea redemtione donarent, concesserunt *plenam remissionem omnium peccatorum post actam veram confessionem, exceptis publicis peccatis, pro quibus veniant ad episcopum suum, qui det eis judicium, & colligat eos & suscipiat eos in hac remissione secundum sanam rationem misericordiæ.* Eodem anno VIII. calendas Augusti pontificatus anno

1130. — *Ibid. 1269.* — 1133. — 1134. — 1136. — *Ibid. 1278. & 1279.* — 1139. — *Prob. t. 2. hist. Occit. col. 489.* — 1140. — *Marc. Hisp. 1287.* — *Tom. 2. hist. Occit. col. 429.*

ANNI CHRISTI

decimo, Innocentius II. ad archiepiscopum Narbonensem & episcopum nostrum scripsit epistolam, qua prohibet ne bona morientium episcoporum diripiantur a laicis. Transegit Udalgarius anno seq. 1142. cum Raimundo Berengarii, & 1142. III. idus Junii cum Gaufredo vicecomite de Rocabertino; quo etiam anno VI. cal. Dec. consecravit ecclesiam S. Mariæ de Custodia sitam in Valle Asperi, in confinio comitatus Bisuldunensis. Memoratur in schedis Martennii anno 1144. Insequenti VIII. idus Martii ecclesiam in villa Corneliani a militibus & aliis ejusdem villæ probis viris ædificatam consecravit in honorem S. Martini confessoris, omnesque decimas, primitias & allodia, quæ ad ipsam spectabant auctoritate sua roboravit, ex tabulis Crassensis monasterii, cui de Udalgarii consilio S. Andreæ de Sureda monasterium iterum hoc anno subjectum legit noster Martennius a Gaufredo Ruscinonensi comite. Anno sequenti 1146. Berengarius de Villarnello concessit Udalgario episcopo Helenensi medietatem honoris de Turre. Adhuc præerat 1147. ex chartis Crassensibus, ex Baluzio Marc. Hispan. c. 498. & ex Martennio. Denique sigillo suo firmavit Villam francam & ecclesiam de Corneliano. Sicque locus non suppetit Raimundo, quem volunt Sammarthani supremum diem explevisse anno 1144. V. idus Junias, ac proinde ex albo Helenensium præsulum expungendus est.

(Marg.: 1142. — Marc. Hisp. 1289. & 1290. — 1144. — 1146. — 1147.)

XXX. Artaldus II.

Ex archidiacono episcopus Artaldus exeunte anno 1148. III. idus Martii consecravit altare B. Michaelis quod est fundatum in ecclesia S. Justi, præsidente Arnaldo archiepiscopo, ex chronico Narbonensi apud Stephanotium nostrum. Insequenti VII. idus Octobris Raimundus princeps Aragoniæ & Barcinonæ comes Artaldo episcopo & successoribus ejus, necnon S. Eulaliæ juramentum fidelitatis præstitit. Eodem anno exeunte seu XII. cal. Januarii consecravit ecclesiam S. Vincentii Basonensis. Opem suam contulit an. 1151. V. idus Augusti inaugurando Gaufredo ex abbate S. Rufi primo Dertusensi episcopo. Eodem circiter anno Arnaldus abbas S. Pauli Narbonensis Pictavium pergens litteris navaturus operam, querelam inter se & capitulum suum de honore *des Amarats* Artaldo definiendam commisit, ex tabulario S. Pauli Narbonensis. Inde patet consecrationem ecclesiæ B. Mariæ de Campo ab Isalgario Helenensi episcopo anno 1151. factam apud Sammarthanos extra locum suum poni, tunc enim temporis sedebat Artaldus, qui a Bernardo de monte Eschino comparavit honorem, quem habebat in villa de Trulhars anno 1153. Testis anno 1155. Sabbato 15. Jan. legitur in charta Petri archiepiscopi Narbonensis bis mille solidos Melgorienses tradentis Ermengardi vicecomitissæ Narbonensi, eo quod ipsa bonis decedentium archiepiscoporum renunciasset. Eodem anno cum gravis discordia Artaldum inter episcopum & Gaubertum de Avalrino emersisset, XVIII. calendas Decembris composita est sententia judicum electorum, Bernardi videlicet archiepiscopi Tarraconensis, Petri Ausonensis episcopi, &c. Helenam civitatem vallis & munitionibus eodem anno ambiri permisit. Sub hoc tempus ad Berengarium Narbonensem & Artaldum Helenensem præsules scripsit Hadrianus IV. adversus Gaufredum comitem Ruscinonensem, qui legitima uxore dimissa aliam superinduxerat. Vide tom. 3. concil. cardinalis d'Aguirre c. 369. & Baluz. Miscell. tom. 2. pag. 224. Deo & B. Mariæ de Fonte frigido ac Vitali ejusdem loci abbati cessit Artaldus quæ habebat ratione Helenensis ecclesiæ in territorio S. Martini de Tacione: cessionis hujus litteræ datæ sunt anno 1157. ex tabulario Fontis frigidi. Eodem anno III. idus Octobris novam ecclesiam Arulensis monasterii, quam Udalgarius antecessor & ipse reædificaverant, dedicasse legitur cum Berengario Narbonensi archiepiscopo & aliis. Consecravit anno sequenti XIV. cal. Novembris ecclesiam S. Stephani in villa Arularum, XII. cal. Novembris ecclesiam S. Ceciliæ in villa Cocio, VII. cal. Novembris ecclesiam S. Martini de Curtesavini; & anno 1159. XVII. calendas Decembris ecclesiam S. Petri apostoli apud Rivum ferrarium, ac X. calendas Decembris ecclesiam S. Mariæ de Custodia in valle Asperiensi. Convenit anno 1162. ad comitia generalia per Petronillam Aragoniæ reginam celebrata. Quo etiam anno mense Augusto contulit Petro abbati Ardorellensi monasterium S. Mariæ de Cleriana in Rossilione, cujus abbas tunc erat Martinus, quem, ejusque successores vult esse subditos abbati Ardorellensi; qua de re vide chartam hujus episcopi inter probationes Castrensis diœcesis tom. 1. novæ Gall. Christ. ch. VI. pag. 14. Testes jurarunt coram Artaldo episcopo & Petro abbate S. Andreæ super ultima voluntate Gaufredi comitis Ruscinonensis VIII. idus Maii 1164. Eodem anno ecclesiam oppidi S. Laurentii de Monte nuncupatam solemniter sacravit. Cum ejusdem consilio Girardus comes Ruscinonensis remisit procurationem quæ ei competebat in ecclesia S. Johannis Perpinianensis an. 1165. V. nonas Julii; capellanus vero illius ecclesiæ promisit comiti duos presbyteros supra numerum constitutum se in eadem ecclesia collocaturum cum consilio & voluntate Artaldi episcopi. Ea tempestate Alexander III. papa apud Montempessulanum positus Poncio archiepiscopo Narbonensi, Artaldo Helenensi & aliis episcopis mandavit XIV. calendas Septembris, ne sinerent Girardum comitem Ruscinonensem super hereditate quam ei confirmaverat, impeti ab adultera, quam Gaufredus Girardi pater duxerat, aut ab ejus filio. Adhuc erat superstes 1169. quo anno donationi ab Ermengaudo de Villarara factæ monasterio B. Mariæ de Aspirano, & ejus priori Poncio subscripsit. Hic autem juvat adtexere epistolam ab hoc episcopo scriptam Ludovico VII. regi juniori, quæ sic habet tom. 4. Scriptorum Franciæ Duchesnii pag. 648.

Ludovico Dei gratia glorioso Francorum regi, A. eadem gratia Helenensis episcopus salutem & sinceræ dilectionis affectum. Gloriosæ recordationis prædecessores vestri perennem memoriæ suæ titulum

(Marg.: 1148. — 1149. — Sammarth. — Marc. Hisp. 1304. — 1151. — Ibid. 504. — 1153. — 1155. — Ibid. 1318. — 1157. — Ibid. 1321. — 1158. — 1159. — Ibid. 1323. 24. 25. & 1327. — 1162. — 1164. — Ibid. 1339. — 1165. — Ibid. 509. — Ibid. 510. — 1169.)

ANNI CHRISTI

nobis reliquerunt, ecclesiam nostram, expulsis Agarenis, in pristinum statum reformando, & eam ex fiscis regalibus augmentando. Unde & omni eorum posteritati obnoxii effecti, grates ipsas, quas & patres nostri in vestros effuderunt, nos quoque & in vos refundimus, ecclesiam Helenensem & omnia nostra vestræ regali magnificentiæ exponentes; specialiter tamen si quid ex partibus nostris vobis placuerit, quod regiam deceat aut lætificet mentem, lætissimo cordis sinu jussum amplectemur, & regium votum efficaciter implebimus. De cetero serenitati vestræ non minimas referimus gratias, quod præsentium latorem A. de Mataplana consanguineum nostrum transactis annis bene suscepistis, & vestra liberalitatis gratia respexistis. Nos quoque in eumdem modum non solum vestræ, ut diximus, regali excellentiæ, sed etiam omnibus curiæ vestræ devotis ac familiaribus obsequi nos paratos gratanter enunciamus. Valeat & vigeat regalis dignitas vestra in Domino. His respondit litteris Ludovicus, episcopoque gratulatus est quod in partibus remotioribus fidelis esset ipsi & regno.

Duchesne tom. 4. script. F. p. 730.

Porro ex dictis de hoc Artaldo facile quis colliget unum & eumdem esse episcopum quem vetus Gallia Christiana in tres dividit, intermedios Isalgarium, & Wadaldum inserendo, qui certe non differunt, ille ab Udalgario Artaldi decessore, hic autem a Wadaldo de quo supra n. XIII.

JORDANI vel JORDANIS.

XXXI. GUILLELMUS I.

Binas canonicales præbendas in ecclesia cathedrali instituisse & largiter dotasse memoratur Guillelmus, cujus tantum fit mentio annis 1184. & 1186. quo ultimo postridie Assumtionis B. Mariæ ex hac vita sublatus est, uti fert ejus epitaphium in claustro Helenensi tumulo ejus appositum.

1184.
1186.

Guillelmus jacet hîc Jordanis pastor ovilis
Elnæ, quem juvenis plebs plangit & ordo senilis:
Urbis & orbis honor, sed nunc dolor urbis & orbis:
Crastina lux rapit hunc assumta matre potentis,
Bis septem demtis annis de mille ducentis.

XXXII. ARTALDUS III.

1188.

Præerat Artaldus an. 1188. ex Sammarthanis, quo ecclesiam Villærassæ protomartyri Stephano solemniter dicavit V. idus Martii.

XXXIII. GUILLELMUS II.

Prima nominis littera G. notus, in veteri autem Gallia Christiana omissus, ratam habet cum aliis coepiscopis venditionem cœnobio Fontis frigidi factam a Bernardo Narbonensi archiepiscopo anno 1188. ex tabulis hujus monasterii. Anno vero 1195. calendis Octobris Guillelmus Helenensis episcopus diserte expressus ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ de Combred cum suis omnibus pertinentiis Roberto abbati Arulensi concessit, & anno 1196. fundationem Poncii sacristæ Helenensis auctoritate sua firmavit. Memoratur præsens anno 1197. in constitutione Petri I. Aragonum regis adversus hæreticos; quo etiam anno VI. nonas Maii cum Gaufrido vicecomite de Rocabertini litem composuit Robertum inter Arulensem abbatem & Ermessendam dominam de Curtesavino.

1195. *Marc. Hisp. col. 517. 1383.*
1196.
1197. *Ibid. 1385.*
ANNI CHRISTI *Ibid. 1386.*

XXXIV. ARTALDUS IV.

1200. *Ch. XXIX. col. 362.*

Adstitit Artaldus nonis Novembris an. 1200. dedicationi templi S. Mariæ & S. Crucis apud Montempessulanum. Insequenti nonis Septemb. e vivis excessit sepultus in claustro ecclesiæ suæ, ubi etiamnum, testante Baluzio Marcæ Hispan. col. 520. legitur hoc epitaphium.

Gariel in ep. Magalon. pag. 265.
1201.

Pontificum floris Artaldi, vasis honoris
Corpus petra tegit, animam Christus petra legit
Anno viventis lapso cum mille ducentis
Nonis Septembris positis sub marmore membris.

XXXV. BERENGARIUS V.

Incertum hunc episcopum post Sammarthanos hîc inserimus, cui & ejus ecclesiæ Petrum Aragonum regem civiles & criminales causas, & antecessorum regum privilegia indulsisse denuo, eamdemque ecclesiam & ejus homines sub regali tutela suscepisse anno 1205. scripserunt iidem auctores. Et certe ad hunc annum §. 63. apud Odoricum Rainaldum legitur Innocentius III. semel iterumque regem Aragonum monuisse ut ecclesiam Helenensem vexare desisteret, atque in integrum restitueret, cujus oppida & possessiones violenter occupaverat populatusque fuerat eo nomine, quod episcopi electionem sine ipsius auctoritate attentasset, atque eatenus retinuerat quoad ecclesia hæc imperata pecunia redimere cogeretur. Verum ibi præsulis nomen reticetur, qui certe posthac non diu rexit, nam

1205.

XXXVI. GUILLELMUS III.

DE ORTAFANO.
1206.

Anno 1206. Guillelmus episcopus Petro priori B. Mariæ de Aspirano jus omne ac dominium dimisit quod habebat in ecclesia S. Salvatoris de Comanals. Insequenti 1207. XIII. cal. Aprilis interfuit sacramento fidelitatis, quod Guillelmus de Castro novo vicecomes præstitit Bernardo abbati Crassensi & ejus conventui. Eodem anno IV. nonas Julii episcopo & capitulo Helenensi scripsit Innocentius III. epist. 84. lib. X. ne contradictio unius in tractandis ecclesiæ negotiis prævaleret adversus publicam utilitatem, quæ hac in ecclesia inoleverat consuetudo. Anno 1208. calendis Augusti ecclesiam parochialem Illiberitanam Hospitalariis Jerosolymitanis concessit, sibi ac successoribus omni jure episcopali reservato. Obiit an. 1209. idibus Aprilis, sepultusque est in claustro ecclesiæ suæ. Manet hactenus ejus sepulcrum cum hoc epitaphio:

1207.
1208. *Sammarth.*
1209. *Marc. Hisp. pag. 520.*

Anno Christi MCCVIIII. *idibus Aprilis obiit Guillelmus de Ortafano episcopus Elnensis, in cujus tempore ecclesia Elnensis adquisivit honorem de Avalorino, & castrum S. Cypriani & possessiones de Podio. Hic obtinuit auctoritatem privilegiorum regum Franciæ, quod aliquis homo vel femina ecclesiæ Elnensis non firmaret directum in curia seculari pro aliquo facto.*

ANNI CHRISTI

XXXVII. Raimundus III.

DE VILLA LONGA.

Guillelmum excepit Raimundus de Villa longa nuncupatus, antea Populeti abbas. Regebat anno 1212. ac proinde ipse est cui Innocentius III. direxit epistolam 82. lib. xv. apud Baluzium, datam Laterani VII. cal. Junii pontificatus anno xv. pro quibusdam catholicis pauperibus, qui hortatoribus Durando de Osca, D. de Naiaco & aliis nosocomium in diœcesi Helenensi ædificare proposuerant, egenisque utriusque sexus ministrare. Occurrit adhuc an. 1214. obiitque 1216. sepultus in cathedrali basilica, non 1219. ut habetur in veteri Gallia Christiana.

1212. 1214. 1216.

XXXVIII. Gualterus & Galterus.

Sammarthanis ignotus Gualterus, professione monachus, domnus quippe ac frater vocatus, electus Helenensis dicitur an. 1217. in sententia, quam ut arbiter protulit Bernardus Raimundi episcopus Carcassonensis in gratiam Arnaldi archiep. Narbonensis adversus priorem de Salella. Episcopali charactere ab Honorio III. Romæ eodem anno insignitus est, ejusque cum consilio Nunno Sancii comes Ruscinonensis paces & treugas constituit in toto episcopatu Helenensi & Ceritaniensi comitatu. Recensetur adhuc VIII. idus Maii an. 1221. in tabulis capituli Narbonensis.

1217. *Ibid. 523. & Spicileg. tom. 8. pag. 368.* 1221.

XXXIX. Arnaldus II.

DE SERRA LONGA.

Solo nixi veteris Galliæ Christianæ testimonio locum Arnaldo inter episcopos Helenenses damus, quippe qui nihil aliud reperimus ad roborandum ipsius in cathedra Helenensi episcopatum. Ex abbate Populeti ad hanc sedem assumtus, ecclesiæ suæ suisque successoribus jura super castro de Solerio competentia acquisivisse dicitur III. cal. Aprilis anno 1223. subsequenti anno adhuc superstes.

1223. 1224.

XL. Raimundus IV.

Initiali tantum nominis littera R. designatus anno 1225. XVII. cal. Aprilis interfuisse memoratur cum pluribus aliis episcopis sacramento fidelitatis, quod Raimundus de Rocafolio ecclesiæ & regi præstitit. Guillelmus autem Jordanus archidiaconus Helenensis Raimundo episcopo castrum & locum de Solerio denuo concessit VII. idus Aprilis anno 1226. Hanc adhuc regebat ecclesiam 1227. & 1229. quo anno transegit cum Guiraudo priore B. Mariæ de Aspirano.

1225. Ch. XXX. eccl. Nemauf. col. 201. *Sammarth.* 1226. 1227. 1229.

XLI. Bernardus I.

BERGA.

Raimundi successor Bernardus cognomento Berga, non Forner, quod alteri Bernardo sæculo sequenti celebrando convenit cognomen, anno 1230. capellaniam in ecclesia S. Johannis Perpiniani a Guilaberto comite Ruscinonensi erectam obtinuit a sede apostolica perpetuo fore unitam mensæ episcopali, salvis portionibus, quas canonici & portionarii ejusdem ecclesiæ recipere consueverant; a quo tempore episcopi Helenenses partim Helenæ & partim Perpiniani sedem habere cœperunt. Anno 1233. VII. idus Septembris

Marc. Hisp. col. 1437. 1230. *Ibid. 1227.* 1233.

A una cum Fulcone vicecomite Cardonæ electus arbiter pacem & concordiam inter Nunnonem Sancii comitem Ruscinonensem & Rogerium Bernardi Fuxensem comitem revocavit. Interfuit comitiis generalibus per Jacobum I. regem Aragonum & Catalaniæ principem Tarraconæ celebratis anno 1234. Vendidit una cum Guillelmo de Porcella XIX. cal. Febr. 1239. regi Franciæ ejusque senescallo Albiensi *mandamentum* Nunni Sanctii domini Ruscinonensis, &c. ex tabulario regio Carcassonensi. Anno 1241. V. idus Martii Guillelmus B. de S. Romano canonicus Barchinonæ tenens locum domini regis in episcopatu B Helenensi & Ceritaniæ comitatu, ejusdem regis speciali mandato, cum consilio & auctoritate ac voce B. Elnensis episcopi & aliorum pacem & treugam a Jacobo Aragoniæ rege sancitam, salva in omnibus domini regis jurisdictione fecit apud Malleolas. Consecravit ecclesiam vallis Pratensis ædificatam in honorem sanctarum Justæ & Ruffinæ 1245. IX. cal. Maii. Prælatorum subscripsit litteris ad Innocentium papam XVII. cal. Julii datis, ut libera daretur inquisitoribus in hæreticos agendi licentia. Eodem anno 1245. nonis Octobris Bernardus episcopus Helenensis una cum Berengario Crassensi abbate inter universitates castri de C Pediliano ex una parte & de Solerio tam superiori quam inferiori ex altera pacem & concordiam renovavit.

ANNI CHRISTI *Ibid. 1422.* 1234. 1239. 1241. *Spicileg. tom. 8. p. 389.* 1245. *Marc. Hisp. 1437. Prob. tom. 3. hist. Occit. col. 446.*

XLII. Berengarius VI.

B. Helenensis ecclesiæ episcopus synodo Biterris anno 1246. XIII. calendas Maii habitæ interfuit. Hunc esse putamus, cui anno eodem in episcopalis dignitatis sublimi sede collocato ex Sammarthanis, & B. Eulaliæ Jacobus rex Aragonum fidelitatem jurejurando spopondit.

1246. *t. XI. concil. col. 688.*

XLIII. Bernardus II.

DE ARGILAQUERIIS.

D Berengario suffectus est Bernardus, cui cognomen de Argilaqueriis, anno 1250. ex Sammarthanis. In Perpinianensi S. Johannis ecclesia unum perpetuum instituit sacerdotem an. 1254. Memoratur etiam 1256. quo circiter anno castrum & oppidum de Bagiis ab Empuriarum comite sibi ac successoribus acquisivit. Recensetur inter pontifices & magnates, qui cœtui a Jacobo rege Aragonum Ilerdæ congregato interfuere pridie nonas Aprilis an. 1257. in quo rex jura & privilegia omnibus ditionum suarum episcopis cæterisque prælatis confirmavit. Hic procul dubio est B. Elnensis episcopus, qui anno 1258. IV. idus E Decembris adstitit Monspelii Aragonum regi in parlamento publico veniam Monspeliensibus concedenti.

1250. 1254. 1256. 1257. *Ibid. 1441.* 1258.

XLIV. Berengarius VII.

DE CANTALUPIS.

Occurrit Berengarius de Cantalupis jam anno 1258. ex Sammarthanis, quo forsan electus est. Insequenti 1259. die Dominica post quatuor tempora Septembris Jacobo Narbonensi archiepiscopo fidem & obsequium juravit coram P. Agathensi antistite officium consecrationis ejus peragente, adstantibus Biterrensi, Leutevensi &

1259.

ANNI CHRISTI

Carcassonensi episcopis, ex tabulis capituli Narbonensis. Obedientiam quoque Maurino Narbonensi archipræsuli promisisse reperitur VIII. cal. Octobris an. 1263. Jacobus Aragonum, Majoricarum & Valentiæ rex, Barcinonæ & Urgellæ comes ac dominus Montispessulani huic concessit X. calendas Octobris an. 1264. ut tam ipse quam ejus successores partem illam haberent, quam de violatoribus pacis & treugæ habere deberet, ex tabulis Crassæ. Iisdem anno & die rex idem ipsum & ejus capitulum a cujusdam *herbagii* solutione exemit. De eo in actis capituli generalis Cisterciensis an. 1264. legitur: *Petitio R. P. domini B. Elnensis episcopi de habendo confessore monacho & duobus conversis de provincia Narbonensi exauditur.* Anno sequenti privilegii de justitia civili & criminali confirmationem impetravit a Jacobo rege, ex tabulario Crassæ. Recensetur eodem anno in privilegio ejusdem regis pascua ecclesiæ Helenensi & monasteriis ejusdem diœcesis concedentis. Statuit anno 1266. ut in ecclesia Helenensi sexdecim tantum essent canonici. Adhuc memoratur 1270. & 1272. quo vicariæ S. Christophori de Verneto octingentos solidos assignavit. Locum habet inter præsules, qui litteras hoc anno ad Gregorium X. papam scripsere post electionem Petri de Montebruno archiepiscopi Narbonensis. Denique Berengarius præsens memoratur cum Jacobo Aragonum rege, Petro & Jacobo ejusdem liberis, & Jacobo Oscensi præsule, necnon Guiraudo abbate S. Pauli Narbonensis, quando S. archiepiscopus Toletanus super epistola Gregorii X. papæ data idibus Martii pontificatus anno secundo ipsi a ferenda cruce per provinciam Narbonensem interdicente nisi suum jus probaret, respondit VIII. idus Apr. an. 1274. tum existens Perpiniani, se super hoc deliberaturum, & in crastinum responsurum; & revera VII. idus Aprilis in præsentia & testimonio prædicti Jacobi Oscensis episcopi & Arnaldi Fontis frigidi abbatis dixit se hac vice a ferenda cruce per provinciam Narbonensem cessaturum, ad preces tantum ejusdem D. papæ, quas pro præcepto habebat; sed quia in memorata pontificis epistola jus quoad possessionem & proprietatem ipsi & ecclesiæ Toletanæ reservabatur, hanc epistolam retenturum, quam cum esset in curia, restitueret ad ejusdem D. papæ voluntatem.

[Margin: 1263. 1264. tom. 2. Anecd. col. 1120. 1265. 1266. 1270. 1272. Ch. LXXIII. eccl. Narb. col. 68.]

XLV. BERTRANDUS.

Innotescit Bertrandus episcopus ex concilio Biterrensi, cui interfuit cum aliis provinciæ Narbonensis suffraganeis præsulibus a Petro archiepiscopo congregatis an. 1279. in crastinum festi Inventionis S. Crucis, hoc est 4. Maii. Fortasse tamen pro Bertrando legi debet qui sequitur

[Margin: 1279.]

XLVI. BERNARDUS III.

[Margin: SALA.]

Se ipse vocat Bernardum Sala, de quo nihil apud Sammarthanos, in epistola ad Petrum Narbonensem archiepiscopum, data Elnæ XIII. cal. Apr. 1280. qua se excusat quod præsens adesse non possit concilio Biterris Dominica qua cantatur *Lætare Jerusalem* celebrando, mittitque vicarium procuratorem pro se Berengarium de Palma canonicum Elnensem & sacristam ecclesiæ Perpiniani, ad quam synodum accessit etiam Raimundus Olivarii procurator ab Helenensi capitulo directus.

[Margin: 1280. t. XI. conc. col. 1124.]

Huic autem substituendus esset Berengarius notatus simpliciter in quadam scheda anni 1287. si de illius sinceritate constaret, sed fortasse legendum 1277. ad quem annum pertingere potuit superior Berengarius, aut amanuensis pro littera B. quam solam reperit, supplevit imprudenter nomen Berengarii pro Bernardo.

XLVII. RAIMUNDUS V.

[Margin: COSTA.]

Duos ejusdem nominis præsules ex ordine subjiciunt Sammarthani, priorem de Scalis cognominatum & alterum Costa; sed hunc posteriorem anteponendum liquet, ex tabulis capituli Narbonensis, cui consecratus, sede vacante, obedientiam promisit an. 1290. VIII. cal. Octobris, eodemque anno pro ecclesia S. Johannis Perpiniani statuta quædam edidit. Is autem prius fuerat major advocatus in civitate Carcassonæ, de quo in veteri Gallia Christiana ad annum 1297. qui III. & pridie cal. Julii an. 1298. subscripsit instrumentis mutuæ restitutionis Jacobum inter Aragonum regem & Jacobum regem Majoricarum. Subscripsit quoque prima nominis littera designatus epistolæ præsulum provinciæ Narbon. Biterris in concilium adunatorum scriptæ ad Philippum regem an. 1299. IV. cal. Oct. * adversus vicecomitem Narbonensem. Raimundo episcopo Petrus Gumbi scriptor publicus Perpiniani exhibuit eodem anno testamenti Jacobi Aragoniæ regis exemplar, *& dictus dominus episcopus Elnensis sedens pro tribunali apud Perpinianum omnibus perspectis consensum suum judiciarium interposuit, ac edixit exemplari suprascripto tanquam authentico plenam fidem adhibendam.* Hæc in palatio dicti domini episcopi in villa Perpiniani acta sunt. Anno 1300. VIII. calendas Decembris una cum B. Biterrensi, P. Tolosano, G. Magalonensi, & B. Appamiensi præsulibus rescribit Egidio Narbonensi archiepiscopo, se consecrationi P. electi Carcassonensis tertia vel quarta Dominica mensis Novembris faciendæ in provincia Bituricensi aut Lugdunensi assensum præbere, sed interesse non posse. Memoratur eodem anno in veteri charta Montispessulani. Tum vero judex delegatus bulla Bonifacii papæ VIII. data pontificatus anno septimo IV. idus Februarii de quodam facto hæresis, IV. calendas Julii anno 1301. Petrum de Viridario Perpiniani clericum ad hoc subdelegat, eo quod tunc temporis cum B. Biterrensi, & G. Magalonensi præsulibus a sancta sede delegatus ad inquirendum de pretio & valore Tolosani & Appamiensis episcopatuum occupatus esset, ex tabulis inquisitionis. Memoratur in chartulario Crassensi an. 1308. IV. nonas Octobris. Exstant acta inquisitionis ab eodem episcopo factæ mense Januario anni 1309. in causa Templariorum illius regionis, qui objecta crimina negarunt. Anno 1310. cum legati & nuncii papæ Clementis V. ad regnum Franciæ missi

[Margin: 1290. 1297. 1298. 1299. t. XI. conc. col. 2. pag. 1430. * Novemb. conc. Narb. Baluz. p. 88. Spicileg. tom. 9. pag. 198. 1300. 1301. 1308. 1309. 1310.]

ANNI CHRISTI

aliquam exigerent procurationem ab Helenensi clero non secus ac a clero ecclesiarum Franciæ, intercessit Raimundus episcopus III. calend. Nov. ejusdem anni, asserens ecclesiam suam esse quidem provinciæ Narbonensis, sed non pertinere ad regnum Franciæ. Allegavit præterea privilegium Innocentii IV. legationis officium in diœcesi Elnensi legatis apostolicis interdicentis, nisi expressa de ea fieret mentio. Hæc ex tabulario archiepiscopi Narbonensis. Denique in sua intra ecclesiam ubi jacet capella beneficia quædam instituit Raimundus Costa, ex Sammarthanis.

Baluz. t. 1. vit. Pap. Aven. col. 639. & 666.

XLVIII. Raimundus VI.

Raimundo successit Raimundus alter, qui ex præcentore Helenensis ecclesiæ in episcopum electus, consecrandus ad Bernardum archiepiscopum Narbonensem mittitur circa annum 1311. uti constat ex supplici libello eidem archipræsuli oblato pro hujus antistitis electione firmanda, cui Guillelmus Jordani in Rossilione archidiaconus Elnensis ante tres alios ejusdem ecclesiæ archidiaconos, nimirum de Confluente, de Vallis spirio & de Fenuleto subscripsit, ex tabulario capituli Narbonensis. Utrum Raimundus hic idem sit ac Raimundus de Scalis apud Sammarthanos, non audemus definire.

1311.

XLIX. Guido I.

Cujusnam sit diœcesis, si non hujus, episcopus nescio Fr. Guido Cisterciensis *Elenensis* episcopus, qui vice Theobalbi Leodiensis episcopi Romæ tunc agentis de auctoritate Petri Cameracensis episcopi feria VI. post festum B. Marci Evangelistæ, 28. scilicet Aprilis anni 1312. ecclesiam parochialem B. Rumoldi cum duobus altaribus diœcesis Cameracensis dedicavit in honore S. Trinitatis, B. Mariæ Virginis & B. Rumoldi martyris. Vide instrumentum dedicationis tom. 5. novæ Gall. Christ. ch. XXIII. col. 305.

1312.

L. Odo.

Hic non adeo certus episcopus solum innotescit ex charta parthenonis SS. Trinitatis Pictaviensis, in qua sacros ordines apud Thoarcium in Pictonibus contulisse legitur die Sabbati post *Invocavit me* anno 1315. Et certe hac die benedictionis munus contulit Sibillæ SS. Trinitatis abbatissæ, de licentia Fortii electi Pictaviensis in remotis tunc agentis. Vide tom. 2. novæ Gall. Christ. col. 1306. Sed an revera fuerit episcopus Helenensis aut suffraganeus aliquis, argumenta desunt.

1315.

LI. Guillelmus IV.

Ex archivis Narbonensibus in remotis agebat Guillelmus episcopus Helenensis anno 1315. die 18. mensis Septembris, quo ejus vicarii generales Raimundus Guillelmi sacrista Elnensis ecclesiæ, Geraldus de Lacolre officialis Elnensis & frater Bernardus Andreæ monachus S. Martini Canigonensis, accepto mandato a Bernardo Narbonensi archiepiscopo ut ad provinciale concilium proxime celebrandum Templarios accedere curarent, Guillelmum de Can.... locum tenentem & consiliarium regis Majoricarum adierunt, sub cujus custodia prædicti Templarii positi fuerant a Clemente papa V. ut quid facto opus esset super litteris archiepiscopi scirent; ad quos respondit prædictus Guillelmus id se non posse permittere absque futuri pontificis facultate, quam postea concessit Johannes XXII. Guillelmus vero annis 1316. & 1317. varia statuta condidit, fato functus hoc ipso anno, quo scilicet Helenense capitulum, sede vacante, ad concilium Biterris habitum procuratorem misisse reperitur.

1316. 1317.

LII. Berengarius VIII.

Bajuli.

Servitia cameræ apostolicæ debita promisit Berengarius 19. Dec. 1317. ex archivis Vaticani. Insequenti 16. Junii Arnaldum de Alione Crassensem monachum ex S. Martini Algesariæ Cæsaraugustanæ priore abbatem S. Andreæ de Sureda electum a Crassensi conventu eidem cœnobio præfecit. Electus tamen adhuc dicitur 10. Dec. 1320. nisi alter sit Berengarius, ibique servitia promisisse dicitur. Anno 1321. juravit obedientiam Bernardo archiepiscopo Narbonensi. Transegit eodem anno cum Guillelmo abbate Crassensi de jure notarios eligendi & creandi in castro de Prata. Eo sedente primarium lapidem S. Johannis Perpinianensis posuit Sancius rex Majoricarum, secundum vero ipsemet Berengarius Bajuli cognominatus episcopus Elnensis an. 1324. Synodales plurimas promulgavit constitutiones annis 1326. 27. 28. & 1330. quæ exstant in tabulario ecclesiæ Perpinianensis. Testis est concordiæ inter Aragonum & Majoricarum reges cal. Octobris an. 1327. Reperitur etiam 1332. mense Sept. in archivo domanii Monspeliensis, eodemque tempore translatus ad Majoricensem cum sequenti permutavit.

1317. 1320. 1321. 1324. 1326. 1330. *Spicileg. tom. 10. p. 204.* 1332.

LIII. Guido II.

Terreni.

Guido de Perpiniano dictus, fortasse a natali solo, seu Terreni vel de Terrena, gente Catalanus, ex Ruscinonensi comitatu oriundus, professione Carmelita, lauream doctoratus in academia Parisiensi meruit, inde *doctor Parisiensis* vulgo appellatus. Anno 1318. ordinis sui præfectus generalis numero decimus-tertius Burdegalis electus est, & inquisitor generalis a pontifice renunciatus eodem anno. Nondum episcopus ossa S. Memmii die 8. Junii in capsa recondidit de mandato vicarii generalis Petri Catalaunensis episcopi, ut constat ex processu verbali, de quo in historia genealogica magnatum Franciæ tom. 2. p. 346. Anno 1321. Majoricensis episcopus in insulis Balearibus a Johanne pontifice factus est; quo tempore Bernardum Fuscherium pseudominoritam Clareni lue infectum comprehendit & cum fidei censore ejusdem hæreses ex ipsius litteris in 32. articulos digessit, Deinde ab eodem papa pontificatus anno XVI. translatus est ad sedem Elnensem, pro qua promisit servitia mense Oct. anni 1332. Eodem anno Johannes papa Guidoni

Guill. Cave de script. sæculo Wiklefiano p. 20.

Odor. Rain. ad an. 1321. n. 7.

ANNI CHRISTI 1335. 1337. 1339. 1340.

provinciam demandavit ut in hæreticos in terris regis Balearium delitescentes legum severitatem distringeret. Varia condidit statuta synodalia annis 1335. 27. Aprilis 1337. 1. Maii, 1338. 23. Aprilis, 1339. 8. Aprilis & 1340. 27. Aprilis. Ejusdem vicarius generalis & procurator Nicolai Roger Crassensis abbatis jus patronatus loci sacerdotalis in altari S. Agathæ, in ecclesia S. Martini de Corneliano, de Riparia ad ecclesiæ hujus rectorem pertinere confitentur anno 1335. IV. idus Augusti, ex tabulis Crassensibus. Scripsit summam de hæresibus omnibus & earum confutationibus editam Parisiis 1528. fol. Ejusdem quoque in decretum Gratiani commentarium exstat manuscriptum in codice 3673. Bibliothecæ regiæ, quos duos libros Gaucelino cardinali Albanensi episcopo nuncupavit. Insuper edidit concordiam quatuor Evangelistarum cum perpetuis commentariis, quæ una cum summa de hæresibus typis Coloniensibus in publicum prodiit an. 1631. Scripsit & tractatum de perfectione vitæ ms. in Bibliotheca Colbertina. Obiit Guido doctrina & pietate commendatus anno 1342. ex Baluzio tom. 1. vitarum Pap. Avenion. col. 1432. & quidem Avenione die 21. Augusti, sepultus apud Carmelitas suos Perpinianenses, ex Guillelmo Cave loco citato.

Marc. Hisp. 1454. 57. 64. 65. & 1466.

1342.

Quidam nihilominus, inter quos domnus Polycarpus de la Riviere Carthusianus, & Gaspardus Loys Minorita conventualis Arelatensis, quos novissimus episcoporum Vasionensium chronographus R. P. Ludovicus Anselmus Boyer prior conventus Fratrum Prædicatorum du Thor utcumque secutus est, Guidonem hunc patriarcham Jerosolymitanum & episcopum Vasionensem fuisse scripserunt, ex inscriptione, quæ cum ejus effigie visa est olim apud Carmelitas Avenionenses, in hæc verba: *Hic jacet corpus venerabilis fratris reverendi domini Guidonis de Perpiniano, qui ex priore generali Montis Carmeli a Clemente VI. patriarcha Hierosolymitanus factus, mox episcopus Vasionensis, & malleus hæreticorum dictus fuit, quia multa volumina commendata in hæreses scripsit, quæ domino Gaucelino* cardinali Albanensi prætitulavit. Obiit anno 1353. die 15. Junii.*

* *Gaucelmo in Baluzio.*

Intricata hîc occurrit difficultas: constat enim, ait Baluzius tom 1. vitarum Pap. Avenion. col. 1432. Guidonem Terreni, vulgo vocatum de Perpiniano episcopum Helenensem anno 1342. exstinctum fuisse. Idem passim Guidonem vocat episcopum Helenensem, & Guillelmus Cave Majoricensem & postea Helenensem, amboque prorsus silent de episcopatibus tum Jerosolymitano, tum Vasionensi. Contra vero de his solis mentionem facit allata inscriptio, de illis nullam; quodque vix conciliari potest, hîc obiisse dicitur 1353. 15. Junii, quem asserit Baluzius e vivis sublatum fuisse 1342. & Guillelmus Cave 21. Augusti. Verumtamen si conjicere liceat, fortasse Baluzius non aliam ob causam Guidonis mortem consignavit anno 1342. quam quod illum ultra hunc annum sedisse in hac cathedra non repererit, sed revera potuit ab ea transire ad Jerosolymitanam, & postea sub finem vitæ ad Vasionensem, in qua si sedit, nunquam profecto, ait hujus ecclesiæ chronographus, hac in urbe episcopalia munia exercuit.

LIV. Petrus II.

Electus Helenensis servitia promisit Petrus die 2. Octob. anno 1342. Vocatur episcopus pridie idus Aprilis anno secundo Clementis papæ VI. & anno tertio VII. cal. Augusti, ex regestis Vaticani. Nullus autem dubito quin Berengarius Balle, qui beneficium B. Mariæ de Trona ecclesiæ Elnensis instituisse, & documenta quæ adhuc leguntur anno 1346. scripsisse traditur a Sammarthanis ille ipse sit Berengarius Bajuli, de quo n. LII. cujus synodalium constitutionum anni 1326. & seqq. promulgatarum meminimus. Diversa enim inter statuta synodalia ab Helenensibus episcopis passim edita nulla occurrunt anni 1346.

LV. Thomas.

Omissus quoque in veteri Gallia Christiana Thomas jam erat episcopus Elnensis anno 1347. die 8. Sept. quo servitia debita solvit, ex regesto Vaticani.

1347.

LVI. Bernardus IV.

HUGONIS.

Hactenus etiam in vulgatis catalogis prætermissus Bernardus, curialis dicitur & de civitate Avenionensi in bulla provisionis successoris data Avenioni XIX. cal. Septembris pontificatus Clementis VI. anno septimo. Electus promisit 19. Septembris ejusdem anni, quo statuta condidisse legitur. Eodem anno mortuus est in monasterio B. Mariæ de Bona requie ordinis S. Augustini, Avenionensis diœcesis, quo recuperandæ sanitatis gratia recesserat.

LVII. Bernardus V.

FORNERII.

Canonicus erat Helenensis, & in sacerdotio constitutus Bernardus, quando huic ecclesiæ datus est pastor a Clemente papa VI. die XIX. cal. Sept. an. 1348. Electus servitia promisit 19. Septemb. ejusdem anni. Cum autem a summo pontifice calendis Octobris obtinuisset facultatem, ut a quocumque mallet episcopo catholico benedictionis munus acciperet, impensum ei est in ecclesia cathedrali Narbonensi a Petro de Judicia archiepiscopo, assistentibus G. episcopo Convenarum & Johanne Gardiensi, die Dominica 12. Octob. anno 1348. Eidem archiepiscopo juravit obedientiam 5. Januarii 1349. præsente Petro Arquerio decano ecclesiæ Rotomagensis. Recensetur eodem anno in litteris Petri archiepiscopi ad suffraganeos, quibus Carcassonensem episcopum declarat excommunicatum; ab eoque 18. Maii Crassensis abbatis procurator, quod monasterii jura violaret episcopus Helenensis, ad sedem apostolicam provocavit, ex tabulis Crassensibus. Paulo post vivere desiit, ex dicendis.

1348. *Baluz. t. 1. vit. Pap. Aven. col. 1432.*

1349.

LVIII. Stephanus.

MALETI, al. D'OMALS.

Ex abbate Casæ Dei in Arvernis Stephanus Maleti, Clementis papæ VI. consanguineus,

ANNI CHRISTI

ejusdem beneficio ad Helenensem cathedram evectus est per obitum Bernardi, qui extra Romanam curiam diem clauserat extremum, XVIII. calendas Febr. 1350. quo ipso die & anno Stephanum papa commendavit archiepiscopo Narbonensi; unde electus per obitum Bernardi servitia promisisse legitur 23. Jan. ejusdem anni, in regestis Vaticani. Clemens VI. Avenione datis eodem anno litteris pridie idus Sept. capitulo basilicæ S. Petri iu Urbe injungit, ut Stephano consanguineo Elnensi episcopo Romam adeunti sacra Veronicæ effigies ostendatur. Anno seq. 28. Sept. a Petro Narbonensi archiep. invitatus ad concilium Biterris celebrandum, die 7. Nov. per procuratorem interfuit. Translatus ad ecclesiam Dertusanam possessionem accepit XII. cal. Apr. anno 1351. Decessit vero 1356. ex catalogo episcoporum Dertusensium. Hinc emendanda quæ tomo secundo col. 344. n. XXVII. diximus de ejus morte ante adeptam Helenensis ecclesiæ possessionem.

1350. *Ibid. Baluz. tom. 2. vit. pap. Aven. col. 736. Bzovius ad hunc an. pag. 248. Baluz. conc. Narb. pag. 97.* 1351. *Idem tom. 1. vit. Pap. Aven. col. 1431.*

LIX. FRANCISCUS I.

Stephano translato ad ecclesiam Dertusanam in Hispania, successit Franciscus in cathedra Helenensi; cujus episcopus nuncupatus servitia debita solvit 17. Decembris 1353. ex regesto Vaticani. Extra Romanam curiam paulopost diem clausit extremum.

1353.

LX. JOHANNES I.

JOFREVI.

Defuncto Francisco, Johannes Jofrevi tum Lucionensis episcopus ad episcopatum Helenensem promotus est ab Innocentio VI. litteris datis Avenione XI. calendas * Decembris anno pontificatus secundo, id est anno Christi 1354. ut ipsemet annotatum reliquit in suo calendario, apud Baluz. tom. 2. vit. Pap. Aven. c. 751. Regensem jam, Valentinensem & Lucionensem fuisse episcopum monuimus tom. 1. col. 405. & tom. 2. col. 1308. Helenensis autem in Angliam anno 1355. una cum Androino abbate Cluniacensi missus est a summo pontifice, ut Eduardum Angliæ & Johannem Franciæ reges inter se conciliarent, & ut gravissimam discordiam inter Carolum Navarræ & eumdem Johannem Franciæ reges erupturam in atrox incendium sedarent, auctore Odorico Rainaldo ad an. 1354. §. 19. & 1355. §. 26. Ex qua legatione se fuisse reducem mense Maio ipse scribit in eodem calendario. Johannes olim Valentinus, nunc autem episcopus Elnensis servitia solvit 20. Januarii an. 1357. ex regesto Vaticani; quo ipso anno IV. cal. Martii ab ecclesia Helenensi transiit ad Aniciensem, ut diximus tom. 2. col. 726.

* *male 21. Dec. 1353. Baluz. catal. Diplom. p. 26. n. 176.* 1354. 1355. 1357.

LXI. RAIMUNDUS VII.

DE SALG.

Helenensem administrabat ecclesiam Raimundus anno 1361. III. cal. Junii ex regesto Innocentii papæ VI. Et certe in litteris hujus pontificis anno pontificatus nono scriptis una occurrit inscripta Carolo imperatori & Bohemiæ regi data III. cal. Junii, in qua meminit Raimundi episcopi Elnensis, *quem*, inquit, *prius deliberaveramus ad tuam destinare præsentiam*, &c. Præterea ex regesto Urbani V. liquet Raimundum tunc patriarcham Antiochenum, cui anno 1364. Agennensis ecclesia data est in commendam, fuisse antea episcopum Helenensem; & ex libro solutionum Innocentii papæ VI. ab hac Helenensi ecclesia ad Ebredunensem traductum fuisse anno 1361. ac proinde omissus a nobis inter Ebredunenses archiepiscopos reponendus est Raimundus. Vide quæ jam diximus tom. 2. col. 925. in episc. Aginn.

1361.

LXII. PETRUS III.

DE CIMA.

Servitia quæ promiserat Petrus de Cima Majorica oriundus, ordinis Minorum, electus Elnensis per translationem Raimundi ad Ebredunensem, die 23. Julii 1361. solvit 26. ejusdem mensis ex regesto solutionum Innocentii VI. Vaurensi concilio a trium provinciarum præsulibus celebrato anno 1368. per procuratorem interfuit. Promisit & recognovit pro Raimundo *anteprædecessore* suo anno 1371. Ita liber obligationum Vaticani, ubi pro *anteprædecessore* legendum *prædecessore*, ex libro solutionum sub Innocentio VI. in quo Raimundo translato successisse legitur. Ad concilium Narbonense litteris 1. Febr. an. 1374. datis misit procuratorem. Litigabat eodem anno cum Johanne archiepiscopo Narbonensi. Die 2. Decembris ejusdem anni Guillelmus Texerii rector ecclesiæ de Pediliano Helenensis diœcesis quamdam *rectoriæ* suæ domum vendidit cum licentia & auctoritate vicarii generalis fratris Petri Helenensis episcopi, ex tabulario Crassensi: quæ quidem vox *fratris* vix dubitare sinit ex religiosa quadam familia assumtum fuisse Petrum. Anno 1373. die 3. Aprilis & 1375. 5. Maii statuta quædam condidit pro ecclesiæ suæ reformatione. Transiit autem ad Majoricensem ecclesiam an. 1377. confirmatus a pontifice die 7. Augusti.

1368. 1371. 1374. *Marc. Hisp. col. 1476. & 1480.* 1377.

LXIII. RAIMUNDUS VIII.

Nuncupatus etiam *frater* Raimundus, ac proinde religiosi cujusdam ordinis alumnus, servitia promisit die 27. Nov. an. 1377. ex regesto Vaticani. Consecratus dicitur in ecclesia cathedrali Helenensi an. 1378. In synodo paschali edidit constitutiones die 17. Maii an. 1380.

1378. 1380. *Ibid. 1468.*

LXIV. BERENGARIUS IX.

DE SAINTE FOY.

Præfuisse Berengarius anno 1380. dicitur a Sammarthanis, nullo alio hactenus testimonio fultus.

LXV. BARTHOLOMÆUS I.

PEIRO.

Innotescit Bartholomæus ex regestis Vaticani, ubi solita legitur servitia promisisse 21. Febr. 1387. eidem prorogatum fuisse tempus ad solvendum 21. Junii 1391. ac denique solvisse eodem anno 26. Septembris, & 4. Apr. 1392. Hoc autem anno & 1394. statuta edidit, ex tabulis Helenensis ecclesiæ.

1387. 1391. 1392. 1394.

LXVI. BARTHOLOMÆUS II.

Ex ordine Carmelitarum assumtus juxta Sammarthanos

ANNI CHRISTI

Sammarthanos frater Bartholomæus Helenensis ecclesiæ clavum tenebat anno 1398. quo de licentia abbatis Arulensis confirmationis sacramentum ac tonsuram contulit in ecclesia de Balneis Arularum. Anno 1403. Petrus Garrejati pro domino fratre Bartholomæo Elnensi episcopo officialis abbati & conventui de Crassa significavit se deputatum esse, ut quamdam gratiam Vincentio Cellererii a Benedicto papa XIII. indultam exsecutioni demandaret. Bartholomæus vero edidit constitutiones annis 1401. 1402. 1404. & 1405. superstes 1406. ex Sammarthanis.

1403. 1404. 1406.

LXVII. Franciscus II.

Ximenés.

Ordinis Minorum alumnus Franciscus Ximenius, natione Hispanus, patria Catalanus, & domo Gerundensis, fuit episcopus Helenensis & pseudopatriarcha Jerosolymitanus, ait Guillelmus Cave seculo Wiklefiano pag. 57. Ejus ossa quiescunt Perpiniani in ecclesia Minorum in theca deaurata & suspensa, cum hac inscriptione. *DD. Franciscus Ximenés ordinis Minorum, episcopus Helenensis & patriarcha Jerosolymitanus obiit die 23. Januarii 1409. Huc est translatus die 17. Sept. 1623.* Scripsit librum insignem de natura angelica Compluti 1527. excusum; Tractatum de scala Dei Barcinone 1501. Pastorale pro instructione episcoporum & superiorum Barcinone 1495. fol. De vita christiana libros IV. Valentiæ 1484. & Granatæ 1496. Varia ejus opera quamplurima lingua patria conscripta in bibliotheca cœnobii S. Mariæ de Jesu prope Barcinonem asservari manuscripta testatur Waddingus de scriptoribus ordinis Minorum pag. 140.

1409.

Paulo post obitum Francisci Petrus e luna conciliabulum Perpiniani habuit, in quo auctores ei fuere episcopi, ut si Gregorius a suis exauctoraretur, ipse papales apices deponeret.

Ut autem Francisco Guillelmum successorem demus, haud satis solidum præbet argumentum charta parthenonis SS. Trinitatis Pictav. laudata tom. 2. col. 1307. in qua Guillelmus Thuinensis *al.* Elnensis benedictionis munus impendisse dicitur Johannæ de Comminges cœnobii hujus abbatissæ 29. Junii 1409.

LXVIII. Hieronymus I.

De Ochon.

In vulgatis catalogis hactenus omissus Hieronymus Carmelita cardinali Aragoniæ, qui summum in pontificem nomine Benedictus XIII. electus est, a confessionibus, jam sedebat an. 1417. ex Odorico Rainaldo tom. 18. annal. ecclef. §. 5. ad hunc annum, ubi refert libellum supplicem præsulum Aragoniæ, inter quos Hieronymus, qui Petro e Luna conventiculum Paniscolæ agenti 26. Dec. suasere, ut pontificia insignia poneret, tribusque suæ factionis cardinalibus permitteret, ut electum Constantiæ summum ipsimet pontificem designarent. Contulit anno 1421. rectoriam de Ripis altis. Declaravit anno seq. 25. Apr. se non intendere quod ecclesiæ de Ripis altis collatio a se cuidam sacerdoti facta, qui ipsi ab abbate Crassensi præsentatus non fuerat, ullum eidem abbati ejusve monasterio damnum afferret, præsentationis jure ipsis in posterum salvo & integro remanente. Statuta quædam edidit an. 1423. Rectorem de Ripis altis instituit anno 1425. Vivere desiit eodem anno sepultus ante altare S. Johannis cum hoc epitaphio: *Sepultura reverendi in Christo patris DD. Hieronymi divina miseratione Elnensis episcopi qui obiit die Veneris XVI.* * *Decembris anno Domini MCCCCXXV.* Interea Bartholomæus Helenensis episcopus archiepiscopo Narbonensi obedientiam spopondisse, variaque edidisse statuta legitur an. 1421. in schedis Martennii, ubi forsan legendum 1401. aut de episcopatu cum Hieronymo contendens Bartholomæus, causa & cathedra cecidisse dicendus est.

1417. 1421. 1422. 1423. 1425.

* *f. XVI. cal.*

LXIX. Johannes II.

De Casa nova.

Vacanti per obitum Hieronymi Helenensi ecclesiæ præfectus est frater Johannes de Casa nova ordinis Fratrum Prædicatorum, a Martino V. quarto idus Dec. an. 1425. ex regesto hujus pontificis, melius IV. cal. Dec. pontificatus anno nono, ex schedis Martennii. Memoratur adhuc Helenensis episcopus 20. Febr. an. 1426. in regestis Vaticani. At ubi S. R. E. presbyter cardinalis ab eodem pontifice creatus est, non jam episcopus, sed administrator ecclesiæ Helenensis ibidem die 6. Augusti anno 1430. dicitur; quo nomine eodem anno quædam condidit statuta & litteras dedit 28. Octob. de fundatione ecclesiæ collegiatæ S. Johannis Baptistæ omnium villæ Perpiniani ecclesiarum matricis, cujus se capellanum majorem dicit. Has habes append. Marcæ Hispan. col. 1227. Rubrum pileum & S. Sixti titulum a Martini successore Eugenio accepit 4. Julii 1431. cui quidem pontifici contrarius primum, dein addictus fuisse dicitur. Florentiæ obiit die 1. Martii 1436. ibique sepultus est in ecclesia S. Mariæ novæ, seu Novellæ, unde Ughello teste paulo post in Hispaniam translata ejus ossa, in ecclesia ubi primum vota Deo voverat, recondita sunt. Scribit autem Echardus Dominicanus tom. 1. scriptorum sui ordinis pag. 791. Johannem a Casa nova Catalanum Barcinone tum natum tum ordini nomen dedisse, brevique factum in theologia magistrum, postea Bosanum in Sardinia episcopum anno 1424. indeque translatum ad Helenensem, cui & ab Eugenio IV. addita perpetua ecclesiæ Gerundensis administratio.

1426. 1430. 1431.

LXX. Galcerandus.

Alberti.

Frater Galcerandus Alberti ordinis S. Benedicti, quem natione Catalanum aiunt Sammarthani, ad ecclesiam Helenensem promovetur VI. idus Aug. 1431. ex regesto Eugenii IV. cujus anno pontificatus primo 27. Septembris ibidem memoratur. Occurrit adhuc 1432. & anno 1437. quo die 13. Martii Hugo du Perier Crassensis abbas Arnaldum Benet ad S. Petri de Prata rectoriam ei præsentavit

1432. 1437.

Sequitur apud Sammarthanos Guillelmus de Castello ex monumentis ecclesiæ anno 1448. attamen ex regestis Vaticani Galcerando defuncto successit

ANNI CHRISTI

LXXI. JOHANNES III.

MOLES DE MARGARIT.

Illustri & antiqua gente in Catalania exortus Johannes Moles de Margarit, decretorum doctor & canonicus Gerundensis, episcopus Helenensis per obitum Galcerandi creatus est X. cal. Aprilis 1453. 1453. ex regesto Vaticani, ubi & eodem anno Nicolai V. septimo die 4. Junii adhuc recurrit. 1454. Statuta condit an. 1454. A Johanne II. Ara- 1458. goniæ rege legatus ad Pium II. mittitur an. 1458. honorem solitum novo pontifici regis nomine habiturus. Interfuit eodem anno cœtui Mantuano, 1461. cui præsedit idem pontifex. Anno 1461. 20. Aprilis vacantis ecclesiæ de Ripis altis vicariam perpetuam contulit Andreæ Alfonsello ad præsentationem abbatis Crassensis; eoque ipso anno una cum Tarraconensi episcopo & Syracusano electo orator ad Aragonum regem a Pio II. deputatus fuit litteris datis VIII. cal. Februarii ad regnum Cypriæ in pristinam libertatem revocandum. Transfertur eodem anno ad ecclesiam Gerundensem, quæ quidem translatio statim locum habuisse non videtur: Johannes enim statuta condidit an. 1466. & in remotis agebat an. 1469. ex tabulis Crassensibus, ubi recensetur adhuc annis 1475. & 1479. Purpura donatus Aragonum regis rogatu a Sixto IV. Romano pontifice 1483. sub titulo presbyterali S. Balbinæ, Romæ decessit anno sequenti 21. Novemb. *al.* 5.

LXXII. ANTONIUS I.

DE CARDONE.

Ex nobilissima Fulconoii familia procreatus Antonius, Catalanus & ipse, archidiaconus Ceritaniæ in ecclesia Urgellensi, annos natus 29. electus Elnensis per translationem Johannis ad ecclesiam Gerundensem dicitur IX. cal. Octobris an. 1461. in regesto Vaticani, ubi & XIX. cal. ejusdem mensis Pii II. anno quarto adhuc reperitur. Regi Franciæ a consiliis 1500. libras Turonenses recepit 15. Novembris an. 1463. ex charta authentica D. de Gagneres, nondum tamen Helenensis ecclesiæ pacificus possessor, quam si 1469. unquam sic tenuerit, anno tantum 1469. quo Bartholomæus André a Crassensi abbate præsentatus vicario generali Antonii a Cardona Helenensis episcopi, ecclesiæ S. Martini de Corneliano rector institutus est 19. Septembris 1469. ex chartis Crassensibus.

LXXIII. CAROLUS I.

DE SAINT GELAIS.

Nobilis Gallus Carolus, ex dominis de S. Gelasio in Pictonibus e monacho Cluniacensi abbas monasterii novi Pictav. ord. Cluniacensis, electus Elnensis VI. idus Aug. 1470. per obitum (forte per cessionem Johannis) legitur in regesto Vaticani. Consueta vero servitia solvit 14. eorum mensis & anni, ex libro solutionum. Episcopatus 1471. possessionem adiit per procuratorem an. 1471. 1475. cujus vicarii generales anno 1475. 14. Aprilis rectoriam de Ripis altis Michaeli Cortolani contulerunt. Sacro se magistratu abdicavit hoc anno, fortasse donatus abbatia S. Leonardi Ferrariensis, quam certe possidebat 1478. Primum quoque Frenadæ commendam obtinuisse diximus tom. 2. col. 1135.

LXXIV. CAROLUS II.

ANNI CHRISTI

DE MARTIGNY.

Ex torparchis de Martigny patre in Galliis rei ærariæ præfecto natus Carolus, judex appellationum causarum civilium in senescallia Tolosana, electus Elnensis dicitur per cessionem alterius Caroli anno 1475. VIII. cal. Novembris, in regesto Vaticani. Cameræ apostolicæ solvit 20. Novembris ejusdem anni ex libro solutionum. A rege Francorum Ludovico XI. legatus est an. 1479. ad Ferdinandum Aragonum regem & 1479. Isabellam de Castella pro ineundo fœdere. Eodem exeunte anno ab eodem principe in Angliam orator missus est, ut constat ex Rimerio tom. XII. pag. 97. ubi legitur: *Commissio regis Anglorum pro tractando cum Carlo de Martigny episcopo Elnensi ambaciatore Franciæ 21. Januarii 1479.* Vicarii ejus generales rectoriam de Corneliano Galderico contulerunt 16. Martii ejusdem anni. Proditionis insimulatus est, latumque adversus eum *arrestum* 9. Julii 1480. ex Baluzio in 1480. notis mss. ad veterem Galliam Christianam, quem alibi lego citatum in senatu Parisiensi die lunæ ultima Jul. an. 1480. interrogatumque fuisse toto mense Aug. de sua in Angliam legatione, in qua in regem violasse fidem accusabatur. At culpam, si qua fuit, forsan a se amolitus est. Memoratur enim episcopus 1481. quo simul administrator 1481. S. Leonardi de Ferrariis abbati Tironiensi spopondit obedientiam. Reperitur adhuc 1484. 1484. & 1485. in instrumentis Crassensibus; & an. 1485. 1487. cum Petro de Absaco Crassensi abbate 1487. & episcopo Lactorensi litigavit pro jure patronatus ecclesiarum de Pediliano, Prata, Stagello, Fontibus, S. Stephano, Corneliano & *Canoys*, quem arbitri electi Antonius Petrus Vabrensis episcopus & Simon Fulster canonicus Elnensis asseruerunt abbati 1488. die 4. Martii, ex tabu- 1488. lis Crassensibus. Inde Carolus ad ecclesiam Castrensem ordinis S. Benedicti transfertur per obitum Johannis Romæ defuncti, 1494. XIII. 1494. cal. Febr. Vide tom. 1. col. 74.

LXXV. ASCANIUS MARIA.

SFORTIA.

Per cessionem Caroli Ascanius diaconus cardinalis electus Elnensis dicitur an. 1494. XIII. 1494. cal. Februarii, in regesto Vaticani. Alius tunc temporis non occurrit hujusce nominis cardinalis, præter Ascanium Mariam Sfortia, qui Francisco Mediolanensi duce ac Blanca Maria uxore genitus, ex protonotario apostolico a Sixto pontifice renunciatus fuit diaconus cardinalis SS. Viti & Modesti in Macello Martyrum die 6. Martii 1484. Episcopus ecclesias Papiensem, Ticinensem, Pisaurensem, Novariensem & Cremonensem administravit, ex Ughello novæ edit. tom. 1. col. 1104. qui de Elnensi tacet; hanc autem diu non tenuit: nam

LXXVI. CÆSAR.

BORGIA.

Cæsar Borgia Romanus, Roderici cardinalis Borgiæ ex illicita copula cum Vanocia nobili Romana filius, germanus autem Johannis Borgiæ, qui ducum Gandiæ stirpem in Hispania nunc

ANNI CHRISTI

superstitem propagavit, adolescens clero destinatur. Episcopus primum Pompelonensis, tum ab Alexandro VI. ejus parente ad summi pontificatus apicem assumto archiepiscopus Valentinus creatus est & diaconus cardinalis S. Mariæ novæ XII. cal. Septembris an. 1493. renunciatus. Inde ad ecclesiam Castrensem 4. Novembris ejusdem anni ex Sammarthanis, (quidam addunt Nannetensem) ac denique ad hanc Helenensem successive transiit, cujus possessionem nomine procuratorio iniit die 1. Junii 1495. Has autem omnes sinon rexit nunquam consecratus, saltem ex regestis Vaticani administravit. Mortuo deinde fratre primogenito, sacram & purpuream chlamidem in sagum militare an. 1498. mutavit, & universos pontificiæ ditionis regulos fortunis omnibus & avitis ditionibus exuit, dictus dux Valentinus ad Rhodanum, cujus dominium illi a Ludovico XII. rege fuerat concessum, Urbini, Camerini, Romandiolæ, Imolæ dominus, ac S. R. E. vexillarius. Defuncto Alexandro patre & subrogato Pio III. in Adriani molem Cæsar conjectus est, unde paulo post dimissus sub Julio II. a magno Gonsalvo Neapolitano prorege iterum captus, in Hispaniam amandatus est. Inde ad Johannem Navarræ regem, cujus sororem Carlotam de Albreto duxerat (quo ex connubio prognata Ludovica Borgia ducissa Valentinensis, Ludovici Tremolii II. vicecomitis Thoarcii, dein Philippi Borbonii baronis de Busseto uxor) confugiens, in ignobili prælio a Cantabris occisus est. Jacet Pompelone sepultus, cujus sarcophago carmina plura poëtæ appendisse dicuntur.

1495.

LXXVII. FRANCISCUS III.

DE LORIS.

Franciscus Iloris vel Hiloris seu de Loris natione Hispanus, patria Valentinus, Alexandri VI. si non nepos, at saltem affinis, ejusdemque prosecretarius & generalis thesaurarius, ab eodem episcopus Helenensis suffectus est 5. Nov. 1499. ex Sammarthanis. Diaconis cardinalibus adscriptus die ultima Maii 1503. diaconiam S. Mariæ novæ, patriarchatum Constantinopolitanum & episcopatum Valentinensem ac Diensem obtinuit, & vulgo dictus est cardinalis Elnensis. Interamnensis denique ecclesiæ administrator obiit Romæ 22. Julii 1506.

1499. 1503. 1506.

LXXVIII. JACOBUS I.

DE SERRA.

Natione quoque Hispanus Jacobus de Serra, e gente nobili apud Sardos oriundus, patria Valentinus aut Catalanus, archiepiscopus Arborensis, papæ vicarius in Urbe, presbyter cardinalis ab Alexandro VI. 28. Septembris an. 1500. creatus est. Inter plures quas administravit ecclesias, Helenensis suscepit regimen die 5. Septembris an. 1506. Hujus temporibus 1511. Helenensis ecclesia, quæ jam antea a Narbonensi metropolitana deficere cœperat, ab eadem omnino distracta, sanctæ sedi apostolicæ nullo medio subjecta est a Julio II. Romano pontifice, nequicquam reclamante Narbonensi archipræsule.

1511. *Marc. Hisp. 1482.*

LXXIX. JOHANNES IV.

ANNI CHSRITI

VILALBA.

Gente Catalanus Johannes Helenensis ecclesiæ gubernacula tenebat an. 1513. quo Lateranensi concilio interfuit sub Leone papa X. Adhuc præerat 1515.

1513. 1515.

LXXX. BERNARDUS VI.

DE MESA.

Patria Cordubensis Bernardus, Toletani Fratrum Prædicatorum cœnobii alumnus, episcopus primum Tripolitanus anno 1514. missus est ad Ludovicum XII. Franciæ regem orator; tum in Angliam a rege catholico deputatus pro nuptiis Catharinæ infantis Hispaniæ cum Arturo Walliæ principe paciscendis. Helenensi demum ecclesiæ præfectus est 12. Januarii 1517. quam dum regit, Julius Medicæus Narbonensis archiepiscopus decretum obtinuit a Leone X. pontifice pro restituenda Narbonensi provinciæ ecclesia Helenensi. Obiit Bernardus an. 1524. sepultus Toleti in cœnobio suo.

1517. *Ibid.* 1524.

LXXXI. GUILLELMUS V.

VAUDES.

Per obitum Bernardi Guillelmus Vaudes (Valdenense ex Sammarthanis) qui Burgundum dicunt, eleemosynarius Cæsaris, legitur episcopus Elnensis 14. Novembris an. 1524. in regesto Vaticani. Ecclesiæ vero possessionem nactus est 22. Aprilis an. 1525. ex Sammarthanis.

1525.

LXXXII. FERDINANDUS I.

DE VALDES.

Patria Castellanus per procuratorem episcopatus possessione donatur 1. Septembris 1529. postea præsul Auriensis, Ovetensis, Legionensis, Seguntinus & Hispalensis archiepiscopus.

1529.

LXXXIII. HIERONYMUS II.

DORIA.

Nobilis Genuensis Hieronymus Doria diaconus cardinalis Helenensem cathedram obtinuisse dicitur 12. Aprilis 1530. quam adhuc possidebat episcopus aut perpetuus administrator 1532. Factus inde Oscensis antistes atque Tarraconensis, hujus ecclesiæ possessionem iniit pridie nonas Julias anni 1533. ex nomenclatura Tarraconensium archiepiscoporum apud cardinalem d'Aguirre tom. 4. pag. 480. Translatus ad Ostendensem ecclesiam dicitur an. 1534. in regesto Vaticani.

1530. 1532.

LXXXIV. JACOBUS II.

RICHI al. RIED.

Gente Catalanus Jacobus Richi vel Ried, ex abbate Rivipullensi ordinis S. Benedicti electus Elnensis per translationem præcedentis ad Ostendensem ecclesiam dicitur 1534. 5. Julii in regesto Vaticani, non autem 23. uti habent Sammarthani, sed hac forsan die episcopatus possessionem apprehendit.

1534.

LXXXV. HIERONYMUS III.

DE CRESCENTIIS.

Hieronymus de Crescentiis, sic enim regestum Vaticani, non de *Recæsens*, ibidem legitur episcopus Elnensis per obitum præcedentis 23. Julii 1537. cujus ecclesiæ possessionem adeptus est procuratorio nomine die 9. Nov. ejusdem anni.

1537.

ANNI CHRISTI

LXXXVI. FERDINANDUS II.

A LOAZES. Valentiæ in Hispania natus Ferdinandus, ex inquisitore Barcinonensi evasit episcopus Helenensis 14. Julii 1542. postea Dertusanus, Ilerdensis, Tarraconensis archiepiscopus, Valentinus an. 1560. & Alexandrinus patriarcha. Defunctus est 1568.

1542.

LXXXVII. PETRUS IV.

AUGUSTINUS. Petrus, cui cognomen *Augustinus* in regesto Vaticani, patria Cæsaraugustanus, doctor in decretis & prior monasterii Rodensis, Ferdinando successit 22. Januarii 1544. quo anno statuta quædam condidit. Inde transfertur ad ecclesiam Oscensem an. 1545. ubi diem postremum obiit an. 1572.

1544. 1545.

LXXXVIII. MICHAEL.

PUIG. Per translationem Petri Augustini Michael Puig vel Puich patria Catalanus, juris utriusque doctor & canonicus Barcinonensis fit episcopus 8. Junii 1545. ex regesto Vaticani. Memoratur inter episcopos qui decreto suspensionis concilii Tridentini contradixerunt 28. Aprilis 1552. Translatus quoque ad aliam sedem legitur in archivis Vaticani.

1545. 1552.

LXXXIX. RAPHAEL I.

UBACH. Patria item Catalanus Raphael, ex abbate Balneoli & canonico Barcinonensi ad Helenensem cathedram subvectus per translationem præcedentis 17. Junii 1555. possessionem accepit 14. Septemb. ejusdem anni.

1555.

XC. LUPUS MARTINUS.

DE LA GOVILLA. Defuncto Raphaeli subrogatus est 20. Julii 1558. Lupus Martinus de la Govilla ex regesto Vaticani. Gente Aragonium & inquisitorem Barcinonensem infulis episcopalibus 5. Decembris ornatum volunt Sammarthani, quod de consecratione aut possessione intelligendum. Recensetur inter episcopos Pauli IV. qui ad synodum Tridentinam convenerunt an. 1562. Statuta condidit annis 1565. & 1567.

1558. 1562. 1565. 1567.

XCI. PETRUS MARTYR V.

COMA. Frater Petrus Martyr Coma ex oppido Solsonæ diœcesis Urgellensis in Catalonia ortus, professione Dominicanus, morum innocentia & eruditione dicendique facundia nomen apud suos gentilesque magnum sibi fecit; unde variis in provincia Aragoniæ & scholæ & regiminis perfunctum honoribus illum Tarraconensis ecclesia ad theologalem assumsit cathedram. Episcopi Gerundensis theologus an. 1562. Tridentinæ adfuit synodo. Dein a Philippo II. Hispaniarum rege ad Helenensem sedem nominatus an. 1568. & a Pio V. die 14. Januarii sequentis renunciatus, gregem suum toto fere decennio sanctissime rexit. Primus divinis assistens officiis, ut promptius accurrerent canonici, eorum census annuos auxit. Cleri sui immunitatem adversus sæculares impetus tutatus est. Demum Perpinianum profectus in morbum incidit, quo calculi doloribus quinta Martii decubuit 1578. Corpus Helenam delatum in medio cathedralis ecclesiæ odeo sepulturæ mandatum est. Nonnulla ei attribuit Echardus Dominicanus opera, inter quæ decretorium parochorum multoties editum, doctrina christiana & de sacramentis.

1568. 1578. *Script. Prædic. tom. 2. pag. 250.*

XCII. JOHANNES V.

TERES. Patria quoque Catalanus Johannes ex oppido de Verdu diœcesis Vicensis, cum esset episcopus Marrochitanus & canonicus pœnitentiarius Tarraconensis, ad sedem Helenensem assumtus est, cujus possessionem inivit per procuratores 27. Jul. 1579. Provinciali concilio Tarraconensi adfuit anno 1584. Inde ad ecclesiam Dertusanam transiit, & post ad Tarraconensem.

1579. 1584.

XCIII. BENEDICTUS.

SAINTE MARIE. Ortu Barcinonensis Benedictus ex archidiacono B. Mariæ & canonico sedis Barcinonensis, Helenensis episcopus designatur an. 1587.

1587.

XCIV. FRANCISCUS IV.

ROBUSTER DE SALA. Gente Catalanus Franciscus, ex oppido de Reus diœcesis Tarraconensis, prius archidiaconus S. Mariæ & canonicus Barcinonensis, Helenensis antistes renunciatus sumsit possessionem per procuratorem an. 1591. quo concilio Tarraconensi provinciali adstitit. Consecravit anno seq. 19. Julii altare S. Michaelis apud Cuxanum, in quo se inclusisse testatur reliquias SS. Narcissi episcopi Gerundensis, Flamidiani, Nazarii, Petri, Andreæ, & Antonii.

1591. 1592. *Marc. Hisp. 467.*

XCV. ONUPHRIUS.

REART. Perpinianensis patria Onuphrius, ex canonico Barcinonensi subrogatus est Francisco die 3. Maii an. 1599. quo sedente enixis Philippi II. Hispaniarum regis precibus, Helenensis sedes episcopalis translata est anno 1602. a Clemente papa VIII. ad collegiatum templum S. Johannis Perpinianensis, suppresso ejusdem ecclesiæ capitulo, cujus canonici cum Elnensibus coaluerunt in unum & idem capitulum. Possessiones etiam, gemmæ, reliquiæ, resque omnes ad antiquam sedem pertinentes divisæ, meliori ac nobiliori parte datæ fuerunt Perpinianensi ecclesiæ, ceteris Helenensi reservatis, ad quam quotannis in diebus consecrationis antiquæ cathedralis ecclesiæ S. Eulaliæ, & in festo S. Jacobi apostoli, episcopus & capitulum Perpinianense accedere tenentur ad sacra ibidem peragenda. Hæc ex dissertatione historico-critica ms. episcopatus Helenensis desumta sunt. Sed priusquam Onuphrii successorum in sede Perpinianensi seriem prosequamur, differendum nobis est de civitate Perpinianensi & de statu hodierno hujus ecclesiæ.

1599. 1602.

ECCLESIA PERPINIANENSIS.

PERPINIANUM & Papirianum *Perpignan,* hodie Ruſcinonenſis comitatus caput, ampla & amæna civitas eſt ad amnem Techum, qui tribus abhinc vel circiter leucis influit in mare. Fundatorem an. 1068. ex veteris Ruſcinonis ruinis, cujus oppidi funditus everſi an. 828. unica tantum turris, vocata Ruſcinonenſis, ſupereſt, Iſnardum ſeu Guinardum Ruſcinonenſem comitem habere dicitur; at verius decora tantum & ornamenta huic addidiſſe dicendus eſt, utpote cujus diſerta fit mentio in charta anni XXX. regni Caroli Simplicis, & in alia quæ ſcripta eſt anno V. Lotharii regis. Ceterum arce munitiſſima prædita eſt, quæ Carolo V. imperante, eodemque Hiſpaniarum rege condi cœpta, ſub Philippo II. ejus filio perfecta fuit. Paruit Aragoniæ regibus a medio ſæculo XIII. ex conceſſione S. Ludovici Francorum regis uſque ad annum 1463. quo in die Apparitionis captum Perpinianum eſt a Ludovico XI. Francorum rege, ex chronico S. Pauli Narbon. ad calcem hiſt. comitum Toloſ. Catelli pag. 169. Reverſum tamen in priſtinum dominium erat anno 1642. quo a Francis expugnatum Ludovico XIII. regnante, icto tandem Franciæ inter & Hiſpaniæ reges fœdere pacis, Pyrenæorum dictæ, die 7. Novemb. 1659. Franciæ regibus ceſſit in perpetuum cum comitatu & vicaria Ruſcinonenſi, comitatu & vicaria Confluentis & parte comitatus Ceritaniæ, *la Cerdagne.*

Floret Perpinianum univerſitatis ſtudio ab Aragoniæ regibus jam pridem fundato. Ibi ſupremum provinciæ tribunal erectum an. 1660. quod conſtat primo præſide, ac duobus aliis præſidibus infulatis, ſeptem conſiliariis, quorum unus eſt ex clero, duobus patronis generalibus, ſummo regiarum cauſarum cognitore & uno actuario. Monetalis quoque officina ibidem inſtituta an. 1709. cujus nummi ſignati litteram Q. præferunt.

Urbem curant quinque conſules ex variis civium ordinibus ſublecti, forumque habent ſub umbella poſiti tanquam Verneti duces, quod dominium, ducatus olim titulo inſigne, ad urbem pertinet. His autem quinque conſulibus adjuncti ſunt duodecim cives conſiliarii quaternis menſibus ex iiſdem ordinibus aſſumti, qui aliquot e ſuis concivibus cooptandi in nobilium municipum collegium, eoſque nobilitatis jure donandi quotannis privilegio gaudent. In hac urbe occubuit Philippus III. cognomento Audax Francorum rex an. 1285. ibi lucem aſpexit Johannes I. rex Aragonum 27. Decembris 1351. ac ibidem ſynodum habuit an. 1408. pſeudopontifex Petrus e Luna Benedictus XIII. nuncupatus.

Ad eccleſiaſtica quod ſpectat, celebris illic eccleſia eſt, quam incolæ ſuis ſumtibus condiderunt; eaque anno 1025. Deo conſecrata fuit a Berengario epiſcopo Helenenſi ſub titulo S. Johannis Baptiſtæ, cui eccleſiæ anno 1102. munificum ſe præbuit Guilabertus comes Ruſcinonenſis, *ut clerici ibidem domino Deo deſervientes communiter matri eccleſiæ ſecundum canonicam auctoritatem obedientes eſſent.* Hoc autem factum eſt donum in manu Hermengaudi epiſcopi Helenenſis, quem & ſucceſſores hortatur Guilabertus, uti *provideant qualiter clerici ibidem communiter viventes Deo & B. Johanni honeſte deſerviant.* Et hæc quidem donatio uti vera ejuſdem eccleſiæ in collegiatam erectio habenda videtur. Anno 1324. reædificata fuit regia liberalitate Sancii Majoricarum regis, qui primum in fundamentis lapidem poſuit V. cal. Maii ejuſdem anni, ſecundum vero Berengarius Bajuli epiſcopus Helenenſis die & anno iiſdem.

Marc. Hiſp. 1040.
Ibid. 1226.

Hæc porro baſilica collegiata inſigni donata turre, anno 1602. uti jam diximus, in cathedralem erecta fuit. In ea ſacrum vas pro exponendo ſanctiſſimo ſacramento celſitudinem humani corporis exæquat. Sacris ibidem operantur 21. canonici, quorum ſeptem ſacro majori celebrando ex fundatione deſtinati ſunt, ſeptem alii in diaconatus, ac reliqui ſeptem in ſubdiaconatus officio miniſtrant. Sunt inſuper quatuor dignitates, major videlicet archidiaconus, qui proximus ab epiſcopo ſedet in choro, Confluentinus & Valliſpirienſis archidiaconi & ſacriſta major, qui omnes extra capitulum ſunt, niſi canonicatu potiantur.

Plerique ex canonicis coadjutores ſibi aſſumunt curiæ Romanæ diplomatibus (proviſiones vocant) inſtitutos, qui choro vice illorum interſunt, nullis interim canonico ſuperſtite proventibus gaudentes, ſed ei decedenti ſuccedunt: qui uſus vel potius abuſus ex Hiſpania tractus, inolevit in pleriſque regionis hujus eccleſiis. Longo veſtium tractu in hyeme, togiſque valde promiſſis a tergo utuntur in choro tam canonici quam coadjutores, quibus aſſuta intus villoſa pellis alba a rubris in limbo ſparſis maculis.

Sunt etiam hac in eccleſia præter canonicorum capitulum quatuor curiones alternatim paræcialia munia obeuntes, 89. beneficio præditi, qui de rebus ſuis in commune conferunt, atque communitatem conſtituunt excluſis canonicis, niſi beneficia eiſdem attributa poſſideant. Iſti autem inferiora chori ſubſellia occupant, niſi ſint doctores in theologia, tunc enim a majoribus canonicis nihil omnino differunt, præterquam in colore villoſæ pellis, qui violaceus eſt, qualis etiam eſt togæ promiſſæ ornamentorum.

In diœceſi centum octoginta numerantur parochiæ ad collationem epiſcopi, ex quibus quatuor ſunt in urbe, nempe B. Mariæ Regalis *la Reale,* S. Matthæi, S. Jacobi, & S. Johannis, cujus

ſacerdos ſacramenta miniſtrandi, mortuoſque ſepeliendi ad morientium voluntatem privilegio gaudet in tribus aliis parochialibus eccleſiis. In pleriſque ruralium eccleſiarum viginti, in aliis quindecim, & in quibuſdam decem plus minus ſacra peragunt ſacerdotes, aliive beneficiis eccleſiaſticis adſtricti. In pluribus etiam bini parochi alternatim per hebdomadam debita munia præſtant. Vix denique in hac diœceſi occurrunt vici, in quibus non ſit quatuor aut quinque ſacerdotum copia.

Aliæ viginti novem parœciæ præter illas 180. pendent ab abbatia S. Michaelis de Coxano cum omnimoda juriſdictione. Aliæ inſuper octo conferuntur ab abbate Arulenſi qui jus habet convocandi parochos ad ſynodos ſuas, in cujus cœnobii baſilica decem aut duodecim beneficio præditi ſæculares præter monachos officia divina cum illis celebrant; ac præterea in parœciali ejuſdem loci eccleſia primaria rebus ſacris deſerviunt; parochus autem S. Laurentii de Serda unus ex illis octo, qui Arulenſi ſubſunt abbati, duabus aliis parœciis ſuæ annexis præeſt, in quibus ejus vicarii ſacra miniſtrant: earum altera vocata S. Maria de Cuſtodia, vulgo *Couſtoujes*, eccleſiam habet propyleo inſignem, a B. Damaſo, uti aiunt, exſtructam, cujus genitrix inde ortum duxerat. Binas etiam S. Martini Canigonenſis abbas a ſe pendentes habet parœcias, in quarum altera monaſterio in monte ſito vicina monachus paſtoris munere fungitur.

In urbe & ſuburbio Perpinianenſi tredecim ſunt religioſæ domus virorum, Franciſcanorum ſcilicet, Dominicanorum, Carmelitarum, Auguſtinianorum, Minimorum, Carmelitarum diſcalceatorum, Patrum de Redemtione captivorum, Eremitarum S. Auguſtini, ex quibus duo ſacra in arce procurant, Patrum S. Antonii & Capucinorum extra muros, Jeſuitarum denique duo collegia, majus & minus, in quorum ultimo pueri pacta mercede aluntur & inſtituuntur, ac inſuper iidem patres ſeminarium moderantur.

Quatuor ſunt monialium domus, nempe S. Salvatoris ord. S. Auguſtini, S. Catharinæ ordinis S. Dominici, S. Claræ ord. S. Franciſci & filiarum Congregationis Noſtræ Dominæ, quæ puellis fide chriſtiana & bonis moribus imbuendis incumbunt. Hæ divinis interſunt myſteriis in eccleſia, quam illis patres S. Antonii ceſſerunt , quam & adminiſtrant. Noſcomium eſt in urbe ægris tam urbanis quam ruſticis fovendis deſtinatum, Orphanotrophium, ſeu miſericordiæ domus, necnon puellarum & mulierum pœnitentium. Militibus quoque ægrotis & invalidis hoſpitium eſt aſſignatum in ædibus Franciſcanorum, qui ſacra ipſis miniſtrant, & ubi regiis impenſis curantur.

Eccleſiam Templi apud Perpinianum, ſicuti etiam Caucoliberi procurant ſacerdotes ordini Melitenſi addicti, cujus equites præceptoria de Maſdeu in diœceſi gaudent.

Duas alias Franciſcani domos in diœceſi habent, Illæ videlicet *Ille*, & Villæfrancæ; alteram Fratres Prædicatores Caucoliberi, Carmelitani Cereti, Auguſtiniani Corbiaci, Capucini Elnæ, Vincæ, Thuinii, Cereti, & in loco de Prades.

Octo præterea recenſentur in hac diœceſi abbatiæ, & unus prioratus ſæcularis, quem fuiſſe olim abbatiam dicunt, de quibus omnibus ſeorſim pro more noſtro diſſeremus.

Menſæ epiſcopalis reditus quindecim millium librarum valorem olim non excedebant, ſed B. Mariæ Regalis, B. Mariæ de Arulis, & S. Michaelis de Coxano abbatiarum unione, necdum tamen pontificia auctoritate firmata, ad triginta millium ſummam excreverunt proventus epiſcopatus, quorum non modica pars ſolo coëmendo inſumta eſt ad ædium epiſcopalium exſtructionem, quæ ad hæc extrema tempora præſulibus incertæ & conductitiæ fuerant in urbe Perpinianenſi. Domus quoque ruralis apud Aſpiranum excitata fuit, necnon ſacellum epiſcopale in ala veteris baſilicæ S. Johannis conſtructum; quæ baſilica ea fortaſſe ipſa eſt, quam Petrus de Marca eccleſiæ cathedrali conjunctam eſſe, hodieque S. Mariæ de Corecho nuncupatam docet: de qua & Sammarthani ſic habent. Circa annum 801. ſedes primaria B. Mariæ cognomento de Chorego, S. Johanni Baptiſtæ, Petro apoſtolo & Benedicto abbati ſacra, Perpiniani a Carolo imperatore exſtructa, monachis Benedictinis inhabitanda traditur. Denique Perpinianenſis epiſcopus in ſua diœceſi, pago Ruſcinonenſi, necnon in vicariis Confluentina & Ceritaniæ eſt fidei inquiſitor generalis, conjunctimque cum ſuo capitulo urbis dominus audit. Rex autem Franciæ obtinuit a Clemente papa IX. jus nominandi ad eccleſiam Perpinianenſem, ceteraque ejuſdem regionis conſiſtorialia beneficia, bulla data IX. Aprilis an. 1668. quæ in commentarios majoris conſilii relata eſt XI. Junii an. 1670. Jam vero præſulum Perpinianenſium ordinem proſequamur.

Marc. Hiſp. 21.

Pinſon in prob. tract. Regaliæ p. 1340.

PERPINIANENSES EPISCOPI.

I. ANTONIUS.

ANNI CHRISTI

GALLART.

1609.

1610.

Patria Catalanus Antonius Gallart ex magiſtro ſcholæ & archidiacono Ilerdenſi allectus præſul Helenenſis ſeu Perpinianenſis 29. Martii anno 1609. poſthac Vicenſis antiſtes nominatur an. 1610. mortuus 1614.

II. FRANCISCUS V.

ANNI CHRISTI

DE VILLA VICENTIO al. DE VERA.

1613.

Bœticus Xereſienſis Franciſcus ex ordine B. Mariæ de Mercede, primum epiſcopus Madaurenſis & Hiſpalenſis coadjutor, nominatione regia evaſit Perpinianenſis antiſtes anno 1613. unde colligas vel non proxime Antonio ſucceſſiſſe,

ANNI CHRISTI

vel Antonium non ita cito adeptum bullas pro Vicensi episcopatu, permansisse in Perpinianensi, vel denique interpontificium fuisse trium annorum. Defunctus est Franciscus Mantuae Carpetanorum, seu Madriti anno 1616. Scripsit de Indulgentiis.

1616.

CORNET.

III. FREDERICUS.

Presbyter Barcinonensis, decretorum doctor & inquisitor apostolicus in regno Valentiae Fredericus creatur Perpinianensis antistes bullis datis 13. Febr. 1617. cujus ecclesiae possessionem accepisse videtur ex Sammarthanis die 23. Jun. Morte sublatus est eodem anno.

1617.

DE IVORRA.

IV. RAIMUNDUS IX.

Ilerdensis presbyter Raimundus de Ivorra & doctor in decretis, nominatur ab Hispaniae rege, bullisque pontificiis episcopus Perpinianensis instituitur 20. Novembris an. 1617. morte etiam praematura correptus 1618.

1618.

DE RIPHOS.

V. RAPHAEL II.

Ordinis Praedicatorum vicarius generalis in Hispania, necnon magister in theologia Raphael ad vacantem obitu Raimundi sedem Perpinianensem vocatur bullis Romae datis 12. Nov. 1618. superstes ad annum 1620. quo ad meliorem vitam transiit, sepultus ante aram principem cum hac inscriptione in templo S. Johannis: *Hic quiescit reverendus DD. F. Raphael de Riphos Dei gratia episcopus Elnensis, ordinis Praedicatorum. Obiit XV. calendas Januarii anno Domini 1620.*

1620.

DE S. JUST.

VI. FRANCISCUS VI.

Ex clarissimo Sanjustorum sanguine cretus Franciscus in Catalania, monachus Benedictinus congregationis Tarraconensis, & magister in theologia, primum fuit abbas Arulensis ab anno 1598. ad 1614. inde Rivipullensis, tandemque a Philippo Hispaniarum rege designatus Perpinianensis antistes anno 1621. eodem bullas accepit datas Romae 9. Aug. Ad Gerundensem cathedram traducitur mense Novemb. anni seq. ubi suum feliciter cursum consummavit mense Martio anni 1627. sepultus in ecclesia cathedrali, cujus memoria in dypticis Gerundensibus quotannis celebratur die 10. Martii.

1621.

MAGAROLA.

VII. PETRUS VI.

Petrus, cui Magarola cognomen, ortu Barcinonensis, ex priore ecclesiae collegiatae S. Annae in eadem urbe efficitur episcopus Perpinianensis an. 1622. bullaque pontificia data Romae confirmatur 25. Octob. ejusdem anni. Ad Vicensem postea sedem migravit an. 1627.

1622.

1627.

LOPES DE MENDOÇA.

VIII. FRANCISCUS VII.

Magister in theologia, inquisitor & consultor, necnon Valentinensis canonicus Franciscus, infulis episcopalibus ornatur bulla pontificia data Romae 30. Augusti 1627.

ANNI CHRISTI

PARCERO.

IX. GREGORIUS.

Regendi minime rudis accessit ad ecclesiam Perpinianensem 12. Aug. 1630. Gregorius: jam tum enim doctor erat theologus, abbas S. Martini & praepositus generalis congregationis Vallisoletanae ordinis S. Benedicti. Inde vocatur ad Gerundensem cathedram *al.* Dertusanam.

1630.

PRIETO.

X. GASPAR.

Ortu Burgensis in Castella, & professione ordinis B. Mariae de Mercede alumnus Gaspar ex episcopo Algariensi in Sardinia, bullis papae munitus datis Romae 18. Febr. an. 1636. transiit ad Perpinianensem ecclesiam, quam vir pius & erga pauperes munificus brevi tempore gubernavit. Scripsit allegationes duas de celebratione comitiorum regni Aragoniae. Capitulum Perpinianense in ipsius memoriam hoc ei epitaphium posuit: *Hic requiescit corpus venerandae memoriae illustrissimi & reverendissimi D. D. fratris Gasparis Prieto, qui in civitate Burgensi veteris Castellae XIX. cal. Septembris 1578. nobilibus parentibus ortus, aetatis suae anno XVI. sacrae religioni B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum in patria adscriptus, liberalibus disciplinis & philosophia mirum in modum instructus, ita divinae theologiae studiis profecit, ut brevi temporis curriculo praesentaturae & magisterii honore cohonestatus, illas Vallisoleti, Toleti & Salamanticae publice fuerit professus. In aliquibus sui ordinis coenobiis commendator designatus, tanquam lucerna super candelabrum posita, sermone & opere potens, per omnes suae religionis honores, & provincialatus Castellae dignitate functus, ad magistri generalis fastigium in capitulo Caesaraugustae celebrato pridie idus Maii anni 1622. fuit evectus, cui quadriennio emenso valedicto, postquam uti baro generalibus regni Valentini comitiis anno 1626. Montisone celebratis interfuerat, episcopus Celsonensis primum, deinde Algarensis electus, regni Sardiniae summus praeses, ac magnus belli dux a sacra & regia majestate nominatus, generales curias Sardis celebravit, & ad pontificiam Helnensis ecclesiae cathedram XII. calend. Martii 1636. assumtus, illius possessionem per procuratorem XIV. cal. Aprilis, & praesens VI. idus Junii 1637. iniit, eodemque anno plenus virtutum & meritorum cum magno ovium creditarum moerore Perpiniani obiit in Domino III. cal. Novembris. Fuit in pauperes & ecclesias liberalissimus, in suum corpus asperrimus, illud pectinibus ferreis domans, parcissimo victu contentus, in oratione assiduus, libertatis & immunitatis ecclesiasticae acerrimus vindex, justitiae egregius defensor, pacis strenuus amator, omniumque pastoralium virtutum laude praefulgens. Tam dignissimum pignus perillustre capitulum Helnense in hoc suo sacello III. nonas Novemb. anni praedicti sepulturae donavit.*

1636.

1637.

Hoc alterum Gaspar contractius epitaphium habet in antiqua S. Johannis ecclesia: *Hic jacet illustrissimus dominus dominus Gaspardus de Prieto religiosus B. Mariae de Mercede, episcopus Elnensis. Obiit die 31. Octobris 1637.*

ANNI CHRISTI

PERES ROIG.

XI. FRANCISCUS IV.

Franciscus Valentinus, doctor theologus & canonicus Complutensis ad Perpinianensem cathedram evectus est anno 1638. quam tenuit ad 1641. quo ad Guadiciensem *Guadix* ecclesiam in Granatensi regno translatus est; ab eoque tempore Perpinianensis ecclesia diu permansit pastore viduata.

1638. 1641.

Ex nobilissima in dioecesi Electensi prosapia ortus Josephus del Vivier de S. Martin, fuit juris utriusque doctor, canonicus Helenensis, & archidiaconus Vallispirii, universitatis litterariae Perpinianensis cancellarius, ac pro Elnensi capitulo vicarius generalis. Ad hunc episcopatum designatus est schedula christianissimi regis Ludovici XIII. die 13. Aprilis an. 1643. sed cum bullas obtinere ab apostolica sede non potuisset, factus est prior ecclesiae collegiatae S. Annae in urbe Barcinonensi, ubi naturae debitum solvit.

1643.

MARGARIT.

XII. VINCENTIUS.

Illustrissima Margaritorum gente in Catalania satus Vincentius ortum habuit in castello de Ampurda dioecesis Gerundensis patre Philippo Margarit, fuitque germanus Josephi Margarit marchionis de Aguilar regis christianissimi exercituum legati, Catalaniae proregis, & de regno Franciae optime meriti tempore defectionis Catalanorum ab Hispania.

Pirenaica vero pace stabilita, qua Ruscinonensis, Confluentinus & Ceritaniensis comitatus Franciae ditioni accesserunt, Vincentius Margarit magister ordinis Praedicatorum schedula regia Helenensis episcopus designatur, & primus vi Gallicae nominationis a sede apostolica confirmatur, in possessionem episcopatus immissus 17. Aprilis 1669. Inauguratur episcopus in ecclesia metropolitana Auxiensi ab hujus sedis archipraesule, assistentibus Consoranensi, & Adurensi praesulibus 30. Junii ejusdem anni, Regique fidem juravit 27. Augusti insequentis. Rexit ad annum 1672. quo * Perpiniani migravit e vita 21. Decembris. In quadam scheda, quam prae oculis habemus, doctor in utroque jure dicitur, canonicus & vicarius generalis Helenensis ecclesiae, necnon cancellarius universitatis Perpinianensis.

1669. 1672. * al. 1675.

Defuncto Vincentio successor renunciatur a rege N. de Bruelh Aquitanus, prius exstinctus quam bullas pontificias adeptus. Patruus erat domini de Bruelh in exercitibus regiis centuriae ductoris, equitis torquati ordinis S. Michaelis, necnon Bellogardiae gubernatoris, ex commentariis R.P. Angeli Augustiniani discalceati.

D'ESTAMPES.

XIII. JOHANNES BAPT.

In Massiliensibus episcopis de hoc praesule ejusque parentibus nobilitate conspicuis jam egimus. Ex doctore ac socio Sorbonico nominatione regia fit episcopus Helenensis an. 1675. *al.* 76. quam sedem nunquam invisit, translatus ad Massiliensem cathedram an. 1680. mense Sept.

1675. 1680.

HABERT DE MONTMORT.

XIV. LUDOVICUS.

Nobilis Gallus Ludovicus, Parisiis natus patre Henrico Ludovico, cum jam esset abbas S. Mariae de Rocha Parisiensis dioecesis, designatus fuit a christianissimo rege Helenensis episcopus die 2. Nov. 1680. aetatis suae trigesimo sexto, & anno seq. adfuit comitiis cleri Gallicani. Deinde consecratur Parisiis in aede sacra Vallis gratiae ab episcopo Trecensi 12. Apr. 1682. collaborantibus Laudunensi & Massiliensi praesulibus. Tum vero possessionem nactus per procuratorem 6. Julii insequentis, dioecesim suam ingressus est 8. Dec. ejusdem anni. Obiit in urbe Monspeliensi 23. Januarii an. 1695. aetatis suae 51. unde Perpinianum delatus sepelitur in ecclesia cathedrali S. Johannis, ubi elegantem habet tumulum cum hoc epitaphio:

1682. 1695.

Hic jacet Ludovicus de Montmor, ecclesiae princeps, Elnensis episcopus, Henrici Ludovici Habert de Montmor filius Parisinus. Mortuus est annos natus LI. die XXIII. Jan. anno salutis MDCXCV.

Et ad parietem:

D O M.

Aeternae memoriae illustrissimi ecclesiae principis Ludovici Habert de Montmort Elnensium episcopi, regi a sanctioribus consiliis & sanctae fidei apud Ruscinonenses inquisitoris generalis, qui mortuus Montepessulano, in sua majori ecclesia Perpinianensi inhumari voluit, ut praesul & clerus quomodo in vita dilexerunt se, ita & in morte non sint separati. Monumentum hoc & epitaphium posuit carissimus & amantissimus frater Johannes Ludovicus Habert eques, dominus de Montmor, comes de Menil-Habert, regi a secretioribus consiliis, rei judiciariae, civilis & aerariae, regis triremibus, bellicis urbium artiumque monumentis in Galloprovincia praefectus generalis, & in Aquensi suprema curia regis senator, libellorumque supplicum in regia magister.

Attamen schedae publicae singulis hebdomadibus editae ad diem 12. Febr. 1695. pag. 72. humatum in ecclesia cathedrali Monspeliana memorant Ludovicum, cor vero ad Perpinianensem delatum.

BASAN DE FLAMENVILLE.

XV. JOHANNES HERVEUS.

Herveo Basan marchione de Flamenville & Agnete Molé parentibus natus Johannes Herveus episcopatum hunc regis nominatione obtinuit die 8. Septemb. 1695. antea Carnotensis episcopi vicarius generalis. Pontificalibus infulis ornatur in ecclesia paroeciali S. Sulpitii Parisiensis a Ludovico Antonio de Noailles urbis archiepiscopo, sacro cooperantibus Carnotensi & Castrensi antistitibus 12. Febr. anno 1696. Regi fidem obligavit 31. Martii insequentis; cumque possessionem apprehendisset per procuratorem, dioecesim suam adiit 2. Decembris ejusdem anni. Abbatias B. Mariae de Aspirano, & S. Michaelis de Coxa cum episcopali mensa uniendas impetravit, sed huic unioni nondum accessisse videtur auctoritas pontificia. Palatium episcopale, necnon sacellum in ecclesia S. Johannis veteris, domumque

1696.

ANNI CHRISTI 1721.

domumque rusticam apud Aspiranum excitavit; A tandemque diem clausit extremum in sua diœcesi ineunte anno 1721.

BOIVIN DE VAUROUY.

XVI. ANTONIUS HIERONYMUS.

Doctor theologus, canonicus & cantor Sacræ Capellæ Parisiensis, necnon abbas B. Mariæ de sede Brignoni in Pictonibus, & cellæ Modulfi in diœcesi Ausciensi Antonius Hieronymus nominatur a rege episcopus Helenensis die 22. Maii an. 1721. proclamaturque Romæ in consistorio publico 1. Decemb. ejusdem anni. Episcopatui nuncium remisit non consecratus.

XVII. JOHANNES MATTHIAS

ANNI CHRISTI DE BARTHELEMI DE GRAMMONT DE LENTA. 1723. 1726.

Abdicanti Antonio Hieronymo successor datur Johannes Matthias schedula regia designatus 17. Octob. 1723. At nonnisi anno 1726. die 26. Maii sacram inunctionem accepit in sacello interiori noviciatus Jesuitarum Parisiensium ab antistite Vaurensi, cui cooperatores aderant Aniciensis & Valentinus præsules. Regi fidem adstrinxit 30. Maii in festo Ascensionis Dom. in castro Versaliensi. Adhuc præest, etiam abbas B. Mariæ de Calercio diœcesis Rivensis ab anno 1717.

ARCHIDIACONI HELENENSIS, *modo* PERPINIANENSIS ECCLESIÆ.

I. Igoaldus levita subscribit post tres archipresbyteros donationi Wadaldi episcopi Helenensis & Gauzberti comitis Ruscinonensis ecclesiæ Helenensi factæ anno 930. IV. idus Aprilis. *Marc. Hisp. 845.*

II. Obba (forte Oliba) levita ex tribus levitis qui tunc erant, sigillum primus apponit actis dedicationis novæ basilicæ Cuxanensis monasterii B an. 953. indict. VII. die tertio cal. Aug. *Ibid. 870.*

III. Raimundus I. levita 993. *t. 2. Capit. 1524.*

IV. Bernardus I. Gischafredus anno 1009. indict. IX. quarto idus Novemb. subscribit post Udalgarium archipresbyterum actis consecrationis ecclesiæ monasterii Canigonensis; & iterum an. 1010. IV. idus Januarii actis consecrationis duarum ecclesiarum Montis Aurioli in valle Asperiensi, ubi Giscafredus simpliciter appellatus primus ante Udalgarium archipresbyterum subscribit. *Marc. Hisp. 971. 972.*

V. Guillelmus I. archidiaconus interfuit cum Udalchero archipresbytero Helenensi concilio C Tulugiensi diœcesis Helenensis, in quo de treuga & pace actum est, an. 1041. Vide notam XXXI. tom. 2. hist. Occit. pag. 608.

VI. Udalgarius I. archidiac. subscribit actis dedicationis Helenensis ecclesiæ an. 1058. IV. idus Dec. melius 1053. Vocatur autem avunculus successoris in ejusdem testamento an. 1091. *Ibid. 1117. 1188.*

VII. Guillelmus II. vicecomes Castri novi atque archidiaconus sanctæ Helenensis ecclesiæ an. 1091. idibus Apr. die sancto Paschæ testamentum suum condidit, cujus exsecutores constituit Artallum episcopum Helenensem, Raimundum archidiaconum, Guillelmum Udalgarium vicecomitem, nepotem suum, &c. D *Ibid. 1188.*

VIII. Petrus I. Arnallus 1109. V. calendas Octobris testis reperitur in charta donationis Agnetis comitissæ Ruscinonensis monasterio Crassensi factæ. *Ibid. 1234.*

IX. Udalgarius II. occurrit 1114. IV. nonas Januarii in judicio pro monasterio Cuxanensi lato adversus cœnobium Arulense, 1115. VIII. idus Maii in donatione Willelmi Udalgarii vicecomitis Castri novi pro ecclesia S. Stephani de Pontiliano in diœcesi Helenensi; 1117. XI. cal. Julii in pactis initis Bernardum inter abbatem Cuxanensem & Raimundum Bernardi ac Bernardum Isarni super ecclesia S. Andreæ de Castella; 1118. IV. idus Aprilis in charta Raimundi comitis Barcinonensis de oppigneratione ecclesiæ sanctarum Justæ & Rufinæ, quæ est fundata in valle nuncupata *Prades;* ac denique 1121. XVI. cal. Nov. in actis consecrationis ecclesiæ monasterii S. Andreæ Suredensis. *Ibid. 1241. Ibid. 1244. Ibid. 1249. Ibid. 1250. Ibid. 1259.*

X. Guitardus archilevita post Artaldum episcopum nomen suum primus apponit ante Raimundum archilevitam, Guifredum sacristam & Raimundum capiscolum chartæ donationis Guillelmi archidiaconi Helenensis & Guillelmi Udalgarii vicecomitis Castri novi pro ecclesia Helenensi an. 1121. IX. cal. Apr. hoc est 1122. *Ibid. 1258.*

XI. Guillelmus III. reperitur 1130. in actis consecrationis ecclesiæ B. Mariæ de Aspirano in diœcesi Helenensi. *Ibid. 1269.*

XII. Raimundus II. de Mataplana 1134. V. idus Novembris in commutatione quarumdam ecclesiarum facta inter Udalgarium episcopum Helenensem & Gregorium abbatem Cuxanensem: huic etiam chartæ subscripsit Petrus Arnalli canonicus Helenensis, qui biennio post primus ejusdem ecclesiæ in regularem ordinis S. Augustini conversæ prior creatus est. Occurrit etiam Raimundus in litteris Udalgarii episcopi Helenensis de institutione vitæ canonicæ in prædicta S. Mariæ de Aspirano ecclesia 1136. VIII. cal. Jan. & 1142. VI. calend. Decembris in actis consecrationis ecclesiæ S. Mariæ de Custodia in diœcesi Helenensi. *Ibid. 1278. Ibid. 1281. Ibid. 1290.*

XIII. Petrus II. Ferrandus antea caput scholæ 1136. reperitur archidiaconus 1149. XII. cal. Januarii in actis consecrationis ecclesiæ S. Vincentii Bazonensis in diœcesi Helenensi. *Ibid. 1304.*

XIV. Bernardus II de Molleto 1155. XVIII. calend. Decembris in concordia Artaldum inter episcopum Helenensem & Gaubertum de Avalrino; 1157. III. idus Octobris in actis dedicationis ecclesiæ monasterii Arulensis. Vocatur *de Mosseto* an. 1158. VII. cal. Novemb. in actis consecrationis ecclesiæ S. Martini de Curtesavini; & in instrumento Artaldi episcopi monasterium *Ibid. 1318. Ibid. 1321. Ibid. 1324.*

ANNI CHRISTI

B. Mariæ de Cleriana Petro Ardorelli abbati A concedentis IV. nonas Augusti an. 1162. ubi cognominatur de Musseto, ch. VI. eccl. Castrensis tom. I. col. 14.

XV. Guillelmus III. de Ortafano archidiaconus & capellanus sanctarum Justæ & Rufinæ de Pratis reperitur 1195. cal. Octob. in donatione Guillelmi episcopi Helenensis pro monasterio Arulensi. Postea fuit episcopus Helenensis. *Ibid. 1383.*

XVI. Guillelmus IV. Jordanus 1226. castrum & locum de Solerio concessit Raimundo Helenensi episcopo.

XVII. Bernardus III. Hugonis de Urgio 1287. *Ch. XVIII. col. 490.*

XVIII. Guillelmus V. Jordani circa 1311. vide in Raimundo episcopo.

Archidiaconus Helenensis an. 1351. aberat a civitate occupatus in servitio reverendissimi cardinalis G. *Baluz. catal. Diplom. mss. 41. n. 17.*

DE VETERIBUS DIŒC. PERPINIANENSIS MONASTERIIS.

I. S. CLEMENS.

S. Clementis cœnobium in pago Ruscinonensi ad fluvium *Teda* positum innotescit ex præcepto Caroli Calvi circa 850. qui precibus Sintremundi ejusdem præpositi illud in suam tutelam suscipit, indulgetque ut post ejus decessum fratres licentiam habeant eligendi præpositos vel abbates. *Append. Marc. Hisp. col. 785.*

II. B. MARIA DE EULA.

B. Maria de Eula Cisterciensis ordinis abbatia quondam puellaris Fonti frigido ut filia matri subjecta erat anno 1338. ut discimus ex charta ejusdem visitationis factæ ab Antonio Fontis frigidi abbate, qui plurima tunc inibi statuenda duxit. Hodie vix prioratus, nedum abbatia, hospitiolum est, translatum ut videtur, Perpinianum, in quo tenuiter unus Fontis frigidi monachus victitat, qui tamen prior de Eula vocitatur. *Ch. XX. col. 491.*

III. DE CORNELIANO.

Prioratum de Corneliano ordinis quondam S. Augustini situm in Confluentino tractu ad latus Villæ francæ in radicibus montis Canigonis, quem hodie possidet Josephus Sadourne, fuisse olim abbatiam volunt, cujus certe rex etiamnum priorem nominat, qui pro spirituali jurisdictione bullas tenetur accipere. Fovet nunc sex beneficiatos canonicos, qui se ab episcopi jurisdictione immunes contendunt.

IV. S. ANDREAS DE SUREDA.

Hisce monasteriis adjungendum S. Andreæ de Sureda ord. S. Benedicti cœnobium, quod Arulensi ab anno 1592. unitum fuit: Arulense vero 1722. S. Michaelis de Coxano ejusdem ordinis 1704. & abbatia sæcularis B. Mariæ de Aspirano, seu B. Mariæ Regalis anno 1695. addicta sunt episcopatui Perpinianensi unienda quando placuerit summo pontifici.

Sureda vicus est pagi Ruscinonensis quinquaginta milliaribus a fluvio Techo, septem vero ab urbe Caucoliberi dissitus. Illic tempore Ludovici Pii imperatoris conditum est ordinis S. Benedicti monasterium sub patrocinio S. Andreæ, auctore Mirone abbate, qui primum in cella S. Martini E domum sedemque collocavit. Inde monachi alium in locum S. Vincentio sacrum se contulerunt, ac tandem in loco amœno una circiter leuca ab Helenensi civitate sedem fixerunt, constructo in honorem S. Andreæ monasterio, ut cum Ludovici Augusti, tum Caroli Calvi diplomata innuere videntur. Destructum successu temporis monasterium Agnes comitissa Ruscinonensis restaurandum & gubernandum commisit Leoni abbati Crassensi anno 1109. V. cal. Oct. idemque præstitit Gauffredus comes Ruscinonensis, *Append. Marc. Hisp. col. 775. & 784. & Spicileg. tom. 8. pag. 349.* *Ch. XI. col. 484.* *Ch. XII. col. 485.*

hortante Udalgerio Helenensi præsule an. 1139. III. idus Maii in manu Berengarii Crassensis abbatis. Demum, ut diximus, an. 1592. idibus Aug. unitum fuit Arulensi monasterio bulla Clementis VIII. data precibus Philippi II. Hispaniarum regis. Ceterum Suredense monasterium societatem precum aliquando habuit cum fratribus de Cassiano: sic enim habet necrologium Cassiani tom. X. fragm. Stephanotii pag. 158. *calendis Octobris commemoratio fratrum S. Andreæ de Sureda.*

ABBATES.

I. MIRO fundator & primus abbas innotescit maxime ex præcepto Ludovici Pii imperatoris dato circa 836. quod docet Mironem abbatem quondam in territorio Helenense super fluvium Tacidum in quodam loco in honore sancti Andreæ monasterium ædificasse, & monachos secundum regulam S. Benedicti in eodem monasterio vivere constituisse, primitusque in cella S. Martini cum monachis habitare cœpisse. Jam autem anno 814. memoratur in duobus catalogis ad nos transmissis. *Append. Marc. Hisp. col. 775.* *Ch. III. col. 476.*

II. Sisegutus successor Mironis laudatum Ludovici Augusti præceptum obtinuit rogatu viri illustris Gaucelini comitis, exponentis quomodo quidam abbas nomine Miro monasterium ædificasset, poscentisque ut imperator Sisegutum abbatem, ipsumque monasterium cum cellulis S. Martini & S. Vincentii sub immunitatis suæ tuitione haberet, quod annuit imperator. *Ibidem.*

III. Froiselus superioris præcepti altero Caroli Calvi confirmationem obtinuit, ac insuper rogatu Suniarii comitis vallem S. Martini .... necnon & quoddam villare, quod, ait rex, dici constituimus Garrices, cum terminis & appendiciis, ab eodem rege dono accepit, circa 850. *Ibid. col. 784.*

IV. Johannes I. ab eodem principe litteras obtinuit datas VII. cal. Martii indictione 2. anno 29. regnante Carolo gloriosissimo rege, hoc est 869. Actum in monasterio S. Dionysii. *Ibid. col. 792.*

V. Addala memoratur abbas S. Andreæ anno tertio regnante Carolo filio Ludovici, hic est Carolus Simplex, in veteri charta Helenensis ecclesiæ.

VI. Sanila & Savila reperitur XI. cal. Decemb. anno 21. Roberti regis. *t. 2. Capitular. col. 631.*

VII. Raimundus I. an. 1046. XVII. calendas Dec. adfuit dedicationi basilicæ Arulensis monasterii, cum Willelmo comite Palliarensi, & *Append. Marc. Hisp. col. 1091.*

Stephania conjuge, Raimundo Guifredi comite Ceritaniæ, Gausfredo comite Ruscinonensi, Poncio abbate S. Genesii, Petro abbate S. Petri Rodensis, &c. Transegit anno 23. regnante Henrico rege cum Berengario Helenensi episcopo, & anno 1058. IV. idus Decembris, melius 1053. ut diximus in Berengario Helenensi episcopo, interfuit consecrationi Helenensis ecclesiæ.

Ibid. col. 1118.

VIII. Bauzo abbas S. Andreæ apostoli subscripsit privilegio Raminiri regis pro episcopatu Oscensi in concilio Jaccensi in Aragonia anno 1060. aut secundum alios 1063.

Conc. d'Aguirr. t. 3. pag. 228.

IX. Poncius I. Arnalli interfuit 1114. judicio episcoporum pro cœnobio Coxanensi. Præfuisse dicitur jam anno IIII.

Marc. Hisp. col. 1241.

X. Poncius II. idem fortasse ac primus, anno 1121. indict. XIII. decimo sexto cal. Novemb. basilicam sui monasterii consecrari fecit a Petro Helenensi episcopo. Sedebat adhuc 1140. quo, vel 1143. Gaufredus comes Ruscinonensis & uxor Trencavella consilio Udalguerii Helenensis episcopi sese munificos erga S. Andreæ monasterium exhibuerunt.

Ibid. col. 1259.

XI. Petrus I. occurrit 1164. VIII. idus Maii in charta sacramentali super ultima voluntate Gaufredi comitis Ruscinonensis, 1172. pridie non. Julii in instrumento Girardi, forte Guinardi, Ruscinonensis comitis, e tabulario Fontis frigidi, 1173. IV. non. Jul. in testamento Guinardi comitis Ruscinonensis, & 1174. X. cal. Julii. Interfuit anno seq. XII. calend. Sept. sententiæ latæ ab arbitris inter Arnaldum de castello Rossilionis, abbatem B. Mariæ de Crassa & præpositum loci de Corneliano diœcesis Helenensis ex una parte, & vicarios ejusdem loci ex altera.

Ibid. col. 1339.

Ibid. col. 1362.

XII. Guillelmus in quodam catalogo cognomento *Bertrandi* privilegium accepit mense Julio anni 1188. ab Ildefonso rege Aragonum. Testis laudatur 1192. mense Junio permutationis factæ inter hunc regem & Raimundum Crassensem abbatem.

XIII. R. legitur abbas an. 1201.

XIV. Acatmeirus reperitur anno 1206. IV. idus Januarii, idem fortasse qui Xatmarius vocatus an. 1207. XIII. calend. Octobris testis fuit sacramenti Guillelmi de Castro novo vicecomitis, Saurinæ filii, præstiti domino suo Bernardo Crassæ abbati filio Ricardæ feminæ, quo jurat per sanctum altare B. Mariæ Perpiniani, se ipsi & conventui Crassensi fidelem fore.

XV. Bernardus I. memoratur abbas IV. id. Apr. 1222. quo Nuno Sancius Ruscinonis, Confluentis & Vallis Spirii dominus huic confirmavit donationem factam ab Agnete filia Guillelmi Baron & alia dona, ea lege ut fundaret presbyterum sæcularem, qui pro ipso in ecclesia monasterii ad Deum preces in perpetuum funderet. Nova quoque privilegia idem princeps ei concessit nonis Junii 1225. Insequenti querelam Berengarium inter Crassensem abbatem, & Ferrariam filiam Raimundi de S. Felice ac Guillelmum de Villa longa militem composuit; sive, ut alibi lego, Bernardus de Tuluges abbas Guillelmum Raimundi Crassensem monachum Pediliani præpositum & Guillelmum Raimundi de Villa longa militem de quodam nemore litigantes ad concordiam revocavit IV. idus Nov. 1226. Eodem anno mense Sept. regi Ludovico VIII. medietatem justitiæ in loco S. Andreæ dimisit, oblatasque a rege in compensationem quadraginta libras annui reditus in portu Bellicadri percipiendas generose recusavit, ex archivo regio Carcassonensi. Cognominatus adhuc *de Tuluges* una cum Bernardo Raimundi Carcassonensi quondam episcopo, Rogerio de Sculencis abbate S. Polycarpi & aliis testatur Jaubertum filium Odonis de Fontibus & Berengariæ vicariæ de Pediliano recognoscere debere se facere *albergam abbadalem* Benedicto Crassensi abbati, pro his, quæ ab eo tenet in villis de Fontibus & de Pediliano. Occurrit etiam Bernardus pridie cal. Maii 1230. & 1240.

XVI. Raimundus II. antea Crassensis monachus, hos inter annumeratus, qui 22. Aprilis 1256. Berengarium de Grava e camerario Crassensi in abbatem elegerunt, reperitur abbas S. Andreæ de Sureda 1258. 59. 62. & 1267. quo anno VII. idus Nov. Jacobus Aragonum rex loca de Stereu & de Cazingar eidem abbati simul & procuratori vacantis monasterii Crassensis restitui jubet.

XVII. Petrus II. Carbonerie monachus Crassensis, ac prior de Palatiolo, seu de Palatio in capitulo Crassensi sancti Andreæ Suredensis abbas renunciatur a fratre Arnaldo Cortesii Suredensi monacho, vice & eorum nomine quorum intererat, die 3. Mart. 1271. Vivere desiit 1287.

XVIII. Poncius III. de Podio monachus Crassensis & infirmarius eligitur abbas S. Andreæ de Sureda & confirmatur ab Augerio Crassensi abbate idibus Januarii 1288. Actum in camera Crassensis abbatis. Occurrit eodem anno XI. Oct. ac 1292. XI. cal. Julii.

Ch. XIX. col. 490.

XIX. Bernardus II. interfuit an. 1299. VII. cal. Novembris sententiæ latæ a Jacobo rege Majoricarum, &c. pro Crassensi abbate & monasterio, quibus in castris & locis ipsorum Ruscinonensis comitatus justitiarum & jurisdictionum quæ spectant ad merum & mixtum imperium possessionem restituit. Memoratur 1302. V. cal. Julii, 1309. & 1317. quem paulo post ob dilapidatum monasterium Berengarius Helenensis episcopus ab administratione ad tempus removit.

XX. Arnaldus I. de Alione Crassensis monachus & prior S. Martini Algefariæ Cæsaraugustanæ, a Crassensi conventu electus, Suredensi monasterio præfectus est a Berengario Helenensi episcopo die 16. Julii an. 1318. vel 1319.

XXI. Bernardus III. vel forsan idem qui supra, occurrit 1323. & 1324. die 7. Maii, quo Guillelmus Crassensis abbas perlecta conventus supplicatione, interrogatisque fratribus Raimundo de Aquaviva Rividarii priore, Bernardo S. Andreæ abbate, & aliis duodecim, concessiones S. Andreæ monasterio ab antecessoribus factas confirmavit. Adhuc reperitur 1338. & 1339.

XXII. Bertrandus recensetur annis 1340. 46. & 51. Obiit anno tertio Innocentii papæ

VI. quo ei successit ex Baluzio.

XXIII. Arnaldus II. e sacrista Suredæ, sed antea Crassensis monachus. Memoratur an. 1361. 21. Maii, 1376. in charta S. Genesii, & 1380. 17. Maii præsens lectioni & publicationi constitutionum Raimundi Helenensis episcopi. Pervenit ad annum saltem 1381.

Append. Marc. Hisp. col. 1476.

XXIV. Jacobus I. abbas una cum sex monachis cuidam chartæ subscriptus legitur die 22. Febr. an. 1391.

XXV. Johannes II. reperitur 1401. 16. Aprilis & 1430.

XXVI. Antonius Celera 12. Sept. 1445. & 22. Martii 1446.

XXVII. Johannes III. 1461. die 16. Apr.

XXVIII. Balanus 1474. in veteri charta S. Genesii.

XXIX. Jacobus II. Baller & Bellero 1481. 15. Decemb. & 1482.

XXX. Deodatus de Narbona assumtus e Crassa vel ex Aniana præerat an. 1492. 20. Martii, quo simul prior Gordanicensis abdicavit hunc prioratum, quem illico Jacobus Anianensis abbas Johanni Rubei contulit. Anno 1494. 22. Februarii vice & nomine Antonii de Narbona A Anianensis abbatiæ possessionem adeptus est. Fuit etiam prior de Podio abone.

XXXI. Michael Marti canonicus Helenensis & vicarius generalis episcopi, necnon imperatori Carolo quinto ab eleemosynis fuit abbas commendatarius anno 1507. quo 17. Octobris Crassensis abbatis procurator ipsi ut vicario generali Helenensis episcopi Guillelmum Mainerii rectorem ecclesiæ de Ripis altis designavit. Perperam obiisse dicitur 1516. adhuc enim reperitur 20. Febr. 1519. at fortasse interea competitorem habuit Petrum Sastre monachum Arulensem, quem abbatem legimus 1515. & 1516.

B XXXII. Johannes IV. de Salaya oriundus e diœcesi Valentinensi, doctor in theologia facultatis Parisiensis abbas erat commendatarius 24. Febr. 1545.

XXXIII. Onuphrius Gigenta prius abbas S. Genesii, abbas quoque B. Mariæ de Aspirano circa 1559. a rege designatus est.

Ceteros abbates require in Arulensi quod sequitur monasterio: iidem enim utrique cœnobio præfuerunt ab anno 1592. quo, ut diximus, Suredense Arulensi unitum fuit bulla Clementis VIII. data idibus Aug. anno pontificatus primo.

ABBATIÆ DIŒCESIS PERPINIANENSIS

quæ hactenus titulum abbatialem servant.

B. Maria de Arulis, *Arles* O. B.

S. Michael de Coxano, O. B.

S. Genesius de Fontanis, O. B.

S. Martinus de Canigone, O. B.

B. Maria de Aspirano, *seu* B. Maria Regalis, *la Reale*, O. S. August.

Clariana, & Calana, seu Dovaria, vel etiam S. Andreas & B. Maria *du Jau*, O Cisterc.

Bona vallis, *seu* Vallis bona, O. Cist.

ARULÆ.

ARularum urbecula sex ultra Perpinianum leucis, pene ad radices montis Canigonis & ad ripam sinistram fluvii Techi suo in sinu fovet & amplectitur abbatiam ordinis S. Benedicti sub titulo S. Mariæ, antiquitus nominatam *Valespir*, hodie vero *Nostre-Dame d'Arles*. Duabus quoque parochiis ornatur, altera S. Salvatoris pro urbe duobusque suburbiis, altera S. Stephani pro vicinis ruricolis, cujus parochus semel intra quindecim dies in parochia S. Ceciliæ ab Arulis una leuca distante sacrum facere tenetur. Arulensis abbas regiæ nominationis est, regularis, Romanæ sedi proxime subjectus, pedo & infula decoratus, necnon spirituali gaudet jurisdictione in duas parochias memoratas, in sex alias provinciæ Ruscinonensis, & in aliquot alias Cataloniæ: ac insuper urbis Arularum & aliquot aliarum ab ea dependentium parochiarum temporalis dominus audit.

Quod ad cœnobii antiquitatem spectat, hujus origo jam a Caroli Magni temporibus repetitur in epistola Hilperici abbatis ad Carolum regem, quam edidit Mabillonius in appendice ad tomum tertium annalium pag. 672. Et certe anno 817. inter Septimaniæ monasteria recensetur *monasterium valle Asperii* in indice monasteriorum hoc anno in concilio Aquisgranensi digesto, ipsumC que paulo post, anno scilicet 821. sub tuitione & *mundeburdio* suo posuit Ludovicus Pius imperator litteris datis xv. cal. Octobris anno imperii septimo, ex quibus Castellanum fuisse primum illius reparatorem & primum abbatem discimus; fundatorem vero exstitisse colligimus fratrem avi Olibæ comitis ex privilegio Johannis papæ VIII. non VII. ut irrepsit in appendice col. 480. quod idem Oliba comes Romam profectus obtinuit a pontifice an. 879. Porro hujusce loci monachos fertur insedisse primum uno ab Arulis quadrante leucæ in faucibus montium; ubi etiamnum visitur parvum sacellum dictum S. Petri de Rivo D ferrario, indeque sub Ludovico Pio ad Arulas convolasse. Successu temporis hanc abbatiam Guifredus archiepiscopus Narbonensis & Arnallus Arnalli in feudum acquisierunt, a quibus pretio redemtam Bernardus comes Bisuldunensis anno 1078. Cluniacensi monasterio subjecit in manu consobrini Hunaldi abbatis Moissiacensis. At cum nihilominus bellorum procellis cœnobii Arulensis reditus non mediocriter imminuti fuissent, ita ut illic officia divina minus congrue celebrarentur, visum est Clementi VIII. papæ rogatu Philippi II. Hispaniarum regis ipsi adjungere

Append. Marc. Hisp. col. 766. & Ch. I. col. 474.

Ch. VI. col. 480.

Append. Marc. Hisp. col. 1168. & Ch. X. col. 484.

monasterium S. Andreæ de Sureda data bulla idibus Augusti an. 1592. Vacat igitur abbatia Sanctandreana monachis, sed ejusdem unitis reditibus octo apud Arulas sedes monachales sunt, non computatis abbatiali, pluribusque sacerdotalibus laicis, quarum pleræque addictæ sunt beneficiatis portionariis, qui pariter cum monachis interesse divinis officiis tenentur. Demum hac in abbatia requiescere creduntur corpora SS. Abdon & Sennen jam ab ævo Roberti & Henrici regum Franciæ, de quorum translatione vide appendicem Marcæ Hispan. col. 1449. Et certe anno VI. regnante Henrico rege Willelmus comes Bisuldunensis quosdam Arulensi monasterio reditus assignavit, ut ante memorata sanctorum corpora luminaria jugiter arderent.

Tom. 1. Anecd. col. 156.

SERIES ABBATUM.

I. Castellanus I. fundator & abbas an. 821. præceptum obtinuit a Ludovico Pio imperatore. In epistola Hilperici abbatis, de quo infra, ad Carolum regem Castellanus e partibus Hispaniæ illuc profectus *sancta* inibi *cœnobia* ædificasse dicitur, sub auctoritate Caroli Magni, qui præceptum regiæ defensionis eidem indulsit.

Ch. I. col. 474. *Append. t. 3. annal. Bened. pag. 672.*

II. Babila & Babilanus anno XIX. regnante Ludovico Pio imperatore, hoc est 832. sub Berengario comite & Salomone episcopo, monasterii fines determinari curavit.

Append. Marc. Hisp. col. 769.

III. Recesindus & Ressendus VII. cal. Julii anno quarto regnante Carolo rege tunc prope Tolosam in monasterio S. Saturnini moram agente, hoc est 844. præcepti, quod an. 821. Castellanus abbas a Ludovico Pio acceperat obtinuit confirmationem. Hoc habes præceptum in appendice nostra & in appendice tom. 2. Capitularium col. 1448.

Ch. II. col. 475.

IV. Recimirus superioris frater & successor dicitur in laudata Hilperici abbatis epistola; ac insuper hoc ordine memoratur in quodam judicio publice lato in gratiam Arulensis monasterii, XV. calend. Febr. anno XXXVI. regnante Karulo rege, hoc est 876. quo tempore Castellanus II. regebat.

Append. t. 3. annal. Bened. pag. 672. *Append. Marc. Hisp. col. 798.*

V. Hilpericus solo æquati monasterii a Normannis aggressus restaurationem, a Carolo rege, scripta epistola jam laudata, subsidia postulavit, a quo privilegium immunitatis accepit anno 869. VII. cal. Martii indict. 2. anno XXIX. regnante Karolo gloriosissimo rege.

Append. t. 3. annal. Bened. pag. 672. *Append. Marc. Hisp. col 793.*

VI. Castellanus II. præerat anno XXXIII. Caroli regis & anno XXXVI. XV. cal. Febr. quo certa bona tanquam a primis quatuor abbatibus possessa plurimorum fide dignorum testimonio huic abbati asserta sunt judicio publice lato, quod habetur in appendice Marcæ Hispan. col. 798. Idem an. 878. seu primo regnante Ludovico Balbo, VI. idus Septemb. indict. XI. privilegium tuitionis ab hoc principe accepit. Anno sequenti Johannes VIII. papa monasterium precibus Olibæ comitis coram ipso positi suam in tutelam suscepit, dato diplomate, quod videsis inter instrumenta.

Ibid. col. 799. *Ch. VI. col. 480.*

VII. Sunifredus & Seniofredus reperitur abbas XVI. cal. Maii anno III. Carolo imperante, hoc est 883.

VIII. Bernardus I. occurrit anno septimo regnante Carolo Simplice.

IX. Agobardus anno XXIV. regnante Carolo rege filio Ludovici, hic est Carolus Simplex, qui coronatus est rex die Dominica 28. Januarii an. 893.

X. Gisandus & Wisandus memoratur abbas VIII. cal. Martii *anno tertio post obitum Caroli regis filii Ludovici*, annis secundo & quinto regnante Radulfo rege, & anno primo, quo regnare cœpit Ludovicus rex filius Caroli regis.

Tom. 2. Capitul. col. 1103.

XI. Guimera reperitur in variis actis annorum VIII. & IX. regnante Ludovico filio Caroli regis, hoc est 943. & 944.

XII. Agomesindus & Comesindus Arulensis abbas occurrit annis XIII. & XIV. regnante Ludovico rege filio Caroli, III. idus Aprilis.

XIII. Aimericus anno 957. indict. prima, seu anno tertio regnante Leuthario rege filio Ludovici, XIV. cal. Novemb. ecclesias S. Mariæ & SS. apostolorum Petri & Pauli in valle Albaniana consecrari ab Arnulfo Gerundensi episcopo curavit.

Append. Marc. Hisp. col. 874.

XIV. Arlufus sedebat etiam anno tertio, & adhuc nono regnante Lothario filio Ludovici regis. Is autem esse videtur Arnulfus abbas, qui SS. Abdon & Sennen sacra pignora transtulisse Arulas perhibetur. Obiit Arnulfus IX. cal. Nov. sepultus in capella SS. Cosmæ & Damiani cum epitaphio, quod legesis in appendice Marcæ Hispan. col. 1453.

Ibid. col. 1449.

XV. Theobaldus & Theudebaldus, non vero Radbaldus, occurrit annis XXXII. & XXXIII. regni Lotharii, XVIII. cal. Decembris, & anno primo regnante Ludovico filio Lotharii, sub quo forsan abbate anno XXX. regnante Leutario idibus Aprilis, Miro Gerundensis episcopus, seu ipsius eleemosynarii sese munificos erga monasterium exhibuerunt.

Anecdot. tom. 1. col. 99.

XVI. Sintillus regebat anno septimo quo Hugo regnare cœpit XV. cal. Januarii, ut liquet ex notitia judicii de Alode Tordarias, qui ab Ermengarde comitissa, filio ejus Berengario Helenensi præsule, aliisque proceribus & judicibus qui jussi sunt negotia sæcularia judicare & legibus definire eidem prolatis testibus assertus est; ipsumque judicium per Vaulbertum presbyterum transcribi fecit XI. cal. Aprilis anno quinto quod cœpit Rodobertus regnare in Francia. Cum quodam Mirone alodem commutavit, præsente eodem Berengario Helenensi episcopo anno superiore; cumque hoc ipso Berengario ecclesias S. Stephani & S. Martini in Rivo ferrario pro certis bonis in pago Ruscinonensi positis permutavit anno quinto Roberti regis idibus Martii.

Append. Marc. Hisp. col. 948.

XVII. Stephanus occurrit IX. cal. Februarii anno XI. quo cœpit regnare in Francia Rodobertus rex filius Hugonis, hoc est 1008.

XVIII. Gauzbertus die IV. idus Jan. an. XIII. regnante Rodberto Francigeno rege duas ecclesias Montis aurioli in valle Asperiensi consecrari fecit ab Oliba Helenensi episcopo. Insequenti

Ib. c. 972.

Idib. c. 989. bullam protectionis obtinuit a Sergio IV. pontifice. Adhuc memoratur XII. cal. Maii anno XV. regnante Rodberto.

XIX. Bonifilius I. reperitur anno 1020. seu Roberti regis anno XXV. tertio idus Octobris in judicio testamenti Bernardi comitis Bisuldunensis. Occurrit etiam V. cal. Jan. anno XXVIII. & anno XXXI. ejusdem regis. (Ibid. col. 1027.)

XX. Guillelmus I. die IX. cal. Augusti anno I. regnante Henrico rege filio Roberti regis quosdam alodes cum Guillelmo Bisuldunensi comite & Adalaice comitissa commutavit. Reperitur adhuc anno secundo ejusdem regis. Fortasse vero is est Guillelmus abbas jam anno XXXIV. regnante Roberto rege pridie calendas Januarii subscriptus chartæ Ermengaudi comitis pro ecclesia Urgellensi. (Ibid. col. 1049. Ibid. col. 1048.)

XXI. Bonifilius II. anno VI. regnante Henrico in Francia XVII. cal. Januarii nonnulla commutavit cum Willelmo Bisuldunensi comite. Sub eo fortassis facta est consecratio Arulensis ecclesiæ per Guifredum Narbonensem archiepiscopum, & Berengarium Helenensem, ac Wifredum Carcasson. episcopos XVII. calend. Decembris anno 1046. (Ibid. col. 1064. Ibid. col. 1089.)

XXII. Berengarius I. sedebat anno primo regnante Philippo rege. Insequenti 1061. tertio nonas Septembris ecclesiam S. Quintini de Balneis consecrari fecit ab Arnaldo Dalmad Helenensi episcopo. Subscripsit anno sexto Philippi regis chartæ Seniofredi pro ecclesia Helenensi. Rexit ad annum saltem decimum sextum regni ejusdem Philippi.

XXIII. Girardus & Gitardus anno 1090. XXVIII. regnante Philippo rege XIII. cal. Febr. paciscitur cum Raimundo Matfredi super ecclesia S. Martini. Reperitur adhuc 1091. & anno XXXVIII. regnante Philippo rege. (Ibid. col. 1185.)

XXIV. Bernardus II. subscripsit judicio lato de controversa suum inter & Coxanense monasterium ecclesia S. Petri de Turreliis, quæ anno 1114. IV. nonas Januarii Coxanensi asserta fuit. Memoratur eodem anno, seu septimo Ludovici Crassi VII. idus Augusti. Anno 1116. XII. cal. Septembris ecclesiam S. Nazarii de Tordarias in diœcesi Helenensi consecrari fecit a Petro ejusdem sedis episcopo. Munificum expertus est Raimundum comitem Barcinonensem XVII. cal. Junii anno XII. regni Ludovici regis, Christi 1119. Occurrit III. cal. Januarii anno vigesimo ejusdem regis. Udalgarius Helenensis episcopus pro eo sententiam tulit anno 1130. Attigit annum 25. Ludovici regis, & 1132. III. nonas Septembris. Fortasse is est Bernardus Arulensis abbas XV. calend. Junii memoratus in fragmento necrologii Moissiacensis, tom XI. fragm. Stephanotii pag. 2. (Ibid. col. 1241. Ibid. col. 1246. Ibid. col. 1253.)

XXV. Raimundus I. anno V. regnante Ludovico (Juniore) rege X. cal. Martii Guillelmum Grossum in procinctu Jerosolymitanæ peregrinationis constitutum beneficum expertus est. Insequenti 1142. sexto ejusdem regis indict. V. sexto cal. Dec. ecclesiam B. Mariæ de Custodia consecrari fecit ab Udalgario Helenensi episcopo. Occurrit 1154. in veteri documento. Anno 1157. III. idus Octob. ecclesiam sui monasterii reædificatam atque decoratam curis Udalgerii bonæ memoriæ Helenensis episcopi, & Artalli tunc ejusdem sedis pontificis & aliorum consecrari fecit a Berengario Narbonensi archiepiscopo, Artallo Helenensi & aliis præsulibus. Varias quoque sui juris ecclesias seu noviter exstructas, seu reædificatas anno sequenti 1158. consecrari ab Artaldo episcopo curavit, ecclesiam scilicet S. Martini de Curtesavini, *de Corsevi* IV. idus Octobris, ecclesiam S. Stephani de Arulis XIV. cal. Novembris, ecclesiam S. Ceciliæ in villa Cocio XII. cal. ejusdem mensis, & anno 1159. XVII. cal. Decemb. ecclesiam S. Petri de Rivo ferrario, ecclesiamque sancti Laurentii martyris in parochia S. Mariæ de Custodia X. cal. ejusdem mensis. Memoratur adhuc 1162. 1165. & 1166. XVI. cal. Aug. quo anno adstitit Berengario de Salella ecclesiam B. Mariæ de Salella Cluniacensi monasterio confirmanti, e tabulario Moissiacensi. Pervenit ad annum 1174. (Ibid. col. 2190. Ibid. col. 1321. Ibid. col. 1323. 1324. 1325. Ibid. col. 1326. & 1327.)

XXVI. Robertus I. cognomento *Deni*, testante D. Martennio, memoratur abbas in charta regis Aragonum Alfonsi prohibentis an. 1178. mense Octobri, ne ullus, miles aut clericus castrum ædificare possit in honore de Arulis, nec propius una leuca.

XXVII. Bernardus III. solum innotescit ex abbatum catalogo, quem vir doctus D. Tavernel canonicus Barcinonensis & vicarius generalis patrui vel avunculi episcopi Gerundensis accuravit, in quo scinditur in duos Robertus, & inter utrumque admittitur Bernardus 1187.

XXVIII. Robertus II. vocatur Nepos a laudato D. Tavernel. Huic Alfonsus rex Aragonum an. 1188. mense Aug. licentiam fecit exstruendi munitiones in parochia S. Martini de Furchis, *de Fourques*, eaque usus est abbas, castro de Furchis exstructo & loco muris & fossatis vallato. Eodem anno Josbertus vicecomes Castri novi huic permisit *forciam* seu munitionem construere in parochia S. Johannis de Plano, & 1193. castrum ædificare in parochia sancti Martini de Furchis. Anno 1195. decimo quinto Philippi regis calendis Octobris Guillelmus Helenensis episcopus eidem abbati contulit ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ de Combred cum omnibus pertinentiis. Occupatam a regiis ministris fodinam ei Petrus Aragonum rex restitui curavit. Ac insuper fodinas omnes quæ in terris a monasterio dependentibus invenirentur concessit anno 1196. mense Febr. Hoc etiam anno idem rex præsente Guillelmo Helenensi episcopo *maneriam* in alodio de Arulis abbati Roberto dimisit. Pepigit anno sequenti VI. nonas Maii cum Ermessenda domina de Curtesavino. Denique reperitur XV. cal. Augusti an. 1198. (Ch. XIII. col. 486. Ibid. col. 1382. Ibid. col. 1383. Ibid. col. 1386.)

XXIX. Bernardus IV. memoratur 1199. & & 1202. quo anno honorem ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ Poncio de Cugulada commendavit. Anno 1205. IV. idus Dec. officium B. Mariæ quolibet die Sabbati carente officio duodecim lectionum instituit & fundavit. Occurrit adhuc

1207. calendis Februarii, & 1208.

XXX. Geraldus de Bacco, *Desbac* reperitur abbas MCCIX. non vero MCCIV. uti legitur tom. I. col. 16. & annis 1210. 1212. & 1213.

XXXI. Bernardus V. de Monte esquivo memoratur abbas 1214. & anno XXXV. Philippi regis XIV. calend. Martii. Honorem de Monte aureolo inferiori ab alio Bernardo abbate distractum redemit an. 1217. Occurrit etiam III. nonas Novemb. anno XXXIX. regnante Philippo, & adhuc 1220. III. cal. Aprilis. Conditus jacet in capella SS. Cosmæ & Damiani cum hoc epitaphio: *Anno Domini MCCXX. V. idus Septembris obiit Bernardus de Monte esquivo abbas istius loci.*

XXXII. Benedictus I. reperitur eodem anno 1220.

XXXIII. Bernardus VI. de Pineda vel de Pineta electus abbas Arulensis 1225. exhibuit obedientiam R. abbati Moissiacensi sub initium mensis Aprilis. Recensetur hoc ipso anno cal. Julii & an. 1226.

XXXIV. Benedictus II. 1226. idem fortasse ac primus, qui cum Bernardo de abbatia contendit.

XXXV. Arnaldus I. Berengarii legitur præsens anno 1229. die 13. Novembris, quando Berengarius de Maccaneto Campi rotundi & Geraldus de Relhaco Exiensis abbates promiserunt obedientiam Raimundo de Montepesato abbati Moissiacensi. Anno 1231. regnante Ludovico in Francia die 6. Junii statutum condidit de celebrando solemniter anniversario Geraldi Desbac quondam abbatis & Bertrandi Desbac militis, qui septingentos solidos Arulensi ecclesiæ testamento legaverat. Adhuc reperitur 1233. Arnaldus Berengarii appellatus, ac simpliciter Berengarius 12. Octob. ejusdem anni.

XXXVI. Palatinus 1238.

XXXVII. Arnaldus II. 1239. & 1240. quo anno transegit cum Nunone Sancii. Reperitur etiam 1243. & 1248. quo vocatus Arnaldus Berengarius Sabbato post epiphaniam præsente S.S. Genesii abbate promisit obedientiam Guillelmo abbati Moissiacensi. In fragmento necrologii Moissiac tom. XI. fragment. Stephanotii hic aut præcedens Arnaldus recensetur VI. cal. Septembris.

XXXVIII. Poncius I. 1249. & 1250.

XXXIX. Petrus I. 1250. & 1251.

XL. Poncius II. de Castellar, antea monasterii operarius, abbas erat nonis Febr. 1251. 1252. & 1253. quo anno pepigit cum universitate Arulensi. Occurrit an. 1258. in litteris Gaucerandi de Pinos, 1259. & 1260. VIII. cal. Julii quo suum anniversarium fundavit.

XLI. Raimundus II. præerat VIII. idus Jan. an. 1260. hoc est 1261. Nominatur an. 1264. X. cal. Octobris inter abbates, quos Jacobus Aragonum rex a quodam *herbagio* solvendo exemit. Anno 1268. paciscitur cum Jacobo infante serenissimi regis Aragonum filio. Beneficium *portionarium* in Arulensi ecclesia fundavit, cujus patronatum priori monasterii cessit anno 1275. XII. cal. Martii. Abbatis Raimundi nomine (quotus sit velle definire divinantis est,) XIV. cal. Novemb. meminit fragmentum necrologii Moissiac tom. XI. fragm. Stephanotii pag. 2.

XLII. Antonius I. 1275.

XLIII. Raimundus III. de Bacco cum Raimundo Majoricarum rege anno 1280. VIII. cal. Decembris pactionem iniit, qua rex de novo cessit & confirmavit monasterio *omnes justitias* civiles & criminales, merum & mixtum imperium in oppido Arulensi, in parochia B. Mariæ de Custodia, & valle S. Laurentii de Cerdanis, retento sibi mero imperio in hominibus habitantibus extra villam Arularum, & in aliquot prædiis adjacentibus, in quibus abbas infimam tantum & mediam habet justitiam. Statuta condidit anno 1285. Conventui, qui prius erat viginti monachorum, duos adjecit presbyteros, qui vocem in capitulo & stallum in choro haberent an. 1286. calendis Martiis.

XLIV. Robertus III. is fortasse, quem *Arnulfi* cognomine donatum legimus in charta chronicis notis destituta, an. 1286. excepit donum Ildefonsi Aragonum regis. Vereor tamen ne pro 1286. legendum sit 1186. aut ne littera R. sola fortassis reperta pro Roberto accepta sit loco Raimundi: nam

XLV. Raimundus IV. reperitur 1287. Contulit anno 1291. ecclesiam S. Petri de Rivo ferrario, ac 1294. ecclesiam S. Mariæ de Custodia. Castrum de Codalet Balneolas inter & Arulas situm emit anno 1296. III. calendas Maii, idque ratum habuit Majoricarum rex idibus Februarii 1297. Sua Raimundo Helenensi episcopo privilegia exhibuit 1299. remque vestiariam auxit an. 1303. pridie idus Novemb.

XLVI. Bernardus VII. de Acciaco e monacho & præposito monasterii Coxanensis electus Arulensis abbas 1304. occurrit eodem anno, 1305. & 1307. quo XII. cal. Septemb. duodecim salis de Cardonne sarcinas mulares a Raimundo Foleti vicecomite de Cardonne pro cœnobio impetravit. Anno 1308. librum censualem appellatum *Caput breve*, & patria lingua *Capbreou* digessit. Insequenti 1309. XIV. calend. Febr. chartam edidit a decem & octo monachis subscriptam pro Fabricæ monasterii applicando primo anno fructuum omnium beneficiorum vacantium, *& super capa solvenda per monachum in novo ingressu.* Recensetur & 1310. ac 1311. XIV. cal. Martii.

XLVII. Bernardus VIII. de Thaosca Moissiacensis monachus confirmatur Arulensis abbas die 4. Julii 1312. pontificatus Clementis papæ V. anno octavo. Statuit anno 1314. VIII. calendas Junii, ut omne aurum vel argentum quod necdum in monetam conversum apud abbatem vel monachos, vel etiam duos illos presbyteros a Raimundo de Bacco quondam abbate institutos in die illorum obitus reperiretur, in opus & ornamenta ecclesiæ conferretur. Hoc autem statutum Bernardo præcedenti adscriptum alibi lego, ad annum scilicet 1304.

XLVIII. Bernardus IX. de Bacco, *Desbac* ex infirmario eligitur abbas 1316. calend. Maii. Insequenti procuratorem misit ad concilium

Biterrense. Occurrit 1320. III. nonas Julii, 1322. III. cal. Octobris, & 1325. die 3. Junii quo Avenione constitutus quamdam sui juris parochiam in dioecesi Gerundensi contulit. Cessit paulo post factus praepositus de Canoys in dioecesi Helenensi sub abbatia Crassensi, quo nomine VI. cal. Martii 2. *die Bissexti* an. 1331.* saccrdotale beneficium in Arulensi coenobio fundavit, & anniversaria, cum licentia Bernardi tunc abbatis: & anno 1343. XIII. cal. Maii memoratum beneficium altari corporis Christi in Arulensi abbatia accommodavit. Obiit 1345. VI. cal. Decembris.

* *hoc est* 1332.

XLIX. Guillelmus II. cujus electio facta per compromissum confirmanda XV. cal. Septembris an. 1326. oblata fuit abbati Moissiacensi, reperitur abbas eodem anno X. cal. Dec. Insequenti a Philippo de Majoricis ecclesiae S. Martini Turonensis thesaurario, patruo & tutore Majoricarum regis litteras obtinuit, quibus cavetur ne ad regem nisi pro summa viginti solidorum appelletur. Eodem anno 1327. pridie calend. Novembris indulsit omnibus monasterii beneficiatis, & parochis ecclesiarum eidem subjectis, ut de bonis mobilibus, quae apud Arulas haberent, testamento disponere possent. Anno 1330. X. cal. Martii fundavit supplicationem generalem per claustrum abbatiae in die Annunciationis B. Mariae virginis. Statuit VII. calend. Novembris ejusdem anni ut triginta post obitum cujuslibet monachi diebus nominaretur presbyter saecularis, qui ter ad minus singulis hebdomadis per annum missam pro anima defuncti celebraret, cui per hoc tempus portio daretur monachalis. Statuit etiam III. cal. Aug. 1331. ut quilibet in monachum recipiendus cappam unam ecclesiae largiretur. Obiit anno XVI. pontificatus Johannis XXII. ex tomo X. fragmentorum Stephanotii pag. 220.

L. Bernardus X. Maynardi Crassae monachus & praepositus de Miliano factus abbas anno 16. Johannis XXII. anno 1331. hoc est 1332. VI. cal. Martii *secunda die Bissexti* licentiam dedit Bernardo de Bacco Arulensi quondam abbati, tunc autem praeposito de Canoys fundandi sacerdotale beneficium in Arulensi abbatia. Reperitur anno 1334. in transactione inter Arnaldum de Ulmis priorem hospitalis Jerosolymitani in Catalonia & monasterium Fontis frigidi, de honore & *foriscapio* quod habebat Fons frigidus in domo prope S. Johannem Perpiniani. Recensetur adhuc 1339. & 1344. nonis Septembris.

LI. Raimundus V. occurrit XIV. calend. Nov. 1344. & XV. cal. Decemb. 1345. quo Petrus Aragonum rex acceptis viginti millibus solid. Barcinon. omnimodam ei jurisdictionem civilem & criminalem concessit in locis de Balneis, de Codaleto & de Furchis, exceptis mortis, membrorum detractionis & exsilii perpetui poenis. Eodem anno VI. cal. Dec. duodecim millia solidorum accepit pro fundatione duorum beneficiorum sacerdotalium ad altare corporis Christi cum onere sacerdoti cuilibet imposito quatuor per hebdomadam missas celebrandi pro animabus Bernardi Desbac & Guillelmi Desbac. Librum censualem digessit annis 1346. & 1347. Habetur anno 1350. idibus Febr. arbitrorum sententia Raimundum inter abbatem & Berengarium Capraria cellerarium de pitancia, quam idem cellerarius *conventui & nunciis abbatis & officialium* subministrare tenebatur. Ejusdem fieri mentio dicitur V. cal. Maii an. 1352. sed fortasse tunc abdicaverat: nam

LII. Berengarius II. de Petra pertusa occurrit 1350. 1352. 23. Maii & 4. Septembris. Anno 1356. die 29. Augusti eidem asserta fuit jurisdictio in parochiam S. Mariae de Custodia contra procuratorem fiscalem curiae provicarii Vallis asperii, sententia ejusdem curiae. Reperitur & 1358. ac 1361. in libro censuali.

LIII. Petrus II. 1364. 65. & 66. abdicasse dicitur anno septimo Urbani papae V. eidemque successisse

LIV. Arnaldus III. tunc abbas S. Petri Rodensis in dioecesi Gerundensi. Hoc ipso anno defunctus dicitur tom. X. fragment. Stephanotii pag. 220.

LV. Berengarius III. antea prior S. Pauli Barcinonensis, eodem anno successit, e loco citato. Anno 1370. die 30. Junii hominium excepit ab hominibus S. Laurentii de Cerdanis, & ab incolis Arularum 15. Novembris ejusdem anni. Sedebat adhuc 1371.

LVI. Poncius III. an. 1371. transegit cum incolis Arularum, D. Martennio testante.

LVII. Berengarius IV. fortasse idem ac tertius, an. 1372. creavit operarium in ecclesia S. Engratiae. Eodem anno VI. idus Augusti nescio quam parochiam contulit. Ejusdem haberi mentio dicitur 1373. sed fortasse tunc abdicaverat: nam

LVIII. Petrus III. die 23. Aug. an. 1372. ab aliquot incolis parochiae S. Stephani Arulensis hominium excepit. Contulit ecclesiam S. Nazarii de Torderas 1374. ac 1377. ecclesiam S. Ceciliae de Cos. Adhuc memoratur 1376. 28. Dec. & 1380. 23. Aprilis.

LIX. Franciscus I. in quadam abbatum serie ad nos transmissa legitur abbas die 3. Oct. 1380. quanquam in eadem vacare abbatia dicitur 29. Dec. 1382. Et certe Martennius in ea quam accurravit serie non prius Francisci meminit quam anno 1383. quo sacristiam B. Mariae de Custodia contulit. Insequenti rectores ecclesiae S. Johannis de Roart, & 1386. ecclesiae S. Michaelis de Villaroia nominavit. Occurrit 1389. 18. Dec. 1390. 4. Augusti & 1393. quo anno fidei sacramentum a plurium ecclesiarum rectoribus excepit. Eodem anno 24. Septembris inita cum regio & fisci procuratore Ruscinonis & Cerdaniae transactione eidem abbati asseritur possessio aquarum omnium cujuslibet naturae sint, & insularum quae apud S. Laurentium de Cerdanis, Cos, Arulas, Codaletum, Balneolas, Furchas, Torderias & Riardum inventae fuerint.

LX. Poncius IV. de Villanova vectigalium agrorum codicem digessit 30. Aug. 1394. & alterum mense Aprili 1396. Biennio post permisit Bartholomaeo Helenensi praesuli confirmationem & tonsuram conferre in ecclesia & loco de Balneis Arularum. Reperiri adhuc dicitur 1400.

1400. 2. Aprilis, & 1401. 18. Aprilis, ſed fortaſſe tunc abdicarat: nam

LXI. Bernardus XI. de Ortallo occurrit jam an. 1399. in ſerie noſtri Martennii. Varia excepit hominia an. 1405. nempe ab incolis Arularum 20. Apr. & ab incolis S. Laurentii de Cerdanis 29. ejuſdem menſis. Synodos celebravit annis 1416. 7. Maii, 1418. & 1423. quarum in prima recenſentur 61. beneficiati ejuſdem juriſdictioni obnoxii, inter quos ſeptemdecim erant curati, ſeu minorum eccleſiarum rectores. Suum anniverſarium fundavit 21. Novembris 1416. ſuperſtes ad XI. Auguſti 1434.

LXII. Quircus 1435. ſolo Martennio teſtante.

LXIII. Antonius II. regebat 1435. 36. & 38. quo anno XVI. calendas Novemb. Baſileenſe concilium huic indulſit & ſucceſſoribus uſum pontificalium ornamentorum. Memoratur adhuc 1439. die 7. Julii, ac III. calend. Novembris in ſeſſione 38. concilii Baſileenſis, unus fuit ex electoribus pſeudopapæ Felicis, ſeu Amedei ducis olim Sabaudiæ.

Tom. XII. conc. col. 635.

LXIV. Franciſcus II. 1442. 7. Febr. 1443. 49. 50. & 53. menſe Decembri.

LXV. Jacobus Vives 1486.

LXVI. Antonius III. de Narbone abbas S. Mariæ de Arulis ord. Cluniacenſis contulit Jacobo Bernardo preſbytero diœceſis Lapurdenſis eccleſias parœciales S. Salvatoris de Arulis, & S. Quintini de Balneis, *portionariumque* beneficium in eccleſia cathedrali ejuſdem monaſterii de Arulis die 6. Maii 1493. e tabulario abbatiæ Moiſſiacenſis. Inſequenti 3. Febr. uſum legimus vicario generali tam in ſpiritualibus quam in temporalibus Jacobo abbate S. Petri de Campo rotundo; quod quidem haud obſcure innuit fuiſſe Antonium commendatarium abbatem.

LXVII. Honoratus de Ulmis, *de Oms*, nobilis Provincialis, antea camerarius Craſſenſis, perpetuus erat adminiſtrator abbatiæ de Arulis 1515. 25. Junii, 1516. 1520. 1530. 1531. & 1533. Vacabat ſedes 1545. quo frater Gabriel Armagnac titulum vicarii majoris capituli Arulenſis aſſumit, ſede vacante.

LXVIII. Franciſcus III. 1549. Contendiſſe videtur cum ſequenti.

LXIX. Michael I. de Ulmis reperitur abbas commendatarius 8. Julii 1551.

LXX. N. de Bacco 1552. Vacabat ſedes 1555.

LXXI. Michael de Ulmis, idem fortaſſe qui ſupra, æmulos paſſus, ut videtur, Franciſcum III. N. de Bacco, & N. Quintana, e catalogo D. Tavernel ad annum 1569. Certe Michael dicitur ſimpliciter *monachus dicti monaſterii* 18. Februarii 1562. quo ſuum fundavit anniverſarium; neque aliter appellatur 30. Dec. 1573. quanquam in actis anterioribus & poſterioribus modo vocatur *commendator*, & modo *ſequeſtrator abbatiæ*. Idem nuncupatus abbas ſeu perpetuus commendatarius monaſterii de Arles, canonicus & ſacriſta ac ſyndicus reverendi capituli eccleſiæ Helenenſis, eo nomine adſtitit provinciali concilio Tarraconenſi die Martis 24. Octobris 1564. Defunctus erat ante 15. Maii 1576. ſedeſque vacabat adhuc 1579. & 1590. quo frater Bartholomæus de Monteacuto & de Vallgomera prior & major vicarius ſynodum de more celebravit 9. Maii ad quam citati ſunt 61. beneficiati.

LXXII. Michael II. Cella unitæ ſuo cœnobio abbatiæ S. Andreæ de Sureda poſſeſſionem accepit 1594. & iterum 1597. Obiit an. ſequenti.

LXXIII. Franciſcus IV. de S. Juſt juris utriuſque doctor, renunciatus Arulenſis abbas 1598. privilegium obtinuit a Philippo rege 1599. Eccleſias ſuæ juriſdictioni obnoxias viſitavit 1600. & 1601. Dicitur an. 1614. ſimul abbas S. Andreæ de Sureda.

LXXIV. Michael III. Cella ſynodum celebravit an. 1622.

LXXV. Johannes Bapt. de Calders nobilis Ruſcinonenſis, jam abbas 1622. migravit a ſæculo die 14. Febr. an. 1630.

LXXVI. Marcus Corona præerat 1630. 1631. & 1632. XI. Junii. Obiit hoc anno.

LXXVII. N. Deſguell 1634. in catalogo D. Tavernel.

LXXVIII. Joſephus I. Porraſſ e monacho Montiſſerrati factus abbas Arulenſis ceſſit e vita circa 1644.

LXXIX. Petrus IV. a Ponte doctor in utroque jure, & in ſacra theologiæ facultate, canonicus & archidiaconus Urgellenſis, necnon ſupremi conſilii Ruſcinonenſis ſenator ad honores, familiaris quondam & domeſticus illuſtriſſimi viri Petri de Marca epiſcopi tum Conſeranenſis, poſtea vero Pariſienſis archiepiſcopi, ſchedula regia munitus, rexit abſque bullis annos viginti, quibus demum acceptis, ſed non ante annum 1669. monaſticum habitum induit. Vivere deſiit anno 1684.

LXXX. Joſephus II. de Solers Cuxanenſis monachus jacet in eccleſia cum hoc epitaphio: *Hic jacet corpus illuſtris domini de Solers abbatis monaſterii Arularum. Obiit die 3. menſis Decembris anno Nativitatis Domini 1696.*

LXXXI. Johannes Herveus Bazan de Flamenville epiſcopus Helenenſis deſignatus a rege an. 1'69. . abbatiam obtinuit ſine bullis uſque ad annum 1701.

LXXXII. Natalis Gaillard de Chaudon vel de Chodean, e nobili apud Aquas ſextias familia natus, a primæva ætate vitam religioſam profeſſus in Maſſilienſi S. Victoris abbatia, doctor in theologia & concionator regius effectus, primum deſignatur abbas de Taſqua 1691. dein Arulenſis ſchedula regia 24. Decembris 1701. cui accedente bulla pontificia 31. Julii 1702. Pariſiis munus accepit benedictionis die 4. Octobris ejuſdem anni. Illum chriſtianiſſimus rex dignitate conſiliarii ad honores in ſupremo Ruſcinonenſi conſilio decoravit anno 1703. Obiit 26. Apr. 1722. quo anno unita dicitur epiſcopatui Helenenſi Arulenſis cœnobii abbatialis menſa.

In publicis tamen Galliæ nunciis N. de la Caſſaigne renunciatus abbas dicitur 1723. 17. Octob. vel menſe Novembri, in Mercurio vero

Gallico Johannes Matthias de Lenta episcopus Helenensis eodem tempore.

S. MICHAEL DE COXANO.

Abbatia S. Michaelis de Coxano ducit originem ab Exalatensi, sita in valle Engarra, quæ Beram comitem sexto cal. Martii anno VI. regnante Carolo, nec ita multo post sex viros religiosos benefactores habuit, Protasium scilicet archipresbyterum, Sancoli presbyterum, Recosindum presbyterum, Victorem presbyterum, Atilam monachum & Baronem subdiaconum, qui collato inter se consilio sua quæque monasterio S. Andreæ Exalatensi tradiderunt, retento sibi ad vitam usufructu, eo pacto ut in ipsa S. Andreæ Exalatensi ecclesia sita in suburbio Helenensi, in valle Confluentaria conversarentur; & si forte ab hoc ad aliud monasterium discederent, earum rerum usumfructum secum deferrent, quarum proprietas, si dies inibi absolverent, S. Andreæ monasterio cederet. *Facta scriptura XVII. cal. Aug. anno* (XV.) *regnante Karulo rege,* hoc est 854. vel 855. Ingens subinde exortum est dissidium an. 869. monachos inter Exalatenses, & Salomonem comitem Ruscinonensem de Canavellis alode vallis Confluentinæ, quem Ricosindus mandatarius seu actor ejusdem comitis esse de ipsius beneficio asserebat; Witiza vero Exalatensis abbas hunc alodem suo contendebat datum fuisse monasterio ab Anna & Rotrude matre ejus, filia Berani Ruscinonensis quondam comitis, cui non ex fisco, sed ex hereditate parentum ea possessio cesserat. Hac igitur agitata quæstione in placito ipsius Salomonis comitis, Eldesindi vicecomitis, aliorumque judicum tunc præsentium, ipsimet lata sententia controversum alodem Exalatensibus monachis adjudicarunt XV. cal. Septembris anno Caroli regis XXIX. Tribus post annis adierunt Carolum regem Duziacum ex parochia civitatis Urgellensis septem sacerdotes Witica seu Witiza, Protasius, Victor, Lugarus, Gondefredus, Receswindus & Sanctiolus, adjunctis sibi Attila, Barone, Leudomiro aliisque nonnullis, regi supplicantes ut conditum ab se monasterium suo tutari patrocinio dignaretur, ac liberam concederet facultatem omni tempore eligendi abbatis secundum regulam S. Benedicti. Supplicantium votis favit Carolus ac petita concessit. *Data nonis Aug. indict. IV. anno XXXII. regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum Doziaco palatio regio.*

Circa annum 878. Exalatense monasterium eluvione fluvii Tetis eversum, occasionem præbuit condendi cœnobii Cuxanensis. Veriti quippe superstites monachi, ne quod semel evenerat iterum accideret, decreverunt se suaque alium in locum transferre, ac propterea villam Cuxanum elegerunt hoc ipso anno 878. uti se reperisse tradit Baluzius, qui plures ea de re chartas congessit in append. Marcæ Hispan. col. 801. & seqq. quas inter translationis charta, quam & nos in appendice nostra retulimus, data est anno I. quo obiit Ludovicus rex (Balbum putamus) hoc est 879. Notandum inter alia insigne testamentum Protasii abbatis tum conditum, in quo se ait Mironis comitis Ruscinonensis servum esse secundum Deum & secundum sæculum, quem rogat ut quandocumque ipse ex rebus humanis excesserit, protectionem suscipiat monasterii Cuxanensis, eique dignum & pium præficiat abbatem, *ne monachi fiant errati sicut oves sine pastore, &c.* Sub se jam tum Protasius habebat quinquaginta monachos & viginti famulos, quingentas oves, centum animalia, quinquaginta jumenta, porcos quadraginta, caballos duos, asinos quinque, boves viginti, libros perfectos triginta, præter supellectilem ecclesiasticam & monachalem. Hæc sunt initia & primordia cœnobii Cuxanensis, quod primitus sub titulo S. Germani episcopi Antissiodor. dein S. Michaelis, ædificatum pluribus iisque insignibus gaudet privilegiis, qualia sunt jurisdictio quasi episcopalis in tredecim parochias & sex annexas, facultasque synodos singulis annis convocandi. In eo tumulus cernitur Seniofredi Barcinonensis & Ruscinonensis comitis monasterii restauratoris, uti & S. Petri Urseoli Venetorum ducis, qui illic severissima pœnitentia peracta sancto fine quievit, & altare habet suo nomini dicatum. Cum autem monachi Coxanenses a recto tramite deflexissent, Guillelmus Ceritaniæ comes potestatem & ordinationem in eos abbati Massiliensi largitus est instrumento apud Martennium ampliss. collect. tom. I. col. 537. dato calend. Maii an. 1091. indictione XIV. Instrumentis Exalatensis monasterii amissis, facta est rerum ejus ac possessionum recognitio ab idoneis personis, maxime ab iis a quibus datæ aut venditæ fuerant, vel a testibus donationum aut venditionum, ex Mabillonio tom. 3. annalium pag. 220.

Append. Marc. Hisp. col. 782. & 788.

Append. Capitular. tit. 98.

Ch. IV. col. 477.

Marc. Hisp. col. 362.

Ch. V. col. 479.

SERIES ABBATUM.

I. Eldebertus innotescit abbas Exalatensis ante annum 869. ex notitia judicii quod hoc anno latum est super alode de Canavellis. Ipsum habes in appendice Capitular. tit. 98.

II. Comendatus abbas memoratur in donatione Salmonis monachi & Senderidi de tota sua hereditate in villa Balagarii & Alione, &c. anno XV. regnante Carulo rege.

III. Witica & Witiza sedebat hoc ipso anno 869. quo memoratus alodes de Canavellis in placito Salomonis comitis & aliorum judicum, XV. cal. Septembris anno Caroli regis vicesimo nono adjudicatus est. Vide locum citatum. Jam anno XXV. ejusdem regis appellatus *Witidane*, & anno XXVII. *Witidade* nominatus donationes accepit; Witiza vero & Witizane quondam abbas dicitur in charta recognita commutationis ab eo factæ cum Mirone comite, anno XXXIV. ejusdem Caroli.

IV. Baro legitur abbas in variis donationum chartis annorum XXXIII. XXXV. & XXXVI. regnante Karulo rege, & anno primo eodem imperante, hoc est 876. annisque primo & secundo regnante Ludovico rege: quæ quo pacto cum dicendis in Protasio, qui sequitur, cohæreant, explicare facile non est.

V. Protasius monachus sub Witiza & Barone abbatibus, anno 870. abbas erat, ex charta

Append. Marc. Hisp. col. 807.

Ibid. col. 807. & 808.

Ibid. col. 805.

Ibid. col. & 807. 804. 806.

Ibid. col. 835. & Marc. Hisp. col. 377.

LX. appendicis Marcæ Hispan. ubi Visinoda & filius ejus Laurentius ei quasdam terras in villa Lare hoc anno XXX. regnante Carolo rege XIII. cal. Maii vendidisse perhibentur. Idem an. 878. seu primo regnante Ludovico rege idibus Sept. condidit testamentum, quod ita exorditur: *In Dei omnipotentis nomine. Ego Protasius gratia Dei & Senioris nostri ex cœnobio S. Germani benedictus abba,* &c. Jam tum scilicet Exalatense monasterium eversum fuerat, ad quod reparandum electus fuerat locus S. Germani situs in villa Coxano, *& fundatus a Protasio converso in suo proprio, &c.* qua de re videnda charta V. appendicis nostræ col. 479. data XIII. cal. Julii anno I. quo obiit Ludovicus rex. *Nos*, inquit, *omnes in commune fratres Protasius conversus vel presbyter avocatus abba, &c.*

Ibid. col. 803.

VI. Eliseus, testante Martennio, reperitur abbas anno tertio regnante Carolo rege, sub Suniario comite.

VII. Gondefredus I. occurrit anno quarto regnante Carolo rege, seu 901. VI. nonas Julii in placito Mironis comitis, ubi Laurentius quidam Visinodæ filius publice confessus est, quod Gontefredus abbas Coxanensis asserebat, se cum matre Visinoda vendidisse Protasio Gontefredi antecessori quasdam terras in villa Lare, cujus venditionis instrumenta perierant in alluvione fluminis Tetis, qua Exalatense monasterium eversum est anno, ut diximus, 878.

Ibid. col. 835.

VIII. Amitardus legitur abbas anno VII. regnante Ludovico filio Caroli in charta Seniofredi comitis filii Mironis. Ita Martennius noster in abbatum serie quam ad fidem instrumentorum monasterii accuravit. Haud tamen dissimulabo nomen abbatis reticeri in charta ejusdem Seniofredi, ejusdemque anni relata in append. Marcæ Hisp. col. 853.

IX. Gondefredus II. rexit anno XIII. regnante Ludovico filio Caroli regis, & anno XVI. pridie nonas Febr. quo Suniarius monachus ab eo missus impetravit privilegium ab eodem principe, hoc est 950. ex Baluzio, qui tamen annus exigit indictionem VIII. loco VI. Eodem, ut vult idem Baluzius, prædito tamen indictione IX. quæ convenit anno 951. Suniarius ejusdem abbatis jussu ad Agapetum II. papam profectus est, a quo bullam protectionis accepit mense Decembri. Litteræ pontificiæ inscribuntur *Gaudefredo religioso abbati venerabilis monasterii sancti Germani atque Michaelis, quod est situm in valle Confluente, in loco qui vocatur Coxano.* Sub hoc abbate nova basilica constructa est munificentia Seniofredi comitis Barcinonensis, & dedicata an. 953. III. cal. Augusti a Riculfo Helenensi episcopo. Adhuc sedebat anno primo regnante Lothario rege, hic est 954.

Ibid. col. 863.

Ibid. col. 864.

Ibid. col. 869.

X. Poncius præerat anno 957. pridie calend. Febr. quo Miro archidiaconus Gerundensis frater Guifredi comitis (Bisuldunensis) & Seniofredi Barcinonensis huic abbati & monasterio Cuxanensi, *quod est fundatus juxta fluvium Literani ad radicem Montis Canegonis*, dono dedit alodem sibi datum ab eodem Guifredo fratre *in episcopatu Elnensi, in adjacentia S. Petri de Tuir.* Obtinuit anno seq. 958. præceptum a Lothario Francorum rege quæ monasterio sancti Michaelis dederat Gerberga regina approbante. Ejusdem principis anno regni octavo memoratur Poncius abbas, qui vir eximiæ nobilitatis probabilisque vitæ nuncupatur in epistola Garsiæ monachi Cuxanensis ad Olivam episcopum Ausonensem de initiis monasterii Cuxanensis & de sacris reliquiis in eo asservatis, in qua etiam legimus novam basilicam ab ipso novo opere exstructam; quam anno 974. IV. cal. Octob. viginti postquam illam ædificare cœperat annis, Guarinus abbas consecrari fecit a Suniario episcopo Helenensi.

Marca Hispanica col. 395.

Spicileg. tom. 8. pag. 357.

Append. Marc. Hisp. col. 1073.

XI. Gondefredus III. Poncio successit anno octavo regnante Lothario rege, quo huic Ava comitissa dedit vallem Balagariam in valle Confluente cum villis & villaruncuiis & omnibus adjacentiis atque terminis III. calend. Januarii, *& advenit mihi*, inquit, *ipsum alode per decimum senioris mei domni Mironis comitis*, id est ex donatione propter nuptias. Idem quoque munificum expertus est Bernardum Ceritaniæ vicecomitem anno nono ejusdem Lotharii regis, hoc est 963.

Ibid. col. 879.

Ibid. col. 883.

XII. Guarinus Seniofredi principis dono in abbatem sublimatus præerat anno XV. regnante Lothario rege, seu 969. quo idibus Julii Lupus vel Lupo primicerius & archidiaconus ecclesiæ Tolosanæ ei contulit alodes de Tramesaigues, de Teixonerias, & d'Ampouillac, ex tabulario Bolbonæ. Interfuit anno seq. 970. VIII. cal. Martii elevationi corporis S. Hilarii episcopi Carcassonensis, & 973. dedicationi ecclesiæ B. Mariæ de Tramesaigues sibi a fundatore Lupo primicerio & archidiacono Tolosano traditæ, quam permissu Hugonis Tolosani consecravit Bernardus Conseranensis episcopus XI. cal. Febr. feria IV. regnante Lothario anno XVIII. Sub hoc abbate nova Cuxanensis basilica, quæ ante viginti tum annos cœpta erat ædificari a Poncio abbate, consecrata est a Suniario episcopo Helenensi, Mirone Gerundensi, Frugia Ausonensi, Wisado Urgellensi, Issolo Tolosano, Bernardo Conseranensi & Francone Carcassonensi, an. 974. IV. cal. Octob. indictione III. a Sept. mense inchoata. Eidem abbati Miro Gerundensis episcopus testamento condito munificum se præbuit, ut patet ex charta Theuderici abbatis (Campi rotundi) & Mironis presbyteri ejusdem Mironis quondam episcopi eleemosynariorum, seu testamenti exsecutorum, XII. calend. Martii anno XXX. regnante Leutario rege filio Ludovici, hic est 984. Exeunte anno seq. seu mense Decembri indict. XIV. a Septembri mense inchoata Johannes XV. papa rogatus ab Oliba Ceritaniæ comite, cujus frater Seniofredus comes Barcinonensis Cuxanense monasterium renovaverat, & a Guarino abbate, idem cœnobium in sedis apostolicæ tutelam suscepit. Tanta vero Guarinus valuit apud hunc pontificem existimatione, ut quinque monasteria, Lesatum, S. Hilarii Carcassonense, Electense S. Mariæ, S. Petri Garnensis, & S. Michaelis Coxanensis generali ejusdem quem vocat sanctissimum curæ commiserit, epistola data mense Junio indictione VI. hoc est 993. non

Ch. XVI. col. 883.

Ibid. col. 910. & 1073.

Ibid. col. 932.

Ibid. col. 934.

Ibid. col. 966.

autem 1008. uti Baluzius existimavit. Fuit etiam familiaris Gerberto postea papæ, ex ejusdem epistola 451. cujus & opera S. Romualdus abbas & Petrus Urseolus dux Venetiarum ad monasterium adducti sunt. Ejus obitus annus ignoratur, quod mirum est. At certe si Romam profectus est pontificatu Sergii papæ IV. uti legitur in vita Petri Urseoli, vitam produxisse dicendus est ad annum saltem 1009. Aliunde tamen haud amplius superstitem fuisse anno 1000. discimus ex charta Bernardi comitis Bisuldunensis suum monasterium Monisaten tradentis Guifredo abbati Cuxanensi, ubi Guarinus venerabilis memoriæ decessor ejus dicitur.

Ibid. col. 954.

XIII. Guifredus, Warini successor, reperitur anno IV. regnante Hugone rege, & annis 2. & 4. Roberti regis. In epistola laudata Johannis XV. papæ ad Guarinum abbatem antecessorem anno 993. memoratur *S. Michaelis archangeli abbas Giffredus possessor:* Unde colligas superstite Guarino abbate generali Guifredum fuisse abbatem particularem. Eidem anno 1000. VIII. calendas Martii Bernardus comes Bisuldunensis monasterio Cuxanensi, cujus tum abbas erat Guifredus, dedit monasterium suum Monisaten situm in comitatu Fenoliotense, dicatum in honore S. Pauli apostoli. Denique anno septimo Roberti regis, seu 1004. indict. 2. *lege* V. tertio cal. Nov. Ermengaudus Narbonensis archiepiscopus, assensum præbentibus Adalberto Carcassonensi episcopo, ac Fredelone pontifice (Helenensi) dedit Wifredo abbati alodem S. Laurentii vocatum *Chauchenam* super fluvium Nigellæ situm.

Ibid. col. 966. *Ibid. col. 954.* *Ibid. col. 961.*

XIV. Oliba filius Olibani comitis Ceritaniensis & Bisuldunensis ex Ermengarda, frater Guifredi Ceritaniæ comitis, e monacho Rivipullensi eligitur anno 1009. ejusdem monasterii & Cuxanensis abbas. Anno 1011. mense Novembri obtinuit a Sergio IV. pontifice confirmationem bonorum ac privilegiorum antea monasteriis suis concessorum. Dicitur episcopus Ausonensis, abbas Rivipullensis & Cuxanensis an. 1019. quo Willelmo cuidam & fratribus vendidit alodem de Bredes situm in villa Confluentis, quæ dicitur Mossetum pertinentem ad monasterium Cuxanense: testatur autem Oliba id se facere cum consensu Wifredi comitis (Ceritaniæ) Wifredi Narbonensis archiepiscopi, Berengarii episcopi Helenensis & aliorum quorumdam. Nominatur etiam episcopus & abbas Rivipullensis & Cuxanensis 1020. in epistola encyclica monachorum Rivipullensium & Cuxanensium de morte Bernardi comitis Bisuldunensis: & iterum eodem anno, seu 24. regnante Roberto rege XIV. calend. Decembris, in charta commutationis inter Adaltrudem vicecomitissam & monasterium Cuxanense; anno 27. Roberti regis, & 1027. seu XXX. regnante Roberto rege VIII. idus Maii in judicio pro Guifredo Ceritaniæ comite. Idem Olibanus episcopus & abbas ex monasterio S. Michaelis de Coxano & conventus ejusdem loci dederunt Amelio Emardi clerico S. Antonini ecclesiam S. Quintini cum appenditiis in territorio Tolosano, quæ erat de jure S. Mariæ & S. Michaelis de Coxano, ut eam ædificaret, eique serviret: facta charta an. 1032. regnante Henrico, ex tabulario Bolbonæ. Recensetur etiam annis 2. & 9. ejusdem regis, sed in primis clara ipsius habetur memoria in epistola Garsiæ monachi Coxanensis ad eum scripta an. 1040. de initiis monasterii Cuxanensis & de sacris reliquiis in eo asservatis: inibi nempe depingitur *nostri sæculi laudum titulo præclarus, vitæ ac morum probitate cunctis carus, eruditione filiorum & gratia maximus Oliba,* &c. Decessit tandem an. 1047. in monasterio Cuxanensi, ibique sepultus est: cum prius, ut videtur, episcopatum abdicasset. Willelmus enim gratia Dei episcopus Ausonensis ecclesiæ legitur in actis consecrationis ecclesiæ sancti Michaelis Fluvianensis in comitatu Emporitano anno 1045. Hinc colligas Asterum abbatem sancti Michaelis memoratum a Baluzio tom. 2. Capitular. col. 631. die XI. Decembris anno XXI. Roberti regis, hoc est 1017. aut 1018. non fuisse abbatem Coxanensem, uti vir eruditus existimavit, sed alterius S. Michaelis monasterii; Ranulfum quoque abbatem S. Mariæ in villa Eregi memoratum in testamento Guilelmi comitis Bisuldunensis an. 1034. frustra dici ab eodem Baluzio Coxanensem abbatem Marcæ Hispan. col. 438. Miro denique a Martennio recensitus anno XVIII. regnante Henrico Francorum rege ex mox dicendis valde nobis suspectus est, nisi quis proabbatem dicere velit, qualis Guifredus sub Guarino extitisse videtur.

Ibid. col. 978. *Marc. Hisp. col. 431.* *Append. Marc. Hisp. col. 1024.* *Ibid. col. 1031.* *Ibid. col. 1042.* *Ibid. col. 1072.* *Ibid. col. 1087.* *Ibid. col. 1058.*

Ceterum de Oliba hæc leguntur in vita inedita Petri Urseoli Venetiarum ducis: *Defuncto Guarino abbate, inclitus vir Oliba rector ejusdem patriæ, post susceptionem sancti habitus relicto sæculo, abbas in eodem cœnobio ab omnibus monachis & illius regionis incolis eligitur, qui postmodum pontificium culmen adeptus in Ausoniæ cathedra dignus Deo pontifex est electus. . . . . . eratque multarum abbatiarum eximius pater, præcipue tamen S. Mariæ, sanctique Michaelis, in quo requiescit, admodum in omnibus curis dilexit cœnobium. . . . Qui sollicitus in orationibus, philosophiæ studiis exercitatus est, &c.*

Capitular. tom. 2. col. 1304.

XV. Gaufridus & Gaucefredus abbas cœnobii S. Michaelis memoratur anno XVI. regni Henrici, V. cal. Febr. in charta evacuationis Bernardi Ceritaniæ vicecomitis, hoc est 1047. Idem occurrit 1050. Henrici regis anno vigesimo, & adhuc XXIV. ejusdem regis, quo pepigit cum Atoradio & Argentala conjugibus. Anno 1068. VIII. idus Januarii quidam Ademarus ipsi locum d'Ampouillac restituit, ex tabulario Bolbonæ. Gotardum Gauzberti, uxorem Adalaidem & liberos anno XI. regnante Philippo rege, XVI. cal. Dec. beneficos expertus est. Adhuc præerat 1072.

Append. Marc. Hisp. col. 1092. *Ibid. col. 1161.*

XVI. Gerbertus & Gilbertus recensetur abbas nonis Aprilis anno XIII. Philippi regis in actis consecrationis ecclesiæ B. Mariæ de Riquerio factæ a Raimundo Helenensi episcopo. Eodem anno V. idus Maii in festivitate S. Poncii Guillelmus Gazberti archidiaconus & vicecomes Castri novi venit ad placitum in ecclesia S. Felicis villæ de Pediliano, coram Bernardo Guillelmi comite Bisuldunensi & magnatibus ejus Petro Udalgerii

Ibid. col. 1162.

vicecomite, Berengario Petri de Petrapertusa, Mirone Guillelmi vicecomite Bisuldunensi, domno Gerberto abbate S. Michaelis, & ibi recognovit nullo modo debere se quidquam habere vel exigere in hoc vel ceteris placitis S. Mariæ Crassæ, nec debere illuc venire aut adesse, nisi abbas eum invitaret. Reperitur Gerbertus XI. calend. Apr. & XIII. cal. Nov. anno XVII. regnante Philippo rege in charta Artaldi comitis Palliarensis de satisfactione facta monasterio Coxanensi. Interea tamen præsentem legimus Petrum Guillelmi abbatem S. Michaelis in charta Guillelmi Raimundi Cerdaniæ comitis Villam liberam ædificantis an. XV. Philippi regis V. idus Apr. at fortasse legendum anno XXV.

Ibid. col. 1167. *Ibid. col. 1164.*

XVII. Petrus I. Guillelmi primum innotescit ex charta mox laudata. Forsan ipse est Petrus abbas, qui subscripsit chartæ Guillelmi comitis Ceritaniæ monasterium Coxanense abbati Massiliensi ordinandum concedentis* cal. Maii 1091. indict. XII.* Vocatus etiam simpliciter Petrus abbas Coxanensis interfuit anno 1096. mense Julio concilio Nemausi habito ab Urbano II. pontifice. Eidem P. Coxanensi abbati Guillelmus Raimundi (Ceritaniæ comes) filium Gerbertum tradens in monachum mediam partem ecclesiæ S. Martini d'Ampouillac restituit XVII. cal. Julii regnante Philippo rege in Francia, ex tabulario Bolbonæ. Vide quoque chartam in Bernardo successore laudandam, app. Marcæ Hisp. col. 1249. In abbatum serie a Martennio contexta appellatur Willelmus anno XXX. regnante Philippo rege, Petrus vero Guillelmi anno 37. ejusdem regis. Willermus Jordani Ceritaniæ comes filius Willermi Raimundi quasdam ecclesias ad monasterium pertinentes, quas Oliba episcopus Ausonensis & abbas Cuxanensis cuidam suo militi nomine Suniario Arnalli dederat ad vitam, Petro Guillelmi abbati restituit anno 1100. seu regnante in Francia Philippo anno XLI. non vero XLIV. uti legitur in append. Marcæ Hisp. col. 1218. Denique Petrus Guillelmi abbas fuit alter exsecutorum testamenti ejusdem Willermi Jordani ad Terram sanctam proficiscentis. Conditum est anno 1102. idibus Apr. seu anno XLII. Philippi regis.

Marten. ampliss. coll. t. 1. col. 528. * *pridie.* † *l. XIV.* *Marc. Hisp. col. 472.* *Append. Marc. Hisp. col. 1226.*

XVIII. Bernardus I. reperitur abbas 1112. & 1114. quo in synodo Helenensi ecclesia S. Petri de Turreliis Coxanensibus adversus Arulenses monachos adjudicata fuit. Laudatur Petri successor in conventionibus habitis ipsum inter Bernardum abbatem Cuxanensem & Raimundum Bernardi ac Bernardum Isarni super ecclesia S. Andreæ de Castella XI. cal. Julii anno 1117.

Marten. ampliss. coll. t. 4. col. 132. *Append. Marc. Hisp. col. 1249.*

XIX. Gregorius I. in quadam scheda legitur abbas anno MCXI. sed mendose profecto ex dictis, forsanque legendum MCXXI. vel etiam MCXXXI. Aliunde siquidem Gregorius haud prius occurrit quam an. 1130. seu primo pontificatus Innocentii II. papæ, a quo bullam protectionis accepit IV. cal. Dec. Commutavit 1134. V. idus Nov. ecclesiam S. Mariæ de Aspira seu Aspirano cum Udalgario Helenensi episcopo pro ecclesia S. Vincentii de Arriano. Evasit archiepiscopus Tarraconensis post obitum Ollegarii seu Odalgarii an. 1137. retenta, ut videtur, abbatia: hoc enim duplici titulo insignitus reperitur anno VII. Ludovici VII. regis, testante Martennio; quanquam solum *electus Tarraconensis* memoratur in litteris Raimundi comitis Barcinonensis de novo militari ordine adversus Saracenos constituto anno 1143. quinto cal. Decembris.

Ibid. col. 1270. *Ibid. col. 1278.* *Marc. Hisp. col. 196.* *Append. Marc. Hisp. col. 1293.*

XX. Josfredus & Gaufridus Gregorio successerat 1145. Pepigit cum Artaldo de Castro novo 1149. Eodem XII. cal. Jan. una cum Ostensio priore majori, qui postea fuit abbas, subscripsit actis consecrationis ecclesiæ S. Vincentii Basonensis factæ ab Artaldo Helenensi pontifice. Ejusdem fit mentio an. 1153. in veteri charta Arulensis monasterii. Hunc autem putamus esse G. abbatem Coxanensem, cui & multis aliis abbatibus a S. Victore pendentibus scripsit Eugenius papa III. se confirmasse G. Massiliensem electum & consecrasse.

Ibid. col. 1304. *Marten. ampliss. coll. t. 1. col. 803.*

XXI. Austendus & Ostensius major prior 1149. uti supra diximus, reperitur abbas anno 1157. quo huic Poncius Ademarus vel Ademari se Deo & S. Mariæ inter medias aquas in monachum offerens, eidem S. Mariæ cœnobio confirmavit & auxit quæ ab avo Ademaro in manu Girberti abbatis concessa fuerant, ex tabulario Bolbonæ. Eodem anno III. idus Oct. interfuit dedicationi ecclesiæ monasterii Arulensis.

Append. Marc. Hisp. col. 1321.

XXII. Arbertus occurrit annis 1160. 63. & 66. Huic in villa Basonensi munitionem exstruere Ildefonsus rex permisit an. 1173. IV. idus Maii. Insequenti ecclesiam de Pertica Ferrario presbytero contulit.

Ibid. col. 1359.

XXIII. Gregorius II. reperitur 1175. in abbatum serie a Martennio digesta, qua pene sola uti cogimur in subsequentibus.

XXIV. Bernardus II. præerat 1181. quo circiter anno huic Alfonsus Aragonum rex facultatem concessit turrim ad cœnobii defensionem exstruendi. Transegit 1187. cum Arnaldo Urgellensi episcopo, & 1188. XV. cal. Junii cum priore de Tramesaigues & Odone abbate Bolbonæ, ex tabulario Bolbonensi.

XXV. Arnaldus privilegium obtinuit ab Alfonso rege 1188. & aliud 1194. quod vide inter instrumenta. Postmodum exauctoratus dicitur ob dilapidatum monasterium.

Ch. XIV. col. 486.

XXVI. Petrus II. ex abbate S. Martini Canigonensis intuitu reparandi monasterii electus Coxanensis, anno 1203. privilegium obtinuit a Petro Aragonum rege, quo bonorum alienationes factæ ab Arnaldo decessore nullæ ac irritæ declarantur. Idem abbas cum suo conventu, acceptis quingentis solidis Barchinonensibus indulsit Bernardo Crassensi abbati & omnibus hominibus de Prada, ut aquam haurirent ex fluvio Thetis a torrente de Ciraco, qui vulgo dicebatur *Riumerder*, usque ad eum locum ubi fluvii Litanus * & Thetis confluunt, sine aliqua retentione, aut ullo servitio monasterio S. Michaelis faciendo. Actum die V. idus Decembris anno Dominicæ Incarn. 1206. Dedit anno 1209. VIII. cal. Julii Berengario abbati Bolbonæ ecclesiam, seu prioratum S. Mariæ

Ch. XV. col. 486. * *al. Literanus.*

de Tramesaigues sub annuo censu duodecim solidorum Barcinonensium, ex tabulario Bolbonensi. Anno 1213. vendidit unum hominem Geraldo Arulensi abbati. Denique una cum Guillelmo vicecomite de Castro novo composuit controversiam, quæ inerat Guillelmum inter abbatem Crassiæ & Berengariam vicariam de Pediliano, super feudo ipsius loci de Pediliano, IV. nonas Maii an. 1218.

XXVII. Bertrandus I. initiali tantum littera nominis B. reperitur an. 1238. in litteris Nuni seu Nunonis Sancii domini Ruscinonensis. Memoratur anno 1241. XIII. cal. Febr. una cum P. R. abbate Fontis frigidi in charta Bernardi Helenensis episcopi & aliorum manumissorum a domino Nunone Sancii constitutorum per se & suos, ac per eumdem D. Nunonem Sancii, omnesque successores nonnulla relaxantium Jacobo regi Aragonum & successoribus in perpetuum. Anno sequenti ab eodem Jacobo Aragonum rege privilegium accepit.

XXVIII. Bernardus III. dedit Bernardo Rainardi hospitalis domus de Pertica præceptori decimas & primitias terrarum, quas ejusdem fratres propriis excolebant manibus. Deest hic nota chronica, sed anno 1251. vicarium perpetuum in ecclesia S. Juliani instituit.

XXIX. Jausbertus I. reperitur anno 1252. in litteris Jacobi Aragonum regis. Assensum præbuit anno 1260. unioni capellaniæ S. Germani cum vicaria ejusdem S. Germani & monasterio. Huic abbati & monasterio assignatur ex parte regis S. Ludovici annuus 25. librarum Turonensium reditus in compensationem juris quod olim habebant in castro de Podio Laurentio, quod ipsis ablatum a Chatberto de Barbayrano demum ad manum regis devenerat, an. 1263. ex tabulario Vaurensi. Anno 1264. Petro Boerii contulit ad vitam ecclesiam S. Vincentii de Lagua. Eodem anno X. cal. Octobris recensetur inter prælatos, quos Jacobus Aragonum rex a quibusdam oleribus solvendis exemit. Sub hoc tempus querelam habuit adversus abbatem Bolbonensem, ratione prioratus de Tramesaigues, quæ tandem anno 1265. VIII. idus Julii a Geraldo abbate S. Pauli Narbonensis & aliis duobus a sede apostolica judicibus delegatis finita est, ex tabulario Bolbonensi. Obiit Jausbertus anno 1268.

XXX. Berengarius de Pugalto, seu de Podio alto per obitum Jausberti eligitur abbas 1268. quem eodem anno Rogerius Bernardi Fuxensis comes & vicecomes Castriboni in suam tutelam suscepit. Sub idem tempus transegit cum Aprili episcopo Urgellensi coram Raimundo de Pennaforti ordinis Prædicatorum alumno. Huic abbati anno 1269. Jacobus Aragonum rex permisit habere domum Perpiniani, aliudque privilegium eidem concessit an. 1273. Pepigit cum Petro Narbon. archiepiscopo 1277. superstes 1293.

XXXI. Jaubertus II. memoratur anno 1296. in charta Jacobi Aragonum regis.

XXXII. Guillelmus I. 1298. & 1301. quo anno transegit cum Petro hospitalis domus de Pertica præceptore. Hic est profecto G. qui cum A. Guillelmi abbate Bolbonensi mutuam inter utrumque monasterium societatem precum ratam habuit XIV. cal. Aprilis an. 1304. ex tabulario Bolbonensi; forsanque is est Guillelmus Aretinus, cujus obitus dies notatur in necrologio Canonicæ calendis Febr.

XXXIII. Raimundus I. pepigit anno 1309. cum rege Majoricarum. Fidei sacramentum excepit an. 1314. a capellano sanctæ Felicitatis. Obiit anno primo Johannis papæ XXII. ex tom. X. fragmentorum Stephanotii pag. 220.

XXXIV. Grimaldus de Baynulis prior de Polleria in diœcesi Gerundensi, obeunti Raimundo successit eodem anno, ex loco citato. Anno 1317. IV. nonas Aprilis precum & bonorum operum iniit societatem cum Guillelmo de Alzona Crassensi abbate. Insequenti, VII. calend. Febr. Dalmatius de Baynulis miles & consiliarius Majoricarum regis in præsentia & hospitio Grimaldi abbatis apud Perpinianum ex parte ipsius regis Jauberto de Fontibus domicello retulit, decrevisse regem cum suo venerabili consilio teneri Jaubertum ad faciendam quotannis albergam *abbadalem* Crassensi abbati. Idem rex Sancius nomine intuitu Grimaldi meritorum & affinium qui nunquam non ei adfuerant, & progenitorum fideles exstiterant servitores, eidem privilegium concessit anno 1319. Reperitur & annis 1320. 31. & 38. quo pridie nonas Decembris procuratores instituit, qui domino Electensi episcopo Johannem Brunelli rectorem ecclesiæ de Capraspina, quam permutare cum Arnaldo Parada rectore ecclesiæ de Podio Laurentio cogitabat, ad hanc ipsam nominarent. Rexit ad annum saltem 1341. quo memoratur in litteris Jacobi Majoricarum regis.

XXXV. Amelius 1350.

XXXVI. Raimundus II. obiit anno quinto Innocentii papæ VI. & successit ex Baluzio

XXXVII. Bertrandus II. prior de Coleaco diœcesis Convenensis, cui legimus obedientiam & obsequium jurasse Johannem Castelli rectorem S. Felicis de Codaleto. Reperitur 1361. & 1367. quo anno transegit cum civibus & consulibus Villæ francæ. Anno 1371. arbiter & judex una cum alio quodam jurisperito a partibus constitutus prioratum S. Johannis de Asil diœcesis Urgellensis pertinere ad abbatiam Mansi asilis sua sententia declaravit anno seq. ex archivo regio Palensi.

XXXVIII. Galcerandus 1385. 1393. & 1405.

XXXIX. Guillelmus II. an. 1411. contulit ecclesiam S. Andreæ de Castellano.

XL. Berengarius 1423. & 1436. Forsan idem est cum Berengario de Pontonibus, qui legitur abbas 1442. & 1451. Agrorum professionem in senescallia Carcassonensi dedit, regique fidem juravit Berengarius abbas 1461. mense Martio; ex inventario archivi regii Carcassonensis fol. 133.

XLI. Johannes abbas monasteriorum S. Michaelis & S. Martini auctoritate apostolica unitorum anno 1463. contulit rectoriam S. Jacobi de Regoliza, & 1468. capellaniam S. Germani.

XLII. Petrus III. de Ornacho abbas Soliaci seu Sublaci in diœcesi Cadurcensi, memoratur abbas S. Michaelis de Coxano 1482.

XLIII. Cæsarinus cardinalis 1495.

XLIV. Bernardus IV. Boyl abbas regularis an. 1503. lator fuit novarum instructionum ad Carolum archiducem.

Mariana t. 5. p. 368. & 369.

XLV. Jacobus cardinalis tituli S. Clementis 1507. in bulla Julii papæ.

XLVI. Petrus Ludov. de Voltan episcopus Rivensis Ludovici XII. Francorum regis in Hispania legatus 1510.

Mariana t. 5. p. 2. p. 697.

XLVII. Julius de Medicis Narbonensis archiepiscopus, & postea summus pontifex Clemens VII. abbas erat S. Michaelis 1516. & 1518.

XLVIII. Henricus de Cardona archiepiscopus 1526.

XLIX. Archangelus Mercader 1539. & 1552.

L. Ludovicus I. de Sagarriga abbas regularis 1568.

LI. Bernardus V. de Cardona 1595.

LII. Franciscus I. Caraps 1612.

LIII. Franciscus II. de Erils 1615.

LIV. Petrus IV. Apuigmari 1619.

LV. Vincentius Ferrer 1631.

LVI. Michael Salavardenya 1633.

LVII. Franciscus III. de Monpalau abbas commendatarius 1648. bullas non obtinuit.

LVIII. Ludovicus II. Habert de Montmort regia schedula designatur abbas mense Septemb. an. 1684.

LIX. Josephus de Trobat ex abbate Canigon. 1695.

LX. Johannes Herveus de Basan de Flamenville episcopus Perpinianensis, abbas nominatur a rege die 16. Decembris 1701. sub quo abbatia episcopatui unita dicitur an. 1704. mense Decembri. Attamen

LXI. Domnus Salvator de Copons loci alumnus rexisse abbas regularis S. Michaelis de Coxano legitur ab anno 1721. ad annum saltem 1726.

S. GENESIUS DE FONTANIS.

CŒnobium S. Genesii de Fontanis in pago Ruscinonensi, ord. S. Bened. una circiter leuca ab antiqua civitate Helenensi, fundatum est a religioso quodam viro nomine Sentimiro tempore Ludovici Augusti, ut constat ex immunitatis præcepto, quod ab eodem principe Assaricus abbas obtinuit anno 819. In eo deinde monasterio circiter annum 888. habita est synodus episcoporum duarum provinciarum Narbonensis & Arelatensis adversus Selvam & Hermemirum invasores ecclesiarum Urgellensis & Gerundensis. Destructum a paganis discimus ex diplomate Lotharii regis anno 981. quo tempore jam instauratum erat, precibus Guifredi ducis Ruscinonensis bona & possessiones ejusdem monasterii confirmantis. Anno 1507. Julius II. papa rogatus a Bernardino cardinale, qui tunc abbatiam dimisit, abbati Montisserrati facultatem concessit hanc deinceps abbatiam regendi per abbates triennales; & quidem ita se res habuit usque ad annum 1659. quo per conventa Pyrenæorum Ruscinonensi pago juris Francorum regis effecto, cœpit abbas S. Genesii ab abbate Montisserrati institutus apud ipsum Montemserratum residere, cujus vice superior, præses appellatus, rexit monachos S. Genesii usque ad annum circiter 1684. omnibus interim cœnobii chartis, dum anno 1642. Perpinianum obsideretur, igne consumtis. Hanc anno 1688. ambivit abbatiam domnus Pouderoux, pro qua regiam obtinuit schedulam; at mox ipsam rex edicto sanctioris consilii die 6. Decembris ejusdem anni revocavit, sicque deinceps unita Montiserrato remansit.

Marc. Hisp. col. 347.

Ibid. col. 366.

Append. Marc. Hisp. col. 925.

SERIES ABBATUM.

I. ASsaricus solum innotescit ex laudato immunitatis præcepto, quod anno 819. a Ludovico Pio imperatore obtinuit.

II. Adolfus sedebat anno tricesimo regnante Carolo filio Ludovici, hic est Carolus Simplex.

III. Guimera & Viumara donum accepit ab Azenario & uxore Dachonila VIII. cal. Augusti anno quarto quo obiit Ludovicus rex Lotharii filius, hoc est 990.

Ch. VIII. col. 482.

IV. Willelmus I. de quo in ecclesiæ ingressu hæc inscriptio legitur: *Anno Domini vicesimo quarto regnante Roberto rege, Willelmus gratia Dei abbas ista opera fieri jussit in honore S. Genesii cœnobii, quæ vocant Fontanas.*

V. Poncius interfuit anno 1046. dedicationi novæ basilicæ Arulensis cœnobii, cum Raimundo abbate S. Andreæ de Sureda, & aliis tum abbatibus, tum optimatibus. Recensetur etiam in actis dedicationis Helenensis ecclesiæ an. 1058. melius 1053. ac denique in privilegio Guifredi comitis Ruscinonensis an. 1068. XI. cal. Aprilis, quod vide inter instrumenta.

Ibid. col. 1089.

Ibid. col. 1117.

Ch. IX. col. 483.

VI. Arnaldus Poncius an. 1114. memoratur præsens judicio lato de quadam inter monasteria Cuxanense & Arulense controversia. Reperitur adhuc 1128. & 1153. sub quo basilica fuit consecrata die 6. Octobris a Petro Helenensi & Arnaldo Carcassonensi episcopis, assistentibus Arulensi & S. Andreæ abbatibus.

Ibid. col. 1241.

VII. Petrus I. interfuit an. 1157. dedicationi novæ basilicæ Arulensis monasterii.

Ibid. col. 1323.

VIII. Raimundus I. sedebat 1178.

IX. Bertrandus 1180.

X. Raimundus II. 1184. & 1187. Vivere desiit 1196. ut liquet ex epitaphio, quod in claustro ad introitum ecclesiæ legitur his verbis:

Verax, facundus, fons manans, flos rubicundus,
Hospes jocundus, miserorum pascua, fundus
Fructu fecundus, nulli probitate secundus,
Præmundi mundus fuit abbas iste Raimundus;
Quem pia lux Martis decaseptima duxit in astris,
Quatuor exemptis annis de mille ducentis.

XI. Arnaldus I. occurrit annis 1197. 1200. 1207. & 1208.

XII. Gausbertus abbas 1210. obiit 1232. IV. cal. Nov. ex epitaphio, quod ipsi appositum est in claustro ad introitum ecclesiæ, in hæc verba;

Abbas Gausbertus jacet hîc bonus & bene certus,
Moribus ornatus, Pollestris in oppido natus,
Vita fuit cujus orbis salus & decus hujus:
Quando gaudebat. . . . . non retinebat,
Sed dabat absque mora miseris sua qualibet hora.
Moribus ornavit socios, quos semper amavit,
Et mundanorum crevit pro posse bonorum.
Annis terdenis octo minus ordine plenis
Dux fuit ecclesiæ complens documenta sophiæ.
Anno milleno bis centum ter X. bisque secundo
Ejus Novembris quarto cal. mors data membris.
Quæso, Christe, tecum. . . . . congaudeat iste:
Quod ut concedat, Pater noster *quilibet dicat.*
Quod es fui, quod sum eris, vigila ne devoreris.

XIII. Petrus II. reperitur annis 1235. & 1236.

XIV. Sapte an. 1245. adstitit Maurino abbati Appamiensi de electione abbatis Campi rotundi auctoritate sedis apost. inquirenti. Idem cum suo monasterio an. 1260. a Petro filio Jacobi Aragonum regis in tutelam susceptus est. Recensetur an. 1264. x. cal. Octobris inter prælatos, quos Jacobus Aragonum rex a certis oneribus solvendis exemit. Comparavit an. 1269. a Poncio Hugone Empuritano comite castrum Brullianum pretio 10000. solidorum Melgoriensium. Hoc ipsius epitaphium in claustro ad ingressum ecclesiæ legitur: *Anno Domini 1271. pridie cal. Junii obiit dominus Sapte de Pollestris abbas hujus loci, qui rexit hanc ecclesiam 29. annis, & adquisivit castrum de Brulliano, de mari decimam piscium, honorem B. Olibæ de Villa longa, condaminam P. de Taccione, mansum & honorem Hermengaudi de Insula, campos de Gradu, de Ulmo, de Vernadella, de Lortali, de Molino; domos de Argileriis & istius monasterii reparavit, cooperuit ecclesiam, construxit domum novam supra Buatum, stabilivit cuilibet monachorum quatuor ova omnibus diebus Mercurii & Veneris, & suum anniversarium, & patris & matris & fratris sui Auberti bajuli de Roca, cujus auxilio castrum de Brulliano fuit emptum. Anno Christi 1281. mense Octobri translatus est sub hac petra, quem Christus traxit ad æthera. Orate pro eo.*

XV. Michael memoratur, inquiunt, anno 1270. in charta Bernardi Helenensis episcopi, pro cœnobio reformando, sed profecto legendum 1280. tum quia 1270. regebat adhuc Sapte antecessor, tum quia hoc anno Bernardus necdum sedebat in cathedra Helenensi.

XVI. Guillelmus II. reperitur abbas S. Genesii annis 1283. 1291. 94. 98. 1302. & 1305.

XVII. B. de Abbatia haud aliunde innotescit, quam ex epitaphio, quod habetur his verbis in claustro ad introitum ecclesiæ: *V. idus Octobris anno Domini MCCCVII. obiit frater B. de Abbatia hujus monasterii abbas, cujus anima requiescat in pace, cujus corpus reconditum est in hac tumba.*

XVIII. Petrus III. de Ardena 1308.

XIX. Petrus IV. Guarsioni 1313. 1316. 1326. 1335. & 1340.

XX. Johannes 1344.

XXI. Arnaldus II. 1371.

XXII. Bertrandus eodem anno 1371. quodam nemus vendidit. Anno 1376. in capitulo generali seu provinciali Carcassonæ habito in conventu Fratrum Prædic. unus ex præsidibus fuit electus. Occurrit adhuc 1382. & 1391.

XXIII. Jacobus 1404.

XXIV. C. Cordellas 1409.

XXV. Guillelmus III. 1412. & 1416. quo anno ecclesiam S. Fructuosi de Rupe veteri contulisse memoratur.

XXVI. Petrus V. 1438.

XXVII. Bernardus Pujol 1446. 52. 56. 72. & 1486.

XXVIII. Ludovicus de Benabulo obiit 1493. etiam abbas B. M. de Aspirano.

XXIX. Blasius Troses 1494. & 1496.

XXX. Ferdinandus de Medina 1504.

XXXI. Bernardinus de Caravajal presbyter cardinalis tituli S. Crucis in Jerusalem jam anno 1504. abbatiam obtinuit, ut aiunt, in commendam, quæ ab ipso in gratiam reformatæ congregationis Vallissoletanæ *de Valladolid* abdicatione facta, mox unita fuit abbatiæ Montisserrati bulla Julii papæ II. data hoc anno pridie cal. Maii, & exsecutioni demandata die 5. Jun. ejusdem anni.

Sequuntur abbates temporarii, seu præpositi, qui singulis trienniis vel quadrienniis pro more congregationis Vallissoletanæ abbatiam tenentur abdicare.

I. PEtrus I. Camps iniit possessionem die XI. Augusti an. 1507. Adhuc præerat 1509.

II. Petrus II. de Barazona 1513. obiit 26. Julii 1515.

III. Johannes I. a S. Johanne 1517. Fuit hic superior generalis congregationis Vallissoletanæ, cujus tempore monasterium B. Mariæ Montisserrati reformatum est.

IV. Antonius I. de Berlanga 1517. & 1518. Privatam vitam absolvit in eremo cœnobii Montisserrati anno 1560.

V. Bernardus de Tarba natione Gallus obiit an. 1523. post dies tantum 38. in præfectura exactos.

VI. Martinus I. de Leon possessionem apprehendit die 7. Novembris 1528.

VII. Petrus III. Lloret possessionem adeptus 19. Junii 1531. obiit die 1. Aug. 1534.

VIII. Antonius II. Brenac 1537.

IX. Johannes II. Cordellas protonotarius apostolicus & episcopus de Guardia in regno Neapolitano fuit abbas commendatarius 1539.

X. Michael I. Cordellas frater Johannis & procurator reperitur abbas in variis instrumentis ab anno 1539. ad 1569. sed bullas non obtinuit.

XI. Thomas I. Mayo 1572. postmodum electus abbas S. Stephani de Ribas in Gallæcia 1583.

XII. Benedictus de Torres inita possessione 8. Sept. an. 1583. solemnem ingressum fecit 17. Dec. 1584. Præfuit ad 23. Aug. 1586.

XIII. Jacobus I. Negre hoc ipso die & anno successit,

ſucceſſit, paulo poſt, inquiunt, defunctus, qui forſan idem eſt ac Jacobus Bab qui legitur abbas 1587.

XIV. Michael II. de Sancta Fide adeptus poſſeſſionem 22. Septemb. 1587. præfuit ad 17. Octob. 1590. ſacris interim ornamentis eccleſia decorata.

XV. Jacobus II. Campmany ſedit a die 17. Octobris 1590. quo ſuæ dignitatis poſſeſſionem adiit, uſque ad 23. Julii 1595.

XVI. Thomas II. Rajadel nominatur eodem anno 1595.

XVII. Andreas Correa variis in Monteſerrato muniis perfunctus promovetur ad abbatiam S. Geneſii 27. Aug. 1598.

XVIII. Benedictus de Torres jam antea S. Geneſii abbas & poſtea S. Johannis de Paio, iterum nominatur abbas S. Geneſii 10. Julii anno 1601.

XIX. Diego primum monachus S. Petri de Cardona, tum pluribus annis in Monteſerrato converſatus, tandemque abbatia S. Geneſii donatus 24. Martii anni 1604. eidem præfuit per tres menſes & dimidium.

XX. Benedictus de Torres tertia vice nominatur abbas die 7. Julii 1604.

XXI. Jacobus III. Calbis ſucceſſit an. 1606. die 7. Martii.

XXII. Alfonſus I. de Haranda antea prior major Montiſſerrati, fuit abbas S. Geneſii die 1. Maii an. 1608.

XXIII. Martinus I. Terreras Alfonſum excepit 27. Julii an. 1610.

XXIV. Johannes III. de Celada major vicarius Helenenſis epiſcopi, ac divini verbi eximius præco, nominatus abbas an. 1614. obiit ejuſdem cœnobii monachus 15. Sept. an. 1621.

XXV. Alfonſus II. Gomes antea prior domus Neapoleos, major prior S. Geneſii erat tum cum ejuſdem abbas effectus eſt 9. Julii 1617.

XXVI. Alfonſus de Haranda iterum electus 15. Novembris an. 1621. obiit 5. Decembris 1624.

XXVII. Philippus I. Cabello nominatur abbas anno 1625.

XXVIII. Franciſcus I. Rodriguez ſucceſſit an. 1626.

XXIX. Philippus II. de Villoſlada 1628.

XXX. Johannes IV. de Placentia, inſignis theologiæ profeſſor & egregius concionator, renunciatus abbas die 5. Nov. graſſante per totam provinciam peſte largas effudit eleemoſynas, curavit ægros de proprio nihil ſollicitus periculo, abbatiamque nihilominus reparavit.

XXXI. Johannes I. de Salazar regere cœpit an. 1633.

XXXII. Franciſcus II. de Velezar prius in cœnobio Montiſſerrati muniis pluribus rite perfunctus deſignatur abbas S. Geneſii an. 1635.

XXXIII. Philippus de Villoſlada verbi divini præco, iterum admotus regimini ſancti Geneſii, audiendis militum in hoſpitali domo Perpiniani morientium confeſſionibus immortuus eſt cum ſeptem monachis 24. Octob. 1639.

XXXIV. Johannes de Salazar ſecundo nominatus, ob faciem rerum in Catalonia mutatam fugit in Caſtellam, inibique defunctus eſt 1640.

XXXV. Philippus III. Fita regimen auſpicatus eſt 1641.

XXXVI. Placidus I. Foncaldo 1645. urgente bello, ceſſit paulo poſt.

XXXVII. Jacobus IV. Vidal eodem anno 1645. cujus temporibus in abbatia S. Geneſii ſtudia theologiæ ac philoſophiæ inſtituuntur.

XXXVIII. Placidus II. Puyo electus abbas 1649. quindecim monachis præfuit.

XXXIX. Stephanus Velaſquez deſignatus abbas 1653. præpediente bello ad poſſeſſionem non pervenit, cujus loco præſidens nominatus eſt Placidus Puyo anteceſſor.

XL. Johannes VI. Pardo.

XLI. Maurus de la Rea Caſtellanus natione an. 1657. pace reddita poſſeſſionem aſſecutus eſt.

XLII. Johannes VII. de Vernedo 1661. obiit ante annos quatuor completos.

XLIII. Dionyſius de Tornamira Gallus natione, vice Alonci Melendez abbatis deſignati præpoſituram geſſit anno 1667. Duobus annis tribuſque menſibus præfuit, Pariſiis ut plurimum commoratus ut a chriſtianiſſimo rege privilegiorum confirmationem obtineret.

XLIV. Joſephus Ribas obſtante bello minime adeptus eſt poſſeſſionem, ſicuti nec qui ſequuntur, tametſi ſingulis quadrienniis nominati.

XLV. Anſelmus Ribera.

XLVI. Stephanus de Avila.

XLVII. Petrus IV. Canada, poſtmodum abbas Montiſſerrati; cujus circiter temporibus Petrus Pouderoux regiam pro hac abbatia ſchedulam obtinuit, ſed hanc rex ipſe in ſanctiore conſilio revocavit an. 1688. Poſtea tamen 8. Sept. 1695. Petrus Pouderoux abbatiam Campi rotundi in diœceſi Gerundenſi aſſecutus eſt.

XLVIII. Bremundus Paredes.

XLIX. Felix Llano eo tempore ſedebat quo noſter D. Martennius cœnobii chartarium perluſtravit.

L. Ludovicus de Fongavado preſbyter & monachus S. Geneſii inconſulto Montiſſerrati abbate electus eſt a fratribus, ſed hæc reſciſſa eſt electio ſupremi conſilii edicto 7. Octobris 1724. quo nominandi triennalem S. Geneſii abbatem Montiſſerrati abbati & monachis aſſeritur poſſeſſio, ita tamen ut nominaretur Francigena, noviciatus in S. Geneſii monaſterio pro ſolis Francigenis inſtitueretur, ejuſdem monaſterii reditus haud extra regni fines avolarent, nec ſuam in eo viſitatores juriſdictionem exercere valerent abſque prævia ſpeciali chriſtianiſſimi regis licentia. Denique hoc eodem decreto facultas Ludovico conceditur ſeſe in monaſterium ſui ordinis ab Helenenſi epiſcopo aſſignandum recipiendi, cum annua quingentarum librarum penſione ex reditibus ſancti Geneſii, ex diario hiſtorico menſis Januarii an. 1725. pag. 67.

S. MARTINUS DE CANIGONE.

Marc. Hisp. col. 1018.

CAnigonense S. Martini cœnobium ordinis S. Benedicti conditur anno 1001. a Guifredo Ceritaniæ comite in loco aspero & invio, ubi postmodum anno 1036. vestem monasticam induit comes, & vita defunctus sepulturam accepit an. 1050. pridie cal. Aug. Ecclesia consecratur an. 1009. IV. idus Novemb. ab Oliba episcopo Helenensi. Bullam obtinuit comes anno 1011. pro libertate monasterii. Postea tamen a Bernardo Guillelmi Ceritaniæ comite Crassensi monasterio subditum est an. 1114. Sed Canigonenses hoc excusso jugo suam an. 1059. libertatem recuperarunt.

Append. Marc. Hisp. col. 971. Ibid. col. 988.

Series Abbatum.

Baluz. t. 2. miscell. pag. 309.

I. SClua & Selva monachus S. Michaelis Coxanensis primus abbas Canigonensis electus est anno 1014. quo S. Goderici reliquiæ ad monasterium e Tolosæ finibus allatæ sunt. Reperitur tempore Guifredi Narbonensis archiepiscopi, qui cum universa synodo Narbonensi privilegia monasterii confirmavit. Eodem sedente altera ecclesiæ S. Martini Canigonensis consecratio facta est anno 1026. Obiisse dicitur an. 1044. post annos ab ordinatione triginta, ex chronico monasterii edito a Baluzio tom. 2. Miscell. pag. 309. At citius mortuum fuisse innuit rotulus ad varia monasteria missus post mortem Guifredi Ceritaniæ comitis monasterii fundatoris anno 1050. in eo siquidem defuncti quatuor abbates memorantur, Selva, Renardus, Guillelmus & Oliba seu Oliva *dulcissimus pater* super omnia commendatus, quorum tres primi videntur exstincti ante annum 1039. quo reperitur Oliba in abbatum serie, quam ad fidem instrumentorum monasterii D. Edmundus Martenne accuravit. Itaque

Append. Marc. Hisp. col. 1091.

II. Renardus I. ex laudato rotulo Selvam excepisse in præfectura videtur.

III. Guillelmus I. Renaldum sequitur in eodem rotulo; ipsius vero regimen annis quinque circumscribitur in chronico laudato.

IV. Oliba & Oliva præsul, abbas & spiritualis & divæ memoriæ communis pater dicitur in rotulo memorato, ubi & superstes ipsius frater unanimis & sæculari honore præpotentissimus dux domnus Guifredus recensetur, amboque nobilissimi fratres & patriæ principes collaudantur. Oliba vero monasterium regebat an. 1039. ex Martennio, ut diximus.

V. Miro innotescit e solo chronico laudato, ubi regimen ejus annis 15. circumscribitur.

Tom. 4. Anecdot. col. 1188.

VI. Renardus II. interfuit concilio Gerundensi an. 1068. forsan idem qui Bernardus in chronico laudato appellatus annis octo præfuisse dicitur.

VII. Petrus I. Ermengaudi sedit octo annis, ex eodem chronico.

VIII. Petrus II. Suniarii præerat anno 1084. quo Guillelmus Raimundi Ceritaniæ comes, uxor Sancia & liberi Guillelmus & Bernardus pro pignore tradiderunt villas quasdam sui juris in valle Confluente sitas, villam scilicet En, & villare Octesanum, quas ea conditione Petro Suniarii abbati Canigonensi & cœnobio contulerant, ut nisi pecuniam, quam propterea mutuo acceperant a monasterio (viginti libras argenti purissimi deaurati *de ipso thesauro sacri altaris*) intra annum restituerent, prædia illa prorsus absque ulla contradictione ad monasterium pertinerent. Idem Ceritaniæ comes anno 1091. dirutum & dissipatum S. Mariæ Serratexensis monasterium, cujus monachi a recto tramite deviaverant, tradidit Canigonensi monasterio & abbati Petro Suniarii. Memoratur anno XXXIII. regnante Philippo rege. Una cum Artaldo episcopo Helenensi fuit exsecutor testamenti Guillelmi Raimundi Ceritaniæ comitis anno 1095. Suum etiam condidit testamentum Willelmus Jordani Ceritaniæ comes Jerosolymam profecturus, cujus exsecutores constituit Ermengaudum Helenensem episcopum, Petrum Willelmi abbatem Cuxanensem & Petrum abbatem Canigonensem, &c. Reperitur 1114. in charta Guillelmi Ceritaniæ comitis, & 1116. in charta Bernardi Raimundi comitis. Ipsi denique laudatum chronicon 33. regiminis annos assignat.

Append. Marc. Hisp. col. 1173. Ibid. col. 1189. Ibid. col. 1195. Ibid. col. 1225.

IX. Raimundus I. Valle assumtus e Crassa, præfuit ex eodem chronico 19. annis. Sane memoratur anno secundo Ludovici regis, hoc est 1138.

X. Berengarius adfuit anno 1157. III. idus Octobris consecrationi novæ basilicæ monasterii Arulensis. Rexit annis quinque, ex laudato chronico.

XI. Raimundus II. sacrista Rivipullensis electus est abbas S. Martini Canigonensis anno 1159. contra quem latam auctoritate sedis apostolicæ interdicti sententiam quod abbati Crassensi exhibere obedientiam recusaret, anno 1161. calendis Martiis Alexander papa III. confirmavit. Ipsum nihilominus ad saniorem, ut par est credere, reversum mentem, anno 1163. IV. idus Junii cum ejusdem monasterio in tutelam sedis apost. suscepit. Reperitur adhuc 1164. & 1166. Quin & annum 1170. attigit, si vere sedit annis XI. uti notatur in chronico laudato, sed fortasse legendum annis IX. ex dicendis.

Ibid. col. 1331. Ibid. col. 1334.

XII. Geraldus Raimundi superioris frater, ad quatuor annos rexisse in eodem chronico legitur.

XIII. Petrus III. memoratur 1172. 1173. 1177. 1182. & 1197. qui subinde Coxanensis abbas electus utramque rexit abbatiam ad annum saltem 1209. Sane Petrus abbas de Canigone anno 1207. XIII. cal. Octobris testis laudatur clientelæ, quam Willelmus de Castro novo vicecomes filius Saurinæ feminæ Bernardo Crassensi abbati professus est super sanctum altare B. Mariæ Perpiniani.

XIV. Petrus IV. occurrit annis 1221. & 1229.

XV. Bernardus 1233. & 1245. quo anno Jacobus Aragonum rex exstruendi castri in loco, qui dicebatur *Casafabre* ei facultatem concessit. Subscripsit eodem anno litteris Maurini abbatis Appamiensis super electione abbatis Campi rotundi. Regebat adhuc 1255.

XVI. Petrus V. 1259. 61. 63. & 1264. quo anno illos inter prælatos recensetur, quos Jacobus Aragonum rex a quorumdam olerum solutione immunes declaravit. Occurrit etiam 1277. & 1279.

XVII. G. *forte* Geraldus, 1279.

XVIII. Petrus VI. obiit 1298.

XIX. Guillelmus II. 1299. & 1300.

XX. Arnaldus I. 1308. 1310. & 1312.

XXI. Andreas 1313.

XXII. Arnaldus II. obiit anno primo pontificatus Johannis papæ XXII. quo eidem successit

XXIII. Berengarius II. ejusdem loci alumnus.

XXIV. Petrus VII. 1342.

XXV. Raimundus III. 1352.

XXVI. Petrus VIII. 1356.

XXVII. Raimundus IV. 1361. 63. 70. & 71.

XXVIII. Guillelmus III. Castille Porc 1392. forsan idem ac Guillelmus Cathale 1398. & 1400.

XXIX. Johannes I. 1409. 1410. & 1424.

XXX. Johannes II. Seguerd 1433. Is est J. aut successor, qui anno 1448. die Mercurii prima Maii adfuit capitulo generali trium provinciarum habito in domo Fratrum Prædicatorum Biterrensium.

XXXI. Johannes III. abbas sancti Martini Canigonensis & S. Michaelis de Coxano 1463. & 1468.

XXXII. Jacobus de Banyuls 1499.

XXXIII. Gaspardus Barrels 1515.

XXXIV. Sigismundus Paratge 1552.

XXXV. Angelus Juallard 1610. Melchiorem, qui sequitur, coadjutorem habuit 1633.

XXXVI. Melchior Soller de Sormendan sacræ theologiæ doctor, superioris, ut diximus coadjutor exstitit anno 1633. idem fortasse, quem in schedis advocati cujusdam Aurelianensis mortuum lego mense Septembri an. 1682.

XXXVII. Petrus IX. Pouderoux monachus & operarius cœnobii Caunensis erát an. 1655. die 30. Octobris, e schedis ejusdem monasterii. Anno 1688. subripuit schedulam regiam pro abbatia S. Genesii, sed incassum, ut supra dictum est. Tum fuit abbas Campi rotundi in diœcesi Gerundensi anno 1695. tandemque 17. Maii 1698. renunciatur abbas S. Martini Canigonensis, quam abbatiam in ædificiis, bonis temporalibus, & disciplina regulari restituere curavit. Obiit Parisiis die 28. Augusti an. 1714. sepultus in æde S. Severini.

XXXVIII. N. Lamby nominatur abbas regularis 31. Octobris 1714.

XXXIX. N. de Wals antea major sacrista S. Michaelis de Coxano, abbas regularis S. Martini de Canigone mense Martio 1728. præerat sex monachis.

B. MARIA DE ASPIRANO *seu* B. MARIA REGALIS *N. Dame la Reale.*

HAnc ab initio ecclesiam fundatam a militibus Berengario Isarni, & filiis ejus Bernardo Berengarii, Berengario, & Dalmatio A fratribus & sorore illorum Adalsen cum aliis probis hominibus, consecravit Udalgarius episcopus Helenensis anno 1130. indictione VIII. quinto idus Junii. Tum vero juris effectam abbatiæ S. Michaelis de Coxano, idem episcopus eam acquisivit a Gregorio ejusdem cœnobii abbate titulo commutationis pro ecclesia S. Vincentii de Arriano an. 1134. V. idus Novemb. ac demum in ea constituit canonicos regulares per priorem regendos an. 1136. VIII. calendas Januarii. Quæ omnia constant ex instrumentis editis in appendice Marcæ Hisp. col. 1269. 1278. & 1279. Deinde sub finem sæculi XIV. B hi canonici Perpinianum in ecclesiam parochialem B. Mariæ Regalis nuncupatam translati sunt, quo tempore prior nomen abbatis assumsit, ac tandem sæculari toga donati sunt.

Series Priorum et Abbatum.

I. PEtrus I. Arnaldus seu Arnalli, antea canonicus Helenensis novi monasterii secundum regulam S. Augustini prior constituitur ab Udalgario episcopo an. 1136. ex charta in appendice Marcæ Hisp. relata col. 1279. idem fortasse qui sacrista cognominis eidem chartæ nomen suum apposuit. Adhuc autem prior recensetur annis C 1140. 42. 43. & 1144.

II. Arnaldus I. Seniofredi cum titulo prioris reperitur 1146. 1147. 1156. & 1159. quo anno facta cum Artaldo Helenensi episcopo commutatione ecclesiam S. Saturnini de Tapia accepit.

III. Poncius præerat 1169. quo anno Ermengaudus de Villarara ei contulit honorem, quem habebat in Villa nova de Rauter, subscribente Artaldo episcopo Helenensi. Memoratur adhuc 1170.

IV. Raimundus I. anno 1172. privilegium obtinuit ab Alfonso rege; & anno seq. Be- D rengarium de Aviniano munificum expertus est.

V. Gausbertus an. 1173. honorem illum, quem Guillelmus de Verneto habebat in villa S. Mariæ de Mari, ab illo accepit. Anno 1176. donum ei concessit Guillelmus de Villari novo; eique bullam indulsit Cœlestinus papa III. anno 1194. Reperitur etiam in variis instrumentis annorum 1195. 1196. & 1203. sub quo Urgellensis episcopus Bernardus videns se imparem episcopali oneri, clanculo recessit, ingressus monasterium canonicorum regularium de Aspirano circiter an. 1198. *Marc. Hisp. col. 518.*

VI. Petrus II. sedebat 1205. & 1206. quo E Guillelmus episcopus Helenensis ei jus omne ac dominium, quod habebat in ecclesia S. Salvatoris de Comanals, dimisit.

VII. Guillelmus I. de S. Fide reperitur 1209. 1211. & 1218.

VIII. Guiraudus transigit cum Raimundo Helenensi episcopo 1229.

IX. Guillelmus II. 1231. 32. 34. & 1236.

X. Raimundus II. 1242. & 1250.

XI. Petrus III. dignitate prioris gaudebat 1250. 57. 58. 60. 64. 65. 67. & 1269. quo Jacobus rex emtionem castri de Penna ei

confirmavit. Adhuc reperitur 1277.

XII. Arnaldus II. Cayoti hominium præstitit Jacobo regi an. 1280. a quo privilegium obtinuit 1286. Occurrit etiam in variis instrumentis 1289. 1298. & 1300.

XIII. Bernardus I. de Viciato decretorum doctor 1302. 1304. 1309. & 1312. quo anno Sancii regis Majoricarum donum accepit. Ejusdem fit mentio in chartis annorum 1313. & 1320.

XIV. Bernardus II. de Monte claro fidelitatis sacramentum juravit Petro de Fenioleto vicecomiti de Insula an. 1322. Sedebat etiam 1323.

XV. Durandus de Villa nova 1323. & 1333.

XVI. Amalricus Augerii patria Biterrensis prior erat 1347. scriptis editis commendatus, de quo vide Guillelmum Cave sæculo Wickleфiano pag. 45.

XVII. Antonius de Lupiano 1360.

XVIII. Guillelmus III. Camboni 1365. 66. 70. & 1373.

ABBATES.

I. JAcobus Barro ultimus prior 1376. & 1380. 17. Maii quo fuit præsens lectioni & publicationi constitutionum Raimundi episcopi Helenensis. Idem sub hoc tempus ex auctoritate sibi per Raimundum Helenensem episcopum delegata, visa auditaque de brachio sancti Johannis Bapt. quod asservatur in conventu Fratrum Prædicatorum Perpiniani in acta retulit, eademque per notarium recitari præcepit coram selectis patribus Dominicanis & Carmelitis, necnon quibusdam legum & canonum doctoribus, qui omnes ex miraculorum frequentia constare satis sanxerunt, ipsum esse brachium S. Johannis Baptistæ; quapropter mandavit eo nomine coli, prout sibi ab episcopo injunctum fuerat. Anno saltem 1384. titulo abbatis gaudebat.

II. Antonius Gircosii præerat 1385. 1393. & 1403. Quo circiter tempore coram eo a Benedicto XIII. seu Petro de Luna delegato stabat appellatio Fratrum Prædicatorum Perpiniani ab interdictione Bartholomæi Helenensis episcopi, ne brachium S. Johannis Baptistæ, quod habebant, die festo ejusdem decollationis publice exponerent, propterea quod Romanæ sedis auctoritate ista nondum approbata esset reliquia.

III. Ademarius 1417.

IV. Petrus Plassa 1422. Migravit a sæculo 1427.

V. Johannes I. de Vinyo obiit 1459.

VI. Johannes II. Syrach ex canonico electus abbas rexit tantum per quinque menses.

VII. Johannes III. de Ribes 1467. Vita functus est 29. Junii 1488.

VIII. Ludovicus de Benabulo, *de Albenable*, Neapolitanus, sedis apostolicæ protonotarius vivere desiit 1493. etiam abbas S. Genesii.

IX. N. frater cardinalis de S. Cruce.

X. Franciscus Remolin Ilerdensis cardinalis fit abbas per cessionem præcedentis.

XI. Johannes IV. Chaluet canonicus Helenensis ex cessione præcedentis adiit possessionem 19. Aprilis 1517. Postea transegit 1523. cum episcopo Helenensi.

XII. Johannes V. Marles y de Marla Barcinonensis nunquam adeptus est possessionem.

XIII. Onuphrius Gigenta ex alterius cessione.

XIV. Narcissus Viader canonicus S. Johannis promovetur a rege 1559. in locum Onuphrii abbatis S. Andreæ de Sureda designati.

XV. Stephanus Puig decretorum doctor, de ecclesia bene meritus, ultimus regularium 1574. Præfuit annis 16. mensibus octo & diebus 14.

XVI. Raphael Baille doctor in decretis annis octo abbatiam tenuit, defunctus 28. Martii 1606.

XVII. Josephus I. Maseigues Barcinonensis, decretorum doctor, vir singulari pietate conspicuus, cujus vitam conscripsit typisque mandavit Laurentius Vaills canonicus B. Mariæ Regalis, Romæ annos natus 104. spiritum Deo reddidit.

XVIII. Johannes Bapt. Chiaveri nobili prosapia ortus, sed eximiis maxime dotibus præcellens, legum doctor & primum archidiaconus major Urgellensis ecclesiæ, episcopatu Helenensi recusato, migravit a sæculo 1684.

XIX. Josephus II. de Trobat sacrista & canonicus Helenensis possessionem iniit die 4. Aug. 1685. inde translatus ad abbatiam Coxanensem.

XX. Johannes Herveus de Basan de Flamenville episcopus Perpinian. hac abbatia suo unienda episcopatui donatur a rege 8. Septemb. 1695.

XXI. Antonius Hieronymus Boivin de Vaurouy episc. Perpinian. & abbas B. M. Regalis.

XXII. Johannes Matthias de Lenta episcopus Perpinian. nominatur abbas B. Mariæ Regalis mense Novembri an. 1723. quo ipso mense & anno obtinuit abbatiam regularem B. Mariæ Arulensis.

CLARIANA.

ALio nomine Calana & Dovaria, sive etiam monasterium de Januariis vel de Jano, ut scribit Jongelinus in sua ordinis Cistercienfis abbatiarum notitia; fortasse *Jau*, vel *S. André de Jau* diœcesis Helenensis, filia Ardorelli e linea Pontiniaci, jam exstabat anno 1162. quo Artaldus Helenensis episcopus hanc abbatiam tradidit Ardorellensi abbati. Sita est supra montem de Moncet juxta Corbariæ vallem, sed modo tum monachis tum ædificiis destituta est.

ABBATES.

I. MArtinus abbas erat monasterii de Clariana anno 1162. quo illud Ardorello traditum est.

II. Raimundus Petri abbas de Clariana ord. Cisterc. obiit VI. calend. Decembris ex necrol. Silvæ majoris tom. IX. fragm. Stephanotii.

III. Josephus Chaupi *al.* Kaupi baccalaureus Parisiensis a rege nominatus est abbas B. Mariæ du Jau die XI. Aprilis an. 1705.

VALLIS BONA *seu* B. MARIA VALLIS BONÆ.

HÆC abbatia ord. Cisterc. e linea Claræ-vallis, sita est dimidia leuca Caucoliberi ad montium radices. Fundatur autem non anno 1164. ut habet Jongelinus, sed anno 1242. a Petro Raimundi abbate Fontis frigidi, qui monachos illuc misit, & abbatem Guitardum illis præfecit. Fuisse aliquando non ignobilem colligitur ex ibidem sepulta domina Eleonora Jacobi I. Aragoniæ regis & Jolesiæ Hungaricæ filia, ut scribit Jongelinus; sed hodie solus superest titulus absque domo & ecclesia.

Ch. XVI. col. 487.

ABBATUM SERIES.

I. GUitardus e cœnobio Fontis frigidi volente Petro suo abbate primus abbas novo huic cœnobio concessus est.

A II. Petrus I. reperitur abbas Vallis bonæ diœcesis Helenensis anno 1281. in veteri charta Fontis frigidi. Pepigit an. 1293. cum incolis de Argilieris.

III. Petrus la Roque sedebat abbas circa 1490. ex veteri Fontis frigidi documento.

IV. Clemens de Montesquiou de Prechacq filius Johannis Pauli ex Catharina de Lurbe in agro Benearnensi, designatur abbas Vallis bonæ, & prior S. Feliciani die 8. Septemb. an. 1695. Fuit etiam abbas de Berdona in diœcesi Ausciensi, & canonicus Olorensis, superstes anno 1730.

B V. N. de Tord de Calvo canonicus ecclesiæ Perpinianensis abbatia Vallis bonæ donatur a rege 28. Febr. 1733.

VI. N. de Blanes nominatione regia factus est abbas mense Martio an. 1734.



APPENDIX AD ECCLESIAM NEMAUSENSEM.

AB edito Nemausensium episcoporum indice, qui incipit col. 427. prodiit in lucem eorumdem historia anno 1737. auctore D. Menard consiliario in curia præsidiali ejusdem urbis; qui quo propius, eo facilius & uberius potuit verum deprehendere. Sed mirum profecto præsulem ultimo defunctum minime curavisse, ut illa, quibus auctor usus est, subsidia nobis administrarentur. Pauciora tamen sunt, quæ vel in elucubratione nostra desiderentur, aut illam impugnent, ut ex singulorum enumeratione mox patebit.

Col. 420. n. VII. Ranimirus, licet in sedem intrusus, Nemausensibus episcopis accensetur a Catello & Sammarthanis, quos secuti sumus, rejicitur autem ab auctore laudato, qui & omissis Pallada, seu Palladio & Gregorio, quanquam hi duo & Casatus intermedius hoc ordine memorantur in necrologio Nemausensis ecclesiæ, Vinterico n. XI. episcopo præmisit Sesnandum seu Sisenandum, ex sententia, inquit, lata sub episcopo Agilardo de limitibus terræ de Garous, in qua fit mentio donationis, quam Remessarius n. V. episcopus fecit ecclesiæ suæ de territorio de Garous; cujus donationis exscriptum datum est anno vigesimo Caroli Magni, & quarto episcopatus Sesnandi, hic est annus Christi 791. annis Caroli computatis a morte Carlomanni, quæ contigit mense Decembri anno 771.

Col. 430. n. XIII. addit auctor, Christiano episcopo, extitisse parthenonem ordinis S. Benedicti in veteri diœcesi Nemausensi, non longe ab Andusiæ castro, cujus abbatissa nomine Autsindana monasterio Anianæ villam Berthomates donavit, ut diximus col. 833.

Col. 432. n. XVII. Aglardus, seu Agelardus, jam sedebat ex chartulario ecclesiæ cathedralis fol. 80. verso, anno regni Odonis octavo, die 3. Aprilis, hic est 896. inquit D. Menard.

Col. 435. Frotarius I. interfuit anno 1004. cœtui nobilium habito Psalmodii pro restituendo hoc monasterio, ex tomo 4. Annal. Bened. ad hunc annum n. 59. Auctor nuperus addit fuisse illi coadjutorem annis 1004. & 1008. Adelmum e gente des Chambons de S. Pons, qui ex monacho prior abbatiæ S. Benedicti Castrensis, huic anno 1004. 28. Junii paulo postquam Nemausensis electus fuisset coadjutor, testamento condito centum libras legavit pro anniversario. Adelmum a Sammarthanis non coadjutorem, sed episcopum hisce annis admissum, Frotario bipartito, ideo rejecimus, quia de illo nihil nobis occurrit, quem tamen non inficiamur coadjutorem adfuisse Froterio, qui subscripsit *senior episcopus* chartæ anni 1009. Obiit Adelmus ante Froterium conditus in ecclesia S. Benedicti Castrensis, cujus tumulo inscriptum fuit hoc epitaphium: *Hîc dormit in pace Adelmus de Cambono monachus S. Benedicti de Castro & episcopus Nemausi: Orate.* Frotarius vero adhuc memoratur in chartulario ecclesiæ cathedralis fol. 106. anno vicesimo regni Roberti mense Junio, quem laudatus auctor ad annum 1016. revocat, cum tamen Geraldum successorem reperiri jam anno 1015. dicamus.

Col. 437. D. Elefantus, quem Froterii dicimus coadjutorem, eidemque superstitem asserere non audemus col. 438. D. lin. 4. ab auctore laudato superfuisse dicitur episcopus, & quidem ad annum saltem 1084. quo 21. Apr. ecclesiæ Nemausensi donationem factam a Guillelmo, Eldiarde conjuge & eorum liberis, in comitatu Nemausensi, vicaria de Valfransesque memorat, ex chartulario capituli fol. 105. Huic autem assentire non possumus, quandoquidem Froterii successor Petrus sedebat jam anno saltem 1080. ut probavimus ex chartis Massiliensibus.

Col. 455. n. LIII. Nicolaus, &c. ex auctore laudato electus jam anno 1418. (quod non probat) adhuc erat episcopus 1429. ut constat, inquit, ex pluribus clientelæ professionibus, quas ejus nomine Johannes Matthæi archidiaconus & ipsius vicarius generalis excepit hoc anno.

Ibid. n. LIV. lin. 3. *Januensem*, auctor laudatus habet Venetum.

Col. 456. E. Gaufrido translato, capitulum elegit Emmanuelem Buade canonicum vestiarium, qui bullis non obtentis litigavit cum Alano de Coëtivi in senatu Tolosano, cujus decretum consecutus est die 3. Maii 1455. At cum Alanus reditus perciperet, capituli syndicus regimen ecclesiæ & episcopatus Nemausensis in spiritualibus & temporalibus, sede vacante, ac fructus futuro successori servandos altero ejusdem senatus placito die 16. Septembris 1458. obtinuit. *Interim Johannes n. LVIII. &c.* Attamen adhuc 1460. episcopatus per vicarios generales regebatur, apud D. Menard.

Col. 458. n. LXII. lin. 1. *Parisiensis presbyter*, &c. Laudatus auctor tradit oriundum e vico *Becour* in Biturigibus, quem posthabita a Sixto papa facta electione, liberaque capitulo permissa, canonicorum animos ita devinxisse scribit, ut die 15. Septembris 1482. ipsummet elegerint, qui statim possessionem accepit, consuetumque capitulo sacramentum præstitit die 10. Decembris ejusdem anni.

Ibid. n. LXIII. lin. 7. Adhuc sedes vacare dicitur 1499. dum scilicet sub judice lis est.

Col. 459. n. LXV. lin. penult. D. Menard mortuum dicit Bernardum Anicii 4. Julii 1568. sedemque vacasse adhuc mense Augusto 1572.

Ibid. n. LXVI. *Raimundus, &c.* nominatus episcopus favore vicecomitis de Joyeuse, qui paucis Raimundo reditibus relictis potiores obtinuit,

1572. insequenti possessionem accepit 22. Augusti. Circa 1590. refectorium canonicorum in ecclesiam cathedralem convertit, seu adaptavit, donec ab Heterodoxis illa diruta, reparata fuisset, obiitque 22. Augusti 1594. capitulo herede instituto.

Ibid. n. LXVII. *Petrus, &c.* Addit laudatus auctor potitum eum episcopatu eodem modo, quo decessor, favore scilicet ducis de Montemorenciaco, qui præcipuos reditus possidebat.

Ibid. E lin. 7. *in loco*, adde, *natali*.

Col. 460. n. LXVIII. Claudius, &c. litt. D. lin. 9. ex priore S. Baudilii factus coadjutor, inauguratus est sub titulo episcopi Cæsareæ 14. Januarii 1623. Jacet in ecclesia parochiali Montisferrerii vici paterni prope Montempessulanum siti.

Ibid. n. LXIX. Anthymus Dionysius, &c. præpositus ecclesiæ Cenomanensis, Nemausum episcopus invectus est 30. Julii 1635. Huic debetur ecclesiæ cathedralis ab Heterodoxis dirutæ instauratio, ad quam reparandam exacta fuere a diœcesanis tam hereticis, quam catholicis octoginta millia librarum, & viginti millia pro restaurando episcopali palatio. In urbem admisit patres Societatis Jesu, qui collegium moderantur, & Ursulinas virgines. Anno 1640. peste grassante in urbe vitam intrepidus exposuit, cujus ergo rex illum nominavit senatorem Tolosanum, eique contulit abbatiam S. Egidii, quam absque bullis unico tenuit anno.

Ibid. n. LXX. Hector, &c. filius nobilis Rigaldi Douvrier senatoris Tolosani & Beatricis Potier de la Terrasse, ecclesiam suam ingressus est 14. Feb. 1646. juxta D. Menard, sepultusque est in sanctuario ecclesiæ cathedralis, funus prosequente Nicolao Grillet episcopo Uceticensi.

Col. 462. n. LXXI. Anthymus, &c. fundavit alterum Ursulinarum conventum 2. Maii 1665. Cujus etiam studio & rogatu reginæ matris fundatus est conventus virginum ab Annunciatione nuncupatarum 27. Junii 1664. itemque fundavit Providentiæ domum pro puellis pupillis & recens conversis.

Ibid. D. lin. ult. *liberalitate* adde, in honorem Conceptionis B. Mariæ pone principem aram. Cor depositum in capella alterius Ursulinarum conventus, ubi hæc habetur inscriptio.

D. O. M.

Suaviss. cordi

Ill. eccl. pr. Antymi Dionysii Cohon. episc.

Nem. hujus templi & R. D. fundat.*

Eloquentia Chrysostomi, liberalitate

Gregorii, qui ob. an. Sal. 1670. 7. Nov.

M.* P. sor. filiæ, E. T. R. D.

* *religiosæ domus.*

* *Monumentum posuere sororis filiæ & tota religiosa domus.*

Col. 463. n. LXXII. Johannes Jacobus, &c. Nemausum ingressus est 9. Decembris 1672. Suis potissimum curis ædes episcopales inchoatas & pene perfectas primus incoluit.

Ibid. n. LXXIII. Spiritus Flechier, &c. Conditus est in sacello, quod in æde cathedrali construxerat, ex præcipuis ejusdem ornamentum; ante cujus tumulum amicissimus illi Nicolaus de Lamoignon de Baville Occitaniæ præfectus posuit hoc epitaphium marmoreæ tabulæ insculptum.

Hic jacet
Spiritus Flechier
Nemausensis episcopus
Ingenii atque litterarum omnium laude ac patrocinio
Inter academiæ Franciæ proceres clarus:
Splendida, gravi, accurata, vera ac perfecta eloquentia
Inter sacros oratores illustris:
Sola virtutis commendatione
Ad ordinarii serenissimæ Delphinæ eleemosynarii munus,
Inde ad episcopalem dignitatem vocatus,
Vitæ integritate, pietate sincera, benigna in suos caritate,
Christianæ religionis studio constanti & innoxio;
Suavissima morum simplicitate
Commissum fidei suæ populum ita sibi conciliavit,
Ut inter luctuosissimos Sebennarum tumultus
Et insanos perduellium furores,
Securus ac pacatus vixerit,
Carus omnibus;
Iis etiam, quos sapientissimis consiliis ac salutari doctrina
Ad bonam mentem revocare non potuerat;
Anno ætatis LXXX.
Nec minus suis, alienisque flebilis, ac defletus
Obiit
Anno R. S. H. MDCCX. die XVI. Febr.
Nic. de Lamoignon apud Occit. præfectus
Posuit.

Col. 464. n. LXXIV. Johannes, &c. solemni pompa in possessionem inductus est 23. Nov. 1711.

Col. 465. lin. 2. *adde*, Jacet in conditorio episcoporum in sanctuario ecclesiæ cathedralis, biduo post mortem inibi repositus.

LXXV. Carolus Prudentius de Becdelievre vicarius generalis episcopi Petragoricensis, nominatus a rege episcopus Nemausensis 3. Julii 1737. inunctus fuit Parisiis in sacello Seminarii S. Sulpicii die Dominica 12. Januarii 1738. ab archiepiscopo Senon. assistentibus Lingonensi & Blesensi episcopis. Regi fidem dixit 10. Febr. anni ejusdem.

Col. 467. n. XXII. *adde* Anno 1337. commutationem fecit cum fratribus de Monte Carmelo.

Col. 468. n. XLI. Nicolaus, &c. *adde* consobrinus Anthymi Dion. Cohon episcopi, memoratur ab auctore laudato 1657. mortuus paulopost ex accepto in seditione vulnere. Fallit ergo necrologium laudatum an. 1654.

Col. 472. & seqq. abbatibus Psalmodii addendi qui sequuntur ex schedis D. Marchionis d'Aubays.

Elvantunirus ex chronico S. Theoderici Uccticensis.
Theobaldus ex litteris Caroli Calvi an. 842.
Bernardus de Anagia an. 1272.
N. XLVI. Guillelmus de S. Felice obiit 1483.
Post Martinum de Beaune an. 1511. n. XLIX. sequuntur
Hieronymus de Canossa 1523.
Ludovicus de Canossa episcopus Bajocensis 1529.
Reginaldus de Martigni 1531. n. L.
Johannes de Luxembourg sub quo facta saecularizatio an. 1537. & 1538.
Barnabas de Fayolles 1551. &c. n. LI.
Franciscus de Fayolles 1571.
Johannes de Fayolles 1590.
Marcus de Calviere 1606. ad 1613. n. LII.
Johannes de Calviere Marci germanus n. LIII. ad 1632.
Franciscus de Calviere praecedentis nepos ad 1646.
Antonius de Calviere ad 1656.
Ludovicus de Calviere ad 1690.

Col. 508. Franciscus de Beringhen episcopus Aniciensis dimissa praepositura de Pignano, obtinuit commendam S. Egidii Nemausensis mense Martio 1738.

Col. 519. & seq. Praeter jam laudatos hi recensentur ex chartulario Nemausensi a D. d'Aubays abbates Sendracenses.
Willelmus de Turre 1206.
Poncius de Servieres 1238. 1240. 1246.
Bernardus de Soucanton 1248. 1254.
N. IV. Guillelmus d'Avignon 1275. &c.
Petrus de Bariac 1288. 1291.
Bertrandus de Montredon 1312.
Poncius de Castanet 1319.
N. VII. Petrus de Mourals 1338.
Petrus de Sujols 1341.
Petrus Folcrandi 1357. 1360.
Philibertus de Coco 1405.
Johannes de Ulmo 1440.
N. XI. Johannes de Sorbieres jam an. 1461.
Honoratus de Baschi 1497.
Gilbertus Franconin 1545.
Christophorus de Cermont 1585. ab aliis omittitur.

Jacobus de Rives in decretis baccalaureus, monachus S. Aniani dioecesis S. Poncii Tomeriensis, nominatus a monachis S. Victoris Massil. obtinuit hanc abbatiam a Victorina pendentem, die penultima mensis Octobris an. 1596. ex archivo capituli S. Victoris.
Baptista Fortune 1600.
N. XIII. Henricus Rotundi de Biscaras.

Col. 523. Grasseius commendatarius Salviensis contulit beneficium 7. Octob. 1595.

MArchionis supra laudati beneficio sic emendavimus praepositos Ucceticenses col. 651.
Johannes Milonis 1430.
Petrus Textoris 1444.
Guillelmus Masse 1480.
N. XXVI. Petrus Tortosi 1507. &c.
N. XXXI. Rodolfus Roy 1626. post quem in serie D. d'Aubays sequuntur
Petrus Malhot 1667. quem evicit
Raimundus Bonnet electus a capitulo 1675.
Johannes Baptista de Bellan 1685.
Jacobus Marsolier 1707. Cessit.
Michaël Glué de Pinville 1709.
Egidius Ignacius Huart electus 1718. quo praeposito regula soluti canonici. Cessit 1727.
Nicolaus de Brisacier possessionem iniit 1730.
Antonius Froment d'Argiliers permutavit an. 1733.

Col. 1054. A. lin. 6. Disceptatus a nobis inter episcopos Helenenses reponendus Berengarius qui canonicorum numerum in ecclesia Helenensi definiit III. id. Julii anno 1287. chart. XVIII. col. 489.

NOnnullae quoque, dum sub praelo sudat volumen, factae sunt mutationes, quas hîc repraesentare operae pretium duximus.

Col. 403. *sub finem*, N. de Villevert a rege designatus est commendatarius Juncellensis 3. Julii 1737. in locum Johannis Josephi de Massillan defuncti.

Col. 601. Ludovicus de la Tour du Pin de Montauban episc. Telonensis & commendatarius Gellonensis obiit 12. Sept. 1737. cui successit N. de Lastic vicarius generalis episcopi Tarbeiensis designatus 4. Aprilis 1738.

Col. 823. Carolus Joachimus Colbert episcopus Monspeliensis testamento condito anno 1727. omnia sua pauperibus & ecclesiis legavit. Obiit 8. Apr. 1738. circa horam 2. pomeridianam Monspelii annum agens 71. sepultusque est in hospitali domo, ut praescripserat.

Georgius Lazarus Bergier de Charenci ab ecclesia S. Papuli ad Monspeliensem a rege traductus est mense Apr. 1738.

Col. 853. *in extremo* N. de Chevriers reginae ab eleemosynis & decanus metropolis Lugdunensis a rege designatus est commendatarius Anianensis 4. Aprilis 1738. in locum Ludovici de la Tour du Pin episcopi Telonensis defuncti.



INSTRUMENTA
AD TOMUM VI.
GALLIÆ CHRISTIANÆ
IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ
SPECTANTIA.

QUÆ PERTINENT AD PROVINCIAM NARBONENSEM.
ECCLESIÆ METROPOLITANÆ INSTRUMENTA.

I.

Ex veteri Gall. Christ.

Formula judicii missorum dominicorum Caroli magni pro Daniele archiepiscopo, jam edita in t. 2. capitularium, p. 1394. & in prob. novæ hist. Occitan. p. 24.

782.

IN Dei nomine, hæc est notitia traditionis judicius. Cum residerent Missi a gloriosissimo, atque excellentissimo domino nostro Carolo rege Francorum in Narbona civitate, die Martis propter multorum altercationes audiendas, & rectis negotiis terminandis, terminatione eorundem Missorum, id est Galterii, Adalberti, Fulconis, & Gibonii Vassorum, & Dominicorum, id est Rodestagni, & Abundantii, & Judices qui missi sunt causas dirimere, & legibus definire, id est Gontarius, Discolius, Leodericus, Petrus-Bona-vita, Sigfredus, & alii boni homines, qui ibidem aderant, id est Garibertus, Vidalus, & Galbertus, Arvinus, Vicar, Wisulfus, Arila, Samuel, Donadeus, Agemundus, Ursio, Agimirus, Anselmus, Warnarius eo in judicio, vel præsentia, quos causa fecit esse præsentes; cum, inquam, inde præscripti Missi & judices, vel plures boni homines in Narbona civitate residerent, ad causas dirimendas, ad eorum judicium veniens Arluinus assertor, & causidicus, & mandatarius Danihelis archiepiscopi ordinatione regis » nostri Caroli dixit. Jubete me audire cum isto præsente Milone comite, quia multas villas seu possessiones sanctorum Justi & Pastoris, & S. Pauli & S. Stephani, quæ sunt in pago Narbonensi, iste retinet injustè, quorum hæc sunt nomina, Quintianus, & Mujanus, singulæ ex medietate, villa Puteus Valerii, Baxanius, Malianus, quæ villæ duæ sunt ultra Pontem Septimium sanctorum Justi & Pastoris ab integro, villa Antonianus, Trapalianicus, Paredina, Agellus, Medullanus, Buconianus, Fallopianus, Amojanus ex medietate, Magrinianus, Leaulæ, Centumpinus, Christimanicus, Petrurio ab integro, Cavato, Troilo, Laurcolis, Curta oliva media, Prexanus media, Caunæ, &c. Has omnes villas, quidquid scilicet in eis debet habere archiepiscopus, Milonem totum tenere injustè certis approbavit conditionibus. Tunc interrogaverunt missi, & judices prædictum Milonem, an ita esset, & super hujusmodi respondere jusserunt: ad hoc Milo respondit, ipsas villas rex Carolus mihi dedit in beneficium. Missi igitur & judices Dominici & Vassi quæsiverunt à Milone, utrum posset habere judicium vel testes quibus » hoc suis partibus vendicaret. Milo ad hæc. Nec » judicium veritatis, nec testimonia hinc habeo, sed nec ullo tempore habere potero, vel habere spero. « Interrogatus ergo Arluinus, an haberet assertionis « suæ testimonia. Habeo, inquit, plurima & illico « protulit: procedunt igitur testes veraces & legitimi, « &c. dicentes; vidimus Danihelem archiepiscopum « has villas supradictas cum omnibus suis finibus & « terminiis habentem ab integro; & hoc juraverunt « in præsentia prædictorum judicum in ecclesia B. Mariæ, quæ sita est infra muros civitatis Narbonæ: cognita igitur veritate & probata, redditæ sunt Arluino causidico villæ, quas calumniabatur, & Miloni exemptæ; unde gavisus est Arluinus plenariam se excepisse justitiam: Data judicio notitia traditionis tertio nonas Julii, anno 14. Caroli regis Francorum. Signum Milonis qui hanc notitiam traditionis judicii, & evacuationis feci, & firmari rogavi. S. Gariberti, & aliorum; ego Valtarius notarius Bosonis hanc notitiam traditionis judicii scripsi die & anno quo supra.

II.

Ex nova hist. Occitan. t. 1. pag. 26.

Acta Narbonensis concilii sub Danihele archiepiscopo.

788. melius 791.

ANno Incarnationis D. CC. LXXXVIII. ind. XII. gloriosissimo quoque domino imp. Carolo regnante anno 23. quinto cal. Julii: dum pro multis & variis ecclesiasticis negotiis, præsertim pro Felicis Urgelitanæ sedis episcopi pestifero dogmate grassante, monente per suæ authoritatis litteras domno apostolico Adriano, ac domno imperatore per missum suum nomine Desiderium, convenissemus urbem Narbonam, intra basilicam SS. Justi & Pastoris: ego scilicet Danihel licet indignus atque peccator, gratia tamen Dei sanctæ metropolitanæ præmissæ urbis episcopus, necnon & Elisantus Arelatensis episcopus, cum plurimorum collegio venerabilium episcoporum, una cum authoritate domini apostolici, missoque prædicto domni imperatoris Caroli, inter cætera quæ veraci sermone finem acceperunt, orta est querela coram nobis omnibus de parochia Narbonensi. Unde præcipiente domino imperatore, subtili examinatione, & speciali ob prolixas altercationes terminari jusserat; de qua Danihel episcopus per testes idoneos, Justum scilicet Agathensem episcopum, & Witeringum Nemausensem episcopum, atque Amicum Magalonensem comitem, ceterosque quamplures discutiendo elucidans, totum Reddensem pagum super Winedurium Heltnensem episcopum justissime evindicavit, & marginem parochiæ Narbonensis ex alia parte, usque ad fluvium qui vocatur Orbus, quandiu vocabulum suum idem

comitatus retinet, superius & inferius perduxit, plenissime ratione Vulfegarii episcopi Biterrensis cum prædictis testibus superata. Præterea idem Danihel archiepiscopus de Ausonensi parochia rationem adhibens, ostendit quod nullo modo episcopum ponere illuc potuisset ob paganorum infestationem, & quemadmodum Deo auxiliante per antecessoris sui industriam, quondam ibidem hæresis extincta fuerit; & quia ejusdem pagi plebs, sicut quidam eorum in præsentia retulerunt, nulli parochiæ adhærere vellet, nisi Narbonensi ob principalitatem tantæ sedis præcipuæ; cujus archiepiscopi salubrem esse rationem comprobantes, pro prædictis commoditatibus, & ne confinio Hispaniæ occasionem tristitiæ ingereremus, unanimiter justo perpendimus examine, ut nulli sedi deinceps sociata habeatur, nisi Narbonensi, servata verumtamen authoritate, si per se episcopum habere nequiverit. Rogamus igitur cunctos subsequentes nos, & hoc nostræ authoritatis decreto confirmamus, sancimus, stabilimus tam de Reddensi pago, quam etiam de Ausonensi, sive confinio Narbonensi & Biterrensi, quod est Orbus, ut sicut coram nobis discussum & comprobatum est, ita inconvulsum & incontaminatum, nullius contradictione valente imperpetuum permaneat. Si quis vero nostram communem contemnens diffinitionem per aliquam insidiam aut subreptionem hoc nostræ firmitatis decretum infregerit, aut aliqua machinatione violaverit, si ordine ecclesiastico est adunatus, canonica sententia irrecuperabiliter feriatur sicut temerator tanti concilii & decreti. Quod si laïca potestas in hoc se per atrocitatis violentiam miscuerit, nisi a temeraria præsumtione se citissime subtraxerit satisfaciendo quod deliquit, digna ultione totius anathematis sit undique & ubique multatus, Domini nostri Jesu Christi & nostra auctoritate vigente. Ut autem hoc nostræ firmitatis decretum certiorem roborationis obtineat vigorem, manus nostræ subscriptione illud roborare studuimus.

In Christi nomine Danihel Dei miseratione sedis Narbonensis metropolitanæ ecclesiæ episcopus hujus decreti institutione subscripsi.

Ego Elefantus primæ sedis Arelatensis episcopus confirmavi. Desideratus Diensis episcopus subscripsi.

Ego Salicus Arausicensis episcopus.

Ego Arricho Tolosanæ sedis episc. confirmavi.

In Dei nomine Donadeus Wappencensis episcopus.

Ego Francolinus Conseranensis episcopus subscripsi.

Ego Lupus Cavallionensis episcopus subscripsi.

Ego Arimundus Uceticensis episcopus S.

Ego Hiscipio* Carcassensis episcopus subscripsi.

In Christi nomine Magnicus Adtensis episcopus subscripsi.

Witeringus Nemausensis episcopus confirmavi.

Felix episcopus Urgellitanæ sedis subscripsi.

Ego Bonitus Valentinæ sedis episcopus S.

Ego Justus Agathensis episcopus subscripsi.

Ego Adaulfus Jerundensis episcopus subscripsi.

In Christi nomine Wenedurius *Heltnensis* episc. S.

Ego S...* Barcinonensis episcopus S.

Ego Autbertus Antipolitanæ sedis episc. subscripsi.

Ego Johannes Cimelanensis episcopus S.

Ego .... Forojuliensis episcopus S.

Ego Johannes Madolonensis episcopus S.

Ego Asinarius Vicujuliensis episcopus S.

Abraham Commenensæ sedis episcopus S.

Ego Amatus Carpentoratinensis episcopus S.

Ego Ragenbaldus diaconus Dunensis vocatus episcopus S.

Ego Ansebrandus diaconus ad vicem Landeberti Eglinensium episcopi S.

Ego Riccimirus indignus presbyter ad vicem Wulfegarii sedis Biterensis episc. S.

Ego Arricho cancellarius ac si indignus presbyter hoc decretum scripsi die & anno quo supra.

* al. Hispicio.

* Servideus.

In eadem nova Occitaniæ historia plura sunt diplomata pro Caunensi abbatia ann. 791. 794. & 801. pagg. 28. & 29.

III.

Præceptum Ludov. Pii imperatoris pro Nifridio archiepiscopo.

Ex veteri Gall. Christ. — 814.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imper. Augustus, &c. Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris tam præsentibus quam futuris, quia vir venerabilis Nifridius Narbonensis urbis archiepiscopus, adiens obtutibus nostris deprecatus est mansuetudinem culminis nostri, ut matrem ecclesiam ipsius civitatis, quæ est in honore SS. Justi & Pastoris, vel S. Mariæ semper virginis cum monasterio S. Pauli confessoris, ubi ipse sanctus corpore requiescit, quod est constructum haud procul ab eadem urbe, cum omnibus moderno tempore sibi subjectis, sub nostra defensione, & immunitatis tuitione consistere faceremus. Cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam eorumdem sanctorum, aurem accommodare libuit, & hoc nostræ authoritatis immunitatisque præceptum erga eandem ecclesiam facere, per quod decernimus atque jubemus, ut nemo ex judiciaria potestate, nec ullus ex fidelibus nostris in ecclesias, aut loca, vel agros, aut reliquas possessiones, quas præsenti tempore possidet, vel ea, quæ deinceps in jure atque potestate ipsius ecclesiæ divina pietas voluerit augere, ad causas audiendas, vel freda & tributa exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ tam ingenuos, quamque & servos distringendos, vel ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris aut futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat, sed liceat memorato præsuli suisque successoribus sub nostra defensione, quiete residere, & nostro parere imperio, & quidquid jus fisci inde exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione eidem concedimus ecclesiæ, ut perpetuis temporibus clericis ibidem Deo servientibus proficiat in augmentis, quatenus rectores ejusdem ecclesiæ cum omnibus ad se pertinentibus, cum clero & populo sibi subjecto, pro nobis & conjuge proleque nostra ac totius imperii a Deo nobis per immensam Domini misericordiam commissi, alacriter exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostræ præceptionis a fidelibus S. Dei ecclesiæ & nostris verius credatur, & diligentius conservetur, eam manu propria subscripsimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Ludovici piissimi Augusti. S. Durandus diaconus, ad vicem Elisachar recognovit. Data IV. kal. Jan. anno Christo propitio I. imperii domni nostri Ludovici piissimi Augusti indict. VIII. Actum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

IV.

Diploma Caroli Calvi regis, Berario archiepiscopo concessum.

Ex autographo. — 843.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex. Cum petitionibus sacerdotum justis ac rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos Dei gratia muniri non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris tam præsentibus quam & futuris, quia vir venerabilis Berarius Narbonensis urbis archiepiscopus adiens obtutibus nostris deprecatus est mansuetudinem culminis nostri, ut matrem ipsius ecclesiæ civitatis, quæ est in honore sanctorum Justi & Pastoris vel sanctæ Mariæ semper Virginis, cum monasterio, quod dicitur sancti Pauli confessoris, ubi ipse sanctus corpore requiescit, quod

est constructum haud procul ab eadem urbe, cum omnibus moderno tempore sibi subjectis, sub nostra deffensione & immunitatis tuitione consistere faceremus, id est tam illo atrio toto cum omni integritate infra Narbonam cum turribus, atque earum extrinsecus adjacentiis, quam abbatiis, villulis, vel territoriis ad eandem ecclesiam pertinentibus: cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam eorumdem sanctorum aurem accommodare libuit, & hunc nostræ authoritatis immunitatisque præceptum erga eandem ecclesiam facere. Similiter autem concedimus eidem ecclesiæ sicuti hactenus a prædecessoribus nostris, Pipino videlicet rege, & deinceps concessum est illi, medietatem totius civitatis cum turribus & adjacentiis earum intrinsecus & extrinsecus cum omni integritate & de quocumque commercio ex quo teloneus exigitur vel portaticus, ac de navibus circa littora maris discurrentibus, nec non salinis, quidquid & comes ipsius civitatis exigit pro opportunitate ejusdem ecclesiæ in omnibus medietatem; per quod decernimus atque jubemus ut nemo ex judiciaria potestate, nec ullus ex fidelibus nostris in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas præsenti tempore possidet, vel ea quæ deinceps jure & potestate ipsius ecclesiæ divina pietas voluerit augeri, ad causas audiendas vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paradas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ tam ingenuos quamque & servos distringendos, aut ullas redibitiones aut inlicitas occasiones requirendas nostris aut futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat; sed liceat memorato præsuli suisque successoribus sub nostra deffensione quiete residere & nostræ parere jussioni; & quidquid jus fisci exinde exigere poterat totum nos pro æterna remuneratione eidem concedimus ecclesiæ, ut perpetuis temporibus clericis ibidem Deo servientibus proficiat in augmentum, quatenus rectores ipsius ecclesiæ cum omnibus ad se pertinentibus cum clero & populo sibi subjecto pro nobis & conjuge proleque nostra ac totius regni a Deo nobis .... concessi, Domini misericordiam alacriter exorare delectet; & ut hæc nostræ præceptionis authoritas a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur & diligentius conservetur, eam manu propria subscripsimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Jonas diaconus ad vicem Hludovici recognovit & subscripsit. Data XII. kalendas Julii indictione sexta anno quarto regni præstantissimi regis Karoli. Actum in cœnobio S. Saturnini martyris juxta Tolosam in Dei nomine feliciter, amen.

V.

Ex autographo.

Diploma Caroli Calvi regis pro Centullo abbate S. Polycarpi.

844.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus Dei gratia rex. Si ea quæ dictis imperialibus domni ac genitoris nostri Hludovici piissimi Augusti largita vel roborata sunt atque decreta nostræ mansuetudinis præcepto firmamus, regiam consuetudinem exercemus: idque nobis maxime in ecclesiarum & servorum Dei causis ad æternam mercedem proficere nobis confidimus. Idcirco notum fieri volumus... omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum, quia sicut in privilegio dicti domini ac genitoris nostri immunitatis defensionem atque tuitionem monasterio S. Polycarpi quod situm est in pago Redensi, seu Centullo venerabili abbati & ejus successoribus, necnon & monachis in eodem monasterio consistentibus per hoc clementiæ nostræ firmamus edictum, per quod constituentes decernimus, ut sæpe dictum monasterium & in eo regulari ac monastico ordine viventes amodo & deinceps, cum omnibus ad se *pertinentibus*, vel appenditiis atque adjacentiis seu terminis suis, necnon & cum gaiano villaris, sive cum rebus quas Austrimirus ei monasterio contulit, & in pago Helenensi, quorum sunt nomina Palatiolus & Salellas, seu & cum cella in pago Carcassensi conjacenti, quam idem Austrimirus ad eumdem monasterium delegavit, cujus vocabulum est Cornicianum, cum omnibus nihilominus quæ deinceps a Deum timentibus hominibus ad idem conlatum fuerit sub nostra successorumque nostrorum tuitione in perpetuum maneat: videlicet ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, aut ullus ex fidelibus nostris tam præsentibus quam futuris ad cellas aut in ecclesias, vel loca, aut agros vel reliquas possessiones, quas nunc in villis aut pagis & territoriis possidet, vel quas deinceps fidelium devotio ibidem augere voluerit, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, hominesque distringendos, vel quascumque redhibitiones, aut inquietas occasiones requirendas nostris futurisque temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato abbati suisque successoribus res ejusdem monasterii cum omnibus ad se pertinentibus sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere. Petiit etiam idem venerabilis abba *Centullus* celsitudinem nostram, ut homines liberi commorantes infra terminos ejusdem monasterii, quos præfixerunt auctoritate domini ac genitoris nostri Gauselmus & Bernardus comites, terras quas ex eremo traxerunt quiete possideant, & congruum obsequium, sicut homines ingenui, exinde eidem monasterio exhibeant, ne eorum ingenuitas vel nobilitas vilescat. Hi vero pagenses qui extra terminum ejusdem monasterii manent, & terras infra fines præfati monasterii habent, si eorum voluntas fuerit, de ipsis terris commutandi vel venundandi per hoc nostræ auctoritatis præceptum ad eumdem monasterium licentiam habeant, & ipsa emptio vel commutatio plenissimam præsenti nostræ auctoritatis edicto in omnibus obtineat firmitatem. Quando quidem autem divina ordinatione supradictus abba vel successores ejus ab hac luce migraverint, quandiu ipsi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam S. Benedicti regere & gubernare valeant, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant ex semetipsis abbates eligere, quatenus servos Dei qui ibidem Deo famulantur pro nobis, conjuge, proleque nostra & stabilitate totius regni nostri Domini immensam misericordiam jugiter exorare delectet. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas nostris successorum nostrorumque temporibus inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Karoli gloriosissimi regis. Ascharius presbyter ad vicem Hludovici recognovit .... gloriossimo rege indict. VII. Actum Tolosa civitate in Dei nomine feliciter.

VI.

Ex autographo.

Diploma Caroli Calvi regis, Fredolo archiepiscopo concessum.

856.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus Dei rex. Si sacris locis divino cultui mancipatis aliquid ex juris nostri rebus seu facultatibus conferre studemus, non solum in hoc regiam exercemus consuetudinem, sed maximum regni nostri munimen in hoc, agente divina gratia, esse nullatenus dubitamus: Quapropter noverit omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque tam præsentium quam & futurorum solertia, quia complacuit clementiæ serenitatis nostræ, ut ob Dei amorem nostramque in futuro ab ipso piissimo judice retributionem quasdam res nostræ proprietatis...... sanctæ matris ecclesiæ Narbonensis, seu Redensis, quæ fundata esse dinoscitur in honore bea-

torum martyrum, Justi & Pastoris, cui sedi præsidere cognoscitur divina vocatione Fredoldus venerabilis archiepiscopus : quæ res sunt sitæ infra Narbonensem pagum, hoc est in villa quæ nuncupatur Ventenachus, quicquid ibidem de fisco nostro esse dinoscitur, & in eodem pago in alio loco qui appellatur S. Saturninus in Licia, quicquid etiam ibidem esse videtur de regia dominatione, sub ea integritate, qua Thodosius quondam ipsas res acquisisse dicitur super Narbonensis sedis pontificem; unde etiam altitudinis nostræ preceptum hoc fieri jussimus per quod memoratas res cum omnium rerum summa integritate, cum vineis, silvulis, terris cultis & incultis, ecclesiis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus & omnibus exterminationibus cum terminis & omnibus integritatibus, totum ac integrum veluti præmemoratum est, præscriptæ sanctæ matris ecclesiæ beatorum Justi & Pastoris partibus de nostro jure in jus ac potestatem ecclesiasticam solemniter transferimus, perpetualiterque habendas delegamus, sicut reliquas res ejusdem sanctæ sedis ecclesiasticas, videlicet ut præscriptæ ecclesiæ memoratus archiepiscopus Fredoldus eas recipiens ecclesiastico jure in usibus jam fatæ ecclesiæ tam ille, quamque sui successores per labentia tempora ordinent canonice atque disponant. Ut autem hæc nostræ munificentiæ auctoritas valeat perdurare, manu propria subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum Karoli gloriosissimi regis. Gisslebertus notarius ad vicem Hludovici recognovit. Data XV. cal. Martii indictione IV. anno XVII. regni domni nostri Karoli gloriosissimi regis. Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter, amen. Hudolricus inclitus comes & marchio hoc ambasciavit.

Aliud exstat ejusdem pene tenoris, & eorumdem diei & anni, in appendice actorum veterum ad capitularia, tom. 2. p. 1466.

VII.

Ex autographo Caunensi.

Judicium à Beraldo Vicecomite aliisque Judicibus datum, in gratiam Danielis abbatis Caunensis, cui Sarclanus villa cum appendicibus asseritur, agente Uniforte monasterii mandatario adversus Hictorem.

Circa 873.

JUdicio Beraldo Vicecomes & Judices qui jussi sunt kausas dirimere vel legibus definire, idest Witesindo, Haigone, Wlfino clerico, Sentegedo, Godogerto judicum Seo in pr . . . .
. . . .
. . . . undilane Hucare Wricane Imorico Baldomare, Anteo Flavione Quiricone Amalberto vel aliis quam plures bonis homines . . . . ibidem . . . . ante kastro Minerba per multorum hominum altercationes audiendas & negotiis causarum derimendis vel rectis & justis judiciis finiendis ibique in supra dictorum judicio . . . . veniens homo nomine Hictor; & sic interpellavit vel malleavit homine nomine Uniforte qui est mandatarius Daniel abbate, vel de cuncta congregatione sanctorum apostolorum Petri & Pauli monasterii Caunensis, qui est fundatus in territorio Narbonense in suburbio Ventalonense super fluvio Argentoduplo . . . . mihi justitia . . . . Uniforte kasas, curtes exia & regressa eorum orto cum arboribus terras & vineas quæ sunt in villa Sarclanus vel infra ejus terminio . . . . ante vos præsento ad relegendo ipsi monaci cujus iste Uniforte mandatarius est hoc retinent, & mihi hoc contendent malum ordine . . . .
. . . . . . Uniforte mandatario de jam dicto abbate vel ipsius congregatio quid ad hæc respondere veles de hac causa. Unde iste Hictor . . . . . . Uniforte præsens astetit & . . . . dixit ipsi monaci non hoc retinent malum ordine nec injuste, qui scripturas exinde abent. Tunc ordinavimus . . . . .
. . . . quomodo in placitum constituerunt in dies . . . . . . sic semper seutire faciat, cum ipsas scripturas de ipsos monachos . . . .
. . . . tura invenimus in ea quomodo Julius condam ille eam fecerat ad homine nomine Godescalco presbytero, & invenimus in ipsa scriptura in suum. . . . . . . dat . . . . . . anno septimo imperante domno nostro Ludovico imperatore quod fuerat facta, & invenimus in alia scriptura fecit & vendidit Eldebrandus, cum uxore sua Ermetructe Godescalco presbytero & ipse Godescalcus presbyter si hoc donavit & tradidit per scripturam donationes ad Egigane abbate vel ad Congregatione sanctorum apostolorum Petri & Pauli monasterii Caunensis, & invenimus in ipsa scriptura quod Eldebrandus fecit cum uxore sua Ermetructe ad jam dicto Godescalco presbytero in suum . . . . tertio quod fuerat facta scriptura regnante Karolo rege. Itaque nos Judices cum vidissemus quod ipsas scripturas sic erant annuimus & terminum legitimum . . . .
. . . . mus cum supradicto Hictori si sunt bonas, aut veras ipsas scripturas quem Unifortes præsentat ad relegendum aut legibus factas. Jam dictus Hictor ibidem præsens adstetit & dixit ipsas scripturas quas Unifortes mandatarius præsentat ante nos ad relegendum de supradicta kasas, ortos, terras & vineas bonas esse, & veras, & legibus factas & nulla . . . . tracas opponere non possum per nullo modo. Nos vero Vicecomes Seo & Judices cum vidissemus, quod jam dictus Hictor ante nos professus fuisset . . . ordinavimus eum ut sua . . . . exinde fecisset, sicut & fecit ubi insertum habet. Recognosci me ego Hictor quod negare non possunt de . . . .
Uniforte qui est mandatarius Daniel abbate vel cuncta Congregatione sanctorum Petri & Pauli monasterii Caunensis, quod est fundatum in territorio Narbonense, suburbio Ventalonense super fluvio Argentoduplo de kasas, curtes, exia & . . . . ortos cum arboribus terras & vineas in villa Sarclanus, vel infra ejus terminio, & . . . quod . . . . devet esse per meas scripturas emtiones quas ante vos præsento ad relegendum . . . . Unifortes mandatarius Daniel abbate vel ipsa Congregatione scripturas præsentat ad relegendum una quod fecit Julius condam vinditiones ad Godescalco presbytero de quantum ibidem avebat . . . .
. . . .
. . . . in jam dicta villa Sarclanus & alia scriptura . . . . . ipse Godescalcus fecit . . . . . sancto Petro & Paulo . . . . vel ipsa Congregatione de quantum quod ille avebat in jam dicta villa Sarclanus . . . . . terminio & ipsas kasas
. . . .
. . . . instructa suplica unde vos Judices me Hictore interrogastis una & alia, & tertia vice si erant ipsas scripturas . . . . Unifortes mandatarius præsentat bonas aut veras, aut legibus factas. Taliter verò interrogatus ego Hictor & sic professus sum ante vos Judices quod ipsas scripturas . . . .
de supradicta congregatione præsentat ad relegendo de quantum ipsi monaci ibidem retinent in jam dicta villa vel infra ejus terminio ipsas scripturas veras & legibus factas, & nullam infamiam contra eas oponere non possum neq... in isto placito, nec in alio, nec odie, nec nullo tempore, & de injusta petitione de . . . .
. . . . . . isto Uniforte malum ordine . . . . . .
. . . & odie per legem & justitia plus devet esse ipsas kasas, curtes, verdugarius, ortus, exia vel regressa eorum terras & vineas ad supradicto Daniel abbate,

vel ipsius congregatione per illorum scripturas emtionis vel donationis quam de me . . . . de . . . ullum . . . . ominem & . . . . profectionem scripta & firmata de manum de Hictore & bonis ominibus & judices . . . . . . ordinavimus supradicta Uniforte mandatario de supradicto monasterio, ut secure obtineat ipsum alode absque damnum & kalumnia & gaudeant se. . . . . . in nostro judi . . . . . clara per . . . . justitia & deincebs . . . . . . s kausatio de Hictore sopita & ducta & inculcata permaneat omni tempore. Dato Judicio sub die XVI. kalendas Julias anno regguante domno nostro Karolo rege.

VIII.

Ex MS. cod. Colbertino.

Charta, ex qua constat Fredoldum archiep. Narbon. debitorem erga Caunense monasterium decessisse.

Edita est in prob. novæ hist. Occitaniæ, t. 1. p. 124.

873.

CONditiones sacramentorum ad quas ex ordinatione Salamon misso [a] Isemberto [b] sed & judices qui [c] visi sunt causas dirimere vel legibus diffinire, [d] id est Wittesindo, Medemane, Uniforte, Argefredo, [e] Aragone judicum, & Wlfino clerico, [f] Ebadourio, Salone vel aliis quamplures bonis hominibus, qui cum ipsis [g] ibidem aderant in mallo [h] plubico ante castro Minerba, id est in præsentia Baldomare, Gildemiro, [i] Injuvrico, Johanne, Leomargo, Stavilo, [k] Asserico, Amalberto, Bellone, Adroario, Anteo, Ildefredo, Daniel, Wilierico, Flavione, [l] Resinimiro, & Licinio testificant & jurant testes prolati, quos profert homo nomine Unifortis, qui est mandatarius de homine nomine Daniel abbate, vel cuncta congregatione monasterii sibi commissa monachorum S. Petri apostoli Christi, cujus ecclesia sita est in pago vel territorio Narbonense suburbio Minerbense juxta fluvium, quem vocant Argenteduplum in facie de supradicto misso vel judices, vel aliis quamplures bonis hominibus, qui in ipso placito cum ipsis residebant propter res vel debitum, quod ad jam dicta congregatione superius scripta monasterii S. Petri, quod eis debebat vel debitor erat homo nomine Fredaldus archiepiscopus de Narbona civitate sedis Narbonensis S. Justi & Pastoris vel sua congregatione ibidem comissa, quando mortuus fuit Fredaldus archiepiscopus debitor erat ad jam dicta congregatione monasterii superius scripta SS. Petri & Pauli solidos 400.* propter vinos & annonas, argentum, mulos, & cavallos, vel vestimenta, quod præstavit & vendidit Egiga abba de jam dicto monasterio & sua congregatio, qui ab eo tempore ibidem erat commissa; simul pariter & nomina testium, qui hoc testificant & jurant, hæc sunt, Asenarius, Ilpericus, Stephanus, Wifredus, Maquancius, Magnaldus, Venerandus, Franco, Amannus, Inwirannus, Adalbertus, Aigobertus, Reculsus, Bonaricus, Bellus, Alaricus, Ermenfredus & Salomon, qui Jurantes a. . . . dicimus per Deum patrem omnipotentem & Jesum Christum filium ejus, sanctumque Spiritum, qui est in Trinitate unus & verus Deus, & per hæc locum venerationis S. Nazario martyre Christi, cujus ecclesia sita est ante castro Minerba super cujus sacrosancto altario has conditiones superpositas manibus nostris præsens continemus vel Jurando contingimus, quia nos jam dicti testes sumus & bene in veritate notum habemus & vidimus & præsentialiter fuimus in jam dicto monasterio superius scripto, quando jam dictus Fredaldus archiepiscopus in itinere venit in jam dicto monasterio S. Petri & Pauli, & sic recepit ipsa annona & ipsum vinum, id est in primis modios viginti de frumento & viginti de vino valentes solidos septuaginta, inter mulos & cavallos & prunia & alias res valentes solidos quadringintos & alias plures res, quod jam dictus Egiga abbas & presbyter quidam, qui fuit de jam dicto monasterio S. Petri & Pauli & sua congregatio ibidem commissa, & qui adeo tempore erat, præstitum fecit de jam dictas res superius scriptas, ita & vendidi, & quando jam dictus Fredaldus archiepiscopus de hoc seculo obiit, debitor erat justissime de jam dictas res superius scriptas abint esse, sicut superius scriptum esset, ad jam dicta congregatione monachorum vel clericorum ibidem commissa S. Petri & Pauli sicut superius scriptum est; & damus hunc testimonium infra metas temporis, & ea quæ diximus recte & fideliter testificamus de hac causa per superadnixum juramentum. In domino latæ conditiones sub die nono calendas madias anno 33. regnante domno nostro Carolo rege.

Sig. Arenario. Sig. Ilperico. Sign. Stephano. Sig. Wifredo. Sig. Maquancius. Sig. Magnaldus. Sig. Venerandus. Sig. Francone. Sig. Amannus. Sig. Inwirannus. Sig. Adalberto. Sig. Aigoberto. Sig. Reculso. Sign. Bonarico. Sign. Bellone. Sign. Alarico. Sig. Ermenfredo. Sig. Salamon, qui has conditiones juravimus, Inchericus Stabiles.

[a] Iremberta. [b] seo. [c] jussi. [d] id sunt quinque. [e] Eigone. [f] & Adoura, Saïone. [g] in idem. [h] publico. [i] Invuirico. [k] Eingerico. [l] Hermemiro.

* CCCCL.

IX.

Ex chartario Narbon.

Odonis regis privilegium pro S. Theodardo Narbonensi archiepiscopo.

888.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Odo clementia Dei rex. Si sacris ac sanctis locis divino cultui mancipatis aliquid de rebus regni nostri, seu facultatibus conferre studemus, non solum in hoc regiam exercemus consuetudinem, sed maximum regni nostri munimen, auxiliante divina gratia, esse nullatenus dubitamus. Quapropter noverit omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque tam præsentium, quam futurorumque solertia, quia accessit ad clementiam serenitatis nostræ Theodardus venerabilis primæ sanctæ Narbonensis ac Redensis ecclesiæ archiepiscopus, innotescens nobis de paupertate sui episcopatus, & quemadmodum sua sedes & pene omnes ecclesiæ ejusdem civitatis ruinæ jam proximæ existebant: ita ut per ipsum nullatenus possent restaurari. Hæc audientes, immo condolentes, ejusque necessariam & rationabilem petitionem esse cognoscentes, placuit Celsitudini nostræ pro remedio animæ nostræ atque pro ejus tanta deprecatione, quatinus ad eamdem ecclesiam SS. Justi & Pastoris, necne & sancti Pauli confessoris, ubi ipse venerabilis sanctus corpore requiescit, abbatiam sancti Laurentii cum omnibus suis cellulis & villis atque terminis cum summa integritate locorum, veluti in præceptis monachorum ab omnibus antecessoribus nostris piissimis regibus & imperatoribus factis perpetualiter absque ulla contradictione dando concederemus: eo videlicet tenore ut stipendia monachorum ibidem digne degentium juxta vires præsulis non deficiant. Concedimus medietatem salinarum, thelonei, portatici, & rafitæ atque pascuarii, seu thasses, naufragiorum, ad eandem præfatam ecclesiam tam in Narbonensium, quam in Redensi comitatu, undecumque comes vel ejus missus recipere debuerit aliquid exactionem. Donamus etiam fiscos juxta Bassianum-villam, qui vocantur Cesaranus, & villa Argesii: concedimus etiam ipsi ecclesiæ in Redensi comitatu villam, quæ dicitur Capitinarius, quæ alio nomine nuncupatur Trapas cum sua ecclesia, quæ constructa est in honore S. Martini cum omnibus villaribus suis & adjacentiis suis, cum omni integritate absque divisione, silvis & vineis, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarumve decursibus, & omnia ibidem & suis villaribus pertinentia. Si vero infra istam villam villaribus ejus hostolensis vel ipsam fuerint, quicquid jus fisci inde exigere debet, totum ad opus sanctæ matris ecclesiæ Narbonensis jure perpetuo concedimus obtinendum. Fiscus vero qui sunt in Biterrensi comitatu, S. Paulo confessore a longo tempore collatos, & a potestate comitali injuste usurpatos plenissime reddimus atque eidem

ecclesiæ, sicut dignum est, per nostræ auctoritatis præceptum confirmavimus; per quod decernimus atque jubemus, ut nullus judiciariæ potestatis, nec ullus ex fidelibus nostris in ecclesias aut loca, quæ deinceps jure & potestate ipsius ecclesiæ divina pietas voluerit augere, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paradas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ tam ingenuos quam servos distringendos, aut ullas redhibitiones aut inlicitas occasiones requirendas nostris futurisque temporibus ingredi audeant, vel ea quæ supra memorata sunt, vel sicut in privilegiis præsulum Romanorum confirmata sunt, penitus exigere præsumat: sed liceat memorato præsuli suisque successoribus sub nostra defensione quiete residere, & nostræ parere jussioni, & quicquid jus fisci exinde exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione eidem concedimus ecclesiæ, ut perpetuis temporibus clericis ibidem Deo servientibus proficiat in augmentum, quatenus rectores ipsius ecclesiæ cum omnibus ad se pertinentibus, cum clero & populo sibi subjecto, pro nobis ac totius regni nostri stabilimento Domini misericordiam alacriter exorare delectent.* Et ut hoc præceptum nostræ auctoritatis inviolabile æternum obtineat vigorem, manu propria subterfirmavimus, & annulo nostro insigniri jussimus. Signum Odonis gloriosissimi regis. Throarnus notarius ad vicem Ebolonis recognovi & subscripsi. Datum VI. cal. Julii anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCC. LXXXVIII. indict. VIII.* anno III.* regnante domino Odone gloriosissimo rege. Actum Aurelionis civitatis. Askericus Parisiensis episcopus ambaxiavit hoc.

* delectet, ut supra, ch. IV.

* ind. VI.

* an. I. aut 2.

X.

Ex veteri Gall. Christ.

Stephani Papæ VI. privilegium pro ecclesia Narbonensi.

896.

STEPHANUS episcopus servus servorum Dei, Reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Arnusto episcopo primæ sedis sanctæ Narbonensis ecclesiæ, & per te in eadem venerabili ecclesia in perpetuum, &c. Salubribus petitionibus vestris inclinati decrevimus ut a præsenti die, XIV. indictione per hujus nostræ apostolicæ confirmationis privilegium, roboramus, stabilimus, & in perpetuum nostra apostolica authoritate confirmamus. . . . .
. . . . id est omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, sylvas, atque medietatem salinarum & telonei, seu *rafiam, atque naufragii monasterio S. Laurentii, & cellas vel cum adjacentiis, & pertinentiis earum, una cum *famulis utriusque sexus, & alia omnia quæ a piis imperatoribus, & regibus, vel ab aliis Deum timentibus in eadem ecclesia collata sunt vel conferenda, tam in ipso comitatu Narbonensi, quam & Reddensi, seu & Minerbensi, atque Ausonensi, necnon & Biterrensi sive etiam Nemausensi. Hæc vero omnia ita jure firmissimo a te possideri ac dominari volumus, ceu olim possessum est a sanctæ memoriæ decessore tuo Daniele episcopo, seu reverendo Sigebodo ejusdem primæ sedis Narbonensis præsule, sub tua, tuorumque successorum ditione, potestate, ac utilitate omnimodis, confirmantes, statuentes, apostolica censura sub divini judicii obtestatione & anathematis interdicto, ut nulli unquam parvo aut magno homini liceat quamlibet forciam, vel *apprisionem in omnibus rebus ejus facere, aut potestatem aliquam habere, vel aliquem distringere, aut qualecumque teloneum ab eis exigere, sive ad placitum eos ubicumque pro quibuscumque casibus provocare præsumat, nisi in præsentia archiepiscopi causa illorum audiatur & regulariter firmetur. Illud quoque nostra apostolica authoritate juxta canonicam sanctionem nobis addere placuit, ut si quando divina vocatione vos, vestrique successores ex hac luce migraverint, quandiu in ipsa ecclesia Narbonensi repertus fuerit qui dignus sit officio pontificatus ipsius fungi, nulli liceat ex alio loco inibi ingredi, nec jam dictam sibi præditus quacunque dignitate aut regia auctoritate usurpare sedem: sed conventu vicinorum coëpiscoporum occurrere valentium facto alicujus potestatis, benedictionis cleri vel plebis præcipiat dignitatem. Si vero aliquem de suffraganeis coëpiscopis contigerit mori, perquirens metropolitanus electionem plebis ipsius eam visitare studeat, utpote viduatam ecclesiam. Quod si forte ibi talis non repertus fuerit, qui onus sacerdotale ferre queat, per canonicam auctoritatem & nostram apostolicam permissionem licentia sit illi, absque ulla retractatione de sua ecclesia talem intronizare, qui suffraganeæ suæ dignus præesse valeat pastor, &c. Scriptum per manum Nicolai scriniarii S. Romanæ ecclesiæ in mense Augusto, indict. XIV. bene valete. Datum XIII. kal. Septemb. per manum Stephani episcopi S. ecclesiæ Nephesinæ in arcario* S. Sedis Apostolicæ, imperante domino piissimo augusto Arnulpho a Deo coronato magno imperatore, [a] anno primo.

* raficani.

* familiis.

* oppressionem.

* arcarii.

[a] Hic annus primus Arnulphi intelligendus est non de initio imperii ejus in Germania, nam imperare cœpit anno 887. quo anno non sedebat Romæ Stephanus VI. sed V. verum de tempore quo agnitus est Imperator in Italia a Romanis pontificibus, quod contingere potuit anno 896. cui optime convenit indictio XIV. antea quippe Wido Spoletani ducis filius & post eum Lambertus, necnon Ludovicus Bosonis filius, Imperatoris nomen sibi arrogabant.

XI.

Præceptum Caroli regis, cognomento Simplicis, pro Arnusto archiepiscopo.

Ex veteri Gall. Christ. cum additionibus ex tomo I. Anecdot. pag. 58.

899.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus divina propitiante clementia Rex, omnibus marchionibus, comitibus, ducibus, vicariis, judicibus actionariis, seu cunctis reipublicæ administrantibus hoc notum esse volumus; Quia venerabilis sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus Arnustus nostram adiit serenitatem, innotescens auribus clementiæ nostræ, quod in sua parochia, ceu & in cunctis episcopiis, qui in suffragio ipsius positi sunt, gravissima quædam contra jura canonum, atque instituta legum increverit consuetudo, adeo ut comites, atque judices ceu ministri illorum, sacerdotes Domini, sive reliquos ecclesiæ ministros ad placitum suum violenter ducere, & fidejussores tollere, atque eos more laïcorum distringere præsumant. Deprecatus est itaque idem venerandus vir Arnustus tam pro se quam & pro reliquis coëpiscopis & confratribus suis nostram regiam celsitudinem, ut nostro regali imperio ab illorum ecclesiis hoc resecaretur vitium & tam nefanda præsumptio, atque inlicita computaretur consuetudo. Nos vero has præceptionis nostræ literas fieri decrevimus, per quas authoritate regali jubemus, præcipientes, ut nemo comitum, vel judicum, vel quorumlibet publica negotia administrantium in cuncta Narbonensi diœcesi, ceu & in omnium episcoporum sibi suffraganeorum ecclesiis, aliquem sacerdotum, ceu levitarum, aut reliquorum ecclesiæ Dei ministrorum, violenter sibi subjicere, aut fidejussores tollere, vel in placitum laïcorum distringere ullatenus præsumat, & neque de proprietatibus, aut reliquis possessionibus illorum aliquam exactionem aut redhibitionem illicitam ullo unquam tempore exigere audeat. Si aliquæ vero querimoniæ adversus illos exortæ fuerint, in præsentiam suorum episcoporum veniant, atque ibi de iis canonice, atque legaliter judicentur, quia juxta sanctiones legum indignum est, ut homines judicent Deos. Si quis autem contra hanc nostræ præceptionis authoritatem, ductus maligna cupiditate aliquid agere tentaverit, & hoc quod pie a nobis pro divino amore in ejus ecclesiis indultum est, violare conatus fuerit, sentiat se nostram

incurrere offenſionem, & inſuper bannum noſtrum perſolvere cogatur. Liceat namque ipſis epiſcopis, ſuiſque ſucceſſoribus cum ſacerdotibus & reliquis ordinibus eccleſiarum, ſub noſtra regali tuitione vel Mundeburno abſque alicujus inquietudine vivere, & noſtro fideliter parere imperio, ut pro ſalute noſtra ac totius regni noſtri ſtatu eos jugiter Domini clementiam exorare delectet, & ut hæc noſtræ præceptionis authoritas a fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ. . . . . . tempora inviolabiliter conſervetur veriuſque credatur.... ... propria ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus. Signum Karoli glorioſiſſimi regis, Heriveus notarius ad vicem Folconis archiepiſcopi recognovit. Datum octavo idus Junii, indictione II. anno VII. rege Karolo, & in ſucceſſione Odonis II. pleniter regnante ſereniſſimo. Actum apud Hturnum villam in Dei nomine feliciter. Amen.

XII.

Ex archivo S. Vict. Maſſil.

Conventus epiſcoporum apud Barcinonem.

906.

ANno Dominicæ Incarn. DCCCCVI. ſub ind. IX. conventus factus eſt ſanctorum epiſcoporum apud Barchinonem civitatem, quorum hæc ſunt nomina: Arnuſtus archiepiſcopus almæ Narbonenſis eccleſiæ, Servus-Dei Gerundenſis, Nantigiſius Urgellenſis, Idileharius Auſonenſis, Teudericus Barchinonenſis, Rainardus Caucliceſis. Dum igitur reſiderent in eccleſia ſanctæ Crucis cum præcellentiſſimo principe & marchione Wifredo, ſeu plurimorum diverſi ordinis clericorum & religioſorum laïcorum non minima caterva, ut plurimorum audirent querimonias, & Deo favente quæ prolata erant juſtiſſime determinarent, in ſupra dictorum præſentiam affuere legati Deo devotæ & religioſiſſimæ abbatiſſæ Hemme præ manibus habentes ſcripturam confirmationis rerum monaſterii ſui, quod ſitum eſt in honore ſancti Joannis Baptiſtæ, edita ſcilicet, & roborata à prænominato ſummo antiſtite Arnuſto cæterorumque venerabilium epiſcoporum..... quorum hæc ſunt nomina: Amelius Ucetienſis, Aglardus Nemauſenſis, Riculfus Helenenſis, Artmannus Toloſenſis, Servus-Dei Gerundenſis, Nantigiſius Urgellenſis, Rainardus Biterrenſis, Gontarius Magdalonenſis, Autgarius Lutovenſis, Gimera Carcaſſenſis, Gerardus Agathenſis: quia verò in præſenti coadunatione afuerunt quidam venerabilium epiſcoporum, qui primo defuerant conventui, petiit præfata Deo dicata abbatiſſa per ſuam legationem eaſdem res monaſterii ſui ut juxta kanonicam & epiſcopalem auctoritatem confirmarent. Nam iſtæ ſunt eccleſiæ, parochiæ, vel cellæ atque prædia quas ſub jure canonico ſibi petiit roborari. Primum quidem ipſum monaſterium in honore ſancti Joannis Baptiſtæ & Præcurſoris Domini ſub tuitione, & cura epiſcopali, ſicut ſacri kanones docent, cum parochia & finibus, vel adjacentiis ſuis, parochiam quoque ſanctæ Mariæ & ſancti Kirici & Saura cum finibus ſuis, cellam etiam ſancti Martini cum ſua *parochiuncula*, necnon & eccleſiam ſanctæ Columbæ cum parochia ſua, &c. Hac omnia conjacent in epiſcopio Auſonenſe, &c...... Hæc igitur omnia nos præſcripti atque ſignati præſules ſecundum hoc quod ſancti Patres kanonicis legibus inſtituerunt, confirmamus eidem monaſterio vel ipſi abbatiſſæ, obſecrantes & imprecantes ſub divina cenſura ut nulli chriſtiano liceat, &c..... Si quis autem contra hæc pontificale decretum à nobis ſtatutum agere.......... tentaverit ſciat ſe ſeveriſſimo mucronis vinculo anathematis feriendum, &c. Ut autem hoc certius ab omnibus credatur propriis manibus ſubter firmanda roboravimus. (Anno primo [a] regnante Charlone rege.) Arnuſtus ſanctæ Narbonenſis eccleſiæ humilis epiſcopus firm. Nantigyſus epiſcopus humilis firm. Idelherus Umilis epiſcopus firm. Servus-Dei epiſcopus, Teudericus Barchinonenſis eccleſiæ humilis epiſcopus.

[a] Hæc quæ ſunt intra parenthesim, reperiuntur in una è tribus antiquis chartis originalibus hujuſce inſtrumenti, quæ ſunt in variis capſis archivi Sanvictorini.

XIII.

Ex archivis S. Pauli.

Donatio Arnuſti archiepiſcopi facta eccleſiæ S. Pauli Narbon.

911.

IN nomine Domini, ego Arnuſtus ſanctæ Narbonenſis eccleſiæ humilis archipræſul, pro remedio animæ meæ & æterna retributione, dono ad eccleſiam ſancti Pauli confeſſoris Chriſti, cujus eccleſia ſita vel fundata eſt in loco uti vocablum eſt ad Albolas trans pontem prope Narbona civitate, nullo cogentis imperio, nec ſuadentis ingenio, ſed propria atque ſpontanea hoc elegit mea bona voluntas, ut aliquid de proprietatis rebus meis ibidem donare deberem, quod ita & facio, dono atque concedo ad præfatam eccleſiam ſancti Pauli in pago Narbonenſe infra terminio de villa, quæ vocatur *Biciano* omnem alaudem quæ mihi advenit ex comparatione de infantes *majolo vicecomite* & uxoris ſuæ Reimode, nomine *Vulchario*, necnon & fratre ſuo *Albericho* vicecomite, ideſt eccleſias in honorem ſancti Amantii & ſancti Baudilii, cum appendiciis, caſis & caſaliciis, curtis, oglatis, ortis, arboribus......... omnia, & in omnibus tam quæſitum, quam ad inquirendum, tam ruſticum, quam ad urbanum, totum & ad integrum, cum omni voce & fundo poſſeſſionis ad præfatam eccleſiam ſancti Pauli trado, transfero atque transfundo, & legali atque canonica authoritate in perpetua largitione, ex mea voce ſpecialiter dono atque concedo, ut de ab hodierno die & tempore, Deo propitio, hoc habeat, teneat, poſſideat, jureque ſuo vindicet, hoc defendat ipſa præfata eccleſia *cum abbate ipſius loci, & clericis* ibidem Deo ſervientibus. Si quis vero, quod fieri non credimus, hoc inquietare aut violare præſumpſerit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat, & cum Juda traditore participium abeat in æterna damnatione Datam & Abiron, judicium ſe ſentiat eſſe datum, & quo repetit non vendicet, ſed inſuper eccleſiæ prælibatæ, cui litem intulerit, dupla & meliora hæc omnia reſtituat, & ſua repetitio nichil valeat, & inantea ſcriptura iſta firma permaneat. Ego Arnuſtus epiſcopus interdico, & conteſtor & excommunico omnem hominem cujuſque ſexus & ordinis, qui hanc authoritatem quam Deo omnipotenti & ſancti Pauli confeſſoris Chriſti offero & trado, violare aut infringere voluerit, & niſi citiſſime reſipuerit, & ſatisfecerit aut noſtris aut nobis ſucceſſoribus, ligatus & anathematizatus, & omni maledictione illaqueatus, a regno Dei & Chriſti maneat extraneus ſine remiſſione damnationis. Facta charta donationis anno Verbi incarnati DCCCCXI. die XVII. kal. Jul. anno XII. Karoli per obitum Odonis regis ✠ Arnuſtus S. Narbon. eccleſ. humil. archiep. ✠ Guiſlamunde archidiac. ✠ Agilbertus archidiac. ✠ Milo ſacerdos. Petrus presbyter qui hanc tranſlationem ſcripſit die & anno quo ſupra.

XIV.

Circa an. 914.

Johannes papa X. pallium mittit Agio archiep. Narbon.

JOHANNES epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Reginaldo Biterrenſi, Armano Toloſenſi, Riculpho Elnenſi, Guimeræ Carcaſſenſi, Wigoni Gerundenſi, Gerardo Agathenſi, Theuderico Lutovenſi, Huberto Nemauſenſi, item Theuderico Barcinonenſi, Georgio Auſonenſi, Rudolpho Urgellitanenſi eccleſiarum Chriſti reverentiſſimis ac ſanctiſſimis epiſcopis. Sanctitatis veſtræ litteras de metropolitano Agio ſuſcipientes, huic inſidias & fraudes Gerardi nequiſſimi ei illatas agnoſcentes, valde doluimus & quaſi noſtro corpore

ſuſcipientes defecimus. Unde veſtræ ſanctitati notum eſſe volumus, quia præfatus Geraldus falſidicus ad hanc ſanctam Romanam atque apoſtolicam eccleſiam, cui authore Deo deſervio, veniens a nobis quaſi innocens ſurripere voluit epiſcopatum, cui nos licet ejus iniquitatis verſutiam plenius non agnoſcentes commodare ſine canonica cenſura noluimus. Ipſe vero, ut multorum veridica relatione comperimus, neſcio quas falſas epiſtolas per ſurreptionem quaſi ex noſtro nomine vobis perferens, epiſcopatum Narbonenſem hac occaſione armata manu deprædatur, venerabilis Agius ejus inſidiis captus venire ad hanc ſanctam apoſtolicam ſedem defertur, & alia quamplurima de illo antequam per veſtras litteras cognovimus audientes: Quapropter vobis per Eminium archiepiſcopum noſtras apoſtolicas litteras miſimus, ut ipſum ſæpe nominatum Geraldum per omnia falſidicum tenentes inter epiſcopos non haberetis. Nunc quia ejus malitiam, iniquitatem atque fraudes a veſtra fraternitate pleniter agnoſcentes agnovimus, volumus, atque apoſtolica auctoritate mandamus, ut ſicut jam vobis ſcripſimus, & ſacri canones teſtantur, eum inter epiſcopos non habeatis, quippequi nec a clericis, vel populo civitatis ſit expetitus, nec a vobis ſuis comprovincialibus more ſolito ordinatus: privilegium, pallium, & uſum pallii veſtro metropolitano Agio, ut veſtra petivit dilectio miſimus, quia nulli eccleſiæ hoc quod illi juſte competit, denegamus.

XV.

Diploma Caroli Simplicis Regis, quo confirmat privilegia eccleſ. Narbon.

Jam editum eſt in append. conciliorum Galliæ Narbon.

922.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Carolus, &c. Noverit omnium Dei eccleſiæ fidelium noſtrorum, tam præſentium, quam & futurorum induſtria, quia acceſſit ad clementiam ſerenitatis noſtræ Wigo S. Gerundenſis eccleſiæ epiſcopus, deprecans nobis, ut cuidam fideli noſtro Agioni ſanctæ Narbonenſis, ac Reddenſis eccleſiæ archipræſuli ſcripturas eccleſiæ ſuæ renovando confirmaremus; & innotuit nobis de paupertate ejuſdem epiſcopatus, & quemadmodum ipſa ſedes & pene omnes eccleſiæ ejuſdem civitatis ruinæ jam proximæ exiſtebant, ita ut per ipſum nullatenus poſſent reſtaurari: deferens etiam quaſdam auctoritates piiſſimorum Regum, Hludovici ſcilicet genitoris noſtri, necnon Karlomanni fratris noſtri, in quibus continebatur, quod Sigebodus ejuſdem Narbonæ epiſcopus quædam receperit ad augmentum ſuæ eccleſiæ beneficiola a ſe ſuiſque ſucceſſoribus perpetualiter poſſidenda. Cujus petitionem neceſſariam ac rationabilem eſſe cognoſcentes, placuit celſitudini noſtræ pro remedio animarum genitoris, & fratris noſtri, atque noſtræ, quatenus ad eandem eccleſiam SS. Juſti & Paſtoris, necnon & S. Pauli confeſſoris, ubi ipſe venerabilis vir corpore requieſcit, abbatiam S. Laurentii cum omnibus ſuis cellulis, & villis, atque terminis, cum ſumma integritate locorum, veluti in præceptis monachorum ab anteceſſoribus, noſtris piiſſimis regibus factis, perpetualiter concederemus, eo videlicet tenore, ut ſtipendia monachorum ibidem degentium juxta vires præſulis non deficiant. Concedimus præterea medietatem ſalinarum, telonei, portatici & raficæ, ſive naufragii, atque paſcuarii ad eandem præfatam eccleſiam tam in Narbonenſi, quam Reddenſi comitatu undecumque comes vel miſſus ejus receperit, vel recipere debuerit aliquid exactionis. Donamus etiam fiſcos juxta Baſſianum villam, qui vocantur *Ceſaranus & villa Arſegii.* Concedimus etiam ipſi eccleſiæ in Redenſi comitatu villam, quæ dicitur *Limoſus,* cum ſuis eccleſiis, & S. Eulaliæ atque Flactiano, cum omni ſua integritate, ac membris ſibi pertinentibus, atque farinariis. Donamus etiam *Villam-longam* cum S. Felicis eccleſia & cum ſuis omnibus villaribus atque adjacentiis cunctis. Fiſcos vero qui ſunt in Biterrenſi comitatu S. Paulo confeſſori a longo tempore collatos, & a poteſtate comitali injuſte uſurpatos pleniſſime reddidimus, atque eidem eccleſiæ, ſicut dignum eſt, per hoc noſtræ authoritatis præceptum confirmavimus. Addimus quoque præfatæ eccleſiæ SS. Juſti & Paſtoris ex noſtra regali libertate* in comitatu Biſuldunenſi abbatiam S. Stephani, quæ nuncupatur *Balniolas,* cum eccleſiis, cellulis, villis, villaribus, & omnibus adjacentiis ſuis ac mancipiis utriuſque ſexus ad eundem locum pertinentibus. Et in comitatu Narbonenſi Montilium fiſcum cum terris & ſalinis, & omnibus adjacentiis ſuis, & Colonicas, fiſcum in eodem comitatu ſitum, terras quoque omnes & domos, ac vineas, quas Judæi in ipſo comitatu poſſidere videntur, unde decimæ in eccleſiis Dei exire conſueverunt quocumque modo ipſas acquiſierint poſſeſſiones, pro eleemoſyna noſtra eidem concedimus eccleſiæ, ſimiliter & fiſcum Juviniacum cum eccleſia in comitatu Nemauſenſi, atque in ſuburbio caſtro Salavenſe in valle Ocilianenſe eccleſiam S. Saturnini cum Villa-torta & omnibus appenditiis ſuis. Addimus quoque præfatæ eccleſiæ SS. Juſti & Paſtoris, ex noſtra regali liberalitate, in comitatu Redenſi abbatiam *Cubarias* cum eccleſiis, cellulis, &c. Si vero infra iſtas vel alias villas ejuſdem eccleſiæ homines Hoſtolenſes, vel alii Hiſpani fuerint, quicquid jus fiſci inde exigere debet, totum ad opus S. Matris eccleſiæ Narbonenſis jure perpetuo concedimus obtinendum, &c. Signum Karoliglorioſiſſimi regis. Hagano notarius ad vicem Rogerii archiepiſcopi, ſummique cancellarii recognovit, & ſubſcripſit. Data VII. idus Junii ind. X. anno XXX. regnante domino Karolo, redintegrante XXV. largiore vero hereditate indepta XI. Actum in Setico contra Torn in Dei nomine feliciter, amen.

* libera-litate.

XVI.

Epiſtola Johannis papæ X. ad Aymericum archiep. Narbonenſem.

Ex codice MS. 5080 bibl. Colbert.

928.

JOHANNES epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Aimerico archiepiſcopo ſanctæ Dei eccleſiæ Narbonenſis, dilecto filio & confratri noſtro. Litteras ab unanimitate tua noſtro directas apoſtolatui, apoſtolica patientia ſuſcepimus, & ea quæ innotuiſti admittentes condoluimus vos tot perculiſſe incommoda, vobiſque compaſſi ſumus: quoniam ſi unum membrum patitur, omnia compati debent, eo quod ſecundum Apoſtolum & egregium prædicatorum gentium hujuſmodi ſollicitudinem circumferamus, quis, ut apoſtolice fateamur, quis infirmatur, & ego non infirmor! quis ſcandalizatur & ego non uror! cum præſertim me humiliarem ut eos lucriſacerem..... eſſe nolumus ab ipſo Domino in ſpecula conſtituti, qui vice beati Petri apoſtolorum principis cœleſtis regni clavigeri vos inſtituere decrevi. Igitur reverentia veſtræ fraternitatis poſtulavit a nobis quatinus ſanctæ apoſtolicæ noſtræ auctoritatis privilegio confirmare deberemus omnes res immobiles ejuſdem ſanctæ primæ ſedis eccleſiæ Narbonenſis conſtructæ in honore ſanctorum Juſti & Paſtoris, ubi beatus Paulus confeſſor Chriſti, corpore requieſcit, hoc eſt omnes domos, cellas, eccleſias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, ſilvas, necnon & medietatem ſalinarum, & telonei, ſeu raficam & naufragium, monaſterium ſancti Laurentii & cellas cum omnibus eis pertinentibus una cum familia eorum utriuſque ſexus & ea quæ a piis dominis imperatoribus, & marchionibus, ſive aliis Deum timentibus, in eadem eccleſia Narbonenſe, collata ſunt & conſiſtunt tam in ipſo comitatu Narbonenſe, necnon & Redenſe, ſeu & Minerbenſe, atque Auſonenſe, necnon & Biterrenſe, ſive etiam Nemauſenſe, & in

& in comitatu Besuldunense, monasterium Bagnola, quæ est ecclesia fundata in honore S. Stephani martyris: unde salubribus petitionibus vestris inclinati decrevimus, & a præsenti prima indictione hujus nostræ apostolicæ confirmationis privilegio roboramus, & in perpetuum apostolica auctoritate confirmamus in usum & solatia ejusdem sanctæ primæ ecclesiæ Narbonensis, cui præesse dinosceris, id est omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, silvas, necnon & medietatem salinarum & telonei seu raficam atque naufragium, monasterium S. Laurentii & cellas cum omnibus eorum pertinentiis una cum familia eorum utriusque sexus, & omnia quæ a piis dominis imperatoribus & marchionibus, sive aliis Deum timentibus in eadem ecclesia Narbonense collata sunt, vel collatura erunt, tam in ipso comitatu Narbonense, etiam & Redense, seu Minerbense, atque Ausonense, necnon & Biterrense, item jure firmissimo a te tuisque successoribus possideri volumus ac dominari.

XVII.

Ex scriniis S. Pauli.

Leutardus abbas sancti Pauli dat suis canonicis unum molendinum, ea lege ut in communi vivant.

939.

IN nomine Patris regis celestis & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ego Leutardus archilevita & abbas S. Pauli cupiens clericos ejusdem abbatiæ in unum conversari & communiter vivere, concedo, dono, atque dimitto in partem canonicorum ibidem Domino servientium unum molinum de duobus, quæ habeo, quæ etiam Carolus propter remedium animæ suæ dedit patrono nostro Paulo: ipsum itaque molinum laxo, consentio, atque attribuo ipsis canonicis S. Pauli, qui hodie ibi sunt, & futuri sunt, cum consilio domni Aimerici archiepiscopi, ut ab hodierno die in antea habeant atque possideant jure perpetuo: alium vero molinum, quod est juxta illum, mihi & successoribus meis abbatibus reservavi: quod si aliquis successorum meorum, vel ejusdem canonicæ clerici ausu temerario voluerint alicui personæ vendere, aut alienare, sive aliquo ingenio de ipsa canonica ipsum molinum auferre, licentiam non habeant; si vero præsumpserint, non solum facientes, sed & consentientes, & ecclesiasticum allodium inlicite invadentes omnimodæ subjaceant maledictioni, ut in recordationem Dei pervenire non possint, sed sicut Datan & Abiron ruptis terræ compagibus deglutiantur, & cum Juda proditore partem habeant, & anathema maranatha fiant, nisi ad satisfactionem venerint, & sancto Paulo ejusque canonicis ex integro restituerint. Facta charta hujus scripturæ anno IV. regnante Ludovico rege. . . . . calendis madii. S. Aymericus archipræsul. Signum Leotardus archilevita & abba, qui hanc cartam firmavit & testes firmare rogavit. Signum Guifredus presbyter, signum Gualterius archiclavigerus, signum Aigo archipresbyter. Arnulfus presbyter, qui hanc chartam rogatus scripsit hæc verba sub die & anno quo supra.

XVIII.

Ex tabul. S. Pauli Narbon.

Aymericus Narbonens. archiepiscopus dat ecclesiæ sancti Pauli ejusdem civitatis omnem honorem nuncupatum Amseduna *cum ecclesia in honorem S. Vincentii.*

958.

IN Dei nomine. Unicuique mortali homini convenit, dum in hac mortali peregrinatione conversatur, sursum erectis cordis oculis supernum inspicere judicem, & ad cujus examen post vitæ hujus exitum venire debeat, assidua meditatione oportet cogitare, & qui suis meritis desperat peccatorum evadere ultionem, sanctorum Dei quærat patrocinium, quorum fultus adjutorio æternum possit effugere supplicium, & gaudiorum æternorum percipere præmium. Igitur ego Aymericus primæ Narbonæ archipræsul considerans peccatorum meorum cumulum, atque æternæ lætitiæ gaudium, ex parvis facultatibus meis beato Paulo Christi confessori prænominatæ civitatis confero donum, ut ipsum in tremendo judicio habere valeam patronum; quapropter do ei atque cedo pro remedio animæ meæ, & pro animarum qui eleemosynam meam susceptam habent, & suscepturi erunt, in comitatu Narbonense in loco, quem vocant *Amseduna*, omnem meum alodem quantum ibidem visus sum habere vel possidere, cum ipsa ecclesia, quæ illic est fundata in sancti Vincentii honore, & cum ipsa inchoatione turris cum propriis & diversis afrontationibus illius, insuper etiam & cum omni vocis meæ oppositione, attamen in tali deliberatione, ut, dum vixero, teneam atque possideam, & singulis quibusque annis de annona canonicis beati Pauli in vestitura dimidium modium donare faciam. Advenit mihi hic alodis sive hæreditas tam per impignorationem, quam ex comparatione, & habet afrontationes seu determinationes hæc hæreditas, de parte Orientis in strata publica, de meridie & de Circii in terminiis de villa Putovalerii, sive in ipso Thoho, & de Aquilonis in terminio de villa, quæ vocant *Canet*, quantum infra istas totas afrontationes includunt ab omni integritate & vocis meæ auctoritate sic dono atque trado ecclesiæ beati Pauli in deliberatione superius dicta. Si quis tamen contra hanc meam donationem venerit homo pro irrumpendo, iram omnipotentis Dei incurrat, & anathematis vinculo subjaceat, & quod appetit vendicare non valeat, sed veniat ei quod psalmographus canit, *Qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam & sicut stipulam ante faciem venti.* Et aliud quod subsequitur, *eveniat ei, atque cessionis damnatus sententia legis in duplo ipsum alodem componat.* Facta charta hujus donationis atque cessionis anno nongentesimo quinquagesimo octavo trabeationis Domini, indictione prima, regnante secundo Leuthario Francorum rege, decimo-sexto calendas Novembris. Sig. Aymerici archipræsulis, qui hanc donationem scribere jussit, manibusque firmavit & firmare rogavit. Sig. Leotardi abbatis . . . . Signum Alamanni. . . . . qui hanc donationem scripsit die & anno quo supra.

Psalm. 82. v. 14.

Exod. 22. v. 4.

XIX.

Ex autographo.

Aymerici archiep. Narbon. charta commutationis ecclesiæ S. Acyscli de Bericiano cum Suniario abbate Crassensi.

959.

IN nomine Domini. Ego Aymericus archiepiscopus & cuncta congregatio canonicorum SS. Justi & Pastoris commutatores sumus tibi Suniario abbati & cunctæ congregationi S. Mariæ cœnobii. Ecclesiam quæ retinemus pro partibus SS. Justi & Pastoris obsequi, quæ est ipsa ecclesia in comitatu Narbonense infra terminos de villa Bericiano fundata & consecrata in honore almi Acyscli martyris, sic eam vobis commutamus atque cedimus cum omnibus decimis & primitiis & parochiam ad eam pertinentem, villa Bericiano vel prato cum omnes honores, qui ad ipsam ecclesiam deberent pertinere sine ullo servitio: ita ut sit legitima capella & absque omni servitio in potestate vestri monasterii, propter vineas modiatas VI. & media, sive terras omnes, qui fuerunt Riniardi quondam, quem exinde recipimus in villa *Foniliarias*, cum illorum afrontationes vel ajacentias, quem usque hodie retinuistis. Et si quis, ego commutator, vel aliquis e successoribus nostris, sive ex nostra congregatione fuerit, qui contra ista nostra commutatione venerit pro inrumpendum,

componat vobis ipsa ecclesia valente in duplo, & inſuper quod petierit vindicare non valeat & inantea ista cessio, vel commutatio firma & stabilis permaneat omnique tempore. Facta commutatione ista XIV. kalendas Martii anno Incarnationis Domini DCCCCLIX. regnante Lothario rege anno V. secunda ejusdem indictione.

Signum archipresul, qui hanc commutationem feci & firmare rogavi.

Leotardus archilevita vocatus abba. Julianus abba & levita. Aigo archipresbyter SS. Teudemarus presbyter SS. Poncius levita, Aigo levita.

Nantigisus presbyter scripsit & SS. sub die & anno prædicto.

XX.

Ex autographo.

Exsecutio testamenti Aimerici quondam Narbon. archiepiscopi.

977.

IN Altitonantis nomine. Convenit unicuique mortali homini, dum conversatur in hac mortali peregrinatione, ut erectis oculis cordis & corporis aspiciat supernum judicem, ad cujus judicium post hujus vitæ exitum venire debet: oportet meditari assidua cogitatione, & qui suis meritis desperat peccatorum evadere ultionem, sanctos Dei quærat patronos, quorum judicio se esse judicandus credit in æterno sæculo, fultus adjutorio possit venturum effugere supplicium, æternorumque gaudiorum percipere præmium. Igitur in Dei nomine nos pariter elemosynarii venerabilis beatæ memoriæ quondam Aimerici sanctæ Narbonensis ecclesiæ archipræsulis, cujus memoria ethereo describatur in albo, videlicet Adelaïzis vicecomitissa Narbonæ filiique mei consentientes, Ermengaudus venerabilis archipræsul suus successor, & Raimundus vicecomes, verumtamen & alii elemosynarii, Udalgerius princeps frater suus & Ermengaudus, qui vocatur Vassadellus, & Bernardus Grammaticus nepos archipræsulis defuncti, verum etiam & Geiro honorabilis princeps nepos præfati defuncti, atque Walterius abbas sanctæ Mariæ, & David levita, sive Nantigisus indignus sacerdos, ex exiguis facultatibus memorabilis Aimerici quondam archiepiscopi adquisitis Deo omnipotenti & canonicis SS. Justi & Pastoris cotidie famulantibus, præsentibus atque futuris propter remedium ipsius animæ, verum & propter remedium animæ Poncioni comitis defuncti, sive Matfredi vicecomitis, sive Odoni vicecomitis, vel Richildis vicecomitissæ, alodem suum, quem vocant *Crexanum*, cum ecclesiis, quæ ibidem sunt fundatas, & cum omnibus terminis suis, & cum decimis & primiciis ipsorum ecclesiis pertinentibus, & cum omni servitio quod....... alodes exierit ab odierno die in antea pro ipsorum animas & omnium fidelium parentum & amicorum, & familiarium suorum SS. Justi & Pastoris & canonicis ibidem Deo servientibus prædictum alodem ex ejus partibus donamus atque concedimus exiguum donum, ut ipsos venerabiles martyres in die tremendi judicii habere mereatur patronos & pro peccatis suis ad Dominum intercessores. Donamus atque concedimus omnibus canonicis SS. Justi & Pastoris ibidem Deo famulantibus & servientibus ipsum alodem Crexanum, sicut superius resonat, totum & ab integro fundatum tali deliberatione, ut ex fructu & omni servitio, quod exinde exierit & ex decimis & primitiis ex ipso procedentibus ab hodierno die in antea vivant communi fraternitate in canonica, sicut Aimericus s. memoriæ testatus est & corroboratus est in sui plenæ rectæque memoriæ in codicello testamenti sui, tam in adventu Domini, quam in tempore Quadragesimali, & dum fructus ex ipso alode abundaverit illis omni tempore, ut sicut aderit illis communis sumptus, ita adsit & communis oratio propter animam Aimerici archipontificis defuncti & Matfredi vicecomitis, & omnium fidelium parentorum, amicorum & familiarium suorum, sicut superius memoravimus, & omnium fidelium Christianorum defunctorum, atque vivorum, quatenus propter illorum preces & intercessiones, animæ prædictorum omnium mereantur ab omni vinculo delictorum absolvi, & sanctorum consortiis collocari in secula seculorum, amen. Quicunque ergo fuerit filius benedictionis observator & affirmator hanc donationem, veniant super eum omnes benedictiones, quas Moyses famulus Dei testatus & affirmatus est in monte Garisim super filios Israël, & benedictiones consequatur, quas Dominus Jesus-Christus dedit super apostolos suos, quando cælum ascendit, & quicunque fuerit filius maledictionis dissipator atque destructor hanc donationem, sive mercedem a prædictis principibus factam propter remedium animæ archiepiscopi & omnium amicorum & parentorum vel familiarium suorum & omnium remedium vivorum & defunctorum, sicut superius testati sumus, veniant super eum omnes maledictiones, quæ sunt exaratæ in libro Moysi hominis Dei, & in veteri, & in novo tastamento, corroborate nomine Domini nostri Jesu-Christi, & omnes iniquos participationem habeat, & sit excommunicatus, & a liminibus omnium ecclesiarum sequestratus hic & in æternum, & in secula seculorum, amen. De repetitione vero, si quis fuerit ullus episcopus hujus ecclesiæ, diabolo instigante, comotus, qui contra hanc donationem venerit ad inrumpendum, vel eam frangere tentaverit, hoc quod petierit vindicare non valeat, sed hæc nostra donatio omni tempore inconcussam & inviolabilem obtineat firmitatem. Facta charta donationis istius sub die idus Junii anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXXVII. indict. V. regnante Lothario anno 23.

Signum Adalicis vicecomitissæ. Signum Udalgerii. Signum Ermengaudi, qui vocatur Vassadello. Signum Geiro pariter eleemosynarii, qui hanc donationem fecimus & firmare rogavimus. Signum Bernardus filogramus Aimerici testamentarii. Signum David levita eleemosynarius. Signum Pontioni. Signum Aialberti Romani, qui Bonus-filius vocatur. Signum Franco episcopus. Signum Geraldi Romani. Signum Miloni fratris ejus. Nantigisus presbyter helemosynarius, qui hanc donationem scripsit.

XXI.

Ex chartario Palensi.

Circa 1010.

Testamentum Rogerii comitis Carcasson.

EGO ROGERUS comes, qui facio brevem divisionalem inter filios meos Raimundo, & Bernardo. Ad Raymundo filio meo dono civitatem Carcassonensem cum ipso comitatu Carcassense, exceptas ipsas abadias, quas ego dono ad filio meo Petrone, sicut conventum inter matre sua Alays, & te Raimundum. Et dono ad ipsum Raimundum filium meum, Redas castellum cum suo comitatu, ipsam meam partem, excepta ipsa mea parte de ipsas abadias, quæ ego dono ad filio meo Petrone, & exceptos ipsos alodes, quæ ego acceptavi in ipso comitatu Redense, quæ ego dono ad Domino Deo, & ad sanctis suis, propter remedium animæ meæ. Et dono ad ipsum Raimundum, ipsa convenientia de comitatu Redensi, quæ habeo cum fratre meo Odone, & cum filio suo Arnaldo: si Odo morit, & filio suo Arnaldo, remaneat ad te Raimundo ipsa convenientia de ipso comitatu; & alia convenientia quæ habeo cum fratre meo Odone, & cum filio suo Arnaldo, de Querocurbo cum Querocurbense remaneat ad ipsum Raimundum; & alia convenientia, quæ ego habeo cum fratre meo Odone, de castello de Coila & de Colliense, remaneat similiter ad filium Raimundum: & ipso castello, quæ dicitur Saixago cum ipsa castellania, & cum ipsas vegaris, quæ ad ipsum castellum pertinent, & cum ipsos alodes, sicut Arnaldus pater meus ibi tenebat per ipsum castellum, remaneat ad Raymundum, exceptas ipsas abadias, quæ ego dono ad filium meum Petronem. Ipsos alodes

de comitatu Tolosano, quæ fuerunt de Bernardo Ruso, quæ Raimundus vicecomes tenet, per me Rogerio, & per te Raimundo, remaneant ad te filio meo Raimundo; & ipsam medietatem de Bulbastreso, & ipsa tertia parte de comitatu Convenico remaneat ad filio meo Raimundo; & ipsa mea parte de Minerva, quæ Raimundus vicecomes mihi donavit ad mortem suam, cum ipsa terra quæ ad ipso castello pertinet, & ipsos alodes, quæ ego dono ad Deum omnipotentem, & sanctis suis, propter remedium animæ meæ; & ipsa abbadia de Caunas, & ipsa abbadia de Varnasona remaneat ad filio meo Raymundo. Et ipsa vigaria de Savartense, post obitum Adalais, remaneat ad Bernardo filio meo, si ille non *la forsa,* & emendare voluerit; ipsa convenientia de Savartense & de castello pendente, quæ ego habui ab Odone fratre meo & Arnaldo filio suo, post obitum illorum remaneat ad Bernardo. Et Bernardo filio meo ante dicto dono ipsum comitatum de Cosoragno cum ipso episcopatu, & cum ipsa medietate de Volvestreso, & ipso castello Fuxo cum ipsa terra Fuxense. Dono ad Adalais uxor mea, & Bernardo filio meo insimul, & Dalmasenense, & Podagenense, & Arnaguense, & medietatem de toto bosco Bolbonæ, quæ est inter flumen de Ercio, & flumen Aregiæ. Dono ad Bernardo filio meo, & ipsos alodes, quæ ego ibi habeo, exceptas ipsas abbadias, & ipsas ecclesias, quæ ego dono ad filio Petrone, & exceptos illos alodes, quæ ego dono ad Domino Deo, & sanctis suis propter remedium animæ meæ, & exceptos ipsos alodes de Escocia & de Avesaco, quæ ego dono ad conjugem meam Adelais mater vestra. Sicut scriptum est, sic habeat firmitatem ista scriptura. Ego Rogerius non hoc defaciam, si ego non hæc camio cum meo gradiente animo. Ita omnia scripta teneat Adelais uxor mea in ballia, quatenus ipsa voluerit, sicut superius est scriptum, sic habeat firmitatem, in tali vero ratione, ut dum illi vivant, teneant & possideant: si habuerint infantes de legitimo matrimonio, similiter remaneant in ballia de illis qui vivi erunt. Vendere nec alienare licentiam unus non habeat, nisi unus ad alium, & si infantes non habuerint de legitimo matrimonio, ipsa hæreditate remaneat ad ipsos fratres, qui vivi erunt. Ista scriptura Rogerius comes manu sua firmavit. Facta charta divisionis istæ, calendas Aprilis anno Christi Incarnati 1062.* Henrico rege Francorum. S. Guil. de S. Silicio. S. Ram. Ademari. S. Pontii Arberti. S. Ermengardi de Combreto. S. Arnaldi Pelapolh. Sifredus notarius scripsit die & anno quo supra.

* Falsæ sunt notæ chronicæ.

XXII.

Ex vetustissima membr. archiepisc. Narbon.

Fidei sacramentum a vicecomite Narbon. præstitum Wifredo archiepiscopo Narbonensi.

1066.

DE ista hora inantea ero ego Raimundus vicecomes, filius qui sum Ricars feminæ, ad Guifredum archiepiscopum, sicut homo debet esse ad seniorem suum per directam sine suo *engan*, & de ista hora inantea non *dezebrei* Guifredum archiepiscopum de civitate Narbona, neque de ipsos muros vel turres, qui sunt de porta regia usque ad turrem Maurescam, ex parte Circi, neque de ipsa turre sanctorum Justi & Pastoris, neque de ipso Capitolio, quod est in Narbona, neque de ipsas fortezias, quæ modo ibi sunt & inantea erunt: hæc omnia præscripta *no lio tolrei ne leu tolrei ne lio vedarei,* nec ego, nec homo, nec femina per meum consilium, nec per meum ingenium: similiter de ipsum archiscopatum de Narbona, & de ea, quæ ad ipsum archiepiscopatum pertinent, *no lio tolrei, ne leu tolrei, ne leu dezebrei,* sicut superius scriptum est, *si o tenrei,* ego Raimundus præscriptus ad Guifredum archiepiscopum præscriptum, *si o atendrei,* & per directam fidem sine suo *engan.* Per Deum, & per hæc sancta quatuor Evangelia.

XXIII.

Charta donationis abbatiæ B. M. de Cubaria, factæ Cluniacensi monasterio, consilio & voluntate Guifredi archiepiscopi Narbonensis.

Ex chartario Narbon.

1073.

UNiversis Catholicæ ecclesiæ filiis, simulque omnibus in Christo ubique credentibus tam futuris quam præsentibus notum sit, quod ego Raimundus Petri restaurationem desiderans omnium ecclesiarum Dei, & præcipue illius ecclesiæ, quæ olim constructa est in honore B. Dei genitricis Mariæ in valle, quæ ab antiquis *Cubaria* est cognominata, ubi & congregatio monachorum præcedentibus temporibus in tantum floruit, quod adhuc abbatia solo nomine vocitatur: quod ego jure hæreditario ex parentum meorum posteritate tenere & possidere videor. Et ipsa abbatia vel ipsa ecclesia sita est in pago Narbonensi infra fines vel terminos territorii Petræ-pertusensis, secus fluviolum *Rivo-Fridido* dictum. Igitur ad honorem Domini nostri Jesu-Christi, & ejus beatissimæ genitricis Mariæ, atque ad restaurationem loci illius in monasticum ordinem Bernardus Bisuldunensium comes, sub cujus potestate locus ipse redigitur, & ego Raimundus Petri, & Berengarius Petri cum uxoribus & cunctis filiis nostris, cum consilio & voluntate Guifredi Narbonensis archiepiscopi, nos omnes simul legaliter damus, & solemnem donationem facimus Domino Deo, & sanctissimis apostolis Petro & Paulo, atque cœnobiis Cluniensi & Moysiacensi, simulque abbatibus & monachis ibidem Deo servientibus tam futuris quam præsentibus prædictam ecclesiam, cum omnibus ad eam pertinentibus, & quod vulgo dicitur cum suo cincto, & illos honores, quos clerici tenuerunt, id est Stephanus Alarig & filii ejus, & Raimundus Oddo, & Bernardus de Albert, & Laufres, & Pontius Oliba; & de honore prædictorum clericorum agrarium tantum in vita mea retineo, & post decessum meum ecclesiæ ipsi & habitatoribus ejus absque ulla contradictione relinquo. Insuper vero ipsum dominicum hortum, qui est infra rivos, & ipsam condaminam, quam Petrus Stephanus laborat, &c...... & omne quicquid dici vel nominari potest, concedimus & donamus libenti animo & plena memoria supradictis locis Cluniaco, Moysiaco, & eorum habitatoribus, abbatibus & monachis istis & cunctis eorum successoribus, ut habeant absque ulla contradictione in proprio alode & possideant in perpetuum. Ante omnia ex parte Dei omnipotentis obtestor & prohibeo ego Raimundus Petri supradictus, ut nullus laicus homo vel femina habeat potestatem, aut ullam kiviliam, vel aliquam malam consuetudinem in supradictis honoribus habeat vel retineat, sed libere & absolute totum & ab integro permaneat & existat in Dei servitio & servorum Dei, qui ibi habitaverint in æternum. Sane si aliquis, quod absit, diabolico spiritu captus, hujus cessionis vel descriptionis donationem in aliquo violare vel dirumpere tentaverit, non habeat potestatem, sed sit in inferno ejus hæreditas cum Juda traditore & aliis in æternum damnatis. Insuper etiam in præsentia Romani pontificis & aliorum fidelium Christianorum quasi tyrannus & sacrilegus, quousque satisfaciat Deo, judicetur. Facta autem hujus cessionis descriptio Dominicæ Incarn. anno MLXXIII. Gregorio papa VII. Romæ pontificatus arce sublimato, Francorum regnante Philippo rege. Nomina vero illorum, qui hæc adfirmant & corroborant ita esse tenenda, ista sunt. Ego Bernardus gratia Dei comes adfirmo & propria manu signo ita ✠. Ego Raimundus Petri confirmo atque dono propriis manibus & consigno ita ✠. Ego Berengarius Petri Petræ-pertusensis dono & laudo, subsigno ita ✠. Aliorum vero multorum bonorum hominum nomina, qui hæc subsignaverunt, subtus sunt subsignata. ✠ Signum Berengarii Raimundi. ✠ Signum Petri Raimundi.

✠ Signum Bernardi Raimundi. ✠ Signum Bernardi Willelmi de Soladgue. ✠ Signum Willelmi Willelmi. ✠ Signum Bernardi Adalberti. Bego sacerdos scripsit.

XXIV.

Gregorius papa VII. Raimundo Narbonæ duci & Berengario vicecomiti Dalmatium canonice electum commendat.

Circa 1080.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, R. & B. comitibus salutem & apostolicam benedictionem. Quantum domus vestra B. Petrum jam dudum dilexerit, quantumque ipsi fidelis extiterit, profecto non modo apud vos scitur, sed etiam in pluribus diversarum gentium partibus notum habetur, unde & de inimicis victoriam, & præ ceteris paribus suis honorem & gloriam hactenus obtinuisse longe lateque dignoscitur. Quia vero parentum vestrorum sicut nobilitatis lineam, ita quoque probitatum studia vos imitari cognovimus, pro certo valde lætamur, & ut devotum animum circa B. Petrum, & matrem omnium sanctam Romanam ecclesiam semper geratis salubriter hortamur, atque monemus : cujus vos dilectionem tenere procul dubio in nullo melius potestis ostendere, quam si inter cetera bona, quæ debetis agere, sanctam ecclesiam procuratis juvare, atque defendere. Itaque saluti vestræ præcipue providentes rogamus, & ex parte B. Petri præcipimus vobis, ut Narbonensi ecclesiæ jam ex longo tempore a membris diaboli pervasæ, prompte subvenientes, fratrem nostrum Dalmatium archiepiscopum, quem tandem canonice & secundum Dominum electum & ordinatum meruit accipere, modis omnibus studeatis adjuvare, illi verò pervasori, qui non per ostium ut pastor, sed aliunde ut fur & latro ingressus, oves Christi mactat, & perdit, immo diabolo tradit, modis quibus potestis, resistite, si gratiam omnipotentis Dei desideratis accipere. Agite ergo & omnino procurate B. Petrum apostolorum principem vobis adjutorem, imo debitorem facere, qui potest vobis hujus vitæ & futuræ salutem & honorem dare, vel tollere, quique nescit fideles suos relinquere, sed potius novit superbis resistere, & confundere, humilibus autem gratiam dare, eosque exaltare. Dat. X. kalend. Januarii.

XXV.

Ex archivo S. Pauli.

Donatio Petri abbatis S. Pauli facta ecclesiæ suæ.

1080.

NOtum sit omnibus hominibus præsentibus & venturis, quod ego Petrus episcopus sive abba sancti Pauli, libenti animo dono & pacifico atque concedo, & in Dei nomine fideliter confirmo in dominio canonice & fraterne sancti Pauli primi præsulis Narbonensis ipsos cunctos usadges, que nominare potest homo, scilicet receptos & placitos, sive forcias pariter & acaptes, que ego prædictus auctor usque nunc abui & antecessores mei unquam abuerunt in toto ipso honore, qui est dominicature præfate canonice sancti Pauli : in tali vero liberatione, quod nec ego donator, neque ullus abba, nec ullus archiepiscopus, neque ulla potestas non abeamus, nec requiramus per ullum ingenium in dominicaturam præfate canonice, sed hæc omnia remaneant sine ulla observatione & retinentia omni tempore in communia prædicte canonice sancti Pauli. Igitur. . . . . sit cognitum, quod ego prædictus donator sive auctor dono & conlaudo atque concedo, ut abeat prædicta canonica unum par bovum optimorum eo tenore & ea lege ut nunquam deficiant ; & si defecerint, aud mortui fuerint, restaurentur & emendentur omni tempore de illa parte altaris præfati sancti Pauli, quam abbas sibi hæreditario jure solet retinere : & nos canonici sancti Pauli similiter dabimus alium par bovum bonorum de nostro proprio ; & si mortui fuerint, restaurentur de communitate canonicorum omni tempore, quod ipsi canonici de jam dicta canonica teneant firmiter in virtute jam dictam canonicam, ut nunquam eis deficiat ibi cibum & potum. Facta charta hujus scripturæ II. id. Novembris anno MLXXX. Incarnationis Domini, regnante Philippo rege in Francia. ✠ Sig. Petri episcopi sive abbatis S. Pauli. Johannes presbyter rogatus S. H. V.

XXVI.

Donatio facta Dalmatio archiepiscopo & abbati Crassensi.

Ex autogr. Camonis.

1085.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, quæ unus Deus creditur & adoratur. Ego Bertrannus de Belpoi donator sum Domino Deo, & S. Mariæ cœnobii Crassæ, ac domno Dalmatio Narbonensi archiepiscopo, & omnibus prælibati cœnobii monachis præsentibus & futuris. Per hanc scripturam donationis meæ dono Domino Deo, & S. Mariæ prædicti cœnobii abbatibus, & monachis inibi in perpetuum degentibus ecclesiam sancti Saturnini Pauliacensis antiquitus monasterii, cum decimis & primitiis ac oblationibus & cimiterio & cum omnibus rebus ad ipsam ecclesiam pertinentibus, sicut sanctus Saturninus & sui unquam plenius possederunt, & ego recte sive prave unquam melius habui & tenui : hoc quidem facio propter amorem Dei, & remissionem omnium peccatorum meorum, ut Deus omnipotens propitius sit peccatis parentum meorum & meis, & det nobis frui æternis paradisi gaudiis, ut cum illo sine fine vivere mereamur, & locus ille, qui retro antiquis temporibus, ut legitur, monachorum religiosorum monasterium fuit, secundum scita canonum in id quod exstitit redintegretur, & in integrum reformetur ; quod si ego donator aut ullus homo vel femina contra hanc meæ donationis chartam venerit ad irrumpendum, non valeat vendicare quod requisierit, sed primitus, nisi resipuerit & digne emendaverit, iram Dei omnipotentis incurrat, & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ extraneus fiat, atque cum Juda, qui Deum tradidit, in inferno participationem habeat. Facta charta ista donationis IV. non. Aug. anno XXV. regnante Philippo rege. Signum Bertrandi, qui istam chartam scribere fecit donationis, & firmavit, & testes firmare rogavit. S. Raimundi Forti de Belpoi. S. Gervasi sancti Marcelli. S. Deutrandi de Petrafita. S. Bernardi Petri de Lubeira. Raimundus monachus & sacerdos qui istam chartam scripsit.

XXVII.

Isarnus Tolosanus episcopus munificum se præbet erga monasterium Crassæ, rogatu Dalmatii Narbon. archiepisc.

1085.

NOtum sit omnibus hominibus, quod temporibus domini Dalmatii Narbonensis archiepiscopi, necnon & Crassensis monasterii abbatis, veniens beatæ memoriæ Isarnus Tolosanæ sedis episcopus apud præfatum monasterium, honorifice ibi susceptus est, ibique dum moraretur rogatus a jam dicto archiepiscopo & abbate, quatenus res ad jus ejusdem pertinentes monasterii tueretur, omnino spopondit, & ecclesias jam in ejus episcopatu adquisitas sua auctoritate laudando firmavit, videlicet ecclesias S. Vincentii & S. Johannis d'Aigs, & ecclesiam S. Mariæ de Ravar, & ecclesiam S. Petri de Camprajano, & ecclesiam S. Mariæ de Fixag, & ecclesiam S. Felicis de Fauleries, & ecclesiam S. Martini de Petrafita, & ecclesiam S. Stephani de Suppledencs, & ecclesiam S. Mariæ de Salvetad, & ecclesiam S. Pauli de Alta-ripa ; & insuper concessit ut quidquid possent adquirere in episcopatu Tolosano semper haberent liberam potestatem. Et totum hoc

factum est in capitulo in præsentia supra dicti archiepiscopi & abbatis, & Petri Pontii prioris, & aliorum plurimorum nobilium anno ab Incarnat. Dom. MLXXXV. regnante Philippo rege. Guillelmus monachus scripsit.

XXVIII.

Litteræ Urbani II. papæ pro Dalmatio archiepiscopo.

Circa 1088.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, clero, & populo Narbonensi, Raimundo videlicet comiti, atque Aimerico vicecomiti, carissimis filiis apostolicam benedictionem. Venientem ad nos reverendissimum filium nostrum Dalmatium vestratem archiepiscopum debita benignitate suscepimus, ejusque religionem & probitatem jamdudum agnoscentes, ipsum dilectioni vestræ apostolicæ sedis operibus commendamus. Vos ei, ut devoto & catholico patri dilecti filii obedite, reverentiam & debitam subjectionem, ut Domini vicario in omnibus exhibete, decimas unicuique ecclesiæ pertinentes ex integro reddite, & quæcumque episcopalis justitiæ sunt integra sibi conservate: quæ autem vobis ex Deo dixerit, devotè & lubenter audite & obedite, pro Christo enim legatione fungitur inter vos, observans pro Christo, ut reconciliemini Deo: ipsum igitur sicut Christum honorantes & audientes, mores vestros corrigite, a vitiis abstinete, Deo in omnibus placere curate: si enim Deo in omnibus placere studueritis, pastorem profecto placentem Deo habebitis, & summum pro vobis Judicem interpellans, nisi vestra delicta impedient, copiosius audietur. Eis autem, qui bona Narbonensis ecclesiæ injuste detinent & violenter auferunt, denunciamus nomine Domini Jesu, & apostolica authoritate præcipimus, quatenus ea archiepiscopo reddant, aut pactum cum eo tale faciant, quod ipsi debeat complacere, ne bona injuste detinendo & auferendo terrena, & animæ incurrant periculum, & bonis priventur æternis. Quod si nostra præcepta contempseritis, cum iterata ad nos querela pervenerit, canonum nos ultionem & gladium spiritus afferemus: obedientes vos monitis nostris divina misericordia custodiat.

XXIX.

Ex archiv. archiepisc. & S. Pauli Narbon.

Urbanus II. canonicorum sancti Pauli Narbonensis propositum vitam regularem profitendi confirmat.

1093.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis Guillelmo abbati, & ejus fratribus in ecclesia beati Pauli secus muros Narbonæ sita regularem vitam professis, & eorum successoribus in regularis vitæ observantia permansuris in perpetuum. Piæ voluntatis affectus prosequente debet studio confoveri, ut ecclesiastica utilitas apostolicæ sedis favore vires accipiat & accrescat. Omnipotenti Domino, cujus melior est misericordia super vitas, gratias agimus, quia sanctorum patrum vitam probabilem renovare proposuistis, & apostolicæ instituta doctrinæ primordiis ecclesiæ sanctæ inolita, sed crescente jam pene deleta, resuscitare instinctu sancti Spiritus devovistis. Duæ enim ab ecclesiæ sanctæ primordiis vitæ ejus sunt filiis institutæ: una, qua infirmorum debilitas retinetur; altera, qua fortiorum virtus beata perficitur: una remanens in Segor parvula, altera ad montis altiora conscendens; alteram tenentes inferiorem, bonis terrenis utuntur; alteram sequentes superiorem, bona terrena despiciunt & relinquunt. Hæc autem, quæ a terrenis divino favore divertitur, in duas pene ejusdem propositi dividitur portiones, canonicorum scilicet & monachorum: hæc secunda per divinam misericordiam frequentata satis jam seculo universo elucet, prima vero, decalescente fervore fidelium, jam pene omnino defluxit: hanc martyr & pontifex Urbanus instituit, hanc Augustinus suis regulis ordinavit, hanc Hieronymus suis epistolis informavit. Itaque non minoris pene æstimandum est meriti vitam hanc ecclesiæ primitivam aspirante ac prosequente Domini Spiritu suscitare, quam florentem monachorum religionem ejusdem Spiritus perseverantia custodire. Vestrum ergo votum, vestrum propositum nostri auctoritate officii confirmamus, & firmos vos in eo persistere adhortamur, & tanquam Deo exhortante per nos obsecramus. Quandiu igitur in hujus religionis observantia vos ac vestri permanserint successores, nos ecclesiam vestram sub apostolicæ sedis tuitione fovendam recipimus, salvis tamen privilegiis & jure canonico Narbonensis antistitis. Quia vero in vobis adhuc quidam sunt, qui necdum se huic proposito devoverunt, statuimus atque censemus, ut illis aut ad regularem vitam conversis, aut de sæculo emigrantibus vestræ ecclesiæ bona omnia, quæ nunc in potestate ipsorum detinentur, & quæ deinceps vestræ ecclesiæ collata fuerint, in usum regularium cedant, nec ullus ibi fiat vel ordinetur canonicus, nisi qui canonice se victurum professus fuerit. Abbatem, qui & præpositus dicitur, alium eis præferri auctoritate apostolica prohibemus, nisi quem suæ professionis communis electio fratrum regulariter viventium de suo collegio vel de alieno, si necesse fuerit, cum archiepiscopi consilio secundum Deum decreverit eligendum, & hoc ad ædificationem, non ad destructionem. Vos ego filii in Christo charissimi dilectionis nostræ studiis semper præstantioribus respondentes, strenue quæ Deo promisistis implere satagite, *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est*, cujus Patris, hæc ut firma permaneant, & Filii ac Spiritus sancti virtute sancimus. Datum Trojæ per manus Johannis S. R. E. diaconi cardinalis XIV. calend. Aprilis indictione prima anno Dominicæ Incarnationis MXCIII. pontificatus autem domni Urbani papæ secundi anno VI.

Matth. 5. 16.

XXX.

Urbanus papa II. Bertrando archiepiscopo Narbonensi confirmat primatiam in Aquensem metropolim.

1097.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Bertrando archiepiscopo Narbonensi perpetuam in Domino salutem. Potestatem ligandi atque solvendi in cælis & in terra B. Petro ejusque successoribus auctore Deo principaliter traditam illis ecclesia verbis agnoscit quibus Petrum est Dominus allocutus: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Ipsi quoque & propria firmitas & alienæ fidei confirmatio eodem Deo auctore præstatur, cum ad eum dicitur, *rogavi pro te ut non deficiat fides tua, Petre. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos qui licet indigni Petri fidem.......................... videmur in loco, prava corrigere, recta firmare, & in omni ecclesia ad interni arbitrium judicis sic disponenda disponere, ut de vultu ejus judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem. Fraternitatis igitur tuæ justis petitionibus annuentes, sanctam Narbonensem ecclesiam, cui divina largiente clementia præsides, possidendam, regendam ac disponendam præsentis tibi decreti pagina confirmamus. Nos enim te in Nemausensi ecclesia episcopum consecravimus, & exigente necessitate ad tuam te transferri metropolim per suffraganeorum electionem auctoritatis nostræ scriptis permisimus, quod nulli deinceps concedimus permanendum. Has igitur civitates eidem ecclesiæ, tuæque fraternitati sancimus

Matth. 18. 18.

Luc. 22. 32.

esse subjectas : Tolosam, Carcassonam, Elnam, Biterrim, Agdam, Magalonam, Nemausum, Luticem, Lugdevem. Praeterea primatum* Aquensis metropolis, quæ est Narbonensis secunda, & quicquid dignitatis vel honoris eamdem Narbonensem ecclesiam antiquitus jure habuisse constiterit, nos quoque præsentis decreti pagina inconcussum & inviolabile perpetuo manere decernimus, salvo tamen in omnibus sedis apostolicæ jure. Pallium autem fraternitati tuæ ad missarum tantum solemnia celebranda ex more concedimus, quo in subscriptis tibi solummodo licebit uti diebus, duobus scilicet diebus in Nativitate Domini, in Epiphania, in omnibus B. Mariæ festivitatibus, in Cœna Domini, in Resurrectione Domini duobus diebus, in Ascensione Domini, in Pentecosten, in Nativitate B. Johannis, in natalitiis Apostolorum omnium, in festo B. Martini, in solemnitate SS. Martyrum Justi & Pastoris, ac Pauli confessoris, in consecratione episcoporum & ecclesiarum, in ordinatione clericorum. In quo quid ponderis tibi ac sollicitudinis injungitur considerare te diligentissime convenit. Hujus enim indumenti honor, humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humilem & in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectam, amicam bonis, perversis contrariam. Nullius unquam faciem contra veritatem recipiens, nullius unquam faciem premens, misericordiæ operibus juxta virtutem substantiæ insistens, & tamen supra virtutem insistere cupiens, infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, de alienis gaudiis tamquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis sæviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatis justæ censuram non deserens. Hæc est, frater carissime, pallii accepti dignitas, quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis intus habebis. Fraternitatem tuam omnipotens Deus per tempora longa conservare dignetur incolumem. Scriptum per manum Petri scrinarii sacri palatii.

Datum Lateranis VIII. idus Novembris per manum Lantfranci vicem agentis cancellarii anno Dominicæ Incarnationis MXCVII. indict. VI. pontificatus autem domini Urbani papæ secundi anno X.

XXXI.

Litteræ Philippi I. Francorum regis, ad capitulum Narbonense.

anno incerto.

PHILIPPUS Dei gratia rex Francorum, capitulo B. Justi Narbonæ salutem & dilectionem. Requirimus vos quatinus castra & fortalitia ecclesiæ Narbonensis nobis ad requisitionem senescalli nostri Carcassonensis tradatis, nec volumus propter hoc ecclesiæ Narbonæ aliquod præjudicium generari, alioquin eidem senescallo damus nostris litteris in mandatis, ut ad prædicta facienda per bonorum vestrorum temporalium captionem vos compellat. Datum Parisiis in vigilia B. Laurentii.

XXXII.

Charta concordiæ initæ inter Richardum archiep. Narbon. & Olivarium de Termino.

anno incerto.

IN nomine Domini. Hæc est notitia concordiæ, quæ facta est inter Ricardum Narbonensem archiepiscopum & Olivarium de Termino. Factum est autem post Guifredi Narbonensis archiepiscopi mortem, cum Petrus Berengarius Rutenensis episcopus violenter Narbonensem invasisset ecclesiam, & contra Domini & jura canonum eam simoniacus per multos dies occupasset, ut inter cetera castrum Villæ-rubeæ cum honore sibi pertinente Berengario Petri de Petra-pertusa in pignore mitteret, & ab ecclesia alienaret, pro quo pignore facta est dissensio inter prædictum Berengarium & Petrum Olivarii de Termino, quæ non cessavit, quousque idem Berengarius sociando filiam suam prænominato Petro in conjugium honoris præscripti, quem a tanto ecclesiæ destructore injuste susceperat, partem ei in dotem donavit : quod cum audisset beatæ memoriæ Dalmatius archiepiscopus, super utrumque excommunicationis sententiam dictavit, & eos tandiu sub ea tenuit, donec Berengarius Petri culpam suam cognoscens, partem quam sibi de eodem honore retinuerat, omnino laxavit, Petro Olivarii in malitia usque ad mortem perseverante. Subtractis autem ab hac luce Dalmatio episcopo & Petro Olivarii, in Narbonensem archiepiscopum Ricardus promotus est, qui cum audisset, quantam injuriam a filio prædicti Petri Olivario Narbonensis ecclesia pateretur, post diuturnam amonitionem, postquam vidit se nihil proficere, excommunicationis jaculum super eum intorsit : compellente autem excommunicatione, & omnibus probis hominibus terræ dicentibus honorem injuste ablatum ecclesiæ Narbonensi, post multas altercationes Olivarius tandem venit ad recognitionem, & acceptis a prædicto archiepiscopo MC. solidis Melgurienfibus, laxavit & guirpivit quidquid in prædicto honore pro hac injustitia requirebat ipse & mater ejus & fratres in Narbonensi ecclesia, & prædictus archiepiscopus ac successores ejus deinceps plenarie possiderent & tenerent, sicut unquam Guifredus archiepiscopus melius & liberius habuerat & tenuerat, &c.

XXXIII.

Narratio vexationum, quas ab Aimerico vicecomite Narbonensi passus est Richardus archiepiscopus.

MAnifestum sit omnibus hominibus præsentibus & futuris Catholicæ ecclesiæ fidelibus, quod obeunte beatæ recordationis domno Dalmatio Narbonense archiepiscopo ecclesia pastore viduata & honores ipsius in manus Aimerici prioris, qui tunc Narbonensem vicecomitatum tenebat, & uxoris ejus Mahaldis devenerunt, prout ipsi subjicere potuerunt, licet secundum malam consuetudinem terræ ad eos non pertineret, sed ad comitem. Transacto vero aliquanti temporis intervallo, a Romano papa, cleroque ac populo, comprovincialibus quoque episcopis, Nemausensis episcopus B. ad archiepiscopatum Narbonensem translatus est, sed repugnante prædicto Aimerico, nec sedem, nec honorem unquam quiete habere potuit, eunte autem eo Jerosolymam prænominatus archiepiscopus Romanæ sedis judicio depositus est : interim præfata uxor ejus & filius honores ecclesiæ tenuerunt, & mala possessione in proprios usus dominiumque quoscumque potuerunt omnino redegerunt. Post non multum vero temporis destituta & rebus & honoribus ecclesia, tandem ego R. Romanæ E. P. C. & abbas Massiliensis, homo bonorum ecclesiæ illius, fraudumque & malignitatum terræ ignarus, in ejusdem ecclesiæ regimen a domno apostolico illius temporis Paschali secundo, communi totius cleri & populi consilio ac petitione, promotus sum ; quo facto Aimericus filius alterius Aimerici jam dicti, qui patri Jerosolymis mortuo in vicecomitatu successerat, juxta consuetudinem antecessorum suorum veniens cum quibusdam ex baronibus terræ, præsente universali Narbonensis provinciæ synodo, fecit mihi hominium propriis manibus, sicut facere debebat, & accepit fevodia quæ habebat de ecclesia per manum meam, & dedi ei, sicut Guifredus, qui ante domnum Dalmatium præfuerat ecclesiæ, antecessor meus dederat atavo ejus Berengario : post hæc antequam faceret mihi juramentum, quod facere debebat, deprecatus sum eum ut fidelem amicum & hominem meum, quatinus diceret infevodia, quæ tenebat de

ecclesia, & alios ecclesiæ honores, quos tenuerant pater materque, quæ præsens erat, & ipse atque bajuli eorum, quia ego eos omnino nesciebam, sed confidebam in eo, qui fidelis esse debebat ecclesiæ dominæ suæ, ut veritatem mihi diceret, sicut qui diu omnia fere tenendo & possidendo cognoscere poterat. Propter quorum relationem mendaciis intervenientibus ad disceptationem venimus, dicente illo quædam usatica civitatis inter me & se aliter esse quam non erant, quæ antecessores ejus & mei accreverant, quædam vero, quæ mater ejus noviter adjunxerat, integriter sui juris esse; ad ultimum non valente parte illius refellere chartas & testimonia mea, quibus in omnibus usaticis, præteritis, præsentibus & futuris medietatem consequebatur ecclesia, quia in ecclesiis & medietate decimarum, quæ laxaverat, imminuta erant ei fevodia sua, communes amici locuti sunt concordiam inter me & eum precantes, ut ego augerem ei fevum suum, & ipse alia omnia, de quibus eo tempore inter nos contentio erat, sicut juris erant, ecclesiæ solide & quiete dimitteret; quorum ego consilio resistere non valens, accrevi ei ad fevum tertiam partem medietatis botatici, alia omnia de quibus, sicut supradictum est, alterutrum contendebamus retinendo per medietatem, sicut erant, jus ecclesiæ illo dimittente, sicut in chartario scriptum habetur; deinde ex parte ejus quidam maligni venerunt dicentes se nullatenus ulterius velle quæstionem nasci inter eos, qua ad iram provocaremur, & simulantes eum velle esse semper pacificum & fidelem ecclesiæ ac mihi, adjecerunt unum inter alia esse usatica, quod nunquam habuerant nec quæsierant antecessores mei, cum illi antecessores apposuissent & meis præsentibus tenuissent per multum tempus sine querela, videlicet medietatem lesdarum, quas vulgo dicunt. comparas, quas vellet diffiniri nominatim, ne forte postmodum possemus inde alterutrum irasci, quibus ego respondi, sicut verum erat, me omnino nescire, sed si ipse multum vellet, super animam & credentiam illius ponerem, qui homo erat ecclesiæ, & meus, & fidelitatem portare mihi debebat, & veritatem dicere, ita tamen ut si aliquando vel chartis vel testibus invenire valerem antecessores meos eas quæsisse vel habuisse, sine dubio requirerem & habere vellem; hac malignitate & dolo retinendo eas sibi, juravit mihi vitam & membra & fidelitatem omnesque honores ecclesiæ quos habebat vel habere debebat, sicut antecessores mei habuerant. His ita peractis, ego postmodum revolvendo chartas ecclesiæ, inveni Guiffredum antecessorem meum prædictas lesdas quæsisse, & placita inde habuisse, & recuperasse; quod cum ego reperiissem, conveni prædictum Aimericum non semel nec bis, sed multotiens per meipsum & per amicos meos & illius, ammonendo eum per fidelitatem quam mihi juraverat, per hominium quod fecerat, ne tantum faceret malum ecclesiæ, honorem ejus mihi auferens, si aliquam justitiam se habere putaret in eisdem lesdis, veniret mecum ante præsentiam bonorum virorum terræ & communium, qui pacem & concordiam vellent inter me & ipsum, & faceret mihi quod ipsi laudarent. Quod prædictus Aimericus non solum audire & facere recusavit, verum etiam indignatus ad alia usatica & honores ecclesiæ manus suas extendit, & quæcunque in proprios usus redigere potuit, auferre mihi sine verecundia cepit, & multa mala facere & pejora minari, addens nullum esse in Narbonensi territorio, qui partem meam & ecclesiæ nec verbis nec factis defendere auderet; prætendens etiam quod lesdas ipsas, quas ego requirebam, hoc est comparas*, sibi ad fevum donaveram, quæ donatio tali deceptione, sicut superius audistis, fuerat facta, & tali conditione retenta. Hæc ego audiens iterum cepi eum monere per privatos amicos suos, per vicinos barones terræ, per episcopos, per abbates, per vicecomites, per milites, tandem per quoscumque potui, attestando eum per sacramentum, quod fecerat, per beneficia ecclesiæ, quæ non modica tenebat, ut a tanta malitia, infamia atque infidelitate cessaret, & honorem suum ecclesiæ quiete dimitteret, aut ad justitiam veniret. Postquam autem vidi me nil posse proficere, importunitatem malorum, quæ mihi inferebantur, ferre non valens, excommunicationique subjiciens eundem Aimericum & omnem terram illius, metu mortis compulsus secessi ad partes alias, quocunque modo victurus, nec tamen tam longe secedere potui, quo captus & incarceratus & variis modis dehonestatus ab amicis ejus non essem, antequam ad emendationem justitiæ unquam venire vellet. Tandem non mihi profuit cognitio & atestatio justitiæ per omnes barones terræ, quod ad finem possem venire cum eo de aliis causis, quousque invitus, dolens, & coactus prædictas lesdas diffinivi injuste, cum leges dicant irritam esse definitionem factam ab expoliato, nisi prius potestative revestiatur, & ecclesia hoc honore expoliata fraudulenter & violenter fuerat, nec unquam fuerat revestita; adjurando itaque eum per fidelitatem, quam mihi juraverat, ne honores ecclesiæ mihi invito sibi faceret dari, & ecclesiæ auferri, non potui obtinere quod debui. Hoc ergo facto promisit se iterum mihi fidelem esse futurum & omnia placita quæ mecum fecerat firmiter servaturum, sed promissio tediosa illi fuit diutius teneri, nam parvo exacto tempore lesdam verminuli, quam mihi in primo placito dimiserat, in quo de aliis, sicut superius scriptum est, me deceperat, & ego tenueram postea & justitias eorum hominum, quos per auctoritates antiquarum chartarum & testium in placito recuperaveram, & ipse mihi dimiserat nisi illa conditione duarum solummodo culparum quæ in chartario ecclesiæ & illius scripta continetur, pactum, quod feceramus, frangendo, abstulit hominem ecclesiæ, & quod male fecerat pro honore & in honore ecclesiæ facientem ad redemptionem, me contradicente, compellens & quia ad clamorem meum ausus fuit venire, jurejurando fecit eum excusare, quod majorem ei contumeliam non contulerit imposito sextari ordei in emendationem. Denique tunc proclamavi ei lesdas quas fraudulenter & violenter, sicut audistis, mihi abstulerat & portam & medietatem mensis Octobris de tertio salis, quæ duo nunquam aliquo modo diffinivi, sed sub clamore in placito retinui, sicut superius scriptum est, sic tractavit me qui fidelitatem juraverat ecclesiæ & mihi & hominium fecerat & totum honorem ecclesiæ & integriter & fideliter se servaturum jurando spoponderat. Hæc itaque scribo vobis, qui post ad servitium Dei & ecclesiæ loco meo venturi estis, ut cognoscatis quam male & quam injuste, quamque violenter Aimericus prædictus ecclesiam & me dominum suum oppresserit, & quomodo illo auferente ecclesia justitiam suam perdiderit, & precor atque obsecro, ut quod mea negligentia vel mollitie de honore perditum est ecclesiæ, quia male quæ mihi inferebantur sustinere non poteram, vestra probitate & rigore recuperetur; istam enim justitiam habet ecclesia contra Aimericum vel successores ejus, quam auditis, & si quis vobis contradixerit, pro certis & veris rationibus ista quæ hic scriptura* sunt firmare & defendere, sicut juste vobis judicatum fuerit, sine dubio protestis; Deus namque scit quod ex veritate & pura cordis intentione ista proferimus & vobis ut in veritate credatis, remota omni ambiguitate mendacii, fide firma mandamus. De hiis autem omnibus multos vobis testes enumerare possumus, sicut Arelatensem archiep. Atonem, & Nemausensem episcopum Johannem, & Bernardum Rainardi & Ademarum Narbonenses archidiacones, & abbatem S. Pauli Hugonem, & Gerundensem sacristam Petrum de Saltu, & Mironem de Capud-stagno, & Gaucerannum fratrem ejus, & Berengarium Guillelmi, & Raimundum Guifredi, multosque alios tam clericos quam laicos, qui hæc omnia videntes & audientes plenissime ac certissime noverunt. Petrus scripsit, Raimundo dictante, qui hæc vidit & audivit.

* *f.* comparatas.

* *f.* scripta.

XXXIV.

Ex archivo S. Pauli Narbon.

Canonici S. Pauli dant Pontio & aliis canonicis ejusdem ecclesiæ, qui vitam regularem meditabantur, locum S. Martini de Vernete.

1114. IN nomine Domini. Nos omnes canonici S. Pauli Narbonensis ecclesiæ concedimus & commendamus tibi fratri nostro Pontio & confratribus tuis moraturis in religione qualibet bona, locum S. Martini Vernete cum appendiciis suis, quantum tu ceterique prædicti fratres potestis in iisdem appenditiis vestris laboribus operari. Sub hujusmodi interjecti conventione laudamus tibi Pontio & confratribus suis in prædicta religione perseveraturis hoc totum superius dictum, ut omni tempore per singulos annos tu vel tui post te B successuri donetis per censum ad canonicam præfatæ ecclesiæ duas libras ceræ in festivitate S. Pauli, quæ celebratur tertio idus Decembris, & sicut superius scriptum est, laudamus & firmamus sine inganno tibi Poncio & tuis successoribus taliter, ut ab aliqua persona quolibet modo divelli non possit, sed consistat semper robore valituro. Si vero tu Pontius ceterique prædicti fratres velletis alienare illum locum ab ecclesia S. Pauli, vel mittere impeditionem in eodem loco sine consilio nostro, hoc nullum habeat valorem, sed pro nihilo & irrito habeatur; ecclesia itaque illa semper sit sub diœcesi hujus ecclesiæ, & nullum alium censum donet ad canonicam, nisi quod superius est nominatum. Factum est anno Dominicæ Incarnationis MCXIV. regnante Ludovico rege. Signum Bernardi Raimundi C sacristæ. Signum ceterorumque canonicorum. Signum Raimundi Petri & Martini eremitæ. Pontius scripsit.

XXXV.

Ex archiv. eccl. Narb.

Compositio inter Richardum archiepiscopum, & Bernardum vicecomitem Biterrensem ejus consanguineum.

Circa 1110. NOtum sit omnibus hominibus, quod discordia fuit inter Richardum Narbonensem archiepiscopum & Bernardum Biterrensem vicecomitem. Nolebat enim vicecomes accipere fevum suum per archiepiscopum, nisi donaret ei Caput-stagnum. Archiepiscopus autem dicebat quod non debebat ei illud donare. D Post multa vero placita venerunt ad concordiam, & archiepiscopus donavit ei fevum sine dono Caput-stagni; & convenit vicecomes ut non perderet servicium nec fidelitatem ejus, quia non dabat ei Caput-stagnum, & fecit ei hominium & juravit fidelitatem & sacramenta. Et archiepiscopus, quia consanguineus & antiquus amicus erat, donavit ei plusquam alii archiepiscopi non dederant avo & aliis antecessoribus ejus de pecunia sua. Amelio autem Tolosano & Raimundo Carcassensi episcopis, & Ademaro archidiacono Narbonense & Willelmo Poncii & Poncii Deus-de, & Raimundi Udalardi audientibus conventum est inter eos, ut ecclesiæ suæ & successoribus archiepiscopi per consuetudinem non quereretur hoc quod archiepiscopus propter amicitiam fecerat; sed E semper vicecomes aut successores ejus facerent hominium & omnes convenientias archiepiscopo propter fevum & propter talem pecuniam, quam dedit Gaufredus Petro Raimundi avo suo.

XXXVI.

Ex archivo archiepisc. Narbon.

Bulla Gelasii II. de privilegiis monasterii Caunensis in diœcesi Narbonensi.

1119. GELASIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Arnaldo Caunensis monasterii abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Omnipotenti nos tribuere evangelicis præceptis A instruimur. Idcirco venerabilium fratrum nostrorum Narbonensis & Arelatensis archiepiscoporum petitionibus, Caunense monasterium, cui Deo auctore præsides, cum omnibus ad ipsum pertinentibus, ad exemplar prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Urbani papæ, sub apostolicæ sedis tutelam excipimus, quod videlicet monasterium a bonæ memoriæ Karolo imperatore per Milonem comitem ædificatum, & tam ab ipso, quam a filio ejus Ludovico, ac nepote Carolo æque imperatoribus ad honorem sanctorum apostolorum Petri & Pauli per regalia scripta munitum est. Præsentis igitur decreti auctoritate statuimus, ut ejusdem loci libertas, sicut a supradictis imperatoribus collata est, firma in perpetuum conservetur. Id est ut nullus judex publicus, nullus curiæ minister, ipsius ecclesiæ colonos citra abbatis & fratrum voluntatem distringere, nec ex rebus monasterii census aut vectigalia quælibet præsumant exigere. Quidquid autem vel in Narbonensi, vel in Minerbensi, seu Carcasensi, aut Redensi, aut Albiensi pago Caunense monasterium possidet, ab omnium hominum molestia vel inquietudine liberum maneat. In pago siquidem Narbonensi ab ipsis prædictorum imperatorum temporibus ecclesiam sancti Pauli, & salinas in loco qui dicitur *a Cagacanes* & insula, quæ dicitur *Dumanas*. In Minerbensi villam, quæ dicitur *Libras* cum ecclesia sua, villam Bajani cum ecclesia sua, Ultesiam cum ecclesia sua, partem villæ Trenciani, partem de villare, partem villæ Alrencis, partem villæ de Campolongo, villam de Cros cum ecclesia sua. In montana, Spinacia cum villis suis, partem villæ Raberti. In Carcasensi, villam sive ecclesiam S. Fructuosi, ecclesiam S. Laurentii, villam Banjolas cum ecclesia sua, villam Palazol cum ecclesia sua, Orris cum ecclesia sua, partem villæ Glujani. In Redensi villam Recemiro cum ecclesia sua. In Albiensi ecclesiam S. Amancii. Item in Carcasensi partem villæ de Fonte cooperta. Adhæc adjicientes decernimus, ut quæcumque hodie idem monasterium juste possidet, sive in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Nulli ergo omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Nec idem monasterium alii violenter subjiciatur, quandiu in eo regularis disciplinæ vigor, Domino præstante, perstiterit, salva Narbonensis archiepiscopi canonica reverentia. Obeunte nunc ejus loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam, vel de sua, vel de aliena, si oportuerit, congregatione providerint eligendum. Sepulturam quoque ejusdem loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hunc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Ego Gelasius ecclesiæ Catholicæ episcopus subscripsi. Signum manus meæ, *Deus in loco sancto suo.*

Data

Data Arausicæ per manum Grisogoni S. R. E. diaconi cardinalis, XIII. cal. Jan. ind. XII. Dominicæ Incarnationis anno MCXIX. pontificatus autem domni Gelasii secundi papæ anno primo.

XXXVII.

Constitutiones pro abbatia sancti Pauli Narbonensis.

Bibl. du Roy Baluz. Languedoc, n.° 12.

1127.

IN nomine Domini, manifestum sit quod ego Udalgarius abbas S. Pauli volens ordinare & stabilire canonicam S. Pauli, fui in communi capitulo cum clericis ipsius ecclesiæ, cum Petro Raimundi sacrista majore &c. Cum quibus sic ordinavi & stabilivi, ut duo ex illis, Petrus Bernardi videlicet sacrista minor, & Guillelmus de Jonchariis, teneant canonicam & honorem ejus bene condirectum & bene laboratum de ista prima adveniente festivitate S. Michaëlis usque ad septem annos completos, & bene procurent clericos & honorifice, & faciant omne servicium ipsius canonice in spiritibus & in ceteris secundum consuetudinem antecessorum suorum, & sicut in ista carta scriptum est, & hæc sit mensura prescripta procurationis. In annuatis festis procurent illos, sicuti convenit, & est consuetudo, & in omnibus Dominicis diebus dent porcinam carnem cum astis, & de Pascha usque ad nativitatem S. Johannis Baptistæ donent illis in Dominicis diebus carnem mottoninam cum mortairolibus, vel carnem agninam; in Paschali tempore & in omnibus tertiis & quintis feriis unam pulchram & bonam carnem porcinam vel vaccinam. Tamen fragilioribus & frequentius infirmantibus semper misereantur, & donent illis carnem salubrem, & a Nativitate Domini usque ad Quadragesimam dare carnem sale conditam tertiis feriis, & aliquando quintis feriis eis licitum sit cum poirata vel cum caulibus. Tamen infirmantibus dent recentem carnem salubrem, vel gallinas, sicut mos est religiosorum virorum. Similiter vero a Pascha usque ad Ascensionem Domini in tertiis & in quintis feriis aliquando, nec semper, liceat illis dare carnem sale conditam cum armollibus, vel cum aliis bonis & sanis herbis; tali conventu, ut semper misereantur fragilium; & in festivitatibus omnium apostolorum & aliorum SS. novem lectionum donent illis pulchram & bonam carnem, & si evenerint in sexta feria, dent illis pisces bonos, si potuerint inveniri; si autem inventi non fuerint, dent illis alias bonas procurationes, quæ tantumdem valeant. In omnibus secundis feriis dent illis ova quatuor unicuique clerico pinguia cum bono sabrierio. In omnibus quartis feriis pisces vel cicerones cum lardo, aut fresas cum sagimine, sive cepas pingues & bonas. In omnibus sextis feriis estivo tempore caseum recentem, yeme vero siccum. In omnibus sabbatis pisces bonos & pulchros; & in istis sollempnitatibus, videlicet in Natali Domini cum suo crastino die, & in Pascha cum suo crastino die, & in Pentecosten cum suo crastino die, & in die Ascensionis Domini, & in festivitate S. Pauli, & SS. Justi & Pastoris, & in die Quadragesima intrante procurent illos honorifice, sicut est consuetudo, a majori usque ad minorem, cum universa scola. Similiter in aliis præcipuis festivitatibus anni, apparitiores & honorabiliores cibos donent in canonica, sicut est consuetudo; si vero hospites eis advenerint usque ad quinque, quisque in suo mense eos recipiat, & honorifice conducat, exceptis episcopis & abbatibus, quos simul procurare debent; & si excesserint præfatum numerum, similiter procurent eos simul honorifice, & si aliquod expendium factum fuerit, vel pro placitis, vel pro adquisitione honoris, faciant illud isti predicti prepositi usque ad decem solidos. Si hunc numerum excesserit, faciant canonici & clerici, & veniant ipsi canonici & clerici ad ecclesiam honeste & religiose servire Domino a * usque ad minorem superpelliciis induti a Pascha usque ad festivitatem sancti Michaëlis, & de festivitate sancti Michaëlis usque in Pascha induant superpellicia subtus cappas, saltem in Dominicis diebus & in festis novem lectionum, aliter nostrum chorum non præsumant intrare, & cotidie veniant, & stent simul in ecclesia psallentes, tam in matutinis, quam in missa ac vesperis. Et non sint negligentes, neque egrediantur a choro in laudibus neque ad *Te Deum laudamus*, imo sint ad primam plenarie, & ad capitulum. Et si ullus defuerit hiis predictis horis, ad missam non veniat, nisi certam excusationem habuerit, & propter absentiam vespertini officii cenam amittat, nisi bonam habuerit excusationem. Cene debent dari cum carnibus in Dominicis & in sollemnibus diebus; si elemosine dilatate & magnificate fuerint, in prandio. Si aliquis minutus fuerit, ipso die, & in crastinum suum accipiat conductum. Si vero egrotus fuerit, misericorditer procuretur. Sed si sanus fuerit, suum conductum non abstrahat de feriis, nisi de causa supervenientium amicorum, & hoc non frequenter faciat, sed in canonica cum fratribus comedat. Si quis in aliquo prædictorum præceptorum peccaverit, vel transgressus fuerit, in providentia & in causimento domini abbatis se corrigat. In illis diebus in quibus non dabuntur carnes ad cenam, liceat clericis servare quod illis remanserit in ipsa canonica ad opus cene. Et relique cene dentur ad elemosinam, tam panis quam caro. Actum fuit hoc tertio nonas Julii anno Domini MCXXVII. regnante Lodoyco. Signum Petri Bernardi sacriste, & Galterii, & Ademari cappellani, atque Raimundi, & Pontii de Caucio-Castello.

* majori.

XXXVIII.

Charta Arnaldi archiepiscopi pro canonicis Regularibus sancti Justi.

Ex chartario eccles. Narbon.

1129.

IN anno Dominicæ Incarnationis MCXXIX. ind. VII. residens D. Arnaldus Narbon. metropolitanus pontifex, & sedis apostolicæ legatus infra muros Narbonæ civitatis, in capitulo claustri quod est situm juxta ipsam ecclesiam in honore & titulo S. Justi & Pastoris constructam, simulque secum residentibus Arnaldo venerabili præsule Carcassensi, & Alleberto honorabili episcopo Agathensi, & Michaële præclarissimo episcopo . . . . cum cathedralium presbyterorum ac diaconorum reliquorumque clericorum venerando collegio, præmisso aliquantisper silentio, præfatus pontifex hoc initium sermonis arripuit. Notum esse volumus tam vobis, quam universis ecclesiæ filiis, quod S. memoriæ Dalmatius archiepiscopus, quo consecrante Biterrensem prius cathedram providentia divina suscepimus, per quam postmodum ad archiepiscopatus culmen, licet indigni, transivimus, apud hanc ecclesiam S. Justi & Pastoris, quæ in antiquis SS. Patrum allegationibus prima & insignis metropolis dicitur, institutionem regularium clericorum secundum vitam apostolicam communiter conversantium Deo inspirante constituit, ad quam institutionem fulciendam, & rebus & possessionibus corroborandam, ipsis canonicis sub hac regularitate viventibus & præsentibus & futuris quasdam ecclesias devota liberalitate donavit. Dedit namque prædictæ institutioni, sicut multorum sinceritas attestatur, ecclesiam S. Johannis de Oviliano, & ecclesiam S. Mariæ de Rivo, & ecclesiam sancti Petri de Alamano, & ecclesiam S. Mariæ de Bresliano, cum omnibus ad easdem ecclesias pertinentibus. Quia vero in divina lege scriptum est, *non transferas terminos, quos constituerunt patres tui,* nos qui per Dei gratiam S. venerabilisque prædicti patris nostri Dalmatii locum succedendo tenemus, ejusdem patris nostri bene constituta divelli nullo modo pati debemus. Regularem igitur institutionem ab ipso in hac metropolitana ecclesia constitutam, jam aliquot annis diversis calamitatibus quasi penitus adnullatam

Deut. 19. 14.

reformare cupientes, & clericos ibidem regulariter viventes Deo juvante restituimus, & ecclesias prædictas, & si quæ alia prædictus pater eis contulerit, ipsis vobis præsentibus confirmamus; & ut omnis de cetero auferatur perversitatis occasio, auditur a vobis nostra hîc subinserta & subscripta donatio. In Dei nomine ego Arnaldus Dei gratia Narbon. archiepiscopus & apostolicæ sedis legatus, dono omnipotenti Deo & canonicis in hac cathedrali ecclesia regulariter in communi societate Deo servientibus tam præsentibus quam futuris, in territorio Narbonensi ecclesiam S. Joannis de Oviliano, cum decimis & primitiis & oblationibus, & cum terminiis suis & omnibus quæ ad ipsam ecclesiam pertinent: & in territorio Minerbensi ecclesiam sanctæ Mariæ de Rivo, cum suis ecclesiis & terminiis & decimis & primitiis & oblationibus suis, & cum omnibus ad eam pertinentibus: & in territorio Redensi dono illis ecclesiam S. Petri de Alamano, cum suis terminiis & decimis, & primitiis, & oblationibus suis, & omnibus ad eam pertinentibus: ecclesiam quoque de Bresliano consecratam in honore S. Mariæ dono illis cum suis terminiis & decimis, & primitiis, & oblationibus suis, & cum omnibus ad eam pertinentibus. Has prænominatas omnes ecclesias cum omnibus suis pertinentiis, sicut supra dictum est, dono & trado in potestatem præpositi regularis, ipsis canonicis in communi societate in hac metropolitana ecclesia regulariter viventibus & præsentibus & futuris, ut habeant & teneant easdem ecclesias, & omnia ad easdem pertinentia in perpetuum ibidem regulariter viventium usibus profutura. Quod si aliqua ecclesiastica vel secularis persona contra hanc nostram donationem venerit, & eam dissolvere vel dirumpere tentaverit, auctoritate Dei Patris omnipotentis & Filii, & Spiritus sancti, & SS. apostol. Petri & Pauli, & domni papæ Honorii, cujus injunctione apostolicas vices in nostra legatione tenemus, anathematis vinculo eam ut sacrilegam innodamus, & a liminibus sanctæ ecclesiæ sequestramus, donec resipiscat & ad dignam satisfactionem veniat. Dono etiam prædictis canonicis regulariter viventibus ecclesiam S. Stephani, quæ est prope muros istius civitatis cum honore ipsius præposituræ, & cum omnibus ad ipsam ecclesiam pertinentibus, tam decimis & primitiis, quam & oblationibus, & teneant & habeant tam præposituram, quam ipsam ecclesiam S. Stephani cum omnibus ad eam pertinentibus in perpetuum. Quod si quis huic nostræ donationi obviam ire tentaverit, supradictæ excommunicationi subjaceat. Et ut sit ista donatio firma, & inconvulsa permaneat, huic auctoritati nostræ manus confirmationis vestræ subscribat. Ipsorum vero, qui rectores erunt prædictarum ecclesiarum, electio vel permutatio, in voluntate erit fratrum & in præpositi potestate, salva domini archiepiscopi reverentia & dispositione. Dono etiam præfatis canonicis regulariter viventibus & in territorio Narbonæ, uti vocant, ad Livoriam, decimam ex omni fructu, qui inde exierit, sive de campis vel de hortis & hortalibus ac vineis, si complantatæ fuerint ibi. Et quicumque contra hanc nostram donationem ad irrumpendum venerit, simili excommunicationi subjaceat, donec resipiscat. Facta charta anno & die quo supra. S. domni Arnaldi Narbonæ episcopi & sedis apostolicæ legati, qui hanc chartam scribere jussit. S. Arnaldi Carcassonensis episcopi. Signum Johannis Nemausensis episcopi, &c.

XXXIX.

Consecratio ecclesiæ B. Martini de Creyssan.

1132.

Anno ab Incarnat. Dom. MCXXXII. indict. XI. epacta 12. concurrente V. nonis Decemb. Romanæ sedis præsule Innocentio, regnante rege Ludovico, factus est conventus apud villam Creyssanam in territorio Narbonensi, quæ juris est ecclesiæ SS. Justi & Pastoris, conventus, inquam, episcoporum, clericorum quoque & laïcorum, non minus multitudinis nobilium, quam ignobilium, sub potestate domini Arnaldi Narbonæ archiepisc. & sedis apostolicæ legati, ad celebrandam ejusdem loci ecclesiæ dedicationem, in honorem B. Martini, ad constituendam quoque ibidem ad monimentum tam futurorum quam præsentium salvitatem, qua communi omnium, qui aderant consilio instituta & firmata, qui præsentes erant episcopi locum ad eandem salvitatem circumeundo designaverunt, & ejus continentiam crucibus infixis terminaverunt. Quæcumque igitur persona quicquid infra easdem cruces continetur invaserit, prædatus fuerit, aut temerariis vexationibus fatigaverit, vel ad hoc consilium sive auxilium subministraverit, ita ut vel incolam vel peregrinum, sive omnino aliquem in præfata salvitate læserit, aut quicquam violenter abstraxerit, ex auctoritate Patris, & Filii, & Spiritus sancti hanc anathematisaverunt, & a corpore sacratissimo Dei ac Domini nostri Jesu Christi secluserunt; reliquum vero ejusdem villæ terminium hoc tenore eidem salvitati addicaverunt, ut infra præfatum terminium quæcunque persona aliquid parrochianorum, vel clericorum SS. Justi & Pastoris vi invaserit, eidem subjaceat anathemati. Ego Arnaldus Narbonæ archiepiscopus, & apostolicæ sedis legatus hujus prædictæ salvitatis invasores præfato anathemate ferio. Ego Bernardus Biterrensis episcopus huic constituto promulgato subscripsi. Ego Raimundus Carcassonensis episcopus. Ego Johannes Nemausensis episcopus subscripsi.

XL.

Bulla Innocentii II. qua possessiones monasterii de Quadraginta confirmat.

1136.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Rikino abbati ecclesiæ de Quadraginta, ejusque successoribus regulariter substituendis, &c. Proinde, dilecte in Christo fili, postulationibus tuis clementer annuimus, & ecclesiam de Quadraginta, cui Deo authore præesse dignosceris, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo canonicus juxta B. Augustini regulam in eadem ecclesia futuris temporibus inviolabiliter observetur, quæcunque præterea bona, quascunque possessiones eadem ecclesia juste possidet, concessione pontificum, largitione principum, tibi, tuisque successoribus confirmamus. Si qua igitur in futurum, &c. Innocentius II. catholicæ ecclesiæ episcopus, Gerardus presbyter cardinalis S. Crucis in Hierusalem, Lucas presbyter cardinalis SS. Johannis & Pauli, Matthæus Albanensis episcopus, &c. Data per manum Aimerici sanctæ Romanæ eccl. diaconi cardinalis & cancellarii VII.* idus Nov. ind. XIII. Incarnat. MCXXXVI. pontificatus sexto.

* al. pridie.

XLI.

Rogerius de Biterris fœdus init cum Petro abbate Caunensi.

Ex MS. Colbertino.

1136.

IN nomine Domini. Ego Rogerius de Biterris, comes Caunensis vel Redensis, & vicecomes de Ambilet, qui sui filius Ceciliæ feminæ, propter amorem Dei & beatorum apostolorum ejus Petri & Pauli, laudo & firmo ipsam immunitatem & salvitatem Caunensis monasterii, sicut antiquitus constituta est, & sicut cruces, quæ in circuitu firmatæ sunt, includunt. Et ego Rotgerius eam tenebo, nec infringam ullo modo, neque in supra dicta salvitate, neque in ipsa turre, neque in ipsius clocheriis ecclesiæ, neque in ipsius villæ fortitiis, quæ modo ibi sunt, vel inantea erunt, revertar ad faciendam guerram alicui inimico meo, faciam ibi vel inde egressum sive regressum, neque ad prædandum

vel male faciendum, nisi pro deffensione ipsius monasterii, vel ejus honoris, & hoc cum consilio abbatis & monachorum ipsius loci, sicut in hac charta scriptum est, & ibi legi & intelligi potest sine enganno: sic recognosco ego Rogerius supra scriptus, quod habeo juratum tibi Petro abbati cum toto meo sensu & bona voluntate super quatuor evangelia, & ita tenebo Deo & beatis apostolis Petro & Paulo, & tibi Petro abbati, & per tuam recognitionem & successoribus tuis in omni vita mea: sic me Deus adjuvet. De ista securitate & de hoc sacramento sunt testes & firmatores, Bernardus de Canet, & Isarnus Jordano de Saxiaco, & Petrus de Laurano, & Bernardus de Fremals vicarius Carcassensis, & Guillelmus Rogerius Aragonensis. Factum est hoc in monasterio Caunensi in præsentia totius conventus, & populi ipsius villæ, feria secunda, sexto calendas Martii, anno ab Incarnatione Domini MCXXXVI. regnante rege Ludovico. Petrus levita & monachus scripsit.

Excusum est hoc instrumentum, tom. 1. Anecdot. col. 386.

XLII.

Ex autographo.

Ildefonsi comitis Tolosani & ducis Narbonæ donatio, facta Arnaldo archiepiscopo Narbonensi.

1142.

IN nomine Domini. Ego Ildefonsus comes Tolosæ, dux Narbonæ, marchio Provinciæ, dono Deo & SS. martyribus Justo & Pastori, & tibi domino meo Arnaldo Narbonensi archiepiscopo, & successoribus tuis archiepiscopis, quoddam castrum in Narbonensi vicecomitatu, nomine *Conneracum*, cum turre & fortedis, quæ modo ibi sunt vel inantea erunt, cum terris & vineis, heremis & condirectis, garriciis & pascuariis, & omnibus terminiis suis, & quidquid ibi habeo vel habere debeo, vel aliquis antecessorum meorum habuit, vel ulla voce habere debuit, dono tibi & successoribus tuis per allodium sine ulla retinentia, ut habeatis & teneatis prædictum castrum omni tempore cum terminis suis & adjacentiis; hoc autem facio pro amore & servitio, quod mihi ab ineunte ætate, a te domno Arnaldo Narbonensi archiepiscopo sæpe exhibitum est. Facta charta ista II. idus Decembris anno MCXLII. regnante rege Ludovico. Signum Ildefonsi comitis, qui hanc chartam fieri mandavit & firmavit, & firmari jussit. Signum Pontii Stephani Narbonensis archidiaconi. Signum Rotgerii cantoris. Signum Guillelmi Arnaldi de Biterris. Signum Raimundi Calveti de la Savineira. Signum Petri Raimundi Mainardi. Rotgerius cantor scripsit die & anno quo supra.

XLIII.

Ex chart. eccl. Narb.

Compositio querelæ inter canonicos & sacristam ecclesiæ cathedralis.

1145.

IN nomine Domini. Manifestum sit quod discordia fuit inter canonicos Regulares ecclesiæ sanctorum Justi & Pastoris, & Benedictum sacristam ipsius ecclesiæ de pannis & ligneis lectis morientium clericorum, & aliorum, qui causa sepulturæ ad eandem ecclesiam deferebantur: auditis autem utriusque partis rationibus, & diligenter inquisitis, adhibito archidiaconorum & aliorum clericorum consilio, ego Arnaldus Dei gratia Narbonensis archiepiscopus, prædictam discordiam, sicut inferius determinatum est, decidi, & cum præsenti charta, Deo auctore, in perpetuum valituram mandavi observari. Statuens igitur decrevi, ut panni & lecti morientium canonicorum & aliorum clericorum ecclesiæ sancti Justi, quorum corpora sepeliuntur in cimiterio ejusdem ecclesiæ, veniant in potestatem & ordinationem canonicorum Regularium, & ipsi habeant eos, & mittant ex eis, prout necesse fuerit, in lectos fratrum suorum. De clericis qui se canonicos dederint, & de laïcis conversis idem servandum. Statui, præter istos duntaxat, cæterorum hominum morientium, quorum corpora sepelientur in cimiterio ejusdem ecclesiæ, panni & lecti sint sacristæ familiæ. . . . . in opportunitatibus suis ex ipsis pannis veteribus ministrandum esse cognovi. Hanc autem decisionem, sive constitutionem, consilio archidiaconorum & clericorum factam laudo, & in perpetuum irrefragabiliter observari præcipio. Facta charta istius constitutionis & præcepti decimo-quinto kalend. Augusti anno Domini MCXLV. regnante Ludovico rege. Ego Poncius de Brugali abbas & archidiaconus laudo. Ego Poncius Stephani archidiaconus laudo. Ego Rotgerius caput scholæ laudo. Ego Benedictus sacrista laudo. Bernardus de Salis scripsit.

XLIV.

Ex MS. Colbert.

Fundatio B. M. Populeti celeberrimi in Catalonia ordinis Cisterciensis monasterii, facta in manibus Sancii abbatis Fontis-frigidi.

1149.

IN nomine sanctæ Trinitatis. Ego Raimundus comes Barchinonensis, princeps Aragonensis, & marchio, & Ilerdæ ac Tortonsæ dominator, dono omnipotenti Deo, & genitrici ejus beatæ Mariæ Fontis-frigidi, ac venerabili Sancio abbati & fratribus universis ibidem Deo servientibus, tam præsentibus quam futuris ipsum locum, qui dicitur *Hortus de Popled*, ad construendum ibi monasterium ob servicium Dei, & ad salutem animæ patris mei, & matris meæ, & remedium animæ meæ, & habeat ibi tantum spacium terræ, ubi possint bene facere monasterium & claustra & dormitorium ac refectorium, & cunctas officinas eidem monasterio pertinentes, & cimiterium congruum per circuitum: & dono eidem monasterio ibidem terram laborationis, quanta sit necessaria ad proprium laborem jam dicti monasterii, & ad necessitatem omnium fratrum ibidem Deo servientium; prædictam quoque donationem facio bono animo & spontanea voluntate omnipotenti Deo, & S. Mariæ Fontis-frigidi, & fratribus ibi Deo famulantibus præsentibus & futuris, in manu domni Sancii abbatis, ut habeant & possideant hæc omnia jure perpetuo per alodium proprium & francum libere & quiete absque alicujus contrarietatis obstaculo per cuncta secula. Si quis autem hoc disrumpere tentaverit, nihil proficiat, sed iram Dei incurrat, & cum Juda traditore perpetuam damnationem sustineat. Facta ista charta decimo-quinto calendas Februarii anno Dominicæ Incarnationis MCXLIX. regisque Ludovici Junioris anno 13. ✠ Signum Raimundi comitis. ✠ Signum Arnalli Mironis comitis Palcrarensis. ✠ Signum Bernardi de Bellog. ✠ Signum Guillelmi Raimundi. Signum Raimundi de Cervera, qui amore Dei medietatem jam dicti horti sancto Salvatori laudo, diffinio & propria manu confirmo. ✠ Signum Raimundi de Boxadoss. ✠ Signum Pontii qui hoc scripsit.

XLV.

Ex chartul. cap. Narb.

Arnaldi archiepisc. testamentum.

1149.

IN nomine Domini. Ego Arnaldus Narbonæ archiepiscopus jacens in infirmitate in præsentia Bermundi Biterrensis episcopi, astantibus archidiaconis Arnaldo, Pontio, & Rotgerio, & Bernardo sacrista sancti Pauli majore, & Imberto sacrista minore & Bernardo de Salis, & Unaldo, si de hac infirmitate contigerit me mori, corporis mei, rerum mearum hujusmodi testamentariam facio divisionem. In primis laxo corpus meum sepeliendum ecclesiæ S. Pauli, laxo eidem ecclesiæ pro anniversario meo totum vinum & septem modios de frumento, quæ ibi habeo, ut vendantur,

& consilio prædictorum archidiaconorum pretium detur in honore, unde per unumquemque annum ibi fiat anniversarium, & ea die detur pro elemosyna sestarius unus de frumento. Ecclesiæ sanctorum Justi & Pastoris laxo capellam meam totam integram cum baccinis argenteis & candelabris & omnibus meis palleis & cappis sericis. Laxo canonicis regularibus ejusdem ecclesiæ omnem suppellectilem meam domus Narbonæ, in lectis videlicet, pannis vel culcitris. Laxo canonicæ S. Justi ad mensam alios septem modios de frumento, quos habeo apud S. Paulum, & operi claustri quatuor modios, quos habeo in cellario meo de Narbona. Laxo eidem canonicæ pro anniversario meo decimas, quas Petrus de Chillano habet de me in pignore apud Livranum, & illam partem decimarum quam habeo in Flexio. Et laxo coopertorium martrinum & pelles meas de Alfancx ad redimendum illud pignus de Petro de Chillano. Et mando ut canonici dent semper in die anniversarii mei unum sestarium de frumento pro elemosina. Et laudo Petro tabulas meas de mercato pro pignore, sicut est scriptum in charta, quam ei feci. Laxo monasterio Crassæ quinque modios de frumento apud Cruscadas, & alios quinque monasterio Fontis-frigidi. Similiter apud Cruscadas laxo decem modios inter frumentum & ordeum apud Cruscadas ad faciendum elemosinam per arbitrium archidiaconorum meorum. Laxo sanctæ Mariæ de Cassiano quinque modios de frumento apud Caput-stagnum. Laxo hospitali Jerosolimitano duos modios inter frumentum & ordeum, & alios duos inter frumentum & ordeum apud Stagnum militibus templi. Laxo monasterio sancti Pontii quinque modios inter frumentum & ordeum similiter apud Caput-stagnum. Laxo hospitali S. Justi dimidium, & hospitali S. Pauli dimidium, & leprosis civitatis & burgi dimidium modium frumenti apud Cruscadas. Laxo Gavestino coco meo duos modios frumenti apud Caput-stagnum. Laxo Johanni de Pictavi unum modium frumenti, & alterum Salomoni apud Montilium. Laudo & confirmo donum quod feci Arnoldo archidiacono nepoti meo de Castro Montilii, & insuper laxo ei omnem substantiam meam, quam ibi habeo præter tapetia & almucellas, quæ laxo ecclesiæ S. Justi, & præter fulcra serica & coopertorium unum de Alfancx, quæ laxo archidiaconis Poncio & Rogerio pro debitis, quibus pro me obligati sunt. Laxo episcopo Biterrensi omnes Sarracenos meos. Oves meas, quæ sunt apud Salas, & porcos, qui sunt apud Salas in domo mea Narbonæ, laxo in potestate archidiaconorum, ut inde præparent & faciant quæ fuerint necessaria sepulturæ meæ & elemosinæ. In omni substantia mea, quam habeo apud Caput-stagnum, præter eam quam pro anima mea laxo, habeat Bernardus Vincentii omne debitum, quod ei debeo per recognitionem archidiaconorum meorum. Cetera mea omnia, ubicumque sint, dimitto successori meo, præter illa quæ fuerint necessaria per recognitionem archidiaconorum in negotiis ecclesiæ ante consecrationem ejus, & ipse persolvat omnia debita mea. Si quis vero, quod absit, ecclesiastica secularisve persona contra hanc meam divisionem infringendo venire præsumserit, anatema sit. Clericis vero ecclesiæ S. Justi & Pastoris præsentibus & futuris mandando præcipio, ut nunquam de capella mea, quam eidem ecclesiæ dimitto, aliquid minus faciant, vel assensum alicui præbeant: quod qui fecerit anathemati subjaceat. Facta charta istius testamenti anno Domini millesimo centesimo quadragesimo nono, quarto calendas Octobris feria quarta, regnante Ludovico rege. Signum Arnaldi Narbonæ archiepiscopi, qui hanc chartam fieri jussi & manibus firmavi, & testes, qui supra scripti sunt, firmare rogavi. Johannes levita scripsit.

XLVI.

Berengarii archiepiscopi electio ab Adriano papa IV. confirmata.

1156.

ADRIANUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio B. electo Narbonensis ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem. Narbonensis ecclesia proprio destituta pastore te in patrem & archiepiscopum eligere studuit, & ad sanctam apostolicæ sedis * electionem suam voluit præsentari. Super qua cum a fratribus nostris in nostra præsentia esset aliquantulum pertractatum; quoniam per te ipsius ecclesiæ statum posse credimus auctore Domino in melius reformari, electionem ipsam duximus confirmare. Ideoque per præsentia tibi scripta mandamus, quatinus cum a filiis nostris clericis Narbonensis ecclesiæ fueris requisitus, ad ecclesiam supra dictam accedas, & onus episcopale de larga Omnipotentis pietate confisus suscipias.

* deest hîc aliquod verbum.

LXVII.

Charta Ermengardis vicecomitissæ Narbonensis pro Berengario archiepiscopo.

Ex autographo.

1156.

IN nomine Domini Jesu, anno ab Incarnatione ejusdem MCLVI. sit notum. Ego Ermengardis Narbon. vicecomitissa per me ac per meos successores per fidem ac sine inganno reddo, laudo, concedo, & cum hac charta perpetuo possidendum deffinio Deo, & beatis martyribus Justo & Pastori sedis Narbonæ, & Berengario domino meo & avunculo, ejusdem sedis archiepiscopo, & successoribus ejus in perpetuum, medietatem videlicet liddæ octo denariorum, duos siquidem denarios absolute, & alios duos denarios, quos domnus de Casulis habet, ut habeat eos ab hodierno die inantea ipse dominus de Casulis, & teneat ad feudum per manum tuam & successorum tuorum. Hac itaque ratione habes in lidda duodecim denarios, medietatem & sex denarios, duos utique quos habebas, & duos quos tibi reddo, atque duos alios, quos domnus de Casulis per te habet & possidet: quod si lidda ista aliquando excreverit, habeas tu & successores tui, atque feudalis tuus similiter medietatem pro competenti parte in augmento. Similiter reddo tibi & successoribus tuis medietatem mensis Octobris, ut habeas in hoc mense, sicut in reliquis per circuitum anni sine inganno medietatem liddæ salis. Reddo etiam tibi jam dicto domno meo Berengario Narbonensi archiepiscopo, ac successoribus tuis, & cum hac charta plane definio, turrim videlicet cum porta, quæ episcopalis vocatur, ut habeas eam & possideas deinceps tu & successores tui libere, cum introitu & exitu suo, & cum omnibus ad eandem turrim & portam pertinentibus, eo tamen pacti tenore, quod non liceat tibi, vel successoribus tuis eandem turrim altius extollere, sive aliquid de novo, quod ad munitionem pertineat, in eadem turri amplius ædificare: verum si de hiis, quæ modo sunt aliquid rueret, seu aliquo modo deterius fieret, liceat idem tibi & successoribus tuis in pristinum statum reædificare. Et ego Berengarius Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus cum consilio clericorum meorum laudo tibi Ermengardi Narbonensi vicecomitissæ ad feudum atque concedo, & cum hac charta perpetuo possidendum confirmo, medietatem scilicet liddæ sextarii de vermiculo, quando colligitur, & medietatem cordæ ac quintalis, medietatem etiam cacabi tincturarii, & tertiam partem medietatis botatici, ut habeas & possideas ista omnia ad feudum per me cum aliis omnibus feudis, quæ per me possidere & habere honorifice debes. Et ego jam dicta Ermengardis vicecomitissa recognosco me istorum, de quibus modo dictum est, medietates per Narbonensem ecclesiam deinceps ad feudum tenere. Præterea ego Ermengardis Narbonensis vicecomitissa definio tibi

domno meo Berengario sæpe dicto Narbonensi archiepiscopo per me & successores meos, omnes querimonias, quas de Narbonensi ecclesia huc usque facere consueveram; & ego Berengarius Narbonensis archiepiscopus cum consilio clericorum meorum definio tibi Ermengardi supra memoratæ vicecomitissæ similiter per me & successores meos, omnes querimonias, quas Narbonensis ecclesia de te facere solebat. Hujus autem concordiæ definitio & compositio pacis atque omnium querelarum excogitata pausatio inter Berengarium archiepiscopum Narbonensem & vicecomitissam Narbonensem Ermengardim facta est apud Arelatem in Dominica die pridie cal. Octobris Luna sexta, in præsentia domni Raimundi Arelatensis archiepiscopi, & Raimundi Berengarii famosissimi Barchinonensium comitis, Aldeberti Nemausensis episcopi, Petri Forojuliensis episcopi, Pontii Uticensis præpositi, Rogerii Narbonensis archidiaconi, Raimundi Nemausensis archidiaconi, Imberti sacristæ S. Pauli, Remundi Guillelmi prioris de Tornaco, Guillelmi de Sardonicis, Petri Bernardi, Pontii de Vinia, Bremundi Udalgarii Fenoletensis vicecomitis, Remundi de Salas, Raimundi de Bizano, Petri Raine Nemausensis canonici, & aliorum multorum, quorum nomina hic scribere necesse non fuit. Guillelmus Arnaldi rogatus scripsit.

XLVIII.

Tom. X. concil. pag. 1175.

Bulla Adriani papæ IV. qua Ermengardis dominæ Narbonensis confirmat renunciationem bonorum archiepiscopatus, quæ solebat occupare post obitum archiepiscoporum.

Circa 1156.

ADRIANUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri B. archiepiscopo, & dilectis filiis archidiaconibus & universo clero Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam apostolicæ sedis curam, Deo, prout ipsi placuit, disponente, suscepimus, quieti & paci universarum ecclesiarum sollicita nos convenit attentione prospicere, & quæ pro earum tranquillitate acta viderimus, auctoritate apostolica confirmare: ita ut quæ semel ad honorem Dei, decorem domus ejus, & salutem fidelium fuerint constituta nulla diuturnitate temporis in oblivionem neglectumque deveniant, nullaque machinatione pravorum a sua valeant stabilitate moveri. Dilecta vero in Christo filia nostra nobilis mulier Ermengardis Narbonæ domina pravam quandam consuetudinem, quæ contra Deum & ecclesiam vestram antiquitus inoluerat, divinæ legis amore, ac tuæ, frater archiepiscope, dilectionis intuitu abolere desiderans ad remissionem peccatorum suorum, instituit ut te vel tuorum successorum quolibet obeunte, nullus princeps, nullus castellanus, nulla omnino secularis persona episcopalia bona invadere, diminuere, aut perturbare præsumat, sed omnia futuro antistiti inconcussa & integra conserventur: cujus utique nos pium comprobantes affectum, & renunciationem ipsius ratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus, & firmam & illibatam perpetuis temporibus decernimus permanere. Archiepiscopo itaque, quicumque pro tempore fuerit, decedente, nec terræ princeps, nec castellanus aliquis, sive miles, nec secularis, laicave persona sub obtentu alicujus consuetudinis Narbonæ ecclesiæ bona diripere, vel direpta audeat retinere. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, & infra quadraginta dies præsumptionem suam satisfactione congrua non correxerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus incurrat, & tamquam sacrilegus fidelium communione privatum & vinculo se noverit excommunicationis astrictum, & a nemine sine licentia Romani pontificis, aut legati ex ejus latere destinati possit absolvi. Data Laterani V. idus Decemb.

XLIX.

Charta Ermengardis vicecomitissæ Narbon. locum Fontis-frigidi Vitali abbati concedentis, vel potius confirmantis.

1157.

IN nomine Domini Jesu Christi, ego Ermengardis vicecomitissa Narbonensis dono Deo, & beatæ Mariæ, & Vitali abbati, & successoribus ejus præsentibus & futuris Deo servientibus locum Fontis-frigidi cum omnibus pertinentiis suis, cultis & incultis, ingressibus, regressibus, nemoribus, pascuis, & aquis, pro salute animæ meæ, & patris mei, & omnium parentum meorum. Termini hujus prædicti loci sunt de Altano in via de Jonqueriis, quæ exit usque ad collum Fraxinelli; a collo autem Fraxinelli, sicut cruces ibi positæ sunt, usque ad viam novam Mercadeiram, quæ vadit ad Rossellionem, quam viam ego jussi facere: de via vero nova usque ad Estagnollos, de Estagnollis est via, quæ vadit ad montem Grossum, de monte Grosso est via, quæ venit usque ad cornu prati de Castro, quod dicitur S. Martini, ex parte Aquilonis, de prato jam dicti castri est via, quæ vadit ad Combam-tortam, de Comba-torta est via, quæ ascendit usque ad collum de Canta-lupis, sicut aqua versat apud Fontem-frigidum; de Canta-lupis est via, quæ vadit ad Pennas, de Pennis vero est via, quæ regreditur ad viam de Jonqueriis: totum quantum est infra istos terminos supra scriptos, ego Ermengardis jam dicta dono, concedo & laudo per alodem francum Deo & B. Mariæ Fontis-frigidi, & habitatoribus illius cenobii præsentibus & futuris, pro salute animæ meæ, & remissione peccatorum meorum, & omnium parentum meorum, ut habeant integriter jure perpetuo in sempiternum. Facta fuit hæc charta hujus donationis XII. cal. Aprilis anno Domini MCLVII. regnante Ludovico rege. Signum mei Ermengardis vicecomitissæ Narbonæ, quæ hanc chartam scribere jussi, laudavi, firmavi, firmarique rogavi. Signum domni Berengarii archiepiscopi patriæ Narbonensis. Signum Ermengaudi de Leocata. S. Raimundi de Castriis. Signum Raimundi de Salis. Signum Raimundi de Bidano. Signum Berengarii de Narbona. Signum Bermundi de Sejano. Guillelmus rogatus scripsit die & anno, quo supra.

L.

Ex autographo.

Præceptum Ludovici VII. regis Francorum, concessum Berengario archiepiscopo Narbonensi.

1157.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Contemplantes ecclesiarum vetera privilegia, quibus majorum nostrorum Regum Franciæ donaria confirmantur, quædam exemplo eorum in nobis caritas excitatur, & venerabilium prælatorum petitionibus exaudiendis facilius inclinamur. Siquidem Narbonensis ecclesia de antiquis possessionibus suis, & antecessorum nostrorum largitionibus habere documenta solebat, sed jam vetustatis senio attrita, neque diucius duratura nullatenus ammodo memoriam poterant excitare: ad que renovanda, & quadam novæ scripturæ puericia convenustanda providus ejusdem ecclesiæ patronus & dignissimus archiepiscopus Berengarius humiles nostræ serenitati preces porrexit, & nos libenter commodavimus aurem precanti; notum liquido facientes universis sanctæ matris ecclesiæ fidelibus & filiis, quicquid habet ecclesia Narbonensis ex dono antecessorum nostrorum Regum Franciæ, & quicquid etiam alia de parte habet legaliter & juste, nos concedere tam ipsi archiepiscopo & successoribus suis, quam canonicis ejusdem sedis, & auctoritate regia confirmare: insuper etiam, ne dux nec alia potestas super jam dictam ecclesiam, aut clericos,

vel res ejus injustam exactionem exerceat inhibere. A Concedimus itaque & nostri privilegii auctoritate communimus jam dicto Berengario Narbonensis ecclesiæ archiepiscopo, & successoribus ejus in perpetuum, in civitate Narbona metropolim ecclesiam SS. Justi & Pastoris, cum turribus & omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, & medietatem thelonei, & portatici, & salinarum, & molendina, quæ sunt subtus pontem ipsius civitatis, & iterum molendina, quæ sunt in loco, quem vocant *Matam Pedilii*, & de porta Coriani usque ad Celatam, & usque ad medium flumen Attacis, & usque ad lavatorium Coriani cum monte Judaïco, & in burgo abbatiam S. Pauli, cum omnibus ad eamdem abbatiam pertinentibus, villam quoque de Censerada, Casoles, Alencianus, & insulam quæ vocatur Mandriacus, & villare, quod vocatur B S. Agatha, & Curcuciacus, & Ventenacum, & villam, quæ dicitur S. Saturninus, abbatiam quoque S. Laurentii, & abbatiam S. Stephani, quæ vocatur Banjolas, abbatiam de Quadraginta, villam etiam de Limous, & villam Cæsarani, & villam Arsegii & Trapas; castrum præterea de Auriaco, cum villis suis & terminis. Castrum de Fonte-Juncoso, cum villa sua & terminis, castrum de Cruscadas, cum villa sua & terminis; castrum de Canneto, cum villa sua & terminis, castrum de Sejano, cum villa sua & terminis, castrum de Montilio, cum pertinentiis suis, castrum etiam de Capite-stagni, cum villa sua & terminis, & omnibus ad idem castrum pertinentibus. Hæc denique omnia, & si qua alia juste & legaliter, Deo auctore, Narbonensis ecclesia possidet, concedimus præfato Berengario Nar- C bonensi archiepiscopo & successoribus suis, atque ecclesiæ SS. Justi & Pastoris, & sub nostræ protectionis munimine nobis profutura suscipimus, ut liceat memorato archipræsuli suisque successoribus sub nostra defensione quiete residere, & nostræ parere jussioni, & quicquid jus fisci exinde exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione eidem concedimus ecclesiæ, ut perpetuis temporibus clericis ibidem Deo servientibus proficiat in augmentum, quatenus rectores ipsius ecclesiæ, cum omnibus ad se pertinentibus pro nobis & conjuge proleque nostra, ac totius regni a Deo nobis concessi Domini misericordiam alacriter exorare delectet: ad hæc adjicientes statuimus, ut præfatus Berengarius Narbonensis archiepiscopus, & successores sui in burgo S. Pauli de Narbona, in D castro de Montilio, & in castro de Capite-stagni, & toto terminio suo plenarium districtum, & quicquid ad jus regium pertinet, post hujus nostri rescripti dationem, quiete possideat; & ut hæc præcepti nostri auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subsignantes, sigilli nostri impressione consignari præcepimus. Actum publice Mileduni anno ab Incarnatione Domini MCLVII. regni nostri XXI. astantibus in palatio nostro, quorum substituta sunt nomina & signa. S. comitis Blesensium Theobaudi dapiferi nostri, S. Guidonis buticularii, S. Mathæi camerarii, S. Mathæi constabularii. Data per manum Hugonis cancellarii.

L I.

Ludovicus VII. Francorum rex renovat privilegia ecclesiæ Narbonensis, in gratiam Pontii ejusdem archiepiscopi.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, notum facimus universis tam præsentibus, quam futuris, nos litteras sigillo nostro sigillatas vidisse, & penes nos habere, tenores qui sequuntur continentes. Philippus Dei gratia Franc. rex notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos inclitæ recordationis Ludovici Franc. regis atavi nostri litteras vidimus in hæc verba:

1165.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Ludovicus Dei gratia Franc. rex contemplantes ecclesiarum vetera privilegia, quibus majorum nostrorum regum Francorum donaria confirmantur, quædam exemplo eorum in nobis caritas excitatur,& venerabilium prælatorum petitionibus exaudiendis facilius inclinatur. Siquidem Narbonensis ecclesia de antiquis possessionibus suis & antecessorum nostrorum largitionibus habere documenta solebat, sed jam vetustatis senio attrita neque diutius duratura nullatenus amodo memoriam poterant excitare: ad quæ renovanda, & quadam novæ scripturæ pueritia convenustanda providus ejusdem ecclesiæ patronus dignissimus archiepiscopus Pontius humiles nostræ serenitati preces porrexit, & nos libenter commodavimus aures precanti: notum liquido facientes universis S. matris ecclesiæ fidelibus & filiis, quod quidquid Narbonensis ecclesia ex dono & concessione antecessorum nostrorum regum Francorum, & quidquid etiam ex alia item parte juste & canonice possidere dignoscitur, tam ipsi archiepiscopo & successoribus suis, quam ejusdem etiam sedis canonicis confirmamus auctoritate regia. Insuper etiam adinstar patrum nostrorum sanximus, ne aliquis dux, comes, vicecomes, sive alius aliquis princeps super jam dictam Narbonensem ecclesiam aut ecclesiasticos, aut milites, aut burgenses sive rusticos ad eamdem ecclesiam pertinentes injustas exactiones exerceat, omnibus inhibemus. Antecessorum igitur nostrorum liberalitatem sectantes, concedimus & præsentis auctoritate rescripti firmamus tibi præfato Pontio ecclesiæ Narbonensis archiepiscopo & successoribus tuis in perpetuum, in civitate Narbona ecclesiam metropolim SS. Justi & Pastoris cum omnibus ad eamdem ecclesiam in eadem civitate & suburbiis & toto dominio ejusdem civitatis pertinentibus, & medietatem civitatis Narbonensis cum turribus omnibus & muris & adjacentiis eorum intrinsecus & extrinsecus & thelonei & portatici, ac de navibus per mare & per fluvium discurrentibus, necnon & salinis, & omnibus omnino rebus, de quibus ledda vel usaticus dari solet, pro ejusdem ecclesiæ reverentia, in omnibus medietatem eidem ecclesiæ concedimus. Concedimus etiam præfatæ ecclesiæ Narbonensi molendina, quæ sunt subtus pontem ipsius civitatis, & molendina, quæ sunt in loco, quem vocant *Matam Pedilii* & de porta Coriani usque ad Celatam, & usque ad medium flumen Atacis, & usque ad lavatorium Coriani cum monte Judaïco, & omnia prædia culta vel inculta, ædificata sive inedificata, quæ protenduntur ex parte circii usque ad muros prædictæ civitatis, & usque ad viam publicam, quæ a porta regia discurrit versus pontem septimum, sicut hodierno die ea juste & rationabiliter ecclesia tenet & possidet. In burgo etiam ecclesiam S. Pauli cum omnibus in eodem burgo & al. ubicumque sit ad eamdem ecclesiam pertinentibus, ita ut nulli deinceps ecclesiasticæ secularive personæ, post hujus edicti nostri confirmationem, præfatam ecclesiam S. Pauli a jure & ab administratione Narbonensis archiepiscopi nostris futurisque temporibus subtrahere liceat. Villam quoque de Censerada, Cozolos, Alentianus, insulam quæ vocatur Mandiracus, villare quod vocatur S. Agatha, E Curcutiatus, Ventenacus, villam quæ dicitur S. Saturninus. Abbatiam quoque S. Laurentii, abbatiam S. Stephani, quæ vocatur Banholas, abbatiam de Quadraginta. Villam etiam de Limos, villam Cesaram, villam Argegii, Trapas; castrum præterea de Auriaco cum villis suis, & terminis, castrum de Fonte-joncoso, cum villa sua & terminis, castrum de Villarubea cum villa sua & terminis: & in Redensi comitatu castrum de Corniliaco cum terminis suis, castrum de Salis cum villa sua & terminis, castrum de Pozalio *, cum villa sua & terminis, castrum de Argens cum toto suo districtu, castrum de Ventenaco cum villa sua & terminis, castrum de Quilhano cum villa sua & terminis, & honorem & villam de Fonte-erecto

* al. de Pozaterio.

cum toto termino suo, castrum de Gruissano cum toto termino suo, castrum quod dicitur villa Damiani cum toto suo districtu. Et in Minerbensi vicecomitatu castrum de Peiriaco, castrum de Oneraco, castrum de Cruscadas cum villa sua & terminis, castrum de Canet cum villa sua & terminis, castrum de Sejano cum villa sua & terminis, castrum de Montilio cum pertinentiis suis, castrum etiam de Capite-stagni cum villa sua & terminis omnibus ad idem castrum pertinentibus. Hæc denique omnia & alia, quæ juste & canonice, Deo auctore, Narbonensis ecclesia habet & possidet, concedimus præfato Pontio Narbonensi archiepiscopo & successoribus suis, atque ecclesiæ SS. Justi & Pastoris in perpetuum, & sub nostræ protectionis munimine perpetuo valitura suscipimus, ut gaudeat prælibatus archiepiscopus suique successores sub nostra defensione quiete residere & nostro parere imperio, & quidquid jus fisci exinde in omnibus præfatis exigere poterat, hoc est omnia regalia jura, totum nos pro æterna remuneratione eidem concedimus ecclesiæ, ut perpetuis temporibus archiepiscopis & clericis ibidem Deo servientibus proficiat in augmentum, quatenus rectores ipsius ecclesiæ cum omnibus ad se pertinentibus pro nobis & conjuge proleque nostra ac totius regni a Deo nobis concessi Domini misericordiam alacriter exorare delectet. Decernimus præterea, & per hujus nostri rescripti sacros apices statuendo sancimus, ut præfatus Pontius Narbonensis archiepiscopus & successores sui in burgo de Narbona quantum modo tenetur *, sive quantumlibet in futurum excreverit, & in castro de Montilio & in castro & villa de Capite-stagni & in toto terminio ejusdem castri & villæ quantumcumque dilatatum fuerit, in omnibus & de omnibus illius loci habitatoribus occasione aliqua commorantibus, firmancias, justitias, publicas exactiones, & in omnibus omnino causis potestativum plenarie districtum, & quidquid ad jus regium pertinet post hujus nostri præcepti dationem sine alicujus hominis contradictione in pace habeat & possideat, & omnimodam justitiam quæ ad feudum in burgo Narbon. ab archiepiscopo habetur; & ut liceat jam dicto Pontio & successoribus suis omnia castra quæ nunc habet & possidet, sive aliquis nomine Narbonensis ecclesiæ, condirigere & efforsare, & in alio, si Narbonensis ecclesiæ rectoribus idoneum visum fuerit, loco de novo construere & transmutare statuimus in allodio suo & in castellaria, id est termino ejusdem castri. Et ut hæc præcepti nostri auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subsignantes, sigilli nostri impressione consignari præcepimus. Actum publice apud Silviniacum anno ab Incarnatione Domini MCLXV. astantibus in palatio nostro, quorum subtitulata sunt nomina & signa. S. comitis Blesensium Theobaldi dapiferi nostri. S. Guidonis buticularii, S. Mathæi camerarii, S. Rodulfi constabularii. Data per manum Hugonis cancellarii & episcopi Suession. in cujus rei testimonium & munimen præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis anno Domini MCCXCII. mense Febr.

* al. tenet.

L I I.

Ex MS. Colbert.

Aimericus de Narbona dat se in fratrem Fontis-frigido & Vitali abbati.

1176.

In nomine Domini Jesu-Christi, amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo centesimo septuagesimo sexto, ego Aimericus Narbonæ cupiens orationibus Cistercienses ordinis divinam gratiam promereri, cum hac præsenti charta in manu Vitalis abbatis Fontis-frigidi dono me ipsum pro fideli servo & fratre Domino Deo, & monasterio S. Mariæ Fontis-frigidi in vita & in morte, in vita, quod ibi habitum religionis accipiam, si Deo volente in vita mea seculo renuntiavero, in morte, quod ubicunque obirem illic corpus meum sepeliri faciam, & dono & concedo atque confirmo in perpetuum pro alodio franco Domino Deo, & tibi Vitali abbati prædicto, omnibusque tuis successoribus, omnes illas terras cultas vel incultas, & omnes possessiones, seu acquisitiones, honores, vel...... quas habetis vel habituri estis dono, seu emptione, vel ulla voce in Narbonensi vicecomitatu, ut ea omnia libere vel quiete habeatis vos & fratres vestri, & possideatis sine laudamento alicujus personæ, sicut melius & perfectius intelligi potest, ad profectum monasterii prænominati. Convenio etiam & plivio, quod monasterium jam dictum, & ea quæ ad ipsum ullo modo pertinent, manu teneam & defendam pro posse meo & sensu, sicut mea propria, & sine censu & usatico, & sine omni retentione. Factum fuit hoc octavo calendas Februarii. Sig. Aimerici Narbonæ, qui hoc laudo, & propriis manibus firmo, & firmari facio. Sig. Ildefonsi regis Arragonum. Sig. Raymundi de S. Maria. Sig. Gausberti de Garris. Sig. Guillelmi de Malolis. Sig. Arnaldi de Guidaire. Sig. Berengarii Eira. S. Gerbaldi Bertol. S. Petri Falconer. Hæc charta fuit laudata & firmata in quadam vinea juxta Perpinianum. Stephanus monachus & prior S. Mariæ Populeti rogatus scripsit die & anno quo supra.

L I I I.

Ex tabul. Capit. Narbon.

Litteræ Lucii III. Papæ ad capitulum Narbonense.

1181.

Lucius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis capitulo Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Venientes ad nos venerabiles fratres nostri Magalonensis & Bitterrensis episcopi nostro apparatui suggesserunt, quod cum ecclesia vestra esset non solum archiepiscopo, sed etiam personis aliis destituta, juramento præstito promisistis, quod mandato venerabilis fratris nostri Albanensis episcopi, qui tunc in partibus illis legationis officio fungebatur, de ordinatione ipsius ecclesiæ sine contradictione qualibet pareretis; cæterum quia idem episcopus antequam vestram ecclesiam ordinasset, ad sedem apostolicam rediit, nos providere volentes, ne personarum defectu eidem ecclesiæ quodlibet incommodum perveniret, prædicto episcopo dedimus in mandatis, ut, sicut a vobis in eum religione jurisjurandi fuerat compromissum, jam dictam ecclesiam ordinaret; ipse verò cum consilio prædictorum episcoporum tres archidiaconatus vacantes, & sacristiam in ipsa ecclesia de personis idoneis ordinavit, & canonicum quemdam instituit, mandans vobis in virtute præstiti juramenti, ut personas illas in suos personatus, & præbendam admittere minime differatis, & redditus & loca sua libere permittatis habere: nos utique, quod ab eodem Albanensi factum est, ratum habentes, mandamus vobis atque præcipimus, quatenus ad mandatum ipsius Albanensis, sicut juramento tenemini, ordinationem ejus, contradictione & appellatione cessante, ratam habeatis & firmam, nec aliqui vestrûm personas ab eo, sicut diximus, ordinatas impediant, quominus per investituram supradicti Biterrensis pacifice præscriptos personatus habeant & præbendam. Datum Velletri decimo-septimo calendas Junii.

L I V.

Ex MS. Colbert.

Prior & cuncti ecclesiæ S. Eugeniæ monachi strictioris observantiæ zelo, se & sua dant abbati & domui Fontis-frigidi.

1189.

In nomine Domini, anno suæ Nativitatis millesimo centesimo octuagesimo nono, regnante Philippo rege mense Septembri. Notum sit omnibus hoc audientibus, quod ego Guillelmus de Lacu prior domus S. Eugeniæ, & nos fratres ejusdem loci, scilicet ego

Johannes de Vitraco, & ego Guillelmus de S. Marcello & ego Guillelmus Cornelii, & ego Martinus de Mata, & ego Arnaldus Pastor, non inducti metu, vel dolo, sed bona fide, & firmo & laudabili proposito, divini numinis aspiratione, eligentes arctioris vitæ viam, considerantes domui nostræ S. Eugeniæ imminere graves æris alieni molestias, & importunas instare creditorum exactiones, attendentes etiam prædicta onera elevari non posse, vel prætaxata debita solvi, nisi prædictæ domus mobilia & immobilia venderentur, ut sic in fine distractis possessionibus, alia non restaret via, nisi nos fame perire, donamus & offerimus ac tradimus nosmetipsos per fratres Domino Deo, & beatæ Mariæ monasterii Fontis-frigidi, & tibi Bernardo ipsius loci abbati, & omni conventui ibidem præsenti, ac futuro. Offerimus quoque, tradimus & transferimus cum hac præsenti charta in perpetuum valitura tibi Bernardo abbati monasterii Fontis-frigidi & conventui ejusdem loci præsenti, ac futuro, domum scilicet & locum S. Eugeniæ, & ecclesias de Agautiano, & de Rocalonga, & de Olivis, & alia omnia bona ejusdem domus S. Eugeniæ mobilia atque immobilia, & etiam per se moventia, & omnia etiam jura ad eandem domum pertinentia, divina & humana quæque sint, & ubicunque sint. Rursum sit omnibus manifestum, quod ego Guillelmus de Lacu jam dictus prior domus S. Eugeniæ adhuc habens liberam & generalem ipsius domus S. Eugeniæ administrationem, consilio conventus ejusdem loci institui, ut in jam dicta ecclesia S. Eugeniæ perpetuo sint, ac maneant duo clerici, quorum sit alter sacerdos, qui ad honorem Dei & beatæ Mariæ ejus matris in eadem ecclesia divina celebrent officia, pro quibus exhibendis in ipsa ecclesia dedimus domui Fontis-frigidi, & tibi Bernardo abbati ejusdem loci & conventui ibidem præsenti atque futuro illum honorem, quem habemus, vel habere debemus in turribus & in suis terminiis pro dicta ecclesia, & totum illum honorem, quem habemus, vel habere debemus aliquo jure pro eadem ecclesia in Portello ac in suis terminis, ut ex fructibus jam dictorum bonorum abbas monasterii Fontis-frigidi, quicunque fuerit, duobus clericis in prædicta ecclesia S. Eugeniæ servientibus victui & vestitui necessaria exhibeat. Ceterum si ordo Cisterciensis non pateretur, quod ibi duo clerici de domo servirent, licentiam habeat abbas Fontis-frigidi instituendi ibi duos clericos idoneos, quos velit, qui in eodem loco ad honorem Dei divina repræsentent, ita ut pro fructibus præscriptorum bonorum de Turribus & de Portello eos semper ibi teneat. Constituimus etiam, ut ad honorem Dei ac beatæ Mariæ in prædicta ecclesia S. Eugeniæ perpetuo die ac nocte sit lampas accensa, quod omne faciat abbas Fontis-frigidi præ sæpe dictis redditibus de Turribus & de Portello, & si aliquid residuum fuerit impletis ante dictis officiis, totum remaneat monasterio Fontis-frigidi, & si forte aliquid inde defuerit, suppleat abbas Fontis-frigidi pietatis intuitu.

Ego igitur Bernardus Fontis-frigidi abbas consilio conventus ejusdem loci, caritatis amore & affectu misericordiæ, cum sciam esse consonum canonicæ disciplinæ indigenti manum porrigere, cum videam fratres S. Eugeniæ multas calamitates sustinere, & maxime hac de causa, quod eos religioni devotos conspicio, ipsos in fratres nostros & in beneficia nostræ domus accipio, & omnes fratres & confratres illius S. Eugeniæ domus, qui ab hoc seculo recesserunt, in orationes nostras atque beneficia recipio, ut inde bonam partem habeant; confratribus autem domus, qui adhuc in seculari habitu permanent, orationum nostrarum & eleemosynarum plenariam partem concedimus, & quando eis placuerit nostræ religionis habitum accipere & votum facere, eos in nostro monasterio accipiemus, nisi justa causa ipsos impediret, & domum S. Eugeniæ, & omnia jura ad eandem domum pertinentia, ubicunque sint, & quæcunque sint in dominium & protectionem & potestatem nostræ domus suscipimus, & de cetero quasi nostra & de jure nostri monasterii tenere & possidere volumus. Promitto etiam me prædictæ domus debita soluturum, constitutionem etiam de duobus clericis & de lampade, quæ in ecclesia S. Eugeniæ perpetualiter lumen habere debet, sicuti justam & rationabilem laudamus, & per nos & per successores nostros observandam promittimus: sed si hoc observare propter nostrum ordinem non possemus, & hæc pactio videretur ei esse repugnans, præscriptum honorem de Portello & de Turribus clericis ibi constitutis resignabimus, omnibus aliis capitulis in suo vigore durantibus: si autem prædictis resignatis possessionibus præfati clerici de fructibus inde perceptis non poterunt sibi in victu & vestitu satisfacere, abbas Fontis-frigidi, quicunque ibi sit, de bonis ejusdem monasterii suppleat.

Præterea nos omnes prælibati fratres S. Eugeniæ, scilicet Guillelmus de Lacu prior ejusdem loci, ego Johannes de Vitraco, & ego Guillelmus de sancto Marcello, & ego Guillelmus Cornelii, & ego Martinus de Mata, & ego Arnaldus Pastor omni juri, quod habebamus, vel habere debebamus, seu poteramus in jam dicta domo S. Eugeniæ, vel per eandem domum in cunctis locis, omnino scienter renuntiamus, & totum quidquid ibi habebamus, vel habere debebamus, seu poteramus jure, lege vel consuetudine, aut alio quocunque modo, tradimus Domino Deo & B. Mariæ, ac monasterio Fontis-frigidi, renuntiando in hoc facto omni privilegio ecclesiastico & civili, & etiam generaliter omni juri tam divino, quam humano, scripto vel non scripto, generali seu speciali, quod pro nobis facere posset, si contra hæc superius dicta venire vellemus, & specialiter beneficio in integrum restitutionis. Promittimus etiam bona fide, per stipulationem, ac etiam in verbo Dei tibi Bernardo abbati cœnobii Fontis-frigidi & conventui ejusdem loci, quod omnes chartas emptionum & permutationum, ac donationum, ac etiam alterius cujuslibet acquisitionis, quas habemus, vel ulla per nos persona in præsenti, & dilatione omni remota, vobis reddamus, vel reddi faciamus. Totum sicut scriptum est ego Guillelmus de Lacu adhuc prior S. Eugeniæ laudo & confirmo, & in continenti administrationi renuntio, & dignitatis meæ abdicationem facio, & nos ceteri fratres ipsius domus S. Eugeniæ, qui sumus super nominati, hoc totum, ut superius continetur, & melius dici, scribi & intelligi poterit, ad utilitatem vestram vestrorumque successorum, & etiam monasterii Fontis-frigidi omni tempore laudamus, & confirmamus, & de nostro jure & potestate in vestrum jus & monasterii dicti Fontis-frigidi domum S. Eugeniæ cum omnibus sibi ubique pertinentibus & juribus transponimus, & nos modo omnino denudamus in posse dicti monasterii, & fratrum ejusdem loci, cum omni valore, quem nunc habent domus S. Eugeniæ, & ejus jura pertinentia, aut de cetero aliquo modo habebunt. Totum, ut superius scriptum est, nos sorores domus S. Eugeniæ, scilicet ego Maria, que fui uxor Viduani de Bagis, & ego Garsendis de Mata, & ego Arsendis de Gatpadenis, sorores domus S. Eugeniæ, & ego Arnaldus filius quondam Viduani de Bagis, & ego Pontius de S. Marcello, & ego Remundus de Rabedolz, & Johannes Caragauli confratres ejusdem domus S. Eugeniæ, laudamus & confirmamus, & quod contra nunquam veniamus, vel venire faciamus, per stipulationem bona fide promittimus, renuntiantes scienter omni juri, legi & consuetudini ad hoc infringendum. Hoc laudavit prior S. Eugeniæ & ceteri fratres prædicti illius domus, excepto Arnaldo Pastore, & etiam Maria prædicta & ejus filius Arnaldus laudaverunt hoc in burgo Narbonæ in domo Fontis-frigidi in testimonio Petri Xatinarii, Berengarii Boneti, &c.

Præterea

Præterea ego Bernardus Narbonæ archiepiſcopus hanc paginam iſtius donationis ratam & valituram perenniter laudo & confirmo, & inſuper auctoritate ſigilli mei ſupra poſiti corroboro & confirmo. Si quis autem contra hanc paginam venire temtaverit, iram & indignationem Dei omnipotentis incurret. Ego Pontius de Sejano monachus S. Eugeniæ totum hoc, ſicut ſuperius continetur, laudo, dono & confirmo, & quod contra non veniam, nec venire per ſtipulationem non faciam promitto. Bernardus de ſancto Nazario ſcripſit.

L V.

Tabul. capit. Narbon.

Bulla Cæleſtini Papæ III. qua B. epiſcopi Ilerdenſis in archiepiſcopum Narbon. electionem confirmat.

1191.

CÆLESTINUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis capitulo Narbonenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quod epiſcoporum mutationes, utilitatis, vel neceſſitatis cauſa, poſſint auctoritate apoſtolica licite fieri, tam canonum ſtatuta, quam antiqua ſanctorum patrum exempla manifeſtius proteſtantur. Etenim beatus Petrus magiſter noſter & princeps de Antiochia Romam tranſlatus eſt, ut ibi magis proficeret. Euſebius quoque Alexandriam, Felix Epheſum pro eadem cauſa fuit hujus almæ ſedis auctoritate tranſlatus. Hac itaque ratione conſiderationis, & aliarum plurium mutationum exemplis inducti, nimirum reſpicientes ad utilitatem Narbonenſis eccleſiæ, & neceſſitatem temporis, quo in veſtris partibus hæreſum & ſectarum ſtudia diverſa, guerrarumque conflictus ſolito amplius invaluiſſe dicuntur; inſpecta etiam idoneitate perſonæ, in quam laudabiliter convenistis, licet ab initio contradictores aliqui obſtitiſſent, de communi tamen fratrum conſilio, electionem, quam de venerabili fratre noſtro B. epiſcopo Ilerdenſi feciſtis, ratam habemus, & auctoritate apoſtolica confirmantes, ipſum vobis concedimus in paſtorem. Mandamus itaque vobis, atque præcipimus, quatenus deinceps ei debitum honorem & obedientiam tanquam ſpirituali patri veſtro, appellatione remota, tam hilariter, quam humiliter impendatis, & ita erga eum vos exhibere curetis, ut & ipſe ſicut pater ſollicitus de regimine veſtro debeat commendari, & vos tanquam devotos filios de obedientia eidem exhibitâ digna laudum prædicatio proſequatur. Credimus ſiquidem & ſperamus, quod qui in abbatia & epiſcopatu ſe geſſerit utiliter & honeſte, in archiepiſcopatu, opitulante Domino, ea poterit operari, quæ in temporalibus eccleſiæ veſtræ proficient, & in ſpiritualibus correctionem atque meliorationem, divina operante virtute, præſtabunt. Datum Romæ apud ſanctum Petrum undecimo calendas Auguſti Pontificatus noſtri anno primo.

L V I.

Ex MS. Colbert.

Aimericus Narb. vicecomes confirmat fundationem eccleſiæ & monaſterii S. Victoris de Monte Monvetre, *factam a Pontio de Lercio monacho Fontis-frigidi.*

1202.

IN nomine Domini, anno Incarnationis ejuſdem milleſimo ducenteſimo ſecundo, regnante rege Philippo, duodecimo calendas Martii, omnibus hæc audientibus ſit certum & manifeſtum, quoniam ego Aimericus Dei gratia vicecomes Narbonæ per me & omnes ſucceſſores meos bona fide, cum hac valitura charta, pro amore Dei & ſalute animæ domini patris mei quondam comitis Petri, meorumque parentum, in remiſſione peccatorum meorum, & intuitu pietatis & miſericordiæ, quam a Domino valeam impetrare, dono, laudo, & pro anima concedo atque confirmo nunc & in perpetuum tibi fratri Petro de Lercio & ſucceſſoribus tuis, omnibuſque fratribus, & habitantibus ibi Deo ſervientibus, præſentibus & futuris, domum illam & eccleſiam, quam in honore Dei & glorioſæ virginis Mariæ & S. Victoris, de quo nomen tenet, in monte, qui vocatur *Monvetre*, ædificaſti, divina inſpirante gratia, tu dictus Petrus de Lercio, in qua eccleſia per Dei gratiam divina jam quotidie celebrantur miſteria, & preces ibi Deo funduntur, quam eccleſiam & domum tu Petrus de Lercio regis, & ſuſtentas ſummo labore tuo de eleemoſynis, quæ ibi a vicinis & circumſtantibus divina inſpiratione mittuntur, & eam domum & eccleſiam de licentia & permiſſione domini papæ, cujus eſt tueri fidem ſanctæ Chriſtianitatis, fundaſti, & ſuo privilegio dominus Papa Innocentius jam corroboravit, ibique ſuum ſibi reſervavit locum: & ideo ego Aimericus obtinens regimen & dominatum totius patriæ Narbonæ per me & omnes meos dono, laudo, & concedo tibi memorato Petro de Lercio, primo fundatori hujus loci in bono opere & Dei ſervitio perſeveranti, & omnibus ſucceſſoribus tuis, & eccleſiæ ac domui S. Victoris in perpetuum, cunctiſque fratribus ibi Deo ſervientibus præſentibus & futuris, ad faciendam omnem veſtram voluntatem, totum honorem, heremum & condirectum, cultum & incultum, quem hodie habetis & tenetis, & laboratis, & inantea acquirere & lucrari poteritis in omni terra mea, & in omni poteſtativo meo ubique, & loca etiam, quæ rumpere & laborare poteritis, & omnes honores & acquiſitiones, quas vos & poſteri veſtri per *compram*, ſive per donum, ſive per *laixam*, vel per ullum alium aliquem modum, prædicto loco & domui rationabiliter poteritis acquirere, & augere, quam domum, & eccleſiam, & locum, & ejus quaſcunque res, & honores, & poſſeſſiones, & quidquid habet & habebit, pro amore Dei convenio ubique deffendere, cuſtodire, & manutenere in omni meo poteſtativo, & per totam terram meam, & per omnia loca, in quibus poteſtatem habeam, vel per amicos meos, & etiam in mea * bavilia, & cuſtodia, & manutenentia, domum iſtam, & ejus res, & poſſeſſiones, & quidquid habet & habebit nunc & in perpetuum recipio, & quicunque homo, vel femina aliquam laixam, vel donum de honore, vel auro, vel rebus ſuis pro amore Dei & ſalute animæ ſuæ ibi fecerit, illam laixam, vel donum quodcunque ſit, dono & confirmo ego per me & meos omni tempore valituram & firmam, & ut melius & plenius bona fide dici & intelligi poteſt, ad præfatæ domus utilitatem quidquid adquirere poterit & lucrari, ego nunc de preſenti laudo & confirmo, & quicunque hanc domum in aliquo moleſtaverit, ſit a me diffiſus . . . . ſibi illatum ei reſtituerit, & ad majorem firmitatem & hæc omnia ſicut ſemper tenenda & obſervanda, hanc preſentem chartulam meo proprio ſigillo volo & mando roborari. Hoc totum fuit factum & laudatum & firmatum ab eodem domino Aimerico in curia Narbonæ, in præſentia, & teſtimonio Berengarii de Capitolio, Guillelmi Raimundi de Burgo, Petri Raimundi Fabri, Guillelmi Magalda, Raimundi de . . . . . . filii quondam Petri Raimundi Margalionis, Raimundi de Cruce, Arnaldoni Joculatoris, Petri de Boſco filii Guillelmi Goſberti, Petri Agarni, & aliorum multorum, qui ibi aderant præſentes & videntes. Petrus Martini mandatus ſcripſit.

* f. balivia.

L V I I.

Ex autographo.

Berengarius archiepiſcopus a ſententiis legatorum ſedis apoſt. appellat ad ipſam ſedem apoſt.

1204.

NOtum ſit pluribus & manifeſtum, quod cum ego Berengarius Narbonenſis archiepiſcopus comprovinciales epiſcopos ad conſecrandum G. electum Magalonenſem convocaſſem, vos fratres P. de Caſtro-

novo, & Ra. ſedis apoſtolicæ gratia legati, ex primæ legationis officio eiſdem inhibuiſtis epiſcopis, ne ad conſecrationem convenirent,confingentes injuriam mei, & diſpendium famæ meæ, quod ex defectu præſentiæ meæ prius in me ſententiam ſuſpenſionis tuleratis, a qua injuria, & detractione non modica nullo unquam modo ceſſare voluiſtis, nec conſecrationi celebrandæ viam aperire, donec jurejurando me aſtrinxiſtis, quod ſuper negotio hereticorum ſtarem veſtræ legationi. Deinde cum pro hereticis expellendis ſolummodo legatio prima vobis injuncta fuiſſet, vos ad ampliandam veſtræ legationis poteſtatem, clericorum exceſſus hereſim eſſe interpretantes, multa contra formam mandati apoſtolici, & in detrimentum eccleſiæ Narbonenſis egiſtis. In ſecunda vero legatione, quam abbati Ciſtercienſi, & vobis ipſis præfatis monachis dominus Papa commiſit, tu frater P. de Caſtro-novo, cum ingreſſurus provinciam Narbonenſem litteras ad nos benivolas, tuumque adventum ſignificantes præmittere debueras, inopinatus adveniſti; cumque jam didiciſſes me ſedem apoſtolicam velle adire ad extirpandum, quod adverſum me falſo atque adulatorie ſummo pontifici ſubjectum fuerat, tu & fr. Ra. inconſulto collega veſtro abbate, ſub pena anathematis officii atque beneficii mei, tanquam cuilibet viliſſimo clerico, mandaſtis ne a mea diœceſi ullo modo diſcederem. Præterea & tu frater P. cui ſoli commiſſum eſt negotium M. G. & eccleſiæ Capitis-ſtagni, cum litteras apoſtolicum mandatum continentes oſtendere mihi debuiſſes, aut me ſecundo aut tertio præmonere, tu ſimul litteras, admonitionem, & ſententiam condemnatoriam dure & acerbe ad me tranſmiſiſti, & cum anathemate, officii atque beneficii ſuſpenſionem, & juramentum in pallii perceptione a me præfatum mihi interminaſti, in quo quoad executionem in quatuor aut quinque capitulis mandati ſuſcepti fines tranſgreſſus es. Pro his itaque & aliis multis gravaminibus, ego B. archiepiſcopus Narbonenſis te P. de Caſtro-novo, & te Ra. monachos Fontis-frigidi, ſicut ſuſpectos & oppreſſores meos, penitus recuſo, & a veſtra audientia & poteſtate ad beatiſſimum domnum papam Innocentium appello, ponens ſub ipſius præſidio & protectione perſonam meam, & res meas, & omnes canonicos, & clericos meos, & res eorum tam ſpirituales, quam temporales, & eccleſiam Narbonenſem, cum omnibus ad ipſam pertinentibus, & totam provinciam illi ſubjectam, cum eccleſiis & monaſteriis, & aliis locis religioſis ibidem conſtitutis, eorumque miniſtris, ſumens mihi & his omnibus in noſtrum adjutorium eandem innovando appellationem, quam tranſacto menſe Auguſti in die feſto ſancti Bartholomei ante veſtrum in provinciam noſtram ingreſſum ex providentia feci apud Biterrim coram venerabilibus fratribus noſtris G. Biterrenſi, G. Magalonenſi, P. Lodovenſi epiſcopis, aliiſque quampluribus prudentibus viris, adjiciens nihilominus ipſam, quam conſequenter apud Narbonam menſe Octobri die S. Caprafii martyris mane in capitulo noſtro, facta jam plena eccleſiæ noſtræ ordinatione, retexui iterum appellationem. Poſtremo quoniam vos A. abbatem Ciſtercienſem horum collegam in gravamen eccleſiarum & ſuffraganeorum noſtrorum eiſque ſubditorum nunc proceſſiſſe ex vera multorum relatione cognovimus, & quia contra formam canonicam in exigendo a clericis juramento alium adverſus alios inſtigando, ut ex vi juramenti ſe ſe invicem ex ſuis mordeant proteſtationibus, ſed & quia præter conſuetam benignitatem aliorum Romanorum legatorum, qui jam tempore præterito ad partes iſtas venerunt, vos feciſſe & facere conſtat, cognoſcentes hujuſmodi gravamina in nos participatione diſpendii redundare, vos ſimiliter recuſamus, & a veſtra audientia & poteſtate, ſicut & ab aliis veſtris in hac legatione conſociis, ſub ejuſdem præmiſſæ & interpoſitæ appellationis noſtræ præſidio ad eundem domnum papam Innocentium appello pro me & his omnibus, de quibus & in quibus ſupra fecimus mentionem: diem vero vobis & collegis veſtris præfigo Dominicam, in qua cantatur videlicet *Quaſi modo geniti*; pro reverentia tamen ſedis apoſtolicæ & Chriſtianæ fidei munimine interim, donec iter tempore opportuno pro hac proſequenda appellatione arripiam, in expellendis hereticis fidelis vobis ero adjutor, ſalvo mihi jure & beneficio factæ appellationis, & recuſationis. Facta hæc appellatio anno 1204. videlicet menſe Novembris, ſexto cal. Decembris.

LVIII.

Innocentii III. litteræ, quibus eccleſiam Toloſanam ſubditam eſſe Narbonenſi declaratur.

Ex tabul. capituli Narbon.

1207.

INNOCENTIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri archiepiſcopo,& dilectis filiis capitulo Narbonenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum conſtet Toloſanam eccleſiam ad juriſdictionem Narbonenſis eccleſiæ jure metropolitico pertinere, licet dilecti filii abbas Ciſtercienſis, & magiſter P. de Caſtro-novo, ac frater R. apoſtolicæ ſedis legati electionem de. . . . . . . Toloſano epiſcopo canonice factam admiſerint, & eum a venerabili fratre noſtro Arelatenſi archiepiſcopo fecerint conſecrari, nolumus tamen omnino, quod propter hoc poſſit in poſterum Narbonenſi eccleſiæ præjudicium generari, quin eccleſia Toloſana eidem eccleſiæ Narbonenſi tanquam metropoli ſuæ debitum honorem impendat, & reverentiam exhibeat conſuetam. Nos igitur ſuper hoc indemnitati eccleſiæ veſtræ in futurum cavere volentes, præſentes litteras in tuitionis veſtræ ſubſidium vobis duximus concedendas. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, quinto idus Maii pontificatus noſtri anno nono.

LIX.

Litteræ abbatis S. Pauli ad ſummum pontificem pro Arnaldo II. Narbonenſi archiepiſcopo, ubi de tempore ejus electionis & confirmationis.

1212.

BEatiſſimo patri & domino I. divina providentia ſummo pontifici, ejus devoti & humiles filii abbas & capitulum eccleſiæ S. Pauli Narbonæ, tam debitam, quam devotam reverentiam, & obedientiam, & famulatum. Sanctitati veſtræ noſtra humilitas ſignificare dignum duxit, quod anno ab Incarnatione Domini MCCXII. IV. idus Martii in feſto B. Gregorii dominus A. tunc abbas Ciſtercienſis & Narbonenſis electus electioni de ſe factæ ad inſtantem petitionem cleri & populi humiliter & devote aſſenſum præbuit, & ejuſdem electionis confirmationem a domino R. bonæ memoriæ quondam Uticenſi epiſcopo, tunc temporis apoſtolicæ ſedis legato recepit, & eadem die Aimericus vicecomes Narbonenſis pro his, quæ tenet ab archiepiſcopo, ei fecit fidelitatem, hominium & ſacramentum, in præſentia dicti legati, & domini Biterrenſis epiſcopi, & domini Toloſani, & domini Magalonenſis, & domini Agathenſis, & domini Elenenſis, & domini Lodovenſis, & domini epiſcopi Convenarum, & domini epiſcopi Conſeranenſis, & mei quamvis immeriti abbatis S. Pauli Narbonenſis, & abbatis S. Afrodiſii Biterrenſis, & cleri & populi Narbonæ. Sequenti die recepta confirmatione, idem epiſcopus, de conſilio ſuffraganeorum, & aſſenſu ac voluntate dicti legati, ſicut archiepiſcopus occupavit Narbon. ducatum, & eccleſiæ SS. Juſti & Paſtoris appropriavit. Et prænominatus Aimericus vicecomes Narbonæ recepit ab eo ea, quæ ratione ducatus tenet, & tenere debet, & fecit ei gratis hominium, fidelitatem & juramentum. Poſtmodum mandavit prænominato Aimerico pro ducatu fieri ſibi albergam in die conſecrationis ſuæ, quæ fuit II. nonas Maii, & idem Aimericus humiliter & liberaliter gratis conceſſit & honorifice fecit, præſente ſæpe dicto legato

& discumbente, & præsentibus & discumbentibus pluribus episcopis, & aliis tam clericis, quam laïcis. Hinc est quod ad pedes sanctitatis vestræ confugimus humiliter implorantes, quatenus dictum ducatum eidem archiepiscopo & ecclesiæ Narbonensi dignemini confirmare.

L X.

Epistola Arnaldi archiepisc. Narbon. ad abbates sui ordinis in capitulo Cisterc. congregatos, in qua narrat insignem victoriam de Mauris reportatam in Hispania.

Ex Ughello tom. 1. Ital. sacræ in episc. Sabin.

1212. VEnerabilibus in Christo sibi multum dilectis Arnoldo abbati Cisterciensi, cæterisque abbatibus in generali capitulo constitutis, fr. Arnoldus Dei gratia Narbonensis archiepiscopus, salutem, & sinceram in Domino charitatem. *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* : quia magnificavit Dominus facere nostris temporibus cum suo populo Christiano victoriam de suis hostibus conferendo eidem, in qua victoria eo ipse fortius est laudandus, quo de potentiori hoste dignoscitur triumphasse. Ecce enim evangelizamus vobis gaudium magnum, quia Miramolinus rex Marrochensis, qui, sicut audivimus a plerisque, bellum indixerat omnibus illis, qui crucem adorant, ab illis eisdem, qui crucem colunt, bello campestri devictus est, & fugatus. Siquidem cum de diversis mundi partibus fideles Christi propter remissionem, quæ a domino Papa, Domini Jesu Christi vicario proficiscentibus ad indictum bellum in Christianitatis Hispaniæ subsidium est indulta, Toleti convenissent, ubi debebant in octava Pentecostes ex edicto regis Castellæ, & Arragonum convenire, affuerunt inter eos qui convenerant, venerabilis pater Guillelmus Burdegalensis archiepiscopus, & alii ecclesiarum prælati, barones quoque, ac milites de partibus Pictaviæ, & Andegav. ac Britann. & de Lemovic. & Petragoric. & Santon. & Burdegalensi diœcesibus, & aliquot de aliis partibus ultramontanis. Nos quippe cum comitatu militum, ac peditum satis honesto, & bene armato de Lugdunensi, & Viennensi, & Valentinensi diœcesibus, tertio die Martii post octavam diem Pentecostes . . . . . . Toletum venimus, & de utilitate reipublicæ Christianæ tractavimus cum Regibus, & de adventu domini regis Navarræ, qui tunc inimicabatur domino regi Castellæ. Nos siquidem in ipso nostro itinere diverteramus ad ipsum regem Navarræ, ut induceremus ipsum ad veniendum in subsidium populi Christiani. Cumque residentiam ultra quatuor hebdomadas fecisset exercitus jam Toleti, & tædio fatigatus ex mora arripiendi jam iter contra nationes Sarracenicas æstuaret, quinto-decimo die postquam nos Toletum venimus feria tertia nos omnes ultramontani, præstito nobis pro duce, ac socio itineris nobili viro Didaco a D. rege Castellæ, movimus castra nostra : & in sequenti die Dominico, in festo S. Johannis venimus ad quoddam castrum Maurorum, quod *Magalon* appellatur : & nondum fixis tentoriis, statim ultramontani aggressi sunt ipsum castrum, & infra horam, ut credimus, fuit illud, quod erat in circuitu capitis castri, captum. Postmodum capiti castri ejusdem incessanter sagittis, & lapidibus per totum diem, & noctem impugnarunt, muros nihilominus cum piconibus fodientes. Erat siquidem turris quadrangula de lapide, atque calce, habens in singulis lateribus singulas turres cohærentes sibi, quarum etiam propugnacula erant bene tabulatis munita. Captæ sunt igitur quatuor turres, & per violentiam expugnatæ, per quas etiam ventum est fodiendo ad fundamenta majoris turris. Defendebant se adhuc pro posse suo Sarraceni, qui erant in superioribus partibus turris, nec adhuc poterant ad eos nostri ascendere, pro eo, quod testudines fortissimæ de lateribus, atque calce, seu gipso defendebant eos desuper existentes. Tractatum est ergo de redditione castri ipsius. Mauri siquidem volebant seipsos reddere, ut essent semper captivi, sed non placuit istud nostris. Acceptum est ergo castrum hoc modo, quod servata vita illi, qui habebat in custodia sua castrum cum duobus suis filiis, cæteri essent in voluntate peregrinorum. Interfecti sunt ergo omnes qui inventi sunt, præter paucos.

In sequenti secunda feria venerunt reges Arragonum, & Castellæ, & tertia feria universi requievimus juxta prædictum castrum; quarta cum feria processimus ultra per duas leugas, & venimus Calatravam. Erat autem Calatrava castrum bene munitum turribus fortibus, atque densis, & erant in multis turribus manganelli. Die igitur Sabbati, die videlicet commemorationis S. Pauli, impugnavit castrum totus exercitus Christianus, & assistente divino adjutorio, pars illa, quæ erat exterior versus aquam, & debilior, quam impugnabat rex Arragonum, & nostri Viennenses, & fratres etiam Calatravæ, fuit ea die infra tempus modicum occupata, & in duabus turribus, quæ in illa erant parte, posita sunt vexilla nostrorum. In crastino vero cœperunt Sarraceni tractare de pace ; & quia illud, quod captum fuerat, erat debile, & illud, quod restabat capiendum, multa fortitudine nitebatur; placuit regibus ad evitandum suspendium, atque necem Christianorum, castrum accipere sub tali conditione, ut personæ exirent liberæ, & vestitæ, & de illis equis, qui ibi erant, educerent equos 35. secum : sequenti secunda* feria quidam ultramontani prælati, comitante illos magna multitudine militum, recedentes de exercitu ad propria remearunt ; & qui tunc cum prædictis prælatis redierunt ad sua, ultra quadraginta millia æstimantur fuisse. In sequenti Dominica recedentes Calatrava, relicto rege Arragonum apud Calatravam, qui victualia, quæ inventa fuerant Calatravæ, suis militibus dividebat, venimus ad illud castrum, quod appellatur *Matros,* juxta quod fuerat olim bellum, in quo a rege Marrochensi devicti fuerunt aliquando peccatis exigentibus Christiani. Eodem die venit D. rex Navarræ, deinde per duas dietas venimus ad radices montis, qui dicitur *Portus de Munadal,* & ecce quidam ex nostris montis ascendentes cacumen viderunt quasi ad unam leugam, vel duas, tentoria Sarracenorum : aliqui etiam Sarraceni sursum in eodem montis cacumine conflictum habuere cum nostris. Dictum est tunc in exercitu, quod rex Valentiæ patruus Miramolini esset cum Sarracenis militibus Cismarinis, qui *Fandalutes* dicuntur, in illis tentoriis, ut nostris transitum inhiberent. Erat enim locus arctus & arduus, per quem exercitus proponebat transire, & ideo ad id inhibendum transitum illum nobis, fixerant Mauri tentoria sua. Ipsemet Miramolinus die sequenti venit cum residua exercitus sui parte, in qua die sexta feria montis ipsius cacumen ascendimus, & non processimus ulterius ipsa die. Castrum quoddam, quod erat in illo monte, relictum est statim a Mauris. Ea die Sarraceni Christianos, qui aliquantulum ultra tentoria nostra processerant, impetierunt, & verterunt in fugam, & quosdam etiam prostraverunt, & longè plures prostravissent, nisi Viennenses, & Pictavenses fuissent, qui cum essent præsentes se, quamvis pauci essent, eisdem Sarracenis usque adeo viriliter objecerunt, quod ultra aquam, quam ipsi nobis inhibere volebant, eos fuerint persecuti, & sic ab impetitione nostrorum sunt contriti Sarraceni.

* al. tertia.

In sequenti die, quæ fuit dies sabbati, cum non possemus per nostrum iter transire, per quod proposueramus, tum propter altitudinem & arduitatem loci, tum propter Sarracenos, qui ex opposito consistentes transitum inhibebant, fecimus quasi circuitum per aliam partem, euntes per loca ardua, & abrupta, & cum venissemus ad locum, ubi tentoria nostra erant figenda, ecce erant a regione Maurorum acies ordinatæ, & infra brevem horam prosilierunt ante ipsas acies

Arabes, & ſagittarii provocantes noſtros cum ſuis lanceis, & ſagittis. Noſtri curaverunt tantum de figendis tentoriis, ſuperſedentes eo die bello campali. In craſtino venerunt ſimiliter diluculo Sarraceni, diſpoſitis eo modo aciebus, quo præcedenti die fuerant ordinatæ: noſtri quoque ſuperſederunt bello etiam ipſa die, ſagittariis ſolis, & paucis aliis hinc inde diſcurrentibus: Arabibus etiam ex parte ipſorum torneantibus cum noſtris, non more Francorum, ſed ſecundum aliam ſuam conſuetudinem torneandi cum lanceis, ſive cannis. Ipſa die Miramolinus demonſtravit plenius poſſe ſuum, quam in die Sabbati demonſtrarat.

Aderat jam tertia dies, dies inquam lætitiæ, dies, quam fecit Dominus, dies per multa ſecula memoranda. Et ecce mane, antequam ſol incaleſceret, prima Maurorum acies & Arabes qui erant e latere, quaſi in alio monticulo, qui nunquam dicitur venire, ſed quaſi exvagantes extra acies diſcurrendo pugnare fugiunt hoſtibus minimè expectatis, quod apparet per hoc quod in illo loco nulli Sarraceni mortui ſunt inventi. Inſequuntur igitur noſtri Sarracenos fugientes, & cum ultra montem prædictum deſcendiſſent ad vallem, ibi invenerunt multos Mauros in acie, & ipſos occiderunt. Mauri, qui fugerunt, cum ad cacumen montis altius perveniſſent, ſiſtunt ibidem, pro eo quod ibi erat Maurorum quædam acies ordinata fortiſſima, ut ipſi credebant, & ipſe Miramolinus, ut dicitur, in acie illa erat. Perſonantibus igitur valde inſtrumentis Maurorum, quæ Hiſpani appellant *Jambures,* figunt greſſus Sarraceni, & non ſolummodo noſtris reſtiterunt, verum & noſtros ita efficaciter invaſerunt, quod Serani, quædam videlicet gens de regno Caſtellæ, tam equites, quam pedites in fugam converſi ſunt, ita quod totus fere exercitus, qui erat ante ultimam aciem, præter quoſdam nobiles Hiſpanos & ultramontanos fugere viderentur, & multus timor fuit in cordibus multorum ex noſtris, ne illo die nos Dominus defraudaſſet, quod credendum eſt ex diſpoſitione divina ad reprimendam noſtrorum ſuperbiam eveniſſe, ut dum noſtros armatos a facie videremus, non nobis vel armis perſonarum, vel equorum, quæ multa erant in exercitu noſtro, pauciſſima vero, vel nulla in exercitu Sarracenorum, ſed Domino Jeſu Chriſto adſcriberemus victoriam poſtmodum ſecuturam, & cruci ejuſdem, cui ipſi inſultarant, & quam noſtri portabant in pectore, ut eſſent quales dicit Apoſtolus, *portantes* videlicet *ejus improperium extra caſtra*, in quo improperio noſtri ſine dubio poſtmodum devicerunt. Nos cum fugam Chriſtianorum vidiſſemus, cœpimus diſcurrere per exercitum, & hortari fugientes, ut obſtarent. Licet autem Serani, & forte plures alii fugerent, ultima tamen acie ſtante, & unoquoque Regum cum ſuo comitatu ipſos Sarracenos ſtrenuiſſime impetente, quibuſdam ad hortationem noſtram ſtantibus, quibuſdam etiam ad conflictum redeuntibus, non ſolum retro repulſi ſunt Sarraceni, qui tergo Chriſtianorum imminebant, verum etiam illi, qui erant in illa forti acie, ſunt confecti, & occiſi. Et ex tunc fugit exercitus Sarracenorum irreparabiliter poſt Miramolinum regem ipſorum, qui prius aufugit, qui etiam, ut dicitur & creditur, in præcedenti nocte præſentiens quod devincendus eſſet, præmiſerat eadem nocte ante ſe ſuper mulos & camelos divitias inæſtimabiles quas habebat. Noſtri Sarracenos inſequuntur per media ſua tentoria fugientes. Tentoria vero plura, niſi quando venerunt illuc, ad terram depoſita invenerunt: inſecuti ſunt autem eos per quatuor leugas bene, & tot ex eis occiderunt, quotque in bello & poſt bellum ſunt interfecti, ſexaginta millia, & multo plures exiſtimantur fuiſſe; & quod eſt valde mirabile, ſicut credimus, non ſunt de noſtris mortui quinquaginta. In tribus vero locis, vel quatuor tot lanceæ ſunt inventæ, licet jam confractæ, quod omnes, qui viderunt, multum exinde admirabantur: archæ parvæ plenæ ſagittis, & quatrellis tot ſimiliter in tribus locis vel quatuor ſunt inventæ, quod ſi etiam plures opinantur, & contendunt, duo millia ſomariorum non ſufficerent ad portandum. Benedictus per omnia Dominus Jeſus-Chriſtus, qui per ſuam miſericordiam in noſtris temporibus, ſub felici apoſtolatu domini papæ Innocentii, de tribus generibus petulantium hominum, & inimicorum eccleſiæ ſanctæ ſuæ, videlicet Orientalibus ſchiſmaticis, Occidentalibus hæreticis, Meridionalibus Sarracenis victoriam contulit Catholicis Chriſtianis. Super tantis igitur bonis, & donis nobis ab eo collatis, quod dat omnibus affluenter, & non improperat gratias ei, quas ei poſtulamus, etſi non dignas, tamen quantas, & quales poſſumus, referamus. Fuit autem bellum anno Domini MCCXII. XVII. kalend. Auguſt. ſecunda feria, ante Magdalenæ, in loco qui dicitur *Hanas de Toloſa.* Erat quippe quoddam caſtrum Maurorum prope, quod *Toloſa* nominatur, quod nunc in poteſtate Chriſtianorum per Dei gratiam eſt redactum, ut intelligant, & timeant ſimile, niſi pœniteant hæretici Toloſani.

Heb. 13. 13.

Tertia die poſt bellum peractum, quarta feria videlicet, recedentes dicto loco illo, ubi tentoria Maurorum fuerant, ubi nos per duas noctes pernoctavimus, venimus ad quandam aquam, quæ dicitur *Gualien.* Quot autem cadavera mortuorum occiſorum a Chriſtianis perſequentibus invenerimus in itinere, uſque ad quoddam caſtrum, quod erat in via, *Bilch* appellatur, quis ſufficiat explicare! Redditum eſt ergo caſtrum illud ea die Regi Caſtellæ. Erant enim ibi aliquot Sarraceni, qui de bello evaſerant, & receperant ſeſe ibi. Indigenæ ſiquidem jam inde fugerant ante faciem Chriſtianorum. Requievit autem exercitus juxta prædictam aquam per duos dies: feria vero ſexta venimus Viatiam civitatem, quam invenimus a ſuis indigenis penitus deſtitutam. Receperant enim ſeſe plures in quandam villam vicinam, quæ *Ubeda* nuncupatur. Pars tamen major exercitus, venit Ubedam ea die. Nos vero cum quadam parte exercitus venimus Ubedam die ſequenti. In craſtina, videlicet Dominica die, cum armaſſet ſe major pars exercitus ad illam villam impugnandam, placuit regibus, ut redirent ad caſtra, & ſuperſederent inſultui ea die; feria autem ſecunda villa impugnatur, & cum noſtri jam per plures horas inſtitiſſent, & non poſſent multum perficere; & jam quaſi deſperati fere omnes ad tentoria rediiſſent; ecce ea illa parte, quam D. rex Arragonum impugnabat, medietas turris, quam perforaverat, occidit, & intrantibus præcum illum Arragonenſibus, cœperunt muros relinquere Sarraceni, & tunc per diverſas partes murorum irrumpentibus Chriſtianis, Sarraceni relictis duabus partibus villæ, receperunt ſe in tertia parte villæ confeſtim, quæ erat fortior aliquantulum. Poſtmodum de compoſitione tractatum eſt in hunc modum, ut videlicet Sarraceni Ubedæ, darent regibus millies mille Mazmutinas, ipſi vero remanerent in ipſa villa cum omnibus aliis rebus ſuis. Quoniam vero iſta compotio erat contra Deum: ſic enim non ſolum vendebantur Sarracenis arma, & bladum, quod eſt per canones ſub excommunicatione inhibitum; verum etiam terra non ſolum illa, quæ erat acquirenda, immo illa, quæ fuerat acquiſita, cum pars villæ jam capta fuiſſet, & de illa, quæ nondum erat capta, eſſet certiſſima ſpes, quod facilè caperetur, cœperunt quidam prælati, qui erant in exercitu, contra compoſitionem hujuſmodi reclamare. Quorum autem conſilio Chriſtianorum compoſitio hæc fiebat, non intereſt noſtrum referre. Redeuntibus tandem regibus ad cor ſuum, facta eſt compoſitio altera in hujuſmodi modum, ut videlicet Mauris darent ſumptam pecuniæ quantitatem, necnon & villam relinquerent diruendam; & ipſi Mauri exirent inde ſecuri, cum omnibus aliis rebus ſuis. Et factum eſt, divino judicio diſponente, quod Mauri non potuerunt promiſſionem adimplere, & ideo a Chriſtianis in captivitatem ſunt redacti, & fuerunt deſerti muri villæ. Benedicamus ergo Dominum univerſi, & laudemus,

& confiteamur, quia fecit nobiscum misericordiam suam magnam. Propter quod sanctam discretionem vestram rogamus, quatenus referatis gratias Deo, &c. Amen.

LXI.

Innocentius papa III. scribit Simoni Montis-fortis comiti in favorem Arnaldi archiepiscopi.

Circa 1213.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, nobili viro Simoni comiti Montisfortis salutem, & apostolicam benedictionem. Quot, & quanta,& quam utiliter sit Dominus operatus per ministerium venerabilis fratris nostri Arnaldi archiepiscopi Narbonensis, dum antequam fuisset ad pontificalem cathedram sublimatus, & postea contra hæreticos Albigenses pro fidei veritate pugnaret gladio verbi Dei, & studio sollicitudinis indefessæ; necnon & quam prudenter, fideliter, & potenter in tuis oportunitatibus tibi astiterit, quamque necessaria tibi ejus prudentia fuerit, ac etiam fructuosa, non oportet præsentibus exarare, cum plene per diversas provincias jam sint nota. Unde cogimur admirari, quod sicut eodem archiepiscopo accepimus referente, licet eidem hominium feceris, & fidelitatis præstiteris juramentum, nihilominus tamen, prout tibi placuit, procurasti ut demolirentur muri & turres civitatis ipsius, & tam ipse, quam clerus & populus inimicis suis expositi remanerent, quamquam paratus fuerit etiam dilecto filio nostro P. sanctæ Mariæ in Aquiro diacono cardinali a S. L. super obtentis omnibus justitiæ plenitudinem exhibere; præterea eidem indebite extraxisti fidelitates vicecomitis, & quorundam hominum Narbonæ, qui apud Carcassonam obsides tenebantur, attendens eundem sic spoliare Narbonensi ducatu, quem a tempore suæ promotionis pacifice se asseruit possidere, indebite insuper molestans eundem super castro de Labreris, & rebus aliis, quæ ad ipsum, & ad ecclesiam suam de jure pertinere noscuntur, de Argens, de S. Marcello castra, & medietatem castri de Ventenaco, & quædam alia bona ecclesiæ suæ contra justitiam detineri occupata. Cum igitur Deus non obliviscatur inter multa mala paucorum bonorum, nedum quod oblivisci quisquam debeat multorum bonorum inter mala pauca, si quæ forsitan per cujusquam incuriam contigerint, nobilitatem tuam rogantes, ac etiam monentes, per apostolica scripta tibi mandantes, quamvis juste derogari valeat famæ tuæ, tibique adscribi vitium ingratitudinis in peccatum, si eum forsitan inhonoras, qui te studuit honorare, necnon & offendere ac deprimere satagis, qui dudum ad tuam promotionem studiosius aspiravit, sibi de damnis & injuriis irrogatis satisfactionem exhibeas competentem, ab ejus de cætero super prædictis & aliis indebita molestatione desistens: ita quod cum idem, Domino dante, ad concilium venerit generale, de te nobis justam non habeat querendi materiam; alioqui cum super hoc executorem deputari nolimus alium, quam nos ipsos, si contemptis nostris monitis & mandatis ea neglexeris adimplere, nos prout oportuerit & decuerit hæc corrigere satagemus. Datum Ferentini VI. non. Julii.

LXII.

Arnaldi archiepiscopi epistola ad cardinales, in qua queritur de Simone Montisfortis comite.

Circa 1215.

VEnerabilibus patribus & dominis reverendis Dei gratia Romanæ ecclesiæ card. fr. A. Narbonensis ecclesiæ minister humilis, salutem, & devotum subjectionis debitæ famulatum. Ne per alicujus malitiam de facto meo, & ecclesiæ Narbonensis, vestra possit circumveniri religio, puram veritatem totius facti sanctitati vestræ dignum duxi præsentibus explanare. Pateat igitur sanctæ universitati vestræ, quod anno A Dom. MCCXII. mense Martio, ego frater Arnaldus tunc electus Narbonensis recepi hominium & juramentum pro ducatu Narbonæ, ab Aimerico vicecomite Narbonensi, præsente Uticensi episcopo tunc apostolicæ sedis legato, cujus consilio hoc ipsum feci, & præsentibus Biterrensi, Agathensi, Magalonensi, Lodovensi, Elnensi, Tolosano suffraganeis ecclesiæ Narbonensis, & multorum aliorum, & recepi palatium posito signo ecclesiæ in turri pro dominio & ducatu, quem ducatum possedi per triennium & amplius pacifice & quiete: processu vero temporis, cum dominus Ludovicus filius regis Franciæ adveniret per partes provinciæ Narbonensis, procuravit machinando comes Montisfortis, cum esset, & sit homo meus, quod muri Narbonæ destruerentur, & fuerunt demoliti, me B sæpius offerente coram domino cardinali P. Beneventano pro me & vicecomite Narbonensi, & pro villa Narbonæ, quod paratus eram omni conquerenti de justitia respondere. Postmodum cum dominus Ludovicus duxisset secum per violentiam apud Carcassonam obsides multos de Narbona, machinatus est comes Montisfortis, quod dictus vicecomes Narbonensis vocaretur, qui vocatus tandiu detentus est, velut invitus, donec impulsus fuit jurare, & facere eidem comiti hominium pro ducatu, ipso vicecomite reclamante, & affirmante, quod pro ducatu prius Narbonæ fecerit mihi jam dudum hominium, & quod non poterat alii jurare salva fide: verum est tamen, sicut optime novit dominus meus cardinalis P. Beneventanus, quod idem vicecomes fecit hujusmodi juramentum usque ad C concilium generale salva fidelitate & juramento, quod mihi prius fecerat pro ducatu. Insuper a quibusdam hominibus Narbonæ, qui tenebantur in ostagio Carcassonæ, extorsit idem comes contra justitiam, juramentum & pecuniam multam. Hæc autem facta sunt in præjudicium meum, & ecclesiæ meæ, & me non commonito, & penitus ignorante, &, cum primo pervenit ad notitiam meam, reclamante, & possessionem ducatus tenente, & etiam super eodem ducatu ad dominum papam Innocentium appellante: post recessum domini Ludovici de terra, ipse comes fecit demoliri muros de Craparia proprii mei & ecclesiæ Narbon. Ad ostendenda igitur gravamina mihi & ecclesiæ meæ illata, destinavi cum ipsa appellatione nuncium meum ad eumdem, qui impetravit litteras a sede apostolica.

D

LXIII.

Arnaldus archiep. Narbonensis dat Fonti-frigido suam bibliothecam, &c.

Ex MS. Colbert.

1225.

IN nomine Domini, anno Nativitatis ejusdem millesimo ducentesimo vigesimo-quinto, regnante Ludovico rege, IX. calendas Octobris, pateat universis hanc scripturam cernentibus, quod nos frater Arnaldus Dei gratia Narbonensis archiepiscopus per nos & successores nostros cum hac charta donamus inter vivos, & de presenti, amore Dei, & in remissionem peccatorum nostrorum, Deo, & beatæ Mariæ, & monasterio Fontis-frigidi, & abbati, & conventui ejusdem monasterii presenti & futuro in perpetuum, videlicet omnes libros E nostros proprios, quos nos adquisivimus, & fieri fecimus, & palafredum nostrum, & duas carretas nostras, & equos earum, & Sarracenum carraterium nostrum, & unum de cofris nostris ad opus sacristiæ. Hoc autem donum fecimus Deo, & præfato monasterio inter vivos valiturum, ad faciendam suam in perpetuum voluntatem, & sic laudamus, & concedimus hæc omnia perpetuo valitura esse, renuntiantes illi legi, quæ introducit donationem ex causa ingratitudinis posse revocari, omnique alii remedio, & beneficio, sine exceptione & ratione, quæ nos, vel nostros successores possent juvare ad prædictum donum . . . . vel infringendum. Et ad majorem dicti monasterii firmitatem, hoc præsens scriptum sigilli nostri patrocinio

communimus. Actum est hoc in monasterio Fontis-frigidi, in præsentia & testimonio domini Bernardi episcopi Biterrensis, & Engelberti archidiaconi ejusdem ecclesiæ, & Guiraldi capellani, & Guillelmi de Aurenca notarii dicti episcopi, & Petri Benedicti Basseye, & Guillelmi Duranti notarii dicti domini archiepiscopi, qui hæc scripsit.

L X I V.

Transactio Petri archiepisc. Narbon. cum Ludovico Francorum rege.

1226. PETRUS Dei gratia Narbonensis archiepiscopus, universis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum omnia feoda & domania, quæ ab hæreticis, fautoribus, credentibus, defensoribus, & receptatoribus eorumdem jam inciderint, vel in posterum incident in commissum, fuerint domini Ludovici regis Francorum propria, & ad manum suam debeant devenire, & ipse nemini homagium facere teneatur; ipse pro eo quod omnia feoda & domania de nobis & ecclesia Narbonensi moventia, de hæreticis & aliis, sicut prædictum est, commissa vel committenda ei & hæredibus suis remanent in perpetuum tanquam sua libere, quiete & absque omni homagio & servitio nobis, seu Narbonensi ecclesiæ ab ipso & hæredibus suis faciendo, donat & concedit nobis & ecclesiæ memoratæ in perpetuum, quadringentas libras annui redditus Turonensis monetæ, pro quibus redditibus assignat nobis & ecclesiæ Narbonensi castrum de Pipionibus in Minerbesio, & castrum de Pinciano in Reddensi habenda & possidenda cum omnibus eorum appenditiis in perpetuum pleno jure. Et si illa castra ad prædictam summam redditnum non fuerint sufficientia, quod defuerit, alibi assignabit nobis & ecclesiæ Narbonensi ad æstimationem bonorum virorum; & si forte castra illa cum ipsorum appenditiis, sicut prædictum est, plus valuerint, totum residuum erit ipsius domini Regis, vel hæredum suorum. Præterea idem Rex nobis & ecclesiæ Narbonensi donat & concedit in perpetuum omnia feoda, quæ continentur in villis & territoriis villarum, quæ in præsenti sunt domaniæ nostræ, & nos & successores nostri & ecclesia Narbonensis in recognitione hujus suæ donationis, faciemus fieri in ipsa ecclesia Narbonensi anniversarium perpetuo pro anima patris sui, & sua, cum ipsum contigerit humanitatis debitum exolvisse. Præterea inter ipsum Regem & nos & ecclesiam Narbonensem est taliter ordinatum, quod si Aimericum de Narbona idem dom. Rex voluerit exheredare de feodo civitatis & burgi Narbonensis, quod idem Aimericus nunc tenet ab archiepiscopo & ecclesia Narbonensi, medietatem illius feodi ex parte civitatis suæ habebit idem Rex & hæredes sui pleno jure, & absque homagio & servicio faciendo, sicut de prædictis superius est expressum, & aliam medietatem habebimus nos, & ecclesia Narbonensis in domanio nostro similiter pleno jure: habebimus & pleno jure furnum de Bellovidere, quem ipse Aimericus habebat, & quidquid juris habebat in burgo idem Aimericus, vel aliquis pro eo, quia videlicet a nobis & a Narbonensi ecclesia tenebatur, salvo domino Regi & hæredibus suis juramento & exercitu, quos dictus Aimericus in prædicto burgo habebat. Nos autem fecimus dicto Regi fidelitatem, & facere debemus nos & successores nostri, ipsi & hæredibus suis regibus. Propter hanc autem fidelitatem non intendit Rex diminuere jura, aut libertates nostras, vel ecclesiæ Narbonensis, sed salva sint nobis in omnibus, & similiter salvum sit domino Regi & hæredibus suis in omnibus jus suum, si quod habent, vel habere debent. Quod ut robur obtineat perpetuæ firmitatis, præsenti scripto & sigilli nostri munimine fecimus confirmari. Actum apud Monaster. anno Dominicæ Incarnat. MCCXXVI. mense Octobri.

L X V.

Compositio Ludovici IX. Francorum regis cum Narbonensi archiepiscopo.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus, quam futuris, quod nos inclitæ recordationis Ludovici Dei gratia Francorum regis antecessoris nostri litteras vidimus in hæc verba:

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod inter inclitæ recordationis Ludovicum regem genitorem nostrum, & Petrum tunc Narbonensem archiepiscopum compositio facta fuit super feudis de archiepiscopo & ecclesia Narbonensi moventibus, ab hæreticis, fautoribus, credentibus, defensoribus & receptatoribus eorumdem tunc commissis, vel postea committendis. Ex qua compositione remanserunt eidem genitori nostro, & heredibus ejus libera ab omni servitio & homagio archiepiscopi & ecclesiæ Narbon. omnia feuda ab eodem archiepiscopo & ecclesia Narbon. moventia, quæ tunc erant commissa, vel committerentur ex tunc ab hæreticis, & aliis supra dictis in ejusdem genitoris nostri domaniis, vel in feudis ejusdem archiepiscopi, vel ecclesiæ Narbonensis. Si vero in domaniis dicti archiepiscopi, vel ecclesiæ Narbonensis committerentur, ea idem genitor noster archiepiscopo & ecclesiæ Narbonensi donavit in perpetuum. Et insuper idem archiepiscopus & successores in perpetuum debent facere fidelitatem Regibus Francorum, & in recognitione donationis sibi factæ, anniversarium perpetuo facere in ecclesia Narbon. pro anima dicti genitoris nostri, & patris ejusdem regis Philippi, scilicet avi nostri. Idem etiam genitor noster donavit & concessit eidem archiepiscopo & ecclesiæ memoratæ in perpetuum quadringentas libras Turonenses annui redditus, pro quibus castrum de Pipionibus in Minerbesio, & castrum de Pinciano in Radesio sub certis conditionibus eidem archiepiscopo assignavit. Postea vero dilectus & fidelis noster Guido nunc Narbon. archiepiscopus obtulit nobis litteras Guidonis de Leviis olim marescalli nostri in partibus Albigesii, in hæc verba:

1229. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos Guido de Leviis marescallus domini Ludovici regis Franciæ illustris in partibus Albigens. de speciali mandato ipsius domini regis, & etiam de mandato speciali domini Adæ de Milhaco procuratoris ejusdem domini regis, & de speciali mandato domini Rom. Dei gratia sancti Angeli diaconi cardinalis, apostolicæ sedis legati, assignamus Dei gratia domino Petro Narbonensi archiepiscopo quatuor castra, videlicet castrum de Aviciano*, de Pipionibus, de Pinciano & de Rupterio* pro quadringentis libris Turon. annui redditus a dicto domino Rege præfato archiepiscopo assignatis; quæ castra cum omnibus juribus & pertinentiis pleno jure tam sibi, quam successoribus suis concessimus & tradidimus perpetuo possidenda pacifice; ita quod omnia jura, quæ dictus Rex ibi habet, vel habere debet, ipse archiepiscopus & successores sui habeant & possideant pacifice ac quiete. In cujus rei testimonium præsentem chartam sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum anno Domini MCCXXIX. apud Biterram in festo S. Luciæ.

* al. de Aniciano. * al. de Rutheno.

Ad supplicationem igitur ejusdem Guidonis nunc archiepiscopi Narbonensis, assignationem factam per marescallum prædictum approbamus & eidem archiepiscopo & ejus successoribus in perpetuum confirmamus; & si dicta assignatio facta per dictum marescallum quadringentas libras Turonenses annui redditus excedit, idipsum pro nostra etiam & progenitorum nostrorum animabus eidem archiepiscopo & ejus successoribus liberaliter & benigne donamus, salvo jure nostro secundum formam prædictam in aliis, quæ ab hæreticis,

credentibus, fautoribus, defensoribus & receptatoribus eorumdem commissa sunt hactenus, vel in posterum committentur. Propter fidelitatem autem, quam prædictus archiepiscopus, & ejus successores nobis & successoribus nostris regibus Francorum debent facere, sicut superius est expressum, non intendimus, sicut nec noster genitor intendebat, diminuere jura aut libertates archiepiscopi, vel ecclesiæ Narbon. sed ea sint in omnibus eis salva, salvo nobis & heredibus nostris similiter in omnibus jure nostro. In recognitionem vero concessionis istius, memoratus archiepiscopus, & ejus in perpetuum successores tenentur anniversarium nostrum facere solemniter in ecclesia Narbonensi, postquam nos contigerit humanitatis debitum exolvisse. Præterea inter dictum genitorem nostrum & Petrum tunc archiepiscopum Narbonensem præfatum fuit taliter ordinatum, quod si idem genitor noster vellet Aimericum de Narbona exhæredare de feudo civitatis & burgi Narbonæ, quod dictus Aimericus tunc tenebat ab archiepiscopo & ecclesia Narbonensi, medietatem illius feudi ex parte civitatis nostræ haberent idem rex genitor noster & heredes ipsius pleno jure & absque homagio, & servitio faciendo, sicut de prædictis superius est expressum, & aliam medietatem haberent prædicti archiepiscopus & ecclesia Narbonensis in domanio suo similiter pleno jure, haberet etiam idem archiepisc. furnum de Bellovidere, quem ipse Aimericus habebat, & quidquid juris habebat in burgo idem Aimericus, vel aliquis pro eo, quod videlicet ab ipso archiepiscopo Narbonensis ecclesiæ tenebatur, salvo eidem genitori nostro & heredibus ejus juramento & exercitu, quæ dictus Aimericus in prædicto burgo habebat. Hanc autem ordinationem per dictum genitorem nostrum in personam dicti Aimerici de Narbona factam, sicut superius est expressum, ad omnes vicecomites Narbonenses, qui pro tempore fuerint, extendi volumus de expresso concessu dicti Guidonis nunc archiepiscopi Narbon. videlicet quod si aliquo tempore vicecomes Narbonæ commiserit aliquid, propter quod exheredari debeat, inter nos & heredes nostros & archiepiscopum, qui pro tempore fuerit & ecclesiam Narbonensem in omnibus & per omnia forma prædicta servetur. Dictus autem Guido nunc archiep. Narbon. fecit nobis fidelitatem, & facere debent ipse & successores sui nobis & heredibus nostris regibus. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat in futurum, præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri.

1260. Actum Parisiis anno Domini MCCLX. mense Aprili. In cujus rei testimonium & munimen præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis

1292. anno Dom. MCCXCII. mense Febr.

Per inspectionem & visionem præsentem præfatarum litterarum, ipsas vires aliquas non recipere ordinamus, cum per debatum partium dubiæ existant; decernentes ut præsentes litteræ, antequam pronuncietur super ipsis, in manu nostra teneantur, vel una cum originalibus litteris approbatio vel reprobatio super ipsis per judicem fiat auditis rationibus partium, ut fuerit faciendum. In cujus rei testimonium & munimen præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis anno MCCXCVIII. die Martis post Ramos palmarum.

Hoc Instrumentum ex authentico in pergameno descripsit in archivis arch. Narbon. dominus Bosquet notarius regius ejusdem civitatis Narbon.

LXVI.

Ex MS. Colbert.

Instrumentum fundationis Fratrum Prædicatorum Narbonæ.

1231. P. Dei gratia Narbonensis archiepiscopus, universis fidelibus Jesu-Christi præsentes litteras inspecturis salutem æternam. Ad vestram notitiam pervenire voluimus, quod nos desiderantes commissos nobis populos salvos fieri, utpote quos, si per nos profecerint in Christo Jesu, futuros speramus coronam nostram, & gaudium sempiternum, eisdem prædicandis, & exhortandis non valentes sufficienter intendere, tanquam nimium occupati diversarum specierum vulpeculis subintrantibus, nihilominus & amplam sanguine Jesu Christi vineam demoliri nitentibus, tacti dolore intrinsecus, & præcaventes insuper in futurum, dilectos filios nostros, & fratres ordinis Prædicatorum dignum duximus advocandos, disponentes eisdem domum conventualem construere in Narbona, ut circa pascendos fideles pabulo verbi Dei, & exterminandos hereticos nostræ insufficientiæ fierent supplementum. Hinc est, quod nos anno Domini MCCXXXI. mense Julii, dantes eis nostram bibliam glossatam, & quosdam libros alios, pretium terræ, quam ad ædificandam domum sibi conventualem emerunt juxta burgum Narbonæ, in loco qui dicitur *Malola*, persolvimus de eleemosyna nostra, & insuper in remissione peccatorum nostrorum, & prædecessorum nostrorum, dictam terram ad dominium mensæ archiepiscopalis spectantem eis ratione quinquagesimæ, quam dare licet nobis, in constructione monasterii juxta canonicas sanctiones laudavimus, & quitavimus, & libere concessimus, ex qua ratione dare eis possumus longe plura, & nomine fratris Jordanis magistri ordinis, & fratris Raimundi de Miromonte prioris provincialis, & successorum suorum, dilectos nostros filios fratres Guillelmum Biroer, & Ferrarium in corporalem possessionem posuimus rerum omnium prædictarum, addentes insuper eadem ratione, ut quantumcunque terræ secundum eorum arbitrium, vel priorum ibidem pro tempore succedentium necessarium fuerit fratribus ad opus ecclesiæ, officinarum, cellarum, & orti, ex dono nostro, sicut aliam prædictam terram, libere semper habeant & quiete; nihilominus eadem ratione eis in dicto loco concessimus ecclesiam salvo jure matricum ecclesiarum, & similiter liberam sepulturam, in testimonium hujus concessionis sigillum nostrum præsentibus apponentes.

LXVII.

Ex autographo.

Testamentum P. archiepiscopi Narbonensis.

1238. IN nomine Domini, anno a Nativitate ejusdem MCCXXXVIII. XIII. calendas Maii, nos P. Dei gratia Narbonensis archiepiscopus in nostra sana & bona memoria constituti, volentesque proficisci in expeditione contra gentem paganam, & specialiter in obsidione Valentiæ, & de rebus mobilibus & se moventibus ad nos in præsenti, vel in futurum pertinentibus pie & salubriter disponentes ad salutem animæ nostræ, ultimam voluntatem nostram & bonorum nostrorum divisionem ordinamus & facimus in hunc modum. In primis volumus & mandamus, quod quærimoniæ nostræ, de quibus liquido constiterit, integre emendentur ad cogitationem gadiatorum nostrorum infra scriptorum. Item reddimus & offerimus animam nostram & corpus nostrum Domino Deo & B. Mariæ, eligentes nobis sepulturam in ecclesia S. Justi. De qua ecclesia primo attendentes, quod propter defectum operis & operarii multa dispendia & gravamina opprobriosa sustinet, volumus & ordinamus, quod unus de clericis beneficiatis ejusdem ecclesiæ, non tamen canonicis, pro tempore in eadem ecclesia constituatur tractu communi & consensu archiepiscopi & capituli ejusdem ecclesiæ. Et nos in hac ultima voluntate dimittimus operi ejusdem ecclesiæ quindecim millia solidorum Melgorensium, ex quibus emantur honores, & fructus inde percipiendi vertantur & mittantur in opere & libris & ornamentis ipsius ecclesiæ, prout magis videbitur necessarium, & in aliis quæ operarius debet facere, sicut inferius continetur. Dimittimus etiam eidem operi in perpetuum totum illum mansum, quem emimus a Nigra de Oveliano, & a Petro Raimundi & Berengario filiis ejus,

volentes, quod in ipso manso perpetuo maneat idem operarius supradictus. Item dimittimus eidem operi ecclesiam de Patriaco, quam acquisivimus ab abbate & monasterio Caunensi, cum reditibus & pertinentiis suis, sicut prædictum monasterium eam habebat & possidebat. Volumus insuper, quod prædictus operarius de dicto legato possit acquirere honores de feudis ad archiepiscopum pertinentibus usque ad prædictam summam XV. millium solidorum, rogantes & requirentes successorem nostrum, ut ipsam acquisitionem gratis laudet & confirmet. Volumus autem & præcipimus, quod idem operarius faciat generale anniversarium in die obitus nostri singulis annis in refectorio de una carne & verubus, canonicis S. Justi, & omnibus clericis ejusdem ecclesiæ & aliarum ecclesiarum civitatis, & det pauperibus eleemosynam quatuor sestariorum bladi illa die, præter reliquias mensarum. Et quando cantantur illæ antiphonæ *O sapientia, &c.* teneat XXV. cereos, duarum librarum singulos, qui ardeant in vesperis circa altare, quandiu illæ antiphonæ cantantur, & ardeant similiter in matutinis & in missa & in vesperis in die obitus nostri. Volumus etiam quod det bibere clericis in claustro de bono vino post vesperas, quando prædictæ antiphonæ cantantur. Volumus insuper & mandamus, quod dictus operarius teneat in perpetuum duos sacerdotes, qui semper pro anima nostra celebrare teneantur, serviant in ecclesia S. Justi, & intersint horis canonice institutis. Statuimus etiam & ordinamus, quod prædictus operarius juramento promittat, quod omnia, quæ ad prædictum opus spectabunt, fideliter ministrabit, & rationem & computum reddet tam de receptis, quam de expensis, & quotiescumque placuerit archiepiscopo & capitulo supradictis. Item præcipimus perfici & compleri capellam ad honorem S. Georgii in turri de Montiliis, sicut incepta est, ad cognitionem gadiatorum nostrorum infra scriptorum. Et volumus quod unus sacerdos & unus clericus, qui eam decantent, habeant in castro victum & vestitum, & alia necessaria, & sacerdos habeat L. solidos Melgorienses pro merito suo, clericus autem habeat XX. solidos. Ecclesiæ S. Pauli dimittimus L. libras Melgorienses pro nostro anniversario faciendo, & canonici & clerici ejusdem ecclesiæ teneantur venire processionaliter ad S. Justum, & interesse missæ & processioni in die anniversarii nostri. Omnibus sacerdotibus de Narbona dimittimus V. solidos Melgorienses: fratribus Minoribus de Narbona X. solidos: operi ecclesiæ fratrum Prædicatorum quingentos solidos: ecclesiæ S. Nazarii Biterris dimittimus LX. libras Melgorienses pro nostro anniversario celebrando. Item ecclesiis S. Affrodisii & S. Jacobi Biterrensis, cuique quingentos solidos pro nostro anniversario similiter faciendo. Monasterio Fontis-calidi dimittimus mille solidos de debito, quod nobis debent. Domui Vallis-bonæ quingentos solidos; monialibus de Nonenca XX. libras, monialibus de Rivo-nitido X. libras, domui S. Mariæ de Caciano dimittimus duo millia solidorum Melgoriensium ultra debitum quod nobis debet, quod remittimus ei, ut rogent Deum & B. Mariam, & faciant bona pro anima nostra & parentum nostrorum. Monialibus de Monseve X. libras, monialibus de Arboratio X. libras, monasterio de Vinhols X. libras, monasterio Grandis-silvæ quingentos solidos, monasteriis Grandimontensibus, & Cartusiensibus, cuique quingentos solidos, generali capitulo Cisterciensi L. libras, monialibus S. Mariæ de Fontibus dimittimus duo millia solidorum ad officinas faciendas, & ad honores emendos, monasterio S. Aniani X. libras: omnes capellas nostras & pannos sericos dimittimus ecclesiæ S. Justi, excepta una cappa de samito rubro, quam dimittimus ecclesiæ Aquensi. Dimittimus etiam eidem ecclesiæ totum argentum nostrum pro bacinis faciendis & aliis altari necessariis. Item dimittimus altari ejusdem ecclesiæ omnes anulos nostros, excepto majori, quem dimittimus successori nostro. Insuper dimittimus eidem ecclesiæ tapetos nostros, & almucellas. Presbyteris ebdomadariis ejusdem ecclesiæ dimittimus indumenta nostra consuta. Bibliothecam nostram, quæ est apud Montilium, præcipimus vendi, ut inde emantur libri & alia ornamenta capellæ ejusdem castri necessaria. Omnes libros nostros theologiæ, excepta biblia, quæ est apud Narbonam, dimittimus scolaribus, quos tenemus Parisius: ita quod habeant usum tantum, nec eos aliquomodo alienare, vel impignorare (valeant.) Omnes pannos lectorum dimittimus hospitiis, in quibus sunt, cum omnibus suppellectibus & utensilibus, quæ sunt in eisdem. Hospitali pauperum & domui leprosorum civitatis Narbonæ & Capitisstagni dimittimus unicuique XX. solidos. Gadiatores nostros & executores hujus ultimæ voluntatis nostræ constituimus dilectos in Christo filios P. archidiaconum, J. præcentorem, S. sacristam, magistrum B. archidiaconum Fenoilleti, & B. Carreriam canonicum Narbonensem, quibus damus plenam potestatem accipiendi & distrahendi omnia bona nostra mobilia & se moventia, sive sit bladum, sive vinum, sive equi, sive equituræ, sive bestiarium, sive carnes salsæ, sive sal, sive pecunia, sive ligna, & etiam bibliam nostram prædictam, quæ est apud Narbonam, & generaliter omnia bona nostra mobilia & se moventia, ut de precio inde accepto hoc testamentum compleant, & prædicta legata persolvant, & si quid residuum fuerit, bona fide distribuant in operibus pietatis. Hanc autem ultimam voluntatem volumus valere jure testamenti, vel jure codicillorum, seu cujuscumque alterius ultimæ voluntatis. Hujus rei testes ad hoc specialiter vocati & rogati prænominati gadiatores, & dominus Guillelmus abbas S. Mariæ de Quadraginta, magister Sicardus, Raimundus de Mociano, & Stephanus Amelii canonici Narbonenses, & Petrus Romani publicus Biterris, & prædicti domini archiepiscopi notarius, qui de mandato ipsius hæc scripsit, & omnibus hiis interfuit.

LXVIII.

Innocentius papa IV. archiepiscopo Narbonensi crucem in sua provincia deferre permittit.

1245.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri..... archiepiscopo Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Ut frequenti resumat memoria fidelis quilibet passionem Domini nostri Jesu-Christi, crux portatur, exponitur & habetur, in qua vere mors legitur, creatoris scilicet victoria, salus nostra. Hanc namque in signum dignitatis majoris ad honorem & laudem filii Dei vivi Romanus pontifex concedit quibusdam prælatis majori præeminentibus dignitate, per cetera terrarum spatia præferendam, ut in ipsa fidelium turba concurrentium glorietur, in dispersione vero dentur & fugiant infideles. Volentes itaque personam tuam tamquam nobile membrum ecclesiæ, quanta possumus honorificentia, prævenire, ac potioribus dotare insigniis, ut quo gradu præemines altiori majoribus honoribus attollaris, sicque fias Dei cultoribus amabilis & decorus, erubescant & a facie tua fugiant infideles, quibus tua provincia, sicut asseritur, non est munda, tuis precibus inclinati, quod ad exaltationem, & gloriam nominis Christiani, tuique honoris & dignitatis augmentum, ante te per tuam provinciam crucem facias deportari quoad vixeris, liberam tibi auctoritate præsentium facultatem concedimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & B. Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni VI. idus Februarii pontificatus nostri anno 3.

Alias Innocentius litteras dedit, quibus facultas prædicta etiam ad successores extenditur.

LXIX.

LXIX.

Ex autographo.

Litteræ Jacobi Aragonum Regis ad Guillelmum archiepiſcopum Narbon.

1252.

NOverint univerſi, quod nos Jacobus Dei gratia rex Aragonum, Majoricarrum & Valentiæ, comes Barchin. & Urgelli, & dominus Monſpelli, per nos & noſtros recognoſcimus vobis dilecto & chariſſimo noſtro G. Dei gratia archiepiſcopo Narbon. & ſucceſſoribus veſtris, & confitemur in veritate nos dediſſe & conceſſiſſe per hereditatem propriam & alodem francum & liberum Petro bonæ memoriæ archiepiſcopo Narbon. prædeceſſori veſtro, & ſuis ſucceſſoribus ad omnes eorum voluntates perpetuo faciendas in acquiſitione & conquiſta regni Valentiæ duo caſtra, videlicet caſtrum & villam *Mazerol*, & caſtrum & villam de *Zuela*, cum ſuis omnibus alcheriis & pertinentiis, & hominibus habitantibus & habitaturis ibidem, & locum ſitum juxta Valentiam, qui dicitur *Cahadia*, cum ſuis pertinentiis, ſicut eam habebat & poſſidebat Rai. Aboabdile, & quaſdam domos infra muros civitatis Valentiæ, & unum hortum bonum in ejuſdem termino: omnia ſupradicta dedimus & conceſſimus eidem & ſucceſſoribus ſuis habenda, tenenda, poſſidenda, & expletanda, cum introitibus & exitibus ſuis, pratis, paſcuis, herbis, aquis, lignis, furnis, & molindinis, & cum alqueriis, hominibus ac mulieribus ibi habitantibus & habitaturis, cum terris cultis & incultis, & ſuis pertinentiis univerſis a celo in abyſſum, ad dandum, vendendum, impignorandum, alienandum, populandum, & ad omnes eorum voluntates cui vel quibus vellent perpetuo plenarie faciendas; dictam vero donationem & conceſſionem fecimus eidem & ſucceſſoribus ſuis, ſicut benemerito, & illi qui perſonaliter & magnifice laboravit in ſumitenda dicta civitate Valentiæ, & conquiſta noſtro dominio, & reſtituenda cultui Chriſtiano: & cum caſtra ſupradicta de *Mazerol*, & de *Zuela*, & villas cum ſuis alcheriis & pertinentiis tenuerimus a tempore aquiſitionis uſque in hodiernum diem ratione expenſarum quas feceramus in aquirendis & cuſtodiendis caſtris ſuperius nominatis, nunc volentes prædicta caſtra cum ſuis juribus & pertinentiis & omnibus in ſe habentibus plenarie reſtituere vobis G. Dei gratia archiepiſcopo ſupradicto ſucceſſori archiepiſcopi memorati, ac veſtris ſucceſſoribus, confitemur nos habuiſſe a vobis in pecunia numerata duodecim millia ſolid. Melgorienſium pro expenſis quas fecimus tam in aquirendo quam cuſtodiendo caſtra prædicta, de quibus perpacatos nos tenemus, renuntiantes exceptioni pecuniæ non numeratæ & non receptæ; remittentes vobis ex gratia ſpeciali & ex certa ſcientia omnes alias expenſas, quas nos, vel aliquis alius nomine noſtro fecimus, vel prius mandavimus in prædictis caſtris acquirendis & cuſtodiendis, pro quibus duodecim millibus ſolidis Melgor. de quibus perpacatos nos tenemus, & ex gratia ſpeciali, quam perſonæ veſtræ facere intendimus, jam dicta caſtra cum ſuis juribus & pertinentiis vobis in præſenti reſtituimus, & reddimus pleno jure, confirmantes plenarie vobis & ſucceſſoribus veſtris donationem & conceſſionem factam bonæ memoriæ Petro archiepiſcopo prædeceſſori veſtro, ſicut in inſtrumento noſtræ conceſſionis eidem facto plenius & liberius continetur, promittentes vobis, quod dicta duo caſtra & villas cum ſuis pertinentiis & juribus univerſis vobis vel nuntio, ſeu nuntiis veſtris ſine impedimento aliquo deliberare & reſtitui faciemus. Datum apud Montempeſulanum v. idus Januarii anno Domini MCCLII. Signum Jacobi Dei gratia regis Aragoniæ. Majoric. & Valent. comitis Barch. Urgelli, & domini Monſpelli. Teſtes ſunt B. de S. Eugenia, G. Hugonis de Serralonga, P. Martini de Luna, Bernardus de Aones, A. Surdi, ſignum Petri Andreæ, qui mandato domini Regis hoc ſcribere fecit loco, die, & anno præfixis.

LXX.

Ex ſcriniis archiepiſc.

Fundatio monaſterii B. Mariæ de Lapideto, olim monialium ord. S. Auguſtini in diœceſi Narbon.

1254.

CUm & plantare, & plantatam fovere ſacram religionem ex injuncti nobis officii debito teneamur, id abſque dubio exequi credimus diligenter, ſi eos favoris & gratiæ prærogativa proſequimur, qui terrena pro celeſtibus, & peritura pro æternis felici commercio commutantes, Chriſtum ſequi geſtiunt, tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes. Eapropter nos G. Dei gratia S. Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopus attendentes laudabile propoſitum tuum, dilecta in Chriſto filia Guillelma Gauſberta, quæ apud eccleſiam beatæ Mariæ de Lapideto noſtræ diœceſis ad honorem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & glorioſæ genitricis ejuſdem, pro ſalute tua & omnium fidelium monaſterium monialium conſtituere deſideras, & ad tam felix propoſitum adimplendum per nos & per omnes ſucceſſores noſtros auctoritate & aſſenſu capituli noſtri donamus, concedimus, & tradimus in perpetuum tibi prædictæ Guillelmæ Gauſbertæ, & aliis omnibus ſororibus communiter ac religioſe viventibus in loco prædicto, quæ hodie ibi ſunt, vel fuerint in futurum, eccleſiam prædictam B. Mariæ, & aliam ibi prope de ſancto Hylario, cum omnibus earum pertinentiis, proprietatibus & juribus & ſeniorivis ad ipſas eccleſias ſpectantibus, ſicut ſunt ſupra viam, quæ dicitur *de Narbona ad Canetum* verſus Aquilonem, & amplius omnes oblationes, vigilias, mortuaria, obventiones, legata, & accapita, & omnia alia quæcumque, & quomodocunque licite provenerint ad eccleſias ſupradictas, eccleſiæ tamen de Monte-rotundo duntaxat in decimis & premitiis jure ſalvo. Liceat autem tibi, & aliis ſororibus ibi degentibus proprietates, poſſeſſiones & alia bona & jura ad opus ejuſdem monaſterii ubique adquirere per emptionem vel donum, ſeu legatum, aut alio quolibet juſto modo, & tam ea, quæ inpræſentiarum, quam ea quæ deinceps, Domino volente, juſte poteritis adipiſci, licite retinere. Volumus etiam & concedimus, ut liceat tibi & aliis ſororibus & converſis in dicto monaſterio habere cimiterium, ubi & vos ſepeliri poſſitis, ac etiam alios recipere ad ſepulturam, qui ex devotione, undecunque veniant, ſuam elegerint ſepulturam, ſalva tamen canonica portione eccleſiis debita, a quibus corpora aſſumentur. Quod ſi, Domino proſperante, dictus locus ad talem ſtatum devenerit, quod ibi ſit congregatio monialium & conventus, liceat vobis aſſumere unam de religionibus approbatis, & ſibi præficere abbatiſſam vel prioriſſam de noſtro & ſucceſſorum noſtrorum conſilio & aſſenſu per electionem canonicam, a nobis & a noſtris ſucceſſoribus confirmandam, quæ, cum ſic aſſumpta fuerit, tenebitur nobis & ſucceſſoribus noſtris & eccleſiæ Narbonenſi in perpetuum ad obedientiam, reverentiam, & ſubjectionem. Retinemus inſuper nobis & ſucceſſoribus noſtris viſitationem ipſius loci, correctionem, & reformationem tam in capite, quam in membris. Volumus tamen & concedimus tibi dictæ Guillelmæ, quod tu interim poſſis ibi ponere & eligere pro voluntate tua illas ſorores, quas volueris habere, ac etiam, ſi cauſa ſubſit, penitus removere, tunc tamen de noſtro & ſucceſſorum noſtrorum conſilio & aſſenſu. Concedimus inſuper tibi præfatæ Guillelmæ & ſucceſſoribus tuis in perpetuum abbatiſſis vel prioriſſis, ſeu aliis regimen loci habentibus, cum ibi congregatio monialium fuerit & conventus, jus patronatus in eccleſiis ſupradictis, ita quod ſacerdotem, vel ſacerdotes, qui pro tempore ibi fuerint, & ſorores, quas contigerit aſſumi ad divinum officium exequendum inſtituendos nobis & noſtris ſucceſſoribus repreſentes. Teneris etiam tu dicta Guillelma & debes in dicto loco unum perpetuum conſtituere ſacerdotem, qui conventui, ſi ibi fuerit, divina celebret officia, & Deo

serviat in ecclesiis memoratis. Verum, si forte locus ipse non prosperaretur in tantum, nec posset sustinere vel habere conventum, teneris tu nihilominus, memorata Guillelma, in ecclesiis prædictis unum perpetuum constituere sacerdotem, qui post finem tuum semper pro anima tua & pro aliis fidelibus ibi divina celebret officia, & dicto loco tantum in redditibus annuis in fine tuo de tuis teneris facultatibus assignare, quod inde possit isdem sacerdos cum uno clerico, qui sibi serviat, commode perpetuo sustentari; & interim tu facies officiare ecclesias memoratas. Ut autem dictum monasterium a te, dante Deo, construendum liberius oblatum sortiatur effectum, nos præfatus archiepiscopus præsentibus & consentientibus Bernardo Cairarie archidiacono Corbariensi, B. archipresbytero, & S. de Merinhano ecclesiæ de Monte-rotundo capellano, eximimus & liberamus ab omni jure parochiali ecclesias memoratas, quas superius tibi, ut dictum est, duximus concedendas, jus parochiale ipsarum ad ecclesiam de Monte-rotundo totaliter transferentes, ita quod rectores ecclesiæ de Monte-rotundo de cetero teneantur venire ad synodum, solvere nobis cathedraticum, & nihilominus teneantur bladum archidiacono & archipresbytero solvere consuetum, cum certum sit habitationem parochianorum ad prædictum locum de Monte-rotundo jam pridem fuisse mutatam. Et sic nos præfatus archiepiscopus te dictam Guillelmam, & per te omnes sorores religiose viventes ibidem, ut dictum est, investimus, & juris & facti possessionem dictarum ecclesiarum, cum omnibus juribus suis & pertinentiis, per annulum nostrum tibi tradimus in præsenti. Ego itaque Guillelma Gausberta dictam concessionem acceptans a vobis domno archiepiscopo supra dicto per me & per omnes meos præsentes atque futuros bona fide, solemni stipulatione interposita, & sub obligatione omnium bonorum meorum vobis promitto me in dicto loco unum perpetuum constituere sacerdotem post finem meum eo tenore & modo qui per vos superius est expressus, & quandiu vixero cantare faciam ecclesias prælibatas, promittens etiam vobis dicto loco de facultatibus meis tantum in annuis redditibus pro salute animæ meæ, & pro elemosyna in fine meo assignare, unde idem sacerdos cum uno clerico, qui sibi serviat, possit perpetuo commode sustentari: sic plivio per fidem meam. Prædictam vero exemptionem dictarum ecclesiarum a domno archiepiscopo factam nos B. Cairarie archidiaconus Narbonensis in Corbaria, B. Jordani archipresbyter, & S. de Merinhano capellanus ecclesiæ de Monte-rotundo, de assensu & voluntate domni archiepiscopi supradicti per nos & successores nostros laudamus & concedimus in perpetuum valituram & firmam. Actum est hoc in palatio domni archiepiscopi anno Domini MCCLIV. regnante rege Ludovico, XIII. cal. Novembris in præsentia & testimonio P. archidiaconi Narbonensis, & P. de Salsis archidiaconi Fenoleti, G. Petri canonici Narbonensis, & G. Bardinæ præpositi Forojuliensis, P. Raimundi Bedocii vicarii, & P. Arnaudi den'Ayssa bajuli domni archiepiscopi, fratris Ademari de ordine fratrum Prædicatorum, G. Duranti clerici S. Justi. De laudamento vero B. archidiaconi Corbariensis, B. archipresbyteri, & S. capellani de Monte-rotundo prædictorum, sunt testes Petrus Remundi de Turribus capellanus de Ovilis, B. archipresbyter de Palma, Rimundus Peceoli capellanus de Rosis, & G. Petri canonicus, & G. Duranti clericus S. Justi prædicti. Postea vero anno Domini MCCLV. XV. cal. Julii, nos capitulum Narbonense universa & singula supradicta rata habentes & laudantes, & liberaliter approbantes, sigillum commune nostri capituli duximus apponendum in testimonium omnium prædictorum, præsentibus testibus Pontio capellano altaris B. Mariæ de Bethleem, G. Ebruni clerico, Arnaudo vicario de Rivo, R. Christiani presbytero. Et nos G. præfatus Narbonensis archiepiscopus sigillum nostrum mandamus appendi huic publico instrumento eodem anno in robur & testimonium omnium prædictorum.

LXXI.

Alexander papa IV. abbati S. Pauli Narbonensis dat facultatem utendi baculo pastorali.

Ex archivis S. Pauli.

1258.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei dilecto filio Geraldo abbati secularis ecclesiæ sancti Pauli Narbon. salutem & apost. benedictionem. Ad decorem sponsæ varia in ecclesia sunt insignia dignitatum, ut latentem intrinsecus filiæ Regis speciem multiformis exterius indicet pulchritudo, & hi qui specialibus honoris titulis clarent, mysticis rerum signis admoniti, meliora spiritualis formæ carismata emulentur. Volentes igitur sancti Pauli Narbonensis ecclesiam honorare, præsertim cum dicatur, quod abbates ipsius, qui fuerunt pro tempore, in synodis, quæ sunt hactenus in Narbonensi ecclesia celebratæ, & tu etiam primum locum inter alios abbates Narbonensis diœcesis post archiepisc. Narbonens. tenere consueveritis, & verecundum tibi quodammodo videatur, aliis abbatibus posteriorem locum in hujusmodi synodo tenentibus & baculo utentibus pastorali, insigne baculi hujusmodi non habere, devotionis tuæ precibus inclinati, ut tam tu quam tui successores in synodis & alibi hujusmodi uti baculo libere valeatis, secundum quod alii ejusdem diœcesis abbates utuntur, tibi & pro te successoribus ipsis, auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, &c.

Datum Laterani decimo-quinto kal. April. pontificatus nostri anno tertio.

LXXII.

Litteræ Jacobi regis Aragonum pro Maurino archiepiscopo.

1268.

JA. Dei gratia Arag. Majoric. . . . . comes Barchinonensis & Urgelli, & dominus Monsp. venerabili & dilecto M. per eandem archiepiscopo Narbon. salutem & dilectionem. Recolimus, quod quando vidimus nos vobiscum, nobis amorem & servitium promisistis, quia diligeretis & honoraretis nos, ac etiam in omnibus juvaretis; & videtur nobis, quod multum bene promissionem prædictam attendistis, quia omnes nostri fideles de vestris partibus venientes de vobis plurimum se collaudant, de quo vobis referimus plures grates, rogantes vos, ut in hoc perseveretis, & specialiter vos rogamus, quod deffendatis nos ab injuriis quas Magalonensis episcopus nobis facit. Datum Ilerdæ XIII. cal. Septembris, anno Domini MCCLXVIII.

LXXIII.

Litteræ episcoporum provinciæ Narbonensis ad Gregorium papam X. post electionem Petri de Monte-bruno archiepiscopi Narbonensis.

1272.

SANctissimo in Christo patri ac domino Gregorio divina providente clementia sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici, sanctitatis ejus ministri humiles & devoti P. Biterrensis, B. Tolosanus, B. Magalonensis, P. Agathensis, R. Lodovensis, R. Nemausensis, B. Uticensis, & B. Elnensis miseratione divina episcopi, ac B. permissione divina Carcassonensis electus, abbates, capitula & prælati provinciæ Narbonensis, quorum sigilla inferius sunt appensa, beatorum pedum oscula & seipsos. Summæ Deus clementiæ de sublimi throno inferiora prospiciens post diutinæ vacationis sedis apostolicæ dispendium, post felicem sanctæ recordationis sanctissimi patris & domini

Clementis de hoc mundo transitum, plus debito longa diuturnitate temporis tam misericorditer, quam salubriter, non sine vitæ meritis gloriosis noscitur vos vocasse. Super qu · quanto Narbonensis ecclesia & provincia in humilitatis & devotionis spiritu mandatis & regulis apostolicis reddidit continue se devotam, tanto in felici sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ ordinatione, vestrique promotione honoris uberius exultavit. Hinc itaque in nobis audaciæ fiducia est concepta, quod ad celsitudinis vestræ thronum in nostris & provinciæ præfatæ negotiis confidentes fiducialiter recurramus. Sane nuper Narbonensi ecclesia pastoris solatio destituta, honorabiles & discreti viri canonici Narbonenses in Domino quamplurimum commendandi de electione futuri tractantes archiepiscopi in reverendum & honorabilem virum dominum P. sæpe dictæ Romanæ ecclesiæ notarium & camerarium, quem sanctitati vestræ virtutum, scientiæ, atque morum ipsius nobilitas & familiaris devotionis obsequia reddunt notum, & ejusdem merita probitatis tam vobis, quam prædecessori vestro gratum fecerunt & idoneum servitorem, suorum dirigentes aciem oculorum, eumdem, Spiritus-sancti cooperante gratia, in archiepiscopum & pastorem Narbonensis ecclesiæ concorditer elegerunt; cujus electionis notitia propalata, exultavit non modicum cleri & populi Narbonensis provinciæ multitudo, dum illum, sub cujus alarum regimine diu desideraverat protegi & foveri, patrem habere meruit & patronum. Verum cum pro ecclesiis nobis commissis a multis multipliciter molestemur, frequentes ac difficiles incurrerimus & incurramus hoc potissimum tempore quæstiones, quæ incessanter nos anxiant & conturbant, propter quas & excellentissimum dominum Philippum Dei gratia regem Francorum illustrem adire disposuimus in proximo quinque nostrum, super quibus per sæpe fati electi providentiam circumspectam, in qua post divinum auxilium & vestri præsidium ancoram defiximus spei nostræ, speramus tam prudenter quam provide relevari, sublimitatis vestræ clementiam, quæ dat lapsis virtutem, & debiles ac trementes erigit & confortat, devotionis instantia quam possimus ampliori duximus exorandam, quatenus circa ipsius prosperam & festinam expeditionem electi, prout benignitati sedis apostolicæ, & honori ac utilitati Narbonensis provinciæ congruit, intendentes, eumdem ad Narbonensem ecclesiam destinare, ac in ipsius persona nos, easdem ecclesiam & provinciam dignemini decorare, ut ejus præsentia subditi jocundati & virtute constantiæ roborati, ac per ipsius intentæ sollicitudinis studium super vexationibus, quæ incumbunt Narbonensi ecclesiæ, provide pace data in divinis laudibus jugiter delectentur, & tandem in tabernaculis fiduciæ habitent confidenter, & in requie opulenta fiducialiter conquiescant. Nos enim interim cum Dei adjutorio honorem & libertatem ecclesiæ pro viribus defendemus. Gratia Domini nostri Jesu-Christi vos custodiat & conservet per longissima tempora ad regimen ecclesiæ sanctæ suæ.

LXXIV.

Gregorii X. litteræ, quibus electionem Petri de Monte-bruno ad archiepiscopatum Narbon. confirmat.

1272.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis populo Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum procedit ex alto consilium, quo viduatis ecclesiis de ministris juxta cor nostrum utilibus & idoneis providetur, lætamur & exultamus in Domino, sibique ad laudes & gratias reverenter assurgimus, dum pensamus, quod circumspecto ministerio talium crescit devotio fidelium apud Deum, sedes apostolica dignis prævenitur honoribus, & dictarum status ecclesiarum laudabilium muniti probitate rectorum gubernantur feliciter & regimine prospero diriguntur, nosque in illis tute quiescimus, velut in ipsarum ecclesiarum solidis firmamentis. Sane vacante Narbonensi ecclesia dilecti filii capitulum ejusdem ecclesiæ ad tractandum de futuri substitutione pontificis, prout moris est, convenientes in unum die ad eligendum præfixa, & Spiritus sancti gratia invocata, post diversos tractatus super hoc habitos, in dilectos filios Stephanum Amelii præcentorem, magistrum Guillelmum ecclesiæ prædictæ in Fenoleto, Petrum Raimundi Agathensem archidiaconos, capellanos nostros, & Gandulfum canonicum Narbonensem unanimiter & concorditer compromittere curaverunt, illum in archiepiscopum & pastorem habere ac recipere promittentes, quem ipsi compromissarii ducerent concorditer eligendum. Iidem vero secedentes in partem, deliberatione præhabita diligenti, in dilectum filium Petrum Narbonensem electum, camerarium & notarium nostrum, tunc Narbonensem canonicum unanimiter convenerunt, ipsumque prædictus magister Guillelmus pro se ac vice collegarum suorum & de ipsorum speciali mandato elegit in Narbonensem archiepiscopum & pastorem. Præsentata igitur nobis electione prædicta, licet ejusdem electi devotionis obsequium esset apud sedem apostolicam nobis & ecclesiæ Romanæ perutile, ac inviti ipsius præsentia careamus, tamen divinæ dispositionis super hoc beneplacitum prosequentes, ipsam electionem, quam invenimus canonice de persona idonea celebratam, duximus de fratrum nostrorum consilio confirmandam. Gaudemus, inquam, præclaram & nobilem Narbonensem ecclesiam, multæ dignitatis privilegio coruscantem, illi fore sponso spirituali comercio copulatam, qui suarum claritate virtutum reddet eam potiori nitore præfulgidam, & tamquam sponsam sibi prædilectam honoris & decoris titulis plenius illustrabit. Speramus enim, quod cum vir existat morum elegantia, dono scientiæ præditus, discretione ac circumspectione fœcundus, ac in magnis & arduis, prout nos facti experientia docuit, jam probatus, eadem ecclesia per ipsius electi circumspectam industriam in spiritualibus & temporalibus auctore Domino salubria incrementa suscipiet, & felici regimine dirigetur. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem electo tamquam patri & pastori animarum vestrarum devotam reverentiam & honorificentiam impendatis, ejus salubria monita & mandata suscipiendo devote, ac humiliter observando: ita quod exinde possit vestra devotio merito commendari. Datum apud Urbemveterem IV. nonas Decembris pontificatus nostri anno primo.

LXXV.

Epistola Gregorii X. ad marchionem Montis-ferrati ut P. Narbon. archiep. provideat de securo conductu.

1272.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, nobili viro marchioni Montis-ferrati spiritum consilii sanioris. Cum venerabilem fratrem nostrum P. archiepiscopum Narbonensem olim camerarium nostrum latorem præsentium ad Narbonensem ecclesiam, Domino disponente, sibi commissam cum apostolicæ benedictionis gratia remittamus, & eum proficisci feliciter, ac personam ejus, quam brachiis internæ dilectionis amplectimur, cupiamus honoribus præveniri, nobilitatem tuam rogamus & hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus ipsum, familiam & comitivam suam, cum ad te pervenerint, benigne recipiens & honorifice pertractans, ei de securo conductu pro nostra & apostolicæ sedis reverentia liberaliter providere procures. Ita quod idem archiepiscopus honorem, quem in hac parte sibi feceris gratum merito habere valeat, nosque devotionem tuam exinde commendare cum gratiarum actionibus

debeamus. Datum apud Urbem-veterem idibus Januarii pontificatus nostri anno 1.

LXXVI.

Ex autographo.

Egidii Narbonensis archiep. litteræ ad suffraganeos pro consecratione Carcassonensis electi.

1300.

EGIDIUS permissione divina S. Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus, venerabilibus fratribus nostris dominis Dei gratia Biterr. Tolosan. Magal. Agath. Nemaus. Uticen. Lodovens. Elnensi, & Appamiensi episcopis, salutem & sinceram in Domino charitatem. Cum venerabilis vir frater Petrus de Rupeforti Carcassonensis ecclesiæ electus, qui nuper confirmationem suæ electionis canonice obtinuisse dicitur auctoritate nostra a quibusdam ex vobis, quibus una cum vicariis nostris super hiis commiseramus specialiter vices nostras, nobis instanter supplicaverit, ut sibi consecrationis munus impendere dignaremur, nosque tam pro domini regis Franciæ illustris & regni, quam ecclesiæ nostræ negotiis habeamus ad Romanam curiam in præsenti necessario proficisci, timeamusque quod propter ingruentium negotiorum festinantiam non possimus ad præsens transitum facere per nostram provinciam Narbonensem, vestris in hac parte parcere volentes laboribus & expensis, vos requirimus, quatenus illi vestrum, qui decet *, consecrationi, quam dicto electo, annuente Deo, impendere proponimus, si nihil obstet de canonicis institutis, tertia vel quarta Dominica præsentis mensis Novembris in Bituricensi provincia, vel Lugdunensi, archiepiscopi & episcopi, in quorum provincia & diœcesi dicta consecratio celebrabitur, ad id accedente consensu, ac adhibito episcoporum sufficienti numero, interesse nequiveritis, ipsi celebrandæ consecrationi vestrum præbeatis assensum per vestras litteras nobis e vestigio destinandas. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris fecimus apponi. Datum Aurelianis die Dominica post festum Omnium Sanctorum anno Domini MCCC.

* *f.* dictæ.

LXXVII.

Responsio R. Agath. episcopi ad præcedentem epistolam.

1300.

REverendissimo in Christo patri & domino suo specialissimo domino Ægidio divina providente clementia S. Narbonensis ecclesiæ archiepiscopo, R. ejusdem permissione sibi devotus episcopus Agathensis salutem cum omni exhibitione reverentiæ & honoris. Auditis vestris excusationibus, propter quas ad præsens intrare Narbonensem provinciam commode non potestis, licet vestram venerabilem præsentiam cum multis aliis sitiamus, compatientes Carcassonensi ecclesiæ pariter ac electo, ut eidem electo consecrationis munus possitis impendere infra dictam provinciam, & alibi extra ipsam, ubi paternitati vestræ placuerit, quantum possumus consentimus. In cujus consensus testimonium sigillum nostrum præsenti litteræ decernimus appendendum. Conservet vos Altissimus suo sancto servitio per tempora longiora. Datum Agath. decimo cal. Decembris anno Domini MCCC.

LXXVIII.


Clemens V. Bernardum e sede Rothomag. transfert ad Narbon.

1311.

CLemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo ecclesiæ Narbonensis salutem & apostolicam benedictionem. Romani pontificis, quem pastor ille celestis & episc. animarum, qui recte universa disponit potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis prætulit universis, plena vigiliis sollicitudo requirit, ut circa cujuslibet statum ecclesiæ sic vigilanter excogitet, sic prospiciat diligenter, quod per ejus providentiam circumspectam, nunc per simplicis provisionis officium, nunc & per ministerium translationis accommode, prout locorum & temporum qualitas exigit, ecclesiis singulis pastor accedat idoneus, & rector providus deputetur, sicque ipsæ ecclesiæ superni favoris auxilio suffragante votivæ prosperitatis successibus gratulentur. Sane venerabili fratri nostro Ægidio olim archiep. Narbonensi in archiepiscopum Rothomag. electo, de ecclesia vestra Narbonensi, cui tunc præerat, per nos ad Rothomag. ecclesiam, a cujus vinculo venerabilem fratrem nostrum Bernardum olim Rothomag. archiepisc. in archiepisc. Narbon. electum auctoritate apostolica duximus absolvendum, eadem auctoritate translato, nos qui ex jugo servitutis apostolicæ sumus universis ecclesiis obligati, attendentes sollicite, quod si prædictæ ecclesiæ Narbonensi provisio differretur, multis ecclesia ipsa subjiceretur periculis, & gravia in spiritualibus & temporalibus detrimenta subiret; & considerantes litterarum scientiam, honestatem morum, conversationis & vitæ munditiam & aliarum virtutum dotes multiplices, quibus idem Bernardus noscitur insignitus, ac propterea firma ducti fiducia quod per ipsius Bernardi circumspectionis industriam, prædicta vestra Narbonensis ecclesia in eisdem spiritualibus & temporalibus Deo propitio laudanda suscipiet incrementa, deliberatione cum fratribus nostris super hoc habita diligenti, eumdem Bernardum a vinculo, quo prædictæ ecclesiæ Rothomagensi tenebatur astrictus, ut præmittitur, absolutum ad ecclesiam Narbonensem transtulimus supradictam, ipsumque illi de prædictorum fratrum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis in archiepisc. præfecimus & pastorem, curam & administrationem ipsius ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus committentes, ac liberam ei tribuentes licentiam ad prædictam Narbonensem ecclesiam transeundi. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem electo in archiepiscopum Narbon. tamquam patri & pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes & exhibentes obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejus salubria monita & mandata suscipiatis devote, & efficaciter adimplere curetis: alioquin sententiam quam ipse tulerit rite in rebelles ratam habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Avenioni tertio nonas Maii pontificatus nostri anno sexto.

Et super plicam scriptum est, registrata.

JORDANUS.



INSTRUMENTA
ECCLESIÆ S. PONTII THOMERIARUM.

I.

Ex archivo S. Aniani.

Præceptum Ludovici Pii & Lotharii imperatorum pro S. Aniano.

Exstat hoc præceptum editum t. 2. annal. Bened. pag. 724. col. 2. & alibi.

826.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris J. C. Hludovicus & Hlotarius divina ordinante providentia imperatores augusti. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, eique in eisdem locis famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum sit cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, qualiter Durandus abba in Septimania, in pago videlicet Narbonensi, in villa*, quæ dicitur Vernodubrus*, in proprio, quod ei liberalitate munificentiæ nostræ contulimus, monasterium ex nostro opere in honore & veneratione beatissimi Aniani confessoris Christi, in loco, qui dicitur *Holatianus*, inchoavit, monachos perplures congregavit, abbatem eis nomine Voicam præfecit, & per testamentum confirmationis suæ quasdam res & mancipia ibidem delegavit, necnon libros & ministeria ecclesiæ, variamque supellectilem tribuit, & cum his omnibus eorum, ac ceteris rebus denominatis per chartulam traditionis nobis ad proprium tradidit, sicut in ipsa traditione plenius constat esse gestum; simul nostram deposcens serenitatem, ut opus, quod ipse devotissime ad sanctam professionem observandam inchoaverat, Deoque voverat, & nobis perpetuo ad habendam tradiderat, per nostram providentiam atque auctoritatem ad hoc conservaretur, ut idem ordo eodem in loco pro nostra æterna memoria, atque eleemosyna perpetualiter observaretur. Cujus donum grataner suscipimus, & ejus petitioni libenter annuimus, atque per hanc nostram auctoritatem, sicut postulavit, concessimus atque confirmamus. Proinde notum esse volumus omnibus vobis, quod prædictum monasterium cum omnibus locis, villis, insulis, piscatoriis, vel iis quæ ad ipsum adspicere cernuntur, cum omnibus etiam finibus, terminis & adjacentiis eorum, cum mancipiis, ac ceteris rebus, quemadmodum in chartula donationis, quam nobis contulit, plenius continentur, ideo ut sancta professio ibidem perpetualiter in nostra eleemosyna conservari queat, devotissime contulimus, ut omnia quæcumque præsenti tempore possidere videntur, vel ad eum adspicere dignoscitur, quod inantea divino instinctu aut a nobis, aut a successoribus nostris, vel a quibusdam fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ illis collatum fuerit, totum in servorum Dei inibi Domino militantium necessitatibus consulendum, & pauperum curam gerendum, propter divinum amorem, & honorem Deo miserante pro ablutione peccatorum nostrorum omni cedat tempore. Sed ut quietius ibidem viri Dei Domino famulari possint, & a malis hominibus res ejusdem cœnobii sicut alia vel nostræ proprietatis defendantur, & tueri queant, hanc nostram imperialem auctoritatem hujus rei gratia fieri jussimus, ut omnes sub nostra etiam speciali defensione & immunitatis tuitione consistere non dubitent. Præcipientes ergo inhibemus, ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, aut quælibet majoris, vel minoris ordinis persona, ad causas judiciario more audiendas in ecclesias, aut loca, vel villas, seu reliquas possessiones, quas in quibusdam pagis, ac territoriis prædictis tenet, vel possidet monasterium, aliasque, quas deinceps in jus ipsius sancti loci divina pietas augeri voluerit, ingredi præsumat, nec fieri* tributa, vel paratas seu mansiones accipere, sive teloneum exigere, aut fidejussores tollere, vel homines ipsius cœnobii, tam ingenuos, quam servos, super terram ipsius commanentes distringere, nec ullas publicas fruitiones seu redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere, aut exactare audeat: sed liceat memorato abbati, suisque successoribus res præfati monasterii cum omnibus sibi subjectis sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere; & quidquid in eo fiscus exinde exigere poterat aut sperare, tantum in fratrum stipendiis & in luminaribus ejusdem ecclesiæ consignandis, atque pauperibus alendis, sicut dictum est, cedat. Constituimus etiam, ut quandocumque divina vocatione memoratus abbas, vel successores ejus ab hac luce migraverint, licentiam habeant monachi ibidem consistentes, talem inter se per nostrum successorumque nostrorum consensum eligere abbatem, qui eis secundum regulam S. Benedicti præesse & prodesse queat; quatenus servos Dei ibidem Domino famulantes, pro nobis proleque nostra, ac stabilitate totius imperii nostri Domini misericordiam exorare delectet. Illud etiam per nostram auctoritatem concedimus, & confirmamus, atque nostros successores rogamus, ut hoc monasterium sub sua speciali tuitione retineant, & neque ad episcopum, neque ad aliud monasterium ullo unquam tempore ab illis subjiciatur, aut in beneficium cuilibet tribuatur, sed solummodo in jure & tuitione illorum pro omnibus temporibus ad monasticum ordinem observandum persistat; sicque hoc nostrum donationis opus immobiliter conservent, sicut pacta sua a suis successoribus conservanda optaverint. Hæc vero auctoritas ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manibus propriis subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum Hludovici piissimi imperatoris. Signum Hlotarii gloriosissimi augusti. Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovi. Data kalend. Augusti, anno Christo propitio XIII. imperii domni Hludovici piissimi augusti, & Hlotharii IV. ind. IV. Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

* valle. * Vernasoubre. * freda aut.

II.

Privilegium Caroli-Calvi Francorum regis pro S. Aniani monasterio, & ipsius abbate Richifredo.

844.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei Rex. Cum enim servorum Dei rationabilibus petitionibus benignitatis nostræ assensum præbemus, regiæ celsitudinis opera frequentamus, ac per hoc facilius nos æternæ beatitudinis gloriam adepturos liquido credimus. Idcirco notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus atque futuris, quia religionis* vir Richefridus abba monasterii Olociani, quod est in pago Narbonensi, in villa, quæ dicitur Vernodoverus, constructum scilicet in honore & veneratione beatissimi Aniani confessoris Christi, adiens culminis nostri serenitatem, obtulit præcellentiæ nostræ domini & genitoris nostri divæ memoriæ Augusti Hludovici præceptionis auctoritatem, in qua continebatur, qualiter idem monasterium ejusdem domini & genitoris nostri pia devotione sacroque studio fuerit ædificatum, sive constructum;

* f. religiosus.

qualiterque idem genitor noster ipsum monasterium A cum sibi pertinente cellula non longe ab eo distante, quæ dicitur S. Laurentius, simul cum omnibus aliis rebus vere pertinentibus, quondam sub immunitatis suæ tuitione defensionisque munimine, sicut & alia regionis Septimaniæ monasteria, clementer susceperit, ac retinuerit. Petiit itaque mansuetudinem nostram prænominatus abba Richifredus, ut eamdem genitoris nostri auctoritatem renovare, prædictum Olocianum monasterium cum monachis ibidem famulantibus, & cum supradicta cellula S. Laurentii sibi pertinente, atque cum insula, cujus est vocabulum *Duniana* cum suis piscatoriis, necnon stagnum quod dicitur *Decimus*, cum suis similiter piscatoriis, sicut etiam villam, quæ dicitur *Scurisata* cum terminis & fixoriis & omnibus adjacentiis suis, simul quoque municipiis, om- B nibusque aliis rebus præfato monasterio S. Aniani Olotiano juste legaliterque pertinentibus, sicut in memorata genitoris nostri auctoritate præceptum plenius continetur, sub immunitatis nostræ tuitione ac defensionis munimine denuo recipere dignaremur. Supplicavit interea idem abbas reverentiam nostram, ut & aliud monasterium sibi commissum, sub honore siquidem præclari martyris Stephani constructum, & in pago Carcassonensi sub rivulum Oliveti situm, cum cella etiam S. Johannis eidem aspiciente, atque cum omnibus aliis rebus rationabiliter sibi appendentibus, sub simili immunitatis nostræ tuitione, seu defensione constituere non denegaremus. Et denique illius supplices preces clementer suscepimus, & ita illi in omnibus concessis & universæ sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris præsentibus necnon futuris notum esse volumus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus, nec quilibet ex judiciaria potestate, cum qualibet majoris vel minoris ordinis persona, ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias, aut loca, vel villas, seu reliquas possessiones, quas in quibuscumque pagis & territoriis prædictorum monasteriorum potestas tenet vel possidet, vel quas deinceps in jus ipsorum sanctorum locorum divina pietas augeri voluerit, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa vel paratas, aut veredes, seu mansiones accipere, sive teloneum exigere, aut fidejussores tollere, vel homines ipsorum cœnobiorum, tam ingenuos, quam servos super terram ipsorum commorantes distringere, nec ullas publicas functiones seu redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere, aut D exactare audeat; sed liceat memorato abbati suisque successoribus res præfatorum monasteriorum cum omnibus possessionibus, quas ex eremi squallore ad cultum frugum ipsius. . . . . excoluerunt; quas siquidem præsenti tempore juste legaliterque possident, aliisque omnibus rebus illis subjectis sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, & quidquid jus fisci exinde exigere aut sperare poterit, totum in fratrum stipendiis & in luminaribus earumdem ecclesiarum concinnandis, atque pauperibus alendis, sicut dictum est, omnimode cedere. Constituimus etiam ut, quandocumque divina vocatione memoratus abba, vel successores ejus ex hac luce migraverint, licentiam habeant monachi in plerumque memoratis monasteriis consistentes talem inter se per nostrum & successorum nostrorum consensum eligere abbatem, qui eis secundum regulam sancti Benedicti præesse & prodesse queat, quatenus servos Dei ibidem famulantes pro nobis proleque nostra & stabilitate regni Domini misericordiam semper exorare delectet. Illud etiam per hanc nostram auctoritatem concedimus, ac confirmamus, atque nostros successores rogamus, ut præfata monasteria sub nostra speciali semper tuitione retineant, & neque ad episcopatum, aut aliud monasterium ullo unquam tempore ab illis subjiciatur, aut in beneficium cuilibet tribuatur, sed solummodo in jure & tuitione illorum pro omnibus temporibus ad monasticum ordinem observandum persistant, sicque hoc nostrum devotionis opus inviolabiliter conservent, sicut pia facta sua post se conservanda optaverint. Hæc vero auctoritas ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manibus propriis subfirmavimus & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum Karoli clarissimi regis.

Acta sunt nonis Jun. ind. VII. anno 4. regni Karoli præcellentissimi regis in monasterio S. Saturnini, dum obsidetur Tolosa, in Dei nomine feliciter amen.

III.

Privilegium Caroli Simplicis, pro S. Aniani monasterio.

Spicil. tom. XIII. pag. 265.

899. *vel* 900.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus Dei gratia Rex. Si utilitatibus locorum divinis cultibus mancipatorum, servorumque Dei necessitatibus nostra impendimus, regium proculdubio exercemus numen, ac per hoc ad æternam beatitudinem facilius tandem pervenire non dubitamus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, sollertiæ, quia, sicut in præceptis patrum nostrorum continetur, immunitatis defensionem atque tuitionem monasterio sancti Aniani confessoris, & sancti Laurentii martyris, quod siti sunt in territorio Narbonensi, in loco, cujus vocabulum est *Olocianus*, seu Berane venerabili abbati, suisque successoribus, necnon & monachis in eodem monasterio consistentibus, per hoc clementiæ nostræ confirmamus edictum, per quod constituentes decernimus, ut sæpe C fatum monasterium, & in hoc regulari ac monastico ordine viventes amodo & deinceps cum omnibus ad se pertinentibus, vel appendiciis, atque adjacentiis, seu terminis suis, necnon & cum villares Labrociano, & Sortiliano, & in villas Torrilias, quantum ad ipsum monasterium pertinet, & ipsos molendinos, qui sunt in rivulo Vernedupri, cum illorum capud molis, necnon & villares, idest, Madernus cum suis finibus, vel adjacentiis, & mancipiis, qui ad ipsum locum pertinent, quæ sunt nati de progenie Deodato, & villares, quæ vocant *Gabiano*, sive Gabianello, cum ecclesia, quæ vocant *sancti Mazarii*, & cum illorum salinas, & matroces, & corzoriis, vel adjacentiis eorum, quod ad ipsos villares pertinent, cum exitibus earum villarum Vo.·.·. quæ est juxta villam, quæ vocant *Peyano*, cum ecclesia in honore sancti Juliani, cum suis finibus & terminis, vel salinas quæ ad ipsum villare pertinent, cum exitibus vel egressibus earum. Et in Narbonensi civitate casales absos cum buaca, quæ sunt ante ecclesiam sancti Marcelli, & insula quæ vocant *Duniana*, cum ipsa piscatoria, & in alio loco ubi vocant *Anseduna*, & Sigenola cum ecclesia sancti Vincentii & sanctæ Agnetis, & sanctæ Mariæ cum illorum finibus, seu terminis earum. Concedimus vobis toloneum de villaribus, quod in præceptis sancti Aniani monasterii continetur.

Hæc omnia superius nominata cum reliquis rebus, quæ a Dei fidelibus ibi collatæ fuerint tam ex donatione, quam ex comparatione de qualicumque venerit per se, sub nostra successorumque nostrorum tuitione E in perpetuum maneat; videlicet ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, aut ullus ex fidelibus nostris tam præsentibus, quam & futuris, in ecclesias, vel loca, sive agros, vel reliquas possessiones, quas nunc in quibuslibet pagis & territoriis possidet, vel quæ deinceps fidelium devotio ex qualicumque parte ibidem augeri voluerit, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut toloneum exigendum, aut fidejussores tollendos, hominesque distringendos, vel quascumque debitiones aut inquietas occasiones requirere, aut exactare audeat, nec ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat; sed qui transgressus fuerit vinculum immunitatis, damnetur. Et licet memorato abbati suisque successoribus res ejusdem monasterii cum

omnibus ad se pertinentibus sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere.

Quando inde divina ordinatione supradictus abbas, vel successores ejus ab hac luce migraverint, quamdiu ipsi inter se tales invenire poterunt, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere & gubernare valeant, per hanc nostram licentiam auctoritatem habeant ex semetipsis abbates eligere, quatenus servos Dei qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & patribus nostris, & stabilitate regni nostri Domini immensam misericordiam jugiter exorare delectet; nostra largitionis auctoritate nostris successoribusque nostrorum inviolabilem, atque inconvulsam obtineant firmitatem, manu propria subtus firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus. Actum VIII. idus Julii, indictione II. anno VII. rege Karolo serenissimo & in successione Odonis II. pleniter regnante. Actum apud Turnum villam in Dei nomine feliciter. Amen.

IV.

Charta fundationis monasterii S. Pontii Thomeriarum.

936.

REge Regum Domino, &c. Igitur in Dei nomine ego Pontius gratia Dei comes Tolosanus, primarchio & dux Aquitanorum, & uxor mea Garsindis, propter remedium & salutem animarum nostrarum, ut pium judicem divinum sentiamus placatum in angustiis nostris, cum venerit judicare vivos & mortuos, & pro genitore nostro Raimundo, & genitrice mea, & pro consanguineis nostris & fidelibus nostris omnibus, seu pro salute vivorum & requie omnium defunctorum fidelium damus, & concedimus omnipotenti Deo, & S. genitrici ejus Mariæ, & beato Petro apostolorum principi, & S. Paulo doctori egregio, necnon & glorioso martyri Pontio, Thomeriensi monasterio, & domino abbati Otgario, & monachis ejusdem monasterii tam præsentibus quam futuris, videlicet totum allodium & totum potestativum de villa nostra dominicata quæ dicitur *Thomieres*, cum ipsa ecclesia quæ est fundata in honore S. Martini, cui vocabulum est *de Jauro*, & rebus omnibus ad se pertinentibus: & in alio loco villa quæ dicitur *Gasanus*, & alia villa quæ *Prata* dicitur, & villam quæ *Canneta* vocatur, & illa quæ *Opinianus* dicitur, & in villa quæ dicitur *Tarborerius* quatuor mansos 2. In Asiniano mansos 2. in Casurmaio mansos 2. & in loco qui dicitur *Simbergas* mansos 2. in Tellito mansos 2. in alio vero loco villa quæ dicitur *Opiniaco*, & alia quæ dicitur *Carturanis*, in Condadas mansum unum, & villa alia quæ *Salsias* dicitur, & alia villa quæ *Tausina* vocatur, & alia villa quæ *Cornon* dicitur, & alia villa quæ *Martonius* * vocatur. In Palissinctos mansos 2. in Crosato mansos 3. & in Bonatias mansos 4. in Cabanario mansos 6. in Brassiano mansos 6. ad Pelludos mansos 2. in Tursarias mansos 4. in Proliano mansos 3. & in loco qui dicitur *Riolet* vineas duas dominicatas, & prato uno dominicato. Damus similiter totum allodium & totum potestativum de ecclesia & de omni parochia S. Martini de Putias, damus similiter totum allodium & totum potestativum de omni parochia S. Saturnini de Bison, cum ipsa ecclesia & cum omni territorio usque ad pontem d'Elbina; confrontatur ab Oriente cum dominio de Soriciras, a Meridie in summitate montis Colim, ab Occidente in ponto Silvestri aquæ d'Elbina, ab Aquilone rivo de Toaret. Omnis honor prædictus est in episcopatu Narbonensi, & in alio loco in episcopatu Albiensi in loco qui vocatur *Vetusmurense*. Damus similiter totum allodium & totum potestativum de omni parochia S. Clementis cum ipsa ecclesia, cum manso ecclesiastico, & in ipso loco mansos duos qui dicuntur *Atturim* & alios duos mansos ad illum, qui dicitur *Batpalmas*. Hæc omnia prædicta ego Pontius comes jam dictus & uxor mea Garsindis damus, laudamus & concedimus omnipotenti Deo & S. Mariæ, & S. Pontio Thomeriensi monasterio, & abbati & monachis ejusdem monasterii tam præsentibus quam futuris in perpetuum, scilicet omnes ecclesias & villas prædictas, & totum honorem prædictum, & totum allodium & dominium & totum potestativum de omnibus parochiis jam dictis cum decimis & primitiis, cum oblationibus & cimeteriis, cum terris cultis & incultis, cum vineis & hortis, cum pratis & arboribus fructiferis & infructiferis & cum herbis, pascuis, & pasturalibus & aquarum cursu & recursu, cum molendinis & cum omnibus paxeriis, tam de piscatriis quam de molendinis, & furnos cum rivis, & fontes, montes & colles & valles & mundas cum nemoribus, cum silvis & forestis & cum omnibus finalibus & mercariis & firmumjugiis, & cum hominibus & famulabus inde naturalibus, & quæstus & albergas & firmantias & tallias & omnes actiones & segnis & justicias & omnes satiros & leudas & persulira & venationes, & omnes actus & quidquid jam dicto honore & in omnibus suis pertinentibus habemus, totum illud damus Deo & monasterio prædicto in perpetuum absque omni retentione, pro redemptione & salute animarum nostrarum, parentum & fidelium nostrorum ut possimus evadere gehennæ incendii flammas & pœnas & infernorum claustra, atque conjungi sanctorum agmini & sine fine obtinere cum illis sempiterna gaudia & cum Christo & fidelibus suis feliciter regnare sine fine per æterna secula. De repetitione vero, quod fieri minime credimus, si nos immutata voluntate nostra, aut ullus de heredibus nostris, aut ulla emissa persona, quæ contra hanc nostram donationem ullam calumniam generare conata fuerit, iram Dei incurrat & contra se testem & judicem habeat & sanctos ejus exactores omnes & rei defensores, & sua repetitio nullum effectum obtineat, sed hæc præsens donatio firma & inconvulsa permaneat omni tempore cum stipulatione subnixa. Facta donatio ista in mense Nov. anno DCCCCXXXVI. Dominicæ Incarnationis, primo anno Ludovico rege sedem ejus regni gubernante. Signum Pontii marchionis qui hanc donationem fieri aut affirmare rogavit. Sign. Garsindis uxoris ejus consentientis. S. Ragauberti. S. Vidimi. S. Altoni. S. Malfredi. S. Raimundi. S. de Agberto. S. Aimeriti. S. Odonis. S. Atrio. S. & Guillelmus qui hanc chartam scripsit rogatus.

* al. Marthomis.

V.

Bernardus Bisuldunensium comes dat monasterium S. Martini de Lenis Frotardo abbati S. Pontii Thomeriarum.

Ex veteri charta Narbon.

1070.

SI famulantium meritis juste cogimur debita compensare lucra mercedis, quanto jam copiosius temporalia debemus impendere pro sempiternis: sed quia, annuente Deo, cernimus simoniacam heresim a finibus nostræ patriæ stimulis sanctarum sententiarum expellere, & ecclesiam Christi in quibusdam locis de regionis restauratione gaudere, æquum est ut nos Dei adjutores existentes in virtute Dei hostes ejus aggrediamur confidenter, contendamus viriliter, perseveremus instanter, quousque sancta ecclesia nobis in hoc laborantibus gaudeat de augmento sanctæ religionis, & nos de præmio divinæ retributionis. Igitur ego Bernardus gratia Dei Bisuldunensium comes videns quoddam monasterium in territorio Feniolotensi, loco dicto *Lenis* juxta Aditum fluvium, sub nomine S. Martini consecratum, aliquando simoniace distractum, aliquando a pravis hominibus sua possessione privatum, & ab omni honestate sanctæ regulæ seclusum, & pene ad nihilum perductum, & omnimodis desertum & ad

heremum redactum, pia consideratione cupio illud restaurare in bonum. Iscirco ego Bernardus præfatus comes propter amorem Dei & propter remedium animæ meæ, & animæ patris mei, & fratris mei, & cunctorum progenitorum, & propinquorum meorum, ut Deus sua pietate in amplissimo sinu suæ misericordiæ nos colligere dignetur, jam dictum monasterium S. Martini trado & dono omnipotenti Deo & Thomeriensi monasterio in honore Dei & S. Mariæ & S. Pontii consecrato in manu & potestate domni Frotardi abbatis, & successorum ejus, ut & ipsum monasterium S. Martini jam dictum & omnis ejus possessio, quæ possedit, vel possidet, vel quandoque possessurum est, simul cum omnibus sibi pertinentibus, sit in potestate, & possessione jam dicti monasterii S. Mariæ & S. Pontii perpetualiter irrevocabili modo ad suum proprium, & liberum & francum alodem, & in potestate & dominatione præfati abbatis domni Frotardi & successorum ejus; non sit alicui licitum præfatum destruere monasterium, vel cuilibet laïco, vel clerico dare, vel sine monachis, qui ibi regulam teneant, retinere, sed semper sit monasterium in servitium omnipotentis Dei sub regula & ordinatione S. Benedicti, nullus abbas neque possessor, monachus, clericus, aut laïcus a me prælibato Bernardo comite, vel ab alio homine, vel femina in prælibato monasterio S. Martini constituatur, ordinetur, vel eligatur, nisi ab abbate monasterii S. Mariæ & S. Pontii, sed semper sit sub prioribus & monachis ibi positis & ordinatis per voluntatem & ordinationem præscripti abbatis S. Mariæ & S. Pontii Thomeriarum. Dum ego autem Bernardus comes prædictus vivus fuero, habeat abbas jam dictus Thomeriensis præscriptam abbatiam S. Martini in mea fidelitate ut meum donum, ita ut ego non possim mutare, nec minuere ipsam donationem supra scriptam, sed semper integra maneat: post mortem vero meam nullus comes neque alius quislibet homo vel femina ullam potestatem, neque ullam dominationem habeat in jam dicto monasterio S. Martini, neque in omnibus villis vel possessionibus, quæ pertinent ad prædictum monasterium S. Martini, nisi abbas Thomeriensis, sicut superius dictum est, & ipsi qui per ejus voluntatem & ordinationem ibi fuerint constituti: prædictum vero monasterium S. Martini trado & dono Deo & monasterio S. Mariæ & S. Pontii, jam dicto abbati Frotardo & successoribus ejus per proprium & francum alodem & liberum jam dicti monasterii Thomeriensis propter Deum & remedium animæ meæ & animæ fratris mei Willelmi & omnium parentum & propinquorum meorum: quod si ego prædictus comes vel alius quislibet utriusque sexus homo prædictum monasterium S. Martini vel ullam rem de possessione ipsius monasterii a jure vel potestate præscripta monasterii Thomeriensis auferre præsumpsero aut præsumpserit, aut in aliquo supra scriptam donationem violare, hoc quod abstulero aut abstulerit Deo & jam dicto monasterio Thomeriensi in duplo persolvat, & insuper ipse præsumptor ut sacrilegus satisfaciat. Facta hæc donatio XVII. cal. Februarii anno MLXX. a Nativitate Christi, anno X. regni Philippi regis. ✠ Signum Bernardi gratia Dei comitis, qui hanc donationem feci & testes firmare rogavi. ✠ Signum Udalardi Bernardi de Melan. ✠ Signum Udalgerii de Fenoled. ✠ Signum Petri filii ejus. ✠ Signum Ermengaudi de Trin..... ag. Raimundus monachus, qui hanc donationem scripsit anno quo supra.

VI.

Rogerius comes Fossensis dat Frotardo abbati S. Pontii ecclesiam S. Petri, S. Johannis, & S. Saturnini, in qua beatus Arnerius abbas sepultus erat, quæque fuerat abbatia quondam ordinis S. Benedicti.

Ex tabul. Fuxensi.

Circa 1080.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ego Rogerius comes & conjux mea Sicardis comitissa, cupientes acquirere remissionem peccatorum nostrorum, & vitam æternam, donamus Domino Deo & sanctæ Dei genitrici virgini Mariæ, sanctoque Pontio martyri, ac dompno abbati Frotardo, omnibusque monachis Thomeriensis cœnobii alodem nostrum, qui mihi Rogerio advenit per alodem, sive per aprisionem vel condirectionem parentum nostrorum vel meorum, qui est in pago Tolosano in suburbio Fossensi, in ministerio Patamianensi, in parochia Schocre id est ipsam ecclesiam parochialem sancti Petri & sancti Johannis & sancti Saturnini, in qua beatus Arnerius abbas sepultus quiescit, cum suis decimis & præmitiis & oblationibus & cimiteriis, atque alodiis suis & condirectis & heremis, & cum toto ecclesiastico suo, & cum omnibus juribus suis sibi pertinentibus, cum villis & mansis, cum terris & vineis, sylvis & garriciis, pratis, pascuis, eremis & condirectis, exiis, & regressis earum, & cum omnibus, quæ ad ipsam pertinent parochiam & pertinere debent, quæ nunc videtur habere & habere debet, quæ antiquitus abbatia dicitur fuisse, unde adhuc nomen habet, propterea quia ibi reperiuntur defunctorum corpora cucullis involuta, ad proprium alodem perhabendum. Idcirco hoc facimus, ut Deus omnipotens nobis & parentibus nostris ac propinquis & fidelibus nostris vivis & defunctis sit clemens & propitius atque deffensor & ea quæ male fecimus dimittat, & a malis omnibus nos deffendat. Insuper nos prædicti donatores donamus sanctis & monachis prædicti cenobii in prædicta parochia ut redimant illa omnia pignora quæ ego prædictus comes Rogerius aliis hominibus ibi misi & habeant ipsi monachi in suo dominio in perpetuum, & si potuerint acquirere ipsi monachi ab ipsis hominibus, qui in ipsa parochia per me habent fevos, de ipsis fevis tantum vel quantum, aut omnino totos similiter habeant semper; & insuper dono ego Rogerius comes sanctis & monachis cenobii prædicti ut in toto honore vel in parochia Scotiæ prædictæ non donem, neque impignorem, neque per ullum ingenium consentiam terram vel possessionem aliquam alicui homini vel feminæ, quandiu Deus vitam in hoc corpore mihi concesserit, nisi sanctis & monachis prædicti cenobii, quod si fecissem habuissent ipsi monachi hoc vel hæc quæ aliis data fuissent in suo dominio semper habendum, & quantum ego Rogerius prædictus teneo, habeo vel habere debeo, & homines & feminæ habent ac tenent per me pro qualicumque voce in parochia prædicta & in ejus terminis cum suis omnibus adjacentiis & pertinentiis, totum & ab integro dono Deo & sanctis & monachis prædicti cenobii & de meo jure in eorum potestate cedo & trado ad alodium habendum in æternum, sine ulla reservatione. Affrontat autem hic honor & hæc parochia Scociæ a parte Orientis in rivulo Argentiæ vel in Guta-crossa & in malo sancti Arnallo, & inde vadit usque ad Receriam, ab Occidente vero affrontat ad crucem in Serra super Rubuer, & inde vadit per ipsum Rubuer usque in Stricam & ascendit per Tropinos usque ad Argentiam, quantum infra istas affrontationes includitur, sicut supra scriptum est, sic dono ego Rogerius prædictus comes sanctis & monachis prædicti cenobii sine ulla reservatione, & non liceat abbatibus, vel monachis hæc prædicta de communia cenobii prædicti abstrahere, quod si fecissent, accipiant

accipiant hoc quod illi dediſſent ad dampnum cenobii prædicti propinqui mei in ſuo dominio quouſque ipſi monachi deliberaſſent illud quod male datum habuiſſent. Si quis vero, quod fieri minime credo, contra hanc donationem noſtram venerit ad irrumpendum vel contradicendum, imprimis judicium Dei incurrat, & ut ſacrilegus confundatur & pereat cum Juda traditore, & cum eis qui dixerunt Domino *recede a nobis*, uſquequo reſipiſcat & * permittendo ſatisfaciat Deo & ſanctis & monachis cenobii prædicti, vel in duplo & meliorata hæc prædicta eis componat; qui vero adjutores extiterint factis ſeu dictis hujus noſtræ donationis monachis cenobii prædicti ad habendum, ſit pro eis hæc elemoſina ſicut & pro nobis. Factum eſt hoc in præſentia bonorum hominum ſcilicet domni Iſarni Toloſanenſis epiſcopi & B. Carcaſſonæ epiſcopi, & domni G. comitis Toloſani, & domni Raimundi fratris ejus comitis Ruthenæ, & aliorum multorum qui aderant.

* f. remittendo.

Guillelmus comes Toloſanus, Albienſis, Caturcenſis, Lutevenſis, & Carcaſſonæ Roma veniens ad S. Pontium, & inibi cultum religionis multum valere conſpiciens, hanc donationem, & ceteras poſſeſſiones confirmavit.

VII.

Spicil. t. x. pag. 163.

Donatio facta monaſterio S. Pontii Thomeriarum a Bernardo de Minerba in gratiam filii, qui monaſticum ordinem inibi ſuſcipiebat.

1100.

MUndi terminum propinquante, ruina illius crebreſcente, oportet unicuique, ut dum in hoc mortali corpore degens feſtinet, ut in futuro propitium Deum poſſit habere, &c. Igitur ego in Dei nomine Bernardus gratia Dei vicecomes de Minerba conſiderans ultimi diei finem, in quo judex verus venturus eſt reddere ſingulis ſecundum opera ſua, & terribilem vocem, quam impii pro peccatis ſuis audituri erunt: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus:* deſiderans bonitatem Dei & clementiam ipſius, ut copulari merear ſanctorum collegio, & cum juſtis audire: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Quapropter ego Bernardus jam dictus vicecomes pro remedio & ſalute animæ meæ, & parentum meorum dono, laudo, & concedo omnipotenti Deo, & ſanctæ Mariæ virgini & ſancto Pontio, Thomerienſi monaſterio, & domino abbati Petro & monachis ejuſdem monaſterii, tam præſentibus quam futuris ibidem Deo ſervientibus in perpetuum; videlicet totum alodium de villa & de omni parochia de Saiſſeras cum ipſa eccleſia ſancti Martialis, cum omni ſuo eccleſiaſtico, cum decimis & primitiis, & oblationibus, & cimiteriis, & cum omnibus rebus ad prædictam eccleſiam pertinentibus; & in ipſa parochia de Saiſſeras damus totum alodium de omni territorio de Arguzac; & in alio loco dono ſimiliter totum alodium de omni territorio de Roerra; dono ſimiliter in alio loco totum alodium de villa de Caſellas cum omnibus ſuis pertinentiis: & in alio loco dono ſimiliter totum alodium de omni territorio de Monte-auruz. Prædictus honor de Monte-auruz afrontat ab Oriente uſque ad Fontavillas, & ab Occidente uſque in Saliſceira; ab Aquilone uſque in rivo Molier, ex meridie uſque in prædictum honorem de Caſellas. Omnis honor prædictus eſt in epiſcopatu Narbonenſi in ſuburbio Minerbenſi. Hæc omnia prædicta ego Bernardus vicecomes jam dictus dono, laudo & concedo omnipotenti Deo, & ſanctæ Mariæ, & S. Pontio, Thomeriarum monaſterio, & abbati & monachis ejuſdem monaſterii tam præſentibus quam futuris in perpetuum, ſcilicet totum alodium & dominium de omni honore prædicto, & cum omnibus ſuis pertinentiis, cum terris cultis & incultis, cum vineis & hortibus, cum pratis, & cum arboribus fructiferis & infructiferis; & aquarum curſus & recurſus cum molendinis & furnis, cum herbis, cum paſcuis & paſturalibus, cum rivis; & fontes, montes, colles & valles cum maneriis, cum nemoribus, cum ſylvis & foreſtiis, & cum omnibus ſevalibus & vicariis, & ſerventagiis, & venationes cum hominibus & fœminabus inde naturalibus, & giſtas & tallias, & omnes actiones, & omnes uſaticos, & omnes actus, & quidquid in jam dicto honore & in omnibus ſuis pertinentiis habeo, totum illud dono Deo & monaſterio prædicto in perpetuum abſque retentu. Hoc donum facio pro amore Dei, & remiſſione peccatorum meorum, & parentum meorum, & pro hæreditate filii mei Raimundi, quem in eodem monaſterio trado & offero Deo & ſanctis prædictis ad monaſticum ordinem ſuſcipiendum. Si quis vero contra hanc chartam donationis venerit ad irrumpendum, niſi pœnam dignæ ſatisfactionis egerit, in iram Dei omnipotentis incurrat, & a liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ extraneus fiat, & excommunicatus fiat, cum Dathan & Abiron, & cum Juda traditore Domini in inferno ſemper ardeat. Facta eſt charta hujus donationis ſub die feria VI.* anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo regnante Philippo rege, duodecimo kalendas Septembris. Sigillum Bernardi vicecomitis, qui hanc chartam donationis manibus ſuis firmavit, & teſtes firmare rogavit. Sigillum Petri filii ejus, qui hoc donum conceſſit. Sigillum Engilberti de Olargio. Sigillum Podii fratris ejus. Sigillum Bernardi de Durbano. Sigillum Airici de Minerba. Sigillum Guillelmi qui hanc chartam ſcripſit.

Math. 25. 41. Math. 25. 34. * l. III.

VIII.

Charta Bertrandi archiepiſcopi Narbonenſis, qua S. Aniani monaſterium ſubjicit S. Pontio Thomeriarum.

1101.

IN nomine Domini, amen. Ego Bertrandus Dei gratia Narbonenſis archiepiſcopus, & cæteri canonici Narbonenſis ſedis videntes monaſterium S. Aniani, quod eſt juxta fluvium Vernazoubre, a pravis hominibus ſuis poſſeſſionibus privatum, & ab omni honeſtate ſecluſum, ſanctæ regulæ pia conſideratione cupientes reſtaurare in bonum. Igitur ego præfatus archiepiſcopus & nos præfati canonici Narbonenſis ſedis per nos & ſucceſſores noſtros bona fide, & abſque dolo, & zelo pietatis, & pro ſalute animarum noſtrarum donamus, laudamus, & concedimus, & cum hac præſenti charta in perpetuum tradimus omnipotenti Deo, & monaſterio ſancti Pontii Thomeriarum, & tibi domno abbati Petro & monachis ejuſdem monaſterii præſentibus & futuris ibidem Deo ſervientibus, videlicet abbatiam monaſterii prædicti ſancti Aniani cum omnibus eccleſiis, & capellis, quæ ad monaſterium prædictum ſancti Aniani pertinent, videlicet eccleſiam ſancti Laurentii, eccleſiam ſancti Celſi cum ſua capella beatæ Mariæ de ipſa villa S. Aniani: eccleſiam ſanctæ Mariæ de Nazareth *: eccleſiam ſancti Johannis: eccleſiam ſanctæ Mariæ de Reduza, eccleſiam S. Martini de Sabaza: eccleſiam ſancti Baudelii de Lodoza: & eccleſiam de . . . . videlicet eccleſiam ſanctæ Agnetis: & eccleſiam S. Vincentii, eccleſiam ſancti Nazarii de Gabia: eccleſiam S. Juliani de . . . . & in epiſcopatu . . . . eccleſiam ſancti Stephani de Clamos cum villata, quæ vocatur Villanernetta cum eccleſia . . . . . . Hoc dominium, ſicut jam ſupradictum eſt, ego prædictus Bertrandus & nos prædicti canonici Narbonenſis ſedis damus, laudamus, & concedimus Deo, & monaſterio ſancti Pontii jam dicto & abbati & monachis prædictis & eorum ſucceſſoribus in perpetuum, videlicet monaſterium S. Aniani prædictum cum ipſa villata, cum omnibus juribus

* al. de Areis.

suis, & servitiis, & pertinentiis, & cum omnibus rebus ad prædictum monasterium pertinentibus, quæcumque sint; cum omnibus ecclesiis & capellis prædictis, cum omnibus decimis, & primitiis suis, & oblationibus, cum cœmeteriis, & cum omni ecclesiastico jure tam decimarum, quam aliarum rerum, sicut . . . . . . prædictæ sedis habuerunt, vel habere debuerunt, sic damus Domino Deo, & prædicto monasterio in perpetuum absque omni prætentione, libere, & absolute ab omni jure & potestate, & ab omnibus albergis, & ab omni usatico & ab omni servitio, excepta synodo prædictæ ecclesiæ S. Celsi, & excepto quod abbas de prædicto monasterio S. Aniani debet venire ad synodum pro duabus ecclesiis prædictis, videlicet pro ecclesia S. Nazarii de Gabia, & pro ecclesia S. Juliani de Le . . . . & ultra non tenebitur pro duabus ecclesiis prædictis alium usaticum persolvere: chrisma vero & oleum ab archiepiscopo Narbonensi accipient: de cætero abbas & monachi S. Pontii omni tempore teneant & possideant, & dominationem habeant in abbatia S. Aniani, & omnibus membris ejus, & nullus abbas aut monachus, vel aliqua ecclesiastica, sæcularisve persona habeat licentiam aut potestatem mittendi abbatem aut monachos, nisi supradictus abbas S. Pontii aut successores ejus. Si quis vero sciens contra hanc chartam nostræ donationis hujusmodi venire præsumpserit ad irrumpendum, nisi pœnitentiam condigna satisfactione fecerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ excommunicatus, & exterminatus fiat. Factum est hoc donum anno ab Incarnatione millesimo centesimo primo, regnante Philippo rege Francorum, decimo-quarto calendas Aprilis. Signum domini Bertrandi archiepiscopi, & prædictorum canonicorum Narbonensis sedis, qui hanc chartam donationis fecerunt, & scribere fecerunt, & factam laudaverunt, & testes firmaverunt. Signum Petri episcopi Carcassonensis, qui hoc donum laudavit, & concessit. Signum Isarni episcopi Tolosani. Signum Arnaldi episcopi Biterrensis. Signum Godefridi episcopi Magalonensis. Signum Aimerici vicecomitis Narbonensis. Signum Bernardi de Narbona. . . . . Signum Guillelmi Rollandi de Bizano. Signum Bernardi de Mailhac. Signum Pontii Berengarii, anno, & mense quo supra. Laus Deo.

IX.

Ex tabul. eccles. Albiensis.

Arnaldus episc. Albiensis dat S. Pontio Thomeriensi ecclesiam de Cauna bellorum æstu devastatam, quam ecclesia Albiensis acquisierat.

1103.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Hæc charta facta est super ecclesiam de Cauna inter canonicos sanctæ Ceciliæ & monachos S. Pontii, laude & consensu Arnaldi pontificis, & Petri Thomeriensis abbatis. Ecclesiam de Cauna, quam episcopus, & sanctæ Ceciliæ canonici cum appenditiis suis adquisiverant, & aliquantum temporis tenuerant, per magnam guerram devastatam, expetente abbate & monachis S. Pontii per se & per monachos suos, & per litteras suas, episcopus & clerici sanctæ Ceciliæ eis tradiderunt cum omnibus appenditiis, quas habebat, & quascunque deinceps secundum Deum adquirere possent, tali conditione, ut per singulos annos infra octo dies ante festivitatem sanctæ Ceciliæ monachi S. Pontii per se, vel per nuntium suum persolverent conventui sanctæ Ceciliæ decem solidos octonæ monetæ, sive Raimundensium, sive Margulienſium, sive Caturcensium, quæcumque in Albia urbe melius curret; salva etiam omni reverentia & obedientia, quam singulæ ecclesiæ suæ matri ecclesiæ debent, & episcopo, & clericis, & confirmante Arnaldo præsule, & omnibus canonicis S. Ceciliæ, Petro abbate Thomeriensi, & omnibus monachis suis tam præsentibus, quam futuris anno MCIII. ab Incarnatione Domini XIII. cal. Junii octava* indictione. S. hujus chartæ Petrus abbas, Arnaldus prior, Bernardus de Combrets, Guillelmus sacrista, Pontius de Villa, &c.

* melius undecima.

X.

Epistola monachorum S. Aniani Thomeriarum de electione Guillelmi abbatis.

Circa 1120.

VIro totius venerationis gloria celeberrimo, & titulis insignibus in hac & in diversis regionum partibus longe lateque famosissimo Arnaldo Dei gratia ipsiusque fidelium nutu Narbonæ sedis archiepiscopo grex pusillus monachorum S. Aniani honorem ut patri, timorem ut Domino.

Dignitati vestræ notum fieri volumus, abbatem nostrum Ermengaudum virum humilem & modestum ab hoc sæculo discessisse: quare ne sicuti oves pastoris regimine carentes diu viam erraticam teneremus, & ecclesia nostra pastoralis officii expers haberetur, uno corde & uno animo, una voluntate Domino, cui secreta omnia patefacta sunt, genibus ante altaria sacra positis supplicantes Deum exoravimus, ut nobis patrem Dei & S. Benedicti regulam observantem sua pietate ipsemet eligeret, & electum nobis tribueret, & virtutis suæ gratia illustraret: facta siquidem oratione, omnes de pulvere lacrymantes surreximus, & quasi alter alteri subauriculasset, cum antea mentio ipsius nulla facta fuisset, unum de nostris confratribus nomine *Guillelmum* conclamantes, in Domini nomine pastorem nobis & dominum elegimus, eique subjici & obedire, sicut B. Benedictus præcipit, omni tempore vitæ nostræ volumus. Vos igitur, quasi pedibus vestris provoluti nos omnes per ordinem, ego prior Raimundus, & ego Raimundus sacri custos, & ego Johannes cellerarius, & ego Bernardus camerarius, & ego Petrus, & ego Raimundus sacerdotes, & ego Raimundus, & ego Petrus levitæ, & ego Beringerius elemosynarius, & ego Willelmus, & ego Petrus subdiacones, & ego Berengarius, & ego Willelmus acolyti, & ceteri fratres humiliter deprecamur, ut nobis eum consecrare in abbatem dignemini. Valete.

XI.

Ex archivo Fuxensi.

Inita concordia Rogerium inter vicecomitem Biterrensem & Raimundum abbatem S. Pontii.

1171.

IN nomine Domini Jesu, anno ab ejus Incarnatione MCLXXI. Notum sit omnibus, ad quorum auditum ista devenerint, quod dominus Raimundus abbas sancti Pontii, & Rogerius illustris vicecomes Biterrensis convenerunt apud Biterrim, & compromiserunt quod de querimoniis, quas adversum se proponebant, sine contradictione facerent, quod dominus Pontius Narbonensis archiepiscopus, & Bernardus Biterrensis, & Wilhermus Albiensis episcopus dictarent, cum Petro Carcassensi, & Petro Narbonensi archidiaconis, & Isarno Jordane, Petro de Laurano, Petro Raimundi de Altopullo, Willhermo de sancto Felice vicario Carcassense, Pontio de Beciano vicario Biterrensi, Pontio de villari vicario Reddense, Bernardo de Cencennone, & Ugone de Romegons. Conquerebatur enim prælibatus abbas de Rogerio vicecomite, quia multa mala intulerat monasterio S. Pontii, villam ipsius monasterii occasione armorum destruendo, & ipsum monasterium ad redemptionem triginta millium solidorum cum exercitu suo cogendo. Rogerius autem prælibatus vicecomes adversus abbatem questionem proponebat de quadam forcia, munitione, sive castro, quod dicitur *Salvetat*, quam juxta terram suam contra voluntatem patris sui fecerat, & adhuc faciebat: post multas autem allegationes ex utraque parte dictas, præfati auditores inter jam dictum abbatem, & præmemoratum Rogerium

pacis compositionem fieri condixerunt. Ego igitur Raimundus præmemorati monasterii abbas ex admonitione, & instinctu supradictorum assessorum, per me & omnes successores meos, assensu & convenientia totius capituli S. Pontii, absolvo te dominum Rogerium vicecomitem Biterrensem, & omnes coadjutores tuos de omnibus malefactis, quas mihi in redemptione monasterii, & hominum ejusdem monasterii deprædationes violenter fecisti, & promitto tibi sæpe dicto Rogerio, sicut nobili viro & monasterio S. Pontii, & mihi per sacramentum adstricto, quod ab hac hora inantea te diligam, custodiam, & in bonis actibus tuis conservem fideliter. Et ego similiter sæpe dictus Rogerius pœnitens, quod tanta mala præfato monasterio intulerim, per fidem & sine enganno absolvo & sustineo, promitto tibi Raimundo abbati S. Pontii & successoribus tuis in perpetuum, & ut sine querela & contradictione mea meorumque successorum habeas deinceps & possideas in pace castrum, seu munitionem, quam *Salvetat* vocant, & pro voluntate tua tu & successores tui ædifices ibi & construas. Et ego jam dictus abbas concedo tibi Rogerio, & tuis in perpetuum, & dono, & laudo ad feudum cum ceteris feudis, quæ a monasterio S. Pontii habes & possides, albergum scilicet quinquaginta equitantibus, vel 50. solidorum Melgorensium, quod ego magis voluero singulis annis, & si tu vel nuntius tuus semel in anno præfatum censum accipere neglexeritis, ad alium annum census ille nullo modo debeat transferri. Hoc autem concedo tibi in loco, & pro loco illo, quem *Salvetat* vocant, ut castrum cum habitatoribus suis manuteneas & deffendas, & ab hominibus tuis nullo modo versari permittas; & si de castris, vel de terra tua aliquod malum, vel guerra sæpe dicto castro advenerit, liceat hominibus de castro, & modo & successoribus meis pro viribus resistere, & de malefactis pro posse vindicare; & si homines tuos proprios ibi habitare contigerit, servient pro voluntate tua, vel infra triginta dies a potestate mea eos penitus absolvam, & ego inde sæpe dictus abbas accipio te Rogerium in Dei fide, & mea, & volo & jubeo, quod sacrista & cellerarius S. Pontii jurent super sancta quatuor evangelia, quod de prædicto castro *de la Salvetat* non faciam tibi guerram, nec aliquis mea arte, vel meo consilio, & si aliquod malefactum tibi vel tuis propriis hominibus præfato jam dicto castro, nisi pro sua defensione, factum fuerit, infra quadraginta dies sine diminutione, & sine pœna emendetur: adhuc & ego Raimundus sæpe dictus abbas volens hæc omnia, quæ in hoc instrumento continentur, firma & rata omni tempore permanere, dono tibi Rogerio duo millia solidorum Mergorum, & ego Rogerius volo, absolvo, promitto per me & per omnes successores meos, & cum hac charta in perpetuum laudo, ut monasterium S. Pontii cum omnibus officinis suis ædificetur, firmetur, construatur, & ad majorem munitionem, sicut melius poterit, claudatur, ita ut infra claustrum monasterii nulli alii homines præter abbatem, monachos, fratres, cum familia sua habitationem habeant: & ego Rogerius vicecomes Biterrensis hæc omnia superius me observaturum promitto, & sicut in hujus instrumenti serie continetur, per hæc sancta quatuor evangelia observabo, & volo & jubeo, & obligo heredes meos ad hoc idem sacramentum abbati S. Pontii in perpetuum, nullo propter hoc munere, vel pecunia exigenda; & ego Raimundus abbas prædictus volo & statuo per me, & per omnes successores meos, ut super mandamento abbatis jurent sacrista & cellerarius S. Pontii, & faciant sacramentum simile superiori tibi Rogerio vicecomiti prædicto, & successoribus tuis. Factum fuit hoc totum secundo nonas Januarii feria secunda regnante Lodovico rege in Francia, & domino Alexandro Romæ præsidente, in præsentia supradictorum.

XII.

Donatio Ugonis Raimundi facta Raimundo abbati S. Pontii Thomeriarum.

1172.

IN nomine Domini, Ugo Raimundi consilio & voluntate uxoris meæ Raimundæ dono me per monachum Deo & sanctæ Mariæ in monasterio S. Pontii de Thomeriis in manu domini Raimundi abbatis ipsius monasterii sedente in capitulo generali; quamobrem ego Ugo Raimundi dono & concedo in perpetuum, & guirpisco tibi Raimundo abbati præfati monasterii S. Pontii & omnibus monachis modo & inantea ibidem degentibus totam illam partem honoris mei de Feleti & de sancto Crispino, quam habent Rotgerii in pignore pro CCCC. solidis Melgor. Item ego Ugo Raimundi solvo & omnino desamparo querimoniam, quam injuste faciebam in vallo S. Crispini. Et ego Raimundus abbas dono tibi Ugoni Raimundi, & uxori tuæ Raimundæ medietatem redituum ex ædificio ipsius valli provenientium in vita vestra, & post mortem vestram libere revertatur ad sanctum Pontium. Præterea manifestum sit, quod, si ego Ugo Raimundi decessero sine legitimo libero, dono & sine omni retinimento concedo beatæ Mariæ & sancto Pontio quidquid habeo vel aliquo modo habere debeo in parochia de sancto Crispino in hominibus & in feminis, in feudalibus, in heremis, & in condirectis, in boschis, & in aquis; & si uxor mea Raimunda voluerit alteri nubere, aut in seculo remanere, habeat medietatem honoris de Feleti tamdiu, donec abbas sancti Pontii, vel sui persolvant D. solidos ipsi Raimundæ, quibus solutis totus honor de Feleti revertatur ad sanctum Pontium. Et ego sepe dictus Ugo Raimundi dono, laudo & concedo absque omni reservatione tibi Isarno de Farico priori sancti Crispini quidquid habeo vel habere debeo in villa de Trenas, & in suis terminis, & in parochia de Celclars, & in parochia sancti Andreæ, & in parochia del Dorn, & in parochia de Cadis de Fraicuras, & in parochia S. Juliani, & in parochia de Canaduel, & in parochia S. Johannis, & in manso de Canrus pro CC. solidis: tali tamen conditione ego Ugo Raimundi dono tibi Isarno de Farico totum prædictum honorem, ut abbas, vel aliquis ulla voce vel lege non possit totum, nec partem de prædicto honore tibi tollere, vel amparare, sed habeas & teneas totum prædictum honorem in omni vita tua, & post mortem tuam revertatur ad monasterium sancti Pontii, si ego non habuero legitimum liberum; & si ego habuero legitimum liberum, & supervixerit te prædictum Isarnum, persolvat prædictos CC. solidos monasterio S. Pontii, & illam pecuniam, de qua prædictus Isarnus redemit pignora quæ sunt in prædicto honore, & sic recuperet ipsum honorem post mortem prædicti Isarni. Præterea ego Raimundus abbas S. Pontii, consilio & voluntate omnium fratrum, recipio te Ugonem Raimundi, & uxorem tuam Raimundam per monachos, ut quando volueritis liceat vobis habitum monasticum suscipere in monasterio S. Pontii, tali pacto ut quotiescumque veneritis ad sanctum Pontium, quamdiu fueritis in seculo, habeatis refectionem vestram quasi unus ex monachis. Sciendum est, quod ista pecunia est Melgor. Testes hujus rei sunt Petrus Bec de Murato, Guilhelmus Raimundi de Castelar, & Raimundus frater ejus, Aimericus de Rupe-cedaria, Gaubertus de Pec, Itherius prior, Petrus cellarius & sacrista, Girbertus eleemosynarius. P. de Amilau scripsit V. idus Maii anno Dominico MCLXXII. regnante Lodovico rege.

XIII.

Bulla Lucii papæ III. pro S. Aniano confirmata a Pio II.

PIUS episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Divina miseratio ad hoc nos licet immeritos supremæ potestatis apostolicæ præ ceteris mortalibus principatum obtinere disposuit, ut suam cuique justitiam, prout debitores sumus, ubilibet ministremus, & ea quæ per prædecessores nostros Romanos pontifices in favorem religiosarum personarum gesta comperimus, illorum inhærendo vestigiis, dum a nobis petitur, restaurationis, innovationis & declarationis munimine propensius solidemus. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Gerardi episcopi, ac dilectorum filiorum capituli S. Pontii Thomer. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cathedralis ecclesia S. Pontii Thomer. ordinis S. Benedicti solebat olim esse monasterium ejusdem ordinis, quod postmodum ex certis tunc persuadentibus causis in cathedralem ecclesiam fuit erectum; verum quia monasterium ipsum & illius abbas & monachi pluribus privilegiis, & potissimum Adriani II. Lucii III. & diversorum aliorum Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum gaudebant, per quæ inter cetera sedi apostolicæ subjiciebantur, ac eis concessum fuit, quod de terris ac possessionibus, quas propriis sumtibus colebant, nullus ab eis decimas exigere præsumeret, & quod non liceret alicui episcopo vel personæ monasterium præfatum, seu ecclesias ad dictum monasterium pertinentes novis decimarum & oblationum exactionibus aggravare, ac monachos dicti monasterii incarcerare, quodque in monasteriis seu prioratibus electivis a dicto monasterio dependentibus non posset eligere, nisi primo denunciaret infra conveniens spatium, ut eorum electioni interesse posset abbas prædicti monasterii, nullusque auderet prædictum monasterium temere perturbare, aut aliquid ab eo alienare, aut vexationibus fatigare, quodque nullus præponeretur abbas in dicto monasterio, nisi quem fratres & monachi prædicti monasterii communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris regulariter sibi præesse providerent; aliaque concessa & indulta fuerunt, prout in litteris desuper confectis, quarum tenores signis & subscriptionibus omissis, præsentibus annotari fecimus, plenius continetur, a nonnullis vertatur in dubium an privilegia ipsa ecclesiæ, episcopo, capitulo, personis & locis ejusdem possint seu debeant suffragari. Quare pro parte episcopi, capituli & prædictorum asserentium, quod litteræ prædictæ incipiunt vetustate consumi, nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteras hujusmodi Lucii prædecessoris innovare, illasque . . . . . ac ad hujusmodi ambiguitatis tollendum dubium illas cum prædictis ac omnibus aliis ac singulis in eis contentis clausulis ad episcopum, capitulum, ecclesiam, personas, & loca prædicta extendere, aliaque super hoc opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui litteras prædictas inspici & examinari fecimus diligenter, hujusmodi supplicationibus inclinati, litteras ipsas auctoritate apostolica tenore præsentium innovamus, ac præsentis inscripti patrocinio communimus, illasque ad episcopum, capitulum & personas dictæ ecclesiæ extendimus, ac decernimus & declaramus, ubi dicitur de abbate, de cetero intelligatur de episcopo, ubi dicitur de fratribus & monachis, intelligatur de capitulo ejusdem ecclesiæ, quodque litteræ prædictæ cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis ecclesiæ, capitulo, personis & locis in judicio & extra in omnibus & per omnia suffragetur, perinde ac si ecclesiæ, episcopo, capitulo, personis, & locis prædictis concessa forent, non obstantibus constitutionibus, ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quæ præfati prædecessores in dictis suis litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Tenor vero litterarum Lucii prædecessoris sequitur, & est talis:

A

Circa 1182.

LUCIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Hermengaudo abbati monasterii S. Pontii, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut fidelis devotio laudabiliter enitescat, & ut utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quæcumque bona, quascumque possessiones idem monasterium inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, B seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

In Narbonensi videlicet episcopatu monasterium S. Martini de Lenis, cum ecclesiis & allodiis suis, castrum Cinfenonis, castrum S. Eulaliæ, castrum de Monteolario, medietatem castri de Pennaci, quartam partem castri de Cererac cum terminis & pertinentiis eorum. Ecclesiam sancti Petri de Figeras, ecclesiam S. Pontii de Geminiano, ecclesiam S. Sebastiani de Premiano, ecclesiam S. Johannis de Fracxis, ecclesiam S. Petri de Riol, ecclesiam S. Martini de Jauro, ecclesiam S. Martini de Cussano, ecclesiam C S. Petri de Fernices, ecclesiam S. Saturnini de Bisons, ecclesiam S. Baudilii de Monteolario, medietatem ecclesiæ de Genestos, ecclesiam S. Johannis de Vinone, ecclesiam S. Stephani de Cella-vinaria cum capella castri, ecclesiam S. Stephani de Canallo, ecclesiam S. Petri de Cambonis, ecclesiam S. Eulaliæ de Liniaco, ecclesiam S. Jacobi de Courtz, ecclesiam S. Petri de Clar, ecclesiam S. Johannis Duraliola, cum omnibus parrochiis, capellis, decimis & allodiis earum. Ecclesiam quoque S. Petri de Bisano, ecclesiam S. Mariæ & S. Juliani de Malliaco cum possessionibus suis, allodia de Seregia, de Tertiono, de Terralio, de Bisano, de Villatzel, de Buciniano, de Premiano, de Genestars, de Malliaco, de Aquaviva, de Agel, de Corciano, de Capellas, de Artes, de Rovena, de Cambona, de Sarzano, de Belfort, de Monsaco, de Petra-forti, de D Cesserad, de Tolmiano, de Vinone, de Bisons, de Cambonis, de Narbona.

In Bitterrensi episcopatu castrum Podii-missionis, tertiam partem majoris castri de Altiniaco, turrem quæ est ante portam castri sancti Nazarii de Lerades, castrum de Veranio, medietatem castri de Salviano cum allodiis & terminis eorum, ecclesiam S. Eulaliæ de Tomeio, ecclesiam sancti Nazarii de Lerades, ecclesiam SS. Cornelii & Cypriani de Salviano, ecclesiam S. Mariæ de Luciano, cum parrochiis, capellaniis, allodiis & decimis earum, capellam S. Genesii de Adiliano cum possessionibus suis, allodium de Toneio & Gabaiel, insulas & riparias, aquæductus & reductus, piscatorias & molendina eorum, allodia quæ sunt Manceliano, Praliano, Saviniaco, Serigano, Loppiniano, E Biligano, Podiomissione, Corneliano, Altiniano & de Pulminano.

In Albiensi, S. Mariæ de Bars, ecclesiam S. Clementis de Lautrec, ecclesiam S. Remigii de Lautrec, ecclesiam S. Salvatoris de Brucia, ecclesiam S. Martini de Pino, ecclesiam de Tresuals, ecclesiam S. Petri de Lengouet, ecclesiam S. Salvii de Corcavels, ecclesiam S. Mariæ de Cauna, ecclesiam S. Mariæ Lingouet & de Legomeas, ecclesiam S. Amatii de Trebanio, ecclesiam S. Christophori de Capella, ecclesiam S. Johannis de Primaco & Pratz, cum decimis allodiisque earum, allodia S. Clementis de Pogeto, de Bonavilla, de Primaco & de Pino, de Trevals, de Curcaus, de Lingouet, de Trebanio & de Pratz.

In Tolosano, abbatiam sancti Petri de Venerca cum ecclesiis & allodiis suis, ecclesiam S. de Scotia & de Rodald, ecclesiam S. Mariæ de Morval, ecclesiam S. Johannis de Montinaco, ecclesiam S. Remigii in Tolosa, allodia de Visros, de Montaniaco, de Poget, de Bonavilla, villam de Mornas, medietatem Poget, de Ataregia, de Bosscheto, de Pogeto, Mongor, de Cavallata & de Foliis.

In Ruthenensi, ecclesiam sancti Mauricii, ecclesiam S. Crispini, ecclesiam S. Mariæ de Biteraco, ecclesiam S. Laurentii de Fogeto, de Armando, de Mologos, cum decimis & pertinentiis eorum, ecclesiam S. Laurentii de Brusca, allodia de Todarco, de Rota, de Rocado.

In Magalonensi, ecclesiam S. Mauricii de Baladuc cum decimis & possessionibus suis, allodium quod Petrus comes obtulit S. Pontio.

In Agathensi, ecclesiam S. Pontii de Gorbiano cum allodiis & pertinentiis suis.

In Carcassonensi, tertiam partem castri Montisirati cum ecclesia S. Juliani & pertinentiis & allodiis suis, ecclesiam S. Martini de Vilarzel cum capellis & decimis & pertinentiis suis, allodia de Vilarzel, de Vilarpeno, & de Massilia, & Monteirato.

In comitatu Tolosano, ecclesiam S. Tircii & sancti Saturnini, cum decimis, primitiis, cimiteriis, oblationibus, & allodiis, & omnibus pertinentiis suis.

In episcopatu Elnenensi ecclesiam S. Asciclii, allodia de Villanova cum omnibus allodiis, quæ in eodem episcopatu habetis.

In Ausonensi, castrum de Baseli cum ecclesia & terminis suis.

In Barchinona, domos & allodia;

In Terracona, monasterium Fontem cum allodiis suis, ejusdemque urbis exceptam partem per omnes fines suos.

In Urgellensi, castrum de Talbinol, de Luxanos, cum allodiis & terminis suis, & ecclesiam eorumdem cum pertinentiis suis.

In Oscensi, monasterium S. Vibicii cum ecclesiis & allodiis suis, ecclesiam de Lavatella monialium & de Baptaros, & de Ponsano, ecclesiam S. Ceciliæ cum allodiis suis de Vilello, & de Botel, cum capellis, decimis & possessionibus suis; castrum de Villelis, de Murel cum villis & terminis suis, allodium de Monteragone, villam de Gorel cum omnibus terminis suis, ecclesiam S. Stephani de castro Arquder, de Vallerna, de Quadreta, de Murel & Poliera.

In Osca civitate, monasterium S. Petri, quod *Vetus* dicitur, cum allodiis, decimis, cemeteriis, & omnibus pertinentiis suis, & quicquid Sancius Aragonum rex cum filio suo Rammiro dedit S. Pontio, astipulantibus filiis, Petro ejus regni successore & fratre ejus Ildefonso. Quicquid autem cellarum sive allodiorum in Gerundensi, Nemausensi, Ruthenensi, sive etiam supranominatis episcopatibus B. Pontii monasterium hodie juste possidet, aut in futurum, ut supra dictum est, largiente Domino, rationabiliter poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus illibata permaneant. Sane novalium vestrorum, quæ propriis sumtibus colitis, nullus a vobis decimas præsumat exigere. Adjicientes etiam præsenti decreto penitus prohibemus ut nulli episcopo vel alicui personæ liceat ecclesiam ad vestrum monasterium pertinentem novis decimarum & oblationum exactionibus aggravare. Præterea vestræ vestrorumque successorum in eadem religione pertinentium providentiæ regenda & disponenda committimus monasteria hæc: S. Petri de Rodas, S. Benedicti de Baras, S. Johannis de Valle-ficherii, S. Petri de Caunas, S. Laurentii de Matta, de Petra, S. Aniani, S. Martini de Lenis, & S. Laurentii de Monte, cum eorum cellis & pertinentiis, & cetera per Aquitaniam, sive Hispaniam monasteria, quæ a domno Frotardo bonæ memoriæ prædecessore vestro in religionis monasticæ statum restituta sunt. Satuimus etiam, ut in supradictis abbatiis nullus abbas qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, imo cum in aliqua ipsarum abbas fuerit eligendus, fratres, qui debebunt abbatem eligere, vobis vestrisque successoribus infra conveniens spatium, ut eorum electioni interesse possitis, nuntiare debebunt. Si vero vos vel successorum vestrorum aliquis post denunciationem ejusmodi forte prædictæ electioni interesse nequaquam poteritis, ipsi nilhominus in sua electione procedant, & patrem sibi secundum B. Benedicti regulam eligere studeant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, nec aliquid eorum, quæ ad ipsum pertinent aut pertinebunt, ab eo alienare, aut invadere, aut vexationibus fatigare præsumat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptione vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris regulariter cum timore Dei sibi præesse providerint. Electus autem ad sedem apostolicam consecrandus accedat, ac libertatem canonice a prædecessoribus nostris concessam obtineat, chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes monachorum, seu clericorum, ipsius cœnobii fratres a quocumque voluerint catholico episcopo accipiant, & a seculo conversos tam clericalis quam laïcalis ordinis ipsius loci fratres libera suscipiendi secundum ordinem licentia potiatur. Porro subjectarum cellarum fratres a suæ diœceseos episcopo, si gratiam & communionem apostolicæ sedis habuerit, omnia consecrationis instrumenta percipiat, si tamen gratis & sine pravitate illis voluerit exhibere: alioquin liceat eis quemcumque maluerint adire antistitem, & ab eo consecrationum recipere sacramenta. Præterea constituimus, ut nulli episcopo liceat ejusdem cœnobii fratres, quos spirituali dilectione in Romana ecclesia assumpsimus, excommunicare, aut eis divinum officium interdicere, sed sub sola sedis Apostolicæ protectione judicioque liberi, annuente Domino, securique permaneant; quocumque autem per excommunicatas ecclesias transierint, licentiam habeant cum clientibus suis, privatim absque excommunicatorum consortio divina officia celebrare, nisi nominatim super eorum ecclesiam excommunicatio facta sit. Ad indicium autem, quod præfatum monasterium juris sit B. Petri, & perceptæ hujus a Romana ecclesia libertatis, duos annuatim solidos Laterani palatio persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam secus contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi per supplicationem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis, communionis, exstinctionis, constitutionis & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Mantuæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo-nono, decimo calendas Decembris pontificatus nostri anno secundo. 1459.

XIV.

Epistola Pontii abbatis Thomeriensis ad A. comitem Pictaviensem monasterii S. Pontii patronum.

1259. VIro inclito, præ cunctis mortalibus diligendo, ac metuendo domino suo non solum speciali, imo etiam specialissimo, A. Dei gratia comiti Pictaviensi, atque Tolosæ, frater Pontius qualiscumque minister, sive rector sancti Pontii Thomeriensis ordinis S. Benedicti diœcesis Narbonensis, totusque humilis conventus ejusdem, æternam salutem in Domino Jesu-Christo. Exigente nostræ devotionis affectu, quem Domino inspirante ad nostrum habetis ordinem, prout operum exhibitio manifestat, omnium orationum, missarum, jejuniorum, laborum, & aliorum bonorum, quæ per Dei gratiam in nostro monasterio, cujus antecessores vestri patroni extitisse noscuntur, tam in capite, quam in membris, nec non in aliis locis nobis consortio ac fraternitate conjunctis fiunt, & fient in posterum, participem vos perpetuo facimus & consortes, concedentes nihilominus vestræ piæ devotioni, ut cum obitus vester nobis fuerit nuntiatus, idem pro vobis fiet, quod pro fratribus ordinis nostri defunctis fieri consuevit. Et ut major firmitas præsentibus habeatur, præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum apud S. Pontium decimo-quinto calendas Novembris anno Domini MCCLIX.

XV.

Capitulum generale in ecclesia sancti Pontii Thomeriensi celebratum.

1362. ANno Incarnationis Christi millesimo trecentesimo sexagesimo secundo, domino Johanne Dei gratia rege Francorum regnante, die decima-octava mensis Maii, qua die cum continuatione dierum præcedentium & sequentium fuit celebratum in ecclesia S. Pontii Thomeriensis generale & annuale capitulum. Noverint universi quod in mei notarii publici, & testium subscriptorum præsentia constituti venerabiles & religiosi viri dominus Johannes Sabaterii decretorum doctor officialis S. Pontii Thomeriarum, ac vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus reverendi in Christo patris & domini Johannis Dei gratia episcopi sancti Pontii Thomerarium, & Bernardus de Moleriis prior de Lavineria S. Pontii Thomeriarum diocesis, & ab ipsa ecclesia dependente, ac pertinente ad collationem & omnimodam dispositionem dicti domini episcopi, solitique gubernari per monachos dictæ ecclesiæ, in capitulo claustri ecclesiæ sancti Pontii Thomeriar. ubi erant congregati de mane hora capitulari ad sonum campanæ, ut moris est, capitulum generale ecclesiæ sancti Pontii Thomeriar. videlicet domini Bertrandus de Podio prior major, Guilhelmus de Muiolano prior claustralis, & de Fraxino, Bertrandus de Faricone prior de Trebanio, Arnaudus Nuri, Johannes Quintatorum prior de Cauna, Johannes Ayronnii prior de Pardelhano, Deodatus Taurine, Raimundus Estreboni, Bertrandus de Faricone junior, Pontius de Villanono, Austorgius de Cassucio prior de Malhaco, Guiraudus de Podio, Andreas Servientes, Guiraudus Augerii prior de Octaviano, Guilhelmus Ermengaudi prior de Vilellis, Bernardus Guerssii, Guilhermus Boni-panis præcentor, Bernardus Raimundi de Aygone, Petrus Donati, Bernardus de Montesquivo prior de Curtibus, Assalhitus Patavi prior de Balaruco, Pontius de Duabus-virginibus prior de Usčladellis, Raimundus Violete camerarius, Bernardus de Prolhano sacrista, Bernardus de Panato, Bernardus de Thezano, Johannes Philippi, Guilhelmus Sufredi

A prior de Fageto, Guilhelmus Ermengaudi junior, Sanctus de Fontainis operarius, Sanctus Plagameri; Andreas Vilarii & Petrus Boneti, monachi dictæ ecclesiæ in capitulum generale & annale in dicta ecclesia facientes & celebrantes, ut moris est in dicta ecclesia generale capitulum celebrari, præfati domini officialis & vicarius generalis pro parte dicti domini episcopi, & Bernardus de Moleriis prior de Lavineria pro se dixerunt & exposuerunt ibidem in dicto capitulo quod prout alias hactenus sepius inter prælatos, qui præfuerunt dictæ ecclesiæ sancti Pontii, & priorem prædictum de Lavineria diversi tractatus habiti fuerunt de permutando inter se ad invicem prioratum S. Crispini unitum & incorporatum mensæ episcopali sancti Pontii dicti domini episcopi, & dictum prioratum de Lavineria, qui tractatus propter mortem dictorum B prælatorum, & occupationem aliorum negotiorum dictæ ecclesiæ ad effectum tunc deduci minime potuerunt, nunc autem refricatis dictis tractatibus noviter inter eos propter evidentem utilitatem & necessitatem dictæ ecclesiæ S. Pontii & prioratuum prædictorum inter se dictæ partes concordarunt de & super dictis permutationibus faciendis de dictis prioratibus ad invicem permutandis, tractantibus omnibus amicis personis ecclesiasticis habentibus præ oculis solum Deum. Quapropter cum in hiis requiratur & necessarius existat consensus dicti capituli generalis, requisiverunt unanimiter dictos dominos capitulantes & capitulum generale facientes, quod in dictis permutationibus faciendis de dictis prioratibus coram sede apostolica rema- C nente perpetuo dictæ mensæ episcopali S. Pontii dicto prioratu de Lavineria libero & exonerato de monachis sociis & omnibus pensionibus tam in blado quam in pecunia, & oleo, & aliis dicto capitulo ac helemosinario S. Pontii dare solito per dictum priorem de Lavineria, videlicet de duobus monachis & sexaginta pilis frumenti pro mezada, ac eyminam olei & sexaginta quinque solidos Turonenses, quæ omnia onera transferentur & supportabuntur ad & per prioratum & per dictum priorem sancti Crispini, cum aliis etiam oneribus prædictum prioratum S. Crispini portare solitum consentiant, & suum præbeant assensum pariter & consensum, attendentes utilitatem & necessitatem ecclesiæ prædictæ & prioratuum prædictorum. Et dicti domini prior & capitulum dictæ ecclesiæ inter se deli- D berantes ad invicem super prædictis, & tractantes prout alias dixerunt se deliberasse per interpellatos dies & terminos multos, quia in his, ut dixerunt, apparet evidens utilitas partis utriusque, remanente tamen obligato dicto priore de sancto Crispino dicto capitulo ad tenendum tres monachos juniores dictæ ecclesiæ, videlicet duos pro dicto prioratu de Lavineria, & unum pro dicto prioratu S. Crispini, & pro aliis oneribus prædictis, & aliis utriusque consuetis suportare, ac pro hospitalitate solita: cum ad hæc facultates dicti prioratus S. Crispini superabundent longe plus quam facultates dicti prioratus de Lavineria, ut dixerunt, facta summaria informatione super prædictis de commodo & incommodo utriusque partis, voluerunt & consenserunt quod dictæ permutationes modis & formis prædictis fiant, & in quantum eos tangit & tangere potest E super his suum præbuerunt consensum pariter & assensum. Et nihilominus ad supplicandum domino nostro papæ & supplicationes tradendum quod dictas partes ad hæc & permutationes, ut præmittitur, admittat, & ad consentiendum translationem & transportationem dictorum onerum de dicto prioratu de Lavineria ad prioratum S. Crispini, & in aliis circa hæc expediendis & necessariis & ad renuntiandum dictis oneribus & pensionibus dicti prioratus de Lavineria, ipsis tamen eis salvis remanentibus in dicto prioratu S. Crispini, & quemadmodum erant salva & habebant in dicto prioratu de Lavineria, & ad acceptandum ea in dicto prioratu S. Crispini, & alia omnia & singula faciendum &

expediendum, quæ in præmissis apud sedem apostolicam fuerint & extra alibi expedienda, quatenus eos tangit, citra revocationem aliorum procuratorum fecerunt ad hæc speciales & generales procuratores suos venerabiles & religiosos viros dominos Petrum Chamboni decretorum doctorem, Guidonem de Cruce, Stephanum Trulhandi presbyteros, Johannem de Ventagione eleemosinarium, Johannem Ayronnii priorem de Pardelhano, Bertrandum de Faricone priorem de Trebannio monachos dictæ ecclesiæ, & magistrum Johannem de Capella rectorem S. Germani S. Pontii Thomeriar. diœcesis, & eorum quemlibet in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, ad prædicta omnia & singula faciendum, impetrandum & aliter agendum quæ fuerunt facienda & agenda, & quæ ipsi facerent, si præsentes essent, ratum & gratum perpetuo firmiter habituros quidquid ipsi vel alter eorum egerint in prædictis vice & nomine eorumdem sub obligatione bonorum suorum præsentium & futurorum, de quibus dicti domini officialis & prior de Lavineria petierunt eis fieri publica instrumenta per me notarium infra scriptum. Acta fuerunt hæc in sancto Pontio Thomeriar. in dicto capitulo in præsentia & testimonio Johannis Lobeti S. Pontii, Heliæ Bothoyni habitatoris de Laurano ad hæc vocatorum, & mei Johannis Boneti publici S. Pontii Thomeriar. authoritatibus regia & dicti domini episcopi S. Pontii notarii, qui in prædictis una cum dictis testibus interfui, & ea omnia in notam requisitus recepi, sed vice mea Sanctus Graudi clericus S. Pontii hæc scripsit, & ego idem Johannes Boneti notarius prædictus hic me subscribo, & signum meum consuetum appono.

XVI.

Bulla secularisationis ecclesiæ cathedralis S. Pontii Thomeriarum.

1612.

PAULUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio officiali Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Cœlestis Patris providentia in supremo apostolicæ sedis solio, & potestatis plenitudine supra universas orbis ecclesias, & terræ amplitudinem meritis licet imparibus constituti, ex commisso nobis pastoralis officii debito circa ipsarum ecclesiarum *, præsertim cathedralium, ac personarum in illis Altissimo sub religionis jugo famulantium prospere & feliciter dirigendum, ac concedente Domino in melius commutandum attente considerationis nostræ aciem sollicitis studiis intendimus, earumque dispendiis occurrere, & profectibus consulere satagentes, statum ipsum aliquando alteramus, ac desuper ejusdem officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout Christianissimorum Regum vota id exposcunt, & rationabiles causæ persuadent, nosque temporum, locorum, & personarum circumstantiis diligenter consideratis, pro feliciori & prosperiori ecclesiarum & personarum earumdem successu & tranquillitate conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum & Navarræ rex Christianissimus tam suo, quam venerabilis fratris etiam nostri Petri episcopi S. Pontii Thomeriarum, & dilectorum filiorum capituli ecclesiæ, ac communitatis & hominum civitatis ejusdem S. Pontii Thomeriarum nominibus, nuper nobis exponi fecit, quod ecclesia prædicta per felicis recordationis Johannem papam XXII. prædecessorem nostrum ex olim monasterio ordinis S. Benedicti a bonæ memoriæ Pontio comite Tolosanensi & duce Aquitaniæ fundato erecta ultra complures monachales portiones illius monachis pro tempore existentibus absque certo & determinato illorum numero constitutas, unus prioratus, major nuncupatus, dignitas inibi post pontificalem major, & electivus, ac quinque officia regularia, videlicet eleemosynaria, sacristia, præcentoria, infirmaria, & operaria, quæ per dictos monachos etiam una cum suis portionibus monachalibus hujusmodi, absque dispensatione apostolica obtineri solent instituta reperiuntur, & cujuslibet illorum fructus, reditus, & proventus 24. ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excedunt: licetque tam prioratui prædicto, quam mensæ capitulari ipsius ecclesiæ aliqui prioratus curam animarum habentes perpetuo uniti noscantur, tamen deductis portionibus ad vicarias perpetuas ibidem erectas pro tempore obtinentium sustentatione assignatis, & solvi solitis, aliisque oneribus eorumdem prioratuum unitorum, ex illis modici fructus dignitati priorali & mensæ prædictis remanent: ipsa autem ecclesia fere rebus vendendis, ac publicis commerciis, prophanisque negotiis exercendis obnoxia adjacet; & ante annos 40. vel circiter a perduellionibus, & hæreticæ pravitatis sectatoribus, qui bellorum turbinibus & calamitatibus in regno Franciæ vigentibus civitatem prædictam dolo & insidiose interceperant, reliquiis sanctorum & ornamentis, paramentis, & tam sacris, quam aliis supellectilibus universis spoliata & deprædata, ac demum cum suis ædibus, claustro, dormitorio, cellis, habitationibus, cæterisque ædificiis magno & sumptuoso opere extructis, deformata, & fere solo æquata, illiusque libri, scripturæ, & documenta incendio consumpta. Et similiter monasterium olim monialium dicti ordinis prope & extra muros ejusdem civitatis funditus dirutum, omnesque illius moniales ex fructibus dictæ mensæ capitularis sustentari solitæ, temporis progressu vita functæ fuerunt, & ob tantam cladem, totque miserias perpessas, necnon fructuum tam episcopalis, quam præfatæ capitularis mensarum invicem separatarum & distinctarum diminutionem & tenuitatem, structuræ & ædificia hujusmodi restaurari non potuerunt, ac prior major, & monachi ejusdem ecclesiæ pro tempore existentes missas ac horas canonicas, aliaque divina officia in quadam dormitorii & aliorum ædificiorum dirutorum hujusmodi parte ad usum & formam ecclesiæ taliter qualiter accommodata & reparata, minus decenter celebrare, propriisque ædibus, viridariis, & aliis commoditatibus destituti, in domibus privatis ad cujusque eorum libitum habitare, ac cum laïcis & aliis personis secularibus assidue conversari coguntur, necnon pro bonorum, juriumque suorum defensione, & occupatorum recuperatione varias lites sustinent, nec vota sua Altissimo juxta regularia dicti ordinis instituta reddere possunt, neque regularis disciplinæ & observantiæ a tot annis in dicta ecclesia relaxatæ & labefactatæ in futurum restituendæ spes aliqua affulget. Unde pro ipsius ecclesiæ feliciori directione & successu, ac tam spiritualium, quam temporalium incremento, necnon prioris & monachorum præfatorum conscientiæ securitate, animarumque salute, tum etiam dictis necessitatibus sublevandis & incommodis avertendis opere pretium & expediens esse dignoscitur, ut dicta ecclesia, cui episcopus secularis præest, illiusque dignitas prioralis, ac officia & monachales portiones hujusmodi, necnon prioratus, membra, loca & beneficia regularia ab ecclesia, & tam episcopali, quam capitulari mensis præfatis mediate vel immediate dependentia, ac etiam illis, dictæque dignitati priorali respective unita, ad statum secularem reducantur, aliaque infra scripta fiant & ordinentur. Quare dictus Ludovicus Rex nominibus præfatis nobis humiliter supplicari fecit, quatenus super his opportune providere de dignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum dictam æstimationem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, idemque servari deberet in quibuscumque applicationibus, & concessionibus de quibusvis fructibus, rebus, & bonis ecclesiasticis: quique cathedralium & aliarum ecclesiarum quarumlibet decorem, & in melius directionem cum divini cultus incremento sinceris

* statum.

desideramus affectibus, certam de præmissis notitiam non habentes, ac singulares personas tam Petri episcopi & capituli, quam communitatis & hominum hujusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, necnon erectionis, & fundationis dicti monasterii, illiusque in cathedralem ecclesiam erectionis, necnon privilegiorum, immunitatum, exemptionum, & quarumcumque aliarum applicationum, de quibusvis prioratibus, beneficiis, rebus, juribus, & bonis eidem ecclesiæ, illiusque tam episcopali, quam capitulari mensis, dignitatibus, & officiis præfatis quomodolibet factarum, & inde secutorum quorumque tenores, necnon mensarum, dignitatum, officiorum, portionum monachalium, vicariarum, prioratuum, & beneficiorum hujusmodi qualitates, quantitates, ac etiam fructuum annuos valores, verumque & ultimum eorumdem prioratuum & beneficiorum vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultet, præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi de præmissis te diligenter informes, & si per informationem eamdem ita esse repereris, auctoritate nostra, in ecclesia ejusque dignitate priorali, ac omnibus & singulis officiis, & portionibus monachalibus, necnon prioratibus membris, locis, & beneficiis regularibus dependentibus, ac etiam unitis prædictis, conventum tamen non habentibus, ordinem ipsum, omnemque statum & essentiam, & instituta regularia, necnon monasterium monialium hujusmodi fructibus propriis & conventu carens, illiusque nomen, titulum & denominationem ex nunc, infirmariam vero, operariam, & sacristiam prædictas, necnon omnes, & singulas tam in jam unitis, quam aliis ut infra uniendis prioratibus, consistentes perpetuas vicarias, illarum possessoribus cedentibus, vel decedentibus, seu eas quomodolibet dimittentibus, aut illis quibusvis modis & ex quorumcumque personis vacantibus similiter ex nunc, si vacent, alioquin postquam vacaverint, ut præfertur, penitus & omnino supprimas perpetuo & extinguas, illaque omnia & singula, ac quicquid in eis pro prioribus, monachis & personis regularibus institutum & ordinatum exstitit, singulasque personas capituli & monachorum prædictorum, in & ad statum ecclesiæ capituli canonicorum, presbyterorum, & clericorum secularium, unionibus tamen præfatis, necnon omnibus & singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, præeminentiis, prærogativis, jurisdictionibus, facultatibus, indultis, concessionibus, & aliis gratiis tam spiritualibus quam temporalibus, eidem ecclesiæ, illiusque capitulo, canonicis, mensæ capitulari, seu conventuali, dignitati priorali, officiis, portionibus, prioratibus, membris, locis, beneficiis, monachis, & personis regularibus & prædictis, de jure vel consuetudine, seu ex privilegio, aut alias quomodolibet competentibus, quoad ea, quæ sunt in usu, nec sub ullis revocationibus comprehensa, neque statui seculari, nec decretis concilii Tridentini contraria, ac decimis, primitiis, censibus, laudimiis, recognitionibus, libellis, servitutibus, legatis, anniversariis, juribus, actionibus, rebus & bonis ad illa legitime spectantibus, & pertinentibus, etiam per sedem præfatam, illiusque legatos, vel nuncios, aut Imperatores, Reges, Reginas, Principes, & alios utriusque sexus Christi fideles quoscumque, etiam intuitu & contemplatione religionis, & quamdiu illa ibidem viget, vel alias concessis, donatis, relictis, erogatis, & elargitis, necnon pensionibus, & responsionibus annuis, etiam in pecuniis, granis, vel aliis quibuscumque rebus consistentibus, per quoscumque quomodolibet debitis, ac quibuscumque oneribus solitis & consuetis salvis, firmis, & illæsis remanentibus, in omnibus & per omnia, perinde ac si in pristino statu regulari persisterent: & quoad pensiones, responsiones; debita & onera hujusmodi, illa per eos ad quos nunc spectat, & pro tempore spectabit, realiter & cum effectu, ut prius, persolvi & præstari debeant, ipsique ad id omnino teneantur, ac per censuras ecclesiasticas, aliaque oportuna juris & facti remedia, absque aliqua contradictione, cogi & compelli possint, etiam perpetuo immutes & reducas, ac tam priorem, eleemosynarium, sacristam, præcentorem, infirmarium, & operarium, quam omnes & singulos alios monachos ipsius ecclesiæ dictum ordinem tacite vel expresse ibidem professos, & a capitulo præfatis receptos, ac admissos & in eadem ecclesia personaliter residentes, vel in universitatibus dicti regni de licentia capituli hujusmodi studentes, ab observatione constitutionum, ordinationum, institutionum, deffinitionum, morum, & consuetudinum regularium ordinis & ecclesiæ hujusmodi, necnon quorumcumque votorum per ipsos & eorum quemlibet in actu professionis regularis hujusmodi emissorum (castitatis voto duntaxat excepto) necnon a regula S. Benedicti, & secundum illam vivendi modo, divinique officii recitatione, & totaliter liberes: ita ut de cetero perpetuis futuris temporibus, habitum regularem dicti ordinis gestare, & regularia instituta, definitiones, ritus, mores & consuetudines, etiam quoad divinorum officiorum celebrationem, ciborum & vestimentorum usum, victum, jejunia, ac quæcumque alia, ad quæ ratione ordinis & professionis hujusmodi antea astricti erant, observare nullatenus teneantur: sed uti mere seculares in habitu, ordine, ceremoniis, ritibus, moribus, victu, vita & vestitu quoad omnia canonicis, presbyteris & clericis secularibus ecclesiarum cathedralium secularium dicti regni, se omnino & absque ulla prorsus differentia, seu alicujus apostasiæ nota, seu cujusvis censuræ, vel pœnæ ecclesiasticæ incursu conformare debeant. Et qui dignitatem prioralem, officia, portiones monachales, prioratus & beneficia hujusmodi ad præsens obtinent, illa, ut prius, ac etiam illorum loco archidiaconatum, ac canonicatus, & præbendas infra scriptos, absque alia provisione de illis facienda, retinere, seu consequi, illorumque ac eis annexorum quorumcumque fructus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque (deductis & supportatis solitis oneribus) in suos usus & utilitatem convertere libere & licite valeant. Et nihilominus prioratum in archidiaconatum secularem, qui dignitas post pontificalem major & electivus existat, ut præfertur, loca vero, & monachales portiones in canonicatus & præbendas similiter seculares dictæ ecclesiæ, pro modernis illorum possessoribus; ita quod de cætero perpetuis futuris temporibus dignitas prioralis non amplius prioratus, sed archidiaconatus similiter electivus, illiusque possessor pro tempore existens archidiaconus, portiones vero monachales hujusmodi, canonicatus & præbendæ, dictique monachi sic ad secularitatem reducti, & alii eorum in canonicatibus & præbendis hujusmodi successores, canonici ejusdem ecclesiæ denominentur, ac pro talibus haberi ac reputari; ipseque archidiaconus ultra fructus, reditus & proventus prioratuum du Vernet, Brugairoles, Miramont, & S. Sebastiani de Premian Tolosanensis & prædictæ S. Pontii Thomeriarum diœcesis, jam eidem mensæ priorali unitorum duplicem, singuli vero canonici prædicti simplicem portionem ex proventibus dictæ mensæ capitularis, ut moris est, habere & percipere: officia autem prædicta sub suis solitis titulis & denominationibus remanere debeant, similiter perpetuo erigas & instituas. Necnon quod tam archidiaconatus, quam officia, cum singulis canonicatibus & præbendis hujusmodi, ut antea, cum dictis monachalibus portionibus compatibilia existant: nec per alios, quam ipsius ecclesiæ canonicos actu præbendatos obtineri possint. Et dum extra Romanam curiam

curiam archidiaconatus ac eleemosynaria & præcentoria hujusmodi pro tempore vacabunt, non nisi personis de gremio capituli hujusmodi tam ante quam post infrascriptam reductionem actu præbendatis conferri possint, seu debeant; alioquin quæcumque collationes & aliæ dispositiones de illis aliter factæ nullius sint roboris, vel momenti. Electio autem personæ idoneæ ad archidiaconatum prædictum ad capitulum, ut prius, confirmatio vero electionis hujusmodi (quatenus canonice celebrata fuerit) ac collatio duntaxat officiorum eleemosynariæ & præcentoriæ ad episcopum S. Pontii Thomeriarum pro tempore existentem spectet & pertineat. Ad hæc quod vacatione canonicatuum & præbendarum hujusmodi quandocumque, & ubicumque, etiam apud sedem præfatam, simul & successive (præterquam per ipsorum monachorum nunc canonicorum resignationem in manibus Romani pontificis semel duntaxat faciendam) occurrente, ex tunc singuli canonicatus & præbendæ sic vacantes, donec numerus omnium canonicorum & canonicatuum & præbendarum hujusmodi ad numerum 14. (comprehensis etiam illis, quos archidiaconus, eleemosynarius & præcentor prædicti pro tempore obtinebunt) reductus fuerit, perpetuo suppressi & extincti sint, & esse censeantur: nec interim de eis cuiquam quavis, etiam dicta apostolica auctoritate ante reductionem numeri hujusmodi, etiam cum expressa illius ac suppressionis & extinctionis ultimo dictarum suspensione & derogatione provideri seu alias disponi possit: alias provisiones & dispositiones hujusmodi nullius sint roboris vel momenti. Secuta autem reductione 14. canonicatuum & præbendarum hujusmodi, illorum, dum extra dictam curiam pro tempore vacabunt, collatio, provisio, & omnimoda alia dispositio ad episcopum pro una, ac capitulum præfatos pro altera medietatibus spectet & pertineat modo & forma infrascriptis: quod episcopus videlicet in ordine & gradu conferendi pro prima, capitulum vero pro subsequenti hebdomadis, & sic alternatim; ita tamen quod archidiaconus post episcopum in primo turno capituli pro altera, & deinde episcopus pro tertia, & successive antiquior canonicus pro quarta, ac episcopus pro quinta hebdomadis hujusmodi, & sic successivo ordine & gradatim reliqui canonici cum episcopo per alternas hebdomadas secundum cujusque canonici receptionem & antiquitatem subintrent. Et episcopus, sive canonicus, qui in turno conferendi hujusmodi pro tempore fuerit, canonicatum & præbendam in sua hebdomada per obitum, seu resignationem, aut alias vacantes conferat. Sede vero episcopali vacante, similiter collatio tam canonicatuum & præbendarum, quam eleemosynariæ, & præcentoriæ hujusmodi, ac quorumcumque aliorum cum cura & sine cura beneficiorum ecclesiasticorum a dicta mensa episcopali dependentium, & ad præfati episcopi pro tempore existentis collationem, provisionem, & dispositionem pertinentium, extra eamdem curiam vacaturorum, ad præfatos capitulum similiter spectet & pertineat; ita tamen, ut illa per canonicum turnarium secundum ordinem præfatum nomine totius capituli fieri debeat. Et si contingat ipsum canonicum ante collationem canonicatus & præbendæ in suo turno vacantium ab humanis decedere, eo casu illorum collatio ad integrum corpus capituli & canonicorum prædictorum similiter pertineat. Turnus autem conferendi in diem Sabbati & finem vesperarum ad decantationem cantici beatæ virginis Mariæ incipiat, & eodem tempore subsequentis hebdomadæ diei Sabbati finiat; nullusque canonicus turno conferendi hujusmodi gaudeat, nisi saltem in sacro subdiaconatus ordine sit constitutus; neque canonicus noviter receptus & admissus, etiamsi tempore suæ receptionis fuerit in sacris constitutus, in turno currente conferendi intrare, sed alium subsequentem turnum capituli ab archidiacono inchoandum expectare debeat. Quodque dictus episcopus pro tempore existens contra aliquem canonicum ipsius ecclesiæ ratione gravis delicti, criminis, vel excessus exemplarem punitionem & correctionem procedendo, duos vel tres ex aliis antiquioribus canonicis ejusdem ecclesiæ ab illius capitulo in principio cujuslibet anni deputandos secum juxta concilii Tridentini dispositionem assumere debeat & teneatur, pariter perpetuo statuas & ordines. Insuper ut onera tam eleemosynariæ, & præcentoriæ, quam mensæ capitulari præfatis respective incumbentia commodius supportari valeant, illis, eleemosynariæ videlicet, beatæ Mariæ de Maravals, & præcentoriæ, S. Johannis de Montaniaco, alias de Faget, mensæ vero capitulari, S. Petri de Venerco, S. Martini Dusclades-les, S. Johannis de Fraisses, S. Petri de la Sale, alias de Cessenone, S. Baudelii de Visan, alias de Montoliers, S. Petri de Ferrals, S. Tircii de la Bruguiere, sanctæ Mariæ de la Chapele Clapiers, sanctæ Mariæ de la Caune, S. Martini de Brusque, S. Crispini, S. Petri Descosse, ac de Balaruco, & S. Jacobi de Cours, sanctæ Mariæ de la Romegouze, alias Maliac, sanctæ Mariæ Magdalenæ Doctobian, locorum Tolosanensis & S. Pontii Thomeriarum prædictarum, ac Vaurensis, Albiensis, Castrensis, Vabrensis, Appamiarum, Montispesulanensis, Narbonensis & Biterrensis respective diœcesum prioratus conventibus carentes, & similiter ad ordinariam collationem dicti episcopi pro tempore existentis spectantes, quorum cujuslibet & illis forsan annexorum fructus 24. ducatorum similium secundum æstimationem præfatam valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum primum per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem illos in titulum, vel commendam obtinentium, aut alias etiam apud sedem Apostolicam prædictam vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut præfertur, vel alias quibusvis modis, & ex quorumcumque personis vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranensis statuta concilii, ad sedem apostolicam præfatam legitime devoluta, ipsique prioratus vacantes dispositioni apostolicæ specialiter reservati existant, eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, ac super eis inter aliquos lis, cujus statum etiam præsentibus haberi volumus pro expressis, pendeat indecisa, cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus & pertinentiis suis itidem perpetuo unias, annectas, & incorpores; ita quod liceat eleemosynario videlicet, beatæ Mariæ de Maravals, & præcentori pro tempore existentibus, S. Johannis de Montaniaco, alias de Faget, capitulo vero præfatis reliquorum 16. prioratuum sic uniendorum, necnon annexorum jurium & pertinentiarum præfatorum corporalem, realem, & actualem possessionem per se, vel alium seu alios eorum nominibus propria auctoritate libere aprehendere & perpetuo retinere, illorumque fructus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque in suos ac eleemosynariæ, præcentoriæ, & mensæ capitularis hujusmodi respective usus & utilitatem convertere (diœcesanorum locorum, vel quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita) cum hoc tamen, quod prioratus sic uniendi debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta, & animarum cura quibus illa imminet nullatenus negligatur. Ac capitulum, canonici, necnon archidiaconus, eleemosynarius, & præcentor præfati, prout ad ipsos, & eorum quemlibet spectabit, eisdem prioratibus unitis & curam animarum habentibus per presbyteros seculares ab eis (sine tamen titulo & denominatione vicariorum seu capellanorum perpetuorum) deputandos, & a locorum ordinariis prævio examine approbandos, qui eorum vita durante sine rationabili & legitima causa similiter ab ipsis ordinariis approbanda nequeant amoveri, assignata eisdem presbyteris deputandis congrua portione de capituli, & archidiaconi, eleemosynarii, & præcentoris præfatorum pro sua cujusque rata parte hujusmodi, seu eorum œconomorum & procuratorum manibus percipienda, quæ

habita ratione onerum, ac fructuum, redituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum etiam incertorum singulorum prioratuum curatorum hujusmodi, ad sustentationem eorumdem presbyterorum arbitrio & judicio ordinariorum conjunctim cum archidiacono, eleemosynario, præcentore, & capitulo præfatis, prout quemlibet concernit, sufficiat in divinis deservíri, & curam animarum illis imminentem exerceri facere. Necnon omnibus canonicatibus & præbendis præfatis ad numerum 14. ut præfertur, reductis, pro divini cultus in eadem ecclesia augmento unam portionem canonicalem, citra tamen titulum & denominationem canonici, uni doctori vel magistro licentiato in sacra theologia, seculari vel regulari, ab episcopo & capitulo præfatis conjunctim ponendo & amovendo, qui apud ipsam ecclesiam residere, ac in ea, seu parochiali ecclesia ejusdem civitatis, prout eisdem episcopo & capitulo videbitur, singulis diebus Dominicis & aliis solemnioribus anni festivitatibus primæ classis, præterquam Adventus & Quadragesimæ temporibus, quibus concio ad populum sumptibus dicti episcopi consuevit haberi, verbum Dei prædicet, & alia onera sibi injungenda debite & congrue subeat & perferat, assignare, necnon quinque presbyteros, unum diaconum, & unum subdiaconum. Postquam vero uniones præfatæ mensæ capitulari, ut præfertur, factæ quoad prædictorum prioratuum medietatem debitum sortitæ fuerint effectum, alios quinque presbyteros, unum diaconum & unum subdiaconum etiam seculares, unum magistrum ceremoniarum, & unum Bidellum, similiter omnes ad nutum capituli hujusmodi ponendos & amovendos, qui in omnibus & singulis divinis officiis & horis canonicis tam diurnis quam nocturnis in dicta ecclesia celebrandis & recitandis una cum archidiacono, necnon obtinentibus officia, ac canonicatus & præbendas hujusmodi, interesse & assistere, majoresque & alias privatas missas ibidem fundatas & celebrari solitas juxta ordinationem desuper a præfatis capitulo faciendam celebrare, atque in altaris ministerio diaconatus, & subdiaconatus officio inter missarum celebrationem, prout ad eorum quemlibet spectabit, fungantur. Et quatuor simphoniacos seu choriales pueros ad usum chori, & unum præfectum capellæ, seu magistrum cantus in arte musices peritum, qui eosdem pueros choriales artem hujusmodi edoceat, & tam ipse quam pueri præfati etiam ad nutum capituli hujusmodi ponantur & destituantur, suis sumptibus & expensis perpetuo manutenere: & aliquo ex eis quandocumque deficiente seu amoto, statim alium in illius locum subrogare & sufficere debeant & teneantur. Præterea ab eleemosynaria & præcentoria præfatis ex nunc, prout ex tunc, & econtra, cum primum locus unioni eis de duobus primo dictis prioratibus etiam factus fuerit, omnia & singula, fructus, reditus, proventus, proprietates, bona, jura, obventiones, & emolumenta, etiam in decimis, granis, & aliis quibusvis rebus consistentia eleemosynariæ & præcentoriæ hujusmodi etiam perpetuo separes & dismembres, illaque sic separata & dismembrata eidem mensæ capitulari, ita tamen quod capitulum præfato cuilibet & pro tempore existentibus eleemosynario & præcentori hujusmodi sextaria 25. grani siliginis, seu secalis, & 5. frumenti, mensuræ præfatæ civitatis sancti Pontii, annuatim temporibus debitis loco & in compensam fructuum, redituum, proventuum, proprietatum, bonorum, jurium, obventionum & emolumentorum sic separatorum & dismembratorum persolvere & præstare: ipsi vero eleemosynarius & præcentor omnia & quæcumque onera eorum cuilibet ratione suorum officiorum hujusmodi incumbentia, ut prius, perferre & subire teneantur, similiter perpetuo aplices & apropries. Necnon archidiacono & capitulo præfatis pro ejusdem ecclesiæ S. Pontii, & ejus mensæ capitularis, rerumque & bonorum tam spiritualium quam temporalium prospero & felici statu, regimine, gubernio, & directione, onerumque illis ac officiis, canonicatibus & præbendis, ministris & personis incumbentium suportatione, missarum, horarum canonicarum, & aliorum divinorum officiorum, necnon processionum, funeralium, anniversariorum & suffragiorum celebratione, archidiaconi, canonicorum, eleemosynarii, præcentoris, aliorumque officialium, ministrorum, & personarum hujusmodi receptione, admissione, & residentia, ac distributionum etiam quotidianarum & manualium, oblationum, ac aliorum emolumentorum perceptione, divisione, reparatione, amissione, mulctarum & pœnarum per absentes, & divinis non interessentes, seu onera & ministeria eisdem incumbentia subire negligentes incursu, singulorum præsentiis & absentiis notandis, & ritibus in ecclesia, choro, capitulo, processionibus, & aliis actibus præfatis servandis, officialibus, & ministris deputandis & amovendis, servitiis & ministeriis per ipsos obeundis, salariis & stipendiis eorum cuilibet persolvendis, necnon piæ eleemosynæ ad pauperum subventionem in dicta ecclesia fundatæ & institutæ manutentionem & indemnitatem, ac quibusvis aliis rebus in præmissis & circa ea quomodolibet necessariis & oportunis peragendis & exequendis, quæcumque alia statuta, ordinationes & decreta, licita tamen & honesta, sacrisque canonibus & dicti concilii decretis, ac aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis non contraria ab ordinario loci, seu dicta sede apostolica, aut illius in illis partibus legato vel nuncio examinanda & approbanda edendi, ac edita pro temporum & rerum varietate & qualitate, ac quoties oportunum & expediens videbitur, prævìis examine & approbatione hujusmodi, mutandi, limitandi, corrigendi, declarandi, & interpretandi, atque in meliorem formam redigendi, seu alia, ut præfertur, examinandi & approbandi de novo, ac etiam ex integro concedendi,* & per eos ad quos pro tempore spectabit, sub pœnis in contravenientes statuendis observari faciendi plenam & liberam facultatem & auctoritatem concedas & impartiaris. Postremo infirmariam, operariam, sacristiam, vicarias, & per præsentes unitos prioratus hujusmodi, de cætero ex persona illorum modernorum possessorum ad hoc ut de eis alias, quam in favorem suppressionum, unionum, & applicationum præfatorum, disponi possit, nullatenus vacare, & quascumque collationes de eisdem ac etiam archidiaconatu, officiis, canonicatibus & præbendis præfatis præter & contra formam & tenorem præsentium tam apostolica, quam ordinaria auctoritatibus pro tempore faciendas nullas & invalidas fore, nec cuiquam suffragari, neque jus vel titulum possidendi tribuere, easdemque uniones, ac præsentes litteras nullo unquam tempore sub quibusvis unionum, applicationum, vel aliorum similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos vel quoscumque alios Romanos pontifices successores nostros, etiam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, seu sedem apostolicam præfatam, etiam motu proprio, ac ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus & verborum formis, ac ex quibusvis causis pro tempore faciendis comprehendi, sed semper ab illis omnino exceptas, & quoties emanabunt, toties in pristinum, & validissimum, ac eum in quo antea quomodolibet erant statu, restitutas, repositas & plenarie reintegratas, ac de novo sub quacumque etiam posteriori data per episcopum & capitulum præfatos quandocumque eligenda concessas, semperque validas & efficaces fore & esse, ac suos plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat & pro tempore spectabit, firmiter & inviolabiliter observari, sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, dictæque

* f. condendi.

ſedis apoſtolicæ nuncios judicari ac definiri debere; necnon ſi ſecus ſuper his a quoque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernas, non obſtantibus priori voluntate noſtra, & aliis præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, ac Lateranenſis concilii noviſſime celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis fieri, & beneficia unius beneficiis alterius, ſeu aliorum uniri prohibentis; ac quatenus opus ſit noſtra de non tollendo cuique jure quæſito, aliiſque apoſtolicis, necnon in ſynodalibus, provincialibus, & univerſalibus conciliis, editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, ac primo dictæ eccleſiæ & ordinis hujuſmodi juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris apoſtolicis illis eorumque ſuperioribus, conventibus, capitulis & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, per quoſcumque R. P. prædeceſſores noſtros, ac etiam nos dictamque ſedem apoſtolicam & illius legatos, etiam intuitu & contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatorum, Regum & aliorum Principum præfatorum, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus etiam conſiſtorialiter & alias quomodolibet, in genere vel in ſpecie, etiam iteratis & multiplicatis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de prioratibus, officiis, beneficiis hujuſmodi ſpeciales, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ ſedis apoſtolicæ

A aut legatorum ejus litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem litteras & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quæcumque ad prioratus uniendos, & officia ſupprimenda hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem prioratuum, officiorum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari: & quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris apoſtolicis ſpecialibus vel generalibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri: & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda ſit noſtris litteris mentio ſpecialis. Volumus B autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo epiſcopi S. Pontii Thomeriarum pro tempore exiſtentis, aut cujuſvis alterius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo duodecimo, quarto-decimo kalend. Julii pontificatus noſtri anno octavo. *Et infra ſic ſcriptum eſt.* A. cardinalis Montaltus ſummator: *Inferius ſignatum ſic.* S. Cobellutius, S. de Urſinis: *Viſa* N. Urſinus. *Et in infimo ſic ſcriptum:* Regiſtrata apud Scipionem ſecretarium 1615.

C *Petita fuerat hæc bulla a Ludovico XIII. Francorum rege an. 1610. die 22. Septembris: publicata fuit & executioni demandata per officialem Narbonenſem anno 1616. die 22. Octobris; acceſſit & regium diploma datum die 5. Octobris 1629. ad ſupremam Toloſanenſem curiam, quatenus tam præfatam bullam, quam ipſius publicationem ſuos in commentarios referret: quibus non obſtantibus ab ea publicatione appellatum eſt, quam validam prædicta curia decrevit, & ſic ultimam huic operi manum admovit an. 1630. die 16. Maii.*

INSTRUMENTA ELECTENSIS ECCLESIÆ.

I.

Charta fundationis Electenſis monaſterii.

Ex authentico archivi Narbon. *Circa 813.*

Jam edita tom. 1. hiſt. Occitaniæ pag. 37. probat.

IN Dei omnipotentis nomine, ego Bera gratia Dei comes, & uxor mea Romella comitiſſa ſani mente integroque conſilio, humanæ fragilitatis memores ne, quod abſit, repentina præveniamur morte, hanc chartam donationis fieri volumus, ut dum ex rebus humanis ab hoc ſeculo diſceſſerimus ipſique vitæ noſtræ reddiderimus, tunc univerſa quæ notamus vel notavimus, firma & ſtabilita permaneant, atque ſtatuentes decernimus ut pleniſſimam obtineant roboris firmitatem. Primum quod animæ chriſtianæ celeſtia lucra quærenda ſunt, ideo placuit nobis Berano comiti & uxori meæ Romellæ comitiſſæ, ut de rebus noſtris donare debeamus propter remedium animarum noſtrarum & parentum noſtrorum; ſcilicet proprium noſtrum, quod mihi Berano comiti advenit a domno & genitore meo Guillelmo comite, qui nuper fuit, & domno imperatore meo ſeniore Carolo. Donamus ergo vicum noſtrum dictum Electum, & monaſterium noſtrum S. Mariæ fundatum a nobis, eiſdem noſtro Domino Deo omnipotenti & domno Petro apoſtolorum principi urbis Romæ, & inclito papæ Leoni Romano, cunctiſque ſucceſſoribus ſuis ad bene peragendum & cuſtodiendum: in tali vero conditione hoc facio, ut ab hodierno die & deinceps Romani pontifices ſub propria ditione

D teneant ne a ſe prædictum locum abalienantes, vel alias qualibet ſubintroducentes perſonas; & ut dedicatio ipſius loci quæ futura eſt te, domne Leo pontifex, favente & præcipiente decentiſſime fiat, miſſis illuc SS. apoſtolorum reliquiis & columnam martyrum Chriſti; precamur inſuper ut ad honorem genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu-Chriſti aliquam portiunculam Dominicæ crucis mittatis. Iterum rogo ut illud monaſterium ita liberum ſub apoſtolica defenſione ſemper permaneat, ut nulla magna parvaque perſona, neque dux, neque comes, neque marchio, viri vel feminæ, neque ulla clericalis vel laïcalis phalangia poteſtatem habeat, nec paratas, nec marchonaticos, nec teloneos, nec ullam redibitionem, nec ullum cenſum vel judiciaria cauſa ibi requirat, niſi apoſtolica poteſtas: & ut ita ſit quod ſupra ſcripſimus, de tertio in tertio anno Romano pontifici, vel ſuo legato locus Electi libram argenti perſolvat. Tandem ſi ille pontifex bonus obſervator & cuſtos, ſicut ſupra ſcriptum eſt, in omnibus fuerit, hæc omnia, ſicut ſupra deſignatum eſt, cum dicta condonatione domino noſtro apoſtolorum principi Petro & Leoni papæ & ſucceſſoribus ejus in perpetuum trado. Et eſt manifeſtum ut hæc ſcriptura ſemper firma permaneat, manibus noſtris ſubterfirmamus & ab hiis omnibus firmare rogamus. Signum Recoſindus. Sig. Aſtremirus. Sig. Prodiſus. Sig. Bera comes, qui hanc donationem fecit, & teſtes firmare rogavit.

II.

Ex instrum. veteri Narb. archiepisc.

Fundatio seu dedicatio ecclesiæ S. Mariæ de Formigueria dependentis ab abbatia S. Jacobi de Jocundo.

Edita est tom. 1. hist. Occitaniæ pag. 126. probat.

Circa 873.

ANno Incarnationis Domini nostri Jesu-Christi (DCCCXX.) indictione VI. XI. calendas Octobris anno (XI.) regnante Carolo gloriosissimo rege, veniens Sigebodus sanctæ primæ Narbonensis ecclesiæ humilis archiepiscopus, in comitatu Redense in loco quod dicunt *Fromigueria*, deprecatus a Gulfarico abbate qui ecclesiæ sancti Jacobi præesse videtur, & a comitibus hiis nominibus Wifredo & fratre ejus Mirone, & comitibus Olibano & fratre ejus Ayfredo, comitum illorum deprecatione & voluntate spontanea, ad consecrandam ecclesiam in honore sanctæ Mariæ virginis matris Domini nostri Jesu-Christi, cum appendiciis & oratoriis suis, S. Petri apostoli, & S. Johannis-Baptistæ præcursoris Domini, quæ sita vel fundata est ipsa ecclesia in eadem villa Formigueria super ipsam aquam, quæ vocatur similiter Formigueria, quam corde contriti & nutu divino ædificare conati sumus nos prædicti comites pro Dei amore & remedio animarum nostrarum, seu parentum nostrorum in cujus limina........ atque tradiderunt eandem ecclesiam pontifici Sigebodo archiepiscopo ut dedicaret & benediceret, ac dedicavit ecclesiam S. Mariæ............ ad ipsius dedicationem tradimus vel cedimus nos supradicti comites prope ipsam ecclesiam de terra arabili modiatas XV.* Habet ipsa terra affrontationes vel collaterationes, de parte Orientis affrontat in terra Rudina, ipsa est heremum, de Meridie in rivo quem vocant *Formigueria*, de Circio in via publica, de Aquilone in jam præfata villa, sive in ipso semitario, qui inde discurrit, & in circuitu ipsius ecclesiæ quantum canonica auctoritas est ad locum qui dicitur *Formigueria* ad ipsam ecclesiam prænominatam ab integro cedimus vel donamus; ideoque nos supra scripti vel nominati comites donamus vel tradimus ad domum S. Mariæ in suffragia S. Jacobi apostoli fratris Domini, cujus basilica sita vel fundata est ad cenobium vel vitam monasticam ducentes, Gulfarico abbati, vel successoribus suis tam præsentibus quam futuris ipsam prænominatam villam Formigueria cum omnibus finibus & adjacentiis suis vel pertinentiis, idest terminationes & affrontationes ad ipsam ecclesiam sanctæ Mariæ concessas, de parte Orientis affrontat in cacumina montium, quæ nominant *Clariana*, de Meridie ad ipsas Locras*, vel in campo longo, de Circio in Vantenago, vel in Fenestras, & de Aquilone in Capt-cervio, sive in ipsas aras quantumcunque infra jam dictos terminos vel pertinentiis eorum collata sunt, vel collatura erunt ad ecclesiam S. Mariæ, quæ est consecrata ad honorem S. Jacobi apostoli, & subjectionem monasterii ejusdem loci, quod est caput ipsius cenobii de Formigueria, sic cedimus, tradimus, donamus, ac ipsum transfundimus in perpetuum ab hac hora & deinceps hæc omnia superius dicta ob amorem Dei ut peccatorum nostrorum crimina dignetur absolvere, & propter dedicationem S. Mariæ & consecrationem, sicut hæc tradimus hæc omnia ad abbatem S. Jacobi & S. Mariæ & famulantibus cunctis ipsius loci, ut si aliquis, Deo inspirante, legitime tradere voluerit & tradiderit aliquid, omnes abbates & monachi tam præsentes quam futuri a partibus domum S. Mariæ ipsis patrocinantibus recipiant, teneant & possideant, atque per ipsius nomen deffendant, usuandi laborandique & afferendi fructum præsentem teneant offerri vel ab olim minime valeant. Quod si nos donatores, aut aliqui de filiis, aut de hominibus, aut pro heredibus nostris, vel quilibet homo ex adverso veniens, supposita vel subrogata persona perfuerit, qui contra hanc donationem sive traditionem pro inrumpendum venerit aut inquietare præsumpserit, tantum & alium tantum arabum ipsius ecclesiæ vel ad ipsis clericis Deo famulantibus restituat, & quantum inde ab eo tempore immelioratum fuerit, in duplum ipsius loci componere faciat, & quod petiit vindicare non valeat. Volumus etiam nos omnes supra scripti vel nominati, tam archiepiscopus quam nos donatores, & alii plures circumstantium clerici & fideles laïci, ut si aliquis fuerit, qui contra hanc dotem & donationem in qualicunque modo aliquid auferre voluerit de ipsa prænominata ecclesia, in primis iram Dei omnipotentis incurrat, & cum Juda proditore, qui Dominum tradidit, habeat participationem & deglutiat eos terra viventes, sicut deglutivit Datan & Abiron, & maledicant eis qui maledicunt diei qui parati sunt suscitare Leviathan, veniat mors super illos & descendant in infernum viventes, & non sit in recordatione luminis illius. Ego Sigebodus Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus manu propria hanc dotem supra nominatæ ecclesiæ confirmo & subscribo. Bamarius levita hanc dotem & donationem S. Mariæ & S. Jacobi supra scripti manu propria scripsi & subscripsi sub die & anno quo supra.

* XC.

* *f.* Locias.

III.

Littera Agapiti papæ Segario abbati S. Martini de Alenis.

Circa 955.

AGAPITUS servus servorum Dei, Segario religioso abbati venerabili monasterii S. Martini qui vocatur *Alenis*, quæ est in ripa de flumine Ataze in valle Bolecarnea, & per eum in eodem venerabili monasterio in perpetuum, &c. Igitur quia petistis a nobis quatinus ecclesia S. Mariæ, quæ vocant *in Choronula* cum terris & vineis, & cum omni redhibitione sua, pari modo & ecclesia S. Stephani quæ est in Bolorda, jam cum terris & vineis, & omnibus suis pertinentiis, simili modo & ecclesia S. Johannis, qui est in Combreto cum omnibus suis pertinentiis, pariterque & ecclesia S. Petri qui est in Petralata jam cum terris & vineis, verum etiam & villa quæ vocatur *Buixo*, & *Perlus* cum terris & vineis & silvis & aquimolis suis, similiter in villa quæ vocatur *Kasanias* cum kasis & vineis & medietatem de villa quæ dicitur *Barosa*, necnon in vigo Adesate terris & vineis. Pari modo & villa quæ dicitur *Artosolo* cum omni sua pertinentia . . . . . infra comitatu Feniliotense & comitatu Redense & Rosolione & religiositati ad dandum emissa petitionis in perpetuum concedere deberemus : ita sane ut a vobis vestrisque successoribus singulis quibusque indictionibus pensus nomine rationibus ecclesiasticis decem argenti solidi anno denarios duodecim difficultate postposita persolvatur : omnem quemquam indigent de nostra melioratione seu definitione indifferenter vos sine dubio procurantes efficiatur. Nullaque præterea ad dandum annuo pensus a vobis mora proveniat; sed ultro accionariis sanctæ nostræ ecclesiæ apto tempore persolvatur, statuentes apostolica censura auctoritate B. Petri apostolorum principis sub divini judicii obtestatione anathematis interdictum, ut nulli umquam nostrorum successorum pontificum, vel aliæ cuilibet magnæ parvæque personæ ipsa prænominata loca a potestate & ditione jam fati monasterii auferre præsumat. Si quis autem temerario ausu magna parvaque persona contra hunc nostrum apostolicum præceptum agere præsumserit, sciat se anathematis vinculo innodari, & a regno Dei alienum cum omnibus impiis æterno incendii supplicio condempnatum. At vero qui observator extiterit præcepti, gratia atque misericordia vitamque æternam a misericordissimo Domino nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Leonis scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Octobris indictione quarta-decima. Bene valete.

IV.

Ex apographo Narbon. anni 1243.

Secunda dedicatio ecclesiæ B. Mariæ de Formigueria.

1018. ANno millesimo decimo-octavo Incarnationis Domini indictione prima, Eribertus abba S. Jacobi, & Salomon præpositus S. Mariæ ecclesiam de Formigueria, quæ erat parva, ampliavit, & una cum consensu domni Wifredi comitis atque aliorum bonorum hominum convocavit domnum Guifredum archiepiscopum Narbonensem, qui dictam ecclesiam iterum dedicavit secundo nonas Octobris annoque XIX. regnante Roberto rege, & dotem & donationem ipsi ecclesiæ de Formigueria, & monasterio S. Jacobi factam a comite Wifredo & fratre ejus confirmavit. Ego Wifredus sanctæ primæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus dotem & donationem supradictæ ecclesiæ factam confirmo ✠ quod SS. Salomon præpositus, qui Deo jubente istam ecclesiam fecit ampliare & dedicare, & aliam ecclesiam S. Martini de Rivo-torto fecit dedicare similiter : cui Wifredus comes dedit campum unum prope ecclesiam ad cimiterium S. Martini propter remedium animæ suæ.

V.

Ex archiv. eccl. Narb.

Consecratio ecclesiæ S. Martini de Alenis diœcesis, olim Narbonensis, nunc Electensis facta a Gaufredo episcopo Carcassonensi.

1045. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Hæc est notitia dotis, quæ facta est ex consecratione cœnobii almi confessoris & præsulis Martini, quod est fundatum in comitatu Fenoliotensi, in valle antiquitus vocitata *Bollecarne,* quod alio nomine vocatur *Lenis,* juxta fluvium qui dicitur Atax. Anno MXLV. Incarnationis Domini, Eihenrico autem regis Franciæ XV. jussu domni Guifredi sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopi, venit Guifredus Carcassonensis pontifex cum maxima multitudine populi ad dedicandam basilicam præscripti cœnobii, cujus primatum tenet jam dicti venerandi præsulis Martini altare, juxta quem requiescunt pingnora sanctorum confessorum Justi & Lazari : ubi etiam insunt altaria a dextris videlicet in Salvatoris mundi nomine & Omnium Sanctorum cum reliquiis ibi repertis magni regis designatis litteris ; a sinistris quoque Dei genitricis & perpetuæ Mariæ virginis cum preciosis ex vestimentis ipsius non parvæ quantitatis partibus. Isdem etiam titulus orationis consistit honore dilecti Domini Johannis, ut quorum una fuit a Domino commissa societas virginitatis, sit a fidelibus Christi communis vota venerationis. Aliorum vero quorum ibi sunt reliquiæ sanctorum, tanta fuit reperta multitudo, ut hominibus quidem incognita, sed soli cognitori omnium sint manifesta Domino. Unde hisdem præsul Guifredus Dei & sanctorum ejus ductus amore, præcipiente suo metropolitano domno Guifredo, ad cujus diœcesim pertinet hisdem locus, quicquid a Christi fidelibus collatum fuit vel fuerit ibi a priscis vel futuris temporibus ita sub dominatione abbatum ejusdem loci & monachorum ibi degentium observari instituit, ut in omnibus prædiis alaudium illorum nulla sit persona potens vel inferior, quæ vim alicujus servitii sibi audeat vindicare ex hominibus illorum infra cunctos terminos eorum consistentium. Sunt autem termini ejusdem, quos omnium decrevimus esse salvationem, ex una parte in ipsa Erola quæ est in Comba-oriola ; de alia parte in ipso colle de Olivis in capite ipsius viæ quæ venit de Artosolo; de alia parte ad locum qui dicitur *Venterolas* in via quæ venit de Balbianas; de alia parte ad ipsum gradum superiorem ad ipsa saga in via quæ venit de Coronulis. Addidit etiam huic constitutioni, ut nemo A sit ausus contra abbatem vel monachos ejusdem loci aliquam forciam inferre, aut ad eumdem locum confugientem insequi infra prædictos terminos, etiamsi sit reus alicujus malefacti. Si quis vero ex pœnitentibus ad ipsum venerit locum, liceat eum ibi quandiu voluerit manere & divinum officium audire, & ab omni sententia culpæ sicut ceteros christianos solutum esse. Consensu atque jussione sæpe dicti gratia Dei Narbonensis ecclesiæ archipræsulis Guifredi, & aliorum episcoporum suæ ditioni respicientium ordino atque constituo ego Guifredus Carcassonensis episcopus, ut nullus successorum nostrorum episcopus prælibatum monasterium vel subjacentes sibi ecclesias, quarum hæc sunt nomina S. Petri de Petra-lata, S. Johannis de Combreto, S. Mariæ de Coronulis, S. Stephani de B Voluta, S. Michaëlis de Artosolo, aliquomodo excommunicare, vel interdicere, aut aliquem censum ab eis exquirere, vel in aliquo infestare valeat. Sed his omnibus juxta nostram deliberationem incontaminate permanentibus, auctoritatis nostræ pagina nunc & in perpetuum sit ei pro munitione non incongrua. Quicumque igitur pro salute animæ vel corporis sui ad utilitatem ejusdem loci mobilibus vel immobilibus rebus aliquid contulerit, & in confessione Christi migraturus ex hoc sæculo ad eum se deportari destinaverit, & ibi requieverit, a Domino indulgentiam & requiem sempiternam consequi se confidat; & ex nostra parte, quantum nobis commissum est a Domino vice B. Petri absolutum se sciat. Guifredus sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopus hanc constitutionem C vel consecrationem fieri mandans, omnibus præsentibus vel futuris suæ diœcesis episcopis firmare decrevit, & manu propria subscripsit, ut quicquid in ea definitum est observetur ab omnibus audientibus, ut sit a Domino gratia benedictionis cunctis obedientibus, & aliter contra nostram jussionem transgrediendo agentibus sit sententia excommunicationis sub vinculo anathematis, nisi Domino inspirante digne satisfecerit Deo & abbati atque monachis ibi degentibus. SS. Guifredi sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopi ✠ Olivæ Ausonensis episcopi ✠ Bernardi Biterrensis ecclesiæ præsulis ✠ domni Petri Jerundensis ecclesiæ pontificis ✠ domni Arnaldi Tolosanensis episcopi ✠ domni Willelmi Urgellensis antistitis ✠ domni Berengarii Elenensis ecclesiæ episcopi, ✠ domni Bernardi Cosoronensis ecclesiæ præsulis ✠ Matfredi archidiaconi. SS. Pontii D custodis ecclesiæ qui hanc dotem sive consecrationem scripsit die & anno quo supra ✠

VI.

Baluz. Bulla num. 4. in Biblioth. regia.

Bulla Leonis papæ IX. pro abbatia Electensi.

1050. LEO episcopus servus servorum Dei, dilectissimo filio G. venerabili abbati monasterii beatæ Mariæ virginis, quod vocatur *Electus,* & per te cunctis successoribus abbatibus in perpetuum. Quociens illa a nobis tribui postulantur, quæ incunctanter rationi conveniunt, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium : & E ideoque postulastis a nobis ut præfatum monasterium apostolice auctoritatis serie muniremus, & omnia ejus pertinentia perhenni jure ibidem inviolabiliter permanendo confirmaremus, & ut absque omni jugo seu ditione cujuscumque persone constabilire nostri privilegii pagina corroboraremus. Propterea tuis flexi precibus per hujus nostræ auctoritatis privilegium statuentes decernimus, ut cuncta loca urbana, vel rustica, id est cortes, mansos, salas, castella, casales, vineas, terras, diversaque predia culta vel inculta cum colonis vel colonibus, servis & ancillis, que ab aliquibus Christianis eidem monasterio concessa sunt, vel que & per aliqua munimina ad eumdem pium locum pertinere videntur, cum magna securitate quiete debetis possidere,

& per te universi successores tui abbates in perpetuum: scilicet monasterium S. Pauli Vallonensis, & S. Mariæ Urbionis, & terra *Coplata* vocitata, & ubicumque repperiri poterunt, que eidem sanctissimo loco jure debentur absque ulla contradictione hominum seu feminarum apostolica auctoritate interdicimus, ut semper teneat ille locus gloriosissimus, ita ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, seu quelibet magna parvaque persona abhinc & inantea habeat licentiam monasterium illud vendere, nec adpreciari, sed neque ex præfatis omnibus rebus, que inibi pertinere videntur, audeat invadere, molestare....... consecrationem libenter impertiat. Abbates quoque qui in eodem loco consecrandi sunt de ipsa congregatione communi consilio eligantur & non aliunde, nisi propter indigentiam bonarum personarum petantur. Et si discordia eligendi inter eos emerserit, quem major pars numero ac sanctitate elegerit fiat abbas. Quod si episcopus aliquis donationem ex consecratione requisierit, ac neque consecrare voluerit, liceat electo abbati adire ad unum episcopum quemcumque voluerit vicinum, & consecrationem gratis accipere. Insuper auctoritate apostolica judicamus ut nulli archiepiscoporum, episcoporum monasterium ipsum vel abbatem qui ibidem fuit abhinc inantea, seu aliquem ex congregatione, vel aliquem pertinentem ad ipsum monasterium excommunicare vel anathematis vinculo innodare, seu aliquod altarium ejusdem loci vel aliquam ecclesiam exconciliare liceat. Quod si aliquis presumpserit, ipse excommunicatione nostra constringatur, & dictum monasterium cum abbate & omnibus suis absolutum ab imposita sibi excommunicatione apostolica auctoritate maneat. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione & anathematis interdictione, ut nulli unquam successorum Pontificum vel alie cuilibet magne parveque persone contra hoc nostrum apostolicum privilegium venire vel usurpare liceat. Si quis autem temerario ausu, &c. Datum VI. idus Aprilis per manus Petri diaconi bibliothecarii & cancellarii sancte apostolice sedis, anno domni Leonis noni PP. 2. indictione IV.

VII.

Ex archivis archiepisc. Narbon.

Decretum Paschalis II. papæ, quo adversus abbatem Crassensem abbati Electensi confirmatur monasterium S. Polycarpi.

1116.

PASCHALIS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Raimundo Electensis monasterii abbati salutem & apostolicam benedictionem. Frequens ad apostolicam sedem tua & fratrum vestrorum querela perlata est adversus Crassensis monasterii fratres pro S. Policarpi ecclesia, quæ cum anno præterito apud S. Egidium in concilio coram legati nostri præsentia tractaretur, legatus idem terminum utrique parti constituit ad nostram præsentiam veniendi. Statuto ergo tempore fratres cœnobii vestri ad conspectum nostrum & apostolicæ sedis præsentiam pervenerunt; Crassenses autem monachi cum ultra terminum essent diutius expectati, nec venerunt, nec excusationes aliquas transmiserunt. Tunc a fratribus vestris testium ablegationem suscepimus jurejurando firmatam, quod reverendæ memoriæ prædecessor noster papa Urbanus Electensis abbatis querela & semel & iterum cognita abbatem ipsum & Electense monasterium præceperit de beati Policarpi ecclesia revestiri; ac allegatione suscepta Electenses fratres præcepimus de beati Policarpi ecclesia revestiri, salva nimirum si quæ esset Crassensis monasterii justitia. Mox etiam utrique parti pertractandæ in conspectu nostro justitiæ terminum præsignavimus: affuerunt tunc cœnobii vestri nuntii opportuna causæ munimina perferentes; porro ex Crassensi monasterio frater unus affuit nullos testes, nulla munimina repræsentans: cum vero etiam ultra terminum dies plurimos sustinuissemus, præter eum nullus advenit. In tractatu igitur & discussione negotii ex ipsa adversarii relatione patuit supradictam beati Policarpi ecclesiam vetustis temporibus ab Electensi monasterio fuisse possessam, nec ecclesiastici veritate judicii, sed potestatum secularium violentia ab Electensis monasterii possessione subtractam: exposita sunt in conspectu nostro cœnobii vestri munimina, quibus scripta continebatur Guillelmundi comitis donatio, quam Caroli imperatoris tempore eidem Electensi monasterio de supradicta ecclesia S. Policarpi fecerat: & item Remundi comitis redditio, sive donatio, quam regnante Francorum rege Philippo ediderat. Sane Crassensis ille frater nudis tantum sermonibus utebatur; illud inter utrumque constabat, quod Ermengarda comitissa beati Policarpi ecclesiam & Electensi monasterio confirmaverat, & item Crassensi monasterio contradiderat: sic veritate justitiæ patefacta, fratrum nostrorum judicio, supradictam beati Policarpi ecclesiam vestris fratribus & Electensi cœnobio restituimus & possidendam in perpetuum præsentis paginæ auctoritate firmamus, præcipientes & stabilitate perpetua decernentes ut eadem beati Policarpi ecclesia sub tua semper & successorum tuorum Electensium abbatum obedientia vel dispositione permaneat, nec ecclesiasticæ cuilibet, aut seculari personæ facultas sit cellam ipsam cum omnibus appenditiis seu pertinentiis suis ab Electensis monasterii unitate ac possessione subtrahere.

Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus firmavi & SS. Ego Petrus Portuensis episcopus SS. Ego Cono Prænestinus episcopus SS. Ego Petrus Romanæ ecclesiæ cardinalis diaconus huic definitioni interfui & SS. Ego Petrus cardinalis SS. Cosmæ & Damiani SS. Ego GG. cardinalis diaconus S. Angeli interfui & subscripsi. Ego Amizo presbyter cardinalis titulo Equetii laudavi & SS. Ego Desiderius presbyter cardinalis tituli S. Praxedis laudavi & SS. Ego GG. presbyter cardinalis tituli Lucinæ laudavi SS. Ego Johannes presbyter cardinalis tituli S. Eusebii laudavi & SS.

Datum apud trans Tiberim per manum Johannis S. R. E. C. diaconi ac bibliothecarii IX. calend. Decembris indictione X. Incarnationis Dominicæ anno MCXVI. pontificatus autem domni Paschalis secundi papæ anno XVIII.

VIII.

Ex archivis archiepisc. Narbon.

Ecclesia S. Polycarpi confirmatur monasterio Electi in concilio Tolosano anni 1120.

1120.

CALIXTUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Raimundo Electensi abbati salutem & apostolicam benedictionem. Super ecclesia S. Policarpi jam diu a prædecessore nostro sanctæ memoriæ Paschale papa inter vestrum & Crassense monasterium definitio facta est: nuper autem in concilio, quod per Dei gratiam Tolosæ celebravimus, Crassensis abbas Berengarius querelam deposuit, quod in definitione illa Crassense fuerit monasterium aggravatum pro eo quod in unius tantum Crassensis fratris præsentia judicium fuerit promulgatum. Ne igitur aliqua ei conquerendi relinqueretur occasio, ex abundanti querimoniam ejus audivimus. Causa tamen diligentius indagata, nihil aliud in ea invenire potuimus quam quod prædicti domini nostri sententia definivit. Eapropter nos auctore Deo quod a sede apostolica de ipsa beati Policarpi ecclesia constitutum est, ejusdem sedis apostolicæ auctoritate firmamus, & ratum in perpetuum manere decernimus, præcipientes ut nulli omnino hominum liceat locum illum ab Electensis monasterii subjectione subtrahere, aut temerariis vos inde vexationibus fatigare. Si quis ergo decreti hujus tenore cognito temere, quod absit, contraire temptaverit, honoris & officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi præsumptionem suam digna

satisfactione correxerit. Fratres qui nostræ huic retractationi & decisioni interfuerunt hi sunt : Cono Prænestinus, & Lambertus Hostiensis episcopi, Boso, Deusdedit præsbyteri, Petrus, & Gregorius diaconi cardinales, Ricardus Narbonensis, Ato Arelatensis, Bernardus Auxiensis archiepiscopi : Raimundus Barbastrensis, Gualterius Magalonensis, Arnaldus Carcassensis, Amelius Tolosanus, Berengarius Gerundensis, Gregorius Bigorritanus episcopi, Bernardus Atonis vicecomes Biterrensis, Centullus comes Bigorritanus. Datum Tolosæ II. idus Julii. Ego Calixtus catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Tolosæ per manum Grisogoni S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii II. idus Julii indictione XII. Dominicæ Incarnationis anno MCXX. pontificatus autem domni Callixti secundi papæ anno priori.

I X.

Ex autographo eccl. Electensis.

Confirmatio bonorum monasterii Electensis ab Alexandro III. pontifice facta Bernardo abbati, in qua fit mentio fundatoris.

1162.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Bernardo ecclesiæ beatæ Mariæ Electensis abbati, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris monasterium professis in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, quod a fundatore ipsius nobilis memoriæ Bera comite sub censu beato Petro oblatum est, prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Leonis IX. Calixti,& Eugenii Romanorum pontificum vestigiis inherentes, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præbente Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : monasterium S. Pauli, quod dicitur *Valliolas* super ripam Aquilini cum appendiciis suis, ecclesiam S. Policarpi super rivum grandem cum pertinentiis suis, sicut monasterio vestro domni prædecess. nostri sanctæ memoriæ Paschalis papæ judicio confirmata est, ecclesiam sanctæ Mariæ Urbione, ecclesiam S. Petri de Escalabra cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Romani de Librazac, ecclesiam S. Mariæ de Vallelias cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Valerii, ecclesiam S. Michaëlis de Rethmol, ecclesiam de Pairano, ecclesiam de Villa, quæ dicitur *Terra-copulata*, ecclesiam de Villa-nova, ecclesiam S. Jacobi de Villari-severic, villam Flacianum cum ecclesia, villam Ladimanellum cum ecclesia, villam Lupianum cum ecclesia, villam Solarium, ecclesiam de Domadac, villam Comelianellum cum ecclesia, ecclesiam S. Salvatoris juxta ripam Corneliani sitam, ecclesiam S. Juliani, ecclesiam S. Saturnini de Fan, duas partes decimæ de Sanz, ecclesiam S. Nazarii de Aquis-calidis, monasterium S. Pabuli cum appenditiis suis, ecclesiam S. Martini de Cella, ecclesiam de Castro-resindo, castrum Princiacum cum ecclesia, castrum Vezolam cum duabus ecclesiis, castrum Cornelianum, castrum Blanca-forte. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendum ; electus vero a diœcesano consecretur episcopo, si quidem ille gratis & sine pravitate consecrationem exhibere voluerit, alioquin a catholico quem malueri episcopo consecrationem accipiat. Hoc etiam capitulo præsente subjungimus ut, quia locus vester beati Petri & ejus oblatio sanctæ Romanæ ecclesiæ juris est, nulli omnino archiepiscopo vel episcopo facultas sit super eum aut super vos excommunicationis vel interdicti sententiam proferre, nec alicui archiepiscopo vel episcopo fas sit in ecclesiis ad vestrum jus pertinentibus injustas & indebitas exactiones aliquatenus exercere, sed liberi semper & quieti sub jure ac protectione sedis apostolicæ persistatis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat supra dictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem hujus a Romana ecclesia perceptæ libertatis libram unam argenti singulis trienniis nobis, nostrisque successoribus persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat : cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen, amen, amen.

✠ Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus SS.
✠ Ego Gregorius Sabin. episcopus SS.
✠ Ego Hubaldus Hostiensis episcopus SS.
✠ Ego Bernardus Portuensis S. Rufinæ episc. SS.
✠ Ego Gualterius Albanensis episcopus SS.

✠ Ego Hunaldus presbyter cardinalis titulo S. Crucis in Hierusalem SS.
✠ Ego Albertus presbyter cardinalis titulo S. Laurentii in Lucina SS.
✠ Ego Jacintus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmydin SS.
✠ Ego Odo diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano SS.
✠ Ego Ardicio diaconus cardinalis S. Theodori SS.

Datum apud Montempessulanum per manum Hermanni S. R. E. subdiaconi & notarii, VI. nonas Maii indictione X. Incarnationis Dominicæ anno MCLXII. pontificatus vero domni Alexandri papæ 3. anno tertio.

X.

Ex MS. Colbert.

Epistola Conradi Portuensis episcopi sedis apostolicæ legati de Electensis abbatiæ à se facienda dispositione in synodo Aniciensi.

Circa 1222.

CMiseratione divina Portuensis & sanctæ Rufinæ episcopus, apostolicæ sedis legatus, dilecto in Christo capitulo Narbonensi salutem in Christo-Jesu. Auctoritate legationis qua fungimur vobis mandamus, quatenus mittatis nobis aliquos vestrum pro universitate capituli apud Anicium octavo calendas Augusti, ubi sumus cum prælatis colloquium habituri : ibidem enim Deo dante ordinabimus de abbatia Electensi ad honorem Dei, & utilitatem ecclesiæ Narbonensis : tibi vero Ysarno de Conchis mandamus, quod decreta * nostra quæ habet scriptor apud Narbonam nobis afferas ; quidquid enim ibi tradideris tibi reddemus in continenti. Datum apud Divionem octavo calendas Julii.

* *f. vestra.*

XI.

Ex archivo archiepisc. Narbon.

Conradus Portuensis episcopus tradit monasterium Electi capitulo Narbonensi.

1222.

C miseratione divina Portuensis & S. Rufinæ episcopus, apostolicæ sedis legatus, carissimæ in Christo universitati capituli majoris ecclesiæ Narbon. salutem in Christo-Jesu. Nisi funestissima proditorum negotii fidei & pacis scelera ibi potissimum graviore pena plecterentur, ubi multis grassantibus opus est exemplo, profecto ecclesia Dei, quæ dudum etiam plerisque columpnis suis nutantibus in partibus Albigen. est concussa, ita in horrendum præcipicium corruisset, ut vix aut nunquam sub diluvio tam inundantium infidelitatum, scelerum & proditionum adjicere posset ut resurgeret aut vigeret, per quod rationis suadela perorat ut tanto in prædicto negotio bene meriti sint ampliore remuneratione donandi, quanto pro fide Christi indefesse & constantius se variis jacturis & periculis exposuerunt, quatinus ceteros & pena terrens a malivolo proposito revocet, & beneficia demulcentia alios provocent ad ea quæ expediunt negotio memorato. Cum igitur Boso quondam abbas Electensis inveteratus dierum malorum cum quibusdam monachis suis in nerviculos testiculorum Leviathan perplexis villam Electensem inimicis Christi machinatione prodiderit inaudita, arma portantes usque in hodiernam diem contra ecclesiam Dei, ita etiam quod idem Boso hereticos induxerit hodie in eadem villa publice prædicantes, nos illos pestiferos, non monachos, sed demoniacos solemniter degradatos tradidimus Satanæ tanquam proditori Judæ in sceleribus adæquatos, statuentes ut de cetero a villa prædicta monachi perpetuo excludantur, & quia vos viriliter & plena devotione in negotio præstitistis prædicto, multa damna, injurias & pericula hilariter perferentes, sed & quia nihilominus tota universitas tam civitatis quam burgi Narbonensis multum efficaciter in eodem & pro eodem negotio laboravit, monasterium Electense cum omnibus suis pertinentiis vobis subjicimus, concedimus & conferimus cum tota ipsa villa Electensi, & pertinentiis ejusdem villæ, reservata vobis plene & integre ordinatione in monasterio & villa prædictis facienda de clericis & capellanis ac dignitatibus loco monachorum ejectorum, & nihilominus de consensu capituli vestri, reservato nobis ut possimus ordinare ea quæ vidimus expedire ad utilitatem & honorem capituli vestri de proventibus & redditibus monasterii & villæ prædictorum, eo quod vos sitis pauperes, redditibus non abundantes, & pro negotio memorato exhausti. Hanc igitur collationem liberaliter a nobis factam suscipiatis præsentis scripti patrocinio & sigilli nostri munimine roboratam. Si quis autem huic collationi nostræ liberaliter factæ a nobis contraire præsumpserit, indignationem Dei omnipotentis, & nostram, necnon & excommunicationis sententiam, nisi monitus desistere valuerit, se noverit incurrisse. Datum apud Saviniacum anno Domini MCCXXII. XVI. cal. Octob.

XII.

Ex archivo archiepisc. Narbon.

Epistola C. Portuensis episcopi ad Honorium papam de meritis ecclesiæ Narbonensis in causa Albigensium, & de collatione ipsi facta abbatiæ Electensis.

1222.

SAnctissimo in Christo patri & domino amantissimo H. Altissima providentia summo Pont. C. ejusdem miseratione Portuensis & S. Rufinæ episcopus devota sanctorum pedum & manuum oscula, cum salute. Inter omnes ecclesias sola Narbonensis fidelius, firmius & efficacius negotio fidei & pacis astitit; nulla pericula, nulla dispendia, dum in ipso laboraret negotio, præformidans, sed quibuscunque modis hucusque potuit, A verbis & operibus se totam exhausit pro negotio Jesu-Christi, & tanquam una de fortioribus basibus ecclesiæ Romanæ, onera, pondus & pressuras perseveranter & infatigabiliter suportavit, apostolicam sedem in suis legatis, & specialiter in persona nostra tot honoribus & commoditatibus præveniens, ut credi debeat eam potius esse Romanam quam Narbonensem. Cum enim inimicorum proditionibus invalescentibus nos turpiter & ultra quam opinari potest nefarie ejecerint Biterrenses, ita ut jam facti fuissemus profugi super terram, sola Narbona nobis humanitatis reclinatorium expandit per eam usque ad eam vias maris ineuntes, non invenientes ut caput nostrum alibi reclinaremus. Nos igitur considerantes merita fere inrecompensibilia ecclesiæ Narbon. puduit nos eam remunerare juxta meritum non posse, B præsertim quia in frustratione sui meriti aliæ ecclesiæ cito teperent, & in ejusdem remuneratione ad sanctæ matris ecclesiæ subsidium provocarentur; eo etiam flagrantiori desiderio & majoris pietate compassionis ad ejus remunerationem anhelamus, quo in majori patientia & hilariori exhibitione sua devotio radicata in omnibus angustiis & oneribus suis nullatenus sustinuit murmur aut querimoniam resonare. Porro dum multi libraminis examine in ejus remunerationem incenderemur, contulimus ecclesiæ Narbonensis capitulo monasterium Electense cum omnibus suis pertinentiis: nos enim de consilio plurium prælatorum tunc nobis assistentium degradavimus abbatem Electensem, & quosdam monachos complices suos solemni sententia & legitima, lata contra eos tanquam in negotio fidei & C pacis nefandissimos proditores & manifestos hereticorum fautores, & deinde per omnia nobis & ecclesiæ sanctæ Romanæ contumaces & rebelles: quia etiam religionis dissolutio deformiter & dudum regnaverat ibidem, & quia ecclesiæ Dei consultum esse videbatur, si posteritati dictorum sceleratorum damnationis perpetuum memoriale relinqueretur ad detestationem tantæ perversitatis & tantæ præsumptionis temeritatem refrenandam, non solum de generali potestate nobis injuncta, sed etiam de speciali auctoritate, quam nobis gratia vestra concessit, statuendum duximus ut de cetero capitulum Narbonense in quod memoratum monasterium pleno jure transtulimus per clericos ibidem rite ordinandos tam spiritualia quam temporalia ibidem faciant ministrari. Ad majorem autem cautelam, in- D dulgentiam gratiæ vestræ præsentibus duximus inserendam in hæc verba:

HONORIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri C. episcopo Portuensi apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Cum in terra legationis tuæ multi sint, sicut accepimus, solo nomine regulares, per quorum perversitatem ecclesiæ in quibus consistunt fere penitus in spiritualibus & temporalibus sunt collapsæ, collocandi eos in aliis locis ad penitentiam peragendam, ac ordinandi easdem ecclesias de personis regularibus, seu etiam secularibus, prout pensatis locorum & temporum circunstantiis videris expedire, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium potestatem. Datum Viterbii idus Decembris pontificatus nostri anno quarto.

E Sanctitatis igitur vestræ gratiam, quæ nunquam nobis defuit, semper profuit, una cum ecclesia nostra Narbonensi supliciter exoramus, quatinus prædictas donationem & constitutionem nostram ratam habentes approbetis & confirmetis, ut per hoc humilium devotio sanctæ Romanæ ecclesiæ in suis negotiis fiat paratior ad obsequendum, & rebellium contemptus ex aliorum castigatione debita refrenetur. Ut autem salva pace vestra loquamur, opprobrio sempiterno nostram credimus confundi personam, si in hac nostra petitione nos, quod absit, contigerit pati repulsam. Mittimus autem ad pedes sanctitatis vestræ carissimos nobis in Christo viros discretos, fidelissimos negotii fidei & pacis zelatores N. de Conchis archidiaconum, & Stephanum

& Stephanum Johannini canonicum ecclesiæ Narbon. ut & nos & capitulum prædictum in prædictis aliis negotiis suis dignemini efficaciter exaudire: eorum siquidem absentia nobis & negotio Jesu-Christi est damnosa, & præsentia plurimum fructuosa. Conservet vos Altissimus ecclesiæ suæ sanctæ.

XIII.

Ex archivo archiepisc. Narbon.

Abbas Electensis & monachi propter crimen hæreseos a monasterio suo ejiciuntur, & in eorum locum ordinantur canonici duodecim a Conrado Portuensi & S. Rufinæ episcopo & apostolicæ sedis legato.

1223.

CONRADUS miseratione divina Portuensis & S. Rufinæ episcopus, apostolicæ sedis legatus, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Ex injuncto nobis legationis officio circa ordinationem ecclesiarum quadam speciali prærogativa sumus omnimodis obligati, specialius tamen circa ecclesiam Electensem, quam propter delictum abbatis & monachorum, qui relicta sinceritate fidei Christianæ hereticis & eorum fautoribus adhæserunt, contulimus cum omnibus juribus & pertinentiis suis dominio & jurisdictioni spirituali & temporali ecclesiæ Narbonensis perpetuo possidendam, quam ipsam circa negotium pacis & fidei semper firmam & stabilem invenimus ac devotam: quam collationem domnus papa Honorius postmodum confirmavit. Ad honorem igitur sanctæ & individuæ Trinitatis, & sanctæ Romanæ ecclesiæ ita duximus ordinandum. Volumus & statuimus ut de cetero in ipsa ecclesia Electensi sint duodecim canonici continue residentes, videlicet sex presbyteri, duo diacones, duo subdiaconi, & duo acolithi, quorum quilibet decem libras Melgoriensium modo currentium pro victu & vestitu percipiat annuatim, quos præcipimus & mandamus in una domo comedere, & in uno dormitorio jacere, & habitare infra claustrum præfatæ domus, & habere hortum & viridarium quondam monachorum. Statuimus etiam, ut quicunque fuerit archidiaconus Narbonensis sit præpositus ipsius ecclesiæ, & præsideat in omnibus spiritualibus & temporalibus, & habeat pro beneficio quidquid ex jurisdictione villæ Electensis & aliarum villarum ad eandem ecclesiam pertinentium obvenerit, institutionem canonicorum & correctionem habeat ipse præpositus, obedientiam & reverentiam faciant dicti canonici præposito memorato: vacante vero præpositura casu quolibet contingente, archidiaconus Redensis, qui pro tempore fuerit, ipsam præposituram regat, teneat & conservet, quousque fiat archidiaconus in ecclesia Narbonensi, ut sic de cetero sint viginti, & percipiant omnes redditus, proventus & obventiones quascunque poterunt ex eadem ecclesia Electensi & ejus appendiciis, exceptis prænominatis beneficiis & redditibus duodecim canonicorum & præpositi, & eos æqualiter dividant inter se: archidiaconus tamen duplicem recipiat portionem; excipimus etiam centum libras prædictæ monetæ, quas volumus cellarium sancti Justi habere, de quibus dabit quadraginta solidos annuatim unicuique hebdomadariorum institutorum ab archiepiscopo vel capitulo: volumus etiam ut ex prænominatis duodecim constituatur unus sacrista, qui oblationes & mortuaria recipiat, & medietatem habeat ad incensum, pulsationem campanarum, & luminaria ecclesiæ procuranda, aliam medietatem alii duodecim æqualiter dividant inter se. Item statuimus ut archidiaconus de consilio capituli S. Justi constituat bajulos & familiam in prænominata ecclesia Electensi, & prioratibus, & villis ad ipsam pertinentibus, secundum quod viderit expedire. Ad majorem autem istius ordinationis firmitatem sigillum nostrum apponi fecimus, contradicentes si qui fuerint vel rebelles, excommunicationis sententiæ supponentes. Actum anno Domini MCCXXIII. secundo nonas Octobris apud Viennam.

XIV.

Ex scriniis archiepisc. Narbon.

Honorius III. capitulo Narbonensi confirmat monasterium Electi.

1224.

HONORIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Apostolicæ sedis benignitas provide pensans merita singulorum pie consuevit illis quos sibi devotos invenit favore suæ gratiæ respondere, ut & ipsi de devotis devotiores effecti ad promerendum ejus gratiam animent indevotos. Sane litteræ venerabilis fratris nostri C. Portuensis episcopi apostolicæ sedis legati nobis exhibitæ continebant, quod cum Boso quondam abbas monasterii Electensis Narbon. diœcesis & quidam monachi * sui villam Electensem inimicis fidei Christianæ proditionaliter tradidissent, armaque portantes contra Dei ecclesiam, & contra impugnatores hereticæ pravitatis, in villam ipsam induxissent hereticos, errorem suum publice prædicantes, idem legatus hujusmodi perditionis filios solemniter degradavit de multorum consilio prælatorum, & tam illos quam alios tunc ipsius loci monachos, per quorum malitiam dictum monasterium in spiritualibus & in temporalibus erat adeo deformatum, quod versum erat in opprobrium & derisum, a monasterio ipso cujusdam indulgentiæ nostræ suffultus auctoritate removit, ac attendens quod ecclesia vestra negotio pacis & fidei astitit hactenus fideliter & constanter, pro ipso subire non metuens damna rerum, seu pericula personarum, monasterium ipsum cum omnibus pertinentiis suis perpetuo ipsi donavit ecclesiæ de clericis secularibus ordinandum, vobiscum & pro vobis humiliter supplicando ut donationem ipsam apostolico roborare munimine dignaremur. Nos igitur attendentes quod puritas vestræ fidei & devotionis exposcit ut vobis faciamus gratiam specialem, vestris & ejusdem episcopi precibus inclinati ratam habemus donationem eandem, eamque, sicut provide facta est & in præfatis litteris plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani idib. Maii pontificatus nostri anno septimo.

* quinque erant.

Hanc iterum donationem confirmavit idem pontifex anno VIII. sui pontificatus, V. calend. Jan.

XV.

Ex archivo archiepisc. Narbon.

Gregorius IX. papa abbates Rivipullensis & Grandis-silvæ, &c. delegat ad restituendam monachis abbatiam Electi e qua fuerant ejecti.

1232.

GR. episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis... S. Mariæ Rivipullensis, Grandis-silvæ abbatibus, & priori S. Mariæ Rivipul. Vicensis & Tolosanæ diœcesis salutem & apostolicam benedictionem. Prior & conventus monasterii Electensis Narbonensis diœcesis ad sedem apostolicam, sicut dicitur, nullo medio pertinentis sua nobis conquestione monstraverunt, quod cum abbas & quinque monachi ejusdem monasterii per bonæ memoriæ C. Portuensem episcopum & apostolicæ sedis legatum, exigentibus culpis eorum, perpetuo ab eodem monasterio ejecti fuissent, capitulum Narbonense prædictum monasterium, in quo religio & hospitalitas satis laudabiliter servabatur, cum pertinentiis suis facientes sibi ab eodem legato de facto conferri in suo ordine reformandum, & a piæ memoriæ Honorio papa prædecessore nostro in forma confirmari communi, ejecto inde conventu, illud detinent illicite occupatum, instituentes in eo post appellationem legitimam ad nos interpositam clericos seculares; quare conventus miserabiliter cogitur exulare, luens in pœna quod alii commiserunt in culpa. Quocirca dilectioni vestræ per

apostolica scripta mandamus, quatinus inquisita super A hiis diligentius veritate, si comperitis per priorem qui nunc est & conventum posse prædictum monasterium reformari, illud de ipsis auctoritate nostra reformare curetis, prout secundum Deum melius videritis expedire, non obstantibus litteris, quas venerabilis frater noster Narbonensis archiepiscopus super hoc dicitur a sede apostolica impetrasse; monachis vero ejusdem monasterii qui prædictum negotium prosequuntur, cum non habeant proprium, faciatis de bonis ipsius expensas ad perfectionem hujus negotii necessarias ministrari, contradictiones* per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Reate nonis Aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

*f. contradictores.

B

XVI.

Gregorius papa IX. nullam declarat latam in archiepisc. Narbon. qui monasterium Electense tenebat, excommunicationem.

1233.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Albiensi, & dilectis filiis abbati Fontis-frigidi, & magistro Armando de Camprineano canonico Appamiensi, Narbonensis & Tolosanæ diœcesum, salutem & apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster Narbonensis archiepiscopus in vestra præsentia constitutus proposuit, quod cum Grandis-silvæ & Rivipollensis abbates & prior Rivipollensis Tolosanæ & Vicensis diœcesis occasione quarumdam litterarum nomine prioris & conventus monasterii Electensis ad nos super eodem monasterio contra Narbonense duntaxat capitulum obtentarum, ipsum nuper in procinctu itineris constitutum ad sedem apostolicam veniendi, ad suam præsentiam citavissent, idem ex eo se sentiens ab ipsis injuste gravari, quod dicti judices per tales litteras, quæ contra capitulum supradictum duntaxat, prout est expressum superius, fuerant impetratæ, in judicium coram se trahere nitebantur eundem, nostram audientiam appellavit; sed ipsi, legitima ejus appellatione contempta, post iter arreptum ab eodem ad sedem apostolicam veniendi, priorem & conventum præfatos in corporalem possessionem supradicti monasterii cum pertinentiis suis, quæ archiepiscopus ipse tunc temporis possidebat, de facto inducere præsumpserunt, in contradictores excommunicationis sententiam, sicut dicitur, promulgando, & alias etiam super ipso negotio in ipsius præjudicium illicite procedendo. Quia vero præfato archiepiscopo in suo jure deesse nec volumus, nec debemus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, dictam excommunicationis sententiam denuntiantes penitus nullam esse, revocetis in statum pristinum sine dilatione qualibet quicquid post appellationem hujusmodi contra ipsum archiepiscopum inveneritis temere attentatum, proviso prudenter ne bona sæpe dicti monasterii immobilia & thesaurus occasione hujusmodi ab aliquo distrahantur, & si qua alienata fuerint illicite, vel distracta, ad jus & proprietatem ipsius legitime revocetis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, cessante appellatione, cogatis veritati testimonium perhibere: nos enim opportunitate captata super reformando statu monasterii antedicti, annuente Domino, sollicitudinem & diligentiam adhibebimus, quam viderimus adhibendam. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater episcope, cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Laterani Id. Junii, pontificatus nostri anno septimo.

XVII.

Epistola J. Viennensis archiepiscopi de compositione facta inter archiepiscopum Narbonensem & monachos Electenses.

Ex archiv. archiepisc. Narbon.

Circa 1240.

SAnctissimo patri & domino Gregorio divina providente clementia sacrosanctæ R. E. summo pontifici, J. Dei miseratione Viennensis ecclesiæ minister humilis seipsum ad pedum oscula beatorum. Scissura frequens & quotidiana turbatio, quæ pluribus in locis commissæ mihi legationis emergunt, cogunt me, pater sanctissime, relationibus variis aures vestræ sanctitatis implere, non ut referam universa, prout necessitas communis exposceret, sed ea duntaxat quæ scrupulis altioribus involuta præsentis vel imminentis contemplatione periculi statum ecclesiarum & pacis possent evertere vel gravare. Sane cum inter venerabilem patrem Narbonensem archiepiscopum & Electum & monachos Electenses Narbonensis diœcesis super ipso monasterio causa fuit ex variis delegationibus sedis apostolicæ diutius agitata, & in exceptionum ac appellationum diffugiis quinquennio jam consumpto nec dum fuit lis in principali negotio contestata, tandem ad multam instantiam precum eorum laboribus compatiens & expensis in manu mea suscepi negotium amicabiliter dirimendum. Instant igitur partes pro decisione jurgii diutius prorogati, instant prælati & viri religiosi quamplures, quos e vicino positos veritas latere non potest, ut pax inter partes & concordia reformetur. Licet igitur hæc omnia fideliter indagata veritate niti non dubitem, & partes C laborum & sumptuum oppressione confectæ amicis communibus mediantibus super compositione venerint ad consensum, quia tamen de totius monasterii statu, nec non & proprietate ejusdem & pertinentiis tractatur, ad preces partium totum ad vestram duximus beatitudinem deferendum. Consensus vero utriusque partis talis est, quod monasterium prædictum in suo statu & religione permaneat pacifice & quiete, & de bonis ipsius monasterii assignetur perpetuo dicto archiepiscopo Narbonensi in redditibus centum quinquaginta libræ vel libratæ Melgorienses annuatim in possessionibus prædicti monasterii Electensis, & totum quidquid dictum monasterium habet intus & extra tam in decimis & ecclesiasticis juribus, quam in aliis, in castris de Puissano & de Arzencho & de Scalis, & in villa D Electi quandam domum quæ dicitur *Judæi*, & in eadem villa Electi, scilicet quinque masatæ perpetuo possidendæ, & quoniam in ordinatione facta per dominum C. bonæ memoriæ Portuensem episcopum præpositura dicti monasterii fuerat assignata, ut partes asserunt, & perpetuo annexa archidiaconatui Narbonensi, ratione cujus archidiaconus dictus habebat perpetuo jus conferendi ecclesias & alia beneficia pertinentia ad dictum monasterium, & etiam instituendi canonicos in ecclesia Electensi, & jurisdictionem temporalem tam in villa Electi, quam in castris & villis pertinentibus ad illum locum, quæ omnia erant eidem per sedem apostolicam confirmata, ut omnis materia dissensionis, & occasio scandali sopiatur, de consensu monachorum illius loci & prædicti archidiaconi propter bonum paE cis ita fuit ab utraque parte concessum; videlicet quod ecclesia de Flaciano in Reddesio cum omnibus decimis, primitiis, oblationibus & obventionibus mortuorum, & cum omnibus juribus spiritualibus & temporalibus pertinentibus ad eandem ecclesiam perpetuo assignetur, salvo jure diœcesani archiepiscopi, archidiaconatui supradicto; sanctitati vestræ supplicans humiliter & devote, quatenus super hiis & terræ statui, & dictarum ecclesiarum utilitatibus consulatis. Conservet vos Deus omnipotens ecclesiæ suæ per tempora multa.

XVIII.

Ex archivo archiepisc. Narbon.

Innocentius IV. confirmat transactionem factam inter monachos Electi & archiepiscopum Narbonensem, post expulsos canonicos ab ecclesia Electi.

1247.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Carcassonensi salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte venerabilis fratris nostri archiepiscopi Narbon. fuit propositum coram nobis, quod cum monasterium Electi suæ dioecesis, quod immediate, sicut dicitur, ad apostolicam sedem spectat, ejectis inde abbate & monachis, exigentibus gravibus culpis suis, & inductis ibidem clericis secularibus, submissum fuisset auctoritate apostolica ecclesiæ Narbonensi, ac postmodum quidam ex monachis ejusdem monasterii super hoc in communi forma litteras a sede apostolica impetrantes in possessionem ipsius monasterii, absente non per contumaciam bonæ memoriæ P. archiepiscopo Narbon. prædecessore, fuerunt perperam earumdem litterarum auctoritate reducti, dictus archiepiscopus contra eos super hoc ab eadem sede litteras impetravit; cumque postmodum inde fuisset diutius litigatum, tandem inter ipsum archiepiscopum & Electum ac conventum ejusdem monasterii amicabilis super quæstione ipsa & ipsius diversis articulis mediante abbate Anianensi compositio intervenit, prout in litteris inde confectis plenius continetur, quam compositionem præfatus archiepiscopus a nobis petiit apostolico munimine roborari. Nos igitur ejus supplicationibus inclinati, compositionem eandem, sicut sine pravitate provide facta est, & ab utraque parte sponte recepta & firmata etiam juramento, ac hactenus pacifice observata, ratam & gratam habentes, ipsam duximus auctoritate apostolica confirmandam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus non permittas eundem archiepiscopum contra confirmationis nostræ tenorem super hiis ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni II. non. Aug. pontificatus nostri anno quinto.

XIX.

Ex autographo.

Electio Bartholomæi primi Electensis episcopi.

1318.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Ad cumulum tuæ cedit salutis & famæ, si personas ecclesiasticas, præsertim pontificali dignitate præditas, divinæ propitiationis intuitu oportunis præsidiis & favoris gratia prosequaris. Nuper siquidem ex certis & rationabilibus causis, quæ ad hoc nostrum animum induxerunt, Electum tunc villam infra Narbonensis dioecesis limites constitutam, quæ locus insignis existit, & ubertate multiplici hominum & rerum exuberat, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis in civitatem ereximus, & civitatis vocabulo duximus decorandam, statuentes ac etiam decernentes, ut ecclesia S. Mariæ quondam monasterium dicti loci, ex tunc haberetur & existeret cathedralis. Postmodum vero de celeri & salubri provisione ipsius ecclesiæ Electensis, ut sponsi solatio lætaretur, solicite cogitantes, & volentes illum eidem ecclesiæ præficere in pastorem, de quo certam haberemus notitiam, quod eum clara morum insignia redimirent, nec dubia esset ejus caritas circa plebem suo regimini committendam, & in cujus fida fiducia salubriter recumberet securitas subjectorum, ad dilectum filium Bartholomæum electum Electensem tunc abbatem dicti quondam monasterii loci ejusdem, litterarum scientia præditum, vitæ & morum honestate decorum, discretionis & consilii maturitate conspicuum, in temporalibus providum & spiritualibus circumspectum direximus oculos mentis nostræ, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona sua nobis & eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta de ipsorum fratrum consilio & præfatæ plenitudine potestatis eidem Electensi ecclesiæ providimus, ipsumque præfatæ ecclesiæ in episcopum præfecimus & pastorem, curam & administrationem ipsius sibi in spiritualibus & temporalibus committendo, firma spe fiduciaque tenentes, quod eadem ecclesia divina sibi propitiante clementia per suæ circumspectionis & industriæ studium fructuosum præservabitur a noxiis & adversis, ac in spiritualibus & temporalibus proficiet incrementis. Cum igitur eidem electo, ut in commissa sibi cura ejusdem ecclesiæ facilius proficere valeat, tuus favor esse noscatur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus & hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eumdem electum & commissam sibi ecclesiam habens pro nostra & apostolicæ sedis reverentia commendatos in ampliandis & conservandis suis juribus, sic eum tui favoris præsidio prosequaris, quod ipse per tuæ auxilium gratiæ se possit in commisso sibi ejusdem ecclesiæ regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam & dictæ sedis benevolentiam valeas exinde uberius promereri. Datum Avenione calendis Martii pontificatus sui anno secundo.

XX.

Bulla secularisationis ecclesiæ Electensis.

1531.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Narbonensi & Carcassonensi ac Aquensi officialibus salutem & apostolicam benedictionem. Hodie a nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis. Clemens episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ad exequendum pastoralis officii debitum studiis intendentes exactis circa ecclesiarum quarumlibet, præsertim cathedralium, & illarum personarum potissime religionis titulo insignitarum statum salubriter & prospere dirigendum, ne in spiritualibus & temporalibus penitus collabantur, attente considerationis aciem dirigimus, & pro eorum profectibus, prout salus exigit animarum, ac ut in illis divinus cultus augmentum suscipiat, potissime dum Catholicorum Regum vota id poscunt, opem & operam impendimus efficaces, prout ecclesiarum, personarum, & locorum ac temporum qualitatibus & conditionibus diligenter consideratis conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane charissimus in Christo filius noster Franciscus Francorum rex illustris tam suo quam venerabilis fratris nostri Guillermi de Gaudiosa episcopi Electensis, ac dilectorum filiorum capituli ecclesiæ Electensis ordinis sancti Benedicti nominibus nobis nuper exponi fecit, quod licet dicta ecclesia, quæ ecclesia monasterii dicti ordinis tunc Narbonensis dioecesis sub invocatione beatæ Mariæ virginis dicata pro uno abbate & aliquibus monachis dicti ordinis fundata existebat, per felicis recordationis Johannem papam XXII. prædecessorem nostrum in cathedralem ecclesiam apostolica auctoritate erecta, illique districtus, territorium & dioecesis in spiritualibus & temporalibus assignata, & loco abbatis ipsius olim monasterii episcopus secularis, qui eidem ecclesiæ & toti dioecesi Electensi perpetuo præesset, ordinatus fuerat, ac in ipsa ecclesia mensa capitularis prorsus distincta & separata ab episcopali mensa, necnon unus prioratus dignitas inibi post pontificalem major & forsan electiva, ac una præcentoria, & una cameraria, necnon una sacristia, una operaria, una eleemosynaria, una infirmaria, & una hostallaria, officia claustralia ad solius episcopi Electensis pro tempore existentis, & nonnulla loca, & monachales portiones ad episcopi & capituli prædictorum alternatis vicibus collationem & provisionem pleno

jure pertinentia, ac certus monachorum & personarum numerus, & ex ipsis monachis unus prior major, & alius præcentor, alius camerarius, alius sacrista, alius operarius, necnon alius eleemosynarius, alius infirmarius, & alius hostallarius, prioratum & officia prædicta respective obtinentes, & alii claustrales capitulum ecclesiæ hujusmodi constituentes, ad quos electio episcopi Electensis, dum ipsa ecclesia pro tempore vacat, ex speciali privilegio apostolico eis desuper concesso pertinet, & qui in possessione seu quasi pacifica & quieta eorum prælatum eligendi existunt, fore dinoscantur; & ab eadem ecclesia de Malo-burgeto qui conventuales, necnon qui non conventuales existunt, beatæ Mariæ de Payran & de Rupeforti, necnon S. Valerii, & de Varilles, & de Exchalabria, & de Villaro, necnon de Rupesera dicti ordinis, Tarbiensis, Rivensis, Conseranensis, Appamiarum, & Mirapicensis dioeceseon, prioratus olim per dictos monachos teneri soliti, & nunc pro majori parte in commendam obtenti, & similiter ad collationem, provisionem, & omnimodam dispositionem dicti episcopi pertinentes dependere dinoscantur: tamen cum civitas Electensis, infra quam dicta ecclesia consistit, in partibus limitrophis & loco frigido sita sit, & causantibus bellorum tumultibus, rapinis, cladibus, & aliis sinistris eventibus, qui retroactis & novissime decursis annis contigerunt, fructus, redditus, & proventus mensæ capitularis ecclesiæ hujusmodi, in qua olim triginta monachi & ultra residere, & illi in divinis laudabiliter deservire consueverant, adeo diminuti fuerunt, ut vix pro sustentatione septem aut octo monachorum commode suppetant, & ipsi monachi inibi degentes, qui juxta dicti ordinis regularia instituta in eorum claustris permanere deberent, circa recuperationem, instaurationem, & conservationem bonorum ac fructuum, redditum, & proventuum dictæ eorum mensæ capitularis intendere, & ex frequenti cum eis in ipsa ecclesia secularium personarum conversatione vitam ab eisdem regularibus institutis alienam quodammodo ducere incitentur, quo fit ut vota sua Altissimo plenarie reddere nequeuntes, animarum suarum saluti minus consulant, paucique reperiantur viri docti, nobiles, & potentes qui occurrente illius locorum & monachalium portionum vacatione obtinere & ordinem ipsum inibi profiteri, & ad illius regularem observationem obligari velint, & bona mensæ capitularis hujusmodi in dies diminuantur, & nisi desuper congrue provideatur, futurum fore formidatur, ne etiam in ipsa ecclesia ministrorum illi in divinis deservientium numerus, sicque divinus cultus diminuatur, & bona prædicta in deteriorem statum elabantur. Si in eadem ecclesia & prioratibus ab ea dependentibus ordo S. Benedicti, necnon singula loca, & monachales portiones, ac prioratus major, præcentoria, cameraria, sacristia, operaria, eleemosynaria, infirmaria, & hostallaria, officia prædicta penitus & omnino supprimerentur, & extinguerentur, ac dicta ecclesia adinstar canonicorum & presbyterorum sæcularium, aliarum cathedralium ecclesiarum secularium partium illarum reduceretur, & in ea unus decanatus post pontificalem major loco prioratus majoris pro uno decano, & unus archidiaconatus pro uno archidiacono, & una thesauraria pro uno thesaurario, ac una præcentoria non majores post pontificalem dignitates pro uno præcentore, necnon duodecim canonicatus & totidem præbendæ pro duodecim canonicis, inclusis decano, archidiacono, thesaurario & præcentore præfatis, ac duodecim perpetua simplicia beneficia ecclesiastica pro totidem clericis perpetuis beneficiatis erigerentur & instituerentur, ac illius mensæ capitulari prædictæ fructus, redditus, & proventus ac bona locorum & monachalium portionum, dignitatum & singulorum officiorum suppressorum, necnon singuli dependentes prioratus prædicti, reservata tamen ex cujuslibet illorum fructibus, redditibus, & proventibus quarta portione pro episcopo Electensi pro tempore existente per eum percipienda, perpetuo applicarentur & appropriarentur ac unirentur, annecterentur; profecto fœliciori statui & successui ipsius ecclesiæ & personarum ejusdem, necnon illius bonorum & jurium conservationi, augmento, & recuperationi salubriter consuleretur, & illa decentior ac venustior redderetur, ac ex fructibus, redditibus, & proventibus prioratuum hujusmodi (illorum supportatis oneribus) pro quotidianis distributionibus interessentibus divinis ministrari solitis uberior succederet provisio, & personæ qualificatæ, quæ in ea dignitates ac canonicatus & præbendas obtinere vellent, & quorum favore ipsius ecclesiæ decus, honor, status & utilitas incrementum susciperent, facilius reperirentur, cultusque divinus, & ministrorum numerus in ea, & ad illam dilectorum filiorum, civium, & incolarum dictæ civitatis cum spirituali eorum consolatione & animarum salute peramplius vigeret & augeretur. Quare præfatus Franciscus rex in cujus temporali dominio dicta ecclesia consistit tam suo quam Guillermi episcopi & capituli prædictorum asserentium singulorum dependentium prioratuum prædictorum fructus, redditus, & proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nominibus prædictis nobis humiliter supplicari fecit, ut in dicta ecclesia ac omnibus & singulis ab ea dependentibus prioratibus prædictis ordinem supradictum, omnemque statum & dependentiam regulares, necnon singula loca & monachales portiones, prioratum majorem & singula officia prædicta penitus supprimere & extinguere, ipsumque statum regularem in statum canonicorum, presbyterorum, & clericorum secularium immutare, & illum ad statum secularem hujusmodi reducere, ac capitulum seculare in ea instituere, omnesque & singulos illius monachos ab observatione constitutionum, ordinationum, diffinitionum, institutorum regularium, statutorum & consuetudinum ordinis & ecclesiæ dictorum, ac votorum quorumlibet per eos in ipsorum professione emissorum, necnon a regula ejusdem S. Benedicti, & secundum illam divini officii recitatione penitus absolvere & liberare, ac in ipsa ecclesia unum decanatum loco dicti prioratus majoris qui post pontificalem major pro uno decano, & unum archidiaconatum pro uno archidiacono, necnon unam thesaurariam pro uno thesaurario, ac unam præcentoriam qui non majores post pontificalem dignitates pro uno præcentore, necnon duodecim canonicatus, & totidem præbendas pro duodecim canonicis, ac duodecim perpetua beneficia ecclesiastica pro duodecim clericis perpetuis beneficiatis perpetuo erigere, ac eidem mensæ capitulari pro dignitatum, canonicatuum & præbendarum ac beneficiorum hujusmodi dote & distributionibus quotidianis divinis officiis interessentibus ministrandis omnia & singula bona, jura, fructus, redditus, & proventus singulorum locorum, & monachalium portionum, necnon prioratus majoris ac singulorum officiorum supprimendorum, ac singulos dependentes prioratus hujusmodi perpetuo applicare & appropriare ac unire, annectere & incorporare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum & annuum valorem secundum extimationem prædictam etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, ac omnes dignitates, necnon canonicatus & præbendas, cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia & inantea vacatura collationi & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes extunc irritum & inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari, quique ecclesiarum quarumlibet, præsertim cathedralium & illarum personarum salubrem statum, decorem

& venustatem, ac in eis divini cultus augmentum & animarum salutem sinceris desideramus affectibus, singulorum locorum, monachalium portionum, necnon prioratus majoris, & singulorum officiorum, ac mensæ capitularis prædictorum fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati ad divini nominis laudem & gloriam, & militantis ecclesiæ exaltationem, ac dictæ ecclesiæ Electensis fœliciorem statum in ecclesia Electensi, ac omnibus & singulis ab ea dependentibus prioratibus prædictis ordinem præfatum, ac omnem statum omnemque dependentiam regulares, necnon singula loca, & monachales portiones, ac prioratum majorem, & singula officia prædicta auctoritate apostolica tenore præsentium penitus & omnino supprimimus & extinguimus, ipsumque statum regularem in statum canonicorum, presbyterorum & clericorum secularium immutamus, & illam ad statum secularem reducimus, ac capitulum seculare instituimus, omnesque & singulos ipsius ecclesiæ monachos etiam majorem & dependentes prioratus & officia prædicta obtinentes, ordinem ipsum tacite vel expresse inibi vel alibi professos ab observatione constitutionum, ordinationum, definitionum, institutorum regularium, statutorum, & consuetudinum ordinis & ecclesiæ prædictorum, ac quorumcumque per eos in professione hujusmodi emissorum votorum, *tribus substantialibus votis, a quibus propterea absoluti non censeantur, dumtaxat exceptis,* necnon a regula ejusdem S. Benedicti, & secundum illam divini officii recitatione, ita ut canonici seculares ipsius ecclesiæ existant, & pro talibus habeantur & reputentur, ac de cetero regularem habitum dicti ordinis gestare, & ejusdem ordinis regularia instituta, ordinationes, diffinitiones, & mores quoad divinorum celebrationem, jejunia, victum, & ciborum usum, & alia quæcumque, quæ ratione dicti ordinis observare tenebantur, in futurum observare minime teneantur, sed in habitu, ordine, cerimoniis, ritu, incessu, moribus & vita quoad omnia secularibus canonicis aliarum ecclesiarum cathedralium secularium partium illarum se omnino & ubique conformare, necnon qui nunc sunt de bonis per eos licite etiam intuitu ecclesiæ acquisitis, & in futurum per eos & eorum quemlibet acquirendis in vita & in morte, futuri vero ejusdem ecclesiæ canonici juxta formam in quinterno cancellariæ apostolicæ annotatam testari & de illis disponere libere & licite valeant, penitus absolvimus & totaliter liberamus; ac in dicta ecclesia unum decanatum loco prioratus majoris pro uno decano, ac unum archidiaconatum pro uno archidiacono, necnon unam thesaurariam pro uno thesaurario, ac unam præcentoriam, quæ non majores post pontificalem dignitates inibi, ut præfertur, existant, pro uno præcentore, necnon duodecim canonicatus, & totidem præbendas pro duodecim canonicis, ac duodecim perpetua simplicia beneficia ecclesiastica pro duodecim clericis perpetuis beneficiatis auctoritate & tenore prædictis perpetuo erigimus & instituimus, necnon eidem mensæ capitulari pro dignitatum & canonicatuum & præbendarum, ac beneficiorum erigendorum hujusmodi dote & distributionibus quotidianis divinis officiis interessentibus ministrandis omnia & singula bona, jura, fructus, redditus & proventus singulorum locorum, & monachalium portionum, necnon prioratus majoris, & singulorum officiorum suppressorum prædictorum, & ad illa spectantia & pertinentia, necnon S. Martini de Cella, de Malo-burgeto, & beatæ Mariæ de Payrano, ac de Rupeforti, & S. Valerii, necnon de Barilles, & de Exchalabria, ac de Vilhaco*, ac de Rupefera dependentes prioratus prædictos, etiamsi ad illos consueverint per electionem assumi, eisque cura imminet animarum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, reservata ex cujuslibet & ipsorum dependentium prioratuum fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi quarta portione pro dicto episcopo pro tempore existente per eum percipienda, ita quod liceat capitulo præfatis bonorum, & jurium suppressorum, locorum, & portionum, ac prioratus majoris, & singulorum officiorum exnunc, necnon cedentibus vel decedentibus dilectis filiis modernis dictorum prioratuum dependentium prioribus seu commendatariis, aut prioratus ipsos alias quomodolibet dimittentibus, & illis quibusvis modis etiam ex quorumcumque personis vacantibus, prioratuum dependentium, ac illorum jurium & pertinentiarum prædictorum per se vel alios corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illorumque, necnon suppressorum locorum, & portionum, ac prioratus majoris & officiorum hujusmodi fructus, redditus, & proventus in suos, & mensæ, ac dignitatum, canonicatuum, & præbendarum, ac beneficiorum hujusmodi usus & utilitatem, ac in distributiones prædictas convertere, cujusvis licentia super hoc minime requisita, eisdem auctoritate & tenore perpetuo applicamus & appropriamus ac unimus, annectimus & incorporamus. Et nihilominus quod omnia laudemia & jura trezena *Foriscapus* nuncupata certarum rerum, proprietatum, & bonorum, quæ, dum pro tempore obveniebant, per episcopum Electensem pro tempore existentem, & capitulum præfatos exigebantur, ac inter eos æquis portionibus dividebantur, de cætero per ipsum solum episcopum eorumdem capituli ad id accedente consensu, spolia vero canonicorum etiam dignitates obtinentium ejusdem ecclesiæ ab intestato pro tempore decedentium per ipsos capitulum similiter ejusdem episcopi ad hoc accedente consensu exigantur & percipiantur: ac quod idem Guillelmus episcopus, qui vocem in capitulo dictæ ecclesiæ forsan habere non consueverat, & successores sui episcopi Electenses pro tempore existentes de cætero vocem & debitam præeminentiam in dicto capitulo habere, & illud tanquam episcopus ingredi libere, & licite valeat; ipsique capitulum & canonici semel singulis hebdomadis die ad hoc eligendo perpetuis futuris temporibus unam magnam missam cum diacono & subdiacono celebrare, & in ea pro fœlici statu & salute animæ ipsius Guillermi, & pro tempore existentis episcopi Electensis, & peccatorum suorum remissione Altissimum exorare, dum & quando idem episcopus ex bonis suis præfatis capitulo seu eorum mensæ capitulari pro tali onere perferendo elargitus fuerit, debeant & teneantur sub pœna ad hoc statuenda pro qualibet vice qua defecerint, & dictus episcopus eos ad id coercere possit: ac quod capitulum præfati pro præmissis & divini cultus ipsius ecclesiæ directione ac illius fœlici statu quæcumque statuta & ordinationes licita, & honesta, ac sacris canonibus non contraria, quæ ab omnibus observari debeant, pro eorum arbitrio condere & facere, ac condita & facta, prout rerum & temporum qualitas suadebit, immutare, & alia de novo condere, illaque inviolabiliter per subtractionem distributionum quotidianarum, ac per censuras & pœnas ecclesiasticas observari facere, ipsaque ecclesia ac illius decanus, archidiaconus & thesaurarius, capitulum, canonici, & personæ hujusmodi erigendi proviso quod statutum remaneat, ac omnibus ac singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, gratiis, concessionibus, & indultis eis quomodolibet concessis, ut prius, ac quibus alii dignitates obtinentes, ac canonici & personæ aliarum cathedralium ecclesiarum secularium partium earum hujusmodi in genere vel in specie etiam quoad delationem almutiarum omni tempore tam in apostolicis quam in regalibus concessionibus utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum pariformiter & absque aliqua differentia uti, potiri & gaudere, possint & debeant: & dictus decanus ac singuli ex archidiacono, thesaurario, & præcentore quindecim, cæteri vero canonici decem, alii autem inferiores in eorum receptione trium vel quatuor ducatorum summas

* al. de Villaro.

pro pluvialibus, libris, calicibus, & aliis ornamentis & paramentis ipsius ecclesiæ solvere teneantur, nec eorum portiones percipere possint, donec dictas summas respective persolverint. Quodque dignitatum de novo erectarum ad Guillermum & pro tempore existentem episcopum Electensem, sic tamen quod idem episcopus dignitates ipsas, occurrente illarum pro tempore vacatione, canonicis ejusdem ecclesiæ actu præbendatis duntaxat & non aliis conferat, alioquin collationes de illis aliis pro tempore factæ, nullæ & invalidæ ac pro ea vice ad sedem apostolicam devolutæ sint & esse censeantur eo ipso: canonicatuum vero & præbendarum collatio, provisio & omnimoda dispositio ad episcopum & capitulum præfatos alternatis vicibus, ita quod cum primo post reductionem hujusmodi ad episcopum, secundo ad capitulum, tertio ad episcopum antedictos & sic alternatim, sive per obitum, sive per resignationem, aut alio quovismodo vacaverint, præterquam per resignationem ex causa permutationis, quo casu admissio resignationis ex causa permutationis faciendæ, ac collatio & provisio canonicatuum & præbendarum ex causa permutationis resignatorum hujusmodi ad solum episcopum absque præjudicio turni hujusmodi spectet & pertineat: & si contingat canonicatus, & præbendas hujusmodi per mandata apostolica habentes & prosequentes, ac graduatos simplices, vel graduatos nominatos juxta concordata præfati Regis cum sede prædicta affici, tunc si in turno episcopi, postea vacaturorum ad episcopum ipsum; si vero in turno capituli prædictorum illos vacare contigerit, similiter postea vacaturorum canonicatuum & præbendarum collatio & provisio hujusmodi ad capitulum præfatos, ut turnus ipse absque dubio & contentione conservetur, pertineat. Duodecim autem beneficiorum prædictorum, occurrente illorum pro tempore vacatione, collatio & provisio prædictæ ad capitulum seu canonicos præfatos per turnum, primo incipiendo a decano, & deinde ab archidiacono, postmodum a thesaurario, & successive a præcentore ac subsequenter ab aliis canonicis juxta ordinem eorum receptionis per eos personis in cantu & cerimoniis dictæ ecclesiæ instructis, & quæ cum deliquerint, aut minus debite dictæ ecclesiæ deservierint, seu in illius obsequiis defecerint, per substractionem distributionum, aut alias censuras & pœnas per ipsos capitulum seu canonicos corrigi, castigari, & coherceri libere & licite possint, conferendorum respective spectet & pertineat auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium perpetuo statuimus & ordinamus. Et insuper eosdem monachos & eorum singulos qui propter transgressionem institutorum regularium prædictorum aliquam apostasiæ notam seu irregularitatem aut inhabilitatem forsan contraxerint seu incurrerint, ab hujusmodi excessibus, necnon apostasia & quibusvis excommunicationis ac aliis sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis, quas præmissorum occasione forsan quomodolibet incurrerint, eisdem auctoritate & tenore absolvimus, & cum eis super irregularitate, si quam censuris hujusmodi ligati missas & alia divina officia celebrando & illis se immiscendo contraxerint, quodque etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque cum cura & sine cura secularia alias se invicem compatientia beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, & dignitates ipsæ in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales majores, seu collegiatis ecclesiis hujusmodi principales fuerint, & ad dignitates, personatus, administrationes vel officia hujusmodi consueverint per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si sibi alias canonice conferantur aut eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa & instituantur in eis, etiam post suppressionem & reductionem hujusmodi recipere & illa necnon quæcumque, quotcumque, & qualiacumque alia beneficia ecclesiastica secularia & regularia, quæ singuli eorum ex quibusvis concessionibus & dispensationibus apostolicis in titulum vel commendam obtinent vel expectant, necnon in quibus & ad quæ jus eis & eorum cuilibet quomodolibet competit, ut prius retinere, & quascumque pensiones annuas super quibusvis fructibus, redditibus, & proventibus ecclesiasticis eis assignatas, ut prius, quoad vixerint percipere, necnon quibusvis gratiis, dispensationibus, & indultis apostolicis eis & eorum cuilibet apostolica vel alia quavis auctoritate quomodolibet concessis uti, potiri & gaudere, & beneficia sub eisdem dispensationibus comprehensa similiter recipere & juxta illorum tenorem retinere libere & licite valeant auctoritate & tenore supradictis de speciali dono gratiæ dispensamus, ac omnem ab eisdem monachis inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam per eos præmissorum occasione contractam abolemus, necnon beneficia obtenta & jus hujusmodi propter reductionem prædictam non vacare, ac commendas non cessare, dispensationes, gratias, & indulta hujusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, necnon ea permutandi & commendæ cedendi, ac derogationi omnibusque & singulis aliis in eis contentis clausulis eisdem monachis etiam post reductionem hujusmodi suffragari posse & debere etiam in omnibus & per omnia, perinde ac si reductio prædicta facta non fuisset. Præterea dilectis filiis Bernardino Jabot, & Honorato Matentes, ac Emerico Jacobi, necnon Bernardo de Aleria, Antonio de Pellapullo, Bernardo Jacobi, Hugoni Salvati, Nicolao de Nos monachis dictæ ecclesiæ, ac Bartholomæo Egidi Electensis, & Antonio Dax Carcassonensis, ac Petro de Ponte & Johanni de Hommania, *alias* Moltrant Electensis diœcesis clericis ob vitæ ac morum honestatem aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus ipsorum singuli apud nos fide digno commendantur testimonio, specialem gratiam facere volentes, ipsosque, necnon Guillermum episcopum & capitulum præfatos, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes: necnon omnia & singula beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, quæ singuli monachi & clerici supradicti respective etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtinent & expectant, ac in quibus & ad quæ jus eis quomodolibet competit, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores, ac hujusmodi dispensationum tenores præsentibus pro expressis habentes, decanatum Bernardino, & archidiaconatum Honorato, ac thesaurariam Bartholomæo, & præcentoriam Emerico, necnon cuilibet eorumdem Bernardini, Honorati, Bartholomæi, & Emerici unum ex canonicatibus & unam ex præbendis prædictis; singulis vero ex Bernardo de Aleria, ac Antonio de Pellapullo, ac Bernardo Jacobi, necnon Hugone, & Nicolao, ac Antonio Dax, & Petro ac Johanne præfatis, singulos canonicatus & præbendas sic a primæva eorum erectione hujusmodi apud sedem prædictam vacantes, & de quibus nullus præter nos hac vice disponere potuit, sive potest, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ac quorum singulorum fructus, redditus & proventus viginti quatuor ducatorum auri similium secundum eamdem extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum plenitudine juris canonici, ac omnibus juribus & pertinentiis suis apostolica auctoritate prædicta conferimus, & de illis etiam providemus, decernentes quoad collationem & provisionem prædictas, prout est, si attentatum forsan est hactenus, ac quoad illas necnon alia præmissa exnunc irritum & inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus præmissis, ac priori voluntate nostra prædicta, necnon Lateranensis

concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, & quibusvis aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon fundatione ipsius ecclesiæ Electensis, necnon aliarum ecclesiarum in quibus secularia forsan fuerint, ac monasteriorum seu aliorum regularium locorum in quibus regularia beneficia hujusmodi forsan consistant, seu a quibus dependent, & ejusdem S. Benedicti & aliorum ordinum, quorum ipsa regularia beneficia existant, juramento, confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque & indultis apostolicis illis sub quibuscumque tenoribus & formis & cum quibusvis decretis, concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa mentio, etiamsi dispositive fieri deberet, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de prioratibus hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus habitos per easdem & inde secuta quæcumque ad dictos unitos prioratus volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prioratuum vel beneficiorum aliorum præjudicium generari; seu si pro tempore existenti episcopo Electensi & capitulo præfatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli non possint; quodque de canonicatibus & præbendis ac dignitatibus ejusdem ecclesiæ vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis; seu si monachi & clerici præfati præsentes non fuerint ad præstandum de observandis statutis & consuetudinibus dictæ ecclesiæ solitum juramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem idoneum, & cum ad ecclesiam ipsam accesserint, corporaliter illud præstent. Volumus autem quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prædictas, dicti prioratus uniti debitis propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed eorum congrue supportentur onera consueta, ac quod monachi aliqua irregularitatis nota seu censura forsan irretiti pœnitentiam salutarem per confessores idoneos, quos singuli ipsorum duxerint eligendos, eis pro præmissis injungendam omnino adimplere teneantur: alioquin præsentes litteræ quoad absolutionem hujusmodi nullius sint roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, immutationis, reductionis, institutionis, absolutionis, liberationis, erectionis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, statuti, ordinationis, dispensationis, abolitionis, collationis, provisionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tricesimo primo, quinto-decimo calendas Decembris, pontificatus nostri anno octavo. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios litteras prædictas & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quotiens pro parte episcopi & capituli præfatorum, seu alicujus eorum desuper fueritis requisiti solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciatis auctoritate nostra litteras & in eis contenta quæcumque hujusmodi firmiter observari, ac singulos quos litteræ ipsæ concernunt illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque contra earumdem litterarum tenorem quomodolibet molestari, necnon Bernardinum recepto ab eo nostro & Romanæ ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solito juramento juxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam in decanatus, & Honoratum in archidiaconatus, ac Bartholomæum in thesaurariæ, necnon Emericum in præcentoriæ, eosdemque Bernardinum, Honoratum, Bartholomæum & Emericum, ac singulos alios monachos, & clericos præfatos in canonicatuum & præbendarum per nos eis respective collatorum, juriumque & pertinentiarum prædictorum corporalem possessionem respective inducatis, & defendatis in dictis, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, facientes eos & eorum singulos ad præbendas hujusmodi in dicta ecclesia Electensi in canonicos recipi & in fratres, stallo eis & eorum cuilibet in choro & loco in capitulo ejusdem ecclesiæ Electensis cum dicti juris plenitudine assignatis, ac eosdem Bernardinum ad decanatum, necnon Honoratum ad archidiaconatum, ac Bartholomæum ad thesaurariam, & Emericum ad præcentoriam hujusmodi, ut est moris, admitti; eisdemque Bernardino de decanatus, & Honorato de archidiaconatus, ac Bartholomæo de thesaurariæ, & Emerico de præcentoriæ, ac illis necnon aliis prædictis, quibus canonicatus & præbendas hujusmodi contulimus, de illorum fructibus, redditibus, & proventibus ac obventionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, non obstantibus omnibus supradictis, aut si episcopo pro tempore existenti & capitulo præfatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit, per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tricesimo primo, quintodecimo calendas Decembris, pontificatus nostri anno octavo. M. De Bracciis.

Publicata fuit & executioni demandata hæc bulla anno 1532. die 1. Octobris per officialem Carcassonensem.



INSTRUMENTA ECCLESIÆ BITERRENSIS.

I.

Ex chart. Biterr.

Donum Reginardi episcopi factum ecclesiæ Biterrensi.

933. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ tam præsentibus quam futuris, quia nos Teudo & Odo vicecomites, Ildegarius, Johannes sacerdotes, & Walcharius, qui sumus elemosynarii quondam domni Reginardi episcopi Biterrensis ecclesiæ S. Nazarii. Certum quidem & manifestum est, quia nobis injunxit vel commendavit quondam Reginardus episcopus per suum wadium, quando ad obitum mortis venit ad extrema voluntate, unde & postea sua voluntate numquam mutavit, ut nos simul in unum supra nominati elemosynarii, ut nos scripturam legalem faciamus ad canonicos S. Nazarii, sicuti & facimus, ac legitime manibus tradimus in regno Septimaniæ, in comitatu Biterrensi S. Petrum a Pullo cum suo terminio, & cum ipso bosco, & cum ipso molino cum ipsa reclausa, & cum ipsa piscatoria, & cum ipsas insolas, & quantum ibidem ad pertinendum est, id est in ecclesia S. Petri in sacris, secretariis, cimeteriis, in domibus, in casis, casalatiis, in curtis, in oglatis, in arboribus, in terris, in vineis, in pratis, in pascuis, silvis, garricis, aquis, aquarumve decursibus earum omnia & in omnibus sic donamus & tradimus ad canonicos S. Nazarii : & in terminio de villa Pelignano, in loco quem vocant *Suricarias*, donamus ad canonicos S. Nazarii ipsum clausum qui fuit Gisllanæ, qui sunt modiatas IX. Ista omnia superius scripta, & in omnibus tam quæsitum quam inquirendum, rusticum & urbanum, vel de qualicumque attractu sic donamus propter remedium animæ Reginardi episcopi qui fuit quondam in tali tenore, ut ipsi canonici S. Nazarii in stipendia habeant quæ ibidem hodie sunt, & successores illorum omni tempore commune habeant, teneant, & possideant. Si quis vero ab hac hora & deinceps fuerit, si nos, aut ullus de hæredibus nostris, aut ullus episcopus, aut aliqua apposita persona qui contra hanc donationem Deo & canonicis S. Nazarii abstollere voluerit, quod repetit non vindicet : & qui hoc fecerit, omnia superius scripta revertere faciat ad parentes Reginardi episcopi qui fuit quondam, & insuper cui litem intulerit, dupla & meliorata restituat, & sua repetitio nihil valeat. Quod qui fecerit, omnes maledictiones veteris ac novi testamenti, & omnia vincula anathematis, & omnis gladius diaboli, & omnis pœna inferni, & omnia tormenta & potestas tenebrarum maneat super illum, & numquam sit solutus ad diem judicii, & sit damnatus ante faciem Domini, & in sorte satanæ sit relegatus, nisi resipuerit. Facta charta donationis, traditionis XIV. calendas Aprilis anno quarto regnante Radulfo rege post obitum Caroli regis. Signum Theudoni vicecomitis. Signum Odonis vicecomitis, qui hanc traditione vel donatione fecimus, & testes firmare rogavimus. Signum Leutevardus. Signum Gairondus, Ildegarius presbyter, Walcharius, Pontius presbyter. Ego Dido.

II.

Ex chart. S. Jacobi Biterr.

Instrumentum exsecutorum testamenti Reginardi vicecomitis Biterrensis.

969. IN nomine Domini. Ego Barnardus episcopus Biterrensis, & Garsindis vicecomitissa, & Barnardus abba, necnon & Alcharius, & Rodulphus presbyter, qui sumus helemosinarii Reginardi vicecomitis qui fuit quondam, & injunxit vel commendavit nobis per suum vadium, ut chartam donationis fecissemus ad ecclesiam S. Nazarii sedis Biterrensis, & ad ecclesiam S. Jacobi, ubi corpus ejus requiescit, propter remedium animæ suæ : & ideo nos supra nominati helemosinarii donatores sumus Domino Deo & ad jam prædictas ecclesias in regno Septimaniæ in vicecomitatu Biterrensi villam vocabulo *Luco* totum & ab integrum cum omni suo terminio & cum ipsa ecclesia, quæ ibidem est fundata in honore S. Martini, cum decimis, & primitiis, & cum omni suo ecclesiastico & villare, quæ vocant *Munbriago* cum omni suo terminio : ista omnia superius scripta, idest, in ecclesiis, domibus, curtis, ortis, ortalibus, vineis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, garriciis, arboribus pomiferis, aquis, aquarumve reductibus earum omnia & in omnibus tam quæsitum quam & inquirendum cum omni fundo possessionis donamus nos helemosynarii Domino Deo & S. Nazario sedis Biterrensis & S. Jacobo, ubi corpus ejus requiescit, propter animæ ipsius remedium Reginardi, ut ei Dominus propitiare dignetur, & collocare animam ejus inter agmina sanctorum. Et ideo hanc oblationem vel donationem superius scriptam donamus vel tradimus, atque transfundimus in potestatem de ipsis ecclesiis, ut ab hodierno die & tempore habeant, teneant, & possideant, & rectores ipsarum ecclesiarum, necnon & successores eorum usque in secula seculorum. Si quis contra hanc donationem pro inrumpendum venerit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat, & cum Dathan & Abiron particeps fiat, & cum traditore in infernum descendat, & omnes maledictiones veteris ac novi testamenti super eum veniant, & numquam sit absolutus, & insuper componat ad præfatas ecclesias ista omnia superius scripta dupla & meliorata, & inantea donatio ista firma & stabilis permaneat omni tempore. Facta donatio ista anno Verbi Incarnati DCCCC. LXIX. indictione XII. sub die X. calend. Novembris anno 17. regnante Leuterio rege. ✠ Barnardus episcopus S. S. Garsindus vicecomitissa. ✠ Barnardus aba. S. Alcharius. S. Rodulphus presbyter helemosinarii Riginardi vicecomitis nos donatione ista fecimus & firmavimus & firmare rogavimus. S. Guillelmus vicecomes, qui voluit, & consensit, tradidit, atque transfundit. S. Boso qui voluit, & consensit, tradidit, atque transfundit. S. Volveradus. S. Rogerius. S. Aldo. S. Ermengaudis. S. Teudisclus. S. Witardus. . . . . presbyter qui hanc chartam donationis scripsit sub die & anno quod supra.

III.

Ex archiv. Juncell.

Bulla Gregorii papæ VII. pro monasterio S. Petri Juncellensis.

Post an. 1073.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio . . . . abbati monasterii S. Petri Juncellensis constituti in loco qui dicitur *Lunate*, suisque successoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum. Supernæ miserationis respectu ad hoc universalis ecclesiæ curam suscepimus, & apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis assueta benignitate faveamus, & libramine æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum Deo juvante possumus, subvenire debeamus. Proinde juxta petitionem tuam præfatum monasterium de Juncellis, cui tu præesse dignosceris, in tutela & deffensione sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis suscipimus,

suscipimus, & ab omni sæculari dominatione liberum semper esse decernimus, cui hujusmodi privilegio præsenti, authoritatisque nostræ decreto indulgemus, concedimus, & firmamus statuentes nullum regum vel imperatorum, antistitem nullum quacumque dignitate præditum, vel quemquam alium audere de iis, quæ eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum Deo miserante collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere, vel auferre, & sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis de causis pro suæ avaritiæ excusatione concedere, sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a te, quam ab eis, qui tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata & sine inquietudine volumus possideri: eorum quidem usibus, pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Item constituimus ut obeunte te non alius ibi cujuscumque obreptionis astutia sive per investituram sive per sæcularem potestatem ordinetur, nisi quem religiosi fratres ejusdem cœnobii cum communi consensu secundum timorem Dei elegerint de eadem congregatione, si idoneus inventus fuerit. Quod si talis, qui huic regimini congruat, inter eos inveniri non posset, cum consilio religiosorum virorum aliunde sibi patrem & magistrum expetant: ordinandum vero ab episcopo in cujus diœcesi monasterium vestrum constitutum est, nisi forte ipsum ab apostolica sede interdictum esse claruerit, qui quandiu in eadem interdictione seu rebellione remanserit, nulla sibi a vobis obedientia exhibeatur. Quod si aliquis episcoporum, seu quælibet ecclesiastica vel sæcularis persona monasterium vestrum gravare præsumpserit, abbas & fratres ejusdem loci libere apostolicam sedem appellent. Hoc quoque præsenti capitulo subjungimus, ut vestrum monasterium, & abbates ejus vel monachi ab omni sæcularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti, in religionis observatione seduli atque quieti permaneant. Hæc igitur omnia quæ in hujus præcepti decretive pagina nostri continentur in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, imperatorum, sacerdotum, clericorum, judicum, ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam ignorans contra eam temerario ausu venire tentaverit, admonitus semel & iterum usque tertio per convenientes inducias, si non resipuerit, atque prædictæ ecclesiæ vestræ non satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & nisi quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicita acta defleverit, a sanctissimo corpore ac sanguine redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat. Cunctis autem eidem loco vestro justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

IV.

Ex archivis B. M. de Cassiano.

Notitia fundationis celebris asceterii canonicorum Regularium B. Mariæ de Cassiano, vulgo Cassan.

1080.

IN nomine Domini. Ego Willelmus Alcherius & uxor mea Maria cum infantibus nostris, nos simul in unum donamus, reddimus & laxamus ad proprium alaudem Domino Jesu-Christo, & gloriosæ ejus genitrici semper virgini Mariæ, ipsam ecclesiam de Cassiano, quæ est fundata in honore ejusdem B. Mariæ, & in libertate in perpetuum dimittimus eam canonicis ibidem servientibus, pro remissione peccatorum nostrorum, & remedio animarum nostrarum. Et nos ipsi prescripti Willelmus Alcherius & Maria similiter donamus, reddimus & laxamus ipsum alaudem qui est infra terminos, quos ego Willelmus terminavi, & in præsentia bonorum hominum ego ipse monstravi, & pedibus meis pedavi. Et si de canonico ordine locus ipse fuerit vacuatus ex toto, dico ego Willelmus quod ego aut posteritas mea ponat XII. denarios super altare sanctæ Mariæ, & recuperet dictum alaudem in propria potestate. Facta est charta donationis sive libertatis & redditionis hujus sicut prescriptum est in præsentia Framaldi Romanæ ecclesiæ cardinalis, & Biterrensis ecclesiæ præpositi & archidiaconi, Willelmi Pontii, & Pontii Bernardi, & fidelium laïcorum Petri de Fezano, & Berengerii, & Arnaldi fratris sui, & Petri Alcherii de Margone, & Giraldi Bernardi, & Bernardi de Gabiano, & Deusdet de Corneliano, & Emenonis, & Arnaldi Stephani, & Raynaldi, & Pontii Raynulphi de Pareys, & aliorum bonorum hominum. Factum est hoc firmamentum libertatis feria quinta IV. idus Martii anno Dominicæ Incarnationis MLXXX. regnante rege Philippo Augusto. Quod si homo vel fœmina per peccata sua turbatus evacuare voluerit hanc donationem, & perturbare, sive infringere, aut disrumpere, nisi satisfecerit, maledicat eum Deus desuper, vagus & profugus tribulationem & dolorem inveniat, & fiat ut stercus terræ, & sicut Dathan & Abiron absorbeat eum terra, & sicut Pharao submersus est in medio mari, sic ille vel illa, qui hoc fecerit, si in peccatis suis perduraverit, confusus & maledictus demergatur in profundum inferni, & sine remedio pereat in sæculum sæculi. Fiat, fiat. Signum Willelmi Alcherii & uxoris ejus Mariæ, qui istam chartam firmaverunt & firmare rogaverunt. Bernardus præsbyter scripsit.

V.

Ex archivis Cassiani.

Dotatio cœnobii S. Mariæ de Cassiano, & institutis in eo canonicis factæ donationes.

1083.

IN nomine Domini. Ego Willelmus Alcherii, & uxor mea Maria, & infantes nostri Alcherius & Arnaldus, & filia nostra Corneliana, nos simul in unum bono animo & spontanea voluntate vendimus, & omnem securitatem facimus, & de nostro dominio tradimus delibere in potestate vestra, cum omni fundo & voce possessionis nostræ vobis canonicis sanctæ Mariæ de Cassiano, Petro priori, Victori, Richardo, Stephano, Willelmo, atque Berengario, tam vobis præsentibus quam etiam & futuris, omnem alaudem nostrum totum & ab integrum quem habemus & habere debemus in Cassiano, & in ejus toto terminio, sive in tota parochia de jam dicta ecclesia sanctæ Mariæ de Cassiano; id est ipsam ecclesiam totam cum omnibus decimis, & primitiis, & aliis quæ ad ipsam ecclesiam pertinent & pertinere debent, scilicet cum vineis, terris, cultis & incultis, pratis, pascuis, rivis, puteis, aquis, aquæductibus & reductibus earum, garricis, silvis, olivetis, cum omnibus arboribus pomiferis & impomiferis, montibus atque vallibus, hortis, hortalibus, villulis, casis, casalibus, bordariis, mansis, cum exeis & regressibus suis, tam quæsitum quam atquirendum, tam rusticum quam urbanum, omnia & in omnibus, cum quantumcumque ad ipsam ecclesiam & ad ipsum alaudum præscriptum pertinet & pertinere debet, per qualemcumque vocem & rationem, & cum quantumcumque præscripti venditores habemus & habere debemus in ipso alaude, ubicumque sit ipsum alaudium, aut homo, aut fœmina per nos, & in ipsa ecclesia sanctæ Mariæ de Cassiano, quæ ibi hodie est & inantea erit, & in ipsis decimis totis & premitiis, cum toto honore ecclesiastico, quæ sunt infra terminos de tota parrochia ecclesiæ sanctæ Mariæ præscriptæ de Cassiano. Sic vendimus vobis canonicis præscriptis tam præsentibus quam & futuris, ut habeatis ad proprium alaudem perhabendum, teneatis, & possideatis cum omni securitate: & iste alaudis præscriptus advenit ad me Maria de matre mea Aimelde, & de fratribus meis Stephano, & Petro de Robiano. Et ego Raimundus Arnaldi dono Domino Deo & sanctæ Mariæ

de Cassiano, & canonicis præscriptis & futuris totum & ab integrum quantumcumque ego Raimundus Arnaldi, aut homo aut fœmina per me, habemus per fevum in ipso alaude de Cassiano, vel habere debemus pro qualicumque voce & ratione, & hunc alaudem præscriptum ab ipsa ecclesia præscripta, & cum omni honore, qui ad ipsam ecclesiam pertinet & pertinere debet, comparaverunt canonici præscripti de præscriptis venditoribus solidos centum denariorum monetæ rectæ de Biterris, & ipsos solidos centum dedit Pontius Raynulphus Domino Deo & sanctæ Mariæ pro remedio animæ suæ & parentum suorum. De repetitione autem dicimus nos præscripti venditores, quod si nos aut infantes nostri, aut aliquis de hæredibus nostris contra hanc chartam venditionis istius pro irrumpendum venerit, quod requirit non vendicet. Venditio ista firma & stabilis permaneat omni tempore. Quod si episcopus, vel aliqua quæcumque persona, contra hanc venditionem venire tentaverit, vel inquietare voluerit per qualemcumque ingenium hanc venditionem, ego Willelmus Alcherius præscriptus adjutor ero ad recuperandum jam dictum alaudem Domino Deo & sanctæ Mariæ de Cassiano, & clericis ejusdem loci sine inganno. Insuper veniant super omnes homines & fœminas qui contra hanc venditionem pro irrumpendum venerint omnes maledictiones novi & veteris testamenti, & fiat particeps cum Juda traditore qui Dominum tradidit Judæis, & pereant memoriæ eorum de terra. Facta est hæc charta XI. kal. Julii anno MLXXXIII. verbi Dei, regnante rege Philippo. Signum Willelmi Alcherii & uxor ejus Maria, & infantes eorum Alcherius, & Arnaldus, & Corneliana, qui istam chartam fieri fecerunt, & firmaverunt, atque firmare rogaverunt. S. Raimundi Arnaldi, qui ipsum donum præscriptum firmavit ab ipsa venditione. S. Petri Arnaldi, & Deusdet, & Arnaldi Stephani. S. Pontii Rainulphi de Parietis. S. Willelmi Pontii, & Geraldi nepotis sui, seu cæterorum bonorum hominum. Bernardus Segarii scripsit.

VI.

Ex archiv. Cassiani.

Divisionale seu testamentum Petri Ermengaudi de Pozolas factum pro Cassiano.

1088.

IN nomine Domini. Hoc est testamentum vel divisionale quod fecit Petrus Ermengaudus de Pozolas, dum bene memoratus jacebat in lectulo suo. Divisit & donavit Domino Deo, & sanctæ Mariæ de Cassiano, & canonicis ejusdem loci propter remedium animæ suæ vel parentum suorum totam ecclesiam de Calobris, totum & ab integrum quantumcumque habebat vel habere debebat cum ipso suo toto decimo, & cum suo toto priverile, & cum quantumcumque ad ipsam ecclesiam jam dictam pertinet, & pertinere debet; & divisit ad uxorem suam totam aliam honorem suam, quamdiu in viduitate steterit sine blandimento de suis filiis; & divisit ad Raimundum filium suum ipsam totam honorem, quem Astrebaldus & Ermengaudus Bellonus habebant de ipso jam dicto Petro, & totam medietatem de ipsa ecclesia sancti Martini de Grazano, quæ est parrochia de Castello de Pozolas, cum ipsa medietate de ipso decimo, & cum ipsa medietate de ipsa honore ecclesiastica, quæ ad ipsam jam dictam ecclesiam pertinet vel pertinere debet, & totam honorem de Molinas, si mater sua voluerit. Castellum autem de Pozolas, & aliam suam totam honorem divisit ad Bernardum filium suum in tali convenientia, quod si unus de istis duobus fratribus jam dictis mortuus fuerit sine infante legitimo, revertat jam dicta honor ad alium, & si ambo mortui fuerint sine infante legitimo, revertat jam dicta honor ad sororem illorum, id est ad uxorem Guillelmi Pontii, & si soror eorum mortua fuerit sine infante legitimo, revertat jam dicta honor ad Petrum Alcherii de Margone; & istam honorem jam dictam totam cum filiis suis misit in gardam & in bailliam ad Rotmundum de Felgarias; & si uxor jam dicti Petri Ermengaudi in viduitate non steterit, aut mortua fuerit, teneat Rotmundus jam dictus Bernardum jam dictum in baillia cum sua tota honore, usque habeat Bernardus triginta annos. Factum est hoc testamentum vel divisionale VIII. idus Maii feria secunda anno verbi Domini MLXXXVIII. regnante Philippo rege. S. Petri Ermengaudi jam dictum qui hoc testamentum vel divisionale fecit, firmavit & laudavit. S. Madfredi Biterrensis episcopi. S. Petri prioris sanctæ Mariæ de Cassiano, & Berengarii canonici ejusdem loci. S. Rotmundi jam dicti de Felgarias. Petrus scripsit.

VII.

Ex chart. Biterr.

Matfredus Biterrensis episcopus præpositatum donat canonicis suis, ut in communi vivant.

1092.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego Matfredus etsi indignus S. Nazarii sedis Biterrensis episcopus animadvertens & in corde meo considerans destructionem canonicæ S. Nazarii olim factam ab antecessoribus meis episcopis, & detrimentum ipsius ecclesiæ, qualiter ipsi canonici circumvagantes per propria, non frequentant, ut decet, divina mysteria, nec curant ecclesiastica negotia, quia non habent unde communiter vivant in canonica, ad honorem Dei omnipotentis & S. Mariæ matris ejus atque sanctorum martyrum Nazarii & Celsi, & omnium sanctorum Dei, dono ipsum præpositatum S. Nazarii, hoc est ipsum honorem totum & ab integrum, qui dicitur præpositatus & sacristia, qui fuit de Guillelmo præposito & antecessoribus suis præpositis, sicut ipse Guillelmus umquam melius habuit & habere debuit, & habere visus est, vel antecessores sui, totum & ab integrum cum decimis & primitiis, cum omnibus ecclesiis & ecclesiasticis vigiliis, & cemeteriis, terris & vineis, usaticis & censis, & cum omnibus mansis; hoc est ipsum mansum, qui fuit de ipso præposito Guillelmo prope de S. Felice, ubi est puteus & ulmus, quem ego Matfredus episcopus dedi ad Raimundum Sigarium in vita sua tantum, ut post mortem suam delibere revertat in dominio ad illum qui habebit ipsum honorem, qui dicitur præpositatus & sacristia; & ipsum mansum qui est juxta istum de Hugone archidiacono, quem ego similiter dedi ad ipsum Ugonem in vita sua tantum per eamdem convenientiam; & ipsum mansum qui est similiter juxta ipsum præscriptum mansum, quem Ademarus de Burano & Sigarius frater suus interpellant; & ipsum mansum qui est prope istos, ubi Bernardus Martinus habitat; & ipsum mansum qui est juxta istum qui fuit de Petro Ricardo clerico cum ipso amajoramento, quod factum est retro usque in ipso cemeterio, quod ego dedi ad Guitardum clericum in vita sua tantum per eandem convenientiam, sicut ad archidiaconum & ad Raimundum; & ipsum mansum ubi habitat Rogerius Coriarius, qui est juxta ipsum suprascriptum mansum de Raimundo Sigario; & ipsos duos campos qui sunt de hoc ipso honore præpositatus, quos ego dedi ad Guitardum vicarium in vita sua tantum per suprascriptam convenientiam de archidiacono & Raimundo & Guitardo, & unus de istis campis est juxta villam de Pilignano, & alius campus est ad locum quem vocant Areim, cum omnibus istis & aliis mansis, & cum istis & omnibus aliis campis, cum omnibus terris & vineis, cultis & incultis, cum omnibus heremis & condirectis, & cum omnibus quæ ad ipsum honorem, qui dicitur præpositatus & sacristia, pertinent & pertinere debent & pertinere videntur, & cum ipso honore toto dicto sacristia minore, sicut Petrus Rodgerius melius habet, & habere debet, & habere videtur, tali convenientia, quod ipse Petrus Rodgerius habeat & teneat ipsam sacristiam in vita sua quamdiu tenere voluerit optime & honorate, sicut nunc habet totam &

ab integram cum omnibus ecclesiis, quas ego dedi ei, hoc est dicto S. Felice & S. Maria Magdalene, & S. Andrea, & S. Saturnino, & S. Juliano, exceptus ipsa feudo de Rainaldo clerico, & post mortem suam delibere revertat ad ipsos canonicos vel clericos S. Nazarii communiter in dominio. Hæc omnia superius scripta dono & laudo, transfundo & trado ego Matfredus episcopus, sicut supra scriptum est ad clericos vocatos canonicos S. Nazarii, qui hodie ibi sunt, & inantea erunt, ut habeant communiter in stipendia clericorum & elemosynas pauperum, ut semper habeant ipsi clerici S. Nazarii præsentes & futuri in communia ad augmentum victus sui, ut per totum annum communiter vivant, & pauperes inde gaudeant, & ad ecclesiam plenius & devotius quam solent occurrant, & pro vivis & defunctis, sicut mos postulat ecclesiasticus, exorent, & ipsi, qui se ob ratione victus sui se excusant, coram Domino & hominibus inexcusabiles fiant, & in toto isto honore supra scripto non possit aliquis canonicus vel clericus S. Nazarii aliquod incombium mittere ad damnum de ipsa communia, nec aliquid tollere vel alienare de ipsa commuia. Dono etiam ad ipsos clericos S. Nazarii præsentes & futuros in communia ipsum mansum, qui fuit de Pontio Bernardo canonico, qui tenet se cum ipsa canonica & cum exitio & regressio suo, & cum ipsa porta nova, quæ exit ad murum ad faciendum coquinam, aut quod eis placuerit. Quod si aliquis successor meus episcopus, aut ullus clericus, aut ulla potestas, aut ullus homo vel fœmina voluerit tollere de ipsa communia istum honorem supra scriptum, aut ipsum mansum supra scriptum, aut aliquid de toto isto honore supra scripto ad augmentum victus sui, non liceat ei facere, sed dupla & meliorata ad ipsos clericos supra scriptos S. Nazarii restituat, & inantea ista charta, & hoc donum firmum & stabile permaneat omni tempore: & ille præsumptuosus invasor, qui hoc transgressus fuerit, aut hujus rei, quod Deus avertat, sacrilegus invasor extiterit, iram Dei omnipotentis incurrat, & omnes maledictiones veteris & novi testamenti super eum veniant, absorbeat eum terra, sicut absorbuit Dathan & Abiron, & de potestate mihi peccatori a Domino collata excommunicatus & anathematizatus irrecuperabiliter permaneat, & in inferno Judæ traditoris particeps fiat, sitque anathema maranatha, donec de tanta præsumptione Domino & sanctis suis supra scriptis Nazario & Celso & clericis suis supra scriptis satisfaciat. Facta est autem charta doni istius feria tertia quæ est quarto idus Februarii anno Incarnationis Domini nostri Jesu-Christi millesimo nonagesimo secundo, regnante Philippo rege in Francis. ✠ Signum Matfredi episcopi, qui hoc donum supra scriptum feci, & istam scripturam fieri feci, & istam chartam laudavi & firmavi in manu clericorum S. Nazarii, videlicet Hugonis archidiaconi, Bernardi cantoris, Petri abbatis S. Afrodisii, Stephani prioris S. Jacobi, Ermengaudi, Raimundi Sigarii, Emenonis, Petri sacristæ, Guillelmi Pontii, Raimundi Fulconis, Pontii Sigarii, Raimundi Amblardi, Arnaldi Guitardi, Bernardi Sigarii. ✠ Ego Matfredus episcopus firmavi, & testes firmare rogavi. ✠ Signum Petri Theudaldi prioris de Cassiano. ✠ Signum Bernardi sacristæ S. Aphrodisii. ✠ Signum Sicfredi capitis scholarum S. Aphrodisii. S. Arberti abbatis de S. Martino de Villamagna. S. Geraldi episcopi Biterrensis, qui hoc donum & hanc chartam laudo & firmo.

VIII.

Ex archiv. Cassiani.

Charta dedicationis ecclesiæ B. Mariæ de Cassiano.

1115.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXV. II. non. Octobr. congregata innumera multitudine sexus utriusque apud villam Cassiani, omnipotentis ac benignissimi Dei annuente clementia consecrata est ejusdem loci ecclesia, cui consecrationi interfuerunt archiepiscopi, sive episcopi Ricardus Narbonensis archiepiscopus, & Ato Arelatensis archiepiscopus, & Arnaldus episcopus Biterrensis, & Gualterus Magalonensis episcopus, & Raimundus episcopus Barbastensis, & Bernardus Agathensis episcopus, & Johannes episcopus Nemausensis, & Arnaldus Carcassonensis episcopus. Authore ergo Deo & Domino nostro Jesu-Christo consecraverunt ipsam ecclesiam & altare majus in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ perpetuæ virginis, sanctique Johannis-Baptistæ. Altare vero S. Michaëlis consecravit prædictus Barbastensis episcopus in honore & memoria ipsius beatissimi archangeli & beati Augustini: alterum quoque præfatus Magalonensis episcopus in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli, Andreæ & Jacobi, & S. Fidis virginis, in cujus festivitate hæc dedicatio celebratur. Præterea hæ sunt reliquiæ quæ in altari B. Mariæ continentur, de ligno Dominicæ crucis, de spongia, &c.

IX.

Ex tabul. Juncell.

Epistola Arnaldi archiepiscopi Narbonensis, qua notum facit in synodo absolutam fuisse abbatiam Juncellensem a dominatione & jurisdictione ecclesiæ Psalmodiensis.

Post an. 1121. ante 1129.

ADei gratia Narbonensium archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus omnibus orthodoxis tam clericis quam laïcis salutem & apostolicam benedictionem. Quia ex injuncto nobis officio debemus lites ecclesiasticarum personarum decidere aut saltem minuere, ideo omnibus audientibus volumus notum facere querimoniam P. abbatis in B. Juncellensem abbatem super Juncellensi monasterio jam dudum versatam ante me tunc temporis Biterrensem episcopum pervenisse. Loco itaque & tempore ambo prædicti abbates cum magna parte monachorum suorum, tam religiosissimorum episcoporum & abbatum, quam sapientum virorum clericorum & laïcorum optime muniti consilio, præsentiam suam coram nobis exhibuerunt, considentibus nobiscum R. prædecessore nostro, & A. Arelatensi bonæ memoriæ archiepiscopis, Carcassonensi quoque, Agathensi & Cavillonensi venerabilibus episcopis, & S. Pontii, S. Victoriani, legatis etiam S. Guillelmi & S. Tiberii, necnon Villæ-magnæ religiosissimis abbatibus, utriusque partis allegationes audivimus, & instrumenta vidimus. Psalmodienses namque monasterium Juncellense sibi vendicabant, producentes sola sine possessione aliqua præcepta regalia quibus continebatur prædictam ecclesiam suo monasterio quondam fuisse collatam. Item protendebant & bonæ recordationis P. Paschalis privilegium, in quo prædictum monasterium inter alias ecclesias Psalmodiensi monasterio pertinentes tantum erat adnotatum. Juncellenses vero fidei prædictorum præceptorum multis modis derogantes, ab exordio fundationis monasterii prædicti liberam ac inconcussam possessionem prætendebant, & eandem regalium præceptorum authoritatibus christianissimorum principum Pipini & Caroli, amplius etiam privilegiis gloriosæ memoriæ Gregorii & Paschalis, quæ assistentibus authentica videbantur, muniebant. Examinatis igitur diligenter utriusque partis allegationibus pro Juncellensibus in Psalmodienses unam & consonam omnium consilio sententiam promulgandam cognovimus: reverentia tamen Romanorum privilegiorum inconsulto summo pontifice causam terminare noluimus. Vestris igitur auribus hæc intimamus, ut omnes hæc audientes ita hæc facta fuisse indubitanter credatis.

X.

Ex chart. Juncell.

1135.

Bulla Innocentii II. pro abbatia Juncellensi.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Berengario abbati monasterii B. Petri Juncellensis ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Cum omnibus ecclesiis & ecclesiasticis personis debitores ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio existamus, illis tamen propensiori cura nos convenit imminere, quæ ad jus B. Petri specialius pertinere noscuntur. Quapropter, dilecte in Domino fili Berengari abbas, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Juncellense beati Petri apostoli monasterium ad exemplum prædecessorum nostrorum Gregorii VII. & Paschalis II. recolendæ memoriæ Romanorum pontificum, sub apostolicæ sedis tutela & protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste & legitime possidet, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis nominibus adnotanda subjunximus. In ipsa villa Juncellensi ecclesias S. Felicis, S. Michaëlis, & S. Saturnini. In Biterrensi episcopatu ecclesiam S. Johannis de Silias, ecclesiam S. Petri de Rovinacco, ecclesiam S. Martini de Avena, ecclesiam S. Mariæ de Altiniaco, ecclesiam S. Dalmatii de Telnodaz, ecclesiam S. Salvatoris de Rocca-rotunda, ecclesiam S. Nicolai, ecclesiam S. Saturnini de Canaonas, ecclesiam S. Bartholomæi de Arnosia, ecclesiam S. Juliani de Fellinas, ecclesiam S. Petri de Dransthilag, ecclesiam S. Mariæ de Anisa, ecclesiam S. Stephani de Diano, ecclesiam S. Urici de Bezet, ecclesiam S. Mariæ de Frangolia, ecclesiam S. Petri de Bruculo, ecclesiam S. Salvatoris de Podio, ecclesiam S. Susannæ de Barzac. In Rutenensi episcopatu ecclesiam S. Martini de Canals, ecclesiam S. Juliani de Moleiras, ecclesiam S. Christophori de Druria, ecclesiam S. Mariæ de Tauriaco. In Agathensi episcopatu ecclesiam S. Mariæ de Nataliono, ecclesiam S. Ceciliæ de Lopiano. In episcopatu Lutevensi ecclesiam S. Mariæ de Pruneto. Decimas sane & alia jura, quæ usque ad hæc tempora quiete ac legitime tenuistis, libere & absque alicujus contradictione vobis habenda & possidenda perpetuo jure concedimus & firmamus, & ut neque ab episcopo, neque ab alio super his quælibet vobis imminutio aut violentia inferatur, apostolica authoritate sancimus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus inibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel pars consilii sanioris secundum Dei timorem & B. Benedicti regulam de eadem congregatione, si idoneus inventus fuerit, providerint eligendum. Quod si in eodem cœnobio persona ad hoc regimen exequendum conveniens inveniri non potuerit, liceat prædictis fratribus de alio monasterio sibi abbatem eligere. Electus autem a diœcesano consecretur episcopo, si quidem hoc ipsum absque pravitate & exactione aliqua voluerit exhibere; alioquin catholicum, quem malueritis, adeatis antistitem, qui nimirum fultus authoritate sedis apostolicæ, quod postulatur indulgeat. Hoc quoque præsenti capitulo duximus addendum, ut ipsum monasterium, & abbates, vel monachi ab omni sæcularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti, in sancta conversatione & religionis observantia Domino servientes. Quod si aliquis episcoporum, seu quælibet ecclesiastica sæcularisve persona monasterium vestrum in rebus aut personis gravare præsumpserit, abbas & fratres ejusdem loci libere apostolicam sedem appellent. Nulli ergo omnino hominum fas sit præfatum cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliis locis quasi piis de causis concedere, sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Ad indicium autem perceptæ hujus a Romana ecclesia libertatis, bisantium unum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si quis igitur Regum, Imperatorum, Ducum, Comitum, Principum, seu Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundove tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem prædicto cœnobio sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus SS.
Ego Chrysogonus diac. card. S. Mariæ in Porticu SS.
Datum Pisis per manum Almerici S. Rom. ecclesiæ diaconi card. & cancellarii VI. idus Junii. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXV. indictione XIII. pontificatus vero domini Innocentii papæ II. anno VI.

XI.

Ex tabul. Juncell.

1139.

Bulla Innocentii papæ II. pro monasterio Juncellensi.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Guillelmo abbati S. Petri Juncellensis ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Jurgantium controversias deffinitiva sententia vel per concordiam terminare apostolicæ convenit dignitati, & ne lites extendantur in infinitum, sed potius conquiescant, attenta vigilantia providere. Hoc nimirum intuitu, dilecte in Domino fili Guillelme abbas, concordiam, quæ inter te & Psalmodiensem abbatem ac fratres ejusdem utriusque partis assensu in nostro Lateranensi palatio facta est rationabili studio venerabilium fratrum nostrorum Guillelmi Nemausensis, Everardi Uzeticensis episcoporum, necnon Petri S. Ægidii, & Petri Massiliensis abbatum præsentis scripti pagina confirmamus, & ratam atque inconcussam manere futuris temporibus decernentes, præfato abbati ejusque fratribus de subjectione, vel aliis, quæ sibi in vestro monasterio vendicabant, perpetuum silentium præsenti sanctione imponimus statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona prædictum Juncellense monasterium hodie juste & canonice possidet, aut inantea concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Domino propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata consistant. In quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda, &c. *ut supra.* Datum Laterani per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii calend. Maii indictione II. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXIX. pontificatus vero domini Innocenti papæ II. anno X.

Exstant in eodem tabulario duæ aliæ bullæ ejusdem prorsus stili ac tenoris, una Lucii papæ III. ad Deodatum abbatem anni 1184. altera vero Clementis IV. an. 1267. ad Juncellenses.

XII.

Ex tabul. Biterr.

Notitia constructionis hospitalis Jerosolymitani in civitate Biterrensi.

Edita est tom. 1. Anecdot. pag. 406.

1148.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXLVIII. quinto calendas Decembris Lodovico Francorum rege regnante. In nomine Dei omnipotentis, ego Breymundus Biterrensis episcopus cum consilio canonicorum S. Nazarii, videlicet Hugonis archidiaconi, & Maurini sacristæ, & Pontii archidiaconi, & Deodati de Autunaco, & aliorum canonicorum omnium dono & trado sanctæ domui hospitalis Jerusalem in perpetuum unam capellam, ecclesiam scilicet S. Saturnini, quæ est extra villam Biterris, salva obedientia & reverentia ecclesiæ S. Nazarii sedis Biterrensis, ut fratres dictæ domus decentius possent ibi manere, & honestius recipi, ac divinum officium audire. Et quia cuique jus suum volumus salvari, antiquam consuetudinem tenendo, alterius ecclesiæ parrochia eos non recipiat sine consilio Biterrensis episcopi & canonicorum sedis Biterrensis, nec faciant ibi cemeterium, neque tribuant ibi pœnitentiam, nec corpus Domini, nisi ipsisimet confratribus scilicet hospitalis Jerusalem, vel eorum familiæ, nec faciant ibi sepulturam, nisi illis qui in sanitate sua relicto proprio prædictæ domui se contulerint, & crucem jam portaverint, nec ibi dicant missam majorem, nisi in festo sancti Saturnini, nec officium ibi fiat in die Parasceve, nec crux ibi adoretur, nec baptismus ibi fiat, nec nubentes ibi conjungantur, nec mulieribus post partum e lecto surgentibus missa cantetur, nec sonent signum donec signent signa beatæ Mariæ Magdalenæ, nec sonent horas in Quadragesima, nec faciant alicui aliquam portionem de aliquibus ad ipsam ecclesiam pertinentibus, nisi de consensu & voluntate Biterrensis episcopi & canonicorum S. Nazarii, nec committant unquam ecclesiam illam laïcæ personæ, nec si burgus vel domus construeretur circa ecclesiam in allodio hospitalis, laïca persona aliquid habeat vel retineat in domibus videlicet vel hominibus ibidem remanentibus, nec recipiant excommunicatos aliquo modo vel positos sub vetito Biterrensis episcopi, & veniant omnes simul clerici qui manserint ibi ad processiones cum clericis, & comedant cum eis in canonica. S. Bermundi Biterrensis episcopi. S. Hugonis archidianoni. S. Guillelmi de Margone. S. Bernardi Bonifacii. S. Guillelmi de Villanova. S. Guillelmi de sancto Antonio. S. Boneti de Villanova. Johannes David prædicti episcopi notarius ab ipso jussus scripsit.

XIII.

Ex chart. Gellon.

Guillelmus episcopus Biterrensis confirmat monasterio Gellonensi ecclesiam S. Vincentii de Popiano.

1152.

NOtum sit tam præsentibus quam futuris, quod anno ab Incarnatione Domini MCLII. ego Guillelmus Biterrensis episcopus consilio, assensu & confirmatione canonicorum ecclesiæ S. Nazarii, scilicet Matfredi archidiaconi, & Aymonis camerarii, & magistri Petri sacristæ, & Guillelmi de Biterris præcentoris, & Raymondi de Montepavone, & Deodati de Altiniaco, & Raymondi Guillelmi minoris præcentoris, & Raynaldi, & Raymondi de Villanova reddo, laudo & concedo ecclesiam S. Vincentii de Popiano cum decimis, & primitiis, & oblationibus, & omnibus ad eandem ecclesiam pertinentibus vel pertinere debentibus monasterio S. Guillelmi & abbati Raymondo & successoribus suis abbatibus & monachis in eodem monasterio commorantibus præsentibus & futuris. Hanc ecclesiam præfatam, quam ab antecessoribus nostris Guillelmo de Cerviano & Bremundo ecclesiæ S. Guillelmi A donatam & traditam ex instrumentorum & testium affirmatione cognovimus, laudamus iterum & concedimus ecclesiæ S. Guillelmi, salva obedientia & reverentia ecclesiæ Biterrensis, exceptoque juxta canonicam institutionem quartone & omni jure consuetudinario, quod in aliis ecclesiis nostri episcopatus nostri antecessores habuisse videntur, ita scilicet ut liceat abbati nunc & in futurum monachum procuratorem in prædicta ecclesia ponere: sacerdotem tamen, qui curæ animarum præsit, sine nostro consilio vel successorum nostrorum ibidem mittere non liceat. Acta sunt hæc in præsentia, videntia & audientia Petri Campi monachi, Raymondi Eschive, Berengarii de S. Maria, Stephani de Zefas, Petri Adalberti archipresbyteri, Berengarii de Lignano, Bernardi Mantellimi, Raymondi de Floirano, Durandi Cortesi, B Petri Bruni escutarii, & Stephani corrigiarii.

XIV.

Ex tabul. Biterr.

Bulla Adriani PP. IV. qua præcipit abbatibus Biterrensis diœcesis, ut præsuli Biterrensi pareant.

Circiter 1155.

ADRIANUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus per Biterrensem parrochiam constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Non moveri non possumus de iis, quæ a venerabili fratre nostro Guillelmo Biterrensi episcopo nobis nunciata sunt. Asserit siquidem nobis quod debitam ei recusatis obedientiam & reverentiam quanquam vestro episcopo exhibere. Unde cum ad obediendum potius C quam ad repugnandum suscepti habitus vos qualitas provocet, datur evidenter intelligi, quod non illud intus gestatis in mente quod exterius in veste protenditis: obedire enim vestro prælato vos convenit, qui propriam voluntatem etiam, quantum habitus ostendit, pro Domino reliquistis. Ut ergo aliud non probemini gestare interius, quam id quod habitu exterius demonstratis, per apostolica vobis scripta mandamus præcipiendo, quatenus vos quibus idem episcopus authoritate sua manus imponit, omnem illi obedientiam & reverentiam appellatione remota sine contradictione aliqua persolvatis, quæ a subditis prælatis debet humiliter exhiberi: quod si aliquis vestrum inobediens ipsi aut rebellis exstiterit, sententiam, quæ a jam dicto fratre D nostro in eum qui ipsi obedire noluerit canonice fuerit promulgata, nos autore * Domino nostra ratam habebimus. Datum Laterani idibus Novembris.

* *al.* authoritate.

XV.

Ex archiv. Cassiani.

Bulla Adriani IV. summi pontificis, qua confirmat concordiam initam inter episcopum Biterrensem & priorem Cassianensem.

Circiter 1156.

ADRIANUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Johanni Cassianensi priori salutem & apostolicam benedictionem. Quod super litigantium controversiis mediantibus probis & honestis viris aut concorditer constituitur, aut rationabiliter diffinitur, suo debet statu consistere, ac ne processu temporis E cujuslibet præsumptione turbetur, authoritatis nostræ pagina communiri. Cum autem inter te & venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Biterrensem episcopum de quadam ecclesia controversia verteretur, & ipse in ecclesiis tuis per suam diœcesim constitutis quartones de jure sibi peteret episcopali conferri, interponentibus sollicitudinem suam venerabilibus fratribus nostris Berengario Narbonensi archiepiscopo, Aldeberto Nemausensi, Raymondo Uticensi, & Ademaro Agathensi episcopis, Pontio Uticensi præposito, Rogerio Narbonensi archidiacono, & aliis sapientibus viris, talis inter vos compositio facta est, & utriusque partis assensu firmata: Biterrensis quidem episcopus ecclesiam de Aureliaco, de qua quæstio movebatur, ecclesiam S. Victoris,

ecclesiam S. Petri de Lafpiniano, ecclesiam S. Fœlicis de Calobricis, ecclesiam S. Martini de Gradano, ecclesiam S. Andreæ de Proliano, ecclesiam S. Laurentii de Roïano, ecclesiam S. Michaëlis de Padernis, ecclesiam S. Nataliæ de Fano, ecclesiam S. Mariæ de Rocafels, ecclesiam S. Severi de Vayrano, ecclesiam S. Andreæ de Becfes, quidquid habes in ecclesia de Caprilis, & in ecclesia de Clairaco libere tibi & Cassianensi ecclesiæ in perpetuum concessit habenda, ita ut tu & successores tui canonicos vel presbyteros in eisdem ecclesiis statuens, potestatem omni tempore habeatis, ipse vero & successores ipsius episcopalem reverentiam, debitas synodos & albergas pro ecclesiarum necessitatibus juxta instituta canonica in eis obtineant, & ab omnibus aliis exactionibus ecclesiæ ipsæ liberæ semper existant. De quartis autem portionibus, quas in eisdem ecclesiis retinebat, duo modii frumenti ad Biterrensem mensuram singulis annis a Cassianensi ecclesia ei ejusque successoribus sine contrarietate aliqua persolventur. Ut itaque compositio ista firma in perpetuum & illibata consistat, nos eam authoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis paginam temerario ausu infringere, vel ei contraire. Si quis autem attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus incurrat. Datum Laterani V. idus Decembris.

XVI.

Ex tabul. Biterr.

Compositio facta inter ecclesias S. Nazarii & S. Aphrodisii.

1175.

IN nomine Domini nostri, anno a Nativitate ejusdem millesimo centesimo septuagesimo-quinto regnante Lodovico rege, XIII. cal. Junii. Notum sit universis hoc audientibus, quod post multarum quæstionum varietates & diuturnam controversiam, quæ fuerat inter ecclesias sancti Nazarii & sancti Aphrodisii Biterrensis, interveniente domno Pontio Narbonensi archiepiscopo & Fulcrando Magalonæ præposito talis inter easdem ecclesias de voluntate utriusque earumdem ecclesiarum capituli facta fuit amicabilis compositio. Primo quod ego Guillelmus de Margone S. Aphrodisii abbas & ejusdem ecclesiæ capitulum, videlicet Petrus de Parietibus præcentor & alii, recognoscimus, confitemur, & affirmamus quod vacante ecclesia sancti Aphrodisii episcopus sancti Nazarii debet abbatiam tenere, regere, & sicut abbas ibi disponere, donec cum consilio & assensu dictæ sedis episcopi, canonici sancti Aphrodisii abbatem ibi eligant, qui statim pro abbatia debet facere hominium episcopo. Secundo item recognoscimus quod in omnibus diebus Dominicis Adventus Domini, & in die Natalis Domini, & in omnibus Dominicis Quadragesimæ, & in Pascha, & Pentecoste, & in vigilia sancti Nazarii, & in nocte major pars canonicorum & clericorum ad matutinas, & in crastino omnes ad missam majorem, & in festo sancti Michaëlis omnes clerici, tam canonici quam alii, sine malignandi studio debent ire ad ecclesiam S. Nazarii, & ibi interesse tam processionibus quam missarum solemniis, excepto quod abbas non tenetur interesse processionibus Dominicarum Adventus & Quadragesimæ, nisi in prima Dominica Adventus, & in prima Quadragesimæ, sed in illis duobus Dominicis diebus, & in die Paschæ, & Pentecostes, & festivitate S. Nazarii abbas dicti loci cum universo ejusdem ecclesiæ clero debet interesse processioni S. Nazarii & missarum solemniis, nisi justa & sine malignandi consilio causa impediatur, & idem abbas illis quatuor solemnitatibus Natalis, Paschæ, & Pentecostes, & S. Nazarii debet cum aliis chorum regere, & officium facere, vel faciendum, nisi sibi ex aliqua honesta causa viderit expedire, uni honorabilium canonicorum suæ ecclesiæ committere. In tribus quoque diebus Rogationum ejusdem ecclesiæ clerus debet ad ecclesiam S. Nazarii solemniter venire. Item concedimus quod clerici habeant liberam potestatem ubi voluerint eligendi sepulturam. Abbas sancti Aphrodisii quia nunquam habuit vocem in capitulo S. Nazarii & in electione episcopi, concedimus quod inde habeat, & similiter recognoscimus quod episcopus Biterrensis sedis debet facere procurationem universo conventui S. Aphrodisii in die Natalis Domini, & Paschæ, & S. Nazarii honorifice, sicut ex longæva obtinuit consuetudine, &c. In festo S. Aphrodisii in vigilia debet clerus S. Nazarii solemniter celebrare vesperas, quibus finitis, in pane & vino volentibus sumere cœna celebrata redeunt; crastina vero die debet totus clerus adesse majori missæ. Quare nos dictus episcopus, & nominatus abbas, & utriusque ecclesiæ capitulum, sicut supradictum est, concedimus, & firmamus submota omni fraudis suspicione & malignandi occasione promittentes quod hæc omnia perenniter observentur. Acta sunt hæc in curia domni Bernardi episcopi Biterrensis. S. domni Bernardi episcopi & canonicorum ejusdem sedis Biterrensis. Ego Fulcrandus præpositus Magalonensis confirmo. S. Guillelmi abbatis S. Aphrodisii. Ego Pontius per Dei gratiam Narbonensis archiepiscopus sigilli mei authoritate corroboro.

XVII.

Bulla Alexandri PP. III. pro ecclesia Biterrensi.

1178.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Bernardo Biterrensi episcopo ejusque successoribus canonice instituendis in perpetuum. In eo sumus loco & officio licet insufficientibus meritis suprema providentia constituti, ut fratribus, & coepiscopis nostris tam vicinis quam longe positis debeamus studio fraternæ caritatis assistere, & ut commissas sibi ecclesias valeant gubernare apostolicum patrocinium impertiri. Eapropter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Biterrensem ecclesiam sanctorum martyrum Nazarii & Celsi, cui authore Deo præesse dignosceris, ad exemplar felicis memoriæ papæ Adriani prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, abbatiam S. Aphrodisii, abbatiam S. Jacobi, & processiones ac stationes, quas clerici earumdem abbatiarum statutis diebus consueverunt in vestra ecclesia exhibere, ecclesiam S. Saturnini, monasterium S. Petri de Juncellis, monasterium S. Martini de Villamagna, ecclesiam S. Mariæ de Cassiano, & ecclesias S. Ciriaci, sanctæ Mariæ de Frangolano, de Faysen, de Caisano, de Rovinaco, de Avena, de Clementiano, de Diano, & S. Salvatoris de Podio, de Lodozano, sanctæ Mariæ de Bello-loco, de Redes, de Caprimon, de Felgeriis, de Gradano, de Coiano, de Albignano, de Caprilis, de Muris, de Monte-blanco, de Camprinnano, de Valesiis, S. Christophori de Margunc, de Magalacio, de Torves, & de Buada. Castrum Gabiani, & castrum Lignani, cum ecclesiis & omnibus earum pertinentiis, castrum de Vallano, castrum de Beciano, castrum de Casulis, castrum de Cerviano, & munitionem S. Baudilii de Silanciano, villam de Badonnas, villam de Amiliaco, villam de Paleriis, villam de Pinibus, & villam de Aspirano cum ecclesia S. Romani, & partem quam habetis in villa, quæ

vocatur *Erignanus*, cum decimis ipsius loci, villam de Carnencas, & totum territorium de Podas. Præterea quidquid juris habetis in civitate Biterrensi & in ejus suburbiis, tertiam partem leddarum tam de terra quam de mare, consuetum & annuum Judæorum censum. Nihilominus etiam compositiones inter ecclesiam tuam, & S. Aphrodisii, & S. Jacobi ecclesias, & monasterium S. Petri de Juncellis super reverentia episcopali & possessionibus de libero & spontaneo assensu partium factas atque receptas, sicut in scriptis authenticis continentur, authoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus apostolicæ sedis authoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Datum Tusculani per manum Alberti sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii III. nonas Februarii indictione XII. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXVIII. pontificatus vero domini Alexandri papæ III. anno XX.

XVIII.

Ex chart. Biterr.

Solemnis benedictio Deodati Juncellensis electi.

Circiter 1180.

PONTIUS Dei gratia Narbonensis archiepiscopus, venerabili fratri Bernardo Biterrensi episcopo & ejusdem ecclesiæ capitulo, & dilecto filio Deodato Juncellensi abbati & illius monasterii conventui salutem. Universis notum fieri volumus, quod defuncto Bernardo Juncellensi abbate, cum illius monachi elegissent Deodatum de Claromonte in abbatem, & facta electione, vocassent Bernardum venerabilem fratrem nostrum Biterrensem episcopum ad ejus comprobandam electionem, & ei conferendum munus benedictionis; quia eidem episcopo non rite, sed minus canonice videbatur fuisse facta electio dicti electi, episcopalis dignitatis auctoritate reprobavit electionem, & irritam, ut pote contra canonicæ institutionis disciplinam, sicut ei videbatur, factam de providæ deliberationis maturitate pronunciavit. Utraque postmodum parte assistente Narbonæ in præsentia domni Jacinti S. R. E. diaconi cardinalis & apostolicæ sedis legati & nostra, post multam disputationem & totius negotii diligentem inquisitionem, mediantibus Stephano Guillelmo de Popiano Biterrensi archidiacono, & magistro Geraldo ejusdem ecclesiæ præcentore, & Richardo de Arboracio quondam abbate S. Guillelmi, de ejusdem cardinalis, & nostro consilio, & assensu, & utriusque partis voluntate ita inter eos convenit, ut idem episcopus precibus domni cardinalis & nostris eumdem electum in benignitatis susciperet clementia, & ei sacramentum benedictionis conferendo ejus approbaret electionem: ipse vero abbas veniret ad Biterrensis ecclesiæ synodales conventiones & alias legitimas vocationes, quod idem electus confitebatur antecessores suos fecisse, & ipsi episcopo canonicam promitteret obedientiam, & sicut episcopo suo reverentiam exhiberet. Nobis itaque præsente, & Johanne priori Cacianensi cum quibusdam canonicis suis, & clero universo S. Nazarii, S. Aphrodisii, & S. Jacobi præfatus episcopus nominatum electum in abbatem benedixit solemniter in ecclesia S. Nazarii, & ipse abbas assistentibus sibi monachis suis super altare S. Nazarii scriptam obedientiam legit, & sicut scriptum erat in libro capitulari, episcopo obedientiam promisit. Ne igitur aliqua temporis diuturnitate, quæ in nostra gesta fuerunt præsentia ab hominum excidant memoria, sed perpetua firmitate manifesta consistant, hæc scripto duximus committenda, & tam nostra subscriptione quam nostri sigilli subsignatione hujus nostræ scripturæ paginam firmavimus. In benedictione autem præsentes fuerunt monachi Raginaldus David prior de Barciaco, Antonius prior de Nadallano, Pontius de Argaz frater ejus, Berengarius de Mesoa, Raimundus de Avena. Ego Pontius Narbonensis archiepiscopus subscribo.

XIX.

Mutua recognitio jurium ac privilegiorum vicecomitis & episcopi Biterrensium.

1194.

NOtum sit omnibus quod cum Rogerius Biterrensis vicecomes vellet donare jus quod habebat in villa Biterris Regi Aragonensi, facta est recognitio in ecclesia S. Nazarii præsente ipso Rogerio, & Rege, & Gaufrido Biterrensi episcopo tunc electo, & abbatibus, & Guillelmo de Montepessulano, & multis aliis terræ baronibus, & universo populo civitatis, quid juris haberet episcopus in civitate & suburbiis, & quid Rogerius. Facta est autem jam dicta recognitio de consensu episcopi, & capituli, & Rogerii, & curiæ ejus, referentibus Bernardo Boffato, & Raimundo Leddario, & Petro Vairato civibus Biterrensibus coram prædictis omnibus, & populo universo. Recognitum est igitur & concessum, quod Biterrensis vicecomes in villa Biterris in hominibus ecclesiarum, vel in suis non haberet toutam, contestam, aut albergam. Concessum est etiam & recognitum, quod in hominibus ecclesiarum nullam haberet vicecomes firmam, vel districtum, vel justitiam, nisi forte si aliquis homo prædictarum ecclesiarum homicidium, vel adulterium perpetraverit, & de perpetrato homicidio, vel adulterio coram episcopo, vel ejus judice, vel abbatibus fuerit legitime convictus, vel condemnatus: tunc enim persona condemnati traditur ab episcopo vel bajulo ejus, vel abbatibus vicecomiti corporaliter punienda, rebus mobilibus & immobilibus vel apud hæredes condemnati, vel apud ecclesias, secundum quod juris ordo dictavit, remanentibus. Si vero mulier deprehensa fuerit adulterio, persona ejus puniretur: bona vero mariti, quæ ex nomine dotis, vel suo habuerit, debent integra remanere apud maritum: pro nullo alio facto, neque etiam pro quantacunque sanguinis effusione, nisi inde secutum fuerit homicidium super homines ecclesiarum, vel ipsorum res habeat vicecomes justitiam. Recognitum est etiam & concessum, quod vicecomes Biterris in hominibus ecclesiarum, & suis, & episcopus similiter pari jure in hominibus suis, & vicecomitis, habent cavalgadas, tantummodo infra terminos episcopatus Biterris, & non ultra. Fuit similiter recognitum & concessum, quod nec vicecomes sine episcopo, nec episcopus sine vicecomite debet recipere sacramentum, vel petere ab hominibus Biterris. Habent de consuetudine homines Biterris, quod si vicecomes justitiam habuerit pro quolibet delicto de quolibet homine, vel fœmina ipsius villæ, uxor ipsius vicecomitis nullam debet habere drudariam de ipso homine vel fœmina, nisi tantum de illa pecunia quam vicecomes inde habuerit. Et habent similiter de consuetudine, quod bajulus vicecomitis, vel episcopi, vel aliquis, vel aliqui de curia ipsorum non credentur de captione alicujus hominis, vel fœminæ in adulterio, nisi cum ipsi vicini, vel aliqui probi homines fuerint in ipsa captione. Habent etiam de consuetudine, quod si vicecomes, vel

episcopus, vel bajuli eorum vocaverint aliquem hominem vel fœminam Biterris pro aliqua querimonia de eis facta, ille vel illa, nisi firmantiam dare potuerit, debet jurare mandamento curiæ se tenere, & debet placitare sine pignoribus; sed ipse homo vel fœmina debet tenere ostagium infra ambitum civitatis, si vicecomes, vel episcopus voluerint, donec ipsa querimonia sit terminata. Et si forte sine consilio vicecomitis, vel episcopi de civitate exierit, poterunt illum vel illam iterum vicecomes, vel episcopus, vel bajuli eorum capere & distringere ad voluntatem suam, ubicumque illum, vel illam invenerint. In causis hujusmodi debet observari justitia, quod in parte ejus qui justitiam foverit nomine justitiæ nulla pecunia exigatur, sed solummodo rationabiliter, & moderate expensæ: ex parte vero condemnati rationabiles justitiæ & expensæ. Consuetudo est in villa Biterris, quod si aliquis homo vel femina pro quolibet delicto intraverit quamlibet ecclesiarum, vel aliquod hospitale Biterris, causa salvitatis exeat absolutus: si vero ad tabulas numerariorum, vel ad operatoria, vel domos civium Biterris confugiet, non debet inde violenter extrahi, sed tantum a bajulis curiarum custodiri. Est etiam consuetudo, quod si homo vel femina juraverit se manere per annum in villa Biterris, debet esse liber ab exactione, sicut alii homines Biterris, quandiu Biterris manserit; & si forte aliquis homo vel femina, Biterris vendiderit suum bladum ad suam eminam vel sestarium, nulla pœna debet eum inde sequi, nisi tantum quod emina vel sestarius potest ei frangi. Si quis in villa Biterris sine testamento decesserit, & præsens hæres non comparuerit, bona ejus debent apud religiosa loca, vel apud fideles sequestros per annum & diem reservari; & si tunc hæres non comparuerit, apud eum, in cujus burgo decesserit, bona ipsius remaneant. Habeant prætera homines Biterris ex donatione quam dominus Rogerius inde eis fecit, quod omnis homo qui Biterrim venerit causa manendi, ex quacumque parte venerit, sit liber & solutus ab ipso vicecomite, & a quocumque domino, & ab omni servitute, sicut alii homines Biterris. Dedit etiam dominus Rogerius, & dimisit in perpetuum hominibus Biterris, quod non darent leudam apud S. Tyberium. Hæc omnia sicut superius scripta sunt, ego Bertrandus de Seissaco fidelis tutor Raimundi Rogerii vicecomitis Biterris per me, & per ipsum vicecomitem laudo, confirmo in perpetuum valitura, quia audivimus & cognovimus omnia ea esse vera ab antiquis & probis hominibus Biterris, & promitto per me & vicecomitem quod nunquam contra veniemus, vel veniri faciemus aliquo modo, vel aliqua occasione, vel alicujus suggestione; sed omnia, sicut supradicta sunt, tenebimus & observabimus firmiter & fideliter tibi domino Gaufrido Biterrensi episcopo, & successoribus tuis, & universo populo villæ Biterris, salva tamen fidelitate vicecomitis: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta quatuor Evangelia. Facta autem hæc apud Biterrim in palatio vicecomitis anno a Nativitate Christi MCXCIV. regnante rege Philippo, II. nonas Augusti, presentibus Adaleisse comitissa, Arnaudo Ramundo vicario Carcassonensi, Guillelmo Assalito vicario Reddensi, Rigaldo de Monteregali, Galliardo de Fangeain, Stephano de Serviano, Berengario de Lignano, Salamone de Felgariis, Guillelmo de Casulis, Petro Raimundo de Columbariis, Raimundo fratre ejus, Petro Raimundo de Corneliano, Berengario de Tesano, Ermengaudo de Fabresano, Bernardo Pontio de Montadino, Bernardo de Biterri, Pontio de Bessiano, Berengario de Comes. Mandamento omnium prædictorum in operatoria Bernardi Cotæ, ipso præsente, Bernardus Martini hæc scripsi.

XX.

Concordia inter abbatem oppidanosque Villæmagnæ inita & dominum de Felgariis.

Ex tabul. Villa-mag.

1197.

In nomine Domini. Sit notum omnibus hoc scriptum audientibus sive legentibus, quod anno a Nativitate ejusdem MCXCVII. regnante Philippo rege Francorum est facta amicabilis compositio & concordia inter dominum Berengarium abbatem & probos homines ac populum Villæ-magnæ, & Minariorum & Monetatis ex una parte, & inter Salomonem dominum castri de Felgariis ex altera parte. Multis enim retro temporibus exegerat Guillelmus de Felgariis pater quondam prædicti Salomonis, & ipse Salomon usque modo exigebat ab hominibus Villæ-magnæ & Minariorum & Monetatis nomine guisatici & pesatici in trocellis, carguis, balis, saumatis ac honeribus quarumlibet rerum eorum per castrum de Felgariis transeuntium hoc quod de aliis hominibus ibi capiebat, & quod quondam de rebus eorum ibidem capiebat, in discordia hominum Villæ-magnæ, & cum querela eorum extorquebat: qua de causa grandis dissensio, & querela, & inimicitia inter ambas partes usque ad hanc compositionem fuerat exorta. Nunc vero prædictus dominus abbas & universi homines Villæ-magnæ volentes ac cupientes sibi, & villæ suæ, & omni posteritati eorum ipsum Salomonem & omnem posteritatem suam fieri amicos, & omnem occasionem discordiæ & inimicitiæ de medio tolli, communi assensu & consilio donant ipsi Salomoni & omni posteritati suæ in perpetuum nomine guisatici hoc quod in hac charta inferius scriptum est, in rebus suis, quæ ex hac die inantea usque in perpetuum per castrum de Felgariis transierint. Videlicet trossellus pannorum de lana dabit VI. denarios Melgorienses, balas III. den. trossellus traversers asini III. den. una bala III. mezaillas, honus I. denarium. Trossellus pannorum de lino dabit VI. den. trossellus asini III. den. balas III. den. una bala III. mezaillas, honus I. denarium. Trossellus de cordoano dabit VI. den. trossellus asini III. den. balas III. den. una bala III. mezaillas, honus I. denarium. Trossellus de lana dabit VI. den. trossellus asino III. den. balas III. den. una bala III. mezaillas, honus I. denarium. Carga piperis VI. den. carga asino III. den. balas III. den. una bala III. mezaillas, honus II. den. Carga ceræ VI. den. saumata asino III. den. balas III. den. una bala III. mezaillas, honus I. denarium. Carga de sepo III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. denarium, balas de sepo III. mezaillas. Carga de cordis III. den. saumada asino III. mezaillas, balas III. mezaillas, honus I. denarium. Balas de acerio III. den. honus I. denarium, una bala III. mezaillas. Saumada de pisce III. den. honus I. denarium. Carga sainorum dabit III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. denarium. Carga de bacos III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. denarium. Carga de oleo III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. denarium. Carga de ficubus Italicis dabit III. den. saumata asino III. mezaillas, honus I. denarium. Carga de caseis III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. denarium. Carga de solas III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. den. Carga de dactilis III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. den. Carga de nucleis amicdalorum III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. den. Carga de cimino III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. den. Carga de castaneis siccis III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. den. Carga de tracas III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. den. Carga de stagno dabit III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. den. Carga de ære III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. den. carga de........ III. den. saumada asino III. mezaillas, honus I. den. Carga de pellibus ovium & ircorum, & agnorum, & edorum, & vervecum

vervecum dabit III. den. Saumada asino III. mezaillas, honus I. den. Carga de grana rubei dabit VI. den. Carga de alum III. den. Carga de brezill. III. den. Carga de laca III. den. Carga d'Indo colore III. den. Saumada de ferro dabit I. den. Saumada de plumbo I. den. Saumada ceparum I. den. honus I. mezailla, Saumada de fusta I. den. honus I. mezailla. Saumada demelle II. den. honus I. den. Saumada de ros I. den. honus I. mezailla, Saumada de sale dabit III. mezaillas, honus I. mezailla. Una dotzena vervecum vel agnorum dabit II. den. bos vel bacca dabit II. den. porcus vel sus dabit I. mezailla. Totum supradictum guisaticum debet persolvi de Melgoriensi moneta. Omnia superius dicta & scripta venientia de Montepessulano, vel de partibus illis ad Villam-magnam, si per castrum de Caucio, vel per villam sancti Tiberii, vel inter Caucium & sanctum Tiberium venerint, debent transire per castrum de Felgariis, & solvere guisaticum, quod superius dictum est. Similiter omnia prædicta venientia de Narbona vel de partibus illis ad Villam-magnam, si Biterrim intraverint, debent transire per castrum de Felgariis, & solvere prædictum guisaticum. Similiter omnia superius dicta euntia de Villa-magna, vel de Monetate apud Caucium vel apud Biterrim, vel transeuntia inter Caucium & Biterrim eundo ad quaslibet partes, debent transire per castrum de Felgariis, & solvere guisaticum, quod superius scriptum est. Quælibet persona Villæ-magnæ, vel Monetatis, si res suas supradictas in eum modum duxerit vel portaverit, ut prædictus Salomon vel sui amittant guisaticum prædictum, eo probato, debet reddere ei præfatum guisaticum, & debet dare nomine pœnæ eidem Salomoni vel suis septem solidos Melgorienses. Omnia superius dicta & scripta de quibuslibet partibus orbis venientia apud Villam-magnam, vel de Villa-magna ad quaslibet partes orbis tendentia, si per Caucium vel per Biterrim, vel inter Caucium & Biterrim non ierint vel redierint, possunt ire & venire per quemcumque locum voluerint; & si per castrum Felgariarum non transierint, nihil dare tenentur: sed totum sal debet transire per castrum de Felgariis, & prædictum guisaticum solvere. Bladum & vinum domini abbatis, & monasterii, & omnium hominum Villæ-magnæ, & Monetatis, & Minariorum, & piscis domini abbatis, & monasterii, & universæ aliæ res, quæ superius non sunt expressim nominatæ, debent & possunt transire, & ire, & venire per quemcumque locum voluerint, & sive transeant per castrum de Felgariis sive extra castrum, nihil tenentur dare, & tamen omnia erunt in guisatico & custodia prædicti Salomonis & suorum. Quælibet persona de Villa-magna, vel de Minariis vel de Monetate, cum equitatura, vel sine equitatura, cum argento, vel sine argento cum nummis, vel sine nummis potest & debet ire & venire per quemcumque locum voluerit, vel per castrum de Felgariis vel extra castrum, & nihil dare tenetur nomine guisatici vel pesatici, vel alicujus alius exactionis ipsi Salomoni vel suis; & tamen ipsa persona, & omnia quæ secum habuerit, erunt in guisatico & custodia prædicti Salomonis & suorum. Sed si ipsa persona non coacta, sed spontanea sua voluntate dederit aliquid ipsi Salomoni vel suis, illud possunt ipse Salomon & sui recipere salvo suo sacramento. Quælibet persona de Villa-magna, vel de Minariis, vel de Monetate, & omnes res ipsius personæ, quas secum habuerit, & omnia hominum & monasterii Villæ-magnæ, & Minariorum & Monetatis superius expressa, & non expressa transeuntia in eundo vel redeundo per quemcumque locum ex Roca-pertus usque ad Pezena, sive donent prædictum guisaticum, sive non donent, erunt in guisatico & custodia prædicti Salomonis de Felgariis & suorum in perpetuum. Ego Berengarius abbas prædictus per me & per omnes successores meos consilio & voluntate Guillelmi d'Altunaco prioris, Petri de Manso sacristæ, & aliorum monachorum ac fratrum nostrorum, & totius populi Villæ-magnæ, & ego Guiraudus Versapoth, & ego Durantus Bomacips, & ego Raimundus de Grazelis, & ego Guillelmus de Vilaigli, & ego Petrus de Pinu, & ego Petrus filius ejus, & ego Guillelmus Aimerici, & ego Sicardus, & ego Guillelmus filius ejus, & ego Raimundus Bassus, & ego Ugo de Born, & ego Berengarius Niger, & ego Petrus Morgues, & ego Bernardus Billeira, & ego Vassallus, & ego Raimundus Rubeus, & ego Guillelmus Jordani, & ego Deodatus Costauz, & Bernardus de Brazill, & ego Guillelmus Marescotz, & ego Bernardus Gairaudi, & ego Guillelmus Costauz, & ego Petrus Rufus, & ego Guiraudus Tolzanus, & ego Deodatus Bretolmes, & ego Petrus Marchi, & ego Guillelmus de Manso, & ego Bernardus Porta la Flor, & ego Petrus de Brazill juvenis, & ego Petrus de Felgariis, & ego Deodatus Baconus, & ego Petrus Capuz, & ego Guillelmus Rovoira, & ego Deodatus Bretolmes, & ego Deodatus Alarici, & ego Bernardus Crosats, & ego Raymundus de Nezac, & ego Raimundus Maurelli, & ego Guilabertus Roveira, & ego Stephanus Metguetz, & ego Guillelmus de Podio, & ego Bernardus Molinerius, & ego Aimericus Poderos, & ego Petrus de Bel-Castel, & ego Raimundus Alberti, & ego Guiraudus Almera, & ego Bonetus Tolzanus, & ego Petrus Ausberni, nos omnes prædicti per nos & per omnes successores nostros, & per totum populum Villæ-magnæ & Monetatis, & per omnem nostram posteritatem in perpetuum bona fide, sine dolo totam supra scriptam amicabilem compositionem, & hanc chartam, & omnia quæ in ea continentur laudamus, concedimus, & confirmamus, & firma ac stabilia esse constituimus tibi Salomoni de Felgariis, & omni posteritati tuæ in perpetuum, & si aliqua persona Villæ-magnæ, vel Minariorum, vel Monetatis supradicta infringere præsumpserit, ego abbas prædictus & omnes nos prædicti, & successores nostri erimus inde adjutores bona fide secundum posse nostrum tibi Salomoni & tuis in perpetuum, & de omnibus prædictis, te & omnem posteritatem tuam in Dei fide & nostra recipimus, & omni legi, consuetudini, & juri scripto vel non scripto, divino & humano, speciali & generali ad infringenda prædicta nobis vel successoribus nostris competenti & vel competituro prorsus cedimus & renunciamus, nec fecimus vel faciemus, nec fieri aut dici consentiemus quo hæc omnia prædicta minus firma semper permaneant. Ego quidem Berengarius abbas prædictus ad perhennem hujus rei memoriam & ad majorem auctoritatem hanc chartam sigilli mei impressione corroborari præcipio. Et ego Salomon dominus castri de Felgariis, adhibito proborum meorum hominum & amicorum meorum omnium assensu & consilio, volens ac cupiens reformari amorem & concordiam inter me & omnem posteritatem meam, & inter te Berengarium abbatem, & probos homines ac populum Villæ-magnæ & Minariorum & Monetatis, & omnem posteritatem nostram, & omnem discordiæ & inimicitiarum occasionem de medio tolli, per me & per omnes successores meos bona fide, sine dolo totam supradictam amicabilem compositionem, & hanc chartam, & omnia quæ in ea continentur laudo, concedo, & confirmo, & firma ac stabilia esse constituo tibi domino prædicto abbati & populo Villæ-magnæ & Minariorum & Monetatis, & omni posteritati vestræ in perpetuum. Et si quis ex hominibus meis supradicta infringere præsumpserit, ego & successores mei erimus inde adjutores bona fide secundum posse nostrum vobis & omni posteritati vestræ in perpetuum, & de omnibus prædictis vos & omnem vestram posteritatem in Dei fide & mea recipio; & omni legi, consuetudini & juri scripto & non scripto, divino & humano, speciali & generali ad infringenda prædicta mihi vel meis competenti vel competituro prorsus cedo atque renuncio, & de hac compositione me perbene pacatum teneo, nec feci vel faciam, nec fieri aut dici consentiam, quominus hæc omnia prædicta firma semper permaneant.

Sic juro ego Salomon prædictus super hæc sancta quatuor Evangelia, & ad perhennem hujus rei memoriam & firmitatem hanc chartam sigilli mei impressione corroborari præcipio. Factum fuit hoc in cimiterio sancti Martini Villæ-magnæ mense Junio quarto idus in præsentia & testimonio Guillelmi abbatis Silvaniensis, magistri Radulfi de sancto Tiberio, Raimundi de sancto Nazario, Poncii de Alignano, Guiraudi Rosset, Guilaberti de Bretas prioris de Redis, Ramundi Versapoth, Guillelmi Gairaudi, Duranti Aurluc, Petri Sicardi de Felgariis, Raimundi Pellicerii, Petri Frances, Guillelmi de Bordelis, Raimundi de Aguzano, Johannis Torena, Petri Coc. Mandato utriusque partis & prædictorum testium Guillelmus Petri notarius Villæ-magnæ hanc chartam scripsit. W.

XXI.

Ex tabul. Villæ-mag.

Prioris transactionis confirmatio.

1199.

ANno a Nativitate Christi MCXCIX. regnante Philippo rege Francorum, ego Berengarius abbas Villæ-magnæ per me & per omnes meos successores, & ego Ramundus de Grazelis, & ego Bernardus de Brazill, & ego Guillelmus Marescots, & ego Aimericus de Labroca, & ego Sicardus Aimerici, & ego Guillelmus Costauz, & ego Petrus Morgues, & ego Guiraudus Tolzanus, & ego Guillelmus de Vilaiglino, & ego Ramundus Malerius, & ego Ugo de Born, & ego Stephanus Maurelli, & ego Johannes Raseire, nos omnes supra scripti per nos & per omnes homines & populum Villæ-magnæ communi consilio, & voluntate damus, laudamus, & concedimus tibi Salomoni de Felgariis & tuis in perpetuum, ut omnia quæ debent dare guisaticum, secundum quod ex altera parte hujus instrumenti continetur, transeuntia ex hac die inantea in eundo sive veniendo per castrum de Altiniaco & infra rivum de Tauron, sicuti ipse rivus includit versus orientem ab.......... propinquorum, est de castro Altiniaco, descendendo usque in flumen Orbi & usque ad Biterrim, & transeuntia infra castrum de Caucio, & ejus terminia, sicuti caminus, qui inde ascendit versus Villam-magnam, includit versus occidentem, transeant per castrum de Felgariis, & donent guisaticum quod statutum est ex altera parte hujus chartæ. Sed quælibet transeuntia per terminium Caucionojoh vel Cabrairole, vel etiam per castrum de Autiniaco recta via versus castrum Muri-veteris, nisi ex Muroveteri ad & in supra dictos terminos intraverint, aliquod guisaticum dare non tenentur. Ego jam dictus Salomon de Felgariis per me & per omnes meos præsentes ac futuros promitto per firmam stipulationem, bona fide tibi domino Berengario abbati, & vobis supra scriptis probis hominibus, & omni populo Villæ-magnæ, quod ego non prohibebo, neque aliqua persona meo consilio, arte, vel ingenio prohibebit in futurum ne quælibet persona sal ducens vel deferens, ex quo castrum de Felgariis soluto usatico, quod inde solvere debebit, exierit, eat & sal ducat & deferat ad Villam-magnam, nec etiam infra castrum de Felgariis vel extra ab aliqua persona pactum vel conventionem prædictis adversantem exigam vel exigere faciam. Acta sunt hæc in curia domini abbatis sub nono idus Januarii, in præsentia & testimonio Johannis de Redis, Raimundi de sancto Genesio, Guillelmi Gairaudi, Bernardi Gairaudi, Duranti Aurluc, Malberti de Olargio, Augerii de Vinciano, Ugonis Saisset, Girberti de Cabreira, Bernardi de Torrellis, Sicardi de Dain, Bernardi Ferrandi, & Guillelmi Petri notarii Villæ-magnæ, qui mandato utriusque prædictæ partis & omnium prædictorum testium hanc chartam scripsit. W.

XXII.

Raimundus Rogerius vicecomes ecclesiæ Biterrensi impignorat omnem petitionem albergii, justitiarum, placitorum, &c.

Ex autographo episcop.

1204.

ANno a Nativitate Christi MCCIV. regnante rege Philippo mense Maii, omnibus hæc audientibus sit manifestum, quod ego Raimundus Rogerius vicecomes Biterris recognoscens me esse majorem XVIII. annis consilio & voluntate baronum curiæ meæ, scilicet Petri Rotgerii de Cabarens vicarii Carcassensis, & Bernardi Pelapulli vicarii Biterrensis, & Amblardi vassalli, & Guillelmi Bernardi, & Samuelis Judei bajuli & secretarii mei, & burgensium Biterris, scilicet Aimerici Bosati, & Petri Ermengaudi, & Stephani Salisaire, & Petri de Madalla, & Arnaudi de Guindra, & aliorum quamplurium, & omnium curialium curiæ meæ deservientium, pro magna & evidenti utilitate & totius vicecomitatus per me & per omnes successores meos bona fide & sine dolo cum hac charta obligo titulo pignoris omnipotenti Deo, & gloriosæ virgini Mariæ, & ecclesiæ Biterrensi fundatæ in honorem SS. martyrum Nazarii & Celsi, & vobis omnibus ejusdem ecclesiæ canonicis nunc præsentibus, scilicet Raimundo de Ucetio camerario, & Bernardo Cote sacristæ, & magistro Paschali, & Berengario de Cautio, & ministerio vestro aliis confratribus vestris absentibus, & omnibus successoribus vestris canonicis, & eodem ministerio vestro, seu negotiorum gestione, ipsi Guillelmo Biterrensi episcopo ejusque successoribus episcopis, & tibi Berengario de Lignano procuratori ad hoc negotium ab ipso episcopo specialiter constituto totam petitionem albergui, quam ego peto, & prædecessores mei petierunt in episcopo Biterrensi, & in abbate S. Aphrodisi, & in Lignano, & totam petitionem omnium justitiarum & placitorum de homicidiis, adulteriis, & latrociniis, & de omnibus aliis querimoniis, quæ jam dicti antecessores mei juste vel injuste solebant querere in canonicis, monachis, & aliis clericis, & in eorum familiis laicalibus seu clericalibus utriusque sexus de toto Biterri & Biterrensi episcopatu, qui & quæ modo sunt ibi, vel inantea fuerint; & obligo similiter vobis prædictis, & per vos omnibus aliis præmemoratis petitionem omnium justitiarum & placitorum, quæ ipsi prædecessores mei quondam ...... juste vel injuste, scilicet de homicidiis, & adulteriis, & latrociniis, & omnibus aliis querimoniis, de omnibus hominibus, & feminis, qui & quæ modo manent vel habitant, & inantea manebunt vel habitabunt in castro & in villa de Lignano, & in villa de Aspirano. Hæc omnia pignori suppono pro sex millibus solidorum Melgorensium quos omnes habui & recepi a vobis præscriptis canonicis, vestro & episcopi vestri nomine & aliorum fratrum vestrorum absentium, ita quod de tota jam dicta pecunia nihil apud vos remansit in debito, sed totam illam mihi a vobis numeratam & traditam converti in maximam utilitatem meam, pro qua etiam renuntio omni exceptioni non numeratæ pecuniæ. Totum prædictum pignus factum vobis de universis rebus supra comprehensis & enumeratis habeatis & teneatis sine omni mea meorumque inquietatione a proximo festo dedicationis S. Michaelis usque in finem decem annorum, & sic deinceps, si tunc non redimeretur, tandiu quousque prædicti sex millia solidorum Melgoriensium sint vobis in pace & in solidum persoluti boni & percurribiles, vel argentum finum ad rationem marchæ quæ nunc valet L. solidos, si tunc hæc moneta Melgoriensis fuerit abatuda, vel deteriorata fructibus vel redditibus, si qui ex prædicto pignore exierint, vel exire potuerint, in solutionem prædictæ pecuniæ nullo tempore computandis, immo etiam omnes illos fructus & redditus ex mera & propria liberalitate dono Domino Deo, & ecclesiæ prædictæ, & vobis prædictis canonicis, &

promitto per firmam & validam stipulationem, quod si occasione fructuum, vel redituum, vel obventionum ante solutionem prædictorum sex millium solidorum Melgorensium, vel post, inquietarem vos vel ecclesiam vestram in judicio vel extra judicium, pignorando, vel distringendo, vel questionem movendo, de qua satis datum esset vel juratum, me daturum vobis nomine pœnæ duo millia solidorum Melgorensium, quos laudo vobis super ipsum pignus prædictum. Item promitto vobis solemni & firma stipulatione, quod non inquietabo, nec inquietari faciam in personis, aut in rebus, in judicio, vel extra judicium vos, aut successores vestros, neque ecclesiam S. Nazarii, vel sancti Aphrodisii, neque episcopum Biterrensem, nec ejus castella, nec clerum, aut aliquem de clero, nec ecclesias, seu monasteria Biterrensis diœcesis, aut familias canonicorum, monachorum, aut ceterorum, vel eorum homines, seu feminas cum eis vel sub eis habitantes occasione firmantiæ, albergui, placiti, vel justitiæ, seu instrumenti pignoratitii olim confecti inter Bermundum episcopum Biterrensem & Ceciliam Biterrensem vicecomitissam ac filios ejus, donec prædicti sex millia solidi Melgorienses sint vobis redditi & persoluti ad voluntatem vestram per tempora, clericis eorumque familiis quidquid ante instrumenti hujus confectionem petere poterant lege, jure, vel consuetudine occasione albergui, placiti, firmantiæ, vel justitiæ, vel obtentu criminalis vel civilis questionis priore instrumento, qui inter Bermundum episcopum Biterrensem meosque prædecessores constat esse factum, in suo per omnia robore duraturo, salva mihi petitione, si qua mihi competit contra præsentem episcopum vel contra alios episcopos Biterrenses noviter electos de petendis mille solidis Melgoriensibus, ita quod non obstante obligatione ista liceat mihi & successoribus meis quandocumque voluero dictam petitionem sub judice vel arbitro movere, sed tamen non liceat mihi occasione petitionis inquietare vel pignorare vos canonicos in rebus vestris vel communitatis vestræ, nec aliquem canonicum, vel clericum Biterris vel Biterrensis episcopatus, nec etiam episcopum, dum tamen paratus sit mihi juri stare, & salvo similiter & reservato mihi & meis omni alio jure, quod usque in presentem diem habeo, præter id tantum, quod ex presentium tenore pactorum servare promitto. Similiter episcopo, & vobis canonicis, & abbati sancti Aphrodisii, & universo clero Biterrensi liceat totum jus suum contra nos deffendere, & a nobis petere jure scripto & non scripto, divino & humano, speciali & generali, & omni alio justo & rationabili modo, nullo unquam ex præsenti cirographo præjudicio vel compendio alterutri parti generando circa possessionem vel proprietatem, vel in agendo vel excipiendo, sed omnia in quæstionibus motis & movendis hinc & inde salva semper & integra utrique parti remaneant, ac si præsentis pignoris obligatio non intervenisset. Hæc igitur omnia ego Raimundus Rogerius vicecomes Biterrensis per me & per omnes successores meos laudo, concedo, & confirmo, & nullo unquam tempore vel loco contra veniam, vel veniri faciam, aut consentiam occasione dignitatis, vel ætatis, vel restitutionis in integrum vel alio quolibet modo qui dici valeat, vel excogitari. Et si ætate, dignitate, restitutione, vel quocunque alio jure divino vel humano, vel privilegio apostolico vel regali, vel cujuslibet rei occasione possum vel potero contra hæc vel aliquod horum venire, omni illi juri, & rationi, & consuetudini, & specialiter beneficio ætatis ex certa scientia renuntio, & me ista omnia & eorum singula tenere semper & observare juro super sancta Dei evangelia, & gratia majoris auctoritatis & firmitatis sigillum meum præsenti cirographo apponi præcipio. Et ego Petrus Rogerius vicarius Carcassensis, & ego Bernardus Pelapullus vicarius Biterrensis, & Amblardus vassallus, & ego Samuel Judæus, & ego Aimericus Bosatus, & ego Petrus Ermengaudi . . . . & ego Stephanus Salvaire, & ego Petrus de Madalla, & ego Grimoardus, & ego Uguerius, nos omnes simul mandamento domni vicecomitis prædicti promittimus vobis canonicis præscriptis & successoribus vestris, & per vos omnibus aliis......... vestris absentibus, & domno episcopo, & successoribus ejus per nos & heredes nostros, quod si domnus vicecomes, vel aliqua persona nomine vel occasione ipsius aliquid vobis amparaverit vel abstulerit in prædicto pignore, aut in aliquo vos inde inquietaverit, illud totum quod inde perdideritis, & damnum totum quod propterea sustinueritis vobis integre restituemus ad voluntatem & commonitionem vestram, & hoc totum nos facturos & completuros ad voluntatem vestram & intellectum. Ego Petrus Rogerius, & ego Amblardus vassallus, & ego Samuel promittimus in fide nostra, & nos omnes alii prænominati juramus super hæc sancta quatuor Evangelia, & tenemur inde vobis quisque nostrum in solidum, ita quod nullus poterit se inde excusare vel tueri pro parte. Horum omnium sunt testes rogati Petrus de Rivo-sicco, Petrus de Floirano cognatus ejus, Arnaudus de Alsona, Petrus de Floirano filius Raimundi, Guillelmus de Furno, Bernardus Fabri, Guillelmus Jordanis, Amelius Bertrandi, Peirota Berengarius de Floirano, Raimundus de Rivo-sicco, Cadasta Matheus sutor, Pontius de Clairaco, Petrus Bosatus, Guillelmus Gotus, Petrus Sicardi mercator, Bonetus de Pradis, Pontius de Cautio, Bernardus Guillelmi de Floirano, Pontius de Goza, Raimundus de Alanis, Pontius Raimundi, Pontius de Bonastre, Bernardus Amelius, Raimundus de Corciano, Guillelmus Pozolas, Petrus prior presbyter, & Guillelmus presbyter hebdomadarii S. Nazarii, Hugo clericus, Guillelmus de Viridario, Gairaudus, Guillelmus, Garnerius, Petrus Beders, Guillelmus clericus, Guillelmus Baronus juvenis, & Bernardus Martini publicus Biterris notarius, qui mandato omnium prædictorum hæc scripsit & sigillavit.

XXIII.

Privilegium Philippi Augusti pro monasterio Villæ-magnæ.

Ex archiv. eccl. Narb. 1210.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Exhibitum nobis reverendæ memoriæ Ludovici quondam patris nostri privilegium ab eodem patre nostro abbati & conventui Villæ-magnæ intuitu divinæ caritatis indultum inspeximus in his verbis. Ego Ludovicus Dei gratia Franciæ rex dilectis in Christo filiis Berengario abbati & conventui Villæ-magnæ eorumque successoribus imperpetuum. Ex injuncto nobis regiæ dignitatis officio tenemur universis monasteriis in regno nostro constitutis, tum illis precipue, quæ a nobis vel a prædecessoribus nostris sunt fundata, possessiones suas in solidum conservare, & nostris communire privilegiis, ne vel malignantium versutia turbentur, vel hostili diripiantur incursu. Notum igitur facimus universis præsentibus & futuris, quod pro remedio animæ nostræ & parentum & prædecessorum nostrorum concedimus, & licentiam damus tibi præfato abbati, tuisque successoribus ut possitis munire fossa, & vallo, & muro, & turribus, & munitionibus, quibus tibi & successoribus placuerit, monasterium, & villam Villæ-magnæ, qui locus quondam dicebatur *Cogna*, & possessiones, & loca omnia ad jus monasterii pertinentia possitis eodem modo munire propter hostilem inimicorum incursum, easdemque forticias monasterio præfato assignantes confirmamus: statuimus etiam ut in alodio jam dicti monasterii, vel in possessionibus ejus acquisitis vel acquirendis præfato monasterio pertinentibus vel pertinendis sine permissu abbatis & fratrum nulla persona de novo possit munitionem facere: prohibemus quoque ut jura, vel loca ad præfatum monasterium pertinentia

sine abbatis & fratrum assensu alienari, vel in alium transferri, & si alienata fuerint, possint revocari, statuendo ut quæcumque bona ex concessione Regum, episcoporum, largitione fidelium in Villa-magna, & in territorio ejus, aut quibuslibet aliis locis, vel in futurum quolibet titulo poteritis adipisci firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; scilicet burgum Villæ-magnæ cum omnibus suis pertinentiis, & honorem S. Salvatoris de Villa-magna, & honorem S. Martini vetuli, & S. Gervasii, & S. Genesii cum omnibus suis adjacentiis, & honorem de Fundamenta, & villam de Biterrivis cum suis pertinentiis, & honorem S. Nazarii & S. Cypriani, & villam de Cayssano cum omnibus suis territoriis, & medietatem castri de Alinano cum suis pertinentiis, & territoriis, & honorem de Franxino, & quidquid habemus in Isclatiano, aut in Villa-majore, aut in Cabril, aut in territorio S. Nazarii de Vico, & quidquid nomine præfati monasterii possidetur. Minarias quoque, si quæ apertæ, & quæcumque aperiendæ sunt in alodio S. Martini Villæ-magnæ, prædicto abbati & monachis ejus confirmamus: eisdem quoque potestatem judiciariam tam civilium quam criminalium vel capitalium causarum tribuimus in omnibus suis territoriis, & possessionibus ac hominibus suis sine ulla imminutione vel contradictione ecclesiasticæ vel secularis personæ, & earumdem causarum per ministros suos executionem. Sancimus etiam ut nullus princeps, aut nullus judiciariæ potestatis homo, aut cujuscumque potentatus, aut dignitatis vir præsumat ab hominibus vestris fidelitates, vel sacramenta, vel firmantias, vel freda exigere, vel justicias eis infligere, vel exactionibus eosdem inquietare, aut distringere, vel quistas in eis facere. Jubemus quoque ut nulla persona abbatem vel monachos possit compellere munitiones vel fortias ad præfatum monasterium pertinentes ut sibi reddantur, & si factum fuerit, in irritum deducatur, quia hæc redditio regii juris esse dignoscitur. Præterea statuimus ut quicumque usque ad hoc tempus loca vel jura monasterii occupavit, si nulla temporis præscriptione munitus sit, de cætero per nulla temporum curricula possint muniri, per hanc nostram sanctionem possessionis interruptione facta. Nos igitur supra memorati patris nostri Ludovici devotionem erga ecclesias semper exhibitam volentes imitari, ipsius privilegium, sicut superius continetur expressum, ad petitionem dilectorum nostrorum Raimundi abbatis & conventus Villæ-magnæ ob remedium animæ nostræ confirmamus. Hoc insuper adjungentes expressum, quod excambium de ecclesia de Cabril, unde in privilegio patris nostri mentio non habetur, quod videlicet prædicti abbas & conventus Villæ-magnæ postea fecerunt cum episcopo Biterrensi pro ecclesia S. Petri de Redis & ecclesia S. Johannis de Miasanagues cum pertinentiis earumdem, ratum habemus & assensum nostrum quantum ad nos attinet impertimur; & ut hæc perpetuæ stabilitatis robur obtineant, sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato præsentem paginam roboramus. Actum Parisiis anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo decimo, regni vero nostri anno trigesimo primo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. S. Guidonis buticularii. S. Bartholomæi camerarii. S. Drogonis constabularii. Data vacante cancellaria.

XXIV.

Compositio facta inter Ludovicum IX. regem & Bernardum episcopum Biterrensem.

1230. IN nomine Domini nostri Jesu-Christi. Anno Nativitatis ejusdem millesimo ducentesimo tricesimo, regnante Lodoyco, omnibus hæc audientibus sit manifestum, quod controversia vertebatur inter dominum Bernardum Biterrensem episcopum ex una parte, & dominum Adam de Miliaco vices-gerentem prædicti domini Lodoyci regis Francorum ex altera. Petebat siquidem episcopus castrum de Cerviano, item Judaïcas, utpote sibi censuales, item villam de Badonis: petebat etiam tertiam partem sestarialis bladi, quam dicebat ad se pertinere ratione tertiæ partis, quam habet in leudis mercati: item dicebat episcopus quod preconizationes non debent fieri per Biterrim eo non nominato & irrequisito: item dicebat quod consensu ipsius & authoritate debebat bannum statui & relaxari: petebat etiam episcopus tertiam partem in leuda camini, & quod augmentum factum in ea tollatur: item dicebat episcopus quod inflictio pœnarum pro criminibus ad ipsum pertinebat, præterquam in adulterio & homicidio, quorum etiam examinationem ad ipsum dicebat pertinere. Item dicebat episcopus quod injuria fiebat ei in tertia parte leudæ salis, vitri, & fuste, & denarii, qui accipitur a coriatariis: item conquerebatur episcopus, eo quod ab hominibus suis de Erignano bajuli Regis petebant albergas: item conquerebatur eo quod bajuli Regis non permittebant homines liberos qui morantur in castris Regis transire ad castra ipsius episcopi vel ecclesiarum, ut ibi manerent: item conquerebatur eo quod talliabant homines suos & ecclesiarum, qui morantur in castris Regis, & quia compellebant eos respondere in curia Regis in personalibus actionibus contra privilegium ecclesiarum: item petebat episcopus castrum super portas, quod dicebatur castrum comitale & castrum vicairale: item dicebat episcopus quod possessiones extra civitatem pertinebant ad ipsum ratione illius partis, quam habet infra civitatem. E contrario proponebatur ex parte Regis, quod castrum novum, quod est in parrochia de Venres, & castrum de Casulis, & possessiones Hugonis de Paulino in villa de Aspirano, & in castro de Parietibus ad Regem pertinebant: item petebatur ex parte Regis alberga in castro de Lignano, & de Aspirano, & in abbatia S. Affrodisii: dicebant etiam bajuli Regis quod palmatæ, quæ fiunt in mercato, ad Regem spectabant: dicebant etiam ad Regem pertinere justitias majores, ut adulterii, homicidii, & furti: item petebant dicti bajuli burgetum, in quo manet Johannes Laurentius, & burguetum de Penna-varia: petebant etiam operatoria, quæ exeunt in mercato, quæ sunt juxta burgum episcopi: conquerebantur etiam quia episcopus emit leudam Guillelmi Sigarii, & Vendranæ, & quia accepit plusquam tertiam partem in leuda vaccarum, cum pars illa, quæ domina Bota ibi accipiebat, debeat computari in parte episcopi, quia ab eo tenetur. Nos igitur P. Dei gratia archiepiscopus Narbonensis, & C. episcopus Carcassonensis de mandato & authoritate domini Romani S. Angeli diaconi cardinalis apostolicæ sedis legati, & de consensu etiam & voluntate utriusque partis ipsas quæstiones & controversias in hunc modum diffinimus, & diffiniendo determinamus; videlicet quod dominus episcopus cesset a petitione facta de Cerviano & de aliis castris, si quæ jam commissa sunt propter hæresim, & habeat & teneat castrum de Casulis cum pertinentiis suis, quod etiam olim reddidit & restituit sibi comes Amalricus, & habeat ea quæ comes Montisfortis Symon contulit eidem & successoribus suis, scilicet castrum novum, quod est in parrochia de Venres, & omnia ea quæ olim habebat Hugo de Paulino in castro de Parietibus & in villa de Aspirano, quæ est juxta Thesanum, & in eorum terminiis, quæ occupaverat per escaducham comes Montisfortis, quæ dedit episcopo nomine cujusdam compositionis factæ inter eos: habeat etiam episcopus omnia jura, quæ Rex petebat, vel petere poterat in dicta villa de Aspirano, & in supra dictis locis, quæ supra dictæ donationes expeditæ sunt per instrumenta: de Judaïcis dicimus quod sint Regis, salvis censibus quæ debentur episcopo, & canonicis: & illud burguetum de Pennavaria sit de cetero episcopi, sicut determinatur a carreria juxta civitatem discurrente, usque in carreriam,

quæ exit per portale turris ventosæ: de villa de Badonis dicimus quod dominus Rex habeat medietatem dominii, & episcopus aliam medietatem: dicimus etiam quod capitulum habeat albergam ejusdem loci, quam comes dedit eidem pro suo anniversario celebrando, quam albergam solebat ibi habere idem comes: de tertia parte sestarialis bladi dicimus quod non pertinet ad episcopum, quia illi, qui percipiebant, tenebant eam a vicecomite, & faciebant in recognitionem feudi albergam quadraginta militibus: item dicimus de preconizatione ne vinum vel bladum extrahatur de villa, & de hiis quæ spectant communiter ad utrumque, quod debet fieri ex parte domini Regis, & ex parte domini episcopi, & in illa debet exprimi nomen utriusque, & quod relaxatio hujus banni non debet fieri sine voluntate utriusque: idem de leuda camini dicimus, quod episcopus percipiat in ea quod consuevit percipere usque modo, scilicet tertiam partem, & ex parte Regis nullum injustum augmentum fiat in ea, & eadem ratione habeat episcopus tertiam partem pœnæ quæ exigitur ab eo qui furatur leudam: de inflictione pœnarum, & examinationibus criminum dicimus, quod examinatio criminum pertinet ad episcopum & ad abbates de hominibus suis, inflictio vero pœnarum ad Regem de adulterio, & homicidio: de leudis salis, vitri, fuste, & de denario qui recipitur a coriatariis, & de leuda totius mercati dicimus, quod episcopus habeat tertiam partem, ita tamen quod leuda, quam emit a Guillelmo Sigarii,& Vendrana computetur infra tertiam partem suam: de albergis, quæ petuntur ab hominibus de Erignano, dicimus quod ipsi homines non tenentur eas Regi persolvere de hiis quæ sunt in terminio de Erignano, quæ omnia tenentur ab episcopo, & non impediat Rex quin illud, quod est in terminio de Erignano, recognoscatur episcopo, & alia feuda, quæ ab ipso tenentur in aliis locis: de hominibus liberis Regis, vel episcopi & ecclesiarum dicimus, quod possint libere transferre se & sua ad villas & castra, quæ voluerint, sive sint Regis, sive episcopi, vel ecclesiarum: dicimus etiam quod homines non cogantur dare ad tallias, nisi ratione possessionum, quas tenebunt a Rege, & secundum quantitatem illarum possessionum, si forte tallia fiat ratione prædiorum vel possessionum; pro personis autem nullo modo tallientur: de hominibus ecclesiæ, qui morantur in castris regis, dicimus quod in personalibus actionibus tenentur respondere coram bajulis domini Regis, nisi contra hoc privilegium ostendatur: de possessionibus quæ sunt extra civitatem in territorio Biterrensi dicimus, quod episcopus & ecclesiæ habeant illas possessiones, de quibus constare poterit per instrumenta vel testes, quod tenuissent ante adventum cruce-signatorum; eodem modo dicimus de Rege: de aliis vero, de quibus clare probari non poterit, dicimus quod inter episcopum & Regem per medium dividantur: de hominibus episcopi & ecclesiarum, qui in jurisdictione ipsorum morantur, dicimus quod debent coram suis dominis respondere. Ad petitiones, quæ fiunt ex parte Regis, dicimus quod de palmatis, quæ fiunt in mercato & in die mercati, de illis qui nolunt stare contractui debet habere Rex quinque solidos: de palmatis vero, quæ fiunt extra mercatum quibuslibet diebus, dicimus quod sint dominorum illorum, ad quos locorum spectat jurisdictio: item dicimus quod donationes & venditiones, quas comes Montis fortis, vel ejus bailivi, sive milites Francigenæ, qui erant homines ipsius, fecerunt ecclesiis vel locis religiosis apud Biterrim & in suis terminiis, quæ probari poterint per testes vel instrumenta, firmæ sint & stabiles: de furtis dicimus, quod Rex debet facere justitias, de quibus pœna corporalis debeat infligi, bona vero illorum remanebunt penes episcopum vel penes abbates, sub quorum dominio manebunt, quæ videlicet bona erunt sub dominio ipsorum: illa vero bona, quæ erunt sub Rege, pertinebunt ad dominationem ipsius. De albergis & de firmantiis & justitiis Lignani,

A Aspirani, & de abbatia S. Affrodisii dicimus vicecomitem nullum jus in eis habuisse, & instrumentum quoddam super iis factum per violentiam extortum fuisse, & ideo sententiamus illud nullius valoris esse: de augmentis operatoriorum quæ facta sunt juxta mercatum dicimus quod pertinent ad episcopum: de leuda vaccarum dicimus quod pars dominæ Botæ debet computari infra tertiam partem domini episcopi. De civitate vero & burgis Regis & episcopi, ne super aliqua possit dubitatio in posterum exoriri, ita diffinimus, videlicet quod ab angulari domus Aiglinæ filiæ quondam Heliasarii de Castriis, quod angulare est juxta Mirallias, ab illo, inquam, angulari, usque ad angulare domus, quæ fuit Petri Raimundi de Magalato, & ab isto angulari, sicuti via descendit, usque ad posterulam Poncii de Corneliano a dextris totum est domini

B Regis, in qua parte est mansus, in quo manet Johannes Laurentius, qui fuit Petri de Magalato supradicti, & mansus Bremundi de Abiliano, & estare quod fuit Heliasarii, & mansus den Mirallias, & mansus Bernardi Ferrucii, & omnes aliæ mansiones, sicut includit prædicta via, quæ exit de civitate, usque ad mansum Johannis Sedacerii, & ab ipso manso Johannis Sedacerii, usque ad angulare Arnaudi Burserii juxta domum quæ fuit Cadaste, totum a sinistris est episcopi, a dextris vero Regis. Ab ipso vero angulari dicti Arnaudi Burserii usque ad portas majores a dextris & a sinistris totum est episcopi, præter mansum, qui fuit Bernardi de Biterri, qui solebat dici castrum vicairale, qui scilicet mansus cum turre & omnibus suis pertinentiis

C est domini Regis. Item a portis prædictis usque ad angulare domus helemosinarii, sicut angulare ipsum tendit directe usque ad domum Vivæ-crescentis de Villa-nova Judæi, quæ domus est Regis, totum a dextris, & a sinistris cum platea, in qua fuit castrum comitale, est episcopi, præter domum Duranti Judæi filii quondam den Bonjudas, quæ est portale Judaicarum: a dicto vero angulari helemosinarii, sicut itur directe usque ad murum turris ventosæ per viam, quæ est inter domum Samuhelis Judæi, & domum Raimondi Gothi, est totum a dextris episcopi, a sinistris vero domini Regis cum Judaicis & eorum mansionibus, præter domos clericorum. Estare vero totum, quod fuit Guillelmi Sigarii, & mansus, qui fuit Raimundi magistri, pertineant ad episcopum, & etiam

D pars illa, quam vendidit Judæis de ipso estari. Idem Guillelmus Sigarii pertineat ad episcopum. Item a prædicto angulari Arnaudi Burserii, sicut itur directe ad angulare Petri Aimerici & Raimundi de Pradis, & inde per pelliparіam inferiorem usque ad angulare Raimundæ de Castris, & sicut inde fit transitus ante operatoria Bursariæ, & ante operatoria Guillelmi Petri Bosati, & ante operatorium Berengarii de Alzona, & ante operatoria uxoris Bernardi Rogani de Villa-magna, & ante operatoria Petri Riquelini, & ante operatoria Guillelmæ uxoris Johannis de Boiano, & ante operatoria Guillelmi de Floirano, usque ad operatoria Agnetis uxoris quondam Arnaudi Capdemalk, & ante operatoria ipsius Agnetis, & ante operatoria quæ fuerunt Arcmandi Escuderii, & ante operatoria Guillelmi Petri

E de Narbona, usque ad domum Berengarii Salvaire, & ante operatorium Arnaudi Blanchi, & ante operatorium Richardis filiæ quondam Petri de Sirignano, & ante operatoria Guillelmi de Acre, & ante operatoria Bernardi Sicardi, usque ad angulare carreriæ, qua itur ad ecclesiam S. Saturnini, & de ipso angulari usque ad prædictam ecclesiam S. Saturnini, totum quidquid est ex sinistra parte pertineat ad dominationem episcopi, totum vero residuum a parte dextra cum platea mercati tota pertineat ad dominationem Regis. De prædicta divisione totius cincti civitatis & burgueti, in quo manet Johannes Laurentius, & Judaicarum, & de omnibus aliis, quæ sunt infra cinctum, & de suburbio turris ventosæ, quod dicitur burguetum de Penna-varia. Sunt testes Guillelmus de sancto Genesio succentor

Biterrensis, Raimundus Salvaire archidiaconus Lunathensis, Bernardus de Cistercio canonicus Biterrensis, Bernardus abbas sancti Affrodisii, Petrus de Assaniano, Raimundus Guillelmi canonici ejusdem ecclesiæ, Petrus de Magalato sacrista, Petrus Senglarius, Aimericus Bossatus, Johannes de Borano, Guiraudus Crozeti, Guillelmus Catalanus canonicus dictæ ecclesiæ sancti Affrodisii, Guillelmus de Lignano, Deodatus Duranti, Petrus de Castris, Johannes Textor, Adilulphus de Magalato, Bernardus de Aniciano, Raimundus de Laveneria, Carolus canonicus Narbonensis. Nos igitur Bernardus episcopus supra dictus per nos & per successores nostros, & nos Adam de Milliaco pro nobis & pro prædicto domino Rege hæc omnia supra dicta universa & singula in perpetuum firmiter valitura laudamus, concedimus, confirmamus, & approbamus promittentes nobis ad invicem quod numquam contra veniemus, aut veniri faciemus, aut consentiemus aliqua ratione, lege, vel consuetudine, nec aliquo jure divino, vel humano, scripto vel non scripto, nunc promulgato vel deinceps promulgando, & nos C. supradictus episcopus Carcassonensis ad perennem hujus rei memoriam & firmitatem præsentem paginam sigilli nostri testimonio dignum duximus roborandam. Nos etiam prædictus episcopus Biterrensis, & nos Adam de Milliaco eidem paginæ sigilla nostra apponi fecimus, & ego Petrus Romani publicus Biterris Notarius de mandato supra dicti domini episcopi Carcassonensis, & domini B. episcopi Biterrensis, & domini Adæ de Milliaco hanc chartam propria manu scripsi, & signum meum apposui.

XXV.

Raymundi Tolosæ comitis appellationis instrumentum.

1243.

ANno Domini MCCXLIII. Sabbato infra octavas Paschæ, notum sit universis præsentibus & futuris, quod Raymundus Dei gratia comes Tolosæ constitutus in præsentia venerabilium patrum archiepiscoporum Narbonensis,& Arelatensis, & episcoporum Tolosani, Lodovensis, Agathensis, Nemausensis, Carpentoratensis, Massiliensis, Ruthenensis, & Albigensis, & aliorum plurimorum abbatum, prælatorum, & multorum virorum ecclesiasticorum in aula Biterrensi, præsentibus etiam viris religiosis fratre Pontio priore provinciali Fratrum Prædicatorum in Provincia, & aliis fratribus sui ordinis, qui se dicebant auctoritate apostolica judices in terra nostra contra pestem hæreticam, patenter ostendimus, quod frater Ferrarius & frater Willelmus Raimundi ejusdem ordinis, qui dicunt se habere jurisdictionem auctoritate apostolica ad inquirendum contra hæreticos in terra nostra, post appellationem contra eos, & eorum jurisdictionem ad sedem apostolicam legitime interpositam, & etiam contra juris ordinem manifeste tulere in personam nostram gravem & erroneam excommunicationis sententiam, a qua sententia episcopos appellat vacante Romana sede, ad instantiam magistri Willelmi Comberio & sociorum ipsius nuntiorum illustris regis Francorum, propterea quod periculum sit in mora, ne interea negotium inquisitionis penitus impediatur. Hujus rei testes sunt prædicti domini archiepiscopi, episcopi, & abbates Villæ-magnæ, S. Tiberii, Crassensis, S. Pontii, de Quadraginta, S. Hilarii, S. Papuli, Foxensis, Appamiarum, Galliacensis, Grandis sylvæ, Fontis-frigidi, Bolbonensis, & alii plurimi, archidiaconi Bituricensis, Narbonensis, Magalonensis, Nemausensis, Lodovensis, Tholosanus; procuratores Carcassonensis, præpositus Arelatensis, Nemausensis, Magalonensis, Tholosanus, & alii plurimi prælati & clerici, & etiam milites & laici.

XXVI.

Charta fundationis Fratrum Prædicatorum Biterrensium.

1247.

NOverint universi præsentes litteras inspecturi, quod nos Johannes de Crannis miles senescallus Carcassonæ & Biterris de mandato domini regis Franciæ nobis facto per Robertum Scantionem servientem domini Regis, posuimus in possessionem plateæ castri destructi de Biterri fratrem Petrum de Arelate & fratrem Bernardum de Rococello de ordine Prædicatorum nomine totius ordinis prædicti, ad faciendum ibi ecclesiam, seu monasterium & mansionem. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum apud Biterras ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quadragesimo-septimo in die S. Mathiæ apostoli.

XXVII.

Bulla Alexandri papæ IV. ad monachos Juncellenses ut Jordanum de Montepavone abbatem suum colant, eique obediant.

Ex archivo Juncell.

1258.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilectissimis conventui monasterii Juncellensis ad Romanam ecclesiam, &c. *ut infra.* firma concepta fiducia quod vestro monasterio per ministerium abbatis electi, cui clara morum vitæ ac scientiæ merita suffragantur, & perhibetur testimonium quod in spiritualibus & temporalibus sit laudabiliter circumspectus, prosperitatis & honoris Deo propitio desiderata provenient incrementa. Rogamus itaque universitatem vestram, & hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem abbatem admittentes, hilariter & honorifice pertractantes, ei tanquam patri & pastori animarum vestrarum impendatis obedientiam & reverentiam debitam, ac ejus salubribus mandatis & monitis efficaciter intendatis: ita quod ipse in vobis devotos filios, ac vos consequenter in eo patrem invenisse benevolum gaudeatis; alioquin sententiam quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles ratam habebimus & faciemus, authore Domino, usque ad satisfactionem congruam appellatione remota inviolabiliter observari. Datum Anagniæ XV. cal. Nov. pontificatus nostri anno quinto.

XXVIII.

Bulla ejusdem Alexandri papæ IV. ad episcopum Biterrensem, cui præcipit, ut Jordano de Montepavone abbati Juncellarum electo munus benedictionis impertiatur.

Ex archiv. Juncell.

1258.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Biterrensi salutem & apostolicam benedictionem. Rationis oculis intuentes, &c. *ut infra.* Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Jordano de Montepavone electo abbati cœnobii Juncellensis authoritate nostra sublato cujuslibet dilationis obstaculo munus benedictionis impendas, alioquin venerabili fratri nostro Ruthenensi episcopo damus per nostras litteras in mandatis, ut ipse hujusmodi munus abbati impendat eidem. Datum Anagniæ XV. cal. Nov. pontificatus nostri anno V.

XXIX.

Ex archiv. Juncell.

Bulla Alexandri Papæ IV. ad episcopum Ruthenensem, cui mandat ut, negante episcopo Biterrensi, benedicat electum Juncellensem abbatem Jordanum de Montepavone.

1258.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Ruthenensi salutem & apostolicam benedictionem. Rationis oculis intuentes, &c. *ut infra.* Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si prædictus Biterrensis episcopus mandatum nostrum neglexerit adimplere, tu prædicto abbati hoc munus impendas: eidem abbati sive præfatus episcopus eidem prædictum munus impenderit, sive non, & ab eodem abbate nostræ & Romanæ ecclesiæ fidelitatis solitum juramentum juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam recipies: formam autem juramenti quod ipse præstabit de verbo ad verbum per ejus patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius studeas destinare. Datum Anagniæ XV. cal. Nov. pontificatus nostri anno V.

XXX.

Alexandri papæ IV. ad Jordanum de Montepavone electum abbatem Juncellensis cœnobii.

1258.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Jordani de Montepavone abbati monasterii Juncellensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis S. Benedicti Biterrensis diœcesis salutem & apostolicam benedictionem. Rationis oculis intuentes commoda quæ vacantibus ecclesiis de salubri provisione proveniunt, reddimur corde solliciti ut circa provisionem hujusmodi faciendam fructuosæ attentionis studium habeatur. Sane monasterio tuo abbatis regimine destituto, conventus ipsius convenientes in unum Spiritu sancti gratia invocata te tunc ipsius monachum in ejusdem abbatem canonice & concorditer elegerunt, & licet venerabilis frater noster Biterrensis episcopus, prout etiam procurator vestri conventus confessus fuit coram nobis, esset in possessione vel quasi confirmandi electionem abbatis monasterii memorati, tamen quia dictum monasterium per specialia privilegia sedis apostolicæ a jurisdictione ipsius episcopi est exemptum, tu consentire noluisti quod electionem de te celebratam idem episcopus confirmaret; sic quod inter eundem episcopum ac te & conventum prædictum fuit conventum ut hujusmodi negotium deberet per ipsius sedis prudentiam terminari. Procuratoribus itaque partium in nostra præsentia constitutis, privilegia præfati monasterii inspeximus diligenter, & quia invenimus monasterium ipsum per eadem privilegia ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinere, ac electionem hujusmodi de persona idonea canonice celebratam cum authoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio, ita quod per hoc juri ejusdem episcopi, si quod de jure in monasterio prædicto obtinet, nullum præjudicium generetur, duximus confirmandam, firma concepta fiducia, quod eidem monasterio per tuum ministerium prosperitatis & honoris circa spiritualia & temporalia Deo propitio desiderata perveniant incrementa. Rogamus itaque discretionem tuam, & hortamur attente per apostolica scripta tibi mandantes quatenus humiliter suscipiens impositum tibi a Domino onus, præfati monasterii sollicitam curam geras, gregem Dominicum in illo tibi commissum doctrina verbi & operis informando, ita quod memoratum monasterium tuæ diligentiæ studio laudabiliter in temporalibus & spiritualibus authore Domino proficiat incrementis. Datum Anagniæ XIII. cal. Nov. pontificatus nostri anno V.

XXXI.

Ex archiv. Juncell.

Epistola Viviani episcopi Ruthenensis, qua notum facit quod jussu summi pontificis benedictionem Jordano de Montepavone Juncellensi abbati electo impertitus sit.

1259.

UNiversis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, frater Vivianus de ordine Minorum permissione divina episcopus Ruthenensis, salutem æternam in filio Virginis gloriosæ. Noveritis quod frater Jordanus abbas monasterii S. Petri Juncellensis, ordinis S. Benedicti, Biterrensis diœcesis, præsentavit nobis litteras apostolicas quasdam sub bulla, infra interclusas, & quasdam alias patentes non vitiatas, non cancellatas, nec aliqua sui parte abolitas cum vera bulla & vero filo, & stylo, quarum litterarum patentium tenorem præsenti paginæ inseri fecimus, & transsumi ab originali nihil addito vel remoto, prout inferius ordinatur. Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Ruthenensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Rationis oculis intuentes commoda quæ vacantibus ecclesiis de salubri provisione proveniunt, &c. *ut supra.* In cujus rei testimonium præsentem paginam sigillo nostro fecimus roborari. Aperuimus etiam litteram seu formam juramenti, quæ nobis a sede apostolica mittebatur sub bulla domini papæ interclusam, & juramentum fidelitatis sub eadem bulla contentum nomine domini Alexandri papæ IV. & Romanæ ecclesiæ recepimus ab eodem abbate coram pluribus fide dignis de verbo ad verbum solemniter, sicut in dicta littera plenius vidimus contineri. Actum & datum apud Bellum-montem id. Januarii anno MCCLIX.

XXXII.

Ex tabul. Juncell.

Epistola Jordani abbatis & conventus Juncellensis ad Alphonsum comitem Tolosanum, qua se suosque offerunt oratores eidem comiti.

1266.

NOverint universi præsentem paginam inspecturi, quod anno Dominicæ Incarnationis MCCLXVI. sexto idus Augusti, nos Jordanus sola Dei clementia abbas Juncellensis monasterii pro nobis & toto conventu dicti monasterii & ejus speciali consilio & assensu cum hac charta in perpetuum valitura attendentes affectuosam devotionem illustrium virorum Tholosanorum comitum, quam erga monasterium nostrum habuerunt, & etiam protenderunt, ipsum magnificando in bonis & juribus quamplurimis, & ipsum cum expediebat devotius protegendo, nos eisdem eorumque successoribus de bonis nobis a Deo, ac eisdem dicto monasterio liberaliter collatis vicem pro modo nostro rependere cupientes, nos dictique loci conventum pro eis apud Deum quantum Deus dederit cum gratia constituimus specialiter oratores, recognoscimusque insuper nos & dicti loci conventum administratores bonorum nostro monasterio pertinentium, sive membris ejusdem, omnes omnino temporalitates, sive sint jurisdictiones merum vel mixtum imperium respicientes, taschas, usatica, feuda, sive quæcumque bona & jura alia quocumque nomine censeantur, sive sint fortiæ, territoria cum omnibus eorum pertinentiis tenere in feudum francum & honoratum a domino Alphonso Dei gratia comite Pictaviensi & Tholosano, & vobis domino de Boissiaco senescallo in Ruthenensi diœcesi pro ipso domino comite stipulanti & recipienti recognitionem prædictam pro ipso domino comite ubicumque in dicta diœcesi prædicta bona sint vel fuerint constituta, acquisita prædicto monasterio ejusque membris, & omnia acquirenda, & ea specialiter quæ habemus in parochiis de Cornutio, & de Canalibus & de Fundamenta, & S. Ciricii de Arbustello, & S. Juliani de Moleriis, & S. Andreæ

juxta flumen Orbei,& S. Petri de Cluperio, & S. Mariæ de Bono-villariæ, & sanctæ Mariæ de Tauriaco, & de Sennomets, & generaliter omnia alia temporalia in dicta diœcesi constituta pro quo feudo seu feudis dicto domino comiti suisque successoribus esse boni promittimus & fideles per nostræ fidei pluvimentum. Est tamen sciendum quod dictorum feudorum recognitio debet fieri apud Amilianum senescallo, vel senescallis, qui pro tempore fuerint a singulis abbatibus post nos intrantes de novo regimen prædicti monasterii infra annum, postquam administrationem susceperint dicti loci, cum a dictis senescallis vel eorum certis nuntiis deputatis ad hoc vel ab ipso domino comite specialiter fuerint requisiti. Die vero qua fiet dicta recognitio pro speciali & generali servitio dictorum feudorum obolum aureum dicto domino comiti apud Amilianum solvere & reddere teneantur ei scilicet qui pro ipso domino comite recognitionem recipiet memoratam. Quod si forte dicti abbates de dicta re recognitionem non fecerint, requisiti infra dictum tempus, vel servitium non fuerit prædictum solutum, dicta feuda non cadent ideo in commissum, sed post eorum bannimentum ad dictam recognitionem infra annum a requisitione facienda computandum & prædicti servitii præstatione libere teneantur, quo servitio præstito ipsi abbates subditum monasterium sive membra dicto domino comiti pro dictis feudis ad nihil aliud teneantur: facta vero recognitione ac præstito servitio prædicto, si pro mora prædicta dicta feuda bannita fuerint, ad dictos abbates monasterium seu membra libere ac indamniter revertantur. Sciendum est etiam quod tam nos quam successores nostri, qui prædicta membra regimus, libere dicta bona sive feuda, vel eorum partem quamlibet alienare possimus titulo permutationis vel aliter sine requisitione, vel laudimio dicti domini comitis, vel suorum, dum tamen ea quæ pro dictis permutationibus nobis advenerint in feudum ab ipso domino comite similiter teneantur, & sic fiat successive de bonis ab ipso monasterio permutandis. Nos vero idem Philippus de Boissiaco miles senescallus prædictus dictorum feudorum recognitionem recipientes,vos,vestrumque monasterium, & ipsius bona, & specialiter dicta feuda pro ipso domino comite sub ejus protectione speciali, amparatione, custodia & tutela suscipimus. Acta fuerunt hæc apud Amilianum in castro dicti comitis die & anno quibus supra.

XXXIII.

Homagium Pontii de sancto Justo episc. Biterr. pro terra & baronia Arisdii.

1283.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex universis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod dilectus noster Pontius de S. Justo episcopus Biterrensis & dominus terræ Arisdii, ut privata & secularis persona, & non ut episcopus, fecit nobis homagium ligium & recognitionem pro tota terra & baronia Arisdii tantum sita in diœcesi Nemausensi, Lodovensi, & Magalonensi, quam emit a Guillermo de Andusia & Bernardo ejus filio, prout in instrumento venditionis continetur, quod homagium ligium & recognitionem nos recepimus a dicto Pontio de S. Justo, ut a privata & seculari persona, & non ut ab episcopo, pro dicta terra & baronia Arisdii tantum, qui Pontius de forisfcapio dictæ terræ nobis plene secundum terræ consuetudinem satisfecit, salvo in aliis jure nostro, & in aliis jure quolibet alieno, in cujus testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Tholosæ anno Domini MCCLXXXIII. mense Julii.

XXXIV.

Homagium Pontii de sancto Justo episc. Biterrensis, pro terra & baronia Arisdii.

1286.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris quod dilectus noster Pontius de sancto Justo episcopus Biterrensis & dominus terræ Arisdii ut privata & secularis persona, & non ut episcopus, fecit nobis homagium ligium & recognitionem pro tota terra & baronia Arisdii tantum sita in diœcesi Nemausensi, Lodovensi, & Magalonensi, quam emit a Guillermo de Andusia & Bernardo ejus filio prout in instrumento venditionis continetur. Quod homagium ligium & recognitionem nos recipimus a dicto Pontio de S. Justo ut privata & seculari persona, & non ut episcopo, pro dicta terra & baronia Arisdii tantum, salvo in aliis jure nostro & jure quolibet alieno. Quod ut ratum & stabile perseveret, præsentes litteras sigillo nostro fecimus communiri. Actum Parisiis anno Dom. MCCLXXXVI. mense Junio.

XXXV.

Homagium Bernardi de sancto Justo pro terra & baronia Arisdii.

1293.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris quod dilectus noster Bernardus de S. Justo dominus terræ Arisdii & baroniæ ejusdem, quam acquisivit de donatione ei facta a bonæ memoriæ Pontio de sancto Justo olim episcopo Biterrensi, ut a privata & seculari persona, quam idem Pontius tanquam privata & secularis persona acquisiverat ex causa emptionis a Guillermo de Andusia & Bernardo filio ejus, prout in instrumentis dictarum donationis & venditionis continetur, de tota terra & baronia prædictis tantum, sita in diœcesi Nemausensi, Lodovensi, & Magalonensi nobis fecit homagium ligium & recognitionem, & nos ipsum recepimus pro dicta terra & baronia in homagium nostrum ligium, salvo in aliis jure nostro & jure quolibet alieno, dantes senescallo nostro Bellicadrii & aliis officialibus nostris tenore præsentis mandamenti in prædictis recognitis per dictum Bernardum dominum Arisdii, ipsum manu teneatis & deffendatis ac gaudere faciatis filialibus & obventionibus ac aliis juribus dictæ terræ & baroniæ, nec ipsum permittatis ab aliquo impediri calomniose, sive indebite molestari seu vexari, subditos baroniæ prædictæ ad obedientiam eidem & recognitiones debitas & etiam census faciendi compellatis, si qui eorum rebelles fuerint, prout ad se noverint pertinere. Quod ut ratum & stabile perseveret, præsentibus litteris sigillum nostrum fecimus apponi. Actum apud Neuflam die Mercurii post festum beatorum apostolorum Petri & Pauli anno Domini MCCXCIII.

XXXVI.

Fundatio sive confirmatio fundationis monasterii S. Nazarii Biterrensis, vulgo S. Spiritus.

Ex archivis episc. Biterr.

1305.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ & conventui monasterii S. Nazarii ad caput pontis fluminis Orbi prope Biterris ordinis S. Augustini salutem & apostolicam benedictionem. Hiis quæ pie aguntur divinæ retributionis obtentu... salutem respiciunt animarum, libenter adjicimus apostolici muniminis firmitatem, ut illibata persistant, cum nostro fuerint præsidio communita. Sane dilectus filius noster Berengarius tituli SS. Nerei & Achillei presbyter cardinalis in nostra posuit præsentia constitutus, quod bonæ memoriæ Pontius

Pontius episcopus Biterrensis hospitale vestrum divini amoris instinctu constitui fecit, eique nonnulla de bonis episcopalis mensæ Biterrensis, & quandam ecclesiam concessit sui capituli ad hoc accedente consensu. Eodem vero episcopo viam universæ carnis ingresso, præfatus cardinalis tunc episcopus Biterrensis, qui dicto Pontio episcopo in regimine ecclesiæ Biterrensis successit, ac ipsi capitulum juxta dictum hospitale monasterium, in quo vos filiæ abbatissa & conventus deservitis Domino, construxerunt, dictusque cardinalis tunc episcopus quandam ecclesiam & quosdam alios redditus ipsi monasterio pro sustentatione sororum & personarum ibi degentium in usus proprios deputavit de consensu capituli prædicti, idemque cardinalis tunc episcopus Biterrensis una cum capitulo supradicto tam circa monasterium quam circa hospitale prædicta & degentes in eis personas quædam statuta edidit salubria & honesta, prout hæc omnia in instrumento publico dictorum cardinalis tunc episcopi & capituli sigillis munito plenius & latius continetur. Nos itaque dicti cardinalis supplicationibus inclinati, quæ circa præmissa acta sunt rata & grata habentes, ea prout in instrumento continentur prædicto auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: tenorem vero dicti instrumenti præsentibus inseri fecimus, qui talis est. Noverint universi hanc scripturam sive instrumentum publicum inspecturi, quod reverendus in Christo pater dominus Berengarius Dei gratia episcopus Biterrensis ac venerabiles viri capitulum Biterrense existentes in capitulo Biterrensi ibidem congregati, ut est moris, pro capitulo tenendo & celebrando, & tractandis hiis quæ in ipso capitulo emergunt tractanda, facienda, ordinanda, & explenda, dictus dominus episcopus & capitulum in mei notarii & testium infra scriptorum præsentia fecerunt, ordinaverunt, & constituerunt ordinationem quæ sequitur in hunc modum. Dudum reverendus pater & dominus Pontius bonæ memoriæ episcopus Biterrensis ad honorem Dei & ecclesiæ Biterrensis pro salute animæ suæ & animarum progenitorum, propinquorum & benefactorum suorum, pro bonoque statu civitatis & diœcesis Biterrensis in suburbio civitatis ejusdem ad caput pontis Orbi versus civitatem eandem hospitale pro pauperibus recipiendis construxit valde sumptuosum, spatiosum, & pulcrum, & tres capellanias instituit in ecclesia seu capella hospitalis ejusdem, & condaminas, seu agros, ac riperias, quas tunc in riperia dicti fluminis Orbi & circa Biterris seu territorio Biterrensi mensa episcopalis habebat, necnon & ruralem ecclesiam sancti Genesii de Ponciano juxta Biterrim de collatione Biterrensis episcopi existentem in dotem hospitali præfato de consensu & consilio Biterrensis episcopi assignavit, quæ concessio seu alienatio dictorum bonorum episcopalium fuit dicto domino episcopo tunc permissa, quia ipse tunc temporis vel forsitan paulo ante medietatem castri de Casulis longe plus quam dicta bona hospitali concessa valentem emit seu emerat episcopo Biterrensi. Processu autem temporis nos Berengarius permissione divina episcopus & capitulum Biterrense diligenti sollicitudine meditantes, quod in civitate ac diœcesi Biterrensi, in quibus est virorum & mulierum maxima multitudo, nullum est monasterium mulierum, nisi unicum sanctæ Claræ, cujus sorores penitus nihil habent, nisi victum valde tenuem & exilem, quem per questum publicum sibi quærant, & quia cum aliquo additamento redditUum & edificiorum in loco ubi dictum hospitale constructum, commode ac decenter fieri poterat religiosarum monasterium mulierum absque damno & prejudicio, imo cum lucro, commodo, & utilitate hospitalis pauperum prædictorum, prout clare loci conditio ac circumstantium omnium solers consideratio indicabat, & rei eventus ex post facto clarius comprobavit, habita deliberatione super hoc diligenti cum illo probatissimo, oculatissimo, & expertissimo patre domino scilicet Bonifacio papa octavo memoriæ recolendæ, ac cum multis aliis prælatis, & principibus, & aliis bonis viris clericis & secularibus, laicis & regularibus deliberavimus, ordinavimus, fecimus, & construximus in loco prædicto monasterium valde pulchrum ad honorem Dei omnipotentis & beatissimæ Virginis matris ejus, ac beati Nazarii patroni nostri martyris gloriosi, hospitali prædicto in meliori conditione remanente quod ante, & de ipso monasterio & ejus sororibus præsentibus & futuris per modum ordinamus infra scriptum. Eidem namque monasterio & abbatissæ ac sororibus ibidem Deo servientibus nos præfatus episcopus cum consilio & consensu capituli nostri Biterrensis contulimus ecclesiam S. Felicis castri de Porcairanicis cum omnibus juribus & pertinentiis suis, congrua portione de illius ecclesiæ redditibus vicario perpetuo & servitoribus ecclesiæ reservata, prout eadem portio dudum fuit taxata & Gregorio nunc vicario assignata: contulimus eisdem insuper illas partes seu portiones, quas mensa episcopalis, & opus seu fabrica ecclesiæ Biterrensis de redditibus ecclesiæ supradictæ de Ponciano recipere consueverunt temporibus retroactis, nihilominus conferentes eisdem illam partem seu portionem, quam helemosynarius Biterrensis de fructibus ejusdem ecclesiæ recipit & recipere consuevit, ita quod discreto viro Petro Bedoen elemosynario Biterrensi cedente, vel decedente omnes redditus & proventus ecclesiæ supradictæ de Ponciano sine diminutione quacumque pertineant ad monasterium supra dictum, & officiabitur eadem ecclesia per unum de capellanis ejusdem monasterii adjuncto sibi socio secundum dispositionem præceptoris hospitalis ejusdem, sic quod dictum monasterium & sorores ejusdem ecclesias de Ponciano & de Porcairanicis, & condaminas, & riperias supradictas habeant in perpetuum pro substentatione sua & hospitalis prædicti. Et quoniam juxta modum facultatum taxandus est numerus servitorum, voluimus & ordinavimus, & adhuc etiam ordinamus facultatibus prædictis diligenter attentis nos episcopus & capitulum prælibati in eodem monasterio sit numerus triginta sororum, duabus vel tribus conversis pro aliarum servitio in eodem numero minime computatis, volentes easdem sorores præter conversas vocari canonicas S. Nazarii, cujus officium in monasterio ipso dicent, ut dicitur in ecclesia Biterrensi: volumus etiam & ordinamus quod prædictæ sorores in eodem monasterio sub perpetua clausura regulam beati Augustini observent, ita quod numquam dictum monasterium in vita exeant vel in morte, vestes & velum albas in signum virginitatis & continentiæ quam habent custodire portabunt, in velo tamen in memoria crucifixi, cujus se obsequio devoverunt, rubeam crucem deferant, cum fuerint benedictæ. Cibis carnalibus & quadragesimalibus secundum temporum exigentiam moderate utantur: silentium temporibus congruis observabunt. Omnes quandiu sanæ fuerint in communi refectorio comedant, & in communi dormitorio dormiant, & quiescant, & in omnibus vivent secundum prædictam regulam & institutiones regulares in eodem monasterio factas & etiam fiendas. Bona temporalia ejusdem monasterii & exteriora regantur per dictum præceptorem ab episcopo & capitulo supradictis instituendum & destituendum pro suo libito voluntatis: qui præceptor sororibus de victu & vestitu, & aliis necessariis & servitoribus ejusdem monasterii & hospitalis eisdem episcopo & capitulo rationem reddat, quando & quoties per ipsos fuerit requisitus. Abbatissa quoque, quæ monasterium in interioribus regere habet, per eosdem episcopum & capitulum instituetur, quotiens & quando ipsis episcopo & capitulo videbitur expedire. Sorores etiam instituentur seu recipientur, cum locus vacaverit, per eosdem. Cura tamen animarum, visitatio & correctio abbatissæ ac sororum ejusdem monasterii ad episcopum pertinebit. In modicis vero & consuetis sorores suas corrigat abbatissa, & ubi correctio non sufficiet, abbatissæ erit ad episcopum recursus habendus: fracmentum

canonicarum dabitur pauperibus hospitalis prædicti, & de duobus lectis quos secum ad ipsum monasterium, unum scilicet pro dormitorio, & alium pro infirmitorio tempore ingressus sui quælibet canonica portare debet, unus moriente canonica hospitali, & alter monasterio remanebit, nec augebitur numerus canonicarum antedictus, nisi facultates monasterii fuerint augmentatæ, ita quod juxta facultatum augmentum canonicarum numerus augmentetur, sicque monasterium ipsum temporalibus bonis semper abundet, ac spiritualibus continue proficiat incrementis: cui ordinationi seu constitutioni dictus dominus episcopus & capitulum gratis & unanimiter consentierunt, & eam approbaverunt, & ratificaverunt expresse, ipsamque voluerunt perpetui roboris firmitatem habere. Acta sunt hæc Biterris in domo capituli Biterrensis ubi teneri capitulum consuevit anno Domini MCCCV. præsidente sanctissimo patre domino Clemente divina providente clementia papa quinto II. idus Octobris in præsentia & testimonio discretorum virorum magistri Guillelmi Sicredi rectoris ecclesiæ sancti Saturnini de Posaco diœcesis Biterrensis, Johannis Adoriete diaconi beneficiati ecclesiæ Biterrensis, & mei Imberti Verselam clerici civitatis Biterris publici auctoritate apostolica notarii, qui præmissis ordinationi & constitutioni præsens interfui, & hæc in nota recepi requisitus, signoque meo signavi: & ad majorem præmissorum omnium firmitatem habendam, nos præfati episcopus & capitulum huic instrumento publico sigilla nostra duximus apponenda. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud sanctum Siricium prope Lugdunum secundo calendas Martii pontificatus nostri anno primo.

XXXVII.

Andreas abbas S. Aphrodisii fundat duo torticia in ecclesia Narbonensi.

Ex necrol. S. Justi Narbonæ.

1330.

ANno MCCCXXX. videlicet pridie nonas Novembris noverint universi, quod reverendus in Christo pater domnus Andreas divina miseratione abbas ecclesiæ sæcularis S. Aphrodisii Biterrensis, canonicusque in ecclesia Narbonensi constituit in eadem ecclesia ad divini cultus augmentum, & ad honorem Dei & virginis Mariæ, & gloriosissimorum martyrum Justi & Pastoris duo torticia ceræ, ponderis quodlibet XV. librarum ceræ, quæ quidem torticia ardeant qualibet die ad elevationem Corporis Christi in missa majori, simili modo ad elevationem Corporis Christi missæ beatæ Mariæ, quæ celebratur infra chorum dictæ ecclesiæ Narbonensis: præterea & quod etiam dicta torticia ardere debeant in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, & Corporis Christi, & in 4. festivitatibus virginis Mariæ, & in festis SS. Justi & Pastoris, SS. Nazarii & Celsi, & S. Affrodisii ad elevationem Corporis Christi missæ majoris, quousque presbyter celebrans ipsam missam majorem Corpus & Sanguinem Jesu Christi........ Pro quibus quidem duobus torticiis ceræ dictus dominus Andreas assignavit perpetuo venerabili capitulo Narbonensi VI. libras Turon. censuales super quibusdam hospitiis infra villam Narbonam situatis, prout apparet per quoddam instrumentum per manum magistri Johannis Rimberga notarii Narbonensis, & in libro usaticorum dicti capituli: & dictum capitulum obligavit se ad prædicta duo torticia quolibet anno in perpetuum facienda.

XXXVIII.

Guillelmus electus Biterrensis episcopus Petro Narbonensi archiepiscopo promittit obedientiam & reverentiam.

Ex tabul. Biterr.

1349.

EGo Guillelmus Biterrensis ecclesiæ vocatus episcopus ab hac hora inantea fidelitatem & subjectionem, obedientiam & reverentiam a sanctis Patribus institutam sanctæ Narbonensi ecclesiæ, & vobis domino Petro ejusdem ecclesiæ præsenti archiepiscopo, vestrisque successoribus canonice intrantibus perpetuo me exhibiturum profitens, promitto quod non ero in consilio, nec in facto ut vitam perdatis, aut membrum, nec capiamini mala captione, & consilium quod mihi aut per vos, aut per litteras, aut per nuncium manifestabitis, ad damnum vestrum nulli pandam, præsulatus vestri & ecclesiæ Narbonensis adjutor ero salvo ordine meo ad defendendum & ad retinendum, vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione, & quod bona dicta ecclesiæ Biterrensis non alienabo, nec infeudabo de novo, nisi de licentia vestra, & prout permittunt canonica instituta, vel usus, seu privilegia ecclesiæ Biterrensis, quæ de jure valere debent, & hæc super sancta Dei Evangelia propria manu mea firmo cum sigillo meo, quo testibus præsentibus appenso corroboravi supradicta. Actum & datum apud Narbonam decimo tertio Februarii anno MCCCXLIX.

XXXIX.

Hugo episcopus Biterrensis diem visitationis indicat in abbatia S. Aphrodisii Biterrensis.

Ex tabul. Biterr.

1353.

HUGO miseratione divina Biterrensis episcopus venerabili in Christo patri abbati sæcularis ecclesiæ S. Aphrodisii Biterrensis, ipsiusque ecclesiæ capitulo salutem in Domino. Vobis & vestrum singulis tenore præsentium notificamus, quod disponente Domino die Veneris proxime sequenti intendimus visitare & procurari apud ecclesiam vestram S. Aphrodisii, & alia ibidem facere, quæ circa visitationis & procurationis officium incumbunt. Quare vobis requirimus & mandamus, quatenus dicta die Veneris dum visitabimus & procurabimur in dicta ecclesia intersitis personaliter, taliter super his vos habentes, quod non possitis de culpa seu negligentia reprehendi. Datum in castro nostro de Lignano die XI. mensis Septembris anno Domini MCCCLIII.

XL.

Litteræ Arnaldi archiepiscopi Auscensis, quibus significat abbatem Juncellensem per procuratorem sedem apostolicam visitasse.

Ex tabul. Juncell.

1365.

UNiversis præsentes litteras inspecturis Arnaldus permissione divina archiepiscopus Auxitanus, domini papæ camerarius, salutem in Domino. Universitati vestræ tenore præsentium innotescat, quod cum venerabilis pater dominus Petrus abbas monasterii Juncellensis, diœcesis Biterrensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, teneatur singulis annis curia existente citra montes sedem apostolicam visitare, sedem ipsam pro uno anno proxime nunc transacto per religiosum virum fratrem Stephanum Vinhogalii priorem de Canalibus procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum cum devotione debita visitavit. Nihil tamen idem procurator visitationis hujusmodi nomine cameræ præfati domini papæ obtulit, vel servivit; in cujus rei testimonium præsentes litteras fieri fecimus, & sigilli cameriatus nostri appensione muniri. Datum Avenione die prima mensis Novembris anno Incarnationis Dominicæ MCCCLXV. indictione III. pontificatus sanctissimi patris & domini nostri Urbani papæ V. anno III.

XLI.

Ex schedis Peyrefchianis.

Bulla Martini papæ V. qua dat licentiam Eremitis Augustinianis fundandi cœnobium in civitate Biterrensi.

1423.

MARTINUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio officiali Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Sacræ religionis, sub qua dilecti filii prior & fratres domus fratrum Eremitarum sancti Augustini Biterrensis abjectis mundanis illecebris cum adjectione voluntariæ paupertatis virtutum Domino in humilitatis spiritu devotum & sedulum exhibent famulatum, merita promerentur, ut apostolica sedes ipsos & eorum ordinem favoribus benignis consoveat, & specialibus gratiis prosequatur, in illis præsertim, per quæ cultus divini nominis augeri, ipsique vitæ studio sibi ipsis & aliis fidelibus ad animarum salutem proficere valeant. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dictorum prioris & fratrum petitio continebat, quod olim ingruentibus guerris & aliis calamitatibus partium illarum communitas & populus civitatis Biterrensis, ne civitas ipsa armigerarum gentium incursibus opprimeretur, & alias nimium pateretur dispendium, domum ipsam tunc sitam extra & prope muros civitatis prædictæ in qua erant, funditus & de facto demoliri & exstirpari fecerunt. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, præfati commune & populus quemdam alium locum situm intra civitatem prædictam ad eos legitime pertinentem priori & fratribus ipsis pro eorum A usu & habitatione perpetuis assignare sint parati, si ad id apostolicæ sedis accedat assensus; pro parte dictorum prioris & fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis recipiendi locum prædictum infra civitatem eandem, & inibi ecclesiam cum campanili, campana, cœmeterio, & aliis necessariis officinis construi & ædificari faciendi, ibique perpetuo remanendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui divinum cultum nostris temporibus augeri intensis desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, priori & fratribus ipsis recipiendi locum præfatum, ac inibi ecclesiam cum campanili, campana, cœmeterio, & aliis necessariis officinis, ac in eis perpetuo remanendi autoritate nostra B licentiam largiaris, jure tamen parrochialis ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo; & insuper priori & fratribus ipsis eorumque successoribus fratribus ejusdem domus ut omnibus & singulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, & gratiis præfato ordini a sede apostolica, & alias quomodolibet concessis uti & gaudere libere & licite valeant eadem autoritate concedas, non obstantibus tamen felicis recordationis Bonifacii octavi prædecessoris nostri prohibitis, ne religiosi mendicantium loca de novo accipiant, vel recepta retinere valeant absque dictæ sedis speciali licentia facienti plenam & expressam de hujusmodi prohibitione & mentionem, quibuslibet aliis constitutionibus apostolicis contrariis. Datum Romæ apud S. Mariam-Majorem decimo quinto calendas Septembris ponficatus nostri anno sexto.

INSTRUMENTA
ECCLESIÆ NEMAUSENSIS.

I.

Bal. tom. 4. Miscell. pag. 420.

Ludovici Pii præceptum pro ecclesia Nemausensi.

814.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi Ludovicus divina ordinante providentia Imperator augustus. Cum petitionibus sacerdotum justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam & præsentium quam & futurorum utilitas, quia vir venerabilis Christianus Nemausa civitate episcopus obtulit obtutibus nostris immunitatem domini & genitoris nostri Karoli bonæ memoriæ piissimi augusti, in qua erat insertum qualiter idem genitor noster & prædecessores ejus Reges prædictam sedem, quæ est in honore sanctæ Mariæ semper virginis, seu & sancti Baudelii constructa una cum cellulis duabus, una quæ dicitur Tornagus, quæ est constructa in honore sancti Stephani protomartyris, & alia quæ dicitur Vallis-flaviana, quæ est in honore sancti Petri principis apostolorum constructa, seu & aliis cellulis ibidem aspicientibus, ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum semper sub plenissima tuitione & immunitatis defensione habuissent. Propter firmitatem tamen rei nobis postulavit præfatus episcopus Christianus, ut eorumdem Regum autoritates ob amorem Dei & reverentiam ipsius sancti loci confirmaremus auctoritate. Cujus petitioni libenter adquievimus, & ita in omnibus concessimus, atque per hoc præceptum nostræ autoritatis confirmamus. Præcipientes ergo jubemus, ut nemo fidelium nostrorum, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, sive eas quas moderno tempore in quibuslibet pagis & territoriis infra ditionem Imperii nostri juste & legaliter prædicta sedes seu cellulas possidet, vel ea quæ deinceps a bonis viris eisdem conlata fuerint ecclesiis, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut occasiones* vel paratas faciendas, nec* fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ tam ingenuos, quam servos super C terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris aut futuris temporibus ingredi audeant, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumant. Sed liceat memorato præsuli suisque successoribus res prædictarum ecclesiarum cum omnibus sibi subjectis sub immunitatis defensione quieto ordine possidere, & nobis fideliter deservire, atque pro stabilitate* nostra, vel totius Imperii a Deo nobis collati vel conservandi una cum clero & populo sibi subjecto libere Domini misericordiam exorare. Et quidquid exinde fiscus noster sperare* poterat ad integrum concedimus, ut perpetuis temporibus ibidem Deo famulantibus proficiat in augmentum. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa* D manere, manu propria subscripsimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum Ludovici serenissimi imperatoris. Helisacar recognovi. Data IV. kal. Decembris anno primo Christo propitio imperii domni Ludovici serenissimi augusti ind. VIII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

* al. mansiones.
* ceu.
* utilitate.
* præstare poterit.
* inconcussa.

Johannes de Tolleto procurator vicarius, seu locumtenens Andreæ de Languicello præpositi Nemaus. constitutus in præsentia Petri de Vadillano canonici Nemaus. vices-gerentis domini officialis hoc diploma eidem exhibuit anno 1334. die 14. Maii, illudque in publicam formam redigi per notarium postulavit.

II.

Ermengardis uxor Dadilani concessa per testamentum mariti sui auget & confirmat Theudemiro abbati Psalmodii.

815. IN nomine Domini, ego vobis patri Theudemiro abbati monasterii S. Petri Psalmodii. Manifestum est enim & non habetur incognitum, qualiter maritus meus bonæ memoriæ Dadila & ego cum illo uno consensu propter amorem Dei & remedium animæ nostræ S. Petro monasterii Psalmod. aliquid de rebus nostris cedimus; & sicut istæ res quas dedimus in pago Nemausense, in suburbio de castro Mormelico, villa Salignaro seu Salignanello in ipsas villas totam quartam partem ab integritate, de molino uno quartam partem, & in alio molino medietatem. Similiter in supradicto pago in villa Asperas portionem unam, quæ cum præfato viro meo adquisivi, & ego postea per chartam donationis præfato monasterio dedi. Similiter in pago Uzetico in valle Catonica Villa-Rustica ab omni integritate. Similiter in pago Nemausensi in valle Anagnia in villa Alcuernes omnia quæ ibi vir meus dedit portionem sibi debitam, & nos uterque sicut jam dictum est, præfato monasterio chartam donationis fecimus. Unde postea Ermengardis rogavi vos, & vos consensistis, ut præfatas res prius in beneficium haberem dum viverem, & dedissem vobis censum ad missas S. Petri per annos singulos XII. libras de cera, excepto decimo; & si de ipso censu vel de decimo negligens fuero, componam vobis in vinculo solidos XL. ut hæc præsens precaria in sua maneat firmitate; & si vos mihi ante dictum tempus abstuleritis ipsas res, componatis mihi similiter in vinculo XL. solidos, & hoc firmum permaneat. Facta precaria VII. calendas Octobris anno secundo regnante domino Hludovico imperatore benigne gubernante Romanum imperium. S. Ermengaudis quæ hanc precariam fieri volui, manu mea signum feci, ac testes firmare rogavi. S. Garaldo. S. Grimoaldo, &c.

III.

Diploma Ludovici Pii imperatoris, pro Theodemiro Psalmodii abbate.

815. IN nomine S. & individuæ Trinitatis, Ludovicus divina providentia imperator Augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei eis qui in eisdem locis sibi famulantur beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit sagacitas, seu utilitas omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum, quia vir venerabilis Theodemirus abbas ex monasterio, quod situm in pago Nemausensi, in insula quæ nuncupatur *Psalmodia,* constructum in honore S. Dei genitricis semperque virginis Mariæ & S. Petri principis apostolorum, vel aliorum SS. adiit serenitatem culminis nostri, deprecatusque est ut prædictum monasterium cum omnibus rebus inibi aspicientibus ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium sub nostra susciperemus deffensione & sub plenissimæ immunitatis tuitione constitueremus. Cujus petitioni assensum libenter præbuimus, & hoc nostræ auctoritatis præceptum erga ipsum monasterium immunitatis ac tuitionis gratia pro divini cultus amore & animæ nostræ remedio fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quæ ad idem monasterium pertinere videntur, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii distringendos, vel ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris & futuris temporibus ingredi audeat, sed ea quæ ipsis viris Deo famulantibus delegata sunt perpetualiter eisdem habenda confirmamus. Et quando quidem tu, Theodemire abba, vel successores tui divina vocatione ab hac luce migraveritis, quamdiu inter se ipsi monachi talem invenire potuerint qui ipsam congregationem secundum regulam regere valeat, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant ibidem eligendi abbates, quatenus servos Dei qui ibidem Deo famulantur, pro nobis ac stabilitate totius imperii nostri immensam Domini clementiam jugiter exorare delectet. Ut hujus nostræ auctoritatis præceptum per omnia tempora inviolabiliter conservetur, firmiusque habeatur, manu nostra subterfirmavimus & annuli nostri impressione sigillari jussimus. Sign. Hludovici serenissimi imperatoris. Datum nonis Decembris anno Christo propitio secundo imperii domini Hludovici serenissimi imperatoris, indictione VIII. Aquisgrani palatio. J. D. N. F. A.

IV.

Occasio inventionis corporis S. Baudelii.

Ex schedis D. le Beuf canonici Autissiod.

878. ANno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVIII. dum Dei misericordia futura præsciens & omnia utilia cooperiens * animos domni Trutgaudi abbatis & fratrum Saxiacensis cœnobii accenderet, ut basilicam sancti Baudelii aliquando a sanctis patribus abbatibus Romulo, Odone, & Walao fundatam, jam vero vetustam renovarent, ac amplificarent, ea felicitate id opus compleverunt, ut omnes inde stupentes admirarentur, & aliquid magnum eidem loco venturum profiterentur. Quippe cum ædificantibus nihil sinistrum contingeret, sed meritis beati Baudelii prosper successus adesset, & odor intimus de supernis eis aspirasset; sciuntur enim plures & de altis ipsius ædificii lapsi & minime læsi. Interea accidit ut memoralis Gothorum princeps Bernardus cum avunculo suo Gaudeno tunc inclito abbate, futuro autem episcopo, idem monasterium adventaret; qui cum rogaretur a monachis, ut partem corporis S. Baudelii cui famulabantur eis tribueret, miratus quod nil terreni lucri ab eis quæreretur, gavisusque quod id agere posset quod petebatur, ultro spopondit. Testaturque se Gothos aditurum & in comitatu suo qui ut Rex ibat quosdam ex iis monachos ducturum. Domnus itaque abbas prædictus loci in hac sancta legatione duos monachos elegit, quos honeste æque & religiose ut erant sacerdotes ad Gothiam direxit.

* f. comperiens.

De reliquiis S. Pauli & S. Amandi episcoporum.

Comes igitur ille devenit Narbonam, ubi totius Gothiæ provinciæ domnus Segebodus archipontifex sedebat, vir nominis Christiani tam religione fervidus, quam vigore potestatis inclitus; qui re comperta ob quam monachi causam Gothiam penetraverint, Deo favente plusquam dici possit exhilaratus & impendio est lætificatus; nam & monachos esse beatos professus est, & principi in hac parte congratulatus. Qui ob hoc Nemausum ire decrevit, sed corporis morbo impeditus elanguit. Tunc salubri consilio usus Teberdum * suum archidiaconem, qui loco ipsius sedis post modum est suffectus, cum monachis misit, & eis sacrosanctas reliquias dedit, S. Pauli scilicet primi episcopi ejusdem Narbonensis urbis, qui, ut fertur, *Sergius* est in actibus apostolorum dictus, & S. Amantii episcopi & conf. Quod decus monachi a tanto pastore sumentes, benedictione æque & auctoritate suscepta cum archidiacono episcopi & cum principe Urso, quem comes vice sua misit, celeriter urbem Nemausum adierunt; quo postquam ventum est, dici nequit qua austeritate plebs totius diœcesis se dispofuit armare, ne præsules aut ipse comes molirentur sibi suum martyrem auferre, antiqui hostis, ut creditur, astu, ne ipsa plebs inveniret corpus tanti martyris, neve diabolus ipse pelleretur ab obsessis, sicut veraciter dehinc expulsus a multis millibus. Quid plura?

* Theodardum.

Inventio corporis sancti Baudelii.

A

Affuit igitur Girbertus antistes ipsius urbis, ex præcepto etiam domni Segebodi occurrit Videfredus Ucetiæ ecclesiæ dignissimus episcopus cum aliis pluribus pontificibus & abbatibus multis. Apparente autem archidiacono primatis Segeboldi, succrescenteque Urso ejusdem civitatis principe, super omnia præcellente ut opitulante Dei voluntate, licet inter arma effoditur pretiosa sepulcri theca altius infra abdita parietis templi reposta. Quod sepulcrum gloriosum etiam a Gregorio Turonensi episcopo miraculorum scriptore egregio inter largissima scripta celebratum. Quod sepulcrum post centenos annos martyrii S. Baudelii a Romulo sancto abbate ipsius ecclesiæ intra viscera terræ cum sarcophago plumbeo est retrusum; qui etiam abbas postquam inibi præfuit monachis LXXX. ut templi ejus indicat marmor, a paganis inde ejectus, a Regibus Saxiacum prædium obtinuit, ipsumque cœnobium in honorem jam dicti martyris fundavit, atque privilegia libertatis suis sequacibus adquisivit. Igitur ut ad ordinationem redeamus, episcopi qui convenerant, mox ut ex parte aperuerunt plumbeam sancti martyris thecam, tantam miri odoris senserunt fragrantiam ac si illic omnia efferbuissent aromata, & universa coquerentur thymiamata, omniumque olefactibus propinarentur balsami fluenta. Episcopi autem pro inventione tanti thesauri hactenus occulti magnis vocibus hymnum *Te Deum laudamus* intonantibus, clamor sacerdotum & clericorum cantantium, qui usque ad quingentos cum millenis pedibus occurrerant, tantus exorsus est, ut crederetur cœlum his laudibus penetrari, & gratia amplior supernæ benedictionis evocari: pulsatur laudibus poli secretum, porriguntur lacrymæ compunctionum, pronuntiantur sanctorum merita, datur per sanctum Baudelium peccatorum venia; & cum hoc donum quanto est revelatum tardius, tanto sabile talentum eos latebat, major bonitatis Dei magnificentia eis subtracta erat. Dehinc autem, quia ad tumbam sancti martyris Christi cum assiduitate concurritur, innumera e cœlo remedia populis traduntur. Denique ipso anno quo repertum est tam sacratissimum corpus martyris, pericula, quæ maxime illi genti imminebant, omnia sunt remota, plebsque a paganis eruta fertilitate terræ jocunda ad religionem cœpit esse fervida; princeps Bernardus populis illis factus est clementior, & quodammodo apparuit temperantior. Inventio autem hujus gloriosi sepulcri extitit XVIII. kalend. Maii.

Igitur præcipua sancti corporis parte ex voto accepta, atque cœlesti benedictione per episcopos suscepta, felices monachi optabant remeare ad propria portantes multis incomparabilia gaudia. Quid plura! deducentibus eos episcopis & clericis, & cum divinis obsequiis vel exequiis cœperunt relinquere Gothiam, & per Provinciæ urbes tendere ad Burgundiam.

Qualiter a furibus sunt liberati.

Interea dum gauderent præsules sua eis dare hospitia quæ fere immortalia munera, tanta eis a Deo data est tutelæ largitas, ut etiam inter hostes furesque esset illis securitas. Nam cum a pontifice memoria & gratia condigno patre Ratberto sic essent portitores sanctorum pignorum destinati, ut in quadam curti essent positi, & equi eorum cum pluribus aliis jumentis septo quodam pabulis pleno forent inducti, affuit illis Dei propitia bonitas. Intempesto enim noctis tempore locum sepe valloque circumdatum ingressi fures, quasi ex omnibus quosdam eligerent, cum latrones tales moras non optent, nullum equum monachorum tetigerunt, nullum ex aliis reliquerunt. Et quia non curat numerum lupus, factum est luce clarius quod monachos salvarit beati Baudelii virtus. Deinde itinere cum gratiarum actione arrepto, intratur in diœcesim Nivernensem; occupat sanctus rumor etiam ecclesiam Autissiodorensem, concurrunt fidelium turmæ, aliæ rogaturæ salutem animæ, atque aliæ remedium infirmitatis corporeæ.

De febricitante sanato.

Cum autem in Vispiaco villa pagi Nivernensis curam adhiberent monachi corporibus reficiendis, favente domno præsule Abbone fredæ erigerentur cum ossibus sacrosanctis, advenit vir quidam vocabulo Bernoardus, &c.

Hujusce narrationis auctor ignotus, sed coævus, hæc se a veridicis sacerdotibus didicisse profitetur.

V.

Placitum in gratiam Giberti episcopi Nemausensis adversus Genesium.

Ex chart. Nemaus.

891.

B

CUm igitur more regio rex Odo in foreste Coysa ad exercendam venationem consisteret prope locum, qui vocatur *Audite*, cum episcopis, comitibus, seu vassis dominicis, veniens Gibertus episcopus in conspectu ejus, proclamavit quod res quas Bligardis femina in comitatu Nemausense per scripturam solemniter ejus ecclesiæ condonaverat, & per XII. annos fere seu & amplius justo ordine possederat, homo quidam Genesius nomine absque ulla inquisitione & mallo seu judicio, ipso absente episcopo, villam Bizagium invasit, ac malo ordine retinet. Raimundus itaque comes ipsius pagi ibidem coram Rege adstabat, cui interrogavit ipse Rex & comites qualiter hæc * in ejus potestate actum fuisset. Sed prædictus Raimundus comes dixit, quia ex vestra parte præfatus Genesius mihi litteras detulit, in quibus continebatur, ut de ipsa villa eum revestirem: quo audito, omnes qui adstabant dixerunt, quia nequaquam ex parte Regis tibi præceptum fuit in præsentem episcopum de rebus suæ ecclesiæ, ut dicit, tanto tempore ab eo possessis ipso absente absque inquisitione & mallo, seu judicio expoliares & alicui redderes. Itaque Rex jussit prædicto episcopo suas litteras dare, in quibus continebatur, ut Raimundus comes veniens in pago Nemausense inquisitionem per circum manentes homines mitteret, & si ipse episcopus justam causam haberet, & suas scripturas veras adprobare potuisset, absque ulla dilatione in prædictis rebus eum informaret. Veniens itaque Raimundus in prædicto comitatu, præfatus episcopus regales litteras ei ostendit, & ut ipse comes ei justitiam secundum Regis jussionem faceret postulavit. Itaque prædictus comes suas litteras ad Genesium misit, ut ante eum ad placitum veniens audiret & videret inquisitionem, atque approbationem scripturarum, quam Rex de prædictis rebus facere jusserat. Ipse autem Genesius acceptis litteris ad placitum venire distulit. Expectato itaque aliquo tempore, rursum prædictus episcopus ante Raimundum comitem veniens postulavit, ut ei justitiam de suis rebus secundum Regis jussionem faceret. Igitur prædictus comes Allidulso suo vicecomiti præcepit, ut super has res veniret, & omnem justitiam & legem, sicuti in regalibus litteris continebatur, ipsi episcopo adimpleret. Veniens itaque Allidulfus super ipsas res in valle Anagia in villa Bizago convocans omnes circum manentes ipsius loci, atque alios nobiliores tam presbyteros quam laïcos, in eorum præsentia præfatus episcopus obtulit litteras regales, simul etiam & scripturam, quam Blitgardis femina partibus S. Mariæ facere jusserat, & in ipsa scriptura continebatur, quia villam Toriadem cum ecclesiis ibidem fundatis, necnon & villam Caderillam ab integrum, & in manso commendato, seu & in brugarias, necnon & felgarias, quidquid ibi visa fuit habere, simili modo villam Bisagum ab integrum cum ecclesia ibidem fundata in honore S. Mariæ cum mancipiis utriusque sexus ibidem præfixis libenti animo prædictæ sedis episcopo simulque canonicis ibidem Deo famulantibus solemniter condonaverat; qua scriptura relecta omnibus in commune adunatis fere CC. hominibus per auctoritatem regiam prædictus vicecomes bannum imposuit, ut dicerent quidquid de hac causa in veritate scirent, sed nobiliores viri primitus

* hoc.

per ordinem singuli interrogati cum reliquis omnibus tam presbyteris quam laïcis absque ulla varietate una voce testificaverunt, quia noscimus, & in veritate nobis compertum est, quia Bligardis femina per hanc scripturam prædictas res partibus S. Mariæ solemniter condonavit, & prædictus episcopus villam Bidagum nobis videntibus tenuit ac possedit per XII. fere annos & amplius, & Genesius & alii malo ordine res quæ in ipsa scriptura resonant invaserunt. Itaque ex iis omnibus XIV. electis, in ecclesiam S. Mariæ ingressi, iterumque ab ipso vicescomite per ordinem interrogati ac discussi absque ulla varietate testificantes jurati dixerunt, quia ipsa scriptura vera est & non falsa, & ipsas res quæ in ipsa scriptura resonant plus debent esse S. Mariæ quam Genesio aut alicui, qui eas injuste de potestate ipsius ecclesiæ invasit per Deum altissimum, & istas virtutes sanctorum. Hiis itaque paractis Allidulfus vicecomes per ostium ipsius ecclesiæ de ipsis rebus Gibertum episcopum revestivit, & in ipsis rebus informavit. Actum publice die Jovis in mense Aprilis anno III. regnante Odone rege, &c.

VI.

Præceptum Caroli Simplicis Francorum regis pro monasterio Psalmodiensi.

Editum tom. 3. Annal. Benedict. pag. 696.

909. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus divina ordinante clementia Rex. Si loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei iis qui in eisdem locis sibi famulantur, beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ largitorem remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit sagacitas seu industria omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam etiam futurorum, quia vir venerabilis Regembaldus abbas ex monasterio Psalmodiensi, quod est situm in pago Nemausensi, ubi sunt ecclesiæ, id est S. Mariæ & S. Petri, vel aliorum sanctorum, & ex monasterio Juncellensi, quod est situm in pago Biterrensi in suburbio castro Lunetense, quod per oppressionem paganorum monasterium Psalmodiense mutatum est in locum, qui dicitur *Corneliacensis*, ubi ecclesiæ constructæ sunt, id est S. Mariæ & S. Petri apostoli & S. Juliani martyris, cum cellulis & ecclesiis, id est S. Clementis, & S. Vincentii, & S. virginis Agathæ nuper a Sarracenis destructæ, & cum omni sylva, quæ vocatur *Pineta*, sicuti regius fiscus sive in terra, sive in aqua ibidem fuit, atque collatus est a progenitoribus nostris præfato monasterio Psalmodio, cum ipsa terra quæ est inhabitabilis ad piscandum, a consoa scilicet Calva ad consoam altam, & usque Rubinam, quæ vulgo appellatur *Bosoenna*, & usque in medium fluvium majoris Rhodani sicut descendit in mare, & sub tali videlicet tenore, quod quidquid excrescens Rhodanus a prænominata Bosoenna descendendo intrans in profundum mare, vel ipsum mare a flumine Rhodani usque in consoam Calvam, & usque ecclesias ejusdem sylvæ, & item usque in consoam altam, sive præfatam Bosoennam suis inundationibus seu alluvionibus semper reliquerit, terrenum, arenosum, nemorosum, arbustiferum, virgunculosum, ibiosum, palustricum, lacus, stagna dulcia, vel salsa; quidquid etiam poterit esse aptum pascuis, piscationibus, venationibus, aucupationibus, agriculturis, pratis, ædificiis infra ambitum dictarum conterminationum cum omnibus redditibus, quos ipse fiscus jam monasterio concessus in præsenti habet vel in futurum habere sperat, irrefragibile jus remanens ad opus monasterii. Adiens igitur serenitatem culminis nostri præfatus Regembaldus abbas innotuit nobis qualiter eadem & fisca sibi pertinentia sub manillone & mundeburdo atque immunitatis tuitione progenitores nostri priscis temporibus constituissent. Sed & præcepta illorum super hoc nostris obtulit obtutibus, per quæ ei immunitas . . . . . nos . . . . . vel eorum monasterio concessa, villæ ac sibi appendices, sive omnia præfata loca pertineant ab antecessoribus progenitoribus scilicet nostris, abbatibus & fratribus ibidem Deo famulantibus concessa existerent, quatenus nec decimum, nec teloneum alicui exsolvant, aut ex piscationibus aliquem censum tribuant. Nos igitur, ut isdem vir venerabilis innotuit, benigne a parentibus nostris Regibus scilicet ac imperatoribus concessum esse cognovimus: complacuit ergo celsitudini nostræ per deprecationem illustris comitis ac dilecti fidelis nostri Raymundi super his præceptum nostræ confirmationis addere; & ne quispiam violenter ex eorum rebus, vel ecclesiis aliquid subtrahere vel inquietare audeat, rursus omnia superius scripta, prædictam scilicet sylvam cum ipsa plaga maris, & cum prædictis ecclesiis, sicut regius fiscus . . . . . & superius terminatum est, renovantes nostrorum prædecessorum donationem, præfato Psalmodio regia liberalitate perenni jure concedimus, atque præcepti nostri roboratione confirmamus, per quod volumus atque jubemus ut sicut antecessorum nostrorum, Regum videlicet ac imperatorum auctoritate firma prædictis locis substiterunt, ita etiam nostris & futuris temporibus inviolabili firmitate maneant atque subsistant; nullusque publicus judex, seu quælibet ulla potestas in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quæ juste ad eadem monasteria pertinent, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsorum monasteriorum tam ingenuos quam & servos super terras illorum commanentes distringendos, nec ullas redivitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ superius enumerata sunt penitus exigere præsumat; & quidquid ipsis religiosis monasteriorum viris Deoque famulantibus per eorum præcepta confirmaverunt & largiti fuerunt, nos quoque simili modo confirmamus & perpetualiter habendum delegamus: & quando quidem divina vocatione prænominatus abbas Regembaldus, vel successores ejus ab hac luce migraverint, quamdiu inter se ipsi monachi talem invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam regere valeat, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant ibidem eligendi abbates, quatenus servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis ac stabilitate totius regni nostri immensam Domini clementiam jugiter exorare delectet. Et ut hujus nostræ auctoritatis præceptum per omnia tempora inviolabiliter conservetur, veriusque credatur, manu nostra subter eum firmavimus, & annuli nostri impressione sigillari jussimus.

Sig. Charoli regis gloriosissimi. Ernestus notarius ad vicem Iskerici episcopi relegit. Datum nonas Junii indict. XII. anno XVIII. regnante Charolo rege gloriosissimo, redintegrante vero XII. Actum Compendio palatio J. D. N. F. A.

VII.

Fundatio Parthenonis in comitatu Nemausensi in terminio Galazanico & de Nozedo, Parthenoni S. Genesii subjecti.

Ex chart. S. Genesii diœcesis Magalon.

1027. IN Dei nomine, ego Rostagnus & filii mei, id est Raino, & Rostagnus, & Pontius, placuit animus noster valde, & placet nullius quoque gentis imperio, nec suadentis animo, sed propria & spontanea hoc elegit nostra bona voluntas, ut pro amore Domini nostri Jesu-Christi, qui dixit discipulis suis: *date elemosynam*, dicit Dominus, *& ecce omnia munda sunt vobis. Facite sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* (Luc. 11. v. 41. Luc 12. v. 33.) Seminate minima, ut metatis immensa: propterea ego in Dei nomine Rostagnus, & filii mei supra scripti cupimus atque volumus fieri monasterium

ad laudes Deo proferendas, ſanctiſque omnibus memoriam faciendam, pro redimenda noſtra facinora, proliſque noſtræ tam virilis ſeminis quam ſexus feminei, omniumque catholicorum fidelium vivorum defunctorumque, maximeque filiæ meæ Bonafuſſe in comitatu Nemauſenſe in terminium de Villa Galazanicus & de Nozedo, ibique dono tibi ipſam eccleſiam quæ eſt ſita in honore ſanctæ Mariæ cum ipſo Caſtellar, & cum quantum habeo in ipſis terminiis de Vidurlo inantea ipſo alode ſupra ſcripto ſic dono atque trado tam ego quam filii mei Domino noſtro Jeſu-Chriſto cum omnibus ajacentiis atque terminationibus ſuis & cum una ſemodiata de vinea quæ eſt ad Ricilio & eſt inter conſortes; de Oriente confrontat in terra de nos donatores, de meridie conlaterat in via publica, de occ. confrontat in vinea Biliſdru, de Circi collaterat in terra Andrea: in tali vero ratione atque ſtabilitate, ut cunctis diebus vitæ hujus ſeculi habitatio ſit ſanctimonialium atque devotarum feminarum ſub regulari vita degentes ſine ulla blandicione atque admiratione habeant, teneant & poſſideant tam præſentes quam adventuræ, ſed tantum abbatiſſa de ſancto Geneſio monaſterio & devote quæ ipſo altario famulaverint tam præſentibus quam & futuris teneant & poſſideant per omnia ſecula; & ſi ipſo monaſterio ſupraſcripto ullus homo aut ulla femina diſrumpent per quem ſtare non poſſet ipſa eccleſia ſupraſcripta cum omnia ſuperius ſcripta fiat liber de eis poteſtate, & illas devote quæ ibi voluerint manere teneant & poſſideant ſine blandimentum de ullumque hominem, & Roſtagnus, & unus de filiis ſuis, aut unus de poſteris ſuis, cujus Galazanicus erit hereditas, teneant ad prævidendum ſive defendendum pro remedium animæ ſuæ omnique tempore, & ſi quis in ſupradictam donationem atque ſcriptionem aut nos donatores aut unus de heredibus noſtris necne vivens homo ad inrumpendum, diſſipandumque venerit in duplo reſtituat, & inſuper his maledictionibus atque confuſionibus quibus Judas Scariothes ceterique nequiſſimi boni operis deſtructores maledicti atque excommunicati, & a communione S. Dei eccleſiæ vel conſortio omnium Chriſtianorum ſequeſtrati, & in inferno inferiori cum Dathan & Habiron ſint ſubmerſi. Hæc actio atque ſcriptio exarata atque tradita eſt anno Incarnationis Domini MXXVII. indict. XI. tertio idus Martii anno XXX. regnante Roberto rege. Sig. Roſtagno & filii mei ſupra ſcripti, qui hanc charta elemoſynaria ſcribere fecimus, & firmavimus, & teſtes firmare rogavimus. Signum Froterius epiſcopus Nemauſenſis. Sig. Bernardus. S. Ricardus. S. Ugo. S. Petrus. S. Guiraldus Warinus. S. Bonafuiſſet.

VIII.

Ex chart. Gellon.

Fundatur monaſterium S. Petri Salvienſis, & ſubjicitur Gellonenſi.

1029.

INcipit donum quod fecit Garſindis fœmina & filii ſui Bermundus & Almeradus ex monaſterio Salvenſi. Anno 1029. quo ſummus opifex deſcendens ab axe ſtellato commorari voluit in intemeratæ Virginis alvo, atque inde progrediens quaſi ſponſus de thalamo ſuo, Ego Garſindis & filius meus Bermundus, & frater ejus Almeradus, nos ſimul in unum reminiſcentes peccatorum noſtrorum pondera quæ injuſte egimus, & ob futuri judicii recordationem, & ob adipiſcendæ æternæ vitæ beatitudinem, & ob genitoris noſtri Bernardi peccatorum remiſſionem, & ob Regis æterni amorem, ſeu etiam timentes congerronis antiqui timorem atque terrorem, & ut eruat nos Dominus ab ejus machinamentis multimodis, & connectat cum ſuis aſtrigeris in cubilibus regni cœleſtis, necnon & confoveat in paſcuis uberrimis, ubi redolent roſæ cum liliis, & cum diverſorum florum odoramentis, conſtituimus cœnobium in confinio Nemauſenſi in loco, qui vocatur *Salveus*, ex proprio jure & hæreditate, in honore beati Petri apoſtolorum principis, ut ipſe claviger æthereus aperiat nobis januam regni cœleſtis; ipſam vero cellam atque cœnobium ſtatuimus in præſentia nobilium virorum, id eſt Guillermi comitis Toloſani, necnon & Froterii Nemauſenſis epiſcopi, & Atonis vicecomitis, & Berengarii, & fratris Iliſiarii de ipſo caſtro, & Almeradi, & Armandi, & Barnerii, & Fredoni, & Geraldi, & Bernardi, & Alcherii, & Petri, & Pontii, & Stephani, Bermundi de Sumerio, Emenonis de Sabrano, & Stephani de Gaiano, & Petri de Anduza, & Bernardi abbatis, & Petri de Clareto, & Bernardi de ipſo caſtro, & Framaldi de Lecas. Et damus atque concedimus altari S. Salvatoris Gellonenſis, & ligno S. Crucis ibi fulgenti decore, & B. Guillelmo confeſſori ibi quieſcenti glorioſe, omnia quæ ipſe locus poſſidet, & inantea Deo tribuente poſſidere videbitur, ut Gausfredus abbas & congregatio ipſius loci peragant & adordinent illum locum in monaſterium. Et ideo concedimus & perordinamus, ut altare S. Salvatoris Gellonenſis monaſterii, & congregatio ipſius loci per ſingulos annos de eodem loco habeant propter cenſum de optimis denariis 10. ſolidos ad Nativitatem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & alios decem ad feſtivitatem S. Petri quæ celebratur III. cal. Julii. Si quis vero contra ipſum locum ad irrumpendum venerit, & eum a conſortio monachorum ibidem ſervientium privaverit, & de ſub jugo aſceterii Gellonenſis, & abbatis atque congregationis ipſius abſtulerit, ſeparet eum Deus a conſortio ſanctorum Angelorum, omniumque ſimul ſanctorum, permaneatque in manſionibus impiorum zabulorum, & cum Juda Scariothe Domini traditore participetur, & auxilio Dathan & Abiron muniatur, omnibuſque maledictionibus, quæ in veteri & novo teſtamento reſonant, repleatur, & ſit excommunicatus & anathematiſatus, & a liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ ſeparatus per infinita ſæculorum ſæcula, amen. Charta vero hæc donationis vel mercedis omni tempore permaneat firma & ſtabilis. Facta eſt ergo deſcriptio hujus donationis in ſexta die XV. cal. Januarii, temporibus regis Roberti indictione XII. Signum Garſindis & filii ſui Bermundi, & fratris ejus Almeradi qui hanc chartam donationis ſpontanea voluntate, ac devote ſcribere fecerunt, & firmare rogaverunt. Si quis vero ex ſæculo voluntate mutata collegio ſe monachorum ſociare voluerit, in eodem cœnobio beatiſſ. Petri petitionem ibi non faciat, neque benedictionem accipiat, ſed ante ſacrum altare S. Salvatoris Gellonenſis aſceterii omnia hæc percipiat. Ex filiis vero nobilium vel pauperum, qui in eodem monaſterio ſe ſociare deſideraverint, ante ſacrum altare Gellonenſis cœnobii offerantur, & benedictionem accipiant: ſignum Raimundi de Ceiraco & fratrum ſuorum Amelii, & Armardi, ſig. Rotbaldi, ſig. Pontii pulverarii, ſig. Berengerii, ſig. Guillelmi, ſig. Matfredi de Rocaduno, ſig. Raimundi de Turre.

IX.

Ex chart. Gellon.

Alia donatio ejuſdem ſancti Petri Salvienſis facta monaſterio Gellonenſi.

Edita eſt tom. 1. Anecd. pag. 148.

1029.

ANno 1029. quo Dominus omnipotens verbum ſuum archangeli nuncio dirigens ad terras una cum Spiritu ſancto conſtituit incarnari, animatumque corpore procedere velut ſponſum de thalamo ſuo, cujus quoque ſacra nativitas, ut terris eſſet data, glorioſime eſt cunctis fidelibus manifeſtata; paxque per ſummos cœleſtis patriæ cives hominibus bonæ voluntatis eſt directa, quæ pax ab ipſo Domino noſtro Jeſu-Chriſto diſcipulis tradita eſt, dicente: *pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis;* & ut pax Chriſti, & ejus miſericordia nos ſibi gratificet, atque peccata noſtrorum genitorum, ſeu noſtra deleat largitor omnium bonorum Deus, atque in futuro examine nobis vitæ æternæ præmia tribuat. Ego Garſindis, & filius meus Bermundus, & frater ejus Almeradus donamus Domino,

Johan. 14. v. 27.

ſanctoque Salvatori Gellonenſi, & ſanctæ Cruci, quæ in eodem loco mirifico coruſcat decore, fulgetque miraculis, & beato Guillelmo in eodem Gellonenſi monaſterio quieſcenti, eccleſiam ſancti Petri in caſtro quod Salveus ex noſtra propria hæreditate, ut ſit in dominio, atque ditione, ſeu jure ſupradicti altaris ſancti Salvatoris Gellonenſis, & ſanctæ Crucis, ſanctique Guillelmi, & abbatis Gausfredi, monachiſque præſentibus, & futuris in perpetuum. Hanc vero donationem facimus cum omnibus adjacentiis ſuis, quæ poſſidet poſſidereque videtur, honorem, ſeu ſubſtantiam, ut abbas ſupradictus congregatioque jam dicti Gellonenſis cœnobii illum locum peragant, ordinentque in monaſterium in perpetuo ſibi ſubditum, & ipſe locus jam dictus ſancti Petri Salve loco ſupra nominato Gellonis cenſum omni anno reddat viginti ſolidorum, decem videlicet ad Nativitatem Domini, decemque ad feſtivitatem ſancti Petri, quæ celebratur tertio calendas Julii. Hanc vero eleemoſinam, quam do pro redemptione animæ meæ ſancto Salvatori, ſanctæque Cruci, atque ſancto Guillelmo, abbati Gausfredo, monachiſque præſentibus, & futuris Gellonenſibus in cœnobio Deo militantibus, manu propria firmo, firmarique his nobilibus teſtibus rogo. Willelmus comes Toloſanus firm. Froterius f. Ato vicecomes f. Berengarius f. Iliſiarius f. Almeradus f. Ardmandus f. Barnerius f. Fredolus f. Geraldus f. Bernardus f. Alcherius f. Petrus f. Pontius f. Stephanus f. Bermundus de Sumerio f. Emenonus de Sabrano f. Stephanus de Gaiano f. Petrus d'Anduza f. Bernardus abbas f. Petrus de Clareto f. Bernardus de ipſo caſtro f. Framaldus de Lecas firmat. Sane ſi quis contra hanc noſtram eleemoſinam, ſeu donationis paginam aliquid molitus fuerit vel tentaverit contrarium verbo, ſubſtantia, ſcripto, & conſilio, ſive epiſcopus, abbas, monachus, clericus, laicus, miles, & de ſub jugo arciſterii Gellonenſis, & abbatis, atque congregationis loci ipſius abſtulerit, omnibus benedictionibus divinis privatus, maledictionibuſque novi & veteris teſtamenti repletus, ſegregatuſque omnium ſanctorum cœtu, æterno igni cremandus tradatur cum Juda, Dathan & Abiron in ſæcula ſæculorum, amen. Charta vero hujus donationis, vel mercedis omni tempore maneat firma & ſtabilis. Si quis vero ſæcularis ſæculo renunciare voluerit, in eodemque loco fratribus ſe ſociare petierit, non ibi faciat petitionem, neque benedictionem accipiat, ſed in Gellonenſi monaſterio petitione facta ab ejuſdem loci abbate benedicatur. Si quis vero filium ſuum ibidem Domino ſerviendum devoverit, ante altare S. Salvatoris, & ſanctæ Crucis, ſanctique Guillelmi offeratur, chartamque, ubi oblatus eſt, faciant genitores de quibuſcumque rebus, vel honore, & ibidem ubi oblatus eſt, benedictionem accipiat, ut ex ſupradicto monaſterio Gellonenſi in jam dicta eccleſia ſancti Petri Salve conſtituatur prior, cellerarius, ſacriſta, camerarius. Facta eſt ergo donatio hæc in ſexta feria XV. cal. Januarii regnante Rotberto Francorum rege, indictione XII. Deinde ego Garſindis, & filius meus Bermundus, & frater ejus Almeradus cum conſilio virorum prudentum hortati ſumus abbatem Gausfredum, ſimulque omnes monachos Gellonenſes, ut ſumpto ligno crucis, & corpore ſanctiſſimi confeſſoris Guillelmi ad locum pergerent recipiendum, quo feſtinantes ſumptum ſanctum vexillum crucis, & ſancti Guillelmi glebam cum conventu fidelium, monachorum, clericorum, militum, laicorum cum crucibus, bannis, thuribulis, candelabris, ſignis, veſtimentis eccleſiaſticis, cappis, palleis, libris, tubis clangentibus locum adierunt, atque a nobis in nomine Domini pro redemptione animarum noſtrarum datum jam dictum receperunt locum, ut ſit cella, & obedientia ſupradicti monaſterii Gellonis uſque in perpetuum. Qua recepta metientes eccleſiæ latitudinem, altitudinem, longitudinem, & invenerunt eam parvam velut tugurium, circumque peragrantes locum, & honorem cum teſtimonio Raimundi ipſius eccleſiæ capellani invenerunt habere quatuor manſos, Brozet, quem Petrus tenere videtur; Alairichi, quem Rainaldus operare videtur; Aboiranicum, quem Arladus tenet; Liranicum, quem tenet Bernardus. Damus inſuper ego Garſindis, & filius meus Bermundus, & Almeradus frater ejus omnem decimam panis & vini, carniſve domus noſtræ. Videns autem abbas, ſeu monachi paupertatem loci, ex ornamentis quæ ſecum illuc veherant, partem illuc reliquerunt, videlicet pallios duos, albas 5. cappas, palleas duas, libros ſeptem-decim, aldorras tres, broſdos tres, bannos duos, crucem unam, caſulas tres, ſtolas, manipulos, cinctos viginti quatuor, thuribulum unum, ferentes ſecum exinde ſchillam ferream. Inſuper etiam ego Garſindis & filius meus Bermundus, & frater ejus Almeradus obnixe petimus, & rogamus, ut hoc teſtamentum, quod ſcriptum, & firmatum eſt a nobis, atque roboratum ab aſſertoribus veridiſſimis firmiter a vobis retineretur, & prior a vobis ſimul cum ſodalibus monachis, qui ibi Domino deſerviant, ponatur uſque in perpetuum: quorum precibus annuentes, & teſtamento ſimul cum honore recepto, conſtituerunt illic priorem virum valde prudentem Geraldum de Uglar cum monachis his Ebrardo, Pontio Eble, Geraldo, Felice, quem conſtituerunt ſacriſtam eſſe, & cellerarium Benedictum qui caput ſcholiam regeret. Donatio autem hujus noſtræ eleemoſinæ, ſive oblationis, quam Deo offerimus, Salvatori, & ſanctæ Cruci, ſanctoque Guillelmo facta eſt XV. kalendas Januarii in ſexta feria anno milleſimo vigeſimo-nono, Gausfredo abbate, Autranno decano, Deuſde Fors decano, Pontio Burſe ſecretario, Benedicto cellerario, Aicmaro caput ſcholæ, monachiſque omnibus præſentibus & futuris in monaſterio Gellonenſi Deo militantibus. Quam donationis chartam roborantes manibus propriis firmamus, hiſque prudentibus viris firmare, ac roborare facimus & rogamus. Ego Garſindis hanc donationis chartam firm. ego Bermundus f. ego Almeradus f. ego Rotbaldus f. Guillelmus f. Matfredus de Rocaduno firmat. Raimundus de Turre firmat.

X.

Donum de abbatia S. Euſebii Aptenſis diœceſ. factum monaſterio S. Ægidii.

ANno Incarnationis Domini noſtri Jeſu-Chriſti MXXXII. indictione XV. ante tempus legis iſtius donatio etiam ſine geſtorum teſtificatione valebat, nunc vero poſt hanc legem non quælibet donatio valere poteſt, ſi geſtibus non fuerit alligata. Idcirco ego in Dei nomen Eldebertus, & uxor mea Ermengarda, & filii noſtri Eldebertus & Garacus cedimus vel donamus Deo & S. Mariæ, & S. Petro, & S. Egidio confeſſori, qui eſt in comitatu Nemauſenſi in valle Flavianenſe, vel ad ipſum abbatem domno Galterio, & ad ipſos monachos ibidem Deo ſervientes, tam præſentibus quam futuris, una pro amore Dei & per interceſſionem omnium Sanctorum, ut Deus omnipotens dimittat nobis omnia peccata noſtra, & pro remedio genitorum noſtrorum vel genitricium noſtrarum, vel de heredibus noſtris, propterea cedimus vel donamus aliquid de alode noſtro, qui eſt in comitatu Aptenſi in terminium de caſtro, quæ vocant *Sanione*, hoc eſt abbaſſiam S. Euſebii cum ſuis cellis, vel cum omnibus adjacentiis ſuis, id eſt, in manſis, villis, cultis, hortis, oglatis, paſcuis, vineis, campis, pratis, ſilvis, garricis, aquis, aquarumve decurſibus earum, quantum ad ipſam abbaſſiam aſpicit vel aſpicere videtur, quæ ad nos pertinet, de noſtræ fundis poſſeſſionis donamus & ad perpetuum tradimus Deo, & ſancto Petro, ſanctoque Egidio, & domino Galterio abbati, & ad monachos ibidem Deo famulantibus, ſic donamus, ut ipſi monachi teneant & poſſideant. Profiteor ſane, ſi quis, nos, aut heredes noſtri, vel ullus homo, aut ulla appoſita perſona, qui contra hanc ceſſionem vel donationem iſtam ire, agere,

1032.

agere, vel inquietare voluerit, non valeat vindicare quod repetit, sed inprimis iram Dei omnipotentis incurrat, & S. Mariæ, & S. Michaelis archangeli, & S. Petri apostolorum principis, necne & sancti eximii confessoris Christi Egidii, & S. Eusebii incurrant maledictiones, & omnium SS. abominationes & maledictiones accipiant, quas receperunt Dathan & Abiron, quos vivos terra absorbuit, & cum Juda traditore qui Dominum tradidit in infernum partem habeant, & hæc præsens omnia suprascripta firma & stabilis permaneat, omnique tempore cum stipulatione interposita pro omni firmitate subnixa. Facta charta vel donatione ista in die sabbato nono calendas Aprilis Domino regnante & regem expectando. Signa & testes hujus donationis Eldeberto, & uxor mea Ermengarda, & filii nostri Eldebertus & Garacus, qui hanc donationem scribere fecerunt, & testibus firmare rogaverunt, manibus suis firmant. Sig. Aicardo. Sig. Miloni. Sig. Gislaberto. Sig. Albarico. Sig. Ebrardo. Sig. Odalrico. Sig. Pontioni. Giraldus monachus scripsit.

X I.

Ex MSS. bibl. Albass.

1054.

Donatio facta cœnobio Psalmodiensi.

NOtitia guirpitionis sive defensionis que fecit Ramundus Gaucellinus & uxor sua Petronilla, & frater suus Petrus Gaucellinus & uxor sua. Ego Ramundus Gaucellinus & uxor mea, & ego Petrus Gaucellinus & uxor mea guirpitionem facimus a sancto Petro ad locum sacrum sancti Petri Psalmodiensis, & a Ramundo abbate, & ad cunctam congregationem, tam præsentibus quam futuris, de ipsis terris, de ipsis pratis, & de ipsis patuentiis, & de ipsis boscis, & virlendinis, & palude, & cum ipsis expletiis, quæ sunt de Jonco & de Croso usque in fluvio Viturnello, & de ipso Jounco usque in via vacaretia, quæ discurrit Cortasellas, & cum ipsa villa sancti Laurentii, & cum ipso usu, & cum ipso censu, & cum corrigia sancti Felicis, & de ipsis terminis suprascriptis usque in silva. Istas totas res suprascriptas nos suprascripti & suprascriptæ guirpitionem & donationem facimus de fundis possessionis sancto Petro, & ad ipsos monachos, tam præsentibus quam futuris. Ego Ramundus abbas per hanc donationem guirpitionem dedi a Ramundo Gaucellino tricentos solidos. Quod qui ego Ramundus & uxor mea, & Petrus Gaucellinus & uxor mea hanc guirpitionem & donationem aut nos, aut nullus de heredibus nostris, aut nulla persona hominum disrumpere voluerit, sit maledictus & excommunicatus a Deo patre omnipotente, & cum Juda traditore qui dominum tradidit partem habeat, & cum Dathan & Abiron juncte descendens in infernum consortium habeat, & inantea charta vel donatione ista firma & stabilis permaneat omnique tempore. Facta charta donatione vel guirpitione isto in mesi Decembri, anno millesimo quinquagesimo-quarto, indictione septima, *regnante Ajanrico rege*. Signum Ramundus, & uxor sua. Suum Boni signum, & de Nozeto signum verum, sive Beatus. Sig. Bernardus Gaufredus. Sig. Clericus. Sig Ramundus presbyter, Guillelmus indignus monachus scribit.

X I I.

Ex autograph. Clun.

Almodis comitissa Cluniaco confert abbatiam S. Ægidii.

Edit. tom. 6. Miscell. Baluz. pag. 480.

1066.

DEUM patrem omnipotentem totius creaturæ creatorem, ejusque unigenitum Dominum nostrum Jesum-Christum, per quem omnia, & Spiritum sanctum vivificantem, ab utroque procedentem, unum Deum credere magnum est, operari autem quod præcipitur non minimum, ipsum vero spernere periculosum. Quapropter eum fideliter credere, perfecte diligere, humiliter obedire est omnibus necesse: præcipue tamen istud illis convenit, quos sacri lavit unda fluminis, redemit unda sanguinis, perunxit liquor chrismatis; ad hoc enim facti sumus ut Deo fideliter servientes seminemus terrena & metamus celestia, scriptura dicente, *quæcumque seminaverit homo, hæc & metet.* Qualiter autem Deus inveniri possit ipse in evangelio ait: *date eleemosynam, & ecce munda sunt omnia vobis:* quibus plane verbis ostenditur, quia nichil eo miserius, quem iniquæ adquisitiones deprimunt, quem locupletem fraudes & rapinæ faciunt, & quoniam illæ nobis ambiendæ sunt divitiæ, quæ nos ornare possunt & munire, a mundo disterminare, animas nostras ditare atque nobilitare, ideo in Dei nomine ego Almodis nutu Dei comitissa, & filius meus Raimundus comes Rutenensis & Nemosensis, Narbonensiumque nobilissimus, pro domni Pontii comitis remedio, & pro remissione peccatorum nostrorum, atque parentum vivorum ac deffunctorum, atque salute fidelium nostrorum obtimatum, abbatiam S. Egidii, & locum, omniaque sibi pertinentia Deo & domno Hugoni præsenti abbati Cluniensi & ejus successoribus tradimus, & donamus, atque concedimus, ita tamen ut in prædicta abbatia in dominicatura quam ibi habemus, & usus, & usuaticos retineamus; excepto quia neque abbatem, nec monachos posthac distringemus, neque dehonnestabimus, sed potestas, & districtio, & ordinatio abbatum & monachorum S. Egidii, & eorum quæ soliti sunt tenere in domni abbatis Hugonis & successorum ejus potestate consistat, quatinus ipse & successores ejus locum prædictum, & omnia loco pertinentia pro posse suo & voluntate secundum regulam S. Benedicti regulariter ordinent, & teneant in æternum. Ut vero nostri parentumque nostrorum memoria Cluniaco perenniter habeatur, hoc in dono abbatiæ prædictæ solummodo retinemus, ut successores prædicti abbatis a nobis vel a successoribus nostris donum prædictæ abbatiæ absque ullo lucro & pretio accipiant. Quod si successores nostri successoribus domni abbatis prædicti expedite, ut diximus, dare noluerint, nihil abbatibus petentibus obsistat, sed locum & omnia quæ prædiximus ipsis in Dei servitio possidentibus donum nostrum integrum inviolatumque perenniter maneat. Hoc autem omnibus notum sit locum prædictum & abbatiam prædictam alodium esse sancti Petri, quæ dono domni papæ Romani tenemus, quæque domno prædicto abbati Hugoni & ejus successoribus, salva fidelitate Romanæ ecclesiæ & domni papæ, tradimus perenniter habendam, & regulariter ordinandam, ita tamen ut census X. solidorum debitus omnibus annis Romanæ ecclesiæ persolvatur. Facta est autem hæc donatio anno MLXVI. Dominicæ Incarnat. octavo cal. Januarii juxta Nemausum civitatem secus ecclesiam sancti Baudilii regnante Philippo rege Francorum, videntibus atque laudantibus episcopis, scilicet domno Raimbaldo Arelatensi archiepiscopo atque Romanæ ecclesiæ vicario, & domno Durando Tolosano, & Hugone Uzeticensi, & Rostagno Avinionensi, Bertranno Magalonnensi, abbatibus Bernardo Massiliensi, Frotardo Tomeriensi, Bernardo Vabrensi, Petro clerico Romanæ ecclesiæ subdiacono, Nemosensibus clericis Salomone & Bertranno, militibus Pontio Geraldi Gerundensi vicecomite, Tridmundo Elisiarni, Willelmo & Emenone fratre ejus de Sabran, Petro Aquiniensi, Rostagno de Poskeriis, & fratre ejus Rainone, Rainoardo de Medenis, Bertranno de Capraria, & Petro fratre ejus, & Hugone de Kassanguis, & Segario Salomonis, ac Willelmo Belli roti, Umberto Gausberti; insuper volente & laudante nobili Adala Sustancionense comitissa, & aliis quamplurimis bonis hominibus Deo cognitis. Si quis vero cujuslibet ordinis seu dignitatis contra hanc donationem venerit ad inrumpendum, vel ad inquietandum, aut contradicendum, omnipotentis Dei iram terribilem atque tremendam incurrat, atque cum Juda

Galat. 6. v. 8.

Luc. 11. v. 41.

perfidissimo traditore, & cum Dathan & Abiron in A inferno inferiori crucietur, omnibus insuper penis, quibus illi cruciantur qui recedunt a Deo, puniantur & ipsi, & eorum consentanei, qui huic donationi resistere voluerint, nisi resipuerint, & ad emendationem venerint. Signum domnæ Almodis comitissæ, & sig. domini Raimundi comitis filii ejus, qui hanc chartam donationis scribere jussimus, & testes firmare rogavimus. Sig. Rostagni de Poskeriis. Sig. Adalberti Gitardi Barchinonensis. Sig. Berengerii de Barbarano. Sig. Elisiarii Dalmatii. Sig. Johannis Gerundensis capiscoli. S. Bernardi capellani sancti Egidii. Sig. Rainardi Amati. S. Pontii de Nozeto. S. Fredesloni Raimundi. Bernardus monachus Auxiensis scripsit jussus die annoque quo supra. Datum per manus Henrici monachi ad vicem cancellarii.

B

XIII.

Alexander II. papa confirmat latam ab episcopo Nemausensi in monachum qui prioratum Salviensem invaserat excommunicationem.

Circa 1062.

NOtum sit omnibus, quod Gaufredus abbas monasterii Gellonensis Geraldum de Uglaz, quem dudum constituerat Priorem S. Petri Salve, ejectum a prioratu decanum ordinavit in cœnobio Gellonensi reductum, & in loco ejus constituit Priorem Guillelmum Pharaldum, qui postmodum abbas Psalmodiensis monasterii existens, postmodum in eadem cella cum Gaufredo suo abbate recepit funeris luctuosum cubiculum, obsequentibus viris satis sibi devotissimis amicis Gaufredo & Heliano monachis. In hujus quoque Guillelmi Pharaldi præsentia post plurimos annos prioratus sui invidia ductus quidam monachus nomine Pontius Garnerius fraudulenter adiit principes offerens eis pecuniam pro prioratu S. Petri Salve. Eum, ut fraudulentia consilii sui petierat, Priorem ipsius supradicti loci constituerunt. At Gellonenses monachi videntes disruptum fieri hostiliter donationis atque eleemosynæ conscriptum privilegium, consilio inito episcopum Nemausensem Froterium adierunt, illique proclamatores extiterunt, interdicereque atque excommunicari eum ab eo impetrarunt. Ipse improbus hostiliter Deo & S. Cruci, sanctoque Guillelmo repugnans parvi-pendit episcopalis excommunicationis interdictum, atque in sæculari detinere cœpit, quæ videbat sibi in vigore ecclesiastico auferri: Quod intuentes monachi Gellonenses, & ejus superbiæ viriliter resistentes, atque parvi-pendentes ejus vim potentiæ, vel roboris sæcularis, Romam petierunt, papamque Alexandrum interpellaverunt pro hoste infelicissimo, omnia illi propalantes, qualiter amonitus non recederet, interdictus ab episcopo & excommunicatus vinculum excommunicationis parvi-penderet. Quod audiens piissimus papa, ac benignissimus pater apostolicus Alexander indigne ferens, gladio Petri percussit, quem spiritu superbiæ inflatum rebellem sui audivit, confirmans scripto suo excommunicationem & interdictum episcopi, quem monachis tradens, taliter ex parte sua eum expertem reddidit ecclesiæ officio, bullans chartam fraudatori superbo & inobedienti transmittens, offerens excommunicationis causam, si se denegaret non obauditurum; excommunicationem quoque & interdictum quem monachis Gellonensibus dedit, Pontio Garnerio & monachis sibi consentientibus transmisit, jubens ut in charta jam dicta S. Petri Salve conscriberetur, ut auctoritate apostolica firmata nemo eam inrumpere valeret sine animi sui perditione.

XIV.

Confirmatio donationis sancti Petri Salviensis facta a Petro Bermundi dicto Satrapa.

Ex chart. Gellon.

1074.

SAncitum est, atque a patribus constitutum, ut si quis pro redemptione animæ suæ aliquid in eleemosinam Deo sanctisque largiri voluerit, concorditer illud agat, & non ficte, neque subdole faciat, ne forte (quod utinam non eveniat) unde oriri æstimat sibi salutem, oriatur ei detrimentum sive peccatum, sed cum plena fide, & recto corde agat, testibusque illud corroborari, atque firmari faciat sub pagina testamenti & roboratione sui. Quam sanctionem legitimo jam jure per universum orbem ego Petrus filius Bermundi ordinatam seu donatam esse noscens, credensque mercedem a Domino esse promissam omnibus servitium Deo impendentibus: idcirco ego Petrus Bermundus me nollens repelli sanctis legum viris, sed obtemperari cupiens sanctis monitis atque attestationibus patrum, dictis me subdo filii Dei attestantis: *date eleemosinam, & omnia munda sunt vobis.* Patefaciensque nobis qualiter ignem, seu tormentum mortis & peccati extinguere valeremus, ad eleemosinam peragendam dicto suo universaliter admonuit nos dicens: *facite fructus dignos pœnitentiæ. . . . .* esse eleemosinam annuit dicens: *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosina extinguit peccatum.* Quapropter ego jam dictus Petrus Bermundus sciens me C letalibus imbribus peccaminum viciatum, atque in spiritalibus madefactum, cupiens me jam strictum catenis peccatorum solvi relaxatione divina, ignemque extinguere succedenti mei pro meritis, ordinavi in animo meo admonitus divina exhortatione, seu consilio bonorum virorum, ut eleemosinam paternam, quam pater meus dudum pro redemptione sui, liberorum suorum largitus sancto altario Gellonensi fuerat, atque sancto vivificæ ligno crucis, sancto quoque pariter Guillelmo, atque abbati Gausfredo, & universis cœnobitis Gellonensibus præsentibus & futuris testamento donationis vel confirmationis meæ corroborarem, atque meo proprio dono donum patris firmarem, & idcirco retributionem æternæ vitæ fruendæ a largitore cœlesti, omniumque bonorum promererer, & evasionem iræ futuri examinis evadere valerem. Nunc jam D notum sit omnibus hominibus per orbem consistentibus, quod ego Petrus Bermundus annuens exhortationi fidelium christianorum, simulque mei animæ & corporis non immemor, sed ob redemptionem animæ meæ, seu parentum meorum sancto altari sancti Salvatoris Gellonensis, & sancto atque inexpugnabili ligno vivificæ crucis, sanctoque atque almo confessori Christi Guillelmo, abbati quoque Gellonensis cœnobii Petro, monachisque universis in monasterio Gellonensi Deo degentibus præsentibus & futuris in perpetuum sibi succedentibus, abbatibusque, monachisque in supratoxato cœnobio Gellonico dono, concedo, & tribuo, largo in perpetuum possidendam ecclesiam S. Petri, quæ est ista in territorio castri nominati Salve, cum omnibus apendariis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, E hortis, garriciis, adjacentiis, ecclesiis, cimiteriis, villis, mansis, exitibus, ingressibus, & regressibus, aquarumque exitibus, vel meatibus, arboribus pomiferis, vel impomiferis, tam quistum, quam ad inquirendum, tam divisum quam ad dividendum, tam rusticum quam & suburbanum, omnia, & in omnibus totum, & ab integro de fundis voce possessionis cum honore sibi omni subjacentia quæ possidet possidereque videbitur ab hodierno die, & deinceps usque in perpetuum totum & ex integro dono, concedo, tribuo, largo nihil inde reservans, nec auferens diminuens ve, mihique vel meæ partis, seu dominio vel jure nihil retinens; sed ut jam supra dictum est, totum integre illud tribuens de fundis voce possessionis sancto Salvatori

Luc. 11. v. 41.

Luc. 3. v. 8. Ecclesiast. 3. v. 33.

Gellonensi, & vivificæ crucis ligno, sancto quoque atque almo Christi confessori Guillelmo, abbati necne Petro, & monachis in cœnobio Gellonensi permanentibus præsentibus & futuris. Ego Petrus Bermundus hanc donationem, quam tribuo seu dono supra-taxato jam sancto altario, & reliquiis supra commemoratis in præsentia horum nobilium seu prudentum virorum facio, scilicet Pontii præpositi, Pontii Ainerii, Raimundi Pontii, Helisiarii, Rostagni, Raimundi Raterii, Pontii campi, Gaucelmi canonici, Geraldi Raimundi, Moreti, Pontii Airadi, Bernardi Debarn, Garcini, & in præsentia abbatis Petri, Heliæ secretarii, Gausfredi cellerarii, Ermengavi granerii, Guillelmi Uglacensis, Petri, Pontii Eldenonis, Petri Rainaldi, Raimundi Gausfredi, Raimundi de Arboratis, Deusde, Fredoloni, Berengerii, Petri, Umberti, Raimundi, Geraldi. In præsentia omnium horum ego Petrus Bermundi dono, trado, tribuo, largo sancto altario sancti Salvatoris Gellonensis, & sanctæ ligno crucis, sancto Guillelmo quoque confessori, abbati quoque Petro, & monachis præsentibus & futuris in cœnobio supra dicto Gellonensi Deo militantibus in perpetuo possidendam, habendam, seu tenendam, ut sit omni tempore subjecta supradicti loci, atque abbatum seu monachorum præsentium seu futurorum, & obediat eorum imperio & voluntati, nullusque resistere valeat eorum jussioni contra repugnantes seu rebelles, & eis per singulos annos reddat, seu det censum omnem illum, quem constituit pater meus reddi supradicto abbati, vel monachis Gellonis, & servitium omne quod ipsi superaddere voluerint. Neque in eadem cella constituatur prior, cellerarius, camerarius, neque sacrista, nisi quem abbas, seu monachi Gellonenses posuerint, & in supradicto cœnobio benedicantur monachi, qui in eadem cella habitaturi sunt, sive conversi, sive pueri, atque petitionem faciant. Sane si quis hanc istius nostræ donationis chartam, seu testamentum irrumpere vel violare, aufferreque voluerit, seu abstulerit a dominio, & subjectione, sive obedientia abbatis, vel monachorum Gellonensium, atque alienare tentaverit, omnibus maledictionibus novi & veteris testamenti donatus atque repletus, atque per interdictum Alexandri papæ a liminibus sanctæ ecclesiæ segregatus, atque omni bono privatus, cunctoque malo repletus, æternaliter perfrui mereatur in inferno pœnas cum Juda, Dathan & Abiron, & omnibus iniquis, atque inimicis Dei per infinita sæcula sæculorum, amen. Facta charta ista, seu testamentum memoriale hujus donationis feria 6. nono calendas Octobris, anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo-quarto indictione XII. luna XXIX. epacta I. concurrente 2. regnante Philippo rege, & ut ab hodierna die & inantea firma & stabilis atque inconcussa permaneat omni tempore donationis, sive largitionis hujus hoc testamentum, seu pagina, ego Petrus Bermundi, qui hanc donationem facio, & chartam ex ea scribere jubeo, authoritate propriæ manus meæ roboro, atque firmo, firmareque testes rogo. Signum Petri Bermundi. Sig. Pontii præpositi. Sig. Pontii Ainerii. Sig. Eliziarii. Sig. Guillelmi Barnerii. Sig. Rostagni. Sig. Raimundi Raterii. Sig. Raimundi Pontii. Sig. Pontii campi. Sig. Gaucelmi canonici. Sig. Airadii. Sig. B. R. N. RD. D. B. RR.

X V.

Petrus Hermengaudi episcopus Nemausensis donat Seguino abbati Casæ-Dei ecclesiam S. Baudilii.

1084. APud Nemausum Gauthiæ urbem Raimundus comes & Ermengardis vicecomitissa, & alii quam plurimi nobiles viri convenientes rogaverunt ejusdem urbis episcopum Petrum Hermengaudii clericosque ejus, ut ecclesiam beati Baudilii martyris a nobilissima quondam & ditissima modicam factam abbati Seguino abbati Casæ-Dei & successoribus ejus in perpetuum habere concederent. Episcopus vero & ejus clerici locum propter hoc Dei servitio posse reddi videntes, quæ petebantur libentissime fecerunt, ac ecclesiam cum omnibus quæ illius juris erant prædicto abbati Seguino & monachis ejus omnia tradiderunt: ita ut ipsi & successores eorum ecclesiam, & omnia quæ illius sunt, vel erunt in pace & absque calumnia omni habeant atque disponant. Hanc autem donationem post episcopum & clericos Raimundus comes & Hermengardis vicecomitissa fecerunt atque firmaverunt, volentes atque laudantes ut scriberetur. Facta sunt autem hæc V. calendas Januarii die sabbati luna XXVII. regnante Philippo Francorum rege. Bernardus vero Alto filio jam dictæ vicecomitissæ non ea die, quia aberat, fecit & firmavit hoc donum, sed aliquanto tempore post. Nomina autem clericorum quorum voluntate & consensu episcopus fecit hanc donationem sunt hæc: Guigo decanus, Raimundus archidiaconus, Poncius Baro sacrista, Petrus Guigonis, Poncius Stephani, Petrus Willelmi & alii plures. Nomina nobilium laicorum hæc audientium ac testium hujus rei: Tritmundus Gelisiar, Petrus Rostagni, Rostagnus frater ejus, Petrus Raimundi de Alto-pullo, Willelmus Pictavinus frater ejus.

X V I.

Bulla Urbani II. pro monasterio sancti Ægidii, confirmata in concilio Placentino.

Edita tom. 6. Miscell. Baluz. pag. 382.

1095. URBANUS episcopus servus servorum Dei, universis per Gothicam provinciam fidelibus salutem & apostolicam benedictionem. Notum omnibus vobis volumus, quia dilectus filius noster Raimundus Tolosanus comes tam nostris quam aliorum religiosorum virorum monitis excitatus, & omnipotentis Dei timore compunctus, partem immo rapinam, quam ex parentum suorum invasione in altari S. Ægidii & reliquis ipsius altaris ecclesiæ altaribus habere solitus erat, Deo, ac sanctæ Dei genitrici Mariæ, sanctisque apostolorum principibus Petro ac Paulo, & beato confessori Ægidio reddidit: quæ redditio sive dimissio in Tolosana synodo facta est coram legato nostro Bernardo Toletano archiepiscopo & pluribus tam episcopis quam abbatibus. Item in festivitate sancti Ægidii coram eodem legato nostro aliisque quamplurimis episcopis vel abbatibus eandem redditionem cum uxore sua Hervira & filio Bertranno super altare beati Ægidii confirmavit, duobus illic nummis Ægidiensis monetæ positis. Igitur nos secundum ipsius comitis postulationem pro sua & parentum suorum salute factum hoc auctoritate apostolica confirmamus, & omnipotentis Dei misericordiam deprecamur, quatenus quod de rerum ecclesiasticarum usurpatione hactenus admiserunt sua eis propitiatione indulgeat, & a suorum delictorum vinculis per sanctorum apostolorum & sancti Ægidii merita & preces absolvat. Porro tam ipsum quam ejus posteros universos, si altarium oblationem ulterius invadere tentaverint, anathemati subjicimus, & ab universæ ecclesiæ consortio segregamus. Quicumque etiam vel ab ipso comite vel ab aliquo quolibet de oblationibus illis feudum tenet, hujus decreti tenore cognito, nisi omnino ecclesiæ reddiderit, eidem anathemati subjaceat. Ipsis etiam monachis sub anathemate interdicimus, ne ullo unquam tempore laicorum cuiquam in ipsis altarium oblationibus partem habere permittant. Alioquin & qui dederit & qui receperit, anathemati quod proposuimus subjacebit. Data per manum Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis Cremonæ XII. cal. Martii ind. III. anno Incarnationis MXCV. pontificatus vero domni Urbani papæ septimo. Relecta vero & confirmata in concilio quod idem papa Placentiæ celebravit. Ego Johannes Portuensis episcopus cardinalis subscripsi. Ego Albertus

cardinalis subscripsi. Ego Ricardus presbyter cardinalis sanctæ Romanæ ecclesiæ, & Massiliensis abbas subscripsi. Ego Bonus Senior presbyter cardinalis subscripsi. Ego Teuso presbyter cardinalis subscripsi. Ego Gregorius diaconus cardinalis subscripsi. Ego Daibertus Pisanus archiepiscopus subscripsi. Ego Rodulphus Turonensis archiepiscopus subscripsi. Hugo cardinalis diaconus sanctæ Romanæ ecclesiæ subscripsi. Herimannus cardinalis. Ego Philippus Lunensis episcopus subscripsi. Ego Aurasicensis episcopus Gilelmus subscripsi. Ego Rogerius sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus subscripsi. Ego Johannes Portuensis cardinalis episcopus subscripsi. Ego Willelmus Auscienfis archiepiscopus cum meis suffraganeis, scilicet Dodo Bigorritano episcopo, Sancio Lascurrensi episcopo, Ottone Olorense episcopo, Willelmo Consorano episcopo subscripsi. Ego Imolensis episcopus Otto subscripsi. Ego Rodulfus Reginus archiepiscopus subscripsi. Petrus Venetus patriarcha, Petrus archiepiscopus Mediolanensis, Gotafridus episcopus Magalonensis, Berengarius episcopus Forojuliensis, Amatus archiepiscopus Burdegalensis, Aldebertus archiepiscopus Biturricensis, Petrus archiepiscopus Aquensis, Fulco Belvacensis episcopus interfuerunt. Tetbaldus Bercellensis abbas laudavit. Poncius abbas Casæ-Dei, Frotardus abbas S. Pontii.

Isti & omnes archiepiscopi, episcopi & abbates in Placentina synodo residentes hanc dimissionis chartam præcepto domini papæ laudaverunt & confirmaverunt, ac hujus dimissionis deinceps invasorem, vel subreptorem perpetuo anathemati subdiderunt, & monasterium omne, si aliquando invasio accideret, ab omni divino officio interdicendo cessare jusserunt.

XVII.

Donum a Raymundo comite factum ecclesiæ Nemausensi.

Ex chart. Nemaus.

1096.

DE dote quam ego Remundus comes Nemausensi ecclesiæ in altaris consecratione facio ut hæc charta testimonium retineat volo. Ab Urbano papa in Dei honore & B. virginis Mariæ Nemausensis ecclesia consecraretur mihi Remundo comiti Tolosensi placuit, ut in manu domni Urbani papæ, & in præsentia archiepiscoporum & episcoporum, qui cum eo aderant, ecclesiam Nemausensem sicut fidelis Dei filius sponsarem. Placuit vero, & placet, & ideo eam fideliter sponso, nam omne quod villa Fontis coopertæ mihi debet, & quidquid habeo ibi in servitiis, in usibus, in hospitiis, totum B. Mariæ Nemausensis ecclesiæ, & canonicis ibi quotidie Deo famulantibus in præsentia papæ & totius consecrationis cum pura fide, expulsa omni fraude, in sponsalitio dono: sed hoc donum est in pignore, & ut Nemausensis ecclesiæ canonici redimant mando. Equidem ego Remundus comes hoc dono facio, affirmo, & laudo, & ego Urbanus sanctæ Romanæ ecclesiæ sedis apostolicus, in cujus manu & præsentia hoc donum Nemausensi ecclesiæ facis, observatores hujus donationis sub apostolica benedictione pono. Si quis vero de heredibus tuis, vel de aliquibus aliis hominibus hoc donum confringere, inquietare, vel calumniare præsumpserit, sub perpetuo anathematis vinculo innodamus, donec ad satisfactionem relinquendo hujus rei reatum perveniat. Hæc donatio fuit facta, ut superius scripta, anno ab Incarnat. Domini MXCVI. pridie nonas Julii regnante Philippo Francorum rege. S. Remundi comitis qui hoc donum fecit, & hanc chartam scribere mandavit. S. Petri Guigonis præpositi. S. Isnardi archidiaconi. S. Pontii Baronis sacristæ. S. Petri Guillelmi archidiaconi. S. Gaucelmi Rostagni. S. Gaucelmi Stephani. S. Guillelmi de Sabrano. S. Pontii Renoardi. S. Renoardi de Medenas. S. Pontii de Agone.

XVIII.

Bulla Urbani papæ II. pro monasterio S. Ægidii.

Ex autographo.

1096.

URBANUS episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis Odiloni abbati monasterii S. Egidii, & universæ congregationi S. & A. B. Gratiæ supernæ miserationi tam per nos quam & per vestram religionem agendæ sunt, quia nos ad vestrum cœnobium pervenire, & una vobiscum B. Egidii solemnitatem celebrare disposuit. Unde nos erga B. Egidium ampliori devotione ferventes, tam vos quam vestra omnia ampliori sedis apostolicæ munimine protegere & confirmare curamus. Omnem igitur libertatem seu immunitatem vobis ac vestro cœnobio per antecessorum nostrorum privilegia contributam nos quoque præsentis decreti pagina roboramus, & quicquid super ea nos vobis hactenus concessisse cognoscimur. Unde etiam vestræ quieti attentius providentes, Nemausensem episcopum vobis infestum nostra studuimus auctoritate coercere. Cum enim vos super ecclesia S. Andreæ de Bernice & aliis quibusdam, quas antecessorum suorum temporibus possederatis, inquietaret, nos ei omnino ab hujusmodi molestiis cessare præcepimus, & sic vobis omnia quiete dimittere, sicut antecessorum suorum tempore vos possedisse constiterat. Abbatiam præterea beati Eusebii & omnes possessiones, quas hodie juste possidere videmini, vobis vestrisque successoribus perpetuo possidendas apostolica auctoritate firmamus. Statuimus etiam ut de cetero nullo archiepiscopo liceat super vestrum cœnobium vel abbatem manum excommunicationis aut interdictionis extendere, sed in B. Petri & ejus vicariorum manu quieti semper ac liberi per omnipotentis Dei gratiam maneatis. Pœnitentibus vero qui pro scelerum suorum venia cœnobii vestri basilicam, in qua B. Egidii corpus quiescere dinoscitur, expetierint, eam intrare, & illic domino sua concedimus vota persolvere. A conjugiis etiam liberos ad monachatum admitti sine episcoporum contradictione concedimus. Vos enim pro ejusdem B. Egidii meritis & religionis vestræ reverentia quietos omnino persistere, & tamquam oculi nostri pupillam volumus custodiri. Hæc omnia ut in perpetuum firma & intemerata permaneant Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti judicio & potestate sancimus. Datum Avenione per manum Johannis S. R. E. diac. card. pridie idus Sept. ind. III. anno Dominicæ Incarn. MXCVI. pontificatus autem domni Urbani II. papæ anno octavo.

Aliam Urbani II. bullam qua monasterium S. Ægidii privilegio & immunitate donat, vide tom. X. concil. Labb. col. 610.

XIX.

Psalmodiense monasterium absolvitur a dominio & regimine abbatum S. Victoris Massiliensis.

Ex archiv. S. Victoris eruit D. Furnerius.

Edit. in Diplom. Mabill. pag. 617.

1097.

NOtitia definitionis, quæ facta est inter Richardum abbatem Massil. & ejus monachos, & Psalmodiensis cœnobii abbatem videlicet Fulconem ejusque monasterii monachos. Anno Dominicæ Incarnationis *MXCIV. Psalmodienses monachi venerunt ante domni Urbani papæ præsentiam, & fecerunt ei querimoniam super Massiliensi abbate suisque monachis, eo quod contra apostolicam auctoritatem Psalmodiense monasterium sibi subdidissent. Quod audiens venerabilis papa, Massiliensem abbatem, Richardum scilicet, qui tunc in his partibus legatus ejus fuerat, advocavit, præcipiens ei ut hanc proclamationem Bertranni Narbonensis

* MXCVII.

metropolitani & Gibelini Arelatensium archiepiscopi, atque episcopi Raymundi Nemausensis & Gotofredi Megalonensis judicio, qui tunc in præsentia ejus erant, ibi audirent & diffinirent. Quæ res non minimum Massilienses monachos & etiam ipsum Richardum ad tantam iracundiam provocavit, ut non solum violenter Psalmodium retinerent, verum etiam monachos qui prædictam quærelam domino papæ fecerant, de suo monasterio expellerent. Unde accidit quod Psalmodienses nimia coacti necessitate, Romam reclamantes, Massilienses de medio sui ejecerunt a minimo usque ad maximum, jurantes super quatuor Evangelia cum Massiliensibus nullam participationem in prædicto monasterio habituros se amplius fore. Quo facto, prædictus Richardus prænominatos archiepiscopos & episcopos adiit, eorumque justitiam ex parte domini papæ sibi fieri postulavit, qui consilio accepto convenientes in unum, prius Psalmodium Massiliensibus reddiderunt, Psalmodiensibus propter jusjurandum de monasterio egressis omnibus. Deinde diem & locum statuerunt, quo tantus clamor audiretur & diffiniretur.

Ad statutum denique diem Massilienses & Psalmodienses venerunt cum prædictis judicibus, in quorum judicio dominus papa definitionem prædictæ querimoniæ posuerat. Omnibus itaque ex utraque parte circumstantibus, Gibelinus Arelatensis archiepiscopus ita locutus est: prima pars placita laudat ut Psalmodienses dicant unde de Massiliensibus conqueruntur.

Ad hoc surrexerunt, Stephanus Calcatellus, cui a ceteris commissum fuit ut responderet pro se & pro aliis, & ait: fratres nostri Psalmodienses conqueruntur Deo & S. Petro & vobis archiepiscopis & episcopis, qui jubente domino papa nostram querelam diffinire debetis de Massiliensibus qui Psalmodiense monasterium per violentiam, per manum laïcam, per sanguinis effusionem, per monachorum expulsionem, ad ultimum per pecuniæ concessionem sibi attraxerunt, & nobis abstulerunt, quamvis Psalmodium secundum privilegia apostolica, scilicet Johannis & Stephani, per præcepta regalia, id est, Karoli, Ludovici, aliorumque regum quorum auctoritates hic nos habemus, liberum fuerit, & nemini debeat subjici, nisi Romanæ ecclesiæ. Ad hæc conqueruntur fratres nostri Psalmodienses super Massiliensibus, quoniam postquam prædictam querimoniam domino papæ deposuerunt, & eo jubente res deberet perduci ad finem, dominus iste Richardus qui præsens est, monachos Psalmodienses qui prædictam querimoniam fecerant, de monasterio expulit, atque in externas nationes abire & mori fecit. Hæc est querimonia unde fratres nostri Psalmodienses conqueruntur super Massiliensibus præter alia mala quæ Psalmodio intulerunt.

Ad hæc Richardus abbas Massil. sedisque apostolicæ legatus cum suis Massiliensibus ita respondit: nulli dubium est, fratres mei, Psalmodienses monachos seculariter & extra regulam vixisse usque ad tempora prædecessoris nostri Bernardi Massiliensis abbatis qui volens eorum vitia corrigere, Raymundo comite deprecante suorumque procerum consilio, adeptus est jam dictum monasterium, & de irregulari fecit eum regulare, & ita tenuit usque ad diem obitus sui. Ex tunc ego, qui in locum ejus successi, tenui eum usque in hodiernum diem sub regularibus disciplinis monachis ejusdem loci accipientibus abbates & priores de nostro monasterio per bonas successiones. Hanc contra eorum querimoniam responsionem facimus.

Cumque Massilienses & Psalmodienses hæc & alia multa inter se conferrent, prænominati judices dixerunt, ut si quid aliud auctoritatis Massilienses adversus Psalmodienses habebant ostenderent, atque jusserunt sibi reddi privilegia & præcepta regalia, quibus dicebatur nulli alteri ecclesiæ Psalmodium debere submitti, nisi Romanæ: sicque consideratis utriusque partis rationibus & congruentiis, & Psalmodii auctoritatibus perspectis, Bertrandus & Gibelinus archiepiscopi, & Gotofredus atque Raymundus episcopi, præfato Richardo in medio eorum existente, quia legatus erat, judicaverunt præfatam querimoniam ita ut sequitur.

Licet, domine Richarde, vices domini papæ in nostris partibus vos habeatis, tamen ex auctoritate ejus & vestro assensu nobis datum est, ut ad perpetuam pacem ponamus totam controversiam Psalmodiensium & Massiliensium. Judicium tale est. Secundum privilegia apostolicorum Johannis & Stephani, præcepta regalia Caroli, Ludovici, aliorumque regum solius Romanæ ecclesiæ jus antiquissimum est Psalmodium, & nemini debet subjici, nisi soli domino papæ; ac pro causa ista Psalmodienses, ut causa eorum velocius definiretur, firmiter jurasse nunquam amplius se habituros esse societatem in prædicto Psalmodio cum Massiliensibus, & ideo omnes de suo monasterio, postquam Massiliensibus per investituram restitutum est, egressi sunt justitiam quærentes. Vobis igitur, domine Richarde, non expedit jura B. Petri apostoli minorari, qui ejus vicarius estis, nec etiam deffendere vel retinere quæ male commissa seu adquisita sunt ab antecessoribus vestris: sed potius convenit canonice corrigere & emendare. Et quia non deficiunt Massiliensibus auctoritates, quibus Psalmodium per justitiam possint habere, decernimus ut Psalmodiensibus suum monasterium libere & absolute reddatur, nullamque dominationem Massilienses ibi habeant amplius. Præcipimus etiam, si vobis placet, ut hoc judicium scribatur, & domino papæ præsentetur, & si ipse laudaverit, teneatur, & in Psalmodio reservetur, ne deinceps inde aliqua inquietudo inter eos assurgat.

Ad hoc Richardus, habito consilio cum Massiliensibus, inquit: judicium vestrum laudamus & suscipimus, atque Psalmodium cum omnibus sibi pertinentibus Deo, & S. Petro, & domino papæ, ejusdemque monachis cum charta & sine charta in perpetuum solvimus.

Factum est publice apud Caissarum castrum in loco qui dicitur Toirozella regnante Philippo rege Francorum, anno ab Incarnatione Domini * MXVI. XVI. cal. Octobris die SS. Lucii & Geminiani ind. IX. concurrente IV. epacta XV. clave XI. in præsentia supradictorum judicum & Ebrardi abbatis S. Tiberii, Fulconis ejusdem monasterii Psalmodii abbatis, Stephani Calcatelli, Raymundi Stephani, Guillelmi, Archimberti, Guillelmi Bonatus, Guillelmi de Albanis, Raymundi, Iterii, Guillelmi, Bernardi, Stephani, Bernardi, Pontii de Noceto, Petri Bernardi monachorum.... Juliani, Gondrici, Gonterii presbyterorum. Laicorum Raymundi de Cani, Raynerii fratris ejus, Pontii Gaucelini, Gaucelini fratris ejus, Pontii Bremundi de Somedrio, Bremundi fratris ejus, Pontii Petri de S. Justo, Remundi de S. Juliano, Bremundi de Lestrencheriis, Bertrandi fratris ejus, Remundi Galterii, Remundi Eldrici, Raynonis, Guillelmi, Iterii.

* MXCVII. error est in notis plerisque chronologicis.

Ego Richardus Massiliensis abbas octava die supradictæ definitionis VIII. cal. Octobris apud Montempessulanum laudo hanc definitionem cum hac charta monachis Psalmodiensibus in perpetuum subs. Ego Pontius Stephani firmo. Ego Bernardus Petito f. Ego Guillelmus f. Ego Arnaldus f. Ego Pontius f. Ego Ebrardus f. Isti omnes monachi Massilienses fecerunt laudamentum hoc jussu prænominati Richardi in præsentia Bertranni archiepiscopi, Gotofredi Magalonensis episcopi, Augerii archidiaconi, Gaucelini de Lunello, Raymundi, Raynonis & multorum aliorum. Gotofredo episcopo dictante, Pontius scripsit.

Hæc definitio missa fuit ad dominum Urbanum papam II. qui eam confirmavit bulla sua data Romæ apud S. Petrum per manum Johannis diaconi cardinalis kal. Maii indictione XII.* an. MXCIX. Pontificatus sui anno XII.

* VII.

XX. A XXI.

Beneficia monasterio Psalmodiensi subjecta ex bullis Urbani papæ II. anno MXCIX. *Paschalis II. anno* MCXV. *aliorumque summorum pontificum.*

1099. IN territorio Biterrensi castrum de Lunate, & monasterium de Juncellis.

In diœcesi Nemausensi locum de Corneliaco, cum ecclesia S. Juliani, cum suis cellulis & pertinentiis. In loco de Acantiaco ecclesiam S. Mariæ cum suis pertinentiis. In castro de Salignano ecclesiam S. Juliani. In Asperiis ecclesiam S. Petri cum suis pertinentiis. In loco Andusineo ecclesiam S. Andreæ cum decimis, &c. In loco de Aquis-vivis ecclesiam S. Petri. In Nozeto apud Aymargues ecclesiam S. Johannis & S. Cyriaci cum suis pertinentiis. Apud Malaspellum ecclesiam sancti Romani cum suis pertinentiis. Apud Teillanum ecclesiam S. Silvestri. In ripa stagni * ecclesiam S. Sebastiani cum decimis, &c. Apud Tovanam ecclesiam S. Thomæ. Apud Candiacum ecclesiam S. Petri cum suis pertinentiis. In loco de Vestrico ecclesiam S. Mariæ. In alio loco ecclesiam S. Boniti. Apud Codonianum ecclesiam S. Andreæ. Apud Verunas ecclesiam S. Salvatoris. In loco de Portu ecclesias S. Petri & S. Mariæ. Apud Novetam ecclesiam S. Silinniæ. In castro d'Aubais ecclesiam S. Petri cum pertinentiis earum. In loco de Vendargues ecclesiam S. Michaëlis cum suis pertinentiis & decimis. In loco de Valle ecclesiam S. Mariæ, & apud Salviniargues ecclesiam S. Andreæ cum pertinentiis suis.

* v. Scamandri.

In diœcesi Arelatensi ecclesiam & monasterium S. Romani cum cellulis suis. In loco de Volans castrum ipsius loci cum ecclesia S. Saturnini.

In diœcesi Aquensi in loco de Valle-amata cellam sancti Salvatoris cum suis pertinentiis, & ecclesiam quæ est in castro de Cucurrone, hoc est ecclesiam S. Michaëlis cum suis appendiciis. In castro Anisoiensi ecclesiam S. Stephani cum suis decimis & aliis pertinentiis; & in alio loco ecclesiam S. Lamberti cum suis pertinentiis, & in loco de Pomeyrolis ecclesiam S. Petri cum suis pertinentiis.

In diœcesi Aptensi ecclesiam S. Pauli cum suis adjacentiis; ecclesiam S. Michaëlis quæ est prope civitatem, & in alio loco ecclesiam S. Andreæ quæ vocatur *Reclusa*. In loco Oppidæ ecclesiam S. Andreæ cum suis decimis & aliis pertinentiis.

In diœcesi Sistaricensi, loco de Baux ecclesiam S. Mariæ cum cellulis & pertinentiis suis, videlicet ecclesiam de S. Cannato & ecclesiam de S. Saturnino. In loco de Tamarlayo ecclesiam ejusdem loci cum suis adjacentiis.

In diœcesi Sustantionensi in loco de * Mutationibus ecclesiam S. Ascisceli cum suis pertinentiis. Apud Caudillargues ecclesiam S. Mariæ cum suis pertinentiis. In loco de Nyssargues ecclesiam S. Columbæ cum suis decimis & aliis pertinentiis. Apud Varequas ecclesiam S. Agathæ cum adjacentiis suis. In loco de Coceletis ecclesiam S. Mariæ & ecclesiam S. Matthæi cum pertinentiis earum. In loco de Subiniis ecclesiam S. Stephani. In castro * Lupiani ecclesiam S. Cæciliæ. Apud Marignanum ecclesiam S. Christophori cum suis cellulis & aliis pertinentiis, videlicet ecclesia sancti Johannis & ecclesia S. Eulaliæ & adjacentiis earum. Apud locum de Corn ecclesiam S. Johannis cum suis pertinentiis.

* v. Mudesons.

* v. Loupian.

In diœcesi Uticensi in loco de Valle-combas ecclesiam S. Bricii cum suis pertinentiis. In loco de Deserto ecclesiam S. Stephani, & apud Tarans ecclesiam S. Petri cum pertinentiis & adjacentiis earum.

In diœcesi Narbonensi apud castrum de Nissan ecclesiam S. Saturnini cum pertinentiis suis & aliis adjacentiis.

In territorio Vapincensi loco de Balma ecclesiam S. Marcelli cum pertinentiis suis.

Gibelinus Arelatensis archiepiscopus monasterium S. Romani abbati Psalmodiensi donat.

1102. HÆc est charta definitionis, quam fecit domnus Gibelinus Arelatensis archiepiscopus consilio & laude sacristæ Bertrandi Arelatensis, & Raimundi decani, & Guiraldi Martini capitis scholarum, & Pontii..... & Michaëlis, & Petri Ugonis, & Bertrandi S. Remigii, cæterorumque canonicorum cum Fulcone abbate Psalmodiensi, & Raimundo Stephano, & Stephano Bernardo, & Raimundo Pontii, & Raimundo Argibertis, & Raimundo Garronii, & Pontio Bizo & ceteris aliis fratribus Psalmodiensibus, & monasterio B S. Romani de Aquilia, quod est situm super ripam Rhodani, consilio monachorum ejusdem monasterii, Martini scilicet, qui tunc sine subjectione aliqua Prior ibi erat, & Duranti Folcaldi, & Johannis Longi, & Guillelmi Alberici & Petri Camodi, & Gaufredi Pastellæ, & clericorum Petri de Agama, Petri Benedicti, & Billii Guiraldi, & consilio laïcorum comitis Bertrandi, & Rostagni Guillelmi vicecomitis, & Ramundi & Alfantis fratrum ejus, & Pontii (de Aramone) & Guillelmi de Aramone, Petri de Aramone, & Raimundi de Aquilia, & Amaurici Guillaldi, Radulfi comitis, & Baudulmundi, & Petri Balbi, & Petri Guillelmi militis Bellicadri, & Rostagni Alberici. Sciendum est quod præfatus archiepiscopus & canonici Arelatenses, & præfatus Martinus Prior, & prædicti C monachi S. Romani, & clerici, & idem comes Bertrandus, & Rostagnus Willelmus vicecomes, & fratres ejus, & Ramondus de Valabregue, & alii multi dicebant monasterium prædictum S. Romani abbatiam esse antiquitus, & nominatim Garnerium & Rogerium ibi abbates fuisse: ad ultimum hoc sic pacificatum est, & definitum est, quod ego præfatus Gibelinus Arelatensis archiepiscopus consilio & laude prædictorum canonicorum Arelatensium, & prædictorum monachorum S. Romani & clericorum & laïcorum dono & laudo Domino Deo, & S. Petro Psalmodiensi, & monachis ejusdem monasterii præsentibus & futuris in manu de te Fulcone abbate prædictum monasterium S. Romani cum suis ecclesiis, quæ sunt in archiepiscopatu Arelatensi, videlicet ecclesiam S. Laurentii, & ecclesiam D S. Nazarii Bellicadri, & ecclesiam S. Vincentii de Cannois, & ecclesiam S. Mariæ de Urbano, & in termino de Tarascone ecclesiam S. Vincentii, & ecclesiam S. Sixti, & ecclesiam S. Petri de termino, & ecclesiam S. Stephani de Heremo: & in archiepiscopatu Aquensi ecclesiam S. Marcelli in termino de Lunaida, & in termino de Garambadensi & ecclesiam S. Leodegarii, & in termino de Robiante ecclesiam S. Mariæ inter Aquas, & in termino de Pulchromonte ecclesiam S. Romani de Donentia: & in episcopatu Sistaricensi ecclesiam S. Salvatoris, & ecclesiam S. Mariæ de Camarlaiso: & in episcopatu Magalonense in termino Montis-ferrandi ecclesiam S. Matthæi. Prædictum monasterium S. Romani cum prædictis ecclesiis & cum toto honore & cum omnibus ad monasterium pertinentibus, & cum decimis & ecclesiis, E quas in archiepiscopatu Arelatensi jure & canonice adquirere poteritis, dono & laudo in perpetuum prædicto monasterio S. Romani, salva reverentia sanctæ Arelatensis ecclesiæ, tali pacto quod deinceps prædictum monasterium non vocetur abbatia, sed prioratus, & prædictus Martinus deponatur a prioratu, & tu, Fulco abbas, & successores tui priorem ibi ponatis bonum & honestum personis nostris chariorem. Et quia monasterium S. Romani quondam abbatia fuit, reverentia ejusdem monasterii Prior monasterii S. Romani in monasterio Psalmodiensi primus in choro sinistro ecclesiæ, & in capitulo, & in refectorio sedeat, & in omnibus a vobis & a fratribus honoretur. Nullum censum nominatim vobis faciat.

Item sciendum est quod in prædicto monasterio S. Romani nullum censum mihi nec successoribus meis retineo, nisi quod ad synodum Arelatensem Prior monasterii S. Romani cum suis capellanis veniat, & mandata & præcepta Arelatensis ecclesiæ observet & obediat, & in choro Arelatensis ecclesiæ a nobis........ vocetur, & in synodis ibi super alios post abbatem Montis-majoris sedeat.

Laudo etiam & confirmo ut in præfato monasterio S. Romani nullus homo vel femina sepultura careat, nisi propria sua culpa sit excommunicatus. Prior autem monasterii S. Romani habeat honorifice prioratum, & ecclesiam, & honores, omniaque ad monasterium pertinentia, & liceat ei in ecclesiis suis ad suam voluntatem mittere monachos, vel clericos, & liceat ei in monasterio S. Romani monachos & conversos recipere, & bona quæ attulerint ibi retinere; sed ab abbate Psalmodiensi benedicantur, & ei obedientiam promittant.

Iterum si Prior monasterii S. Romani in aliquo male se habuerit, quod absit, corripiatur & emendetur mandato & cognitione abbatis Psalmodiensis in omnibus. Tamen non liceat ei eum deponere, nisi in præsentia archiepiscopi Arelatensis. Hæc omnia sicut prædicta sunt laudo & confirmo, & in perpetuum firma permanere concedo. Acta sunt hæc in villa sancti Egidii in ecclesia S. Privati anno Dominicæ Incarnationis MCII. regnante Ludovico*, IV. cal. Aprilis in præsentia & testificatione prædictorum.

* lege Philippo.

XXII.

Paschalis II. Hugoni abbati S. Ægidii abbatiam Seumichensem a Ladislao Ungarorum rege fundatam confirmat.

Baluz. Miscell. tom. 2. pag. 183. Ex archiv. S. Egidii.

1106.

PASCHALIS episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Hugoni abbati monasterii S. Egidii, quod in valle Flaviana situm est, ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem prebere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Latisclavus siquidem bone memoriæ Ungarorum rex ad honorem Dei & SS. apostolorum Petri & Pauli in memoriam S. Confessoris Egidii Seumichensem fundavit ecclesiam, & eam per manum Odilonis felicis memoriæ prædecessoris vestri monasterio beati Egidii, cui auctore Deo præsides, obtulit, ubi & ejus corpus venerabile requiescit. Hanc nimirum oblationem pro animarum salute perpetratam nos largiente Deo apostolice sedis auctoritate firmamus, cui vestrum Flavianæ vallis cenobium ab eodem S. Egidio in salarium datum agnoscitur. Igitur supradicti Regis deliberationem præsenti decreto sancimus, ut quicumque Seumichensis abbas fuerit, abbati monasterii vestri, quod in valle Flaviana a S. Egidio constructum diximus, obedientiam profiteatur, & perseveranter observet. Negotia quæ monasterio acciderint, regis consilio terminentur, & nullus præter regem super res ecclesiæ judicare præsumat. Porro monasterii ecclesia cum atrio suo ea semper libertate potiatur, ut illic refugientes nullum personarum sive rerum præjudicium patiantur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare, aut possessiones auferre, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia quæ ab eodem Latisclavo rege vel aliis fidelibus de jure proprio data sunt, aut in futurum domino largiente illic dari contigerit, firma semper & integra conserventur, salva canonica reverentia diœcesani episcopi, eorum proquorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si quis igitur decreti hujus tenore cognito, vel Seumichensem cellam a vestri monasterii sujectione subtrahere, vel eandem cellam bonis suis temere privare temtaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua præsumptionem illicitam emendare curaverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu-Christi alienus existat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem hæc statuta servantibus sit pax Domini Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen, amen, amen. Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episc. Sig. Ego Bruno..... episc. Sig. Ego Landulfus cardinal. presbyt. Sig. Datum Parmæ per manum Johannis S. R. E. diaconi cardin. ac bibliothecarii IV. non. Nov. indict. XV. anno Dom. Incarnat. MCVI. pontificatus autem domni Paschalis secundi papæ VIII.

XXIII.

Donatio Richardi archiepiscopi Narbonensis facta Bertrando abbati Psalmod.

1117.

HÆC est charta donationis, quam fecit dominus Richardus Narbonensis archiepiscopus cum consilio clericorum suorum de ecclesia de Anitiano. Donum Deo & B. Petro apostolorum principi, cujus memoria venerabilis habetur in monasterio Psalmodiensi, & reverendissimo ejusdem loci abbati Bertrando cum monachis suis unanimiter petenti, & petitioni vehementer diutiusque instanti. Dei itaque omnipotentis nomine, ego Richardus Narbonensis archiepiscopus cum consilio clericorum scilicet sedis ecclesiæ SS. Justi & Pastoris, cujus juris est, dono ecclesiam S. Saturnini de Anitiano, & concedo cum decimis & primitiis & oblationibus, & terris, & vineis, cultis atque incultis, & cum omnibus suis pertinentiis Domino Deo & S. Petro monasterio Psalmodiensi, & venerabili abbati Bertrando & monachis ejusdem loci præsentibus & futuris jure possidendam perpetuo sine cujusquam contradictione, salva justitia, quam ego & clerici supradictæ sedis nobis & successoribus nostris inibi retinemus: videlicet quartam decimarum partem, quæ est de archiepiscopo, & synodum, & ordinationes, & albergam, & tertiam partem illius partis, quam parrochiani nostri morientes juxta canonum decreta pro animabus suis dividere debent, & ut capellanus qui curam tenuerit animarum nostro consilio intret & exeat in ecclesiam, & ut idem capellanus & ecclesia ordinatione & obedientia & justitia nobis subjiciatur. Alia autem omnia exceptis supradictis causis, sicut superius dicta sunt, ego jam dictus archiepiscopus & clerici SS. Justi & Pastoris plenarie donavimus & concessimus cum prænominata ecclesia sine enganno ullo, &c. Facta charta donationis hujus anno ab Incarnatione Domini MCXVII. feria V. VIII. cal. Martii, regnante Ludovico rege, laudantibus & firmantibus Richardo Narbon. episcopo, & clericis ejusdem sedis, & abbate Bertrando & monachis Psalmodiensibus.

XXIV.

Honorius II. papa abbati S. Ægidii mandat ut ad obedientiam Cluniacensium redeat.

Circa 1125.

HONORIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Petro abbati S. Ægidii & monachis salutem & apostolicam benedictionem. Ad hoc universalis ecclesiæ cura nobis a provisore omnium bonorum Deo commissa est, ut religiosas diligamus personas, & beneplacentem Deo religionem studeamus modis omnibus conservare: nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex caritatis radice procedens a puritate religionis fuerit conservatus. Hoc nimirum caritatis intuitu olim prædecessores nostri apostolicæ memoriæ Romani pontifices sancti Ægidii monasterium ad instituendum, sive conservandum religionis nitorem Cluniacensi cœnobio commiserunt.

Cæterum moderno tempore, defuncto Hugone abbate vestro, dum locus vester guerrarum incursu oppressus, & multis persecutionibus agitatus sine pastoris solatio stare non posset, prædecessor noster felicis memoriæ papa Calixtus te, dilecte fili Petre, abbatem constituit, quod profecto, sicut ex ejus voluntatis arbitrio & litteris ipsius Cluniacensi abbati missis percipimus, salvo Cluniacensis monasterii jure atque reverentia fecisse cognoscitur. Unde universitati vestræ mandamus atque præcipimus, ut sine contradictione ad carissimi filii nostri Cluniac. abbatis subjectionem & obedientiam redeatis. Tu vero, Petre abba, infra quadraginta dies post harum acceptionem litterarum supplici devotione ad Cluniacense monasterium pergens abbati obedientiam promittas, & eidem monasterio, remota omni occasione, professionem facias, salvo tamen in omnibus Romanæ ecclesiæ jure, abbatis benedictione & sanctæ sedis apostolicæ reverentia. Quod si contemptor exstiteris, B. Petri & nostram indignationem incurres. Datum Laterani.

XXV.

Ex autographo.

Innocentius II. papa initam confirmat Cluniacenses inter & monachos S. Ægidii concordiam.

1132.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Petro abbati sancti Egidii ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Quæ ad pacem spectant ecclesiæ libenti animo statuere volumus, & ut in futuris temporibus inviolabiliter observentur attenta diligentia providere. Lis siquidem & controversia a carissimo filio nostro Petro abbate & fratribus Cluniacensibus adversum te & monasterium B. Egidii est diutius agitata. Ipse namque de subjectione sibi & prædecessoribus suis per apostolicam sedem concessa te & S. Egidii monasterium impetebat, tu vero antiquam monasterii libertatem prætendebas: quæ tandem in nostra & fratrum nostrorum episcoporum & cardinalium præsentia apud Beljocum est hoc ordine terminata. Ut videlicet; si, quod absit, religionis ordo in monasterio S. Egidii fuerit imminutus, ibidem præfati filii nostri Petri Cluniacensis abbatis & successorum ejus præcepto & consilio reformetur. Si vero ipsum vel successores suos ad idem monasterium venire contigerit, reverenter suscipiantur, & quandiu ibi fuerint, honeste cum suis omnibus procurentur. Residendi quoque in sede abbatis, & capitulum regendi* te, dilecte fili Petre abbas, vel successoribus præsentibus, & quæ ibidem corrigenda fuerint corrigendi liberam habeant facultatem. Verumtamen te vel successoribus tuis decedentibus, vel ad alium locum transmigrantibus, fratres monasterii S. Ægidii eligendi de congregatione sua absque impedimento habeant libertatem; [a] ita tamen ut si pro abbate ad aliud transierint monasterium, de nullo alio præterquam de Cluniacensi monasterio eis pastorem assumere liceat: quo nimirum defuncto vel etiam remoto, de congregatione sua eligendi abbatem cum prædicto tamen tenore eandem habeant facultatem. Pro recompensatione quoque fatigationum expensarumque, quas nimirum tam prænominatus Petrus abbas, quam prædecessores sui pro vestro monasterio pertulerunt, tu profecto consensu fratrum tuorum obedientiam quæ *Limantium* nuncupatur cum pertinentiis suis eidem Petro abbati & per ipsum monasterio Cluniacensi donasti, & in jus ejus ac proprietatem in perpetuum transtulisti. Quod si quis eos super eadem obedientia molestaverit, te & successores tuos actorem & defensorem secundum justitiam statuisti. Ipse vero Petrus Cluniacensis abbas, præter ea quæ dicta sunt, quærimoniæ quam adversum monasterium sancti Egidii habebat, habito fratrum suorum consilio in perpetuum abrenunciavit. Statutum est etiam, ut si Cluniacense monasterium super monasterium S. Egidii haberet antiqua privilegia, vel cœnobium S. Egidii super Limantio, utrimque reddantur. Si qua vero exstant generalia, nullum vigorem obtineant. Auctoritate igitur Dei & nostra præcipimus, ut prædicta conventio absque ullius contradictione irrefragabiliter perpetim observetur. Si quis vero prædictæ concordiæ & huic nostræ confirmationi contraire præsumpserit, indignationem B. B. apostolorum Petri & Pauli ac nostram incurrat, & ab incepto frustretur. Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus sig. Datum Valentiæ per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii II..... Martii indictione X. Incarnationis Dominicæ MCXXXII. pontificatus domni Innocentii papæ II. anno 3.

* tenendi.

[a] *In alia simili bulla ad Petrum abb. Cluniacensem data VIII. cal. Martii an. 1132. sic habetur:* ita tamen ut ipsis pro abbate qui ad aliud transierit monasterium, de nullo alio præterquam de Cluniacensi monasterio pastorem assumere liceat.

XXVI.

Ex MSS. bibl. Albasfiana.

Fundatio monasterii Francarum vallium, variæque a variis huic factæ donationes.

Circa 1143.

EGo Pontius Guillelmi, & ego Bacheria uxor ejus, & ego Raymundus Guillelmus, Gerardus, Pontius, & Petrus filii eorum donamus Deo omnipotenti & B. Mariæ genitrici ejus locum, qui dicitur *Francæ valles*, & omne dominium quod habemus de Cruce de Reus ad quercum de Casto, quæ venit ad campum qui vulgo dicitur *Ardeman* & ..... inuna de Cabot usque ad terminum de Generaco, & ad terminum de S. Columba, & inde vadit usque ad terminum Bertrandi de Redorta. Totum hoc sive in thastis, sive in quartis cum omni dominio, sicut superius prælibatum est, nos memorati pro redemptione animarum nostrarum & progenitorum nostrorum donamus Deo omnipotenti & B. Mariæ genitrici ejus, & abbati Galterio jam dictum locum regenti, & fratribus præsentibus & futuris regulam Cistercienfis cœnobii servantibus, ut Deus omnipotens meritis sibi famulantium ab inferorum cruciatu nos liberare, & in sorte justorum nos ascribere dignetur. Si quis igitur successorum nostrorum, diabolo instigante, temerario ausu hoc donum* tentaverit, sit pars ejus cum Dathan & Abiron & Juda traditore, qui ex suis sceleribus æternam mercati sunt mortem. Ego Aldebertus ecclesiæ Nemausensis servus subscribo. Testes sunt Guillelmus & Gosselinus archidiaconi, Rostagnus, & Rostagnus filius ejus de Poscheriis, Petrus Belli-vicini & alter Petrus de Poscheriis.

* *deest*, infringere.

Circa 1143.

NOtum sit omnibus hominibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Petrus de Chassario, & ego Gilia uxor Petri, & ego Raimundus Coisardus, & ego Rostagnus de Galazunegues, & ego Guillelma uxor Rostanni, & ego Bernardus de Marizanegues bona fide, bonaque voluntate, & sine malo ingenio, absque ullo retinemento donamus, & laudamus, & guirpimus Deo & B. Mariæ de Franca valle, & tibi Galterio ejusdem loci abbati, & fratribus tuis tecum habitantibus, & successoribus vestris ibidem in ordine Cisterciensi Deo servientibus appellationem & querimoniam, quam sive juste, sive injuste faciebamus in manso de Piscatoriis cum omnibus ad se pertinentibus. Verumtamen ego Bernardus supradictus de Mareisanegues promitto quod faciam infantibus meis facere finem supradictæ querimoniæ heremitis Franchæ vallis, cum fuerint illius ætatis in qua possint discernere bonum a malo. Quod si infantes facere noluerint, dono eis retornum in vinea, quam habeo subtus viam de Mareisanegues, quæ tendit ad Somerium. Hunc autem mansum Guillelmus Gaufredi de Posqueriis miles, quandiu fuit in sæculo, in pace tenebat, & jure paterno possidebat, denique Dei gratia sæculum relinquens ad præfatum locum Franchæ vallis ad serviendum

ad serviendum Deo sub regulari habitu cum rebus suis & isto manso cum appendititiis suis se tradidit. Nos itaque supradicti laïci, qui querimoniam super isto manso faciebamus, pari voto parique consensu vobis prædictis heremitis Franchæ vallis & successoribus vestris relinquimus, & in perpetuum laudamus, & amodo ab ipsis querimoniis cessantes per istam chartam sicut in ea melius legi vel intelligi potest in manu domni Aldeberti Nemausensis episcopi hanc guirpitionem facimus per nos & per successores nostros, ut deinceps in pace & sine querela habeatis & possideatis.

1147. NOtum sit omnibus hominibus quod anno ab Incarnatione Domini 1147. mense Maio, ego Rozelinus dominus Lunelli bona voluntate, sine dolo, absque retinimento dono, & laudo in perpetuum Domino Deo, & B. Mariæ, & tibi Wilenco abbati, & omni conventui fratrum tecum commorantium, qui modo ibi sunt, vel inantea erunt, quendam locum, qui vocatur *Levedonum* in ripa stagni Scamandri, quem locum habebant a me fratres mei scilicet Raino, & Guillelmus Raino. Hujus rei testes sunt Willelmus Rivi, Poncius Siguini, Bertrandus Garnerius, Guillelmus Amalricus, Gaucelinus Raimundus, Alamanus, Guillelmus S. Juliani. Et ego Raino, & ego Willelmus Raino frater ipsius Rainonis D. Caslarii bona voluntate, sine dolo, absque omni retinimento donamus, & laudamus Domino Deo, & B. M.V. Wilenco abbati secundo ejusdem loci, & Ugoni abbati tertio, & omni conventui fratrum cum eis commorantium, qui modo ibi sunt, vel inantea erunt, præfatum locum qui vocatur *Levedonum* in ripa stagni Scamandri, quem locum habebamus a Rozelino fratre meo, sicuti terminatum est inter fratres prædicti loci, & fratres de sancto Ægidio, præsentibus utriusque loci abbatibus & fratribus. Hujus doni testes sunt Guillelmus Amalrici, Radulfus Grammaticus, Stephanus Revelini, Petrus Devereus, Johannes de Petra, Guillelmus Nicta, Bernardus Aldeberti, Bernardus Revelini, Petrus Guillelmi de Petra. Ex parte Guillelmi Rainonis testes sunt Rostagnus Rainonis prior sancti Ægidii, Gaufridus de Blandaco, Bremundus de Casstlar, Raimundus Rainardi, Poncius Guillelmi. Ego Aldebertus Dei gratia Nemausensis episcopus vidi & audivi, & proprio sigillo meo sigillavi.

1156. IN nomine Domini. Anno ab Incarnatione ejusdem 1156. in Annunciatione sanctæ Mariæ, regnante Lodoïco. Ego Raimundus comes Tolosæ, dux Narbonæ, marchio Provinciæ pro animabus patris mei & matris meæ, & pro anima mea, & pro animabus totius generis mei, bona fide, & sine dolo dono cum hac charta in perpetuum domui Francarum vallium, & habitatoribus ibi habitantibus præsentibus & futuris, ut numquam amplius dent usaticum aliquod, nec passaticum in tota terra mea. Hoc autem donum facio cum consilio & laudamento uxoris meæ reginæ Constantiæ regis Francorum sororis, & hoc donum facio in manibus Ugonis abbatis prædictæ domus, quæ domus est juxta ripam stagni Scamandri: & hoc donum sic intelligatur, quod numquam fratres prædictæ domus de aliquibus rebus suis dabunt usaticum aliquod nec passaticum per terram, nec per aquam in omni potestate mea. Hoc est factum in villa S. Ægidii in domo domni comitis prædicti in præsentia & sub testificatione Guiraldi Amici, & Guillelmi Imbiloti, & Isnardi de Tarascone, & Guillelmi de Margaritis, & Petri de Poscheriis, & Guillelmi Mascaroni, & Raimundi de sancto Privato, & Guillelmi Amalrici juvenis, & Bernardi de Parage.

1156. NOtum sit omnibus quod anno ab Incarnatione Domini 1156. pridie nonas Augusti ego Benedictus Dei gratia Cavillonensis episcopus recognosco, quod prædecessor meus Alfannus dedit Deo, & beatæ Mariæ, & abbati Vilenco Liberæ-vallis, & fratribus ejus, eorumque successoribus territorium quod appellatur *la Rocheta*, quantum eis necessarium fuerit in perpetuum cum consilio canonicorum suorum, scilicet Petri decani, & Petri Ebraldi sacristæ, & Rostanni præcentoris: quod territorium tunc erat terra inculta. Hoc autem donum quod factum esse recognosco, ego Benedictus episcopus concedo, & laudo, & confirmo tibi Ugoni abbati Liberæ-vallis, & fratribus tuis, & successoribus tuis libere in perpetuum. Hoc est factum in capitulo Francarum vallium sub præsentia monachorum, scilicet Hugonis abbatis, & Savarici prioris, & Ap. subprioris, & Bernardi sacristæ, & Imberti, & Petri de Amiglano, Poncii de Cerveria, Raimundi de Montinac, Bertrandi Cavillonensis, S. de Margaritis, Arnulfi, & Johannis, & aliorum, assistentibus mihi Benedicto Cavillonensi episcopo, Petro Asinello decano, & Geraldo Ademario & Guillelmo Romevo. Præterea hoc idem recognovi ego Benedictus episcopus in villa S. Ægidii anno & die suprascripto sub præsentia Rostagni prioris S. Ægidii, Guillelmi de Sumidrio decani, Rainonis de Cassario, Guillelmi de Sexeriis, Radulphi Caussidici. Hoc autem confirmans ego Benedictus episcopus.

1161. IN nomine Domini. Anno Incarnationis ejusdem 1161. mense Martio. Ego Raimundus Petri de Agantico, & ego Vierna uxor sua per nos & per nostros de bona voluntate, per bonam fidem, & sine fraude cum hac charta sine contrarietate omnium personarum vendimus, solvimus, & omnino in perpetuum guirpimus, & desamparamus tibi Viviano abbati monasterii S. Mariæ Francarum vallium, & omnibus confratribus tuis præsentibus & futuris monachis ejusdem monasterii, & universis successoribus vestris pro alodio franco ad omnes vestras vestrorumque voluntates faciendas absque inquietudine omnium personarum ad dandum, vendendum, pignorandum, vel quocumque modo volueritis alienandum, scilicet totum honorem nostrum, & omnia jura nostra cum omnibus suis pertinentibus, actiones, & petitiones, & quidquid habemus, & tenemus, & possidemus, & visi sumus tenere, habere, & possidere nos, vel nostri antecessores, vel aliqua persona per nos aliquo modo, vel habere, vel petere possumus in toto terminio de Villa-noveta, & in tota parrochia S. Tedexi infra duas leugas circumcirca de Buiis usque ad Escamandre, qualiscumque sit ipse honor, campi, vineæ, nemora, homines, fœminæ, herema, condres, culta, inculta, servitia, usatica, & qualiscumque sit & ubicumque sit ipse honor: propter hanc autem venditionem & solutionem dedistis nobis sex millia ducenta sol. Melg. de quibus penes vos nichil remansit in debito, & si magis valet hoc pretio, totum illud magis vobis & vestris in perpetuum donamus bono animo. Promittimus, & convenimus & vobis vestris per stipulationem, quod si aliquis homo vel aliqua fœmina in vel vestris abstulerit, vel amparaverit, jure totum in integrum vobis & vestris restituemus, & inde vos tota ista jam dicta possessione honoreque aliquid vobis & vestros semper tuebimur, & defendemus, & in pace, & sine contrarietate vos & vestros jure semper tenere & possidere faciemus, & inde nos vobis & vestris obligamus. Præterea donamus inde vobis & vestris regressum specialiter super omnes molendinos nostros de Agantico, & generaliter super omnes res nostras mobiles & immobiles, ubicumque sit, & totum hoc ita tenebo & observabo sicut præscriptum est ego Raimundus Petri de Agantico: sic Deus me adjuvet, & hæc Dei sancta Evangelia. Hoc totum laudavit atque juravit Raimundus Petri de Agantico apud Montempessulanum in estari Sebastiani in præsentia & testimonio Ermengaudi abbatis Vallis-magnæ, Guillelmi Anglici Pontii de Carvena,* M. Atbrandi, Guillelmi Urbani, Andreæ Medici, Sebastiani fratris ejus, Petri de Morenco canonici de

* de Cerveria.

* de Grainoul. * Arneni.

Grainonal,* Petri Mantelini, Arveni * de Alesto, Andreæ filii Andreæ Medici, Guillelmi Bras Petit, Vaquerii Petit, Jatbandi Pagani, & Fulconis notarii, qui scripsit hæc.

1168.

ANno ab Incarnatione Domini 1168. regnante Ludovico rege Francorum in mense Novembri. Ego in Dei nomine Raino dominus Cassarii trado, & dono bona fide, & sine ingano pro remissione peccatorum meorum, & pro anima patris & matris meæ & omnium parentum meorum in eleemosinam Deo, & B. Mariæ, & tibi Bertrando abbati Francarum vallium, & successoribus tuis, & fratribus omnibus ibi Deo servientibus præsentibus & futuris ad omnes tuas voluntates faciendas in perpetuum absque omni conditione & retentu, videlicet quandam paludem sive pascherium, sive cocingiam,* quæ tenet in longum a plantata Willelmi sancti Michaëlis usque ad portum Caboti, & in latum a tenemento de Poscheriis usque ad Caupoleriam. Quidquid igitur infra præscriptos terminos ad me pertinet, vel pertinere debet, totum vobis irrevocabiliter & absolute dono & trado, videlicet medietatem totius supra terminatæ paludis sive corregiæ, & in manu abbatis Franchæ vallis pono, in præsentia Willelmi de Tasqueriis, ita tamen quod si plantatam feceritis juxta Caupoleriam, tantum remanebit spatii inter plantatam & Caupoleriam, quantum est inter tenementum de Poscheriis & Cassarii. Hæc omnia sicut suprascripta sunt laudata sunt & confirmata simul cum hac charta a prædicto Rainone, & Rainone filio ejus anno ab Incarnatione Domini 1169. in mense Martio apud Francam vallem in præsentia Petri Troraldi, & Duranni Amati, & Raimundi Beraldi, & Bertrandi Roncini, & Durandi Carpentarii, & Petri Rufi, & Bernardi Merli, & Stephani, & Willelmi Carpentariorum, & P. Prioris Franchæ vallis, & B. de Gignac, & R. de sancto Ægidio, & P. de Teilano, & V. Fabri, & W. de Ronena monachorum, Nicolaique & Theodorici, & Poncii de Garini conversorum.

* corrigiæ.

1174.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis anno ab Incarnatione Domini 1174. Ego Bremundus Dei gratia Uticensis & Poscheriensis dominus per me & omnes successores meos pari animo, & absque dolo, pro remedio animæ meæ & parentum meorum dono Deo, & B. Mariæ Francarum vallium, & tibi domino Bertrando abbati ejusdem loci, & successoribus, & fratribus tuis præsentibus & futuris libere & absque omni retinemento quandam terram quæ est in territorio de Airolis & confrontat ab occidente terræ Martini de Guarons, a Circio terræ Willelmi Fole, a meridie terræ Bernardi Romani. Item dono vobis prædictis fratribus molas quotquot necessariæ fuerint ad molendinum de Figare, quod nostro subjacere juri dignoscitur. Item censum, qui mihi contingebat pro pascherio de silva. Item laudo & concedo vobis censum, quem habetis in terra Dalmatii, videlicet Albere quatuor militibus quem Rostagnus de Poscheriis vobis donavit, & ego in Dei nomine Adalardus de Momoleva dono & dimitto prædictis fratribus censum, qui mihi in prædictis molis competebat, videlicet sex denarios. Factum est hoc in hospitio S. Mariæ Liberæ vallis circumstantibus & audientibus omnibus subscriptis, domino Petro de Uscecio Psalmodiensi abbate, dominoque Willelmo abbate sancti Tiberii, Pontio Petro priore sancti Boniti, Gregorio monacho, Raimundo Tolsano, magistro Willelmo Malei, magistro Petro de Margaritis medico, Bertrando de Clausona, Petro Garnerio, G. Priore S. Mariæ Liberæ vallis, Arnulfo, magistro Petro de Nogairan, magistro Petro de Nan, magistro Petro de Creisel, magistro Durant Regon, G. Bertran, Petro de Marviols, magistro Stephano de Margaritis, magistro Poncio de Frijoneris, magistro Guillelmo Guido, magistro Bertrando de Cassanel, magistro Poncio de Vallibus, magistro Benardo de Poscheriis, magistro Willelmo de Radico, magistro Raimundo de S. Juliano.

1174.

ANno ab Incarnatione Domini 1174. Noscant præsentes & futuri quod ego Bernardus de Andusia pro remissione peccatorum meorum & remissione patris & matris & fratris dono, in perpetuum monasterio de Franquis vallibus & omnibus ibi Deo servientibus, ut in omni terra mea nullum donent usaticum neque leudam. Factum est hoc in domo Falcherii mense Januarii istis præsentibus R. de Mandagoto, R. de Vezendrio, & Folcherio, & G. Galterio priore, & P. sacrista, & P. de Vezendrio, & W. de Carces, & R. de Sobero, Gaufrido vicario, & Angerio, & R. de Cros, & Petro capellano.

Circa 1174.

EGo in Dei nomine Raimundus dux Narbonæ, marchio Provinciæ, comes Tolosæ pro amore Dei & remissione omnium peccatorum, & parentum meorum dono, concedo, & confirmo tibi B. abbati Francarum vallium, & successoribus tuis in perpetuum, & fratribus tuis in eodem monasterio famulantibus præsentibus & futuris quæcumque bona, quascumque possessiones in præsenti habetis in omni potestate & dominio meo. Et si quid in futurum a militibus meis per voluntatem Dei acquirere poteritis, quidquid juris in acquisitis vel in acquirendis in futurum ad me pertinet, vel pertinere debet, totum vobis in eleemosynam in perpetuum dono, trado per me & per omnes successores meos sine omni retentione.

1178.

NOscant præsentes, discant futuri quod anno Domini 1178. ego Bertrandus de Baucio pro redemptione animæ meæ & parentum meorum cum voluntate & consensu Tiburgis uxoris meæ & filiorum meorum, videlicet Bertrandi, & Guillelmi, & Ugonis dono, laudo, & concedo Domino Deo, & B. Mariæ, & tibi Poncio abbati Francarum vallium, & fratribus qui modo sunt, & in posterum sunt futuri, omnia mea bona feudo vel fundo quæ habeo, vel habere debeo in findo, quod de Bas de Salios, & hoc in perpetuum; retineo tamen mihi findales corroatas, & medietatem pretii salvatariæ bestiarum extranearum, quæ ibi advenerint; aliam vero medietatem pretii vobis tribuo, & quidquid vobis a feudalibus meis pretio vel dono acquirere poteritis vobis in perpetuum similiter dono. Verumtamen si pascua omnia prædicti feudi de Salios animalibus vestris necessaria fuerint, nolo de cætero in aliena animalia præter vestra pascua ingrediantur. Hujusmodi vero donatio facta est apud Cortesinem in camera Tiburgis uxoris Bertrandi de Baucio in mense Decembri, imperatore Frederico regnante luna octava-decima. Hujus rei sunt testes Rostagnus de Sabrano, Aldebertus de Ystro, Petrus Guiraudus de Bederida, Raimundus de Mirandol, Aldebertus de Beoul, Amelius S. Laurencii, Galardus de Boira, Murviel Catellus, Poncius de Brenna, Raimundus de Taisac, Petrus Bellaroti, Bertrandus de Jonqueriis, Petrus Brunus. Iterum vero istis testibus suprascriptis præsentibus facta est donatio unius Corsoris de Asiano quod est in Cravo a Bertrando de Baucio & uxore ejus & filiis eorum tibi Poncio abbati Francarum vallium & fratribus ibi perpetuo manentibus.

1181.

NOverint universi præsentes & sequuturi quod anno ab Incarnatione Domini 1181. regnante Philippo rege Francorum ego Elisiarius dominus Poscheriensis æger corpore, sanus mente, donatione perpetua dono Domino Deo, & B. Mariæ Francarum vallium & universis fratribus ibidem religiose degentibus in perpetuum absque omni retentione omnes terras laboricias quas habeo & possideo in territorio de Villa-nova. Factum est hoc apud sanctum Ægidium in domo hospitalis S. Johannis quæ domus est trans chorum ecclesiæ. Hujus rei testes sunt dominus abbas

Poncius Francarum vallium, Bremundus Uticensis, R. Rascas, Bermundus de Mesongua, Guillelmus de Anglurs, Guillelmus cellerarius, Raimundus Belasurus, Guillelmus Galterii.

1184. MAnifestum sit omnibus quod anno Dominicæ Incarnat. 1184. in mense Martio, ego Ildefonsus Dei gratia rex Aragonensis, comes Barchinonensis & marchio Provinciæ dono Deo, & B. Mariæ Francarum vallium, & tibi P. Dei gratia abbati ejusdem loci, & fratribus tuis præsentibus & futuris ibidem Deo deservientibus in perpetuum duas petias de terra in loco qui dicitur *Silva regis*, quarum inferior confrontatur a Rhodano cum terris vestris in loco qui vocatur *ad Fornels* & terminatur prope comitalem, superior etiam similiter confrontat cum terris vestris, a vento maris prope comitalem. Hoc donum facio pro remissione peccatorum meorum prædictæ domui Francarum vallium, & pro dampno quod passi sunt idem fratres in Argentia cum obsidione obsedimus circumdedimus Furchas, vel in aliis quibuscumque locis. Hoc donum factum est ad Albarim in præsentia ipsius abbatis: testes etiam fuerunt Guillelmus Raymundi Gaucellini bajulus de Tarascon, Garsiers bajulus de Albaron, Poncius de Garrigis, Petrus de Nogairan, Milo Alamannus. Totum prædictum honorem Guillelmus Raymundi, Garsias bajuli terminaverunt, & ostenderunt præcepta domini Regis, H. Cardoux de sancto Remigio, P. de Laveruna, R. Alamannus, P. Raschas Guimar, P. Cairatus, G. Cavaler, G. Malianus, P. de Nogairan, G. cursor abbatis, P. abbas, G. Gualterius, Durantus Regort, G. de Calvison, P. de Garrigiis, P. Catalanus.

1187. ANno ab Incarnatione Domini 1187. in mense Augusti regnante Philippo Francorum rege. Nos Raimundus Dei gratia dux Narbonensis, comes Tolosanus, marchio Provinciæ intuitu pietatis in remissione delictorum nostrorum & omnium parentum nostrorum, bona fide, & sine dolo donamus & tradimus in perpetuum cum hac charta Domino Deo, & B. Mariæ, & domui Liberarum vallium, & tibi Poncio ejusdem domus abbati, & per te omnibus fratribus ejusdem domus præsentibus & futuris, videlicet illas novem terras cum omnibus pertinentiis earum, quas in tenemento de Furchis habemus ex successione Agnetis quondam sororis nostræ: retinemus tamen nobis usumfructum, quandiu vixerimus, vel donec habitum religionis susceperimus. Has autem novem pecias terrarum in vos jure donationis inter vivos transferimus. Prædictas autem terras bene ac diligenter colere & excolere debetis, & deducto semine vestro de sumptibus, quos in area & sarculando feceritis, de residuis fructibus medietatem habebimus, & vos alteram; sed nostram medietatem percipere & habere debetis in solutum quatuor mille & quadringentorum solidorum Raimundensium, quos vobis debemus, donec inde vobis in integrum fuerit satisfactum. Statuimus præterea ut de prædictis terris nullo in tempore vintenum detis nec dare teneamini. Hæc omnia sicut superius scripta sunt nos in perpetuum observaturos bona fide per stipulationem promittimus. Facta autem prædictæ summæ solutione, exinde plenum jus proprietatis vobis & vestris in perpetuum concedimus. Hujus rei sunt testes Guillelmus de Sabrano, Raimundus Rascatius de Ucetia, Helisiarius de Ucetia frater ejus, Helisiarius de Avenione, Petrus Fulcodii judex & cancellarius, Guiraldus Assalitus, Petrus Catalanus, Bertrandus Ribertus, Bremundus notarius, Radulphus Ripertus, Raimundus Durantus de Furchis heremitæ, Guillelmus Galterius prior Liberarum vallium, Petrus de Ecclesia, Petrus de Noguiran operarius, omnes isti presbyteri Pontius de Gairigis, Vaquerius frater, Poncius de Rodelliano, & Raimundus de Poscheriis.

XXVII.

Bulla Adriani IV. pro ecclesia Nemausensi.

Ex chartario eccles. Nemaus. 1156.

ADRIANUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Aldeberto Nemausensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis. In eminenti apostolicæ sedis specula disponente Domino constituti, fratres nostros episcopos tam vicinos quam longe positos fraterna caritate diligere, & ecclesiis, in quibus Domino militare noscuntur, suam justitiam debemus conservare. Eapropter, dilecte in Domino frater Aldeberte episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ Nemausensem ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona inpræsentiarum juste & canonice possides, aut in futurum concessione pontificum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poteris adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Infra muros ipsius civitatis, monasterium S. Salvatoris de Fonte, ecclesiam S. Martini de Arenis, ecclesiam S. Thomæ, ecclesiam S. Vincentii, ecclesiam S. Stephani de Capitolio, ecclesiam S. Laurentii, castrum quod dicitur porta Arelatensis, tertiam partem omnium ledarum fori, & nundinarum, & tertiam partem sextarii, corde, & quintal, tertiam partem omnium tabularum, salvo in hoc jure canonicorum. Extra civitatem, Cendracensem abbatiam, Tornacense monasterium, castrum S. Martialis cum ecclesia, castrum S. Boniti cum ecclesia, castrum de Leguas cum ecclesia, castrum Montispesati, ecclesiam S. Stephani de Garons cum villa & territorio suo, ecclesiam S. Gervasii cum villa, ecclesiam de Amiglau cum villa quæ est in podio, ecclesiam sanctæ Mariæ de Gaujaco cum villa, ecclesiam de Dorbia cum capellis suis, de Valle garnita, de Rocafolio. In Uticensi episcopatu villam de Rovoreto, alias quoque ecclesias, possessiones & cetera, quæ tui juris esse noscuntur, tibi tuisque successoribus nihilominus confirmamus. Concordiam vero illam quæ inter te & canonicos ecclesiæ tuæ sapientum & discretorum virorum consilio rationabiliter facta est, ratam manere sancimus, & sicut in scriptis super hoc factis continetur, observari præcipimus. Præterea tuæ fraternitatis precibus inclinati, omnes ecclesias vel possessiones & bona, quæ tua vel aliorum Dei fidelium concessione juste & canonice possident, vel in futurum rationabilibus modis Deo propitio poterunt adipisci, ipsis & eorum successoribus regularem vitam professis, sedis apostolicæ auctoritate firmamus. In quibus hæc propriis nominibus duximus annotanda. Infra muros ipsius civitatis ecclesiam sanctæ Mariæ-Magdalenæ, ecclesiam sanctæ Eugeniæ, ecclesiam S. Stephani infra duas ecclesias, ecclesiam sancti Johannis. Extra civitatem ecclesiam de Margarita, ecclesiam de Agarna, ecclesiam de Costaballenis, ecclesiam de Carto, ecclesiam de sancta Perpetua, ecclesiam de Polvereriis, ecclesiam de Bollanicis, ecclesiam de Fonte cooperto, ecclesiam de Liveriis, ecclesiam de Brociano, ecclesiam de Codol, ecclesiam de Melignanicis, ecclesiam de Geneiraco, ecclesiam de Bello-vicino, ecclesiam de Poscheriis, ecclesiam de Olodanicis, ecclesiam de Carrugeriis, ecclesiam de Galadanicis cum capellis suis, S. Guiraldi de Villetella, S. Mariæ de Ponte Ambrosio, & S. Cosme, ecclesiam de Cavairaco, ecclesiam de S. Cosma, ecclesiam de S. Dionysio, ecclesiam de Anagia, ecclesiam de Bosseriis, ecclesiam de Bizaco, ecclesiam de Calvitione, ecclesiam de Liveriis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Congeniis, locum sanctæ Mariæ de Bonaur, ecclesiam sanctæ Andreæ de Congeniis, ecclesiam

de Saumanicis, ecclesiam de Podiis, ecclesiam de Leuco, ecclesiam de Brodeto, ecclesiam de Sumena, ecclesiam de Rocaduno, ecclesiam de Visseco, ecclesiam de Aulatis, ecclesiam Daveda, ecclesiam sancti Romani. In Uticensi episcopatu, ecclesiam de Calmetis, ecclesiam de Roueria, ecclesiam de Montinianicis, ecclesiam de Guillano. In Mimatensi episcopatu ecclesiam de Melosa. Prænominatas itaque ecclesias cum capellis, & omnibus earum appendiciis eisdem canonicis ut supra diximus confirmamus, salva tamen tua & successorum tuorum & aliorum episcoporum, in quorum parrochiis eædem ecclesiæ sitæ sunt canonica justitia. Prohibemus etiam ut infra parrochiam ecclesiæ sanctæ Mariæ Nemausensis sedis, & monasterii S. Baudilii nullus oratorium vel cimeterium sine consensu episcopi & canonicorum facere præsumat. Sancimus etiam ut in parrochialibus ecclesiis quas monachi & canonici tenent tuo assensu presbyteros collocent, quibus si idonei fuerint curam parrochiæ committes, ut hujusmodi sacerdotes de plebis quidem cura tibi respondeant; illis autem pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Prohibemus etiam ut nullus parrochianos Nemausensis ecclesiæ absque tuo & canonicorum assensu ad sepeliendum suscipiat, nisi forte ipsi in aliquo venerabili loco se sepeliendos decreverint. Decernimus ergo ut nulli hominum omnino liceat præfatam ecclesiam perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si quæ tamen ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. *Locus sigilli.* Ego Adrianus catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Ymarus Tusculanus episcopus. Ego Lentius Portuensis de sancta Rufina episcopus. Ego Gregorius Sabinensis episcopus. Ego Guido presbyter cardinalis tituli S. Chrysogoni. Ego Ubaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Praxedis. Ego Manfredus presbyter cardinalis tituli sanctæ Sabinæ. Ego Julius presbyter cardinalis tituli S. Marcelli. Ego Otho diaconus cardinalis tituli S. Georgii ad velum aureum. Ego Guido diaconus cardinalis S. Mariæ in porticu. Ego Jacintus diac. cardin. S. Mariæ in Cosmedin. Ego Ildebrandus diac. card. S. Eustachii. Datum Laterani per manum Rollandi S. R. E. presbyteri cardinalis de cancellaria IV. idus Decembris indictione V. Incarnationis Dominicæ anno MCLVI. pontificatus nostri domni Adriani anno tertio.

XXVIII.

Anianenses inter & monachos Francarum vallium inita societas.

1201. ANno ab Incarnatione Domini MCCI. pridie calendas Martii. Ego Gaucelinus abbas Anianæ per me & per omnes successores nostros * & totus conventus Anianæ suscipimus te Pontium abbatem Francarum vallium, & omnes monachos * ejusdem monasterii præsentes & futuros pro fratribus, & participes omnium orationum nostrarum & benefactorum vos facimus, & societatem monasterii nostri tam liberaliter quam libenter vobis tribuimus. Insuper ecclesiam S. Salvatoris de Pinu cum omni jure suo &* omni dote sua, & cum omni honore suo, & cum omnibus ad ipsam ecclesiam pertinentibus & quæ pertinere debent in parrochia de Pinu, vel in parrochia de Medullio, vel alibi ubicumque sint tibi Pontio abbati S. Mariæ Francarum vallium, & successoribus tuis, & per te eidem monasterio concedimus ad firmam, salvo jure episcopali. Sciendum est autem quod nobis retinemus & monasterio Anianensi ibidem singulis annis ab hoc primo festo S. Mariæ de mense* Augusto usque ad XX. annos duos modios frumenti duarum partium & tertiæ hordei nomine canonis, & deinde singulis annis in perpetuum unum modium ejusdem bladi, quod bladum ad mensuram mercadalem Anianensem annuatim in dicto festo B. Mariæ solvere nobis debetis, & vestris sumptibus & vestro periculo deferre in cellarium nostrum apud Anianam, remota omni exceptione juris & facti, & in cellario mensurare & solvere tenemini vos & domus Francarum vallium in perpetuum.

Et ego Pontius abbas* Francarum vallium per me & omnes successores meos, & totus conventus monasterii Francarum vallium recipimus te Gaucelinum abbatem Anianensem, & omnes monachos, & fratres ejusdem monasterii tam præsentes quam futuros pro fratribus, & participes omnium orationum nostrarum & benefactorum nostrorum vos constituimus, & societatem monasterii nostri tam liberaliter quam libenter vobis tribuimus, & recipientes prædictæ ecclesiæ concessionem liberaliter nobis factam, ut dictum est, per stipulationem promittimus in bona fide nostra tibi Gaucelino & successoribus tuis, & universo conventui Anianensi nos prædictum canonem integerrime & plene singulis annis die & loco & modo supradictis ad dictam mensuram reddituros & soluturos, remota omni exceptione juris & facti: & modo* recipimus te & monasterium Anianense in Dei fide & nostra quod ita attendamus, & vos inde, vel monasterium nullo modo decipiamus ullo unquam tempore. Sciendum vero est quod hunc canonem abbas, vel conventus Anianensis donandi, vendendi, impignorandi, vel permutandi, seu quovis alio titulo alienandi cuicumque personæ ecclesiasticæ vel seculari, seu alicui universitati potestatem non habebit. Unde ego Pontius abbas & conventus Francarum vallium sub hac forma prædicta & lege suscipimus, ut liberati non essemus a supradicti canonis solutione, nisi prædicto modo & pacto in cellario Anianensi prædictum bladum solutum & mensuratum fuerit, non obstante aliqua donatione, translatione vel alienatione, si de facto, quod absit, contingeret fieri ab abbate vel conventu Anianensi, & pro prædictis omnibus complendis & integerrime bona fide servandis obligamus nos & omnia bona monasterii Francarum vallium ubicumque vel quæcumque sint vel fuerint monasterio Anianensi in perpetuum. Acta sunt hæc & laudata apud Anianam in claustro a domno Gaucelino abbate & R. priore & R.* de Salzeto sacrista, F.* de Scaleriis infirmario, C.* de Monte-Arnaldo eleemosynario, B. de Agathe, R. de Nebiano, B. de Tortesa, Matfredo cellerario, G. de Civriano*, P. de Pradinas, P. Boverio*, G. de Albiniaco, R. de Guilaberto, R. de Mesano, R. de Morezo*, B. de Monte-petroso*, Radulfo, P. Artaldo, R. de Figareto, G. Pontio monachis Anianensibus, in præsentia & testimonio B. de Costa archidiaconi Ruthenensis, A.* de Pamas, J.* Garnerii de Pinu, Clarentiaqui Archerii, Duranti Gerardi, G. de Marojol-torti*, Martini* de Costa-solana, P. . . . . & G.* Raimundi notarii, qui hoc scripsit.

* meos.
* (& fratres.)
* (cum.)
* medio.
* (monasterii.)
* inde.
* B. de Salfeto.
* P.
* G.
* de Cerviano.
* Boucies.
* de Morge.
* Petuso.
* R. de Parnias.
* P.
* Mairzoltorti.
* Maurini.
* Guillelmi.

XXIX.

Raimundus comes Tolosanus Psalmodiensibus, & monachis S. Romani concedit omnes justitias in villa S. Romani.

1203.

EGo Raimundus Dei gratia dux Narbonæ, comes Tolosæ, marchio Provinciæ, reginæ Constantiæ filius pro remedio animæ meæ & parentum meorum dono Deo & S. Romano, & Bernardo abbati Psalmodii, & Guillelmo de Clausona priori ac monachis in dicto monasterio sancti Romani de Aculeia supra Rhodanum manentibus, tam præsentibus quam futuris omne jus & omnes justitias villæ ac tenementi sancti Romani, &c. Actum idibus Sept. anno Incarnationis Dominicæ MCCIII.

XXX.

Sammarth.

Raimundus de Rocafolio ecclesiæ & Regi fidem & obsequium spondet.

1225.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi anno Incarnationis ejusdem MCCXXV. XVII. cal. Aprilis. Notum sit omnibus hominibus præsentem paginam inspecturis, quod ego Raimundus de Rocafolio juro tactis sacrosanctis Evangeliis parere universis & singulis mandatis domini Romani sancti Angeli diaconi card. apostolicæ sedis legati, super illis omnibus pro quibus sum vel fui excommunicatus per legatum, vel legatos ecclesiæ Romanæ, vel delegatum, seu delegatos eorum, aut etiam per judicem seu judices ordinarios, vel etiam ipso jure. Item juro tactis sacrosanctis Evangeliis, quod ego parebo similiter omnibus mandatis domini Regis Franciæ, & omnimodæ voluntati ipsius absque conditione aliqua, super eo quod favi & auxilium præstiti Raimundo quondam comiti Tholozano, aut........ Raimundo filio ejus, vel T. quem vocant vicecomitem, & comiti Fuxi, & aliis qui ecclesiam impugnabant, seu comiti Montis-fortis : & ut omnia suprascripta a me inviolabiliter observentur, castra infra scripta reddo & trado in manibus vestris domini P. archiepiscopi Narbonensis, recipientis ea pro antedictis domino cardinale, & domino rege Franciæ, videlicet castrum de Rocafolio, castrum de Pausis, & castrum de Valaranga in ditione Nemausensi, & castrum de Blanchaforte in ditione Mimatensi, castrum de Castucium in ditione Ruthenensi. Ita scilicet quod ea nostra faciatis custodire expensis, de quibus vobis & illis, qui ea custodient, satisfaciam plenarie in omnibus secundum vestræ beneplacitum voluntatis. Promitto insuper jurejurando prædicto, quod faciam omnes homines supradictorum castrorum, vel etiam totius terræ meæ jurare fidelitatem sæpedicto domino Regi, & domino cardinali, pro custodia ipsorum castrorum, & pro adimplendis omnibus supradictis, ad cognitionem & mandatum vestrum, si volueritis, aut videritis expedire. Promitto præterea, quod dicta castra vobis vel his qui ea pro nobis custodient, non subtraham, vel subtrahi faciam aliquo dolo, vel fraude. Immo si aliquo casu ea subtrahi vel amitti contigerit, ad ea recuperanda & restituenda vobis modis omnibus quibuscumque potuero, vos juvabo. Quod si forte non observavero omnia supradicta & singula, volo quod jam dicta castra, & alia tota terra mea domino Regi fratri sint commissa. Acta sunt hæc apud Narbonam in stari domini archiepiscopi, in præsentia dominorum episcoporum A. Dei gratia Nemausensis, B. Magalonensis. T. Agathensis, B. Biterrensis, R. Elenensis, B. abbatum de Grassa, & B. Fontisfrigidi : magistri Guillelmi & Stephani archidiaconorum, Ysarni præcentoris, & P. archipresbyteri Narbonensis, Stourdi archidiaconi Magalonensis, & G. & Pontii archipresbyterorum Nemausensium, & Andusiensis, Raimundi de Brugueria militis & Raimundi Polymi scriptoris domini Nemausensis. Et ad majorem firmitatem ego dominus Raimundus de Rocafolio sigillum meum prædictis apposui.

XXXI.

Raimundus abbas & conventus Psalmodii cedunt S. Ludovico Francorum regi villam de Aquis-mortuis.

1248.

OMnibus præsentes litteras inspecturis Raimundus permissione divina abbas Psalmodii, & conventus ejusdem loci salutem in Domino. Notum facimus quod nos unanimi ac deliberato consensu territorium in quo sita est villa de Aquis-mortuis, & fortalitia ejusdem loci, quod territorium incipit a casa Joannini, quæ dividit terram domnæ Giraudæ a territorio domini Regis, & de illa casa directe protenditur usque ad caput pontis novi Psalmodii cum toto ponte & calceia, & inde iterum protenditur ad Aquas-mortuas secundum quod tenementum S. Clementis illud dividit & durat in illa parte usque ad silvam domini de Portubus, & de illis Portubus usque ad mare, & a mari usque ad prædictam casam * Joannini cum omni jure quod habebamus ibidem, domino nostro Ludovico Dei gratia illustri regi Franciæ quittavimus & concessimus ab ipso & ejus heredibus perpetuo possidendas. Ipse vero dominus Ludovicus nobis in recompensationem dicti territorii dedit & concessit quamdam terram, sive condaminam quam habebat in territorio Somedrii * juxta muros ejusdem castri, & * portæ ipsius castri contigua via * quæ ducit Alestum a sinistra parte usque ad viam quæ ducit ad molendinum de Garrevel,* & ab eodem molendino supra ripam Ridollæ usque ad fossata prædicti castri : & item a capite fossatorum super eadem fossata usque ad portam prædictam a nobis abbate & conventu perpetuo possidendam, hoc salvo quod idem dominus Rex sibi & heredibus suis retinuit omnimodam justitiam in terra superius annotata. Nos vero prædictam recompensationem gratanter recepimus & acceptam habemus, & in testimonium & munimentum omnium præmissorum sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Actum apud Aquas-mortuas anno Domini MCCXLVIII. mense Augusto.

* confam. * Somieres. * in porta. * viæ. * Garenel.

XXXII.

Ex chartulario Arelat.

Johannes Arelatensis archiepiscopus cedit domum abbatissæ sancti Salvatoris de Fonte Nemausensi.

1255.

ANno ab Incarnatione Domini MCCLV. XIII. cal. Aprilis, regnante Ludovico illustri rege Francorum, notum sit universis, quod nos Johannes Dei gratia sanctæ Arelatensis ecclesiæ episcopus considerantes devotionem & religionem Beatricis abbatissæ & monialium S. Salvatoris de Fonte Nemausensi ad honorem Dei & utilitatem ipsarum concedimus & donamus eisdem domum illam cum omnibus pertinentiis suis, in qua olim *Repentitæ* in condamina castri Bellicadri habitabant, habendam & tenendam ad usus suos nunc & semper & in perpetuum sub nostro regimine, correctione & obedientia ; quæ omnia in omnibus in eadem domo habitantibus, vel habitaturis retinemus. Actum apud Bellicadrum præsentibus Guidone Falconio, fratre Pontio de S. Egidio, Bertrando de Croso, domino Bernardo Julliano Arelatensi archidiacono & multis aliis.

XXXIII.

Sammarth.

Clemens IV. sigillum argenteum donat conventui S. Egidii.

1265.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori & conventui monasterii de sancto Egidio, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Nemausensis dioecesis, salutem & apostolicam benedictionem. Etsi ecclesiarum omnium religiosorumque locorum nobis cura immineat generalis, tamen erga monasterium vestrum eo propensius diligentiae studium adhibemus, & in iis quae illi expedire cognoscimus eo sibi sollicitius providemus, quo sanctitatis & honestatis ejusdem suadentibus meritis, nostraeque originis, quam de sancto Egidio contraximus, pensata, Monasterium ipsum vicinius ac familiarius mentalibus oculis intuentes, in illius profectibus & augmento majorem noster animus sumeret laetitiam, & in defectu, quod absit, amplius turbaretur. Cum igitur monasterium praelibatum, ex eo quod nonnisi unicum habebatur sigillum, quo utebantur abbas & conventus ejusdem, non modicum retroactis temporibus sustinuerit detrimentum, nos hujusmodi defectum congrua restauratione supplere, ac ipsius monasterii incommodis volentes obviare, sigillum ad opus vestrum & successorum vestrorum de opere argenteo fecimus fabricari, &c. Datum Perusii II. nonas Februarii pontificatus nostri I.

XXXIV.

Ex MS. codice domni episcopi Montispessulani.

Bertrandus episcopus Nemausensis excusat se quod nequeat interesse consecrationi B. Lodevensis electi.

1284.

REverendo in Christo Patri domino P. Dei gratia S. Narbon. ecclesiae archiepiscopo Bertrandus ejusdem miseratione Nemausensis episcopus salutem & promptam ad ejus beneplacita voluntatem cum reverentia & honore. Vestras patentes litteras nos noveritis recepisse, quod die Sabbati proxima ante Dominicam qua computabitur IV. nonas Martii essemus Lodovae, ut ipso Sabbato in scrutinio venerabilis domini B. electi Lodovensis, ut moris est, faciendo, & die Dominica subsequente in consecrationis solemnitatibus vestrae assisteremus paternitati una cum aliis suffraganeis, prout suadent canonum sanctiones: verum cum propter quaedam propria negotia magna & ardua, quae habemus coram viro nobili senescallo Bellicadri & Nemausi, quae absque nostra praesentia commode nequeunt expediri, non possimus dictis diebus interesse sine magno nostro incommodo, & nostrae Nemausensis ecclesiae, vestram reverendam paternitatem attentius suppliciter duximus deprecandam, quatenus nos habere dignemini super absentia hujusmodi excusatos, procedentes in praemissis scrutinio & consecratione cum consensu nostro quem praesentibus exhibemus secundum quod vestra provida circumspectio decreverit faciendum. Datum Nemausi VIII. cal. Martii anno Domini MCCLXXXIV.

XXXV.

Bulla Julii papae II. pro restauranda ecclesia S. Egidii.

1506.

JULIUS episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Ecclesiarum quarumlibet praesertim monasteriorum insignium fabricis & reparationibus manus porrigere adjutrices pium & meritorium apud Deum existimantes, fideles quoslibet ad exhibendum ipsis opportuna suffragia spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet & remissionibus, frequenter invitamus, ut per temporalia quae illis tribuerint auxilia premia consequi mereantur felicitatis eternae. Cum itaque, sicut accepimus, licet alias ecclesia monasterii sancti Egidii ordinis S. Benedicti Nemausensis dioecesis per clarae memoriae Carolum magnum Francorum regem miro & sumptuoso edificio construi & edificari cepta fuerit, ita ut si juxta illius situm perfecta esset, similis structura in toto regno Francorum non inveniretur; tamen cum praefatus rex opere hujusmodi imperfecto decesserit, abbates seu administratores dicti monasterii qui fuerunt pro tempore, vel per negligentiam seu potius propter impotentiam ad tanti edificii perfectionem structurarum in ecclesia hujusmodi non processerunt, neque etiam qui eidem monasterio praeerunt in futurum, illam perficere poterunt, & expensam usque ad summam centum millium ducatorum propterea necessariam ex fructibus dicti monasterii facerent, si Christi fidelium suffragia eis non parvo sed longo tempore suffragetur. Propter quod dilecti filii monachi dicti monasterii ecclesia ipsa imperfecta, ut perfertur, remanente, missas & alia divina officia in criptis subterraneis ipsius ecclesiae celebrant. Nos igitur cupientes ut ecclesia ipsa in hujusmodi structuris & aedificiis perficiatur, & perfecta construatur, ac congruis frequentetur honoribus, & Christi fideles eo libentius devotionis causa ad eandem ecclesiam confluant, & pro praemissis manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratiae uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere penitentibus & confessis undecunque existentibus, qui praedictam ecclesiam in Dominica, qua cantatur in ecclesia *Judica me Deus*, de passione nuncupata a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive devote visitaverint, & pro illius & aliarum structurarum & edificiorum praedictorum perfectione de bonis a Deo sibi collatis juxta eorum arbitrium & personarum qualitatem manus porrexerit adjutrices, seu senes, & valetudinarii, ac mulieres, & alii legitimo impedimento detenti de eisdem bonis suis tantum de praemissis ad dictam ecclesiam transmiserint, quantum verisimiliter in eundo exponerent, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur: & ut ipsi Christi fideles ad ecclesiam praedictam pro hujusmodi indulgentia consequenda accedentes, illam Deo propitio consequi valeant, dilecto filio abbati, seu commendatario, aut priori claustrali dicti monasterii nunc & pro tempore existenti deputandi aliquos confessores idoneos seculares, aut praedicti, vel cujusvis alterius ordinis regulares, qui ad eandem pro hujusmodi indulgentia consequenda accedentes, in singulis casibus etiam sedi apostolicae reservatis, exceptis illis, qui in bulla, quae in coena Domini legi consuevit, continentur, & aliis eorum peccatis, excessibus & delictis eorum confessione diligenter audita absolvant, & pro commissis poenitentiam salutarem injungant, necnon vota quaecumque per eos emissa, quae commode adimplere nequiverunt, ultramarinae visitationis, liminum eorumdem apostolorum beatorum Petri & Pauli, ac S. Jacobi in Compostella, castitatis ac religionis votis duntaxat exceptis, in opus dictae fabricae commutare possint eadem auctoritate praesentium tenore licentiam & facultatem concedimus, & hujusmodi indulgentiam sub revocationibus plenariarum indulgentiarum tam per nos quam sedem apostolicam quomodolibet & sub quibuscumque tenoribus & clausulis etiam derogatariarum derogatoriis hujusmodi indulgentia durante faciendis nullatenus comprehendi debere, sed ab illis exceptam existere dicta auctoritate decernimus, ac statuimus, & ordinamus, & si emanaverint ex nunc prout ex tunc in pristinum statum restituimus, & reponimus. Volumus autem quod si alias dictam ecclesiam visitantibus, &

ad premissa manus adjutrices porrigentibus, seu inibi pias elemosinas irrogantibus, aut alias alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, præsentes litteræ nullius sint roboris vel momenti præsentibus post biennium minime valituris. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Domini millesimo quingentesimo sexto duodecimo cal. Maii pontificatus nostri anno tertio.

XXXVI.

Bulla secularisationis monasterii S. Egidii Nemausensis diœcesis.

1538. PAULUS episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Clementia ejus qui immobilis permanens suo mirabili ordine dat cuncta moveri, in apostolicæ dignitatis specula meritis licet imparibus constituti, & ex commissi nobis eadem clementia desuper pastoralis officii debito ad singulas ecclesias & monasteria, quorum omnium principatum a Domino obtinemus, dirigentes circumspecte considerationis intuitum, ac eorum dispendiis occurrere, honorique & profectui, quantum cum Deo possumus, consulere satagentes, illorum ac personarum in eis Altissimo famulantium statum interdum in melius commutamus & alteramus, ac desuper disponimus & ordinamus, prout salus animarum exigit, & rationabiles causæ suadent, ac pia catholicorum regum vota exposcunt, necnon temporum, locorum & personarum qualitatibus & conditionibus diligenter consideratis, ad divini cultus augmentum, & bonorum illorum conservationem, necnon ecclesiarum & personarum earumdem decorem & venustatem conspicimus in Domino salubriter expedire, ad illos quoque dexteram nostræ liberalitatis extendimus, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant. Sane charissimus in Christo filius noster Franciscus Francorum rex christianissimus tam suo, quam dilectorum filiorum Theodori Johannis de Claromonte clerici Vapincensis diœcesis, qui monasterium sancti Egidii oppidi de sancto Egidio ordinis sancti Benedicti Nemausensis diœcesis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ex concessione apostolica in commendam obtinet, ac conventus dicti monasterii, seu majoris partis ejusdem conventus nominibus nobis nuper exponi fecit, quod a tempore cujus initii memoria hominum non existit, in dicto oppido monasterium prædictum pro uno abbate & aliquibus monachis dicti ordinis fundatum, ac sumptuosis ædificiis constructum, non tamen in hujusmodi ædificiis totaliter perfectum, ac privilegiis tam apostolicis potissime per felicis recordationis Clementem papam quartum prædecessorem nostrum, qui a dicto oppido originem traxit, quam regiis decoratum extitit, & abbas ipsius monasterii pro tempore existens in monasterio & oppido prædictis, ac ipsius oppidi districtu in clerum & populum oppidi & territorii, ac districtus hujusmodi jurisdictionem spiritualem & temporalem, merumque & mixtum imperium habere consuevit, ac in ipso monasterio mensa conventualis prorsus distincta & separata a mensa abbatiali, nec non unus prioratus major nuncupatus, unus decanatus, unus prioratus claustralis, pro uno priore claustrali ad nutum præfati abbatis amovibili, una cameraria, una eleemosynaria, una infirmaria, una operaria, una hostelaria, una præcemptoria, una corresoria, unus archidiaconatus, una celleraria, una succentoria, una prima altaris sancti Egidii, una secunda ejusdem altaris, & una alia sancti Petri de via sacra nuncupatæ sacristiæ, officia claustralia, quæ nec non prioratus non conventualis beatæ Mariæ Magdalenæ prope & extra muros dicti oppidi eorumdem ordinis & diœcesis, cui forsan cura imminet animarum, & qui in eodem monasterio etiam officium claustrale reputatur, per monachos ejusdem monasterii ordinem ipsum expresse professos, etiam una cum ipsius monasterii monachalibus portionibus absque dispensatione apostolica obtineri consueverunt, nec non plura loca & monachales portiones, & quamplures monachi, & ex illis unus decanus, unus prior major, unus prior claustralis, unus camerarius, unus eleemosynarius, unus infirmarius, unus operarius, unus hostellarius, unus præcemptor, unus corresarius, unus archidiaconus, unus celerarius, unus succentor, unus primus altaris sancti Egidii, & alius secundus ejusdem altaris, & alius sancti Petri de via sacra nuncupatæ sacristiæ, necnon unus prior dicti prioratus beatæ Mariæ Magdalenæ, decanatum, & alia officia, ac prioratum beatæ Mariæ Magdalenæ prædicta respective obtinentes, & alii claustrales conventum ejusdem monasterii constituentes fore noscuntur, ac abbatiali sancti Felicis Despeyrano sine cura, & quibus cura per vicarios perpetuos exerceri solita imminet animarum, sancti Johannis de Gardonencha, & S. Andreæ de Bernicio: necnon conventualis mensæ sanctæ Ceciliæ de Stagello, etiam sine cura, & cum cura per vicarium perpetuum exerceri solita imminet animarum: S. Amantii prope & extra muros oppidi Simmodrii, dictæ Nemausensis diœcesis, ac decanatui sanctorum Baudilii & Pontii ejusdem oppidi Simmodrii, & sanctæ Crucis villæ veteris, ac camerariæ sancti Saturnini de Siora, ac infirmariæ sancti Andreæ de Campomarignano, & sanctæ Columbæ territorii dicti oppidi sancti Egidii, necnon operariæ sancti Stephani de valle, ac hostellariæ sancti Petri de Trincatalla, ac præcemptoriæ sanctorum Pastoris & Victoris territorii de Vistrenca, necnon archidiaconatui sancti Egidii territorii de Paternis Nemausensis diœcesis prædictæ, & Arelatensis ac Uticensis & Carpentoratensis diœcesis: ecclesiæ seu prioratus dicti ordinis non conventuales, necnon sacristiæ S. Petri de via sacra, una B. Mariæ deaurata in ecclesia superiori dicti monasterii, & hostellariæ præfatis: alia sancti Privati infra muros veteres dicti oppidi sancti Egidii sita: altaria perpetua sine cura, capellaniæ unitæ existunt, & ab eodem monasterio sancti Stephani de Corcona, sanctorum Johannis de Meiaco, & Sebastiani de Montepesato, sancti Petri de Lenihaco, beatæ Mariæ de Bethleem, sancti Salvatoris de Queissargues, sancti Lupi, sanctæ Crucis de Molezano, sancti Martini de Serviers, S. Andeoli de Rubiaco, sancti Petri de Vannis, sancti Genesii de Mediogoto, sanctæ Mariæ de Saturanicis, ejusdem sanctæ Mariæ de Montealto, sancti Hypoliti de Melzerio, ejusdem beatæ Mariæ de Frayssineto in Lozera, sancti Petri de Provincheriis, cum illius annexa ecclesia sancti Victorini villæ fortis, sancti Egidii de Creyssaco, ejusdem S. Egidii de Divo-castro, ipsius S. Egidii de Supervia, sancti Andreæ de Lucapello, sancti Servii, sanctorum Petri & Michaëlis de Rossilhono, sancti Privati, sancti Christophori de Vacheriis, S. Johannis de Albenassio, ejusdem beatæ Mariæ de Rodesco de Rocha villæ novæ, ejusdem S. Stephani de Menerbia, S. Maximini de Medenis, Nemaus. Arelat. & Uticensis prædictarum, necnon Montispessulanens. Mimatens. Vabrens. Virdunens. Leconiens. Adurens. Aptens. Sistaricens. Cavalicens. & Auraycensis diœcesis, ejusdem ordinis prioratus quibus cura per eosdem prioratus obtinentes, seu vicarios perpetuos exerceri solita, forsan imminet animarum, per eosdem monachos obtineri soliti, & nunc pro majori parte commendati dependent, & quorum collatio, provisio & omnimoda alia dispositio ad abbatem præfati monasterii pro tempore existentem spectant & pertinent, ac electio abbatis dicti monasterii dum pro tempore vacat, ad illius conventum hujusmodi, qui in pacifica possessione, seu quasi eligendi eorum prælatum ante concessionem privilegii præfato Francisco regi ad ejus vitam concessi, seu extensionem concordatorum dudum inter eum & sedem apostolicam initorum sub certis modo & forma apostolica auctoritate ad ejus vitam extensorum existebant,

ſpeciali privilegio apoſtolico eis deſuper conceſſo: nec- A non collatio, proviſio & omnimoda diſpoſitio officiorum & prioratus beatæ Mariæ Magdalenæ prædictorum ſimiliter inter alia ad abbatem ejuſdem monaſterii pro tempore exiſtentem, ac nemus Deſperano nuncupatum, in territorio dicti oppidi de ſancto Egidio conſiſtens, ad menſam abbatialem prædictam ſpectant & pertinent. Et dictus abbas pro tempore exiſtens conventui & monachis ipſius monaſterii de pane & vino pro victu & menſa ipſorum monachorum & familiarium in dicto monaſterio deſervientium, & illorum barbitonſore, ac certis diebus prædicatoribus ſeu concionatoribus in dicto monaſterio, in quo capitulum generale monachorum prædictorum ſingulis annis celebratur, ac conſanguineorum affinibus, & amicis ipſorum monachorum ad dictum monaſterium venien- B tibus de victu, ac etiam de pane & vino pro victu medicorum & chirurgorum famulantium: necnon de fœno & avena pro equitaturis certorum officiariorum & aliorum monachorum ejuſdem monaſterii, ac conſanguineorum, affinium & amicorum, necnon medicorum, chirurgorum & illorum famulorum prædictorum: & ſimiliter de pane & vino pro miſſis in eccleſia ipſius monaſterii celebrandis, ac libris & indumentis, necnon luminariis & pro campanis divino cultui inibi neceſſariis providere, necnon certas eleemoſynas in ipſo monaſterio facere, ac annis ſingulis in die Purificationis beatæ Mariæ virginis monachis & officiariis ipſius monaſterii ſpiritualibus & temporalibus cereos dare, & in feſto ejuſdem S. Benedicti pitantiam ipſorum monachorum augere: & camerarius, infirma- C rius, hoſtelarius præfati ratione eorum camerariæ, infirmariæ, & hoſtelariæ officiorum ac prioratuum & capellaniarum eiſdem officiis reſpective annexarum certa onera pro victu & veſtitu, ac certis aliis rebus pro monachis monaſterii hujuſmodi, juxta illius ſtatuta & conſuetudines, ſubire; illique & alii officiarii prædicti certas penſiones gonelas nuncupatas, & alia jura præfato conventui perſolvere, ac etiam alia onera ſubire tenentur, & conſueverunt. Verum cum monaſterium ipſum, in quo corpus præfati S. Egidii, quod a diverſis fidelibus devote & venerabiliter viſitatur, requieſcit, inter mare flumen Rhodani ac in loco calido & paludibus circumdato, in quo tempore æſtivo aër intemperatus multum exiſtit, conſtitutum ſit, & illi monachi qui juxta dicti ordinis regularia inſtituta in D eorum clauſtris habitare deberent, cameras ſeu cellulas in numero ſufficienti pro eorum habitatione in dicto monaſterio non habeant, ac cameræ ſeu cellulæ in illo exiſtentes ſubterraneæ, & pro majori parte ita humidæ ſeu aquaticæ ſint, ut vix habitari poſſint, & ipſi monachi ex frequenti cum illis in eodem monaſterio ſecularium perſonarum converſatione, vitam ab iiſdem inſtitutis regularibus quodammodo alienam ducere incitantur, quo fit ut circa divinum cultum inſiſtere, ac vota ſua Altiſſimo plenarie reddere nequeuntes, animarum ſuarum ſaluti & bonorum ac fructuum, redituum & proventuum ipſius menſæ conventualis inſtaurationi, reparationi & conſervationi minus conſulant: ac cauſantibus bellorum turbinibus, qui retroactis temporibus in illis partibus viguerunt, fructus, reditus & proventus dictæ menſæ conventualis non parum diminuti E exiſtant, & tam propter præmiſſa, quam cauſantibus commendis de prioratibus a dicto monaſterio dependentibus, prædictis clericis ſecularibus dicta auctoritate factis, pauci reperiantur viri docti & nobiles, qui ordinem prædictum in ipſo monaſterio profiteri, & ad illius obſervantiam obligari velint: ac propterea cultus divinus in eodem monaſterio, ac illius bona & jura diminuantur, & niſi deſuper congrue provideatur, futurum fore formidatur ne numerus miniſtrorum eidem monaſterio in divinis deſervientium, & cultus hujuſmodi in illo peramplius minuatur, bonaque & jura prædicta in deteriorem ſtatum delabantur, ſi in dicto monaſterio ad præfatam Romanam eccleſiam nullo medio, ut præfertur, pertinente nomen & titulus monaſterii ac dignitatis abbatialis & conventualis, necnon in illo ac beatæ Mariæ Magdalenæ, necnon omnibus & ſingulis ab eodem monaſterio dependentibus prioratibus prædictis dictus ordo S. Benedicti, ac omnis dependentia regularis: necnon major & clauſtralis prioratus ac decanatus, cameraria, eleemoſynaria, infirmaria, operaria, hoſtellaria, præcemptoria, correſaria, archidiaconatus, celeraria, ſuccentoria, necnon prima & ſecunda ac S. Petri de via ſacra ſacriſtiæ, ac ratione dicti prioratus beatæ Mariæ Magdalenæ, reputata officia clauſtralia, necnon omnia & ſingula loca & monachales portiones penitus & omnino ſupprimerentur & extinguerentur, ac eccleſia monaſterii hujuſmodi in ſecularem & collegiatam eccleſiam adinſtar aliarum ſecularium & collegiatarum eccleſiarum partium illarum: necnon in ea una abbatia ſecularis, quæ principalis pro uno abbate ſeculari, & unus decanatus pro uno decano, ac unus major pro uno majore, & unus minor pro uno minore, nuncupandi archidiaconatus principales dignitates pro uno minore nuncupandis archidiaconis, necnon una ſacriſtia pro uno ſacriſta, & una præcemptoria pro uno præcemptore, ac una theſauraria perſonatus inibi pro uno theſaurario, necnon decem & octo majores pro totidem majoribus, & alii tredecim minores nuncupandi canonicatus & præbendæ pro totidem minoribus nuncupandis canonicis erigerentur & inſtituerentur: ac decimæ bladorum & quorumcunque aliorum granorum, necnon vini, fœni, olivarum & olerum in oppido S. Egidii ac illius territorio & diſtrictu hujuſmodi pro tempore excreſcentium, ac magnum penu & medietas horrei & feneriæ in eodem oppido S. Egidii & infra limites ipſius monaſterii, necnon vinea abbatialis nuncupata de Pecheyrol, ac una de Roſſignolo, & alia d'Eſpilas nuncupatæ terræ in Degreſio, nuncupatis clauſis, ac ſupradictis diſtrictu & territorio S. Egidii, necnon platea infra muros ejuſdem oppidi de S. Egidio, & prope dictum monaſterium ac illius domum abbatialem conſiſtentia, & ad dictam menſam abbatialem ſpectantia: ac illa pars oblationum ex devotione Chriſti fidelium in futurum elargiendarum in dicta erigenda eccleſia, quam abbas dicti monaſterii pro tempore exiſtens percipere conſueverat, ab eadem abbatiali menſa perpetuo diſmembrarentur & ſepararentur, ac illa ſic diſmembrata & ſeparata, necnon omnia & ſingula, decimariæ, fructus, jura, actiones & bona ad majorem & clauſtralem prioratus & alia officia ſupprimenda ſpectantia & pertinentia: necnon tam ſinguli eiſdem decanatui, camerariæ, infirmariæ, operariæ, hoſtelariæ, præcemptoriæ & archidiaconatui officiis reſpective, ut præfertur, uniti, quam omnes alii a dicto monaſterio dependentes prioratus, ac capellaniæ prædictæ dictæ menſæ capitulari perpetuo applicarentur & appropriarentur, ac unirentur, annecterentur & incorporarentur, profecto felici ſtatui monaſterii, & illius eccleſiæ hujuſmodi conſuleretur, & illa venuſtior redderetur, ac in ea cultus divinus & miniſtrorum numerus cum incolarum & habitatorum ejuſdem oppidi de S. Egidio ſpirituali conſolatione & animarum ſalute peramplius vigeret & augeretur, faciliuſque reperirentur perſonæ qualificatæ, quæ in ea abbatialem & alias dignitates & perſonatus, necnon canonicatus & præbendas hujuſmodi obtinere, & debitum Altiſſimo famulatum exhibere vellent & poſſent; ac quarum favore ipſius erigendæ eccleſiæ decens honor & utilitas incrementum ſuſciperet. Quare præfatus Franciſcus rex, in cujus temporali dominio monaſterium & oppidum de ſancto Egidio conſiſtunt, tam ſuo, quam Theodori Johannis commendatarii, ac conventus prædictorum, ſeu ipſorum conventus majoris partis, nominibus prædictis, nobis humiliter ſupplicari fecit ut in ipſo monaſterio nomen & titulum monaſterii ac regularem dignitatem abbatialem & conventualitatem, necnon in illo ac ſingulis officiis prædictis unitis, necnon B. M. Magdalenæ, ac omnibus

ac omnibus & singulis aliis supradictis, cæterisque ab ea dependentibus prioratibus & ecclesiis regularibus ordinem prædictum, ac omnem statum omnemque dependentiam regulares, necnon majorem & claustralem prioratus, ac decanatum, ac alia officia, necnon omnia & singula loca, & monachales portiones, prædicta penitus & omnino perpetuo supprimere & extinguere, ac in ecclesia hujusmodi monasterii statum regularem in statum abbatis, canonicorum, presbyterorum & clericorum secularium immutare, & ad statum secularem reducere, ipsamque ecclesiam in secularem & collegiatam sub invocatione ejusdem S. Egidii erigere & instituere, ac alias in præmissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia volumus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem existimationem tam beneficii uniendi, quam illius cui aliud uniri peteretur: alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interesset; quique ecclesiarum & monasteriorum quorumlibet ac personarum, eo umdem decorem & venustatem, ac in melius directionem, necnon in illis divini cultus conservationem & augmentum ac animarum salutem nostris potissime temporibus sinceris desideramus affectibus: Theodorum Johannem comendatarium ac conventum præfatos, & eorum, necnon infra scriptorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causalitatis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes: necnon abbatialis & conventualis mensarum, ac omnium & singulorum illis respective unitorum & non expressorum aliorum dependentium prioratuum & ecclesiarum regularium, ac singulorum officiorum, necnon locorum & monachalium portionum supprimendorum, prædictorum fructuum, redituum & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; cum ad hoc ipsorum Theodori Johannis comendatarii & conventus, seu majoris partis eorum per dilectum filium Manualdum de Petris clericum Avenionensem procuratorem eorum ad hoc ab eis specialiter constitutum expressus accedat assensus.

Ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, & militantis ecclesiæ exaltationem, necnon monasterii & illius personarum hujusmodi feliciorem successum, in præfato monasterio nomen & titulum monasterii ac regularem dignitatem abbatialem & conventualitatem, necnon in illo ac singulis decanatui, camerariæ, infirmariæ, operariæ, hostelariæ, præcemptoriæ & archidiaconatui, officiis prædictis unitis, necnon beatæ Mariæ Magdalenæ ac omnibus & singulis supradictis, cæterisque ab eo dependentibus prioratibus & ecclesiis regularibus: ita ut de cætero prioratus ipsi prioratus seculares, seu ecclesiæ aut beneficia secularia existant, ordinem prædictum, ac omnem statum, omnemque dependentiam regularem, necnon majorem & claustralem prioratus, ac decanatum, camerariam, infirmariam, eleemosynariam, operariam, hostelariam, præcemptoriam, correfariam, archidiaconatum, celerariam & succentoriam, ac S. Petri de Via sacra, necnon primam & secundam sacristias, ac ratione dicti prioratus beatæ Mariæ Magdalenæ reputata officia, necnon omnia & singula loca, & monachales portiones, prædicta, illorumque omnium qualitates & denominationes; ita quod de cætero officia claustralia ac loca, & monachales portiones denominari seu censeri & reputari non possint, auctoritate apostolica præfata, tenore præsentium penitus & omnino perpetuo supprimimus & extinguimus; ac in ecclesia monasterii hujusmodi statum regularem in statum abbatis, canonicorum, presbyterorum, & clericorum secularium immutamus, & ad statum secularem reducimus, ipsamque ecclesiam in secularem & collegiatam ecclesiam sub dicta invocatione ejusdem S. Egidii, necnon in ea capitulum seculare.

Cum abbatiali cui S. Felicis Desperano, & S. Johannis de Gardonenchia, ac S. Andreæ de Bernicio prioratus prædicti, cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, quæ monasterio & mensæ abbatiali prædictis unita erant, perpetuo absque alia unione unita sint, & esse censeantur, & ad quam, exceptis decimis bladorum, granorum, vini, feni, olivarum & olerum in oppido, territorio, & districtu S. Egidii prædictis pro tempore excrescentium, ac vinea abbatiali, & duabus terris supradictis, quæcumque aliæ decimæ, fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, prædia & bona quæ ad mensam abbatialem monasterii hujusmodi spectabant & pertinebant, perpetuo spectent & pertineant: ac præfatus Theodorus Johannes commendatarius futurus & pro tempore existens abbas secularis ipsius erigendæ ecclesiæ, de illis ac eorum emolumentis quibuscunque prout antea abbas regularis monasterii hujusmodi disponebat & disponere poterat, disponere possit.

Necnon ab eadem abbatiali, prout hactenus fuit penitus distincta & separata capitulari mensæ, cui similiter S. Ceciliæ de Stagello, ac S. Amantii prope & extra villam Simidrii prioratus prædicti, ac omnia & singula alia beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, quæcumque & qualiacunque sint, quæ eidem mensæ conventuali unita erant, absque alia unione etiam perpetuo unita, annexa & incorporata sint & esse censeantur; & ad quam omnia & singula alia, decimæ, fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, prædia & bona ad dictam mensam conventualem spectantia & pertinentia perpetuo spectent & pertineant: & capitulum erigendæ ecclesiæ hujusmodi de illis ac eorum emolumentis quibuscunque in eorum usus & utilitatem, prout antea conventus præfati monasterii disponebat seu disponere poterat, perpetuo disponere possit. Necnon cum sigillo & capsa communibus, aliisque collegialibus insigniis, ad instar aliarum secularium & collegiatarum ecclesiarum illarum partium, ac cum omnibus & singulis insigniis, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, & indultis apostolicis & regiis ac aliis dicto monasterio concessis.

Necnon unam abbatiam secularem quæ principalis, prout suppressa, regularis abbatialis dignitas in dicto monasterio erat, perpetuis futuris temporibus existat, pro eodem Theodoro Johanne, qui abbatiam ipsam secularem, prout dictum monasterium in commendam obtinebat, quoad vixerit, absque alia provisione sibi desuper facienda obtinere possit, aut pro uno alio clerico seculari: qui quidem Theodorus Johannes, & pro tempore existens erigendæ ecclesiæ hujusmodi abbas, caput & prælatus, ac superior aliorum existat: necnon omnibus & singulis dignitatibus, privilegiis, libertatibus, præeminentiis, exemptionibus, & indultis apostolicis & regiis abbati dicti monasterii pro tempore existenti etiam favore religionis concessis, necnon insigniis & aliis juribus quibuscunque, quibus abbas dicti monasterii pro tempore existens utebatur, potiebatur & gaudebat, ac uti, potiri, & gaudere poterat: necnon jurisdictionem spiritualem seu ecclesiasticam & temporalem, quam idem abbas pro tempore existens exercebat & exercere poterat, cum mero & mixto imperio per se vel per alium seu alios in ipsa erigenda ecclesia, ac prædictis necnon aliis à dicto monasterio dependentibus prioratibus & ecclesiis, ac in oppido de S. Egidio, districtu & territorio supradictis; necnon in canonicos & ministros ejusdem erigendæ ecclesiæ, & in quasvis alias personas ecclesiasticas & laïcas seu seculares ejusdem erigendæ ecclesiæ, necnon oppidi, districtus & territorii de S. Egidio prædictorum, & infra illa existentes exercere libere & licite valeat, prout

antea abbas monaſterii prædicti utebatur, potiebatur & exercebat, ſeu uti, potiri, & exercere poterat, & ad quem collatio, proviſio, præſentatio, inſtitutio & deſtitutio quorumcunque monaſteriorum & beneficiorum eccleſiaſticorum cum cura & ſine cura qualitercunque qualificatorum, quæ abbatiali & capitulari menſis erigendæ eccleſiæ hujuſmodi unita non ſunt, & ſupra non ſupprimuntur aut infra non uniuntur, de cætero perpetuis futuris temporibus in omnibus & per omnia perinde ac ſi ordo & obſervantia regulares prædicti in eodem monaſterio extincti, & illius monachi ad ſecularitatem reducti non eſſent, ſpectent & pertineant.

Necnon unum decanatum pro uno decano, qui immediate poſt dictum abbatem ſecularem, ſicque ſecundum locum; & unum majorem pro uno majore, qui tertium locum; ac unum minorem nuncupandos archidiaconatus, qui principales dignitates, pro uno minore, nuncupandis archidiaconis, qui quartum locum; ac unam ſacriſtiam pro uno ſacriſta, qui quintum locum; & unam præcemptoriam pro uno præcemptore, qui ſextum locum; ac unam theſaurariam, quæ perſonatus inibi exiſtunt, pro uno theſaurario, qui ſeptimum locum tam in choro, quam in capitulo dictæ erigendæ eccleſiæ ſemper obtineant; ac decem & octo canonicatus, & totidem præbendas majores pro decem & octo majoribus canonicis, computatis decano ac majore & minore archidiaconis; necnon ſacriſta, præcemptore & theſaurario præfatis, quorum ſinguli habeant & obtineant unum & unam ex majoribus canonicatibus & præbendis hujuſmodi, ex quibus unus & una ſingulis ex eiſdem decanatu, majore & minore archidiaconatibus, necnon ſacriſtia, præcemptoria & theſauraria præfatis perpetuo uniti, annexi & incorporati ſint, & eſſe cenſeantur: ſic quod quicunque decanatum ac majorem & minorem archidiaconatus, ſacriſtiam, præcemptoriam, vel theſaurariam erigendæ eccleſiæ hujuſmodi aſſequetur, illius canonicus major actu præbendatus eo ipſo ſit & eſſe cenſeatur: ac dum proviſio de decanatu, ac majore & minore archidiaconatibus, necnon ſacriſtia, præcemptoria & theſauraria præfatis jam canonico majori fiet, canonicatus & præbenda majores per eum obtenti, per aſſecutionem hujuſmodi vacare cenſeantur eo ipſo: & cui de decanatu, ac majore & minore archidiaconatibus, necnon ſacriſtia, præcemptoria, & theſauraria hujuſmodi proviſum fuerit, etiam unum & unam ex majoribus canonicatibus & præbendis abſque aliqua ſibi deſuper facienda proviſione obtinere cenſeatur: ac alios tredecim canonicatus præbendas minores nuncupandos pro aliis tredecim canonicis minoribus nuncupandis dicta authoritate, earumdem tenore præſentium perpetuo erigimus & inſtituimus.

Necnon decimas bladorum, granorum, feni, olivarum & olerum in oppido, diſtrictu & territorio de S. Egidio ſupradictis excreſcentium, ac magnum penu, necnon medietatem horrei & feneriæ, ac vineam abbatialem, terras & plateam, necnon partem oblationum ex devotione Chriſti fidelium in eccleſia erecta elargiendarum hujuſmodi, quam abbas dicti monaſterii pro tempore exiſtens percipere conſueverat, ab eadem abbatiali menſa perpetuo diſmembramus & ſeparamus, ac illa omnia ſic diſmembrata & ſeparata exiſtant nunc, ſic quod de cætero perpetuis futuris temporibus ipſius monaſterii furnus & farineria, illorumque fructus ſeu uſusfructus ad abbatem & capitulum prædictos communiter ſpectent & pertineant, ac per eos communiter obtineantur & poſſideantur.

Ac etiam ex nunc omnia & ſingula, decimarias, fructus, reditus & proventus, actiones, jura & bona majorem & clauſtralem prioratus, necnon decanatum, omniaque & ſingula alia officia, necnon loca & monachales portiones ſuppreſſa prædicta, quorum de cætero nullus titulus competat, ſed totus illorum titulus in ipſam menſam capitularem tranſlatus ſit & eſſe cenſeatur, ſpectantia: ſic tamen quod majorem & clauſtralem prioratus ac decanatum & alia officia prædicta nunc obtinentes, fructus, reditus, proventus, jura & emolumenta quæcumque illorum bonorum, necnon prioratuum & capellaniarum eiſdem officiis prius reſpective, ut præfertur, unitorum prædictorum, ac etiam quaſvis penſiones ad dicta eorum officia antea ſpectantes, ac illis unitas ſeu applicatas, & ad illa pertinentes ſeu eis debitas, prout antea percipiebant, quoad vixerint, percipiant: necnon capellanias ſanctorum Baudilii & Pontii, & ſanctæ Crucis villæ veteris, ac ſancti Saturnini de Sioura, ac S. Andreæ de Campo Marignano, & ſanctæ Columbæ, ac S. Stephani de Valle, & S. Petri de Trincatalla, ac ſanctorum Paſtoris & Victoris, necnon ejuſdem S. Egidii de Paternis, prioratibus, illorum unionibus per ſuppreſſionem & extinctionem officiorum prædictorum, quibus, ut præfertur, uniti erant, diſſolutis, per diſſolutionem hujuſmodi apud ſedem prædictam vacantes. Et ſimiliter ex nunc ſanctæ Mariæ Magdalenæ, S. Stephani de Corcona [a], ſanctorum Johannis de Meiaco [b], & Sebaſtiani de Montepeſato [c], S. Petri de Lenihaco [d], beatæ Mariæ de Bethleem, ſeu S. Salvatoris de Cayſſanicis [e], S. Lupi [f], S. Crucis de Moleſano [g], S. Martini de Serviers [h], S. Andeoli de Robiaco [i], ejuſdem S. Petri de Vannis [k], S. Geneſii de Mediogoto [l], ſanctæ Mariæ de Saturanicis [m], ejuſdem ſanctæ Mariæ de Montealto [n], S. Hypoliti de Melzerio [o], ejuſdem S. Mariæ de Frayſſineto in Lozera [p], S. Petri de Provincheriis [q], cum illi annexa eccleſia S. Victorini villæ fortis, S. Egidii de Creyſſaco [r], ejuſdem S. Egidii de divo [ſ] Caſtro, ipſius S. Egidii de Supernis [t], S. Andreæ de Lucapello [u], S. Servi, ſanctorum Petri & Michaelis de Roſſilhono [v], S. Privati, S. Chriſtophori de Vacheriis [x], S. Johannis de Albenaſſio [y], ejuſdem beatæ Mariæ de Rodeſco de Rocha Villæ-novæ [z], S. Stephani de Menerbia [*], S. Maximini de Medenis prioratus prædictos, qui conventuales non ſunt, etiamſi ad illos conſueverint qui per electionem aſſumi. Ita quod cedentibus etiam ex cauſa permutationis, vel decedentibus, eoſdem ſanctæ Mariæ Magdalenæ, necnon ſancti Stephani de Corcona, ſanctorum Johannis de Meiaco, & Sebaſtiani de Montepeſato, S. Petri de Lenihaco, beatæ Mariæ de Bethleem, ſeu S. Salvatoris de Cayſſanicis, S. Lupi, S. Crucis de Moleſano, S. Martini de Serviers, S. Andeoli de Robiaco, ejuſdem S. Petri de Vannis, S. Geneſii de Mediogoto, ſanctæ Mariæ de Saturanicis, ejuſdem ſanctæ Mariæ de Montealto, S. Hypoliti de Melzerio, ejuſdem beatæ Mariæ de Frayſſineto in Lozera, S. Petri de Provincheriis cum illi annexa eccleſia S. Victorini villæ fortis, S. Egidii de Creyſſaco, ejuſdem S. Egidii de divo Caſtro, ipſius S. Egidii de Supernis, S. Andreæ de Lucapello, S. Servi, ſanctorum Petri & Michaëlis de Roſſilhono, S. Privati, S. Chriſtophori de Vacheriis, S. Johannis de Albenaſſio, ejuſdem beatæ Mariæ de Rodeſco de Rocha villæ novæ, S. Stephani de Menerbia, & S. Maximini de Medenis dependentes prioratus in titulum vel commendam aut alias quomodolibet obtinentibus ſeu etiam illos quomodolibet dimittentibus, vel amittentibus etiam apud ſedem præfatam, aut in menſibus graduatorum vel ſimplicium nominatorum, illi per ceſſum vel deceſſum aut quamvis aliam dimiſſionem vel amiſſionem hujuſmodi minime vacare, ſed dictæ menſæ capitulari ex tunc vere & non ficte perpetuo uniti ſint, & eſſe, ac capitulum præfati ſolam illorum fructuum, redituum & proventuum perceptionem expectare cenſeantur. Nec etiamſi ſub aliquibus mandatis apoſtolicis vel aliis gratiis etiam in vim concordatorum prædictorum comprehenſi, vel eis affecti fuerint, apoſtolica præfata vel ordinaria auctoritate conferri, neque alicui in ipſorum cedentium vel decedentium aut alias dimittentium vel amittentium locum aſſumi poſſint: & ſi tunc aliquibus dicta apoſtolica vel ordinaria auctoritate etiam cum ſpeciali ac de verbo ad verbum præſentium expreſſa mentione

[a] diœceſ. Nemauſ.
[b] al. de Meiano. diœceſis Arelat.
[c] al. de Montepenſato diœceſ. Nemauſ.
[d] al. de Launaco diœc. Nemauſ.
[e] diœceſ. Nemauſ.
[f] diœceſ. Ucetic.
[g] diœceſ. Ucetic.
[h] diœceſ. Ucetic.
[i] diœceſ. Ucetic.
[k] diœceſ. Ucetic.
[l] diœceſ. Ucetic.
[m] diœceſ. Magalon.
[n] diœceſ. Magalon.
[o] diœceſ. Mimat.
[p] diœceſ. Mimat.
[q] diœceſ. Mimat.
[r] diœceſ. Vabrenſis.
[ſ] al. de Duno-caſtro in Lotharingia diœceſis Remenſis.
[t] al. de Supervia diœc. Lucion.
[u] al. de Montegaillardi diœc. Adurenſis.
[v] diœceſ. Aptenſis.
[x] diœc. Siſtaric.
[y] diœceſ. Siſtaric.
[z] diœceſ. Siſtaric.
[*] diœceſ. Cavalicenſis.

ac illarum derogatione & ſuſpenſione conferantur, collationes hujuſmodi nullæ & inanes ex nunc prout ex tunc & econtra exiſtant: liceatque capitulo præfato ex tunc magni penus medietatis horrei & feneriæ ac vineæ, & terrarum, necnon plateæ ac decimarum ac jurium ac bonorum majoris & clauſtralis prioratuum, decanatus, & ſingulorum aliorum officiorum, necnon locorum & monachalium portionum ſuppreſſorum, ac capellaniarum & ſingulorum per diſſolutionem hujuſmodi vacantium, necnon etiam ex nunc abſque præjudicio illos obtinentium, ſingulorum dependentium uniendorum prioratuum, juriumque & pertinentiarum eorumdem corporalem poſſeſſionem per ſe vel alium ſeu alios propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, ac vineæ & terrarum, necnon quorumcumque ſuppreſſorum officiorum ac locorum & monachalium portionum, bonorum ac capellaniarum, & ſingulorum vacantium, necnon cedentibus vel decedentibus, illos, ut præfertur, obtinentibus, ſeu alias quomodolibet dimittentibus vel amittentibus, ſingulorum prioratuum dependentium hujuſmodi fructus, reditus & proventus, ac partem oblationum hujuſmodi percipere, exigere & levare, ac in ſuos, & menſæ capitularis, ac uniendorum prioratuum & capellaniarum hujuſmodi uſus & utilitatem convertere: necnon eccleſiis uniendorum prioratuum & capellaniarum per preſbyteros idoneos ad eorum nutum ponendos & amovendos in divinis deſerviri, & animarum curam illis forſan imminentem exercere facere, diœceſani locorum & quorumvis aliorum licentia ſuper hoc minime requiſita, auctoritate apoſtolica & tenore prædictis applicamus perpetuo ac appropriamus ac unimus, annectimus, & incorporamus: necnon omnes & ſingulos ipſius monaſterii monachos & perſonas, etiam illius prioratum majorem & decanatum & alia officia clauſtralia ac loca, & monachales portiones in eodem monaſterio, & ab eo dependentes prioratus hujuſmodi quomodolibet obtinentes, ordinem ipſum in dicto monaſterio vel alibi tacite vel expreſſe profeſſos, ab obſervatione conſtitutionum, ordinationum, definitionum, ſtatutorum, conſuetudinum, inſtitutorum regularium monaſterii & ordinis prædictorum: necnon quorumcumque per eos in eorum profeſſione emiſſorum votorum caſtitatis & obedientiæ, quoad illos qui nunc illa emiſerunt, votis duntaxat exceptis, & a regula ejuſdem S. Benedicti, ac ſecundum illam divini officii recitationem, ita ut ipſi monachi nunc regulares de cætero canonici ſeculares dictæ erectæ eccleſiæ exiſtant, & pro talibus habeantur & reputentur, ac de cætero habitum regularem dicti ordinis geſtare, & ejuſdem ordinis regularia inſtituta, ordinationes, difinitiones, ritus & mores, etiam quoad divinorum in eadem erecta eccleſia celebrationem, jejunia, victum, & ciborum ac veſtimentorum uſum, & alia quæcumque quæ ratione ordinis & profeſſionis hujuſmodi obſervare tenebantur, de cætero obſervare minime teneantur, ſed in habitu, ordine, ritu, inceſſu, ceremoniis & vita quoad omnia ſecularibus canonicis aliarum collegiatarum eccleſiarum ſecularium circumvicinarum ſe omnino & ubique abſque alicujus apoſtaſiæ, irregularitatis, inhabilitatis vel infamiæ nota, aut cenſuræ eccleſiaſticæ incurſu conformare, ac in dicta erecta eccleſia horas canonicas diurnas pariter & nocturnas ac alia divina officia ſecundum uſum, ritum, & morem ejuſdem Romanæ eccleſiæ dicere & recitare poſſint & debeant: ſic tamen quod monachi prædicti qui ſtatum ſuum regularem, ſeu habitum & regulam S. Benedicti hujuſmodi dimittere noluerint, in illis quandiu voluerint remanere poſſint: & nihilominus in divinis in dicta eccleſia erecta deſerviendo & intereſſendo tantum quantum unus alius canonicus percipere valeant, & ſecundum ordinem per ipſos capitulum conſtituendum cedere & incedere habeant, dummodo in divinis & eccleſiaſticis officiis, in eorum ſuperiori habitu aliis canonicis ſecularibus ſe conforment. Et tam Theodorus Johannes, ac pro tempore exiſtens ipſius erectæ eccleſiæ abbas, quam qui nunc ſunt & pro tempore erunt erectæ eccleſiæ hujuſmodi canonici & eccleſiaſticæ perſonæ in eadem erecta eccleſia reſidendo vel non reſidendo, de eorum bonis quibuſcumque etiam intuitu eccleſiarum ſeu eccleſiaſticorum beneficiorum per eos & eorum ſingulos pro tempore obtentorum, aut alias undecumque acquiſitis & acquirendis teſtari tam in vita, quam in morte diſponere libere & licite poſſint, ac ſi regulares nunquam fuiſſent, & clerici ſeculares facultatem teſtandi habentes eſſent, ac ſpolia monachorum pro tempore decedentium, quæ ratione ſtatus regularis abbati, conventui aut quibuſvis aliis perſonis ſuppreſſi monaſterii hujuſmodi debebantur, de cætero per abbatem & capitulum ac perſonas erectæ eccleſiæ hujuſmodi exigi non poſſint, & ſi ab inteſtato deceſſerint, eorum hereditas & bona ad proximiores conſanguineos, juxta juris diſpoſitionem, ſicuti de ſecularibus perſonis in illis partibus conſuetum exiſtit, deveniant, penitus & omnino abſolvimus, & totaliter liberamus, ac eis deſuper facultatem concedimus. Et inſuper quod canonici majores prædicti capitulum ipſius erectæ eccleſiæ conſtituant & faciant, & qui de numero eorumdem canonicorum majorum exiſtunt, decanus, major & minor archidiaconi, ſacriſta, præcemptor & theſaurarius, ac alii majores & canonici præfati actualiter in eadem erecta eccleſia præbendati & recepti, dummodo in ſacris ordinibus conſtituti fuerint, duntaxat in capitulo hujuſmodi admittantur, excluſis dictis canonicis minoribus & beneficiatis, ac quibuſvis aliis perſonis & miniſtris ipſius erectæ eccleſiæ: ac quod ipſum capitulum miniſtros conductitios & temporales tam pro cultu divino, quam regimine bonorum menſæ capitularis hujuſmodi deputare poſſint. Quodque præfatus Theodorus Johannes, ac pro tempore exiſtens dictæ erectæ eccleſiæ abbas, tanquam illius dignitates & perſonatus obtinentium, necnon canonicorum majorum & minorum, ac aliarum perſonarum ejuſdem erectæ eccleſiæ caput & prælatus ac ſuperior, ſedem abbatialem in choro a parte illius dextera habeat, prout abbas monaſterii hujuſmodi habere conſuevit; ac in proceſſionibus tam infra quam extra eandem erectam eccleſiam ſolus incedat, & decanus a parte ſiniſtra, & archidiaconus major ab eadem parte dextra poſt præfatum abbatem; & archidiaconus minor a dicta parte ſiniſtra poſt præfatum decanum, ſacriſta vero in fine chori juxta majus altare ipſius erectæ eccleſiæ ab eadem parte dextra, & præcemptor in medio dicti chori, ac theſaurarius in fine dicti chori juxta præfatum majus altare a prædicta parte ſiniſtra ſedes ſuas habeant; & ſucceſſive poſt illos canonici majores in altis, & canonici minores in inferioribus ſedibus ejuſdem chori eodem ordine quo infra deſcripti ſunt, ſedeant: & canonici majores ipſius erectæ eccleſiæ, quibus de majoribus canonicatibus & præbendis hujuſmodi in futurum poſt primam illorum vacationem ab eorum primæva erectione hujuſmodi vacantibus proviſum fuerit, juxta eorum receptionem ſtallem & locum habeant. Ita tamen quod canonicus ſubdiaconus acolytum, diaconus ſubdiaconum, & preſbyter diaconum infra & extra eandem erectam eccleſiam publice & privatim velut dignior præcedat, nullo habito reſpectu ad nobilitatem ſeu gradum: ſic tamen quod canonicus primo loco receptus, qui poſtmodum ad ſuperiores ordines ſe promoveri fecerit, proceſſum admiſſum recuperet, & idem in aliis ejuſdem erectæ eccleſiæ miniſtris obſervetur: & hi quibus de canonicatibus & præbendis minoribus erectæ eccleſiæ hujuſmodi ſimiliter in futurum alias quam hac prima vice ab eorum primæva erectione hujuſmodi vacantibus, qui tunc non amplius canonicatus & præbendæ, ſed ſimplicia beneficia beneficiaturæ nuncupanda remaneant & ſint, providebitur, non amplius canonici minores, ſed beneficiati dictæ erectæ eccleſiæ

sint & nuncupentur, & in inferioribus sedibus ipsius erectæ ecclesiæ prout dicti minores canonici sedeant: quodque numerus majorum canonicatuum & præbendarum prædictarum ad numerum quindecim reducatur, in his comprehensis canonicatibus & præbendis majoribus, decanatui, ac majori & minori archidiaconatibus, ac sacristiæ, præcemptoriæ, & thesaurariæ prædictis, respective annexis: sic quod decedentibus illis, quibus de dictis canonicatibus & præbendis majoribus ab eorum primæva erectione hujusmodi vacantibus provisum fuerit, aut eosdem canonicatus & præbendas majores quomodolibet dimittentibus vel amittentibus & aliis quibusvis modis, præterquam per simplicem vel ex causa permutationis de illis faciendam resignationem, etiam apud eandem sedem vacantibus, etiamsi supradictis mandatis apostolicis, ac nominationibus comprehensis, & graduatis nominatis vel simplicibus prædictis affecti fuerint, ac in eorum turno vacaverint, nullus ad hujusmodi canonicatus & præbendas majores assumatur, donec ad prædictum numerum quindecim reducti: & postquam ad reductionem numeri quindenarii hujusmodi deventum fuerit, in ipsa erecta ecclesia duo alia perpetua beneficia ecclesiastica etiam beneficiaturæ nuncupanda, pro duobus aliis perpetuis beneficiatis, similia & æqualia in omnibus & per omnia aliis beneficiis beneficiaturis nuncupandis ejusdem erectæ ecclesiæ, præfatos capitulum erigi & institui, ac per eos etiam ab eorum primæva erectione hujusmodi personis idoneis conferri possint & debeant: ac quod decanatus, major ac minor archidiaconatus, sacrista, præcemptoria, ac illis respective annexi canonicatus & præbendæ majores prædicti, illorum vacatione non solum per cessum, sed etiam per decessum illos obtinentium, sive alio quovis modo occurrente, etiam ante reductionem prædictam libere possint impetrari, ac de illis licite valeat provideri; & occurrente de cætero vacatione ipsorum canonicatuum & præbendarum majorum, si alias quam per resignationem prædictam simpliciter vel ex causa permutationis faciendam vacaverint, nullus ad eosdem canonicatus & præbendas majores, etiam in vim cujuscumque dispensationis apostolicæ assumi possit, nisi illi quibus nunc de dictis canonicatibus & præbendis majoribus, ut præfertur, provisum fuerit, & eodem ordine quo inferius descripti sunt: quodque per assecutionem dictorum canonicatuum & præbendarum majorum, canonicatus & præbendæ minores obtenti, eo ipso vacare censeantur. Ac quod abbas in Nativitatis & Resurrectionis Domini nostri Jesu-Christi, necnon Pentecostes, Assumptionis beatæ Mariæ virginis, & S. Egidii festivitatibus, & decanus, ac major & minor archidiaconi, sacrista, præcemptor, thesaurarius, & alii canonici majores prædicti missas capitulares majores diebus Dominicis, & solemnitatibus majoribus: beneficiati vero, ac quibus de dictis canonicatibus & præbendis minoribus providebitur, singulis aliis diebus feriatis missas capitulares, ac etiam obituum seu novenarum & anniversariorum defunctorum, necnon officia diaconi & subdiaconi in dicta erecta ecclesia singulis diebus, dum majores missæ capitulares, ac etiam ubi obituum, novenarum & anniversariorum hujusmodi officia in eadem erecta ecclesia celebrabuntur ordine successivo, juxta providam ordinationem ipsorum capituli desuper faciendam, celebrari facere teneantur: & illi quibus de dictis beneficiis, beneficiaturis nuncupandis, in futurum providebitur, postquam hujusmodi beneficia per annum pacifice possederint, & legitimæ ætatis, & per dictos capitulum moniti fuerint infra annum a die monitionis hujusmodi computandum, ad omnes etiam sacros & presbyteratus ordines se promoveri facere teneantur; alioquin beneficiis hujusmodi eo ipso privati sint & esse censeantur, ac capitulum præfati illa libere conferre possint. Quodque abbas pro tempore existens, decanus, major & minor archidiaconi, sacrista, præcemptor, thesaurarius, necnon singuli majores canonici omni tempore in dicta erecta ecclesia tempore divinorum officiorum, & extra eam in processionibus superpellicia munda & longa usque ad medias tibiacas ac almitias de griseis pellibus soderatas: singuli autem canonici minores ac etiam beneficiati præfati almitias de variis soderatis desquirolis pellibus deferant & deferre teneantur, alioquin decanus, ac major & minor archidiaconi, sacrista, præcemptor, thesaurarius, necnon omnes & singuli majores & minores canonici & beneficiati prædicti nihil in eadem erecta ecclesia percipiant: quodque is cui de abbatia seculari, ducentum, & quilibet cui de decanatu ac majore & minore archidiaconatibus, sacristia, præcemptoria, & thesauraria præfatis providebitur centum, singuli autem canonici majores octuaginta, & singuli beneficiati in futurum instituendi, viginti quinque libras Turonenses monetæ in regno Franciæ cursum habentis, capitulo præfatis pro ornamentis ecclesiæ erectæ hujusmodi persolvere teneantur; & donec illas persolverint, distributiones & emolumenta dignitatum, personatuum, canonicatuum, & præbendarum ac beneficiorum hujusmodi amittant, & illa dictæ mensæ capitulari applicentur: sed præfatus Theodorus Johannes abba, & alii quibus de dignitatibus, personatibus, canonicatibus & præbendis majoribus & minoribus ab hujusmodi eorum primæva erectione vacantibus providebitur, ad solutiones hujusmodi non teneantur. Quodque de cætero dictum nemus Desperano ad dictam mensam abbatialem seu abbatiam secularem in solidum perpetuo spectet & pertineat, prout antea ad mensam abbatialem monasterii hujusmodi spectabat & pertinebat: ita quod prædictus abbas & pro tempore existens nemus ipsum ad culturam reducere, seu illud aut illius ligna dare aut vendere, vel alias quoquo modo alienare nequeat, sed solum nemore & lignis hujusmodi tanquam bonus paterfamilias uti & frui possit; sic tamen quod ipsi capitulum pro se & canonicis ac aliis ministris ipsius erectæ ecclesiæ etiam prout bonus paterfamilias nemore & illius lignis prædictis etiam perpetuis futuris temporibus uti & frui possint: & abbas unum virum, & capitulum præfati etiam alium virum pro custodia dicti nemoris, eorum sumptibus respective ponere, & perpetuo tenere debeant; & quod alia onera, quæ dictus abbas ob nemus & ligna ex eo provenientia hujusmodi erga conventum & monachos prædictos, tenebatur, ab illis perpetuo remaneat & sit immunis & exemptus: ipseque Theodorus Johannes & pro tempore existens ejusdem erectæ ecclesiæ abbas ad onera panis & vini pro victu & mensa monachorum in dicto monasterio deservientium, ac barbitonsoribus illorum, necnon certis diebus pro victu prædicatorum seu concionatorum ac consanguineorum, affinium & amicorum monachorum, necnon panis & vini pro victu medicorum, chirurgorum & eorum famulorum prædictorum tam in die celebrationis dicti capituli generalis, quam alio quocumque tempore, ac feni & avenæ pro equitaturis certorum officiariorum & aliorum monachorum ejusdem monasterii, ac consanguineorum, affinium & amicorum, necnon medicorum, chirurgorum & illorum famulorum prædictorum, ac etiam panis & vini pro missis celebrandis ac librorum, indumentorum & luminariorum, necnon campanarum & aliorum divino cultui necessariorum, ac elargitionis eleemosynarum in ipso monasterio per illius abbatem fieri, necnon cereorum singulis annis in dicto festo Purificationis monachis & officiariis præfatis, & augmenti pitentiæ in quolibet festo S. Benedicti dari solitorum, prout erga conventum & monachos monasterii hujusmodi tenebatur, de cætero minime teneatur, sed ab illis perpetuo immunis sit: sic tamen quod capitulum præfati de cætero perpetuis futuris temporibus omnia & singula onera hujusmodi, & alia quæ dictus abbas erga conventum & alios præfatos subire tenebatur, perferre teneatur; quodque camerarius, infirmarius, &

hostelarius prædicti quamdiu fructus, redditus & proventus ac emolumenta camerariæ, infirmariæ, hostelariæ suppressorum, ac prioratuum & capellaniarum illis respective annexorum prædictorum, percipiant, & donec dicta mensa capitularis fructibus, redditibus, proventibus & emolumentis prioratus majoris, decanatus ac camerariæ, infirmariæ & hostelariæ & aliorum officiorum suppressorum ac capellaniarum, & prioratuum eidem mensæ capitulari unitorum prædictorum plene gaudeat & potiatur, seu ipsi capitulum illa percipiant, loco dictorum onerum ad quæ ipsi camerarius, infirmarius & hostelarius ratione eorum camerariæ, infirmariæ, hostelariæ officiorum, ac illis unitorum prioratuum & capellaniarum prædictorum pro victu & vestitu, ac rebus aliis dicti monasterii, & erga illius conventum & monachos prædictos, respective, ut præfertur, tenebantur eidem capitulo in dicto oppido de S. Egidio, camerarius videlicet, nonaginta quatuor libras, & decem solidos Turonenses; infirmarius alias quinquaginta, ac hostelarius præfatus similiter quinquaginta quatuor libras, & decem solidos Turonenses, monetæ in dicto regno Franciæ cursum habentis, annis singulis in festo S. Michaëlis mensis Septembris integre persolvere, tradere & expedire teneantur, & decanus & alii officiarii similiter prædicti, quamdiu fructus, redditus, proventus, ac emolumenta suorum officiorum suppressorum percipient, dictas pensiones, gonelas nuncupatas, cæteraque jura integre, ac quæcumque alia onera solita, quæ antea solvere & perferre tenebantur, ut prius, persolvere & perferre, necnon & singuli prioratus, & ecclesiæ ac alia beneficia a dicto monasterio mediate vel immediate dependentia, quæ, ut præfertur, non uniuntur in titulum vel commendam, aut alias, nunc & pro tempore obtinentes, perpetuis futuris temporibus: illi vero quorum prioratus ac beneficia prædicta, ut præfertur, uniuntur, quamdiu fructus, redditus & proventus prioratuum unitorum hujusmodi in toto vel in parte percipient, in capitulo generali in ipsa erecta ecclesia celebrando personaliter aut per procuratorem comparere ac pensiones, gonelas nuncupatas, aliaque jura consueta integre persolvere, ac quæcumque alia onera solita supportare teneantur, prout prius tenebantur: ac quod præfatus Theodorus Johannes ac pro tempore existens dictæ erectæ ecclesiæ abbas ex mensa capitulari nihil percipiat aut percipere possit, sed fructibus, redditibus, proventibus & emolumentis dictæ mensæ abbatialis contentus sit, & remaneat: quodque tam decanus, ac major & minor archidiaconi, sacrista, præcemptor, thesaurarius, quam etiam alii canonici majores & minores dictæ erectæ ecclesiæ nihil percipiant aut percipere possint ex distributionibus quotidianis, nisi in dicta erecta ecclesia divinis interessendo, & juxta providam ordinationem per eosdem capitulum desuper faciendam; ac quod capitulum præfati certos grossos fructus singulis ex canonicis majoribus prædictis, de quorum numero decanus, major & minor archidiaconi, sacrista, præcemptor & thesaurarius præfati, ut præfertur, existant, statuere & ordinare, seu constituere & deputare, eosdemque fructus augere, & diminuere possit toties quoties eidem capitulo videbitur; & decanus, major & minor archidiaconi, sacrista, præcemptor, & thesaurarius præfati, ratione canonicatuum & præbendarum majorum, eorum dignitatibus & personatibus respective annexorum, ac canonici majores sint æquales in distributionibus, seu aliis emolumentis, quæ intra & extra eamdem erectam ecclesiam elargientur; sic tamen quod quilibet ex decano, majore & minore archidiaconis, sacrista, præcemptore, & thesaurario præfatis, ultra illam portionem, quam ratione eorum canonicatuum & præbendarum majorum, ut præfertur, dignitatibus & personatibus hujusmodi annexorum percipient, aliam quartam partem distributionum seu emolumentorum hujusmodi portionis canonicatus majoris, ratione eorum dignitatum & personatuum percipiant, & percipere possint, ita tamen quod quandiu supradicti decanus, major & minor archidiaconi, sacrista, præcemptor, & thesaurarius fructus, reditus, proventus, ac alia emolumenta officiorum suppressorum & prioratuum & capellaniarum eis unitorum prædictorum, respective, in toto vel in parte percipient, quartam partem hujusmodi percipere non possint, sed interim distributionibus & emolumentis unius ex majoribus canonicis prædictis contenti sint; quodque canonici majores præfati, quibus de majoribus canonicatibus & præbendis ejusdem erectæ ecclesiæ nunc ab eorum primæva erectione hujusmodi vacantibus providebitur, sint æquales in distributionibus & emolumentis præfatis canonicis majoribus; singuli autem minores canonici beneficiati nuncupandi, quibus post hujusmodi vacationem de canonicatibus & præbendis minoribus beneficiaturis nuncupandis provisum fuerit, non sint æquales in distributionibus & emolumentis præfatis majoribus canonicis, sed solum residendo in dicta erecta ecclesia, & divinis interessendo percipiant eam partem & portionem distributionum quam capitulum præfati eis assignabit, seu ordinabit; quodque collatio, provisio & omnimoda alia dispositio decanatus, archidiaconatus minoris, & præcemptoriæ, ac canonicatuum & præbendarum majorum illis respective annexorum, ad abbatem pro tempore existentem seu ejus in spiritualibus vicarium generalem, archidiaconatus vero majoris, sacristiæ, thesaurariæ & canonicatuum & præbendarum majorum similiter illis perpetuo annexorum, respective, necnon qui postmodum beneficiaturæ nuncupabuntur, canonicatuum & præbendarum minorum erectæ ecclesiæ hujusmodi, dum & quotiens illorum vacatio in quibusvis mensibus occurrerit, ad capitulum præfati hac primæva vacatione ab eorum primæva erectione hujusmodi excepta, spectent & pertineant, necnon collatio, provisio & omnimoda alia dispositio aliorum canonicatuum & præbendarum majorum dictæ erectæ ecclesiæ, præfatis dignitatibus & personatibus non annexorum, dum & quoties illorum vacatio in Januarii, Februarii, Maii, Junii, Septembris & Octobris ad abbatem, seu ejus in spiritualibus vicarium generalem hujusmodi; in Martii autem, Aprilis, Julii, Augusti, Novembris & Decembris mensibus etiam per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, aut alio quovis modo occurrerit, hac primæva vacatione ab eorum primæva erectione excepta, ad eosdem capitulum: qui archidiaconatus majoris, sacristiæ & thesaurariæ etiam in mensibus ad eosdem capitulum, ut præfertur, spectantibus, illorum vero majorum canonicatuum & præbendarum ac etiam in quibuscumque mensibus vacantium beneficiorum beneficiaturarum nuncupandorum resignationes, cessiones, libere & licite recipere & admittere possint, spectent & pertineant: & ille quem plures numero ex eisdem capitulo, ad archidiaconatum majorem, sacristiam & thesaurariam ac illius respective annexos canonicatus, & præbendas majores, ac beneficia prædicta, necnon ad illos canonicatus & præbendas majores in dictis mensibus ipsis capitulo, ut præfertur, reservatis, vacantes nominaverint, provisiones archidiaconatus majoris, sacristiæ, thesaurariæ ac canonicatuum & præbendarum majorum & beneficiorum hujusmodi obtinuisse censeantur: ac primus in sede & voce eorum in dicto capitulo existens, qui eum nominaverit, ab eodem nominato juramentum præstari solitum recipiat; & eum in corporalem possessionem archidiaconatus majoris, sacristiæ & thesaurariæ, necnon canonicatuum & præbendarum ac beneficiorum hujusmodi sic nominatum inducat, ac stallem sibi in choro ac pro hujusmodi archidiaconatu majore, sacristia, thesauraria ac canonicatu & præbenda majoribus locum in capitulo ipsius erectæ ecclesiæ assignet, ipseque abbas pro tempore existens tam pro exercenda jurisdictione spirituali in erecta ecclesia, quam in oppido de S. Egidio, illiusque territorio & districtu

prædictis, ac alias ubilibet in ecclesiis & proprietatibus ab eadem erecta ecclesia dependentibus, ac personas ecclesiasticas, & alias sibi subditas, quam etiam circa collationem, provisionem, præsentationem, institutionem & destitutionem decanatus, archidiaconatus minoris, præcemptoriæ, ac in mensibus eidem abbati assignatis, vacantium canonicatuum & præbendarum majorum, quam etiam quorumcumque aliorum beneficiorum cum cura & sine cura qualitercumque qualificatorum, quæ præsentibus non exprimuntur, nec per illas uniuntur, & quæ ad eundem abbatem quomodolibet spectant, nullatenus deputare possit vicarium & officialem alium quam unum ex obtinentibus dignitates seu personatus, aut unum ex majoribus canonicis actu præbendatis ejusdem erectæ ecclesiæ: quodque præmissa omnia & singula vim contractus, transactionis & concordiæ inter ipsos Theodorum Johannem abbatem secularem & capitulum invicem, & præfatum Franciscum, & pro tempore existentem Francorum regem, necnon sedem prædictam, favore & contemplatione hujusmodi novæ erectionis, & ad secularitatem reductionis obtineant: ita ut inter cætera regni Franciæ privilegia adscribi & computari debeant. Ac quod dissensus seu contrarietas minoris partis conventus monasterii hujusmodi forsan factus seu faciendus, eisque præmissis aut aliquibus illorum in aliquibus obesse seu impedire vel differre non possit; sed dissensu & contrarietate ac defectu consensus minoris partis conventus hujusmodi ac ejusdem minoris partis & cujusvis alterius contradictione nonobstante, præmissa omnia & singula plenissimum suum sortiantur effectum, & inviolabiliter observentur, ac quæcumque litteræ, privilegia & indulta in contrarium obtinenda nullius sint roboris, vel momenti; quodque præfatus Theodorus Johannes & qui pro tempore erit abbas, capitulum, canonici & personæ erectæ ecclesiæ hujusmodi in quibuscumque impetrationibus, dispensationibus, gratiis, facultatibus, indultis, concessionibus, & litteris apostolicis gratiam vel justitiam concernentibus, per eos seu eorum nomine a sede prædicta vel ejus legatis impetrandis, seu eis etiam motu proprio concedendis, nullam de eorum regularitate, hujusmodi suppressione & reductione aliisque omnibus in præsentibus contentis mentionem facere teneantur: nec propterea impetrationes, dispensationes, gratiæ, facultates, indulta, concessiones, ac litteræ hujusmodi subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis defectu notari seu impugnari possint, præfata auctoritate apostolica, earumdem tenore præsentium perpetuo statuimus & ordinamus: & nihilominus abbati seculari & capitulo præfatis quæcumque statuta & ordinationes rationabiles & honesta, ac sacris canonibus non contraria, tam circa divinorum celebrationem ac modum & quantitatem distributionum & emolumentorum in ipsa erecta ecclesia elargiendorum, quam temporalia negotia ipsius capituli, ac quæcumque alia necessaria condere, & condita quoties opportunum fuerit, immutare, limitare, corrigere & interpretari, secundum rerum & temporum qualitates ac loca illorum, aliud vel alia statuta & ordinationes quoties eis placuerit & visum fuerit eis expedire, de novo facere & edere libere & licite possit: ad quorum observationem singuli de gremio erectæ ecclesiæ hujusmodi existentes astricti sint, & ad id cum pœnarum & censurarum adjectione compelli possint; & quæ postquam condita, immutata, limitata, correcta & interpretata ac de novo edita fuerint, eo ipso dicta auctoritate apostolica confirmata sint & esse censeantur, plenam & liberam auctoritatem & facultatem concedimus: necnon omnes & singulos suppressi monasterii hujusmodi monachos, qui propter transgressionem institutorum regularium prædictorum aliquam apostasiæ notam sive irregularitatem, inhabilitatem contraxerint seu incurrerint, ab hujusmodi excessibus, necnon ab apostasia & quibusvis excommunicationibus, ac aliis sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis, quas præmissarum occasione quomodolibet forsan incurrerint, auctoritate apostolica & tenore supradictis absolvimus, ac cum eis super dicta irregularitate atque censura, si quam seu hujusmodi ligati missas & alia divina officia celebrando aut illis se immiscendo contraxerint: quodque etiam quæcumque, quotcumque & qualiacumque cum cura & sine cura alias se invicem competentia beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus & præbendæ aut dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis vel collegiatis, & dignitates ipsæ in cathedralibus post pontificales majores, seu collegiatis ecclesiis hujusmodi principales fuerint, si eis alias canonice conferantur aut eligantur, præsententur vel alias assumantur ad illa & instituantur in eis post suppressionem & reductionem hujusmodi, ac si regulares nunquam fuissent, absque alia dispensatione recipere, & illa, necnon quæcumque, quotcumque & qualiacumque alia cum cura & sine cura secularia ac prædicta, & quorumvis aliorum ordinum regularia beneficia ecclesiastica, etiam si secularia, parrochiales ecclesiæ, vel eorum perpetuæ vicariæ, aut alias ut præfertur, qualificata regularia, vel beneficia hujusmodi, prioratus, præpositure, præpositatus, dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes, vel officia etiam claustralia existant, & ad prioratus, præposituras, præpositatus, dignitates, personatus, administrationes, vel officia tam secularia quam regularia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, quæ singuli eorum etiam ex quibusvis dispensationibus & concessionibus apostolicis, etiam natalium & ætatis, ac aliis quibuscumque defectibus nonobstantibus, in titulum vel commendam ac alias obtineant & spectent, necnon in quibus & ad quos jus quomodolibet competit, absque nova provisione seu commenda eis & possessionis adeptione per eos desuper faciendis, ut prius, quoad vixerint, retinere, illaque omnia & singula simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quoties eis placuerit, dimittere, & commendis hujusmodi cedere, ac loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia beneficium vel beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica quæcumque, quotcunque & qualiacunque cum cura & sine cura se invicem competentia similiter recipere, &, ut præfertur, retinere; necnon quoscumque fructus, reditus, & proventus ecclesiasticos eis in toto vel in parte & loco pensionum annuarum, ac quascumque pensiones annuas super similibus fructibus, redditibus & proventibus eis forsitan reservatos & assignatos, etiam, ut prius, quoad vixerint, percipere, exigere & levare, necnon ad quoscumque gradus, dignitates, honores & officia ecclesiastica, ac viris ecclesiasticis convenientia secularia quæcumque promoveri, illaque gerere, exercere, necnon dignitatibus, honoribus & ordinibus quibuscumque, ad quos hactenus etiam in statu regulari degentes promoti fuerint, a quibuscumque dispensationibus etiam super pluribus beneficiis insimul obtinendis & retinendis, necnon super ætatis & natalium, cæterisque defectibus prædictis, ac gratiis ad obtinenda beneficia ecclesiastica quæcumque, quotcumque & qualiacumque sint, & indultis eis & eorum cuilibet præfata apostolica vel alia auctoritate hactenus quomodolibet concessis, eidem erectæ ecclesiæ, necnon illius abbati & capitulo cæterisque dignitates & personatus ac canonicatus & præbendas, necnon beneficia ejusdem erectæ ecclesiæ pro tempore obtinentibus ac ministris & aliis personis erectæ ecclesiæ hujusmodi pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis dignitatibus, prærogativis, privilegiis, immunitatibus, favoribus, gratiis, concessionibus & indultis, quibus aliæ collegiatæ ecclesiæ seculares illarum partium, ac dignitates & personatus, necnon canonicatus & præbendas, ac alia beneficia in eis obtinentes, illorumque capitulo canonici, ministri & personæ, de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur, &

gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum; ipsique erectæ ecclesiæ ac illius abbati, necnon etiam in eligendo abbatem præfato capitulo & singulis canonicis, tam majoribus quam minoribus ac beneficiatis, & aliis ministris ac personis, & etiam omnibus universis & singulis privilegiis, & indultis apostolicis, & regiis, & aliis, illis & eorum antecessoribus etiam favore & contemplatione religionis concessis, etiamsi illa eis quandiu in ordine & religione seu regulari statu hujusmodi perseveraverint, concessa & indulta fuerint: necnon libertatibus, immunitatibus, exemptionibus ab omni prorsus jurisdictione, correctione & superioritate quorumcumque archiepiscoporum, episcoporum & aliorum ordinariorum, quorumcumque etiam ratione delicti vel contractus, seu rei de qua agetur, ubicumque comitatur delictum, initur contractus, aut res ipsa consistat, quibus ipsi abbas regularis, conventus, & singuli monachi suppressi monasterii hujusmodi, antea uti, frui, gaudere consueverunt, ac nunc utuntur, potiuntur & gaudent; ita quod abbas sedi prædictæ, capitulum vero, necnon omnes & singuli tam majores quam minores canonici & beneficiati ac ministri & quævis aliæ personæ erectæ ecclesiæ hujusmodi, & oppidi de S. Egidio ac illius districtus & territorii prædictorum, & in eis pro tempore existentes & commorantes eidem abbati seculari immediate subjiciantur, & appellationes quæ ab eodem abbate seu ejus vicario aut officiali ab interlocutoria seu diffinitiva sententia pro tempore interponentur, ad sedem eandem immediate devolvantur, prout ante hujusmodi reductionem fieri consueverat, uti, potiri & gaudere, necnon beneficia sub eisdem dispensationibus comprehensa recipere, & juxta illarum tenorem retinere libere & licite valeant, eisdem authoritate apostolica, ac tenore de speciali dono gratiæ dispensamus, sibique pariter indulgemus, omnemque ab eis inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam per eos præmissorum occasione forsan contractam penitus abolemus, necnon beneficia obtenta, etiam propter reductionem hujusmodi non vacare, & commendis non cessare, ac pensiones extinctas non esse, necnon dispensationes, gratias, & indulta, ac reservationes fructuum, redituum & proventuum hujusmodi non expirare, sed plenam roboris firmitatem obtinere, ac compermutandi, necnon aliis clausulis & derogationibus in eis contentis, eisdem abbati, capitulo & canonicis etiam post reductionem hujusmodi suffragari in omnibus & per omnia perinde ac si reductio prædicta minime facta, seu illa ecclesia abbati, conventui & monachis præfatis uti ecclesiæ & personis secularibus a principio concessa fuissent; necnon suppressiones, extinctiones, applicationes, appropriationes, uniones, annexiones & incorporationes prædictas sub quibusvis revocationibus, suspensionibus & derogationibus etiam per nos & sedem prædictam quomodolibet, ac sub quibuscumque tenoribus & formis pro tempore factis & faciendis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse & censeri, ac etiam ad hoc ut sub illis non comprehendantur, ex nunc vere & non ficte effectum sortitas, ac de vacantibus & non vacantibus officiis, ac locis, & monachalibus portionibus ac prioratibus prædictis factas, & per illas ex nunc capitulo præfatis jus in re omnino acquisitum esse & censeri; necnon easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque, quovis prætextu, seu quavis occasione vel causa, etiam necessario exprimenda de nullitatis seu obreptionis vel subreptionis vitio seu intentionis defectu per quoscumque, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, impugnari, aut illorum effectum quoquomodo impediri non posse, sed suum plenarium libere sortiri, ac pro illorum validitate, efficacia & observatione per quoscumque judices, quavis auctoritate fungentes, in Romana curia, & extra eam, sublata eis, & eorum cuilibet quamvis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate judicari & definiri debere; necnon

A transumptis præsentium manu notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus prælati vel curiæ ecclesiasticæ aut personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in judicio & extra, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, adhibendam fore decernimus; postremo singulis infra scriptis, ob religionis zelum, vitæ ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus ipsorum singuli apud nos fide digno commendantur, testimonio, specialem gratiam facere volentes; necnon omnia & singula beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, secularia, & cujusvis ordinis regularia, quæ etiam ex quibusvis dispensationibus & concessionibus apostolicis in titulum & commendam ac alias obtinent & expectant, ac in

B quibus & ad quæ jus eis quomodolibet competit, quæcumque, quotcumque & qualiacumque sint, eorum fructuum, redituum, & proventuum veros annuos valores ac hujusmodi dispensationem & concessionem tenere, necnon quarumcumque pensionum annuarum eis super quibusvis fructibus, redditibus, & proventibus ecclesiasticis assignatarum quantitates, præsentibus pro expressis habentes, decanatum Jacobo Berengarii, & majorem Leonardo de Cruce, ac minorem archidiaconatus dignitates Amblardo Despinassia, necnon sacristiam Antonio Reboli, ac præceptoriam Petro Valentini nuper monachis dicti olim monasterii; ac thesaurariam personatus hujusmodi cum singulis illis annexis majoribus canonicatibus & præbendis prædictis Johanni Belloni clerico seculari dictæ Vapincensis diœcesis; necnon singulos alios majores canonicatus & præ-

C bendas singulis ex Petro Buade, Johanne Portalis, Petro Dauneri, Philippo Arbosset, Bernardo Bartholomæi, Johanne de Maudegoto, Johanne Spinasse, Guirando de Verneto, Nicolao Philiponi etiam nuper monachis dicti olim monasterii, necnon domino Petri, alias de Petris canonico Avenionensi, Guilhelmo etiam Belloni, Millano Javaldani clericis secularibus Vapincensis & Magalonensis seu Montispessulanensis diœcesis, cum plenitudine juris canonici, singulos vero canonicatus minores & præbendas sic erectos ab eorum primæva erectione hujusmodi apud sedem prædictam vacantes, & de quibus ac prioratibus ac capellaniis prædictis per dissolutionem unionum illorum, ut præmittitur, vacantibus, nullus præter nos, pro eo quod

D nos dudum omnes canonicatus & præbendas ac dignitates & personatus, necnon prioratus, cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura secularia, & quorumvis* ordinis regularia, apud sedem eamdem nunc vacantia, & inantea vacatura, collationi & dispensationi nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari: ac vice disponere potest, sive possit reservatione, ex decreto obsistentibus supradictis, ac quorum omnium & singulorum, videlicet decanatus erecti & archidiaconatuum, necnon sacristiæ & præceptoriæ ac majorum canonicatuum & præbendarum hujusmodi, necnon capellaniarum ac omnium per præsentes unitorum prioratuum prædictorum, insimul fructus, reditus &


E proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera, secundum communem existimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedant, singulis ex Johanne Arcoussi, Johanne de Georgiis, Nicolao Calviere, Johanne Martini, Guilhermo de Posilhaco, Johanne de Tullia, Laurentio Morinelli, Johanne Lansardi, Johanne Morenti, Carolo Rozeli, Francisco Guilhoti, Antonio Giri nuper monachis præfati monasterii, ac Petro Birrati Dantum nuncupato clerico seculari Gratiopolitanensis diœcesis, dilectis filiis, cum omnibus juribus & pertinentiis suis præfata auctoritate apostolica confecimus, & de illis etiam providemus. Quocirca dilectis filiis abbati monasterii Francarumvallium, & decano ecclesiæ SS. Johannis-Baptistæ & Evangelistæ Rupisinoræ, Nemausensis prædictæ & Avenionensis

* cujusvis.

diœcesis, ac officiali Montispessulanensis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios easdem præsentes litteras & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Theodori Johannis, & pro tempore existentis abbatis & capituli prædictorum seu alicujus ipsorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficaciter defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostra suppressionem, extinctionem, immutationem, reductionem, erectionem, institutionem, dismembrationem, separationem, applicationem, appropriationem, unionem, annexionem, incorporationem, concessionem, statutum, ordinationem & alia præmissa firmiter observare, ipsosque abbatem & capitulum illis, necnon absolutione, dispensatione, indulto, abolitione & decreto prædictis pacifice gaudere: non permittentes eis desuper per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, contra earumdem præsentium tenorem quomodolibet molestari; necnon Jacobum Berengarii in decanatum erectum, ac Bernardum de Cruce ad majorem, & Amblardum Despinassia ad minorem archidiaconatum; ac Antonium Reboli ad sacristiam, & Petrum Valentini ad præcemptoriam, & Johannem Belloni ad thesaurariam; ac illos necnon reliquos omnes & singulos supradictos, quibus majores & minores præbendas hujusmodi contulimus, in majorum & minorum canonicatuum & præbendarum eis repective collatorum, illorumque omnium jurium & pertinentiarum prædictorum corporalem possessionem inducant auctoritate nostra, & defendant inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, facientes illos ad majores cum dicta juris plenitudine & minores præbendas eis respective collatas hujusmodi in dicta erecta ecclesia in canonicos recipi, & in fratris stallo eis & eorum cuilibet in choro & in loco in capitulo ipsius erectæ ecclesiæ assignatis: necnon Jacobum Berengarii in decanatum erectum, & Bernardum de Cruce ad majorem, ac Amblardum ad minorem archidiaconatus, ac Antonium Reboli ad sacristiam, Petrum Valentini ad præcemptoriam, ac Johannem Belloni præfati ad thesaurariam prædictos, ut est moris, admitti; eisdemque Berengario decanatus, & Bernardo de Cruce de majoris, ac Amblardo de minoris archidiaconatuum, ac Antonio Reboli de sacristiæ, & Petro Valentini de præcemptoriæ, ac Joanne Belloni de thesaurariæ prædictorum, aliisque; necnon alii quibus majores & minores canonicatus & præbendas hujusmodi, ut præfertur, contulimus, de illorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus universis integre responderi, contradictoresque & rebelles per censuras & pœnas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, nonobstantibus præmissis, & priori voluntate nostra prædicta, necnon Constantiensis ac Lateranensis uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis novissime celebrati Lateranensis concilii, ac piæ memoriæ Bonifacii PP. octavi etiam prædecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices a sede prædicta deputati extra civitatem vel diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in concilio generali edicta, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, & quibusvis aliis apostolicis, necnon in provincialibus & synodalibus conciliis edictis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus ac fundatione dicti monasterii & illius ac ipsius ordinis juramento, confirmatione apost. vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus ac quibusvis privilegiis & indultis apost. eidem monasterio & ordini ac quibusvis universitatibus studiorum generalium, illarumque personis etiam super nominationibus faciendis, & alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriorum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis; necnon irritantibus & aliis decretis, etiam motu proprio, & quavis etiam regia consideratione, & ex quibusvis causis in genere & in specie, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus obmisso, & forma in illis tradita, observata, inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus: necnon quacumque contradictione seu dissensu, aut consensus defectu alicujus, seu minoris partis conventus monasterii hujusmodi, aut cujusvis alterius facta, seu facienda, contrariis quibuscumque: aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis, de locis & monachalibus portionibus, & officiis, necnon prioratibus hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis, in illis partibus generales dictæ sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum; quas quidem litteras & processus habitas per easdem ac inde secuta quæcumque, ad loca & monachales portiones, necnon officia suppressa, & capellanias ac prioratus unitas hujusmodi, volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem locorum & monachalium portionum, ac officiorum & prioratuum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, seu si venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis Arelatensis, & Montispessulanensis, Vabrensis, Mimatensis, Lexoviensis, Virdunensis, Uticensis, Sistaricensis, Adurensis, Cavalicensis, Arausicensis, & Nemausensis episcopis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quoad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdum suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in eis litteris mentio specialis. Volumus autem quod prioratus uniti prædicti debitis propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis quibus illa imminet, nullatenus negligatur, sed de eorum congrue supportentur onera consueta, ac quod monachi præfati aliqua irregularitatis & inhabilitatis nota seu macula forsan innodati, pœnitentiam per confessores idoneos, quos singuli eorum duxerint eligendos, eis pro præmissis injungendam adimplere omnino teneantur, alioquin præsentes locum quoad hujusmodi absolutionem eis nullatenus suffragentur; quodque juxta tenorem concordatorum prædictorum ad dictam abbatiam pro tempore præsentatus seu nominatus ac in ea institutus infra sex menses a die præsentationis seu nominationis & institutionis computandos, novam provisionem desuper a sede prædicta impetrare, & jura cameræ apostolicæ juxta taxam in libris ipsius cameræ annotatam, prout abbas regularis ante hujusmodi reductionem tenebatur, ac si regularis abbas existeret, persolvere omnino teneatur; alioquin lapsis dictis sex mensibus abbatia ipsa vacare censeatur eo ipso. Et insuper quoad unionem, annexionem & incorporationem prioratuum & capellaniarum per dissolutionem unionum illorum vacantium hujusmodi, ac collationes & provisiones prædictas prout est si attentatum forsan, hactenus, & quoad illas

illas ac alia præmissa ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit atemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram suppressionis, extinctionis, immutationis, reductionis, erectionis, institutionis, dismembrationis, separationis, applicationis, approbationis, unionis, annexionis, incorporationis, absolutionis, liberationis, concessionis, statuti, ordinationis, dispensationis, indulti, abolitionis, decreti collationis, provisionis, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tusculi anno Incarn. Dominicæ MDXXXVIII. XVI. cal. Sept. pontificatus nostri ann. 4. CCCCCCCCC.

A Johan. Bucada, Johan. Moluer, Johan. Bucano, Mar. Johan. Mileti, F. Galean a Cane, S. Groleti, Ca. CCCCCCCCC. Itillo, Bernardus Millancus, M. Rom. Claud. Richardi Anno MDXXXVIII. die vero decima septima mensis Augusti, retroscripti Franciscus Francorum rex christianissimus per suas litteras, & dominus abbas, & conventus retroscripti monasterii per retroscriptum eorum procuratorem suppressioni, extinctioni, immutationi, reductioni, erectioni, institutioni, dismembrationi, separationi, applicationi, appropriationi, unioni, annexioni, incorporationi, concessioni, statuto, ordinationi, collationi, & provisioni retroscriptis, ac litterarum expeditioni respective consenserunt, juraverunt, Bart. Capellus. R. Bar. registrata in camera apostolica Capellus Casalati.



INSTRUMENTA ECCLESIÆ ALESIENSIS.

I.

Testificationes de utilitate erectionis episcopatus Alesiensis.

Primus testis rever. episcopus Uticens. 1693.

ANno 1693. die vero secunda mensis Junii coram eminentissimo, & reverendissimo domino cardinali archiepiscopo Narbonensi comparuit illustrissimus & reverendissimus dominus Michaël Poncet, &c. episcopus Uticens. &c. testis vocatus pro informatione facienda juxta superius scriptos articulos, qui quidem illustrissimus & reverendissimus dominus episcopus Uticens. &c. ætatis suæ quinquaginta unius aut circiter annorum, præstito prius juramento tacto pectore, &c. se nosse vim juramenti, & gravitatem perjurii.

Ad primum respondit veritatem fuisse, & esse, quod valles Gebennicæ intra diœcesis Nemausens. fines inclusæ, diœcesibus Mimatens. & Vivariens. necnon Uticens. ipsius diœcesis cohærent, ex quorum tamen territoriis ad Alesiensem formandum nihil detrahitur, magnam habent incolarum frequentiam, eorum maxime, qui non ita pridem Catholicam Religionem amplexi sunt; unde verendum est ne in fide parum radicati absque peculiari episcopi vigilantia ex ovili egrediantur in quod præcipuo Dei favore ingressi sunt, quod scit ex peculiari sua notitia ob proximitatem episcopatus Uticens. qui limitibus Alesiensis territorii contiguus est.

Ad secundum se ex dicta causa scire, quod prædictæ valles longe lateque diffusæ Nemauso septem & amplius leucis Occitanicis distant, assiduis montium jugis undique cinguntur, & qua se vertices ad planiora demittunt, vix Nemausensi episcopo via patet, ut visitationis causa eam diœcesis partem percurrere valeat.

Ad tertium respondit se scire, quod præter quadraginta neophitorum millia, quæ vel intra Nemausi muros, vel extra per planitiem degunt, sunt & alia quinquaginta millia, quæ Gebennicis in vallibus circumfusa reperiuntur, cumque in primis informandis totus intentus Nemausens. episcopus Vallicolas fovere non possit, bonum ecclesiæ postulat, ut illis peculiaris sit pastor, qui populorum ignorantiæ medeatur.

Ad quartum verum fuisse, & esse respondit, quod Alesiense oppidum vulgo *Alais* Gebennarum primarium, capax, elegans, muro cinctum, arce munitum, præsidio instructum, præfecto ornatum, familias 1796. circiter continet, inter eas complures nobilitate insignes sunt, sed omnes fere ad fidem catholicam ex hæresi Calviniana conversæ, tale tandem oppidum, quod si novus erigatur episcopatus, pro episcopali sede eligi meretur.

B Ad quintum respondit, quod in præfato Alesiensi oppido stat parochialis, & collegiata ecclesia sub invocatione S. Johannis Baptistæ, hæc spatiosa satis & sufficienter ornata sacella sex, campanariam turrim, cœmeterium, fontesque lustrales complectitur; ejusdem capitulum decano, & sacrista, utroque canonico, decemque aliis canonicatibus constat: decanus choro præsidet, & sacrista curam animarum gerit, quod scit ex præfatis causis.

Ad sextum respondit, quod in præfata ecclesia est chorus cum quadraginta octo sedilibus, navis populorum capax, locus aptus ad organum, & illud omne quod ecclesiam cathedralem decet, quod scit quia vidit.

Ad septimum, verum esse respondit, quod supradictum Alesiense oppidum tres habet virorum conventus, Prædicatorum nempe, fratrum Minorum, & Capucinorum, duas item monialium domus, Cisterciensium unam, quæ abbatiæ gaudet titulo, & alteram sanctæ Ursulæ: adde societatem Confalonis vulgo Pœnitentium alborum, & confraternitatem sacrosancti Eucharistiæ sacramenti, una cum publica egenorum domo, quod scit quia vidit.

C Ad octavum respondit se scire verum esse, quod territorium Alesiense destinatum sexdecim leucis Occitanicis communibus Galliæ longioribus in longitudinem, decemque in latitudinem patet aut circiter, in eo oppidula triginta sex, pagi quadraginta quinque, & ita octoginta novem parochiæ continentur. In his magnus est incolarum maxima ex parte neophitorum numerus, isti in fide debiles, natura truces, solertes tamen, & ingeniosi, isti inquam omni tandiu doctrinæ vento circumferentur, donec cognita novi & proximioris pastori voce, & eum audient, & sequentur.

Ad nonum, verum esse respondit, quod etsi nulla consistat ecclesiastica domus episcopo commoda, stat tamen una laica, quam si conducat episcopus, honeste incolere valet, adest enim locus ad episcopalem domum in ecclesiæ fundo commodus, in quo de more provinciæ diœcesani illam ædificare tenebuntur, quod scit quia vidit.

D Ad decimum respondit veritatem esse, quod in oppido Alesiensi juxta ecclesiam locus est pro educandis clericis in seminarium eligendus, in quod frequenter conveniens episcopus, eos verbo & exemplis instruere, ad ordines ecclesiasticos exercere, dubiamque vocationem probare valebit: adde quod dictis clericis in choro sacris officiis inhærentibus cultus divinus magis ampliabitur, ac Domino solemnius largietur, quod scit ex prædictis causis.

Ad undecimum, se scire respondit verum esse, quod prope Alesiense oppidum stat sæcularis, & collegiata

abbatia de Psalmodi ejusdem Nemausens. diœcesis, huic tres sunt dignitates, decanatus scilicet, præpositura, ac archidiaconatus, personatus duo, canonicatus quindecim, totidemque presbyteri cum geminis servientibus, hujus abbatiæ nominatio ad Regem Christianissimum, provisio vero ad sedem apostolicam pertinent, ejusdem abbatiæ redditus librarum decem & octo millium est, qui ex salinis, pratis, censibus, decimisque percipiuntur, illius capitulum, & canonici Aquis-mortuis commorantes æstivis caloribus errare coacti, nec implent residentiam, nec divinis intersunt officiis.

Ad duodecimum respondit se scire ex prædictis causis, quod si præfata abbatia episcopatui erigendo, & supradictum Psalmodiense capitulum Alesiensi uniantur, ita ut ex collegiatis duabus una cathedralis emergat, bonum opus futurum est, tum quia ex dictæ abbatiæ redditu Ales. episcopus futurus congrue sustentabitur, tum quia canonici debitam implebunt residentiam, tum quia per capitulum unitum capitulo divinum officium decentius celebrabitur, tum etiam quia nihil impedit quominus Psalmodiensi ecclesiæ proprius linquatur parochus, & Alesiens. sacrista curam, ut ante, Alesii animarum gerat.

Ad decimum tertium respondit se scire veritatem esse, quod unioni dictæ abbatiæ episcopatui erigendo consentit abbas, assentiuntur canonici, optant vicini præsules, concupiscit metropolitanus, petit ipse Nemausens. episcopus, omnes idem cum Rege Christianissimo sentientes, nihil scilicet in neophitorum gratiam fore utilius, quam si super oves illas errantes suscitet Deus pastorem unum, qui pascat eas, quique ægrotas sanet, & errantes reducat, & se subscripsit una cum eminentissimo, & reverendissimo domino cardinali archiepiscopo.

Petrus cardinalis archiepiscopus Narbonensis.
Michaël episcopus, & comes Uticensis.

Secundus testis doctor Sorbonicus qui fuit visitator vallium Gebennicarum.

Anno & die quibus supra coram eminentissimo & reverendissimo domino cardinali archiepiscopo Narbonensi comparuit illustris & reverendus admodum dominus Renatus Carolus de la Roche Jaquelin presbyter, &c. doctor socius Sorbonicus, &c. ætatis suæ, ut dixit, triginta quinque annorum testis ab eodem eminentissimo & reverendissimo domino cardinali archiepiscopo vocatus, qui recepto prius ab eo juramento, &c. super interrogatoriis supra insertis interrogavit; qui quidem

Ad primum respondit verum esse, quod valles Gebennicæ Nemausens. diœcesis portio, eaque Mimatensi & Vivariensi necnon Uticensi diœcesibus cohærens, quamvis tamen ad Alesiens. faciendam ex eorum territoriis, sive dominio, tam in spiritualibus, quam in temporalibus nihil detrahatur, valde diffusæ sunt, ac populosæ, earumque incolis, ut in ecclesiæ gremio, ad quod tandem reversi sunt, conforeri possint, necessaria omnino est pastoris præsentia, ejusque labor assiduus, & peculiaris cura, quod probe scit, quia a Rege Christianissimo sub cura, & approbatione episcoporum in neophitorum informationem missus Occitaniam peragravit, tum quia in instruendis illius incolis crassam imprimis Gebennicorum ignorantiam perspexit, & morum corruptelam expertus est.

Ad secundum respondit se scire prædictis ex causis, quod supradictæ valles a Nemausensi civitate, quæ est sedes episcopi, leucis Occitanicis octo distant, iisque adeo montuosis, & asperis, ut nequeat episcopus Nemausens. per invia illa loca visitationis munus explere, & bonum ecclesiæ postulat, ut istis vallicolis peculiaris sit pastor.

Ad tertium respondit verum esse, quod seu Nemausi, seu in locis finitimis quadraginta circiter millia conversorum existunt, qui cum totam episcopi vigilantiam requirant, non potest sollicitudo pastoralis aliis neophitorum quinquaginta millibus subvenire, qui dictas valles Gebennicas incolunt, ibique propriæ infirmitatis conscii novum episcopum constitui exoptant, a quo possint in fide catholica confirmari, ac spiritualia quibus tantopere indigent solatia accipere.

Ad quartum respondit veritatem esse, quod oppidum Alesiense in Occitania situm, & Gebennarum primarium domos, seu familias continet circiter 1796. quarum multæ nobiles, pleræque autem e Calviniana hæresi recens emersæ; urbs est aliunde situ pulchra, arce, præsidio, & præfecto conspicua, ac demum undequaque digna quæ nova sede episcopali decoretur, quod scit ex prædictis causis.

Ad quintum respondit verum esse quod in prædicto Alesiensi oppido existit ecclesia parochialis, & collegiata ampla satis, & decora, quæ sacella sex, campanile cum tribus campanis, & fontem baptismalem continet, eique adjacet cœmeterium, capitulum vero decano, quæ est prima dignitas, & sacrista, cui animarum cura incumbit, necnon decem canonicatibus constat, quod scit ex prædictis causis.

Ad sextum verum esse respondit, quod in prædicta collegiata ecclesia locus est ad organum disponendum commodus, chorus cum quadraginta sedilibus, navis satis capax, denique quidquid futuræ cathedrali congruit in ea reperitur.

Ad septimum veritatem esse dixit, quod in eodem oppido Alesiensi tria sunt virorum monasteria, seu conventus, Prædicatorum, fratrum Minorum, & Capucinorum, sunt & duæ monialium domus, Cisterciensium una abbatiæ titulo decorata, & altera sanctæ Ursulæ, duæ etiam confraternitates Pœnitentium scilicet Alborum, & sacrosancti Eucharistiæ sacramenti, ac demum hospitium pauperum, quod vulgo *Hospitale* appellatur.

Ad octavum respondit se scire territorium futuræ Alesiens. diœcesi destinatum sexdecim leucas in longitudinem, decem in latitudinem complecti, ac proinde oppida octo, oppidula triginta sex, quæ parochias octoginta novem faciunt, continere, quarum incolæ maxima ex parte neophiti jacent adhuc sicut oves non habentes pastorem, rogantibus interim aliis dominum messis, ut quoniam ibi messis quidem multa, operarii autem pauci, mittat operarios in messem suam, depulsis iis, quos non miserat.

Ad nonum respondit veritatem esse, quod quamvis Alesiens. ecclesia nullam possideat domum episcopo commodam, est tamen in decanatus fundo locus, ubi domus episcopalis propriis diœcesanorum impensis juxta provinciæ morem ædificabitur, poteritque interim episcopus aliam conducere non procul ab ecclesia, atque in ea habitare.

Ad decimum respondit verum esse, quod in eodem oppido non longe ab ecclesia, & episcopali domo construi potest seminarium ad quinquaginta, seu sexaginta clericos religiose educandos, & ecclesiasticis disciplinis instruendos, qui quidem officiis sacris aderunt, & ita solemnius erit sacrorum ministerium.

Ad undecimum se pariter ex prædictis causis scire respondit, quod prope dictum oppidum Alesiense in eadem diœcesi Nemausensi existit abbatia secularis, & collegiata de Psalmodi, cui tres sunt dignitates, decanatus scilicet, præpositura, & archidiaconatus, personatus duo, quindecim canonicatus, & duodecim presbyteri Domino servientes: hujus abbatiæ nominatio ad Regem Christianissimum, & provisio ad sedem apostolicam spectant, redditus decem & octo librarum millia conficiunt, atque in salinis, pratis, censibus, decimisque fere consistunt: capitulum, & canonici Aquis-mortuis commorantur, sed cogit eos intemperies aëris maxime æstivo tempore ex oppido illo migrare, & sic divina officia prætermittere.

Ad duodecimum verum esse respondit, quod si prædicta abbatia episcopatui erigendo adunetur, & ex duobus capitulis Alesiensi nempe & Psalmod. unicum cathedrale conficiatur, bonum haud dubie opus erit,

tum quia capitulum dictæ abbatiæ residentiam sine ullo incommodo deinceps implebit, imo & unitum alteri capitulo divina officia solemnius celebrabit, tum etiam quia præfatæ abbatiæ redditus ad episcopum congrue substentandum satis superque erunt, tum denique quia ex futura unione perinde in utraque ecclesia exercebitur animarum cura, in Psalmodiensi quidem per parochum, & in Alesiensi per sacristam.

Ad decimum tertium respondit se scire quod prædictæ unioni Psalmodiensis abbatiæ, & novi episcopatus erectioni, non modo consentiunt abbas, capitulum, & canonici, episcopus Nemausens. aliique comprovinciales, & metropolitanus, Rexque ipse Christianissimus, sed eam summopere cupiunt, & enixe postulant, probe scientes, quam necessaria sit talis erectio in vallibus Gebennicis ut neophiti in fide fundentur, & sic fiat unum ovile, & unus pastor, & se subscripsit una cum eminentissimo & reverendissimo D. cardin. archiepiscopo.

Petrus card. archiep. Narbonensis.
La Roche Jaquelin.

Sequuntur alii octo testes primo, & secundo in omnibus conformes, ex quorum depositionibus, quæ brevitatis causa omittuntur probatio fusius resultat, sed nomina dumtaxat transcribuntur, ut pateat omni esse exceptione majores, atque fide dignissimos.

Tertius testis est R. Robertus Pocquelin presbyter, & doctor Sorbonicus ætatis annorum quadraginta quinque.

Quartus testis R. Mathias Pecquot presbyter sacræ Theologiæ magister, ac commendatarius prioratus S. Petri de Brigii ætatis annorum triginta unius.

Quintus testis R. Petrus Dionysius Desnault presbyter Alesiens. doctor, & prior prioratus nostræ Dominæ vallis ordinis S. Benedicti ætatis annorum triginta duorum circiter.

Sextus testis R. Gedeon Pontier presbyter Nemausens. sacræ Theologiæ baccalaureus, & protonotarius apostolicus ætatis annorum sexaginta circiter.

Septimus testis D. Johannes de Audibert Uticens. comes de Lussan Regiorum ordinum eques torquatus ætatis annorum sexaginta circiter.

Octavus testis D. Antonius Vallin parlamenti advocatus ætatis annorum quinquaginta circiter.

Nonus testis D. Johannes Alizon consiliarius Regius Nemausens. ætatis annorum quadraginta duorum.

Decimus testis D. Johannes de la Tour Nemausensis ætatis annorum viginti trium.

Territorium futuri episcopatus Alesiens. extendetur juxta terminos diœcesum Nemausens. & Uticens. ab Oriente, Ruthen. & Vabrens. ab Occidente, Montispessulan. & Lodovensis a Meridie, & Mimatensis a Septentrione, quamvis ad illud formandum præter diœcesim Nemausens. cujus est portio, nihil omnino ex adjacentium diœcesium territoriis detrahitur.

II.

Num. 1.

Consensus capituli Nemausensis erectioni novi episcopatus Alesiensis.

Dignitates, capitulum, & canonici ecclesiæ cathedralis Nemausens. tribus abhinc diebus vocatis vocandis cum debita singulorum intimatione, ad hunc effectum exceptis propter nimiam locorum distantiam magistris de Robert, de Trimond, Gueyrat, Tilloy, & Fillere, super eo quod dicto capitulo nuper significatum est per litteras illustrissimi & reverendiss. episcopi Nemaus. consensum jam ab ipso præstitum, ne per dictum capitulum stet, quo minus erectio fiat episcopatus, quem Rex Christianissimus erigi desiderat in civitate Alesiensi ad confovendos in fide orthodoxa Gebennarum populos ad veritatem catholicam recenter conversos defectu aliquarum formalitatum sacræ Congregationi consistoriali in aliquam suspicionem devenisse, eædem igitur dignitates, capitulum, & canonici ad tollendam omnem suspicionem, suum de novo consensum præbuerunt, & per præsens instrumentum præbent, priorem in omnibus & per omnia ratificantes, & comprobantes, & propterea omne, & quodcumque jus dictæ erectioni contrarium, quod dicto capitulo competere posset propter dictam erectionem, abdicant, illique in omnibus, & per omnia, ut antea, renunciant, reservato sibi collationis vicariarum perpetuarum, & cappellaniarum dicto capitulo speciali jure ab ævo spectantium in beneficiis dicto capitulo unitis, & in districtu Alesiensi sitis, & reservato insuper sibi jure utriusque suffragii pro uno ex canonicis, vel dignitatibus per dictum capitulum ad hoc deputandum in omnibus cleri comitiis, in quibus agetur de impositionibus, sive pro decimis, sive pro aliis quibuscumque, vel de rationibus reddendis pecuniarum jam impositarum, juribus, & privilegiis aliis supradicto clero Alesiensi, ad dicta cleri comitia deputatis, vel deputandis concessis, vel concedendis, & præterea dictus magister de Rozel præcentor sibi reservavit collationem scholarum totius diœcesis, sibi per bullam secularisationis ejusdem ecclesiæ concessam, quo jure prædecessores in dicta præcentoria publice potiti sunt. Datum Nemausi in aula capitulari die 7. Octobris anno Domini 1693. Cohon præpositus, Magne,* Maridat * archidiaconus major, M. Cambonas tertius archidiaconus. De Laugnac thesaurarius. Rozel præcentor. Canin. Servel. Demerez. Jacques. Begault. Mouy. Cabrieres. De Saraud.

*al. Maigne *al. Meridat

De mandato prædictorum DD. dignitatum, & canonicorum, Rosseli.

Spiritus Flechier miseratione divina, & sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopus Nemaus. Regi ab omnibus consiliis, universis quorumcumque intererit fidem facimus, & attestamur retroscriptum actum signatum esse manibus propriis dignitatum, capituli, & canonicorum ecclesiæ nostræ cathedralis Nemausensis, quorum signaturæ tum intra, tum extra judicium fides adhibetur, ac munitum sigillo dicti capituli nostri. Datum Nemausi sub signo sigilloque nostris, ac secretarii nostri subscriptione anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo-tertio, die vero septima Octobris.

Spiritus Flechier episcopus Nemausensis.

De mandato prædicti illustriss. & reverendiss. D.D. episcopi, Liche.

Locus sigilli.

Consensus capituli ecclesiæ collegiatæ Alesiensis.

Num. 2.

Sacrista, capitulum, & canonici ecclesiæ secularis, & collegiatæ sancti Johannis Baptistæ d'Allez hora ad hunc effectum quinque ab hinc diebus indicta, cum debita singulorum intimatione, excepto domino de la Fare decano ob nimiam locorum distantiam, nunc scilicet Parisiis suis propriis negotiis incumbente, & in priori consensu sub data diei primæ Januarii anni hujus millesimi sexcentesimi nonagesimi tertii subsignato, in capitulo nostræ ecclesiæ ordinario ad sonum campanæ more solito congregati.

Cum Ludovicus Galliarum, & Navarræ Rex Christianissimus ad confovendos in fide orthodoxa illos, qui nuper divino favente præsidio ex hæresis Calvinianæ abysso emersi sunt in his partibus montium Gebennicorum diœcesis Nemausensis, ubi major eorum esset numerus, oppidum d'Allez in civitatem, & in eodem sedem episcopalem erigi, & collocari desideret, cumque ad majorem Dei gloriam, & pro solemniori divinorum ministerio dignitates, capitulum, & canonicos ecclesiæ Psalmodiensis, seu Aquarum-mortuarum ad dictum oppidum d'Allez transferri, & seculari collegiatæ ecclesiæ sancti Johannis Baptistæ dicti oppidi uniri, ac una cum ejus capitulo capitulum unicum effici plurimum cupiat, iidem sacrista, capitulum, & canonici, ne per eos stet quominus tam pium

desiderium, ac tam gloriosum opus debitum sortiatur A effectum, omnem & quemcumque consensum necessarium de novo præbuerunt, & per præsens instrumentum præbent, ubicumque in judicio, & extra valiturum, & propterea omne, & quodcumque jus, quod propter dictam erectionem illis competere posset, dictæque erectioni, ac unioni esset contrarium libenter, sponte, ac libere abdicant, illique quatenus opus sit in omnibus, & per omnia renunciant, priorem consensum, quem sub data diei primæ mensis Januarii hujus anni millesimi sexcentesimi nonagesimi-tertii præbuerunt, ratificantes, ac omnino comprobantes, ut debita intimatione singulorum ad hunc effectum, & re mature cognita ab omnibus præstitum. Datum in dicto nostro capitulo Alesiensi ante meridiem die decima-sexta Septembris ejusdem anni millesimi sexcentesimi nonagesimi-tertii. B

Johannes de Queylar sacrista. Johannes Fueche canonicus. Carolus Arquier canonicus. Dionysius Forlive canonicus. Jacobus Bernard canonicus. Josephus Flouravaud canonicus. Johannes Fornier canonicus. Olivarius la Fond canonicus.

Absuit magister Petrus de Perier debite intimatus propter urgens fratris sui Abelis de Perier negotium priori consensui subscripsit. De mandato dicti capituli. Bartelet secretarius. Ego Petrus de Perier Alesium reversus visum, ac perpensum mature supradictum actum probavi, & ratificavi. In cujus fidem hîc subscripsi die 20. mensis Septembris anni 1693.

De Perier canonicus.

Locus sigilli capituli. C

Spiritus Flechier miseratione divina, & sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopus Nemausensis Regi a consiliis, universis quorumcumque intererit notum facimus, & testamur suprascriptum actum signatum esse manibus propriis sacristæ, & canonicorum ecclesiæ secularis, & collegiatæ sancti Johannis Baptistæ d'Allez, quorum signis tum intra, tum extra judicium fides adhibetur; munitumque sigillo capituli dictæ ecclesiæ. Datum Nemausi sub signo sigilloque nostris, ac secretarii nostri ordinarii subscriptione anno 1693. die vero quinta Octobris. Spiritus episcopus Nemausensis.

De mandato prædicti illustriss. & reverendiss. D. D. episcopi, Begault.

Locus sigilli. D

Num. 3. *Consensus capituli Psalmodiensis.*

Dignitates, capitulum, & canonici abbatiæ secularis, & collegiatæ Psalmodiensis, seu Aquarum mortuarum quinque abhinc diebus ad hunc effectum convocati, cum debita omnium, & singulorum intimatione (excepto M. domino de Curdechaine præposito propter nimiam scilicet locorum distantiam de præsenti Parisiis urgentibus negociis vacante) & in capitulo nostræ ecclesiæ ad sonum campanæ more solito congregati majorem & saniorem partem capituli repræsentantes divino implorato auxilio.

Super eo quod relatum est capitulo prædicto, quod in aliquam suspicionem devenerit sacræ congregationi consistoriali, actus, seu instrumentum consensus sub data diei ultimæ Decembris anni 1692. ab ipso præstiti, ne per dictum capitulum stet quominus fieret erectio episcopatus, quem erigi in civitate Alesiensi Rex Christianissimus desiderat, atque ad dictam civitatem ipsum capitulum transferretur, ut ecclesiæ sancti Johannis Baptistæ dicta civitas uniretur, & una cum ea unicum fieret cathedralis ecclesiæ Alesiens. capitulum prædicto consensu sub sequenti verborum formula concepto. E

Dignitates, capitulum, & canonici abbatiæ secularis, & collegiatæ ecclesiæ Psalmodiensis, seu Aquarum-mortuarum in capitulo nostræ ecclesiæ ad sonum campanæ more solito congregati majorem, & saniorem partem capituli repræsentantes divino implorato auxilio, cum Ludovicus Galliarum, & Navarræ rex Christianissimus ad confovendos in orthodoxa fide illos, qui nuper divino favente præsidio ex hæresis Calvinianæ abysso emersi sunt in iis partibus montium Gebennicorum Nemausensis diœcesis, oppidum d'Alais in civitatem, & in eodem sedem episcopalem erigi, & collocari desideret; cumque ad majorem Dei gloriam, & pro solemniori divinorum ministerio dignitates, capitulum, & canonicos prædictos ecclesiæ Psalmodiensis ad dictum oppidum d'Alais transferri, & collegiatæ sancti Johannis Baptistæ dicti oppidi uniri, ac una cum ejus capitulo capitulum unicum futuræ cathedralis effici plurimum cupiat, eædem dignitates, capitulum, & canonici ne per eos stet quominus tam pium desiderium, & tam gloriosum opus debitum sortiatur effectum, omnem, & quemcumque consensum necessarium præbuerunt, & per præsens instrumentum præbent, absque mensæ capitularis detrimento, & habita graduum ratione sub beneplacito Sanctissimi, ubicumque in judicio, & extra valiturum, & propterea omne, & quodcumque jus, quod propter erectionem episcopatus, & ecclesiæ cathedralis illis competere posset, libenter, sponte, ac libere abdicant, illique quatenus opus sit omnibus, & per omnia renunciant. Datum Aquis-mortuis in capitulo nostræ dictæ ecclesiæ die ultima Decembris anno Domini 1692.

Eædem dignitates, capitulum, & canonici ad omnem suspicionem tollendam circa præfatum consensus instrumentum, re mature perpensa, & examinata eumdem, ut suprascriptus est, consensum de novo præbuerunt, ac per præsens instrumentum præbent ubicumque in judicio, & extra valiturum, priorem in omnibus, & per omnia confirmantes, ac ratificantes, & propterea omne, & quodcumque jus, quod propter erectionem dicti episcopatus, & ecclesiæ cathedralis illis competere posset, libenter, & sponte, ac libere de novo abdicant, illique quatenus opus sit in omnibus, & per omnia renunciant, insuper declarantes, ac certificantes per præsens instrumentum, dictum capitulum per clausulam (absque mensæ capitularis detrimento) in priori instrumento expressam nihil aliud intelligere, quam quod eosdem fructus, ac proventus retinere intendat post unionem, quos hactenus habuerit, ac ita, quod non fiat mensarum utriusque capituli confusio, antequam præbendæ capituli Alesiensis ejusdem valoris, & redditus, ac ipsius capituli Psalmodiensis, seu Aquarum-mortuarum efficiantur.

Abfuerunt a dicto capitulo quamvis debite intimati ad hunc diem, & ad hunc effectum magister Guillelmus de Jean canonicus & archidiaconus propter morbum, quo laborat in loco de Salinelle quinque leucis distante ab urbe Aquarum-mortuarum, ut constat ex ejus responso his terminis concepto infra intimationem.

Monsieur, j'ay reçû la presente, & ne manquerois pas de me rendre à Aigues-mortes, si la goute ne m'avoit pris hier au soir. Je ne sçay pas quand elle me quittera, je l'ay au pied droit ; mais j'approuve tout ce que le chapitre fera, die 20. Sept. 1693.

Et magister Petrus Trinquarre canonicus, & secretarius propter febrim detentus Monspelii, vulgo *Monpellier*, sex leucis distantis, ut constat ex responso ejus sororis, his verbis :

Monsieur de Trinquaire chanoine est malade, je ne crois pas qu'il puisse estre en estat de partir après demain pour Aigues-mortes, die 22. Sept. 1693.

Et magister Franciscus Ludovicus de Becheran canonicus Avenione urgenti fratris sui negotio incumbens decem leucis distante. Datum Aquis-mortuis in capitulo nostræ dictæ ecclesiæ die 25. Sept. anni 1693. sub sigillo capituli. De Bocari cantor. Deiydier subcantor. Fages. J. Monard. Frion. H. Monard. A. Moreau. S. P. Desandrieux conseil. R. P. Desandieux secret. substitutus.

Ego Guillelmus de Jean archidiaconus eumdem consensum præbeo, & approbo. De Jean archidiaconus de Salinellis die 30. Septembris anno 1693.

Ego subsignatus Aquarum-mortuarum canonicus presbyter, & secretarius suprascriptam ratificationem approbo. Die secunda Octobris 1693. in urbe Monspessulana, P. Trinquere presbyter canonicus & secretarius.

Spiritus Flechier miseratione divina, & sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopus Nemausensis, Regi a consiliis, universis quorumcumque intererit notum facimus, & testamur suprascriptum actum esse signatum manibus propriis dignitatum capituli, & canonicorum abbatiæ sæcularis, & collegiatæ Psalmodiensis, seu Aquarum-mortuarum nostræ diœcesis, quorum signis tum intra, tum extra judicium fides adhibetur, munitumque sigillo dicti capituli. Datum Nemausi sub signo sigilloque nostris, ac secretarii nostri ordinarii subscriptione anno Domini 1693. die vero 5. Octob.

Spiritus episcopus Nemausensis.

De mandato præfati illustrissimi & reverendissimi D. episcopi, Begault.

Locus sigilli capituli.

Locus sigilli episcopi Nemausensis.

Num. 4. *Syndicus generalis Occitaniæ declarat penes futurum Alesiensem episcopum jus inesse de more provinciæ palatium episcopale a diœcesanis exigendi.*

Noi Sindico generale della provincia di Linguadoca, sottoscritto, certifichiamo che le diocesi della sudetta provincia sono solite di fabricare li Palazzi episcopali; che il futuro Vescovo della diocesi d'Alais havera dritto di domandare questo soccorso alla detta diocesi, e che li stati della provincia hanno sempre acconsentito a queste sorti d'impositioni. Fatto a Monpellier, il di primo del mese di Ottobre mille seicento novanta trè. JOUBERT.

Nicolò de Lamoignon, Cavagliere, Conte di Launay Courson, Signore de Bris, Vaugrigneuse, e altri luoghi, Consigliere di Stato, Intendente de giusticia, poliza, e finanze della provincia di Linguadoca: certifichiamo che il certificato qui sopra, è scritto e segnato della mano del Signore Joubert Sindico generale della provincia di Linguadoca, e che tutto quello che contiene è vero. In fede di che havemo sottoscritto il presente certificato, che havemo fatto contrasegnare dal nostro segretario, & apporvi il sigillo delle nostre armi. A Monpellier il primo Ottobre mille seicento novanta trè. DE LAMOIGNON.

Per Monsignore, LE SELLIER.

Locus sigilli.

Num. 5. *Status diœcesis novi episcopatus, cum numero 90. parochiarum ibi existentium.*

ARCIPRETATO ALESIEN. San Giovanni-Battista Alesien. S. Hilario di Berthmas. S. Andrea de Vezenobre. S. Salvatore di Ribante. S. Christoforo de Vermeil. S. Martino d'Arenes. S. Giovanni du Pin. Nostra Donna du Puech de Cendras. San Pietro de Sonstelie. San Paolo de la Coste.

ARCIPRETATO D'ANDUZE. S. Stefano d'Anduze. S. Saturnino de Boisset. S. Saturnino de Bagars. Nostra Donna de Gaujac. San Pietro de Civignac de Tornac. San Baudilio de Tornac. San Martino de Sossenac de Vibrac. San Felice de Palieres. San Michele de Corbes. S. Giovanni de Gardonnenque. San Andrea de Miellet. Nostra Donna di Generasque. San Sebastiano d'Aigrefeüille.

ARCIPRETATO DELLA SALLE. San Pietro della Salle. Santa Croce di Caderles. San Giacomo di Toiras. S. Andrea de Vabres. S. Boneto di Salendrenques. S. Bricio di Colognac. Nostra Donna de Soudorgues. Santa Margarita de Ryroles. San Martino di Corconac. Nostra Donna de Saumatre. S. Marcello de Fontfoüilloufe. S. Andrea de Valborgne.

ARCIPRETATO DI S. HIPPOLITO. S. Hippolito de Roqueforcade. S. Vincenzo de Cros. S. Martino de Manoblet. S. Thomasso de Durfort. San Pietro de Sauve. S. Andrea de Conqueirac. San Martino d'Aguzan. S. Egidio de Ceyrac. S. Saturnino de Pompignan. San Giovanni-Battista de Ferreires. San Giovanni-Battista de Baussels. San Stephano de Montolieu. San Michele de la Cadiere.

ARCIPRETATO DI SUMENE. Nostra Donna di Sumene. San Martino di Cesas, e San Pietro di Cambo annesso del detto Cesas. San Romano de Caudieres. San Martiale. Nostra Donna de la Rouviere. San Martino de Vallaraugue, Ardeliers e Taleriac, annessi del detto Vallaraugue. S. Andrea de Majencoules. San Pietro de Noüilles, seu de Roquedur. San Giuliano de la Nef. S. Lorenzo le Minier.

ARCIPRETATO DE VIGAN. San Pietro du Vigan. San Gregorio de Mandagout. San Bricio di San Bresson d'Hierle. Nostra Donna d'Avese. S. Andrea de Pommieres. San Martino de Montdardier. S. Felice de Rogues, e Soubeiras annesso del detto Montdardier e del detto Roques. San Baudilio de Blandas. Nostra Donna, alias San Blasio de Vissec. San Giovanni-Battista de Campestre. Nostra Donna de Luc. San Martino d'Alzon. San Ginesio d'Arigas. S. Hilario d'Aumessas. San Blasio d'Arre. San Martino de Bez. S. Verano d'Esparon. San Giovanni-Battista de Molieres. S. Martino d'Aulas, e Bre annesso del detto Aulas.

ARCIPRETATO DE MAYRUEIS. San Pietro de Mayrueis. San Lorenzo de Marvejol. San Pietro de Ressen. Nostra Donna de Treves. San Salvatore de Porcils. Nostra Donna de Bonheur, ò Lesperon. Nostra Donna de Gatuzieres.

Num. 6. *Status capituli Alesiensis cum illius reditibus, & numero dignitatum.*

Il capitolo d'Alais è composto d'un decano, un sagrestano, & otto canonici.

Il decano gode di due prebende servendo come gl'altri, essendo soggetto al puntamento, per ciò che concerne le due prebende, & oltre di ciò egli gode del beneficio di Malsos, che è la grossa del decanato, e frutta libero da tutti pesi in circa ———— lire 400.

Il Sagrestano, che è un personato, hà cura dell'anime della citta d'Alais : conforme alla Bolla di erettione: non gode che di una prebenda servendo come gl'altri ————

Il Capitolo gode delli beneficii di San Giovanni Battista d'Alais, San Marcello di Fonfoliouse, S. Martino de Rouson, e S. Paolo le Froid ————

San Giovanni d'Alais frutta annualmente libero da tutti pesi ———— lire 650.

S. Marcello di Fonfoulioulà ———— lire 750.

S. Martino di Rouson ———— lire 470.

San Paolo le Froid. ———— lire 400.

Legati pii, ò obiti, ascendono alla somma di cento sessanta lire, che e distribuita alla fine dell'anno alli canonici che dicono le messe, non havendone li canonici Chierici alcuna portione ———— lire 160.

Somma totale ———— lire 2430.

Noi Giovanni de Queylar sagrestano, e Giovanni Tuech canonico e sindico, deputati dal capitolo d'Alais, conforme alla deliberatione presa li sedici del

ſtato di rendita del detto capitolo eſſere vero in tutti li ſuoi articoli, e che la detta entrata è diviſa in undici portioni iguali, che fanno tante prebende, de' quali due appartengono al decano, e le altre nove al ſagreſtano e canonici; non havendo altra entrata, che quello che e contenuto al preſente ſtato. In fede di che havemo ſegnato il preſente certificato, à Niſmes li cinque Ottobre mille ſeicento novanta trè.

De Queylar ſagreſtano.

Tuech ſindico.

Spirito Flechier per la gratia di Dio e della ſanta ſede apoſtolica Veſcovo di Niſmes, conſigliere del Rè nelli ſuoi conſegli, certifichiamo à tutti quelli che ſpetterà, che li ſignori de Queylar ſagreſtano, e Tuech ſindico ſono canonici deputati dal capitolo d'Alais all'effetto quì ſopra, hanno ſottoſcritta l'atteſtatione ſopra lo ſtato delle entrate del detto capitolo, alla ſottoſcrittione de' quali, fede e data in giudicio. Dato in Niſmes li cinque Ottobre mille ſeicento novanta trè.

Spirito, Veſcovo di Niſmes,

Per Monſignore, Begault.

Locus ſigilli.

Num. 7. *Status capituli Pſalmodienſis cum illius reditibus, numero dignitatum, præbendarum, & canonicatuum, ubi habetur menſam abbatialem eſſe diſtinctam, & ſeparatam a menſa capitulari.*

Capitolo tenuto li venticinque del meſe di Settembre mille ſeicento novanta trè, ove erano præſenti & aſſiſtenti li Signori.

Pietro di Boucaud, cantore.

Guglielmo Deidier, ſuccentore.

Pietro Fages.

Giacomo Monard.

Toſſano Fayon.

Henrico Monard.

Antonio Moreau.

Simone Pietro Deſandrieux.

Ludovico Giuſeppe de Conſeil.

Renato Gaſpare Deſandrieux.

Tutti dignità e canonici della chieſa collegiata della Madonna di Sablon, e San Pietro di Pſalmodi della città d'Aigues-mortes, capitolarmente aſſemblati, facendo e rappreſentando la magiore e più ſana parte, eſſendo gli altri abſenti.

Alli quali è ſtato propoſto dal Signore de Boucaud canonico cantore & præſidente, che la congregatione conſiſtoriale hà data una memoria circa l'erettione del Veſcovato d'Alais, alla tranſlatione e unione del noſtro capitolo con quello della città d'Alais, per formarne una cathedrale, ſi trova trà li articoli della detta memoria il ſequente.

Cioè qual ſia l'entrata delli canonici, e prebenda d'Aigues-mortes, quale ſia il numero delli detti canonici e prebende, quante dignità vi ſiano, e quanti ſacerdoti ſervienti la chieſa del detto Aigues-mortes: come anche ſe ciaſcuna dignità è compoſta di una prebenda, col ſuo anneſſo, ò vero ſe le prebende ſono ſeparate dalle ſudette dignità: ſe la menſa abbatiale valle ſeparamente dalla menſa capitolare dicidotto mila lire d'entrata annua, come appariſce che deveſi giudicare dalle depoſitioni de teſtimonii della procedura dell'eminentiſſimo ſignor cardinale de Bonſi circa il detto affare.

Sopra di che noi dignità, e canonici, certifichiamo unanimamente.

Primo, che l'entrate delli canonici d'Aigues-mortes conſiſtono in decime, e dominii, de' quali l'uno e l'altro diminuiſcono negli affitti à miſura che li grani ſi vendono più ò meno, e che le raccolte ſono più ò meno abbondanti, così l'entrata del capitolo è incerta; nondimeno il totale dell'entrata del detto capitolo puo ſe andare da 20. mila lire à 22. e le prebende, à cauſa delli gran peſi de' quali il capitolo è oppreſſo, poſſono valere per ciaſchedun canonico annata commune ſette à otto cento lire.

Secondo, che il capitolo è compoſto di quindeci canonicati, e prebende, de quali una è anneſſa all'abbatia, ò decanato, che è deſtinato per fare il fondo, e dotatione del Veſcovato d'Alais. Vi ſono ancora quattro dignità, ò perſonati, cioè la prepoſitura, prima dignità, che oltre il canonicato e prebenda, hà per anneſſo il priorato di S. Bonet; e l'arcidiaconato, ſeconda dignità, che oltre il canonicato e prebenda, hà per anneſſo il priorato di Satinelles; la Cantoria primo perſonato, che oltre il canonicato e prebenda hà per anneſſo il priorato di Valergues; e la Sottocantoria, ſecondo perſonato, che oltre il canonicato e prebenda hà per anneſſo il priorato di Saucines: le quali dignità e perſonati non poſſono eſſere poſſedute, che dalli canonici attuali del detto capitolo; e benche un canonico gode d'un canonicato e prebende con una delle dette dignità, ò perſonati, che li proviſti poſſono reſignare à tale canonico che vogliono, & in caſo di morte ſenza riſegna, le due dignità, cioè la prepoſitura e archidiaconato ſono dati dal detto capitolo; e li duoi perſonati, cioè la Cantoria e la Sottocantoria, dal Signor decano & abbate di Pſalmodi, che ſarà all'auvenire Monſignore Veſcovo d'Alais; tutte le dignità, perſonati, e canonici non facienti in tutto, che il numero di quindici: e oltre vi ſono nel detto capitolo dodici ſacerdoti amovibili, che nel choro agiuvano à cantare, che dicono le meſſe, fanno le altre funtioni ordinategli: di più duoi acoliti, & un chierico, che il capitolo riceve e licentia ſecondo che fanno bene il loro dovere, e che ſono buoni ſoggetti.

Terzo, che è vero, che la menſa abbatiale vale ſeparatamente dalla menſa del capitolo d'Aigues-mortes, al ſignor abbate ò decano di Pſalmodi dicidotto milla lire di rendita annua, ſenza che le dette dicidotto milla lire habbiano niente di commune con l'entrata del detto capitolo, ſendo le due menſe aſfatto ſeparate, e diſtinte.

Fatto, e recitato nella camera capitolare del capitolo d'Aigues-mortes, il dì vinticinque Settembre mille ſeicento novanta trè. De Boucaud, cantore. Deidier ſuccentore. Fages. G. Monard. Fayon. H. Monard. A. Moreau. S. P. Deſandrieux. De Conſeil. Deſandrieux ſecretario ſoſtituito.

Spirito Flechier, per la gratia di Dio e della ſanta ſede apoſtolica Veſcovo di Niſmes, conſigliere del Rè ne' ſuoi conſigli, certifichiamo à tutti quelli che ſpettarà, che l'atto qui ſopra è ſottoſcritto dalle dignità e canonici della chieſa collegiata della Madonna di Sablon, e S. Pietro di Pſalmodi della città d'Aigues-mortes, alla ſegnatura de' quali fede è data in giudicio, e fuori di giudicio. Dato à Niſmes ſotto il ſigillo delle noſtre armi, li cinque Octobre 1693.

Spirito, Veſcovo di Niſmes.

Per Monſignor, Begault.

Locus ſigilli.

Num. 8. *Tranſactio inita inter capitula Aleſienſe & Pſalmodienſe.*

Conciofia che doppo la converſione generale delli preteſi riformati di queſto regno, il Rè informato del troppo gran tratto della diœceſi di Niſmes dalla parte delle Sevenes, conſiderando, che eſſendo queſta parte della diœceſi altretanto lontana, quanto l'è dalla ſede epiſcopale, non poteva à baſtanza eſſere animata dallo ſpirito d'un paſtore troppo lontano, e temendo meſe di Settembre paſſato; Certifichiamo il preſente

che perciò non mancasse dell'instruttione, e consolatione necessaria à neofiti per non deviare nella via della salute, in cui hà piaciuto à Dio ricondurli, haverebbe dissegnato procurarli un Vescovo particolare per loro, dividendo la diœcesi di Nismes in due Vescovati, e procurando l'erettione d'un Vescovato nel distretto delle Sevenes, la di cui sede Vescovale sarebbe stabilita nella città d'Alez; e la dotatione fatta con l'abbadia S. Pietro di Psalmodi della diœcesi di Nismes, che sarebbe unita al novo Vescovato; e di procurare anco la translatione del capitolo collegiale di questa abbadia per, col capitolo collegiale d'Alez comporne un capitolo cathedrale nella detta città d'Alez: al cui effetto haverebbe la Maestà Sua ottenuto dalla santa Sede per commissario apostolico l'eminentissimo signor cardinale di Bonzi, il quale è proceduto all'inchiesta ordinaria sopra il commodo e incommodo, utilità e necessità di tal erettione. E sopra la relatione della sua processura, il nostro santo Padre papa hà approvate le cause di questa erettione, e risoluto di farvi procedere nelle forme ordinarie. Mà conciosiacosache prima della translatione progettata del detto capitolo collegiale di Psalmodi, è necessario che il capitolo habbia convenuto col capitolo d'Alez, del modo e delle conditioni, sotto le quali questa translatione, e l'unione di questi duoi capitoli, devono farsi. A tal effetto questo giorno di oggi cinque del mese d'Ottobre 1693. nella città di Nismes, e nella casa di noi detto notaro, sono stati personalmente li signori Pietro di Boucaud cantore, e canonico della detta chiesa d'Aigues-mortes, ò Psalmodi, & il signor Renato Gasparo Desandrieux canonico anco della medesima chiesa, deputati dal detto capitolo con deliberatione delli 25. Settembre ultimo, e fondati in consequenza di procura espressa à quest' effetto dal detto capitolo, del detto giorno, ritenuta da maestro Roland notaro di detto Aigues-mortes da una parte, e Giovanni del Queylar sagrestano e curato della chiesa d'Alez, & il signor Giovanni Tuech canonico della medesima chiesa, deputati dal detto capitolo d'Alez con deliberatione delli 16. del detto mese di Settembre, ricevuta la detta procura originalmente da maestro Bastide notaro di detto Alez, d'altra parte, consegnata la detta procura à noi detto notaro per esser posta in filza. Le quali parti procedendo in virtù della facoltà datali da detti capitoli, che vogliono contribuire da lontano, ciò da loro potrà dipendere all'essecutione del pio e salutare disegno di Sua Maestà, hanno convenuto e concordato ciò che segue, sotto il beneplacito del nostro santo Padre il papa. In primo luogo, che il servitio per avanti stato fatto dal detto capitolo di S. Pietro di Psalmodi nella città d'Aigues-mortes, si trasferirà nella chiesa collegiale d'Alez, per non farsi nell'auvenire che un solo e medesimo servitio dalli detti duoi capitoli, al quale effetto questi duoi capitoli rimarranno uniti per non fare che un solo e medesimo corpo lontano: e per tutto eccettuato unicamente, che le loro mense rimarranno distinte e separate, tanto per le grandi che per le minute distributioni, godendo ogni uno nell'auvenire sopra il medesimo piede, che godeva per il passato, per essere le dette mense rette separatamente cadauna del capitolo da cui dipende, sino che la mensa del capitolo d'Alez sia forte quanto quella del capitolo di Psalmodi, à proportione del numero de canonici chi vi sono à dividere tal mensa, e che ciascheduno de canonici d'Alez haverà tanta rendita quanto ne hà ciascheduno delli canonici d'Aigues-mortes. In secondo luogo, che per le hore, la forma, e la solennità degli officii, e del servitio Divino, e per l'ordine e la disciplina, tanto nel choro, quanto nell'assemblee capitolari, li detti duoi capitoli doppo la loro unione, si conformeranno all'uso della chiesa cathedrale di questa città di Nismes, fuorche in ciò vi sarà derogato con la presente concordia. In terzo luogo non potendo li duoi Capi di questi duoi capitoli sossistere ambedue assieme in qualità di Capi, il decanato d'Alez, che è la prima dignità del detto capitolo, sarà estinto e suppresso, secondo il consenso per avanti dato dal signore della Fara Titolare del detto decanato, e le rendite ne saranno applicate all'augumento della mensa del detto capitolo d'Alez, ad effetto di arrivare più tosto all'unione delle due mense, ò vero saranno applicate alla dotatione d'un primo archidiaconato da eriggersi nella detta chiesa, ad elettione del nostro santo Padre il papa, il quale archidiaconato si chiamerà il grand' archidiaconato d'Alez; & in questo modo la prepositura del detto capitolo d'Aigues-mortes sarà, e restarà nell'auvenire, e doppo detta unione fatta, la prima dignità delli duo capitoli uniti, doppo la Vescovale, & il capo del capitolo, nell'assenza del signor Vescovo, che ne sarà il vero capo: & in caso che il consenso del detto signore della Fara per la suppressione del detto decanato, non sortisse il suo effetto, e che egli volesse godere del suo decanato, si è convenuto tra li detti deputati à nome de' loro detti capitoli, che il detto signore della Fara per interim, e sino che il detto decanato sia suppresso, ò per la di lui morte, ò per la sua dimissione, restarà nel medesimo luogo del coro, che hà havuto sin' al presente, cioè la più vicina all'altare della parte dell'epistola. Et in quanto alle processioni, & altre occasioni nelle quali si trattarà di precedenza, egli potrà haverne gli honori, doppo però che haverà preso l'ordine sacerdotale, alternativamente col detto signore preposto, per anno, ò per mese, alla loro elettione, & il detto signore preposto, che sarà nell'auvenire il preposto della chiesa cathedrale d'Alez, haverà il suo luogo nella prima sede del choro, che è contigua alla porta principale del choro della parte dell'epistola, come si prattica nella chiesa cathedrale di questa città di Nismes. In quarto luogo doppo il signore preposto, e decano, ò fatta la suppressione del decanato, doppo il detto signore preposto, immediatamente verrà il grado del primo archidiacono, se viene eretto, doppo di lui l'archidiacono d'Aigues-mortes, susseguentemente il cantore d'Aigues-mortes, e doppo lui il sagrestano d'Alez, & in ultimo luogo il sotto-cantore d'Aigues-mortes. E doppo le dignità, officii, e personati, cadauno de' canonici d'Aigues-mortes e d'Alez, il suo grado dalla data della sua installatione, ò ricevimento in fratrem nel capitolo in cui si trova, sia d'Aigues-mortes, sia d'Alez, indifferentemente, e senza distintione. In quinto luogo, che ciascuno delli detti duo capitoli rimarrà in possesso di disporre à solo delle vicarie, e altri beneficii, ò officii dipendenti dalla sua mensa, ad esclusione dell'altro capitolo. In sesto luogo, che in tutti gli affari che concerneranno la mensa di uno delli duoi capitoli, sopra li quali vi sarà da deliberare nel l'assemblee capitolari, le dignità, e canonici dell'altro capitolo non haveranno voce alcuna deliberativa. In settimo luogo, si come cadauno delli detti duoi capitoli goderà li beni, dritti, e privilegii annessi alla sua mensa, ad esclusione dell'altro capitolo, doppo la detta unione, come inanzi nello stesso modo supportarà ciascheduno delli detti capitoli in particolare tutti li pesi concernenti la sua mensa in particolare, senza che sia obligato l'altro capitolo di contribuirvi. E rispetto alli pesi, che concerneranno tutto il capitolo cathedrale in commune, come gli ornamenti della chiesa cathedrale, il luminario, e generalmente tutti pesi che concerneranno la chiesa cathedrale, e il corpo del capitolo, si sopporteranno dalli duoi capitoli, cadauno à proportione dell'entrata della sua mensa, eccetto la retributione e salario delli Preti amovibili, e altri officiali serventi ordinariamente nella detta cathedrale d'Aigues-mortes, che si transferiranno in quella d'Alez, per ivi deservire come facevano in quella d'Aigues-mortes, senza accrescerne il numero, le quali si pagaranno dal detto

capitolo di Pfalmodi folamente. In ottavo, che niun canonico, ò dignità, potrà havere luogo, che nella fede inferiore, fino che fia negli ordini facri. In ultimo luogo, rifpetto à tutte l'altre differenze, che non fi trovaranno regolate con quefta concordia, e che poteffero accadere tra li detti duo capitoli, fi decideranno e termineranno amichevolmente da trè perfone, che eleggeranno del capitolo di Nifmes. Et per l'offervanza di quanto di fopra, li detti deputati hanno obligati, fottopofti & hipotecati à forma delle loro dette procure, tutti e fingoli loro beni, rendite e entrate delli detti capitoli d'Aigues-mortes e d'Alez, cadauno come li concerne, alli rigori di tutte le corti fpirituali e temporali, nelle quali farà il prefente inftrumento efibito. E così l'hanno promeffo ne' nomi che procedono. Fatto, e concordato in detto Nifmes, nella cafa di noi detto notaro, in prefenza del fignore Pietro di Cauffe fecondo archidiacono nella chiefa cathedrale di quefta città, e del fignore Pietro Maigue canonico nella detta chiefa; fottofcritti con le dette parti e noi Pietro Ferrand notaro regio di detto Nifmes fotto fegnato.

Boucaud canonico cantore, e deputato.

R. G. Defandrieux canonico, deputato.

De Queylar fagreftano deputato d'Alez. Tuech canonico deputato d'Alez.

Cauffe.

Maigne. Ferrand notaro fegnati nell'originale.

Collationato fopra l'originale in papelo il detto giorno cinque Ottobre 1693. Ferrand.

Procuratio capituli Aquarum-mortuarum.

L'anno 1693. & il vigefimo quinto giorno del mefe di Settembre doppo mezzo dì, in Aigues-mortes avanti à me notaro regio, e teftimonii fotto nominati, fono ftati prefenti li fignori Pietro di Boucaud cantore, Guglielmo Deydier fotto cantore, Pietro Fages, Giacomo Monard, Tuffano Fayon, Enrico Monard, Antonio Moreau, Simone Pietro Defandrieux, tutti dignità e canonici della chiefa collegiata noftra fignora del Sablon fan Pietro di Pfalmodi di detto Aigues-mortes, capitolarmente congregati, che fanno, e rapprefentano la maggior e più fana parte delli detti fignori dignità, e canonici, effendo gl'altri abfenti: li quali fpontaneamente hanno, fecondo & in conformità della deliberatione capitolare prefa quefto giorno d'hoggi dal detto capitolo, conftituiti e nominati per loro procuratori li detti fignori Pietro di Boucaud cantore, e Renato Gafparo Defandrieux canonici del loro detto capitolo, per & à nome del detto loro capitolo, terminare e regolare tutti gl'articoli che concernano il negotio della tranflatione, & unione del loro detto capitolo con quello d'Alez, circonftanze e dipendenze, con li deputati ò procuratori del detto capitolo d'Alez, avanti alli noftri fignori commiffarii perciò deputati; & à tal effetto transferirfi in tal luogo, & à tal giorno che farà convenuto farlo, dando piena facoltà alli loro detti procuratori. Fatto e conclufo nella camera capitolare del detto capitolo, prefenti Pietro Boulet, Giovanni Pean fcrittori habitanti di detto Aigues-mortes, fottofcritti con li detti fignori dignità, e canonici conftituenti, e di me Pietro Rolland notaro regio rifervato hereditaro di detto Aigues-mortes, di ciò richiefto e fottofcritto, fottofcritti dell'originale regiftrato nel primo volume folio 9. numero 13. da me à quefto commeffo in Aigues-mortes alli vinticinque Settembre 1693. e mi hà pagato per il dritto del detto regiftro, cinque foldi Tornefi. Così fegnato nell'originale, collationato e confignato il fudetto giorno al detto fignor di Boucaud. Roland.

Procuratio capituli Alefienfis.

L'anno 1693. & il giorno 23. del mefe di Settembre avanti mezzo dì, avanti à me notaro regio, e teftimonii fottonominati, fono ftati prefenti li fignori Pietro di Firmas di Perier, Dionigi Forlive, Giagomo Bernard, Giovanni Fornier, Giufeppe Fioravanti, preti e canonici nel capitolo fan Giovanni Battifta della città d'Alez, Carlo Arquier, & Oliviero la Font, anco canonici, li quali facendo tanto per loro, quanto per il fignore della Fare Tournac decano, che fi trova in Parigi per fuoi affari particolari, & in confequenza della deliberatione capitolare del detto capitolo, prefa alli fedici di quefto mefe, hanno fatti e conftituiti i loro procuratori, e per il detto capitolo, li fignori Giovanni di Queylar fagreftano, e Giovanni Tuech anco prete e canonico del detto capitolo, qui prefenti, e la detta procura accettanti, anche per l'intereffe loro particolare delli fudetti, e del detto capitolo concludere con li fignori del capitolo d'Aigues-mortes, la concordia, e tranfattione, che deve intravenire tra di loro fopra di ciò che concerne la tranflatione, & unione del detto capitolo d'Aigues-mortes con quello del detto Alez, & à tale effetto regolare col detto capitolo d'Aigues-mortes, ò vero con loro procuratori, ò deputati che haveranno facoltà e procura di farlo, tutti gli articoli, che riguarderanno il governo fpirituale del detto capitolo della cathedrale d'Alez doppo la loro unione; come anco di convenire di tutti gl'Articoli, che farà duoppo regolare trà di loro, per ciò che concerne li dritti della loro menfa, e loro gradi e precedenza, e generalmente per tutto ciò che potrà prefentarfi da difcutere in materia dell'erettione del detto Vefcovato d'Alez, tranflatione & unione del detto capitolo d'Aigues-mortes col detto capitolo d'Alez; E per quefto effetto ftipulare tutti gl'iftrumenti richiefti e neceffarii; promettendo d'aggradire tutto ciò che dalli detti fignori de Queylar e Tuech farà fatto, e rilevarfi dal pefo di procura fotto tutti gl'oblighi, e renunciationi richiefte, e neceffarie. Fatto, e recitato in detto Alez, e nella fagreftia della detta chiefa, prefenti li fignori Carlo Baftida, e Giacomo Bounand di detto Alez fottofcritti con le parti, e me Pietro Baftida notaro regio di detto Alez infrafcritto, che hò rogato e fpedito originalmente quefta procura alla requifitione dell parti, per efferli confegnata. De Queylar fagreftano. Tuech findico. De Perier canonico. Fornier canonico. Fioravanti canonico. Baftida. Bounand. Baftida notaro fegnati nell'originale. Regiftrato nel primo volume folio 56. numero 8. della prima pagina. In Alez quefto dì venti otto Settembre 1693. Ricevuto cinque foldi, Audoyer fegnato.

Io hò l'eftratto in forma della prima procura, e l'originale della feconda, delle quali mi fono incaricato con l'atto il di cui eftratto è qui fopra tranfcritto. Ferrand.

Spirito Flechier per gratia di Dio, e della fanta fede apoftolica Vefcovo di Nifmes, configliere del Rè ne' fuoi configli. Certifichiamo à tutti che fpetta, che maeftro Ferrand, che hà rogato il concordato, e fegnato l'eftratto quì fopra, è notaro regio della prefente città de Nifmes, alla di cui fegnatura fi prefta fede in giudicio, e fuori di giudicio. Dato à Nifmes fotto il figillo delle noftre armi alli fette Ottobre 1693.

Spirito, Vefcovo di Nifmes.

Per Monfignore, Begault.

Loco figilli.

Refponfio

Num. 9. *Responsio eminentissimi, & reverendissimi D. cardinalis Bonzi delegati super destinatione, & declaratione capituli Psalmodiensis relinquendi ecclesiæ Aquarum-mortuarum curatum, & sacerdotes necessarios curæ animarum ibi incumbentes cum assignatione reddituum.*

In nome del Padre, e del Figlio, e dello Spirito sancto. Pietro de Bonzi, per gratia di Dio e della santa sede apostolica cardinale prete della santa chiesa Romana, del titolo di sant' Eusebio, arcivescovo di Narbona, presidente nato delli stati generali della provincia di Linguadoca, commendatore dell'ordini del Re. A tutti quelli che queste presenti vederanno, salute.

Per sodisfare alli articoli sopra li quali la congregatione consistoriale dimanda d'esser informata, in occasione dell'erettione del Vescovato Alesiens. del tenore sequente.

Primo, che nella chiesa Alesiens. l'organo e li ornamenti pontificali mancano per officiare pontificalmente, che non vi è l'entrata per il seminario, e che le prebende theologale, e pœnitentiaria, ne meno il monte di pietà, vi sono.

Secondo, che non vi è casa per il Vescovo, e benche si esponga che li diocesani sono obligati di fabricarla, non costa ne del loro consenso, ne della loro obligatione à quest'effetto.

Terzo, che il processo non dice li limiti precisi della nuova diocesi, ne sin dove si stende.

Quarto, quanto à quello, che concerne l'unione delli duoi capitoli Alesiens. e Psalmod. mentre l'uno e l'altro hà la sua prima dignità, & il futuro capitolo catedrale non dovendo haverne ch'una, bisogna sapere la quale delle due sussisterà, e qual nome si darà à quella che cederà: è parimente necessario d'assegnare li luoghi all'altre dignità, come anche à ciascheduno canonico delli duoi capitoli, & in questo caso sarebbe necessario di sapere l'entrate di essi, e se hanno le prebende distinte, ò vero se l'entrate dell'uno, ò dell'altro capitolo si dividono trà li canonici, come distributioni quotidiane.

Quinto, e perche si transferisce il capitolo di Psalmodi con il decreto *debitis supportatis oneribus*, bisogna sapere *qualia sint onera*, se si devono lasciare nella chiesa di Psalmodi, ò vero se si possono transferire nella futura cathedrale Alesiens.

Sesto, poiche nella collegiata di Psalmodi *cura animarum exercetur*, si dovrà assegnare al curato che resta per quest' effetto, un'entrata sufficiente per il suo mantenimento: quanto à quello delle fabriche della chiesa, e della casa abbatiale, il nuovo futuro Vescovo, succedendo al jus dell'abbate, dovrà incaricarsene.

Settimo, che dalle depositioni de testimonii, non si puole cavare chiaramente se l'entrata de 18000. lire, che dicono che l'abbatia rende, debba estendersi per la mensa abbatiale solamente, e se comprenda ancora la capitolare, quello bisogna giustificare con atti autentici.

Ottavo, quanto alli consensi, si è considerato in congregatione, che trattandosi dell'interesse di ciascheduno de i capitoli di Psalmodi, era necessario, che fossero convocati, non solo al semplice sono di campana, ma per speciale intimatione, acciò che ogni uno sapesse di che si doveva trattare nel capitolo, tanto più che essendo composto di trè dignità, duoi personati, e quindici canonicati, oltre quindici preti, vi sono stati solamente dieci presenti nel capitolo, senza parlare delli assenti, perche hanno messo nel consenso la clausula, *sine præjudicio mensæ capitularis*, e che cosa intendino per essa.

Sopra il primo de' sudetti articoli, il futuro Vescovo non mancarà di sodisfare à quello che vi è contenuto.

Sopra il secondo articolo, il decano Alesiens. essendo soppresso, il futuro Vescovo haverà la sua habitatione: d'altra parte ci è stata rimessa una fede del sindico generale della provincia di Linguadoca, dalla quale apparisce, che le diœcesi della detta provincia sono solite di fabricare li palazzi episcopali, che il futuro Vescovo Alesiens. sarà in jus di dimandare questo soccorso alla sua diœcesi, e che li stati della provincia hanno sempre consentito à simili impositioni, la detta fede legalizata dal signore intendente della detta provincia, questo certifichiamo esser vero, il futuro Vescovo non mancarà di contribuire à quest' articolo.

Sopra il terzo articolo, ci è stata rimessa una pianta di tutto il territorio, che è destinato per il Vescovato Alesiens. diviso in sette arcipretati, con un stato di tutte le parochie contenute nelli detti arcipretati, la detta pianta confrontata da ogni parte, & il tutto legalizato da monsignore Vescovo Nemausens.

Sopra il quarto articolo, sono comparsi avanti di noi li signori Pietro di Boucaud sottodiacono della diœcesi Nemausen. canonico e cantore della detta chiesa d'Aigues-mortes, ò vero Psalmodi, & il signore Renato Gasparo Desandrieux sottodiacono della diœcesi Nemausen. canonico della detta chiesa, ambi deputati dal detto capitolo d'Aigues-mortes, fondati di procura del loro sudetto capitolo, in consequenza della deliberatione delli 25. Settembre ultimo, per terminare e regolare tutto quello che concernerà la loro translatione in Alesiens. e la loro unione con il capitolo della città Alesiens. circa la loro mensa, & il loro ordine, e precedenza, e generalmente tutte le circonstanze e dipendenze della detta translatione, & unione. E li signori Giovanni de Queylar sacerdote della diœcesi Uticens. sagrestano, e curato della chiesa Alesiens. e Giovanni Tuech sacerdote della diœcesi Nemausen. canonico della detta chiesa, fondato parimente di procura in data delli 23. del sudetto di Settembre ultimo passato in consequenza della deliberatione capitolare delli sei del detto mese, per regolare, e terminare con li sudetti deputati del capitolo d'Aigues-mortes tutto quello che concerne la translatione del detto capitolo d'Aigues-mortes, e sua unione con il loro per formare tutti assieme la cathedrale del futuro Vescovato Alesiens. Li quali signori deputati dalli sudetti duoi capitoli, bene e debitamente autorizati, ci hanno dichiarato haver passato, al nome del loro sudetto capitolo un concordato, in data del giorno d'hieri, dal quale è accordato trà loro, primo che li loro sudetti capitoli saranno uniti per il choro & officio, e per tutto quello che concerne la disciplina della cathedrale di presente, e doppo la bolla d'erettione.

In secondo luogo, che le loro mense saranno nulladimeno separate, quanto al presente, atteso che quella Alesiens. è molto ineguale in entrate à quella d'Aigues-mortes.

In terzo luogo, che le loro sudette mense saranno unite, confuse dal momento che le prebende del capitolo Alesiens. saranno d'un valore uguale à quelle del sudetto capitolo d'Aigues-mortes, ciascheduno di loro riservandosi per li loro sudetti capitoli la dispositione delle vicarie, & altri beneficii dependenti dalle loro sudette mense.

In quarto luogo, quanto all' ordine, e precedenza delli sudetti capitoli, è stato concordato trà loro, che la dignità del decano del capitolo Alesiensi sarebbe suppressa, il signore della Fare titolare del detto decanato havendo dato il suo consenso alla sudetta suppressione, acciò la detta dignità di decano sia riunita alla mensa episcopale, e l'entrate impiegate come sarà giudicato più à proposito, ò ad augumentare la detta mensa capitolare Alesiens. ò à formare un arcidiaconato che sarà nominato l'arcidiaconato maggiore Alesiens. à che li detti deputati hanno consentito à nome del loro sudetto capitolo, & in consequenza è

ſtato accordato, che la prima dignità della futura catedrale ſarà *poſt pontificalem*, il prepoſto d'Aigues-mortes, che ſarà nominato all' auvenire il prepoſto della chieſa cathedrale Aleſienſ. e che haverà il ſuo luogo come nella cathedrale Nemauſenſ. nel fondo del choro verſo la nave dalla parte dell'epiſtola, e che l'altre dignità haveranno il loro luogo nell'ordine che ſiegue, cioè l'arcidiacono maggiore Aleſienſ. il ſecondo luogo, l'arcidiacono d'Aigues-mortes il terzo, il cantore il quarto, il ſagreſtano Aleſienſ. il quinto, il ſottocantore d'Aigues-mortes il ſeſto: e quanto alli ſimplici canonici delli duoi capitoli, haveranno il loro ordine trà eſſi, ſecondo la data della loro recettione.

In quinto luogo, che in caſo, che il conſenſo del detto ſignore della Fare per la ſuppreſſione del detto decanato Aleſienſ. non haveſſe il ſuo effetto, e che voleſſe godere il ſuo ſudetto decanato, è ſtato concordato trà di loro, al nome delli loro detti capitoli, che il detto ſignore della Fare *pro interim*, ò ſino à tanto che il detto decanato ſia ſuppreſſo, ò per ſua morte, ò per ſua dimiſſione, reſtarà nel medeſimo luogo del choro, che hà havuto ſin al preſente, cioè il più vicino dell'altare dalla parte dell' epiſtola. E quanto alle proceſſioni, & altre occaſioni dove ſi tratta di precedenza, che potrà doppo haver preſo l'ordine di preſbyterato havere li honori delle dette precedenze con il detto ſignore prepoſto, per anno, ò per meſe, alla loro elettione.

In ſeſto luogo è ſtato concordato trà loro, che niſſuno canonico, ò dignità, potrà haver luogo nel choro, che alle ſedie inferiori, ſino che ſino nell' ordini ſacri.

E quanto ſpetta all'entrate delli detti duoi capitoli, li detti ſignori deputati ci hanno dichiarato, cioè quelli d'Aigues-mortes, che le loro entrate conſiſtono in decime e dominii, che poſſono aſcendere per la loro menſa, ſeparatamente dalla menſa abbatiale, à venti due mila lire di rendita annua, ſopra di che hanno li peſi ordinarii del loro ſudetto capitolo, e che le dette rendite dedotti li peſi ſi dividono in quindeci prebende uguali, valendo ciaſcheduna all' ingroſſo e diſtributioni otto cento lire in circa: E quanto alle dignità, compreſovi la prebenda, e l'anneſſo di ciaſcheduna, vagliono, cioè la prepoſitura mille ducento lire, la cantoria mila cento lire, e la ſottocantoria nove cento lire; e li ſudetti deputati Aleſienſ. hanno dichiarato da parte loro, che l'entrata della loro menſa conſiſteva in due mila quatrocento lire dedotto ogni peſo, provenienti dalli beneficii di ſan Giovanni Aleſ. di ſan Marcello di Fontfouillouſe, di ſan Martino di Rouſſon, di ſan Paolo le Froid; la loro detta menſa dovendo eſſere augumentata doppo la morte delli titolarii delli priorati di Monbazin e Carmen, havendo in oltre di diſtributioni d'obiti, e fondationi, cento ſeſſanta lire: tutta la detta entrata eſſendo diviſa in undeci prebende uguali, due delle quali ſono affette al decanato, oltre il ſuo anneſſo di Malboſe, quale vale quattrocento lire di rendita annua, l'altre prebende ſpettano l'una al ſagreſtano, e le otto altre ad otto canonici ſimplici.

Li ſudetti deputati ci hanno di più dichiarato, che ciaſcheduno d'eſſi goderebbe nel medeſimo modo, che godevano avanti l'unione. Le loro menſe reſtando ſeparate quanto al preſente come è ſtato detto di ſopra.

Quanto al numero delle dignità, e canonici che compongono li duoi ſopra detti capitoli, li detti deputati ci hanno detto, cioè quelli d'Aigues-mortes, che il loro capitolo è compoſto di quindeci prebende, una della quale è affettata all' abbatia, ò vero decanato di Pſalmodi, e che per conſequenza ſarà affettata alla menſa epiſcopale, e le quattordici altre che reſtano, ſono poſſedute, cioè quattro, dalle quattro dignità, e le dieci altre, da altri tanti canonici ſimplici, che di più havevano dodici ſacerdoti amovibili per ſervire nella loro chieſa, non havendo voce nel loro capitolo, & ancora duoi acoliti, & un chierico: e li detti deputati Aleſienſ. che il loro capitolo è compoſto di undeci prebende, due delle quali ſono affettate al decanato, una alla ſagreſtia, e l'altre poſſedute da otto canonici, non guadagnando che à proportione della loro reſidenza, e ſecondo la pontatura, d'onde ne ſegue che la futura cathedrale Aleſienſ. deve eſſer compoſta di ſei dignità, ò perſonati; di diecíotto canonici ſimplici, duodeci ſacerdoti amovibili, duoi acoliti, & un chierico. E di più li ſudetti deputati Aleſienſ. ci hanno detto, che l'augmento della loro menſa, facendoſi dalla diminutione del numero delle prebende, non poteva eſſere che per morte delli titolari.

Sopra il quinto articolo, li ſudetti deputati del capitolo d'Aigues-mortes, ci hanno dichiarato havere delle fondationi, delle quali ci hanno dato un ſtato certificato da eſſi deputati, e legalizato da monſignor Veſcovo Nemauſenſ. e che erano pronti di laſciare al curato, ò altri ſacerdoti, quali reſtaranno in Aigues-mortes, di che ſodisfare à quelle che ſaranno giudicate non poter eſſere transferite in Aleſienſ.

Sopra il ſeſto articolo li ſudetti deputati ci hanno dichiarato, che laſciaranno in Aigues-mortes il curato, con li ſacerdoti che ſaranno neceſſarii per ſervitio delle fontioni curiali, offerendo di abbandonare tutti li frutti decimali, che hanno nella parochia del detto Aigues-mortes, ſe foſſe giudicato più à propoſito. E queſto haveranno l'honore di concertare con monſignore Veſcovo Nemauſ. il quale s'è contentato di queſta dichiaratione.

E circa le reparationi, li ſudetti deputati del capitolo d'Aigues-mortes ci hanno dichiarato, che reſtanno incaricati doppo la loro tranſlatione, di quelle delle quali erano incaricati avanti la loro tranſlatione, e che il futuro Veſcovo reſtarebbe ancora incaricato delle medeſime reparationi, delle quali era incaricato l'abbate di Pſalmodi avanti l'unione della menſa abbatiale al futuro Veſcovato Aleſienſ. e che quanto alle reparationi della chieſa d'Aigues-mortes, continuaranno di farle con li parochiani, ogn' uno quello che li conviene, e come ſi è pratticato avanti la loro tranſlatione.

Sopra il ſettimo articolo li detti deputati d'Aigues-mortes, ci hanno dichiarato, che l'entrata della menſa abbatiale aſcendeva ſeparatamente dalla menſa capitolare, alla ſomma di dieciotto mil alire, compreſi li peſi, che aſcendono à cinque mila lire, e così la menſa abbatiale aſcende à dieciotto mille lire, compreſivi li peſi, e la menſa capitolare à ventidue mille lire, compreſivi ancora li peſi, il tutto ſeparatamente uno dall' altro.

Sopra l'ottavo articolo, li detti deputati Aleſienſ. e d'Aigues-mortes ci hanno dichiarato, che havevano quì avanti dato il loro conſenſo per l'erettione del detto Veſcovato, con una intiera notitia di queſto importante negotio, e che l'havevanno fatto con tutta la loro libertà, eſſendo à loro cognito & havendoci fatta rifleſſione da longo tempo, che non è per omiſſione, che hanno mancato à qualche formalità, la loro aſſemblea eſſendo ſtata convocata con intimatione per il conſenſo, che quì avanti è ſtato mandato à Roma, e per il detto negotio, e che hanno confirmato il detto loro conſenſo con uno atto di ratificatione, che ci hanno produtto. In fede di tutto quello che di ſopra, li ſudetti deputati hanno ſegnato con noi il preſente atto, come ancora monſignore Veſcovo Nemauſenſ. per quello che lo concerne, e l'habbiamo fatto controſegnare dal noſtro ſegretario, & appoſto il ſigillo delle noſtre armi: in Niſmes a dì 6. di Ottobre 1693.

Pietro, cardinale arciveſcovo di Narbona.

Spirito, Veſcovo di Niſmes.

De Boucaud, canonico e cantore d'Aigues-mortes, e deputato del capitolo d'Aigues-mortes.

R. G. Deſandrieux, canonico deputato d'Aigues-mortes.

De Queylard ſagreſtano, deputato Aleſienſ.

Tuech canonico deputato Alesiens.
Per sua eminenza monsignore.

Borzon segretario.

Locus sigilli.

III.

Sequuntur quæ gesta sunt in curia Romana pro erectione episcopatus Alesiensis.

PRIMA SUPPLICATIO.

Eminentissime & reverendissime domine. Valde serenissimus Ludovicus Galliarum rex studens grassatam pravitatem hæreticalem a diœcesi Nemausensi & præcipue a vallibus Gebennicis vulgo *les Sevennes* intra dictam diœcesim existentibus evellere, divina favente miseratione, non sine impensa magni laboris majestatis suæ absolute extirpata remansit, cujus studio, vigilantia, opera, & auctoritate, magna quantitas subditorum resipiscuit, & ad obedientiam sanctæ sedis revocavit.

Cupiensque tamen, ut prædicti ejus subditi in evangelica fide confoveantur, & commodius gubernentur, atque instruantur; agnoscensque, quod conversi ad orthodoxam fidem in prædictis vallibus Gebennicis numerum quinquaginta millium excedentes sola præsistentia reverendissimi episcopi Nemaus. ob distantiam dictarum vallium a civitate, ubi prædictus episcopus residet, in dicta fide confoveri minime possunt, ac solatia pastoralia recipere non valent, supplicavit idcirco sanctissimo Domino nostro pro separatione dictarum vallium a diœcesi Nemaus. oppidumque Alesii tamquam illarum caput in civitatem, & ejus collegiatam ecclesiam sancti Johannis Baptistæ in cathedralem, ibique sedem episcopalem collocari, & erigi prævia applicatione redditcuum abbatiæ *de Psalmodi* dicto episcopatui erigendo, ac unione capituli dictæ abbatiæ capitulo ejusdem collegiatæ Alesiens. in cathedralem erigendæ. Placuit eidem sanctissimo Domino nostro hujusmodi petitionem ad eminentissimos patres remittere, ut maturius congruitas illius examinaretur.

Exhibitis propterea uti de more desuper articulis de quibus in processu apud D. hujus sacræ congregat. secretarium, placuit sanctissimo Domino nostro super illis committere eminentissimo & reverendiss. cardinali Bonzio, qui receptis decem testibus, illisque rigorose examinatis, processum remissorialem ad eminentias vestras remisit, de quo originaliter apud dictum dominum hujus sacræ congregationis secretarium contingit modo iterum instare pro eadem separatione, & novi episcopatus erectione, ac applicatione, & unione respective, ut benigne urgente necessitate annuendum tam piissimo principi speramus.

Habemus siquidem ex eodem processu necessitatem plusquam urgere: probatur enim ex decem testibus, & præcipue per reverendissimum episcopum Uticens. & cæteros alios omni exceptione majores, atque fide dignissimos, quod dictæ valles Gebennicæ licet existant intra diœcesim Nemaus. ob tamen magnam quantitatem populi ad fidem catholicam reversi, particulari, atque assidua vigilantia indigent, ut populus prædictus in dicta fide consolidetur. *num. 2. & 3.* quodque ob distantiam octo leucarum dictarum vallium a residentia episcopi, ac propter montuositatem illarum, ac asperum, & laboriosum, imo difficile iter episcopus ibi munus visitationis explere non valet. *num. 2. & 3.*

Quemadmodum probatur prædictum episcopum difficillime animadvertere posse incuriam ecclesiasticorum in dictis vallibus degentium, quia propter magnam multitudinem conversorum, scilicet quadraginta millium in civitate, & alibi per planitiem Nemausens. episcopus tam occupatissimus ad curam illarum animarum reperitur, quod multo minus incumbere valet curæ conversorum dictarum vallium ad quinquaginta circiter millia ascendentium, qui propterea solatia pastoralia non recipiunt, & ideo neque in religione catholica confoventur, imo sub periculo reincidendi in hæresim existunt, & hac de causa pastore ibi residente indigere, quem per dictos conversos, ac totum populum maxime desiderari, & ibi in aliquo oppido opportuno episcopatum erigi, atque divisa diœcesi Nemaus. in eodem oppido episcopum ponere, qui opportune novam ecclesiam Dei regat, & quotidie, ac quoties opus fuerit solatia pastoralia distribuat, atque etiam occurrat incredibili pauperum turbæ per dictas valles divagantium, maxima cum morum corruptela scelestissimaque irreligiositate, quibus non nisi assidua visitatione episcopi provideri potest, & quod populus prædictus manibus elevatis id ab Altissimo implorat. *n. 2. & 3.*

Præterea sumus in probatis, quod oppidum Alesii est caput, & oppidum primarium dictarum vallium, tamquam amplum, muro circumdatum, & continens domos, seu familias 1796. & inter eas plures nobiles, cujus incolæ tres ex quatuor partibus noviter hæresim abjurarunt, & tamquam continens arcem regiam cum præsidio & præfecto, est valde aptum, commodum, opportunum, & capax ad ibi erigendum novum episcopatum, ac pro sede episcopali, quod in eodem oppido adest ecclesia parochialis & collegiata satis magna, ubi tria sacella ad dexteram, & tria ad sinistram existunt cum campanile tribus campanis instructo, & cœmeterio ibi adjacenti, ac cum fonte baptismali, atque etiam complectitur decanum, & sacristam cum duodecim canonicatibus, quorum duo per dictos decanum, & sacristam possidentur, & per eumdem sacristam cura quoque animarum exercetur. *num. 2. & 3.*

Quodque in dicta ecclesia adest locus aptissimus ad disponendum organum, & adest etiam chorus cum quadraginta octo sedilibus, & est ecclesia satis capax pro cathedrali sive ecclesia episcopali. In eodem oppido tres existunt conventus, Prædicatorum nempè, Minorum, & Capucinorum, duo monasteria monialium, Cistercienstum, & sanctæ Ursulæ, ac duæ confraternitates, Pœnitentium alborum, & sanctissimi Sacramenti, una cum hospitali. *num. 2. & 3.*

Ac etiam quod territorium Alesiense per longitudinem quinquaginta circiter milliaria Italica, & per latitudinem triginta milliaria extenditur, continet octo oppida sive civitates, oppida inferiora triginta sex, oppidula quadraginta quinque, & sic octoginta novem parochias, maxima pars incolarum est neophita numero quadraginta quinque millium, qui de recenti resipiscuerunt, & remanent in fide debiles, sunt contentiosi, ac omni doctrinæ vento agitati, natura truces, genioque fervidi, sed ingeniosi, & industres. *num. 2. & 3.*

Prout ulterius, quod licet in dicto oppido nulla adsit domus in fundo ecclesiæ pro domo episcopali, adest tamen domus laïcalis non longe distans ab ecclesia, in qua conducta interim honeste habitare potest, sicuti in fundo decanatus locus adest commodus ad ædificandam domum episcopalem, & seminarium, & in Occitaniæ provincia consuetudinem vigere per diœcesanos domum episcopalem ædificari, sicuti de domo parochiali, ibique domum construi posse pro seminario capacem pro quinquaginta seu sexaginta seminaristis, seu clericis, & exinde cultum divinum augeri propter residentiam eorumdem clericorum officiis in choro. *num. 2. & 3.*

Demum quod prope dictum oppidum adest abbatia secularis collegiata *de Psalmodi* ejusdem diœcesis Nemausens. in qua tres sunt dignitates, decanatus nempe, præpositura, & archidiaconatus, duo personatus, & quindecim canonicatus, ac duodecim presbyteri Deo servientes, cujus abbatiæ nominatio pertinet ad Regem christianissimum, provisio vero ad sedem apostolicam, & illius redditus ascendunt ad libras decem & octo millium circiter, capitulum, & ca-

nonici dictæ abbatiæ resident in oppido Aquarum-mortuarum, & tempore æstivo ob intemperiem aëris vagant, & debitam residentiam non implent, ac divina officia prætermittunt; quod applicando, sive uniendo abbatiam prædictam episcopatui erigendo, & capitulum illius cum capitulo Alesiensi commutando, sive incorporando erit bonum opus, quia officia divina, & debitam residentiam canonici complebunt, ex redditibus dictæ abbatiæ episcopus plusquam congrue sustentari poterit, & cura tamen animarum tam in ecclesia Psalmodiensi, quam in ecclesia Alesiensi remanebit per proprios parochos, in quibus ut prius adhuc fontes baptismales remanebunt, & quod unioni, sive applicationi dictæ abbatiæ episcopatui erigendo, ac dismembrationi dictæ dioecesis, & erectioni dicti novi episcopatus, atque separationi dictarum vallium respective tam abbas, capitulum, canonici dictæ abbatiæ, & Rex christianissimus, quam episcopi, & metropolitanus, & præsertim episcopus Nemausens. ejusdem ecclesiæ Nemausens. capitulum, & quilibet ipsorum consensit, quia quilibet etiam illorum cognoscit ibi munera episcopalia exercere non posse, & e converso desiderant propagationem religionis catholicæ, & ipsius consolidationem, ut fusius *num. 2. & 3.*

Probata itaque prædictæ necessitatis urgentia undique congrua, instantia pro dicta separatione vallium à dioecesi Nemausensi ac pro erectione ibi separati episcopatus redditur, & hoc unum sufficeret, quod episcopus Nemausens. non valeat singulorum vultus inspicere, aliasque partes boni pastoris implere, quodque durum sit, atque difficile per talem latam, atque diffusam dioecesim ad unicum tantum à personis ecclesiasticis, & laïcalibus recursum haberi juxta extravag. *Salvator* editam occasione dismembrationis dioecesis Tolosanæ per Johannem XXII tantoque magis concurrente præterea decentia oppidi Alesiens. ubi nova erectio & cathedra collocari debet, ut deponunt testes, *num. 2. & 3.* ita ut dignitas episcopalis vilescere non potest tam in qualitate materiali loci, quam in redditibus, & provisione novi episcopi, ac etiam in populo, & dioecesi respectu quantitatis illius, & longitudinis, & latitudinis istius. *n. 2. & 3.* præcipue, quia antiqua ecclesia notabiliter præjudicata non remanet, tam in redditu, quia pro dicta nova erectione redditus non tanguntur & redditus abbatiæ *de Psalmodi* sunt applicandi, quam in populo, cum adhuc in nimia quantitate populus ibi remaneat ponderata quantitate dumtaxat existenti in civitate Nemausensi ubi præcipue habetur existere quantitatem conversorum fere quadraginta millium. *num. 2. & 3.* ita ut ejus dignitas nimiam non patiatur diminutionem, ut post *glossar. Hostien. & cæteri alii in cap. sicut venire de exces. prælatorum. Rebuf. in prax. benefic. de erect. cathedr. n. 2. & seqq. Mandos. in tract. de signatura gratiæ §. erectiones, & late Lotter. de re benefic. lib. primo quest. 11. per tot. Solarzan. de jur. in d. tom. 2. lib. 3. cap. 5.*

Et sine difficultate in casu nostro, dum præterea accedit consensus reverendissimi episcopi Nemausens. ac metropolitani, aliorumque interesse habentium, agnoscentium profuturam esse dictam erectionem pro salute animarum dictarum vallium, ut *num. 2. & 3.* ut patet ex ipsis consensibus apud dominum secretarium, & assignatio redditnum abbatiæ *de Psalmodi* ascendentium ad libras octodecim millium circiter plusquam congrua redditur pro manutentione novi episcopi quoad necessariam illius substentationem, quando sola assignatio scutorum mille pro congrua habetur juxta præscripta juris canonici in *cap. præcipimus 53. in ord. caus. 16. quest. 1. & sancita per sac. concil. Trid. sess. 24. de reformat. cap. 13. Lotter. de re benefic. lib. 1. quest. 11. num. 25. cum seqq. Panimol. dec. 15. ad. not. 2. num. 1.* & optime concordat eminentissimus Laurea *in Epitom. can. litt. E. fol. 308. vers. Episc. in locis, & versic. Episc. de novo.*

Quo vero ad unionem capituli abbatiæ *de Psalmodi* capitulo Alesiensi & illius suppressionem, non multum immorandum credimus, tum quia intercedit consensus tam dicti capituli *de Psalmodi*, quam Regis christianissimi, ad quem nominatio abbatis spectat, tum quia redundat in majorem cultum divinum ex eo desumptum, quod canonici ejusdem abbatiæ tempore æstivo non resident, & ob intemperiem aëris residere non valent, & idcirco officia divina prætermittunt. *num. 2. & 3.* tum demum quia populus cura animarum non destituitur, sed parochus ibi remanere debet, qui dictam curam animarum exerceat, quibus perpensis necessaria talis unio videtur ad præscripta. *sac. conc. Trid. sess. 24. cap. 15. de reform. ibique Barbos. per tot. & præcipue sub num. 10. & seq. Rebuf. de union. n. 38. ad 48. & firmavit Rota dec. 337. num. 3. pag. 9. tom. 2. rec.* & quod unio pro majori cultu divino sit necessaria firmavit *Rota cor. Buratt. dec. 734. ibique ad d. n. 12. & 13. cor. Peutinger. dec. 86. n. 13. cor. caval. dec. 419. n. 4.*

Quare, &c.

JOHANNES MICHAEL DE PRESSIAT.

ALTERA SUPPLICATIO.

EMinentissime & reverendissime Domine. Constare de causis erectionis novi episcopatus in oppido Alesii eo sub piissimo motivo confovendi in religione evangelica per novum episcopum subditos ad orthodoxam fidem conversos vallium Gebennicarum per serenissimum principem Ludovicum Galliarum regem Christianissimum expostitæ in congregatione habita sub die undecima Augusti proxime præteriti, responsum fuit ad reservationem tamen particularis discussionis consensuum desuper interventorum, & circa modum dictum novum episcopatum erigendi, in præsenti vero congregatione complementum ejusdem erectionis speramus, tum attentis circumstantiis cumulatis in alia scriptura ex solita benignitate reassumenda urgentissimam necessitatem denotantibus, tum etiam ex infra deducendis.

Præter enim consensus episcopi Nemausens. super dismembratione ejus dioecesis pro novo episcopatu, ac metropolitani, & capitulorum Nemausens. Alesiens. ac Psalmodiens. alias exhibitos apud dominum secretarium, modo ad removendam quamcumque difficultatem novos apud eumdem exhibuimus consensus eorumdem capitulorum, sive ratificationes præcedentium, prævia indictione capituli, ac intimatione capitularium, ubi expressa habetur causa non interessentium propter eorum nempe legitima impedimenta *num. 1. 2. & 3.*

Et licet capitulum Nemausense in ejus consensu *num. 1.* sibi præservet jus utriusque suffragii pro canonico deputando in omnibus cleri comitiis, in quibus agatur de impositionibus decimarum, vel de reddenda ratione impositarum, cum juribus, & privilegiis clero Alesiensi ad prædicta comitia deputatis, vel deputandis concessis, talis tamen præservatio undique congrua videtur, cum agatur de re in qua interesse dicti capituli Nemausens. intercedere potest, dummodo conditio reciprocetur, ut nempe alter canonicus capituli Alesii in similibus intervenire valeat in comitiis capituli Nemausens. ut supplicamus.

Nec turbare posse putamus, quod capitulares Psalmodii in eorum consensu declaraverint nolle tamen per consensum prædictum detrimentum mensæ capitulari fieri, cum talis protestatio respiciat fruitionem omnium, & singulorum fructuum eorum canonicatuum, & præbendarum absque ulla diminutione, & confusione cum redditibus canonicatuum, & præben-

darum capituli Alesiens. prout ipsimet capitulares in novo consensu declarant *num. 3.* & est juri consonum, quousque dicti capitulares vivant, maxime quia circa hoc capitulum Alesiense non discrepat, cum desuper transegerit prout infra.

Minusque erectionem prædictam retardari posse videtur, ex eo quod in oppido Alesiensi domus pro episcopo, & in illius ecclesia organum, ornamenta pontificalia, seminarium, præbenda theologalis, & altera pœnitentiaria, nec mons pietatis adsint, tum quia habemus attestationem sindici generalis provinciæ Occitaniæ super solito diœcesanorum, & illorum consensu impositionibus pro ædificatione, sive palatii episcopalis constructione, ut latius in dicta attestatione pariter apud eumdem dominum secretarium, ut *num. 4.* tum etiam quia quoad cetera ut supra deficientia, vel sunt de incumbentia dicti novi episcopi, & ipse promptus & paratus est illa implere, vel satis est quod in ejus promotione ad incumbendum adstringatur, ut moris est.

Et sine aliqua difficultate erectionem complementum sortiri posse credimus, dum præterea exhibuimus apud eumdem dominum secretarium plantam diœcesis novo episcopatui destinandæ cum suis limitibus undique designatam, ubi diœcesis prædicta habetur divisa in septem archipresbyteratibus cum nonaginta parochiis subjectis, de quibus *num. 5.*

Quemadmodum exhibuimus statum utriusque capituli Alesiens. & Psalmodii tam respectu quantitatis dignitatum, & canonicatuum, quam reddit
uum. Quo enim ad capitulum Alesiense ibi illud habetur compositum duabus dignitatibus, decanatu scilicet, & sacrista, & octo canonicatibus, sacristam habere curam animarum, & redditus totius capituli, qui repartiuntur inter canonicos, ascendere ad libras 2430. *n. 6.*

Quo vero ad capitulum Psalmodii, esse compositum quatuor dignitatibus, præpositura scilicet, archidiaconatu, cantoria, & subcantoria, & undecim canonicatibus, ac etiam duodecim presbyteris amovilibus inservientibus choro, ultra duos acolitos, & unum clericum pariter amovibiles, illiusque redditus ascendere ad libras 22000. circiter consistentes in decimis, dominiis, & frumentis, ubi etiam habetur mensam abbatialem esse distinctam a mensa capitulari, illiusque redditus esse librarum 18000. ut latius in eodem statu firmato ab ipsis capitularibus, & legalizato ab episcopo Nemausensi. *num. 7.*

Habemus insuper exhibitum instrumentum transactionis initæ ad reservationem beneplaciti apostolici inter utrumque capitulum Alesiense & Psalmodiense ubi primo conventum legitur servitium capituli Psalmodii transferendum esse in ecclesia Alesiensi ad ibi unicum, & idem servitium faciendum, adeo ut dicta duo capitula remaneant unita, & ex duobus fiat unum, exceptis tamen mensis, quarum utraque remaneat separata & distincta tam respectu magnarum, quam minimarum distributionum, ut deinceps quælibet gaudeat, quod fruebatur de præterito, usquequo mensa capitularis Alesiens. reddatur æqualis mensæ Psalmod. *num. 8.*

Secundo, quod quoad divina officia tam in choro, quam in assembleis capitularibus utrumque capitulum post secutam unionem uniformari debeat capitulo Nemausensi. *num. 8.*

Tertio, quod propter impossibilitatem subsistendi duo capita in eodem capitulo in qualitate capitum, dignitas decanatus Alesiens. supprimi debeat juxta consensum jam præstitum a præsenti decano, conditione augendi redditus mensæ Alesiens. cum redditibus dicti decanatus, ut citius perveniatur ad unionem mensarum utriusque capituli, vel ad effectum illas applicandi dotationi unius primi archidiaconatus erigendi in eadem ecclesia Alesiensi ad electionem sanctissimi Domini nostri, quem appellari volunt magnum archidiaconatum Alesiens. ut in futurum præpositura Psalmodii post unionem remaneat prima dignitas post episcopalem, & caput capituli absente episcopo; & quatenus præsens decanus non obstante illius consensu ad supprimendum decanatum eo adhuc gaudere velit, etiam conventum fuit, quod idem decanus usque ad illius obitum, vel decanatus dimissionem gaudeat eodem stallo in choro, quousque nunc potitus fuit, proximiori nempe altari a cornu epistolæ, & in processionibus, vel ubilibet, ubi contingat agi de præcedentia, potiri debeat honoribus postquam promotus sit ad sacerdotium alternative cum præposito, vel per annum, vel mensem ad ipsorum electionem, conditione adjecta, quod idem præpositus deinceps obtinere debeat primam sedem chori proximam januæ principali ejusdem chori pariter a cornu epistolæ, ut practicatur in ecclesia cathedrali Nemausensi. *num. 8.*

Quarto, quod post præpositum, & decanum, vel secuta suppressione decanatus, immediate post præpositum obtineat gradum primus archidiaconus quatenus erigatur, post eum archidiaconus Psalmodii, successive cantor pariter Psalmodii, & post illum sacrista Alesiens. & in ultimo subcantor Psalmodii, & postea cæteræ aliæ dignitates, officia, & personatus, & quilibet ex canonicis Psalmodii, & Alesii juxta eorum antiquitatem eliciendam a die installationis, seu captæ possessionis indifferenter vel sit de capitulo Psalmodii, vel Alesiens. absque ulla distinctione. *num. 8.*

Quinto, quod cuilibet ex dictis duobus capitulis remaneat jus conferendi de per se vicarias, officia, aliaque beneficia dependentia ab ipsius mensa, ad exclusionem alterius capituli. *num. 8.*

Sexto, quod in omnibus negotiis concernentibus mensam unius ex dictis capitulis super quibus esset deliberandum in comitiis capitularibus, dignitates, & canonici alterius capituli nullum habeant votum deliberativum. *num. 8.*

Septimo, quod sicuti quodlibet ex dictis duobus capitulis gaudere debet bonis, redditibus, & privilegiis annexis ipsius mensæ ad exclusionem alterius capituli, ita sustinere debeat onera, quibus ipsius mensa est gravata, absquequo alterum capitulum teneatur contribuere, exceptis oneribus concernentibus totum capitulum cathedralis, scilicet ornamenta ecclesiæ cathedralis, omnibusque aliis expensis concernentibus dictam ecclesiam, & capitulum cathedralis, quæ sustinenda sint ab utroque capitulo, pro rata tamen, & ad mensuram redditcuum utriusque mensæ, ac etiam exceptis retributionibus, & salariis solvendis presbyteris amovibilibus, aliisque officialibus inservientibus in ecclesia Psalmodii, qui post unionem inservire debent ecclesiæ Alesiensi quæ solvi debeant ab ipso capitulo Psalmodii. *num. 8.*

Octavo, quod nullus canonicus, sive dignitas, usquequo ordinatus non sit in sacris, obtinere valeat nisi stallum inferius. *num. 8.* Et demum conventum fuit, quod quoad cæteras differentias in dicta transactione non regulatas forsan in futurum inter utrumque capitulum contingentes, sint amicabiliter terminandæ a tribus eligendis de capitulo Nemausensi prævia obligatione amplissima super observantia in omnibus ejusdem transactionis, ut fusius in ea, *num. 8. in fine*, ubi registrata habentur mandata procuræ utriusque capituli ad transigendum cum legalitate episcopi Nemausens.

Demum pro complemento exposcitæ erectionis habemus exhibitum statum omnium, & singulorum onerum capituli Psalmodii, quæ capitulares illius destinarunt impleri in eadem ecclesia Psalmodiensi per curatum, vel alios sacerdotes relinquendos in eadem ecclesia, si quæ sint, quæ non possint transferri ad ecclesiam Alesiens. & in eadem ecclesia Psalmodii præterea relinquere curatum, aliosque sacerdotes necessarios incumbentes ad curam animarum, istisque assignare omnes fructus decimales parochiæ ejusdem ecclesiæ, prout ipsimet capitulares declararunt apud

episcopum Nemausens. qui hujusmodi declaratione contentus remansit, ut habetur in responsione eminentissimi, & reverendissimi domini cardinalis Bonsii delegati super omnibus supra recensitis, & præcipue super hujusmodi destinatione, & declaratione, de qua fusius *num. 9.*

Quibus omnibus concurrentibus, cum amplius dubitari non contingat concurrere omnia requisita pro dicta nova erectione, eo magis urgente necessitate, ut fusius ad oculos in præcedenti scriptura demonstravimus, celerem expeditionem negotii propter dictam urgentiam speramus.

Quare, &c.

JOHANNES MICHAEL DE PRESSIAT.

Num. 1. *Consensus capitularium absentium tempore consensus præstiti per alios capitulares Nemausens.*

L'Anno mille sei cento novanta quattro, alli sedici del mese di Gennaro, nella sala capitolare del capitolo della chiesa cathedrale di Nismes, le dignità e canonici del detto capitolo capitolarmente congregati all'uscita della messa grande, doppo una convocatione fatta *per domos*, cioè li signori Cohon prevosto, de Meridat archidiacono maggiore, Causse secondo archidiacono, de Chambonas terzo archidiacono, de Rozel precentore, de Augnac tesoriere, Robert, Maigne, Jacques, Servel, Daiglun, Novy, la Bastide, de Tarand, Demerez, Queirat, de Cabrieres sindico, Forton, e Filere, canonici.

Il signor abbate Robert hà esposto, che la Congregatione consistoriale hà differito l'erettione del Vescovato Alesiens. sopra alcune difficoltà; la prima delle quali è, che vi sono cinque canonici di questo capitolo, li quali non anno sottoscritto il consenso quì avanti dato dal detto capitolo per la detta erettione, perche si trovarono assenti, cioè li signori Robert, Trimond, Queirat, Filere, e Tiauloy, dalli quali la congregatione dimanda al presente il consenso: la seconda difficoltà è, che il detto capitolo essendosi riservato d'assistere con uno delli suoi deputati à tutte le assemblee del clero Alesiens. li signori del detto capitolo Alesiens. dimandano il medesimo jus di assistere all'assemblea del clero della diocesi di Nismes, & à quest' effetto il signor sindico hà rappresentato essere a proposito di supplicare il nostro santo Padre il papa, e li nostri signori della Congregatione consistoriale, di regolare li ordini delli detti deputati, e di conservare al capitolo di Nismes, per lui e per li suoi deputati la precedenza che hà havuto sempre sopra tutti li corpi, e sopra tutti li beneficiati particolari della diocesi di Nismes, in che è tanto meglio fondato, che per il consenso che dà all'erettione di questo nuovo Vescovato, si spoglia della giurisdittione spirituale e temporale, che haveva sopra il territorio Alesiens. come sopra quello di Nismes durante la vacanza della sede, e si spogliono d'un jus assai piu considerabile, che è il jus de collatione di tutti li beneficii, e cura d'anime, che havevano durante la detta vacanza, e li capitoli d'Aigues-mortes, & Alesiens. che devono comporre il capitolo cathedrale da erigersi, e che non hanno havuto sino al presente per la loro parte ò divisione, altro che la dipendenza assoluta dal capitolo di Nismes durante la detta Vacanza diventano independenti, & aquistano tutta questa giurisdittione, administratione & autorità, delle quali il capitolo di Nismes si spoglia, & à quest' effetto non devono invidiare, ne impugnare al detto capitolo questa precedenza, quale è il solo jus honorifico, che il capitolo di Nismes dimanda di conservarlo, nella perdita considerabile che fà.

Sopra di che è stato deliberato di commune voce, circa la prima difficoltà, che li signori Robert, Trimond, Daiglun, Queirat, e Filere quali sono quì presenti, dichiareranno se aderiscono in loro particolare al consenso qui avanti dato dal detto capitolo per la detta erettione del Vescovato Alesiens. & in consideratione del detto signor Tiauloy, atteso che è distante da questa città, e che è ritenuto nel letto da una malatia habituale da molto tempo, si mandarà à chiedere il suo consenso in particolare: e di più, sopra la seconda difficoltà, l'assemblea hà dichiarato che consente quanto a lei spetta, che il capitolo cathedrale da erigersi nella città Alesiens. habbia jus di assistere per un deputato all'assemblea del clero della diocesi di Nismes, quali si terranno all'occasione dell'impositioni da farsi, o di conti da rendersi, come il capitolo di Nismes si è riservato il jus di assistere con un deputato all'assemblee del clero Alesiens. Supplicando il detto capitolo di Nismes il nostro santo Padre il papa, e li nostri signori della Congregatione consistoriale, di regolare li ordini delli sudetti deputati, e di conservarli à lui, & alli suoi deputati, la precedenza sopra il detto capitolo cathedrale da erigersi, in tutte le suddette assemblee delli cleri di Nismes & Alesiens. per le raggioni sudette.

Reservatio præeminentiæ ad arbitrium SS. D. N. & sacræ Congregationis.

In consequenza di ciò li signori Robert, Trimond, Queirat, e Filere hanno dichiarato che aderiscono al consenso quì avanti dato dal detto capitolo per la dismembratione del territorio Alesiens. della diocesi di Nismes, e per l'erettione di un nuovo Vescovato ad Alesiens. Cohon prevosto. Meridat archidiacono maggiore. L'Abbate di Chambonas. Rozel precentore. Causse. Maigne. De Georges. Novy. Servel. Queirat. Forton. Filere. Jacques. De Trimond Daiglun officiale. Cabrieres sindico. De Tarand. Robert vicario generale. Dalli miei detti signori Roselli secretario.

Ludovico di Trimond Daiglun sacerdote, dottore in theologia, canonico della chiesa cathedrale di Nismes, & officiale della diocesi, certifichiamo à tutti quelli a' quali spettarà, che la deliberatione quì avanti scritta, è stata presa dalli signori dignità e canonici del capitolo della chiesa cathedrale del detto Nismes; che li segni ivi da loro apposti, sono li loro veri segni, e che è contrasegnata dal loro secretario, e munita del sigillo delle loro armi, e che fede vi si deve dare in ogni luogo dove sarà presentata, & in fede di che havemo segnato il nostro presente certificato, e fatto contrasegnare dal nostro secretario, & apporre il sigillo episcopale. Dato in Nismes li 20. Gennaro 1694. De Trimond Daiglun officiale.

Ferrand secretario.

Loco del sigillo.

Attestatio Physici, & Chirurgi super morbo paralitico canonici de Tiauloy. Num. 2.

Noi sottoscritti, Carlo Bardon dottore in medicina, maestro Stephano Darles chirurgo, e maestro Antonio Garniers speziale, attestiamo à tutti a' quali spetterà, che il signor abbate de Tiauloy in conseguenza di una ripresa di molti membri, dalla quale è tiranneggiato dall'entrata di questo Autunno ultimo passato, in questo medesimo tempo è stato afflitto d'una paralisia universale, e perfetta di tutto il corpo, e non puole fare alcuno moto locale, e per consequenza di non potere pigliare la penna, e fare alcuna signatura. In fede di che havemo sottoscritto la presente. In Baucaire alli 16. Gennaro 1694. Bardon dottore in medicina. Garniers speziale. Darles.

Ludovico de Trimond Daiglun sacerdote, dottore in theologia, canonico della chiesa cathedrale di Nismes, & officiale della diocesi, certifichiamo, che l'attestatione della malatia del signor de Tiauloy canonico della chiesa cathedrale del detto Nismes, è in verità la detta malatia, la quale hà degenerato in paralisia universale, essendo di notorietà publica: come anche che li signori, Bardon che hà segnata l'attestatione, è dottore in medicina, maestri Darles chirurgo, e Garnier

spetiale, alla quale atteſtatione fede deve eſſer data in ogni luogo dove ſarà eſſibita. Dato in Niſmes ſotto il noſtro ſegno, ſotto il contraſegno del noſtro ſecretario, con l'appoſitione del ſigillo epiſcopale. Queſto di 20. Gennaro 1694. De Trimond Daiglun officiale. Di mandamento del detto ſignor officiale, Ferrand ſecretario.

Loco del ſigillo.

Num. 3. *Epiſtola genitoris ejuſdem canonici de Tiauloy.*

Al ſignore de Cauſſe archidiacono della chieſa cathedrale di Niſmes.

In Baucaire li 16. Gennaro 1694.

Io vi mando, mio cariſſimo ſignore, l'atteſtatione tale quale voi la deſiderate, ſegnata dal medico, chirurgo, e ſpetiale, atteſo che il mio povero figlio è preſo d'una paraliſia univerſale, non avendo ne bracci, nè mani, nè gambe, e ſopra tutto queſto, è cieco, e non vi è che un giorno, che fù eſtratto dalle porte della morte, doppo haver ricevuto l'ultimo ſacramento, d'un colpo di cervello, che l'hà tenuto per ſpatio di dicidotto hore ſenza moto, è ritornato da queſto crudel combattimento per gratia di Dio, così per mie diſgratie mi vedo privato di ſignificarvi in queſta occaſione il piacere che mi ſarei fatto di concedervi il ſegno di queſto miſerabile: ſe in mio particolare vi poſſo eſſer utile, vi prego d'eſſer perſuaſo che andarò avanti tutto quello che poſſa piacere, per aſſicurarvi che io ſono, mio ſignore, con un ſinceriſſimo affetto

Voſtro humiliſſimo & obedientiſſimo ſervitore,
DE TIAULOY.

Num. 4. *Renunciatio præcentoris Nemauſenſ. juri eligendi præceptores in nova diœceſi in favorem novi epiſcopi.*

L'anno mille ſeicento novanta quattro, & alli ſedici del meſe di Gennaro, doppo mezzo di, avanti di noi notaro regio & apoſtolico della città di Niſmes ſottoſcritto, è ſtato in perſona Miſſere Giovanni Giuſeppe di Rozel canonico e precentore della chieſa cathedrale della detta città, il quale hà fatto e coſtituito ſuo procuratore . . . . per, & al nome di detto coſtituente cedere il jus di collatione delle ſcuole, che pretendeva ſopra il territorio Aleſienſ. e del jus d'inſpettione ſopra le dette ſcuole, e conſentire che tutto queſto jus ſia & appartenga al nuovo Veſcovo Aleſienſ. promittendo, &c. obligando, &c. fatto e paſſato nel detto Niſmes nel noſtro ſtudio, in preſenza di Franceſco e Giovanni Lirons cugini carnali, del detto Niſmes ſegnati con il detto ſignore coſtituente, & io Stefano Borelli notaro regio & apoſtolico del detto Niſmes ſottoſcritto. Rozel precentore. Lirons preſente. Borelli notaro. Regiſtrata al terza volume foglio 36. num. 7. V. In Niſmes queſto di 18. Gennaro 1694. ricevuto cinque ſoldi. Moyriver.

Ludovico de Trimond Daiglun ſacerdote, dottore in ſacra theologia, canonico della chieſa cathedrale di Niſmes, & officiale della dioceſi, certifichiamo à tutti a' quali ſpetterà, che il ſignore Stefano Borelli, che hà ricevuto e ſegnato l'atto quì dietro, è notaro apoſtolico della preſente città di Niſmes, il detto atto ſegnato da Miſſere Giovanni Giuſeppe Rozel, e da duoi teſtimonii, al quale atto fede deve eſſer data in ogni luogo dove ſarà eſſibito. Dato in Niſmes, alli 25. di Gennaro 1694. Da noi ſegnato, e contraſegnato dal noſtro ſegretario, e ſigillato dal ſigillo epiſcopale. De Trimond Daiglun officiale. Di mandamento del mio detto ſignore officiale, Ferrand ſecretario.

Loco del ſigillo.

TERTIA SUPPLICATIO.

Eminentiſſime & reverendiſſime domine. Bis hujuſmodi cauſa fuit ſuper erectione novi epiſcopatus nimis a ſereniſſimo Galliarum Rege deſiderata, & demonſtratis cauſis urgentiſſimam neceſſitatem illum erigendi præbentibus ſub die XI. Auguſti anni jam elapſi reſponſum fuit conſtare de prædictis cauſis, reſervata tamen particulari diſcuſſione ſuper conſenſibus deſuper interventis, ac præſtitis à capitularibus Nemauſenſ. Alenſienſ. & Pſalmodienſ. quia quoad conſenſum epiſcopi Nemauſenſis, & metropolitani nulla difficultas interceſſit.

Re propoſita idcirco pro ſecunda vice ſub die 22. Decembris mox pariter elapſi, & renovatis dictis conſenſibus pro remotione cujuſvis difficultatis ſuper illorum præſtatione, tamen dilata fuit illorum reſolutio juxta mentem, quam fuiſſe nos audivimus debere evacuare difficultatem ex eo excitatam, quod conſenſus capitularium Nemauſenſ. non ſufficeret deficiente conſenſu canonicorum Robert, de Trimond, Queiras, Tiauloy, & Filere pariter capitularium, licet eiſdem indictio capituli ad hujuſmodi effectum fuerit intimata. *num. 1. 2. & 3.* quia neceſſe fuiſſet illos intimandi ad intereſſendum, vel ſaltem ad præſtandum prædictum conſenſum per procuratorem.

Quemadmodum audivimus reſolutionem dilatam fuiſſe ex altero etiam capite, quod conditio appoſita in conſenſu capitularium Nemauſenſ. alterum ex illis intereſſendi in comitiis capituli Aleſienſ. occaſione impoſitionis decimarum, vel de eis reddendi rationem, vel reciprocanda eſſet ab ipſo capitulo Nemauſenſi ut in ſimilibus comitiis alter ex capitularibus Aleſienſ. intervenire quoque poſſet, aut ſaltem quod capitulum Aleſienſe reciprocæ prædictæ renunciaret.

Et demum ex impropria reſervatione in eodem conſenſu facta per præcentorem Nemauſenſi juris eligendi præceptores in nova diœceſi Aleſienſi omnino pertinentis ad novum epiſcopum, ad quem tale jus pertinere debet; verum cum nuper ſupervenerint jura de quibus apud dominum ſecretarium, quæ penitus difficultates prædictas ruere facere putamus, hinc in præſenti congregatione deſiderium tam piiſſimi principis complementum dictæ pluries expoſcitæ erectionis ſortiri poſſe confidimus.

Quod enim attinet ad primum, & ſecundum punctum habemus ratificationem canonicorum Robert, Trimond, Queiras, & Filere conſenſus alias ut ſupra per cæteros capitulares Nemauſenſ. præſtiti, ac etiam quod iidem capitulares Nemauſenſ. dant manus, & conſentiunt quod in eorum comitiis ſuper impoſitionibus decimarum, alter ex capitularibus Aleſienſ. interveniat. *num. 1.*

Abſque quo obſtare poſſe putamus, quod ibi prædicti capitulares ſibi reſervent jus præcedendi in utriſque comitiis, dum tamen hujuſmodi juris reſervatio relaxatur arbitrio ſanctiſſimi Domini noſtri, & hujus ſacræ congregationis, & non per modum conditionis legatur concepta. *num. 1.* circa quod incongrua videtur talis reſervatio, cum juri conſonum non ſit, quod intereſſentibus capitularibus Aleſienſ. in comitiis capituli Nemauſenſ. iſti præcedere valeant, id enim eſt extra convenientiam, & juris diſpoſitio non dictat, & cum talis præeminentia non ſit reſervata per modum conditionis, ut diximus, ſed reſervata arbitrio hujus ſacræ congregationis, ſequitur quod eminentiſſimi patres illam valeant ut de jure determinare.

Prout nec obſtare credimus, quod adhuc deficiat conſenſus canonici de Tiauloy alterius ex capitularibus Nemauſenſ. in altero conſenſu, & modo etiam abſentis, cum ipſe morbo paralitico laboret, ut ejus phyſicus, & chirurgus deponunt *num. 2.* & ejus genitor teſtatur, ut deſumitur ex epiſtola ab eodem ſcripta reverendiſſ. archidiacono Nemauſenſi ex qua

patet dictum canonicum fere in extremis laborasse, ita ut nedum non valuisse consensum subscribere, sed nec etiam stipulationi mandati procuræ incumbere, ut fusius ex dicta epistola *num. 3*.

Quod autem pertinet ad tertium punctum, rem sine difficultate transire existimamus, quia præcentor Nemausens. cessit, & renunciavit juri eligendi præceptores favore novi episcopi Alesiens. illudque eidem plenarie transtulit. *num. 4*.

Quibus denuo intercedentibus, & concurrentibus aliis requisitis cumulatis in antecedentibus propositionibus ex solita benignitate reassumendis, pro erectione favorabilem speramus resolutionem.

Quare, &c.

JOHANNES MICHAEL DE PRESSIAT.

IV.

Bulla erectionis episcopatus Alesiensis.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Animarum zelus nullis terminis comprehensus, universalisque Dominici gregis cura nobis licet immeritis ex alto commissa, necnon unigeniti filii Dei, & Domini nostri Jesu Christi ad infirma hujus mundi pro humano salvando genere descensus, ipsiusque præceptum apostolis demandatum, *ite, prædicate Evangelium omni creaturæ*, mentem nostram continuo sollicitant, ut studiis assiduis ad ea intendere debeamus, per quæ fides nostra catholica ubique ab omni expurgetur zizania, omnibusque vepribus expers surgat, & propagetur, errantesque oves diabolica fraude hæresumque pravitate correptæ ad ovile, verique luminis agnitionem reducantur; propterea novas sedes, novosque pastores instituere debemus, ut facilius oves ipsæ sic disperditæ se in eas reducere valeant; præsertim etiam cum sublimium Regum vota, & gesta id exposcant, & comperiamus in Domino pro animarum salute id expedire. Cum itaque, sicut accepimus, charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum & Navarræ rex christianissimus ad Dei solum cultum, ejusque orthodoxæ legis observantiam, sanctæ matris ecclesiæ exaltationem, hæresumque extirpationem, ac hæreticorum confusionem enixe intentus, divina piis ejus conatibus favente gratia, tot millia subditorum a via salutis per sathanæ suggestiones aberrantium ad ejusdem sanctæ matris ecclesiæ gremium propria applicatione & cura feliciter duxerit; cupiens eosdem suos subditos uti adhuc teneros vitis evangelicæ, qui Christus est, palmites ipsius fide vera peramplius consoveri, & consolidari, ac commodius instrui, & gubernari, inter alia ad hoc suum vere regium intentum conducentia media nullum aliud opportunius fore compererit, quam si recenter conversis Christi fidelibus in vallibus Gebennicis, vulgo *les Sevennes*, constitutis, & numemerum quinque milliadum excedentibus, qui ex sola præsistentia venerabilis fratris nostri episcopi Nemausensis, in cujus diœcesis territorio valles præfatæ sitæ sunt, ob earumdem vallium a civitate Nemausensi, ubi ipse episcopus residet, aspero, montuoso, laborioso, & difficili plurium leucarum intercedente itinere distantiam, ibidem visitationis adeo necessariæ munus, & pastoralia munia, & solatia recipere non valent, proprius præsul & pastor animarum attribueretur, & assignaretur, qui proprias oves cognosceret, & pasceret, ac ab ipsis vice versa veritate docenda, & præstanda obedientia agnosceretur, ac proinde ut dictarum vallium territorium a diœcesi Nemausensi separare, oppidumque Alesii, quod ipsarum vallium caput, muris cinctum, arce & presidio munitum, præfectura decoratum, quinque regularium utriusque sexus cœnobiis, hospitali, & duabus confraternitatibus insignitum, bis mille fere familiis, quas inter plures nobiles, ac tres ex quatuor partibus neophitæ constans, aëris etiam salubritate, ac soli felicitate gaudens, ac ad id valde aptum, commodum, & opportunum est in civitatem, inibique existentem sæcularem, & collegiatam ecclesiam S. Johannis Baptistæ, amplæ & elegantis structuræ, sex capellis, ac sacra suppellectili ad divina peragenda, non tamen ad pontificalia exercenda, decenter ornatam, aliisque requisitis satis instructam, in cathedralem, ibique sedem episcopalem erigere, & collocare, ac alias desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos cui nihil magis curæ est, quam ut fides catholica illibata ubique floreat & augeatur, non de inventa ove, sed de integri pene gregis ad ovile Christi reductione congaudentes, ac ipsi Ludovico regi congratulantes, ne desit his ecclesiæ novis filiis qui frangat panem, puræque doctrinæ pabula præbeat, ac singulorum vultus, ut episcopum decet, inspiciat, & agnoscat, matura super his in congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium rebus consistorialibus præposita, cui negotium dismembrationis, & erectionis hujusmodi discutiendum a nobis commissum fuerat, habita deliberatione, oppidum præfatum episcopali, & civitatis titulo dignum judicantes, piisque dicti Ludovici regis desideriis libenter annuentes, de eorumque ac aliorum venerabilium fratrum nostrorum præfatæ sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu, oppidum præfatum ab ordinaria jurisdictione dicti episcopi Nemausensis de expresso ejus, ac illius cathedralis capituli & canonicorum consensu, apostolica authoritate, tenore præsentium perpetuo segregamus, dividimus, separamus, & dismembramus illudque, ac ejus clerum & populum quoad legem diœcesanam ab episcopi Nemausensis superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione prorsus eximimus & liberamus: ac oppidum præfatum civitatis, illiusque incolas civium nomine, titulo, & honore decoramus, illudque in civitatem Alesiensem denominandam, & in eo sæcularem, & collegiatam ecclesiam S. Johanni Baptistæ dicatam, duasque dignitates, decanatum videlicet & sacristiam cum aliis decem canonicatibus habentem, in cathedralem ecclesiam sub invocatione ejusdem S. Johannis Baptistæ pro uno episcopo Alesiensi nuncupando, qui illi præsit, ac ecclesiam ipsam ad formam cathedralis ecclesiæ redigi faciat, necnon episcopalem jurisdictionem, authoritatem, & potestatem exercere, omniaque & singula, quæ ordinis, jurisdictionis, & cujusvis alterius muneris episcopalis sunt, & ad illa, ac synodi diœcesanæ convocationem, & celebrationem spectant & pertinent, ac quæ alii tam in illis regnis, & provinciis, quam alibi ubicumque constituti episcopi in suis ecclesiis, civitatibus, & diœcesi de jure, consuetudine, aut alias quomodolibet facere, & quibus uti solent & possunt parifirmiter*, æque* principaliter, & absque ulla prorsus differentia, in suis ecclesia, civitate, & diœcesi Alesiensi respective facere, gerere, & exercere, ac uti, frui & gaudere libere & licite possit & debeat, ac pro tempore existenti archiepiscopo Narbonensi jure metropolitico, prout ante separationem & dismembrationem hujusmodi suberat, subjaceat, cum sede & mensa, aliisque insigniis episcopalibus, necnon præeminentiis & honoribus, privilegiis, immunitatibus & gratiis spiritualibus, & temporalibus, personalibus, realibus, & mixtis, quibus cæteræ cathedrales ecclesiæ regnorum & provinciarum hujusmodi similiter de jure, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum de similibus consilio, & potestatis plenitudine, dicta apostolica authoritate perpetuo erigimus, & instituimus, ac eidem sic erectæ ecclesiæ Alesiensi, ipsum oppidum sic in civitatem erectam pro civitate, & alia octo civitates nuncupatæ, ac alia triginta sex inferiora oppida, & reliqua quadraginta quinque oppidula, cum

Marc. 16. 15.

* f. pariformiter.
* f. atque.

cum eorumdem omnium, & singularium respective parochiis, & territorio quinquaginta longitudine, latitudine vero triginta circiter milliaribus Italicis extenso pro diœcesi, necnon ecclesias pro clero, & seculares personas pro populo, de consilio, potestate, & authoritate similibus etiam perpetuo concedimus, attribuimus, & assignamus, civitatemque, clerum & populum hujusmodi episcopo Alezienfi, quoad episcopalem, & archiepiscopo Narbonensi pro tempore existentibus, quoad metropoliticam, ordinariam jurisdictionem, & superioritatem, de paribus consilio, & potestatis plenitudine, etiam perpetuo subjicimus.

Ac insuper cum dilectus filius Ludovicus de Calviere abbas abbatiæ olim forsan regularis, sed jam nunc omni in ea regularitate cessante ad secularem statum reductæ secularis, & collegiatæ ecclesiæ S. Petri Psalmodiensis vulgo *de Psalmodi* nuncupatæ in oppido Aquarum-mortuarum dictæ Nemausensis diœcesis existentis, regimini & administrationi dictæ abbatiæ, ac omni, & cuicumque juri sibi in illa, vel ad illam quomodolibet competenti, & per eum prætenso in manibus nostris ad præmissorum, & infrascriptorum effectum cesserit, nosque cessionem eandem ex dicta causa duxerimus admittendam, nos abbatiam ipsam, ac titulum collativum,& denominationem abbatiæ, & collegiatæ, firma cæteroqui remanente illius parochialitate, & prædicti Ludovici regis ad quem, dum illa pro tempore vacat, jus ad illam nominandi vigore concordatorum dudum inter sedem apostolicam, & claræ memoriæ Franciscum primum olim eorumdem Francorum regem initorum pertinere dignoscitur, perpetuo quoque supprimimus & extinguimus, ac illam sic suppressam & extinctam abbatiam, cujus fructus ad quingentos florenos auri in libris cameræ apostolicæ taxati reperiuntur, verus autem valor ad octodecim millia librarum Turonensium ascendit, mensæ episcopali Alesiensi, capitularem vero mensam, ac capitulum, necnon præposituram, quæ principalis, & archidiaconatum, cantoriam, & subcantoriam, quæ reliquæ dignitates inibi erant, ac decem canonicatus, & totidem præbendas illius ad sic erectam ecclesiam Alesiensem de similibus consilio, & authoritate pariter perpetuo ita transferimus, & traducimus, ut ex duobus Alesiensi, & Psalmodiensi capitulis hujusmodi unicum ipsius episcopi Alesiensis proprium capitulum, in quo præpositura Psalmodiensis prima post pontificalem, ac excepto decanatu Alesiensi, quem nos certis nobis notis de causis adducti, ex nunc prout ex tunc, & econtra postquam illum per cessum, vel decessum, aut alias quomodolibet, quandocumque, ac ubicumque vacare contigerit, perpetuo quoque similiter supprimimus & extinguimus, ac mensæ capitulari Alesiensi annectimus, & incorporamus, expresse ad id moderni decani accedente consensu. Reliquæ aliæ dignitates, archidiaconatus secunda, cantoria tertia, sacristia Alesiensis respective nuncupanda quarta, & subcantoria quinta, necnon octo Alesienses, & decem Psalmodienses respective canonicatus, & præbendæ sint, permaneant, & persistant. Duodecim presbyteri, duoque acolythi, ac unus clericus ad nutum præpositi, & capituli Alesiensis amovibiles pro divinis ministeriis ipsius ecclesiæ Alesiensis servituri juxta providam a præposito & capitulo præfatis sibi faciendam injunctionem, ac cum congruæ mercedis assignatione, vel quotidianarum distributionum participatione ad arbitrium eorumdem præpositi, & capituli ibidem deputentur, sacristaque Alesiensis curam inibi ut antea gerat, exerceat & administret animarum. Canonici vero utriusque capituli capitulares suas quoad vixerint respective præbendas, prout ante erectionem hujusmodi faciebant, percipiant; advenienteque eorum seu alterius ex ipsis obitu, vel cessione, omnes & singulæ præbendæ adinvicem successive in communem mensam capitularem Alesiensem semper reintegrentur, & consolidentur, donec omnes illius præbendæ ad fructuum, reddittuum, & proventuum æqualitatem perveniant, satisfactis interim per eosdem capitulares respective cujuscumque eorum capituli, & mensæ capitularis etiam respective omnibus, & obligationibus solitis, debitis, & consuetis: & tam dignitates, quam canonicatus & præbendas hujusmodi nunc & pro tempore obtinentes capitulum cum mensa capitulari, sigillo, ac arca, omnibus aliis insigniis capitularibus constituant, & apud dictam ecclesiam residere, stallumque in choro, ac locum & vocem in capitulo ipsius, necnon in actibus, & functionibus ecclesiasticis intra & extra ipsam ubilibet juxta eorum respective antiquitatem receptionis dumtaxat, absque ulla alia cujusvis gradus, seu qualitatis distinctione, & in ipsa ecclesia singulis diebus horas canonicas tam diurnas quam nocturnas, necnon conventuales, aliasque missas servata ecclesiastica disciplina uniformiter celebrare, & decantare, illisque interesse, ac alias dictæ ecclesiæ Alesiensi in divinis deservire, cæteraque onera injuncta, & pro tempore injungenda subire, exercere & adimplere respective debeant & teneantur; ac tam in choro quam capitulo, processionibus, & aliis actibus, & functionibus, habitus de jure gestari solitos, etiam deferre & gestare libere & licite possint & valeant. Præterea nos pro promptiori præmissorum & infra scriptorum executione, & adimplemento ac prospero felicique Alesiensi statu & successu procurando & manutenendo (decernimus) quod si modernus decanus Alesiensis nonobstante ejus ad hoc expresso consensu, honoribus, & præeminentiis ad suam dignitatem de jure spectantibus gaudere velit, illis ac eodem stallo in choro, quousque ad datam præsentium potitus fuit, ac etiam postquam ad sacerdotium promotus erit, præsidentia, & præcedentia, alternative tamen cum præposito Psalmodiensi, vel per menses, aut alias prout melius ipsis videbitur juxta illorum desuper ineundam conventionem, usque ad diem quo per illius cessum, vel decessum, aut aliam quamcumque dimissionem, vel amissionem, dictum decanatum vacare contigerit, potiri & frui debeat. Quod si contigerit capitulares Nemausenses congregari prout de more pro impositionibus decimarum, vel pro impositarum rationibus reddendis, & ibi agi debeat etiam de interesse præfati capituli Alesiensis, eidem capitulo Alesiensi liceat unum, vel duos de gremio deputare ad interessendum congregationibus, seu comitiis capitularibus, qui deputati, vel alter illorum comitiis præfatis præcedere debeant canonicis Nemausensibus: & si contingat capitulares Alesienses pro similibus impositionibus & illarum rationum redditionibus congregari, liceat eidem capitulo Nemausensi similiter unum, vel duos de gremio eligere, qui conciliis Alesiensibus intervenire, & pariter canonicos Alesienses præcedere debeant. Cura pariter animarum, & alia onera ecclesiæ Psalmodiensis, quæ abinde ad ecclesiam Alesiensem transferri non poterunt, seu quæ ibi a capitularibus Psalmodiensibus destinata fuerunt adimpleri per ibidem existentem rectorem, curatum, & talem quem iidem canonici Psalmodienses necessarium judicarint numerum presbyterorum, assignatis rectori, curato, & presbyteris hujusmodi pro congrua eorum sustentatione omnibus & singulis fructibus decimalibus parochiæ ejusdem ecclesiæ Psalmodiensis juxta desuper cum interventu & authoritate episcopi Nemausensis præfati initam transactionem omnino adimpleantur: in ecclesia vero Alesiensi futurus & pro tempore existens episcopus curam animarum præfatam per sacristam & ejus vicarium, ut antea, una cum iisdem emolumentis quibus ante erectionem hujusmodi fruebatur, & potiebatur, exerceri faciat; ac pro sui episcopali residentia, usu, & habitatione, & diœcesanos qui juxta morem provinciæ Occitaniæ habitationem episcopalem construere tenentur, destinandas, vel construendas, aut justo pretio coëmendas habeat, & possideat; necnon jure erigendi & deputandi

scholarum præceptores seu magistros, quoad easdem scholas antea & hactenus ad præcentorem ecclesiæ Nemausensis sicut antea pertinente, omnimodo fruatur, utatur, & gaudeat respective statuimus, ordinamus, ac etiam declaramus, expressis ad hæc omnia singula tam archiepiscopi Narbonensis, quam episcopi, & etiam præcentoris, necnon Nemausensis, ac Alesiensis, & Psalmodiensis ecclesiarum hujusmodi capitulorum respective accedentibus assensibus, & consensibus. Insuper etiam episcopo, dignitatibus, capitulo, & canonicis præfatis ut prædictæ ecclesiæ Alesiensis, ac illius mensæ capitularis, sacristiæ & fabricæ, eorumque rerum & bonorum tam spiritualium quam temporalium prospero & felici statu, regimine, gubernio, directione, ac onerum illis incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum, divinorum tam diurnorum quam nocturnorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, & aliorum præfatorum celebratione, necnon de dignitatibus canonicalibus, & præbendis aliisque beneficiis & ministeriis ecclesiasticis pro tempore providendorum receptione, admissione, residentia personali distributionum etiam quotidianarum, & aliorum emolumentorum quorumcumque divisione, repartitione, & admissione, pœnarum per absentes, & divinis suis loco & tempore non assistentes, seu onera & ministeria eis incumbentia subire negligentes incurrendarum impositione, singulorum præsen iis & absentiis notandis, cæremoniis, & ritibus in cathedrali ecclesia, choro, capitulo, processionibus, & aliis actibus præfatis servatis servandis, & ministris dictæ ecclesiæ Alesiensis necessariis deputandis, & amovendis, servitiis & ministeriis per eosdem obeundis, & agendis, salariis & stipendiis eorum cuilibet assignandis, ac quibusvis aliis rebus in præmissis, ac circa ea quomodolibet necessariis, & opportunis quæcumque statuta, ordinationes, capitula, & decreta, licita tamen & honesta, ac sacris canonibus, præsertim vero concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non contraria edendi, & edita pro temporum & rerum varietate & qualitate limitandi, corrigendi, interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam ex integro condendi, & per eos ad quos pro tempore spectabit, sub pœnis in contravenientes statuendis observari faciendi plenam, liberam, & omnimodam facultatem concedimus, & impartimur. Necnon episcopo, ut præfertur, ac dignitates in præfata ecclesia Alesiensi obtinentibus, ac capitulo, & canonicis ejusdem ecclesiæ, aliisque capituli & ecclesiæ hujusmodi personis & ministris pro tempore existentibus ut omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, exceptionibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, favoribus, & gratiis, quibus alii præfati & aliarum ecclesiarum dignitates obtinentes, capitula & canonici, aliæque civitates, & diœceses, ac eorum cleri, incolæ & habitatores, eorumque res & bona fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, etiam quoad habitus delationem, ut præfertur, uti, frui, potiri, & gaudere libere & licite possint & valeant concedimus, & indulgemus. Ac eidem Ludovico regi, ejusque successoribus, attenta assignatione præfatæ mensæ abbatialis, & unione ejusdem capituli de præfati Ludovici regis consensu dictæ mensæ episcopali ac capitulo Alesiensi ut supra facta, jus nominandi ad præfatam ecclesiam Alesiensem, dum illa pastoris solatio destituta fuerit, illi vero seu illis ad quos præsentatio, seu nominatio ad dignitates, canonicatus & præbendas, necnon beneficia, & ministeria hujusmodi ex fundatione vel dotatione de jure patronatus pertinere dignoscitur, quæ quidem . . . . * ad ecclesiam Alesiensem nobis, seu Romano pontifici successori nostro pro tempore existenti, per præfatum Ludovicum regem, ejusque ut præfertur successores Galliarum reges, quo vero ad præsentationem ad dignitates, canonicatus, & præbendas ac beneficia, & ministeria hujusmodi, quandocumque, & quotiescumque per cessum, vel decessum, aut alias quomodolibet vacare contigerit, etiam coram ordinario Alesiensi pro tempore existente, per patronos fieri respective debeant, prout antea ad dictam abbatiam S. Petri Psalmodiensis, & ad dignitates, canonicatus, & præbendas, necnon beneficia & ministeria utriusque collegiatæ ecclesiæ unitæ hujusmodi respective spectabat, etiam perpetuo reservamus, concedimus, & assignamus. Ac easdem præsentes nullo unquam tempore de subreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quovis alio defectu, etiam ex eo quod causæ propter quas præmissa emanarunt, coram nobis vel alibi verificatæ & approbatæ, ac quicumque interesse habentes seu habere prætendentes ad id vocati, citati, auditique non fuerint, & præmissis non consenserint, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel in controversiam vocari, ad terminos juris reduci, remedium impetrari, vel sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas, quandocumque etiam in crastinum assumptionis successorum nostrorum ad summi apostolatus apicem, vel alias quandocumque editas, vel sub quibusvis tenoribus & formis emanatas, & in posterum edendas & emanandas nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum, etiam sub quacumque posteriori data, pro quo tempore existentes episcopum, ac dignitates, capitulum & canonicos, & hujusmodi eligendas restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo concessas, semperque validas esse & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, necnon episcopo, dignitatibus, capitulo & canonicis hujusmodi pro tempore existentibus perpetuo suffragari, sicque & non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis authoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari & diffiniri debere, & si secus super his a quoquam quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attemptari, irritum, & inane decernimus, nonobstantibus nostris, & cancellariæ apostolicæ regulis de gratiis, indultis, ac indulgentiis adinstar non concedendis, ac de exprimendo vero annuo valore, ac de unionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibus, & generalibus conciliis editis vel edendis constitutionibus, quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes expressio ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, sexto decimo calendas Junii, pontificatus nostri anno tertio, pro eminentissimo domino cardinali Octobono,

J. CHAMPENUS.

* *f.* nominatio.

V.

Diploma Ludovici XIV. Francorum regis pro erectione episcopatus Alesiensis.

LOUIS, PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE : A tous presens & à venir, SALUT. Depuis nostre avenement à la couronne, Nous n'avons rien tant à cœur, que de faire exercer la seule religion catholique dans nostre Royaume ; & ayant plu à Dieu, qui Nous a toûjours comblez de ses bontez, de benir nostre dessein, par la conversion generale de ceux de nos sujets qui faisoient profession de la religion prétenduë reformée, Nous nous serions sentis obligez de nous appliquer à perfectionner ce grand ouvrage, qui est un effet si visible de sa divine Providence ; c'est pourquoy Nous estant fait informer de l'estat des dioceses où il y avoit plus de nouveaux convertis à la Foy catholique, Nous aurions jugé qu'il ne pouvoit estre rien fait de plus à propos, que de diviser l'evesché de Nismes, pour faire de la portion qui en seroit distraite un nouveau diocese, dont le siege episcopal seroit establi dans la ville d'Alais, afin de procurer tout le secours que Nous pourrons aux nouveaux catholiques des Sevennes, qui sont en très grand nombre, & dans des lieux d'un si difficile accès, qu'ils ne peuvent estre suffisamment instruits & secourus par le seul evesque de Nismes, éloigné de ces montagnes, d'ailleurs chargé d'une grande quantité de peuple, la plûpart aussi nouveaux convertis : c'est pourquoy ayant fait examiner le moyen d'executer ce dessein, Nous n'en avons point trouvé de plus convenable, que de distraire dudit evesché de Nismes, la portion de son territoire, qui est située dans le pays des Sevennes, dont la ville d'Alais est capitale, à commencer depuis les paroisses de Sauve, & Vezenobre inclusivement, à continuer jusqu'aux limites dudit evesché de Nismes, vers nostre province de Rouergue, & conservant le revenu dudit evesché en son entier, d'affecter à la fondation & dotation de celui qui seroit establi à Alais, l'abbaye de S. Pierre de Psalmodi, avec le chapitre dudit Psalmodi ou Aigues-mortes, celui de S. Jean d'Alais, pour tout fournir & composer, tant le siege episcopal dudit evesché d'Alais, que son église cathedrale & son diocese, avec attribution & union audit evesché, pour en faire joüir respectivement ledit evesque & sa cathedrale ; sçavoir, l'evesque de tous les droits, revenus appartenans & dépendans de ladite abbaye de Psalmodi, & ensemble de tous les droits & prerogatives, circonstances & dépendances de jurisdiction, superiorité & pouvoir, dont avoient joüi par le passé dans ladite ville d'Alais, & pays des Sevennes, l'evesque de Nismes, excepté seulement ce qui se trouveroit de son temporel, & ladite cathedrale des revenus, droits & appartenances dont ont joüi ci-devant lesdits chapitres de Psalmodi & d'Alais, sans confusion de leurs manses, jusqu'à ce que les prebendes soient devenus égales ; ce qu'ayant fait representer à nostre S. Pere le pape, par nostre très cher & bien amé cousin le cardinal de Janson evesque & comte de Beauvais, pair de France, & commandeur de nos ordres ; Sa Sainteté, à nostre instance & priere, auroit octroyé ses Bulles en bonne forme en datte du dix-septieme dudit mois de Juin * dernier, dont copie est ci-attachée sous le contre-scel de nostre Chancellerie, portant entre-autres choses la distraction de la ville & pays des Sevennes, de l'evesché de Nismes, l'erection dudit evesché d'Alais, avec l'union de l'abbaye de Psalmodi, & son union avec celuy d'Alais. A CES CAUSES, après avoir fait voir lesdites Bulles en nostre Conseil, Nous les avons, de nostre grace speciale, pleine puissance & authorité royale, approuvé & confirmé, approuvons & confirmons par ces presentes signées de nostre main, disons, declarons, voulons & nous plaist qu'elles soient executées selon leur forme & teneur ; & en consequence, que la ville d'Alais, & le pays des Sevennes demeurent distraits à perpetuité de toute superiorité, dependance, pouvoir, jurisdiction, correction, visite & disposition, tant à l'égard du clergé & du peuple que de tous les benefices, & generalement de toute autre chose dudit evesché de Nismes, & iceux attribuez & annexez audit evesché d'Alais ; & pour son siege episcopal, territoire & diocese, avec la même jurisdiction, superiorité, dépendance, pouvoir & disposition, & generalement tous les droits & prerogatives, dont a joüi jusqu'à present ledit evesque de Nismes, sans luy en rien reserver, que ce qui est de son revênu temporel dans ledit pays des Sevennes ; que le titre de l'abbaye de Psalmodi demeurera supprimé, & son revenu, avec tous ses droits & appartenances uni à perpetuité à la manse episcopale dudit evesché d'Alais ; & que le titre de collegiale demeure pareillement supprimé dans les deux chapitres d'Alais & de Psalmodi, & ledit chapitre de Psalmodi ou Aigues-mortes incessamment transferé dans l'eglise de S. Jean d'Alais, avec tous ses revenus, droits & appartenances, pour y fournir & composer avec celuy de S. Jean d'Alais ladite cathedrale dudit evesché, & y faire le service divin suivant la discipline ecclesiastique, les usages, loix & coustumes canoniques, nos Edits, Ordonnances, & de nos predecesseurs Rois, sans confusion neantmoins des deux manses capitulaires, jusqu'à ce que les prébendes soient devenuës égales. Voulons & ordonnons que nostre amé & féal Conseiller en nos Conseils le Sieur François Chevalier de Saulx, premier evesque dudit evesché d'Alais, & ses successeurs audit evesché, joüissent de toutes les prerogatives, prééminences, honneurs, droits & revenus, & generalement de tout ce qui est attribué & acquité audit evesché d'Alais par le droit, tant commun que special ; & en outre, de toutes les autres attributions, prerogatives, permissions & avantages dont joüissent les autres evesques & dioceses de nostre province de Languedoc, même & par exprès de l'entrée aux Estats de ladite province & assiette dudit diocese, pour y avoir rang & séance, voix déliberative, en la même forme & maniere, & avec tous les droits dont joüissent lesdits evesques & dioceses de nostredite province, comme aussi que ledit chapitre de la cathedrale d'Alais, & ses successeurs joüissent de tous les droits, honneurs & prerogatives qui luy sont donnez.

SI DONNONS EN MANDEMENT à nos amez & féals les gens tenans nostre Cour de Parlement de Toulouse, que lesdites Bulles & ces presentes Lettres de confirmation d'icelles, de distraction de la ville d'Alais, & pays des Sevennes de l'evesché de Nismes, d'erection dudit evesché d'Alais, suppression de titre de ladite abbaye de Psalmodi en nostre ville d'Alais, & son union avec celle dudit Alais ils ayent à faire enregistrer, & du contenu ausdites Bulles & desdites presentes faire joüir & user pleinement, paisiblement & perpetuellement lesdits evesque & chapitre, & leurs successeurs, nonobstant opposition ou appellation quelconques, & toutes autres choses à ce contraires, pour lesquelles ne sera differé ; CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR. Et afin que ce soit chose sûre & stable à toûjours, Nous avons fait mettre nostre scel à ces presentes. Données à Versailles au mois de Juin, l'an de grace mil six cens quatre-vingt quatorze, & de nostre Regne le cinquante-deuxieme. Signé LOUIS. *Et sur le repli est escrit*, par le Roy, PHELYPEAUX. *Visa* BOUCHERAT. *Pour lettres de confirmation de l'erection de l'evesché d'Alais, & l'union de l'abbaye de Psalmodi*, & scelé du grand sceau de cire verte.

* de May.

Decretum Senatus Tolosani, pro eadem erectione.

VU les Lettres patentes du Roy, données à Versailles au mois de Juin dernier, signées Loüis, & au derriere, par le Roy, Phelypeaux, & à costé, *Visa* Boucherat, pour Lettres de confirmation d'erection de l'evesché d'Alais, scelées du grand sceau de cire verte a lacez de soye rouge & verte, par lesquelles Sa Majesté approuve & confirme la Bulle, & veut qu'elle soit executée selon sa forme & teneur; & qu'en consequence, que la ville d'Alais & le pays des Sevennes demeurent distraits à perpetuité de toute superiorité, dépendance, pouvoir, jurisdiction, correction, visite & disposition, tant à l'égard du clergé & du peuple, que de tous les benefices, & generalement de toute autre chose de l'evesché de Nismes, & iceux attribuez & annexez audit evesché d'Alais, pour son siege episcopal territoire & diocese, avec la même jurisdiction, superiorité & dépendance, pouvoir & disposition, & generalement tous les droits & prerogatives dont a joüi jusqu'à present ledit evesque de Nismes, sans luy en rien reserver que ce qui est de son revenu temporel dans ledit pays des Sevennes; que le titre de l'abbaye A de Psalmodi demeure supprimé, & son revenu avec tous ses droits & appartenances uni a perpetuité à la manse episcopale dudit evesché d'Alais, & que le titre de collegiale demeure pareillement supprimé dans les deux chapitres d'Alais & de Psalmodi, & ledit chapitre de Psalmodi & Aigues-mortes incessamment transferé dans l'eglise de S. Jean d'Alais, avec tous ses revenus, droits & appartenances, pour y fournir & composer avec celuy dudit S. Jean d'Alais la cathedrale dudit evesché, & y faire le service divin suivant la discipline ecclesiastique, loix & coustumes canoniques, & tout entierement comme est porté par les susdites patentes; & oüy sur ce le Procureur general du Roy, qui a requis le registre desdites patentes & bulles, la Cour a ordonné & ordonne que lesdites Lettres patentes du Roy & Bulle seront registrées en ses Registres, pour le contenu en icelles estre gardé & observé selon leur forme & teneur. Donné à Toulouse en nostre Parlement, B le vingt-deux Octobre mil six cens quatre-vingt quatorze, *signé* Sevin. *Collationné* Besson, M. de Sevin rapporteur *solvit* dix sols, pour la peau deux livres, ce huitieme Novembre audit an, pour la minute *solvit* neuf sols, controllé le huitieme Novembre mil six cens quatre-vingt quatorze. *Signé* DALBERT.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ LEUTEVENSIS.

I.

Ex tabul. Gellon.

Dotatio monasterii Gellonensis a Guillelmo comite.

804.

EGo in Dei nomen. Wilhelmus recogitans fragilitatis meæ casus humanum, idcirco facinora mea minuanda vel de parentes meos qui defuncti sunt, id est genitore meo Teuderico & genitrice mea Aldane, & fratres meos Teodoino, & Teoderico, & Adalelmo, & sorores meas Abbane, & Bertane, & filios meos, & filias Witcario, & Hildehelmo, & Elinbruch; uxores meas Witburg, & Cunegunde, pro nos omnibus superius nominatos dono ad sacrosanctæ basilice, qui est constructa in honore sancto Salvatore & sanctæ Mariæ semper virginis, seu S. Petri & S. Pauli, & S. Andreæ, & S. Michaëlis, vel omnium apostolorum, in illa cella Gellonis, quem ego superius nominatus Wilhelmus per consilio domni abbatis Benedicti, seu cum suo adjutorio ædificavi, quem ipse domnus Benedictus abba regere videtur, donatumque in perpetuum esse volo, hoc est res meas que sunt in pago Lutuvense, id est Litenis villa cum omni integritate vel appendiciis eorum: similiter in Marcomitis villa quantumcumque Deodatus presbyter ibidem dato pretio comparavit, vel quantum ibidem a me possessum est. Similiter dono Saturatis villa cum integritate quantumcumque ibidem visus sum habere vel possedere, casis, casaliciis, campis, pratis, silvis, garricis, vineis, hortis, molinis, aquis aquarumve decursibus, culta & inculta, quantumcumque ibidem visus sum habere, vel possedere ad ipsa casa Dei dono ad possedendum. Similiter dono in Canneto quantumcumque ibidem visus sum habere vel possedere. Similiter dono in pago Magdalonense in villa Soregia quantumcumque ibidem visus sum habere vel possedere. Similiter dono in pago Albigense villa Wiciago cum omni integritate. Similiter dono in pago Rotenico in villa Bracoila mansos duos, vineis, terris, vel quicquid ad ipsos mansos aspicit. Ista omnia superius nominata pro nos supradictos ad ipsa casa Dei vel ad suos rectores dono, trado, adque transfundo ab hodierno die ad ipsa casa Dei, dummodo si ipsa cella subjecta est ad Aniana monasterio, sicut hodie esse videtur, ipse casa C Dei vel sui rectores habeant, teneant, adque possedeant. Nam si alicus homo propter malam cupiditatem aut iniquum ingenium ipsa cella separaverit de Aniana monasterio, tunc ipsas res superius nominatas volemus eas esse donatas pro nos omnibus superius nominatos ad Aniana monasterio ad ipsas casas Dei, S. Mariæ & S. Salvatoris. Nam dum ipsa cella subjecta est ad Aniana monasterio, sicut superius diximus, precamus ut ipse abbas de Aniana benigniter adque misericorditer regat ipsa cella Gellonis seu fratres ibidem morantes, & quod ibidem minus habuerit de stipendia in ista parvitate quod ego ad ipsa cella donavi, ille propter Deum aliunde adjuvet, & suveniat sicut decet abbatem suos benevolo animo regere. Nam non admi- D nuet de ipsa parvitate ad ipsos fratres, dummodo ipsa cella subjecta fuerit ad Aniana monasterio, sicut superius diximus. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc donationem meam, quam ego prumto animo vel plenissima voluntate fieri rogavi, venire aut agere tentaverit, si ille sine peccato est, forsitan potest nostra totorum peccata portare. Nam si ille jam peccavit, puto se gravare sua & nostra sustinere velit, & pro utriusque rationem reddere, quia nos Deo adjuvante per istam donationem speramus aliquid de nostra minuari peccata. Et insuper non valeat vindicare quod repetit, sed inferat ad fisco auri libra I. & hæc donatio mea firma permaneat omni tempore. E Facta donatione XVIII. kalend. Januar. anno XXXIV. regnante domno nostro Karolo rege Francorum & Langobardorum ac patritio Romanorum & anno IV. Christo propitio imperio ejus.

II.

Ex tabul. Gellon.

De honoribus, quos adquisivit cœnobio Gellonensi S. Willelmus princeps totius Galliæ.

Edit. apud Mabillonium annal. tom. 2. pag. 718.

804.

HAnc omnem honorem adquisivit S. Willelmus princeps totius Galliæ finibus a dominis & piissimis Karolo & Ludovico imperatoribus, sibi ipsi

principes concedentes ex fiscibus & omnibus in monasterio Gellonensi Deo militantibus, ecclesiam scilicet S. Paragorii cum omnia quæ ad ipsam pertinent, Miliciacum videlicet & Campaniacum; Sedratis cum ipsius loci ecclesiam S. Saturnini. Hic ipse aliam villam, quam vocant Magarania, cum ecclesia S. Felicis, & in alio loco cellam, quam vocant Creixellam, & ecclesiam S. Genesii Ledenis cum ipso fisco; aliam villam, quam vocant Brunaute, alium villare quem dicunt Stagnole, alium quem vocant Cellam; hic ipse alium villare, quem vocant Os, alium villare quem vocant Agre cum ipso bosco, alium villarem, quem vocant Graixamarias. Hic ipse alium villarem, quem vocant Exita, aliam villam, quem vocant Faxatis, alium villarem, quem vocant Castrias, cum ecclesiam S. Martini, & quantum ad ipsam ecclesiam pertinet, alios villares duos, unum Tuda & alium Tudela, alium villarem, quem vocant Balmam, aliam villam, quam vocant Reyis, cum ipsam ecclesiam S. Martini, aliam villam, quam vocant Pauchiaco, alium villare Calmidios. In villa Ulmes mansum unum, in villa Variatis mansum unum, in villa Calvates mansos duos, in villa Montilios mansos duos, in villa Launates mansum unum, in villa Millario mansos duos, in villa Isiates mansum unum, in villa Cuguciaco mansum unum, in fisco Gabriaco mansos quinque, in villa Calmes mansum unum, in villa Feviles mansos duos, in villa Rohas ecclesiam S. Andreæ cum omnia quæ ad ipsam pertinent., in villa Maderi mansos tres cum uno molino optimo, & ad ipsas vineas retro Calmes. In Thomariolas vineas duas modiatas & campestres; in monte nigro mansos quinque cum toto vineario, quem vocant Oliveto, in villa Siniciacho mansos septem; in villa Baias mansos tres, in villa Sorbes mansum unum, in fano Willemo mansum unum, in Anaia mansos quatuor, in Lavania mansum unum, & in alia Lavania mansos duos, in villa Anglares mansum unum, in villa Pruliano mansos duos, in villa Anthora mansum unum. Hunc alodem superius resonatum adquisivit domnus Willelmus Karolo & Ludovico imperatoribus, & est originale ex parte, & ex parte imperiale, & ex parte dimiserunt homines pro remedio animarum suarum. Et ego Juliofredus abba, consanguineus Karoli imperatoris, feci hanc chartam seu hoc testamentum scribere Ingilbodo presbytero meo pro memoria, ut si defecisset vita, non defecisset paginula.

III.

Diploma Ludovici Pii pro monasterio Gellonensi.

Edit. apud Mabill. act. SS. Bened. sæcul. 4. part. 1. p. 90.

807. IN nomine Domini nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia Rex serenissimus Aquitaniæ. Quoniam cogitandum est nobis, qualiter æterni Regis amorem obsistente peccatorum pondere amittere non possimus, locis insistentibus divinis cultibus placuit largiri propter regnum æternum Salvatoris nostri, ejusque inibi sibi famulantibus beneficia opportuna: quatenus ab illo remunerati, gaudio sine fine mereamur perfrui. Ideo notum esse volumus omnibus fidelibus præsentibus & futuris, quod petente domno Guillelmo monacho, qui in aula genitoris nostri Karoli Augusti comes exstitit clarissimus, sed pro Dei amore meliorem exercens vitam, studuit esse pauper recusando sublimia; ob inrevocabilem vero suæ dilectionis circa nos fidelitatem petitioni ejus præbentes assensum, placuit nobis, tam pro mercedis nostræ augmento, quam pro amore ejus, ad monasterium quod dicitur Gellonis, situm in pago Lutevense, juxta fluvium Araur, subtus castrum Virduni, sacratum in honore Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, & sanctæ Mariæ, sanctique Michaëlis, ac sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & S. Andreæ, omniumque apostolorum, constructum a jam dicto comite Guillelmo in causa nostri genitoris, ubi Juliofredus rector & abbas præesse videtur, aliquid ex rebus tradere nostris, id est fiscum quemdam nostrum in pago Biderrense qui dicitur Miliacus, cum villa & ecclesia S. Paragorii, & Miliciano villa, atque Campaniano cum omnibus appendiciis & adjacenciis suis sub omni integritate, sicut a misso nostro comite Gotcelmo per cruces in lapidibus sculptas, seu decursus aquarum in terminationibus traditum & assignatum est, & a genitore nostro, & a nobis possessum. Et in pago jam dicto Lutevense locum qui dicitur Gastrias, vulgare autem castra pastura, ad pecora eorum alenda, cum ecclesia S. Martini, cum terminis & adjacenciis suis, cum omni integritate ad diversos usus eorum, & in eodem pago villam quæ dicitur Magaranciatis, cum ecclesia S. Felicis, cum omnibus appendiciis & adjacenciis suis. Honorem vero illum quem domnus Guillelmus, seu alii fideles per instrumenta cartarum præfato monasterio tradiderunt, in quibuscumque locis sit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci per nos aut per alios voluerit pietas divina augeri, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimonia pauperum & stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Hæc omnia præscripta cum ecclesiis, villis, villaribus, domibus, edificiis, campis, terris, vineis, olivetis, silvis, garricis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, perviis exitibus & regressibus, cultis & incultis, cum omnibus adjacenciis eorum, totum & integrum prædicto monasterio Gellonensi per hanc nostræ donationem auctoritatis perpetualiter concedimus ad habendum, ita videlicet ut quidquid ab hodierno die & tempore de prædictis rebus facere vel ordinare, vel etiam disponere habitatores hujus loci voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Godolelmus notarius ad vicem Guigonis recognovit. Datum hoc præceptum V. kal. Jan. indictione prima anno XXVII. domini Ludovici regni Tolosæ publice, Karoli vero imperii VIII. Et ut hæc auctoritas nostris, futurisque temporibus Domino protegente valeat inconcussa manere, manu propria subscripsimus, & anuli nostri impressione firmari jussimus. In Dei nomine feliciter, amen. Signum domni Ludovici serenissimi regis.

IV.

Notitia consecrationis ecclesiæ cathedralis S. Genesii sedis Leutevensis a S. Fulcranno episcopo restauratæ.

Ex tabul. Leutev.

975. POst gloriosissimum Domini nostri Jesu Christi ortum, & venerabilem trabeationem ipsius jam mortis vinculo salutari ejus potentia supplantato, postquam per clarificationem Dominicæ Ascensionis parta victoria ad dexteram patris summo resedit olympo, bis senos quos sibi ex subjecto orbe egregios suique consiliarios coadunaverat milites per universi mundi limites sacratissimo sui documenti eloquio instructos diversa climata seorsim perlustrare præcepit, ut sicut a duodecim tribubus Israëliticæ stirpis mystica fuerat institutione ostensum quatinus singuli per tribus singulas legalem .... exquisitos, qui juxta numerum sui ad ædificandum holocaustorum altare Jordanis ex alveo lapides reportarent, ita a præfatis Redemptoris militibus duodenariis fulcimento subnixum ex lavacro regenerationis devectum .... in cordibus fidelium conderentur, quorum mundata fabrica coleretur, & Spiritus sancti gratia dicaretur. Hi igitur gloriosissimi ducis paracliti Spiritus linguis imbuti, facundiæ decorati documento, fidei armis muniti, provincias intrepide adeunt, ut quæ a bono magistro in tenebris hauserant, in tectis jam tandem reserata manifestarent, ut non jam sub modio, sed supra candelabrum illorum

opera figerentur. Præterea plurimos ex vita gentilium Christi jugo mancipando Trinitatis fide corroborant, æternaque dogmata pandunt, ac cœlestis civitatis mœnia intrare subministrant. Interea corroborati in fide ecclesias per diversas construunt regiones, quas postea imitatores fidei existentes & satagentes singulis singulas propriis * manibus dedicant, nec minus præterea a successoribus fidelibus integritas fidei prædicatur in munere ecclesiæ utrobique conscriptum, in quibus beneficia petentibus tribuantur, æternaque in januæ ingressu patentia.

* martyribus.

In Christi igitur nomine Ludovensis provinciæ primo vili materia in honorem B. Genesii martyris ecclesia fabricatur, quam postea venerabilis Fulcrannus antistes & author existens solerti studio reparavit & auxit, auctamque juxta ritum universarum ecclesiarum Christo noviter consecrari curavit, quod multorum episcoporum ut sanctius certiusque perficeretur authoritate, archiepiscopum S. sedis Narbonensis metropolitanum, dominum videlicet Aymericum moribus & vita perspicuum, necnon etiam sanctos quos posuit Deus episcopos, Ricuinum scilicet Magalonensis ecclesiæ venerabilem pontificem, & Deusdet Ruthenensis ecclesiæ episcopum in hujusmodi dedicationis mysterium coascivit.

Præterea quædam venerabilia exstruxere altaria, quæ perspicientibus ne putentur prorsus carere ordinis ratione, primum in honorem gloriosæ Domini nostri Jesu Christi nativitatis construxere; & sicut ob humani generis reparationem Deus homo factus visibilis primum mundo apparuit, ita & hoc in ordine nativitatis primum existit altare; & quemadmodum post ejus nativitatis exordium in baptismi gratia integritas claruit, pater videlicet in filii ostensione, filius in regeneratione, Spiritus sanctus in columbæ descensione, ita æquum fuit ut post Nativitatis altare Trinitatis construeretur altare. Sepulcri vero & Resurrectionis necnon Ascensionis sequentia dedicantur altaria, ut sicut sua venerabili morte gehennam mortis superaturus, & semitam sepulcro quiescens tertio die resurrexit ut dixit, sicque discipulis patefactus jam demum conscendit æthera victor, ita tertium altare in honorem sepulcri, quartum Resurrectionis, quintum Ascensionis, sextum deinde in honorem S. Mariæ, septimum in honorem S. Michaëlis archangeli, octavum in honorem S. Amantii confessoris devotus pater erexit altaria. His denique constitutis & honorifice decoratis cum omni diligentia studuit consecrari, scilicet ut prælibata S. Genesii in filii adoptionem lætetur ecclesia, ipsique libenter mysteriis vacare delectentur. Hic idem prælibatus pontifex divinæ caritatis admonitus instinctu omnes res ut in ipso sui pontificatus exordio Deo & ecclesiæ reperit tradita in usum canonicorum, idem ipsam canonicam cum omnibus quæ ad eam pertinent non aliter quam invenit ad honorem Dei ecclesiæ canonicis liberaliter contulit, & insuper velut pastor & pater ecclesiæ & filiorum ex iis quæ ecclesiastico jure ad eum pertinere videntur eandem augmentat canonicam: concedit quippe ecclesiam S. Salvatoris quæ dicitur de Ripa, ecclesiam S. Genesii quæ dicitur Salascum, &c. Tres quoque apparatas eidem canonicæ cum omni integritate distribuit, mercatum vero medium cum suo medio telone ipsis canonicis ibidem.... meditantibus qui ordinem canonicum voluerunt observare omnigena caritate concedit. Bosetum vero vallis Pegarrensis sive omnia plantaria, quæ quondam fuerunt in usum condaminarum, eadem exhibet voluntate ipse idem Fulcrannus pontifex ob animæ suæ redemptionem & futuri sæculi remunerationem. Donat insuper Christo filio Dei & sancto Genesio cæterisque altaribus suprascriptis villam quam vocant Olivetum & proventum & novaniam, sicut ille præordinare & per scripturam monstrare voluit tam ex quæsitis quam ex acquirendis. Si quis igitur tanta rabiei peste dominatus hanc ecclesiam Domini ex omnibus rebus sibi jure traditis tam in inquisitis, quam in inquirendis, tam in legaliter ordinatis, quam in ordinandis, in qualibet provincia dispositis, aut disponendis, sive in hac Lutevensi in qua ecclesia istiusmodi rerum donatarum, & compotes......... sita esse videtur, sive in Narbonensi, sive in Biterrensi, sive Magalonensi, necnon etiam in Sustantione, sive & in Ruthenensi, aut in provincia Nemausensi mala arte, aut malo ingenio, aut aliqua occasione violare tentaverit consors; aut temeraria præsumptione ab hæredibus ipsius ecclesiæ alienare aut aliqua fraude nocere voluerit, nisi infra XL. dierum spatium satisfactionis remedio emendetur, in profundi Phlegetontis voraginem particeps factus Dathan & Abiron cum omni possessione sua demergatur, oretque ecclesia pro ultione inimicorum suorum dicens cum psalmo: *Domine Dominus meus pone omnes inimicos meos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti, qui dixerunt possidere se hæreditatem in sanctuario tuo. Sicut ignis comburens sylvam, & flamma montes, ita combures, & destrues illos in furore tuo, & in virtute tua in perpetuum destruantur, suisque pleni ignominia & iniquitate, gemant, & confundantur, & cognoscant quia nomen tibi Dominus, regnabisque in sæcula sæculorum.* Insuper omnes maledictiones & detestationes novi & veteris testamenti cum iniquitate & impietate sui cordis incurrant, ut convertantur retrorsum, & iniqui fiant, & cum Juda Domini traditore apud inferos perpetua pœna damnentur, quatenus ecclesiæ Christi sint propriis rebus corroboratæ per omnia sæcula sæculorum. Coronata lætetur ecclesia S. Genesii Lutevensis. Dedicata est igitur hæc ecclesia in honorem S. Genesii anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXV. indict. III. regnante Lotherio gloriosissimo rege Francorum, Sig. Aymericus archiepiscopus, Sig. Ricuimus episcopus, Sig. Fulcrannus episcopus, S. Deusdet episcopus.

Psalm. 82. 14. & seq.

V.

Codicillus seu divisionale bonorum S. Fulcranni Leutevensis episcopi.

Bolland. tom. 2. Febr. pag. 897. Ex tabul. Leutev. 987.

QUantum intellectus & sensus humanus potest mente sagaci pensare, atque solerti indagatione perpendere, nihil magis conducit ad æterna gaudia adquirenda, quam quod rebus mobilibus in alimoniam pauperum curatur exhiberi, maxime propter fragilitatem, quæ omnibus generaliter procumbit: priusquam subitanea transpositio veniat, oportet pro salute animæ vigilare, ut non inveniat quemquam imparatum, & sine aliquo respectu discedentem a sæculo. Divina scripturarum serie christianis fidelibus declaratur, ut dum homo viribus corporis viget, vigilet ne imparatum mors inveniat, sed potius currendo ad æternam beatitudinem feliciter valeat pervenire, quia mors secus introitum delectationis est posita, & neminem præterit, sed per omnes transit. Itaque ego in nomine Domini Fulcrannus gratia divina episcopus, etsi indignus peccator, timeo ne me mors præoccupet; propterea rogo atque suppliciter deprecor dilectissimos atque fideles his nominibus Matfredum episcopum, & * Gausfredum archidiaconum, & Bernardum archidiaconum, & Angelmarum, atque Stephanum abbates, & Almeradum canonicum, cæterosque fratres sub regula canonicali degentes in sede Lutevensi, non meis meritis, sed per benevolentiam & caritatem, quam vos erga me habere cognosco, rogo, ut eleemosynas meas per fideicommissum manu mea firmatum recipere non dedignemini. Omnes res meas mobiles, tam aurum, quam argentum, sive ornamenta, cunctaque animalia, vinum & omne genus annonæ, vel omnes omnino res quas in tempore quo ab hac luce migravero a me videritis possideri, juxta prudentiam vestram pro remedio animæ meæ distribuendi * episcopis, seu canonicis, necnon & monachis, cæterisque sub fide Christi degentibus habeatis licentiam. Ad hoc ego in Christi nomine

*Aranfredo

*christianis.

Fulcrannus gratia Dei epiſcopus, ſciens, quod maternus uterus me nudum protulit, cupienſque ut ita me mater terra recipiat, nihil mecum ex his quæ ſunt mundi auferens, omnes res meas pro amore & dilectione æterni patris Domini, & pro caritate noſtri redemtoris Jeſu-Chriſti, & pro confeſſione ab utroque procedentis Spiritus ſancti, & pro amore Dei genitricis Mariæ, ut ipſa ſit mihi in adjutorium intercedendo pro me Dominum, & pro veneratione ſancti Michaëlis archangeli, ut ipſe in egreſſu animæ meæ eam accipere pius propugnator occurrat, & pro amore B. Petri principis apoſtolorum, ut ipſe me abſolvere dignetur ab omni mole peccamimum, & propter amorem S. Geneſii martyris, omniumque ſanctorum quorum reliquiæ in ejus baſilica reconditæ ſunt, & propter amorem S. Laurentii & S. Xiſti cum cuncto cœtu martyrum, & propter amorem S. Martini & S. Amantii cum omni caterva confeſſorum, ut eorum piis interceſſionibus valeam conſcendere cœlum, & ſaltem in extremo agone eorum merear gaudere conſpectu tunc & in æternum. Quare omnes res meas dividere cupio, ſicut & facio, imprimis dono Domino & Salvatori meo Jeſu Chriſto in ipſa civitate Luteva, in ipſo loco quem annuente Domino, vel ejus inſpirante clementia elegi pro acquirenda æterna vita monaſterium ſtabilire, ad altaria quæ ſunt conſecrata ibidem in honorem Salvatoris mundi, & ſanctæ apparitionis ſive Dominicæ Aſcenſionis & vivificæ ſacratæque crucis eccleſiam quæ eſt fundata ad honorem S. Martini, & ſanctæ Mariæ, vel S. Johannis cum ipſa curte & cum villis his nominibus, Combas, Montilios, Leaiſano, & * Curſuale, & in ipſo comitatu eccleſiam, quæ eſt fundata in honorem S. Vincentii cum villa quæ dicitur * Goutlas, & quantum mihi advenit ex parte Radulphi filii Bernardi in ipſa villa, & cum ipſa convenientia quæ mihi debet advenire ex parte * Rodulfi fratris. . . . . poſt mortem ſuam, & poſt mortem de infantibus ſuis, & villam quam vocant * Balnialos, & * Lainago, & manſum de Piro quod vocant Monte-cairoſo, & villam quam vocant * Graiſſimo, illas decem modiatas de vineas quæ mihi advenerunt ex parte Guidonis tali ratione, ut in omni tempore in communia monachorum ibidem Deo ſervientium pro remedio animæ Pontii germani mei, & pro remedio animæ Guidonis remaneant iſta, ut nullus epiſcopus, nec ullus abbas, nec ullus unquam homo habeat poteſtatem vel licentiam ad feudum donare vel * convenire ad nullum hominem, nec ad ullam fœminam, ſed ipſi Domino & ſupraſcriptis monachis propriis altaribus ejus ſervientibus pro æterna retributione animæ meæ omni tempore teneant in opus dominicum: tali vero tenore, ut Matfredus epiſcopus ſit proviſor, & pater, & ordinator, & deffenſor, ac tutor ipſius monaſterii, & omnes canonici ſancti Geneſii ſedis Lutevenſis adjutores conſolatoreſque ſint propter Dominum, quatenus illis æterna merces animæ meæ, & pro remedio reddatur a Domino Jeſu Chriſto. Et minime volo vel ſpero futurum aliquando, quod abſit, pro minoratione vel irruptione ſeu aliqua diminutione unquam ullam calumniam præſumpſerit quis ingerere, tremendo atque æquiſſimo judici Domino redditurum ſe ſciat rationem in die judicii, & in perpetua condemnatione ſit in conſpectu Domini. Ego vero Fulcrannus gratia Dei epiſcopus, in diebus meis fudi preces in conſpectu pii retributoris, ut educatores loci illius a Chriſto remunerentur, & contrarii ab ipſo condemnentur.

* Curtavalle.
* Gutta.
* Bernardi fratre Radulfi.
* Baturellas.
* Cagnago.
* Croſos.
* conſentire.

Ad altaria quæ ſunt conſecrata in honorem nativitatis Jeſu, atque ipſius reſurrectionis, quæ ſunt in aula S. Geneſii, dono in villa quam vocant Pruneto manſos duos quæ advenerunt mihi de Arleno, & ad ſancta Eulalia in loco quem vocant * Paderino modiatas V. de vineas. Ad altare S. Michaëlis in ipſam domum dono manſum unum de * Calumbo, & vineam quam conquiſivi a Ricardo, in tali ratione, ut Andreas preſbyter quandiu vixerit teneat & poſſideat, & per ſingulas

* Padernis.
* Catumbo.

A noctes de luce in lucem ipſis ſacris altaribus luminaria ſubminiſtret, matutinas vero & miſſam aut ipſe, aut ſuus legatus ante ſacra altaria pariter celebret: poſt obitum vero ipſe, vel ipſi, quibus hæc cura ſucceſſerit, ut ſimiliter faciant obſecramus. Ad altare quod eſt conſecratum in honore ſancti Sepulcri, & ad altaria ſancti Laurentii, ſancti Martini, & ſancti Georgii dono villam quam vocant * Lavarnia, in tali ratione, ut Aranfredus, & Anſaldus preſbyteri teneant eam in vita ſua: matutinas vero & miſſas & omne ſacrum myſterium ac luminaria ipſis ſacris altaribus quotidie miniſtrent cum omni diligentia, & poſt obitum eorum ipſi, quibus hæc cura ſucceſſerit, ut ſimiliter agant præcipimus. Ad altare quod eſt fundatum in honorem ſanctæ Mariæ dono manſum de * Tuda, ita ut teneat eum Anſaldus B in vita ſua, & poſt obitum ejus pro remedio animæ meæ ſanctæ Mariæ remaneat. Ad altare quod eſt conſecratum in honorem S. Geneſii, ubi ſedes Pontificalis eſſe dignoſcitur, dono alaudem meum eccleſiæ quæ eſt fundata in honorem S. Petri vel omnium apoſtolorum, cum villis ipſis nominatis * Oliveto, & * Condomina, & manſum de * Ilice, & de Galhiargo, & in alio loco eccleſiam mediam quæ eſt fundata in honorem ſanctæ Mariæ in villa * Roviniaco, & quantum in ipſa villa viſus ſum habere; & in alio loco eccleſiam mediam quæ eſt fundata in honorem ſanctæ Mariæ in villa Avalleta cum ipſa medietate de ipſa villa; & in alio loco eccleſiam quæ eſt fundata in honorem S. Vincentii cum ipſa villa quam vocant * Majoriis, & cum ipſo caſtro quod vocant Gibreto, & in alio loco C eccleſiam quæ eſt fundata in honorem ſancti Johannis in villa quam vocant Plenis cum omni integritate & cum ipſis ſex manſis quæ mihi advenerunt ex parte Dicitranni quæ ſunt in ipſa parrochia, & inſuper ſylvam quam vocant Marrarita; & in alio loco tertiam partem de eccleſia quæ eſt fundata in honorem S. Stephani in Alba-aqua; & in ipſo comitatu in alio loco eccleſiam mediam quæ eſt fundata in honorem S. Geneſii in villa quam dicunt Furnis, cum ipſis duobus manſis quæ mihi evenerunt de infantibus Gerardi, & in villa quam vocant Balmas manſa tria & unum appendiarium, & villam quam vocant Clairato cum ipſa * recirculata, & manſa duo de Carrumbello quæ mihi advenerunt ex parte Radulfi & Bernardi; & in alio loco eccleſiam quæ eſt fundata in honorem S. Martini D cum omni integritate & cum ipſa villa quam vocant Caſtellaro, & in villa Murus manſa tria, & in vicaria * Giniacenſi in villa quam vocant * Virdenobre quantum ibidem habeo & evenit mihi ex parte Pinæ proximæ meæ, & in villa * Geneſtaga manſa ſex quæ mihi advenerunt ex Aramfredo fratre meo: ipſas res ſupraſcriptas dono & cedo & trado in amorem & dilectionem & caritatem Patris & Filii & Spiritus ſancti per vocem & caritatem Chriſti Filii Dei, & per præcepta ipſa Dominica, quibus dilexit nos, & ego diligo eum, trado & in pleniſſimam poteſtatem omnia ſupraſcripta & omnes capellas quæ in epiſcopatu S. Geneſii ſedis Lutevenſis ſunt * confirmata cedo & dono Domino noſtro Jeſu-Chriſto, & eidem S. Geneſio in villa quam vocant * Salazo eccleſiam quæ eſt fundata in honorem Salvatoris, & in villa quam vocant E * Mocgarias eccleſiam quæ eſt fundata in honorem S. Jacobi; & in villa quam dicunt Foderias eccleſiam quæ eſt fundata in honorem S. Mariæ cum ipſa turri & cum fortalitiis quæ modo ſunt & inantea erunt; & in villa quam vocant Supertis eccleſiam quæ eſt fundata in honorem S. Geraldi cum ipſa turre & cum ipſo cincto & cum ipſis fortalitiis quæ modo ſunt & inantea erunt; & in villa quam vocant villare Uſclato eccleſiam quæ eſt fundata in honorem ſancti Ægidii; & in villa quam vocant Cleucarias eccleſiam quæ eſt fundata in honorem S. Michaëlis; & in villa quam vocant Caprariolas eccleſiam quæ eſt fundata in honorem S. Geraldi cum earum eccleſiaſticis quod ad præſcriptas eccleſias procedit ac procedere debet. Sic dono eas

* Haverna.
* Tuda.
* Obivedo.
* Condomna.
* Decevre.
* Gabarger.
* Lumignago.
* Maſomas.
* reculata.
* Lunatenſi.
* Vernedobre.
* Genefredo.
* conſecratæ.
* Solaſno.
* Mobgarias.

ſupradictas eccleſias Deo, in tali ratione, ut ipſi qui eas A ædificaverunt, & illorum poſteritas habeant honorem quod inter me & illos convenit: ipſæ vero eccleſiæ ſint in poteſtate & ſubjectione S. Geneſii, & de Fulcranno præſule & Matfredo epiſcopo, & canonicis S. Geneſii & ſucceſſoribus eorum, & turrem de Bernardo de Alba-aqua in tali ipſa convenientia: ſimiliter eccleſiam S. Vincentii habeat & teneat Bernardus archidiaconus in vita ſua cum ipſa villa in tali convenientia, ut per ſingulos annos ad feſtivitatem S. Petri, quæ eſt III. calendas Julii, & ad feſtivitatem omnium ſanctorum fratribus canonicis refectionem in futurum tribuat.

Eccleſiam mediam S. Mariæ de * Ruviaco & villam de Caſtellario excepto eccleſiaſtico teneat * Gaufredus archidiaconus in vita ſua, & per ſingulos annos pro manſo, & pro maſſato quæ ego dedi S. Martino pro luminari donet eidem altari duo ſextaria * de oleo. Eccleſiam mediam S. Geneſii de Furnis teneat Bernardus canonicus cum ipſis duobus manſis quæ conquiſtavi de infantibus Geraldi in vita ſua, & per ſingulos annos ad feſtivitatem S. Geneſii donet canonicis ad collationem tres ſextarios de pigmento, & ſextarios duos de vino, & pro anima mea mittat ante altare S. Geneſii candelam octo denarios * valentem.

* Remugnaco.
* Aramfredus.
* officii.
* de nummis ſeptem.

In villa * Raynaco manſum de Chriſtophoro preſbytero teneat Aldignerius in vita ſua, & in Dominica de Quadrageſima donet canonicis ſextarios duos de pigmento, & . . . . manſum de Benedicto & de Geneſtado teneat Sitfredus, & in ipſa villa Stephanus de Melgarias alium, & in ipſa villa Petrus Stephanus de Muatis alium, & in ipſa villa Odo canonicus alium, & in ipſa villa Garnerius canonicus alium: ipſa ſex manſa ſicut Sitfredus diviſerit inter illos ita teneant, & donent per ſingulas Dominicas in Quadrageſima unus quiſque de ſex donet canonicis SS. II. de pigmento, & in Cœna Domini Sitfredus III.

*Ramigaco.

In villa quam vocant * Nemus. Andræas canonicus nepos meus manſa duo, unum majus & aliud minus, & tria Hugo canonicus teneat, & donet Andræas S. Geneſio in Reſurrectione Domini candelam valentem denarios ſeptem, & in Nativitate Domini Hugo candelam valentem denarios tres, & ſi Andræas ſupervixerit Hugoni, ipſum manſum illi remaneat. Aliud manſum quod mihi evenit de parte Gumarandi teneat Geneſius, & det in Aſcenſione Domini candelam nocturnalem S. Geneſio.

* Minus.

In villa quam vocant Balmas manſum quod acquiſivi de Bernardo teneat Matfredus canonicus, & per ſingulos annos donet S. Geneſio candelam valentem denarios duos. Ipſos alaudes qui ſupra ſunt ſcripti diviſos ita eſſe volo, ea tamen ratione, ut Matfredus epiſcopus & canonici S. Geneſii ſimul teneant, ille unam partem vel medietatem, & canonici aliam, & per ſingulos annos ad Nativitatem Domini fratribus canonicis S. Geneſii refectionem ſimul præparent, dimidium modii de annona, & de vino ſextarios XII., & una vaca, & porcos tres cum omni dignitate. Ad Apparitionem Domini ſimiliter, & ad Dedicationem de altaribus dominicis ſimiliter, in honorem ſancti Sepulcri die Sabbato ſancto de annona & de vino ſimiliter, & pro porcis ſolvantur tres denarios optimos. Ad diem feſtum Paſchæ de annona & de vino ſimiliter, & porcos III. optimos, & mutones VI. & omnem dignitatem. Die Aſcenſionis Domini ſimiliter, & ſimiliter in die Pentecoſtes; in idibus Maii in dedicatione ſancti Sepulcri ſimiliter; pridie nonas Octobris in dedicatione ſancti Geneſii refectionem abundantem cunctis canonicis perminiſtrent; pridie nonas Februarii, quando ego Fulcrannus pontificalem cathedram ſuſcepi valentem plus . . . . & perfecta refectione ſupraſcripta. Ipſa vero die qua me Dominus de hoc ſæculo migrare juſſerit, miſſas & omne divinum officium & refectionem abundantem: ipſe autem Matfredus epiſcopus, nec ullus comes, nec ulla poteſtas habeant liceptiam donare vel conſentire ad fevum nec ad alodem, nec ad ullum hominem, nec ad ullam fœminam ipſos alodes ſupraſcriptos, niſi ad ipſos ſervientes in ipſa eccleſia, & qui in Dei ſervitio deſudaverint: poſt obitum vero Matfredi epiſcopi in B communia canonicorum ſancti Geneſii remaneant, ea ratione, ut ſint per ſingulos dies per me factæ charitates ſupraſcriptæ unaquæque in ſuprataxato tempore. Et ſi ullus homo, aut ullus epiſcopus regimen eccleſiæ S. Geneſii tenens, irrumpere aut diminuere voluerit ipſas charitates ſupraſcriptas, Chriſto filio Dei reddat rationem in die judicii.

In comitatu Ruthenico manſum de Piro-Bertrando dono S. Petro Juncellenſi, & in alio loco in villa quam vocant Cumba rotunda manſum unum, & in alio loco villam quam vocant * Malacoſta, & in villa quam vocant * Miruentus manſa duo, & in villa Garnignago manſos tres qui advenerunt mihi de parte Alcherii, & in villa quam vocant Ripa manſum quod comparavi de Stephano abbate. Eccleſiam S. Stephani de villa C Diano dono Deo, ſancto Petro, & in villa quam vocant Rogatis ſeu Rogas manſum quod advenit mihi de * Eledone vicecomite, ipſas res ſupraſcriptas dono Deo, ſancto Petro Juncellenſi, in tali convenientia, ut quandiu Stephanus abbas vixerit, uſum & fructum habeat, & ſine adjuramento de nullo homine teneat & poſſideat, & per ſingulos annos in Quadrageſima pro remedio animæ meæ officium ac miſſam celebret, & per ſolemnitates XII. apoſtolorum XII. pauperes reficiat, eiſque ſingulos denarios pro remedio animæ meæ tribuat: poſt obitum vero ejus remaneat in communia monachorum ſancto Petro ſervientium ſine ullo contradicente.

* Malaſoſſa.
* Amaventes.
* Clodomere comite.

In pago Nemauſenſe in villa quam vocant * Caſſalatis, & in villa quam vocant Valle-lupoſa quantum D mihi advenit ex * conſobrino meo Bernardo, & * meam partem de caſtello quod vocant Rocafolio dono ſancto Petro Nantenſi, & in valle quam vocant * Nias ipſum alodem qui mihi advenit de ipſo Bernardo, ſi Adalredus convenientiam non voluerit mihi intendere & tenere, dono S. Petro. Manſum quod vocant Johanne cum ipſa ſylva Margarita teneat Doctrandus in vita ſua, & poſt obitum ſuum remaneat S. Geneſio. Vineas quas Aldignerius & Fredilius donaverunt mihi dono Guitardo tali ratione, ut a Purificatione B. Mariæ det fratribus canonicis duos ſextarios de * frumento per ſingulos annos, & poſt obitum ſuum S. Geneſio remaneat.

* Caſſanalis.
* Concambio.
* unam.
* Aire.
* provento.

Iſtas res vel iſtos alodes ſupraſcriptos, ſicut ſuperius reſonat, ego Fulcrannus epiſcopus corroboro, & firmo, & teſtibus corroborandum trado. Stephanus E abbas regularis rogatus ſcripſit. Factum breve eleemoſynarum iſtud & completum pridie nonas Februarii Chriſto imperante ac rege ſperante.

S. AGELMARO abbate.
S. BERNARDO archidiacono.
S. ANSALDO canonico.
S. ALDEGNERIO canonico.
S. GERALDO canonico.
S. PETRO canonico.
S. GUITARDO canonico.

S. PETRO præpoſito.
S. BERNARDO canonico.
S. AREMFREDO canonico.
S. MATFREDO canonico.
S. ALTENO canonico.
S. HECTORE canonico.
S. GENESIO canonico.

VI.

VI.

Ex chart. Gellon.

Bulla Alexandri II. pro monasterio Gellonensi.

1066.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei Petro abbati monasterii Gellonensis, suisque successoribus secundum regulam sancti Benedicti intraturis. Quia divina clementia nos universaliter suæ ecclesiæ præesse voluit, omnibus ubique terrarum constructis ecclesiis consulere, auxiliique manum porrigere ex ipsius sanctæ apostolicæ sedis consideratione debemus, quatenus ecclesiarum Dei ministri nostræ apostolicæ authoritatis robore fulti atque muniti, securius & devotius omnipotenti Deo servire, sibique debitas preces & laudes queant persolvere. Unde quia carissimus confrater noster Rostagnus Luteventis episcopus significavit sanctæ apostolicæ sedi quædam munimina privilegiorum Gellonensis monasterii, ubi corpus sancti Guillelmi requiescit, igne esse consumpta, nos ipsius justis petitionibus inclinati, idem monasterium sub tutela & defensione sanctæ apostolicæ sedis suscepimus, & omnia quæ juris ipsius, quæque a XXX. annis retro pacifice tenuit, sed & omnia, quæ in futuro tempore ibidem sunt conferenda in quibuscumque rebus mobilibus & immobilibus, privilegii nostri pagina confirmamus atque corroboramus. Statuentes itaque apostolica censura, & sub divini judicii obtestatione interdicentes, sancimus ut nullus Rex, dux, marchio, comes, vicecomes, sed neque archiepiscopus aut episcopus, seu alicujus dignitatis persona vel conditionis de his omnibus, quæ præfato monasterio præsenti pagina confirmamus, auferre, alienare, seu diminuere præsumat. Quod si aliquis temerario ausu hujus nostræ sanctionis authoritatem infringere temptaverit, & admonitus supradicto venerabili loco digne non satisfecerit, sciat se usque ad condignam emendationem authoritate beatorum principum apostolorum Petri & Pauli vinculo excommunicationis innodatum. At vero qui custos & observator fuerit, & eidem venerabili loco de propriis rebus aliquam oblationem dare studuerit, absolutionem peccatorum suorum a remuneratore omnium bonorum, & in cœlesti sede sanctorum consortio feliciter glorietur. Datum Romæ VII. id. Martii per manus Petri S. R. E. subdiaconi atque bibliothecarii anno V. pontificatus domni Alexandri papæ II. indict. IV.

VII.

Epistola Rostagni episc. Leutev. ad monachos Gellonenses.

Circa 1066.

Edita est tom. 4. Annal. pag. 629.

FRatribus Gellonicis Rostagnus præsul Lutevensis, æternæ benedictionis munus. Noveritis, fratres carissimi, per totam hanc Quadragesimam, ut vobis coram positis retuli, apud summum universalis ecclesiæ Romanum pontificem, domnum videlicet Alexandrum papam, me mansisse Romæ; ac secundum ei, quæ, favente Dei gratia familiaribus colloquiis nostræ, vestræque quidquid potui admodum suggessisse prosperitatis, ejusque animum inclinare studuisse ad communis commoda utilitatis. Qui suas clementer annuente Domino nostro Jesu Christo accommodans aures mihi, measque petitiones suis non renuens firmare privilegiis, in calce unius interdixit, nullatenus defunctorum sepelire corpora, nisi in propriæ cimiterio civitatis, aut in monasteriis ad ipsam diœcesim pertinentibus; nec ullo modo ad ullum episcopium transferri sine jussu proprii episcopi. Quo agnito, vos importunis precibus me cogitis vobis permittere, mei episcopatus mortuorum testata sepelire corpora. Unde ego annuens tantis vestris obsecrationibus concedo & permitto, condere eorum quæ vobis fuerint corpora adlata, aut vos ipsi attuleritis. Eos autem qui sepulti fuerint vestro in cimiterio, de quibus pœnitentiam egerunt, absolvo a peccatis, eorumque participatio sit cum choro angelico.

VIII.

Rescriptum Alexandri papæ II. ad Petrum abbatem Gellonis, quo monasterium Gellonicum sub defensione sedis apostolicæ suscipit.

Ex tabul. Gellon.

1068.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei venerabili abbati monasterii S. Salvatoris in episcopatu Lutevensi constituto in loco, qui dicitur Gellonis, suisque successoribus canonice substituendis perpetuam in Domino salutem. Licet generali sollicitudine circa statum omnium ecclesiarum invigilare debeamus, specialius tamen eorum utilitatibus nos convenit providere, quorum vitam & conversationem studio monasticæ religionis claret resplendere : tanto enim sanctæ apostolicæ sedis, cui licet indigni deservimus, protectionem merentur, quanto internæ contemplationis ardore Domino nostro Jesu-Christo vicinius adhærere probantur. Proinde quia devotio vestra postulavit a nobis, ut monasterium vestrum defensione nostræ Romanæ ecclesiæ muniremus, inclinati precibus vestris idem cum omnibus juste sibi pertinentibus sub tutela & deffensione apostolicæ sedis recipimus, & ab omni conditione liberum & quietum esse decernimus, ita tamen ut proprii tantummodo episcopi reverentia servata, nulli loco subjaceat, nisi huic sanctæ Romanæ ecclesiæ ; qui videlicet episcopus nullum in prædicto monasterio abbatem præsumat ordinare, nisi quem monachi ejusdem monasterii Deum timentes juxta regulæ beati Benedicti tenorem elegerint, ipsum vero sine omni fraude & contradictione benedicat : a quo nimirum episcopo si abbas vel monachi ipsius monasterii se injuste prægravari cognoverint, ad defendendam propriam innocentiam & episcopi infestationem corrigendam libere hanc sedem appellent. Confirmamus etiam præfato monasterio quidquid nunc juste tenet, vel deinceps tenere debet tam in cellis, ecclesiis, castellis, villis, prædiis, quam etiam in cæteris rebus, mobilibus videlicet & immobilibus, constituentes per hujus nostri privilegii authoritatem, ut nulla spiritualis seu secularis persona præsumat hujus nostræ sanctionis scriptum in totum partemve infringere, quatenus ab omni humana perturbatione securi atque quieti, omnipotenti Deo valeant militare. Si quis igitur ausu temerario hanc nostram constitutionem violare præsumpserit, beatorum apostolorum Petri & Pauli sciat se usque ad dignam emendationem authoritate excommunicationis vinculo innodatum, & cum impiis & sacrilegis æternis gehennæ incendiis deputatum. At vero qui pio intuitu custos & observator extiterit, repleatur abundantia apostolicæ benedictionis. Datum Laterani XIV. cal. Aprilis per manus Petri S. R. E. subdiaconi ac bibliothecarii anno VII. pontificatus domini Alexandri papæ II.

IX.

Bernardus Leutevensis episcopus dat monasterio Massiliensi ecclesiam sancti Gregorii Ruthenensis.

Ex chartul. Massil.

Edit. tom. 1. ampliss. collect. pag. 552.

1095.

IN Dei nomine. Ego Bernardus gratia Dei Lutevensis episcopus, notum atque manifestum esse volo cunctis hominibus, quod censu, & ingenio, atque labore meo redemi ecclesiam S. Gregorii, quæ est in episcopatu Ruthenensi in territorio Valleoli, de manu laïcorum consanguineorum meorum, Willelmi scilicet

de Provinchieres, qui tertiam partem in ecclesia ipsa injuste & per invasionem tenebat: & dedi pro ipsa tertia parte tria millia solidorum Podiensium, ea intentione ut præfata ecclesia, quæ male & inhoneste ordinata erat, bene & libere ad amorem Dei & ejus servitium ordine regulari perpetualiter ordinaretur. Hanc igitur intentionem meam complere cupiens, consilio & laude fratris mei Austorgii, dono & concedo ipsam ad præsens tertiam partem præscriptæ ecclesiæ, quam, ut prælibatum est, studio & substantia mea redemi, venerabili abbati Massiliensi Richardo; & per eum do beatæ Mariæ, atque sancto Victori Massiliæ martyri, necnon & successoribus & monachis prædicti abbatis tam præsentibus quam futuris ut habeant & possideant, & quidquid inde voluerint ad Dei servitium faciant. Debent autem præfatus abbas & monachi ejus semper scire, quod per nullum alium nisi per me & parentes meos donum hujus ecclesiæ, quod ego pro remedio peccatorum meorum, & animabus parentum meorum illis facio, adepti sunt: unde solliciti sint mihi & parentibus meis hoc donum semper recognoscere, & pro nostra salute ad Dominum exorare. Sane si quis contra hoc donum nostrum veniens .... non valeat vindicare, & carta nostræ donationis firma in æternum permaneat. Actum est hoc VI. nonas Octob. anno Domini millesimo nonagesimo-quinto. S. Bernardi qui hoc donum fecit & firmavit, & testes firmare rogavit. S. Austorgii.

X.

Donatio facta Gellonensi monasterio.

Edit. apud Mabillonium diplom. pag. 592.

1100. IN nomine Domini Salvatoris nostri Jesu-Christi. Ego Hermengardis & infantes mei Petrus Berengarii, & Bernardus, & Bertrandus, ac Ugo, & Gaucelinus, & Geraldus, nos omnes præfati donamus bono animo ac bona voluntate Domino Deo ac Redemptori nostro, ac vivificæ Cruci, ac sancto Guillelmo confessori Christi Gellonensis cœnobii, & abbati, qui nunc præest, Guillelmo, & monachis ejusdem loci præsentibus & futuris, pro anima fratris Raymundi Berengarii, qui interfectus gladio fuit, non pugnando, neque aliquid malefaciendo, sed de dormitione surgens percussus est, non tamen absque pœnitentia & communione sancta obiit. Et ut præmemorata congregatio precetur Dominum pro anima defuncti, & pro fratre alio qui captus tenetur, Guillelmo scilicet Berengario, gravi captione inimicorum, qui captus fuit in peremptione alterius fratris jam dicti, ut liberari mereatur, aliquid de alode nostro, qui est in episcopatu Nemausensi, videlicet medietatem unius mansi, qui dicitur *Redostat,* totum illud inde exire debet quartum censum & usuale omnem ad alodem, ut ab hodierno die habeant prædicti, scilicet abbas & monachi teneant & possideant sine refragatione ullius penitus personæ. Ita donamus nos omnes sano sensu suprascripti, & firmamus manibus propriis, & super altare S. Guillelmi ponimus regnante Philippo Francorum rege. S. Hermengardis, qui hanc donationem facit, & manu propria firmat. S. Petri Berengarii. S. Bernardi. S. Bertrandi. S. Ugonis. S. Gaucelini. S. Geraldi. Facta charta istius commemorationis, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi MC. feria prima.

X I.

Ex tabul. Gellon.

Galterius Magalonensis episcopus confirmat Petro Gellonensi abbati eccles. S. Martini de Lundris a Gotafrido jam concessam.

1110. NOtitia donationis, quam fecit Gotafridus Magalonensis episcopus Gellonensi monasterio. Dedit itaque bonæ memoriæ Gotafredus episcopus Gellonensi monasterio ecclesiam S. Martini de Lundras, ante quam donationem idem episcopus retinuit sibi quartam partem in decimis, & oblationibus, cæterisque ejusdem ecclesiæ redditibus, sicut sacri canones instituunt: quam quartam partem dedit præfatus episcopus in manibus Augerii archidiaconi & Rostagni de Cavairago in usum fratrum regulariter viventium profuturam. Postea vero mortuo Gotafrido episcopo, & in loco ejus Galterio episcopo substituto, fecerunt Magalonenses canonici definitionem cum abbate Petro talem videlicet, quod singulis annis persolvant eis Gellonenses monachi vaccam unam valentem XII. solidos: & si vaccam dare noluerint, donent XII. solidos Melgoriensis monetæ. Hoc tamen in monachorum erit arbitrio, utrum vaccam persolvant vel XII. solidos. Debitum autem istud, vaccam videlicet aut XII. solidos, reddant monachi Magalonensibus canonicis prima vel secunda hebdomada adventus Domini. Episcopus vero retinet sibi & successoribus suis in jam dicta ecclesia S. Martini reverentiam episcopalem, & debitam obedientiam, & synodos, videlicet inter ambas synodos quinque solidos, & decem denarios, & albergos sibi & successoribus suis. Hanc definitionem fecerunt episcopus Galterius & abbas Petrus inter canonicos Magalonenses & monachos Gellonenses in Montepessulano in præsentia canonicorum Magalonensium Petri archidiaconi, & Deodati Mancipii, & Nicetii, & Petri de Frizonicis, & Guillelmi de Diæ, & cum abbate fuerunt ibi Raimundus de Pradinas vocatus prior, & Raimundus de Baladuc, & Seguinus Clericus, & Guillelmus Belinus. Et ego Galterius Magalonensis episcopus propter reverentiam sancti loci & amorem sancti Guillelmi confessoris laudo ecclesiam jam dictam Petro abbati & successoribus ejus secundum deffinitionem, quæ superius continetur, cum decimis, & primitiis, & alodiis, & oblationibus, & cimiterio, & cum omnibus justitiis ad eandem ecclesiam pertinentibus. Actum anno Dominicæ Incarnationis MCX. indict. III.

X I I.

Ex tabul. Gellonensi.

Donum Augerii abbatis S. Salvatoris Leutevensis factum monasterio Gellonensi.

1120. IN nomine Domini. Ego Augerius altaris S. Salvatoris monasterii Leutevensis abbas vocatus cum consilio domni Petri Lutevensis episcopatus sancti Genesii episcopi & consilio & voluntate totius conventus monachorum præscripti monasterii, scilicet Raimundi de Canneto, Raimundi de Altiniaco, Raimundi Theobaldi, Petri de Balazuco, Guillelmi Papulem, Guillelmi d'Elzeria, Raimondi de Mairez, Girberti de Cabreria, Deusde Airaldi, Deusde Richini, Petri Raimundi de Canneto, Raimundi Pueruli, solvo & wirpisco Benedictum de Ferruciaco, & filios, & filias ejus, & fratrem, & sorores, & nepotes, & neptes ejus, omnemque progeniem ipsorum altari S. Salvatoris Gellonensis cœnobii, & vivificæ Cruci, & S. Guillelmo confessori, & abbati Petro II. & successoribus suis, & monachis ejusdem loci præsentibus & futuris absque omni retinemento in perpetuum. Pro hac guirpitione donavit Petrus abbas S. Guillelmi mihi & fratribus meis CX. solidos Melgoriensis monetæ. Hanc solutionem & guirpitionem fideliter & sine omni malo ingenio facimus ego Petrus Lutevensis episcopus, Augerius Lutevensis abbas, & nos omnes monachi Luteve prædicti in præsentia, & videntia, & audientia, & testimonio canonicorum Lutevensium Frotardi sacristæ, & Petri Fulconis, & Bernardi de Torolla, & monachorum Raimundi de Arboratio, & Pontii Gaucelini, & clericorum Siguini Grammatici, & Petri de la Rocha presbyteri, & Guillelmi Garene. Facta est scriptura ista mense Martio regnante Ludovico Francorum rege anno MCXX. ab Incarnatione Christi.

XIII.

Ex autographo.

Placitum in oppido sancti Martini de Cayssario habitum occasione ecclesiæ sancti Martini de Canalibus.

1122.

PLacitum quod P. episcopus Lutevensis electione partium, rogatu & monitu archidiaconorum Ruthenensis ecclesiæ, Udalrici de Veyrins, & Guillelmi de Monte-salvio, judicio G. Magalonensis episcopi inter Conchenses & Juncellenses definiendum suscepit.

Conchenses proponebant donationem convenientiariam laïcorum se habuisse, & ecclesiam S. Martini de Canalibus, priusquam Juncellenses eam obtinerent, & donum a Pontio Stephani Ruthenensi episcopo suscepisse profitebantur. Juncellenses contra resistebant, dicentes quod donatio illa incerta erat, & etiamsi consisteret, invalida, quoniam nuda & sine traditione fuit, & de sua, a qua non fuerunt exclusi, possessione, & ostenderunt antiquam chartam, in qua Raimundus Marchicomes ecclesiam eandem dedit in alodem Juncellensibus cum omnibus suis pertinentibus, alia etiam instrumenta chartarum, quæ testabantur eandem ecclesiam laïcos habuisse ad feudum de manu abbatis Juncellensis, longam etiam possessionem per se & feudatarios suos ostenderunt. Magalonensis & Auradicensis episcopi quæsierunt a Conchensibus, ut ostenderent donationem episcopi Ruthenensis. Tunc Bonifacius abbas Conchensis produxit se testem, quod Bego prædecessor ejus abbas Conchensis commonitus a capellano Ruthenensis episcopi, testatus est se vidisse donationem istam factam a prædicto Ruthenensi episcopo, & testimonium suum scriptum reliquit. Produxit etiam quemdam militem, qui audivit præcipere Ademarum episcopum Ruthenensem in placito quod habebat inter eosdem in curia sua, ut utrimque venirent ad testimonium Begonis, chartam etiam Conchensis abbas de donatione episcopi produxit.

Judicum sententia.

Intelligimus hanc ecclesiam Juncellenses possedisse, sed ex allegationibus, & ex adversariæ partis concessione, monimentis etiam chartarum eorumdem possessio corroboratur. Donationem vero quam Conchenses asseverant, invalidam contra Juncellenses judicamus, quia nuda, & sine traditione fuit, & de eorum qui nondum jure exclusi erant possessione. Et licet jure non constiterit donatio, non tamen ejusdem esse sufficientem probationem, quoniam abbates in propria causa non potuerunt esse testes; neque Begonis testimonium, qui solus & sine jurejurando testatus est, admittimus. Decernimus itaque ut prædictam ecclesiam S. Martini de Canalibus Conchenses Juncellensibus quiete & secure dimittant, ab eisdem quorum procul dubio juris est ulterius possidendam. Actum est hoc apud S. Martinum de Cassaro anno Dominicæ Incarnationis MCXXII. SS. P. Lutevensis episcopi, in cujus potestate hoc placitum firmatum atque placitatum fuit, Petri Fulconis canonici, Petri Magalonensis archidiaconi, Petri Gabaldi canonici, Arnaldi canonici, Austorii, Rigaldi Salseti, Hugonis de Cornutio, Agulionis, Raimundi Petri Ciret, Arnaldi abbatis S. Tiberii. Bernardi Richardi & cæterorum qui huic placito adfuerunt.

XIV.

Ex original.

Bulla Callixti papæ II. pro monasterio S. Salvatoris Leutevensis.

1123.

CALIXTUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Augerio abbati monasterii S. Salvatoris, quod intra Leutevensem civitatem situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

A Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Tuis igitur, dilecte in Christo fili Augeri abbas, precibus annuentes, monasterium sancti Salvatoris, cui Deo authore præsides, quod a bonæ memoriæ Fulcrando Lutevensi episcopo fundatum est, in beati Petri tutelam suscipimus, & cum omnibus ad ipsum pertinentibus protectione sedis apostolicæ communimus. Statuimus enim ut quæcumque aut ipsius Fulcrandi episcopi, vel successorum ejus concessione, aut aliorum virorum oblatione, sive alia acquisitione legitima idem monasterium impræsentiarum juste possidet, sive in futurum largiente Deo juste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis nominibus duximus annotanda: B videlicet quidquid locus vester intra ipsam civitatem Lutevam vel extra in hominibus & rebus aliis obtinet, ecclesiam S. Martini de Combis, cum tota parochia & pertinentiis suis; ecclesiam S. Genesii de Furnis, cum monte Vinacoso & pertinentiis suis: capellam S. Michaëlis, & villam de Conchis in eadem parochia; ecclesiam S. Vincentii de Gutta; ecclesiam S. Petri de Crozo; ecclesiam S. Pontii ad duas mansiones. In Biterrensi episcopatu ecclesiam S. Felicis de Solaco, cum capellis, decimis, & cæteris suis pertinentiis; ecclesiam S. Georgii de Busiaco, tertiam partem castri de Nefiano; ecclesiam S. Albani cum pertinentiis suis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eidem monasterio læsionem inferre, novas ab eo exactiones exigere, ipsum temere perturbare, aut ejus C possessiones auferre, vel abbates retinere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum usibus pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt omnino profutura. Obeunte autem te ipsius loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam elegerint. Abbatum vero benedictionem, altarium consecrationem & cætera episcopalia diœcesanus episcopus vestro monasterio gratis, & absque ulla exactione exhibeat. Sepulturam quoque loci vestri liberam esse decernimus, ut illorum qui illic sepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. D Si quæ igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non canonica satisfactione congrue emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat, & a SS. Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Ego Callixtus catholicæ episcopus ecclesiæ. Datum Anagniæ per manum Hugonis S. R. E. subdiaconi XIV. cal. Octobr. ind. I. E Incarnationis Dominicæ anno MCXXIII. pontificatus autem domini Callixti II. papæ anno IV.

Ejusdem fere tenoris ac styli est alia Alexandri III. ad Raimundum abbatem data III. non. Augusti ind. XIII. pontificatus anno 6. in qua Callixti ad instar possessiones monasterii recenset ac firmat, additque supra dictis villas de Cabrioneris & de Lavania in parochia S. Genesii, villam de Peceto, & in Ruthenensi episcopatu ecclesiam S. Mariæ de Powialar cum decimis & pertinentiis suis, ecclesiam S. Baudilii de la Fodeta cum oblationibus, & omnibus pertinentiis suis, & villam quæ infra cæmeterium ejusdem ecclesiæ est.

A

XV.

Ex autographo Elnonensi.

Petrus Leutevensis ecclesiæ episcopus dat ecclesiam S. Mariæ de Cornilio canonicis regularibus ibidem Deo servientibus.

1138.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXXXVIII. epacta VII. indictione I. concurrente V. Ego Petrus Lodovensis ecclesiæ episcopus amore Dei & spe vitæ æternæ adipiscendæ dono in perpetuum consensu & collaudatione omnium canonicorum S. Genesii, Lamberti archidiaconi S. Mariæ, Pontii sacristæ, Berengarii de Torolla præcentoris, Bernardi de Torolla, Raimundi Guillelmi, Bernardi Raimundi, Petri Deodati de Trebontio, Petri Raimundi, Deodati de Claromonte, Petri Aitbrandi, & Guitberti ecclesiam beatæ Mariæ, quæ est in monte Cornelio, & ipsum montem totum cum omnibus pertinentibus ad ipsam ecclesiam, seu ad ipsum montem tibi Nicetio, & tibi Pontio, & tibi Deodato Bertrandi, & omnibus ibi regulariter conversantibus præsentibus & futuris. Insuper dono vobis in perpetuum totum alodium, quod habeo in illo terminio, videlicet totum feudum Petri Berengarii, Guirardi, & Berengarii Fratrum, ut quantum inde ab his fevalibus conquirere potueritis, firmum vobis vestrisque successoribus & illibatum permaneat. Et reddo ipsi ecclesiæ campum illum de Rogaz cum capellis suis, & cum ecclesiastico, & cum ceteris pertinentiis suis, excepta parata, & synodo, & tertio nostræ ecclesiæ. Prædictam ecclesiam B. Mariæ ego & canonici liberam facimus, & eam dominam & matrem sublimamus, nostræ solummodo ecclesiæ subjectam esse ut filiam censentes: quam etiam cum omnibus pertinentiis suis in tutelam nostram nostrorumque successorum suscipimus causa augendi & non minuendi, causa deffendendi & non destruendi, & canonicos illos nostros esse fratres, & priorem eorum debitam obedientiam mihi Petro episcopo & successoribus meis promittere, nostrisque synodis eum interesse, nisi canonica necessitas præpedierit, decernimus. Statuimus etiam ut canonici illi sint tantum duodecim, & prior eorum sit tertius decimus, nec unquam hunc numerum excedere præsumant, nisi quis forte canonicorum S. Genesii ad conversionem illuc venire voluerit, nec aliquas ecclesias præter prædictas, nec rusticos censuales habeant, & ne habitatio secularium in monte illo fiat omnino interdicimus. Si quis igitur in posterum hanc donationis sive institutionis nostræ paginam sciens prophanator ejus in aliquo extiterit, nisi post tertiam commonitionem resipuerit, sacra communione privatus, anathema sit, & divinæ ultioni subjaceat. Omnia prædicta facimus auctoritate domni Arnaldi Narbonensis sedis archiepiscopi & Romanæ sedis legati, auctoritate domni Bermondi Biterrensis episcopi, auctoritate domni Raimundi Agathensis episcopi, auctoritate domni Raimundi Magalonensis episcopi, consilio & in præsentia domni Augerii abbatis monasterii S. Salvatoris Lodovensis, & monachorum illius monasterii, consilio & in præsentia domni Berengarii prioris Cacianensis, & Petri de Prolliano, & Petri Raimundi canonicorum loci illius, & in præsentia nobilium virorum parrochianorum nostrorum Aimerici de Claromonte, & Ermengaudi fratris ejus, Gaucelmi de duabus virginibus, Guillelmi de Claromonte, Bernardi de Malavetula, Frotardi de Malavetula, Guillelmi de duabus virginibus, Petri Raimundi de Monte-petroso, Raimundi de Morese, Bernardi Amalrici, Guillelmi Raimundi de Foderia, Bernardi Isarni, Bernardi Aranfredi de Subs, Aranfredi de Subs, Petri de Bozagas, Raimundi de Lerate, Bernardi de Monte-desiderio, & Ugonis de Cornutio, & quamplurium aliorum virorum auctorizantium.

XVI.

Bulla Eugenii III. pro monasterio Gellonensi.

Ex chartul. Gellon.

1146.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Ugoni abbati S. Guillelmi, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Ex commisso nobis apostolatus officio tam vicinis quam longe positis existimus debitores, cumque omnes fratres communiter honorare ac diligere debeamus, & ecclesiis sibi commissis debitam conservare justitiam, propensiori tamen studio charitatis illos nos convenit confovere, quos ampliori morum honestate ac religionis nitore constat esse per Dei gratiam illustratos. Hujus rei gratia, dilecte in Domino fili Hugo abbas, tuis justis petitionibus clementer annuimus, & monasterium sancti Guillelmi, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem cœnobium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate Regum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In Lutevensi episcopatu fiscum sancti Genesii Litenis, & ecclesiam sancti Johannis cum villa, atque munitione sua, cæterisque pertinentiis suis, ecclesiam sancti Martini cum fisco de Castriis, ecclesiam sancti Saturnini de Seiraz cum fisco, ecclesiam sancti Felicis, ecclesiam sancti Martini de Monte Petroso cum capellis suis, scilicet sancti Petri de Monte Petroso, & sanctæ Mariæ de Guarringa. In Biterrensi episcopatu, fiscum Miliaci cum ecclesia sancti Guillelmi, ecclesiam sancti Paragorii, ecclesiam sancti Genesii de Campaniano, ecclesiam S. Johannis de Muro vetulo, cum capella ejusdem castri, cum decimis & pertinentiis suis, ecclesiam S. Vincentii de Popiano cum pertinentiis suis. In episcopatu Nemausensi, prioratum S. Petri de Salve cum universis ecclesiis & pertinentiis suis, ecclesiam S. Petri de Mayrois cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Guillelmi de Esperone, ecclesiam sancti Martini de Beers cum pertinentiis suis. In episcopatu Agathensi, ecclesiam S. Martini de Caux cum decimis & aliis pertinentiis suis, ecclesiam S. Petri de Fontemartis cum pertinentiis suis. In episcopatu Magalonensi, ecclesiam S. Martini de Lundras, cum capella S. Girardi de castro Lundrensi, cum decimis cæterisque pertinentiis suis, ecclesiam S. Michaëlis de Grimiano cum pertinentiis suis. In episcopatu Vivariensi, ecclesiam S. Hilarii & S. Martini cum appenditiis suis de Spedonia. In episcopatu Vapincensi, ecclesiam sancti Desiderii de Ortamota, ecclesiam S. Petri de Ulmobel, cum appenditiis suis unitis cœnobio monialium Vapincensium. In episcopatu Ruthenensi, ecclesiam sanctæ Mariæ de Cornutio cum capella, & aliis pertinentiis suis, ecclesiam sancti Stephani de Larsaco, ecclesiam sanctæ Eulaliæ, ecclesiam sanctæ Mariæ de Cisterna, ecclesiam S. Martini de Mauriaco, ecclesiam S. Amantii de Bruxa, ecclesiam S. Caprasii, ecclesiam S. Saturnini & S. Juliani de Creyssel, cum omnibus earum pertinentiis. In provinciis Hispaniæ, in episcopatu Legionensi, villam quæ vocatur Vallesalis cum omnibus quæ beato Guillelmo ibidem pertinent. In episcopatu Austoricensi, ecclesiam S. Vincentii cum omnibus pertinentiis suis. In archiepiscopatu Bracharensi, ecclesiam sanctæ Mariæ de Arriano cum omnibus pertinentiis suis, & cum aliis omnibus possessionibus quæ sunt juris beati Guillelmi in provinciis Hispaniæ. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium vel ecclesiarum, atque ordinationes eorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, vel benedictiones

abbatum, & quæcumque sacramenta ecclesiastica a Lutevensi suscipietis episcopo, si tamen catholicus fuerit, & gratiam atque communionem sanctæ sedis apostolicæ habuerit, & ea gratis & absque pravitate aliqua exhibere voluerit: alioquin liceat vobis catholicum quem malueritis adire antistitem, qui nostra fultus authoritate quod postulatur indulgeat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum qui se illic sepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat, salva justitia matricis ecclesiæ. Obeunte autem te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum & beati Benedicti Regulam providerint eligendum. Sententiam vero illam quam prædecessor felicis memoriæ papa Urbanus inter vos & Anianenses monachos promulgavit, & scripto suo firmavit, ratam & inconvulsam manere censemus: adjicimus autem, ut nec episcopo, aut alicui ministrorum ejus liceat ipsum monasterium gravare. Præterea pro beati Guillelmi reverentia interdicimus, quatenus nec episcopo, nec clericis, neque aliquibus personis facultas sit ab itinere quod ad ejusdem sancti Guillelmi ducit ecclesiam viatorem quemlibet in eundo vel redeundo violenter retrahere vel dolosis machinationibus disturbare. Concedimus quoque ut ejusdem S. Guillelmi abbas vel monachi in gravaminibus suis sedem apostolicam licenter appellent, & juxta prædecessorum nostrorum institutionem ab omni conditione vel sæculari dominatione ipsum monasterium liberum sit.

Porro ecclesiæ sancti Bartholomæi & S. Laurentii, si eas dioecesanus episcopus indebite gravare voluerit, appellandi sedem apostolicam liberam permittimus facultatem. Appellatione vero interposita, nullus in eisdem locis divina possit officia prohibere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eundem locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel minuere, &c. Ego Eugenius catholicæ episc. sig. Ego Guido presbyter cardinalis tit. S. Grisochoni, sig. Ego Umbaldus presbyter cardinalis tit. SS. Johannis & Pauli, sig. Ego Aribertus presbyter cardinalis tit. S. Anastasiæ, sig. Ego Julius presbyter cardin. tit. S. Marcelli, sig. Ego Jordanus presbyter cardinalis tit. S. Susannæ, sig. Ego Theodeuvinus sanctæ Rufinæ episcopus, sig. Ego Oddo diaconus card. S. Georgii ad velum aureum, sig. Ego Octavianus diac. card. S. Nicolai in carcere Tulliano, sign. Ego Johannes diac. card. sanctæ Mariæ novæ, sign. Ego Petrus diac. cardin. sanctæ Mariæ in via lata, sign.

Datum Viterbii per manum Baronis S. R. E. subdiaconi XIV. kalend. Octobr. indict. X. Incarnationis Dominicæ anno MCXLVI. pontificatus vero domni Eugenii III. papæ anno secundo.

XVII.

Ex tabul. Gellon.

Petrus Ruthenensis episcopus confirmat monasterio Gellonensi ecclesias de Creissel.

1154.

PETRUS Dei gratia Ruthenensis episcopus venerabili fratri Raimundo secundo abbati monasterii S. Guillelmi, & successoribus ejus, & fratribus ejusdem loci præsentibus & futuris in perpetuum. Quod pia videtur devotione deposci, effectu debet prosequente compleri, quatenus & pro susceptione augeatur religio postulantium, & pro benignitate facti remuneretur liberalitas concedentium. Quia igitur vos, fratres carissimi, postulatis locum vestrum, & ecclesiam, in qua salutaris ligni dominici portio & sanctissimi confessoris Guillelmi corpus venerabile continetur, aliqua nostra munificentia honorari, justis petitionibus vestris pio favore annuimus, & ecclesias de Creissel, quas ad sustentationem vestram dari petitis, videlicet parochialem ecclesiam & capellam oppidi, cum omnibus ad eas pertinentibus, quæ inpræsentiarum possident, & quæ in futurum juste & canonice acquirere poteritis, vobis tradimus & concedimus, & auctoritatis nostræ privilegio in perpetuum possidenda sancimus. Ita nimirum ut de iisdem ecclesiis per singulos annos plena libra incensi albi Ruthenensi matri ecclesiæ persolvatur, & debita episcopalis reverentia ibidem salva custodiatur. Hujus concessionis donatio & traditio facta est cum voluntate & consilio clericorum nostrorum Ruthenensium, videlicet Raimundi præpositi, & archidiaconorum Viviani, Arnaldi, & Ademari, ac Bernardi archipresbyteri, & canonicorum Geraldi de Valle & Ugonis Raimundi & Raimundi, Guillelmi, & Willelmi de Vaureliis & totius capituli. Datum Ruthenæ per manum W. notarii X. cal. Junii anno ab Incarnatione Domini MCLIV.

XVIII.

Ex chartul. Gellon.

Præceptum Ludovici VII. pro monasterio Gellonensi.

1162.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Quanto præminentiorem locum in rebus humanis assignavit nobis moderatrix omnium superna benignitas, tanto magis consentaneum est, & nostro debitum officio Dei legem exaltare, & divinæ legis cultores honorare, eos potissimum, qui supernis inhiantes mansionibus, præ amore Dei & salutis suæ conversationi mundanæ renuntiarunt, quibus sane manentibus in solitudine monasteriorum pro pace & quiete sua & de nostris elargiri, & ea quæ a majoribus nostris eisdem collata sunt confirmare debemus & manutenere. Hac consideratione notum facimus universis præsentibus & futuris, quod per petitionem domni Richardi reverendi abbatis sancti Guillelmi subscriptarum rerum largitionem & concessionem facimus, videlicet ipsam villam sancti Guillelmi cum castro Virduni quod imminet ipsi villæ, & quod abbas possit ibi more solito justitiam exercere; & non solum ibi, sed & in omni honore quem habet in regno nostro, villam quoque S. Johannis de Gurgite nigro, quæ amodo sit sub protectione alarum nostrarum, & dicatur castrum S. Johannis; & quod nostra authoritate liceat vallare, muros facere, turrem ædificare, & omnem munitionem loco necessariam construere, & quod non liceat alicui, neque clerico, neque laïco perturbare vel inquietare. Et si contra quispiam facere attentaverit, regiam iram se promeruisse cognoverit. Parochiam quoque S. Genesii de Ledos, & quemdam fiscum regium nostrum in pago Biterrensi situm, qui dicitur Miliacus, cum honore S. Paragorii, & cum Miliciano villa, atque Campaniano, cum omnibus appendiciis suis & omni integritate sua, liceatque ibidem, si necessarium fuerit nostra authoritate munitionem facere. Locum quoque, qui dicitur Gastrias, & vulgare autem Castra pastura, cum ecclesia S. Martini, cum terminis & adjacentiis suis, & in eodem pago Lodovensi villam, quæ dicitur Maganraciacis, cum ecclesia S. Felicis, & cum omnibus ad ipsam ecclesiam pertinentibus. Honorem vero illum quem B. Guillelmus, & alii fideles per instrumenta chartarum præfato monasterio tradiderunt, in quibuscumque locis sit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci per nos, aut per alios voluerit divina pietas augere. Ecclesiam quoque S. Martini de Lundris cum villa, & villam Petrolianum & Petronianellum, & casellas quæ vulgus vocat Campanias cum omnibus terminis earum, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monasterio, & beato Guillelmo, & monachis præsentibus & futuris concedimus ibidem Deo famulantibus proficiat in augmentum. Hæc omnia suprascripta cum ecclesiis, villis, villaribus, ædificiis, terris cultis & incultis, totum & integrum prædicto

monasterio S. Guillelmi per hanc nostræ donationem A authoritatis perpetualiter concedimus ad habendum, ita videlicet ut quidquid ab hodierno die & deinceps de prædictis rebus facere, vel ordinare, vel etiam disponere habitatores hujus loci voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Actum publice Silviniaci, præsente in eadem villa domno papa Alexandro, anno Incarnati Verbi MCLXVI. regni nostri XXVI. astantibus in palatio nostro quorum apposita sunt nomina & signa. Sig. Blesensium comitis Theobaldi dapiferi nostri. Sig. Guidonis buticularii. Sig. Matthæi camerarii. Data per manum Hugonis cancellarii & episcopi Suessionensis.

XIX.

Ex tabul. Gellon.

Placitum apud Montempessulanum habitum, pro monasterio Gellonensi.

1171.

NOtificetur scripto præsenti, quod anno Dominicæ Incarnationis MCLXXI. Maria quæ fuit uxor Deodati Rigaldi veniens apud Montempessulanum in præsentia domini cardinalis Hyacinthi legati sanctæ Romanæ ecclesiæ, conquesta est de abbate S. Guillelmi, quod auferebat ei omnem honorem, quem Deodatus Rigaudi tenuerat atque possederat. Abbas contra pro se allegabat, quod Mariæ nihil de jure suo vel de jure ipsius Deodati Rigaldi auferebat, quoniam ipse Deodatus, & Brunus ejus cognatus, atque Petronilla soror sua dederant atque tradiderant monasterio S. Guillelmi, ut in die obitus sui monachi efficerentur, & in cimiterio monachorum sepelirentur. His & aliis hinc inde auditis allegationibus, pacto amicabili Raimundus de Arenis litem suprascriptam sic composuit. Maria cessit Bernardo abbati quidquid juris habebat in omni honore, &c. Bernardus abbas dedit unam domum, &c. Hæc acta fuerunt & determinata in præsentia supradictorum cardinalium, & in præsentia Pontii archiepiscopi Narbonensis, & Bernardi episcopi Biterrensis & Guillelmi abbatis S. Tyberii, & aliorum plurium apud Montempessulanum in curia S. Firmini.

XX.

Ex MS. Colbert.

Gaucelinus episcopus Leutevensis multa largitur abbatiæ Fontis-frigidi.

1186.

IN Dei nomine. Notum sit cunctis, quod ego Gaucelinus Dei gratia Lodovensis episcopus pro amore Dei, & salute animæ meæ, omniumque parentum meorum dono in præsenti Domino Deo, & beatæ Mariæ, & monasterio Fontis frigidi, & tibi Bernardo ejusdem monasterii abbati & successoribus tuis, omnique conventui ejusdem monasterii præsenti & futuro, scilicet tria millia solidorum Melgoriensium, quos mihi debet abbas Vallis-magnæ, & alia tria millia solidorum, quos mihi debet prior & conventus de Caciano, & alia tria millia & trecentos solidos Melgorienses, quos mihi debet abbas & conventus S. Tiberii: item dono tibi Bernardo abbati jamdicto, & monasterio Fontis-frigidi quatuor millia solidorum Melgorensium, quos præcepi vobis commodare domino Bernardo Narbonensi archiepiscopo: insuper dono prædicto monasterio Fontis-frigidi boves, & oves, & omnia pecora nostra, & quæcunque a me nunc habetis, & inantea quocunque modo habituri estis: dono etiam tibi Bernardo prædicto abbati monasterii Fontis-frigidi & successoribus tuis, omnibusque pro bono monasterii Fontis-frigidi prædicta debita petituris omnes actiones meas, ut liberius contra prædictos debitores meo nomine agere valeatis, debitum vero quod mihi debent Electus, & conventus S. Guillelmi, & debitum quod Guillelmus Montispessulani mihi debet retineo ad voluntates meas faciendas. Actum est hoc donum tertio calend. Jan. anno Incarnat. Dominicæ MCLXXXVI. regnante Philippo rege. Signum mei Gaucelini Lodovensis Dei gratia episcopi, qui hanc chartam fieri jussi, firmavi, atque sigillo meo corroboravi, & testes firmare rogavi. Signum mei Petri de S. Felice. Sign. Petri de Londris. Signum fratris Radulfi, Bernardus a prædicto episcopo rogatus scripsit.

XXI.

Diploma Philippi Augusti, pro ecclesia Leutevensi.

Biblioth. reg.

1210.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos Raimundo B quondam Lodovensi episcopo, & cunctis ejusdem successoribus, & ecclesiæ sancti Genesii, cui prædictus Raimundus tunc temporis præsidebat, divinæ caritatis intuitu dedimus, & concessimus, ac nostri privilegii authoritate communivimus in civitate seu villa, quæ dicitur Lodova, ecclesiam in honore B. Genesii martyris constructam, & ipsam civitatem seu villam cum omnibus suis pertinentiis, & vicariam ejusdem villæ, si qua esset, licentiam quoque faciendi in eadem civitate, & in omnibus ecclesiæ Lodovensis allodiis turres, munitiones, muros, portarum tuitiones, vallos, & castrum de Montebruno, castrum de Leraz, villam de Ripa, castrum de Pegairolis, villam de Balmis cum podio, villam de Lauros, castrum de Sobers, castrum de Foderia, castrum de Parliaiges, fortiam de Plenis, C fortiam de Ulmeto, podium de Cornillio, podium de Gibreto, fortiam de Avizate, fortiam S. Johannis de Gurgite nigro, villam S. Johannis de Pleous, castrum de Elzeria, castrum de Villacum & de Bosco, & Valletam, castrum de Albaiga, castrum de Nizate, castrum de Caux cum territoriis suis, villam de Naves, villarem Bardineum: inhibentes ne dux, aut comes, seu quælibet alia potestas super jam dictam ecclesiam, aut res ejus injustam exercerent exactionem, aut bona, vel domos decedentis episcopi occuparent, vel invaderent. Item donavimus & concessimus prænominato Raimundo episcopo, & successoribus ejus in perpetuum stratas, novas fortias, & præcipue illas, quæ fiunt in ecclesiis, & cœmeteriis, earumque domibus vel pertinentiis, & specialiter jus faciendi monetam D regia authoritate, quæ accipiatur per totum episcopatum Lodovensem, nec possent aliqui petere partem vel juris aliquid in moneta illa, & jus prohibendi facere novas fortias, & novas monetas in toto episcopatu Lodovensi, & facultatem exigendi fidelitates regi debitas, & potestatem judiciariam omnium causarum tam civilium quam criminalium seu capitalium, earumdemque per ministros executionem sub pleno fidejussionis districto sine contradictione curiæ sæcularis; & insuper omnes minarias totius episcopatus Lodovensis, quæcumque jam apertæ vel postmodum erunt aperiendæ, & regii juris esse noscuntur. Item cum prædictis omnibus nominato episcopo, & ejus successoribus concessimus in perpetuum regalia totius episcopatus Lodovensis. Attendentes igitur devotionem, quam dilectum nostrum Petrum Lodovensem episcopum ad E nos & regnum nostrum habere cognovimus, ad petitionem ipsius prædictum privilegium innovantes, omnia supradicta, sicut superius continentur expressa, adjunctis etiam hiis quæ juste & rationabiliter acquisivit, & in posterum acquiret, ipsi & successoribus suis per nos & successores nostros in perpetuum confirmamus. Quod ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri authoritate & Regii nominis caractere inferius annotato præsentem paginam roboramus. Actum Parisiis anno ab Incarnatione Domini MCCX. regni vero nostri anno tricesimo primo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa dapifero nullo. Signum Guidonis buticularii. Signum Bartholomæi camerarii. Signum Droconis constabularii. Datum vacante cancellaria.

A

XXII.

Ex original.

Bulla Gregorii IX. qua Willelmum Gellonis abbatem deponi jubet.

1228.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio R. S. Angeli diacono cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Dilectus filius Petrus Siguerii monachus pro se ac pro quibusdam aliis monachis monasterii sancti Guillelmi de Desertis, quod ad Romanam ecclesiam nullo medio dicitur pertinere, lecta in auditorio nostro nobis petitione monstravit, quod cum P. quondam abbas ipsius monasterii regimini ejusdem absque licentia pontificis Romani cessisset, & G. monachus Massiliensis in eodem per laïcalem potentiam fuisset intrusus, bonæ memoriæ H. papa prædecessor noster quod de prædicto G. factum fuerat penitus irritavit, dans venerabilibus fratribus nostris Agathensi & Uticensi episcopis, & dilecto filio archidiacono Agathensi in mandatis, ut dictum P. integre restituerent ad regimen sic dimissum. Cumque idem P. fuisset per eos in locum capituli restitutus tantummodo ad momentum, eo quod integre restituere ipsum non potuerint, quoniam dicto G. omnia castra & alia bona ipsius monasterii occupata per violentiam detinente, nec monachi obedientiam, nec homines ipsius monasterii fidelitatem ejdem Petro voluerunt aliquatenus exhibere, eadem hora sine deliberatione aliqua cedere iterum est compulsus, ac sæpedictus G. de persecutorum ecclesiæ genere fautor & receptor eorum vinculis excommunicationis astrictus, & ab abbate suo non postulatus, neque concessus, in minoribus ordinibus constitutus, & quampluribus criminibus publicis irretitus, ac nondum regularem vitam professus, eadem die fuit iterum per potentiam laïcalem intrusus in monasterio sæpedicto. Qui postmodum absolutionis beneficio non obtento ordinem subdiaconatus recipere præsumptione damnabili non expavit. Sed cum hæc nostris fuissent auribus intimata, eisdem intruso, & P. procuratori monachorum ipsorum in nostra præsentia constitutis bonæ memoriæ C. Portuensem episcopum concessimus auditorem. Sed licet in ipsius præsentia fuisset aliquandiu altercatum, quia tamen dictus procurator mandatum sufficiens non habuit, idem indiscusso negotio, & confirmationis gratia non obtenta, rediit ad memoratum monasterium, & addidit pejora prioribus, & adhuc addere non veretur, per quæ idem monasterium, quod in spiritualibus & temporalibus florere hactenus consuevit, in utrisque adeo est collapsum, quod nisi eidem per sedem apostolicam succurratur, vix adjiciet ut resurgat. Præterea cum prædicti monachi compatientes super contritione Joseph, pro his ad sedem apostolicam appellassent, idem appellatione contempta de facto, cum de jure nullam potestatem habeat in eosdem, excommunicationis in ipsos sententiam proferre præsumpsit. Quia vero hæc, si vera sunt, non debent conniventibus oculis pertransiri, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super his & cognita plenius veritate, sicut justum fuerit, eodem intruso prorsus amoto, eidem monasterio facias de persona idonea per electionem canonicam provideri, corrigens & reformans in ipso appellatione postposita, quod correctionis & reformationis officio videris indigere: contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, & quia dicti monachi unde sibi provideant in negotii persecutione non habent, quibus regula proprium interdicit, de bonis ipsius monasterii pendente hujusmodi correctionis negotio in moderatis expensis eisdem facias provideri. Datum Perusii VII. kal. Augusti pontificatus nostri anno secundo.

XXIII.

Ex original.

Epistola Romani S. R. E. cardinalis, qua Willelmum Gellonis abbatem destitui præcipit.

1228.

VEnerabili in Christo patri Dei gratia Magalonensi episcopo, ac dilectis in Christo Bernardo archidiacono Nemausensi, & magistro B. de sancto Brixio canonico & succentori ecclesiæ Narbonensis, Romanus eadem gratia S. Angeli diaconus cardinalis apostolicæ sedis legatus salutem in Domino. Litteras domini papæ recepimus in hunc modum Gregorius, &c. Hujus igitur authoritate mandati vobis qua fungimur authoritate mandamus, quatenus dicto Petro Siguerio, B ac quibusdam aliis monachis præfati monasterii faciatis in moderatis expensis, quandiu in prosecutione hujusmodi negotii perstiterint, de bonis ipsius monasterii provideri, & ad dictum monasterium accedentes, super iis quæ in dicto rescripto continentur apostolico inquiratis vice nostra plenius veritatem, & quidquid inveneritis nobis sub sigillis vestris fideliter remittatis inclusum, ut per vos instructi securius possimus procedere in ipso negotio secundum quod de jure fuerit procedendum; contradictores & rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo. Quod si non omnes his exquendis potueritis interesse, vos, pater episcope, cum eorum altero ea nihilominus exequi procuretis. Datum Parisius XVI. cal. Nov. anno MCCXXVIII.

C

XXXIV.

Bulla Bonifacii VIII. summi pontificis ad fr. Iterium de Burdegala electum Leutevensem.

Edit. apud Thomam Waddingum ad an. 1296. in appendice pag. 223.

1296.

BONIFACIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio fratri Iterio de Burdegala ordinis Minorum electo Lodovensi. Pastoralis officii cura nos admonet, ut inter cætera sollicitudinum studia, quibus mens nostra jugiter circumplexa deducitur, de statu ecclesiarum vacantium attentius & vigilantius cogitantes, ad provisionem ipsarum celerem, ne prolixæ vacationis premantur incommodis, dispendiis prægraventur, sollicitum & efficax impendere studium procuremus, illarum gubernationem & regimen personis talibus committendo, per quarum circumspectionem providam, & D providentiam circumspectam illius favente clementia, qui bonorum omnium est largitor, utiliter dirigi valeant, & salubriter exerceri. Dudum siquidem Magalonensis ecclesia per obitum bonæ memoriæ Berengarii Magalonensis episcopi solatio destituta pastoris, nos venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum de la Garda Magalonensem tunc Lodovensem episcopum ad ecclesiam Magalonensem prædictam duximus transferendum, & tandem volentes obviare dispendiis, quæ solent ecclesiis ex earum vacatione diutina imminere, ac intendentes propterea ecclesiæ Lodovensi prædictæ de persona juxta cor nostrum idonea providere; ordinationem sicut Lodovens. ecclesiæ apostolicæ sedis provisioni ea vice duximus reservandam decernentes E irritum, &c. Et demum ad personam tuam utpote religione conspicuam, scientia præditam litterarum, morum honestate venustam, vita & conversatione præclaram, & aliarum virtutum titulis insignitam attentæ considerationis intuitum extendentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesiæ Lodovensi præficimus in episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius tibi in spiritualibus & temporalibus committendo, firma concepta fiducia, quod actus tuos & opera illius dirigente clementia, qui gressus hominum dirigit, præfata Lodovensis ecclesia spiritualibus & temporalibus proficiet incrementis. Cum reverentia igitur jugum Domini suscipe, & suavi ejus oneri colla

humiliter submittere non postponas, manusque mittens ad fortia, ipsius administrationem ecclesiæ prudenter exequi studeas, & commissi tibi dominici gregis custodiam prosequi diligenter, constanter opponens te murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipso reddita in die districti examinis ratione, regnum patris altissimi ab origine mundi paratum electis accipias, in dilecta Domini tabernacula introeas, & eundem gregem tibi commissum ad uberioris meriti fructum & retributionis majoris cumulum introducas. Datum Romæ apud S. Petrum XVI. cal. Januarii anno 2.

XXV.

Bulla Johannis XXII. summi pontificis ad Johannem episcopum Leutevensem.

Edita apud Waddingum ad hunc annum pag. 137. appendicis.

1322. SEdula nos pastoralis officii cura sollicitat, ut circa statum ecclesiarum vacantium attente considerationis intuitum dirigentes, operosæ sollicitudinis studium impendamus, ut vitatis dispendiis, quæ solent illis ex vacatione diutina provenire, præficiamus ipsis personas idoneas, & viros providos deputemus, per quorum circumspectam prudentiam, & solertiam studiosam spiritualibus & temporalibus divina favente clementia proficiant incrementis. Nuper siquidem Lodovensis ecclesia, pro eo quod nos venerabilem fratrem nostrum Jacobum, episcopum tunc Lodovensem, in archiepiscopum Aquensem electum, apud sedem apostolicam constitutum, a vinculo quo tenebatur eidem Lodovensi ecclesiæ cui præerat, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ad Aquensem ecclesiam tunc vacantem, duximus transferendum, præficiendo ipsum eidem Aquensi ecclesiæ in archiepiscopum & pastorem, solatio destitutæ pastoris. Nos ad celerem provisionem ejusdem Lodovensis ecclesiæ, ne prolixæ vacationis exponeretur incommodis, sollicite intendentes, cum nullus præter nos hac vice de ipsius Lodovensis ecclesiæ ordinatione se intromittere posset, pro eo quod nos diu ante vacationem ipsius, &c. Post deliberationem quam ad deputandum eidem Lodovensi ecclesiæ personam utilem, ac etiam fructuosam, cujus industria probitatis in suis valeret juribus utiliter gubernari, ac etiam adaugeri, cum dictis fratribus habuimus diligentem ad te ordinis fratrum Minorum professorem in sacerdotio constitutum, cui de vitæ munditia, litterarum scientia, gravitate morum, circumspectionis expertæ prudentia, & aliis virtutum meritis fide digna testimonia suffragentur, direximus aciem mentis nostræ. Quibus omnibus diligenti meditatione discussis, volentes præfatæ Lodovensi ecclesiæ salubriter providere, de persona tua nobis, & eisdem fratribus ob hujusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, memoratam Lodovensem ecclesiam tibi tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod eadem Lodovensis ecclesia per tuæ circumspectionis industriam, & prudentiam circumspectam non solum præservabitur a noxiis, verum etiam salubria in eisdem spiritualibus & temporalibus divina favente clementia suscipiet incrementa. Jugum itaque domini prompta devotione suscipiens, &c. Datum Avinione VII. id. Febr.* anno 6.

* lege Julii.

XXVI.

Clemens papa VI. prorogat tempus ad benedictionem præfixum Raimundo abbati Gellonensi.

Ex original.

1349. CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Raimundo abbati monasterii S. Guillelmi de Desertis ordinis S. Benedicti diœcesis Lodovensis salutem & apostolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geris ecclesiam, promeretur ut in his quæ sunt favoris & gratiæ nos tibi promptos gaudeas invenisse. Cum itaque nuper monasterio sancti Guillelmi de Desertis ordinis S. Benedicti Lodovensis diœcesis tunc vacantis de persona tua nobis & fratribus nostris tuorum exigentia meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio authoritate apostolica duxerimus providendum, præficientes te eidem monasterio in abbatem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos tuis supplicationibus inclinati tempus recipiendi munus benedictionis a canonibus definitum, infra quod adhuc esse dignosceris, tibi usque ad festum S. Johannis Baptistæ futurum proxime authoritate prædicta de speciali gratia prorogamus, proviso quod interim taliter de ipsius monasterii administratione provideas, quod ipsum in spiritualibus non lædatur, nec propterea patiatur in temporalibus detrimentum. Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Avenione V. id. Aprilis pontificatus anno VII.

XXVII.

Fundatio Parthenonis S. Stephani de Gorjano, prope Clarummontem.

Ex tabular. Gorjan.

1350. IN nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo, & vigesima quarta mensis Augusti, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, noverint universi & singuli, præsentes pariter & futuri, quod cum per supplicationem nobilis Englesii de Luseria filii nobilis Arnaudi de Luseria domicelli domini de Luseria sanctissimus in Christo pater dominus dominus Clemens divina providentia papa sextus de benigna gratia specialiter concessit dicto Englesio ædificare unum novum monasterium monialium in episcopatu Lodovensi, in loco de Claromonte, S. Stephani de Gorjano, cui quidem monasterio idem dominus noster papa ecclesiam ruralem dicti S. Stephani de Gorjano uniret, dum tamen idem dictus Englesius dictum novum monasterium dotaret de sex millibus florenis auri, & super hoc dictus Englesius domino Lodovensi episcopo pro solvendis dictis sex millibus florenis auri se & bona sua obligaret, & cautionem idoneam præstaret eidem domino episcopo memorato, prout in litteris papalibus bulla plumbea cum filis sericis more Romanæ curiæ bullatis dicitur contineri: subsequenter idem Englesius volens exequi contenta in prædictis litteris papalibus, in manibus reverendissimi in Christo domini Bertrandi episcopi Lodovensis pro solvendis dictis sex millibus florenis auri se & bona sua obligavit, & cautionem idoneam præstitit juxta litterarum dictarum apostolicarum seriem & tenorem, prout in publico instrumento manu publica confecto & signato dicitur contineri. Deinde volens idem Englesius ut patronus dicti novi monasterii procedere juxta mandatum apostolicum, & juxta obligationem factam per ipsum, & complere ea quæ sunt perficienda, ut promisit, hac die præsenti personaliter constitutus præfatus Englesius patronus dicti novi monasterii & dictæ ecclesiæ S. Stephani de Gorjano in præsentia reverendi in Christo patris domini Roberti miseratione divina episcopi Lodovensis, ac nostrum notariorum infra scriptorum & testium subscriptorum præsentavit eidem domino episcopo religiosam dominam Isabellam de Moresio, ut eandem institueret & creare deberet in dicto novo monasterio abbatissam, pro ut sua intererat & facere tenebatur. Qui quidem dominus episcopus ad requisitionem dicti Englesii patroni dicti novi monasterii præfatam dominam Isabellam monialem recepit, & eam in abbatissam in ipso monasterio instituit & creavit cum illa solemnitate quæ convenit & fieri debet. De quibus dictus Englesius patronus

patronus, & dicta domina Isabella abbatissa petierunt eis fieri publicum instrumentum, seu publica instrumenta per nos notarios infrascriptos. Acta sunt hæc in dicta ecclesia S. Stephani de Gorjano, testibus præsentibus ad hæc vocatis, reverendo patre in Christo domino Arnaudo abbate monasterii S. Andreæ prope Avinionem, religioso viro domino Berengario Guillermo de Moresio monacho monasterii S. Andreæ prope Avinionem, religioso priore de Rupe-forti Guillermo *Astrug de Lodeva, & pluribus aliis, & me Vitale de Grossaromera de sancto Andrea prope Avinionem publico dicti domini nostri Francorum regis & authoritate imperiali notario, qui ad prædicta requisitus una cum magistro Gaussellino Cognardi regia & imperiali authoritate notario publico in notam recepi.

* Extangui.

Post quæ anno & die quibus supra dicto domno Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, noverint universi quod in præsentia dicti domini Roberti episcopi Lodovensis, ac nostrum notariorum infrascriptorum & testium subscriptorum, necnon in presentia dictæ dominæ Isabellæ dicti novi monasterii abbatissæ personaliter constitutus præfatus Englesius de Luzeria domicellus, patronus dicti monasterii, volens cum effectu complere ea quæ promisit, ut attentius divinus cultus ad Dei laudem per ipsam dominam abbatissam, & alias dominas moniales ibidem perpetuo destinandas frequentetur, & etiam sustentare vitam possint, per se & futuros suos hæredes, & in perpetuum successores bona fide, & sine dolo cum hoc vero & publico instrumento jussu & mandato ipsius facto assignavit eidem dominæ abbatissæ præsenti, & stipulanti, & accipienti pro se & aliis successoribus suis perpetuo in dicto monasterio & in futurum provenientibus, ac etiam nomine dominarum monialium quæ nunc sunt, & quæ pro tempore fuerint, coram dicto domino Lodovensi episcopo, prout sequitur. Quod primo debent esse de præsenti in dicto novo monasterio, & ibidem Deo famulari octo moniales, dicta domina abbatissa in dicto numero inclusa, & assignavit cuilibet moniali ultra redditus & proventus dictæ ecclesiæ S. Stephani de Gorjano eidem monasterio unitos cuilibet earum monialium in perpetuum quolibet anno septem sestaria boni frumenti & receptabilia ad mensuram de Claromonte dictæ Lodovensis diœcesis. Item cuilibet dictarum monialium dictus Englesius assignavit quolibet anno in perpetuum unum modium vini boni & puri ad mensuram dicti loci de Claromonte. Item assignavit pro companagio cuilibet dictarum monialium in perpetuum quolibet anno quatuor scudatos auri, seu eorum valorem in pecunia. Item assignavit pro vestiario cuilibet dictarum monialium in perpetuum quolibet anno quadraginta solidos Turonenses, exclusa dicta abbatissa, computato scudato auri pretio viginti quinque solidorum Turonensium. Item assignavit eidem dominæ abbatissæ quæ nunc est, & quæ pro tempore fuerit, pro vestiario in perpetuum quolibet anno tres libras Turonenses & de valore dictæ monetæ, videlicet si unus scudatus auri valeat viginti quinque solidos Turonenses. Item assignavit priorissæ dicti novi monasterii quæ nunc est, & quæ pro tempore fuerit, pro vestiario suo in perpetuum quolibet anno sexaginta solidos Turonenses de valore dictæ monetæ. Item sacristanæ quæ nunc est, & quæ pro tempore fuerit, pro vestiario suo in perpetuum quolibet anno sexaginta solidos Turonenses valore dictæ monetæ. Item dicta domina abbatissa & dominæ moniales habebunt duas mulieres perpetuis temporibus ad serviendum eas, quibus & cuilibet ipsarum dictus Englesius assignavit in perpetuum quolibet anno sex sestaria frumenti & ambabus unum modium vini ad dictam mensuram de Claromonte. Item assignavit dictis ambabus mulieribus pro companagio pro quolibet anno quatuor libras & decem solidos Turonenses computato scudato auri pretio supradicto. Item assignavit eisdem mulieribus pro vestiario in perpetuum quolibet anno quadraginta solidos de valore dictæ monetæ. Quod quidem bladum solvere debet eisdem Englesius, medietatem in festo sancti Michaëlis, & aliam medietatem in festo omnium Sanctorum in perpetuum quolibet anno. Item solvere debet dictus Englesius pensionem supra expressam, videlicet medietatem in festo omnium Sanctorum, & aliam medietatem in festo Pentecostes in perpetuum quolibet anno. Fuit tamen actum & expresse conventum inter dictum Englesium patronum ex una parte, & dictam dominam Isabellam abbatissam dicti novi monasterii ex altera, quod eo casu quo dictus Englesius assignaret in certis locis bene sufficientibus prædictam bladi, vini & pecuniarum qnantitatem, quod eo casu quoad illud quod assignaret juxta arbitrium & voluntatem dicti domini episcopi Lodovensis, sin obligatio & assignatio nulla esset, & nullius efficaciæ seu momenti. Actum tamen & conventum, quod si dictus Englesius aliquas alias obligationes pro alimentis solum dictarum monialium fecerat vel concesserat domino episcopo Lodovensi, & abbati sancti Andreæ prope Avenionem, vel alteri eorumdem in loco de Cognatio, sive de Ceratio, quod illa sit nulla, ista præsenti in sua efficacia remanente, & alia principalis quoad ea quæ ad solvendum restant. Actum etiam & conventum inter dictas partes, quod si dictus Englesius fecerat aliquas donationes seu obligationes perpetuas, per quas in præsenti instrumento aliquid posset innovari seu annullari, quod tales obligationes seu donationes nullæ sint, & nullius efficaciæ seu momenti. Quod si aliquod damnum aut disturbium dicta domina abbatissa quæ nunc est, & quæ pro tempore erit ad dictum monasterium & ipsæ moniales pro prædictis sustinuerint, aut expensas aliquas fecerint agendo, deffendendo, vel aliter assignando, ac petendo & requirendo dictas assignationes bladi, vini, & pecuniarum, vel in aliquo deficeret de prædictis, totum illud damnum, & omnes illas expensas præfatus Englesius per se & suos solvere & restituere promisit, & integrum restituere, de quibus damnis, interesse, & expensis respondere dictus Englesius promisit solo simplici verbo dictæ dominæ abbatissæ, sine sacramento & testibus, & absque alio genere probationis, quod verbum simplex loco cujuslibet probationis sibi retulit de præsenti nonobstante jure dicente, quod *nemo in causa propria potest esse judex & arbiter sine testibus:* cui juri dictus Englesius specialiter & expresse renunciavit, promittens idem Englesius prædictæ dominæ abbatissæ stipulanti ut supra, se nihil dixisse seu fecisse in præjudicium, nihilque dicet vel faciet in futurum, quominus prædicta omnia & singula obtineant perpetui roboris firmitatem, & ita hæc omnia & singula supra & infrascripta attendere complere, & contra in aliquo nunquam facere vel venire de jure, vel de facto, per se, vel per aliam personam interpositam seu interponendam, alicujus seu aliquorum arte, ingenio seu cautela promisit & juravit ad sancta Dei evangelia ab ipso gratis corporaliter tacta: quod & sub dicto juramento * certius de facto & ad plenum de jure consultus plenius & instructus, ut dixit, ex certa scientia renuntiavit exceptioni doli mali, metusve, & in factum actioni, conditioni indebiti, sine causa vel ex injusta causa, juris & facti ignorantiæ, errori calculi, quæ devestienda, ac viginti dierum judicis & fori privilegii patronorum novæ bastidæ concessit concedendæ, & litteris de statu, & patriæ potestati, petitioni & oblationi libelli de transcripto hujus publici instrumenti, & ejus notæ inspectioni, & generaliter omni alii juri canonico & civili, divino & humano, scripto & non scripto, condito & condendo, quo vel quibus contra prædicta vel aliqua de eisdem venire posset, seu in aliquo se juvare. Pro quibus omnibus & singulis infra scriptis solvendis, complendis, & inviolabiliter ac firmiter attendendis in singulis capitulis præfatus Englesius ex certa scientia obligavit eidem dominæ abbatissæ stipulanti & accipienti, dictoque suo monasterio,

* pertinens.

successoribus suis, & monialibus ejusdem se & omnia bona sua mobilia & immobilia, præsentia & futura, qualiacumque sint, quantacumque & ubicumque potuerint reperiri, jure pignorum & nomine hipotecæ precario constituit se possidere, nec de hujusmodi assignationibus & expensis inde reservandis fuerit eidem dominæ abbatissæ, & ejus monasterio, & successoribus futuris plenarie & integre adimplere volens & consentiens præfatus Englesius per pactum expressum, & pro observatione, & ex sua certa scientia possidere omnia bona sua presentia & futura, & debere ex illis pro solutione & ad solutionem omnium supradictorum & de facto habendo omnia supra & infrascripta, ut supra est expressum, & pro observatione omnium prædictorum & infrascriptorum cogi & compelli per generalem curiam cameræ domini nostri Papæ & ejus camerarii, & ipsius curiæ cameræ generalis auditoris commissarii, vel locum tenentis eorum, & cuilibet eorum, per curiam parvi sigilli Montispelii & per curiam domini episcopi Lodovensis, & ejus officialis, necnon & personam suam obligavit domui Malepago domini episcopi Lodovensis, personæ suæ captioni, incarcerationi, & detentioni ad quem seu quas dicta domina abbatissa, quæ nunc est, vel quæ pro tempore erit, vel ejus procurator nomine illius, & quæ in dicto monasterio suo successerit, duxerit & duxerint remedium: quarum quidem curiarum & cuilibet earum gratis supermisit jurisdictionem cohærentem viribus, & omni censuræ res, & bona sua, omnia & singula, persona excepta quam non obligavit, nisi dictæ domui Malepago domini episcopi Lodovensis, nonobstante quod si processus fuerit in una curia vel pluribus inchoatus, posset nihilominus ipsa domina abbatissa, seu ejus procurator, & aliæ dominæ abbatissæ, quæ pro tempore fuerint in monasterio, ipsam & ipsas dimittere, & aliam & alias sibi de novo eligere, & eam & eas datis & redditis, prout sibi videbitur expedire, absque processus interpositione & præjudicio certi judicis, nonobstante jure dicente, *ubi inceptum judicium, ibidem finiri debet:* cui juri præfatus Englesius scienter & expresse renuntiavit, & nihilominus promisit idem Englesius sub juramento prædicto per pactum expressum eidem dominæ abbatissæ stipulanti & recipienti ut supra, quod pro prædictis attendendis & complendis, & inviolabiliter observandis in singulis capitulis debet in fidejussorem, & pro principali debitores dare penes dictam dominam abbatissam infra quindecim dies proximos Raimundum de Luseria filium suum dominum de Ceiratio, qui se & bona sua obligabit per modum & formam, & ad curias, per quas, & ad quas præfatus Englesius superius obligavit, de quibus omnibus & singulis supra & infrascriptis dicta domina abbatissa pro se, & nomine dictarum monialium & successorum suarum, & nomine dicti monasterii, & dictus Englesius sibi petierunt cuilibet fieri instrumentum publicum per nos notarios infrascriptos ad dictamen & consilium cujuslibet in jure sapientis semel & pluries productum in judicio vel non productum, donec obtineat plenariam roboris firmitatem, facti tamen substantia in aliquo non mutata. Acta fuerunt hæc in dicto novo monasterio, testibus præsentibus ad hoc vocatis, reverendo patre in Christo Arnaudo abbate sancti Andreæ prope Avenionem, venerabilibus viris dominis Guillermo Andrini canonico Lodovensi, Berengario Guillermi de Moresio priore de Rupeforti, magistro Raymundo de Cornu jurisperito priore sancti Gairaudi, magistro de Berengario de Viceo jurisperito judice Lodovensi, Guillermo Castri novi de Lodeva, Deodato de Manso domicello vicario Lodovensi, & me Vitale de Grossaromera de sancto Andrea prope Avenionem, publico dicti domini nostri Francorum regis & authoritate imperiali notario, qui præmissis omnibus & singulis vocatus una cum testibus & magistro Gaussellino Cognardi publico dicti domini Francorum regis & authoritate imperiali notario infrascripto præsens interfui, eademque una cum dicto magistro Gaussellino notario, dum sic agerentur, in notam recepi, & inquisivi, & per magistrum Radulphum Amichori Nemausensis diœcesis notarium publicum substitutum meum juratum hoc instrumentum publicum de dicta nota extraxi, & etiam hanc in formam publicam redegi aliis negotiis occupatus, & signo meo consueto signavi in testimonium omnium præmissorum: & mei etiam Gaussellini Cognardi Mimatensis diœcesis publici dicti domini nostri Francorum regis & imperiali authoritate notarii, qui præmissis omnibus & singulis una cum suprascriptis testibus & magistro Vitale de Grossaromera notario publico domini nostri Francorum regis & authoritate imperiali suprascripto præsens interfui, eaque omnia una cum dicto magistro Vitale, dum sic fierent & agerentur, in notam scripsi & registravi, & huic præsenti & publico instrumento per dictum magistrum Vitalem subscripto & signato manu propria me subscripsi, & ad majorem firmitatem, ac in fidem & testimonium præmissorum.

XXVIII.

Bulla Urbani papæ V. abbatias S. Aniani diœc. S. Pontii Thomer. & S. Salvatoris Lodovensis subjicientis abbatiæ S. Victoris Massil.

URBANUS episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cunctis orbis ecclesiis & monasteriis, disponente Domino, præsidentes, circa singulorum statum prosperum studiosis desideriis vigilamus, eaque sic cupimus utilis provisionis ope dirigere, ut decor & venustas eorum auctore Domino jugiter augeatur. Attendentes igitur, quod in celebri monasterio S. Victoris Massiliensis ord. S. Benedicti multorum membrorum subjectione decoro, sicut ab experto cognovimus, sic divini numinis cultus splendet, sacra religio colitur, & ipsius B. Victoris meritis virtutes triumphant, & vitia devincuntur, quod monasterium ipsum inter cetera dicti ordinis monasteria observantiæ regularis fore dignoscitur speculum & exemplum: & propterea ad S. Aniani S. Pontii Thomeriarum diœcesis, & S. Salvatoris Lodovensis monasteria dicti ordinis vigilantiæ nostræ oculos dirigentes, ac sperantes quod monasteria ipsa, sicut eis expediens fore percepimus, sub majoritate dicti ordinis S. Victoris in spiritualibus & temporalibus debeant multipliciter adaugeri, ex præmissis & ceteris aliis rationalibus causis ad hoc nos moventibus, ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, & ipsius divini cultus & observantiæ regularis augmentum, dictorumque monasteriorum statum prosperum & tranquillum, præfata S. Aniani & S. Salvatoris monasteria, cum omnibus prioratibus, domibus, grangiis, membris, & aliis locis, ac juribus, & pertinentiis suis, & personis tam regularibus, quam secularibus degentibus in eisdem, necnon abbates monasteriorum ipsorum, qui sunt & erunt pro tempore, præfato monasterio S. Victoris, ejusque observationi regulari tam in habitu, quam in cæteris ejus cæremoniis, statutis, consuetudinibus, moribus & disciplinis, necnon abbatis ipsius monasterii S. Victoris, qui est & pro tempore fuerit, potestati, jurisdictioni, obedientiæ & correctioni auctoritate apostolica ex certa scientia in perpetuum subjicimus, ipsosque abbates, monachos, & personas alias monasteriorum & prioratuum, membrorum & locorum prædictorum taliter subjectorum, monasteriaque, prioratus, membra & loca ipsa ab jurisdictione, dominio, & potestate, ac visitatione quorumlibet aliorum ordinariorum judicum totaliter eximentes, decernimus eos omnibus immunitatibus, exemptionibus, privilegiis & libertatibus perpetuo posse & debere gaudere, quibus præfatum S. Victoris monasterium, ac personæ illius hujusmodi perfruuntur & gaudent; adjicientes ut quotiens eorumdem S. Salvatoris & S. Aniani monasteriorum, seu alicujus eorum abbatis, seu abbatum imminebit electio facienda, ad

conventum singulorum ipsorum monasteriorum propriorum abbatum ipsa electio, ad abbatem vero dicti monasterii sancti Victoris ipsius electionis confirmatio pertineat; quodque abbates tam præsentes quam posteri monasteriorum ipsorum subjectorum eidem abbati monasterii S. Victoris tanquam superiori, & ejusdem successoribus præstare obedientiam teneantur; monachi vero & alii subditi monasteriorum ipsorum abbatibus illam præstent Ad quos etiam subjectorum monasteriorum abbates in eisdem monasteriis receptio, professionis regularis admissio, beneficiorum tam secularium, quam regularium collatio, præsentatio, seu quævis alia dispositio, subditorumque correctio & punitio inantea pertineat sicut prius. Si vero abbates prædicti ipsorum monasteriorum subjectorum delinquerent, ad abbatem monasterii S. Victoris præfati correctio & punitio illorum cum consilio proborum ejusdem monasterii S. Victoris, prout ibibem laudabiliter observatum est hactenus, debeat pertinere. Statuimus insuper ut ad eosdem subjectorum monasteriorum abbates & eorum quemlibet in eorum monachos & conversos, aliosque subditos suos quoad visitationem, correctionem, punitionem, & omnimodam jurisdictionem, ac censuram ecclesiasticam & mundanam plena spectet auctoritas & potestas, quæ & prout antea de jure vel consuetudine pertinebat, salvo quod si forte subditi hujusmodi per eosdem abbates indebite gravarentur, possint eo de casu ad abbatem S. Victoris Massiliensis prædicti per appellationis remedium habere recursum. Porro si iidem abbates subjectorum monasteriorum prædictorum monachos aliquos indisciplinatos habuerint, vel rebelles, illos ad præfati S. Victoris monasterium mittere valeant corrigendos & puniendos, sive ad loca alia dicto monasterio S. Victoris subjecta, prout eidem abbati monasterii S. Victoris videbitur destinandos, seu etiam permutandos alios totidem numero, si per eumdem abbatem ad eorum monasteria supradicta mitti forsitan contigerit, præcipimus recipiendos. Teneantur quoque iidem abbates subjecti ad capitulum generale dicti monasterii S. Victoris, quandocumque ex parte ipsius abbatis monasterii S. Victoris eis mandabitur, personaliter convenire, vel personam idoneam destinare, & quilibet eorum eidem abbati in festo S. Michaëlis viginti solidorum Turonensium annuum censum dare, eumque ad visitationem sui in dictis monasteriis eorum admittere, cum ipsum ad ea visitationis causa contigerit declinare, sibique procurationes ratione visitationis hujusmodi debitas exhibere. Visitatio vero locorum in singulis monasteriis subjectis hujusmodi subditorum & personarum eorum ad eosdem abbates proprios spectet, nonobstantibus quibuscumque apostolicis, vel aliis constitutionibus monasteriorum & ordinis prædictorum contrariis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Avenione kalend. Februarii pontificatus nostri anno tertio.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ UCETICENSIS.

I.

Ex autographo.

Diploma Ludovici Provinciæ regis pro Amelio Uceticensi episcopo.

896.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus divina præordinante clementia Rex. Postquam a seculo regalium dignitatum decus enituit & principum gloria decenter effloruit, semper eis justum & naturaliter venit ad posteros transfusum, ut tanto libentius fidelium suorum deprecationibus faveant, quanto eos prospexerint propensius in suis obsequiis efficaces, atque ad utiliora quæque agenda promptiores, quatenus & illos vehementius in suum famulatum inflamment, & subsequentes ad eorum normam sibimet devotius obsequi dignanter informent. Igitur universis fidelibus sanctæ ecclesiæ nostrisque præsentibus & futuris notum fieri volumus, qualiter Amelius Ucetiæ civitatis venerabilis episcopus ad nostram accessit mansuetudinem clementer suggerens & humiliter poscens, quatenus S. Theodorito, cujus ecclesiæ Deo favente præest episcopus, res quasdam priscis temporibus attributas, sed quorumdam cupiditate sublatas, nostræ auctoritatis titulo sancto restituere deberemus, Christique martyri Theodorito: cujus petitioni libenter assensum præbentes, & peccaminum nostrorum relaxationem, ejusdemque utilissimum in omnibus atque indesinentem considerantes famulatum, ut pote rationabilem propter fidelitatem maximam, devotissimumque animum ac strenuum in omnibus servitium alacriter annuentes, nostræ celsitudinis apices fieri sanximus, per quos juris nostri jure hereditario S. Theodorito Ucetiæ sedi largimur, & in posterum cunctis succedentibus Christo favente ad fruendum tribuimus, ecclesiam scilicet S. Baudilii a parte Aquiloni non longe ab eadem civitate a S. Firmino ejusdem civitatis pastore constructam, ubi & corpus ejus sanctissimum humatum veneratur, cum omnibus appenditiis ibidem pertinentibus, necnon & ecclesia in honore S. Juliani martyris sanctique Andreæ apostoli, & S. Basilissæ virginis cum omnibus subjacentiis in media civitate Ucetiæ ab ipso sanctissimo Christi confessore Firmino constructa opere miro, seu & ecclesiam sanctorum apostolorum Petri & Pauli a parte Septentrionali prope civitatem Ucetiæ a beato Ferreolo sanctissimo patrono ejusdem civitatis constructam, ubi & venerabile corpus ejus venerabiliter humatum veneratur, cum omnibus appenditiis ad se pertinentibus, simulque & de duobus partibus de fisco Milciano ad nos pertinentibus cum omnibus appenditiis, seu etiam ecclesiam S. Marcelli, quam dicunt *Deusintus S. Martini ad Marianum veterem*, sanctique Caprasii, quem vocant beneficium quondam Orgarii cum Campaniaco & Marbaco. Hæc igitur omnia superius nominata cum ecclesiis, terris, & vineis tam cultis quam & incultis, tam retentis quam & invasis, tam quæsitis quam inexquisitis, aquis, aquarumve decursibus, cum familiis utriusque sexus, cum appenditiis universis, ubicumque sint, cum exitibus & regressibus, cunctisque adjacentiis suis, libenti & promtissimo animo impendimus, atque S. Theodoriti ditioni gratanter contradimus: ita ut ab hac die & deinceps inconvulse, firmiter atque inviolabiliter eadem ecclesia jure proprietatis teneat, & absque ullius contrarietate possideat. Et ut hæc nostræ præceptionis auctoritas nostris futurisque temporibus inconvulsam atque inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter roborari & annuli nostri impressione insigniri jussimus. Signum Ludovici serenissimi regis. Arnulfus ad vicem Barnuini archiepiscopi atque archicancellarii recognovi & subscripsi. Actum est hoc præceptum apud ecclesiam sancti Florentii in Aurosicensi civitate, anno Incarnationis Dominicæ DCCCXCVI. Indictione XV. anno VI.

I I.

Ex autographo.

Diploma ejuſdem Ludovici tunc imperatoris pro eodem Amelio epiſcopo.

903.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Hludovicus divina ordinante providentia imperator Auguſtus. Omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet ac futurorum noverit induſtria, quoniam Teutbertus comes & Walo vir ſtrenuus noſtri dilectiſſimi fideles noſtram adeuntes excellentiam enixius poſtulaverunt, quatinus cuidam noſtro fideli eximio præſuli Amelio concederemus jure proprietario curtem, quæ nuncupatur *Fretus* cum eccleſia in honore S. Remigii dicata, conjacente in comitatu Avenionenſi, cum omnibus adjacentiis ac pertinentiis ejus, cum ſervis & ancillis utriuſque ſexus, omnia omnino in integrum per præceptum noſtræ autoritatis. Quorum precibus aſſenſum præbentes, hoc ſerenitatis noſtræ præceptum fieri decrevimus, per quod jam dictus fidelis noſter Amelius epiſcopus præfixam curtem *Fretum* futuris temporibus obtinere valeat. Habentur inibi terris arabilibus, cultis & incultis, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, caſis ac mancipiis utriuſque ſexus, cum aquis, aquarumve decurſibus, omnia ei concedo cum omnibus ad eiſdem rebus juſte & legaliter pertinentibus, ut habeat, teneat & poſſideat, faciatque quicquid ejus decreverit animus ac voluntas, remota totius poteſtatis inquietudine, aut deminoratione. Et ut verius habeatur, manu propria firmavimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Signum domni Hludovici ſereniſſimi imperatoris Auguſti. Arnulfus cancellarius jubente domno Imperatore recognovi & SS. Dato XV. cal. Octobris anno Dominicæ Incarnationis DCCCCIII. Indict. VI. anno III. imperante domno Hludovico imperatore. Actum Lugduno in Dei nomine feliciter, amen.

I I I.

Charta fundationis prioratus S. Saturnini de Portu S. Spiritus in diœceſi Uceticenſi.

948.

DUm in hujus ſæculi laborioſa vivitur peregrinatione, interim cum licet, dumque tempus acceptabile, atque dies ſalutis inſtare videntur, ſummopere providendum eſt, ut ſi qua agere bona valemus, omni dilatione poſtpoſita operari non pigritemus, facientes noſtri eos debitores, quos veraciter novimus & inpræſentiarum corporum ſaluti conſulere, & in futuro animarum judices eſſe minime dubitamus. Quia enim poſt mortem nihil boni facere poſſumus, operæ pretium credimus, antequam ad illud ſubtile & incomprehenſibile ducamur examen, occulto judici ſatisfaciendo, negligenter a nobis commiſſa manu pœnitentiæ in iſtius ævi brevitate, qualitercumque poſſumus, tergere non deſiſtamus. Igitur ego Geraldus indignus archiepiſcopus ſcelerum meorum enormitatem conſiderans, & quod eſt ſalubrius, illam Domini noſtri Jeſu Chriſti dulciſſimam vocem delectans, qua ait: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*, & quod ipſe alibi jubet, ut reddamus *quæ Dei ſunt Deo*, noſmetipſos profecto illi reddendos innuens, primo quidem juxta prædictam vocem meipſum omnipotenti Deo diſpoſui, & Filio ejus unigenito, & S. Spiritui Paraclito, ſanctæ videlicet Trinitati offero per abrenuntiationem ſæculi & habitus commutationem. Deinde ſecundum ſcripturæ atteſtationem, qua dicitur: *divitiæ viri redemtio animæ ejus ſunt*, omnes res meas, quas inpræſentiarum habere vel poſſidere videor, & quæ mihi de paterna ſucceſſione in hæreditatem obvenerunt, totum & integrum ipſi omnipotenti Deo, cui & memetipſum & ſanctæ matri Dei genitrici, necnon & ſanctis apoſtolis ejus Petro & Paulo ſine dilatione ulla in perpetuum trado atque transfundo. Cluniacum denique monaſterium hujus facti delego atque conſtituo præceptorem & vicarium, quatenus ab hac die & deinceps domnus Aymardus abbas, qui prædicti cœnobii gubernacula pio moderamine nunc Deo annuente adminiſtrat, cunctique ſucceſſores ejus eaſdem res omnibus diebus regant, ordinent, atque ut ſibi placuerit in ſervitio Dei omnipotentis diſponant. Eſt etenim ipſe locus in honore Dei & veneratione B. Mariæ ſemper virginis & eorumdem apoſtolorum conſecratus, & in pago Matiſcenſi ſitus, in quo ſi Deus annuerit, meipſum ſicut jam dixi ſub ordine regulari mancipare cupio, quatinus pius Deus innumerabilibus meis propitiari dignetur offenſis, picei quoque flammas evadere valeam baratri, & regna cœleſtia Deo propitio adipiſci. Sunt itaque ipſæ res ſitæ in comitatu Uzetico, in vicaria Caxonienſe, hoc eſt manſum meum indominicatum cum omnibus appenditiis vel adjacentiis ſibi pertinentibus, ideſt eccleſia in honore S. Saturnini conſecrata cum inſulis quoque & villis, ſcilicet Leyracum, Meſenias, Geneſcanicum, excepto inibi uno manſo, quem jam dudum dederam S. Mariæ ad Gordinicas, & quicquid in Pravidone, & ad Fontem, & in Colonicis, & Fabricis, & Sabainatis, & in Paternico viſus ſum habere vel poſſidere, ſicut per commutationem, quam feci cum Almerico fratre meo, adeptus ſum, cum omni integritate dono Deo, ut ſupra jam dixi, do atque in perpetuum offero pro remedio animæ meæ, necnon pro anima patris mei, ac matris, ac fratrum meorum, ac ſororis, & nepotum meorum, inſuper pro ſalute vivorum & requie omnium defunctorum, cum campis, pratis, vineis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, molendinis, domibus, ædificiis cum omni integritate & ſuprapoſito mobili & immobili, exitibus & regreſſibus, cultis & incultis, quæſita etiam, & inquiſita, & inquirenda, ad ipſam hæreditatem aſpicientia vel pertinentia, ſicut a me præſenti tempore regitur & poſſidetur, quatinus ſemper rectores jam dicti monaſterii, & ibidem Deo famulantes abſque alicujus interpellatione in perpetuum firmiter ſolideque teneant & poſſideant. Si quis vero, quod futurum eſſe minime credo, ego ipſe, quod abſit, aut aliquis quilibet conſanguinitate mihi conjunctus, vel nepos, ſeu etiam ulla intromiſſa perſona ipſius devotionis ſpontaneæ a me factæ contra jus divinum invaſor aut contradictor extiterit, & res Deo dicatas ſanctiſque ejus delegatas in ſuos uſus transferre conatus fuerit, primitus iram Dei omnipotentis incurrat, cujus res temerario præſumſerit auſu, vinculo etiam terribilis anathematis innodetur, omnes quoque complices ejus, qui ei aſſenſum præbuerint, niſi ad emendationem pervenerint. Geraldus epiſcopus ſubſcripſit, Roſtagnus epiſcopus firmavit. S. Bermundi, Giroardi, Hugonis armarii, Poncionis, Trutemundi, Godranni, Giſſefridi, Richardi, Aremberti, Eudonis, Ermengardis, Rodulfi. Actum apud S. Saturninum publice. Jacob ſcripſit, ſignum Odonis Poncionis. Data menſe Auguſto anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXLVIII. indict. *. regni autem Ludovici regis Francorum anno XII.

Matth. 19. 29.

Matth. 22. 21.

Prov. 13. 8.

* VI.

I V.

Raymundus comes (Ruthenenſis) ſubjicit Cluniaco abbatiam Gordiniacenſem.

1065.

EGO RAYMUNDUS comes conſiderans enormitatem ſcelerum meorum, ſeu patris vel matris, & ut nobis Dominus in illo die examinis tremendi judicii ſit clemens, pius & miſericors, trado Domino meo & ſanctis ejus apoſtolis, videlicet Petro & Paulo, pro redemptione animæ meæ, ſeu genitorum meorum, videlicet patris & matris meæ, fratris quoque & ſororis,

omniumque propinquorum meorum tam præteritorum quam præsentium & futurorum Gordiniacensem abbatiam cum omnibus appendititiis, quas nunc usque acquisivit & inantea acquirere poterit, totum ab integro trado Domino meo, & sanctis ejus apostolis Petro & Paulo ad locum Cluniacum, ubi dominus Hugo abbas magis prodesse, quam præesse videtur, sine ulla dilatione in perpetuum trado non coactus, neque pretio adtractus, sed spontaneus, & summa Dei inspiratione & propria voluntate hæc ago. Cluniacum denique monasterium hujus facti delego, atque constituo præceptorem & vicarium, quatenus ab hac die & deinceps dominus Hugo abbas, qui prædicti cœnobii gubernacula pio moderamine nunc Deo annuente administrat, cunctique ejus successores hanc potestatem omnibus diebus regant, ordinent, atque ut sibi melius visum fuerit secundum Deum & secundum regulam S. Benedicti ita disponant. Sit etiam semper sub tutamine & regimine præpositi S. Saturnini: omnes enim consuetudines, quas antecessores mei hucusque habuerunt in ea, quibuscumque modis habuissent, & ego usque modo habui, utrum fuissent justæ aut injustæ, omnes ab hodierno die eas relinquo Domino meo, & ejus genitrici, & sanctis apostolis ejus Petro & Paulo, præter dominicaturas meas proprias, quas mihi retineo. Si quis vero, quod futurum esse minime credo, aut ego ipse, quod absit, aut aliquis consanguineus meus in suos usus transferre conatus fuerit, primitus iram Dei omnipotentis incurrat, cujus res temerario præsumpserit arripere ausu, vinculo etiam terribilis anathematis innodetur; & nisi resipuerit, cum Juda Christi proditore perpetuo damnandus consocietur, &c. Signum Raymundi comitis. S. Willelmi Sabran. Sign. Rostagni Carinian. Facta est hæc charta anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MLXV. indictione III. mense Augusto, regnante Philippo rege Francorum, in cœnobio S. Saturnini, jubente Raymundo comite, adstantibus multis honestis viris, monachis, clericis, militibus & laicis.

V.

Gordanicensis cella Anianensibus adversus Casadenses monachos asseritur.

1107. CHartam recordationis ad memoriam retinendam in futuris temporibus scribere curamus de lite, quam habuerunt abbas & monachi S. Salvatoris de Aniana contra abbatem & monachos Casæ-Dei de quadam ecclesia S. Mariæ sita in loco qui *Gordanica* nuncupatur. Post proclamationem autem factam ante domnum apostolicum Paschalem II. dati sunt ab eo judices, qui causam utriusque partis diligenter audirent, & bene discussam diligenti studio definirent, videlicet domnus Richardus Albanensis episcopus, & Girardus Engolismensis episcopus, & Albertus Avinionensis episcopus, & Eustachius Valentinensis episcopus, & Gauterius Magalonensis episcopus, & presbyteri cardinales domnus Risus & Landulfus & Divizo, & diacones cardinales Johannes, Ugo & Berardus, qui omnes visis rationibus partium & instrumentis, ex rationibus prædictorum abbatis & monachorum Casæ-Dei & ex scripturis illorum instrumentorum cognoverunt prænominatos Anianenses abbatem & monachos ecclesiam supradictam, de qua lis fuerat, prius possedisse, eosque expulsos fuisse a prædictis monachis Casæ-Dei, & ideo prænominati judices communi consilio judicaverunt ut restitutio præscriptæ ecclesiæ canonice & plenarie daretur Anianensibus abbati & monachis jam sæpe dictis; quod judicium postquam ante prædictum Romanum pontificem relatum est, ad effectum perducere non distulit, sed præfatum abbatem Casæ-Dei cum cereo quem tenebat in manu sua refutare fecit, & ipsemet Papa suscepta eadem refutatione, illico Anianensem abbatem & monachos cum eodem cereo & quodam lapide revestivit, salvo tamen jure Casæ-Dei, si quod ibi habere videbitur. Facta sunt hæc apud Valentiam temporibus domni Paschalis II. papæ & coram eo, Dominicæ Incarnationis anno MCVII. mense Julio indict. XV. Ego Risus presbyter cardinalis Damasi S. Ego Richardus Albanensis episcopus interfui & S. Ego Johannes diaconus consensi & S. Signum factum manu Leodegarii Bituricensis archiepiscopi, qui interfuit, & pro se subscribere jussit. Ego Landulfus presbyter cardinalis tituli Lucinæ S. Ego Berr. diaconus S. Ego Girardus Engolism. episc. S. Ego Divizo cardinalis presbyter tit. B. Martini & B. Silvestri S. Eustachius Valentinæ ecclesiæ interfuit & manu propria S. Ego Rembaldus judex suprascriptis interfui, & dictavi, atque subscripsi, & complevi, & absolvi, præfato domno nostro Papa jubente.

VI.

Confirmatio superioris decreti.

1114. PASCHALIS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Petro Anianensis monasterii abbati salutem & apost. benedictionem. Apostolicæ sedis auctoritate debitoque compellimur pro universarum ecclesiarum statu satagere, & earum quieti auxiliante Domino providere. Eapropter opportunum duximus dum in Galliarum partibus moraremur, controversiam illam, quæ inter Casæ-Dei monasterium & Anianense cœnobium super cella de Gordanico agebatur, venerabilibus fratribus Arberto Avenionensi, Eustachio Valentino, Hismioni Diensi episcopis discutiendam, determinandamque committere: qui nimirum utriusque partis ratiocinationibus diligenter discussis, & canonice examinatis, sicut ex eorum allegatione chirographoque comperimus, & perspectis pontificalibus ac regalibus instrumentis, & aliarum chartarum indiciis justum esse senserunt, & scriptis subscriptionibusque sanxerunt ut monasterium Anianense præfatam cellam de Gordanico ad Dei servitium regere ac perpetuo habere deberet. Ut enim verbis illorum loquamur, inter primam justam acquisitionem & ultimam justam revestitionem, quam per nos acceperant, nullam invenire potuerunt justam ipsius possessionis interruptionem. Nos ergo supradictorum fratrum, quos in hoc negotio nostri vice judices dedimus, litterarumque præsentium decreto judicium confirmamus, & supradictam cellam de Gordaniaco tibi, charissime Petre abbas prædicti Anianensis monasterii, tuisque successoribus firmam & quietam in perpetuum manere sancimus, præcipientes & interdicentes, ne super hac ulterius querimonia Casæ-Dei fratres Anianense cœnobium inquietare præsumant, sed ut quiete ac libere sub Anianensis cœnobii jure ac possessione in perpetuum conservetur cum omnibus pertinentiis ac possessionibus suis, sicut a Lodoico imperatore Caroli-Magni imperatoris filio concessum ac traditum Anianensi cœnobio per instrumenti regalis memoriam declaratur. Si qua igitur in futurum ecclesiastica quælibet sæcularisve persona hanc nostræ confirmationis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat, nisi secundo tertiove commonita, præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit. Cunctis autem eidem cœnobio justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus subscr. Datum Laterani per manum Johannis S. R. E. cardinalis ac bibliothecarii, II. idus Aprilis indict. VI. Incarnationis Dominicæ MCXIV. pontificatus quoque domni Paschalis papæ II. decimo-quarto.

A

VII.

Ex archivis episc. Uceticensis.

Privilegium Ludovici regis Francorum Raymundo episcopo Uceticensi concessum.

1156.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus divina præordinante clementia Francorum rex, Raymundo Ucetiensis ecclesiæ episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis, atque ejusdem ecclesiæ canonicis in perpetuum. Postquam a principio regalium dignitatum decus enituit, & principum gloria decenter effloruit, justum & rationabile fuit, ut tanto libentius fidelium suorum precibus annuerent, quanto eos ad optima studia peragenda cernerent promptiores. Quapropter, dilecte in Domino Raymunde Uticensis episcope, tuis rationabilibus petitionibus benignum impertientes assensum, ecclesiam S. Theodoriti & omnia quæ ad eandem ecclesiam pertinere noscuntur, cui Deo auctore præesse dinosceris, ad exemplar prædecessorum nostrorum Rodulphi & Ludovici felicis memoriæ regum, sub protectionis nostræ munimine suscipimus, & præsentis paginæ privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia favente Deo * inpræsentiarum prædecessorum nostrorum largitione, sive alio * titulo juste & canonice possidet, aut in futurum largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, concessione pontificum, seu justis aliis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi & per te eidem Ucetiensi ecclesiæ illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Castrum sanctæ Anastasiæ cum ad idem castrum pertinentibus, castrum sancti Quintini, castrum sancti Maximini, castrum de Sennilhach, castrum de Blauzach, castrum de Monfrin, castrum de Sabrano, castrum de Rocha, castrum novum de Valle-mazonica, castrum de * Rosone, castrum de Bocheto, montem sancti Ambrosii, castrum de Pugna duritia cum omnibus pertinentiis suis; abbatiam quoque sancti Firmini, & villam in qua sita est, cum omnibus pertinentiis suis; villam sancti Genesii cum pertinentiis suis; honorem de Estel, villam de Sacrario, & villam de Valle-aquaria totam, & villam de Montibus cum * pertinentiis suis; & in Ucetia civitate castrum Bremundi & castrum * Raymonis, & monetam quæ in eadem civitate cuditur; & abbatiam sancti Stephani, abbatiam sancti Juliani, abbatiam sancti Sulpitii, abbatiam sancti Ferreoli, abbatiam S. Privati de Gartio, prioratum sancti Nicolai de Campagnaco cum pertinentiis suis, villam sancti Eugenii, & ejusdem villæ homines, & mulieres, & molendina & quicquid ad eandem villam pertinet. Hæc inquam omnia tibi in pace possidenda concedimus, & universa quæ ad Uticensem episcopatum, seu ad fratrum ibidem degentium communiam juste pertinere noscuntur. Ad hæc hujus nostri rescripti paginam confirmantes sancimus ut nullus comes, nullus princeps, nulla alia laïca persona vel potestas in clericis totius Ucetiensis episcopatus, aut in aliis ejusdem ecclesiæ hominibus, sive in locis ad eandem ecclesiam pertinentibus aliquas injustas exactiones post hujus nostri decreti dationem temerario ausu accipere præsumat. Adhuc etiam concedimus tibi & ecclesiæ Ucetiensi in perpetuum redditus omnes pacis, qui per totum ejusdem ecclesiæ episcopatum pro pace persolvuntur, quod etiam compensum dicitur. Et ut hæc præcepti nostri authoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subsignantes, sigilli nostri impressione consignari præcepimus. Actum publice Parisiis anno ab Incarnatione Domini MCLVI. regni nostri XX. astantibus in palatio nostro quorum ascripta sunt nomina & signa. S. comitis Blesensium Theobaldi dapiferi nostri. S. Guidonis buticularii. S. Matthæi camerarii. S. Mathæi constabularii. Data per manum Hugonis cancellarii.

* Domino.
* Justo.
* Rassone.
* omnibus.
* Rainonis.

VIII.

Raimundus comes sancti Egidii recognoscit villam S. Saturnini de Portu juris esse Cluniacensis monasterii.

1164.

OMnibus præsentibus & futuris notum sit, quod ego Raimundus comes S. Egidii cognosco & confiteor villam S. Saturnini allodium & proprietatem esse B. Petri Cluniacensis, sed propter amicitiam, quam monachi erga me habebant, & ut per meam defensionem villa ipsa in commercio viantium magis augeri possit, statuimus quosdam novos reditus mihi & sibi infra villam invicem accipiendos; & ne unquam ab aliquo variari possit, hac diffinitione statutum est, in pedatico, quod per aquam accipitur, duæ partes erunt meæ, tertia illorum; in omnibus vero usaticis, quæ per terram accipiuntur tam infra villam, quam infra bollas ipsius villæ, medietas erit mea & medietas illorum; in quintallo, & corda, & in leuda de mercato medietas erit mea, & medietas illorum, excepta leuda lumborum & linguarum, & excepta leuda * urnarum, & omnium fructuum, qui ad sextarium non vadunt, quæ propria est monachorum. De habitantibus in villa, focum videlicet ibi facientibus, & fornaticam donantibus, nec per me, nec per meos aliquam unquam justitiam habebo. Si inter extraneos lis orta fuerit in villa, medietas justitiæ erit mea, & medietas illorum. Si inter extraneum aliquem, & aliquem habitatorem villæ contentio fuerit, de habitatore villæ nullam ego justitiam habebo; justitia vero quæ de extraneo mulctata fuerit, medietas nobis erit. In octo sextariis de sale, quæ in sardinis accipere solent, sive in omnibus consuetudinibus, quæ de ratibus, qui per aquam veniunt, accipere solent, quæ sunt decimæ, & gubernacula, & traversaria, & in remo quem de unoquoque navigio descendente per aquam antiquitus habent, & in denario quem de unoquoque navigio vendito accipiunt, ego partem non habebo, sed propriæ erunt illorum, sicut omnes cæteri reditus quos antiquitus habere solent. Et ita sane villa ipsa, exceptis his quæ supra diximus, ab omni vi mea, & meorum, & usatico deinceps libera remanebit, ut nec ego, nec ullus unquam de meis aliquid infra villam, vel infra bollas villæ aliquid injuriare vel arcere possit, sed quidquid arcendum vel justificandum in villa & infra bollas villæ fuerit, non nisi per manum prioris vel decani ipsius monasterii fiat. Quia vero ipsi concesserunt & laudaverunt mihi in prædicta villa ea quæ supra dixi, quæ antecessores mei, nec ego ante habueram, propterea ego concedo illis & laudo & nundinas, & mercata, & omnia commercia, in quibus lucrari & negotiari possint; nundinas autem nominatim & expresse promitto eis, & laudo a prima die Paschæ usque ad diem jovis post octavas Paschæ, & ut venientes ad nundinas & ad mercata secure veniant & redeant. Quicumque vero in villa sancti Saturnini manserit, vel domum ibi habuerit, vel in domo locata focum fecerit, & familiæ eorum, omnes isti ab omni usatico, & justitia mei & meorum liberi erunt. Mercatum quod antiquitus in villa sancti Saturnini die jovis statutum est, & ex dono regis Franciæ confirmatum, nos eodem die jovis in perpetuum tenendum laudamus & confirmamus. De pedatico quod per aquam, ut supra dictum est, accipitur de parte monachorum, in unoquoque anno viginti solidos bajulo nostro persolvent. Statutum est hoc ita ad tenendum in perpetuum a me & a meis anno ab Incarnatione Domini MCLXIV. regnante domino meo Ludovico rege Francorum, in præsentia & testimonio ipsorum, qui interfuerunt. Ego videlicet Ramundus comes qui hoc statui & laudavi, & Bermundus d'Uzes, Guillelmus de Sabrano constabularius, Petrus de Cadarossa, Pontius Flamma, Petrus prior de Cadarossa, Petrus de Remolinis, Bertrandus

* f. uvarum.

B C D E

de Balneolis, Willelmus sacrista sancti Pauli, Petrus Raimundi clericus, Petrus Natalis, Petrus Hugonis, Mathanes bajulus comitis, Hugo de Portu, Theobaldus Cordar, Raimundus Barnerii.

IX.

Hugo Cluniacensis abbas permittit Raimondo duci Narbonensi, &c. ut palatium in villa S. Saturnini construat.

1202. QUoniam mortalium vita brevis, & viventium labilis est memoria, ne vitio fragilitatis humanæ veritas occultetur, & acta quæ inter homines occultantur, plerumque pro bono pacis, contentionis occasionem generant & rixarum, moribus est receptum & merito, ut quæ memoriam desiderant, scripturæ ministerio perpetuo valeant & perdurent. Inde est quod notum fieri volumus omnibus hominibus tam præsentibus quam futuris, quod anno ab Incarnatione Domini MCCII. kalend. Maii, ego frater Hugo humilis Cluniacensis abbas consilio & voluntate Raimundi de Brozeto prioris sancti Saturnini & conventus ipsius monasterii, per me & per omnes successores meos in remunerationem obsequiorum, quæ monasterio nostro & membris ejus a te recepisse confitemur, & in spem futurorum, quæ te collaturum promittis, dono & in perpetuum feudum trado tibi Ramundo Dei gratia duci Narbonensi, comiti Tolosæ, marchioni Provinciæ, ac omnibus successoribus tuis locum idoneum ad construendum & perficiendum palatium in villa sancti Saturnini, in eo scilicet loco, in quo turrim ædificare inceperas, tali conditione, ut singulis annis pro illo, & pro illis quæ tibi concedimus, morabotinum dones nomine census abbati & ecclesiæ Cluniacensi undecima die post Pascha, & quotiescumque tu illum priori S. Saturnini, quicumque ille fuerit, solveris, vel solvi feceris, abbati Cluniacensi eum solvisse intelligaris. Si tamen ex negligentia vel oblivione per biennium, vel triennium, vel tempore longiori solutum non fuerit, res propter hoc in commissum non cadet, sed morabotinus annuus pro singulis exigetur. Præterea in domo sancti Saturnini singulis annis albergam debetis accipere de equitantibus secundum consuetudinem per te, vel per alium quem volueris a festivitate S. Michaëlis usque ad festivitatem sancti Martini, quem si tibi vel bajulo tuo terræ illius oblatum coram tribus vel quatuor probis hominibus ejus villæ fuerit, & tu vel bajulus tuus, si absens tu fueris, accipere nolueritis, pro illo anno acceptus reputabitur. Verumtamen quando bajulus tuus albergam vellet accipere, & si tot equitaturas non haberet, secum tamen equitantibus cum suis equitaturis pro regionis consuetudine provisionem donare tenebimur, scilicet panem & vinum, civatam & pulmentum illius diei & tempore opportuno. Et ego Dei gratia dux Narbonensis comes Tolosæ, marchio Provinciæ, hæc omnia vera esse confiteor: propter hoc homagium facio tibi Hugoni Dei gratia Cluniacensi abbati, & in bona fide mea tibi recipienti promitto & monasterio Cluniacensi, omnia quæ in instrumento continentur patris mei, quod factum fuit inter priorem tunc S. Saturnini & patrem meum, me bona fide observaturum perpetuo. Instrumenti autem tenor hic est. Omnibus præsentibus & futuris, &c. *ut supra.*

Statutum est ut successores mei abbatibus succedentibus semper mutato comite vel abbate idem faciant & promittant, quod ego tibi facio hic, & promitto; & ego si tibi supervixero, hoc idem faciam successori vel successoribus tuis: ita tamen quod propter hoc faciendum, ego fines terræ meæ non egrediar, neque successores mei, sed ubicumque in terra mea possemus tibi occurrere loco & tempore competenti. Promitto etiam tibi ab hac die inantea de possessionibus vel juribus monasterii S. Saturnini nihil unquam sine consensu & voluntate prioris S. Saturnini & conventus ejusdem

A ecclesiæ, nec aliorum prioratuum in tota mea accipiam, sed personas & loca Cluniacensis monasterii bona fide defendam, & tuebor. Acta fuerunt hæc omnia apud sanctum Saturninum in ecclesia majori, scilicet S. Petri, præsentibus & consentientibus Girino camerario Cluniacensi, Simone camberlano, Girardo notario domni abbatis, Johanne de Pereos, & Martino sociis domni abbatis, Girardo abbate Crudacensi, Raimundo priore sancti Saturnini, Johanne priore Trieul. Stephano priore claustrali S. Saturnini, Stephano priore Ramponis, Rostagno de Salve priore Andusiæ, & Rostagno de Andusia, Petro de Verneto priore de Rofferiis, Bernardo de Galberto priore de Riomis, Petro priore de Ancona, Hugone de Seudo & toto conventu sancti Saturnini, præsentibus Alberto de Novis judice & B assessore domini comitis in castro Bellicadri, Ramundo Jaufrido vicario de Paternis, Alberto Martelli vicario de Malaucena, Petro camerario & Giremundo scriptoribus domini comitis, Bonad. ejusdem bajulo in villa sancti Saturnini, Raimundo de Moreso Vinale, Brino de Joyosa Britone, præsentibus de villa sancti Saturnini Bartholomæo de S. Saturnino, Raimundo de sancto Saturnino, Guillelmo fratre ejus, Poncio Sulpicio, Poncio Eustachio, Johanne Piceano, Guillelmo de Porta, Antonio fratre ejus, Bernardo de Massilia, Raimbaldo, Petro, Martino, Raimundo Ricavo, Poncio Paliपario, Poncio de Caniliano, Vatone, Bernardo Cumbad . . . . & multis aliis ejusdem villæ, & me Hugone notario domini R. comitis Tolosæ, qui mandato Raimundi judicis & C cancellarii ejusdem hæc scripsi & signum meum apposui. Et ego Raimundus Guillelmus judex & cancellarius domini comitis Tolosæ præsens interfui, & subscripsi, & mandato ipsius sigillum ejus apposui. *Fiat domine cor meum immaculatum.* Ego Girardus domini abbatis notarius præsens fui, & subscripsi. *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Ego Giraudus eleemosynarius domini abbatis præsens fui, & sigillum apposui.

X.

Permutatio ecclesiarum inter episcopum Uceticensem & abbatem Anianæ priorem de Gordanicis.

D INnotescat omnibus, ad quorum aures ista pervenerint, quod anno Dominicæ Incarnationis MCCIII. quarto idus Februarii, ego Guillelmus Dei gratia Uticensis episcopus confiteor & recognosco tibi Gaucelmo abbati Anianensi & priori domus Gordaniensis, me donasse titulo permutationis cum consensu & consilio capituli Uticensis ecclesiæ, ecclesiam de Ornols cum omnibus pertinentiis, & appenditiis, & juribus suis ecclesiæ seu monasterio Gordaniensi, tibi nomine ipsius accipienti, & successoribus tuis in perpetuum pro ecclesia sanctæ Mariæ de Bondillono, quam mihi cum omnibus pertinentiis, & appenditiis, & juribus suis pro prædicta ecclesia nomine permutationis mihi & successoribus meis donans humiliter concessisti, salvo mihi & successoribus meis antiquo dumtaxat cathedratico, & episcopali reverentia. Et ego Gaucelmus Dei gratia abbas Anianensis & prior de Gordanicis per me & omnes E successores meos cum consensu & consilio fratrum monachorum in monasterio de Gordanicis nunc degentium, & capituli Anianensis confiteor tibi domino Guillelmo Dei gratia Uticensi episcopo me donasse nomine permutationis tibi & ecclesiæ sancti Theodoriti & successoribus tuis in perpetuum ecclesiam S. Mariæ de Bondillono cum omnibus pertinentiis, & appenditiis, & juribus suis pro ecclesia de Ornols prædicta, quam mihi concessisti, sicut supra scriptum est, retento tibi antiquo dumtaxat cathedratico & episcopali reverentia. Et promitto tibi quod hoc instrumentum mandato meo scriptum & tui sigilli munimine roboratum laudare faciam & confirmare capitulum Anianense, &

1203.

sigilli mei impressione confirmabo. Acta sunt hæc apud Ucetiam in capitulo canonicorum, præsentibus & expressim consentientibus Bernardo præposito, Alberico archidiacono, Stephano præcentore, & Pontio sacrista Uticensibus, Ricardo, Pontio de Volobreca. Bernardo Stulto, Bernardo Pajet, Guillelmo de Nozeriis, Berengario, Pontio Medico, B. de Momolena, Pontio de sancta Agatha canonicis Uticensibus, in præsentia Bandulfi, Raimundi, Ugonis, Brunerii, Petri de Murianicis, Guillelmi de Fonteiano, Bernardi de sancto Genesio, Petri Audeberti sacerdotum, Raimundi domini Ucetiæ, & Guillelmi Siffredi notarii, qui mandato utriusque partis hæc scripsit, & mandato domini Guillelmi episcopi Uticensis bullam ejus huic instrumento apposuit.

X I.

Fundatio Vallisbonæ ordinis Carthusiensis.

1203. INnotescat omnibus, ad quorum aures ista pervenerint, quod anno Dominicæ Incarnationis MCCIII. IV. idus Februarii, ego Guillelmus Dei gratia Uticensis episcopus consilio & assensu ejusdem ecclesiæ capituli offero, dono, laudo & concedo Deo & ordini & religioni Carthusiensi ecclesiam B. Mariæ de Bondillono cum omnibus pertinentiis, & appenditiis, & juribus suis, & trado tibi priori de Silva recipienti, Imberto nomine, ad ædificandas cellas & habitationem fratribus & devotis conversis congregandis ad serviendum Deo secundum statuta ordinis Carthusiensis, & plenam concedo libertatem & facultatem fratribus & conversis præsentibus & futuris in perpetuum agendi omnia quæ ad statuta pertinent prædicti ordinis. Acta sunt hæc apud Ucetiam in capitulo canonicorum, præsentibus & expressim consentientibus Bernardo præposito, Alberto archidiacono, Stephano præcentore, Pontio sacrista Uticensibus in præsentia Bandulfi, &c. sacerdotum, & consentientibus domino Gaucelmo abbate Anianensi & R. Guilaberto monacho Anianensi, Bruno, Ricardo, Pontio de Volobreca, Bernardo Stulto, B. Pajet, &c. canonicis Uticensibus, & in præsentia Raymundi domini Ucetiæ, Raimundi Guillelmi, Pe. Guillelmi de Aquilerio, Pe. Guillelmi scriptoris, R. Aimoinii & Guillelmi Siffredi notarii, qui mandato utriusque partis hæc scripsit, & consequenter præcepto Raymundi Guillelmi bullam domini Ebrardi Uticensis episcopi huic instrumento apposuit & signum suum.

X I I.

Consensus capituli Ucetiensis prædictæ fundationi.

B. Ucetiæ ecclesiæ præpositus, & universi ejusdem ecclesiæ canonici, J. Carthus. priori & fratribus cum eo morantibus salutem, & de bonis effici meliores. Quoniam religionem, quam in nobis forsitan non habemus, in aliis tenemur diligere, licet munus quod in voluntate consistit, modicum judicetur, si careat operis comitantia cum locus affuit, donationem a domino episcopo vobis factam læto corde & vultu hilari omnes pariter concedimus & laudamus, scilicet ecclesiam sanctæ Mariæ de Bondillon, quam a dicti domini episcopi jure permutationis accepistis ab abbate de Aniana, cui ecclesiam de Ornols in perpetuum habendam concessit in recompensationem prædictæ ecclesiæ, quam eo tantum intuitu permutavit, ut eam traderet ordini Carthus. ut idem ordo ibi institueretur, & perpetuo frueretur, cui permutationi nostrum præstamus assensum. Valete.

X I I I.

Donatio Raimundi Ucetiæ domini facta Vallibonæ ord. Carthus.

1205. INnotescat omnibus, quod anno Dominicæ Incarnationis MCCV. VII. idus Julii, ego Raimundus dominus Ucetiæ recognosco me donasse domui Vallisbonæ quicquid habeo in monte Jessel. Acta sunt hæc extra castrum de Monteauto ad pedem montis ab Oriente, præsentibus Guillelmo de Venejano quondam Uticensi episcopo, Petro de Castronovo apostolicæ sedis legato, &c.

X I V.

Diploma Philippi II. Francorum regis pro ecclesia Uceticensi.

1211. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen, Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverit tam modernorum præsentia, quam futurorum posteritas secutura, Ludovicum quondam bonæ memoriæ regem ac progenitorem nostrum Raimundo Uticensis ecclesiæ episcopo & suis successoribus hujusmodi privilegium concessisse, &c. Nos itaque volentes prædecessorum nostrorum vestigiis inhærere, Uticensis ecclesiæ episcopo, ejusque successoribus prædicta omnia, sicut superius annotantur, cum quibusdam aliis, quæ inferius subscribuntur, in perpetuum concedimus possidenda; videlicet civitatem Ucetiæ, villam S. Ferreoli, cum omnibus pertinentiis, & ibidem mercatum commune feria quinta per totum annum, & continuum & quotidianum de ollis & sale. Castrum de Volobreca, de Aramone, de Esfat, de Fornesio, de S. Hilario, villam de Domazeno, villam de Vers. Castrum de Remolinis, de Cosiac, de Sauduno, de Fontejano, villam S. Privati cum omnibus pertinentiis suis; castrum de Posillac, de Mommolena, & bastidam de Capella, cum omnibus pertinentiis suis. Castrum de Treschas, de Castillone, de Born, de Socone, de Venciano, villam S. Pauli, castrum de Arguese, de Cornillone, bastidam de Ornoli cum toto honore de Tarauso; castrum de Viridifolio, de Mercurio: prioratum de Vallesalva, prioratum de Augustrinis, villam sancti Marcelli, villam S. Laurentii, villam de Fonte erecto, bastidam Dengras, bastidam de Bruquicira, castrum de Bariaco, de Ferreirols, de Bedejuno, de Castelgau, de Rocaguda, villam S. Johannis, villam de Maricampo, castrum de Alegre, villam de Alzone, de S. Dionysio, de S. Andrea trans Rocam, de S. Victore: castrum de Montcaleno, villam de Robiaco, villam de Chaneschal, villam de Aviac, villam de Pontell, villam de Malon, cum omnibus pertinentiis suis, & totis parochiis earum. Castrum de Petra-mata, cum pertinentiis suis. Castrum de Monteforti cum omnibus pertinentiis suis, villam de Gercolhac, & bastidam novam in parochia de Aviac, quæ vocatur Castar, villam sancti Privati de Viell, villam S. Juliani Cassagnar, villam S. Theodoriti, bastidam de Bocanil, villam de Salindris, villam de Montiliis, castrum de Aquilerio, de Cerverio, de Monteareno, de Barrono, de S. Stephano Dulmo, de Bocoirano, de Curtibus, de Castro-novo, de Ners, de Mociaco: villam de S. Agatha, bastidam Guillelmi de Ponte, bastidam Guillelmi Chatbalæi, castrum de Bordico, de Arpallarvicis, villam de Dions, castrum de Calmeta, de Guajanis, villam de Roveria, de S. Genesio, de Salzeto, de Fontibus, cum omnibus pertinentiis tam villarum, quam castrorum supradictorum. Ut autem prædicta omnia perpetuum robur obtineant, cum omnibus illis, quæ Uticensis episcopus cum suo episcopatu rationabiliter possidet, & justis modis poterit adipisci, præsentem paginam super his conscriptam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato præcepimus confirmari. Actum apud

apud Miledium anno incarnati Verbi millesimo ducentesimo undecimo, regni vero nostri anno trigesimo secundo, adstantibus in palatio nostro, quorum nomina subposita sunt & signa. Dapifero nullo. S. Guidonis buticularii, S. Bartholomæi camerarii, S. Draconis constabularii. Datum vacante cancellaria.

X V.

Bremundus Ucetiæ dominus confirmat quæ pater suus dederat Vallibonæ ord. Carthus.

1212.

UNiversis sit cognitum, quod anno Dominicæ Incarnationis MCCXII. mense Julii, ego Bremundus dominus Ucetiæ laudo tibi G. de Venejano quondam Ucetiæ episcopo, nomine domus Vallisbonæ & per te ordini Carthusiæ quidquid pater meus R. quondam donavit. Laudo etiam tibi G. de Venejano supradicto nomine dictæ domus quidquid pater meus R. recognovit Amblardo priori Vallisbonæ se donasse, & quidquid frater meus R. Decanus laudavit & recognovit Nicolao priori dictæ domus, &c.

X V I.

Litteræ comitis Montisfortis in gratiam episcopatus Uceticensis.

1214.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi, anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo decimoquarto, secundo nonas Martii. Ego Simon comes Leutriciæ *, dominus Montisfortis, Dei providentia Biterris & Carcassonæ vicecomes, habens ex commendatione domini Petri Dei gratia sanctæ Mariæ in Aquiro cardinalis, apostolicæ sedis legati, totam terram & omnia jura, quæ Raimundus quondam comes Tolosæ habebat & tenebat per se, vel per alium in diœcesi Uticensi, audito quod ecclesia Uticensis a prædicto Raimundo quondam comite Tolosæ gravata in multis fuerat & oppressa, ad honorem Dei & beati Theodoriti martyris pro remedio animæ meæ & parentum meorum, sicut melius possum, dono & concedo per me, successoresque meos in perpetuum trado tibi domino Raimundo Uticensi episcopo & successoribus tuis, & per te ecclesiæ Uticensi totum illud, quod prædictus Raimundus quondam comes Tolosæ, vel aliquis pro eo habebat, vel habere debebat in Mociaco & ejus pertinemento ; & quidquid habebat idem quondam comes præfatus apud sanctum Benedictum, vel aliquis pro eo, & quidquid habebat apud Rocham Cerveriam, & quidquid habebat apud Airolas, vel aliquis pro eo, & quidquid habebat apud Novellas, & quidquid habebat apud sanctum Ferreolum, vel ejus pertinementum, & mansum de Flaus *, & bastidam de Gras & bastidam de Barron, villam S. Johannis de Marvejols * cum suis appenditiis, & bastidam Pontii-Sarpelli, & illud quod habebat sæpedictus quondam comes in mansis circa Taraus, & vicariam quam tenebat Bremundus de Uzetia a comite Tolosæ, & si quid idem quondam comes Tolosæ habebat infra Uzetiam, vel aliquis pro eo, & villam sancti Pontii, & villam de Vers * cum suis pertinentiis, & nonam partem Pedagii *, & decimam quod accipitur per totam diœcesim Uticensem ; nonam pro domino *, & decimam pro decima, & totum quod accipiebam in pedagio, tenebo ad feudum a te prædicto domino episcopo, & ab ecclesia Uticensi : concedo etiam & dono sub prædicta forma præposito & capitulo Uticensi castrum de Castillione cum suis pertinentiis pleno jure, excepta animadversione sanguinis, quam mihi retineo & successoribus meis, si inde debeat fieri mutilatio membri, vel pœna mortis infligi ; & si propter hoc debeat fieri bonorum publicatio, habebit ipse præpositus Uticensis partem mediam, & ego aliam in mobilibus tantum ; in possessionibus vero habebo nihil ; in castro de Vallea-quaria habebo illam partem, quam comes quondam Tolosæ habebat in eo, & si plus percipiebat ibi quam deberet præfatus quondam comes, illud restituam præposito & capitulo Uticensi, & hoc debet fieri secundum instrumenta facta inter capitulum Uticense & Raimundum quondam comitem Tolosæ : & sciendum quod in omnibus his prædictis, quæ tibi domino Raimundo memorato episcopo dedi & concessi, sicut superius continetur, excepto dumtaxat Mociaco, habebo animadversionem sanguinis, si inde debeat fieri mutilatio membri, vel pœna mortis infligi : & si propter hoc debeat fieri bonorum publicatio, tu habebis partem mediam, & ego aliam in mobilibus tantum, in possessionibus vero nihil habebo ; sanctam Anastasiam & Mociacum habebis tu & ecclesia Uticensis pleno jure ; præterea in compenso pacis diœcesis Uticensis habebo ego ad feudum quartam partem compensi a te, & ab ecclesia Uticensi : in aliis autem feudis in quibus habebat a te prædictus quondam comes Tolosæ firmantias & justitias, habebo ego illas ad feudum a te & ab ecclesia Uticensi pleno jure, in feudis vero mihi concessis a te prædicto domino episcopo Uticensi non possum nec debeo aliquem instituere sine consilio episcopi, & ecclesiæ Uticensis. Item si in prædictis feudis aliquam fortiam vel fortias aliquas facere me contigerit, vel aliquem per me, illam vel illas debeo accipere ad feudum a te & ab ecclesia Uticensi : tibi etiam prædicto domino episcopo Uticensi stipulanti specialiter bona fide promittens quod * quæcumque terra prædicta a domino papa mihi fuerit perpetuo assignata, de terra tibi a me concessa faciam instrumentum tibi fieri, & ecclesiæ Uticensi & capitulo, sicut melius & utilius tibi & ecclesiæ Uticensi & capitulo visum fuerit expedire, & fidelitatem tibi faciam & homagium pro tota terra Uticensis diœcesis, quam habebo ad feudum secundum tenorem instrumentorum, quæ facta sunt inter prædecessorem tuum dominum Raimundum quondam Uticensem episcopum, & Raimundum quondam comitem Tolosæ : dominus autem episcopus cum ecclesia Uticensi quia * bonus dominus & legitimus tenetur me deffendere & juvare, quantum ad feuda quæ de ipso & ecclesia Uticensi tenere debeo dignoscitur pertinere. Et ut hæc omnia perpetuam obtineant firmitatem, prædictam chartam sigillo meo & prædicti domini episcopi feci & volui confirmari. Actum Carcassonæ, anno & die quo supra per manum Clarini cancellarii nostri.

* Leicestriæ
* al. Flans.
* Marrogelos.
* Verg.
* al. pedagiorum & decimarum, quæ accipiuntur.
* al. dominio.
* al. quandocumque.
* quasi.

X V I I.

Diploma S. Ludovici quo transactionem patris sui Ludovici VIII. Francorum regis cum Raimundo episcopo Uceticensi confirmat.

1254.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex : notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod nos litteras inclytæ recordationis Ludovici regis patris nostri verbo ad verbum vidimus sub hac forma. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex ; noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos dilecto, & fideli nostro Raimundo Uticensi episcopo & successoribus ejus in perpetuum donamus & concedimus totum illud, quod Raimundus quondam comes Tolosæ, vel aliquis pro eo habebat, vel habere debebat in Mociaco & ejus pertinentiis, & apud sanctum Benedictum, & apud Rocham Cerveriam, & apud Ayrolas, & apud Novellas, apud sanctum Ferreolum cum ejus pertinentiis, & mansum de Flaus, bastidam de Gras, & bastidam de Barron, & villam sancti Johannis de Marvejols cum suis dependentiis, & bastidam quondam Pontii Sarpelli, & illud quod habebat in mansis circa Taraus, & vicariam quam Bremundus de Uzetia tenebat ab eodem, & si quid quondam idem comes habebat infra

Uzetiam, vel aliquis pro eo, & villam ſancti Pontii, villam de Vers cum ſuis pertinentiis, & nonam partem & decimam pedagii quod accipitur per totam diœceſim Uticenſem, nonam pro domino, decimam pro decima. In his itaque omnibus prædictis ſicut ſuperius continetur, excepto Mociaco, retinemus animadverſionem ſanguinis, ſi inde debeat fieri mutilatio membri, vel pœna mortis infligi, & ſi propter hoc debeat fieri bonorum publicatio, habebit epiſcopus mediam partem, & nos aliam in mobilibus tantum, & in poſſeſſionibus nihil; ſanctam autem Anaſtaſiam & Mociacum habebit epiſcopus pleno jure. Præterea in compenſo pacis diœceſis Uticenſis habebimus nos quartam partem. Præterea præpoſito & capitulo Uticenſi donamus & concedimus in perpetuum caſtrum de Caſtillione cum ſuis pertinentiis pleno jure; retenta nobis animadverſione ſanguinis prorſus eo modo quo ſuperius eſt expreſſum. In caſtro Valleaquaria habebimus nos partem illam, quam comes quondam Toloſæ habebat in eo, & ſi plus forte percipiebat ibi quam deberet, illud reſtituimus præpoſito & capitulo Uticenſi juxta tenorem inſtrumentorum inter capitulum Uticenſe & Raimundum quondam Toloſæ comitem confectorum: in recompenſatione autem prædictorum ipſis a nobis indultorum quittant nobis & hæredibus noſtris in perpetuum epiſcopus, & præpoſitus, & capitulum Uticenſe, omnia feuda & domania, quæ memoratus Raimundus quondam comes Toloſæ tenebat, vel tenere debebat de eiſdem, & alia etiam feuda & domania, quæ ab hæreticis & fautoribus, credentibus, deffenſoribus, & receptatoribus eorumdem jam acciderunt, & ea quæ a talibus ad manum noſtram, vel hæredum noſtrorum futuris temporibus contigerit devenire; quæ videlicet movebant ab epiſcopo, vel eccleſia memorata; ipſis etiam conceſſimus quod bajulus noſter, quotieſcumque ſubſtituetur novus in illa terra noſtra, juret epiſcopo & capitulo Uticenſi, quod illos & terras & jura ſua ſervare & deffendere bona fide, & ipſis juſtitiam exhibere curabit. Quod ut perpetuæ ſtabilitatis obtineat firmitatem, præſentem chartam ſigilli noſtri authoritate, & Regii nominis charactere inferius annotato confirmamus. Actum apud Apamias anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo viceſimo ſexto, menſe Octobris, regni noſtri anno quarto, aſtantibus in palatio noſtro quorum nomina ſuppoſita ſunt & ſigna. Dapifero nullo. S. Roberti buccicularii. S. Bartholomæi camerarii. S. Matthæi conſtabularii. Nos autem donationem & conceſſionem prædictam, prout ſuperius continetur, ſalvo jure noſtro & etiam alieno, volumus & concedimus, & etiam authoritate Regia confirmamus. Quod ut perpetuæ ſtabilitatis robur obtineat, præſentem chartam ſigilli noſtri authoritate, & Regii nominis charactere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Nemauſum anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto, menſe Julio, regni vero noſtri anno viceſimo octavo, aſtantibus in palatio noſtro quorum nomina ſuppoſita ſunt & ſigna. Dapifero nullo, bucciculario nullo. S. Alphonſi camerarii. S. Ægidii conſtabularii. Data vacante cancellaria.

1226.

1254.

XVIII.

Inſtrumentum appellationis a Raynone domino Uceticenſi ad dominum epiſcopum Uceticenſem.

1262.

ANno ab Incarnatione Domini MCCLXII. ſub vigilia Pentecoſtes, B. Raynaudi & R. de Maſſilia conſules civitatis Uſetiæ ſignificaverunt venerabili patri domino B. Dei gratia Uticenſi epiſcopo pro ſe, & univerſitate hominum ejuſdem civitatis, quod Rayno de Uſetia præcepit Pontio Macario civi Uticenſi ſub pena 20. librarum Turonenſium, quod ipſe diruet laupiam quam fecerat ante hoſpitium ipſius Pontii, & in ſuo, ut dictus Pontius dicebat, infra triduum a receptione dicti precepti computandum, a quo precepto dictus Pontius Macarius in preſentia R. de Montearено vicarii dicti domini epiſcopi, & magiſtri Nicolai de Fontaneſio judicis ejuſdem conſtitutus, & ab omni gravamine a dicto Raynone ſibi inferendo ad dictum dominum epiſcopum tanquam ad majorem dominum in ſcriptis appellavit, & appellatione pendente dictus Rayno diruit, ſeu dirui fecit ligna prædictæ laupiæ: unde ſupplicaverunt dicti conſules dicto domino epiſcopo, quod ligna prædicta faciat reſtitui in loco priſtino. Poſtmodum cum nobis dicto B. Uticenſi epiſcopo per confeſſiones & dicta R. vicarii & judicis prædictorum ſuper hiis a nobis requiſitorum per dictam appellationem fuiſſe factam & dirutionem dictæ laupiæ appellatione pendente fore factam, habito ſuper hoc prudentum virorum conſilio præcipimus vobis dicto Raynoni in præſentia noſtra conſtituto, quod dicta ligna reſtituatis, vel reſtitui faciatis in laupia & in loco priſtino hac die præſenti. Actum Uſetiæ in prato de Moſſiaco, teſtes R. de Monteareno prædictus, R. de Bagarii canonicus Uticenſis, magiſter Raymundus Andreæ, magiſter Nicolaus de Fontaneſio.

XIX.

Charta conſtructionis Pontis S. Spiritus ad Rhodanum in diœceſi Uceticenſi.

1265.

ANno Domini MCCLXV. videlicet pridie idus Septembris. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, a quo omnes actus noſtri, & omnia noſtra conſilia procedunt. Nos frater Johannes de Tyangiis humilis prior monaſterii S. Saturnini de Portu, habentes Deum præ oculis, cui ſecreta omnia revelantur, diligenter & diſcrete in poſterum volentes proficere tam monaſterio noſtro, & villæ prædictæ S. Saturnini ſupradictis, quam omnibus hominibus ad portum villæ noſtræ venientibus, divina inſpiratione inducti in dicto portu noſtro in ripa condaminæ noſtræ ultra Rodanum, quod eſt proprium allodium B. Petri Cluniacenſis, pontem volumus incipere, & in pontis capite in ſignum dominii noſtri & juriſdictionis noſtræ lapidem primum ponere, & ipſum lapidem primum ponimus in honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis; concedentes operariis & conſiliatoribus quos ad opus prædicti pontis poſuimus, ſicut antea conceſſeramus, quod ſalvo ſemper in omnibus & per omnia jure noſtro & dicti monaſterii, & ſervata etiam forma in quodam publico inſtrumento redacta per manum Stephani de Budaillano * publici villæ S. Saturnini notarii, ipſi poſſint uſque ad tempus ſuum, Ramis Palmarum, dummodo benefaciant, in dicto ponte operari, ſeu fieri operari: & ad majorem omnium prædictorum firmitatem memoriam & cautelam omnimodo faciendam, bullam noſtram huic apponi præcepimus inſtrumento. Acta ſunt hæc ultra Rodanum in prædicto portu, in ripa noſtræ condaminæ, ubi caput pontis eſt inceptum. Teſtes ad hæc interfuerunt domnus Stephanus prior clauſtralis prædicti monaſterii, Guido prior S. Meteni *, Gaufridus * prior S. Andreæ, Cornillianus major, & Cornillianus minor, Guillelmus Illaris prior de Todone, Andreas de Vernellis * prior de Sajanis *, Armandus de Caſtronovo ſacriſta de Tulleta *, Ricanus Corvi decanus de Colonſellis, Bertrandus Richardi, Bertrandus de Souchantone * prior de Cadaroſſa & alii. Et ego Stephanus de Budaillano * publicus villæ S. Saturnini notarius omnibus ſupradictis interfui, qui mandato domini prioris hanc chartam bullavi, & ſigno meo ſignavi.

* al. Budalhano.
* al. S. Emeterii.
* al. N. Gaufridi.
* al. de Vermelles.
* al. Gajanis.
* al. Tulleto.
* al. de Houcantove.
* al. Budalhano.

X X.

Fundatio eremi beatæ Mariæ de Carsano.

1424. GERALDUS miseratione divina episcopus Uticensis dilecto nobis Guillelmo domino de Montalon militi domino Vallis-Barreti, serenissimi principis domini Caroli Dei gratia Francorum regis consiliario, ejusque senescallo Bellicadri & Nemausi salutem in eo, qui creaturarum omnium vera salus & salvator. Sane petitio pro parte vestra nobis exhibita continebat, quod vos pro zelo devotionis, ac de salute propria cogitans & cupiens terrena transitoria in æterna felici commercio commutare, ob reverentiam D. N. Jesu-Christi & B. Mariæ virginis ejus genitricis, ac totius cœlestis congregationis, contemplationemque sumens dilectionis, quam erga reverendæ & honestæ religionis ac vitæ devotæ fratrem Raynaudum de Cambrone monachum expresse professum monasterii Montis-Serrati ord. S. Benedicti Uticensis diœcesis, qui suorum bonorum operum & verborum exemplis & monitis ad hoc vos induxit, geritis, unum eremitagium pro dicto fratre Raynaudo, qui mundum & ejus vanitates contemnens, & desiderans illi soli servire, qui pro redemptione generis humani sanguinem suum pretiosissimum effundere dignatus est, cum aliis tribus personis sub nomine & habitu eremitalibus famulari desiderat, fundare, construere & ædificare de bonis a Deo vobis collatis proponitis. Verum quia, prout eadem subjungebat petitio, ecclesiam & claustrum B. Mariæ de Carsano nostræ diœcesis Uticensis pro loco habili, congruo & decenti ac devoto ad vestram & dicti fratris Raynaudi devotionem adimplendam elegistis, pro parte vestra & dicti fratris Raynaudi nobis fuit humiliter supplicatum ut super his vobis & eidem fratri Raynaudo licentiam concedere dignaremur. Nos igitur vestrum hujusmodi & ejusdem fratris Raynaudi, cujus vitæ & conversationis fama publica refert laudabilia testimonia, susceptum propositum & devotionem in Domino commendantes, volentesque vestris & ipsius fratris Raynaudi votis annuere favorabiliter in hac parte, considerantes quod locus ille prædictus de Carsano propter carentiam personarum effectus est desertus & inhabitabilis, ecclesia & claustrum præfatum sunt tota in ruinam constituta, adeo & in tantum quod nulla divina officia ibidem Domino proferuntur: sperantes quod vestris mediantibus hujusmodi devotionibus taliter reparabuntur, quod perpetuis temporibus Domino nostro Jesu Christo in divinis honeste famulabitur & devote, de consensu & voluntate dilectorum fratrum nostrorum dominorum Guillelmi Soiberti *, Pauli Bruenx sacristæ, Antonii Millonis præcentoris, Firmini de Campolibus eleemosynarii, Johannis Desiderii prioris claustralis, Philippi de Nion infirmarii, Guillelmi Philippi de Gaudiaco, Firmini Mendini, Antonii Fabri, Stephani de Ponte, claustralium canonicorum nostræ ecclesiæ Uticensis in capitulo ipsius ecclesiæ de mane hora capitulari consueta ad sonum cimbali more solito congregatorum, capitulantium & capitulum facientium, de consensu domini Vitalis Anglici prioris prioratus S. Alexandri, cui dictus prioratus de Carsano est unitus & annexus, nobis actibus transmissis supradictam ecclesiam & claustrum de Carsano pro oratorio & mansione dicti fratris Raynaudi & aliarum trium personarum devotarum dumtaxat sub nomine & habitu eremitalibus ibidem Domino famulantium perpetuo conferimus, donamus & assignamus, ac in eos & suos successores transferimus, dantes & concedentes vobis præfato domino Guillelmo licentiam, auctoritatem, & plenam potestatem ecclesiam & claustrum prælibatum reparandi, reformandi, vel aliter de novo, si sit opus, fundandi, ædificandi, & construendi cameras & habitationes pro quatuor eremitis necessarias ad vestri dictique fratris Raynaudi voluntatem, arbitrium, dictamen, ordinationem & devotionem disponendi & ordinandi. Verum ad reprimendas voluntates deceptorias nonnullorum vagabundorum sub habitu eremitali patriam discurrentium, fingentium bonum extrinsecus quod non erit intrinsecus, prohibetur ne aliquis ipsorum vagabundorum in dicta ecclesia & claustro causa ibidem morandi & standi intrare præsumat & audeat, sed confidentes in Domino de dicti fratris Raynaudi conscientia, probitate & devotione, ordinamus & statuimus, quod quamdiu ipse vitam duxerit in humanis, & ibidem moram traxerit, receptio, admissio & collatio dictorum eremitarum, quos in numero quatuor dumtaxat statuimus & ordinamus,* pertineat & spectet: post vero decessum ipsius fratris Raynaudi, aut aliter post ipsius absentiam, receptio, admissio & collatio præcedens ad antiquiorem professum & notabiliorem dictorum eremitarum superstitem perpetuo pertineant & spectent. Nos autem punitionem, correctionem, & superioritatem dictorum eremitarum nobis & successoribus nostris perpetuo retinemus.

* præpositi.

* deest, ad illum.

Porro nos Geraldus memoratus episcopus considerans quod corpora humana sine aliqua mundanali sustentatione in terris non possunt vivere, eisdem eremitis compatientes affectu, de consensu & voluntate quibus supra, dicto fratri Raynaudo & aliis tribus eremitis, suisque in eodem eremitagio successoribus futuris perpetuo conferimus, donamus & assignamus pro sustentatione vitæ suæ unum hortum, & unam terræ peciam culturanda ad eorum arbitrium & voluntatem, quæ hactenus fuit de dominio dictæ ecclesiæ de Carsano, situatas prope ipsam ecclesiam & claustrum prælibatum, absque eo quod alicui aliquid decimæ vel alterius oneris de ipsis horto & pecia terræ facere teneantur. Item damus eisdem, conferimusque & assignamus jus, licentiam & potestatem ligna cedendi & capiendi in terris, nemoribus, rameriis & possessionibus dictæ ecclesiæ de Carsano, portandi ad eorum habitationem pro eorum usu dumtaxat necessaria. Alienationem vero omnium & singulorum prædictorum eisdem eremitis prohibemus, si secus fieret, nullius roboris, vel firmitatis volumus existere. Damus insuper eisdem eremitis, conferimus & assignamus omnes & singulas oblationes provenientes in dicta ecclesia, hoc tamen retento quod in quinque festivitatibus B. Mariæ, quibus dominum priorem S. Alexandri & de Carsano, aut ejus successores in dicta ecclesia missam celebrare contigerit, omnes & singulas oblationes in dictis diebus provenientes ad dictum priorem ejusque successores pertineant & spectent; dantes nihilominus & concedentes dicto fratri Raynaudo pro se & suis successoribus eremitis in futurum licentiam, auctoritatem & potestatem recipiendi, mercandi & adipiscendi possessionem realem & corporalem omnium & singulorum supradictorum, præsentibus ibidem venerabilibus dominis Johanne de Rocheber priore de claustro, Guillelmo de Naugerio presbytero diœcesis Vivariensis, servitore dicti domini præpositi, ac magistro Guillelmo Fuze notario Balneolarum testibus ad præmissa vocatis.

Tandem accedens ad nostram præsentiam dictus frater Raynaudus, quærens pacem perpetuam, & jurgia, quæ futuris temporibus oriri possent, evitare cupiens supplicavit nobis humiliter quatenus clausam superius scriptam, quæ incipit *Damus insuper eisdem eremitis*, quæ facit mentionem de oblationibus, declararemus quid intentionis fuit & est. Nos vero ad ipsius fratris Raynaudi supplicationem declaramus, quod intentionis fuit & est, quod quando & quoties in dictis quinque festivitatibus B. Mariæ, quibus dominum priorem S. Alexandri & de Carsano, aut sui successores in dicta ecclesia de Carsano missas celebrare contigerit, oblationes quæque sint provenientes in offerenda missarum ad manum ipsorum, ad ipsum dominum priorem ejusque successores

pertineant, & pertinere debeant futuris temporibus; reliquas vero oblationes recipiendas per dictos eremitas & convertendas in servitio divino dictæ ecclesiæ de Carsano, vel reparationibus ejusdem. Declaramus ut si quæ in futurum orirentur dubia in prædictum, jus declarandi nobis retinemus. In quorum omnium & singulorum præmissorum testimonio nostras præsentes litteras, sive præsens publicum instrumentum per Petrum Torrelli notarium publicum, nostrumque secretarium infrascriptum fieri, signari & subscribi, idque sigilli episcopalis appensione fecimus. Acta fuerunt hæc declaratorie in domo nostra episcopali die septima mensis Februarii; reliqua vero præcedentia in capitulo ecclesiæ nostræ prælibatæ die Sabbati XXIX. mensis Januarii anno a Nativitate Domini MCCCCXXIV. ind. II. pontificatus sanctissimi in Domino patris domini nostri domini Martini divina providentia papæ quarti* anno VI. Et me Petro Torrelli clerico Constantiensis diœcesis publica authoritate apostolica & imperiali notario, ac reverendi in Christo patris & domini Geraldi miseratione divina episcopi memorati secretario, qui præmissis omnibus & singulis, dum & sic pronunciarentur, & agerentur & fierent, una cum testibus prænominatis præsens fui, eaque sic fieri vidi & audivi: & ideo præsentes litteras, sive præsens instrumentum manu propria scripsi & subscripsi signo meo solito. Torrelli not. sic signatus.

* quinti.

XXI.

Ex scriniis episcop.

Hominium Guillelmi de Lauduno vice patris sui Hugonis domini Montis-falconis, senescalli Bellicadri & Nemausi præstitum Gabrieli de Castro episcopo Uceticensi.

1459.

EGO GUILHERMUS de Lauduno filius primogenitus ac procurator ad hoc specialiter deputatus domini Hugonis de Lauduno, condominus Ucetiæ pro dicto domino patre meo & successoribus ejus, ex certa scientia, & in veritate confiteor, & recognosco vobis domino Gabrieli de Castro Dei gratia Uticensi episcopo stipulanti & recipienti nomine episcopii vestri & ecclesiæ Uticensis dictum domnum Hugonem patrem meum tenere & tenere debere a vobis & ecclesia vestra Uticensi omne id, & quidquid præsens habet & habere visus est infra civitatem Uzetiæ, & ejus fossata, vel aliquis per eum, item quidquid habet, vel aliquis per eum in loco seu territorio de Jono loco prope Freius; item confiteor & recognosco vobis dicto domino episcopo nomine dictæ vestræ ecclesiæ dictum dominum patrem meum tenere & debere facere medietatem procurationis canonicis & clericis Uticensibus in claustro ecclesiæ Uticensis in festo beati Theodoriti uno anno, & alio non: item recognosco nomine quo supra dictum dominum patrem meum omnia alia recognita per prædecessores suos juxta & secundum formam & conditiones in recognitionibus olim per prædecessores suos factis, & prædictis feudis procuratorio nomine quo supra promitto & juro vobis & ecclesiæ Uticensi fidelitatem, & quod ita teneam, & contra nunquam veniam per me, nec per aliquam personam interpositam, aliquibus jure, ingenio, seu cautela, per firmam & validam stipulationem sub virtute præstiti juramenti vobis dicto domino episcopo pro vobis & successoribus vestris, qui pro tempore fuerint in dicto episcopio solemniter recipienti & stipulanti sub expressa obligatione hypotheca omnium bonorum dicti domini patris mei, & sub omni renuntiatione juris pariter & cautelæ promitto. Ad hæc nos Gabriel de Castro prædictus episcopus præmissa laudamus & concedimus vobis dicto domino Guilhermo procuratorio nomine dicti domini Hugonis: item ego prædictus Guilhermus nomine quo supra confiteor & in veritate recognosco vobis dicto domino Gabrieli episcopo Uticensi tenere & tenere debere ad feudum francum & prædecessores dicti patris mei tenuisse & tenere debuisse dominationem, jurisdictionem, merum & mixtum imperium, & proprietatem, quam & quas, quod & quæ habet, vel habere debet, ac visus est habere dictus dominus pater meus, & alii per eum habent & habere debent, vel visi sunt habere in castro de Coliaco & ejus pertinentiis, territorio, districtu, & mandamento, exceptis hiis quæ dominus Raimundus Gaucelini ultimo defunctus habuit titulo permutationis, seu alia de causa a capitulo Uticensi, & priore de Coliaco, simul seu separatim pro jurisdictione & quibusvis aliis quæ habebat in villa & territorio de Argileriis, & pro omnibus & singulis prædictis ego dictus Guilhermus nomine quo supra juramentum fidelitatis interponendo osculum pacis bona fide & sine . . . . ac fraude facio vobis dicto domino G. episcopo Uticensi, &c.



INSTRUMENTA ECCLESIÆ AGATHENSIS.

I.

Ex chart. eccl. Agath.

Caroli Calvi præceptum pro Dacberto Agathensi episcopo.

Edit. inter prob. nov. hist. Occitan. tom. 1. pag. 94.

848.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus divina ordinante providentia rex. Dignum est ut regalis majestas suorum procerum petitionibus pio provideat amminiculo, quatenus eos nobilitando, & provido moderamine consulendo, erga sua reddat promptiores obsequia, & fideliores per omnia. Quanto itaque est utilius, & animarum necessitati salubrius ecclesiarum honestati subvenire, easque congruis honoribus multari, qui quanto felices habemur pro earum defensione, tanto feliciores esse credimus sanctorum patrociniis & orationibus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum... quod adiens ante præsentiam serenitatis nostræ Apollonius comes noster communis fidelis enixius postulavit, quatenus concederemus ad votum Dacberti reverentissimi episcopi Agathensis ecclesiæ, ad subjectionem videlicet S. Stephani, tertiam partem rerum, quæcumque ab ea ecclesia quondam magnifici antecessores nostri abstulerant, ad communem suorum nostrorumque fidelium utilitatem. Cujus petitioni aurem libentius præbentes, clementer concedimus eidem episcopo & successoribus ejus tertiam partem in ipsis rebus. Et si ecclesia ibi constructa fuerit, prænominato protomartyri pro nobis & pro progenie nostra ad orandum condonamus cum tertia scilicet parte ipsius terræ, sane reliquam nostris usibus reservamus. Donamus etiam prænominato pontifici & successoribus ejus in ipso comitatu pulveraticum, pascuarium, piscaticum tam maris quam aquæ currentis, volatiliaticum, salinaticum, thelonei mercatum, tertiam partem in omnibus habendam, tam quæsitum quamque diligenter inquirendum, omnia & in omnibus de nostra potestate in B. Stephani rebus placabili voto transfundimus. Jubemus etiam & regia auctoritate decernimus, ut nullus judiciariæ potestatis, aut cujuscumque personæ vir, a clericis aut a

laïcis supra terra prædicti loci commanentibus audeat exigere mansionaticum, portaticum, salinaticum, hospitaticum, nec alicujus redhibitionis curam infligere, nec inquietare, aut distringere; sed quæcumque agenda sunt, in præjudicio ejusdem loci episcoporum omni tempore maneat. Ut autem hæc nostræ voluntatis auctoritas certior habeatur, hoc serenitatis nostræ præceptum fieri decrevimus, per quod jam dictus episcopus & successores ejus, ea omnia supradicta absque ulla inquietudine aut deminoratione sempiternis temporibus possidere valeant: & ut verius credatur, & diligentius ab omnibus observetur, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum Caroli gloriosissimi regis. Teudo cancellarius ad vicem Hludovici archicancellarii recognovit. Data III. idus Augusti, indictione V.* anno IX. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum apud Carisiacum palatium in Dei nomine feliciter, amen.

* XI.

II.

Ex archivis S. Tiberii.

Placitum Caroli Calvi pro monasterio S. Tiberii.

Edit. inter prob. nov. hist. Occit. tom. 1. pag. 118.

867.

CUm in Dei nomine resideret Bernardus comes marchio, missus serenissimo nostro Karolo rege, in Narbona civitate pro multorum altercationes audiendas, & negotia causarum dirimenda, & recta ac judicia ordinanda, una & cum Leopardo & Aldalberto vasos domenicos, seu & judices Teudefredo, Theriscone, Medemane, Odolrico, Argefrido & Comparato Saïone; etiam & in præsentia Addriulfo, Witardo, Recamberto, Ilderico, Proroando, Andrico, Odilone, Austringo, & præsentia aliorum plurium bonorum hominum, quos causa fecit esse præsentes; in eorum præsentia veniens Bonesindus abbas ex monasterio sancti Tiberii, cui vocabulum est Cesarion, una & cum ejus congregatione, & se querelavit, & proclamavit, & dixit: audite me querelantem, eo quod abbatia sancti Velosiani cum ecclesias, & vineas, & terras, & omnibus appendiciis suis, & fiscum nostrum, qui etiam vocatur Homegianus, quem Karolus rex perenniter contulit ad jam dicto monasterio S. Tiberii per istos præceptos, quem ego hic in vestra ostendo præsentia ad relegendum. Et sic dumque nos ipsam abbatiam vel fiscum supradictos retinuissemus, vel antecessores mei quiete retinuerunt pro partibus S. Tiberii in Cesarione monasterii, ubi sacrum corpus requiescit; sic venit Ato, & sic ab ipso monasterio vel ejus congregatione abstulit sua fortia injuste. Tunc nos missus & vasi domenici & supradicti judices ordinavimus ipsos præceptos ante nos relegere. Sed cum ipsi præcepti ante nos relecti fuissent, sic in unum præceptum insertum invenimus, quomodo Karolus rex dedit ipsam abbatiam cum ipsas ecclesias, & vineis, & terris, & omnibus appendiciis cum omni integritate, & illi placuit conferre Deo, sanctoque Tiberio: & ibi invenimus quod est ipsa abbatia in pago Tolosano, suburbio Savartense. Et in alium præceptum invenimus, quomodo ipse jam dictus domnus noster Karolus rex dedit fiscum, qui vocatur Homegianus, ad prædicto monasterio S. Tiberii, qui vocatur Cesarion, ab integre; & est ipsa abbatia supradicta in supradicto territorio Tolosano, suburbio Savartense, super fluvium Arega: & est ibi constructa ecclesia in honore S. Velosiani martyris: ipsum autem fiscum suprascriptum est situm in territorio Biterrense in suburbio Caprariense: & cum consilio Vinfridi marchionis hoc dedit ad prædicto monasterio, vel Adrebaldo abbati, vel sanctis fratribus monachis loci illius monasterii Cesarionis, ubi sanctus Tiberius quiescit, cum omnibus sibi pertinentibus in integro, perpetuis temporibus, sine ullius hominis inquietudine. Et in unum præceptum invenimus in ipso datarum anno decimo quod Karolus rex regnabat, quod factus fuerat in Albia civitate. Et in alio de fisco quod fuit datum anno nono decimo quod Karolus rex regnabat, quod factus fuerat in Pontiano palatio: & ibi invenimus, quod Karolus rex manibus suis & firmavit, & sigillare jussit. Cum nos vero missus & judices vidissemus & audissemus ante nos Bonesindum abbatem cum sua congregatione, & vidissemus illorum præceptos, & cognoscentes illorum veritati, ordinavimus Leopardo vaso dominico misso nostro, ut super ipsas res venire fecisset, & sic ipso abbati de prædicto monasterio, vel ejus congregationi reddidisset monasterium S. Velosiani cum ecclesias, terris, & vineis, & omne appendiciis, & ipso fiscum Homegiano in integro, sicut ipsi præcepti resonant, ad eos traderet atque revestire fecisset. Et sic ipse Leopardus venit, sicut ordinatus fuit, in comitatu Tolosano, cum Adalberto, Theudfredo, Theriscone, Ildimiro, Arsulfo, & Isimberto judices, & præsentia Giselafredi, Tancone, Walarico, Bellone, Teudesindo, Audesindo, Eldebrando, Bonavidane: & sicut per ipsum fuit ordinatum, eos revestivit, atque tradidit ad partibus prædicti monasterii S. Tiberii in integro, sicut illorum præcepti resonant; sic ipse missi monachos ipsius abbati Bonesindi, nomine Ansimiro, Wlberto, Aimirico tradidit, sicut illorum præcepti resonant. His præsentibus actum fuit & traditum. Data & facta traditione idus Junias, anno XXX. regnante Karolo rege, indictione XV. signum ✠ Antoninus, signum ✠ Atonius, signum ✠ Tedriscus, signum ✠ Letarius, signum ✠ Teudisclus, signum ✠ Salomon, signum ✠ Olibe, signum Isirbertus. Parasetbadus scripsit.

III.

Ex char. eccl. Agath.

Testamentum Apollonii comitis Agathensis in gratiam Dagberti Agathensis episcopi.

Edit. inter prob. nov. hist. Occitan. tom. 1. pag. 123.

872.

INtegra mente, sanoque consilio, ac divina compunctione afflatus, in Dei nomine ego Apollonius, astrictus enim casu humanæ fragilitatis, dum mortem quis evadere non potest, sed iter qua cuncti gradiuntur & exsequuntur; & quia pius Dominus boni operis fructus purgare non dedignetur quemlibet a sordibus peccatorum, sed quod digne offeram, aut quæ munera poterit ipsi placere, cum ipse fecerit omnia, & ejus sunt universa; sed unde mihi Dominus in hoc sæculo largire jussit, vota mea persolvo, & ut in diem judicii remedium animæ meæ adquiram. Ob hoc ego Apollonius comes supradictus, pro meis delictis atque criminibus, dono & offero glorioso sancto Stephano martyri in sede Agathensi, dono, donatumque esse volo a supradicta ecclesia, sive venerabili patri Dagberto episcopo, vel a canonicis, qui ejusdem Deo deserviunt, vel adhuc servituri sunt, dono atque trado domos cum curte, exeo & regressu suo, quæ domi sunt in Agathensi civitate de parte circi. Iis laterat ipsa curtis interna S. Stephani de parte Aquilonis, infrontat ipse domus, vel ipsa curtis in via quæ discurrit ad ecclesiam S. Stephani. Ista omnia superius nominata de meo jure & dominatione ad præfato S. Stephano dono atque in præsenti modo trado; in ea vero deliberatione, ut post obitum meum nullus episcopus non habeat ipsas domos licentiam, nec in parentibus, nec in laicis vendendi, commutandi, cedendi, beneficiandi, nec qualibet occasione subtrahendi; sed ipse episcopus vel sui canonici ipsas domos ad præfatam Dei ecclesiam in suos usus retineant, & pro meis reatibus Deo subveniant; unde ab hac hodierno die & tempore ipsa supra memorata ecclesia, vel sui rectores hæc vindicent vel defendant; & qui contra hanc chartam ad me factam venerit ad irrumpendam, aut ego venero, aut ulla opposita persona, vel subrogata, tunc componam seu componant partibus præfatæ ecclesiæ ipsas domos, quales ad eo tempore carius valere potuerint & inantea hæc donatio mea in sua maneat potestate. Facta

ſcriptura donationis ad eccleſiam S. Stephani ſub die nono calendas octobris, triceſimo tertio regnante domino noſtro Karolo rege; Apollonius hanc donationem fieri volui & firmare rogavi, vacante cancellaria.

I V.

Ex archivis S. Tiberii.

Donatio Guillelmi vicecomitis Biterrenſis facta monaſterio S. Tiberii.

990.

HÆc eſt charta noticionis, ſive guirpicionis de rebus ſancti Tiberii, vel de alode ſuo, quem dimiſit dominus Willelmus vicecomes Biterrenſis & dominus in totum de ſancto Tiberio, quando perrexit Romam, & uxor ſua Arſendis propter amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & propter redemptionem animarum ſuarum, vel parentum ſuorum, & propter ædificationem loci illius ſecundum regulam S. Benedicti. In Dei nomine, ego Willelmus vicecomes Biterrenſis guirpiſco atque dimitto Domino Deo ipſam eccleſiam ſancti Tiberii cum ipſa villa, ubi corpus ejus requieſcit, quam injuſte & violenter vi abſtuli, & totum ejus dominium ex integro, & cum ipſas eccleſias quæ ſunt ædificatas in ipſa villa, cum premitiis, & decimis, & cemiteriis, & cum omni honore eccleſiaſtica quæ ad ipſas pertinet, & cum ipſo ponto, & cum ipſis inſulis uſque ad ripis vetulis, & cum molinis, & cum ipſos boſchos, & cum ipſas elizarias, cum ipſos parcarios de porcos & de oves, & cum ipſo caſtello, & ipſas condaminas, cum ipſo mercato totum & ab integrum. Guirpiſco etiam atque dimitto villare Berbeiano, qui terminat in loco qui vocatur *Orcha* & terminatur in podio Calvello, aliudque terminum infrontat in petra, que eſt in via ſuper portellum de *Colcanicis*, & terminatur in guardia judaica. Necnon guirpiſco villam Natalliam cum terminibus ſuis, & villam de Churchuciaco cum terminibus ſuis, & eccleſiam ſancte Colombe cum honore ſua, & in Buata medietatem eccleſiæ ſancti Johannis cum medietate honoris, quæ ad ipſam eccleſiam pertinet, & in ipſa villa honorem de Barnario qui fuit quondam, & duodecim modiatas vineæ in eadem villa, & in Setenarias medietatem eccleſiæ ſancti Andreæ cum toto honore eccleſiaſtico, & medietatem de ipſa villa, & inter montes eccleſiam ſancte Agathe, & cum ipſa tota, & eccleſiam ſancti Albani que vocant *Pojet*, & cum ipſo fiſco & cum ipſis deveriis, leudiis, & dominiis locorum predictorum, & in Caprarienſe, monaſterium ſancti Stephani quem vocant *Trignano*, cum eccleſiis que ibi ſunt, ſcilicet & eccleſiam ſanctæ Mariæ & ſancti Euſebii, & in caſtrum Niſrani, medietatem eccleſiæ cum decimis, & premiciis ſuis, & cum medietate honoris que ad ipſam eccleſiam pertinet, & medietatem de ipſo caſtro & de ipſo bario uſque in marella, & in caſtro Morecino tertiam partem & eccleſiam ſanctæ Mariæ cum omnibus rebus ſibi pertinentibus, & fiſcum Liuranum cum eccleſia ſancti Petri, & ad montem Sedeſon tres manſos, & medietatem de villa quæ vocant *Quadoperoſo*, & in ripa fluminis Arauri eccleſiam ſancti Petri, quæ vocant *ad Amenlarios*, & cum ipſo porto, & eccleſiam ſancti Martini cum ipſo fiſco quæ vocant *Campaniaco*, & poſt mortem Arſindis uxoris meæ, caſtrum quæ vocant *Paulianum* totum & ab integrum revertatur ad ſanctum Tiberium, & eccleſia que eſt conſtructa in honorem ſanctæ Mariæ in eadem villa, cum quatuor manſos, & cum terris, & vineis, & in Nebiano manſos duos, & fiſcum de Salellas, & fiſcum de Aqua-viva, & eccleſiam ſancti Martini, quæ vocant *ad Croſos* cum ipſa villa tota, & cum decimis, & premiciis, & villam quæ vocant *Altinalgas*, & alio loco unum manſum, quæ vocant *Caſtagno*, & in Calſano manſos duos, & in Valras duos manſos, & bordarias duas, & in Artrugas manſos duos, & in Tornes eccleſiam S. Saturnini cum omni honore eccleſiaſtico, & in eadem villa manſos quatuor; & in Serignano eccleſiam ſanctæ Mariæ cum ſalinis, & cum honore eccleſiaſtico, & in Fenoleto manſos duos, & in Nataliano manſos duos & bordarias quatuor, & fiſcum unum, & in Torola maſuras tres & in Agate civitate capit maſura una, & ad Grado, monaſterium ſanctæ Mariæ cum omni honore inibi pertinente, cumque decimis, & premiciis, & cum piſcatoriis tam in mare quam in prædicto Araure quantum afrontat in ipſa honore ſanctæ Mariæ, & in Pomarol, terris, vineis, & capit maſuras duas, & in Pineto, manſo uno optimo, & in Montanato, manſo uno, & in Tabaſqua, manſo uno, & in Florenciaco, eccleſiam ſancti Johannis, & ſanctæ Mariæ, & ſancti Petri, & ſanctæ Suſanne, cum omni honore eccleſiaſtico, & cum decimis, & premiciis, & in Rucciniaco, eccleſiam ſancti Andreæ cum decimis, & premiciis, & cum omni honore quæ ad ipſam eccleſiam pertinet, & in villa Granolarias eccleſiam ſancti Martini cum decimis, & premiciis, & cum manſo, ubi Dominicus habitat, & alium manſum ubi Alduinus habitat, & alium ubi Adorarius habitat, & alium manſum in quo Caſtellanus habitat, & alium manſum in quo Chriſtophorus habitat, & alium manſum in quo Amelius presbyter habitat, & alium ubi Marialdus habitat, & alium ubi Godaldus habitat, & alium ubi Sibaldus habitat: hæc omnia autem ſuperius ſcripta mihi Willelmo vicecomiti oſtenſa ſunt & lecta, manuque mei ſuper altare martyris Tiberii glorioſiſſimi patroni & advocati mei in itinere iſto oblata, præſentibus Berengario abbate & conventu ſuo & acceptante. Et juſſu prædicti vicecomitis Gondaldus ſcripſit indictione tertia pridie calendas Martii.

V.

Ex archivis S. Tiberii.

Bulla Paſchalis II. pro monaſterio S. Tiberii.

1116.

PASCHALIS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Arnaldo abbati monaſterii S. Tiberii, quod in Agathenſi territorio in Cæſarione ſitum, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Juſtis votis aſſenſum præbere, juſtiſque petitionibus animum accommodare nos convenit, qui, licet indigni, juſtitiæ cuſtodes atque præcones in excelſa apoſtolorum principum Petri & Pauli ſpecula poſiti, Domino diſponente, conſpicimur. Tuis igitur, frater in Chriſto cariſſime, juſtis petitionibus annuentes, beati Tiberii monaſterium, cui Deo auctore præſides, apoſtolicæ ſedis auctoritate munimus. Statuimus enim ut in adjacenti villa, vel terminis ejus nulla unquam eccleſiaſtica ſæculariſve perſona caſtrum aliquod vel fortitudinem facere audeat, neque in hominibus ejuſdem villæ aliquas exactiones, præter abbatem & miniſtros ejus extorquere, neque vicariæ miniſterium exercere, neque pro eadem vicaria campum vendicare, qui eſt ultra flumen Tongam ſubtus Ceveracum, vel abbatis, vel perſonæ cujuſlibet indulgentia. Confirmamus autem vobis veſtriſque ſucceſſoribus in Agathenſi territorio eccleſiam ſanctæ Mariæ de Gradu, eccleſiam S. Martini de Vallevrages, eccleſiam S. Sulpicii de Caſtro novo, eccleſiam ſancti Johannis de Florenciaco, eccleſiam ſancti Martini de Grenolheriis, eccleſiam S. Andreæ de Rominiaco, cum pertinenciis earum. Item in Biterrenſi epiſcopatu eccleſiam ſanctæ Mariæ de Serignano cum pertinenciis ſuis. Item in Toloſano eccleſiam ſancti Petri & ſanctarum Puellarum cum pertinentiis ſuis. Item in Gaſconia in comitatu Armenienſi eccleſiam ſancti Juliani de Galano, cum eccleſiis, villis, & cæteris omnibus ad eam pertinentibus. Item in parochia Convenienſi eccleſiam ſanctæ Mariæ de Aurinhaco, & cætera omnia, quæ monaſterium veſtrum vel in præſenti nona indictione legitime poſſidet, vel in futurum largiente Deo rationabiliter ac legitime poterit adipiſci. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis

vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, quorum sustentationi & gubernationi concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Obeunte te nunc ejus loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astucia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris de suo, vel si oportuerit, de alieno collegio secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam providerit eligendum. Sane locus ipse, sicut a prædecessore nostro felicis recordationis papa Sergio institutum est, semper sub apostolicæ sedis jure & protectione permaneat, sub aurei unius censu annualiter Lateranensi palatio persolvendi. Si qua in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit, secundo tertiove ammonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo judicio districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem monasterio justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen, amen, amen. Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ papa secundus. Datum Laterani per manum Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis diaconi ac bibliothecarii XI. kalend. Aprilis, ind. IX. Incarnationis Dominicæ anno MCXVI. pontificatus autem domini Paschalis secundi papæ anno decimo sexto.

V I.

Ex archiv. S. Tiberii.

Litteræ Elisiarii & Engelradæ testantium vicariam loci S. Tiberii, leddam, condominam, &c. monasterio contra ipsos adjudicatas fuisse.

1117.

IN nomine Omnipotentis altissimi. Ego Elisiarius, & ego Engelrada uxor Elisiarii, nos ambo cognoscimus & confitemur, quod in placito quod habuimus cum Arnaldo abbate sancti Tiberii de honore Guillermi Arnaldi avunculi Engelradæ, ipse Arnaldus abbas probavit testibus legitimis quod prædictus Guillermus Arnaldi in ultima dispositione sua donavit & reliquit pro amore Dei, & pro animabus parentum suorum, & pro remissione peccatorum suorum, altari sancti Salvatoris, & altari S. Tiberii, quod est situm in eadem ecclesia, & abbati ejusdem loci, & successoribus suis, & monachis præsentibus & futuris, totam vicariam, & illud totum quod ad vicariam pertinet, & totam leddam, & condominam quæ est juxta viam quæ vadit de sancto Tiberio ad castrum Pedenatii, & alium campum qui est juxta viam quæ discurrit de sancto Tiberio ad Biterrim. Et ipse campus affrontat ab Occidentali parte in vineis de Cabanis, a Septentrionali parte affrontat in vineis Duranti Americi, ab Orientali parte affrontat in feodo Petri Frotardi: quapropter prædictus Arnaldus abbas obtinuit contra nos & contra Petrum Segerii, & consecutus est in eodem placito totum honorem suprascriptum, quem Guillermus Arnaldi tenuit & habuit de sancto Tiberio & abbate ejusdem loci, judicio eorum in quos compromiseramus, scilicet Ricardi Narbonensis archiepiscopi, & Atonis Arelatensis archiepiscopi, & Arnaldi Biterrensis episcopi, & Bernardi Agathensis episcopi, & Arnaldi Carcassonensis, & domini Aldeberti legisperiti, & Hugonis Caurendi. Unde nos intelligentes mortem animarum esse, & damnabile sanctæ matri ecclesiæ res suas auferre, cum deberemus etiam nostra erogare, amore & timore Dei omnipotentis, & pro salvatione animarum parentum nostrorum, & ipsius Guillelmi Arnaldi, & omnium fidelium defunctorum, & pro remissione peccatorum nostrorum, nos suprascripti damus & solvimus, atque dimittimus cum hac charta, absque omni machinatione, & sine aliqua retentione totum illum honorem suprascriptum, quem prædictus Guillermus Arnaldi habuit, & tenuit de sancto Tiberio & abbate ipsius loci, & ecclesiam beatæ virginis Mariæ de Serignano, cum omnibus ecclesiasticis. Hanc autem solutionem & dimissionem facimus ego Elisiarius & ego Engelrada altari sancti Salvatoris, & altari sancti Tiberii, quæ sunt sita in eadem ecclesia, & tibi Arnaldo abbati, & successoribus tuis, & monachis præsentibus & futuris. Sane si aliquis ex hæredibus nostris, quod absit, hanc guirpitionem temerarie auferre, rumpere, aut infringere attentaverit, non valeat obtinere quod cupit, sed pro suo maligno conamine componat prædicto monasterio, vel abbati ejusdem loci, vel monachis auri libras quinque. Et ego in Dei nomine Arnaldus abbas monasterii S. Tiberii, cum consilio Deodati prioris, & Petri Ricardi monachi, & Petri de Beciano, & Poncii de Magalas monachorum, & Petri Ruffi monachi, & Bernardi Amancii monachi, & Raimundi monachi, & totius capituli, bono animo, & spontanea voluntate concedimus & donamus in feudum tibi Elisiario & uxori tuæ Engelradæ, excepto honore suprascripto, totum alium honorem quem ipse Guillermus Arnaldi tenuit & habuit, aut aliquis per illum, de abbate sancti Tiberii & de monachis, sicut melius ipse Guillermus Arnaldi tenuit & habuit. Ita tamen ut pro hoc feudo tu & omnes successores tui qui hoc feudum habuerint, sint fideles abbati sancti Tiberii, & faciant homagium pro feudo, & omnium rerum ad ipsam ecclesiam pertinentium defensores existant. Facta charta XI. kal. Novembris, luna XIV. feria VII. epacta XVII. 1117. anni Incarnationis Domini regnante Ludovico. Visores & testes hujus defensionis & solutionis sunt Abcherius de Tedano, & Remidi Dalmatii, & Petrus Bernardi de Montanac, & Bertrandus de Alinia, & Petrus Donati, & Berengarius de Beciano, & Raimundus de Roca, & Guillermus Deodati, & Guillermus de Tedano, & Raimundus de Tedano, & Marcus Bernardus chartam descripsit presbyter istam.

V I I.

Ex tabul. S. Tiberii.

Synodus Monspeliensis, in qua ecclesia de Beciano cœnobio S. Tiberii attribuitur.

1134.

HUGO Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus, sedis apostolicæ legatus, dilecto filio Ademaro abbati S. Tiberii, tuisque successoribus in perpetuum. Religiosis & Deo servientibus providere, eorumque possessiones & jura ecclesiastica conservare omnibus qui in regimine positi sunt sanctorum Patrum mandat auctoritas. Eapropter causam illam super ecclesia de Beciano multo tempore ventilatam auctoritate apostolica suscepimus terminandam. Considentibus itaque nobiscum apud Montempessulanum venerabilibus archiepiscopis B. Arelatensi & A. Narbonensi sedis apostolicæ legatis, & episcopis R. Agathensi, & G. Arausicensi, & P. abbate S. Ægidii, & aliis quampluribus religiosis personis, tu ad diem in supradicto loco tibi auctoritate apostolica & nostra præstitutam, paratus ad justitiam ante nos venisti. Abbas vero Casæ-Dei, qui ad eamdem diem & eumdem locum auctoritate apostolica a nobis vocatus fuerat, nec ipse venit, nec pro se responsales misit, nec aliquam excusationem canonicam inibi prætendit. Eo itaque sic deficiente, nos præcepto domini nostri papæ Innocentii justitiam exequentes, quæsivimus ab ecclesia Agathensi, in cujus parochia sita est ecclesia de Beciano, ut coram Deo & nobis omnibus ibidem consistentibus veraciter protestarentur, ad quod jure canonico, vel tuum, vel Casæ-Dei monasterium pertineret præfata ecclesia de Beciano. Illi siquidem quia vere, prout ab antecessoribus acceperant, ad jus & possessionem S. Tiberii, cui monasterio Deo auctore præsides, pertinere responderunt. Ad hæc tu,

Ademare abbas, protulisti instrumentum donationis A factæ de ecclesia de Beciano ecclesiæ S. Tiberii, & prædecessori tuo Deodato : quod instrumentum a Berengario bonæ memoriæ Agathensi episcopo factum, & annis Dominicæ Incarnationis, & testibus idoneis roboratum existit. Et tu consequenter produxisti quatuor testes viros antiquos, asserentes se vidisse, quia ecclesia S. Tiberii possedit quiete per multos annos ecclesiam de Beciano, antequam monachi de Casa-Dei intrassent in eam. Tunc illi canonice examinati juraverunt super Evangelia Dei, & hoc se vidisse, & hoc verum esse. Prodierunt & alii quatuor testes, qui dixerunt se interfuisse placito illi, quod habitum est apud Corbianum inter monachos S. Tiberii & monachos Casæ-Dei, in præsentia Aldeberti Agathensis episcopi, præsentibus A. Narbonensi archiepiscopo, B & L. Nemausensi episcopo, dicentes se vidisse & audisse quosdam testes idoneos ibidem jurasse, quod Bernardus Agathensis episcopus, qui induxerat monachos Casæ-Dei in ecclesiam de Beciano, cum accepisset testimonia personarum authenticarum ecclesiæ suæ, super donatione facta a Berengario antecessore suo Deodato abbati, & monasterio S. Tiberii de ecclesia de Beciano, ipse idem Bernardus coram Bertranno Narbonensi archiepiscopo, in placito de eadem causa habita apud Cabrils, præsentibus monachis Casæ-Dei & sancti Tiberii, factum correxit, & adjudicavit reddi ecclesiam de Beciano monachis S. Tiberii. Quod prædicti Aldebertus Agathensis, & A. Narbonensis, & L. Nemausensis audientes, sententiam restitutionis ipsius ratam esse & tenendam judicaverunt. Et sicut præfati quatuor testes hoc se vidisse & audivisse protestati sunt, ita nobis præsentibus examinati super Evangelium Dei juraverunt. Hoc ipsum A. Narbonensis archiepiscopus, & Ermengaldus Agathensis archidiaconus, & R. sacrista, & magister Dulcianus, qui interfuit præfato placito de Corbiano, coram nobis se vidisse & audisse viva voce protestati sunt. Hi omnes, qui hoc testimonium nobis perhibuerunt, eamdem de præfata restitutione sententiam attestati sunt fuisse confirmatam apud Lupianum a supra nominato A. Agathensi & A. Narbonensi, & P. Lutevensi, & R. Magalonensi episcopis, & R. tunc archidiacono nunc episcopo Agathensi, præsentibus abbatibus de Casa-Dei & S. Tiberii. His omnibus de causis, & insuper admonitione & præcepto Guidonis diaconi cardinalis & apostolicæ sedis legati, præfatus R. Agathensis te & ecclesiam S. Tiberii de ecclesia de Beciano revestivit. Hanc revestitionem eodem R. Agathensi episcopo attestante sic factam, nos & nobiscum hic assidentes supra nominati archiepiscopi, & apostolicæ sedis legati, & episcopi, & quamplures authentici & religiosi viri, approbamus, & approbatam vice apostolica, quam super hoc negotio gerimus, confirmamus & pro canonica donatione a Berengario Agathensi episcopo facta, & legitima possessione subsecuta, tibi tuisque successoribus & monasterio S. Tiberii, cui præsides, præfatam ecclesiam de Beciano cum decimis & omnibus jure ad eam pertinentibus, omni deinceps quæstione sopita, perpetuo possidendam adjudicamus. Actum est hoc anno Verbi Incarnati MCXXXIV. apud Montempessulanum, universali papa Innocentio, rege Francorum Ludovico. ✠ Ego Hugo Rotomagensis archiepiscopus & apostolicæ sedis legatus.

VIII.

Ex chart. Vallis-mag.

1138.

Fundatio abbatiæ Vallis-magnæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Guillelmus Frezol, & uxor mea Ermensendis, & omnes filii nostri, Bernardus scilicet de Gabiano, & Petrus Guillelmus, & Frezol, & ego Berengarius Rustan, & uxor mea Amada, & ego Petrus de Pradinas & uxor mea, & omnes nos prædicti per nos & per omnes successores nostros bona voluntate & fide, ac sine omni fraude pro salute animarum nostrarum & omnium parentum nostrorum donamus Domino Deo, & S. Mariæ de Ardorello, & Fulconi ejusdem loci abbati, & omnibus monachis & fratribus tam præsentibus quam futuris tantum quantum habemus & habere ulla ratione aut voce debemus in terminio de Tortoreira, a camino videlicet de Podio argentario, sicuti descendit ipse caminus usque ad fevum Ermengaudi de Lupiano. Et est terminus ab Occidente, & de alia parte ab ipso eodem fevo sicuti aqua discurrit a montibus ab Oriente in Occidentem : ita ut summitates montium, & cacumina convallium sint termini a parte Orientis usque ad terminum qui æquatur & revertitur ad alium terminum quod est in camino de Podio Argenterio. Totum quantum habemus & habere qualicumque ratione & voce debemus infra prænominatos terminos, donamus Fulconi abbati & fratribus de Ardorello, eorumque successoribus ad construendam ecclesiam secundum instituta sua & ordinem suum libere & per alodium usque in perpetuum. Et similiter donamus per nos & per successores nostros omnia quæ fevales nostri jam dederunt aut in posterum dabunt in terminio de Tortoreira abbati & monachis de Ardorello. Si placuerit Deo, nos & posteri nostri boni & fideles adjutores & servitores monachis præsentibus & futuris per omnia pro posse nostro erimus. Sed & si qui laici aut clerici, aut etiam religiosi eos inquietare, aut gravare, vel ædificando artare voluerint, nos nullatenus fieri permittemus. Hoc donum C factum fuit, & hæc charta scripta anno Dominicæ Incarnationis MCXXXVIII. Signum Guillelmi Fredolonis, & uxoris suæ & filiorum ejus, & omnium supradictorum, qui hoc donum fecerunt, & hanc chartam propriis suis manibus firmaverunt, & testes eam firmare rogaverunt. Testes sunt hujus donationis Raimundus Deodati de Mouceno, & Andreas de Variaco, & Guillelmus frater suus, & Raimundus Rainaldi.

Huic donationi in veteri membrana præmittitur charta mutila similis donationis factæ a Raimundo Trencavelli vicecomite Biterrensi Fulconi abbati Ardorellensi ad construendam ecclesiam secundum instituta ordinis sui, 1138.

IX. D

Ex chart. Vallis-mag.

1139.

Raimundus Agathensis episcopus fundationem Vallis-magnæ approbat.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Raimundus Dei gratia Agathensis episcopus consilio & voluntate Ermengaudi archidiaconi, R. sacristæ, Poncii de Cassiano, B. de Torella, aliorumque canonicorum nostræ ecclesiæ concedo abbatibus carissimis fratribus nostris G. Cadunensi & Falconi de Ardorello, monasterium ad honorem Dei & B. virginis Mariæ in episcopatu nostro construere, in loco qui *Vallis-magna* appellatur. Verumtamen volo ut abbas ipsius monasterii, & successores ejus mihi & successoribus meis canonicam obedientiam promittant, & debitam E obedientiam Agathensi ecclesiæ semper exhibeant. Similiter fratres præfati monasterii, quandiu abbate caruerint, episcopo & ecclesiæ Agathensi obediant, sed neque primitias, neque decimas habebunt, nisi de propriis suis agriculturis & de suis nutrimentis ; nullum sepeliant, nisi fratres suos & fundatores prænominati monasterii, & eos qui equitando vel propriis pedibus causa religionis ad monasterium venire potuerint. Volo etiam & concedo ut abbas & fratres monasterii S. Mariæ Vallis-magnæ ecclesiæ Cadunensi & ecclesiæ de Ardurello debitam obedientiam & reverentiam omni tempore secundum instituta sua exhibeant, salva tamen obedientia Agathensis ecclesiæ. Hoc scriptum gratia conservandæ

conſervandæ pacis & caritatis fecimus, & proprio ſigillo munivimus. Ab eodem epiſcopo rogatus Bernardus Siffredi ſcripſit XVII. calendas Junii anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIX.

X.

Ex tabul. S. Tiberii.

Synodus Uceticenſis pro eccleſia S. Petri de Beciano.

1139.

GUIDO diaconus, apoſtolicæ ſedis legatus & cardinalis, cariſſimo in domino fratri Ademaro abbati S. Tiberii ſalutem. Inter monaſterium S. Tiberii, cui auctore Deo præeſſe dignoſceris, & monaſterium Caſæ-Dei ſuper eccleſia de Beciano controverſia eſt a longis retro temporibus agitata, unde nimirum utrumque cœnobium multas & difficiles fatigationes ſuſtinuit, & plurimum occaſione tuendæ juſtitiæ quaſi in vacuum laboravit. Ceterum, ſicut a domino noſtro papa Innocentio in mandatis accepimus, termino ad Uticenſem eccleſiam conſtituto, veſtras & alterius partis allegationes diligenter audivimus, perſpeximus inſtrumenta, & teſtibus, qui ab utraque parte producebantur, examinatis, ſecundum quod dictaret juſtitia, conſilio ſapientum & diſcretorum virorum qui convenerant, ferre ſententiam parati eramus. Cum autem placuit ei qui multorum & diverſorum hominum mentes unius efficit voluntatis, ut ſuper hac cauſa finem laboribus noſtris imponeret, & monachos S. Tiberii atque fratres Caſæ-Dei ad concordiam revocaret, favorem ſupernæ clementiæ imitantes, pro pace inter vos & illos præſtante Domino componenda, cum domino Guillelmo Arelatenſi archiepiſcopo, ſedis apoſtolicæ legato, cum venerabilibus viris P. Nicenſi, R. Agathenſi, G. Nemauſenſi, Johanne Vivarienſi, & G. Uticenſi epiſcopis, P. S. Ægidii, & Johanne S. Elidii Claromontenſis abbatibus, diligenti efficacia laboravimus & aſſenſu veſtro, & abbatis ac fratrum Caſæ-Dei, concordiam ſic per Dei gratiam compoſuimus: ut ſcilicet tu dilecte in domino frater A. abbas, atque ſucceſſores tui, & per vos præfatum S. Tiberii monaſterium eccleſiam B. Petri de Beciano cum decimis & omnibus aliis, quæ ad eam pertinere noſcuntur, libere & quiete de cetero jure habeatis: & abbas & monachi Caſæ-Dei tam præſentes quam futuri, eccleſiam B. Martini de Valentiniacis, cum omnibus quæ ad eam pertinent, quæ utique juris erat monaſterii S. Tiberii, conceſſione venerabilis viri R. epiſcopi & canonicorum Agathenſium, & tua ac monachorum tuorum, deinceps libere & quiete omnino poſſideant. Per ſingulos autem annos in ſolemnitate Pentecoſtes XV. ſolidos Melgorienſis monetæ de bonis eccleſiæ B. Petri de Beciano vos & ſucceſſores veſtri abbati & monachis Caſæ-Dei, & eorum ſucceſſoribus perſolvetis; ita tamen, quod in eadem eccleſia de Beciano monaſterium Caſæ-Dei neque jus proprietatis, neque jus poſſeſſionis deinceps habeat, nec vos ipſam eccleſiam, vel quæ ad illam pertinent ejuſdem monaſterii nomine poſſideatis. Si qua vero vel donatione aliquorum qui habitum religionis vel in vita, vel in morte, ut in monaſterio Caſæ-Dei ſub eodem habitu vivere proponerent, ſuſceperunt, ad eccleſiam de Beciano non pertinentia monachis Caſæ-Dei collata ſunt, vel emptionis titulo aliqua, quæ non ſunt de jure Becianenſis eccleſiæ, adepti fuerint, in poſterum abſque contradictione poſſideant. In ferragine quoque, quæ viridarium dicitur, illam habeant taſcham, quam emerunt a laïcis, & vos terræ culturam. Porro illa quæ laïci morientes, quorum corpora in eccleſia de Beciano vel in monaſterio veſtro ſepulta ſunt, ibidem pro animarum ſuarum ſalute reliquerunt, nihilominus habeatis. Hanc igitur concordiam inter vos, & abbatem & monachos Caſæ-Dei favente divina clementia ſtabilitam, ex auctoritate S. R. E. & domini noſtri papæ Innocentii confirmamus, & ratam perpetuis temporibus permanere decernimus. Acta ſunt hæc apud ſedem Uticenſem anno Incarnationis Domini MCXXXIX. ind. II. pontificatus domini Innocentii papæ II. an. X. ✠ Ego Guido diaconus cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus ſig. ✠ Ego Guillelmus Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus ſig.

XI.

Raymundus Trencavelli vicecomes Biterrenſis dat Ademario abbati S. Tiberii quidquid in urbe ſancti Tiberii, & in homines ejuſdem civitatis habebat, & juſtitiam.

1142.

IN Dei nomine. Ego Raymundus, qui cognominor Trencavellus, Biterris vicecomes, cum conſilio & laudamento uxoris meæ per fidem, & ſine omni enganno, bono animo, & bona fide pro me & pro omnibus ſucceſſoribus meis guirpio, ſolvo, atque dimitto Domino Deo, & eccleſiæ ſancti Tiberii, & tibi Ademario abbati ejuſdem monaſterii, & ſucceſſoribus tuis, & monachis ejuſdem monaſterii tam præſentibus quam futuris, & omnibus manentibus in eadem villa, & in toto terminio præfati monaſterii ſancti Tiberii, tam viris quam mulieribus, tam præſentibus quam futuris, totas cavalgadas, quas demandabam in hominibus ſupraſcriptæ villæ ſancti Tiberii, & totas juſtitias, & totas firmantias, quas demandabam in hominibus, & in mulieribus in eadem villa commorantibus, & in toto ejus terminio & placitare per meam curiam, præter homicidium & eſguogozamentum. Hoc totum ſicuti ſuperius ſcriptum eſt, ego Raymundus, qui cognominor Trencavellus, vicecomes Biterris ſupraſcriptus, bono animo, & ſpontanea voluntate, ſine dolo, & abſque omni retinimento ſolvo, guirpio, ac dimitto quod nullus de præfatis hominibus vel mulieribus in præfatis locis commorantibus de cætero cogatur me ſequi, vel poſteros meos in exercitum nullo modo, nec præfatas juſtitias, nec præfatas firmancias cogatur mihi dare, vel ſucceſſoribus meis, nec placitare per curiam meam, vel ſucceſſorum meorum, niſi in duobus delictis, homicidio ſcilicet & eſguogozamento. Hanc chartam tranſlatavit Bernardus de Caucionoiolo publicus notarius de Biterri ex originali, nil augens nec minuens, videntibus & legentibus Gaucelino modo cellarario ſancti Tiberii, & Guillelmo Petro, atque Dominico clerico ſancti Nazarii.

XII.

Eugenius III. hortatur Guidonem Bonarum-vallium abbatem, ut monaſterium Vallis-magnæ & ipſius monachos inter fratres ordinis Ciſtercienſis admittat.

Ex chartul. Vallis-mag.

anno circiter 1145.

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio G. abbati de Bona-valle ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quoniam ſanctæ eccleſiæ filii ita ardenti deſiderio divina præveniente gratia ſuccenduntur, ut ea deſiderent ad quæ pontificalibus eſſent monitis provocandi, tanto ut ſuæ laudandæ voluntatis ſortiantur effectum debemus ſtudioſius laborare, quanto ea ipſa quæ cupiunt chriſtianæ religioni conveniunt, & antiqui hoſtis inſidias contradicunt. Quia igitur fratres Vallis-magnæ ordinem veſtrum ſuſcipere & obſervare peroptant, dilectioni tuæ per præſentia ſcripta mandamus, quatenus ipſos inter fratres ordinis Ciſtercienſis recipias, & eis tanquam ſpecialibus fratribus tuis tam in ſpiritualibus quam in temporalibus ſtudeas providere. Datum Tuſculanis II. cal. Maii.

XIII.

Ex autographo.

Testamentum Ermengaudi episcopi Agathensis.

1149.

IN nomine Domini. Anno Incarnationis ejus MCXLIX. regnante Lodoyco rege Francorum, ego Ermengaudus Agathensis ecclesiæ episcopus licet indignus sic facio testamentum: in primis heredem instituo Aurosam filiam Raimundi fratris mei in omnibus meis bonis mobilibus & immobilibus, quæ mihi contingunt ex paterna successione ubicunque sint, exceptis illis mobilibus quæ fortasse adhuc habeo ex bonis patris mei apud Agathem, quæ relinquo abbati S. Severi Berengario. Si vero mori contigerit prædictam filiam fratris mei sine herede legitimo, vel etiam si legitimum heredem habuerit, & infra pubertatem decesserit, Guillelmum & Berengarium abbatem S. Severi filios Ricsendis meæ sororis prædictæ Aurosæ æquis portionibus substituo in omnibus meis bonis paternis, exceptis illis quæ habeo in terminio de Agathe: nam illis Berengarium & Guillelmum de Corneliano filium meæ sororis Cerdanæ æquis portionibus substituo: sed si abbas Berengarius præmoriatur, substituo illi Guillelmum fratrem suum in bonis illius paternis quæ sunt extra Agathem & ejus terminium, & Guillelmum de Corneliano in hiis quæ sunt apud Agathem & in ejus terminio. Si vero iste Guillelmus frater abbatis sine legitimo herede, vel si heres ejus infra pubertatem decesserit vivente prædicto Berengario, Berengarium ei substituo, & rogo Berengarium, ut alia bona in quibus eum substituo, restituat Guillelmo de Corneliano filio sororis meæ Cerdanæ, vel ejus legitimo heredi: & si prædictam Aurosam & Guillelmum fratrem prænominati abbatis mori contigerit sine legitimo herede, vel si eorum heredes infra pubertatem decesserint, substituo illis post mortem abbatis, & etiam ipsi abbati Pontium de Beciano & ejus heredes in omnibus illis quæ mihi contingunt ex paternis bonis, exceptis illis in quibus substituo Guillelmum de Corneliano suosque legitimos heredes, & Raimundus frater meus eodem modo substituit Pontium de Beciano, in omnibus bonis suis istis tribus prædictis Aurosæ, & abbati Berengario, & Guillelmo fratri suo. Aurosam vero prænominatam, quam ejus pater in mea reliquit tutela, relinquo in tutela Pontii de Beciano & ejus filii: & cum ad annos pubertatis pervenerit, det eam Ugoni filio Guillelmi Sigarii in uxorem, si eam legitime habere debet: si autem Ugo eam secundum canonicam institutionem habere non potuerit, det eam, cum ad annos pubertatis pervenerit, Bertrando filio Deodati de Torolla, si eam legitime habere potuerit: si autem aliquis istorum eam legitime in uxorem habere non potuerit morte vel alia interveniente causa, rogo Pontium de Beciano, ut collocet eam in matrimonio, prout melius potuerit, de consilio abbatis & ejus fratris, vel filius ejus, si ipse superstes non fuerit. Pro remedio animæ meæ relinquo elemosynæ de communia S. Stephani campum qui fuit Raimundi Bec cum ipso prato, quæ duo emi ante episcopatum, ad reparationem altaris S. Stephani & ad chorum perficiendum mille solidorum Melgoriensium quos relinquo in potestate Pontii archidiaconi & Bertrandi sacristæ, ut inde fideles sint administratores secundum meam voluntatem. Et duos ciclatones & unum pallium relinquo in potestatem Bertrandi sacristæ ad hoc proprie, ut de duobus ciclatonibus vestes fiant ad missarum solemnia celebranda, & pallium unum quod superponatur altari S. Stephani in solemnitatibus. Nepoti meo Guillelmo de Subiras relinquo equum & mulum & CC. sol. vel solidatas. Pontio naturali filio Bertrandi fratris mei XV. modios frumenti & campum unum de ripa cui se laterat via quæ discurrit a Marcelliano ad stagnum, & unam vineam apud Bidamel, & alterum campum qui vocatur de sancto Michaële. Petrum vero Bernardum armigerum quondam fratris mei Raimundi relinquo abbati & Guillelmo fratri suo, ut de eo militem faciant accepta medietate expensarum in hoc de parte fructuum Aurosæ de pignoribus Trencavelli vicecomitis. Solvo atque relinquo quidquid mihi & ecclesiæ S. Stephani debetur præter duo millia solidorum. Condaminam quam habeo in pignore de Raterio de Betiano pro CCCC. solidorum Melgoriensium relinquo Pontio de Beciano juniori. Pratum quod habui in pignore a Petro Ermengaudo, relinquo absolute infantibus suis. Illa pignora quæ habeo apud Corbianum a Galone & a Petro Ermengaudo, & medietatem illius pignoris quod habeo ab Alcherio de Pomairol dono Guillelmo de Corneliano filio sororis meæ Cerdanæ; aliam relinquo ipso Alcherio; & dimitto unicuique sacerdotum hujus civitatis unum modium frumenti, & unicuique diaconorum dimidium modium. Si vero aliquod verbum dubium in præscriptis substitutionibus apparuerit, præfato archidiacono fideli animi mei interpreti tanquam mihi credatur, & quidquid in fideicommissis, substitutionibus plenius ceteris continetur, in his quidem contineri volo, rogo, atque etiam mando. Et quoniam qui pœnas sustinet, emolumentum sentire debet, idcirco Pontio de Beciano, in cujus tutela prædictam Aurosam mihi carissimam relinquo, dono tres partes omnium fructuum mearum possessionum quod habeo ex parte patris apud Agathem & in ejus terminio, quartam vero abbati prædicto; unicuique tamen, usque dum ad annos pubertatis Aurosa superscripta perveniat. Administrationem autem istarum possessionum ambo pro parte fructuum habeant: illarum vero possessionum, quæ sunt extra Agathem, quæ me & prædictum fratrem meum Raymundum contingunt ex paterna successione relinquo abbati & fratri suo Guillelmo administrationem & fructus inde provenientes, donec prædicta Aurosa in matrimonio legitime collocetur. Tunc autem fideliter ei & viro suo reddant medietatem fructuum quos inde habuerunt, alios autem in suos habeant usus. Corpus meum & animam meam Domino Deo & gloriosæ virgini Mariæ & S. Stephano dono atque relinquo, & ad reædificationem ecclesiæ S. Stephani relinquo duas partes aliorum omnium bonorum mobilium atque se moventium, subtractis inde omnibus debitis, tertiam vero pauperibus erogandam. Hujus testamenti sunt testes rogati Pontius archidiaconus, Bertrandus sacrista, Petrus de Beciano, Johannes camerarius, Willelmus de Fabricolis, Bertrandus de Agathe, Willelmus Rainardi, Willelmus Sigarii, & Deodatus de Torolla, atque Berengarius de Gigano. Johannes de Beciano hoc testamentum transtulit ex primitivo mense Septembri feria VI.

XIV.

Ex chart. Vallis mag.

R. abbas Cadunensis Guidoni abbati Bonarum-vallium cedit Vallis-magnæ monasterium.

1155.

ANno Dominicæ Incarnationis MCLV. in nomine Domini ego R. Cadunensis abbas assensu simul & consensu totius capituli nostri cum consilio & laudatione omnium fratrum nostrorum, videlicet P. prioris, Aimerici subprioris, Guidonis de Aienno, P. de Carrofio, & aliorum omnium, omni fraude remota solvo & dono tibi domno Guidoni Bonarum-vallium abbati, omnique ejusdem loci conventui monasterium in episcopatu Agathensi, quod vocatur Vallis-magna, & honores, & grangias, & omnia mobilia & immobilia ad prædictum monasterium pertinentia, videlicet ad construendum & ordinandum, & ad faciendum in perpetuum quidquid ex eo facere volueritis. Hanc solutionem & donationem facimus fideliter absque omni retentione in præsentia & sub testificatione domni Duranni Mansiadæ abbatis & domni Geraldi Salvanensis abbatis, ut ab hodierna die & deinceps prædictum monasterium vos & successores vestri libera possessione habeatis & possideatis.

XV.

Ex chart. Vallis-mag.

Adrianus IV. confirmat transactionem de subjectione Vallis-magnæ monasterio Bonarum-vallium factam.

anno circiter 1159.

ADRIANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro abbati monasterii de Bona-valle salutem & apost. bened. Controversiæ quæ inter ecclesiasticas personas emergunt, & ad nostram præsentiam deferuntur, mediante justitia terminari, & postquam decisæ fuerint, ne a posterorum memoria dilabantur, litterarum sunt committendæ (apicibus.) Cadunensis autem ecclesia pro ea devotione quam circa monasterium Cisterciense habebat, duas ecclesias quæ ad suum jus pertinebant, Ardurellensem videlicet & ecclesiam Vallis-magnæ, eidem monasterio contulit, ut secundum institutionem ipsius vitam & habitum reformarent. Abbas vero Cisterciensis utramque ecclesiam monasterio de Bona-valle concessit. Sicque factum est ut cum utramque ecclesiam de fratribus Bonæ-vallensis monasterii Guigo antecessor tuus qui nunc Ameliensis est episcopus ordinasset, abbas prædictæ Cadunensis ecclesiæ eum in judicium traxit, donationem ipsam neque de suo, neque de sui capituli assensu factam fuisse instantius asseverans: unde & ad hoc deventum est quod de utriusque partis assensu talis inter vos compositio atque transactio intercessit, ut videlicet prædictus Cadunensis abbas Ardurellensem ecclesiam quiete & sine molestia obtineret, ecclesia vero de Magna-valle Bonæ-vallensi monasterio libere remaneret. Hanc autem transactionem Ardurellensis abbas & ejusdem loci capitulum de mandato Cadunensis abbatis voluntate propria concesserunt, & se confirmaturos litterarum munimine promiserunt: pollicentes etiam quod ab Albiensi episcopo, de cujus parochia sunt, id ipsum facerent confirmare. Ceterum aliquo tempore post transacto cum præfatus Ardurellensis abbas transactionem ipsam vellet infringere, & te super hoc traheret in judicium, quoniam ad præstandum de calumnia juramentum cogere te volebat, tu in hoc te sentiens prægravari, eum ad sedem apostolicam appellasti. Cum igitur tam ipse, quam Ermengaldus abbas Vallis-magnæ a te pro eodem negotio destinatus, in nostra essent præsentia constituti, & ipse abbas Magnæ-vallis ea quæ superius dicta sunt in nostro auditorio allegasset, memoratus vero Ardurellensis abbas se & capitulum suum ex coactione non voluntarie huic transactioni assensum præbuisse instantius affirmaret, nos tamen hinc inde auditis rationibus, & diligenter inspectis, communicato fratrum nostrorum consilio transactionem ipsam ratam ac firmam perpetuis temporibus decrevimus permanere: adjicientes ut omnes res mobiles quæ inpræsentiarum apparent, & quas abbas & fratres Ardurellensis monasterii in præsentia fratris nostri P. Lutevensis episcopi se eidem ecclesiæ contulisse legitimis testibus poterunt demonstrare, tu eis infra quatuor menses post factam probationem cum integritate debeas restituere. Ut autem hæc omnia perpetuis temporibus inviolabiliter observentur, adversæ parti perpetuum silentium imponentes, auctoritate apostolica ea duximus roboranda & præsentis scripti patrocinio munienda, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis hoc attemptare præsumpserit, secundo tertiove commonitus, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Jesu-Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem ista servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani VIII. idus Aprilis.

XVI.

Ex chart. Salvan.

Albrandus dat Ermengaudo abbati Vallis-magnæ terram ad ædificandam domum pro monachis Cisterciensibus.

1161.

IN nomine, &c. Anno MCLXI. mense Decembri, ego Albrandus & ego Guillelma uxor ejus...... damus Domino Deo & B. Mariæ, & universo ordini Cisterciensi, &c. & tibi Ermengaudo abbati Vallis-magnæ & successoribus tuis, scilicet totam illam terram nostram alodii liberi cum omnibus suis pertinentibus, &c. quæ est prope portalis Guillelmi, & confrontatur ex una parte cum vallo Montispessulani, &c. Hanc supradictam terram causa pietatis & intuitu caritatis damus & concedimus ad fundandam & construendam ibidem quamdam domum piam ad honorem Dei & B. Mariæ, & ad recipiendos & hospitandos monachos & conversos ordinis Cisterciensis, & pertinentes ad eos. Et sciendum quod tota ordinatio prædictæ domus in dispositione sit abbatis Vallis-magnæ cum consilio tamen mei Albrandi, &c. Et si forte, quod absit, contingeret inter abbatem Vallis-magnæ & me Albrandum vel posteritatem meam aliquam oriri discordiam vel querelam de administratione supradictæ domus, illa controversia terminetur consilio abbatis Salvaniensis, &c. Et ego Guillelmus D. Montispessulani laudo & concedo in perpetuum totam hanc donationem &c. Et insuper ego idem G. Montispessulani dominus, filius quondam Sybillæ, pio animo & mera liberalitate & pro redemptione animæ meæ & parentum meorum dono & concedo in perpetuum pro alodio libero Domino Deo & B. Mariæ & universo ordini Cisterciensi & administratoribus ejusdem domus, videlicet dominium & totum illud, quidquid sit, quod habeo & habere debeo....... in toto illo honore &c. Hoc totum laudavit Guillelmus Montispessulani, & Albrandus, & Guillelma ejus uxor apud Montempessulanum, in domo nova ipsius Albrandi &c.

XVII.

Ex archiv. Agathens.

Privilegium Ludovici VII. regis Guillelmo episcopo Agathensi concessum.

1173.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex dilecto nostro Willelmo reverendo episcopo Agathensi ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Plurimum gaudemus & exultamus in Domino semper quod provida moderatoris omnium dispositio usibus regni Francorum hactenus bene prospexit, cum eos suæ potestatis vicarios esse constituit, per quos jus suum integre servetur ecclesiis, & exultans improbitas suo tempore........... in malis. Talibus quippe regnum Franciæ rectoribus indigebat, quorum studio & sollicitudine & tyrannorum retunderetur impietas, & ecclesiarum dignitas servaretur illæsa. In ipsorum itaque regum & principum redundat opprobrium, si ecclesiæ Dei, quod absit, de statu suo paterentur lapsum, quæ ab eis deberent jugiter suscipere incrementum. Et quia virtus patrum filios non degeneres provocat ad virtutem, gloriosissimorum regum Francorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes etsi impares meritis, pro nostris tamen viribus ecclesiarum commodis inhiantes, notum esse volumus tam præsentibus quam futuris, quod ecclesiæ B. protomartyris Stephani & tibi Willelmo episcopo inpræsentialiter & tuis successoribus in perpetuum hac nostri privilegii auctoritate communimus in civitate seu villa Agathensi ecclesiam quæ est constructa in honorem B. protomartyris Stephani cum tertia parte totius dominii villæ. Damus etiam licentiam in ipsa ecclesia & civitate ob timorem Saracenorum & propter frequentiam incursuum

iniquorum hominum faciendi turres, munitiones, muros, posterulas, & portarum tuitiones, & valles, & quæcumque ecclesiæ & ipsi civitati noveris expedire. Concedimus etiam tibi & tuis burgum civitatis ipsius, sicut melius & plenius visus es habere & possidere, & licentiam claudendi muris & vallis atque portalibus. Donamus etiam tibi & tuis successoribus in ipso comitatu pulveraticum, pascuarium, piscaticum tam maris quam stagni & aquæ currentis, volatiliaticum in salinis, theloneis, mercatis, usaticis tam terræ quam aquæ, leddis, terris, cultis & incultis, pascuis, viis, stratis, aquis aquarumque decursis, silvis, pratis, & in ipso portu & ripis seu littoribus in omnibus tertiam partem habendam in tam quæsitis quamque diligenter inquirendis, sicut melius & plenius habes, vel habere debes ex donatione gloriosissimi Karoli antecessoris nostri ad petitionem Apollonii comitis olim Dagberto reverentissimo episcopo Agathensi & successoribus ejus ex regali munificentia collata. Jubemus etiam & regia auctoritate decernimus, ut nullus comes aut vicecomes sive alterius judiciariæ sæcularisve potestatis persona vel nuncius ejus a clericis, vel laïcis vestris in alodio præfatæ ecclesiæ S. Stephani in toto episcopatu Agathensi commorantibus, audeat exigere albergam vel petitionem domorum, neque bovariam vel asinariam, neque in pontibus, navalibus, seu aliis usaticum vel censum, vel in salinis, neque alicujus toltæ vel questæ, seu aliquam redhibitionis curam infligere neque inquietare vel distringere, neque firmantiam pro aliqua causa civili vel criminali ullo modo exigere, sed tibi tuisque successoribus pleno jure concedimus potestatem judiciariam omnium causarum tam civilium quam etiam criminalium seu capitalium earumdem per ministros executionem in omnibus hominibus tuis, & canonicis ejusdem ecclesiæ in suis sine contradictione curiæ sæcularis. Concedimus quoque tibi & successoribus tuis in regalibus nostris stratas & caminos & novas forcias, & præcipue illas quæ fiunt in ecclesiis vel cimiteriis earumque domibus & pertinentiis ecclesiarum, & jus prohibendi facere novas forcias in toto episcopatu Agathensi. Donamus insuper & laudamus tibi & tuis successoribus murum, posterulas, & turres de Agatha cum fevalibus, & quascumque possessiones, quæcumque bona habes in civitate Agathensi & in territorio ejus & burgo ex donatione regum vel principum & oblatione fidelium, seu aliis justis modis, vel præstante Domino in futurum poteris adipisci. Honores vero qui pertinent ad abbatiam S. Severi, totum castrum de Nasignano pro alodio cum toto ejus territorio. Honorem quem habes in territorio sancti Martini de Cabano, honorem quem habes in territorio S. Yppoliti de Majano. Totum honorem quem habes in castro de Marcelliano, & jus faciendi fortiam in ipso castro, & quicquid habes in ipso territorio, & in terris, salinis, aquis, & censibus, & lesdis ejus & in hominibus vel aliis justis modis. Quicquid habes in territorio de Pizano, & in territorio S. Martini de Caux. Tertiam partem castri de Mesua & in ejus territorio. Quicquid habes sancti Quirici de Pomariolis, S. Albini de Almis, S. Mariæ de Montaniaco, S. Martini de Garriga, S. Albani de Columbaria, S. Petri de Papirano, sancti Juliani de Bradalanca, S. Pontii, S. Martii de Colnar, sancti Laurentii de Torola, totam villam de Prugnas cum pertinentiis suis, totam villam de Vilars cum pertinentiis suis. Quicquid habes in castro de Porcairanicis. Totam villam de Casulis, & tertiam partem de Seta, & omnia ad jus episcopale spectantia. Præterea donamus tibi & tuis, ut te vel aliquo successorum tuorum obeunte nulli comiti vel vicecomiti seu eorum vicariis vel nunciis bona episcopalia vel clericorum usurpare liceat, vel ecclesiam tuam aut domos ecclesiæ seu episcopales turres vel munitiones aliquas aliqua præsumtione invadere, sed liceat canonicis ejusdem loci liberam semper electionem facere sine ulla præsentatione vel contradictione alicujus sæcularis potestatis, sicut plenarie tibi & tuis concessum fuit in privilegio Adriani papæ. Præterea statuimus, ut quicumque usque ad hoc tempus loca vel jura monasterii occupavit, si nulla temporis præscriptione munitus sit, de cetero per nulla temporum curricula possit muniri, per hanc nostram sanctionem possessionis interruptione facta. Ut autem omnia supra dicta firma vobis prædictis episcopo & canonicis ecclesiæ vestræ semper illibata serventur, scripturæ nostræ & sigilli regii auctoritate, & robore præcipimus communiri & nominis nostri caractere. Actum publice Parisius anno Incarnati Verbi MCLXXIII. astantibus in palatio nostro quorum subposita nomina & signa. S. Comitis Theobaldi dapiferi nostri. S. Matthæi camerarii. S. Guidonis buticularii. S. Radulfi constabularii.

XVIII.

Guillelmus episcopus Agathensis instituit XII. canonicos in ecclesia S. Stephani, eisque de mensa sua redditus & prædia assignat.

Ex chart. Agathens.

1173.

GUILLELMUS dispositione divina episcopus Agathensis cum fratribus & canonicis suis Petro Raymondi sacrista, Willelmo præcentore, Willelmo Raynardo, Petro de Corneilhano, Willelmo Rainone, Bernardo Imberto, Magistro Ricardo, Petro Carbonello, Willelmo de Pomerolis, Ermengaudo, & Sigario, universis ad quos præsentia scripta pervenerint gratia Domini nostri & pax Dei, & communicatio Spiritus. Ad laudem & gloriam sanctæ & individuæ Trinitatis, hoc est Patris & Filii & Spiritus sancti, unius summi & omnipotentis Dei, & beati Michaelis archangeli, beatæ que Dei genitricis & intemeratæ virginis Mariæ, & B. Petri apostolorum principis, atque beati Stephani protomartyris Christi, omniumque sanctorum Dei, pro salute animarum nostrarum, atque omnium episcoporum & canonicorum & aliorum fratrum nostrorum tam præsentium quam futurorum, sub duodeno Apostolorum numero canonicos duodenos in ecclesia ejusdem protomartyris nunc & in perpetuum statuere, & unicuique mansum proprium cum certis redditibus, quia major ad præsens facultas non suppetit, assignare cupientes, non quia nunc & in futurum authore Deo pluries quam duodecim semper liceat procreare, & cum possibilitas nobis aderit, singulis mansus & certa beneficia ecclesiastica seu præbendas ascribere intendentes, cuncta per ordinem ob memoriam hujus nostræ devotissimæ constitutionis nunc & in perpetuum obtinendæ scriptis præsentibus credidimus demandanda. Cum enim præteritis temporibus sub incerto numero in præfata sede canonici sine domibus & sine ullis redditibus, quod turpe est dicere, crearentur; indignum visum est nobis & minus honestum, ut clerici qui Christi jugiter servire debent ecclesiæ, & qui de sorte Domini sunt, & Dominus sors illorum, incertis sedibus non habentes ubi caput reclinarent tanquam Numidæ vagarentur, & de victu seu vestitu eos oporteret esse sollicitos, quod Dominus in Evangelio prohibet, dicens: *nolite solliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut bibemus, aut quo operiemur!* ipsis namque nec ad horam nisi forte ex necessitate de ecclesia licet exire, sed juxta apostolum, sine intermissione orare, sicut in Paralipomenon legitur: per quatuor ventos erant ostiarii, & janitores erant per portas singulas, ita ut nec pro vento quidem discederent a ministerio. Ne igitur hujus occasionis obtentu clericis aliquando, quod absit, liceat indebite divagari, & ecclesia Dei sibi debito privetur obsequio, singulis mansus & de propria mensa nostra subtractos redditus pro nostris viribus assignamus, ut ipsi ministratores ministeriorum Dei devotissimi fiant, & tam pro suis quam etiam pro nostris ac totius populi culpis veniam jugiter deprecentur. Consulta quippe Dei dispositio ad hoc episcopos & sacerdotes vicarios esse voluit suæ potestatis

Matth. 6. 3.

Lib. 1. Par. 9. 24. l. 2. ibid. 35. 15.

in terris, ut per eos jus suum servaretur ecclesiis, & populus Domini in via mandatorum Dei gubernetur in terris, & Deus per hoc laudetur in cœlis. Imprimis manso archidiaconatus omnes redditus archidiaconatus assignamus, manso sacristiæ omnes redditus sacristiæ, manso cantoriæ redditus cantoriæ, camerariæ camerariam & decimas & tertium de Porcairanicis, manso Bernardi Garini tertium de Montigniaco, quod est duodecim sextariorum & campum de Megano cum prato qui se tenet cum campo, manso Willelmi Rainardi tertium de Beciano quod est trium modiorum & trium sextariorum, & unum campum de Mosano, & in Fabricolis usaticum de piscibus & leuda de piscibus, quæ omnia idem Willelmus Rainardi habet in pignore pro mille solidis, & ista omnia dimittit manso suo & successoribus suis pro sua suorumque salute, & ut sui semper memoria habeatur, manso Petri de Corneilhano tertium de Papirano quod est duorum modiorum, manso parvo tertium de Palas quod est dimidium modium, manso Willelmi Rainonis tertium de Almis quod est trium modiorum panis & duorum modiorum vini, manso magistri Ricardi condaminam de Petra-jorna cum prato qui se tenet cum ea, manso Petri Carbonelli tertium de Caux quod est unum modium frumenti & unum modium ordei & sexaginta forcas de cepis, manso Johannis de Fabricolis tertium de Rovignac, scilicet dimidium modium panis & dimidium modium vini. Prædictos autem redditus singulis præfatis domibus assignamus & in perpetuum laudamus, ut immutabiliter permaneant eorum qui habuerint domos quibus fuerint assignati. Hanc autem prænominatam donationem & constitutionem ego Willelmus episcopus Agathensis bona & propria voluntate mea pro salute mea & omnium episcoporum Agathensium pro me & omnibus successoribus meis facio Deo, & altari beati Stephani die natalis ejus, & promitto Domino Deo & beato Stephano super istud altare, quod omnia supradicta plenarie observabo, nec infringam aut aliquis consensu meo: illud huic promissioni adjicientes, ut prædicti mansus & redditus canonicis & non aliis dentur, & quando vacaverint, non liceat episcopo nisi per annum tenere sine communi consensu capituli: post annum vero donec vacaverint redditus mansi vacantis sint thesauri sancti Stephani, quousque canonicus in eo substituatur. Et nos præfati canonici mandato domini episcopi juramus per sancta quatuor Evangelia nos observaturos omnia prædicta & non infringemus aut aliquis nostro consensu, & futuros canonicos, qui jam dictos mansus habituri sunt, hanc chartam jurare faciemus. Quicumque autem harum nostrarum constitutionum & largitionum tenorem, quod avertat Deus, ausu temerario & mente sacrilega ullo tempore aliquo modo infringere voluerit, a Dei communione semper sit alienus, & donec emendaverit, indignationem Dei & protomartyris incessanter incurrat. Ut autem per nos & omnes successores nostros hæc omnia perpetuam habeant firmitatem, sigillo nostro & communiæ S. Stephani martyris unanimiter præcepimus sigillari, & sigillatam laudavimus hanc chartam anno Dominicæ Incarnationis MCLXXIII. in præsentia & testimonio Berengarii Bernardi, magistri Dodo, Bernardi de Bertiniaco, Willelmi Gerardi, Petri Bens, Willelmi de Duabus virginibus, Bernardi Gonterii, Petri Bernardi, Bertrandi Repersonis, Vincentii Bernardi de Aniaco & multorum aliorum.

XIX.

Ex chart. Agath.

Donum vicecomitatus Agathensis factum Petro episcopo.

1187.

IN nomine Domini amen, anno Incarnationis ejusdem MCLXXXVII. Philippo regnante rege, mense Junio, ego Bernardus Ato vicecomes Agathensis, filius Guillelmæ vicecomitissæ, pro redemptione animæ meæ & parentum meorum dono meipsum pro canonico, Domino Deo, & ecclesiæ beati Stephani sedis Agathensis, & tibi Petro ejusdem sedis episcopo, & successoribus tuis canonice institutis, cum omnibus quæ habeo in toto episcopatu Agathensi, scilicet Agathensem civitatem cum omnibus pertinentiis suis, & omnia quæ in toto episcopatu Agathensi ego, vel pater visi sumus habere, & tenere, scilicet castellaniam, munitiones, usatica, pascua, terras cultas & incultas, nemora, aquas & aquarum decursus, & omnes etiam dominationes totius vicecomitatus: & hoc totum sicut jam dictum est, ego Bernardus Ato jamdictus promitto me observaturum, & me nunquam venturum contra, sic super sancta quatuor Dei Evangelia corporaliter tacta juro. Hoc totum factum fuit in ecclesia B. Mariæ de Gradu, ante altare, in præsentia Petri Ramundi sacristæ, Bernardi de Muroveteri, Raimundi Alquerii, Guillelmi de Lutava, Simonis Mermiano, Arnaldi Magistri, & Jacobi publici tabellionis, qui hoc scripsit.

XX.

Ex chart. Agath.

Raymundus Tolosanus comes confirmat episcopo Agathensi vicecomitatum.

1187.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Raimundus Dei gratia dux Narbonensis, comes Tolosæ, marchio Provinciæ venerabili Petro Agathensi episcopo, & successoribus ejus canonice substituendis in perpetuum. Notum fieri volumus per hanc scripturam tam præsentibus quam futuris, quod nos per nos & per omnes successores nostros bona fide & sine dolo pro redemptione animæ nostræ & parentum nostrorum donamus, laudamus, & concedimus, & cum hac charta tradimus tibi Petro Agathensi episcopo, & per te ecclesiæ protomartyris Stephani sedis Agathensis, & successoribus tuis canonice substituendis in perpetuum, totum videlicet & integrum vicecomitatum seu comitatum Agathensem, & universa quæ ad ipsum pertinere noscuntur, sicut Bernardus Ato, qui inpræsentiarum vicecomes habetur, & pater ejus Bernardus Ato, & domini Dandusra melius & plenius per se vel per alios visi sunt habere, tenere, & possidere. Hanc autem liberalitatis nostræ donationem facimus & tibi prænominato Petro, & successoribus tuis, ut jam dictum vicecomitatum, seu comitatum tu & successores tui habeatis honorifice in feodum a nobis & successoribus nostris, & sitis vos & successores vestri fideles adjutores nobis & successoribus nostris contra omnes homines: nam & nos versa vice & successores nostri erimus fideles coadjutores & deffensores vobis, & ecclesiæ Agathensi, & successoribus vestris contra omnes homines. Eodem liberalitatis titulo concedimus tibi prænominato episcopo licentiam adgredi totum jam dictum honorem, & in proprium jus redigendi non obstantibus pactis factis per nos & Bernardum Atonem. Præterea concedimus tibi & successoribus tuis omnes actiones, & omnia jura, & penitus cedimus quæ nobis competunt, vel competere possunt in posterum adversus Bernardum Atonem nomine vicecomitatus, seu comitatus Agathensis. Hæc omnia supradicta ego Petrus Agathensis episcopus de manu tui domini Raimundi comitis.... & promitto per me & per successores meos, quod tibi & successoribus tuis cum omnibus rebus nostris erimus fideles coadjutores contra omnes homines. Acta sunt hæc in claustro S. Jacobi apud Mergorium in præsentia Petri sacristæ, & Bernardi de Muro veteri, & Raimundi de Beciano canonicorum Agathensium, & Arnaudi magistri, & Raimundi Berengarii, & Poncii de sancto Nazario prioris S. Jacobi, & Berengarii de Monte-arnaudo, & Raimundi de Ucetia, & Pontii Rainoardi de Medenis, Poncii de Nodeto, Bertrandi de sancto Justo, Raimundi de Ecclesia, Guillelmi Maltos, Raimundi Gaudalmari; &

ne res ista de cetero privato possit egere testimonio, ego sæpedictus Raimundus comes Tolosæ, & ego Petrus Agathensis episcopus præsentem paginam sigillo nostro signari & muniri jussimus anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo septimo mense Julii feria quarta, gloriosissimo rege Francorum Philippo regnante, & ego Petrus Raimundus mandato domini Tolosani comitis, & domini Agathensis episcopi præsentem paginam scripsi & sigillavi.

XXI.

Ex chart. Agath.

Confirmatio donationis vicecomitatus Agathensis factæ Petro episcopo.

1187.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quod per temporum spatia delet oblivio, reparat scriptura memoriæ reformatrix. Itaque sit notum per hanc scripturam omnibus præsentibus & futuris quod ego Bernardus Atho gratia Dei Agathensis vicecomes filius Guillelmæ vicecomitissæ bona fide & sine dolo, mera liberalitate, & spontanea voluntate reddo & trado Spiritu Dei ductus meipsum pro canonico Agathensi tibi Petro Agathensi episcopo & ecclesiæ protomartyris Stephani sedis Agathensis, & mecum dono, laudo, concedo, atque in perpetuum cum hac charta absque omni exceptione seu retentione inpræsentiarum corporaliter trado tibi jam dicto domino Petro Agathensi episcopo & pro te ecclesiæ protomartyris Stephani & successoribus tuis canonice substituendis in perpetuum pro remedio animæ & parentum meorum, videlicet totum & integrum vicecomitatum, seu comitatum Agathensem & omnia quæ ad ipsum pertinere noscuntur, sicut melius & plenius ego & pater meus Bernardus Atho per nos vel per alios juste vel injuste visi sumus habere, tenere, & possidere, hoc est civitatem Agathensem & burgos cum omnibus suis pertinentiis, & dominio & potestate ad ipsam pertinenti, & castrum de Marcelliano, & castrum de Lupiano cum omnibus suis pertinentiis & dominio & potestate, concedo in perpetuum omnia alia castella & villas, mansos, ecclesias, munitiones factas & faciendas, & jus faciendarum munitionum, feuda omnia & omnes feudatarios, usatica, piscatica, leudas, ducatus, quistas, albergas, argenti fodinas, thesauros, occupationes naufragiorum, vias privatas & publicas, stratas, caminos, terras cultas & incultas, prata, pascua, & pactus, aquas, aquarumve decursus, stagna, & maria, molendina facta & facienda, firmantias, & justitias, causas criminales & civiles, & earumdem executiones, & omnia jura quæ ego vel pater meus Bernardus Atho in toto episcopatu Agathensi jure sive injuria habuimus, accepimus, vel visi sumus per nos vel per alios habuisse, tenuisse, & possedisse. Hanc autem liberalitatis largitionem facio ego Bernardus Atho sæpedictus tibi domino Petro & successoribus in perpetuum assensu & voluntate domini Raimundi comitis Tolosani, a quo hæc omnia habebam in feudum, sicuti in instrumentis inter me & ipsum factis continetur. Præterea laudo, & concedo, & ratam habeo donationem quam idem gloriosissimus comes Raimundus de toto vicecomitatu, seu comitatu Agathensi prætaxato Petro & ecclesiæ protomartyris Stephani & successoribus apud Mergorium fecit nuper & concessit, super qua donatione litteras aptas sigillo suo munitas nobis misit, & rogavit ut ratam haberemus. Adhuc eodem liberalitatis titulo solvo, relinquo, & penitus desemparo canonicis Agathensis ecclesiæ præsentibus & futuris omnes toltas, alberguas, quæstas, firmantias, justitias, omnes omnino exactiones & extortiones, quas ego & predecessores mei faciebamus juste vel injuste in hominibus sancti Stephani, vel familiis eorumdem canonicorum, seu clericorum, & volo ut omnes homines communiæ sancti Stephani sint penitus exempti a jurisdictione mea vel successorum meorum in perpetuum. Concedo etiam canonicis jam dictis potestatem & licentiam audiendi causas civiles & criminales inter homines suos & clericos & familias, & easdem executioni mandare. Universa etiam privilegia a gloriosissimis Francorum regibus, vel a summo pontifice episcopo Agathensi & canonicis indulta firma & illibata volo manere in perpetuum. Ut autem hæc omnia firma & illibata maneant in perpetuum, ego Bernardus Atho prænominatus per fidem promitto & super sancta quatuor Evangelia corporaliter tacta juro quod hæc omnia quæ in hoc instrumento continentur tenebo, & observabo, & pro posse meo teneri & observari faciam, & contra hæc per me vel per aliquam personam interpositam verbo vel actu nullo modo veniam. Acta sunt hæc, laudata, jurata, firmata apud Agatham in camera episcopi juxta Craurum in præsentia Petri archidiaconi, & Petri sacristæ, Raimundi Alcherii, Bernardi de Muro veteri, Guillelmi de Crispiano, Raimondi de Beciano, Guillelmi de Pomarolis, Stephani de Mermiano, Guillelmi de Anatholio, Guillelmi de Lodeva, Guiraldi Raimundi, Arnaldi magistri. Ego Jacobus Capes.. sancti Severi publicus tabellio mandato domini Bernardi Athonis hæc scripsi, & ne res ista privato egeat testimonio, ejus sigillo sigillavi & munivi mandato ejusdem, in presentia testium jam dictorum, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo-septimo, rege Philippo regnante, decimo-sexto kalendas Augusti feria sexta.

XXII.

Ex tabul. cap. Narb.

Electio P. Pulverelli canonici ecclesiæ Parisiensis in episcopum Agathensem.

Circa 1214.

REverendo patri & domino A. Dei providentia Narbonensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato universus Agathensis clerus & populus totius devotionis famulatum. Credimus non latere præsulatus vestri celsitudinem, quod nostra ecclesia suo sit viduata pastore, ac propter hoc solatio sit proprii destituta rectoris. Quapropter ne pastore absente grex dominicus perfidorum luporum morsibus pateret, & ne improbi raptoris fieret præda, communi voto atque consensu elegimus nobis in pastorem dominum magistrum P. Pulverellum Parisiensis ecclesiæ canonicum, virum utique prudentem, hospitalem, ornatum moribus, castum, sobrium & mansuetum, Deo & hominibus per omnia placentem, ad paternitatisque vestræ clementiam humiliter accedentes unanimiter postulamus & obsecramus in Domino ipsum a vestra majestate nobis concedi pontificem, quatenus auctore Deo nobis velut idoneus pastor præesse valeat & prodesse, nosque sub sacro ejus regimine Domino semper militare possimus. Ut autem omnium nostrum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic canonico decreto propriis manibus roborando subscripsimus. Ego B. de Muro veteri archidiaconus subscribo. Et ego Armandus de Petra sacrista subscribo. Ego Pontius de Cocone abbas S. Affrodisii & canonicus Agathensis subscribo. Ego Raymondus Michaëli præcentor Agathensis subscribo. Ego Stephanus Johannini camerarius & canonicus subscribo. Ego B. de Moresio subscribo. Ego R. de Rocafuca subscribo. Ego P. de Marcellinas subscribo. Ego G. de Duabus virginibus subscribo. Ego Raymundus canonicus subscribo. Ego G. Jordani canonicus subscribo.

XXIII.

Ex archiv. S. Tiberii.

Bulla Innocentii III. pro monasterio sancti Tiberii.

1216.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, abbati monasterii S. Tiberii, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Cum omnibus ecclesiis

debitores ex injuncto nobis officio exiſtamus, illis tamen propenſius nos convenit providere, quæ B. Petri juris exiſtunt, & ad defenſionem S. Romanæ eccleſiæ ſpecialiter pertinere noſcuntur; ideoque, dilecti in domino filii, veſtris juſtis petitionibus clementer annuimus, & prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ Sergii, Paſchalis, Calixti, Eugenii, & Alexandri veſtigiis inhærentes, præfatum S.Tiberii monaſterium ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona inpræſentiarum juſte ac canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione Regum, vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant, in quibus hæc nominatim duximus exprimenda: eccleſiam videlicet ſanctæ Mariæ de Gradu in territorio Agathenſi cum pertinentiis ſuis, eccleſiam S. Sulpitii, & eccleſiam S. Johannis de Caſtro novo, eccleſiam S. Martini de Granoleriis, eccleſiam S. Andreæ de Roviniaco, eccleſias S. Johannis, & ſanctæ Suſannæ de Florentiaco, eccleſiam S. Martini de Fenoleto cum pertinentiis earum, eccleſiam quoque S. Petri de Beciano, quam per concordiam a bonæ memoriæ Guidone quondam ſanctæ Romanæ eccleſiæ cancellario tunc apoſtolicæ ſedis legato inter vos & abbatem ac monachos Caſæ-Dei factam obtinuiſtis cum decimis & aliis ad eam pertinentibus, eccleſiam ſanctæ Mariæ de Affriano cum pertinentiis ſuis. In Biterrenſi vero epiſcopatu eccleſiam ſanctæ Mariæ de Serignano cum pertinentiis ſuis. In Toloſano eccleſiam S. Petri & ſanctarum Puellarum cum pertinentiis ſuis, eccleſiam quoque ſanctæ Mariæ de Ciderio, eccleſiam S. Petri de Campania, & eccleſiam S. Saturnini de Alamans cum pertinentiis earum. In Gaſconia in Auxienſi epiſcopatu eccleſiam S. Juliani de Galano cum eccleſiis, villis, & ceteris omnibus ad eam pertinentibus. In parrochia Convenienſi eccleſiam ſanctæ Mariæ de Quiriliaco, & eccleſiam S. Petri de Podio. Prohibemus autem ne in præfata villa, in qua idem monaſterium ſitum eſt, & terminiis ejus ulla unquam eccleſiaſtica ſæculariſve perſona caſtrum aliquod vel munitionem facere audeat, neque ab hominibus ejuſdem villæ præter abbatem & miniſtros ejus per exactionem aliquid extorquere, neque vicariæ miniſterium exercere, neque pro eadem vicaria campum, qui eſt ultra fluvium Tongam ſubtus Severiacum ſine abbatis permiſſione vel perſonæ cujuſlibet vendicare. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia vel violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel pars fratrum conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Chriſma vero, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ſeu baſilicarum, benedictionem abbatis, ordinationes monachorum vel clericorum a diœceſano ſuſcipietis epiſcopo, ſi quidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem ſedis apoſtolicæ habuerit, & ea gratis & abſque ulla pravitate voluerit exhibere, alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antiſtitem, qui noſtra fultus authoritate quod poſtulatis indulgeat. Nulli autem epiſcopo licitum ſit obedientiam a vobis exigere, nec vos eam alicui præter Romanæ eccleſiæ præſumatis aliquatenus exhibere. Adjicimus quoque, ut nulli præter Romanum pontificem, & apoſtolicæ ſedis legatum, prædictum monaſterium, & ei præſidentem abbatem, vel familiam, quæ de cellario ejus vivit, interdictionis ſententia liceat innodare, ſed locus ipſe, ſicut a prædeceſſoribus noſtris inſtitutum eſt, ſemper ſub apoſtolicæ ſedis jure, ac poteſtate permaneat. Ad indicium autem hujus ab apoſtolica ſede libertatis acceptæ ſingulis annis unum aureum nobis noſtriſque ſucceſſoribus perſolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet moleſtiis fatigare, ſed omnia integre conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolicæ authoritate, & in prædictis eccleſiis diœceſanorum epiſcoporum canonica juſtitia. Si quis igitur in futurum hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonitus, ſi non præſumtionem ſuam congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate agnoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniat, amen, amen. Ego Innocentius catholicæ eccleſiæ epiſcopus. Ego Nicolaus Tuſculanenſis epiſcopus. Ego Pelagius Albanenſis epiſcopus. Ego Cincius tituli ſancti Laurentii in Luqua preſbyter cardinalis. Ego Cencius ſanctorum Johannis & Pauli preſbyter cardinalis tituli Pammachii. Ego Leo tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem preſbyter cardinalis. Ego Robertus tituli S. Stephani in Celio monte preſbyter cardin. Ego Stephanus baſilicæ duodecim apoſtolorum preſbyter cardinalis. Ego Petrus S. Laurentii in Damaſo preſbyter card. Ego Othonianus S S. Sergii & Bacchi diaconus cardin. Ego Gregorius ſancti Theodori preſbyter cardinalis. Ego Reynerius ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconus card. Ego Romanus S. Angeli diaconus card. Ego Stephanus S. Adriani diaconus cardin. Datum apud Urbem veterem per manum Thomæ ſanctæ Sabinæ preſbyteri card. pontificatus D. Innocentii papæ III. anno 19.

XXIV.

Concordia inita Tedeſium epiſcopum Agathenſem inter & Amalricum ducem Narbonæ.

Ex tabul. Agathenſ.

1219.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti anno Incarnationis MCCXIX. III. nonas Septemb. Manifeſtum ſit omnibus præſentem paginam inſpecturis, quod pro bono pacis & quietis inter nobilem virum dominum Amalricum ducem Narbonenſem, comitem Toloſanum, Biterrenſem, & Carcaſſonæ vicecomitem, & dominum Montisfortis pro ſe ac hæredibus ſuis, ſive ſucceſſoribus, & venerabilem patrem T. epiſcopum Agathenſem pro ſe ac ſucceſſoribus ſuis, talis concordia & compoſitio intervenit, videlicet quod ipſe comes caſtra de Florenciaco, & de Pomieroliis cum ſuis pertinentiis omnibus, & juribus, quæ caſtra ſunt ultra flumen Eravi, in vicecomitatu Agathenſi, & medietatem caſtri de Aniano, ratione archidiaconatus Agathenſis, & caſtra de Beciano & de Torolla cum omnibus pertinentiis ſuis, & juribus quæ ſunt citra Eravum in vicecomitatu Biterrenſi recepit, & tenet in feudum ab epiſcopo & eccleſia Agathenſi, & pro iſto feudo tenetur epiſcopo jurare fidelitatem, homagium facere, & jurare, & defendere ipſum, & eccleſiam Agath. & omnia bona & jura quæ habet idem epiſcopus in diœceſi Agathenſi, bona fide, contra omnem hominem excepto dom. rege Franciæ, in mutatione ejuſdem epiſcopi Agath. tenetur dictum feudum recognoſcere, & facere homagium, & juramentum fidelitatis præſtare, & dare unum annulum aureum ad valorem unius marcæ argenti pro recognitione feudi memorati; & tunc epiſcopus tenetur ipſum & ſuos de eodem feudo inveſtire, & ad præſens inveſtit. Item epiſcopus recipit & tenet in feodum ab ipſo comite, quidquid idem comes habet, vel habere debet in civitate Agathenſi, & ejuſdem territorio, ratione comitatus & vicecomitatus Agathenſis, vel quocunque alio modo, & quidquid habet vel habere debet in caſtris

de Marcelliano, de Lupiano, de Mesua, de S. Pincio, A de Castro novo, de Almis, in terram de Bosigis, & in eorum terminis, seu territoriis, & quidquid habet, vel habere debet in insula de Seta, & generaliter quidquid habet, vel habere debet per se, vel per alium, vel aliquis nomine ejus sive in feudalibus, sive in personis, sive in rebus, sive in actionibus, sive in jurisdictionibus, in terra, & in mari, in stagno, in portu, in flumine, in usuaticis, in leudis, judiciis, vel quocumque alio modo, & loco, in toto episcopatu Agathensi ratione comitatus, vel vicecomitatus Agathensis exceptis jam dictis duobus castris de Florenciaco, & de Pomierollis, quæ ipse comes, ut superius dictum est, in feudum ab ipso episcopo recepit, & nominatim recepit dictus episcopus in feudum à comite quidquid habent ultra Eravum domini de Andusia in episcopatu B jam dicto, & pro isto feudo tenetur idem episcopus, & successores ejus jam dicto comiti, & hæredibus ejus juramentum fidelitatis præstare, & consilium ubicunque præsens fuerit & requisitus, & auxilium bona fide in toto episcopatu Agathensi & Biterrensi, contra omnem hominem volentem jus suum recipere venire, excepto domino papa, & dom. rege Francorum, & in recognitionem totius feudi antedicti ipse episcopus dabit annuatim comiti & hæredibus suis unum saurum, austurum, vel unam marcam argenti, si fuerit requisitus; si vero non fuerit requisitus, & non præstiterit austurum, vel unam marcam non poterit propter hoc episcopo, vel ecclesiæ Agathensi præjudicium aliquod generari. Item de castro Montiniaci taliter convenerunt, quod si quando ad manus dicti comitis, vel hæredum suorum, quocunque modo, seu casu redierit, C ipse comes & sui hæredes tenentur castrum ipsum reddere ipsi episcopo bona fide, omni occasione & exceptione remotis: ita videlicet quod episcopus teneat illud castrum a comite & hæredibus suis in feudum, sicut castra tenet jamdicta. Si vero idem episcopus voluerit interim contra detentorem, seu detentores castri Montiniaci experiri, de jure liceat ei, & si obtinuerit in feudum, teneat castrum ipsum, sicut superius est expressum. Ad hæc albergas quas dictus comes ratione vicecomitatus Biterrensis vel alio modo exigebat in castro de Nasignano, & in furcis de Proquis, eidem episcopo & successoribus suis in perpetuum & ex toto remittit; dictus vero episcopus per se & successores suos cancellarium comitis Tolosani, & D totum jus quod habebat in ipsa, dicto comiti, & hæredibus suis solvit omnino & in perpetuo derelinquit. Item instrumentum, sive instrumenta quæ dictus episcopus habebat, in quo, vel quibus continebatur quod vicecomes Biterrensis eidem præstabat fidelitatem & homagium pro honorabili feudo, nec tamen exprimebatur, evacuat, irritat ex toto, & cassat. Sciendum præterea quod dictus comes homagium fecit dicto episcopo, & fidelitatis præstitit juramentum, & supradicta omnia quæ ad ipsum, & jura pertinere noscuntur, juravit tactis sacrosanctis Evangeliis se bona fide in perpetuum firmiter servaturum, & episcopus similiter ipsi comiti Evangeliis coram ipso positis fidelitatis præstitit juramentum, & omnia expressa superius quæ ad ipsum episcopum & successores, & suos pertinere E noscuntur eodem juramento bona fide se perpetuo firmiter servaturum promisit. Insuper nobilis dom. A. mulier comitissa mater sæpedicti comitis, omnia & singula quæ superius exprimuntur voluit spontanea voluntate, laudavit & confirmavit. Et ut hæc omnia robur obtineant perpetuæ firmitatis, memorati dominus comes, & dom. comitissa, & dom. episcopus & Agathense capitulum præsentem paginam sigillis propriis munierunt. Acta sunt hæc anno & die quo supra apud Castrum novum de Lauriacen. in claustro in præsentia & testimonio venerabilis patris B. Dei gratia sanctorum Johannis & Pauli presbyteri cardinalis, apostolicæ sedis legati, & dom. G. episcopi Carcassonæ, & mag. Hugonis de Miromari canonici Arelatensis clerici dicti card. & dom. P. abbatis sancti Affrodisii Biterrens. & Bernardi Caprasii canon. Agathensis, mag. Deodati canon. Ruthenensis, & comitis Guidonis de Monteforti, & Geraldi de Pis diaconi, & Lamberti de Tureyo dom. de Lombera, & dom. Clarini cancellarii dicti dom. comitis, & Renaldi de Passi.

XXV.

Tedesii episcopi Agathensis litteræ de illatis ecclesiæ suæ injuriis a comite Tolosano. *Ex autographo.*

1224.

IN nomine Domini anno ejusdem Incarnationis MCCXXIV. IX. calend. Julii T. divina permissione Agathensis episcopus universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis salutem in Domino Jesu Christo. Præsentibus litteris volumus fieri manifestum, quod R. comes juvenis filius R. quondam comitis Tolosani olim videlicet in Dominica de Ramis Palmarum proxime præterita, quæ fuit VII. idus Aprilis, nobis per violentiam civitatem abstulit Agathensem, faciendo sibi homines nostros fidelitatem jurare, instituendo ibidem baculum, & faciendo portari vexillum suum per quandam partem murorum civitatis, & clamari, Tolosa, Tolosa, & faciendo sequentibus diebus proximis redditus nostros & jura nostra tam in usaticis quam in molendinis & aliis occupari; cumque postmodum apud Montempessulanum de pace inter ipsum & ecclesiam tractaretur per domnum archiepiscopum Narbonensem, civitatem Agathem, castrum de Marcelliano, & castrum de Lupiano, quæ similiter duo castra nobis abstulerat violenter, nobis tunc restituit solo verbo, scilicet die Martis post festum Pentecostes proxime præteritum: deinde præcepit Berengario de Joaras bajulo suo in civitate Agathensi viva voce, ut ad mandatum dicti domni archiepiscopi Narbonensis in plenam possessionem nos restitueret tam civitatis quam dictorum castrorum, qui ad mandatum ipsius personaliter ad civitatem Agathem accedens in octava Pentecostes præsente sæpedicto domno archiepiscopo, & clero & populo prius ex parte dicti comitis dixit coram omnibus, quod idem comes nihil haberet juris in civitate Agathensi, & ideo juramenta quæ homines nostri sibi fecerant tunc penitus relaxavit, & civitatem ipsam cum toto vicecomitatu Agathensi nobis restituit pleno jure: similiter eodem die induxerat nos in corporalem possessionem castri de Marcelliano exprimendo in ipsa missione in possessionem quod totum vicecomitatum Agathensem de mandato dicti comitis nobis restituebat ad plenum, & sequenti die Lunæ castrum de Lupiano nobis fecit restitui per Bernardum Verrum, & per Bernardum de Almis milites de Marcelliano & Remundum Arquerium nuntios suos ad hoc specialiter destinatos. Hinc est quod nobis & successoribus nostris, ecclesiæ nostræ ac hominibus in futurum præcavere volentes, omnes sententias, si quam vel quas interlocutorias, vel definitivas idem comes per se vel per alium tulerit, si quas donationes, concessiones, missiones in possessionem, si qua statuta vel aliqua edicta, si consulatum, vel quasi consulatum, vel alios actus, qui legitimi appellantur, fecerit vel fecerit fieri in civitate Agathensi & prædictis duobus castris, aut in eorum adjacentiis, aut etiam in toto vicecomitatu Agathensi, de communi consilio capituli nostri penitus irritamus, aut irritum denuntiamus, & generaliter quidquid sæpedictus comes fecerit, vel ordinaverit, vel statuerit per se vel per alium in dictis locis, illud totum tanquam a non domino, & a non suo judice, & excommunicato factum, decernimus irritum & inane. Universis & singulis hominibus nostris quantum possumus sub pœna confiscationis omnium bonorum ipsorum præcipientes districte ne sententiam vel sententias latas, donationes, vel concessiones, statuta, vel edicta, & generaliter si quid factum, ordinatum, vel statutum fuerit per dictum comitem vel per suos in locis superius memoratis, aliquis

aliquis defendere, tenere, vel observare in judicio vel extra, vel uti eisdem præsumat. Et ut hæc nostra sententia robur obtineat perpetuæ firmitatis, mandamus & volumus eam sigillorum nostri & communiæ munimine roborari. Lata fuit hæc sententia anno & die quo supra in curia episcopali in præsentia & testimonio Bernardi de Moresio præcentoris, & Bernardi Guillelmi, & Baldi, & Philippi canonicorum Agath. & Gaucelmi de Marcelliano, & Bertrandi Ricardi, & Raimundi de Sala presbyteri, & Guiraldi de Pinis, & Petri Pontii presbyteri, & Bernardi de Albariis presbyteri, & Bartholomæi Jatgerii clerici Agathensis, & Bernardi Rebuffi, & Bertrandi Jatgerii diaconi, & Petri Lautherii publici notarii Agath. qui hæc scripsit.

XXVI.

Ex tabul. Agath.

Fundatio facta a Tedesio Agathensi episcopo pro duodecim pauperibus.

1226.

T. Divina permissione Agathensis episcopus, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino Jesu Christo. Cum eleemosyna hominem a peccato liberet pariter & a morte, vitam æternam ipsum faciens invenire, nobis & aliis prælatis qui plus cæteris in hoc mundo aliquid accepisse videmur, convenit, dum in stadio currere possumus & mereri, pauperum necessitatibus diligenter intendere, secundum verbum Domini, faciendo de mammona iniquitatis nobis amicos, ut cum defecerimus, in æterna tabernacula recipiamur ab eis. Sane cum in majestate sua venerit filius hominis ad retributionem justorum, super caput Ephraim minoris dexteram, & super caput Manasse majoris in modum crucis positurus sinistram, magna fiducia erit facientibus eam eleemosynam coram ipso. Dicturus est enim tam electis quam reprobis in judicio, quod in pauperibus sibi specialiter ministratur. Hinc est quod nos attendentes solam misericordiam esse comitem defunctorum, & per eleemosynam cum caritate peccata omnia expiari, de consilio fratrum nostrorum pro animæ nostræ, ac successorum & prædecessorum nostrorum, & tam canonicorum quam clericorum omnium Agathensium remedio & salute, statuimus & ordinamus perpetuo futuris temporibus observandum, ut scilicet duodecim pauperes semel reficiantur diebus singulis in domo episcopi Agathensis, vel etiam extra, si forte infirmi, vel tales fuerint, qui commode accedere ad domum episcopalem non possint. Totidem præterea competentibus vestibus similiter in anno semel, maxime in principio hiemis, vestiantur ab ipso. Hanc autem modicam eleemosynam cum ea hilaritate successores nostri fieri faciant, & visceribus caritatis, quod cum apparuerit, ut diximus, bonorum omnium retributor, tam pro erogatis, quam pro supererogatis omnibus suis mercedem plenariam redditurus, mereantur audire: esurivi, & dedistis mihi manducare, nudus fui, hospes, infirmus, in carcere positus, & semper hilariter mihi, & devotissime ministrastis, propter quod & vos pariter in regno patris mei super mensam meam edetis de cætero & bibetis. Et ut hæc nostra pia ordinatio amodo in dubium revocari non possit, & majorem habeat roboris firmitatem, hanc chartam sigillo nostro, & sigillo communiæ fecimus roborari. Actum apud Agathen in capitulo, anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVI. XIV. cal. Maii.

XXVII.

Ex tabul. Agath.

Petrus episcopus Agathensis testamenti sui exsecutores designat.

1270.

Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos P. divina miseratione episcopus Agathensis sana mente & bona memoria nostrum fecimus seu ordinavimus testamentum scriptum per manum magistri Guillelmi de Lussano præsentis Agathensis notarii, quod quidem testamentum seu ultimam voluntatem confirmamus, laudamus, ratificamus, ac in quantum possumus, approbamus, & volumus ipsum firmum illibatumque permanere, non intendentes dictum testamentum seu ultimam voluntatem per præsentem scripturam revocare, infringere, vel mutare in totum vel in parte, aut ei aliquatenus derogare, sed quod ibi scriptum vel expressum non fuerat, vel fuerat minus dictum intendimus in hac scriptura addere, & supplere, dicere, & specificare. In primis igitur quia in dicto testamento de executoribus fecimus mentionem, per quos voluimus & ibidem præcipimus dari & solvi legata in eodem testamento relicta, & distribui omnia alia bona nostra, quos tamen ex causa ibi omisimus statuere, & etiam nominare, per hanc scripturam in perpetuum valituram executores nostros statuimus infrascriptos. Facimus, & constituimus, & ordinamus executores, distributores, gadiatores, seu commissarios dicti nostri testamenti seu ultimæ voluntatis magistrum Petrum de Montebruno notarium ac camerarium domini papæ, Petrum Berengarii archidiaconum Agathensem, Guillelmum Fabri fratrem nostrum, & Petrum Raimundi de Montepessulano canonicum Agathensem, & Guillelmum de Monte......... capellanum nostrum, rogantes eos, ut dispositionem & voluntatem nostram prout in testamento, &c.

XXVIII.

Ex tabul. S. Tiberii.

Transactio inter senescallum Carcassonæ pro rege Franciæ, & abbatem ac monachos S. Tiberii.

1273.

In nomine Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Per præsentis seriem instrumenti pateat universis tam præsentibus quam futuris, quod suborta materia quæstionis inter curiam Biterris serenissimi domini regis Franciæ agentem ex una parte, & dominum Guillelmum quondam abbatem, & conventum monasterii sancti Tiberii Agathensis diœcesis defendentes ex altera super mero imperio & justitiis majoribus, & coërcitionibus pecuniariis villæ sancti Tiberii & terminorum & pertinentiarum ejus, quæ dicebantur olim fuisse a domino Raimundo Trincavelli quondam vicecomite Biterrensi domino Raimundo tunc abbati S. Tiberii pro certa summa pecuniæ pignori obligata, ut dicebatur contineri in quibusdam instrumentis inde factis, quæ non poterant inveniri, & super annua alberga seu gista quam vicecomes Biterrensis quolibet anno, semel cum palea, & semel cum herba in dicto habere monasterio dicebatur, pro cujus vicecomitis jure ad prædictum dominum Regem hæc dicebantur pertinere, parte adversa hoc negante, & ad se pertinere asserente. Inquestisque super his inchoatis, procuratore domini Regis requirendo & salvando, & diutius agitatis diversorum senescallorum & judicum temporibus, & postremo quasi ad finem perductis coram magistro Bartholomæo de Podio domini Regis clerico, judice Carcassonæ, auditore a domino Guillelmo de Cohart milite, quondam senescallo Carcassonæ & Biterris, super iis deputato, tandem propter rem dubiam & litem incertam de omnibus prædictis facta fuit transactio, seu amicabilis compositio inter dominum Johannem de Colluro militem, domini Regis senescallum Carcassonæ & Biterris pro domino Rege ex una parte, & dominum Bermundum Dei gratia nunc abbatem sancti Tiberii, & conventum ipsius monasterii ex altera in hunc modum: videlicet quod abbas memoratus & Bermundus de Nefiariis prior ecclesiæ beatæ Mariæ de Serignano, Raimundus Cartal prior ecclesiæ de Castro novo, & Raimundus de Hospitali cellerarius monasterii S. Tiberii, monachorum ejusdem loci procuratores & sindici vel actores ab abbate & conventu prædictis cum mandato legati ad hoc specialiter & sufficienter constituti, pro se & dicto conventu, & omnibus successoribus ipsorum castrum & villam S. Tiberii, quæ tenentur pro libero allodio, sicut

dicunt, & cum dominationibus, jurisdictione, justitiis altis & bassis, & mero & mixto imperio, & terminis, juribus, & omnibus pertinentiis suis, a serenissimo domino Philippo Dei gratia rege Francorum illustrissimo, & a prædicto domino senescallo pro ipso in feudum receperunt, & se ab ipso domino Rege in feudum de cætero tenere, & non ab aliquo alio domino recognoverunt: volentes & concedentes quod dominus Rex & sui successores ibi semper habeant justitias falsæ monetæ, si ibi cuderetur, fieret, & tingeretur, & læsæ majestatis, abbates si ab aliquo necarentur: & quod pro censu seu servitio, & pro recognitione dicti feudi prædictum monasterium & abbas memoratus, & ejus successores qui pro tempore fuerint dent & solvant, & dare & solvere teneantur dicto domino Regi & ejus successoribus in perpetuum, & pro ipsis, senescallis Carcassonæ qui pro tempore fuerint, unum saurum formatum & acceptabilem, vel quinquaginta solidos Turonenses, quod plus maluerint persolventes in palatio vel domo domini Regis apud Biterram, in quindenis festi Nativitatis beati Johannis Baptistæ annuatim. Et pro hac amicabili compositione seu transactione prædictus dominus senescallus pro domino Rege & suis recipiens hæc omnia, abbati & conventui & monasterio prædictis pro ipso domino Rege castrum & villam sancti Tiberii cum mero & mixto imperio, & cum justitiis omnibus, & juribus & pertinentiis suis concessit in feudum. Et omnes prædictas quæstiones majorum causarum, & coërcitionum pecuniariarum, & corporalium, & merum & mixtum imperium dicti loci, & albergas supradictas cessit, dereliquit, & concessit eis, ac in perpetuum acquitavit salvis domino Regi & successoribus suis imperio dicti feudi, & justitiis falsæ monetæ, & læsæ majestatis, prout supra continetur, & salvis eidem domino Regi præter hanc transactionem & compositionem suo pedagio pontis sancti Tiberii, & suæ parte leudæ quam percipit in villa sancti Tiberii in die mercati, & suis justitiis dicti pedagii, & suæ partis dictæ leudæ, & exercitio quod habet in hominibus dictæ villæ; & salva domino Regi alberga decem militum pro termino de Nataliano, pro qua dictum monasterium præstat eidem domino Regi viginti solidos Turonenses annuatim; & salvis ei hæresibus & fœdimentis quæ ibi habet, sicut in aliis villis monasteriorum hujus terræ; salvis etiam dicto monasterio tribus festivitatibus sancti Tiberii, in quibus monasterium percipit dicti pontis pedagium annuatim, sicut est consuetum; & omnibus aliis suis juribus, quæ habet in locis supradictis. Fuit etiam actum & conventum expresse inter partes supradictas, quod si dominus Rex hanc compositionem seu transactionem infra annum integre non duxerit approbandam, & sui nomine prædicto monasterio confirmandam & tradendam, ex tunc elapso anno omnia supradicta pro non scriptis, pro non dictis, & pro infectis penitus habeantur: & quod causæ quæstionum prædictarum & omnium aliarum, quæ superius continentur, sint in eodem statu quoad possessionem & proprietatem, & quoad omnia alia supradicta, in quo erant antequam hæc transactio fieret, vel de ea tractaretur. Insuper fuit actum & conditum inter partes supradictas quod prædicta compositione seu transactione cum sigillo pendenti domini Regis, ut dictum est, confirmata, prædictum feudum propter cessationem dicti census non soluti aliquo tempore non possit cadere in commissum, nec per decursum cujuscumque temporis longi, longioris, longissimi, vel longævi in dicto feudo vel censu contra dominum Regem possit præscribi, vel in aliquo per aliquam præscriptionem præjudicium generari. Acta fuerunt hæc apud Biterram in palatio regali inter dominum senescallum & procuratores memoratos nomine domini Regis & abbatis & conventus prædictorum, in præsentia & testimonio magistri Bartholomæi de Podio domini Regis clerici judicis Carcassonæ, D. P. Dei gratia abbatis S. Aphrodisii Biterrensis, D. Rimbaldi de Salvio militis, judicis dicti domini senescalli, D. Bertrandi de Lodova prioris de manso sanctarum Puellarum, Petri de Manso notarii, Raimundi Brisiacii notarii de Cesseno-ne, & mei Augerii de Afriano publici Biterrensis notarii, qui mandatus a prædictis hæc scripsi & in formam publicam redegi anno Nativitatis Christi 1273. XI. kalend. Maii, & signavi regnante Philippo rege Francorum.

XXIX.

Innocentii VI. summi pontificis rescriptum ad Johannem Francorum regem pro Pontio abbate S. Tiberii.

Ex origin. litteris. 1362.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Johanni regi Francorum illustri salutem & apostolicam benedictionem. In amore virtutum & illarum operibus, præsertim apud ecclesias & monasteria eorumque ministros favorabiliter exercendis decet celsitudinem regiam se habere continuo studiosam; cum ex hoc procul dubio benedictionis divinæ præmium, & laudis humanæ præconium adquiratur. Dudum siquidem quondam Seguino abbate monasterii S. Tiberii, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis..... regimini ipsius monasterii præsidente, nos cupientes eidem monasterio cum vacaret, per apostolicæ sedis providentiam idoneam & utilem præsidere personam, provisionem ipsius monasterii ordinationi & dispositioni nostræ duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum vero dicto monasterio per obitum dicti Seguini, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatis regimine destituto, dilecti filii conventus dicti monasterii reservationem & decretum hujusmodi, ut asseritur, ignorantes, dilectum filium Poncium monachum dicti monasterii..... bacallarium in decretis.... abbatem concorditer elegerunt.... Nos igitur electionem ipsam, ut pote post & contra reservationem & decretum hujusmodi de facto, ut præmittitur, attentatam, & alia inde secuta irrita, prout erant, & inania reputantes, & ad provisionem ipsius monasterii celerem & felicem, de qua nullus præter nos ea vice se intromittere potuerat neque poterat, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ne dictum monasterium longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam super his cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad eumdem Poncium, cui de religionis zelo, vitæ ac morum honestate & aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fide digna testimonia perhibentur, convertimus oculos nostræ mentis, quibus omnibus, necnon dictorum conventus ipsum Poncium eligentium voluntate concordi debita meditatione pensatis, de persona dicti Poncii eidem monasterio, de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus...... firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus suos per suæ circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter........ Cum igitur, ut idem Poncius abbas in exercenda dicti monasterii administratione facilius proficere valeat, favor regius sibi esse noscatur plurimum oportunus, excellentiam regiam rogamus & hortamur attente, quatenus eumdem Poncium abbatem & commissum sibi monasterium præfatum pro divina & nostra reverentia habens propitius commendatos, in ampliandis & conservandis juribus suis sic te reddas ipsis favorabilem, & in suis opportunitatibus gratiosum, quod idem Poncius abbas tuæ celsitudinis fretus auxilio, in commissa sibi dicti monasterii cura possit Deo propitio prosperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Avenioni II. idus Martii pontificatus nostri anno X.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ MAGALONENSIS.

I.

Ex arch. Anian.

Diploma Caroli magni, pro monasterio Anianensi.

Edit. sæcul. 4. Benedict. part. 1. pag. 202.

787. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex Francorum, & Longobardorum, ac patritius Romanorum. Maximum regni nostri in hoc augere credimus munimentum, si beneficia opportuna locis ecclesiarum benevola devotione concedimus, ac Domino protegente stabiliter perdurare conscribimus. Igitur notum sit omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, vicariis, centenariis, judicibus, seu omnibus fidelibus præsentibus scilicet, & futuris, qualiter vir venerabilis Benedictus abbas ex monasterio, quod ipse novo opere jure proprietario a fundamentis in honore Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, seu sanctæ semperque virginis ejusdem Dei genetricis Mariæ, seu aliorum sanctorum ædificavit in loco nuncupato *Aniano*, in pago Magdalonense subtus castro Monte-Calmense, ad nostram accessit clementiam, & prædictum monasterium cum omnibus rebus, & ornamentis ecclesiæ, seu appenditiis, vel adjacentiis suis in manibus nostris plenissima deliberatione visus est delegasse, & ipsum sanctum locum sub nostra defensione, atque dominatione ad regendum nobis visus est tradidisse. Idcirco ad ejus petitionem tale pro æterna retributione beneficium erga ipsum sanctum locum visi fuimus indulsisse, ut in ecclesiis & locis, vel agris, seu reliquis possessionibus ipsius monasterii, quas moderno tempore per nostram donationem, ac confirmationem, seu cæterorum fidelium juste possidere videtur in quibuslibet locis, quicquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos, aut per alios voluerit divina pietas augeri; præcipientes jubemus, atque anathematisamus, ut nullus comes, neque episcopus, aut ulla judiciaria potestas ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos nec homines ipsius monasterii, tam ingenuos, quamque servos, qui super terram memorati monasterii residere videntur distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones perquirendas, aut ullum omnino censum inquirendum, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat. Sed hoc ipse abbas, vel successores sui, aut monachi memorati loci, præsentes scilicet, & futuri, propter nomen Domini sub integræ immunitatis nomine absque cujuslibet inquietate, aut contrarietate valeant dominare, & nulli unquam hominum pro qualicumque re nullum omnino censum audeant impendere, sed ipsum sanctum locum sub nostra defensione, atque dominatione volumus constare. Statuentes ergo atque jubentes, ut neque vos, neque juniores, seu successores vestri, vel quislibet ex judiciaria potestate, in ecclesiis, & locis, vel agris, seu reliquis possessionibus suprascripti monasterii, vel de omnibus quæ suprascripta sunt nullo unquam tempore inquietare, aut exactare præsumatis: sed quod nos propter nomen Domini & æterna remuneratione ad jam fatum monasterium indulsimus, pro omnibus temporibus proficiat in augmentis. Et quando quidem divina vocatione suprascriptus venerabilis abbas Benedictus, vel successores ejus de hac luce ad Dominum migraverint, qualem meliorem, & nobis per omnia fidelem ipsa sancta congregatio de supra scripto monasterio, aut de qualicumque loco voluerint eligere abbatem qui ipsam sanctam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeat, per hanc nostram authoritatem, & præmissæ indulgentiæ licentiam habeant & ubicumque voluerint ordinari, aut ipsi, aut monachi ipsorum, vel a quolibet pontifice ex præcepto & consensu nostro potestatem habeant, quatenus ipsi servi Dei qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis, & conjuge, proleque nostra & stabilitate totius regni a Deo nobis commissi, vel conservandi attentius Domini misericordiam exorare delectentur. Et ut hæc authoritas confirmationis nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inviolata manere, manu propria signatis subscripsimus & annuli nostri impressione assignari jussimus. Data sexto calendas Augustas anno decimo-nono regni nostri. Actum in Ruganerburg palatio nostro publico in Dei nomine. Amen.

II.

Diploma Ludovici Pii pro ecclesia Magalonensi.

819. IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante clementia imperator Augustus. Constat nos divina ordinante gratia cæteris mortalibus supereminere; unde oportet, ut cujus præcellimus munere, studeamus modis omnibus ecclesiasticis rebus opem ferre. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris præsentibus scilicet & futuris, seu successoribus nostris, fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento, & æternæ remunerationis fructu, quandam villam quæ est in territorio Magalonensi, cujus vocabulum est Villanova, sicuti eam Robertus comes in beneficium habuit, ecclesiæ S. Petri Magalonensis, ubi Deo auctore Argemirus præest, quia constat eam ex prædictis rebus ecclesiæ fuisse, cum omni integritate reddere; ita duntaxat, ut quidquid rectores ac ministri prædictæ sedis deinceps pro opportunitate ipsius ecclesiæ de eadem villa, vel de iis quæ ad eam moderno tempore pertinent, facere voluerint, libero potiantur arbitrio ad hæc facienda. Et ideo omnibus præcipimus ac per has litteras statuimus, ut nullus quilibet fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum, prædictam villam cum omnibus ad se pertinentibus, de prædicta sede abstrahere, aut aliquid imminuere, aut injustam interpellationem ingerere præsumat; sed sicut à nobis injunctum est, & per hanc nostram authoritatem prædictæ ecclesiæ confirmatum, ita perpetuo permaneat. Et ut hæc authoritas firmiter habeatur, & per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari. Signum Ludovici serenissimi imp. Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit. Datum idibus Martii anno Christo propitio sexto imperii D. Ludovici excellentissimi Augusti indict. XII. Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

III.

Epistola Ludovici imperatoris ad Anianenses & Gellonenses monachos de electo abbate Tructesindo.

Edit. apud Mabillonium annal. t. 2. pag. 474.

822. IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus venerabilibus fratribus in Aniana sive

Gellone monasterio constitutis. Proxime accidit Agobardum archiepiscopum ad nostram devenisse præsentiam, indicans nobis quomodo eo præsente & Nibridio archiep. sine mora omnes pari consensu Tructesindum super vos elegissetis abbatem: cui facto quod rationabile nobis videbatur, assensum præbere non distulimus, desiderantes ac optantes, ut pietas divina id ad suam & ad vestram communem salutem proficere faciat, & ille patris ac pastoris inter vos locum obtineat, & vos ut Christi oves pari humilitate ac devotione, sicuti dignum & rectum est, subditi & obedientes ei sitis. Et hæc obedientia vel humilitatis subjectio charitatis munimine est roboranda, quod sine simulatione falsæ extrinsecus ostentationis in vobis fieri necesse est: vos enim optime nostis cum quanto studio ac sudore a beatæ memoriæ domino Benedicto patre vestro locus iste primo inchoatus ac constructus est; deinde qua diligentia ille nitebatur, ut vos quos divina superni pastoris gratia per suæ devotionis instantiam inibi coadunaverat, secundum monasticæ vitæ regulam recte conversaremini. Quod & Deo largiente juxta id quod desideravit ad effectum perduxit, sed & de sacrosancto eodem examine per imperium a Deo nobis commissum longe lateque piæ conversationis normam coadoptavit e vobis & disseminare non destitit. Et cum profecto ita se res habeat, dignum vos admonere statuimus, ut Deo cooperante id efficere studeatis, ne in diebus vestris res tam egregie inchoata, & ad incrementum perducta, quolibet casu quidquam detrimenti sumat: sed tales semper per Dei misericordiam esse studeatis, ut de vobis possint sicut prius, magistri & doctores sanctæ non solum regularis vitæ, verum omnis spiritalis normæ & præcipui apicis adsumi, ubicumque necessitas vel voluntas fuerit. Porro Tructesindum abbatem vestrum admonitum esse volumus ut circa vos paternum exerceat amorem, & consideret secundum ætatem, vel valetudinem corporis, vel infirmitatis cujuslibet molestiam, quid cui conveniat ex subjectis sibi; & caveat omnimodis, ne in negligentes adeo fervida zeli castigatio modum excedat, ut eos pusillanimes reddat: nec apud observantes mandata Dei talis sit, ut torpore & desidia in eis rigorem constantiæ frangat: sed maxima discretione, juxta apostolum, fit omnibus omnia factus, ut omnes ad se pertinentes salvare possit. Quod si forte evenerit, quod nos non optamus, ut ille extra regulam vobis a memorato Benedicto optime traditam in aliquo deviaverit, & magis voluerit quæ agenda sunt, proprio arbitrio & voluntate, quam vestro communi consilio agere, vos eum ut charissimi fratres & filii, cum omni mansuetudine & patientia corrigite: quod si vobis assensum præbuerit, & per vos correctus fuerit, hoc Dei dono tribuatis. Si vero ille pertinacior in sua, quod absit, permanere voluerit sententia, tunc nobis id significari prius faciatis, quam foris vicinis vestris notum fiat, quia cum in aliis regalem exerceamus potestatem, in vobis tamen paternum semper volumus obtinere affectum. Et quamvis hæc licentia a nobis sit vobis concessa; tamen summo opere cavendum est, ne de qualibet re adversus abbatem vestrum levi ira, aut parva perturbatione inflammati, frustra pertinaci audacia adversus eum commoveamini; nam si aliquis vestrum sine ratione adversus eum inflammabitur, & nostras aures sine causa pulsaverit, nos adversus se noverit districta animadversione esse commotum, ut ille, qui ejusmodi est, cæteris fiat documentum, ne in posterum aliquis audeat adversus magistrum suum injuste consurgere. Vos quoque, seniores, in omnibus adjuvate eum tam in districtione juniorum fratrum, quam etiam & in reliqua utilitate monasterii, nec illum solum sub tanti ponderis onere gravari patiamini; sed juxta Apostolum, *invicem onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Vos autem, juniores fratres, statuimus admonere, ut in omnibus abbati vestro & senioribus fratribus obedientes sitis & humiles, non protervi, non murmuratores, sed cum omni humilitate ac mansuetudine servate propositum vestrum, nam si secus egeritis, ut aliquis vestrum adversus abbatem & fratres infletur, & non solum sibi, sed aliis etiam perversæ transgressionis fuerit incitamentum, & non sui abbatis vel fratrum sustinuerit correctionem, hunc nobis cum festinatione mitti præcipimus, ut eum in talem dirigamus locum, unde ille vobis minime possit quidquam inferre scandali. Hæc vobis ideo scribere jussimus, ut cognoscere possitis quantam curam ac sollicitudinem de vobis habere desideramus: eamdem enim familiaritatem quam cum piæ recordationis Benedicto abbate vestro habere visi sumus, si præcepta ejus obedienter custodire volueritis, vobiscum similiter habere volumus, & curam vestri ipsiusque monasterii semper agere. Et quia constat per chartam donationis prædicti patris vestri, idem monasterium genitoris nostri prius & denuo nostrum esse alodem, eamdem licentiam quam ipse prius & nos deinceps per præcepta immunitatis visi sumus concedere, perpetuis temporibus firmiter observare, & inviolabiliter conservare promittimus, ut quandocunque divina vocatione prædictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quamdiu inter vos tales invenire potueritis, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per sæpe scriptam & roboratam nostram authoritatem licentiam habeatis semper eligendi abbates. Optamus vos pro nobis orantes, ac secundum propositum vestrum custodientes in Christo semper benevalere, amen.

Galat. 6. 2.

IV.

Diploma Ludovici imperatoris pro monasterio Anianensi.

838.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi Hludovicus divina propitiante clementia imperator Augustus omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ nostris præsentibus scilicet & futuris notum sit, quia olim adhuc in Aquitania constituti, & necdum imperiali honore & nomine cælitus insigniti beneficiavimus quamdam villam in pago Lutovense Aniani nomine, quæ est in honore sancti Salvatoris seu beatæ Mariæ virginis, & Petri & Pauli apostolorum atque Archangeli Michaelis dicata, petente nimirum Benedicto ejusdem monasterii tunc temporis abbate, & per authoritatem nostram delegare curavimus; sed quia deinceps divinitus nobis imperiali solio sublimatis easdem res potiori authoritate roboratas fuisse necdum constiterat, Ermenaldus venerabilis ejusdem monasterii abbas nostræ supplicavit clementiæ, ut denuo nostram authoritatem super rebus villæ, quæ dicitur Curcionatis, accipere mereretur per quam eas firmius possidere valeret, cui divino amore, & honore assensum præbentes, hos nostros apices ei fieri jussimus, per quos decernimus atque sancimus ut jam dicta villa Curcionatis cum omni integritate sua diebus vitæ nostræ beneficiario munere in dominatione, & gubernatione Aniani monasterii, rectorque illius, utque sustentatione fratrum in eo dominio militantium persistat, & quidquid ab ea jure ecclesiastico, & modo beneficiario facere disposuerimus, liberam habeant potestatem, & ut hæc authoritas nostra firmior habeatur de annulo nostro subter jussimus sigillare. Signum Hludovici serenissimi imperatoris, Hirminmarius notarius ad vicem Hugonis recognovi. Data XIV. kalend. Novembris anno Christo propitio XXIV. imperii D. Hludovici piissimi Augusti, indict. XV. Actum Aquisgrani palatio. I. D. N. F. A.

V.

Ex autographo.

Bulla Johannis papæ ad Raynaldum Anianæ abbatem.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei dilectissimo filio Raynaldo abbati venerabilis monasterii Anianensis, quod est fundatum atque sacratum in honore sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, ac perpetuæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, sanctique Archangeli Michaëlis, necnon & gloriosi Petri apostolorum principis, seu aliorum sanctorum, ejusque successoribus, salutem & apostolicam benedictionem. Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola charitate succurrere, & poscentium votis pium impertire assensum, quia apud conditorem omnium nobis potissimum reponitur præmium, si venerabilia loca religiosorum virorum devotione constructa nostra apostolica fuerint authoritate corroborata, atque ad meliorem statum perducta. Igitur quia tua dilectio nostram suppliciter exspostulat clementiam, quatenus apostolico privilegio concedamus & corroboremus tibi tuisque successoribus monasterium Anianense secundum tenorem atque adstipulationem regalis privilegii, quod eidem loco clementer dignoscitur fuisse indultum a piæ memoriæ Carolo Francorum rege Romanorumque patricio, a Hludovico etiam illius filio, tuæ fraternitati ex animo faventes, quidquid regalis munificentia in possessionibus, terrarumque redditibus, silvis, pascuis, terris cultis & incultis, aquarumve decursibus marinis, stagnis, fluviorumque piscationibus, ecclesiarum cum suis adjacentiis delegationibus, ingenuorum, servorum, seu colonorum propagatione atque incolatu Anianensi cœnobio contulit, & quod pia fidelium devotio obtulit, vel conlatura est, omne illud quod in præsenti vel in posterum ad præfatum Anianense monasterium pertinere vel possideri a te tibique commissis dignoscitur, ut absque inquietudine cujuscumque potestatis vel conditionis intacta retinere, distribuere, ordinare, aut commutare pro loci utilitate valeas concedimus, & nostra authoritate corroboramus. Et quia ineffrænata cupiditas, hæresisque simoniaca apud vestrates omninò temperantiæ discretionisque modum ignorat, ut liberius quæ speculativæ vitæ sunt congrua exercere valeatis, subrogationem abbatis sana congregationis decisione secundum beati Benedicti normam concedimus, & ut idem subrogandus ab episcopo, quem religiosioris vitæ meritum commendaverit benedicatur, fratresque sibi commissi ad sacros ordines promoveantur, & sic ipse abbas, si religionis tramitem digne & laudabiliter tenere visus fuerit, licentiam donandi pœnitentiam undecumque ad se humiliter concurrentibus, excommunicandique perversos potestatem habeat, & solvendi satisfacientes authoritate apostolica indulgemus. Quod si forte populi iniquitate & malitia exigente necesse fuerit provinciam excommunicationis vel anathematis gladio feriri, paterna indulgemus pietate & apostolica confirmamus authoritate ut idem locus Anianensis immunis valeat ab omni vinculo excommunicationis, ut fratres inibi degentes pro nostra totiusque sanctæ Romanæ ecclesiæ salute & prosperitate libenter omnipotenti Deo preces persolvere valeant, pœnitentesque, qui devote ad diem festum consecrationis prædicti loci confluxerint, ipsa tantummodo die absolutione nostra releventur, ut uberius devotionis suæ vota propitiatoria & .... omnium exsolvant. Quicumque vero laudabili fama vel exemplo prædicti loci Anianensis provocatus tumulari se in prædicto loco petierit, possessionis seu substantiæ suæ qualemcumque quantitatem jam dicto cœnobio erogandam delegaverit, nullo pacto vel occasione prohibeatur ab episcopo, cujus diœcesis ipsa persona fuerit, excepto si pro paucis meritis excommunicationi proprii episcopi publice subjacuerit. Et ne parvam quamlibet occasionem prædicti loci congregatio adinveniat minus exequendi quæ sancta sunt, & justa, & sanctæ regulæ congrua, sub divini nominis adtestatione prohibemus, ne aliqua mundialis potestas, comes videlicet aut comitissa, archiepiscopus aut episcopus, seu quælibet sæcularis persona præsumat eidem præfato monasterio re vel ingenio, aut maligna occasione vim inferre, vel molestus esse, seu quippiam de rebus vel possessionibus ipsius monasterii auferre, aut alienare, aut aliquem cujuscumque servitii censum contra fas, vel monastico ordini in aliquo contrarium exigere, sed quicumque eidem prædicto loco & congregationi devoti extiterint & aliquod suffragium verbo, aut opere, aut substantiæ suæ erogatione contulerint, a pio remuneratore omnium Domino supernæ benedictionis & nostræ humilitatis gratiam percipiant. Si quis autem hujus privilegii nostri sanctionem & corroborationem in aliquo refragare vel infringere tentaverit, ab omnipotente Deo, Patre, & Filio, & Spiritu sancto perpetua maledictione damnatus, & a sanctæ ecclesiæ gremio expulsus cum impiis & homicidis tradatur diabolo perennibus gehennæ incendiis concremandus. Bene valete. Rescriptum per manum Stephani sacri scrinii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense J. in die quinto.

VI.

Ex chart. Psalmod.

Fundatio monasterii S. Genesii.

1019.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quisquis pro Dei amore de bonis suis, &c. Propterea ego Godrannus, filiique mei, nomine Eleziaris sive Berengarius cupimus atque volumus fieri monasterium ad laudes Deo persolvendas sanctisque omnibus memoriam faciendam pro redimenda mea facinora prolisque meæ tam virilis quam sexus fœminei, animaque catholicorum fidelium vivorum defunctorumque, maxime filiæ meæ Deo devotæ nomine Juditha, in comitatu Sustantionense, in locum quod vocatur Marcanicus, atque alii vocabulo imponitur ei nomen Carum-locum, & est ibi ecclesia constructa atque Deo dicata in honore sancti Genesii pretiosissimi martyris, illam ecclesiam eandemque villam quam superius jam taxavimus, & dedi ad filiam meam supra jam nominatam in die qua tradita est conjugio maritali per consentaneam ejus voluntatem, sic dono atque trado tam ego quam filii mei Domino Deo nostro Jesu Christo cum omnibus adjacentiis terminationibusque suis cultis & incultis, arboribus pomiferis & impomiferis, tam adquisitis quam adquirendis, in tali vero ratione atque stabilitate, ut cunctis dies vitæ hujus sæculi habitatio sit sanctimonialium atque Deo devotarum fœminarum sub regulari vita degentes absque ulla blanditione atque admiratione habeant, teneant & possideant tam præsentes quam adventuræ, & quæcumque illæ ipsæ inter se elegerint sive voluerint in regendo præesse, licentiam habeant secundum præcepta beati Patris nostri Benedicti, vel providentiæ abbatis cœnobii S. Petri Psalmodiensis congregationis tam præsentis quam futuræ. Et si aliqua causa murmurationis orta fuerit inter illas, contumeliaque a perversis hominibus inlata, de consolationibus illorum consolentur & adjutorio adjuventur. Et si quis insuper dictam donationem atque scriptionem aut ego vel aliquis de hæredibus meis, necne juvenis homo, sive aliqua persona fœminea insurgere vel inquietare atque ad aliquod munus inquirendum ad inrumpendum dissipandumque venerit in duplum restituat, super his maledictionibus atque confusionibus quibus Judas Iscariotes cæterique nequissimi boni operis destructores fiant maledicti atque excommunicati, & a communione sanctæ Dei ecclesiæ vel consortio omnium christianorum sequestrati & in inferno inferiori cum Dathan & Abiron sint subversi. Hæc actio atque scriptio exarata atque tradita est anno

Incarnationis Domini MXIX. indict. II. XVI. calend. Augusti disponente largissima benignitate Dei regnum sapienter rege Roberto regente & bene vivendo ad perpetua felicitatis gaudia merenda pervenire. S. Godrannus filiique sui Eliziaris sive Berengarius qui hanc scriptionem atque donationem scribere postulaverunt & manibus suis ferventer firmaverunt in tali ratione & convenientia, ut si aliqua perversitas a perversis hominibus fuerit inlata, filius meus Helisiaris omnisque filius suus, cui ille promiserit, vel cui Deus in hoc sæculo majorem prosperitatem dederit, pro Dei amore defendendi juvandique potestatem habeat. S. Petrus episcopus Magalonensis. S. Bernardus comes Sustantionensis. S. Geyraldus episcopus Nemausensis. S. Warnerius cum cuncta congregatione. S. Bernardus cum filiis suis. S. Gaucelinus cum filiis suis. S. Petrus cum filio suo. S. Willelmus sive alius Willelmus qui vocatur Bernardus. S. Nicezius. S. Dalmatius. S. Bremundus cum filiis suis. S. Odo cum filiis suis. S. Begone cum fratribus suis. Aldelfredus ac si indignus monachus scripsit.

VII.

Electio Judith abbatissæ S. Genesii.

Ex autographo. 1025.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi generis humani misericordissimi redemptoris, & ejus dulcissimis monitis obaudientibus vitæ æternæ largitoris. Nos in tempus degentes periculosum secundum verbum apostolicum, eorum cupientes exequi exemplum, qui post Salvatoris nostri ascensum sexus utrumque conversum ecclesiæ sanctæ ei construxerunt fundamentum. Qui sic inter spinas hujus sæculi rubet in martyribus ut rosa, in confessoribus candet ut lilia, in virginibus vero quasi uva sub pedibus persequentium depressa, nectarei vini in paradisi promptuaria, ex hoc Domino suo flagrantia exuberat animarum munera. Ibi ergo nos desiderantes pertingere, ædificantes cœnobium virginum Christi devotæ familiæ ad hoc vigilanter agimus strenue, ut eis præsit, qui curæ pastoralis pro animabus adquirendis sit in regimine. Est autem Carum-locus in comitatu Sustantionense, diœcesi S. Petri civitatis Magalonense, S. Genesii martyris titulatus nomine, Martianico subter consistente villulæ. Nos itaque germani fratres Eliziaris & Berengarius post patrem nostrum hujus loci instructorem, perscrutantes diutius, quis esset virginum Christi custos, promptius assensimus nostris senioribus sororem nostram Juditham abbatissam eligentibus, domno videlicet abbati Warnerio insulæ S. Petri apostoli Psalmodio, in cujus providentia olim jam in eligendo retinemus scripto, necnon & Petri gratia Dei sedis S. Petri apostoli Magalonensi episcopo, atque sublimi in omnibus comiti Bernardo & cunctis clero & populo qui fide subjectus est Domino Jesu Christo. Pro Dei ergo timore & sancta religione & animarum parentum nostrorum & omnium fidelium redemptione, quam nobis omnibus Dominus dignetur exhibere in novissima examinatione, eligimus & benedicimus Juditham abbatissam ad supradicti loci regendam devotam Deo familiam, id est Ricsindis, Widburgæ, Aurosæ, Didæ, Ailinburgæ, Adalaicis, Biliardis, Udalque, Udolindi, Amalsindæ, Widburgæ, Pontiæ, Biliildi, tam istarum quam advenientium Deum sunt secuturæ. Facta carta electione istæ XX. die mensis Novembris XII. calendas Decembris anno ab Incarnatione D. N. J. C. 1025. indictione VIII. æra MLXIII. anno regnante Roberto rege XXX. Signum Elizarius & Berengarius qui hanc electionem fieri consenserunt. S. D. abba Warnerius cum sua norma monachorum. S. Petrus gratia Dei episcopus cum religiosa plebe clericorum. S. Bernardus comes Sustantionensis. S. Gaucelmus. S. Dalmatius. S. Dalmatius. S. Villelmus. S. alius Willelmus ejus nepos. S. Nicetius. S. Bernardus Andusiensis. S. Giraldus episcopus. S. Petrus de Ripa alta. S. Pontius filius ejus. S. Bremundus cum filiis. S. Pontius præpositus S. Petri. S. Gaucelmus de Cornione. S. Begone de Piniano. S. Almeradus de Casubiano. S. domnus abba Giraldus S. Egidii cum sibi commisso monachorum choro. S. Salvatus abba Aniani monasterii. S. Gautfredus abba sancti Willelmi monasterii. Aldelfredus ac si indignus monachus piaculis suis timidus scripsit.

VIII.

Electio Alimburgis abbatissæ S. Genesii.

Ex chart. S. Genesii. 1042.

DUm liquido pateat, quod una quæque fidelium persona juste pieque vivendo sibi ascribat jura regiminis, seque paratam gradiendo viam fideliter firmiterque secundum posse regat, sanxerunt tamen peritissimi spiritalesque viri, ut unus, qui sapientia, ac prudentia, bonitate, & humilitate, aliisque quam pluribus virtutibus ceteros antecessit, principatum atque dominationem super dominicum gregem obtineat, quatenus cum palma victoriæ se gregemque sibi commissum ad celestia regna introducat, quia non est personarum acceptor Deus, nec est discretio maris & feminæ, sicuti agi oportet in sexu masculino, ita etiam & in feminino. Hanc considerantes rationem sanctimoniales puellæ Deoque dicatæ virgines nobilibus ortæ natalibus degentes in monasterio S. martyris Genesii, quod est situm in comitatu Magalonense in suburbio castro Sustantionense, in loco qui antiquo nomine Marcianicus vocatur, rudi vero vocabulo Carus nuncupatur locus, quod Juditha quædam sanctimonialis femina jure hereditario edificavit, uno animo parique consensu sibi præposuerunt quandam puellam nomine Alimburgis, clarissimo genere exortam, specie pulcherrimam, bonitate conspicuam, in universa morum honestate præclaram, quæ electio atque conclamatio facta est in anno Incarnationis Dominicæ MXLII. æra MLXXX. indictione X. concurrentibus III. christiano populo celebrante Dominicam sexagesimalem. In hoc eodemque anno conventus factus est apud præfatum locum, ibique adveniens Arnaldus gratia Dei sanctæ sedis Magalonensis reverentissimus pontifex ordinavit atque benedixit supradictam puellam in præsentia scilicet virorum nobilium, idest, Airardi ejusdem sedis archicantoris præcipui atque mansionarii, & in præsentia Guillelmi strenuissimi viri, & in præsentia Elisiari & uxoris ejus, qui ejusdem puellæ genitores esse gloriantur, ceterorumque nobilium, quorum nomina longum est enarrare. Hæc autem electio ut omnibus diebus vitæ ejus super quam versa est inconvulsa atque illibata valeat permanere, manibus propriis sanctimonialium superius dictarum firmata est. S. Belliardis, S. Aurosæ, S. Bonafuisset, S. Didæ, S. Pontiæ, S. Rixendis, S. Bellieldis, S. Sanciæ, S. Guilburgis, S. Fredburgs, signum Alimburgis.

IX.

Adella comitissa donat partem stagni Magalonensis ecclesiæ ejusdem urbis.

Ex archiv. episc. Circa 1055.

IN nomine Domini. Ego Adella comitissa, & filius meus Raimundus, & uxor ejus Beatrix nomine ob remedium animarum nostrarum, genitorumque nostrorum donamus omnipotenti Deo & B. Petro apostolorum principi Magalonense stagnum ab eo loco quo influit in id fluvius Amansionis, sicut porrigitur in directum usque ad mare, cum ipsa terra a parte dextra ab integro cum omni censu, qui de eo persolvitur, & cum omni usu qui de eo exigitur, & cum levatis a citeriore ripa usque ad ulteriorem, sicut contenditur in mare, exceptis plagis de mari, & excepto fevo filiorum

Gaucelini, &c. Adella comitissa, Raimundus comes filius ejus, Beatrix uxor Raimundi communi voto hanc donationem fecerunt, & conscribi, & anathematis vinculo ligari, & manibus testium firmari, & corroborari requisiverunt. Sig. Arnaldi episcopi, S. Pontii præpositi, S. Dalmatii archidiaconi, S. Guillelmi Fredelonis.

X.

Ex chart. episc. Mag.

Donum Petri comitis factum ecclesiæ Magalonensi.

1079.

PAX Christi. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Clementia Dei omnipotentis cuncta providentis & disponentis, cum humana fragilitas pertimescit judicii diem, oportet prospicere unumquemque hominem, ut sine aliquid boni operis non sit raptus ab hoc sæculo, propter illud quod dixit Dominus: *qualem te invenero, talem te judico.* Propter hoc ego Petrus comes, qui fui filius Raimundi & Beatricæ, cum uxore mea Adalmunde meditans misericordiam, quia peccata nemo potest dimittere nisi solus Deus, in honore Domini nostri Jesu Christi, & S. Mariæ matris ejus, & S. Michaelis archangeli, & B. Petri apostolorum principis, & omnium sanctorum Dei, pro peccatis & negligentiis meis, & ob redemptionem animæ meæ, & animarum parentum meorum, & pro penitentia, & dilectione & amore hujus loci qui vocatur *Magalona,* dono & concedo in alodium, atque in præsenti trado Domino Jesu Christo, & S. Mariæ, & ad altare S. Petri ejusdem sedis supradictæ, & ad reliquias sanctorum qui illic requiescunt, & ad clericis omnibus communiæ illic viventibus vel victuris naves ad portum maris pertinentes, hic vel ubicumque in omni honore meo faciat portum ipsa navis pro elemosyna & spe vitæ æternæ, in quantum mihi potestas tradita est, & ego largire possum, & sit firmum, & stabilitum, & omni ratione quietum, & sine incontaminatione mansurum ad altare hujus sedis prædictum, & ad ejusdem loci congregationem, quæ nunc est vel erit. Quod si ego donator venero, aut si quis quod fieri minime credo, aut ullus ex heredibus vel de propinquis parentibus meis contra hanc chartulam vel donationem ad irrumpendum venerit, ira Dei omnipotentis super illum incurrat, & veniant super eum omnes maledictiones & excommunicationes quæ insertæ sunt tam in novo quam in veteri testamento. Ita vero hæc donatio firma & immobilis permaneat nunc & semper & per infinita sæcula sæculorum, amen. Ego Petrus comes & uxor mea Adalmundis hanc cartam atque donationem scribere mandavimus & manus nostras firmavimus. Et sicut supradictum est cum omni integritate laudamus. Signum Bertranno hujus sedis episcopo. S. Pontii præpositum. S. Ademaro abbate. S. Fredolo archidiacono. S. Deodato canonico, &c. Facta est autem hæc carta V. idus Augusti mediante die veneris, luna VII. in scorpione, solem vero in leone annos ab Incarnatione Domini MLXXIX. epacta XV. concurrens unus, indictione secunda regnante Philippo rege ex Francia. Constantinus scripsit.

XI.

Petrus comes Sustantionensis Romanæ ecclesiæ confert comitatum suum.

1085.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego Petrus comes Melgoriensis pro redemptione animæ meæ, necnon & parentum meorum, uxoris quoque & filii dono Domino Deo, & beatis apostolis ejus Petro & Paulo meipsum & omnem honorem meum, tam comitatum Sustantionensem, quam episcopatum Magalonensem, omnemque honorem eidem episcopatui appendentem, sicut & ego, & antecessores mei comites hactenus habuimus, & tenuimus in allodium: ita utrumque, quod tum juris mei est, dono & trado ego per allodium sanctæ ecclesiæ Romanæ, & sanctis apostolis Petro & Paulo, necnon & papæ Gregorio VII. & omnibus successoribus ejus, qui in sede apostolica per meliorem partem cardinalium, & reliqui cleri, & populi fuerint canonice & catholice electi & consecrati: ut prædictus comitatus Sustantionis & episcopatus Magalonensis jure proprio sit BB. apostol. Petri & Pauli; ego autem prædictum comitatum habeam per manum Romani Pontificis sub illius fidelitate, & singulis annis pro censu persolvam unciam auri optimi. Similiter quoque & filius meus, vel quilibet alius omnis, qui ex hereditario jure mihi successerit, prædictum comitatum per manum Romani pontificis ad fidelitatem illius teneat, & prædictum censum, id est unciam auri optimi singulis annis solvat. Sit vero in potestate Romani pontificis in episcopatu Magalonæ quem placuerit episcopum juste & canonice ordinare, & per eam authoritatem ejus liceat Magalonensi ecclesiæ juxta constitutiones, & decreta sanctorum patrum, personam probabilem & idoneam ad regendum populum, & res ecclesiasticas, liceat, inquam, & ex hoc, & deinceps qualem dixerimus, probabilem & idoneam personam in episcopum eligere, absque mei vel alicujus heredum, aut successorum morum contradictione. Si quis autem heredum, aut successorum meorum contra hanc donationis, & confirmationis nostræ authoritatem, & privilegium insurgere præsumptuose & obviare, quod absit, attentaverit, & de prædicto comitatu dominum suum Romanum pontificem esse debere recognoscere noluerit, & prænominatum censum de comitatu eidem unciam auri singulis annis persolvere recusaverit, aut in libertate ecclesiastica de substituendo canonice episcopo in episcopatu Magalonensi ei contradictor extiterit, non valeat vindicare quod injuste repetit, & persolvat mulctam, quam sancta lex Romana per Theodosium, Arcadium, & Honorium promulgatam decrevit, & insuper ecclesiasticæ subjaceat disciplinæ, quam velut sacrilegus, & sanctæ ecclesiæ destructor incurrit. Feci autem prædictam donationem de comitatu & episcopatu ego Petrus comes vice beati Petri, & Romani pontificis in manu Petri Albanensis episcopi Romani legati, & Gotafredi Magalonensis episcopi per investituram annuli mei, & Frotardi abbatis Tomeriarum anno Incarnationis MLXXXV. indictione VII. V. calend. mensis Maii. Actum per manum Stephani. ✠ S. Dalmatii. ✠ S. Raimundi. S. Pontii de Monlaur. Petrus signavit. Adalmadis comitissa confirmavit. S. archidiaconi. Raymundus comes filius ejus firmavit. Isti omnes ex præcepto comitis firmaverunt ante altare S. Petri. Testes Orgerius archid. & Deodatus canonicus, testis Gothofredus episcopus, in cujus manu factum est.

XII.

Urbanus II. summus pontifex Magalonensem ecclesiam Gotofredo episcopo confirmat, eique comitatus curam injungit.

1088.

URBANUS episcopus servus servorum Dei, Gotofredo Magalonensi episcopo, ejusque successoribus in perpetuum. Universum sanctæ ecclesiæ corpus miserante Deo per unigeniti filii sui redemptoris nostri sanguinem propria constat, & perpetua liberalitate donatum: sed pravorum hominum astu, pastorum negligentia quædam per orbem ecclesiæ ditioni sunt secularium potestatum addictæ. Supernæ autem miserationis respectu idcirco ad universale sedis apostolicæ regimen promoti sumus, quatenus debeamus omnibus

modis quæ ad earum spectant salutem & gloriam providere, ut ab omni servitutis vinculo liberæ, sua semper libertate gaudeant. Ad hoc autem omnipotens Dominus Romanam ecclesiam ecclesiarum matrem principemque constituit, ut ea disponente corrigantur quæ mala sunt & quæ recta sunt confirmentur. Tibi itaque, frater Gotofrede Magalonensis episcope, Magalonensem ecclesiam, tuisque successoribus canonicis sub Romana libertate specialiter permansuram jure perpetuo confirmamus; quam nimirum ecclesiam, pastorum, qui in illis partibus fuerant, permittente incuria, multis temporibus ex consuetudine nefanda Sustantionenses comites suæ jugo servitutis attraxerant. At bonæ memoriæ comes Petrus Dei timore compunctus, B. Petro, ejusque vicariis ex toto episcopatum reddidit, & scripti actione refutavit, comitatum quoque, qui sui juris erat, sub jure B. Petri ejusque vicariorum per testamenti paginam dereliquit, eo videlicet tenore, ut hæredes sui Romani pontificis milites fierent, & ex ejus manu comitatum obtinerent: quod si hæredum successio destitisset sub Romani pontificis ordinatione, & Magalonensis cura episcopi haberetur: quin etiam censum Lateranensi palatio persolvendum ab ejusdem hæredibus, auri unciam quotannis instituit. Magalonensis igitur episcopatus, & Sustantionensis comitatus investituram ex manu fraternitatis tuæ vice prædicti comitis per annulum recipientes, & ejusdem comitatus donationis constituta religiosa firmantes, prædictam ecclesiam, atque comitatum sub B. Petri, & Romanæ ecclesiæ protectione specialiter confovendum suscipimus, salva Narbonensis metropolitani auctoritate, ac reverentia, si quidem legitime ordinatus fuerit. Porro ipsam ecclesiam tibi, tuisque successoribus canonice substitutis regendam perpetuo confirmamus, & quæcumque ad Magalonensem episcopatum, seu ad fratrum ibi degentium communiam, regum, comitumve liberalitate, vel quorumcunque fidelium oblatione juste hactenus pertinuisse noscuntur, quæque in posterum juste poterit adipisci in urbibus, & municipiis, in ecclesiis, in decimis, cæterisve redditibus contradendo contradimus, & præsenti nostri decreti pagina constituimus, atque sancimus quatenus nullus omnino sacerdotum, aut cujuslibet ordinis clericorum, nullus imperatorum, regum*, aut comitum de his, quæ eidem Magalonensi ecclesiæ a quibuslibet donata fuerint, vel in futuro donabuntur, sub cujuslibet causæ, occasionisve specie minuere, vel auferre, vel suis juribus applicare, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione audeat distrahere. Quia vero sæpius contingere solet, ut invito clero & populo seculares potestates sibi placitas nequiter nituntur intronizare personas, decernimus, atque censemus, ut te qui episcopus es, vel tuorum quolibet obeunte, institutione pontificis nullum sibi honorem, nullum fas potestas quælibet arroget secularis, sed is secundum canonum statuta constituatur, quem clerus & populus gratis communi consensu & sine pravitate elegerit. Præterea fraternitati tuæ, tuisque successoribus, quandiu tales fuerint, ut sedis apostolicæ communionem & gratiam habere mereantur, prædicti Sustantionensis comitatus curam injungimus, ut vos censum annuum exigatis. Ad ostensionem autem specialis hujus acceptæ a Romana ecclesia libertatis, ex episcopatu unam auri unciam quotannis Lateranensi palatio tu, tuique successores persolvetis. Datum Romæ XIX. cal. Januarii per manum Johannis diaconi sanctæ Romanæ eccles. P. signatoris D. Urbani, anno Domini M. LXXXVIII. pontific. ejusdem Urbani primo.

XIII.

Guillelmus dominus Montispessulani Gothofredo episcopo jurat fidem, qui ipsi restituit feudum S. Petri.

1090.

Audi tu, Gothofrede Magalonensis episcope, ego Guillelmus filius Ermengardæ, dominus Montispessulani, de ista hora inantea fidelis ero tibi, S. Petro, & ecclesiæ Magalonensi de omnibus quæ habet hodie ipsa ecclesia, & quæ ad ipsam communiam pertinent, & non tollam de ipsis causis, & de ipsa communia canonicis S. Petri qui hodie vivunt, vel inantea futuri sunt me sciente; & nesciens facerem intra duos menses captalmen, *ou rendray, ou rendre feray* plusquam si scirem. Et tibi Gothofredo Magalonensi episcopo, & catholicis successoribus tuis, & canonicis Magalonensibus fidelis ero, & me sciente tibi, Gothofrede episcope, non tollam aliquid, nec homo, nec fœmina per meum consilium, vel per meum consensum, sic Deus me adjuvet, & istæ reliquiæ sanctæ.

Postea Guillelmo petente ut episcopus illi daret feudum S. Petri; & quia propter malefacta, quæ episcopo & clericis fecerat, totius sui beneficii reatum incurrerat per judicium episcoporum Petri Aquensis archiepiscopi, & Hugonis Gratianopolitani episcopi, & Gothofredi Magalonensis episcopi, necnon & Pontii præpositi, & canonicorum Magalonensium, & Alcherii Lutovensis archidiaconi, & laicorum idem beneficium perdiderat; antequam daret ei, episcopus dixit ad eum, cognoscis tu quod melius beneficium habeas de me, & de S. Petro, quam de alio seniore, & cognoscis tu quod melius sis homo de S. Petro, & de me, quam de alio seniore? respondit Guillelmus, cognosco. Præterea dixit episcopus, refutas tu Deo, S. Petro, & mihi ecclesiam S. Mariæ de Montepessulano, cum omnibus ecclesiis, & ecclesiam de Montepesleyreto cum cœmeterio, & omnibus appenditiis, & allodio, & tertiam partem decimæ de omnibus ecclesiis ejusdem villæ, & duas tertias partes de feudis quæ tenuit Petrus Liecas de S. Petro extra vallatos Montispessulani? respondit Guillelmus, refuto. Tunc episcopus dedit ipsi Guillelmo integrum feudum antecessorum ipsius Guillelmi, quod habuerunt de S. Petro, præter ecclesiam S. Mariæ de Montepessulano, &c. Insuper ei condonavit episcopus omnes offensas, & hæc omnia dedit ei ea conditione, ut sibi non esset infidelis, ut hactenus fuit, & servitium debitum sibi non subtrahat, sicut antea fecit. Huic placito interfuerunt præpositus Pontius, & Bertrandus nepos, & Augerius archidiaconus, & Guillelmus Raimundi archidiaconus, & alii præterea laici, Guillelmus Ermengaudi, Guillelmus Arnaldi, Berengarius de Vallauques, & plures alii.

XIV.

Bulla Urbani II. pro confirmatione vitæ canonicæ in ecclesia Magalonensi institutæ.

Ad fidem manuscripti codicis emendata.

1095.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis Ocgerio archidiacono, Raimundo sacerdoti, & Deodato subdiacono, ceterisque in Magalonensi ecclesia canonicam vitam professis, eorumque successoribus in eadem religione victuris in perpetuum. Piæ voluntatis affectus prosequente debet studio confoveri, ut ecclesiastica utilitas apostolicæ sedis favore vires accipiat, & accrescat. Omnipotenti Domino, cujus melior est misericordia super vitas, gratias agimus, quia vos estis, qui sanctorum patrum vitam probabilem renovare proposuistis, & apostolicæ instituta doctrinæ primordiis ecclesiæ sanctæ inolita, sed crescente ecclesia jam pene deleta, instinctu sancti Spiritus

Spiritus suscitatis. Vestrum ergo votum, vestrum propositum nostri auctoritate officii confirmamus, & firmos vos in eo persistere adhortamur, & tanquam Deo exhortante per nos obsecramus. Quamobrem omnibus in vestro cœnobio vitam canonicam secundum beati Augustini regulam profitentibus, & in ea adjuvante Domino permanentibus, nos licet indigni apostolorum vicarii, eorum ac nostram benedictionem, peccatorumque absolutionem potestate illis a Domino indulta concedimus, constituentes ne cuiquam omnino liceat hunc vestri statum ordinis commutare. Statuimus etiam ne professionis canonicæ quispiam, postquam deifice super caput sibi hominem imposuerit, alicujus levitatis instinctu, vel districtioris religionis obtentu ex eodem claustro audeat sine præpositi totiusque congregationis permissione discedere: discedentem vero nullus abbatum, vel episcoporum, & nullus monachorum sine communi litterarum cautione suscipiat: præpositum autem, vel archidiaconum, seu cujuslibet dispensationis ecclesiasticæ ministrum, nisi quem suæ professionis communis electio fratrum regulariter viventium secundum Deum elegerit, vobis præferri auctoritate apostolica prohibemus. Quia vero nonnulli in vobis adhuc sunt qui necdum quidem vitam canonicam elegerunt, sed ipsi vos tanquam inter ultimos fraterna sustinent caritate, ipsos quidem ad propositum vestrum transire non cogimus, sed illis aut ad regularem vitam conversis, aut seculo emigrantibus eorum honores sive possessiones ecclesiasticas cum suis augmentis sive meliorationibus, & terras, quæ deinceps vestræ ecclesiæ datæ fuerint, in regularium fratrum possessionem cedere præsenti authoritate censemus, & nullum deinceps ibidem fieri vel ordinari canonicum, nisi qui se canonice victurum professus fuerit. Quidquid præterea confrater noster Godefridus vester episcopus in usum vestrum dedit, ecclesias videlicet de Villanova, de Montepessulano, de Gigeano, cum decimatione villæ Paderni, ecclesias S. Eulaliæ & Leocadiæ de Valle, S. Michaëlis de Monteilio, S. Johannis de Cucone, S. Marcelli de fratribus, S. Andreæ de Maurone, S. Petri de Monte-arbedone, S. Hilarii de Centranegis, S. Stephani de Bezanicis, S. Johannis de Vedace, S. Felicis de Veruna, S. Stephani de Pignano, S. Johannis de Buia, & S. Andreæ, & S. Dyonisii de Montepistellereto, S. Martini de Pruneto, omnes cum capellis, cum decimis, & oblationibus, & allodiis suis, & quæcumque deinceps dederit, nos vobis firme & integre permanere concedimus. Præcipimus etiam ne deinceps episcopo liceat sine vestro consilio aliquid, quod ad jus matris ecclesiæ pertineat, cuiquam vel monachorum, vel canonicorum in possessionem concedere, aliter vero acceptum irritum habeatur. Decedente episcopo, quæcumque ejus sunt sub vestra provisione permaneant, donec alter in ejus loco canonice subrogetur, quam subrogationem vestra potissimum volumus electione constitui. Ut autem opitulante Domino propositum vitæ canonicæ, quod cepistis, perseveranter & inviolabiliter teneatis, nos omnem immunitatem a sanctis canonibus & legibus generaliter ecclesiis decretam, omnem libertatem catholicorum principum, & præcipue Ludovici imperatoris præceptis ad Argimirum episcopum datis vestræ ecclesiæ singulariter impensam vobis vestrisque successoribus in canonicæ vitæ observatione mansuris præsentis decreti authoritate firmamus. Ad hæc adjicimus ut juxta Villam-novam, quæ vestræ facultatis est, in flexis insulæ nemini unquam liceat munitionem aliquam, quæ vobis vestrisque successoribus noceat, ædificare. Si quis in crastinum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps aut dux, comes aut vicecomes, judex aut persona quælibet secularis vel ecclesiastica hujus nostri decreti paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione condigna emendaverit, potestatis honorisque

sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum boni operis percipiat, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniat, amen, amen, amen. Datum Placentiæ per manum Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis pridie idus Maii ind. III. anno Dominicæ Incarnat. MXCV. pontificatus autem domini Urbani secundi pontificis anno 8.

XV.

Raimundus comes Melgoriensis Romanæ ecclesiæ concessum jam a patre comitatum confirmat.

1099.

NOtum sit omnibus quod Raimundus Melgoriensis comes propter naufragium & albergas, quas per vim in Villanova, & alibi in allodio sancti Petri contra testamentum patris sui accipiebat, a Gothofredo episcopo excommunicatus est, post quam excommunicationem episcopus ivit Romam, & non multo post comes Raimundus eum secutus est; cumque ambo ante dominum papam Urbanum II. adiissent, conquestus est episcopus de injuria quam sibi & ecclesiæ Raimundus comes injuste faciebat, de violatione testamenti patris sui super honorem, quem Petrus comes pater ejus per amorem Dei in allodium Domino Deo, & sancto Petro Romanæ sedis in perpetuum dederat. Tunc vero in præsentia cardinalium, Gothofredi Magalonensis episcopi, Bernardi archidiaconi, Pontii Dionysii, & Dalmatii de Castris guerpivit in manu domini Papæ juxta testamentum patris sui omnes ecclesiasticas res, & omnes albergas quas in honore sancti Petri exigebat, fecitque domino papæ hominium, & accepit comitatum suum per manum ejus, salvo testamento patris sui, promisitque se redditurum per singulos annos unam unciam auri Romano pontifici, ab Incarnatione Domini MXCIX.

XVI.

Insignis satisfactio ecclesiæ Magalonensi facta a Bernardo comite.

Circa 1129.

EGO BERNARDUS comes Melgoriensis pro redemptione animæ meæ, parentum meorum, & pro emendatione illius damni, quod tempore electionis Raimundi Magalonensis episcopi injuste eidem ecclesiæ Magalonensi intuli, dono, & cum hac charta concedo singulis annis semper in festivitate S. Mariæ medii Augusti optimum apparatum omnibus Magalonæ commorantibus, ut ego, & is qui post me castrum Melgorii tenebit, semper in prædicta eum faciat festivitate. Notum etiam fieri volo, quod pulmentum totius stagni, quod de Lezo veteri usque ad Amasionem excurrit, & in mare extenditur, & quidquid Pontius de Obillon, & ego, vel aliquis per nos in toto stagno amparavimus, quod per multum jam temporis Magalon. canonicos certum est tenuisse, arbitrio Pontii de Montelauro, Rostagni de Arzas, Berengarii Aycardi, Bertrandi monachi, & aliorum virorum integrum vobis præfatis canonicis restituo, & ut deinceps secure hoc totum faciam vos possidere, quandiu justitiam inde parati fueritis facere, firmiter promitto. Et ego Bernardus supra dictus comes Melgor. ab hac hora inantea omnem honorem Magalon. ecclesiæ, tam communiæ, quam episcopatus, prout melius potero, & justitia dictaverit, manu tenebo, & deffensor fidelis ero & adjutor, sic Deus me adjuvet & hæc sancta Dei evangelia. Et ego Raimundus Magalon. episcop. & ego G. archidiaconus, & ego Eleazarus, & ego

Petrus de Centrayranicis communiæ procuratores tibi Bernardo comiti Melgoriensi promittimus, quod de tua justitia secundum Deum salvo ordine nostro manu tenebimus. Hoc totum laudavit, & confirmavit Guillelma comitissa uxor Bernardi comitis. Termini hujus stagni sunt a Lezo veteri ad Folzerats.

XVII.

Statuta a Raimundo Magalonensi episcopo condita pro domo Leprosorum in ponte Castelli-novi.

Circa ann. 1138.

DEcretum venerabilis Raimundi Magalon. episc. & D. Johannis S. Firmini archipresbyteri, & dom. Guillelmi de Montepessulano, & dominæ Ermesendæ ejusdem Guillelmi aviæ, quod in perpetuum in domo infirmorum de ponte Castelli-novi servetur. Si misellus vel misella, leprosus vel leprosa recipi in domo voluerit, primum se dare Deo, & servire, & obedientiam administratoribus promittat. Si dicit nullam velle promittere obedientiam, non recipiatur; si promisit, & pecuniam, quam sibi attulit, administratoribus dedit, per novem dies servetur, & in decimo die coram fratribus omnibus vocetur, & interrogetur : si conversatio eorum ei placuit, maneat usque ad mortem; si vero conversatio loci non placuit, pecunia sua ei reddatur, & exeat. Nolite fieri fornicatores, neque controversi, neque fures, neque maledicti, neque rapaces, neque adulatores, neque inter vos discordiam habeatis. De horis ecclesiæ ista observare debetis. Quando fratres, vel sorores signum campanæ sonare audierint, cito surgant, & ad ecclesiam pergant cum silentio eundo & redeundo, & in ecclesia Domino pro universis beneficiis suis gratias reddant, & pro eorum benefactoribus, ut Dominus eorum peccata solvat, assidue preces fundant, & finitis missarum solemniis ordinate unusquisque ad suam cellulam redeat : si vero aliquis, vel aliqua infirmetur, & ad ecclesiam venire non poterit, pœnitentiam quam ei sacerdos injunxerit faciat, & pro mortuo aliquo cujus eleemosynam acceperit, tredecim *pater noster* dicat, & similiter singulis diebus septem psalmos pœnitentiales, & in obitum alicujus fratris psalterium legant. Post refectionem omnes ad ecclesiam Domino gratias agendo veniant, & postea cum silentio dormitum æstivo tempore eant; postquam vero de dormitione surrexerint, Domino gratias reddant, & sine discursione vel peccato diem peragant. Si hæc mandata prædicta, fratres charissimi, cum bona voluntate observaveritis, remissionem omnium peccatorum vestrorum, & vitam æternam de Domino Jesu Christo habebitis, & insuper abundantiam omnium bonorum, & gratiam, & amicitiam ab omnibus qui hæc audierint, amen.

XVIII.

Ex tabul. Anianensi.

Transactio inter Petrum Ananiæ abbatem & Petrum Raimundi.

1138.

R Magalonensis ecclesiæ servus, universis S. ecclesiæ filiis, &c. Pastoralis officii cura nos admonet & discordes ad unitatis concordiam sollicite revocare, &c. Eapropter karissimi...... universitati vestræ insinuandum duximus, quod inter Petrum Anianensem abbatem & Petrum Raimundi super cella S. Mariæ quam idem Petrus Raimundi in valle quæ dicitur Crosa edificaverat, controversia gravis dudum emersit, quæ & per omnipotentis Dei gratiam nostra, prout decuit, instantia fine tandem debito conquievit. Competenti etenim die constituto & loco nobiscum una consedentibus ecclesiæ nostræ Arnaldo atque Poncio archidiaconis, &c. rem investigare diligentius cepimus. Tunc Anianenses litis hujusmodi exordium proponentes, dicebant intra antiquos monasterii sui terminos ecclesiam jam dictam consistere, & quoniam in alieno solo præter domini voluntatem non licuit aliquatenus edificare, suo ecclesiam juri asseverabant, &c. Ad hæc Petrus Raimundi ex adverso contendens aiebat solum unde tunc agebatur antiqui condam juris Bernardi Raimundi fuisse, &c. nos denique utilitati partium consulentes...... Willelmo de Montepessulano, qui tunc Petri Raimundi tuebatur partem, assumto, aliisque sapientibus viris, qui ad causam utrique consulendam forte convenerant, nobiscum simul ascitis, hunc pacis concordieque tenorem ...... præfiximus, quatenus & monasterium Anianense a fratribus in ecclesia S. Mariæ de Valle-crosa cohabitantibus nullam, quod absit, inquietudinis aliquando molestiam sentiant, fratres vero qui in ecclesia illa in quolibet religionis habitu sub nostra & ecclesiæ Magalonensis obedientia, quam nobis jam utique promiserunt, Deo militare decreverint, in hac nostræ constitutionis serie & vivendi modum habeant, & quibus contenti famulatus sui Deo obsequium reddant in ea plenius legendo cognoscant. Auctoritate itaque qua Deo præsidemus auctore, præcipimus........ quatenus collegium vestrum, fili in Christo karissime Petre Raimundi, abhinc & deinceps septenarium aliquando numerum non excedat, possessionem ecclesiasticam seu secularem extra prædictæ vallis terminos nullatenus habeat, pecus vero cum pecudem preter centum seu oves sive capras, & unum asinum sive mulum, & murilegos, & canes vobis alicubi habere non liceat. Personam laicam sive ecclesiasticam conversionis obtentu absque nostra successorumve nostrorum licentia nulla unquam suscipere ratione quisquam ibi præsumat : baptisandi quoque vel visitandi, sive etiam sepulture obsequium, aut penitentiæ munus, nisi forte in invicem, inibi exibere illicita ductus temeritate nullus attentet : oblationes præterea, decimas, & primicias, seu quidquid juris ecclesiastici, quæ juxta canonum statuta non nisi baptismalibus absque ecclesiastica permissione debentur ecclesiis, temerario quolibet ausu nemo ex collegio vestro contingere quisquam presumat, &c. Actum est hoc anno MCXXXVIII.

XIX.

Raimundi episc. Magalonensis cum capitulo causa capitulo adjudicatur.

1152.

RAIMUNDUM inter & Capitulum orta lis, quod in Marianam Monspeliensem ædem, Monspelieretі decimas, moletrinas Lataranenses, jus item panis & vini, aliaque in S. Stephani Villanovani parochia sibi præsul arrogaret, per arbitrarios judices composita est, Petrum archiepisc. Narbonensem, & Petrum Raimundum episcopum Lutovensem. Statutum nunc est, ut ecclesiam S. Mariæ de Montepessulano liberam per omnia, salva reverentia episcopali, Magalonenses canonici habeant, decimas de Montepeylereto, quas dictus episcopus a Bernardo Aranfredi emerat, similiter canonici habeant, redditis eidem episcopo mille solidis, quos pro hac decima dederat : præterea decimas molendinorum de Palude, sicut in instrumento compositionis inter Guillelmum dominum de Montepessulano, Magalonenses canonicos, & Raimundum episcopum continetur : decimas denique de pane, & vino, quas in parochia S. Stephani de Villanova recolligit idem episcopus, præfati canonici habeant : quæ omnia inviolabiliter se observaturum promisit Raimundus anno MCLII.

XX.

Bulla Anastasii IV. pro ecclesia Magalonensi.

1153. ANASTASIUS servus servorum Dei, venerabili fratri Raimundo Magalon. episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum salutem & apostolicam benedictionem. In eminenti apostolicæ sedis specula disponente Domino constituti, ex injuncto nobis officio fratres nostros episcopos tam vicinos quam longe positos debemus diligere, & ecclesiis sibi a Deo commissis suam justitiam observare. Eapropter, dilecte in Christo frater episcope, tuis justis petitionibus gratum impertientes assensum, præfatam Magalon. ecclesiam, cui Deo authore præesse dignosceris, ad exemplar predecessoris nostri bone memoriæ Urbani II. sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus statuentes, ut quascunque possessiones, & quæcunque bona eadem in præsenti juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, & per vos eidem ecclesiæ illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ipsam eandem Magalonensem ecclesiam canonice regendam, & disponendam tibi, tuisque successoribus confirmamus, atque ecclesiam S. Baudilii de Montesevo, & universa quæ ad Magalon. episcopum, seu ad fratrum ibi degentium communiam juste pertinere noscuntur. Præterea ejusdem prædecessoris nostri vestigia sequentes, Melgorii comitatus curam vobis injungimus, & vos censum annuum ab illis, qui per manum Romani pontificis tenentur, exigatis, & si comitum, & ipsius comitatus hæredum successio defierit, nostra, nostrorumque successorum vice comitatum ipsum regendo disponatis. Decernimus ergo, &c. Datum Laterani per manum Rolandi sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii IV. idus Decemb. indict. II. anno Incarnat. Domini MCLIII. pontificatus vero D. Anastasii papæ IV. anno primo.

XXI.

Diploma Ludovici VII. pro ecclesia Magalonensi.

1155. LUDOVICUS Dei ordinante providentia Francorum imperator Augustus, Raimundo episcopo Magalon. ejusque successoribus, & ejusdem ecclesiæ sancto conventui in perpetuum. Si erga loca divinis cultibus mancipata ad largiendum & defendendum benignos nos exhibeamus, præmium nobis æternæ remunerationis ab authore omnium Deo rependi non diffidimus. Eapropter, dilecte in Domino Raimunde Magalon. episcope, tuis justis postulationibus gratum impertientes assensum, præfatam Magalon. ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, ad exemplar prædecessoris nostri bonæ memoriæ Ludovici serenissimi Regis sub protectionis nostræ munimine suscipimus, statuentes, ut quæcunque bona eadem ecclesia prædecessorum nostrorum largitione, sive alio justo titulo juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, & per vos eidem ecclesiæ permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Totam insulam, in qua ipsa ecclesia sita est, cum suis pertinentiis, & quidquid in mari, vel in stagnis eadem ecclesia juste possidere videtur, hoc est in mari piscationes suas, & ubicunque in Sustantionensi comitatu portus, qui dicitur Gradus, aperiatur, in omnibus reditibus, qui inde provenerint medietatem, & in stagno piscationes suas & pulmentum. Præterea eidem ecclesiæ concedimus, & tibi Raimundo episcopo castrum de Villanova cum omnibus pertinentiis suis, castrum de Gigeano cum omnibus ad idem castrum pertinentibus, villam de Bezanicis, du Terral, & Montempessulanetum, villam de Agusanicis, de Agantico, de Vico, totum castrum de Veruna cum omnibus pertinentiis suis, & feudum quod tenet Guillelmus de Montepessulano, Montempessulanum utique, & castrum de Palude, & universa quæ ad Magalon. episcopatum, seu ad fratrum ibi degentium communiam pertinere noscuntur. Adjicimus etiam, ut nullus comes, nullus princeps, nulla alia laïca potestas in clericis totius Magalon. episcopatus, aut in aliis ejusdem ecclesiæ locis, sive in locis ad eandem ecclesiam pertinentibus justitias, albergas, toltas, questas, sive aliquas alias injustas exactiones post hujus nostri decreti rescriptum temerario ausu accipere præsumat. De cetero teneat omnis notitia, quod Magalon. ecclesiæ, & tibi Raimundo ejusdem sedis episcopo, ac successoribus tuis ea quæ superius memorata sunt perpetuo possidenda laudamus, & insuper villam sancti Dionysii, villam S. Bricii, & in episcopatu Biterrensi villam de Pineto, & in territorio Sustantionensi honorem de Roveto cum toto terminio suo, & cum omnibus ad eundem honorem pertinentibus, tali rationis edicto, ut nulli unquam homini liceat in his locis, sive in alio S. Petri de Magalona honore justitias, vel alias exactiones exigere, nisi tibi, & successoribus tuis. Adhuc etiam donamus vobis villam de Exindrio, villam de Amansione, villam de Maurino, de Cocone cum omnibus pertinentiis suis, sicut sunt de terminio castri de Villanova. Hæc omnia concessit Ludovicus rex Francorum Raimundo Magalonensi episcopo, & Magalonæ capitulo apud Arxatium anno Dominicæ Incarnationis MCLV. 8. Februarii.

XXII.

Diploma Ludovici VII. Francorum regis pro ecclesia Magalonensi.

1156. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus Dei ordinante providentia Francorum rex, Raimundo Magalonensis eccles. episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis, & ejus ecclesiæ sancto conventui in perpetuum. Si erga loca divinis cultibus mancipata ad largiendum & defendendum benignos nos exhibemus, præmium nobis æternæ remunerationis ab auctore omnium Deo rependi non diffidimus. Eapropter, dilecte in Domino Raimunde Magalonensis episcope, tuis justis postulationibus gratum impertientes assensum, præfatam Magalon. ecclesiam, & omnia quæ ad eamdem ecclesiam pertinere noscuntur, cui Deo auctore præesse dinosceris, ad exemplar prædecessoris nostri illustris memoriæ Ludovici serenissimi regis sub protectionis nostræ munimine suscipimus, & præsentis pagine privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quecunque bona eadem ecclesia favente Domino in præsenti predecessorum nostrorum largitione, sive alio justo titulo juste & canonice possidet, aut in futurum largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, concessione pontificum, seu justis aliis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi & per te eidem Magalonensi ecclesiæ illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: totam videlicet insulam, in qua ipsa Magalonensis ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, & insulam de Escluone, & quicquid in mari vel in stagno eadem ecclesia juste possidere videtur, hoc est in mari piscationes suas, & ubicunque in Magalonensi comitatu, & Magalonensi episcopatu, portus qui dicitur Gradus, aperiatur in omnibus redditibus qui inde provenerint medietatem,

& in stagno piscationes similiter suas, pulmentum, & decimas, & cepes, si alicubi in stagno Magalon. ecclesiæ eas facere voluerit. Præterea prædecessorum nostrorum vestigia sequentes, jam dictæ ecclesiæ, & tibi Raimundo episcopo præsentis privilegii scripto perpetuo possidenda concedimus castrum quod dicitur de Villanova cum appendiciis suis, villam de Exindrio, villam de Amasone, villam de Maurino, villam de Cocone cum pertinentiis suis, sicut sunt de terminio castri Villenove, castrum de Gigeano cum parochia sua, & mansum de villa Patornoga, & villam de Vico cum pertinentiis suis, castrum de Veruna totum cum pertinentiis suis, villam de Bezanicis, villam de Terallet cum omnibus pertinentiis, villam de Aguzanicis, villam sancti Desiderii, mansum de Vivers cum pertinentiis suis, villam quoque de Agantico cum pertinentiis suis, villam S. Michaëlis de Cadierra, villam S. Martini de Saltairanicis cum parochiis, mansum de Aquis-vivis cum omni tenedone illius feudi, totum honorem de Boiset, villam de Pruneto in episcopatu Biterrensi, feudum de Lainano cum pertinentiis suis, villam S. Sebastiani de Marojol cum pertinentiis suis, & si castrum vel aliquam munitionem per te vel per alium ibi facere volueris, liceat tibi & successoribus tuis de nostra concessione absque omnium contradictione. Adhuc etiam concedimus tibi & Magalonensi ecclesiæ totum honorem de Roveto cum omnibus pertinentiis suis, villam S. Jacobi de Pratis, villam de Jocone, villam S. Dionysii, villam S. Bricii totam cum pertinentiis suis, Montempessulanetum totum cum omnibus adjacentiis suis, feudum domini Montispessulani, Montempessulanum utique cum parochia sua, & castrum de Palude cum toto terminio suo, villam de Suregio cum parochia sua, & totum feudum quod habet in eadem parochia & in parochia de Centrayranicis reverendus Guillelmus de Piniaco, vel aliquis per eum. Hæc, inquam, omnia tibi & successoribus tuis in pace possidenda concedimus, & universa quæ ad Magalonensem episcopatum, seu ad fratrum ibid. degentium communiam juste pertinere noscuntur. Per hujus quoque nostri rescripti paginam confirmantes sancimus, ut nullus comes, nullus princeps, nulla alia laïca potestas in clericis totius Magalon. episcopatus aut in aliis ejusdem ecclesiæ hominibus, sive in locis ad eandem ecclesiam pertinentibus, justicias, albergas, toltas, quistas, sive aliquas alias injustas exactiones post hujus nostri decreti dationem temerario ausu accipere præsumat, salva tamen nobis & successoribus nostris regia auctoritate. Ad hæc in æternum valitura statuentes adjicimus, ut Magalonensem ecclesiam in quantum ad nos spectat, nulli unquam personæ, nulli loco concedere possimus, & eam semper nos & successores nostri ad regni nostri coronam nobis inconvulse conservabimus. Et ut hæc nostri edicti sive præceptionis auctoritas nostris futurisque temporibus inconvulsam atque inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter roborantes, sigilli nostri impressione insigniri præcepimus. Actum publice Parisius anno ab Incarnat. MCLVI. & regni nostri XX. adstantibus in palatio nostro quorum subtitulata sunt nomina & signa. Sig. comitis Blesensis Theobaldi dapiferi nostri. S. Guidonis buticularii. S. Mathæi camerarii. S. Mathæi constabularii. S. Ludovici serenissimi regis. Data per manum Ugonis cancellarii.

XXIII.

Ex archiv. Magalon.

Epistola Alexandri III. ad Johannem de Montelauro episcopum Magalonensem.

Circa 1167.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Johanni episcopo Magalonensi salutem & apostolicam benedictionem. Fratres & coepiscopos nostros, quanto Domino intuitu collati sibi ministerii, officii & dignitatis propinquiores existunt, tanto sinceriori caritate diligere, & amplius eorum honori & incremento attenta nos convenit sollicitudine aspirare. Volentes itaque tamquam venerabili fratri nostro jus & dignitatem tuam integre conservare, apostolica auctoritate statuimus, ut cum aliquis adversus præpositum, vel capitulum, seu quemlibet canonicum ecclesiæ tuæ civilem causam habuerit, ad discussionis tuæ examen referatur, & coram te tamquam episcopo suo & ordinario judice tractetur & definiatur. Si vero de criminali quæstio mota fuerit, coram te & capitulo ventiletur, & debitum sortiatur effectum. Tibi quoque liceat canonicorum tuorum excessus in capitulo secundum beati Augustini regulam corrigere & emendare. Decernimus præterea & præsenti auctoritate sancimus, ut præpositus ecclesiæ tuæ semel vel bis in anno de injuncta sibi administratione in capitulo in tua & fratrum tuorum præsentia rationem reddere compellatur, & nulla subsit ei facultas de rebus immobilibus sine tuo & sanioris partis capituli consensu quodcunque in detrimentum ecclesiæ alienare; & si quid ex hiis jam alienavit, aut imposterum alienaverit, tu & capitulum tuum id legitime revocandi facultatem liberam habeatis. Datum Beneventi III. idus Decembris pontificatus nostri anno 8.

XXIV.

Ex chartar. eccl. Magal.

Alexandri III. ad Johannem de Montelauro episcopum Magalonensem epistola.

Circa 1168.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... Magalonensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Cum ecclesia tibi commissa filiali te affectione nutrierit, & in tantum etiam exaltaverit, quod te patrem sibi constituerit & pastorem, vehementer miramur, quod adversus eam ita durus & asper videris, & jura ejus in tantum deprimere & annihilare conaris, tamquam si in nullo ei plusquam extraneus tenereris. Audivimus enim quod contra ejusdem ecclesiæ institutionem, & præter id quod prædecessores tui soliti sunt, capellanum sæcularem in camera tua Magalonensi ad mensam tenere præsumis, & scutiferos, ac cursores diceris tecum habere, & a vestiario ultra id quod antecessores tui habere debuerunt exigere non vereris. Unde quoniam dignum omnino non videtur, ut tu, qui de religione assumtus fuisti, inter fratres tuos capellanos habere sæculares ac tenere præsumas, præsertim cum episcopi a sæculo venientes in ecclesiis, ad quas vocati fuerunt, non soleant capellanos mutare: fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus capellanos, scutiferos, vel cursores extraneos tecum in ecclesia præscripta tenere de cetero nulla ratione attentes; sed sicut institutum est, & a prædecessoribus tuis tam de vestiario, quam de aliis hactenus observatum, ita & tu sine omni contradictione observes. Si autem te non ita debere proponis, volumus ut in præsentia venerabilium fratrum nostrorum Nemausensis & Biterrensis episcoporum, & dilecti filii nostri abbatis S. Egidii plenius cognoscatur. Quocirca fraternitati tuæ præsentium auctoritate injungimus, ut cum ab eis propter hoc fueris evocatus, illorum præsentiam adeas, & quod inter vos exinde judicaverint, omni occasione & appellatione cessante suscipias firmiter, & observes. Datum Beneventi XVIII. cal. Junii.

XXV.

Johannes Magalonensis episc. statuit ne canonicus extraneus in collegium Magalonense admittatur.

1169. SUnt quidam diversarum congregationum canonici, qui quamvis idem canonicorum nomen possideant, diversos tamen nonnunquam mores, atque consuetudines sibi vendicare satagunt, & quod nos in nostro ordine custodimus pretiosum, illi aliquando aliis comparatum sacramentis rejiciunt : ac ideo ne nostrorum excessus juvenum, ut solet fieri, toti nostro imputetur conventui, & ne sancta nostra coram posita vilescere incipiant, ex nostra antiqua consuetudine tenendum atque fideliter custodiendum præcipimus, quod D. Gothofredus, & Galterus, & prædecessor noster Raimundus Magalonenses episcopi sanxerunt, ac inconcusse tenendum in perpetuum statuerunt : statuentes hoc namque idem confirmamus, atque ex auctoritate Dei omnipotentis, & apostolorum Petri & Pauli prohibemus, ita ut quicumque contra hoc præceptum ire tentaverit, vinculo anathematis se noverit ligatum : videlicet ne aliqui canonicorum externorum cujuscunque congregationis ad secreta nostri capituli, vel ad studium claustri, seu ad quietem dormitorii aliqua ratione admittantur, præter quam S. Ruffi, & S. Mariæ de Cassiano, & Mimatensis, Uticensis, & Asprensis ecclesiæ, quos a nullis secludimus, in quibus omnes nostros admittimus canonicos. Factum est anno MCLXIX. indict. II. cum voluntate & assensu generalis capituli in natali apostolorum Petri & Pauli, præsidente Johanne de Montelauro Magalonensi episcopo, simulque præsentibus Fulcrando præposito, & Guillelmo de Campo priore, atque archidiaconibus Petro Bertolt, Guillelmo de Rovereto, Guillelmo de Sobeyran.

XXVI.

Diploma Ludovici VII. pro ecclesia Magalonensi.

1179. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Prompto animo regia liberalitas nostra debet admittere quod ad coronæ incrementum noscitur attinere. Noverint itaque universi præsentes pariter & futuri, quod ad petitionem dilecti nostri fidelis Johannis episcopi Magalon. eidem benigne concessimus, quatenus ipsi, & universis ejusdem successoribus liceat in locis, quæ de nobis tenet prædictus episcopus, nundinas, & mercata facere temporibus illis, quæ sibi ad hoc competentiora elegerint, & in eis consuetudines illas, quas domini nundinarum & mercatorum in eis solent accipere, auctoritate regia plenarie accipiant. Loca vero sunt hæc, castrum Villanovæ, & castrum de Gigeano cum suis adjacentibus. Præterea decernimus quod nisi in locis, quæ de nobis tenent, justitias cum integritate habeant & exerceant. Adhuc scimus & recognoscimus quod præfatus Johannes Magalon. episcopus castrum Villanovæ cum omnibus quæ sunt in ejus terminio a nobis possidet & tenet : ideoque præcipimus, ut quicunque in hoc castro aliquid possident, vel in omni terminio ejus, quia omnia sunt regalia nostra, Johanni episcopo & successoribus ejus nomine prædictorum obsecundent, ut in omnibus, & per omnia fidele servitium satagant exhibere. Quæ omnia ut perpetuam stabilitatem obtineant, præsentem cartam sigilli nostri auctoritate, & regii nominis caractere subtus annotato jussimus communiri. Actum apud Novam-villam in episcopatu Bellovacensi anno 1179. astantibus in palatio nostro quorum nomina subposita sunt & signa. Signum comitis Theobaldi dapiferi nostri, Guidonis buticularii, Raginaudi camerarii, Rodulphi constabularii. Data per manum Hugonis cancellarii.

XXVII.

Lucius III. quasdam ecclesias confirmat Johanni Magalonensi episcopo.

1184. LUCIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Johanni, Magalonensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Pervenit ad nos quod episcopatus tuus ex parte magna sit prædonum incursione vastatus, unde cum quarumdam ecclesiarum ad jus episcopale pertinentium presbyteri sint defuncti, eas tibi specialius reservasti, exposcens illas tibi a sede apostolica confirmari. Eapropter tuis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam S. Genesii de Gigeano, S. Andreæ de Cucullo, S. Michaelis de Mujulano, S. Michaëlis de Aguzanicis, ecclesiam de Cazillaco, & S. Petri de Agantico, sicut eas rationabiliter, & sine controversia possides, personæ tuæ authoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Veletri IX. calend. Februar. pontificatus tertio.

XXVIII.

Institutio ordinis Hospitalariorum S. Spiritus Montispessulani.

Ex veteri codice Augustinianorum.

Circa 1194. * forte MCXCIV.

AN. MCXLIV.* insignem congregationem canonicorum Regularium sub regula S. Augustini excitavit hisce annis in eadem Gallia Guido Monspessulanus titulo S. Spiritus Hospitalariorum, quibus infirmos commisit, ut iisdem tum temporalia, tum spiritualia subministrarent : in quem finem voluit, ut a cæteris secernerentur huic pietati destinati ; ut cruce alba duplici ligno transversa in pectore insignirentur, quo signo illis caritas & Christi, & proximi infigeretur. Huic congregationi locum, & officium idem dedit Romæ in Saxia ad S. Spiritum Innocentius tertius, ædificato Hospitali amplissimo, ubi nonnunquam mille quingenti infirmi curantur ; ubi orphani, & expositi utriusque sexus parvuli educantur ; ubi nobilibus, ignobilibus, infirmis, & sanis ad necessitatem providetur ex mediis hospitalis, quæ opulentissima sunt ad invidiam exempli, &c.

XXIX.

Dedicatio ecclesiæ S. Crucis Monspeliensis.

1200. ANno Dominicæ Incarnat. MCC. nonis Novembris, præsidente & mandante D. Johanne de sancto Paulo tit. S. Priscæ presbytero cardinale, apostolicæ sedis legato, a D. Imberto Arelatensi archiepiscopo consecratum est templum in honorem sanctæ & gloriosæ virginis Mariæ, & vivificæ Crucis, & omnium Sanctorum, assistentibus & cooperantibus præfato D. cardinali, D. G. Magalonensi, D. R. Agathensi, D. G. Biterrensi, D. Artoldo Elnensi, & D. G. Uticensi episcopis. Et constitutum est ex consensu D. cardinalis & omnium prædictorum, ut quicunque anniversario ejusdem dedicationis devote convenerint, de injuncta sibi pœnitentia duodecim dierum veniam consequantur.

XXX.

Innocentius III. domestico Guillelmi Monspeliensis sacello privilegia concedit.

1201. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Guillelmo Montispessulani domino salutem & apostolicam benedictionem. Monet & movet nos tuæ devotionis sinceritas, & sollicitudo continua qua, sicut accepimus, serves in operibus pietatis, ut in his quæ Dei sunt favorem tibi apostolicum non denegemus. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus inclinati capellam, quam in domo tua inclitæ recordationis progenitorum tuorum

devotione fundatam in pluribus ampliasti, cum omnibus bonis, quæ nunc rationabiliter possides, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus, auctoritate præsentium indulgentes, ut cum generale interdictum terræ tuæ fuerit, liceat capellanis ipsius, dum tamen ipsi excommunicati, aut interdicti non fuerint, clausis januis, exclusis excommunicatis, & te quoque, si te forsan, quod absit, excommunicari contingat, non pulsatis campanis, suppressa voce officia celebrare divina. Datum Signiæ pontific. nostri an. 4.

XXXI.

Innocentius III. confirmat compositionem factam inter regem Aragonum & populum Monspeliensem.

1208.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis consulibus & populo Montispessulani salutem & apostolicam benedictionem. Cum illius locum licet immeriti teneamus in terris, qui discordias detestatur, ne in iis quæ pro bono pacis facta noscuntur, quæstionis scrupulus, vel fomes discordiæ valeat suboriri, apostolica debet circunspectio providere. Eapropter, dilecti filii, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem inter vos, & carissimum filium nostrum regem Aragonium per venerabilem fratrem nostrum Magalon. episcopum super controversiis, guerris, & dissensionibus rationabiliter intellexi, & quia sine pravitate facta est, & ab utraque parte sponte recepta, interposito juramento, ut in vestris, & ejusdem Regis authenticis litteris plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Laterani idib. Aprilis pontificatus nostri anno X.

XXXII.

Diploma Philippi Francorum regis pro ecclesia Magalonensi.

1208.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes & futuri, quod sicut ex authentico piæ recordationis genitoris nostri regis Ludovici cognovimus, ipse ad instantiam J. quondam Magalon. episcopi, ac divinæ caritatis intuitu Magalonensem ecclesiam, cum iis quæ ad ipsam pertinere noscuntur, ad exemplar prædecessoris sui venerandæ memoriæ Ludovici serenissimi regis sub regiæ protectionis munimine suscepit, & sui privilegii auctoritate communivit: statuens ut quascumque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in tempore ejusdem patris nostri prædecessorum ipsius largitione, sive alio justo titulo juste & canonice possidebat, aut in futurum largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, aut concessione pontificum, seu justis aliis modis Deo propitio posset adipisci, eidem episcopo J. & dictæ ecclesiæ Magalon. illibata permaneant, in quibus hæc propriis vocabulis duxit exprimenda. Totam videlicet insulam, in qua ipsa Magalon. ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, & insulam de Escluone, & quicquid in mari vel in stagno eadem ecclesia juste possidere videbatur, hoc est in mari piscationes suas, & ubicumque in Melgoriensi comitatu, & Magalon. episcopatu portus, qui dicitur Gradus, aperiatur, in omnibus redditibus qui inde proveniunt medietatem, & in stagno similiter piscationes suas, pulmentum, decimas, & cepes, si alicubi in stagno Magalon. ecclesiæ eas facere voluerit. Præterea prædecessorum suorum vestigia sequens jam dictæ ecclesiæ perpetuo possidenda concessit castrum quod dicitur Villanova cum omnibus appenditiis suis, villam de Exindrio, villam de Amason, villam de Maurino, villam de Cocone cum pertinentiis suis sicut fuerunt de terminio castri Villænovæ, castrum de Ginhano cum parochia sua, & mansum de villa Patornoga, & villam de Vico cum pertinentiis suis, castrum de Veiruna totum cum omnibus pertinentiis suis, villam de Bezanicis, villam de Terrallet cum omnibus pertinentiis suis, villam de Aguztanicis, villam S. Desiderii, mansum de Vivers cum pertinentiis suis, villam quoque de Agantico cum pertinentiis suis, villam S. Michaëlis de Cadierra, villam S. Martini de Saltairanicis cum parochiis suis, mansum de Aquis-vivis cum omni tenedone illius feudi, totum honorem de Boisset, villam de Pruneto in episcopatu Biterrensi, feudum de Lainano cum pertinentiis suis, & si castrum vel munitionem aliquam dictus J. episcopus per se vel per alium in suprascriptis locis, vel in alio aliquo loco sui juris, vel ecclesiæ Magalon. vel feudalium ad ipsum, vel ad eandem ecclesiam pertinentium in toto episcopatu Magalon. facere voluisset, licitum esset ei & successoribus suis de regia concessione sine alterius contradictione. Adhuc etiam concessit eidem J. & Magalon. ecclesiæ authoritatem faciendi gradum ubi ei visum fuisset in episcopatu Magalon. salvo eo quod spectat ad comitem de redditibus gradus, & salvo eo quod concessit prædicto J. & Magalon. ecclesiæ, villam S. Sebastiani de Marojol cum pertinentiis suis, & totum honorem de Rovet cum pertinentiis suis, villam S. Jacobi de Pratis, villam de Jocone, villam S. Dionysii, villam S. Bricii totam cum pertinentiis suis, Montempessulanetum totum cum adjacentiis suis, feudum domini Montispessulani, Montempessulanum utique cum parochia sua, & castrum de Palude cum toto termino suo, villam de Suregio cum parochia sua, & totum feudum quod habebat in eadem parochia & in parochia de Centrairanicis R. Guillelmus de Piniaco, vel aliquis per eum: hæc, inquam, omnia dicto J. & successoribus suis in pace possidenda concessit, & universa quæ ad Magalon. episcopatum, sive ad fratrum ibidem degentium communiam juste pertinere noscuntur. Præterea concessit eisdem ut exercerent justitias tam in civilibus, quam in criminalibus causis authoritate regia in omnibus castris & villis suis absque omni contradictione; & hoc idem concessit baronibus & castellanis ipsorum per eos in castris & villis suis, videlicet G. de Montepessulano, R. P. de Agantico, P. de Veruna, D. de Vico, & si qui fuerint alii. Per ipsius quoque privilegii sui paginam sanciendo decrevit, ut nullus comes, nullus princeps, nulla alia laica potestas in clericis totius Magalon. episcopatus, aut in aliis ejusdem ecclesiæ hominibus, sive in locis ad eandem ecclesiam pertinentibus justitias, albergas, toltas, quistas, sive alias quascumque injustas exactiones post hujus decreti sui dationem temerario ausu accipere præsumeret, salva tamen ei & successoribus suis regia auctoritate. Ad hæc in æternum valitura statuens adjecit, ut Magalonensem ecclesiam & omnia supra scripta ad eandem pertinentia, in quantum ad Regiam spectabat majestatem, nulli unquam personæ, nulli loco concedere posset, sed ea semper ipse & successores sui ad regni Franciæ coronam sibi inconcusse servarent. Nos ergo ejusdem patris nostri pio affectu vestigiis inhærentes, pro salute animæ nostræ, & omnium prædecessorum nostrorum concessionem præscriptam, & confirmationem omnium suprascriptorum ab eodem patre nostro factam, sicut superius expressum est, ad petitionem fidelis nostri G. de Altiniaco venerabilis Magalon. episcopi ratam in perpetuum habemus & firmam, & ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, sigilli nostri authoritate, & regii nominis caractere inferius annotato, salvo in omnibus nostræ regiæ dignitatis jure, præsentem paginam confirmavimus. Actum apud Monsterolium Bellaii anno Incarnat. MCCVIII. regni nostri 29.

XXXIII.

Formula electionis consulum Monspelii.

1210. IN nomine Jesu Christi. Noscant præsentes, sciantque futuri, quod eæ conventiones factæ sunt inter dominum Guillelmum Magalon. episcopum & duodecim consules Montispellerii confirmatæ a legatis domini papæ. Cum tempus electionis duodecim consulum Monspellerii evenerit, auctore Jesu Christo, puris electorum mentibus, sinceroque omnium judicio eorum electio & institutio in uno quoque anno fiat in perpetuum III. calendis Martii. Ita quod electi consules incipiant regere & administrare in Annunciatione Dominica, quæ electio & institutio fiat hoc modo. Venerabilis Magalon. sedis episcopus, ad quem cura populi spiritualis pertinet, & superior temporalis dominatio indubitanter spectat, & tunc duodecim existentes consules, coadunatis sibi in eadem electione facienda septem aliis viris, uno videlicet de una quaque scala, eligent duodecim viros de Montepellerio laude & honestate præclaros, præstito tamen prius a præfatis electoribus sacramento super sancta Dei evangelia in manu domini episcopi, factaque promissione in bona fide requisita ab ipso episcopo quod bonos, & legales, & utiles consules, secundum quod melius eis videbitur, bona fide eligant, nec aliquem odio vel inimicitia excludant, nec amore vel parentela aliquem in hoc officio & administratione eligant. Si vero in electione prædicta omnes insimul non convenirent, ejus partis electio firma consistat, cui dominus episcopus assensum suum attribuerit: dummodo tamen in ea parte ad minus septem, & decem, & novem electis affecerint.* Si autem dicto tempore electionis dominus Magalon. episcopus absens extra provinciam fuerit, vel vocatus ipse, vel ejus vicarius adesse noluerit, tunc electio a duodecim consulibus, & septem viris prædictis, vel a majori parte ipsorum decem & novem electorum facta, valida firmitate, & irretractabiliter* existat. Qui duodecim consules de novo electi jurabunt in manu D. episcopi, vel eo absente, ejus vicarii super sancta Dei evangelia; vel ipsis absentibus, & interesse nolentibus, in manu consulum vice episcopi recipientium, quod bona fide consulant, & utiliter provideant toti communitati Montispellerii, & eam fideliter regant & gubernent, & statuta consulatus observent, & similiter quod bona fide consulant domino & bajulo curiæ. Et præterea jurabunt, quod ad cognitionem domini episcopi & Magalon. ecclesiæ pacem & pacis statuta bona fide custodiant, & custodiri faciant, & omnia ad fidem catholicam pertinentia servent, & quod dominum Magalon. episcopum, & ecclesiam Magalon. bona fine consulant, & eorum jura & ecclesiarum deffendant. Quibus duodecim consulibus pro se & universitate recipientibus dom. Magalon. episcopus tam pro se quam pro ecclesia Magalon. firmiter promittet, quod ipsis & toti universitati utiliter bona fide consulet, & eos, & universitatem & singulos, & universitatis & singulorum jura ab omni injuria & violentia & oppressione bona fide deffendet. Si autem, quod Deus avertat, aliquis consulum durante officio decederet, vel in ea administratione tam negligenter & perverse se haberet, quod non tantum inutilis sed & damnosus communitati appareret, tunc dominus episcopus & cæteri consules alium loco demortui, vel remoti substituant secundum formam superius expressam, qui omnia superius jurare teneatur. Verumtamen in istis duodecim consulibus non ponetur nisi unus solus de uno albergo, nec in hoc officio erit aliquis continue nisi per annum : in maximis siquidem & arduis negotiis consilium dom. episcopi requiretur, & ejus consilio tractabuntur, promisso super illis secreto a dom. episcopo. Hæc autem omnia prædicta & singula perpetuo & inviolabiliter observentur, vigentibus tamen in aliis, & in sua firmitate persistentibus omnibus & singulis a rege & a dom. regina, & consuetudinibus olim concessis & indultis duodecim consulibus & universitati Montispellerii, salvo jure dominæ Mariæ reginæ. Universa hæc prædicta, & singula, sicut superius continentur, solemni stipulatione vallata perpetuo valitura per se & per omnes successores suos adinvicem laudaverunt, confirmaverunt, & a se & successoribus suis observari promiserunt dominus G. de Altiniaco Magalon. episcopus in bona sua fide requisita, & consules Montispellerii Johannes Bocados, &c. per sacramentum super sancta Dei evangelia in manu domini episcopi corporaliter præstitum coram domino R. Dei gratia Uticensi episcopo apostolicæ sedis legato, qui pro se & dom. A. Cistercienſi abbate apostol. sedis legato hæc omnia confirmavit, approbavit, & corroboravit authoritate legationis qua fungitur. Acta sunt hæc omnia in domo communitatis Montispessulani anno Dom. Incarnat. MCCX. VI. idus Februarii. Horum omnium testes sunt dom. G. Dei gratia Avinionensis episcopus, Bertrandus Magalon. præpositus, P. de Agrifolio archidiaconus, &c. & consules officiorum, & alii quamplures, quibus fere tota domus plena erat, & Ugo Laurencii notarius, qui mandato partium hæc scripsit.

* *f.* assenserint.

* irrevocabili.

XXXIV.

R. Uticensis episcopi & apostolicæ sedis legati litteræ encyclicæ ad universos fideles, quos hortatur ad eleemosynas resarciendis ædificiis de Vinegolio erogandas.

1211. UNiversis Christi fidelibus clericis & laïcis in nostra legatione constitutis, R. Dei miseratione vocatus episcopus Uticensis, apostolicæ sedis legatus, in sponsas Christi visceribus misericordiæ abundare. Beneficium refectioni domus Domini præstitum ad salutem est præbentibus animarum, unde legitur celeste palatium in cælis sibi ædificare, qui religiose viventibus necessarias in terris construunt mansiones. Hinc est, quod vestram caritatem scire volumus, nunc imminere loca & tempora, quæ vestras vocant animas ad parandas sibi sedes in solio angelorum : nam domus del Vinovol fundata in honorem gloriosæ Virginis, ubi est virginum sancta congregatio, nunc vestris indiget eleemosynis, cum pravitas veteris operis ruinam minantis earum numerum capere nequeat, nec ad suum servandum ordinem congruas habeant officinas : ipsæ autem vestro fultæ juvamine, spe vestræ misericordiæ inceperunt revocare ac ampliare illud vetus opus & fragile ; & si Deus permiserit, habent de proposito talem domum & tantam facere, in qua possint somno & cibo temporali refici, & ecclesiam, quæ ruinam minatur, quotidie emendare, quæ ut tanti ac tam sancti beneficii sint participes, rogamus vos in Christo Domino, ut cum earum nuntius ad vos supplicandum venerit, eum benigne recipiat vestra bonitas, & de facultatibus vobis a Deo commissis aliquam ipsi erogetis particulam, & in confraternitate a domino Magalonensi episcopo speciali super hoc beneficio constituta fratres esse & socii vos velitis. Nos autem auctoritate omnipotentis Dei, & matris ejus gloriosissimæ virginis, omnibus illius caritatis confratribus relaxamus unam de injunctis sibi quadragesimis, & aliis eidem operi bona facientibus de injuncta sibi penitentia remittimus decem dies. Præcipimus etiam atque volumus, ut præsens portitor, ubicunque in tota dicta nostra legatione venerit, semel in anno divina possit officia celebrari facere, nisi tantum a summo pontifice locus ille fuerit interdictus. Datum apud Montempessulanum anno MCCXI. pridie calendas Septembris.

XXXV.

Innocentius III. episcopo Magalonensi in feudum dat comitatum Melgorii.

1215.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guillelmo episcopo Magalonensi, salutem & apostolicam benedictionem. Devotionem, quam te, & Magalonensem ecclesiam ad apostolicam sedem novimus habuisse, & habere in futurum speramus, attendentes, comitatum Melgorii, sive Montisferrandi, qui ad jus sive proprietatem Romanae ecclesiae noscitur pertinere, cum omnibus pertinentiis ejus in feudum concedimus tibi, & successoribus tuis sub annuo censu XX. marcarum argenti, nobis & successoribus nostris in festo Resurrectionis Domini persolvendo, salvo nihilominus alio censu, quem pro alia causa Rom. ecclesiae debetis. Ita quod tu & successores tui nobis & successoribus nostris fidelitatem propter hoc specialiter faciatis, & per Rom. ecclesiam ipsum recognoscatis & teneatis comitatum, & de ipso deinceps faciatis guerram, & pacem ad mandatum ipsius, nec castrum Melgorii, seu castrum Montisferrandi, cum sint caput comitatus ejusdem, infeudare, vel quomodolibet alienare ullatenus praesumatis absque apostolicae sedis licentia speciali; nulla etiam feuda, quae ad ipsum pertinent comitatum, ulli concedatis omnino extra Magalon. dioecesim commoranti. Nulli ergo, &c. Datum Laterani XVIII. cal. Maii, pontificatus anno 18.

XXXVI.

Guillelmus Magalonensis episcopus ecclesiam beatae Mariae de Tabulis in parochiam erigit.

1216.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Quia urgens incumbit necessitas, ut nos Guillelmus de Altiniaco Dei gratia Magalon. episcopus animabus subditorum nostrorum, & nobis valeamus praeesse pariter & prodesse, prunas gehennae inextinguibilis evitare zelando, universis & singulis praesentibus & futuris ad honorem & gloriam virginis matris Dei praesenti schedula propalamus, nos a sanctissimo patre dom. nostro Innocentio papa III. mandati recepisse litteras sub hac forma. Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Magalon. episcopo salutem & apostol. benedict. Dilecti filii consules Montispessulani nobis humiliter supplicarunt, ut cum sola ecclesia B. Firmini, quae infra muros villae suae parochialis existit, multitudini populi non sufficiat sacramenta ecclesiastica ministrare, in quatuor, aut quinque villae ipsius ecclesiis dari poenitentias, & sacramenta ecclesiastica faceremus. Volentes igitur in hac parte fraternitati tuae deferre, per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus super hoc taliter providere procures, quod exinde non emergat periculum animarum. Datum Laterani VII. calend. Febr. pontif. nostri anno XV. Authoritate ergo mandati praelibati, & nostra, ut deinceps vitetur periculum animarum, donamus & concedimus vobis duodecim consulibus Montispessulani ut in hac praesenti ecclesia in honore S. Mariae, sita intra muros Montispessulani juxta tabulas Cambitorum, universa ecclesiastica sacramenta libere & absque omni impedimento, ac universaliter omnibus ea ab eadem ecclesia requirentibus in perpetuum possint, & debeant, & etiam teneantur, prior scilicet dictae ecclesiae, & successores ejus & canonici, & sacerdotes praesentes & futuri ibidem Deo servientes ministrare, scilicet baptizando, poenitentias & eucharistiam praestando, nubentibus & contrahentibus benedicendo, sepeliendo, & universa alia quae ad curam pertinent animarum ministrando. Tibi Petro Garcino archidiacono Magalon. & priori ejusdem ecclesiae, & canonicis omnibus in ea commorantibus, & tibi Guillelmo de Montearbedone capellano ejusdem ecclesiae curam animarum praesentialiter conferentes. Acta sunt haec omnia solemniter in praelibata ecclesia beatae Mariae in festivitate Pentecostes, scilicet IV. cal. Junii anno Dom. Incarnationis MCCXVI. in praesentia & testimonio Petri Garcini archidiaconi, Raimundi Girardi archipresbyteri, Guiraldi de Fornoles sacristae S. Mariae, & multorum aliorum, quorum fere tota ecclesia plena erat, & P. Guntardi publici notarii, qui mandato dicti episcopi haec scripsit.

(1212.)

XXXVII.

Jacobus rex Aragonum Johanni Magalonensi episcopo fidei sacramentum praestat.

1236.

NOS JACOBUS Dei gratia rex Aragonum, & Maioricarum, comes Barcinonensis & Urgelli, & dominus Montispessulani, cognoscentes nos tenere in feudum villam Montispessulani, & castrum de Palude, quod vulgo dicitur Latas, a venerabili patre domino Magalonensi episcopo, & pro eisdem sacramentum fidelitatis eidem praestare debere, sicut vassallus domino praestare tenetur, & praedecessores nostri, a quibus causam habuimus, & in quorum feudum successimus, praestiterunt eidem episcopo, vobis venerabili in Christo patri Johanni de Montelauro Magalon. episcopo sponte, & debite manibus junctis, & in vestris manibus positis, dato osculo pacis, & firmitatis pro praedictis villa Montispessulani, & castro de Palude supradicto, quod vulgo dicitur Latas, homagium facimus sine dolo. Actum in Montepessulano in domo Atbrandi filii quondam Atbrandi, in praesentia & testimonio venerabilis patris Berengarii episcopi, Petri, Alberti, Vitalis de Canellis canonicorum Barchinonensium, &c. anno MCCXXXVI. XVII. cal. Januar.

XXXVIII.

Ermengardis abbatissa S. Genesii Johanni Magalonensi episcopo fidem clientelarem profitetur.

1236.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus sancti, amen. Testimonio hujus praesentis instrumenti notum sit praesentibus, & futuris, quod nos Ermeniardis de Monte-desiderio humilis abbatissa monasterii sancti Genesii in Magalonensi dioecesi, & in comitatu Melgoriensi, reducens ad memoriam nos saepius audivisse ab antecessoribus nostris, & ab antiquis monialibus dicti monasterii, in quibusdam nostris invenisse instrumentis, & ab antiquis hominibus, tam clericis, quam laicis, & per famam publicam didicisse, quod dictum monasterium constructum fuerat & aedificatum in comitatu Melgorii permissione & consensu comitum in solo eorumdem comitum ipsis comitibus dictum monasterium de possessionibus sui patrimonii haereditantibus, & ipsi monasterio in feudum honoratum, & censuale concedentibus solum, in quo dictum monasterium aedificatum est, cum toto territorio circunstanti, & plena jurisdictione, & mero, & mixto imperio monialibus tradidisse. Idcirco Ermeniardis abbatissa sororum consilio D. Johanni de Montelauro episcopo haec omnia recognovit anno MCCXXXVI. pridie cal. Januarii.

XXXIX.

Johannes Magalonensis episc. Monspelii & Latarae dominium transfert in comitem Tolosanum.

1238.

ANNO Incarnationis Dominicae MCCXXXVIII. V. cal. Sept. Noverint universi praesentem paginam inspecturi, quod nos Johannes Dei gratia Magalon. episcopus scientes, & cognoscentes evidenter villam Montispessulani & castrum de Latis, & omnes alias possessiones, quas rex Aragoniae dicebat habere in feudum a nobis, & ecclesia Magal. incidisse in commissum propter multa gravia, & enormia, quae commisit contra nos

contra nos, & ecclesiam Magalon. unde ab omni jure, si quod habebat in prædictis, privandus est, quinimo ipso jure privatus est. Volentes providere nobis, & ecclesiæ Magalon. de utili feudatario, & idoneo defensore Magalonæ, cum solemnni insinuatione præsentis instrumenti donamus, damus & concedimus in feudum vobis D. Raimundo Dei gratia comiti Tolosæ, marchioni Provinciæ, & successoribus vestris in perpetuum villam de Montepessulano cum tenemento, & pertinentiis suis, pro ea videlicet parte, quæ quondam fuit Guillelmi de Montepessul. & castrum de Latis, & omnia alia castra, possessiones, & jura, quæ quondam fuerunt dicti Guillelmi de Montepessul. quæ dicebantur a dicto rege Aragoniæ possideri, cedentes vobis, & successoribus vestris omnia jura, actiones, & petitiones reales, personales & mixtas, nobis, & ecclesiæ Magalon. competentes, pro prædictis, & in prædictis constituentes vos procuratores in rem vestram propriam, renunciantes in hac parte legi, & omni juri sancienti donationem sine insinuatione ultra quingentos solidos, vel aureos non valere. Præterea promittimus vobis, quod nos vos, & vestros juvabimus cum omnibus castris, villis, munitionibus vestris, & cum toto posse nostro ad apprehendendam possessionem omnium rerum supradictarum, & post adeptam possessionem vos in possessione pacifica defendemus. Præterea laudamus & concedimus vobis, & successoribus vestris alienationem cujuscumque tituli vel speciei omnium prædictorum licite posse fieri in vos, & successores vestros a quocunque, qui jus habeat, vel habuerit, vel habere videatur de prædictis in villa Montispessul. & castro de Latis, & toto prædicto feudo, & specialiter a Guillelmo de Montepessul. filio quondam Guillelmi de Montepessul. consensu nostro, vel ecclesiæ nostræ Magalon. amplius non requirendo, præstantes ex nunc consensum nostrum, & auctoritatem nostram alienationibus, & acquisitionibus cujuscunque tituli, vel speciei in vos, vel per vos faciendis, & ipsam alienationem, seu acquisitionem ex nunc expresse confirmamus. Et nos Raimundus Dei gratia comes Tolosæ, & marchio Provinciæ recipientes prædictam donationem, dationem, cessionem, & concessionem a vobis D. Johanne Magalon. episcopo, & res prædictas in feudum, prout dictus Guillelmus de Montepessul. tenuit a vobis, & antecessoribus vestris, promittimus vobis quod Montempessulanum, & omnem aliam terram, quam ad manum vestram habetis, & habere debetis in Montepessul. & extra Montempessul. vobis salvabimus & defendemus, & custodiemus ab omni exactione, vexatione, & gravamine vobis illæsam servabimus bona fide; ita etiam quod nullum jus jurisdictionis alicujus criminalium, vel civilium quæstionum in dicta parte per nos, vel per aliquem nullatenus exigemus, vel exigi patiemur. Imo volumus, & concedimus, quod in toto Montepessulano & tota alia terra vestra plene, & libere per vos, & quoscunque volueritis jurisdictionem tam in criminalibus, quam civilibus exercere possitis, non obstante quod ab aliquibus fuit quandocunque in contrarium attentatum: & quidquid juris Guillelmus de Montepessul. vel ejus successores habebant, vel petebant in toto Montepessul. & in burgis quæ appellantur, Villa-franca, & Campus Atbrandi, vobis & successoribus vestris solvimus, & omnino desemparamus. Promittimus præterea vobis quod postquam adepti fuerimus possessionem Montispessul. & aliarum rerum prædictarum, faciemus vobis homagium, & fidelitatem jurabimus, prout Guillelmus de Montepessul. vel rex Aragoniæ jurare tenebatur, & libertates ecclesiæ Magalon. & hominum villæ Montispessulani custodiemus, & perpetuo custodiri faciemus illæsas, & homines Montispess. & omnes res eorum intus, & extra ubicumque pro viribus defendemus. Præterea post adeptam possessionem Montispessul. & aliarum rerum supradictarum dabimus, & assignabimus vobis pleno jure castrum de Miravalle, de Frontiniano, & de Balaruco. Verum quandocunque post dies vestros, vel successorum recuperare, vel habere voluerimus castrum de Balaruco, successores vestri illud nobis reddere teneantur, assignatis prius a nobis, vel successoribus nostris centum libris Melgoriens. in redditibus in Montepessulano ad cognitionem & voluntatem episcopi Agathensis. Item concedimus vobis portale Montispessulani & anteportale, & claves ipsorum, ut libere vos, & vestri introeatis, & exeatis de nocte, & de die, & intromittatis illos quos videbitis intromittendos, & utamini ipsis portali, & anteportali, & clavibus ad voluntatem vestram sine aliqua contradictione nostra, & quod justitias hominum condemnatorum in curia vestra libere possitis facere, & transitum facere a loco qui dicitur Petra, usque ad portale Abilionis & extra. Item concedimus vobis perpetuo allodia, quæ fuerunt quondam Boneti de Avenione quæ sunt in flumine Lezi sub ponte qui dicitur de Castronovo. Hæc autem omnia, & singula supradicta, ut compleamus & observemus, & contra non veniamus, nos præfatus episcopus, & dictus comes juramus ad invicem, & promittimus bona fide, & supra sancta Dei evangelia juramus, jurante pro nobis dicto episcopo in anima nostra Bernardo de Fisco notario nostro: & pro utraque parte, ut prædicta compleantur, & observentur, juravit, & se obligavit Raimundus Gaucelini dominus Lunelli, & pro domino comite specialiter juraverunt R. de Baucio princeps Aurasicæ, & Rostagnus de Montepesato. Ad majorem autem firmitatem, & ut præscriptis fides plenissima habeatur, nos episcopus & comes supradictam donationem insinuari fecimus, & sigillorum nostrorum munimine præsens instrumentum fecimus roborari. Actum apud Amelianum in præsentia & testimonio supradictorum juratorum, & Petri Bremundi domini de Salve, Guillelmi Augerii, Pontii Astroandi, Guillelmi de Barreria, Raimundi Beceda, Ermengaudi de Podio, Berengarii Arnaudi canonici Magalonensis, & B. Longi de Montepessulano, & Johannis Aureoli notarii publici, qui hæc scripsit, & signum suum apposuit.

XL.

Innocentius papa IV. Vinegoliense monasterium ordini Cisterciensi subjicit.

1245.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati Vallis-magnæ Cisterciensis ordinis Agath. diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Cum dilectæ in Christo filiæ priorissa & conventus monasterii S. Mariæ de Bono-loco Magal. diœcesis institutis Cisterciensis ordinis desiderent informari, nos eorum desiderium favore benivolo prosequi cupientes, discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam optinemus, per apostolica scripta mandamus, quatinus per te vel per aliquos monasterii tui monachos ad monasterium ipsum accedens, eas regularibus instruas disciplinis, & ibidem, cum expedierit, officium visitationis impendas. Datum Lugduni II. nonas Martii pontificatus nostri anno quarto.

XLI.

Petrus episcopus Magalonensis Ludovico IX. regi fidei sacramentum dicit.

1255.

NOtum sit omnibus quod nos Petrus miseratione divina Magalon. episcopus, recognoscimus de jure & facto certiorati vobis D. Guillelmo de Anthonino militi senescallo Bellicadri & Nemausi, & Guidoni Fulcodii, nomine & speciali mandato domini nostri Ludovici Dei gratia serenissimi regis Franciæ requirentibus, & recipientibus, quod villa Montispessulani tota cum pertinentiis suis est, & fuit a tempore cujus non extat memoria, de feudo coronæ, & regum

Franciæ; tam nos, quam nostri prædecessores dictum feudum tenemus, & tenuerunt a dictis dominis nostris pro tempore Franciæ regibus, & nunc tenemus nos a dicto domino Rege, ita videlicet quod illam partem villæ, quæ pars vulgariter appellatur Monspessulanetus cum pertinentiis suis tam intra muros, quam extra, tenemus in domanio, & ad manum nostram a domino Rege prædicto, & residuum dictæ villæ, & castrum de Palude, quod vulgo dicitur Lates, tenet a nobis in feudum vir illustris Jacobus Dei gratia rex Aragonum, non ut Rex, sed ut dominus Montispessulani, & antecessores ejusdem a quibus causam habuit, a prædecessoribus nostris Magal. episcopis in feudum similiter tenuerunt, & debuerunt tenere, pro quo feudo dictus Rex Aragonum qui nunc est, Johanni Magalonensi episcopo prædecessori nostro fecit homagium, & fidelitatem juravit. Nos ergo tam prædictum domanium nostrum, quam feudum, quod dictus rex Aragonum, ut dominus Montispessul. tenet, & tenere debet a nobis, recognoscimus nos a dicto D. rege Franciæ tenere in feudum, & prædecessores nostros tenuisse, pro quo fidelitatem eidem juravimus, domina Blancha recordationis inclytæ matre sua recipiente pro eo, & successores nostri jurare tenentur. Recognoscimus etiam vobis ejusdem domini regis Franciæ nomine recipientibus, nos tenere, & tenere debere in feudum sub debito ejusdem fidelitatis ab eodem rege Franciæ, omnia & singula contenta in privilegio Philippi quondam regis Franciæ, cujus transcriptum vobis tradimus sigilli nostri appensione munitum. In quorum testimonium & majorem firmitatem habendam, nos episc. & senescallus, & Guido Fulcodii supradicti præsentem chartam fecimus sigillorum nostrorum munimine roborari. Acta fuerunt hæc in capella castri Sumidrii anno Dominicæ Incarnat. MCCLV. XVII. cal. Maii in præsentia & testimonio Michaëlis de Moresio archidiaconi, Berengarii Arnaldi archipresbyteri, B. de Claromonte prioris de Font. Fredoli de Veruna prioris de Castris, canonicorum Magalon. & plurium aliorum. Hæc omnia lecta & fideliter exposita in capitulo Magalon. more solito congregato. Protestati sunt canonici quod in privilegio serenissimi domini Philippi recordationis inclytæ Franciæ regis multa continentur ad jus ipsius capituli pertinentia in solidum, vel in parte, & in quorum possessione plenaria dictum capitulum fuit, & est sine contradictione episcoporum Magalonensium, & ab antiquo quiete, & pacifice eis utitur. Unde nolentes ex dicta recognitione generali D. episcopi supradicti, ipsi capitulo de jure, vel de facto præjudicium generari, ratam quidem habuerunt, approbaverunt, & laudaverunt recognitionem quam fecit dictus episcopus D. senescallo, & D. Guidoni Fulcodii supradictis, de Montepessulaneto, & castro de Palude, seu de Latis, quod tenet illustris rex Aragonum a D. episcopo supradicto. In his tamen, & in omnibus aliis, plene & perfecte retentis omni jure suo, privilegiis, libertatibus, usibus, indulgentiis, definitionibus, compositionibus, concessionibus, ac universis, quibus ecclesia Magalonensis hactenus usa fuit. In quorum testimonium dictus D. episcopus, & idem capitulum præsentem scripturam sigillis suis pendentibus firmaverunt, & serenissimo D. Ludovico Franciæ regi direxerunt IV. cal. Maii.

XLII.

Alexander IV. Petro Magalonensi episcopo canonicorum excessus corrigendi facultatem impertit.

1256. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri P. episcopo Magalon. salutem & apostolicam benedictionem. Tua nobis fraternitas intimavit, quod licet canonici Magalon. ecclesiæ, ordinis S. Augustini, in qua jurisdictionem ordinariam obtinere dignosceris, multa committant, quæ limam correctionis exposcunt, prætextu tamen indulti apostolici, quod se habere proponunt, ut videlicet Magalonens. episcopus nisi cum consensu capituli ejusdem ecclesiæ, in eorum aliquem censuram ecclesiasticam exercere non possit, remanent excessus hujusmodi in suarum animarum periculum incorrecti, super quo eorum subveniri saluti, indulto non obstante præmisso, per apostolicæ sedis providentiam postulasti. Nos igitur, qui salutem quærimus singulorum, super hoc remedium adhibere satagimus, nolentes correctionis, & reformationis bonum occasione indulti hujusmodi in præfata ecclesia impediri, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si correctio excessuum canonicorum ipsorum ad dictum capitulum pertinet de consuetudine hactenus observata, capitulum ipsum moneas, ut excessus ipsos intra terminum competentem a te præfigendum eidem, corrigat diligenter, alioquin tu extunc Deum habeas præ oculis, & ipsos, ut animarum cura requirit, indulto, & consuetudine non obstante supradictis corrigere non postponas, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Datum Laterani XI. calend. Maii, pontificatus nostri anno 2.

XLIII.

Suborta regem Aragonum inter & Guillelmum episcopum Magalonensem dissidia Guido Narbonensis electus dirimit.

1260. IN universum a Guidone statutum est, ad Magalon. episcopum pertinere in parte episc. apud Montemp. plenam jurisdictionem in omnibus criminalibus causis, quantum ad captionem reorum, examinationem facti, & pœnæ definitionem; ita tamen quod si tale fuerit crimen, ex quo sequi mortem, vel mutilationem membri oporteat, teneatur curia episcopalis vocare bajulum curiæ D. regis Montisp. ad examinationem ejus totam negotii, & ejusdem definitionem, qui bajulus si ter requisitus nec veniret, nec mitteret aliquem ex suis officialibus, episcopalis curia in examinatione & definitione procedat, reum autem condemnatum ad mortem, vel membri abscissionem in episcopali curia eadem episcopalis curia curiæ D. regis relinquere teneatur, nec licebit regali curiæ latam in episcopali sententiam mutare. De crimine autem hæreseos, cum sit pure ecclesiasticum, statutum est quod sola episcopalis curia crimen examinet, & definiat; & si hæreticus fuerit simpliciter ut hæreticus condemnatus, regali curiæ relinquatur; si autem fuerit immurandus, vel pœna leviori seu pœnitentia onerandus, id totum per episcopalem curiam expediatur: ubi autem ex crimine bona reorum contigerit confiscari, bona illa quæ sub Rege inventa fuerint, cedant Regi, quæ vero sub episcopo, ad episcopum pertineant. Ad expensas hæretici immurati D. Rex & episcopus pro rata conferant. Campus qui dicitur Atbrandi, & insula, quam habet episcopus in Montepessulaneto, eidem episcopo & successoribus ejus adjudicatur, ut & ejusdem jurisdictioni adjudicatur illud quod est a porta Abilionis usque ad domum quæ fuit quondam R. Lamberti. Statutum etiam quod homines habitantes partem episcopalem & habitaturi in posterum, jurare teneantur & jurent fidelitatem cum aliis hominibus villæ Montispessul. hæredi, vel hæredibus D. Regis, dominis Montispessul. & exercitum faciant Regi, sicut & cæteri de parte regia. Præterea liceat episcopo in parte sua tres furnos facere, & unum macellum, in quo tamen sint, seu esse possint septem macellanorum tabulæ, & non ultra. Liceat etiam eidem episc. in parte sua juxta domum suam murum villæ aperire, & ibi portale facere pro commoditate episcopi & hominum dictæ partis, cujus claves illi custodiant, qui claves consueverunt aliorum portalium custodire. Peyssonariam vero, vel tinctum rubeum dicto episcopo, vel suis successoribus in parte sua facere nequaquam liceat sine domini Regis, vel hæredum suorum

DD. Montisp. consensu. Item dominus rex Guidonis statutis obtemperans, recognovit dicto Guillelmo Magalon. episc. recipienti pro se, & successoribus suis Magalon. episcopis, & se recognovisse testatus est Johanni olim Magalon. episcopo, se tenere ab eodem episcopo, seu ecclesia Magalon. quidquid habet ipse Rex, vel habere debet in Montepessulano & castro de Palude, sive de Latis, & quod pro hoc feudo fecit homagium junctis manibus, & dato osculo dicto Johanni Magal. episc. Apud Montempessul. in palatio D. Regis an. 1260. in præsentia Hugonis comitis Ruthenensis, Raimundi Gaucelini domini Lunelli, &c.

XLIV.

Clemens IV. Ludovico IX. rationes deducit quibus comitatus Melgoriensis ad episcopum Magalon. pertinet.

1266. CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio nostro Ludovico regi Francorum illustri. Quia quidam ex ignorantia, &c. Sane tua nuper a nobis serenitas requisivit, quid de comitatu Melgorii, quem venerabilis frater noster Magalonensis episcopus possidet, sentiremus, cum tuæ celsitudini sit suggestum, quod vel tibi, vel dilecto filio P. Peleti domino Alesti, vasallo tuo fiat injuria : ad quod tibi breviter respondemus, quod prout constat vetustissimis apostolicæ sedis documentis, comitatus prædictus feudum est Romanæ ecclesiæ censuale, quod juste tenuit, ut communiter dicitur, aliquo tempore bonæ memoriæ Bertrandus comes abavus dicti Petri : sed & comites Tolosani juste, ut ipsi dicebant, injuste, ut plurimi sentiebant, illud diversis temporibus tenuerunt. Verum cum comes Tolosanus, pater quondam comitis Tolosani proxime jam defuncti, ex causis ad judicium apostolicum ratione fidei pertinentibus, per felicis recordationis Innocentium papam prædecessorem nostrum terris suis & honore privatus, suis meritis congruentem sententiam excepisset, bonæ memoriæ Petrus de Benevento subdiaconus & notarius prædecessoris ejusdem tunc in illis partibus apostolicæ sedis legatus, comitatum prædictum, quem idem comes eo tempore possidebat, ad jus Romanæ ecclesiæ, sicut debuit, revocavit : quem tempore procedente, R. Peleti proavus dicti Petri restitui sibi petiit a legato prædicto; qui nolens, sicut nec debuit, eidem negare justitiam, auditore sibi concesso, G. tunc Magalon. episcopum constituit ad jus Romanæ eccles. defendendum ; fuitque in eodem negotio eo usque processum, quod lite contestata fuit ex parte procuratoris exceptum, quod idem comitatus libram auri debebat annuam Romanæ eccles. censualem, & erat de ipsius dominio, quam non solverat a multo tempore retroacto. Quod idem actor fuit de plano confessus. Et nihilominus ad probandum jus suum, quod fuerat a procuratore negatum, testes produxit plurimos ; sed quidquid actum fuerit, remansit negotium indecisum. Sed tempore sequenti cum videret Romana eccles. dictum Raimundum intentionem suam in judicio non fundasse, quod etiamsi fecisset, sibi prodesse non poterat, propter cessationem diutinam canonis annui non soluti, remque litigiosam non esse perpendens, quam sine speciali mandato legatus memoratus non potuit deducere in judicio, dicto prædecessori placuit sæpedictum comitatum Magalon. episcopo & suis successoribus sub censu annuo in feudum concedere ; sicque ipse & ejus prædecessor extunc pacifice possederunt : hoc salvo, quod defunctus ultimo comes Tolos. Melgorium, & quædam castra alia episcopo abstulit supradicto ; sed postmodum ad cor rediens ea reddidit liberaliter & libenter. Et hæc quæ de dicto legato præmisimus facta noveris antequam recordationis inclytæ pater tuus, Franciæ rex effectus, negotium assumeret Albiense : imo & antequam pater vivificæ crucis suscepto charactere civitatem adiens Tolosanam potenter ac viriliter eam obsidione vallasset. Nos autem qui dictum Petrum, & prædecessores suos sincere dileximus ab antiquo, hæc omnia sæpe revolvimus & fideliter laboravimus in statu alio constituti, ut Magalon. ecclesia aliquid ei daret, sed non potuimus obtinere. Nuper vero ex quo licet immeriti sedem conscendimus altiorem, ad ejusdem Petri devotam instantiam, venerabili fratri nostro episcopo dedimus potestatem aliquos ei redditus assignandi ; ad quod utique nos induxit ejusdem Petri domusque suæ dilectio jam præscripta : sed & honor ejusdem episcopi & utilitas, cui credebamus expediens, & ut possemus scrupulum conscientiæ si quis erat redimere, vulgi clamoribus satisfacere, omni juris necessitate cessante, & dictam domum satis sibi vicinam in sua gratiâ retinere. Quorcirca, fili carissime, nemo tibi suadeat præjudicium in his omnibus, vel eorum aliquo tibi factum ; nisi forsan ad id se velint convertere qui de sede apostolica male sentiunt, ut inquirant quomodo Romana ecclesia in regno Franciæ feuda habere potuerit, sicut aliquos audivimus susurrantes. Quibus dicimus, quod licite utique habet hæc & alia, nec est aliquid quod impediat ; cum nec regnum cum regibus natum fuerit, nec a solis regibus acquisitum. Si enim veteres legant historias de Narbonæ acquisitione provinciæ, invenient Romanorum pontificum personales labores & sudores, qui non tam regum fuerunt socii in victoriis, quam reges nunc sequaces, nunc socios habuerunt, tanquam Narbonensis negotii domini principales. Tuis ergo contentus finibus, & regni latitudine, quod virtute mirifica nostris temporibus Dominus ampliavit, dictum episcopum, & in ipso Romanam eccles. non perturbes, nec susurronum somniis irriteris, qui quandoque loquentes placentia, credulis auribus fel mellitum instillant, quod in te fieri posse non credimus, tuæ dudum constantiam circumspectionis experti. Cæterum de moneta Miliarensi, quam idem episcopus cudi facit, ut dicitur, in feudis ecclesiæ, ei scribimus quod juri consonum arbitramur, & Christianæ conveniens honestati. Datum Viterbii XVI. calend. Octobris anno 2.

XLV.

Clemens IV. episcopo Magalonensi moneta Miliarensi cudenda interdicit.

1266. CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Magalon. episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Irritatus a susurronibus carissimus in Christo filius noster Ludovicus rex Francorum illustris super Melgorii comitatu, quem in ejus præjudicium, & injuriam a te possideri dicebant, prudenter nos consuluit, cui plenam rescripsimus veritatem, qua & ipsum credimus fore contentum : & idcirco nullius commissionem aut minas timeas ; nam qui te tanget, pupillam oculi nostri tanget ; nostrum enim negotium in hac parte agitur. Sane de moneta Miliarensi, quam in tua diœcesi cudi facis, miramur plurimum, cujus hoc agas consilio, non quod injuriam facias dicto regi, si in feudis non suis fabrices, sed Regi gloriæ, extra cujus dominium nec hoc potes, nec aliud operari. Quis enim catholicus monetam debet cudere cum titulo Mahometi ! Quis etiam licite potest esse alienæ monetæ percussor ; cum enim nulli eam liceat cudere, nisi cui, vel summi pontificis, vel principis authoritate conceditur, quam nullus unquam sic effuse concessit, ut omnis generis monetam faceret, data authoritas ad rem certam quonam pacto ad aliam extenditur ! Si consuetudinem forsan allegas, in adulterino negotio te & prædecessores tuos accusas potius, quam excusas, cum perversæ consuetudines dici debeant corruptelæ. Quod si consuetudine & jure cessantibus lucro inhias, vide quantum dedeceat excellentiam pontificalem, negotiationem hujusmodi exercere,

quam in inferioris gradus clericis reprobamus. Certe si venerabilem fratrem nostrum Agathensem episcopum in hac parte requireres, audires utique ab eodem quantum ei hoc dissuasimus ad opus simile provocato, cum essemus in statu alio constituti. Hinc est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus si in regiis feudis hoc facis, pareas prohibenti, & si alibi, nihilominus desistas omnino, cum Deo & nobis displiceat, & sit tuæ contrarium honestati. Datum Viterbii XVI. cal. Octob. pontific. nostri anno 2.

XLVI.

Clemens IV. Magalonensem clerum eximit a vexationibus consulum Monspeliensium.

1267. CLEMENS episc. servus servorum Dei, dilectis filiis ballivis, consulibus, & communitati villæ de Montepessulano salutem & apostolicam benedictionem. Pervenit ad audientiam nostram, venerabili fratre nostro Magalon. episc. intimante, quod, ut deceret, minime attendentes, quod laïcis, in personis, vel bonis ecclesiast. nulla est possibilitas attributa, clericos Magalon. diœcesis, angariis, parangariis, & aliis exactionibus indebitis aggravatis: interdum quoque ipsos non sine sacrilego ausu capere, & quandoque insuper, quod est gravius, ad mortem non veremini condemnare. Quoniam igitur hujusmodi in derogationem evidentem cadunt ecclesiasticæ libertatis, quam tenemur pro viribus defensare, universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus inconsultos, ac indebitos processus in hac parte, pro vestra, & apostolicæ sedis reverentia cohibentes, a clericorum ipsorum vexationibus desistatis penitus. Datum Viterbii non. April. pontif. nostri 3.

XLVII.

Compositio facta inter Regem Majoricarum & Berengarium episcopum Magalonensem.

1278. ANno MCCLXXVIII. II. calend. Jul. in præsentia Pontii Biterrensis episcopi, Petri de S. Justo, Berengarii de Bociacis archidiaconorum, Bernardi de Fisco præcentoris, pluriumque aliorum, interventu Petri de Montebruno Narbon. archiepiscopi, facta est compositio regem Majoricarum inter, & Berengarium episcopum, & tunc declaratum est quod bajulus curiæ episcopalis ad denunciationem, vel requisitionem bajuli curiæ dicti Regis in capiendis reis in parte sua eo duntaxat necessitatis debito teneatur, quo bonus & justus judex ad denunciationem privati cujuslibet ex se ipso, vel ex sui officii debito teneretur. Item fuit declaratum, quod vocato procuratore Regis, & non ante, liceat curiæ episcopali ex causa pœnam corporalem mitigare, & in pœnam pecuniarum convertere, de qua debet dare etiam partem dicto procuratori Regis, & quod bajulus episcopi juret in sui creatione in prædictis bene & fideliter se habere, & nullam fraudem committere. Item quod tenentes in parte episcopali falsas mensuras, vel pondera, & ibi delinquentes in eis curia episcopali, stent juri, & prædicta ibi definiantur, & puniantur, salvo quod si mors, vel membri mutilatio pro prædictis sit imponenda, fiat ut supra declaratum est. Item quod jurisdictio stagni Gradus de Cornone, & de Magalona pertineat ad episcopum, salvo quod delinquentes, vel contrahentes in castro de Latis, si fugiant, gentes Regis possint eos ibi capere, & retinere, debent gentibus episcopi, si ibi sint, hoc significare, quod ipsi reum volunt inde extrahere, ubi reus ipse fecerit larem in parte episcopali Montispessulani, tunc debet servari antiqua compositio. Item quod curiales Regis non intrent cum armis partem episcopalem ad capiendos reos, nisi flagrante crimine ibi confugientes, sed & tunc sine licentia curialium episcopi inde non extrahantur. Item quod Rex in septem tabulis recipiat lumbos porcorum, & media pectora vaccarum. Item quod homines partis episcopalis recipiantur per curiam Regis in corraterios, vel proxenetas, esto tamen, quod non se mutent in parte regia. Item quod Rex, seu ejus gentes non impediant directe, vel indirecte episcopum, vel ejus officiales, quominus possint libere uti jurisdictione ecclesiastica, & clericos, & personas ecclesiasticas capere, seu capi facere cum armis, vel sine armis, prout res exegerit, commorantes, seu delinquentes in parte regia, & inde extrahere, si per hoc præjudicium temporali jurisdictioni Regis minime generetur: & quod nuncii curiæ episcopalis, & Regis possint portare libere baculos in utraque parte, ut sic cujus sint curiæ, dignoscantur, nec per hoc alicui jus accrescat. Item quod super cursu monetarum Melgoriensium servetur compositio facta cum Jacobo rege Aragonum.

XLVIII.

Berengarius episcopus Magalonensis cum Philippo Francorum rege permutat totum illud jus quod apud Montempessulanum obtinebat.

1292. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum dudum tractatum fuerit inter gentes nostras pro nobis ex una parte, & gentes dilecti & fidelis nostri episcopi Magalon. ac præpositi, & capituli Magalonæ pro eis ex altera, super permutatione partis episcopalis Montispessulani, quæ pars vulgariter dicitur Monspessulanetus, & feudi Montispessulan. seu superioritatis ejusdem, & castri Latarum, quæ dominus Montispessuli tenet in feudum ab episcopo, & ecclesia Magalon. cum homagio & sacramento fidelitatis: quæ quidem omnia idem episcopus a nobis tenet in feudum, facienda, & in nos transferenda cum recompensatione condigna prædiorum. Tandem religiosus vir Ademarus de Capreolis præpositus, ac magister Martinus de Vabre canonicus Magalonensis, pro se & nominibus procuratoriis tam episcopi quam capituli prædictorum, & Bertrandus Matthæi canonicus, & vicarius officialis Magalon. procurator episcopi prædicti, una cum prædictis præposito, & Martino a dictis episcopo & capitulo ad nos missi, habito diligenti tractatu super prædicta permutatione, asseruerunt quod ex hac multa commoda ecclesiæ Magalon. imminebant, & multa incommoda vitabantur. In hac ergo permutatione, sic processimus, ut sequitur. In primis prædicti procuratores dicti episcopi, pro dictis episcopo & capitulo transferunt in nos & successores nostros reges Francorum in perpetuum, & dimittunt omnimodam jurisdictionem temporalem, quam habet, & habere debet episcopus Magalonens. in parte prædicta episcopali Montispessulani quæ Monspessulanetus vocatur, & in territorio ejusdem, ita tamen quod dictus episcopus habeat jurisdictionem tantum in sua familia. Transferunt etiam in nos, & dimittunt totum jus feudi & donationis cum homagio, & sacramento fidelitatis, quæ habet in & supra dominium Montispessulani & res quas dictus dominus Montispessulani ratione prædicti feudi a domino episcopo tenet, & quæ ad villam Montispessul. & castrum Latarum spectant, duntaxat omnia jura temporalia quæcumque ad dominum prædictum pertinentia in prædictis, tam in personis, quam rebus, vel alio quoquo modo, & contra quascunque personas ratione eorumdem, exceptis inferius expressatis, seu retentis, ita quod a nobis, seu domo regia, nos, vel successores nostri separare, seu abdicare non possumus prædicta, nec in quemcumque alium transferre, nec alium quemcumque superiorem dominum pro ullo casu superioritatis nobis, & successoribus nostris Francorum regibus liceat nobis pro prædictis dare,

seu constituere episcopo, & ecclesiæ antedictis. Transferunt etiam in nos omne jus, & omnem dominationem, quod, & quam habet, & habere potest, & debet episcopus in Judæos Montispessul. ratione temporalis jurisdictionis, exceptis censibus, seu usaticis, & laudimiis, quæ ratione rerum suarum episcopus percipit in eisdem, quorum medietatem pro indiviso in nos transferunt una cum aliis censibus, prout inferius continetur. Etiam transferunt in nos medietatem pro indiviso furni quem habet episcopus in prædicta parte, & obventionem ejusdem furni, & juris furnorum construendorum in prædicta parte, ita tamen quod facta assignatione, & traditione, quam pro prædictorum compensatione facere tenemur, nos percipiemus medietatem dicti furni, qui nunc est, & obventionem ejus, & nos, seu gentes nostræ, ad requisitionem dicti episcopi, vel gentis suæ, tenebimur alium furnum construere ad expensas nostras, quo constructo, obventiones illius furni erunt communes pro indiviso nobis, & episcopo prædicto. Dictus vero episcopus alium furnum postea suis sumptibus facere tenebitur ad requisitionem gentium nostrarum, si eis necessarius videatur, alioquin medietatem expensarum, quæ factæ fuerunt in furno per nos constructo, nobis idem episcopus reddet, & refundet. Pro prædictorum vero recompensatione damus episcopo nomine ecclesiæ suæ, & successorum suorum 500. libras Melgorienses annui redditus, quas ei assignari volumus in terra nostra cum mero, & mixto imperio, & omnimoda jurisdictione tam in itineribus stratis, quam aliis locis, & feudis infra ipsam terram ei propter hoc assidendam existentibus cum primis appellationibus, in locis tamen bonis, & honorabilibus, ubi congrue fieri poterit pro episcopo; ita tamen quod jurisdictio & feuda, & alia quæcumque nobis competentia in locis propter hoc assidendis in compensationem hujusmodi computari debeant, & venire arbitrio bonorum virorum secundum terræ æstimationem, retentis tamen nobis exercitu, & cavalcata, & equite armato, quæ nobis competunt in hominibus terræ dicto episcopo assidendæ ex causa prædicta, & aliis casibus superioritatis, quam cavalcatam per dictos homines faciendam, per gentes nostras significatam episcopo, sicut per senescalliam Bellicadri fieri consuevit, ipse episcopus mandet suis hominibus. Præterea dicti procuratores nomine quo supra, transferunt in nos, & successores nostros reges Francorum pro indiviso medietatem censuum, usaticorum, laudimiorum, prædiorum rusticorum, & urbanorum, & aliarum quarumcumque possessionum, quæ habet dictus episcopus in Montepessulano, & Montepesleyreto, eorumque pertinentiis duntaxat, pro quibus dicto episcopo assignari, & assideri volumus compensationem condignam de valore ad valorem, secundum æstimationem communem bonorum virorum arbitrio faciendam. Et prædicta omnia, quæ pro prædictorum omni recompensatione damus episcopo, & ea quæ sibi de feudo nostro episcopus retinet in Montepess. & Montepessulaneto & eorum pertinentiis una cum aliis feudis, quæ tenet a nobis, & tenebit in feudum, & tenere recognoscet idem episcopus, & successores sui a nobis, & nostris successoribus in perpetuum, secundum modum, & formam, quibus Montempessulanum, & Montempesleyretum tenebat, & recognoscebat. Intendentes in ista recognitione venire tantum ea, quæ sunt de feudo nostro, & quod dictus episcopus possit dare in emphyteusim, & permutare sine consilio nostro, sine fraude; ita quod res quam ex permutatione habebit episcopus, sit ejusdem valoris, & recognoscatur nobis, sicut alia recognoscebatur. Item volumus & concedimus, quod dictus episcopus, & capitulum, canonici Magalon. simul, & separatim sint in dicta parte nostra quantum ad cupas, & leudas in eo jure, & immunitate in qua sunt, & esse consueverunt in parte regis Majoricarum: & quod quilibet bajulus noster, vel ille qui tenebit regimen pro nobis in Montepess. in principio sui regiminis, quando suum juramentum faciet generale, & quod consuetum est fieri per alios vicarios, & bajulos, addet in suo juramento, quod jura episcopi, & capituli Magalon. per se servabit illæsa. Volumus insuper, & mandamus feudatariis & aliis hominibus nostris terræ, & locorum quæ assideri episcopo, & ecclesiæ ex causa præsentis permutationis mandamus, & ex nunc ut ex tunc transferimus in episcopum Magalon. & successores suos, ut facta assisa prædicta, & traditione sequuta, quam fieri jubemus, episcopo & successoribus in omnibus obediant, & sint ei subditi, sicut nobis & prædecessoribus nostris fuerunt, & esse consueverunt, retentis semper nobis casibus supra dictis. Ad hæc nos præpositus, Martinus de Vabre canonicus Magalon. & Bertrandus Matthæi officialis, procuratores prædicti, nomine procuratorio præfati episcopi, & dicti capituli, assisam, seu assignationem quingentarum librarum annui redditus ex causa prædicta, modis, formis, & conditionibus præscriptis recipientes, & nomine dicti episcopi, & successorum suorum acceptantes ex causa permutationis prædictæ, ipsam permutationem facimus præsentialem in vos D. Philippum Dei gratia Francorum regem serenissimum, recipientem pro vobis & successoribus vestris Francorum regibus, modis, formis, & conditionibus supra scriptis. Promittimus nos curaturos, quod omnia prædicta, & singula dictus episcopus, & capitulum rata habebunt perpetuo. Mandamus nihilhominus ex nunc, nomine episcopi prædicti, domino Montispessul. & Latarum, & aliis omnibus, & singulis feudatariis, & censuariis dicti episcopi, pro rebus & locis in vos dictum D. Regem, per nos permutatis, & translatis, ut vobis D. Regi homagium, fidelitatem, sacramentum, & recognitionem præstent, quod, & quam pro eis translatis episcopo præstare tenebantur, salva pro dicto episcopo in præmissis, & singulis præmissorum auctoritate Papæ, & Romanæ ecclesiæ, ac etiam Narbonensis episcopi, quantum, & prout eos tangit. Nos autem rex Francorum supra dictus, ut prædicta omnia, & singula perpetua stabilitate firma permaneant, præsenti cartæ fecimus sigillum nostrum apponi. Actum Parisiis anno Domini MCCXCII. mense Martio.

XLIX.

Electio Gaucelini episcopi Magalonensis.

1296.

BONIFACIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis clero civitatis & diœcesis Magalon. salutem & apostolicam benedictionem. Quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis, quantaque discrimina secum trahat eccelesiarum diuturna vacatio, solicite considerationis indagine perscrutatores, libenter operarias manus apponimus, & studium efficax in perpetuum, ut viduatis ecclesiis, prout temporis qualitas exigit, & locorum utilitas persuadet, nunc per debite provisionis officium, nunc vero per ministerium translationis accommode pastores præficiantur idonei, ministri providi deputentur, quorum fultæ præsidiis, & favoribus communitæ, malignorum insultus non metuant, pravorum non vereantur incursus, quinimo quasi fortis armati custoditæ brachio, frenatis insolentium ausibus, qui semper circuiunt ut offendant, votivis & prosperis Domino favente proficiant incrementis. Dudum siquidem Magalon. ecclesia per obitum bonæ memoriæ Berengarii Magalon. episcopi pastoris solatio destituta, & ejus corpore tradito ecclesiasticæ sepulturæ, dilecti filii A. de Capreolis præpositus & capitulum ipsius ecclesiæ die ad eligendum præfixa, vocatis & præsentibus omnibus qui debuerunt, voluerunt & potuerunt commode interesse, insimul convenerunt, & tandem nonnullis super hoc tractatibus habitis, qui non habuerunt effectum, deliberantes per viam procederunt compromissi eidem præposito & dilectis filiis Johanni de Montelauro, Johanni Camboni, & B. de

Viridisco archidiacono, Berengario de Omellatio sacristæ, Guillelmo de Cadolla claustrali, & Sicardo de Bellopodio de Frontiniano prioribus, canonicis Magalon. ecclesiæ supradictæ providendi ea vice infra certi temporis spatium de se ipsis vel ejusdem ecclesiæ gremio, aut etiam aliunde de persona idonea ipsi ecclesiæ in episcopum & pastorem plenam & liberam voto contulerunt unanimi potestatem, promittentes quod illum in suum episcopum & pastorem reciperent, & haberent, quem omnes prædicti compromissarii eligendum ducerent, seu etiam postulandum; cumque postmodum prædicti compromissarii hujusmodi potestate recepta in electionis negotio processissent, & de præfato Bernardo de Viridisco eorum collega fuisset electio subsecuta, tandem hujusmodi electionis negotio ad sedem apostolicam legitime devoluto, dictus Bernardus in nostra constitutus præsentia, jus si quod sibi ex eadem fuerat electione quæsitum, sponte ac libere in nostris manibus resignavit, cujus resignationem benigne duximus admittendam, ordinationem ipsius Magalonensis ecclesiæ provisioni dictæ sedis ex causa ea vice auctoritate apostolica reservantes, decernendo ex tunc irritum & inane, si secus in hac parte contingeret attemptari. Nos autem, quibus ex debito servitutis ecclesiarum omnium cura imminet generalis, de ipsius Magalonensis ecclesiæ ordinatione tanto sollicitius cogitantes, quanto illa ex causis variis, quæ nostræ considerationis obtutibus occurrebant, provisione hujusmodi indigere propensius noscebatur, ideo cupientes illum eidem ecclesiæ præesse pontificem, de quo nobis probabilis verisimilitudo suggereret, quod ipsum clara meritorum insignia redimirent, & in cujus fide fida recumberet securitas subditorum, ad venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum episcopum Magalone nostræ mentis oculos duximus dirigendos, quem nobis & fratribus nostris de litterarum scientia, maturitate morum, prudentia, spiritualium & temporalium providentia digna testimonia commendarunt, & ipsius Magalonensis ecclesiæ utilitate pensata, de ipsorum fratrum nostrorum consilio ipsum a vinculo, quo tenebatur Lodovensi ecclesiæ, cujus existebat episcopus, absolutum, ad prædictam ecclesiam Magalon. transtulimus de apostolicæ plenitudine potestatis, ipsumque ipsi Magalon. ecclesiæ in episcopum præficimus & pastorem, liberam sibi tribuentes licentiam ad ejusdem Magalon. ecclesiæ regimen transeundi. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem episcopo tanquam patri & pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes, obedientiam & reverentiam debitam sibi exhibere curetis; alioquin sententiam quam ipse propter hoc tulerit in rebelles ratam habebimus. Datum Anagniæ IV. idus Aug. pontific. nostri anno 2.

L.

Bonifacius VIII. Philippum regem rogat ut episcopum Magalonensem super comitatum Melgoriensem non inquietet.

1300. BONIFACIUS episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo regi Franciæ illustrissimo, salutem & apostolicam benedictionem. Recordare Rex inclyte progenitorum tuorum actus strenuos, ac respice quod Deus regnantium honor, & gloria, beatum Ludovicum avum tuum regibus dedit in speculum, & populis in exemplum: quem ipsius nepos, quasi charissimus filius imiteris, prudenter attendens, quod tantam habuerit conscientiæ puritatem, quod non solum scienter, sed nec ignoranter dispendium aliis volebat inferre, causam, quam ignorabat, ad instar sancti Job diligentius investigans. Unde cum super comitatu Melgorii Magalonensis diœcesis, nonnulla in auribus instillarentur ipsius in tantum, ut ad quem pertineret comitatus dubitaret, nolens ex abrupto procedere, vel incerto, fœlicis recordationis Clementis papæ IV. prædecessoris nostri requisivit consilium, &c. Post cujus prædecessoris Clementis consilium Magalon. ecclesia a regalium vexationibus conquievit, quæ ab olim tenuit, & tenet in feudum ab apostolica sede comitatum eundem, prout constat ex prædecessorum nostrorum litteris. Quapropter dolemus, & non immerito, quod sicut accepimus, officiales tui venerabilem fratrem nostrum Magalon. episcopum, & dilectos filios capitulum Magalon. super comitatu prædicto, & hominibus comitatus, imo nos, & apostolicam sedem gravant, impetunt, & molestant. Quapropter circumspectionem regiam tenore presentium hortamur, & rogamus, & tibi paternis affectibus salubriter suademus, ut senescalli officialibus, & bajulis tuis districte præcipias, quod de cetero a dictorum episcopi, & capituli, ac vassallorum super dicto comitatu molestatione desistant. Datum Anagniæ XV. cal. Augusti, pontificatus nostri anno 6.

L I.

Bulla Johannis papæ XXII. qua significat Galhardum a Magalonensi ad Arelatensem ecclesiam a se fuisse translatum.

1318. JOHANNES episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito, & capitulo ecclesiæ Arelatensis, salutem & apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines alias quæ nobis ex officii debito pastoralis incumbunt, illa præcipua fore dignoscitur, ut de universis orbis ecclesiis, quarum cura nobis imminet generalis, sollicite cogitantes, illis, quæ vacationis incommodis exponuntur, nunc per viam simplicis provisionis, nunc per ministerium translationis accommode, & prout personarum, locorum, & temporum qualitas exigit, præficiamus viros idoneos in pastores, ne illarum provisione protracta sustineant in spiritualibus & temporalibus detrimentum. Nuper siquidem ecclesia vestra pastoris regimine destituta, ex eo quod nos venerabilem fratrem nostrum Galhardum episcopum Engolismens. a vinculo, quo tenebatur ecclesiæ vestræ Arelatensi, cujus regimini tunc præerat, authoritate apostolica ad ejus supplicationis instantiam absolventes, ipsum ad ecclesiam Engolism. tunc vacantem eadem authoritate duximus transferendum, nos attendentes, quod, si ejusdem ecclesiæ Arelatensis provisio protraheretur in longum, multis subjaceret periculis, & gravia in spiritualibus & temporalibus detrimenta subiret, ac propterea volentes ei de celeris & salubris provisionis remedio subvenire, post deliberationem, quam super hoc habuimus cum nostris fratribus diligentem, consideratis muneribus gratiarum quibus personam venerabilis fratris nostri Galhardi olim episcopi Magalonens. in archiepiscopum Arelatensem electi, prout ex sua familiari experientia novimus, Dominus multipliciter illustravit, ipsum a vinculo quo tenebatur Magalonensi ecclesiæ, cui tunc præerat, absolventes, eundem Galhardum ad dictam Arelatens. ecclesiam eadem authoritate transtulimus, ipsumque illi de prædictorum fratrum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis in archiepiscopum præfecimus & pastorem, sibi curam, & administrationem ipsius in spiritualibus & temporalibus committendo, ac liberam sibi dantes licentiam ad præfatam Arelatensem ecclesiam transeundi, in illo, qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod cum idem Galhardus sit vir litterarum scientia præditus, morum honestate decorus, in spiritualibus providus, & temporalibus circunspectus, memorata ecclesia Arelat. per ipsius Galhardi circumspectionis industriam, & providentiam circunspectam gratia sibi suffragante divina salubriter & prospere dirigetur, ac spiritualibus & temporalibus authore Domino proficiet incrementis; quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem electo tanquam patri & pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes, & exhibentes eidem obedientiam & reverentiam

debitam, & devotam, ejus salubria monita & mandata hilariter & efficaciter adimplere curetis; alioquin sententiam, quam ipse tulerit in rebelles, ratam habebimus & faciemus authore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Avenione sexto idus Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

L I I.

Johannes XXII. Andream Fredoli ab Uticensi ad Magalonensem sedem promovet.

1318. JOHANNES episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Andreæ episcopo Magalonensi salutem & apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines alias quæ nobis ex officii debito pastoralis incumbunt, illa præcipua fore dignoscitur, ut de universis orbis ecclesiis, quarum cura nobis imminet generalis, sollicite cogitantes, illis quæ vacationis incommodis exponuntur, nunc per viam simplicis provisionis, nunc per ministerium translationis accommode, & prout personarum, locorum & temporum qualitas exigit, præficiamus viros idoneos in pastores, ne illarum provisione protracta sustineant in spiritualibus & temporalibus detrimentum: nuper siquidem ecclesia Magalonensis pastoris solatio destituta pro eo quod nos venerabilem fratrum nostrum Galhardum olim Magalonensem episcopum in archiepiscopum Arelatensem electum a vinculo, quo tenebatur eidem ecclesiæ Magalonensi, cujus regimini tunc præerat, authoritate apostolica absolventes ipsum ad ecclesiam Arelatensem tunc vacantem eadem authoritate duximus transferendum, nos attendentes, quod si ejusdem ecclesiæ Magalon. provisio differretur, multis subjaceret periculis, & gravia in spiritualibus & temporalibus detrimenta perferret, ac propterea volentes ei de celeris & salubris provisionis remedio subvenire, post deliberationem, quam super hoc habuimus cum nostris fratribus diligentem, consideratis muneribus gratiarum quibus personam tuam Dominus multipliciter illustravit, te tunc episcopum Uticens. a vinculo, quo tenebaris Uticensi ecclesiæ, cujus tunc præsidebas regimini, absolventes, te ad dictam Magalonensem ecclesiam eadem authoritate transferimus, teque illi de prædictorum fratrum consilio, & apostolicæ plenitudine potestatis in episcopum præficimus & pastorem, tibi curam & administrationem ipsius ecclesiæ Magalonensis in spiritualibus, & temporalibus committendo, ac liberam tibi dantes licentiam ad præfatam Magalonensem ecclesiam transeundi, in illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod cum sis vir litterarum scientia præditus, morum honestate decorus, in spiritualibus providus, & temporalibus circunspectus, memorata ecclesia Magalonensis per tuæ circunspectionis industriam, & providentiam circunspectam gratia tibi suffragante divina salubriter & prospere dirigetur, ac spiritualibus & temporalibus authore Domino proficiet incrementis. Supportans itaque reverenter impositum a Domino tibi onus sollicite ipsius Magalonens. ecclesiæ curam geras, gregem dominicum in illa tuæ gubernationi commissum doctrina verbi, & operis juxta datam tibi ex alto prudentiam informando, ita quod eadem Magalonensis ecclesia per tuæ vigilantiæ studium votivis proficiat commodis & successibus prosperis augeatur. Datum Avenione sexto idus Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

L I I I.

Diploma Philippi VI. regis pro episcopo Magalonensi.

1334. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri, aut ejus locum tenenti salutem. Cum in ordinatione carissimi patrui nostri regis Philippi, servientibus nostris interdictum sit, ne ipsi justitient, aut officium exerceant in terris prælatorum, baronum, aut aliorum subditorum nostrorum, in quibus habent justitiam altam, & bassam, seu merum, & mixtum imperium, &c. Mandamus vobis, quatenus in terra fidelis nostri episcopi Magalonensis, in qua vobis constiterit ipsum omnimodam habere altam & bassam justitiam, contentum in ordinationibus prædictis faciatis inviolabiliter observari; contrarium facientes, prout ad vos pertinuerit, debite puniendo. Datum Parisiis, die 8. mensis Maii anno MCCCXXXIV.

L I V.

Summa statutorum ab Arnaldo episcopo promulgatorum pro canonicis cæterisque clericis ecclesiæ Magalonensis.

1339. ARNALDUS in ecclesia parochiali S. Dionysii de Montepessulano suæ diœcesis personaliter constitutus & ibidem præsidens & synodum suam generalem S. Lucæ celebrans in præsentia priorum, rectorum, vicariorum, capellanorum, & aliorum plurimorum dictæ suæ diœcesis assistentium in prædicta synodo ordinationes & statuta sequentia per Raymundum Tornerii notarium suum promulgare fecit. Primo canonicorum numerus impleatur. Sub virtute sanctæ obedientiæ, juxta statutum Papæ, infra mensis spatium capitulum hanc creationem & receptionem faciat, aliter ad creationem procedere minatur. 2°. omnes canonici nondum professi emittant professionem intra duos menses. 3°. ad capitulum annuum veniant, si impediti, per procuratorem. 4°. Eligant & ipsi cum eo magistrum qui canonicos scientiis instruat. 5°. juxta mandatum Papæ & consuetudinem, quia de quadraginta monachis qui in ecclesia residere debent, & de vicenario numero, unus debet ad generalia studia mitti, statuit duos canonicos singulis annis mittendos. 6°. sub virtute obedientiæ & juxta ordinationem apostolici mandati, in prioratibus suis continuam faciant residentiam cum sociis, juxta morem ecclesiæ assignatæ consuetum; requirit ut eligant probos viros, cum quibus intra annuale capitulum de numero sociorum ordinare possit, si negligant, solus supplere possit. 7°. Infirmarius provideat infirmis. 8°. omnes canonici legitimæ ætatis infra generale capitulum se faciant ad ordines necessarios promoveri. 9°. vestimenta honesta ferant, reprobata dimittant. 10°. de petenda licentia statuit. 11°. mutua ne recipiant nisi secundum quantitatem a capitulo ordinatam. 12°. ne beneficiorum proventus arrendent sine solemnitate observata. 13°. de registris, inventariis, privilegiis, missarum celebratione, venatoribus, arma ferentibus, delatoribus, conspiratoribus, proprietariis, negotiatoribus constitutio apostolica servetur; juxta quam statuit ut quisquis canonicus conjurationem tractaverit, aut dederit consensum, auxilium, consilium, quam cito poterit revelet his contra quos est facta: qui secus fecerit monitione præmissa, excommunicationem promulgavit quam præter alias pœnas ipso facto incurrere vult, absolutionem sibi specialiter retinuit: declarat quod canonici qui in animæ suæ periculum & scandalum, & in contemptum canonum ad certa studia etiam privata absque illius licentia accesserunt, tales incidisse in excommunicationem a canone latam, & debere publice nunciari. Alia autem sessione, aut synodo, Arnaldus hæc item statuit: revocat omnes licentias temporales per se aut decessores aut vicarios concessas super exercitio curæ animarum in sua diœcesi. Revocat omnes licentias a quibuslibet concessas super absolutione, dispensatione vel alia provisione casuum, a jure vel homine: revocat dispensationes omnes quibuslibet datas super non residendo in claustris suis, vel beneficiis, nisi de jure debeant observari, quo casu licentias has sibi vult exhiberi intra viginti dies. Monet omnes regulares, & seculares beneficium obtinentes, quod residentiam continuam de jure, vel de consuetudine aut statuto exigat in eodem, eisque

præcipit sub obedientia ut resideant personaliter, nisi a Papa, aut episc. ex causa, & gratia dispensentur. Vult statuta sua synodalia & decessorum, & per D. Petrum de Sampsone edita, quæ incipiunt, *in Sacramentorum collationibus* observari, hactenus consueta in diœcesi teneant, donec aliter ordinatum sit, singuli ea habeant ex integro. Statuit quod nullus corpus defuncti infra ecclesiam tumulet absque episcopi licentia, nisi casibus a jure permissis. Ut preces a Johanne papa XXII. ordinatæ in missa pro pace semper dicantur. Ultra viginti dies indulgentiæ pontificis decem addit. De his populum instruant. Præcipit sub obedientia ut omnes detinentes scripturas aut instrumenta ecclesiæ reddant, scientes revelent intra decem dies, aliter excommunicantur. Monet ne in conviviis, choreis, ludis publicis aut privatis, utantur vestibus regularibus, aut eas commodent ludentibus, aliter excommunicat eos, nisi ludi fiant de consensu superiorum ob Dei reverentiam, aut Sanctorum. Inhibet ne in processionibus capussium simul cum superpelliceo portent. Monet omnes ut infra annum habeant breviarium, superpelliceum, almuciam sacerdotalem, vestem propriam qua sepeliantur. Acta solemniter, lecta & publicata per notarium suum Raymundum Tornerii an. MCCCXXXIX. mense Octob. indict. VII.

L V.

Bulla Benedicti papæ X I I. qua præcipit ut in exigendis ab episcopo Magalonensi ecclesiæ Romanæ debitis æquabilitas juris exerceatur.

1341. BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Petro de Talliata Carnotensi, capellano nostro, salutem & apostolicam benedictionem. Exposuit nobis venerabilis frater noster Arnaldus episcopus Magalonensis, quod ipse pro residuis census annui viginti marcarum argenti, qui nobis & ecclesiæ Romanæ ratione comitatus de Melgorio & de Monteferrando Magalon. diœcesis debetur pro viginti annis proxime præteritis, sub certis formis & modis efficaciter sit obligandus. Cum autem bonæ memoriæ Andreas Fredoli, & Johannes de Viridisco episcopi Magalonenses prædecessores, & venerabilis frater noster Pictavinus Albiensis, olim Magalonensis episcopus, immediatus antecessor ejusdem Arnaldi episcopi, quilibet eorum videlicet pro temporibus suis, quibus præfuerunt Magalonensi ecclesiæ, de redditibus, fructibus, & proventibus ejusdem ecclesiæ, quos perceperunt, censum prædictum in terminis solutionis ipsius, qui obvenerunt suis prædictis temporibus, solvere (ut idem Arnaldus episcopus asseruit) debuissent, nobis humiliter supplicavit, ut eidem, qui, ut præfertur, existere noscitur ad solvendum præfatæ cameræ residua dicti census adstrictus, provideamus. Nos igitur volentes dicto Arnaldo episcopo in justitia deferre, in qua sumus omnibus debitores, discretioni tuæ per apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus vocatis vocandis, & auditis hinc inde pleniter, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, exhibere super prædictis studeas justitiæ complementum. Datum Avenioni nonis Julii pontificatus nostri anno 7.

L V I.

Duraudus Magalonensis episcopus Regi fidelitatis sacramentum dicit.

1353. EGO DURANDUS Magalonensis episcopus recognosco vobis domino senescallo Bellicadri, & commissario in hac parte, & nomine domini nostri Regis recipienti, & a regia majestate deputato, & recognitionem facio de omnibus, quæ ratione Magalon. ecclesiæ a dicto domino Rege teneo in feudum, & dicta ecclesia tenet, & tenuit ab antiquo. His exceptis, quæ in Montepessulano, & in castro de Latis habuit a bonæ memoriæ domino B. Magalonensi episcopo prædecessore nostro dominus rex Franciæ ex causa permutationis quam fecit cum eodem. Et etiam recognosco ut supra, me tenere nomine dictæ Magalon. ecclesiæ ab eodem domino nostro Rege in feudum ea, quæ in recompensationem dictarum rerum permutatarum præfato domino quondam episcopo dominus Rex dedit, & assignavit in villa Salvii, castris de Duroforti & Porsano, & in aliis locis, pro quibus omnibus esse debeo, & promitto esse bonus & fidelis dicto domino Regi, & sacramentum fidelitatis manibus meis ad pectus positis, vobis domino senescallo, illud nomine quo supra recipienti, facio atque præsto, & profiteor, quod si alias, vel aliter, seu ad plura facienda dicto domino nostro Regi reperero teneri, quod paratus sum illa facere, & adimplere quamprimum ad meam notitiam pervenerint. Hoc fuit factum anno MCCCLIII. die 13. mensis Februarii.

L V I I.

Pacis conditiones initæ Durandum inter episcopum & canonicos Magalonenses.

1356. 1°. DE iis quæ spectant pro victu episcopi & præpositi die ingressus antistitis in ecclesia Magalon. 2°. de correctione canonicorum præsente episcopo ab eo fiat absente præposito, aut a priore claustrali, si uterque absit: 3.° de beneficiis extra ecclesiam non conferendis, episcopo de hoc silentium imponendum. 4.° in causis criminalibus præpositum non debere specialiter, nominari, &c. 7.° canonici nihil solvant pro sigillis, sed pro scripturis: 8°. absente episcopo & præposito possit prior claustralis dare licentiam exeundi extra insulam per mensem, nisi specialiter revocet episcopus: 9.° possint canonici juxta optionem ab episcopo, aut a præposito, si ambo sint separati localiter, petere licentiam exeundi provinciam Narbonæ pro negotiis. 10°. quod semel in anno possit episcopus visitare, nisi in casibus a jure concessis. 11°. quomodo canonici donatis fratribus famulis procedendum sit in litibus ipsis ab externis intentatis, si ab episcopo possint eos citare coram suo tribunali, contumaces capere, & Magalonam deducere, incarceratos fugientes excommunicare, si capi non possint a servis episcopi, liceat Regis auxilium implorare. 12°. quoties necessitas aut utilitas ecclesiæ postulaverit, ut episcopus Magalonæ moretur, capitulum ejus victui & servorum providebit more solito. 13°. Imponitur silentium capitulo dicenti episcopum non posse in quemquam exercere jurisdictionem nisi de consilio canonicorum. 14°. ne vicarii episcopi dent licentias nubendi extra parochiam propriam nisi moderate, & statutum provinciale super hoc servandum. 15°. episcopus habet jus dandi licentiam ad studia juxta juris formam. 16°. de acquisitione feudorum a capitulo varia statuuntur, & de jure episcopi. 17°. edictum de carnalegio exsolvendo ab episcopo servetur. Denique statuitur, ut obvietur scandalis quæ possent contingere si hæc non observarentur, sicuti antea scandala & damna in ecclesia Magalonensi evenerunt: ut quolibet novo adveniente episcopo promittat super evangelia quod prædicta observabit, & similiter præpositus promittat, quæ rata habuere Durandus episcopus, & Pontius Olargius præpositus, & multi canonici pro capitulo.

L V I I I.

Dedicatio capellæ domus consularis apud Montempessulanum.

1363. ANno MCCCLXIII. die 5. mensis Octobris Theobaldus miseratione divina Carronensis episcopus licentia sibi data ad infra scripta per religiosum virum D. Pontium de Garda canonicum cathedralis ecclesiæ Magalon.

Magalon. priorem ecclesiæ S. Firmini de Montepessulano, vicarium generalem in spiritualibus & temporalibus D. Deodati episcopi Magalon. Idem, inquam, episcopus Carronensis, ad preces & instantem postulationem consulum villæ Montispessulani in domo eorum consulatus situata juxta ecclesiam beatæ Mariæ de Tabulis, capellam domus consularis Monsp. altare & sacristiam juxta morem & ritum, & stylum sanctæ Romanæ ecclesiæ benedixit, consecravit, & dedicavit B. virgini Mariæ, in cujus honore dicta capella fundata fuerat, & indulgentias concessit.

L I X.

Bulla Urbani V. ad Gaucelinum Magalonensem episcopum.

1367. URBANUS venerabili fratri Gaucelino episcopo Magalonensi & thesaurario nostro salutem. Eximia dona virtutum, quibus personam tuam largitor charismatum insignivit, recolenda quoque acceptabilia obsequiorum impendia, quibus tum in apostolicæ thesaurariæ officiis, tum & aliis industriæ tuæ commissis, per vigilem executionis instantiam te nobis, & apostolicæ sedi amabilem reddidisti, nostrum non immerito excitant animum, & inducunt affectum, ut illa tibi præcipuo concedamus favore, quæ tibi utilia reputamus. Cum itaque ratione eorumdem servitiorum tam pro te quam pro decessoribus tuis episcopis Magalonensibus qui fuerunt pro tempore, nobis & fratrum nostrorum Romanæ ecclesiæ cardinalium collegio in certis pecuniarum quantitatibus tenearis, & sicut accepimus, ecclesia tua Magalonensis alias multiplicium debitorum prematur oneribus, nos ad tuam & ecclesiæ præfatæ piam levaminis opem benignam dexteram porrigentes, duo millia florenorum auri de parte seu de partibus ad nos & præfatam cameram pro communi servitio contingentibus authoritate præsentium tibi ecclesiæque Magalonensi præfatæ de speciali gratia liberaliter & irrevocabiliter remittimus & donamus. Nulli ergo, &c. Datum in monasterio S. Victoris prope Massiliam idibus Maii, pontificatus nostri anno 5.

L X.

Bulla ejusdem ad eundem.

1367. URBANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Gaucelino episcopo Magalon. thesaurario nostro salutem. Personam tuam tuis exigentibus meritis paterna benevolentia prosequentes, illam tibi gratiam libenter impendimus, per quam te possis aliis reddere gratiosum. Hinc est quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, conferendi omnia ecclesiastica beneficia tuæ civitatis & diœcesis, etiamsi curam habeant animarum, apud sedem apostolicam vacantia, de præsenti facultatem damus, vel quorum collatio ad sedem eamdem alias pertineat, dummodo singulorum beneficiorum fructus, redditus, & proventus 20. librarum Turonensium parvarum valorem non excedant, &c. Datum in monasterio sancti Victoris prope Massiliam idibus Maii, pontificatus nostri anno 5.

L X I.

Petrus Magalonensis episcopus Monspelienses monet ne iterum Florentinos rebelles recipiant.

1376. VEnerabilibus viris Consulibus Montisp. amicis nostris carissimis, Petrus episc. Magalon. thesaurarius D. papæ. Venerabiles domini, & amici carissimi, nuper, prout nostis, cupientes animarum nostræ diœcesis periculo obviare, supplicavimus domino nostro pro commissione absolutionis illorum, qui inciderant in sententias in processionibus apostolicis contra Florentinos factis promulgatas, quam concessionem ad nostri ferventem supplicationem concessit dominus noster papa, quam non concessisset sine magnis expensis, si per aliquem vestrum fuisset persecuta. Nunc autem dolenter accepimus, quod omnes Florentini illarum partium ad locum vestrum declinaverunt, quod vix sufficimus admirari: nam si iterum in sententias incidatis, supplicabitur incassum pro absolutione obtinenda, quia recidivantes non videntur vere pœnitentes, sed potius irrisores. Quare velitis super hoc taliter providere, quod non injiciatur laqueus animabus. Scriptum Avenioni 19. mensis Septembris MCCCLXXVI.

L X I I.

Diploma Caroli VI. pro episcopo Magalonensi.

1396. CAROLUS Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri, rectori partis antiquæ Montispessul. & castellano Sumedrii, cæterisque justitiariis nostris, quibus præsentes pervenerint, eorumque locum tenentibus salutem. Dilectus & fidelis consiliarius noster episcopus Magalon. nobis conquerendo exposuit, quod licet de jussione, & secundum ordinationes regias subditi immediate justitiabiles prælatorum, & baronum, qui nostris subditis, aut nobis immediate justitiabiles non existunt, salvam gardiam nostram habere, aut per litteras nostras in salvis gardiis hujusmodi penicelli nostri in domibus & bonis suis poni, seu affigi non debeant, neque possint; nihilominus Johannes Monerii de Porsano, & quidam alii ejus subditi, & immediate justitiabiles tam de dicto loco, quam de Gigeano, Balaruco, Villanova, Salvio, & ejus bajulatu, & territorio vallis Montisferrandi, & aliorum locorum & villarum ipsius episcopi, cui aliæ personæ privilegiatæ non existunt, sub prætextu litterarum nostrarum, seu aliarum a vobis, seu altero vestrum salvam gardiam obtinentium, obtentarum, se in nostra salva gardia poni, penicellos nostros in eorum domibus, rebus, & bonis affigi, ipsasque salvas gardias publicari fecerunt, & procurarunt, faciunt, & procurant de die in diem indebite, & injuste, ac in ipsius episcopi, justæque jurisdictionis suæ grande damnum, & præjudicium, sicut dixit, supplicans sibi per nos super hoc de remedio opportuno provideri. Quare vobis, & vestrum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, præcipimus, & mandamus, & quod de revocatione litterarum nostrarum agitur, committimus si sit opus, quatenus, si vocatis vocandis, vobis constiterit de præmissis, prædictas litteras, ut prædicitur, obtentas, & obtinendas revocetis, annuletis, penicellosque nostros de domibus, rebus, & bonis prædictorum positos & affixos deponatis & amoveatis, seu tolli & amoveri faciatis, ipsumque supplicantem de cætero, seu ejus jurisdictionem occasione talium salvagardiarum minime impediatis, seu impediri a quoquam permittatis, sed facta in contrarium, si quæ sint vel fuerint, revocetis, & ad statum pristinum & debitum reducatis, quoniam sic fieri volumus, & eidem conquerenti concessimus & concedimus per præsentes de gratia speciali, litteris subreptitiis ad hoc contrariis impetratis vel impetrandis nonobstantibus quibuscumque. Datum Parisiis die 5. mensis Septemb. anno MCCCXCVI.

L X I I I.

Benedictus XIII. pseudo-pontifex Philippum Anianæ abbatem instituit vicarium generalem, & officialem in ecclesia Arelatensi.

Ex tabul. Arelat.

1403. BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Philippo abbati monasterii Anianæ ordinis sancti Benedicti Magalonensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Regimini universalis ecclesiæ quanquam immeriti disponente Domino præsidentes, curis assiduis angimur & pulsamur insultibus successivis, ut ecclesiæ præsertim regulares dirigantur salubriter, & feliciter gubernentur, ac tales ad ipsarum regimina deducantur, quorum industria & virtute

ecclesiæ ipsæ continuis authore Domino spiritualiter A ac temporaliter suscipiant incrementa. Dudum siquidem ecclesia Arelatensi ordinis sancti Augustini pastore carente, quam ex certis causis ad manus nostras duximus specialiter retinendam, &c. Nos igitur ut dicta ecclesia salubriter & feliciter gubernetur providere volentes, ac de tua prudentia, fidelitate, circumspectione & industria specialem in Domino fiduciam obtinentes, te vicarium generalem & officialem in spiritualibus & temporalibus ecclesiæ prædictæ ac curiarum officialatus Arelatensis usque ad nostrum beneplacitum authoritate apostolica ordinamus, constituimus, ac etiam deputamus, administrationem & gubernationem ecclesiæ ac curiæ prædictorum tibi in eisdem spiritualibus & temporalibus plenarie commitendo, ut ipsam ecclesiam spiritualiter & temporaliter juxta datam tibi a Deo prudentiam B regas, dirigas, & augmentes, & alia facias quæ archiepisc. Arelatensis pro tempore existens ordinare, facere, & disponere potest, præterque illa quæ sunt episcopalis ordinis, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium & pretiosorum mobilium dictæ ecclesiæ tibi penitus interdicta. Tu igitur circa curam, regimen, administrationem & gubernationem prædicta salubriter exercenda sic te fidelem exhibeas & etiam studiosum, quod per actus tuorum laudabilium operum ecclesia prædicta regatur utiliter & salubriter dirigatur, nosque sollicitudinem tuam possimus dignis in Domino laudimiis commendare. Datum Insulæ Cavallicensis diœcesis III. cal. Maii, pontificatus nostri anno 9.

LXIV.

Robertus Magalonensis episcopus vicarios generales instituit.

Circa ann. 1433.

ROBERTUS Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia Magalon. episcopus, universis præsentes litteras inspecturis & audituris æternam in Domino salutem. Cum ad ecclesiam nostram Magalonensem pro rebus magni momenti illustrissimi principis domini nostri Francorum regis, & aliis arduis negotiis legitime impediti, ac etiam propter viarum discrimina, aliaque nunc, proh dolor! occurrentia pericula personaliter accedere nequeamus de præsenti, totis nostris desideriis peroptantes ecclesiam nostram & diœcesim cum populo nobis commisso in spiritualibus & temporalibus more boni pastoris per circumspectos, & industrios viros, vita, moribus & scientia pollentes regi, & gubernari; propterea nos de circumspectione, scientia, peritia, legalitate, bonaque conscientia reverendi in Christo patris D. Guillelmi miseratione divina episcopi Laudunensis, necnon religiosi & honesti viri D. Fabri de Actiles dictæ nostræ ecclesiæ præpositi, ac venerabilium & discretorum virorum magistrorum Johannis Henrici ecclesiæ Taurinensis canonici, & Guillelmi Valesii in decretis baccalaurei, canonici Aurelianensis certiorati, ac per eorum præsentiam absentiæ nostræ defectus suppleri propitiante Domino sperantes; nostros in spiritualibus & temporalibus vicarios generales tenore præsentium facimus, constituimus, & creamus, dantes plenam & liberam potestatem ecclesias quascumque civitatis, & diœcesis nostræ Magalonæ reformandi, ordinandi, & in Domino disponendi, &c.

LXV.

Maurus Magalonensis episcopus declarat comitatum Montisferrandi cum appendicibus ab ecclesia Romana dependentem ab episcopis Magalonensibus in feudum teneri.

1464.

UNiversis præsentes litteras inspecturis, Maurus miseratione divina Magalonensis episcopus, comes Melgorii & Montisferrandi, dominus Salvii, Durisfortis, Marcherosæ, & Brixiaci, salutem, &c. Notum facimus, quod nos ad supplicationem dominorum consulum insignis villæ Montispessulani nostræ diœcesis, nostros ac ecclesiæ nostræ Magalonens. archivos, vetustaque documenta perscrutari fecimus, in quibus comperimus bullam felicis recordationis Innocentii papæ III. datam Laterani XVIII. cal. Maii, pontificatus anno 18. continentem infeudationem dictorum comitatuum Melgorii & Montisferrandi per eundem Innocentium papam III. dudum factam bonæ memoriæ G. tunc Magalonensi episcopo prædecessori nostro, sub certo censu annuo singulis annis solvendo ecclesiæ Romanæ festo Resurrectionis Domini: quos quidem comitatus Melgorii & Montisferrandi nobilis Raimundus olim comes Tolosanus ab eadem sacrosancta ecclesia sub dicto certo censu antea tenebat, quique propter hæreticæ pravitatis crimen, & alia nefanda crimina, in quæ eum incidisse vulgatum est, ad manum ecclesiæ Romanæ devenerant. Comperimus insuper infeudationem per eundem G. tunc Magalon. episcopum, comitemque Melgorii & Montisferrandi consulibus villæ Montispessulani prædictæ, qui erant pro tempore, factam de toto nemore de Valena, & manso de Caravetis infra limites comitatus Montisferrandi. Qui quidem nemus & mansus de pertinentiis dicti comitatus sub jurisdictione alta ipsius fuisse, foreque, & esse noscuntur: quique a nobis & ecclesia nostra ratione dicti comitatus per consules Montispessulanenses tenentur in feudum sub censu annuo, seu alberga decem militum anno quolibet, si requirantur facienda, & novem solidorum Melgor. Quorum quidem nemoris & mansi C recognitiones tam dicto G. de Altiniaco, quam Berengario Fredoli, Gaucelino de Deutio, & Antonio de Loverio, & aliis ejusdem domini G. Magalonensis episcopi successoribus, ratione dicti comitatus Montisferrandi per eosdem consules variis temporibus hactenus inconcusse factas comperimus. Ipsique consules ad causam dictorum nemoris de Valena & mansi de Caravetis, quæ a nobis & ecclesia nostra sic tenent & tenere consueverunt in feudum, nos tanquam comitem Montisferrandi in dominum & superiorem eorum recognoverunt, & huc usque reputaverunt. Nosque illos feudatarios & hac ratione subditos nostros tenemus, nec usquam vidimus seu audivimus aut didicimus, quin comitatus Melgorii, & Montisferrandi a domino nostro papa, & sacrosancta Romana eccl. in feudum teneretur, prout & prædecessores nostri tenuerunt, & D tenere consueverunt, & nos pariter ab eadem Romana ecclesia in feudum tenemus, & tenere profitemur, ac in veritate recognoscimus, &c. Datum in castro nostro Terrali secus Montempessulanum, die prima mensis Decembris, anno Domini MCCCCLXIV.

LXVI.

Guillelmus episcopus Magalonensis emptionem medietatis de Porsano laudat.

1499.

COram reverendo in Christo patre domino Guillelmo miseratione divina Magalonensi episcopo, comite Melgorii & Montisferrandi, ac domino Salvii, Durisfortis, Brixiaci, & Marcherosæ, existens E personaliter nobilis & honesta mulier Margarita domicella, relicta forte functi nobilis Johannis de Narbona quondam loci de Porsano, tutrix nobilis Johannis de Narbona filii & hæredis universalis nobilis Johannis de Narbona. Quæ quidem Margarita tutorio nomine significavit eidem Guillelmo episcopo, qualiter nobilis vir Franciscus de Crussolio scutifer, dominus loci Belliprandi, condominus præfati loci de Porsano, vendidit eidem nobili Margaritæ pro se & pupillo suo medietatem totius terræ & jurisdictionis loci de Porsano cum & sub pariatgio cum domino episcopo. Quæ quidem medietas tenetur cum & sub consilio, dominio, laudimio, forisca pio, jureque prælationis, incursionis, commissi, & advantagii, ac præ cæteris retinendi, &

feudo honorato, & juramento fidelitatis dicti domini Magalonensis episcopi. Et quoniam dicta Margarita emit pretio sex millium librarum Turonensium, requisivit dominum episcopum, ut præfatam venditionem confirmaret, & gratiam de laudimio faceret. Tunc dictus episcopus auditis præmissis, sciens laudimium ascendere ad summam mille ducentarum librarum juxta consuetudinem per prædecessores suos servatam; sciens autem nobilem & religiosum virum fratrem Tonequinum Bucelli, militem S. Johannis Hierosolymitani, præceptoremque Montispess. & de la Cavaleria, multa servitia eidem episcopo fecisse in curia Romana, & maxime in expeditione bullarum dicti episcopatus Magalonensis. Igitur ipsius Bucelli, necnon Jacobi Bucelli burgensis Montispessul. ejusdem Tonequini fratris ibidem præsentis, & postulantis dictam emptionem laudavit, & confirmavit; sed & mediante summa 200. scutorum auri solis quitavit, gratiam de residuo amore dictorum de Bucelli fecit anno MCCCCXCIX.

LXVII.

Bulla translationis & secularisationis ecclesiæ Magalonensis, nunc Monspeliensis.

1536. PAULUS episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In eminenti militantis ecclesiæ specula, licet immeriti, divina dispositione constituti, & in cunctas orbis ecclesias terræque amplitudinem præcipuum facultatis obtinentes principatum, ex incumbentis nobis apostolicæ solicitudinis officii debito circa ecclesiarum præsertim cathedralium & monasteriorum quorumlibet, ac in eis Altissimo famulantium personarum potissime religionis titulo insignitarum statum prospere & salubriter dirigendum, ac concedente Domino in melius commutandum, circunspectæ considerationis intuitum libenter dirigimus, & illorum profectibus consulte satagentes, statum ipsum & cum specialis honoris prærogantia interdum immutamus & alteramus, ac desuper disponimus, prout salus animarum exigit, piaque catholicorum regum vota exposcunt, & rationabiles causæ persuadent, necnon locorum & temporum qualitatibus & conditionibus diligenter consideratis, pro ecclesiarum & monasteriorum, ac personarum earumdem felici successu, ac decore & venustate, divinique cultus augmento conspicimus in Domino salubriter expedire, & ad illos dexteram nostræ liberalitatis extendimus, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant. Sane cum a tempore cujus initii hominum memoria non existit, in insula maris Mediterranei partium regni Franciæ & provinciæ Narbonensis, Magalonensi nuncupata, ad litus ipsius maris, & certo loco palustri, una civitas quæ Magalonensis nuncuparetur, ac inibi una cathedralis ecclesia ordinis sancti Augustini, sub invocatione beati Petri apostoli, pro uno episcopo Magalonensi nuncupando, qui eidem ecclesiæ præesset, prout ex tunc præfuit, certo territorio, seu districtu eidem civitati pro illius diœcesi assignato, apostolica auctoritate erectæ fuerint; ac successu temporis causantibus orthodoxæ fidei hostium insultibus, qui insulæ & civitatis prædictarum incolas infestarunt, ac morbis quibus incolæ ipsi ob ejusdem palustris loci corruptum aërem frequenter laborant, insula & civitas prædictæ adeo desertæ & habitatoribus vacuæ effectæ extiterunt, ut inibi fere nulla civitatis vestigia, imo nec ulli (paucis prædictæ & unius collegiatæ inibi consistentis ecclesiarum ministris exceptis) habitatores existant, & venerabilis frater noster Guillelmus modernus ac pro tempore existens episcopus Magalonensis & fere omnes ipsius ecclesiæ Magalonensis officiales ac ministri domos & habitationes suas in oppido Montispessulanensi Magalonensis diœcesis habeant, & canonici ejusdem insulam & ecclesiam Magalonensem prædictas deserentes, (paucis in eadem ecclesia Magalonensi ad divinum cultum peragendum remanentibus) in ipso oppido habitent: quo fit ut dictus episcopus ecclesiæ suæ, & populo sibi commisso simul adesse, & populum ipsum docere nequeat, & iis potissimum temporibus, quibus in insulis dura est congregatio. Et nedum merita, sed etiam corporum mortalium vires adeo defecerunt, ut admodum pauci regularis vitæ austeritatem & sacrorum canonum rigorem perferre velint & possint, de facili non reperiantur viri litterarum scientia & nobilitate clari, qui in ipsa ecclesia Magalonensi ordinem ipsum profiteri ac inibi residere velint: ac oppidum prædictum insigne & unum ex principalibus dictæ provinciæ Narbonensis oppidis & multa nobilium & plebeiorum generositate refertum sit, & ad illud (in quo etiam peculiari privilegio divinarum & humanarum legum ac artium liberalium & medicinæ generalia studia vigent) officiales prædicti, canonici præfati, ac totius prædictæ diœcesis Magalonensis populus, pro iis quæ ad divinum cultum & fidei catholicæ conservationem ac causarum decisionem attinent confluant: & in eodem oppido sit unum notabile monasterium ordinis sancti Benedicti sub invocatione ejusdem sancti, per priorem annalem claustralem nuncupatum gubernari solitum, a monasterio sancti Victoris Massiliensis dicti ordinis (quod dilectus filius noster Augustinus sancti Adriani diaconus cardinalis de Trivultiis nuncupatus ex concessione apostolica in commendam obtinet) dependens, & olim per felicis recordationis Urbanum papam quintum prædecessorem nostrum fundatum, constructum & dotatum, in quo ex ipsius Urbani fundatoris decreto, viginti religiosi ad divinum cultum in illius ecclesia peragendum, & duodecim ad studendum in jure canonico ad decennium, ac quatuor ad studendum in grammaticalibus ad quadriennium constituti fuerint: & cujus ecclesia cum illi adjacente claustro miris constet ædificiis, quæ magis speciem ecclesiæ cathedralis habent, quam habitationi monachorum congruam: & charissimus in Christo filius noster Franciscus Francorum rex christianissimus, qui nuper cum ejus regnum prædictum & dictam provinciam Narbonensem personaliter visitasset, insulam & ecclesiam Magalonensem & oppidum hujusmodi adiit, & visa dictæ insulæ solitudine, considerans quantum illa esset orthodoxæ fidei hostium incursibus hujusmodi exposita, ac quod episcopi non in castellis aut villis, sed in civitatibus majoribus & frequentioribus populis constitui debent, & quod si dictum monasterium sancti Benedicti, in quo unus prioratus claustralis pro uno priore annali, & una præpositura, quæ dignitas reputatur, ac unus præcentoriatus pro uno præcentore ad nutum amovibili, necnon una celeraria, & una sacristia, ac una pitantiaria, & una cameraria, cui sancti Petri de Blannavis & sancti Adriani de Adissano Uticensis & Biterrensis diœcesis ejudem ordinis S. Benedicti prioratus perpetuo annexi existunt, necnon una infirmaria, quæ inibi officia claustralia existunt, & a quo sancti Martini de Areis, & beatæ Mariæ de Ambileto, ejusdem ordinis Nemausensis & Albiensis diœcesis prioratus, in quibus, videlicet de Areis una cameraria & una sacristia, ac beatæ Mariæ prioratibus hujusmodi una sacristia similiter officia claustralia fore noscuntur, dependent: necnon in quo ac eisdem dependentibus prioratibus alia loca, & monachales portiones ad litterarum studia aut alias fundata & instituta fore noscuntur, a dependentia monasterii sancti Victoris hujusmodi perpetuo segregaretur & separaretur, ac in dicta ecclesia Magalonensi, in qua similiter una præpositura quæ inibi dignitas post pontificalem major existit, & cui sancti Dionysii prope & extra muros dicti oppidi, ac ejusdem beatæ Mariæ Lunelli novi ac sancti Desiderii ordinis sancti Augustini & diœcesis Magalonensis prædictorum prioratus ab eadem ecclesia Magalonensi dependentes perpetuo annexi existant; & unus prioratus claustralis pro uno priore annali, ac una sacristia, quæ inibi dignitas non major post pontificalem seu officium reputatur, & una vestiaria, ac

una eleemosynaria, necnon una infirmaria, & una operaria, quæ ac forsan prioratus & sacristia prædicti officia claustralia inibi existunt, ac certa loca & canonicales portiones fore noscuntur: & a qua etiam sanctarum Eulaliæ de Mirisvallibus & Leocadiæ de Vico invicem unitæ, sancti Firmini de Montepessulano, ac ejusdem beatæ Mariæ de Tabulis, in quibus, videlicet sancti Firmini una, & beatæ Mariæ alia, sacristiæ officia claustralia existunt, & sancti Georgii de Dorgues, S. Marcelli de Fraires sive de Frejorgues, sancti Johannis de Bodia, sancti Jacobi de Fabricis, sancti Ægidii de Fisco, sancti Andreæ de Bodia, ejusdem sancti Dionysii de Ginesteto, sanctorum Juliani & Basilissæ de Balhanicis, ac ejusdem beatæ Mariæ de Aquis, de Claperiis, sancti Theodoriti de Vendranicis, sancti Stephani de Castriis, ac ejusdem beatæ Mariæ de Latis, ac ipsius beatæ Mariæ de Londris, sancti Vicentii de Lunello veteri, sancti Hilarii de Santeiranicis, ejusdem sancti Andreæ de Novisgentibus, S. Stephani de Soregio, ejusdem beatæ Mariæ de Gornerio, S. Vincentiani, sancti Brissii, ejusdem sancti Andreæ de Mollinis, S. Petri de Veruna, ejusdem beatæ Mariæ de Castronovo, sanctæ Crucis de Cornone Terralio, dictæ Magalonensis, ejusdem beatæ Mariæ de Adano Arelatensis diœcesis, sanctæ Catharinæ prope & extra muros Massiliæ, prioratus seu ecclesiæ forsan parochiales dependentes, & per illius regulares canonicos obtineri consueverunt, nomen & titulus cathedralis ecclesiæ, ac in monasterio sancti Benedicti hujusmodi nomen & titulus monasterii, ac invocatio, & in eisdem ecclesia & monasterio, necnon ab eisdem dependentibus prioratibus & membris, & per illorum canonicos & monachos respective obtineri solitis ecclesiis & ecclesiasticis beneficiis, ordines prædicti & dependentiæ omnesque status regulares, necnon omnia & singula utriusque ipsorum ecclesiæ Magalonensis, & monasterii sancti Benedicti præpositure, ac aliæ dignitates, prioratus claustrales, personatus, administrationes, officia, beneficia, necnon loca & canonicales, ac monachales portiones, necnon una sancti Stephani de Villanova, & alia sancti Xisti de Perolis, & alia beatæ Mariæ de Pignano, & alia sancti Michaëlis de Montiliis, & alia sancti Martini de Pruneto, & alia sancti Jacobi de Pradis, & alia de Grabellis, & alia de Juvigniaco dictæ Magalonensis diœcesis, parochialium ecclesiarum, quæ inter alia de mensa capitulari ipsius ecclesiæ Magalonensis, aut ab eadem mediate vel immediate dependentes existunt perpetuæ vicariæ seu prioratus, per clericos seculares teneri solitæ, seu soliti penitus supprimerentur & extinguerentur, ac Magalonensis & monasterii sancti Benedicti hujusmodi ecclesiæ ad statum secularem reducerentur, & oppidum Montispessulanense in civitatem, necnon ecclesia monasterii sancti Benedicti hujusmodi in cathedralem ecclesiam erigerentur & instituerentur, ac titulus & sedes episcopalis Magalonensis, cum illius juribus ad ecclesiam erigendam hujusmodi transferrentur, necnon omnes & singuli fructus, reditus & proventus supprimendorum dignitatum & personatuum, prioratuum claustralium, officiorum & beneficiorum ac locorum canonicalium, ac monachalium portionum & vicariarum hujusmodi capitulari mensæ ipsius erigendæ ecclesiæ perpetuo applicarentur & appropriarentur: & tam canonici ecclesiæ quam monachi monasterii prædictorum, cum non conveniat religiosos diversæ professionis & diversi habitus in eodem loco residere, posthac sæculares, & ab observantia regularium constitutionum dictorum ordinum liberi essent, ac unum capitulum constituerent: profecto divini cultus augmento, & animarum saluti populi dictæ diœcesis ac ipsius orthodoxæ fidei conservationi & stabilimento, necnon pauperum Christi ad idem oppidum confluentium alimoniæ, & aliorum piorum operum exercitio plurimum consuleretur: faciliusque viri moribus & scientia prædicti, qui dictæ ecclesiæ deservire, & illius dignitates, ac canonicatus & præbendas, ac officia & beneficia obtinere vellent, reperirentur. Habita super iis per ipsum regem cum prælatis & proceribus dicti regni sui matura deliberatione, summopere desideret statum ipsius ecclesiæ Magalonensis, pro feliciori illius & personarum ejusdem, necnon cleri ac universorum incolarum & habitatorum oppidi & diœcesis Magalonensis hujusmodi successu, tuitione, & tranquillitate, ut præfertur, immutari. Nos qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem æstimationem tam beneficii uniendi quam illius cui uniri peterentur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, ac omnes canonicatus & præbendas ac dignitates, personatus, administrationes & officia, necnon prioratus, ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia & inantea vacatura collationi & dispositioni nostræ reservamus: decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super iis a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: quique ecclesiarum & monasteriorum quorumlibet ac personarum eorumdem decorem & venustatem, ac in melius directionem, necnon in illis divini cultus augmentum, & animarum salutem nostris potissimum temporibus sinceris desideramus affectibus, cupientes quantum cum Deo possumus, præfatorum ecclesiæ Magalonensis, monasterii sancti Benedicti ac illarum personarum profectui, & directioni in præmissis salubriter consulere, ac præfatum Guillelmum episcopum, necnon dilectos filios capitulum ecclesiæ Magalonensis, & modernum priorem ac conventum monasterii S. Benedicti prædictorum, & eorum ac illorum infrascriptorum singulis a quibusvis excommunicatione, suspensione, & interdicto, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, a quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon episcopalis & capitularis mensarum, ac singularum canonicalium & monachalium portionum, necnon dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, prioratuum, ecclesiarum, membrorum, & omnium beneficiorum ecclesiasticorum prædictorum, ac hujusmodi & aliorum illis respective annexorum fructuum, redituum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes; habita desuper cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus matura deliberatione, ac de illorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine, Guillelmi episcopi, & capituli, ac moderni prioris & conventus prædictorum seu ipsorum capituli & conventus respective majorum partium ad hoc expresso accedente consensu, & ab eodem Francisco rege nobis super hoc tam per suas litteras, quam per venerabilem fratrem nostrum Carolum episcopum Matisconensem ejus apud nos & sedem prædictam oratorem humiliter supplicantem authoritate apostolica, tenore præsentium ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac militantis ecclesiæ exaltationem, necnon ecclesiæ Magalonensis, & monasterii sancti Benedicti prædictorum feliciorem & tranquilliorem statum & successum, dictum monasterium sancti Benedicti, una cum omnibus & singulis illius membris, dependentiis, juribus, & pertinentiis, tam in dicta diœcesi Magalonensi, quam alibi consistentibus, ab omni præfati monasterii sancti Victoris dependentia, ac ipsius Augustini cardinalis & commendatarii & pro tempore existentis illius abbatis seu commendatarii jurisdictione, subjectione, & superioritate (ejusdem Augustini cardinalis & commendatarii ad hoc expresso accedente consensu) perpetuo segregamus, & dismembramus, & eximimus, ac in ecclesia Magalonensi nomen & titulum cathedralis ecclesiæ, necnon in monasterio sancti Benedicti hujusmodi similiter nomen & titulum monasterii, ac etiam invocationem sancti Benedicti, necnon

in eisdem ecclesia & monasterio ac omnibus & singulis eorum membris & illis annexis, necnon prædictis & aliis ab eis dependentibus prioratibus, ac supradictis cæterisque quibuscumque per illorum canonicos & monachos respective obtineri solitis ecclesiis & ecclesiasticis beneficiis; ita ut de cætero prioratus, ecclesiæ & beneficia secularia existant: ordines prædictos, & omnem dependentiam, ac statum regularem, ipsorumque ecclesiæ Magalonensis & monasterii S. Benedicti, prioratuumque prædictorum præposituras, prioratus claustrales, sacristias, infirmarias, vestiariam, & eleemosynariam, operariam, celerariam, pitantiariam, camerarias, & alia quæcumque si quæ sint, dignitates, personatus, administrationes, officia, & alia beneficia ecclesiastica, necnon omnia & singula loca, & canonicales & monachales portiones, necnon vicarias perpetuas hujusmodi, ac omnium illorum qualitates & denominationes, sic quod de cætero præposituræ, prioratus, sacristiæ, infirmariæ, vestiaria, eleemosynaria, operaria, celeraria, pitantiaria, cameraria, dignitates, personatus, administrationes, officia, ecclesiastica beneficia, loca, & canonicales seu monachales portiones, & vicariæ perpetuæ, dici, nominari, & censeri non possint; penitus & omnino perpetuo supprimimus & extinguimus, ac Magalonensem de cætero ecclesiam, sancti Petri insulæ Magalonensis nuncupandam, & monasterium S. Benedicti, ecclesias hujusmodi ad statum sæcularem reducimus; necnon oppidum Montispessulanum prædictum civitatis titulo insignimus, illudque in civitatem, quæ Montispessulanensis nuncupetur, cum juribus & præeminentiis quibus aliæ civitates partium earumdem utuntur, potiuntur, & gaudent, ac potiri, uti & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ac ecclesiam monasterii sancti Benedicti hujusmodi in cathedralem ecclesiam secularem, sub invocatione ejusdem beati Petri apostoli cum insigniis & jurisdictionibus episcopalibus ad instar aliarum circumvicinarum sæcularium dictæ provinciæ cathedralium ecclesiarum, ita ut idem Guillelmus episcopus, prout hactenus dictæ ecclesiæ Magalonensi præfuit, eidem erigendæ ecclesiæ vigore præsentium litterarum absque alia provisione de persona sua illi facienda in omnibus & per omnia præsit, & illius verus præsul existat, ipseque Guillelmus, & pro tempore existens ejusdem ecclesiæ præsul de cætero episcopus Montispessulani & dicta diœcesis Magalon. Montispessulanensis nuncuparetur: ac idem episcopus Montispessulanensis eisdem privilegiis, facultatibus, juribus, præeminentiis, libertatibus, honoribus, indultis apostolicis, regiis & aliis quibus tanquam episcopus Magalonensis hactenus apostolica, regia, delegata, vel ordinaria authoritatibus usus est, perinde ac si episcopus Magalonensis adhuc nuncuparetur & esset, utatur, potiatur, & gaudeat: necnon ecclesia & diœcesis Montispessulanensis, ac eorumdem civitatis & diœcesis clerus & populus curæ & jurisdictioni dicti episcopi Montispessulanensis pro tempore existentis, prout episcopo Magalonensi pro tempore existenti respective suberant, subsint, & subesse censeantur, & dictæ erigendæ ecclesiæ, per personas & ministros qui nunc in Magalonensi & monasterii sancti Benedicti ecclesiis hujusmodi instituti existunt, juxta providam ordinationem dictorum capituli desuper faciendam, in divinis laudabiliter deserviatur: necnon in ipsa ecclesia erigenda unam præposituram majorem post pontificalem pro uno præposito, ac unum majorem pro uno majore, & alium de Valentia pro alio de Valentia, & alium de Castriis, non majores post pontificalem dignitates, pro alio de Castriis, nuncupandos archidiaconatus: necnon unam cantoriam pro uno cantore, & aliam sacristiam pro uno sacrista, ac unam eleemosynariam pro uno eleemosynario, ac unam operariam, personatus inibi, pro uno operario, ac triginta duos majores, & sexaginta quatuor alios minores nuncupandos canonicatus & præbendas erigimus & instituimus: necnon ecclesiam sancti Petri insulæ Magalonæ prædictam cum omnibus juribus & pertinentiis dictæ mensæ capitulari, necnon mensæ episcopali, ac præposituræ, & singulis archidiaconatibus, ac singulis ex cantoria, sacristia, eleemosynaria, & operaria, personatibus prædictis, unum & unam ex triginta duobus canonicatibus, & totidem præbendis erectis hujusmodi, ita quod ille de quo ecclesiæ Montispessulanensi, & aliis personis, quibus de præpositura, & archidiaconatibus, ac cantoria, sacristia, eleemosynaria, & operaria prædictis pro tempore providebitur, etiam de canonicatu, & de præbenda ejusdem ecclesiæ, tanquam mensæ ac dignitatibus & personatibus hujusmodi annexis provisum, & quicumque aliquam ex pontificali, & aliis dignitatibus, & personatibus ecclesiæ Montispessulanensis canonicus assequetur, ejusdem ecclesiæ Montispessulanensis canonicus actu, & præbendatus eo ipso sit & esse, ac dum provisio ecclesiæ Montispessulanensis de persona jam canonici, aut dignitatibus vel personatibus hujusmodi jam canonico fiet, canonicatus & præbenda per eum prius obtenti vacare censeantur. Et ultra canonicatus & præbendas uniendos prædictos mensæ episcopali, cum facta translatione sedis episcopalis ab insula ad civitatem Montispessulanensem, hujusmodi ipsius erectæ ecclesiæ præsul majora onera pro hospitalitate servanda, restaurandis domibus & prædiis, quorum maxima pars causantibus bellis & aliis sinistris eventibus, qui partes illas diutius afflixerunt & devastarunt, & quarum aliqua in heremum reducta, subiturus sit, eidem mensæ episcopali, ultra alia beneficia, & redditus illi unita & applicatos, sancti Baudilii de Peducio, & sancti Johannis de Cucullis, & sancti Stephani de Casaveteri, & sancti Saturnini de Agonesio, & sancti Nazarii & Celsi de Brixiaco: necnon præposituræ erectæ, beatæ Mariæ Lunelli novi, & sancti Desiderii suppressæ, ante illius suppressionem hujusmodi, ut præfertur, perpetuo unitos, illorum unione, per suppressionem eandem dissoluta, per dissolutionem hujusmodi, apud sedem prædictam vacantia, ac loco prædicti prioratus sancti Dionysii, similiter ante suppressionem hujusmodi suppressæ præposituræ ecclesiæ Magalonensis prædictæ, ut præfertur, perpetuo annexi sancti Andreæ de Molinis; ac majori, sanctæ Sigolenæ de Grava cum illis annexa ecclesia de Cortada dictæ Albiensis diœcesis: necnon de Valentia, B. Mariæ de Valentia, sancti Amantii de Cambous ejusdem Albiensis diœcesis, ac S. Johannis de Nodo, Ruthenensis diœcesis: necnon de Castriis archidiaconatibus dignitatibus, sancti Stephani de Castriis: ac cantoriæ, sancti Ægidii de Fisco: & sacristiæ, sancti Andreæ de Bodia Magalonensis prædictæ: necnon eleemosynariæ sancti Salvatoris de Montilis, & sancti Andreæ de Veranicis Magalonensis diœcesis, ad collationem ipsius episcopi spectantes: ac operariæ personatibus, illorum unionibus per suppressionem camerariæ monasterii S. Benedicti, cui ut præfertur uniti erant, S. Petri de Blanavis, & S. Adriani de Adissano: necnon mensæ capitulari præfatis similiter illius unione, per suppressionem præposituræ ecclesiæ Magalonensis, hujusmodi respective dissolutos per dissolutionem eandem, apud sedem prædictam vacantem, S. Dionysii prioratus prædictos, eidem mensæ capitulari ultra alia beneficia, & reditus ecclesiasticos, eidem jampridem unita, & applicatos omnes & singulos supradictos, & dependentes prioratus, & supradicta & alia quæcumque cum cura vel sine cura per canonicos vel monachos præfatos obtineri solita ecclesias & beneficia cum omnibus juribus & pertinentiis suis, & omnia & singula, fructus, reditus & proventus, jura, & obventiones & emolumenta præpositurarum, dignitatum, personatuum, prioratuum, administrationum, officiorum, beneficiorum ecclesiasticorum, & locorum, ac canonicalium, & monachalium portionum, ac vicariarum perpetuarum suppressorum prædictorum perpetuo unimus, connectimus, & incorporamus. Itaque liceat præposito, B. Mariæ Lunelli novi, & sancti Desiderii, ac operario, sancti Petri de

Blanavis, & sancti Adriani de Adissano, necnon capitulo præfatis sancti Dionysii prioratuum prædictorum ex tunc, necnon eisdem episcopo, præposito, archidiaconis, cantori, sacristæ, & eleemosynario, respective cedentibus, vel decedentibus, simul vel successive, alios prioratus & ecclesias & beneficia unita hujusmodi, nunc in titulum vel commendam aut alias obtinentibus, seu illa alias quomodolibet tam simpliciter quam ex causa permutationis etiam in manibus nostris seu pro tempore existentis Romani pontificis, dimittentibus, & illis quibusvis modis, simul vel successive vacantibus etiam apud sedem ante dictam, per se, vel alium, seu alios, corporalem possessionem prioratuum, ecclesiarum, beneficiorum unitorum, juriumque præeminentiarum prædictorum, propria authoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illorumque fructus & reditus & proventus in mensarum, & præposituræ, necnon archidiaconatuum & personatuum unitorum, ac prioratuum, ecclesiarum, & beneficiorum hujusmodi usus & utilitatem respective convertere. Necnon præposito, archidiaconis, cantori, sacristæ, eleemosynario, operario, & capitulo prioratuum dignitatibus & personatibus, ac mensæ capitulari prædictis unitorum, necnon supradictis eidem mensæ capitulari unitis ecclesiis & beneficiis, per presbyteros & alios ministros idoneos conductitios, in numero consueto, in dignitatibus videlicet & personatibus, per dignitates & personatus ipsos pro tempore obtinentes, in aliis vero mensæ capitulari unitorum prioratuum, & aliis unitis ecclesiis & beneficiis hujusmodi, per eosdem capitulum, si curam habeant animarum dicto capitulo præsentandos, & per eundem episcopum ad ipsorum præsentantium nutum deputandos; si vero non fuerint curati, ad eorum dignitates & personatus obtinentium, ac capituli prædictorum nutum respective ponendos, & amovendos in divinis deserviri facere. Ipsisque capitulo, similiter cedentibus, vel decedentibus, dignitates, personatus, officia, beneficia, loca & portiones sic suppressa hujusmodi nunc obtinentes, qui quoad vixerint illorum fructus, reditus, & proventus (consuetis aut aliis eorum loco per eosdem capitulum eis imponendis oneribus supportatis) percipiant & percipere possint, seu illa alias simpliciter, vel ex causa permutationis, etiam in eisdem manibus nostris, seu pro tempore existentis Romani pontificis dimittentes, & illis quibusvis modis vacantibus, & apud sedem apostolicam, per se, vel alium seu alios, corporalem possessionem illorum bonorum, ac jurium pertinentiarum omnium eorumdem propria authoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illorumque fructus, reditus, & proventus, jura, & obventiones, & emolumenta prædicta, quæ ex tunc mensæ capitulari prædictæ perpetuo applicata sint & esse censeantur, percipere, & in suos & prædictæ mensæ usus & utilitatem convertere (dioecesanorum locorum aut quorumvis aliorum licentia super iis minime requisita.) Sic quod interim quamdiu qui nunc dignitates, prioratus, officia, & beneficia, loca, & portiones suppressa prædicta obtinent, ea obtinebunt, seu fructus illorum percipient, & donec fructus ipsi eidem capitulari mensæ realiter & cum effectu applicati fuerint, pro oneribus in dicta ecclesia Magalonensi supportari solitis: de Valentia qui in locum sacristæ Magalonensis, ducentas, & de Castriis archidiaconi qui in locum vestiarii ecclesiæ Magalonensis hujusmodi surrogantur, trecentas & triginta libras Turonenses; ac infirmarius, qui ulterius ab eisdem capitulis alimenta suorum servitiorum percipi solita, & archidiaconus de Valentia prædicti oblationes in dictis Magalonensi aut sancti Benedicti in cathedralem erecta ecclesiis faciendas non percipiant, triginta sex sextaria bladi thocellæ, & duo modia vini puri; & archidiaconus major pro omnibus oneribus erectæ ecclesiæ prædictæ, ratione mercedum sindici, medici, chirurgici, fornerii, capellani, capellæ sancti Martini deservientis, ac pensionis annuæ eidem ecclesiæ sancti Petri Magalonensis, pro prioratu S. Petri de monte Albedone solvi solitæ, & aliorum per celerarium ejusdem monasterii pro tempore existentem, in cujus celerarii locum idem archidiaconatus major surrogatur, solvi consuetis, debite supportandis, ducentas libras similes, ac quadringenta & quinquaginta novem sextaria bladi thosellæ, & quinquaginta quatuor modia vini, cum dimidio alterius similis modii: sacrista vero monasterii ejusdem, quamdiu fructus sacristiæ illius percipiet, quadraginta libras similes, & infirmarius dicti monasterii qui nunc sunt, quamdiu fructus officii infirmariæ illius percipiet, triginta libras similes, nec ulterius aliquas oblationes in ecclesia erecta hujusmodi quoquo modo faciendas, aut ipse vel infirmarius hujusmodi, pro dictis officiis sacristiæ & infirmariæ alimenta suorum servitiorum percipiant: modernus vero pitanciarius dicti monasterii, quamdiu fructus dictæ pitantiariæ illius percipiet, quadringentas & decem libras, nec ulterius sal de Mirisvallibus percipiet: camerarius vero ipsius monasterii, quamdiu fructus cameraríæ percipiet, centum & sexaginta tres libras similes capitulo dictæ ecclesiæ erectæ hujusmodi respective solvere teneantur, jure episcopi alias in omnibus semper salvo. Et insuper sedem episcopalem Magalonensem, necnon episcopalem & capitularem mensas ipsius ecclesiæ Magalonensis, cum honoribus, præeminentiis, prærogativis, fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus, legatis, juribus, & bonis universis ad easdem ecclesiam & mensas quomodolibet spectantibus, ad dictam erectam ecclesiam transferimus. Necnon episcopo, præposito, & capitulo præfatis tabulata altarium dictarum ecclesiarum amovere, & illa ac reliquias, jocalia & ornamenta, quæcunque etiam quantumcunque pretiosa, affixa vel non affixa, & tam eisdem episcopo, præposito & capitulo, quam aliis quibuscunque personis ejusdem ecclesiæ, ut se cum eorum rebus & bonis mobilibus ad eandem ecclesiam erigendam, absque excommunicationis aut aliarum quarumcunque censurarum & pœnarum, etiam per quascunque personas quavis etiam auctoritate apostolica, contra hujusmodi tabulata, reliquias, jocalia & ornamenta amoventes, tollentes, seu transferentes, etiam in fundatione ipsarum ecclesiarum, vel alterius illarum ac illorum fundatorum, clericorum, vel sæcularium, etiam imperatorum, regum, pontificum, vel aliorum quorumcunque Christi fidelium instantiam, aut etiam per ipsos fundatores ecclesiasticos forsan promulgatorum incursu transferre libere & licite possint licentiam concedimus. Necnon omnes & singulas ecclesiæ Magalonensis & monasterii sancti Benedicti ac illorum membrorum regularium prædictorum personas, etiam dignitates, personatus, administrationes, officia, beneficia ecclesiastica, & loca, ac canonicales & monachales portiones in eisdem obtinentes, & alterum ex dictis ordinibus tacite vel expresse professos ab observatione statutorum, ordinationum, definitionum, & consuetudinum regularium ordinum, ac statutorum ecclesiæ & monasterii prædictorum, necnon quorumcunque per eos in professione hujusmodi emissorum votorum (castitatis & obedientiæ votis quoad eos qui nunc sunt duntaxat exceptis) & a regulis eorumdem sanctorum Augustini & Benedicti, & secundum illas divini officii recitatione; ita ut canonici sæculares ipsius erectæ ecclesiæ existant, & pro talibus habeantur & reputentur: ac de cætero regularem habitum dictorum ordinum gestare, & illorum regularia instituta, ordinationes, definitiones, & mores, quoad divinorum in eadem ecclesia erecta celebrationem, jejunia, victum, & ciborum usum, & alia quæcunque, quæ ratione dictorum ordinum observare tenentur, minime teneantur, sed in habitu, ceremoniis, ritu, incessu, moribus & vita quoad omnia sæcularibus canonicis aliarum ecclesiarum cathedralium secularium circumvicinarum se omnino & ubique absque aliqua apostasiæ, irregularitatis, inhabilitatis, aut infamiæ nota conformare. Et qui voluerint extra chorum horas canonicas diurnas pariter & nocturnas, ac alia divina officia secundum usum Romanæ ecclesiæ etiam noviter editum,

absque alia concessione dicere & recitare valeant: sic tamen quod tam canonici quam monachi prædicti, qui statum suum regularem, seu habitum & regulam sancti Augustini & sancti Benedicti hujusmodi dimittere noluerint, in illis quamdiu voluerint remanere possint: & nihilominus in divinis in ipsa erecta ecclesia deserviendo, tantum quantum unus alius canonicus percipere, ac secundum ordinem eis per dictum episcopum constituendum sedere & incedere habeant, dummodo in divinis & ecclesiasticis officiis in omni superiori habitu secularibus canonicis se conforment. Et tam Guillelmus ac pro tempore existens episcopus Montispessulanensis supradicti, quam qui nunc sunt, & pro tempore erunt dictæ ecclesiæ canonici & ecclesiasticæ personæ, de eorum bonis quibuscumque etiam intuitu ecclesiarum seu ecclesiasticorum beneficiorum, per eos singulos obtentorum, aut alias undecunque licite acquisitis & acquirendis testari, & tam in vita quam in morte disponere libere & licite valeant: nec spolia canonicorum regularium & monachorum decedentium, qui ratione status regularis, capitulo Magalonensi, conventui dicti monasterii S. Benedicti & quibusvis aliis personis, ecclesiæ & monasterii prædictorum, respective forsan debentur, de cætero per capitulum, conventum, vel personas hujusmodi exigi possint. Et si intestati decesserint, eorum hereditas & bona ad proximiores parentes juxta formam juris, seu dispositionem, sicut de secularibus presbyteris & clericis in illis partibus consuetum existit, deferantur: exceptis domibus & viridariis quæ eos continget possidere in ambitu clausuræ claustri dictæ ecclesiæ, quæ post illorum decessum ad eosdem capitulum pleno jure deveniant, & quas ipsi capitulum vendere, locare, aut in emphytheosin ad vitam concedere debeat illi ex canonicis vel aliis ministris ejusdem ecclesiæ, qui plus offeret tenendas ad illius vitam duntaxat: ita quod postea revertantur ad ipsos capitulum, & pretia inde provenientia thesauro ecclesiæ applicentur, penitus absolvimus & totaliter liberamus. Ipsasque personas & eorum singulas, quæ propter transgressum institutorum regularium prædictorum, aliquam apostasiæ notam, aut inhabilitatem forsan incurrerunt, etiam ab ejusmodi excessibus, & quibusvis excommunicationibus & aliis censuris, & pœnis ecclesiasticis quas præmissorum occasione quomodolibet incurrerunt, absolvimus ac cum eis super irregularitate, si quam etiam, censuris hujusmodi forsan ligati, missas & alia divina officia celebrando, aut illis se immiscendo contraxissent, (dispensamus;) quodque quæcunque quodcunque, & qualiacunque, cum cura & sine cura sæcularia se invicem compatientia beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus etiam metropolitanis vel collegiatis sæcularibus, & dignitates ipsorum in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales majores, seu collegiatis ecclesiis hujusmodi principales fuerint, si eis alias canonice conferantur, aut eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, & instituantur in eis post suppressionem & reductionem hujusmodi, ac si numquam regulares fuissent, recipere, & illa, necnon quodcunque, quæcunque, & qualiacunque alia, cum cura & sine cura sæcularia, ac prædictorum & quorumvis ordinum regularia beneficia ecclesiastica, etiam sæcularia, parochiales ecclesiæ, vel earum perpetuæ vicariæ, aut etiam, ut præfertur, qualificata; regularia vero beneficia, hujusmodi prioratus, præposituræ, præpositatus, administrationes, vel officia fuerint, & ad prioratus, præposituras, dignitates, personatus, administrationes, vel officia tam sæcularia quam regularia hujusmodi consueverunt, qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, quæ eorum singulis etiam ex quibusvis concessionibus & dispensationibus apostolicis in titulum & commendam, ac alias obtinent & expectant: necnon in quibus, & ad quæ jus eis & eorum cuilibet competit, ut prius, quoad vixerint retinere, illaque omnia, & singula simul, vel successive, quoties eis placuerit dimittere, & eidem commendæ cedere, ac loco dimissi, vel dimissorum aliud, vel alia, simile, vel dissimile, aut similia, vel dissimilia, beneficium, seu beneficia, ecclesiasticum, vel ecclesiastica, quæcumque, quotcunque, & qualiacunque se invicem compatientia, similiter recipere, & ut præfertur retinere: ac quascunque pensiones annuas, super quibusvis fructibus, redditibus, proventibus ecclesiasticis eis assignatis, similiter ut prius, quoad vixerint percipere, exigere, & levare, necnon ad quoscunque gradus, dignitates, honores, & officia ecclesiastica, ac viris ecclesiasticis convenientia sæcularia quæcunque promoveri, illaque gerere, exercere, necnon dignitatibus, honoribus, & ordinibus quibuscunque, ad quos hactenus, etiam in statu regulari degentes promoti fuerunt, ac dispensationibus etiam super pluribus beneficiis ecclesiasticis insimul obtinendis & retinendis, necnon ætatis, natalium, cæterisque defectibus, ac privilegiis etiam eligendi personas idoneas ad ecclesiam Montispessulanensem in episcopum Montispessulanensem, prout antea ad dictam ecclesiam Magalonensem consueverant, & ad dignitates, personatus, administrationes vel officia & alia beneficia ecclesiastica in ecclesia erecta hujusmodi, ut præfertur, instituendas: necnon libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, gratiis & indultis realibus & personalibus, etiam quoad membra a dictis ecclesiis & monasterio dependentia extra dictam diœcesim Magalonensem consistentia, & ratione dependentiæ a dicto monasterio sancti Victoris, contemplatione regularis status, vel alias a jurisdictione quorumcunque archiepiscoporum, episcoporum, diœcesanorum, & aliorum ordinariorum exempta, quæ hujusmodi status mutatione nonobstante, eo modo exempta permaneant, solique episcopo Montispessulanensi pro tempore existenti subjiciantur, & alias quomodolibet concessis, perinde ac si personæ ipsæ ordines prædictos numquam professæ fuissent, seu ordinem ipsum, & eorum statum regularem minime reliquissent (etiamsi privilegia, immunitates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujusmodi personalia, realia, aut aliqua illorum, favore religionis & regularis status, dictorumque ordinum vel alterius ex eis concessa fuerint, vel si forsan in illorum concessione expresse dispositum sit, quod ea, vel aliqua ex eis tamdiu persisterent, quamdiu personæ ipsæ in hujusmodi ordinibus, & statu regulari perseverarent) uti, potiri, & gaudere, ac beneficia sub eisdem dispensationibus comprehensa recipere, & juxta illarum tenores retinere, ac fructus, reditus & proventus ecclesiasticos & temporales, qui hactenus ad ecclesiam Magalonensem & monasterium sancti Benedicti hujusmodi ex quibuscunque etiam Romanorum pontificum, imperatorum, regum, episcoporum, & principum, seu aliorum ecclesiasticorum, seu secularium Christi fidelium largitionibus pertinuerunt, & pertinent quovis modo, tam conjunctim, quam divisim, etiamsi pariter hujusmodi redituum concessiones favore ordinum & regularis status prædictorum factæ fuerant, ac etiam forsan in illorum vel alicujus eorum largitionibus hujusmodi appositum fit, quod tamdiu competerent, quamdiu ii quibus concedebantur in religione seu regulari statu perseverarent, percipere, exigere, & levare, libere & licite possint, & debeant, de specialis dono gratiæ dispensamus, sibique pariter indulgemus, necnon ab eis inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam præmissorum occasione quomodolibet contractam penitus abolemus, decernentes beneficia optenta, & jus hujusmodi propter suppressionem, & reductionem prædictas non vacare, ac commendas non cessare, & dispensationes, privilegia, immunitates, libertates, exemptiones, gratias, & indulta non expirare, ac pensiones prædictas extinctas non esse; sed dispensationes, privilegia, immunitates, libertates, exemptiones, gratias & indulta hujusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ac cum permutandi & commendandi, cedendi,

necnon derogationum, omnibusque & singulis in eis contentis clausulis, eisdem personis, etiam post reductionem hujusmodi, suffragari posse & debere in omnibus & per omnia, perinde ac si reductio prædicta minime facta fuisset. Et nihilominus tam fratri nostro Guillelmo Pellisserii episcopo olim Magalonensi (suis exigentibus meritis) quam singulis ex infra scriptis (ob religionis zelum, vitæ ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus ipsorum singuli respective apud nos fide digno commendantur testimonio) specialem gratiam facere volentes, necnon omnia & singula beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, quæ etiam singuli alii ex canonicis & monachis præfatis, etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtinent & expectant, ac in quibus, & ad quæ jus eis & eorum cuilibet competit, quæcunque, quotcumque & qualiacunque, eorumque, ac per ipsos canonicos & monachos obtentorum beneficiorum, fructuum, redituum, & proventuum veros annuos valores ac singularum dispensationum hujusmodi tenores, præsentibus pro expressis habentes: præposituram Michaëli de Sarratis nuper præposito dictæ ecclesiæ Magalonensis, & Majorem Petro de Nougarede nuper cellerario monasterii sancti Benedicti, ac de Valentia Johanni de Lauselergio nuper sacristæ, necnon de Castriis archidiaconatus, Bernardino de Rancho nuper vestiario ecclesiæ Magalonensis prædictorum; & cantoriam Guillelmo Pelleti, sancti Vincentii de Lunello veteri, ac sacristiam Johanni de Blandiaco, S. Jacobi de Fabricis prioratuum prædictorum modernis prioribus; ac eleemosynariam Petro Saurini nuper pitanciario, necnon operariam Antonio Albi nuper camerario ejusdem monasterii sancti Benedicti; necnon exclusis mensæ episcopali, præpositūræ, archidiaconatibus, cantoriæ, sacristiæ, eleemosynariæ, & operariæ ut præfertur unitis. De singulis aliis majoribus, singulis ex Guillelmo Pellisserii episcopo præfato, ac Guillelmo Cambais seniore, Angelo Compaigne, & Bernardo de Solaiges, Guillelmo Clareti, Johanne Sarnelli, Stephano Bruni, Guillelmo de Andrea, Americo de Costa, Guillelmo Inquiniberti, Bertrando Stephani, Johanne Pelergrini, Secundino Bounalli, Galiardo Constanni, Antonio Chrispini, Petro Magni, Antonio de Montelauro, Jacobo de Manso, ecclesiæ Magalonensis & monasterii sancti Benedicti prædictorum canonicis & monachis respective, necnon Pontio de Rancho canonico & sacristæ ecclesiæ Nemausensis ordinis prædicti S. Augustini, monasterium B. Mariæ Francarum Vallium, Cisterciensis ordinis prædictæ Nemausensis diœcesis, & prioratum regularem S. Germani de Calberta dicti ordinis sancti Benedicti Mimatensis diœcesis, ex concessione & dispensatione apostolica, in commendam (ut accepimus) obtinenti, Sebastiano Galterii archidiacono ecclesiæ Urbenatensi acolito capellano nostro, necnon Francisco Pelliserii sanctorum Justi & Pastoris & sancti Laurentii de Buxedone parochiales ecclesias, prioratus nuncupatas, ex dispensatione apostolica (ut etiam accepimus) obtinenti, Johanne le Bas perpetuo beneficiato præbendato seu collegiato nuncupato, in collegiata ecclesia sanctæ Trinitatis dictæ insulæ Magalonensis, ac parochiales ecclesias prioratus nucupatas, S. Michaëlis de Agusanicis & S. Petri de Montebasenco Magalonensis diœcesis, ex simili dispensatione, (ut similiter accepimus) obtinenti, Johanne Bossavini clericis secularibus dictæ Magalonensis diœcesis. De singulis vero minoribus canonicatibus & præbendis sic erectis, ab eorum primæva erectione apud sedem præfatam vacantibus, & de quibus ac de dictis prioratibus per dissolutionem unionis eorum, ut præmittitur, vacantibus, nullus præter nos hac vice disponere potuerit sive potest reservatione & decreto obsistentibus supradictis. Ac quorum insimul, videlicet præpositūræ erectæ & archidiaconatuum & personatuum, necnon majorum & minorum canonicatuum & præbendarum hujusmodi fructus, reditus, & proventus, viginti-quatuor ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum, (ut etiam accepimus) non excedunt, singulis ex Andræa Rigaudi, Antonio Duranti, Dionysio le Long, Petro Dominici, Johanne de Combreto, Olivario Libelli, Johanne Rosseti, Guillelmo Cambaici juniore, Petro Talaysaci, Johanne Gofredi, Antonio Brignon, Olivario Perrinell, Vincentio de Rupeblava, Petro de Ulice, Geraldo Chaudoci, Johanne de Brigniaco, Johanne Thomassi, Stephano de Brigniaco, Antonio de Ecclesia, Henrico de Mansis, Stephano Boneti, Osia de Malebosco, Guillelmo de Vicenobrio, Antonio Roguier, Petro Ratte, Jacobo Benedicti, Guillelmo Monachi, Guillelmo la Verne, Bartholomeo Martin, Petro Trincatoris, Guillelmo Bossi, Petro Raymondo Engarran, Johanne Marquesii, Johanne de Sala, Ludovico Boerii, Guillelmo de Lunera, Nicolao Cancer, Jacobo Calvini, Gratiano Bandinelli, Gaspardo Almarici, Francisco Clari, Petro de Sala, Francisco de Saubayrassio, Petro Basterii, Firmino Blanchon, Francisco de Caylaris, Marcellino Blanchon, Petro de Junquiera, Johanne Quadraginta, Jacobo de Abbatia, Johanne Monachi, Guillelmo Sourguieres, Petro de Malipilli, Andræa de Villanova, Petro Solerii, Raymundo Tornatoris, Francisco Borrilli, Hugone Clasèlli, Antonio Amati, Laurentio Mathæi, Johanne Ferrandi, Antonio Bartholomæi, Francisco de Podio, & Johanne Pinelli, ad præsens etiam ecclesiæ & monasterii prædictorum canonicis & monachis respective, cum plenitudine juris canonici ac omnibus juribus, & pertinentiis suis conferimus, & de illis etiam providemus. Ac cum Guillelmo Pellisserii episcopo, necnon Poncio de Ranco, ut canonicatus & præbendas eis collatos recipere, & illos ac idem Pontius, cum sibi collatis canonicatu & præbenda prædictis, ac loco & canonicali portione, necnon quæ inibi dignitas, non tamen post pontificalem major, seu officium claustrale existit, sacristia dictæ ecclesiæ Nemausensis, insimul per unum absque dispensatione apostolica obtineri solitis, quos in titulum, necnon quæ ut præfertur in commendam obtinet, prædictorum monasterio B. Mariæ & prioratu S. Germani de Calberta, etiamsi ad obtentos sacristiam & prioratum de Calberta hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, quoad vixerint retinere libere & licite valeant de specialis dono gratiæ dispensamus. Et insuper quod capitulum, præpositus, archidiaconi eas preeminentias, prærogativas, & auctoritates habeant, quæ eis per statuta ipsius ecclesiæ attributæ fuerint; sic quod nihil habeant contentiosæ jurisdictionis in ipsa erecta ecclesia, vel aliqua parte civitatis vel diœcesis Montispessulanensis: ac personatus prædictos pro tempore obtinentes curam & administrationem eorum quæ sibi per statuta & constitutiones ecclesiæ attributæ fuerunt, salvo quod ii quibus hac prima vice de dictis dignitatibus & personatibus providetur, quamdiu vixerint & fructus, reditus, & proventus dignitatum, officiorum, beneficiorum, & portionum ecclesiæ & monasterii prædictorum, ac prioratuum ab eis dependentium, necnon ecclesiarum per illius canonicos & monachos obtineri solitarum quæ nunc obtinent, percipient, nihil de eisdem dignitatibus & personatibus unitorum prioratuum & ecclesiarum, ac illorum fructibus, redditibus, & proventibus, nisi ubi fructus, reditus & proventus de novo applicandi in toto vel in parte essent, de redditibus dignitatum, officiorum, portionum, prioratuum, & ecclesiarum tempore suppressionis & reductionis, ac unionis hujusmodi per eos canonice obtentorum percipiant. Quodque canonici seculares, tam dignitates, & personatus obtinentes, quam alii majores, & minores, sedeant, incedant, & voces habeant in choro, processionibus, capitulo, & aliis actibus & locis hoc ordine, videlicet quod dictus præpositus primum locum & sedem in choro in prima cathedra a parte sinistra, & Major secundum locum & sedem in choro in prima cathedra post cathedram episcopalem

episcopalem a parte dextra: ac de Valentia tertium locum & sedem in prima cathedra post cathedram præpositi a parte sinistra: ac de Castriis archidiaconi quartum locum & sedem in prima cathedra post cathedram archidiaconi majoris a parte dextra: & cantor quintum locum habeat, & sedeat post archidiaconum de Castriis, ac sedem habeat in choro in suprema cathedra juxta portam, sive ingressum chori a parte dextra: & sacrista sextum locum & sedem in choro, in suprema cathedra, juxta portam sive ingressum chori a parte sinistra: & eleemosynarius septimum locum & sedem in choro in prima cathedra post cathedram cantoris a parte dextra: ac operarius octavum locum habeat & sedem in choro in prima cathedra post cathedram sacristæ a parte sinistra. Et deinde omnes & singuli canonici, tam majores quam minores, sedeant, ac loca & sedes habeant ordine quo superius sunt descripti: ita quod in futurum semper quoad dignitates & personatus pro tempore obtinentes, idem ordo servetur, eademque preeminentia in vocibus, & incessu dignitates & personatus pro tempore obtinentibus prædictis reserventur. Inter canonicos vero simplices, tam majores quam minores, seu vicarios canonicorum, & hebdomadarios in futurum ordo secundum antiquitatem receptionis (salva prærogativa canonicorum majorum, qui semper præferantur minoribus & simplicibus canonicis) servetur. Nec in ordine, voce, sessione, & incessu respectus habeatur ad ordinem etiam sacrum, gradum, vel aliam dignitatem alicujus (extra dignitates & personatus ipsius ecclesiæ) sed solum ad tempus dictæ receptionis. Quodque dicti canonici majores capitulum sæculare dictæ ecclesiæ faciant & constituant absque canonicis minoribus vel aliis ministris ipsius ecclesiæ inferioribus, ipsique capitulum habeant omnes auctoritates, prærogativas, & præeminentias, quas habent capitula cathedralium sæcularium ecclesiarum dictæ provinciæ, etiam cum potestate deputandi ministros conductitios & temporales, sive pro regimine bonorum mensæ capitularis, sive pro cultu divino, ac statuendi super distributione præbendarum, illas æquales vel inæquales faciendo: necnon ceremoniis in choro & cultu divino, necnon absentem & præsentem computandi, ac declarandi quæcunque dubia circa contenta in præsentibus occurrentia, ac omnia alia faciendi quæ capitulis sæcularium ecclesiarum cathedralium facienda competunt & competere debent: quodque episcopus Montispessulanensis qui pro tempore fuerit ratione canonicatus mensæ episcopali annexi percipiat & percipere debeat duplicem præbendam, seu tantam portionem de redditibus in distributione bonorum mensæ capitularis, quantam duo ex aliis canonicis majoribus dictæ ecclesiæ: & hoc quamdiu idem episcopus præsens fuerit in civitate Montispessulanensis: si vero absens fuerit, percipiat unam præbendam dumtaxat, excepto tempore quo vacabit in negotio visitationis & exercitio officii ordinis pontificalis infra suam diœcesim, quo suas duas portiones seu præbendas integras percipiet: & omnibus præsideat in capitulo, quoties in eo præsens fuerit, emittatque vocem sive votum primo loco, & aliorum voces exquirendi, & ad pluralitatem vocum concludendi auctoritatem habeat, & ubi in vocibus seu opinionibus esset paritas, tunc ea pars in qua idem episcopus erit, habeatur pro majori, & secundum illam concludere possit & debeat: & similiter præpositus ratione canonicatus & præbendæ eidem præpositturæ annexi, percipiat unam præbendam cum dimidia, quam præbendam cum dimidia lucrabitur singulis diebus interessendo in una ex horis principalibus, videlicet matutinis, missa, vel vesperis. Cæteri vero canonici majores suas præbendas interveniendo singulis diebus in una ex dictis horis principalibus, & una ex horis minoribus lucrabuntur: & præfatus Sebastianus, quoad vixerit, & quoties ille, in cujus favorem dictus Sebastianus illos pro tempore resignare contigerit, pro præbenda sua centum scuta auri sibi per capitulum præfatos annuatim in S. Johannis, & Domini nostri Jesu Christi nativitatum festivitatibus ministranda percipiet: necnon quod numerus canonicorum & præbendarum majorum prædictorum reducatur, & reduci debeat ad numerum viginti quinque canonicorum, comprehensis canonicatu & præbenda mensæ episcopali unitis. Itaque dictis canonicis majoribus supra nominatis, quibus de iis pro hac prima vice providetur, vel aliquibus ex eis cedentibus vel decedentibus, seu alicui vel aliquibus ex eis de dignitate vel personatu ipsius ecclesiæ provisum fuerit, canonicatus & præbendæ majores per eos prius obtenti eo ipso suppressi, & extincti existant, & nullus in ipsis succedere possit, donec numerus canonicatuum & præbendarum hujusmodi, inclusis canonicatibus & præbendis mensæ episcopali, dignitatibus & personatibus prædictis annexis, ad dictum numerum viginti quinque reducti fuerint: & similiter numerus canonicatuum & præbendarum minorum reducatur ad numerum triginta duorum. Itaque cedentibus & decedentibus aliquibus ex dictis canonicis minoribus, seu si alicui ex eis de canonicatu & præbenda majoribus provisum fuerit, loco illorum nullus assumatur, sed canonicatus & præbendæ minores per eos obtenti, suppressi & extincti existant, donec & quousque in ipsa ecclesia fuerint triginta duo canonici minores dumtaxat: & hujusmodi reductione facta, quoties inde aliqui ex dictis canonicatibus, & præbendis minoribus quovis modo vacaverint, similiter illi vacantes canonicatus & præbendæ esse desinant, ac suppressi, & extincti eo ipso existant, nec ulterius canonicatus & præbendæ dici, nominari, vel censeri possint, sed loco ipsorum triginta duorum canonicorum minorum cedentium vel decedentium, sex hebdomadarii missarum majorum, & missarum matutinarum per episcopum, viginti sex vicarii canonicorum majorum nuncupandi, tam per episcopum quam dignitates & personatus obtinentes, & alios canonicos majores modo infra scripto deputentur, ac episcopus, quoties loca ipsorum sex hebdomadariorum vacaverint, plenam & liberam aliorum hebdomadariorum institutionem & destitutionem habeat, sic tamen, quod ipsi hebdomadarii ad nutum ipsius episcopi amovibiles existant, qui non recipiantur, nisi fuerint in presbyteratus ordine constituti, & per duos per ipsos capitulum deputandos, in lectura, cantu, & sui corporis dispositione, & decore habiles & idonei reperti fuerint: & si quis hebdomadarius per episcopum institutus seu instituendus, eidem ecclesiæ per quinquennium in loco hebdomadarii deservierit, non possit per episcopum successorem aut successores ejus qui eum instituerit destitui, nisi de consilio & consensu præfatorum capituli: necnon idem episcopus duos vicarios, & singuli ex dictis canonicis majoribus, tam dignitates & personatus obtinentes, quam alii, singulos vicarios habeant: & episcopus in duobus primis vicariorum locis, post hujusmodi reductionem, quovis modo vacaturis, suos duos, deinde præpositus, subsequenter alii dignitates, & personatus, necnon canonicatus & præbendas majores in eadem ecclesia obtinentes, juxta eorum ordinem, singulos suos vicarios, donec singuli singulos vicarios habuerint, ponere & instituere possint: & postquam dictus episcopus duos, & singuli ex dictis canonicis singulos vicarios habuerint, in posterum dictus episcopus suorum duorum, & singuli canonici suorum singulorum vicariorum, qui etiam ad nutum ipsorum episcopi & canonicorum majorum, ac cujuslibet eorum respective amovibiles existant, liberam institutionem & destitutionem habeant: ipsique omnes & singuli vicarii instituendi, exceptis vicariis episcopi, capitulo præsentari debeant, nec recipiantur, nisi prius per duos per capitulum deputandos, in lectura, cantu, & corporis dispositione, & decore idonei reperti, & in presbyteratus ordine constituti fuerint: quodque nulli ex episcopo & canonicis liceat a dictis vicariis pro hujusmodi institutione aliquid exigere vel accipere, seu cum illis de portione aliqua fructuum seu distributionum pacisci sub excommuni-

cationis, & aliis in simoniacos a jure statutis pœnis: ac quod hebdomadarii, & vicarii, qui prædicto modo in loca canonicorum minorum supra nominatorum, & qui nunc sunt in ecclesia Magalonensi, & monasterio sancti Benedicti prædicti instituti, instituentur, ut præfertur, non dicantur canonici, nec ullo modo censeantur in ipsa ecclesia titulati, nec possint capitulum facere, aut universitatem: necnon quod dicti canonici minores supradicti, & qui nunc sunt in ecclesia & in monasterio prædictis, quoad vixerint, in distributionibus bonorum mensæ capitularis percipiant singuli tres partes de quatuor unius præbendæ canonicalis, sic quod portio seu præbenda canonicalis excedat portionem seu præbendam unius canonicorum minorum in una quarta parte dumtaxat: & dicti hebdomadarii & vicarii canonicorum, qui in loca dictorum canonicorum minorum succedent, percipiant eam solum portionem eo modo, quo per ipsos capitulum statuetur, & ordinabitur: quæ quidem portio pro varietate temporum, ad arbitrium illorum augeri vel minui poterit, & ultra dictam præbendam quilibet dictorum hebdomadariorum, sive fuerint de canonicis, sive non, percipiat annis singulis summam viginti quinque librarum Turonensium: quodque collatio, & plena ac omnimoda dispositio dictæ præpositituræ, cum pro tempore vacabit, pleno jure pertineat ad dictos capitulum, qui nominando & eligendo illam conferre possint. Itaque ille, quem plures numero de dicto capitulo nominaverint, provisionem dictæ præpositituræ obtinuisse censeatur, & obtineat: ac per episcopum, vel episcopo recusante per antiquiorem, vel primum in sede & voce eorum, qui eum nominaverint, ab eodem nominato juramentum præstari solitum recipi, ipseque nominatus in realem possessionem dictæ præpositituræ induci, & stallum sibi assignari possit, ipseque pro præposito habeatur: quodque ultra liberam institutionem, & destitutionem sex hebdomadariorum & duorum vicariorum episcopi, ut præfertur, ad episcopum ipsum spectet collatio dictorum archidiaconatus majoris & cantoriæ: necnon tanquam de beneficiis ad collationem ipsius episcopi antea pertinentibus dotatæ eleemosynariæ prædictorum, cum canonicatibus & præbendis illis annexis, cum pro tempore vacaverint: necnon ad eumdem episcopum libera facultas perpetuam capellam ad altare undecim millium virginum situm in claustro ecclesiæ S. Petri insulæ Magalonensis prædictæ, antea illius canonicis per solum episcopum Magalonensem conferri solitam, de cætero conferendi clericis sæcularibus, de quibus sibi visum fuerit, alias sufficientibus & idoneis: necnon ponendi seu deputandi doctorem theologum, qui legendo & prædicando, prout per statuta ipsius erectæ ecclesiæ edenda dispositum fuerit, unam canonicalem præbendam, sine tamen titulo vel jure canonicatus, in eadem ecclesia percipiat:, & inquisitor hæreticæ pravitatis in civitate & diœcesi Montispessulanensi, apostolica auctoritate prædicta, vigore præsentium deputatus censeatur, & easdem auctoritatem & facultatem habeat, quas inquisitor ipsius hæreticæ pravitatis in partibus illis auctoritate apostolica deputatus habere consuevit: ac cum episcopo in negotio ejusdem hæreticæ pravitatis, prout de jure, procedere, nec alius inquisitor de officio inquisitionis hujusmodi in eisdem civitate & diœcesi se intromittere possit: successores vero ipsius Guill. episcopi pariter habeant deputare dictum theologum doctorem, qui tamen per dictos successores positus, non prius pro recepto habeatur, aut aliquid de dicta præbenda percipere possit, quam per præpositum, & archidiaconos ipsius ecclesiæ examinatione facta idoneus repertus, ac admissus fuerit: quodque ad dictum præpositum collatio & quævis alia dispositio omnium beneficiorum, quorum collatio vel alia dispositio dudum hactenus pertinuit ad præpositum dictæ ecclesiæ Magalonensis pro tempore existentem, exceptis officio eleemosynariæ, ac omnibus prioratibus regularibus ab eadem ecclesia dependentibus, & vicariis perpetuis parochialium ecclesiarum S. Sixti de Perolis, S. Jacobi de Pradis, S. Stephani de Villanova, B. Mariæ de Piniano supradictarum, & aliarum quarumcumque ecclesiarum mensæ capitulari dictæ ecclesiæ Magalonensis unitarum, quibus per presbyteros conductitios (ut præfertur) in divinis deservietur: ac etiam postquam unio prioratus S. Firmini hujusmodi effectum sortita, & ille cum effectu mensæ capitulari unitus fuerit, spectet ad eundem præpositum libera collatio prioratuum sive ecclesiarum sanctæ Annæ, & sancti Pauli, ac sancti Matthæi, & sancti Nicolai, & sanctæ Crucis, ac sancti Thomæ Montispessulanensis: & ad archidiaconum majorem præsentatio, & quævis alia dispositio rectoriarum, & aliorum beneficiorum seu ecclesiarum a prioratu de Ambileto Albiensis diœcesis dependentium, qui prioratus officio prædicto cellerariæ dicti monasterii unitus existit, & in cujus cellerariæ locum dictus archidiaconatus major surrogatur, prout ad dictum cellerarium hactenus pertinuerint: excepta vicaria perpetua parochialis ecclesiæ B. Mariæ de Valentia dictæ Albiensis diœcesis, cujus præsentatio & omnimoda dispositio ad archidiaconum prædictum de Valentia simul cum collatione & dispositione capellæ B. Mariæ de Oliveto prope Villam novam dictæ Magalonensis diœcesis pertinebit: ac canonicatus, & præbendæ dicto Sebastiano collatorum, quotiens pro tempore vacaverint, ad præfatum Augustinum cardinalem, & successores suos dicti monasterii sancti Victoris abbates, seu commendatarios pro tempore existentes: aliarum vero dignitatum, personatuum, canonicatuum & præbendarum, parochialium ecclesiarum, & aliorum quorumcunque beneficiorum dictæ erectæ ecclesiæ libera collatio, & omnimoda alia dispositio ad eosdem capitulum pertinebit; exceptis illis quæ episcopo, dignitatibus, & personatibus dictæ ecclesiæ, & Augustino cardinali, ac successoribus suis abbatibus, seu commendatariis præfatis specialiter reservantur. Fiat tamen hujusmodi collatio, vel alia dispositio per canonicum hebdomadarium hoc modo, videlicet quod facta translatione dictæ ecclesiæ, & ex die datæ publicationis præsentium, occurrente prima vacatione alicujus beneficii, seu dignitatis, personatus, aut officii, seu cujuscunque alterius qualitatis in eadem ecclesia consistentis, vel ab eadem dependentis beneficii, dicta præpositura, & aliis expresse ad collationem seu dispositionem episcopi, præpositi, & archidiaconorum dictæ ecclesiæ, & Augustini cardinalis, ac successorum suorum abbatum, seu commendatariorum prædictorum, reservatis exceptis, ipsius beneficii, cujus primo loco sic occurret vacatio (dummodo in manibus & potestate ordinarii collatoris vacaverit) collatio & alia dispositio ad episcopum spectet, fitque in illius turno, seu septimana, qui turnus seu septimana habebuntur pro inceptis sabbato præcedenti proxime ante hujusmodi vacationem in occasu solis: & pro omni jure sibi ratione pontificalis dignitatis, ac canonicatus, & præbendæ dictæ mensæ episcopali annexorum, aut alias in dictis collationibus, & aliis ecclesiasticorum beneficiorum dispositionibus, quæ hactenus ad capitulum dictæ ecclesiæ Magalonensis, necnon dignitates, personatus, officia, beneficia suppressa, & prioratus dictæ mensæ capitulari unitos pro tempore obtinentes pertinuerunt, ultra collationes dictorum archidiaconatus majoris, cantoriæ, eleemosynariæ, sex hebdomadariorum, duorum suorum vicariorum, ac loci doctoris theologi, habeat idem episcopus turnum suum duplicem, hoc est, quod in quolibet turno duret per duas hebdomadas integras & continuas, ac dispositionem quorumcunque dictorum beneficiorum in eisdem duabus septimanis vacaturorum, & ulterius, ultra dictum turnum & duplicem hebdomadam, semper idem episcopus in secundo turno habeat unam hebdomadam simplicem, videlicet quintam decimam hebdomadam ejusdem turni, computatis omnibus hebdomadis ejusdem turni, etiam illis duabus quas episcopus habuerit in initio ejusdem: & deinde postquam idem

episcopus habuerit duas primas hebdomadas, præpositus habeat tertiam, & secutive omnes & singuli canonici majores, tam dignitates & personatus obtinentes, quam singuli alii habeant unam hebdomadam secundum suum ordinem & turnum in sabbato & occasu solis incipiendam, ut præfertur, collationesque seu alias dispositiones quorumcunque beneficiorum in hujusmodi sua hebdomada vacaturorum, dicta quinta-decima hebdomada secundi turni episcopo reservata, & pariter reservetur præposito ultra suum turnum sexta-decima hebdomada dicti secundi turni, & sequens immediate aliam septimanam singularem episcopo reservatam, quibus duabus hebdomadis, quinta-decima, ac sexta-decima secundi turni, turnus aliorum canonicorum remaneat in suspenso. Itaque canonici noviter recepti, sive dignitates ac personatus obtineant, sive non, hebdomadam & turnum non habeant in turno ante receptionem illorum incepto & currenti, sed in primo turno post eorum receptionem hujusmodi per episcopum incipiendo in suo ordine turnum habere incipiant : nec possunt dicti canonici, tam dignitates & personatus obtinentes, quam alii collationes in eorum turnis, seu septimanis facere, nisi per se ipsos, vel suos vicarios, qui sint de numero canonicorum majorum & de capitulo : & si contingat canonicum hebdomadarium in sua hebdomada decedere, collatio canonicatus & præbendæ ejusdem, & aliorum illius beneficiorum, quæ in eadem septimana contigerit vacare, exceptis illis quæ episcopo & archidiaconis dictæ ecclesiæ, ac Augustino cardinali & commendatario, & successoribus suis præfatis, ut præfertur, specialiter reservantur, & quæ ad episcopum spectabunt, ad præpositum ejusdem ecclesiæ pertineat, sic tamen quod sibi in turno non computentur : sede autem episcopali vacante, omnium & singulorum dignitatum, personatuum, canonicatuum, & præbendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, quorum collatio, præsentatio, provisio, & quævis alia dispositio ad dictos episcopum & capitulum tam conjunctim quam divisim spectabit, collatio & provisio, præsentatio, seu quævis alia dispositio ad canonicum hebdomadarium in suo turno vacationis illorum tempore existenti, dicta præpositura excepta, pertineat. Quodque successores ipsius Augustini cardinalis & commendatarii dicti monasterii S. Victoris abbates, seu commendatarii, pro tempore existentes, quotiescunque ad dictam civitatem Montispessul. accesserint, & chorum dictæ erectæ ecclesiæ ingredi seu sequi voluerint, primum & honorabilem locum in choro hujusmodi post episcopum habeant, dum tamen, quod prius, tam ipsi successores, quam conventus ejusdem monasterii sancti Victoris capitulariter & legitime congregati segregationi, suppressioni, erectioni, & aliis prædictis consentiant : & antequam hujusmodi segregationi, exemptioni, suppressioni, exstinctioni, & aliis præmissis dicti successores dicti Augustini cardinalis, & etiam commendatarii, ac conventus dicti monasterii S. Victoris legitime & capitulariter congregati consenserint, jure conferendi præbendam prædictam, seu etiam prærogativa dictum locum obtinendi nullo modo gaudeant : ac quod nullus ad dignitates, & personatus prædictos promoveri, seu assumi possit, nisi canonicus major dictæ ecclesiæ in ea actu receptus, & de illius majorum canonicorum numero fuerit. Itaque nullus alius ad hujusmodi dignitates & personatus capax seu idoneus reputetur, etiam in vim cujuscunque dispensationis, nec ad dictos canonicatus, & præbendas majores quovis modo, etiam per adeptionem dignitatis, vel personatus ecclesiæ erectæ hujusmodi cum canonicatu illi annexo vacantes vel vacaturos assumi possit, quam unus ex dictis canonicis minoribus supra nominatis, quamdiu aliquis ex eis supervixerit, imo ipsi canonicatus, & præbendæ majores, illorum vacatione occurrente, eisdem canonicis minoribus, & dignitate ac personatus prædicti dictis canonicis majoribus eo ipso affecti censeantur, nisi forsan nullus reperiatur ex canonicis minoribus supervivens, qui hujusmodi canonicatus & præbendæ majoris collationem vellet acceptare ; quo casu, vel etiam non superstitibus aliquibus ex dictis canonicis minoribus, is ad quem spectabit, libere providere poterit de alio, sic quod viventibus aliquibus ex dictis canonicis minoribus canonicatum & præbendam majorem vacantem non recusantibus acceptare, nullus alius ad dictos canonicatum & præbendam majores capax seu idoneus censeatur, vel promoveri possit, etiam in vim cujuscunque dispensationis : & si quis contra præmissa contulerit, seu providerit, collatio & provisio sint nullæ, & nullius roboris, ac potestas providendi similis, & similiter restricta & limitata, ad episcopum Montispessulanensem proximum superiorem devolvatur ; qui si pariter contra præmissa contulerit seu providerit, collatio & provisio hujusmodi nullæ sint ; potestasque similis providendi ad alium superiorem proximum, sic gradatim usque ad sedem apostolicam, devolvatur : & ubi aliqua ex dictis dignitatibus, personatibus, canonicatibus, & præbendis majoribus, vel minoribus, hebdomadariis, seu præbendis simplicibus inter aliquos in petitorio, vel possessorio litigiosa fuerit, nullus collitigans aliquos illius fructus percipere, aut turnum in collationibus habere possit seu debeat, donec sententiam recredentiæ ad minus ab eo ad quem spectat obtinuerit ; sed iidem fructus cedant capitulo, vel thesauro ipsius ecclesiæ : & ne propter litem ejusmodi ecclesia ministrorum numero fraudetur, ad deserviendum in locum beneficii litigiosi præfati capitulum personam idoneam deputent, & eidem de fructibus præbendæ solvant stipendia ipsorum capituli arbitrio moderanda. Ac etiam ut ecclesia ipsa indumentis, jocalibus, libris & aliis ornamentis decentibus fulciri, & illa refici, & augeri valeant, quod promovendi, seu assumendi in futurum ad pontificalem, vel alias supradictas dignitates, personatus, canonicatus & præbendas, in nova receptione sua teneantur offerre pro præmissis summas infra scriptas, videlicet promovendi ad pontificalem, vel alteram ex dictis dignitatibus quinquaginta scutorum auri cugni solis in auro : promovendi vero ad unum ex dictis personatibus, quadraginta scutorum auri similium ; promovendi autem ad unum ex dictis canonicatibus majoribus triginta scutorum auri similium summas ; sic quod donec dictas summas realiter & cum effectu obtulerint, & solverint, nihil omnino de fructibus seu bonis mensæ capitularis consequi aut lucrari, vel aliquam distributionem percipere possint ; sed id quod ille solvere differens posset lucrari, cedat ecclesiæ thesauro, hoc salvo, quod qui noviter ad pontificalem dignitatem promotus fuerit, ad dictam summam quinquaginta scutorum, nisi post annum a die receptionis præbendæ computandum, minime teneatur : & si ecclesia ipsa litigiosa fuerit, seu super illius regimine, & administratione lis pendeat, ita quod neuter promotus gaudeat fructibus præbendæ, quam assequi debet in præsentia, fructus illius sint loco dictæ summæ usque ad illius valorem : quodque episcopus pro tempore existens per se ipsum, vel vicarium, qui sit unus de numero canonicorum majorum actu in dicta ecclesia receptus, & de corpore capituli, quem ad hoc episcopus constituere teneatur, canonicorum tam majorum, quam minorum etiam dignitates, & personatus obtinentium, ac vicariorum canonicorum, hebdomadariorum, simplicium præbendatorum, & aliorum dictæ erectæ ecclesiæ ministrorum criminales causas, necnon eorumdem causas civiles etiam per se ipsum, vel dictum vicarium, si præsens in civitate fuerit, alioquin dictas civiles causas per suum officialem, & has omnes, non in consistorio officialatus, sed alibi in loco a concursu populi remoto audire, tractare, & diffinire teneatur & debeat : nec per alium, vel alios, aut in illos, vel illorum aliquem, nisi quatuor edictis per sex dierum inter singula edicta intervalla præcedentibus, excommunicationis, suspensionis & interdicti sententias ferre possit. Ipseque vicarius episcopi, si fuerit de

canonicis, dignitatem aut personatum obtinens, in ecclesia, capitulo & cæteris locis suo loco sibi ratione dignitatis suæ vel personatus competenti sedeat & incedat: si vero fuerit canonicus major, dignitatem vel personatum non obtinens, quamdiu vicarius fuerit, sedeat, incedat, locum & vocem habeat post operarium, ultimum personatum obtinentem immediate ante omnes alios simplices canonicos, in choro vero sedeat in cathedra post archidiaconum de Valentia a parte sinistra. Quodque de cætero per capitulum dictæ erectæ ecclesiæ in ipsa ecclesia S. Petri insulæ Magalonensis ponatur ad cultum divinum unus ex canonicis majoribus ipsius ecclesiæ, qui habeat secum unum vicarium, & sex alios presbyteros conductitios, vel si capitulo visum fuerit, mittantur aliqui ex dictis canonicis minoribus dictæ ecclesiæ loco dictorum sex presbyterorum conductitiorum, usque ad numerum sex, vel minorem: qui quidem canonicus major cum dictis vicario, & canonicis minoribus, loco dictorum presbyterorum conductitiorum per capitulum, si illi visum fuerit, mittendis ibidem residere teneantur, continue per sex menses, seu a prima die lunæ post festum B. Lucæ qua celebratur capitulum generale, usque ad diem lunæ crastinam Dominicæ qua cantatur evangelium, *ego sum pastor bonus*, & qua celebrabitur aliud capitulum generale in erecta ecclesia prædicta, in qua die alius canonicus de majoribus eligetur in rectorem dictæ ecclesiæ S. Petri insulæ Magalonensis, qui in ea cum suo vicario similiter usque ad aliud capitulum generale prima die lunæ post dictum festum B. Lucæ celebrandum residere teneatur, qui quidem canonicus major, rector nuncupandus, una cum canonicis minoribus, si qui ad deserviendum in dicta ecclesia S. Petri insulæ Magalonensis deputati fuerint, deserviendo in eadem per dictum tempus, habebuntur pro præsentibus in ecclesia cathedrali, illasque præbendas integras consequentur loco stipendiorum: & si quis ex dictis canonicis majoribus, vel minoribus, per dictos capitulum ad deserviendum in dicta ecclesia insulæ Magalonensis electus, in eadem residere & deservire recusaverit, puniatur in perditione omnium lucrorum, seu emolumentorum de distributionibus per sex menses continuos ante hujusmodi recusationem, aut per proximos sex menses lucrandos, & alius in ejus locum eligatur, qui si non paruerit, similiter puniatur, & deinde pariter tertius, & quartus etiam subsequenter: illi vero majori, qui in locum recusantis in rectorem electus fuerit, & paruerit, dentur per ipsos canonicos viginti quinque libræ Turonenses, ipseque canonicus rector cum suo vicario & sex presbyteris conductitiis, seu canonicis minoribus, si ut præfertur deputati fuerint, teneantur dicere & celebrare in dicta ecclesia insulæ omnes horas canonicas & missas in eadem dici ecclesia & celebrari solitas, & fundatas ordine, modis, & formis per eosdem capitulum statuendis, absque eo quod de fructibus dictæ mensæ capitularis, etiamsi pro fundatione anniversariorum in eadem ecclesia insulæ per eos celebrandorum deputati fuerint, aliud quam quod eis per dictos capitulum constituetur, & assignabitur, percipere possint. Quodque pro custodia insulæ & ecclesiæ Magalonensis deputetur unus capitaneus cum duobus sodalibus seu militibus, & tres servitores ad deserviendum dictis personis, videlicet unus fornerius qui etiam erit cocus, unus scapolerius, & alius barquerius, quibus omnibus ipsi capitulum de alimentis provideant, & cum eis de stipendiis concordent; poteritque dictus rector secum habere unum servitorem expensis capituli quoad alimenta tantum, si vero plures tenere voluerit, id faciat suo sumptu: super cujus ecclesiæ S. Petri insulæ regimine, statu, alienatione, nihil omnino immutari possit, nisi de voluntate & expresso consensu ipsius episcopi, etiamsi totum capitulum unanimiter consentiret. Et quod præmissa omnia, & singula vim contractus, & transactionis, ac concordiæ inter ipsos episcopum, priorem, capitulum, & conventum invicem, ac regem & apostolicam sedem prædictam favore & contemplatione dictæ translationis, ac novæ erectionis & institutionis obtineant, ita ut inter dicti regni privilegia adscribi & computari debeant, perpetuo statuimus & ordinamus, ac uniones & applicationes hujusmodi sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, & derogationibus, etiam per nos & sedem prædictam quomodolibet ac sub quibusvis tenoribus & formis pro tempore factis & faciendis nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse & censeri: ac etiam ad hoc, ut sub illis non comprehendantur, ex nunc vero, & non ficte suum effectum sortitas, ac de vacantibus & non de vacaturis locis, & portionibus, dignitatibus, officiis, prioratibus & ecclesiis prædictis factas: necnon per illas ex nunc jus in re acquisitum existere, & censeri debere: & sic per quoscunque judices quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere decernimus. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Casertanensi & Vabrensi episcopis, ac dilecto filio officiali Nemausensi per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios præsentes litteras & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit & quotiens pro parte Guillelmi, & pro tempore existentis episcopi Monspeliensis, necnon capituli, & canonicorum, ac monachorum prædictorum, seu alicujus eorum, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis deffensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra segregationem, dismembrationem, separationem, exemptionem, suppressionem, exstinctionem, reductionem, erectionem, institutionem, translationem, concessionem, statutum & ordinationem, & alia præmissa firmiter observari, ipsosque episcopum & capitulum, canonicos & monachos, illis ac possessione vel quasi absolutionis, dispensationis, indulti, abolitionis, & decreti prædictorum pacifice gaudere; non permittentes eos desuper per quoscunque quavis auctoritate fungentes quomodolibet indebite molestari: necnon Michaëlem de Sarratis, recepto prius ab eo, nostro & Romanæ ecclesiæ nomine, fidelitatis debitæ solito juramento juxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam, in erectæ præpositura, & Petrum Nogarede in majoris, ac Johannem de Lauselergio in de Valentia, & Bernardinum de Ranco in de Castriis archidiaconatuum, necnon Guillelmum Pelleti in cantoriæ, & Johannem de Blandiaco in sacristiæ, & Petrum Saurini in eleemosynariæ, & Antonium Albi in operariæ, necnon Guillelmum Pellicerii episcopum, ac reliquos omnes, & singulos supradictos, quibus minores & majores canonicatus & præbendas hujusmodi contulimus, in majorum & minorum canonicatuum, & præbendarum eis respective collatorum, illorumque omnium, juriumque & pertinentiarum prædictorum corporalem possessionem respective inducant auctoritate nostra, & deffendant inductos, amotis quibusvis detentoribus ab eisdem; facientes Guillelmum Pellicerii olim episcopum, & alios præfatos ad præbendas eis collatas hujusmodi in dicta erecta ecclesia in canonicos recipi & in fratres, stallo eis, & eorum cuilibet in choro, ac loco in capitulo ipsius erectæ ecclesiæ cum dicti juris plenitudine assignatis: necnon Michaëlem de Sarratis ad præposituram, & Petrum Nogarede ad majorem ac Johannem de Lauselergio ad de Valentia, necnon Bernardinum de Ranco ad de Castriis archidiaconatum, ac Guillelmum Pelleti ad cantoriam, & Johannem de Blandiaco ad sacristiam, ac Petrum Saurini ad eleemosynariam, & Antonium Albi ad operariam prædictas, ut est moris, admitti; eisdemque Michaëli de Sarratis de præposituræ, ac Petro Nogarede de majoris, ac Johanni de Lauselergio de Valentia, & Bernardino de Ranco de Castriis archidiaconatuum, necnon Guillelmo Pelleti de cantoriæ, & Johanni de Blandiaco de sacristiæ, ac Petro Saurini de eleemosynariæ, & Antonio Albi de operariæ prædictorum,

& aliis quibus majores & minores canonicatus, & præbendas hujuſmodi, ut præfertur, contulimus, de illorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integre reſponderi, contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, eorum arbitrio moderandas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo; ac legitimis & ſuper iis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: nonobſtantibus priori voluntate noſtra prædicta, ac Conſtantianenſis uniones perpetuas niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentis, noviſſime celebrati Lateranenſis Conciliorum, necnon piæ memoriæ Bonifacii papæ octavi, etiam prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis, ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis, ad judicium evocetur, ſeu ne judices a ſede prædicta deputati extra civitatem vel diœceſim in quibus deputati fuerunt, contra quoſcunque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant; & de duabus dietis in concilio generali edita, & quibuſvis aliis apoſtolicis, necnon in provincialibus & ſinodalibus conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon eccleſiæ Magalonenſis & monaſteriorum, necnon ſancti Auguſtini & ſancti Benedicti ordinum prædictorum juramento & confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam in ipſorum eccleſiæ Magalonenſis, & monaſterii ſancti Benedicti fundationibus per quoſcunque eccleſiaſticos, etiam Romanos pontifices prædeceſſores noſtros, vel ſæculares, quacunque etiam imperiali, regali, vel alia quavis eccleſiaſtica vel ſæculari dignitate fungentes, ſeu ad eorum requiſitionem, quavis auctoritate, etiam intuitu & favore ſtatus regularis, ac ordinum prædictorum editis: etiam quod perſonæ ad aliquem, vel aliquos ex locis eccleſiæ Magalonenſis & monaſteriorum ſancti Benedicti prædictorum aſſumendo, ex certis locis, civitatibus vel diœceſibus, ac de certo genere perſonarum eſſe, & aſſumi debeant, diſponentibus: necnon privilegiis & indultis etiam apoſtolicis ejuſdem eccleſiæ Magalonenſis, & monaſterio ſancti Benedicti, ac ordinibus prædictis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis etiam motu proprio, & ex quibuſvis cauſis, ac quavis conſideratione, etiam iteratis vicibus, conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, non autem per clauſulas generales, etiam idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma, ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus obmiſſo, ac forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, quodque forſan dictum monaſterium ſancti Benedicti de bonis præfati monaſterii ſancti Victoris, ſeu redditibus prioratuum, & aliorum beneficiorum ab eo dependentium, in toto, vel in parte, fundatum, conſtructum, vel dotatum fuerit, & hujuſmodi bonorum, redituum, prioratuum, & aliorum beneficiorum, ac dependentium intuitu, favore, vel alias eidem monaſterio ſubjectum ſit & ab eo dependeat, ac quod loca ejuſdem monaſterii S. Benedicti, ſive ad divinum cultum, ſive ad literarum ſtudia, vel aliqua ex eis aſſumendi, ex dicto monaſterio S. Victoris vel illius membris & dependentiis, aut aliis civitatibus vel diœceſibus ſive locis aſſumi debeant etiam per illius fundatores, & in illius fundatione decretum & ordinatum, ac quacunque contradictione minorum partium capituli eccleſiæ Magalonenſis, & conventus monaſterii S. Benedicti prædictorum forſan facta ſeu facienda, ac diſſenſu, ſeu conſenſus defectu, vel contradictione præfatorum conventus dicti monaſterii S. Victoris, vel alicujus ex eis, etiam forſan facta, ſeu facienda contrariis quibuſcunque, aut ſi alicui ſuper canonicalibus & monachalibus portionibus, ac dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus vel officiis eccleſiæ Magalonenſis & monaſterii S. Benedicti prædictorum, necnon prioratibus ac hujuſmodi ſpeciales, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ ſedis vel legatorum ejus litteras impetrarent, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum; quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quæcunque ad loca, canonicales, & monachales portiones, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia, necnon prioratus, eccleſias vicarias, & beneficia ſuppreſſa & unita hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem locorum canonicalium, & monachalium portionum, ac dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, vel officiorum, ſeu prioratuum, aut beneficiorum aliorum præjudicium generari; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit ſede indultum, quoad receptionem, vel proviſionem alicujus minime teneantur, & ad idem compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis privilegiis, & indulgentiis, ac litteris apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeant quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcunque tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis: proviſo quod propterea prioratus uniti, necnon canonicatus & præbendæ Guillelmo Pellicerii epiſcopo, & Poncio præfatis collati, ac locus, & canonicalis portio, necnon ſacriſtia eccleſiæ Nemauſenſis hujuſmodi debitis non fraudentur obſequiis, & animarum cura in prioratibus unitis & ſacriſtia prædictis, ſi qua illis immineat, nullatenus negligatur, ſed loci, & portionis, ac canonicatuum, præbendarum, necnon ſacriſtiæ prædictorum, congrue ſupportentur onera conſueta: nos enim tranſumptis præſentium ſeu proceſſibus aut litteris executorum prædictorum, vel alicujus eorum, cum illarum inſertione, manu notarii publici ſubſcriptis & ſigillo alicujus illorum, ſeu cujuſvis curiæ eccleſiaſticæ, aut perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem in judicio & extra adhibendam fore, quæ ipſis litteris originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ; necnon qua ad unionem, annexionem & incorporationem prioratuum, per diſſolutionem unionum illorum vacantium, ac collationes & proviſiones noſtras prædictas, prout eſt, ſi attentatum eſt forſan hactenus, & quoad illas, necnon quoad alia præmiſſa ex nunc, ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, ſegregationis, diſmembrationis, ſeparationis, exemptionis, ſuppreſſionis, extinctionis, reductionis, erectionis, inſtitutionis, unionis, annexionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, tranſlationis, liberationis, conceſſionis, diſpenſationis, indulti, abolitionis decreti, collationis, proviſionis, ſtatuti, mandati, ordinationis, derogationis & voluntatis infringere, vel auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXXXVI. VI. cal. Aprilis, pontificatus noſtri anno ſecundo.

LXVIII.

Epistola S. Francisci de Sales Genevensis episcopi ad Clementem VIII. de Petro electo Monspeliensi.

Circa 1607.

Beatissime pater, cum de moribus & origine Petri Fenoilleti ad Monspessulanensem ecclesiam a Rege christianissimo nominati, locupletissima collegissem testimonia, quæ de more ad sedem apostolicam deferrentur; non potui cohibere animum, quin ad sanctitatis vestræ pedes, tamquam ad omnium ecclesiarum patrem amantissimum pariter, & amatissimum, gratulationis significationem exhiberem. Solent enim servi ac domestici patri-familias merito gratulari, cum fauste ac recte filiam nuptui collocavit. At ecclesia illa Monspessulanensis eo meliore sponso indigebat, quo deteriora ab hæreticis jampridem patitur incommoda, cui propterea non abs re dici possit: *Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tibi!* (Thren. 2. 13.) Quare consentaneum est, ut ecclesiæ illi primum, de qua tam recte collocanda agitur, tum etiam ecclesiæ Romanæ, quasi matri optimæ domestici Dei gratulentur; at ego libentius, ac opportunius, qui omnium optime virum, de cujus promotione sermo est, cognovi; est enim civis meus, beatissime pater, ab ineunte ætate litteris in hac ipsa civitate nostra, ab optimo patre eruditus, quibus postea alibi tanta studiorum contentione, tanta ingenii felicitate animum addixit, ut doctor theologus creatus, brevi in concionatorem omnino celeberrimum evaserit; cumque propterea parochialis ecclesiæ curam a me suscepisset, mox ad canonicatum majoris ecclesiæ nostræ evocatus, non potuit diutius tantus splendor tam angustis finibus contineri, sed Lutetiam Parisiorum quadragesimalium concionum causa accersitus, ubi primum ejus dicendi, ac docendi vis christianissimi Regis aures pervasit, non fuit ei deinceps liberum, quin concionatoris Regis honore afficeretur & onere, cui sustinendo cum in dies majorem animi firmitatem ac doctrinæ robur ostenderet, quod plerique præclari alioquin viri vix multis annis ac maximis intercessoribus obtinere possunt, hic tribus annis consecutus est; ut scilicet a Rege ad episcopatum Montispessulanensem, sedi apostolicæ promovendus exhibeatur. Quod ubi catholici Monspessulanenses rescivere, mira concepta lætitia ad Regem ex primoribus destinaverunt, qui omnium nomine gratias agerent de tanto pastore sibi destinato. Hæc porro cum ita sint, B. pater, facile conjici potest, quam feliciter accidat, ecclesiam illam huic viro committi, qui per omnes ecclesiasticorum munerum gradus exercitatus ascendat supra muros illius, tanquam custos fidelis, qui non tacebit die ac nocte clamare nomen Domini. Quod alacrius præstabit, si eum beatissima vestra clementia paternis amplexibus erigat, foveat, protegat, ac confirmet.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ CARCASSONENSIS.

I.

Charta fundationis cœnobii B. Mariæ de Crassa.

778.

CAROLUS gratia Dei rex Francorum & Longobardorum ac patricius Romanorum, omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, sed & cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris præsentibus & futuris notum sit qualiter venerabilis Nimfridus abbas serenitati nostræ suggessit eo quod ipse[a] cum monachis suis infra heremum in territorio Narbonense super fluvium Orbionis in loco nuncupato[b] Novalias monasterium in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ novo opere construxisset, ibique domos, ecclesiam, & reliquas habitationes edificasset, & vineas plantasset, & campos ad laborandum, &[c] prata de causa nostra fiscali a senioribus hominibus accepisset, quod usque nunc sicut asserit cum æquitatis ordine absque ullius contrarietate se habere & possidere profitetur, ideoque petit[d] celsitudini nostræ ut nos ei & monachis suis supradictum locum cum omni adjacentia ad se pertinentia undecumque ipse & monachi sui ad præsens juste & rationabiliter vestiti esse noscuntur, deinceps a nostra indulgentia in eleemosina nostra conferre[e] & confirmare dignaremur[f]; cujus petitionem denegare nolumus[g], sed pro mercedis nostræ augmento ita concessisse & in omnibus omnia[h] confirmasse cognoscatur.[i] Præcipientes ergo jubemus ut neque nos, neque juniores, seu successores nostri memorato viro venerabili Nimfrido abbati aut successoribus suis de supradicto loco unde ad præsens ipse & monachi sui cum æquitatis ordine ac juste & rationabiliter vestiti esse noscuntur inquietent[k] aut in dominium intrare, nec aliquid exinde contra justitiam abstrahere aut minuere quoquo tempore præsumant, sed per hanc nostram auctoritatem atque confirmationem habeant in eleemosina nostra omnique in tempore concessum, ita ut eos melius delectet pro nobis & filiis ac filiabus nostris, seu cuncta familia domus nostræ & successoribus nostris Domini misericordiam implorare. Et ut hæc nostræ concessionis & confirmationis auctoritas perpetuo firmior habeatur, atque melius conservetur, manus nostræ signaculis subter eam roborari decernimus[l] & de annulo nostro sigillare jussimus. Signum Caroli (magni) gloriosissimi regis Francorum & Longobardorum ac patricii Romanorum. Ludbertus[m], recognovi & scripsi. Facta XIV.* kal. Febr. anno XI. indict. prima regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum Compendio regio palatio in Dei nomine feliciter, amen.

Locus sigilli.

[a] una. [b] nuncupante [c] vel [d] petiit [e] cedere. [f] deberemus [g] noluimus. [h] al. deest. [i] cognoscite. [k] inquietare, aut calumniam generare, nec aliquid [l] decrevimus. [m] Amalbertus. * al. XV.

II.

Privilegium Ludovici piissimi imperatoris concessum Olomundo primo abbati Montis-olivi.

Biblioth. Colbert.

815.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus: proinde noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium, quam futurorum sagacitas, quia vir venerabilis Olomundus abbas ex monasterio qui * nuncupatur Malaste, quod est situm in territorio Carcassense super fluvium Duranum, constructum in honore S. Johannis-Baptistæ, obtulit obtutibus nostris quandam auctoritatem domini & genitoris nostri Caroli piæ recordationis serenissimi augusti, in qua erat insertum, qualiter idem Olomundus ipsum monasterium a novo construxisset opere, & propter ejus defensionem, vel propter pravorum hominum illicitas infestationes in manu ejusdem domini imperatoris una cum monachis ibi degentibus se commendavit, ut sub ejus tuitione licuisset eos cum rebus & hominibus eorum quiete vivere ac residere, & deprecatus est clementiam nostram, ut prædictum monasterium una cum cellula, quæ nuncupatur S. Martini, prædicto monasterio subjecta, quæ est sita in eodem pago super rivulum Lampii, quæ est constructa

* quod.

in honore S. Martini conſeſſoris, cum rebus, hominibus, & adjacentiis, ſive terminis ſuis ſub noſtra ſuſciperemus defenſione & immunitatis tuitione; cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam divini cultus libenter aurem accommodare placuit, & hoc noſtræ auctoritatis præceptum immunitatis atque tuitionis gratia fieri decrevimus *, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, vel quiſlibet ex judiciaria poteſtate in eccleſias, vel loca, aut agros, ſeu reliquas poſſeſſiones prædicti monaſterii, quas moderno tempore juſte & rationabiliter poſſident, vel quæ etiam deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones, vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines monaſterii tam ingenuos quam & ſervos ſuper terram ipſius commanentes injuſte diſtringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ ſupra memorata ſunt penitus exigere præſumat, & quidquid de rebus præfati monaſterii fiſcus ſperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione præfato monaſterio concedimus, ut in alimonia pauperum & ſtipendia monachorum ibidem Deo famulantium perpetuo proficiat in augmentum; & quandoquidem divina vocatione ſupradictus abbas, vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipſi monachi inter ſe tales invenire potuerint, qui ipſam congregationem ſecundum regulam S. Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum licentiam habeant eligendi abbates, quatenus ipſi monachi * qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge proleque noſtra atque ſtabilitate totius imperii noſtri a Deo nobis conceſſi, ejuſque clementiſſima miſeratione per immenſum * conſervandi, Domini immenſam clementiam jugiter exorare delectent *. Hanc itaque auctoritatem ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & a fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ & noſtris, & verius credatur, & diligentius conſervetur, manu propria ſubtus firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignare juſſimus. Signum Ludovici ſereniſſimi imperatoris. Durandus diaconus ad vicem Heliſacar recognovit. Datum ſexto idus Decembris anno Chriſto propitio ſecundo imperii domini Ludovici piiſſimi auguſti indictione octava. Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

* decernimus.

* ipſos monachos.

* per univerſum.

* delectet.

III.

Ludovici Pii imperatoris privilegium Monello abbati S. Hilarii conceſſum.

Circa 820.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, Ludovicus divina ordinante providentia imperator auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejuſque in eiſdem locis famulantes beneficia optima largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit ſagacitas, ſeu utilitas omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium, quam futurorum, quia vir venerabilis Monellus abba ex monaſterio S. Hilarii, qui eſt ſitum in pago Carcaſſenſe ſuper rivum qui dicitur Leucus, conſtructus in honore ſancti Saturnini martyris, ubi & prædictus S. Hilarius confeſſor corpore requieſcit, ad noſtram accedens clementiam detulit * obtutibus noſtris quandam auctoritatem domni & genitoris noſtri Caroli bonæ memoriæ piiſſimi auguſti, in qua continebatur inſertum, qualiter idem genitor noſter ipſum monaſterium ad deprecationem predeceſſoris ſui Nampionis abbatis ſub ſuo ſuſcepiſſet mundeburdo vel defenſione, videlicet ut monachi in eodem monaſterio commorantes cum omnibus rebus eorum quiete vivere abſque alicujus infeſtatione licuiſſet, pro cujus firmitatis * namque poſtulavit prædictus Monellus abba, ut eundem monaſterium cum cellulis ſibi ſubjectis quæ nuncupatur Garelianus *, & alia quæ nuncupatur S. Martini, & villam juxta ipſum monaſterium, quæ vocatur Salas, ubi eſt eccleſia conſtructa in honore S. Mariæ ſemper virginis, quam & nos eidem monaſterio conceſſimus cum adjacentiis vel terminis prædictorum locorum ſub noſtra conſtitueremus defenſione & immunitatis tuitione: cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam divini cultus libenter aurem accomodare placuit, & hoc noſtræ auctoritatis præceptum immunitatis atque tuitionis gratiam * fieri decrevimus, per quam præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus vel quilibet ex judiciaria poteſtate in eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones prædicti monaſterii, quas moderno tempore juſte & rationabiliter poſſidet, vel quæ etiam deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones, vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius monaſterii tam ingenuos quam & ſervos ſuper ipſius terram commanentes injuſte diſtringendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas actiones requirendas noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea que ſupra memorata ſunt penitus exigere præſumat, & quidquid de rebus præfati monaſterii fiſcus ſperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione præfato monaſterio concedimus, ut in alimonia pauperum & ſtipendia monachorum ibidem Deo famulantium perpetuo proficiat in augmentum: & quandoquidem divina vocatione ſupradictus abba vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipſi monachi inter ſe tales invenire potuerint, qui ipſam congregationem ſecundum regulam S. Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum licentiam habeant eligendi abbates quatenus ipſos monachos, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge proleque noſtra atque ſtabilitate totius imperii noſtri a Deo nobis conceſſi, ejuſque clementiſſima miſeratione per univerſum conſervandi, Domini immenſam clementiam jugiter exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & a fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ & noſtris verius credatur, & diligentius conſervetur, manu propria ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

* obtulit.

* firmitate.

* Garchanus

* gratia.

IV.

Præceptum confirmationis Caroli Calvi imperatoris, pro monaſterio Craſſenſi, collatum ad exemplar editum in Capitularibus, tom. 2. pag. 1451.

Ex autographo.

844.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei rex. Si ea quæ edictis imperialibus domni & genitoris noſtri Ludovici piiſſimi auguſti largita vel roborata ſunt, atque decreta, noſtræ manſuetudinis præcepto firmamus, regiam conſuetudinem exercemus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum ſollertiæ, quia ſicut in præcepto jam dicti domni genitoris noſtri continetur, immunitatis defenſionem atque tuitionem monaſterio ſancti Laurentii, quod ſitum eſt in pago Narbonenſe ſuper fluvium Rhigella, ſeu David abbati, ſuiſque ſucceſſoribus necnon & monachis in eodem monaſterio conſiſtentibus, cum cella quæ dicitur Caucana, quæ eſt ſuper littus maris, necnon cum rebus, quas idem David ſuper Traſoarium & Theoderetum quoram miſſis ſupradicti domni ac genitoris noſtri conquiſierat, id eſt eccleſiam ſancti Marcelli, & ſanctæ Mariæ, & ſancti Felicis, & omnibus, quæ in judicio exinde evindicato, & præcepto ex eadem re firmato continentur; ſeu etiam cum cella nova ſub honore ſanctæ Mariæ conſtructa in pago Carcaſſonenſe cum omnibus ad ſe pertinentibus, ſicut in præcepto fratris noſtri Pippini exinde continetur; necnon & cum portu ſecus monaſterium in maris littore ſito, per hoc clementiæ noſtræ firmamus edictum, per quod

constituentes decernimus, ut sæpe fatum monasterium, & in eo regulari ac monastico ordine viventes........... cum omnibus ad se pertinentibus, quæ nunc possidere videntur, vel quod de cætero a Deum timentibus hominibus ad idem collatum fuerit monasterium, sub nostra successorumque nostrorum tuitione in perpetuum maneat, quatinus nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, aut ullus fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum cellas, aut ecclesias, vel loca, sive agros, vel reliquas possessiones, quas nunc vel inpostmodum in quibuslibet pagis & territoriis possident vel possessuri sunt, ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, homines que distringendos, vel quascumque redhibitiones aut inquietudines agendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat; sed liceat memorato abbati suisque successoribus res ejusdem monasterii cum omnibus ad se pertinentibus sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere. Concedimus etiam ut homines liberi commanentes infra terminos & super terram ejusdem monasterii, terras quas per licentiam abbatis & monachorum ex heremo traxerint & incoluerint, quiete possideant; ita tamen ut congruum obsequium, sicut homines ingenui, exinde eidem monasterio exibeant. Hi vero liberi homines, qui in congruentia sepefati monasterii de sua proprietate terras & vineas aut molendina habent, concedimus ut ad idem monasterium ea vendant vel commutent, & ipsa emptio vel commutatio plenissimam præsenti nostræ auctoritatis edicto in omnibus firmitatem habeat. Quandoquidem autem abba ipsius monasterii ab hac luce migraverit, quamdiu ipsi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere ac gubernare valeant, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant ex semetipsis abbatem eligere, quatinus ipsi servi Dei qui ibidem Domino famulantur, pro nobis & stabilitate regni nostri Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris successorumque nostrorum temporibus inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria eam subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari decrevimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Jonas diaconus ad vicem Hludovici recognovit. Data XIII. kal. Junii, ind. VII. anno IV. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in monasterio sancti Saturnini prope Tolosam in Dei nomine feliciter, amen.

V.

Præceptum ejusdem Caroli pro Richimiro abbate Montis-olivi.

Edit. tom. 2. Capitularium, pag. 1461.

854. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Cum petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia pro his muniri non dubitamus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum præsentium, futurorumque sagacitas, quia vir venerabilis Richimirus abbas ex monasterio quod nuncupatur Malasti, situm in territorio Carcassensi super fluvium Durannum, constructum in honore sancti Johannis-Baptistæ cum terminis & adjacentiis suis, obtulit oculis * nostris quandam auctoritatem domini ac genitoris nostri Ludovici piæ recordationis serenissimi augusti, in qua erat insertum, qualiter antecessoris sui antecessor ipsum monasterium novo construxisset opere, & propter ejus defensionem, vel propter pravorum hominum illicitos * motus, in manu ejusdem domini imperatoris una cum monachis ibi degentibus se commendavit, ut sub ejus tuitione licuisset eos cum rebus * suis quiete vivere & residere; & deprecatus est clementiam regni nostri, ut præfatum monasterium una cum villulis, quarum nomina sunt, villa Secarii, seu villa Alderii, necnon villa Vinionis * super idem fluvium præfatum, villare quod nomine Magnianacus in pago Tolosano super fluvium Fiscanum *, necnon cellulas quæ nuncupantur sancti Martini prædicto monasterio subjectas, quæ sunt in eodem pago super fluvium Lampium, sive sanctæ Ceciliæ & sancti Petri quæ sunt super fluvium jam dictum Durannum, locumque qui dicitur Oratorium cum omnibus rebus & adjacentiis, sive terminis suis sub nostra suscipere mus defensione & immunitatis tuitione. Cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam divini cultus libenter aurem accommodare placuit, & hoc nostræ auctoritatis præceptum immunitatis tuitionisque gratia fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, loca, vel agros, seu reliquas omnes possessiones dicti monasterii quas moderno tempore possidet, vel quæ erunt deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augere, ad causas audiendas aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam & servos super terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare potest, totum nos pro æterna remuneratione præfato monasterio concedimus ut in alimonia pauperum, stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas, vel successores ejus hac migraverint de luce, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint qui ipsam congregationem secundum regulam S. Benedicti regere valeant, scilicet qui præesse & prodesse queant, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi abbates, quatenus pro nobis & totius regni nostri stabilitate a Deo nobis concessi jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur diligentiusque conservetur, manu propria subter firmavimus & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. (Guilebericus diaconus ad vicem Liloudowici recognovit.) Datum tertio kalendas Augusti anno decimo-quinto indictione secunda regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Germiniaco palatio in Dei nomine feliciter, amen.

* obtutibus
* inlicitas infestationes.
* hominibusque eorum.
* Junionis
* Fiscayum

VI.

Præceptum Karoli Calvi pro monasterio S. Hilarii in diœcesi Carcassonensi.

Edit. tom. 2. Capitularium, pag. 1461.

Circa 855. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus Dei gratia Francorum rex. Quidquid enim ob amorem divinæ reverentiæ operibus justis implere satagimus, ad æternæ beatitudinis gloriam capessendam profuturum nobis omnino non dubitamus, quinetiam ad regni nostri diuturnum felicemque statum pertinere procul dubio credimus. Idcirco cognoscat sagacitas seu utilitas omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum, qualiter religiosus Ana abba ex monasterio sancti Hilarii, quod est situm in pago Carcassonense super rivum Leuco, constructum scilicet in honore S. Saturnini martyris, ubi etiam prædictus sanctus Hilarius confessor corpore requiescit, ad nostram accedens clementiam obtulit mansuetudini nostræ quandam auctoritatem sanctæ memoriæ domni & genitoris nostri augusti Ludovici, in qua continetur qualiter idem domnus & genitor noster prædecessores suos prædictumque monasterium cum omnibus rebus sibi juste legaliterque pertinentibus sub defensionis suæ tuitione

tuitione immunitatisque munimine receperit. Petiit etiam idem venerabilis Ana abba magnitudinem nostram, ut eandem auctoritatem genitoris nostri renovare & ipsum memoratumque monasterium sibi commissum cum cellulis sibi subjectis, quæ nuncupantur Garelianus, & alia quæ nuncupatur sancti Martini, cum villare infra ipsos terminos, qui vocatur Buxolus, & molendinos duos, qui esse noscuntur in pago Redense in villa, quæ dicitur Limosus, & alios duos molendinos in villa quæ dicitur Rescemiri super fluvium Atacis, quam propriis manibus memoratus abba & monachi sibi commissi construxerunt, seu & villam juxta ipsum monasterium, quæ vocatur Salas, ubi est ecclesia constructa in honore sanctæ Mariæ semper virginis, & alios duos villares qui vocantur Issart & Irulia, qui sunt in fines de ipso memorato monasterio cum terminis & appendiciis suis, quam hactenus supradictus domnus & genitor noster augustus Ludovicus prædicto monasterio per auctoritatem suam præfinivit, concessit atque delegavit, vel etiam omnibus rebus & omnibus eidem loco appendentibus sub nostra similiter defensione ac immunitatis tuitione recipere dignaremur, & in pago Russilionense cellas tres, una quæ vocatur Nitolarias super flumen quod dicitur Thetus, ubi est ecclesia constructa in honore sancti Stephani, & alia est in monte furcato, ubi est ecclesia constructa in honore sancti Martini, & tertia est in monte Albaria in loco qui vocatur valle Vitraria, ubi est ecclesia constructa in honore S. Martini, cum ipso villare qui dicitur ad Casas Tationi cum terminis vel adjacentiis illorum. Cujus petitionibus clementer annuimus. Cui etiam hoc excellentiæ nostræ præceptum fieri jussimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore juste & rationabiliter possidet, vel quæ etiam deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam & servos super terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat: Et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione præfato monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum & stipendia monachorum ibidem Deo famulantium perpetuo proficiat in augmentum, vel ipsos molendinos duos qui sunt in fluvio Atace in terminio de villa Cerintiano. Præterea neminem Dei nostrorumque fidelium industriam latere volumus quia sæpedictus abba nostræ suggessit præcellentiæ, qualiter quidam sacerdos, cui nomen Autarius, basilicam in pago Carcassonense sitam, sub honore scilicet sancti Adriani cum omnibus illi pertinentibus rebus prænominato suo monasterio contulerit seu donaverit, atque per cartam traditionis legaliter firmaverit, sive per præceptum, quod eandem basilicam gloriosus quondam rex Pippinus largitus fuit eidem Autario sacerdoti, sicut supra taxatum est, plenissime memorato loco donando contradidit. Quæ quidem ecclesia duos habet molendinos, qui attinguntur terminis duarum villarum, quæ dicuntur Prexianus & Rusiacus. Nostram itaque frequenter Ana abba petiit pietatem, ut ob nostræ pietatis augmentum supradicto sacerdoti Autario factam donationem plenius confirmare dignaremur per hanc eandem excellentiæ nostræ auctoritatem. Cujus precibus annuentes, constituendo sancimus, ut sicut ab eodem Autario sacerdote præmemorata basilica cum appendiciis præmisso monasterio est tradita seu delegata, sic super hanc nostram auctoritatem integerrime perpetuis temporibus in potestate seu dominatione prænotati monasterii rectorumque ejus consistat, & absque alicujus contradictione vel minoratione omni tempore in utilitatibus ipsius sancti loci permaneat. Et quando quidem divina vocatione supradictus abba vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem & consensum licentiam habeant eligendi abbates; quatenus ipsos monachos qui ibidem Deo famulantur pro nobis & conjuge atque stabilitate totius regni nostri Domini immensam clementiam jugiter exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, inconvulsa valeat manere, manu propria subter firmavimus & annuli nostri impressione signari jussimus.

VII.

Caroli Calvi imperatoris præceptum pro monasterio Crassensi.

Ex authentico.

Edit. tom. 3. annal. Bened. pag. 681.

876.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus ejusdem Dei omnipotentis misericordia imperator augustus. Si servorum Dei petitionibus aurem nostræ serenitatis accomodamus, & antecessorum nostrorum morem sequimur, & ob id præsentem vitam facilius transigere, & futuram adipisci nullo modo dubitamus. Noverit itaque omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque tam præsentium quam futurorum industria, quod Songfredus abbas monasterii sanctæ Mariæ de loco qui dicitur Urbionis, sito in confinio Narbonensi & Carcassensi, ad nostram accessit clementiam, deprecans ut ejus donationes, emptiones vel alias adquisitiones rerum ad jam dictum locum pertinentium nostrum pro firmitatis gratia superaddidissemus præceptum. Præcipientes igitur jubemus ut omnes villæ, id est Buciniacus & Palaracus, Cuvicianus & mansiones & villares cum omnibus possessionibus ad præfatum locum in quibuslibet comitatibus sint, in eodem loco juste & rationabiliter per hoc nostrum præceptum permaneant; & ecclesiæ quæ in villaribus eorum sunt, in eorumdem potestate similiter pamaneant, immunitatem etiam nostram similiter habeant, sicut in nostro veteri præcepto continetur. Et ut hoc ita juste conservetur, manu nostra subter firmavimus, & annulo nostro insigniri jussimus. Signum Karoli gloriosissimi imperatoris augusti. Audacher notarius ad vicem Gauslini recognovit. Data VIII. kalendas Novembris, indictione X. anno XXXVII. regni domni Karoli imperatoris in Francia, & imperii ejus primo. Actum Elidione villa in Dei nomine feliciter. Amen.

VIII.

Wilerannus episcopus Carcassonensis præest judicio lato in gratiam Recamundi abbatis S. Hilarii.

Edit. in Diplom. Mabillonii, pag. 505. & in historia Arverniæ Baluzii, tom. 2. pag. 13.

883.

IN judicio Wileranni sedis Carcassona episcopo, necnon Aquifredo * comite, Sicfredo vicecomite, Sunifredo abbate, Miro abbate, Gulfino, Australdo, Autario & Willisco judicum, & in præsentia Witardo, Elarensio, Wisando & Adalgrimo presbyteri, Seseando, Bellone, Drogone, Fedisclo, Johanne, Jordane, Giscafredo, Feduncio, Wandalardo, Odovacro, Waltario, Ariberto, Godberto, Guilone, Leutfredo, & Wisando, Salone vel aliorum multorum, qui cum supradicto episcopo, comite, vicecomite, abbates, archidiaconos & ipsos judices vel auditores in illorum judicio in publico mallo in civitate Carcassona residebant. In eorum præsentia recognosco me ego Ermenardus, qui fuit filius condam genitore meo nomine Amelio quod negare non possem facio mea * professione

* Aguifredo

* meam professionem, &c.

* scripturis. adque evacuatione de scripturas * quod homo nomine A Recamundus abba & sui monachi qui sunt de monasterio sancti Hilari, qui est situs in territorio Carcassense super fluvium Leuco ipsas scripturas quod ipsi mihi requirebant in supradicto judicio quod antecessor suus Castellanus aba condam, qui fuit, & sui monachi de sancto Hilario mihi jam dicto Ermenardo fecerunt & donaverunt procaminationis de illorum alode proprio, quod abent in territorio Rossilionense, in locum ubi dicitur ad ipsas Nitolarias ipsa illorum cellula, cui vocabulum est S. Stephani cum suis appendiciis, quod debet esse de jam dicto monasterio sancti Hilari, sive Recamundo abbate vel ad ipsos monachos per illorum scripturas, & per illorum aprisiones, & alias scripturas authenticas, quod inde mihi donaverunt: quod ibi comparavit monachus illorum nomine Gladesindus per jussionem & per mandatum de ipso abbate sancti Hilari & de ipsos monachos, de omnes ipsas scripturas, de quantum jam dictus Castellanus aba qui fuit antecessor de isto Recamundo supradicto abbate & sui monachi inde mihi Ermenardo donaverunt de ipsa cellula S. Stephani cum suo appendicio & procamiationis authenticas de ipsas scripturas. Ego Ermenardus plus nec amplius inde venire * non possum, nisi quatuor, quas inde inveni authenticas, quod ego reddidi ad isto Recamundo abate vel ad suos monachos in isto supradicto judicio, & ipsas procamiationis quas inde habui, & alias cartas authenticas ego Ermenardus eas invenire non possum, sed perditas * ipsas abeo & necio quid se fecerunt, sed ubicumque ipsas scripturas procamiationis, vel ipsas alias authenticas in mea potestate, aut in potestate de ullo homine, aut in placitum, aut in platea ipsas scripturas inventas aparibiles fuerint, frigulas & vagas & inanes permaneant omni tempore, & non abeant ullam firmitatem. Et ego Ermenardus sic me evaquo in omnibus de ipsa cellula superius dicta S. Stephani & de suis appendiciis, quia non hodie, nec ullo tempore, neque istum placitum, neque in alium, nullam scripturam inde præsentare nec habere non possum, nec per testes, nec per ullum documentum indicium * veritatis ego probare non possum, quod ipsa cellula S. Stephani nec suum appendicium ego tenere debeam in meam potestatem, sed plus debet esse de monasterio S. Hilari seu ad Recamundo abate, vel ad monachos. Et ego Ermenardus ipsa cellula cum suum appendicium reditum habeo ad isto jam dicto abate vel ad monachos suos, & ipsum meum alodem proprium quod inde procamiatum habui cum jam dicto Castellano abate & ipsos monachos in territorio Redense, in alode de Telia * in locum ubi dicitur domum S. Petri, ipsum meum alodum receptum abeo in mea potestate, & vera est mea professio & evaquatio in omnibus. Facta scriptura professionis VI. kalendas Martii anno III. imperante Carolo imperatore. S. Ermenardus, S. Jordanus, S. Alderandus, S. Pantaleon, S. Leufredus, S. Gulfinus, S. Baldefredus*, qui hanc scripturam scripsit die & anno quod supra.

* invenire.

* prædictas.

* judicium.

* Teria.

* Galafredus

IX.

Præceptum Odonis regis pro Ugoberto abbate Montis-olivi.

Edit. tom. 2. Capitular. pag. 1518.

889. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Odo gratia Dei rex. Cum petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia pro his muniri non dubitamus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum præsentium futurorumque sagacitas, quod vir venerabilis Ugobertus abbas ex monasterio quod nuncupatur Malaste situm in territorio Carcassense, constructum in honore S. Johannis Baptistæ cum terminiis & adjacentiis suis obtulit obtutibus nostris quandam auctoritatem domini Pipini piæ recordationis serenissimi regis, in qua erat insertum qualiter antecessoris sui antecessor ipsum monasterium a novo construxisset opere & propter ejus defensionem vel propter pravorum hominum infestationes illicitas, in manu ejusdem domini imperatoris una cum monachis ibi degentibus se commendavit, ut sub ejus tuitione licuisset eos cum rebus omnibus eorum quiete vivere ac residere. Et deprecatus est clementiam regni nostri ut præfatum monasterium una cum villulis, quarum nomina sunt villa Sigarii, seu villa Addarii, necnon villa Vivonis, necnon villa quæ dicitur Elisau, quæ alio nomine villa Fedosi, quæ sunt super eundem fluvium sitæ, seu villare quod nominatur sancti Stephani, & villa quæ dicitur Miazani in eodem pago super fluvium Fiscanum, & in pago Redensi locum qui dicitur sancti Vincentii in villa Teria, & villa B quæ dicitur Annulella, quæ est sita in pago Redensi sive Crassensi, villareque nomine Magnianacum in pago Tolosano super fluvium Fiscanum, necnon & cellulam sancti Martini prædicto monasterio subjectam super rivulum Lampium, sive sanctæ Cæciliæ & sancti Petri super fluvium jam dictum Duramnum, locum qui dicitur Oratorium quæ sunt in pago Carcassensi, villare quod dicitur Eleci super fluvium Lagauci, cum omnibus rebus & adjacentiis sive aquis suis, sub nostra susciperemus defensione & immunitatis tuitione: cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam divini cultus libenter aurem accommodare placuit, & hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri decrevimus atque jubemus, per quod præcipimus ut nullus judex publicus vel quilibet de judiciaria potestate in ecclesias, loca C vel agros, seu reliquas ejus possessiones, quas moderno tempore possident, vel quæ eis deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augere, ad causas audiendas, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam & servos super terra ipsius commanantes injuste distringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris nec futuris temporibus, ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat; & quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare potest totum nos pro æterna remuneratione præfato monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum, stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quando quidem divina vocatione supradictus abbas vel successores de hac luce D migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, scilicet qui præesse & prodesse queant, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi abbates, quatenus pro nobis & totius regni nostri stabilitate a Deo nobis concessi jugiter Domini misericordiam exorare delectent. Et ut hæc auctoritas a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur diligentiusque conservetur, manu propria subter firmamus & annulli nostri impressione signari jussimus. Signum Odonis gloriosissimi regis. Datum idibus Junii anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo octuagesimo nono, indictione septima, anno secundo regni Odonis regis gloriosissimi. Actum in monasterio S. Maximini in Dei nomine feliciter. Amen.

E

X.

Præceptum Caroli Simplicis pro Witiza Crassensi abbate.

Biblioth. Colbert. tit. abbatiæ Crass.

908. IN nomine S. & individuæ Trinitatis, Carolus divina propitiante clementia rex. Si necessitatibus servorum Dei, &c.* Quamobrem notum sit, &c. quia Witiza venerabilis abbas S. Mariæ Urbionensis ad nostram accedens serenitatem, res quasdam datas S. Mariæ, ut illi eas præcepto nostræ auctoritatis confirmaremus, deprecatus est, quas avus & genitor noster & omnes antecessores nostri confirmaverunt, &c. per quod præcipimus atque decernentes jubemus, ut cellæ sive aliæ res quæ

* *Vide append. tom. 3. annalium Bened. pag. 670.*

jam fato monasterio a Deum timentibus collatæ sunt, id est in pago Sancti Carcassonensi Flexus, &c. Baugiles* cum ecclesia sancti Petri, quæ est sita prope civitatem Carcassonæ, &c. quod donavit Ranilo femina bonæ memoriæ; & aliud villare quod vocatur Favarias cum cella S. Caprasii & ecclesia S. Stephani, quas donavit Pontio comes bonæ memoriæ, sicut Oliba comes tenuit & sunt sitæ in valle Aquitaniæ in villa Adurci; & in pago Narbonensi Caputspina, &c. quos Agila abbas apprehendit ante Fulconem missum avi nostri Caroli; & Palma, &c. & cellam sancti Petri in territorio Narbonensi in insula Lici, quæ concambiavit Wifredus comes cum Fredolo episcopo, & villam Serciam, &c. in pago Rasensi cellam quæ vocatur Paterno in suburbio Petrapertusense sitam cum ecclesia S. Petri, quæ donavit Oliba comes bonæ memoriæ: in pago Rusulionensi & in pago Gerundense Fonteclara cum ecclesia S. Pauli, quod donavit Odo rex per præceptum ad Saborellum abbatem ipsos ficos quod in præcepto Odonis regis resonant & Wifredus comes ipsos ficos consensit, &c. & villaria quæ sunt per diversas provincias, &c. sub nostræ tuitionis mundeburdo & nostræ dominationis protectu esse jubemus, &c. Et quando quidem divina vocatione prædictus abbas de hac luce migraverit, quandiu ipsi monachi inter se voluerint eligere, qui ipsam congregationem regere valeant secundum regulam S. Benedicti, per hanc nostram auctoritatem & consensum licentiam habeant inter se eligendi abbates. Et ut hæc largitionis auctoritas a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris firmius credatur, diligentiusque conservetur, manu propria firmavimus, & annuli nostri impressione sigillari jussimus. Signum Caroli regis gloriosissimi. Ernustus notarius ad vicem Askerici episcopi subnotavit. Data III. nonas Novembris indictione XII.* anno XVI. regnante Karolo rege gloriosissimo redintegrante........ Actum Lauduno castro I. D. N. F. A.

* al. Baguiles

* a mense Septembri inchoata.

XI.

Commutatio facta inter Gimeram episcopum Carcass. & Erifonsum abbatem Montis-olivi.

Edit. in append. ad Capitularia, col. 1534.

925.

IN nomine Domini. Ego Gimera episcopus & omnis congregatio sancti Nazarii sedis Carcasson. tibi Erifonso abbati & cunctæ congregationi sancti Johannis monasterii castri Mallasti procambiamus vobis ecclesias nostras quæ sunt in comitatu Carcassense, suburbio Ausonense: ecclesiam sancti Romani quæ est in villa Witizanis cum suis decimis sine aliquo censu, & ecclesiam sancti Saturnini quæ est in monte Coniculo cum suis decimis sine aliquo censu, propter alodem vestrum qui est in comitatu Carcassense in villa quæ dicitur Orenciano, qui vobis venit tam de donatione quam ex comparatione: ut ab hodierno die inantea habeatis potestatem de ipsis ecclesiis cum illorum decimis sine aliquo censu vos & successores vestri, ut quidquid exinde agere, facere vel judicare volueritis in Dei nomine habeatis potestatem cum omni voce oppositionis nostræ. Sane, quod fieri minime credimus esse venturum, quod si ego Gimera episcopus, aut mea congregatio, aut aliquis successorum meorum qui contra hanc procambiationem venerit ad irrumpendum aut supposita persona ulla, aut nos venerimus*, inferam vel inferent vobis aut parti vestræ quantum apud vos aut successores vestros ipsas ecclesias cum illarum decimis sine aliquo censu adeo* tempore melioratas fuerint, componat vobis tantum, & aliud tantum quantum ipsas res valere potuerint, & hoc quod repetit non valeat vendicare, sed inantea ista procambiatio firma & stabilis permaneat omni tempore. Facta charta procambiationis idus Junii anno vigesimo octavo regnante Carolo rege post obitum Odonis regis. ✠ Gimera humilis episcopus..... facta. Sig. Digarius archipresbyter. Sig. Raimundus subdiaconus. Sig. Horsmindus presbyter. Sig. Bellus diaconus.* Sign. Amelius archidiaconus. Sign. Rostagnus levita. Sig. Blanbericus presbyter. Sig. Leutardus levita. Sig. Gilmundus.............................. Sig. Gisandus arc. Sig. Ennego subdiaconus. Sig. Itarius acolytus. Sig. Abbo archilevita. Sig. Teodemarus archidiaconus. Sig. Amelius acolitus. Sig. Egilbertus acolitus. Sig. Senpilsus. Sig. Robbertus presbyter. Sig. Sentalricus presbyter, qui hoc scripsit die & anno quo supra.

* qui inferant.

* ab eo.

* al. decanus

XII.

Permutatio inter Gimeram Carcassonensem episc. & abbatem ac monachos Montis olivi.

Edit. prob. tom. 2. hist. Occit. pag. 66.

931.

ORthodoxa & bonis moribus non contradicens publicisque utilitatibus non impediens legalis & canonica sanxit antiquitas, ut quotiescumque inter ecclesiarum aut cœnobiorum præsides quarumlibetve personarum homines commutationis celebratur optativa* vel ablativa auctoritas, scripturarum intercedat alterna commoditas, quatenus perpetim valitura permaneat firmitas & commutationis sicut emptionis invacuata & parilis subsistat coëvitas. Quocirca omnium sæculorum cognoscat posteritas, quia ego Gimera, qui divina dispositione sancti Nazarii Carcassonensis titulo fungor, per consultum & per consilium cathedralium clericorum meorum, propter utilitatem & adjacentiam ecclesiæ,* commutationis obtentu, non alienationis distractu, quia qui utiliter commutat nullatenus alienat, commutamus ad cœnobium almi Johannis Baptistæ, quod vulgariter dicitur castrum Malasti, & ad archimandritam, id est abbatem ejusdem loci cognomine Arifonsum sanctamque catervam inibi Deo famulatricem de rebus possessionis nostræ, sedis videlicet sancti Nazarii martyris in regno Septimaniæ in comitatu Carcassense villam nomine Crissagum cum ecclesia sanctæ Columbæ, cum omnibus appenditiis & pertinentiis suis quæ nos ibi & nostra ecclesia legaliter & canonice possidemus in eodem regno & comitatu. In villa Sicca commutamus ad præfatum locum ecclesiam sanctæ Eugeniæ ab integro cum suo censu, & in villa Segarii ecclesiam sancti Andreæ cum suo censu, *& in vicaria Ausonensi in villa Elisau ecclesiam sanctæ Mariæ cum suo censu.* Hæc omnia superius scripta de nostro nostræque ecclesiæ nostrorumque clericorum jure commutamus, tradimus & transfundimus in potestate & dominatione proprietaria prælibati cœnobii sancti Johannis abbatisque instantis cœnobitarumque modernorum & successorum, ut amodo & deinceps quidquid exinde facere vel judicare voluerint normaliter proficuum libere & firmissime habeant inconvulsum. Recepimus econtra ad utilitatem nostræ ecclesiæ per corroboratam alternitatis auctoritatem in commutatione, ceu* in eodem resonat de manu abbatis pretaxati monachorumque loci in suprascripto regno & comitatu alodem proprium eorum, nomine Villam-albam cum ecclesia sancti Petri & cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis, &c. solidatas in tali deliberatione, ut si nos aut successores nostri contra eos & successores eorum, parique modo si ipse abbas aut successores ejus contra nos successoresque nostros calumniam aliquam aut litem inferre præsumpserint, de qualicumque parte calomniator surrexerit, quod repetit non vindicet, & insuper dupla, & meliorata quæ commutavit altrinsecus restituat. Ego tandem Gimera episcopus precor piam successorum nostrorum reverentiam ut ita nostra facta sinant manere indemnia quemadmodum sua vota a Deo & a suis successoribus malunt custodiri perennia. Ut ergo auctoritas ista firmiori valeat omni tempore subsistere vigore, eam manu propria manibusque canonicorum nostrum roboratam in sancto episcoporum concilio eorum manibus roborandam obtulimus. Acta commutationis hujus series anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXXXI. sub era DCCCCLXIX. indictione quarta.

* oblativa & aptativa.

* nostræ.

* sive in eodem resonante.

XIII.

Litteræ Radulfi regis Francorum pro restauratione Montis-olivi.

Edit. tom. 2. histor. Occitan. probat. pag. 68.

932. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Radulfus divina propitiante clementia Francorum rex. Qui pro amore omnipotentis Domini sanctam Dei ecclesiam construere & reædificare glisicit, magnam in honore sanctorum mercedem impendit, in futuro vero cum sanctis vitam acquirit sempiternam. Idcirco notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus præsentibus & futuris, quoniam adiit nostram serenitatem Dalmatius noster per omnia fidelissimus miles; petiit nostram celsitudinem quatenus nostræ auctoritatis præceptum de terra quam ad abbatiam sancti Johannis Baptistæ nobilissimi homines dederunt, in castrum videlicet Malasti fieri præcepissemus. Illius fuit petitio & nostræ libuit voluntati pro restauratione illius loci, & nostræ authoritatis præceptum jussimus fieri ut sancti monachi ibidem Domino servientes illam terram firmiter teneant sine ulla contrarietate, aut alicujus contradictione per jussionem domini abbatis Arifonsi ejusdem loci: conjacet etenim in comitatu Carcassonense cum mercato super fluvium Duranno. Est ibidem villa Sicca cum ecclesia, &c. Hæc omnia & sicut continetur in aliis præceptis, ex parte nostra sint stabilita de supradictis villis, seu de ecclesiis ibidem datis, ut nullus per vim intrare præsumat in abbatiam, nisi quem electio elegerit. Ut autem hæc supra dicta firma sint & stabilita permaneant in ævum, nostro nomine insigniri & annuli nostri impressione jussimus sigillari. Signum Radulfi regis gloriosissimi. Rosmundus ad vicem Ansigisci episcopi recognovit. Actum Ansa-villa decimo tertio kalendas Junii anno nono regnante Radulfo rege.

XIV.

Placitum habitum in civitate Narbonensi pro abbatia Montis-olivi.

Ex archivis Montis-olivi.

Edit. tom. 2. hist. Occit. prob. pag. 69.

933. VEniens Witardus mandatarius Donadeo abbati vel cuncta congregatio S. Johannis monasterii castro Mallasti die Veneris in civitate Narbona, in præsentia domno Aimerico archiepiscopo, & domno Pontione comite, seu & marchione, vel judices qui jussi sunt causas dirimere & legibus definire, tam Gotos quam Romanos, velut etiam Salicos, id est Wamarius, Abo, Rodgarius, Lastozio *, Saione, sive in præsentia Lorio, Bernardo, Raimberto, Alarico, Aimerico, Wifredo *, Adarz, Amblardo, Alfarico; item Abbone, Belgrane, Waltario *, & aliorum multorum bonorum hominum, qui cum ipsos judices ibidem residebant in mallo publico in Narbona civitate: in eorum præsentia sic se proclamabat supra nominatus mandatarius de ipso abbate de supra nominato comite; vos judices vel auditores facite mihi justitiam de isto comite, quia iste comes vel sui homines sic prendiderunt panem & vinum, & porcos, & aliis ceteris rebus male ordine & injuste quod facere non debuerant de alode que vocatur Statiano *, & de alios alodes qui sunt in comitatu Narbonense de supradicto sancto Johanne; & ego mandatarius privilegium in manu teneo de Roma quæ est mater ecclesia, & præceptos quos domini nostri imperatores & reges fecerunt ad jam dicta Casa-Dei, & ipsi præcepti in ipso mallo fuerunt ostensi & solemniter fuerunt relecti, & resonabat in ipso privilegio vel in ipsos præceptos quod nullus comes, seu vicecomes, nec vicarius, nec centenarius, nec nullus homo in eorum vocatione in illorum movitate prendidisset, nec boves, nec caballos, nec asinos, nec paratas, nec portaticum, nec teloneo, nec fidejussores tollendos, nec illorum homines distringendos, nec nullum obsequium facere non debebant, sed omnia sint in alimonia pauperum, stipendiaque monachorum. Tunc ipsi judices & ipsi auditores cum audissent talem rei veritatis, & talem regum auctoritatis, interrogaverunt ipso comite supradicto qualem legem vivebat, aut quid responderet de hac causa, unde iste mandatarius eum interpellat; ille autem præsens stetit, & taliter dixit quod lege Salica vivebat, & ista omnia quod iste mandatarius requirebat sic fuisse, non sciebam quod ipse abba, vel ipsa congregatio cenobitarum tales regales auctoritates habuissent unde perdonatum fuisset, & quantum ego feci, ignoranter hoc feci. Tunc ipsi judices & ipsi auditores, cum audissent ipso comite sic respondente, decreverunt judicium & ordinaverunt ipso jam dicto comite quod conlaudasset ipsas scripturas dominicas & wadiasset legaliter, sicut in lege Salica continetur, ita & fecit. Oportum fuit Donadeo abbate vel ipso jam dicto mandatario ut notitiam conlaudationis scribere vel signare rogassent sicut & fecerunt. His præsentibus actum fuit & gaudent se ipse abbas & ipse mandatarius quod in nostro judicio illorum clarissima percepissent justitia. Dato judicio quinto idus Martii anno quarto regnante Rodulfo rege post obitum Caroli regis. Signum Poncione comite & marchione qui se exvacuavit, sig. Richildis vicecomitissa, sig. Jorius, sig. Bernardo, sig. Alarico, sig. Aimerico, sig. Adaiz, sig. Amblardo, sig. Alfarico. sig. Walterio, sig. Fortone.

* Blastolco.
* Roifredo.
* Euvaltario.
* Fraciano.

XV.

Bulla Agapiti papæ II. pro monasterio B. Mariæ de Crassa.

951. AGAPITUS episcopus, servus servorum Dei Suniario religioso abbati venerabilis monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ dominæ nostræ* situm in comitatu Carcassense super fluvio Urbionis, & per * te in eodem venerabili monasterio tuisque * successoribus in perpetuum. Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, & poscentium animis cum alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo procul dubio promeremur, quando venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia per vestrum legatum, videlicet Arnulfum humilem abbatem* postulatis a nobis, quatenus monasterium supradictum confirmaremus & cum omnibus suis locis, videlicet ecclesiis. . . . . villabus, casis, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, garricis, areis & torcular iis, aquis, aquarum viis, molendinis, cum suis caput aquis & suis piscatoriis, cultum vel incultum, sive etiam & in his locis in comitatu Carcassense villam Agrifolio, cum ecclesia sancti Cyrici cum terminis & finibus suis, villam etiam Verzeliano cum ecclesia sanctæ Mariæ & cum terminis suis, & villam Cummiano cum ecclesia sanctæ Mariæ & terminis suis, medietatem etiam & quantum in jam (dicto) comitato ipse locus. . . . antea. . . . . confirmamus & in comitatu Tolosensis, vel in vicariis suis ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Salvatoris, & sancti Johannis in Ercino, & locum Camboni cum omnibus ad se pertinentibus, & quantum ibi Simplicius archilevita concessit cum suis consanguineis, sicut in eorum scripturarum seriem resonat, vel in antea in ipsis acquisituri estis locis, & in comitatu Redense quantum ibidem præfatus Simplicius archilevita concessit, tam in parochiis, quam & in ceteris locis. Villam etiam Boxam-Auream & Aureliosam cum omnibus juribus illorum & in suburbio Petrapertusiense hoc quod dedit Rogerius in Cucuniano Retgas Mollifo cum ecclesia, & res in Paterno cum ecclesiis & decimis, & in hoc suburbio pertinentibus . . . . pascuis & aquis quantum de villa Corneliano usque ad jam dictum, sicut ibi Holiba concessit. Villam

* quod est.
* post te, Vide Marc. Hisp. pag. 867.
* deest que; ibid.
* Rivipullensem.

Cornelianô cum ipſa eccleſia, villam Stagello cum ſua eccleſia, ... quarumlibet in villa Gologias cum eccleſia ſua, medium Vernettum cum ſua eccleſia, villam Ripas altas cum ſua eccleſia, & ipſum villarem cum ſua eccleſia, villam Coningos cum ſua eccleſia, & in villa Salſas, & in villa de Canonac piſcaturas; & in comitatu Confluente quantum habetis in prata & in bonaria ad ſe pertinentia: in comitatu Gerundenſe eccleſiam ſancti Felicis, in villa Loroſtaria & ſua eccleſia, in comitatu Biſuldinenſe eccleſiam ſancti Stephani & ſancti Peregrini, ſeu & villam Enuſcho & Mediano cum eccleſia & ſua pertinentia, & quod habent in Barcinonenſe & in Oriellenſe, & in Sardarienſe, & in Cabaſtenſe, & in Albienſe, & in Munerbenſe confirmamus; & in comitatu Narbonenſe villam Erciam cum ſua eccleſia, & in inſula Lici eccleſiam ſancti Petri cum ſua pertinentia, & quantum ibi dedit Remigius archilevita, & in Taloſano & villa . . . . & Palmam, & in villa Alianeto & Fabriciano & Ferrales, Fabarios ſancti Stephani & ſancti Geneſii; vel in villa Miliano quantum ibidem habent. In comitatu Auſona eccleſiam ſancti Martini, cum ſuis decimis & pertinentiis, ſeu & in villa R . . . ano & Villare Aſenario quantum ibidem habent; & in Salmas prope Narbona & juxta ſtagnum quantum ibidem habent, vel cum omnibus ad ſupraſcriptum monaſterium in integro pertinentibus, & confirmamus vobis pontaticum, raptaticum, ſalinaticum, toloneum, ſicut reges vobis per præcepti paginam conceſſerunt. Statuimus autem ut quando abbas dicti monaſterii de hoc ſæculo migraverit, neque a regibus, neque a comitibus, neque a qualicumque perſona pro cupiditatis pecuniæ cauſa, neque pro qualicumque favoris inanis gloriæ ibidem abbas ſit conſtitutus: ſed a cunctis ſervorum Dei eidem monaſterio ſecundum Deum & ſecundum ſancti Benedicti patris regulam dignam perſonam eligantur abbates. Situm namque eſt ſupradictum monaſterium territorio Carcaſſenſe juxta pago Narbonenſis. Item & confirmamus tibi tuiſque ſucceſſoribus de ipſius ſancti monaſterii locis & pertinentiis, primitiis & decimis; necnon & iterum ſtabilimus ut nulla qualibet perſona monachi veſtri monaſteriis conſentientibus injuſte ad deroticum aut ad . . . . deportare laicalis perſona præſumatur. Nam quia ſupradictum monaſterium ubicumque ſibi pertinentis a Francorum rege per præcepti paginam firmatum & ſolidatum eſt regalis auctoritatis; ita & noſtra apoſtolica auctoritate, ut ſuperius inſertum eſt, & amodo inantea vos veſtriſve ſucceſſoribus legaliter acquiſituri fueritis, futuris temporibus a præſenti. . . . . inclinati precibus ſupradicti legati veſtri Arnulfi abbatis, & per ſupraſcripta regalia præcepta & alia privilegia ſeriem, ut præmiſſum eſt, in perpetuum vobis veſtriſque ſucceſſoribus confirmamus & ſtabilimus detinendum, & Dei cum timore & amodo diſpenſandum atque regendum, ut nullus rex, nullus princeps, nullus comes, nullus marchio, nullus judex, neque nulla magna parvaque perſona aliquam vim aut invaſionem in eodem cœnobio, neque in ſuis pertinentiis umquam facere præſumatur, pro quo & ſub divini judicii obteſtatione, & anathematis interdicta promulgantes decernimus, ut nulli umquam noſtrorum ſucceſſorum pontificum, & ut ſuperius poſuimus, nulla magna parvaque perſona audeat neque præſumat contra hoc noſtrum apoſtolicum privilegium in aliquibus agere, neque frangere temptetur. Si quis autem, quod non credimus, in aliquo frangere temptaverit. . . . . niſi reſipuerit, auctoritate Dei omnipotentis, & ſancti Petri apoſtolorum principis, atque noſtra quibus fungimur vicariationem anathematis vinculis indiſſolubilis eſſe innodandum, & a regno Dei alienandum & cum diabolo & ejus atrociſſimis pompis, atque cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti æterni incendii concremandum, & in voraginem, tartareoſque chaos demerſus eum, &c. Scriptum per manum Stephani notarii & regionarii atque ſcriniarii ſanctæ atque apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ in menſe Decembri per indictionem ſupradictam decimam.*

* a menſe Septembri inchoatam.

✠ BENE VALETE.

XVI.

Hiſtoria tranſlationis corporis ſancti Hilarii epiſcopi Carcaſſon.

Edit. tom. 2. hiſt. Occit. prob. pag. 120.

ANno incarnationis Dominicæ DCCCCLXX. VIII. calend. Martii, apud provinciam Karcaſſenſem imperante Rogerio comite ejuſdem provinciæ, præſulatus etiam decus regente præſule Francone, in cœnobio almi Hilarii præſidente Benedicto abbate, ab eorum nutu vel providentia actum eſt conſilio inito cum provincialibus epiſcopis, & abbatibus, ſanctiſſimi præſulis & in mirabilibus clari domni Hilarii artus, qui humo tegebantur, a tellure ſubreptos, poſt altare, quod ipſe olim egregius ſanctuſque Hilarius una cum vicinis circumquaque commanentibus epiſcopis conſecraverat, cum honore tumularent. Quamobrem in præſtito die calendarum Martii conglobati ſunt pariter prædicti proceres, id eſt Rogerius comes cum conjuge ſua Adalais, & domnus epiſcopus Franco, & abbates Warinus & Benedictus, cæterorumque tam procerum quam etiam illuſtriſſimorum virorum & clericorum inſignis turma, necnon & pagenſium utriuſque ſexus copioſa plebs, in prædicto cœnobio. [970.]

Adduxerat autem præfatus abbas ſecum a radicibus Pyrenæi montis, exque arciſterio Coxiano in honore agii ſtraticous urani * conſtructo ſtructorem miri laboris virum. Hic cum trepidare cerneret ad tangendum ſancti viri locellum, non ſolum clericos, ſed etiam abbates atque pontificem, fideliter acceſſit, & mauſoleum cum calibe diſſolutum patefecit. Cumque ipſe artifex, & plurimi qui circumſtabant perſpicacibus oculis beati viri vellent videre corpuſculum, quia apertum erat vas, per unius fere horæ ſpatium ita vacuum viderunt ſepulcrum, ut nihil in eo niſi ſolum ſaxum inſpicerent; unde mœſtificati omnes qui aderant cum magno gemitu flectentes genua, cœperunt Dominum enixius exorare. Ut autem ſæpius ipſe artifex obtutus cœpit reducere ad vas, illico ſanctum conſpexit corpus, & Deo gratias clamavit, addens & dicens, ecce ſancti Hilarii corpus hic habetur totum: quod omnes audientes aſpexerunt, & ita, ut ipſe clamabat, viderunt.

**Id eſt* ducis militiæ cœleſtis, ſcil. S. Michaëlis.

Exinde dum cum laudibus defertur ſuper altare a pontifice & cæteris fidelibus, odor ſuaviſſimus emanavit de ſancto corpore, & extemplo cæcus quidam qui aderat illuminatus eſt: quo viſo epiſcopus una cum abbatibus cæteriſque fidelibus magno cum gaudio laudes cœperunt in altiſſimis reboare Domino. Apertis denique ejuſdem baſilicæ januis, qui præ foribus erant intrantes & miracula aſpicientes Dominum laudabant gaudentes. Dehinc miſſa a præſule celebrata, & poſt excubias totam per noctem expletas dies alter inluxerat, in qua plebs innumerabilis ex urbibus circumadſtantibus advenerat; cumque a præſule, ut decebat, recineretur miſſa, ſtatim ut benedictionem dedit ſuper populum, puerulus quidam a ſuo patre adductus, qui a matris alvo fuerat cæcus apertis oculis luminis hujus cœpit aſpicere decus. Quanta autem ſint tunc in plebibus gaudia facta, nullo modo poteſt effari humana lingua. Sed quid dicam! tanta tunc temporis facta ſunt miracula per ſancti Hilarii glorioſa merita, quanta per hominum ora nequeunt loqui hæc labra. Poſuerunt autem, ut decebant, beatiſſimi viri membra poſt altaris arulam in ſaxea arca, & in utroque latere, duorum ſuorum alumnorum Benedicti, Celſique indiderunt corpora, in quo loco Dominus per ſancti Hilarii ſociorumque ejus merita inſignia quotidie non deſiſtit patrare miracula.

Hoc autem ſtatuimus non eſſe omittendum, quod prædictus Rogerius comes ſpoponderat ante ſanctiſſimi

Hilarii sepulcrum, ut numquam permitteret populari in publicum omnem reditum, quod ab antiquis comitibus, seu a se fuerat in eodem cœnobio quolibet modo impositum, nullatenus ab aliquo vel a se deinceps esse exigendum, quod & factum est; nam cum ossa sancti viri essent super altare reposita, præfatus princeps sua cum conjuge accepto libello regulæ remisit in manibus episcopi & abbatum ita dicens : ab hora hac nullum censum, nullumque servitium hoc reddat monasterium, sed secundum regulam sancti Benedicti, post hujus abbatis obitum eligant sibi nihilominus abbatem, & nullus comes neque episcopus de ordinatione illa audeat accipere servitium : sed neque de allodibus neque de rebus ejusdem monasterii audeat quislibet aliquid tangere contra voluntatem abbatis vel monachorum. Spopondit autem & privilegium, atque præceptum eidem cœnobio acquisiturum, & duodecim monachos omni anno vestiturum. Cujus rei testes sunt tam episcopus, quam abbates & cæteri qui aderant utriusque sexus vel ordinis. Hanc autem scripturam censuimus, qui adfuimus, in sepulcro beati Hilarii esse ponendam; poscentes eum, ut ipse pro nobis Dominum exoret, quatenus cum illo vitam perfruamur æternam per cuncta sæculorum sæcula. Amen.

XVII.

Bulla Benedicti papæ VII. pro Benedicto abbate S. Hilarii.

Circa 980.

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei. Notum sit omnibus Christianis, quia venerunt Rogarius comes cum conjuge sua nomine Adalhaice, simulque cum eis venit Benedictus abbas ad limina apostolorum beati Petri & Pauli ante nostram præsentiam, petieruntque ut confirmaremus eis per nostram apostolicam auctoritatem monasterium, quod est consecratum in honore S. Saturnini, ubi B. Hilarius humatus quiescit; ut non sit licitum ab hac hora inantea neque comiti, neque vicecomiti, neque episcopis, neque ulli magnæ parvæque personæ, homini neque feminæ supradictum monasterium aliquid de suis rebus auferre vel alienare præsumat quidquid modo habet & inantea acquisiturum erit in perpetuum, sed semper sint in stipendia monachorum & in eleemosynis pauperum ea quæ concessa sunt vel donata in præfato monasterio a præfato Rodgario & sua conjuge : id est villa quæ dicitur *Corneliana* cum ecclesia S. Petri, & ecclesia quæ in Vico-limoso & Gardia cum ecclesia S. Petri, & Malchindus & Salsingus & cetera loca quæ a præfato monasterio pertinent vel pertinere debent. Post vero obitum Benedicti abbatis nemo ibidem abbatem constituat, nisi quem consensu & communiori voluntate fratrum qui ibidem Deo serviunt vel inantea sunt servituri, elegerint. Hæc omnia quæ supra scripta sunt concedimus tibi Benedicto abbati tuisque successoribus in perpetuum pro omnipotentis Dei amore & S. Petri, nostræque animæ redemptione. Item & pro amore Rodgarii comitis Carcassonæ & conjugis ipsius, necnon Raymundi dilecti filii mei, ut illorum sit merces in perpetuum. At vero qui custos & observator fuerit hujus nostri apostolici præcepti .... & confirmatione benedictionem a Patre, & Filio & Spiritu sancto in omnibus consequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur in sæcula sæculorum : & qui observare noluerit, anathematis vinculo sit innodatus, & a regno Dei alienus permaneat. Scriptum per manum Stephani notarii & . . . . . beatæ Romanæ ecclesiæ.

✠ BENE VALETE.

XVIII.

Donatio Rogerii comitis Carcassonensis facta monasterio S. Hilarii.

Edit. tom. 4. annal. Bened. pag. 5. & tom. 2. hist. Occit. prob. pag. 135.

981.

EGO RODGARIUS comes simul cum conjuge comitissa Adalaice, seu Regimundo sobole, atque Bernardo sobole, qui necdum latice consecratus est baptismatis, pietate compunctus, reminiscensque quod dicit admonitione prophetica Dominus : *Date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis :* Notum sit fidelibus Christianis, quod cum venisset Oliba comes injuste contra me cum exercitu magno hostiliter, & in magna ferocitate & impetu suæ virtutis devastasset inique, & prædam rapuisset super terram meam quoad potuit; ego cum eum Rodgarius comes persequerer, non confidens in mea virtute, nec in meum auxilium, sed in misericordia Dei speravi, & beatum Christi confessorem Hilarium deprecatus fui, ut pro mea victoria Dominum deprecari non dedignaretur. Cum ergo reverterer ego Rodgarius comes, & omnes meos fideles vidissem incolumes & absque vulnerum signo; cognovique inimicos meos mortuos & vulneratos, atque in fugam conversos, intellexi quod Hilarius almificus fuit pro me Dominum deprecatus, &, ut ferunt, nonnulli ante me eum præire viderunt. Ideo dedi Deo & eidem sancto confessori, in manu Benedicti abbatis & monachorum ejus Venanciacum cum ecclesia sanctæ Mariæ, & suis pertinentiis; villare quoque Asinario cum terris cultis & incultis, &c. Facta est scriptura donationis hujus mense Augusto, anno XXVII. regnante Leutario rege. Signum Rodgarii comitis, qui hoc donum fecit, & firmare rogavit bonis viris, qui aderant. Signum Adelaicæ comitissæ uxoris Rodgarii comitis. Signum Regimundi, signum Bernardi filiorum ejus.

Luc. 11, 41.

XIX.

Charta concessionis factæ ab Arnaldo vicecomite Carcassonensi Gaufredo abbati S. Hilarii.

Edit. tom. 2. hist. Occit. prob. pag. 158.

Circa 1002.

NOtitia Warpitoria qualiter tenetur adscripta. In Christi nomine postquam Rodgarius comes & uxor ejus comitissa cum filio eorum Regimundo florescente jam juvenili ætate chartam donationis fecisset monasterio S. Hilarii, trophæo vel redemptionis animarum eorum elemosynæ de villa Venantiaco, & de ecclesia sanctæ Mariæ & appendiciis ejus, & de Cucuciaco cum ecclesia S. Petri Nononis, cum ecclesia S. Saturnini, villare Asinario cum ecclesia S. Cypriani & Caranciani, cum ecclesia S. Michaelis, cum decimis & primitiis earum, propter victoriam quam S. Hilarius, atque noscente illo cum suis fidelibus Deum exorando suis inimicis hostiliter ostendit, multis annis jam peractis, accepit regimen Carcassensis comitalis vice Arnaldus filius Radulfi in nomine vicecomitis. Ille vero ut hoc obtinuit, ab insidiatoribus atque infidelibus hominibus denunciatum est falsidice non esse justum possidendi S. Hilarii jure potestatis propter donationem jam supradicti principis Carcassonæ, sed censui deservire vicecomitis. Ex quo vero auribus ejus intimatum est, non segniter est demoratus, inquisitio ejus pervenit ad notitiam hominum dicentium injuste & inordinate adversus S. Hilarium agere. Sed advenit annuente Domino nostro Jesu Christo dies statutus in quo notitia guarpitoria qualiter nomina subter tenentur inserta est definita. Quia in mense Septembrio feria V. advenit Gaufridus abba cum quibusdam monachis S. Hilarii in civitate Carcassona, & olim jam peractis diebus quindecim ante præsentiam Rodgerii comitis

qui iter S. Petri sequitur, jam præcipiente eo gratia suæ mercedis, ut convenienter agerent, rectissime atque justissime erga S. Hilarium & monachos ejus, potentialiter sustentando & regendo locum illum electum a se & uxore sua domna Adalaica comitissa & filio suo Regimundo, sic venerunt ante præsentiam illorum & seniorum, qui coram eis aderant, multis, videlicet domno Alberto episcopo & archidiaconis Aimo, Oliba, Petro & fidelibus laicis, Lictore, Ugone, Poncio Einardi, Poncio Bernardi, Dacberti, Eicfredi, Sicfredi, Eblii, Ysarni, Radulfi, ceterorumque bonorum hominum, & ita judicaverunt ac benignissime ordinaverunt domna Adalaicis comitissa & filius ejus Regimundus cum suis fidelibus, ut vicecomes Arnaldus de appendiciis vill. Venanciaci cum supradictis, id est Cucuciago, Nonnone, Asinario, Karanciano unde querimonia est facta a monachis S. Hilarii, quæ domnus Rotgerius comes & uxor ejus atque eorum filius donaverunt S. Hilario, sicut superius insertum est, nulla audacia, nulla violentia audaciter ageret de hoc contra S. Hilarium, sed benevole & consulenter guarpitoriam atque evacuationem facerent atque firmarent: quia lex judicum dicit, *ut quæcumque res sanctis Dei ecclesiis aut per principum aut quorumlibet fidelium donationes collatæ reperiuntur, votive & potentialiter pro certo censetur, ut in æternum jure irrevocabili legum æternitate firmetur.* Sic & nos conlaudamus & stabilimus Arnaldi vicecomitis fidem guarpitoriam atque firmamus. Ob hanc igitur causam recognovit Arnaldus vicecomes rei veritatem in justitia domnæ comitissæ Adalaicæ, & filio ejus Regimundo atque Carcassensium procerum; & sic se guarpivit erga S. Hilarium ejusque monachos malivolo ejus animo everso. Facta est igitur firmiter guarpitoriæ firmatio; quod si ego Arnaldus vicecomes aut aliquis de successoribus meis vel istius Carcassonæ sedis, aut quislibet homo per subrogatam personam fuerit, qui contra hanc sorgituram ad rumpendam surrexerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & cum Juda traditore particeps efficiatur, & nullius sanctorum intercessio eum adjuvet, & quod petit non adquirat, sed in duplo S. Hilario componere faciat, & inantea scriptura hæc firma stabilisque permaneat omni tempore. Facta scriptura hæc in mense Septembrio anno VI. regnante Roberto rege. S. Arnaldi vicecomitis qui istam guerpitoriam scribere jussit & testibus ad roborandum tradidit. Einardus jussus scripsit.

V. cod. lege Visigoth. lib. 5. lege 1. de ecclesiasticis rebus.

XX.

Instrumentum Petri de Carcass. episcopi Urgell. pro Monte-olivo.

Edit. in prob. tomi 2. hist. Occit. pag. 180.

Ex archivo Montis-olivi jussu D. Colberti.

1027.

IN Christi nomine firmissimis scripturarum edocemur institutionibus, ut quisquis de rebus propriis agere, vel facere, vel donare, aut vendere voluerit, liberam in omnibus obtineat potestatem illite inviolabili permanente. Quod legis Romanæ primum capitulum apud librum tertium saluberrime intonat: *Ita cum inter ementem atque vendentem sive donantem fuerit definita ratio, hoc tantummodo requirendum est, si nihil fraudis vel violentiæ egit ille, qui comparasse aut donasse vel vendidisse probatur, & si voluerit revocare qui vendidit vel donavit, nullatenus permittatur.* Ob hoc igitur in Dei nomine, ego Petrus episcopus per præceptum domini Rodgerii comitis patris mei, & mater mea nomine Adalais comitissa facio cartam donationis ad Domino Deo regem cœli, & ad S. Johanne Baptista castri Mallasti, qui est situs super fluvio Durando, & ad Stephanum abbatem, & ad cuncta congregatione ipsius loci, qui ibidem Deo serviunt, & inantea servire desiderant, propter remedium animæ meæ & animæ genitori meo vel genitrici meæ, de ipso alode, quem vocant Ventenago cum fines & adjacentias ejus, & cum ipsa ecclesia quæ vocant S. Julian?, cum decimis & primitiis ejus, & cum omni superpositum earum & cum omni voci oppositionis meæ quantum ad ipsum alodem pertinet, vel pertinere debet, tam loca rustica quam ad * urbana, tam heremum quam constructum, tam quisitum quam ad inquirendum, vel inquirere potueritis in omnibus *: sic trado vel dono Domino Deo & ad sancto Johanne Baptista, & est iste alodes suprascriptus in comitatu Carcassense, in tali vero ratione, dum ego Petrus episcopus suprascriptus vivo, teneo & possideo ad usum fructuum, istum alodem præscriptum vendere nec alienare, nec in alia potestate transferre licentiam non habeam, & post obitum quoque meum remaneat ad Domino Deo & ad S. Johanne Baptista castri Mallasti sine ulla reservatione, vel sine ullo contradicente, & per unumquemque annum ad festivitatem S. Johannis Baptistæ, qui est octavo calendas Julii, dono refectionem optimam id . . . . . centum panes optimos, & modio uno de optimo vino, & salmones quatuor aut quintos * solidos. Sane quod fieri minime credo esse venturum, quod si ego donator aut aliqui ex nepotibus aut de parentibus sive de propinquis, vel comes sive comitissa aut vicecomes aut episcopus, sive abbas vel præpositus, sive monachi aut quislibet homo, amissa vel subrogata persona fuerit qui contra hanc cartam donationis istæ, vel contra alodem istum suprascriptum venerit pro inrumpendum, imprimis iram Dei incurrat & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ extraneus appareat, & plaga qua Ægyptus percussa est super eo veniat, & sicut Dathan & Abiron absorbuit terra, ita illos sulfur & ignis inextinguibilis absorbeat; & sicut Anania & Saphira propter cupiditatem pecuniæ passi sunt in corpore, ita & ipsi patiantur in corpore & in anima, & ad extremum descendant viventes in infernum, maledicti sint in civitate & in agro, maledictus fructus eorum & reliquiæ ipsorum; fiant uxores eorum absque liberis, & viduæ & viri earum interficiantur gladio. Feriat eos Deus amentia & cæcitate, egestate & febre, frigore & ardore, rubigine & prurigine. Facta carta donationis istæ in mense Decembrio idus,* anno trigesimo secundo regnante Roberto rege. Signum Petrus episcopus, qui carta ista donationis scribere fecit, & manibus firmavit, & firmare rogavit; signum Donadeo; signum Aicfredo; signum Vitale. Stephanus monachus rogatus scripsit sub die & anno quo supra.

V. Interpretationem Aniani cod. Theod. lege 1. de contrahenda emptione.

* deest *ad* in edito.

* *nominibus* in edito.

* *quinque* in edito.

* *al.* octavo idus.

XXI.

Donatio Raimundi comitis facta Olibano abbati S. Hilarii Carcass.

Ex autographo.

1035.

EGO RAIMUNDUS donator sum Domino Deo, & S. Hilario, cujus corpus requiescit in ecclesia quæ est constructa in honore S. Saturnini martyris, qui est in pago Carcassense juxta fluvium Leuco. Ego igitur præfatus Raimundus donator sum suprascripto cœnobio & Olibano abbati, monachorumque catervæ alodem quem habeo in comitatu Reddense, in villa quæ vocant *Vallevesia*, propter amorem Dei, & propter remedium animæ meæ, & genitori & genitrice mea, & mulieris meæ nomine Beliardi, & propter ipsam pugnam quam habeo in castrum Redda cum Arnaldo Giberto, propter mortem filii sui, quia fecit me Deus vincere ipsam pugnam per intercessionem beatissimi Hilarii confessoris sui, & aliorum sanctorum qui in suprascripto cœnobio requiescunt, &c. Facta carta ista donationis & scriptura hæc XV. calend. Septembris anno IV. regnante Aenrico rege. Signum Raimundi qui hoc donum fecit, & firmare rogavit. Sig. Beliardi uxoris ejus, & aliorum.

XXII.

Ex autographo Crassensi.

Restitutio facta monasterio Crassensi.

1036. IN nomine Domini. Ego Uggo comes, & uxor mea nomine Guila, & filii mei nomine Poncius & Raimundus, vidimus & audivimus querelam de abbate sanctæ Mariæ, quæ vocant Crassa, nomine Radulfo, & de monachis illius loci qui ibidem erant, id est Uggo & Stephanus, & ostenderunt nobis cartas donationis, unde acquisivit Sunnarius episcopus alodem quæ vocant Kanovas, cum ecclesia quæ vocant S. Quirici cum decimis & primitiis, & cum omni jure ecclesiastico de Gaufrido comite patre suo & de matre sua nomine Ava comitissa, & aliam cartam, quomodo dedit istum alodem supra nominatum ad domum S. Mariæ cœnobii, quæ vocant Crassa, totum & ab integrum, cum ecclesia quæ vocant S. Quirici, & cum decimis & primitiis sine ulla reservatione. Ego igitur Uggo comes & uxor mea nomine Guila, & filii mei, id est Poncius & Raimundus cum audissemus has auctoritates supra nominatas Dei genitricis Mariæ, & excommunicationem de præfato episcopo Soniario, & maledictiones quæ in ea auctoritate resonabant, expavimus valde, & recognovimus quia rectum est, & in jure Dei genitricis debet permanere, & ego Uggo comes, & uxor mea nomine Guila, & filii mei nomine Poncius & Raimundus reddimus ipsam ecclesiam quæ vocant sancti Quirici, qui est fundata in comitatu Rossolionense, in villa quæ vocant Kanovas, cum decimis, & primitiis, & oblationibus, cum terris, cum vineis, cum cimiteriis, cum cellariis, & cum omnibus appenditiis suis, & cum omnibus adjacentiis suis ad eam pertinentibus propter remedium animæ nostræ, & propter remedium animabus parentorum nostrorum, ut Deus omnipotens interventu almæ Dei genitricis Mariæ perducat eas ad gaudia æternæ vitæ. Et ego Uggo comes accipio de manibus abbatis, & de monachis sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ vocant Crassa, precium quod inter nos & vos bonæ pacis placuit, kavallos duos valentes uncias V. propter redditionem & recognitionem ecclesiæ suprascriptæ. Quod si ego Uggo comes, aut uxor mea, aut filii mei, aut aliquis de heredibus meis, aut qualibet apposita vel subrogata persona, aut ullus homo, aut ulla femina, qui contra hanc cartam venerit ad inrumpendum vel inquietare voluerit, inprimis iram Dei incurrat, & ab ecclesia Dei extraneus efficiatur, & in æterna dampnatione semper existat, & in inferni gehennæ semper assidue cruciet, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur, ubi semper erit luctus, & fletus, & ululatus, & inde ipse aut..... non eripiat. Et inantea ista carta reditionis firma & stabilis permaneat modo & omnique tempore. Facta carta reditionis IV. idus Julii anno V. regnante Aianrico rege. Signum Uggo comes, qui ista carta redditionis & recognitionis feci, & testes firmare rogavi. Signum Poncius, sig. Guila, sig. Raimundus, sig. Gausbert de Leocata, sig. Gaufred. Dalmad, sign. Radolfus de Reballs, sig. Gaulbert, sig. Willelmi Adalbert vicecomiti, sig. Raimundi Adalbert. Arnallus. Isarnus monachus qui rogitus scripsit sub die & anno quo supra.

XXIII.

Litteræ apostolicæ Urbani papæ II. quibus institutam a Petro Carcasson. episcopo clericorum Regularium normam in ecclesia S. Nazarii & aliis confirmat.

1088. URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri Petro Carcassonensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Petitionis tuæ justitiam agnoscentes, institutionem regularium clericorum, quam tuæ prudentiæ sollicitudo apud matricem ecclesiam A S. Nazarii & apud ecclesias S. Mariæ, seu B. Stephani Domino cooperante disposuit, præsentium litterarum auctoritate firmamus, & eam sub apostolica protectione suscipimus. Præcipimus ergo, & per virtutem S. Spiritus interdicimus, ut nulli successorum tuorum, nulli secularis vel ecclesiasticæ potestatis liceat easdem canonicas evertere, & per te illic dispositum regulare propositum dimovere. Universa etiam quæ canonicis ipsis ex tua liberalitate collata sunt, aut deinceps conferentur, sive quæ deinceps alii quilibet fideles ex suo jure contulerint, firma semper & illibata permaneant, clericorum ibidem sub regularis vitæ observantia servientium usibus omnimodis profutura. Si quis vero, quod absit, hujus decreti nostri jure cognito obviam ire tentaverit, animadversione spiritualis gladii feriatur. B Observantibus autem hoc pax a Deo & misericordia perpetua conservetur. Dat. Mediolani XII. cal. Junii an. MLXXXVIII.

XXIV.

Donatio abbatiæ S. Martini de Puteo diœces. Narbon. facta Roberto abbati Crassensi.

Ex tabular. Crass.

1093. IN nomine Domini, ego Bertrandus filius Fulconis de Castro quod vocatur *Durfort*, recognoscens me injuste & contra Dominum tenuisse abbatiam S. Martini de Puteo, quam pater meus Fulco mihi reliquit per hæreditatem, propter hoc ego Bertrandus cum consilio & voluntate omnium fratrum meorum, & C consobrinis meis, scilicet Raimundo Raimundi & Ugo Raimundi fratri sui & omnium filiorum eorum, reddo, relinquo & guirpisco, atque deffinio Deo & S. Mariæ Crassæ & domno Roberto abbati Crassensi, & monachis ipsius loci præsentibus & futuris ipsam omnem abbatiam, & totum ipsum honorem, quod ad ipsam pertinet, sicut ego melius tenui & possedi, pro remissione omnium peccatorum meorum, & omnium parentum meorum, exceptis sex mansis, hoc est unum mansum Martini & fratris ejus Pontii Martini, & mansum Aibert feminæ, & Guillelmi Bernardi & Aucfredi filiorum ejus, & mansum Pontii Tedomarii & Pontii Martini, & mansum Petri Sicfredi & fratrum suorum, & consanguineorum suorum, & mansum Rotlandi, & mansum Martini Ato, & cum omnibus D scilicet rebus, quæ modo habent & tenent ipsi mansi omnes, & in manso Martini Ato supra dicto non recipiat ullus de fratribus meis, nec de filiis eorum, nec de omnibus parentibus meis, nec aliquis filiorum aut successorum eorum unquam ullum servitium. Istos vero mansos & homines prænominatos ego Bertrandus retineo in vita mea cum omnibus quæ modo habent & tenent, & cum . . . . & decimis & primitiis & quartis, & cum omni servitio suo, quæ ad ipsos mansos & homines pertinent. Similiter retineo unum campum & perprensionem ipsius campi de Montemajore, & vineam unam de Monte-Auriol, sicut illam plantavi & comparavi, & unam casam, quam ego feci, & ortum unum, qui fuit Otonis Tedomari. Hæc omnia retineo in vita mea pro beneficio Crassensis monasterii & concessione abbatis prædicti loci; post mor- E tem vero meam remanebit ad locum S. Martini de cujus jure est; corpus vero meum cum medietate de meo aver ad monasterium S. Mariæ deferatur. Istos autem mansos & casam & campum & vineam & ortum in tali convenientia retineo in vita mea, ut nunquam valeam dare vel vendere, aut impignorare, vel incumbrum aliquod facere; de isto vero honore, quem retineo, laudaverunt & convenerunt michi consobrini mei Raimundus Raimundi de Durfort, & Ugo Raimundus & omnes filii eorum ut nunquam in vita mea, nec post mortem meam quicquam tollant aut anparent, excepto usuali servicio, quod in relico honore S. Martini habent. Hoc est autem servicium, quod retinent fratres mei & consobrini mei omnes jam dicti in isto & in reliquo

reliquo honore S. Martini, receptum quale pater meus Fulco & avunculus meus Raimundus Tedomari habuit in ipso honore, & duos jornales de bovibus, per sementarios, asinos similiter duobus diebus, & homines duobus diebus, & duo ova a Pascha in uno quoque manso, & paleam duabus vicibus in anno, & nichil amplius requirant, nec nullam toltam vel forciam non faciant in .... Et ego similiter Raimundus Raimundi de Durfort, & omnes filii mei Petrus Raimundus & Raimundus Xatmar, & Bernardus Raimundus & frater meus Ugo Raimundus & omnes filii ejus per nos & per omnem posteritatem nostram, quæ modo est & inantea erit, reddimus, relinquimus, & guirpimus atque deffinimus ipsam omnem abbatiam S. Martini Deo & S. Mariæ Crassæ & Rotberto abbati & monachis ipsius loci præsentibus & futuris, quantum nos habemus vel habere debemus, ut ullus homo vel femina pro nos sine ullo enganno in ipsa abbatia S. Martini de Puteo, & in toto ipso honore, quæ ad ipsam abbatiam pertinet in perpetuum, excepto usuali servicio, quod superius scriptum & nominatum est : & hoc totum, id est hanc guirpicionem fecimus omnes nos in præsentia Petri Olivarii de Terme & aliorum proborum hominum. Facta carta guirpicionis hujus anno millesimo nonagesimo tertio regnante Philippo rege.

Signum Bertrandi filii Fulconis de Durfort. Signum Raimundi Raimundi de Durfort. Signum Petri Raimundi filii ejus. Signum Raimundi Tedomari filii ejusdem Raimundi. Signum Bernardi Raimundi fratris sui. Signum Ugonis Raimundi & filiorum suorum, qui hanc cartam scribere simul omnes fecerunt, & testes firmare rogaverunt. Signum Bernardi Gratapaleam. Signum Guillelmi Fulconis. Signum Berengarii. Signum Petri Doleta. Signum Tedomari. Signum Guillelmi Arnaldi de Rivo. Johannes subdiaconus scripsit die & anno quo supra.

XXV.

Litteræ Paschalis papæ II. ad Arnaldum episcopum Carcasson.

1115. PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Arnaldo, ejusque successoribus canonice substituendis episcop. Carcassonensibus in perpetuum. Justis votis petentium, &c. Statuimus ergo ut in vestro dominio permaneant ecclesia sanctæ Mariæ in burgo Carcassensi, cum omnibus suis pertinentiis, excepto redditu quem canonici S. Nazarii accipere consueverunt : in Caparitensi fundo ecclesia S. Stephani cum pertinentiis suis : ecclesia S. Mariæ de Varnasona : ecclesia S. Sepulcri, quæ & S. Fulconis dicitur : ecclesia S. Clementis : ecclesia S. Petri de Leuco : ecclesia S. Felicis de Prexano : ecclesia S. Germani de Allairac, cum omnibus pertinentiis earum. Porro universa quæ a te vel ab antecessoribus tuis ad usus communes canonicorum regulariter in beati Nazarii ecclesia viventium collata sunt, rata esse, & eis integra & quieta perpetuo manere sancimus ; ex quibus in supradicta ecclesia B. Mariæ quos episcopus elegerit officia divina concelebrent. Interdicimus etiam ut te ad Dominum evocato, vel tuorum quolibet successorum, nullus omnino invitis vestræ ecclesiæ clericis, aut episcoporum, aut ecclesiæ res auferre, diripere, aut distrahere audeat. Ipsummet etiam clericorum claustrum & claustri domos ita semper liberas permanere sancimus, ut nemini illic violentiam liceat irrogare. Decernimus quoque, ut nulli omnino hominum, &c. Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus SS. Datum Laterani per manum Fr. Johannis diaconi cardinalis & bibliothecarii pridie cal. Aprilis indict. VIII. Incarnationis Dominicæ anno MCXV. pontificatus autem domini Paschalis papæ II. anno XVI.

XXVI.

Bulla Gelasii papæ pro abbatia Crassensi.

Edit. prob. tom. 2. hist. Occit. pag. 406.

Baluz. bull. n. 12. & 38. in Bibl. regia.

1119. GELASIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Berengario abbati Crassensis monasterii B. Mariæ, quod in Carcassensi parochia situm est, ejusque successoribus regulariter instituendis in perpetuum. In Lateranensis palatii tomis reperimus quod Karolus imperator B. Mariæ Crassense monasterium in Carcassensi parochia ædificans B. Petro obtulerit, cum universis quæ loco eidem contulerat. Et nos ergo eamdem catholici Regis oblationem suscipientes, monasterium ipsum B. Petri protectione decrevimus confovere, statuentes ut quæcumque vel ab eodem rege, vel ab aliis catholicis principibus ei collata, vel aliis justis modis adquisita sunt, firma semper & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus nominibus annotanda. In Narbonensi episcopatu ecclesiam S. Laurentii [a], S. Stephani de Campo-longo [b], S. Pauli de Rivo-putido [c], S. Felicis de Capite-stagni [d], S. Petri de Licis, S. Eulaliæ de Robiano [e], S. Petri de Najoaras, S. Felicis & S. Nazarii de Leziniano, S. Juliani de Fonte-cooperto, S. Saturnini de Villa-rubea, S. Eulaliæ de Tezano, S. Adriani de Tornezarno, S. Sebastiani de Ripa-alta, S. Petri de Pratis, S. Ascisch de villa Berziano, S. Martini de Triviaco, S. Romani de Furca, S. Mariæ Magdalenæ de Quintiano*, S. Adriani & S. Mariæ de Mairolas, S. Juliani de Calzcastel, S. Johannis de Perron*, S. Johannis de Palma, S. Martini de Novellis, S. Johannis de Tusciano, S. Mariæ de Fausta, S. Petri de Paderno, S. Mariæ de Vigrado*, S. Martini de Molleta, S. Andreæ de Mansionibus, S. Saturnini de Palairaco, S. Fructuosi de Casa-cooperta, S. Martini de Puteo, S. Stephani de Romaneto, S. Romani de Laurera*, S. Cypriani de Cuciis, S. Petri de Planeda, S. Felicis de Malverzo*, S. Stephani de Cepiano, S. Martini de Palazol, S. Andreæ de Azillano, S. Petri de Caprafpina cum pertinentiis earum : & in eodem episcopatu castrum de Leco cum pertinentiis suis, castrum Laco cum pertinentiis suis & plagis marinis Liziani, Rubiani, Caputmortis, Luci, Rivi-putidi, Campi-longi, Villæ-rubeæ, Calzcastelli, Novellis cum villis & pertinentiis earum, villam Palmæ, Tezani, Castogæ, Ferrals, Fontis-cooperti, Ripæaltæ, Tornisarni, Prati, villæ Borciani, Triviaci, Quartilianis, Tuxsani, Faustæ, Molletæ, Paderni, Taxi, Mansionis, Palairaci, Buxenaci, Lairere, Buxæ, Aurciole, Caprespine, Malverii, Sipiani, Cuxani, Planede cum ecclesiis & pertinentiis earum : & alodium de Capite-stagni, de Cuxiaco, de S. Jorio, de Narbona, de Harpadeux, de Faberzano, de Palasolel, de Berneto, & de Agantano.

[a] S. Laurent de Cabreresse.
[b] Camplong.
[c] nunc est diruta.
[d] Capestang.
[e] Roubian.
* al. Quintiliano.
* al. Berron.
* al. Vinogrando.
* al. de Leyreiria.
* al. Malverio.

In episcopatu Carcassensi ecclesiam S. Michaelis de Nahusa, S. Martini de Podiolato, S. Juliani de Rabendosa, S. Petri de Alarico, S. Cucuphati de Lausa, S. Martini de Curtis, S. Mariæ de Cominiano, S. Petri de Millanello, S. Andreæ de Milhano, S. Pauli de Coloniaco*, S. Fulchi, S. Hilarii de Casilaco, S. Mariæ de Veziliano*, S. Cirici de Agrifolio, S. Johannis de Agrifolio superiori, S. Stephani & S. Cypriani de Faveriis, S. Mariæ de Tautirano, S. Martini de Cosano, S. Mariæ de Cerviano, S. Stephani de Caunas, S. Petri de Bagnuls, S. Mariæ de Petramala, S. Cypriani de villa Alzenaria*, S. Genesii de Septembisano, S. Felicis de Mirallas, S. Mariæ de Casilars cum pertinentiis earum ; & castrum Alarici, & villam S. Cucuphati de Lauza, & Flexi & Curtes, Cuminian, Milani, Bolonaci, Cazilaci, Virziliani, Agrifolii superioris & inferioris ; & alodium de Badenx, de Beriaco cum pertinentiis suis.

* al. de Bolhonaco.
* al. de Verzellano.
* al. Asinaria.

In Tolosano episcopatu monasterium B. Mariæ de Cambono* cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Petri

* Camon.

de Marenx, S. Vincentii de Ax, S. Petri de Prades, S. Saturnini de Arſat, S. Petri de Sorſat, S. Petri de Podio, S. Petri de Agenat, S. Mariæ de Ravat, S. Felicis de Faulinges, S. Mariæ & S. Pauli de Alta-ripa, S. Martini de Petrafitta, S. M. de Porcelligriſei, S. Stephani de Sopleſenx, S. Lupi & S. Johannis de Tortorag*, S. M. de Beced cum villis & pertinentiis earum, S. Mariæ de Solario.

* *al.* de Tourriac.

In epiſcopatu Helenenſi eccleſiam S. Stephani & S. Vincentii de Stagello, S. Martini de Corneliano, S. M. de Fonte, S. Felicis de Peziliano, S. Saturnini, S. Stephani, S. Mametis, S. M. & S. Andreæ de Ripa-alta, S. Columbæ, S. Mariæ de Toluges*, S. Marci* de Canoas, S. Martini de Canoas, S. Petri de Prata; monaſterium S. Martini de Canegou, S. Andreæ de Subereta cum villis & certis pertinentiis earum.

* *al.* Colu-ges.
* *al.* S. Cy-rici.

In Gerundenſi epiſcopatu monaſterium S. M. de Riudazer*, S. Sepulcri de Paleira, S. Stephani de Catnellas, S. Felicis de Lagoſtera, S. Petri de Gallicantu, S. Felicis de Geiſal* cum villis & pertinentiis earum.

* *al.* de Ri-vidario.
* *al.* de Gerſan.

In epiſcopatu Cæſarauguſt. monaſterium de Jaſſaria cum pertinentiis ſuis.

In epiſcopatu Urgellenſi eccleſiam S. Petri de Burgalo*, S. Petri de Linars & villam Cinzors & Roret cum pertinentiis earum.

* *al.* Bur-galiis.

In Albienſi epiſcopatu eccleſiam S. Petri de Roſen* cum pertinentiis ſuis. Quæcumque præterea in futurum conceſſione Pontificum, vel liberalitate principum, vel oblatione fidelium juſte atque canonice poteritis adipiſci, quieta ſemper vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & integra conſerventur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Sed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura.

* *al.* de Roſieux.

Porro ut idem Craſſenſe monaſterium ſub tutela & juriſdictione S. noſtræ Romanæ, cui Deo auctore deſervimus, eccleſiæ conſtitutum nullius alicujus juris eccleſiæ ditionibus ſummittatur, omnem cujuſlibet eccleſiæ ſacerdotem in eo ditionem quamlibet, præter rectorem ſedis hujus apoſtolicæ prohibemus, adeo ut niſi ab abbate fuerit invitatus, nec miſſarum ibi ſolempnia celebrare præſumat; obeunte te ejuſdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſore nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & beati Benedicti regulam elegerint, a Romano pontifice, vel cui ipſe commiſerit, conſecrandum. Chriſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ſive eccleſiarum, ordinationes monachorum, qui ad ſacros fuerint ordines promovendi, a dioceſanis ſuſcipietis epiſcopis, ſi quidem gratiam atque communionem ſedis apoſtolicæ habuerint, & ſi ea gratis ac ſine pravitate voluerint exhibere; alioquin liceat vobis catholicos quos malueritis adire antiſtites, ab eis conſecrationum ſacramenta ſuſcipere, qui apoſtolicæ ſedis fulti autoritate quæ poſtulantur indulgeant. Nec pro adjacentium parochiarum interdictis fratres veſtri, qui per veſtras eccleſias commorantur, a divinis officiis ſuſpendantur, vel a mortuorum ſuorum exequiis prohibeantur, ſed ipſi tantum cum eorum clientibus, clauſis eccleſiarum januis, divinæ ſervitutis officia peragant, & ſepulturæ debita exolvant. Illorum quoque ſepulturam liberam eſſe cenſemus, qui apud loca veſtra ſepeliri deliberaverint, nec devotioni & extremæ voluntati, niſi forte excommunicati ſint, ullus obſiſtat. Sane de preſbyteris qui per parochias ad monaſteria pertinentes in eccleſiis conſtituuntur, prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ Urbani ſecundi papæ ſententiam confirmamus, ut videlicet abbates in parochialibus eccleſiis quas tenent, epiſcoporum conſilio preſbyteros collocent; epiſcopi autem parochiam cum abbatum conſenſu ſacerdoti committant, ut ejuſmodi ſacerdotes de plebis quidem cura epiſcopo rationem reddant, abbati vero pro rebus temporalibus ad monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant, & ſic ſua cuique jura ſerventur. Ad indicium autem perceptæ a Romana eccleſia libertatis quinque aureos quotannis Lateranenſi palatio perſolvatis. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, &c. Ego Gelaſius catholicæ eccleſiæ epiſcopus, ſignum manus meæ. *Deus in loco ſancto ſuo.* Datum apud Magalonam per manum Griſogoni, S. Rom. eccleſiæ diaconi cardinalis II. kalend. Decemb. ind. XII. Dominicæ Incarnat. anno MCXIX. pontific. autem domini Gelaſii ſecundi papæ anno primo.

XXVII.

Rogerius vicecomes Biterrenſis dat locum ad conſtruendum caſtrum in alodio ſancti Johannis Vallis-Sigerii.

Ex regio Fuxenſi.

1146.

IN nomine Domini. Ego Rogerius Biterrenſis vicecomes filius Cæciliæ vicecomitiſſæ firmo, ſtabilio, atque ædifico caſtrum in comitatu Carcaſſenſi in alodio S. Johannis Baptiſtæ Vallis-Sigerii, qui olim vocatus eſt caſtellum Malaſt, infra duas aquas, ſcilicet infra Duran & Alſau, hodie vero nuncupatur Montoliu. Hoc autem facio cauſa ſalvationis monaſterii prænominati S. Johannis, & omnium eorum quæ ad ipſius poſſeſſionem pertinent. Caſtrum illud ædificatur conſenſu & voluntate domini Bernardi filii Hermengardis prædicti monaſterii abbatis, & omnium monachorum ibidem Deo ſervientium, conſenſu & voluntate domini Pontii Carcaſſenſis epiſcopi, & Bernardi de Caneto, ac Bertrandi de Belpodio, & Guilhelmi de Arnauſas fratris jam dicti abbatis, & Guilhelmi Mancipii de Carcaſſona, & Guilhelmi S. Felicis vicarii Carcaſſenſis, & Guilhelmi Rogerii de Aragon, & Bernardi Boni hominis de Altpullo, & Ugonis de Saxaco, & fratrum ejus, qui videlicet Ugo eſt filius Rica, & aliorum multorum nobilium ac proborum hominum. Ego igitur Rogerius Biterrenſis ſupradictus in jam dicto caſtro Montis-oliu dono locum ad ædificandum ibi caſtellum & forciam Domino Deo, & S. Johanni Baptiſtæ Vallis-Sigerii, & Bernardo præſcripto abbati, & monachis ejuſdem monaſterii ſancti Johannis, & omnibus ſucceſſoribus eorum tam monachis quam abbatibus, ſalva fidelitate mea, & totius poſteritatis meæ, ab extrema parte Montis, quæ pars eſt adverſus aquilonem uſque ad Vallum, quod domina vicecomitiſſa fieri fecit, hoc modo, quod ulla occaſione aliquod impedimentum tollendi, vel vendendi, aut alteri donandi in prænominato caſtro non ponam nec abbati, & monachis ſupradicti monaſterii, & ſucceſſoribus eorum. Et ego Bernardus prænominatus abbas & nos monachi monaſterii S. Johannis recipimus hoc donum prædicti loci omni reſervatione mala poſtpoſita, ad ædificandum ibi caſtrum ſalva fidelitate tua, Rogeri, & totius poſteritatis tuæ hoc modo, quod ulla occaſione aliquod impedimentum in jam dicto caſtro non ponamus, nec mittamus & tibi, vel eis qui ex parte tua ipſum caſtrum & forcias nobis & ſucceſſoribus noſtris requirent non prohibeamus, ſed ſine mora, & abſque ulla dilatione, & mala reſervatione illud caſtrum, & omnes fortias ejus tibi, & omni poſteritati tuæ reddamus. Si vero de te deſierit ſine infante, per prænominatam convenientiam Trencavello fratri tuo & poſteritati ejus preſcriptum caſtrum reddiderimus. Adhuc ego Rogerius laudo & concedo tibi Bernardo abbati prædicto, & monachis, & omnibus ſucceſſoribus veſtris omne hoc quod habebatis in villa Vallis-Sigerii, antequam caſtrum quod vocatur Montoliu ædificaretur in reliqua parte caſtri & burgi, quod ædificatur, in uno quoque manſo illius caſtelli & burgi ibidem ſuppoſiti unam libram

ceræ habeatis, exceptis illis manſis qui antiquitus cenſum dabant, & exceptis illis in quibus manent milites & miniſtri mei, etiam medietatem foriſcapiorum omnium manſorum prænominati caſtri & burgi habeatis, & ego & poſteritas mea aliam medietatem habeamus. Et ego Bernardus prædictus abbas, & nos monachi jam dicti monaſterii & ſucceſſores noſtri laudamus & concedimus tibi Rogerio & poſteritati tuæ in altera parte caſtri & burgi omne hoc quod habebatis in villa Vallis-Sigerii, & medietatem omnium foriſcapiorum, & illam tu, Rogeri, aut poſteritas tua non poſſitis vendere aut inpignorare, aut aliquo modo commutare, niſi nobis aut ſucceſſoribus noſtris, ut ſic iſta carta firma & ſtabilis permaneat omni tempore ſine inganno. Signa domini Rogerii Biterris, & domini Bernardi prædicti abbatis, & monachorum ejus qui ſic iſtam cartam fieri juſſerunt ac firmaverunt, & domni Raymundi Trencavelli, & domni Pontii Carcaſſenſis epiſcopi, & Bernardi de Caneto, & Guilhelmi S. Felicis vicarii Carcaſſenſis, & Guilhelmi Rogerii de Aragon, & Guilhelmi Mancip. & Petri Pelapol. & Pontii Ferrol. Bernardus ſcripſit vice domini ſui Guilhelmi Adelfi iſtam cartam dictantis juſſione domini Rogerii prædicti, & domni Bernardi prænominati abbatis anno MCXLVI. Incarnationis Dominicæ, ſeptimo cal. Julii feria tertia regnante Lodovico rege Francorum. Ego prædictus Rogerius Biterrenſis facio donum & convenientiam tibi prædicto Bernardo abbati & ſucceſſoribus tuis, quod in prædicto caſtro de Monte-olivo ullus homo & femina non faciat turrem vel caſtellum, niſi ego & vos, aut Guillelmus Rogerii de Aragon.

X X V I I I.

Fundatio monaſterii Villæ-Longæ.

Edit. prob. tom. 2. hiſt. Occit. pag. 527.

1150. EGO ROGERIUS vicecomes & uxor mea Bernarda dono Deo, & S. Mariæ Boni-fontis, & tibi Arnaldo priori Boni-fontis, & cunctis ſucceſſoribus veſtris habitantibus in Compania, totum quod habemus & habere debemus, honorem, & dominium in terminio de Compania, quantum eſt inter aquam de Sor, uſque ad aquam de Lampi, & quantum eſt inter ſtratam publicam, quæ venit de Conquet *, uſque ad ſtratam quæ tranſit juxta Sabatut de Compania. Damus ſimiliter in omni feldo de Compania ligna ad ædificandas & conſtruendas domos, & ad omnia neceſſaria, & in ſilvis, & in eremo, & in condirecto, herbas, & paſturales per totum ad beſtias, & hoc totum facimus ſolummodo pro amore Dei, & pro redemtione animarum noſtrarum, & parentum noſtrorum, ita ut nos, nec aliquis pro nobis, neque ſucceſſores noſtri de prædictis terminis nihil requiramus; & ſi ullus homo & femina in prædicto honore & dominio de Compania vobis amparaverit, vel calumniaverit, nos erimus vobis inde guarentes ſine inganno omni tempore. Facta eſt hæc carta anno ab Incarnatione Domini MCL. idus Julii feria VII. regnante Ludovico rege. Hujus rei ſunt teſtes Trencavel vicecomes Biterrenſis & Vaterius Debeſſa [a], & Bertrandus Davalat [b], & Petrus de Amellarii [c], & Petrus de Meranas [d]. Raimundus Geraldi ſcripſit.

* al. de Bruniquel.

[a] de Beſſano.
[b] Denabliatam.
[c] de Armellano.
[d] de Meyanas.

X X I X.

Ex autogr. Villæ-Long.

Donum Bernardi abbatis Montis-olivi factum Servato abbati Boni-fontis.

1150. BERNARDUS abbas S. Johannis Vallis-Segerii conſilio ſui conventus donavit per alodium Servato abbati Boni-fontis & fratribus ſuis totum quod eccleſia S. Johannis Vallis-Segerii, & eccleſia ſanctæ Mariæ de Barnaſona in pertinentiis de Compania habebant vel habere debebant, quatinus fratres Boni-fontis & ſucceſſores eorum in Compania habitantes jure perpetuo haberent, & poſſiderent, & liberaliter facerent omnem ſuam voluntatem per omnia tempora. Hoc donum factum fuit ſolummodo pro amore Dei & S. Mariæ in manu Servati abbatis Boni-fontis, & Arnaldi prioris, & pro participatione orationum & beneficiorum ordinis Ciſtercienſis. Facta eſt hæc carta anno ab Incarnatione Domini MCL. & in feria II. & in V. cal. Septembr. regnante Lodovico rege. S. Bernardi abbatis Vallis-Segerii. S. Belengerii prioris. S. Willelmi Ferranni. S. Petri Itbaldi.

X X X.

Donum Villæ-Longæ factum monachis Companiæ.

Edit. prob. tom. 2. hiſt. Occit. pag. 527.

1152. ANNO MCLII. ab Incarnatione Chriſti menſe Madii die feria I. Lod. rege regnante. Ego Bernardus de Caſtellione, & ego Clavellus filius Bernardi Caſtellionis, nos ſimul donamus Domino Deo & S. Mariæ de Compania, & tibi Arnaldo abbati Companiæ, & omnibus habitatoribus ejuſdem loci, tam præſentibus quam futuris, omne jus quod habemus vel habere debemus in villario S. Johannis de Villa-Longa, & in omnibus terminis ejuſdem, in terris, in ſilvis, in aquis, in paſcuis, in vineis, in frutetis, in heremo & condirecto, in ingreſſu & egreſſu, in foreſtadiis, & in omnibus dominationibus noſtris, ſine omni retinentia atque contradictione, præter homines tantum quos nobiſcum retinemus. Hanc donationem fecimus Deo, & S. Mariæ de Compania, & tibi Arnaldo abbati & omnibus fratribus ejuſdem loci Companiæ & Villæ-Longæ præſentibus & futuris per alodium in perpetuum, ſed tamen in tali pacto, ut vos recipiatis nos in vita vel in morte. Ita ergo, ſicut ſupradictum eſt, ita donamus nos vobis bono animo, & bona voluntate, ſine ulla retinentia, & ſine omni inganno pro amore Dei, & pro redemtione animarum noſtrarum, & parentum noſtrorum; & ſi ullus homo aut femina vobis vel veſtris ſucceſſoribus aliquid amparaverit vel abſtulerit, nos & noſtri ſucceſſores erimus inde vobis boni guarentes ſine omni inganno, & faciemus illud vobis & ſucceſſoribus veſtris tenere & poſſidere in perpetuum per alodium. Hujus rei & iſtius donationis ſunt teſtes Guillelmus Montiſpeſſulani monachus, & Bernardus Biloth abbas Gimundi, & Bernardus de Villa de Guto & Iſarnus Jordani, & Petrus de Canavelas, quorum juſſu, & Bernardi Ceſtellionis prænominati, & Clavelli filii ſui prædicti, Guillelmus capellanus de Saiſaco hanc cartam ſcripſit die & anno prænotato.

X X X I.

Donatio facta monaſterio beatæ Mariæ de Rivo-nitido.

Ex archivo Rivi-nitidi.

1162. OMNIBUS hominibus tam præſentibus quam futuris ſit manifeſtum, quod ego Arnaldus Seguerius, & Rixovendis mater mea, & nos Petrus * Seguerius omnes in unum amore Dei omnipotentis, Patris & Filii, & Spiritus ſancti, noſtrorumque remiſſione peccatorum, omniumque fidelium defunctorum, gratis damus Deo & eccleſiæ B. Mariæ de Rivo-nitido, & tibi humili Rainæ præſidenti negotiis domus illius eccleſiæ, & tibi Bernardo de Allairaco ſacerdoti ejuſdem loci tuo confratri, omnibuſque ſanctimonialibus tam præſentibus quam futuris ſub ordinatione loci illius Deo ſervientibus, damus quidem vobis licentiam conſtruendi, atque ædificandi, & in perpetuum tenendi tot ædificia quot volueritis in omni honore quem habemus & tenemus, vel tenere debemus in terminio B. Mariæ de Rivo-nitido, hoc eſt manſos, domos, curtiles, palearia, areas, hortos, viridaria, exitus aquarum &

* al. Sigarius atque Petrus.

reditus, ac cætera alia ubicumque volueritis in illo honore nostro. Damus item vobis omnes decimas totius bestiarii vestri, scilicet omnium caprarum, boum, vaccarum, porcorum, agnorum* & volucrum, & etiam totius nutrimenti domorum vestrarum. Damus quoque licentiam vobis plantandi vineam in riparia versus Altanum usque in Podium, quam teneatis per allodium, unde neque decimam dabitis. Damus item vobis per allodium Mollogium* quod ibi juxta caminam plantastis & unam modiatam terræ ad frumentum ubicumque volueritis in illo terminio, unde etiam non dabitis decimam, sicut superius est dictum. Sic remota omni retinentia nostra damus Deo & beatæ Mariæ de Rivo-nitido omnibusque habitantibus in ipso loco totum habendum & tenendum ad omnem voluntatem suam in toto & de toto sub proprio jure & allodio in perpetuum faciendam. Item dono vobis & omnibus in domibus de Rivo-nitido habitantibus totum alium honorem, qui est in toto terminio de Rivo-nitido ad habendum & laborandum, & ad omnem voluntatem vestram inde faciendam, ita tamen ut de fructibus illius honoris nobis in area nostra undecimam in grano & medietatem decimæ donetis sine nostro inganno in perpetuum; & recognoscimus quod pro *acapito* illius honoris dedistis nobis viginti solidos Melgorienses. Si autem homo aut femina aliquid rerum prædictarum vobis amparaverit, vel successoribus vestris, erimus vobis & illis sine vestro illorumque inganno virpientes. Actum est hoc VIII. id. Novemb. anno Incarnationis Domini MCLXII. regnante Ludovico rege. Signum Arnaldi Seguerii, qui hoc donum fecit. Signum Rixovendis matris suæ. [a] Signum Petri Seguerii nepotis eorum. Signum Petri monachi & capellani. Signum Berengarii de Rocosello.[b] Signum Guillelmi de Malbeaso.[c] Signum Guillelmi Arnaldi.[d] Bernardus scripsit jussione Arnaldi Seguerii & matris ejus Rixovendis, & Petri Seguerii nepotis eorum.

* al. equarum.

* al. Malolium quem ibi juxta caunam.

a al. & nepotum eorum Sigarii & Petri.
b al. de Torrozela.
c al. de Malbraso.
d al. Guill. Arimandi.

XXXII.

Ex tabul. Crassens.

Donatio decimæ in dominicatura villæ S. Johannis de Palma, facta Berengario abbati Crassensi.

1167.

IN nomine Domini, ego Gauzbertus de Leucata in mea plena memoria dono, & reddo, & guirpisco Deo & S. Mariæ Crassæ, & domno abbati Berengario, & monachis ejusdem loci præsentibus & futuris omnem meam partem de decima, quæ teneo vel habeo in dominicatura in villa S. Johannis de Palma, vel in ejus terminis, pro redemtione animæ meæ & patris & matris meæ & omnium parentorum meorum, ut Deus mihi & illis suam misericordiam faciat: sicut superius scriptum est, & intelligi potest, sic dono, reddo & guirpisco Deo & S. Mariæ Crassæ & monachis ejusdem loci præsentibus & futuris totum & ad integrum sine omni ingamno & malo ingenio. Quod si aliquis ex propinquis meis vel heredibus contra hanc cartam donationis venerit ad irrumpendum, non valeat obtinere; sed hæc charta firma & stabilis permaneat omnique tempore. Facta charta donationis & guirpitionis V. cal. Madii anno Domini MCLXVII. regnante Ludovico rege. Signum Gauzbertus de Leucata, qui ista charta donationis vel guirpitionis scribere jussit, firmavit, firmarique rogavit. Signum Berengarii de Capitolio *Cabiou*. Signum Berengarii de Leucata. Signum Ermengaudi de Leucata, qui hoc laudat & firmat. Guillabertus rogatus scripsit. Hoc donum superius scriptum facit præscriptus Gauzbertus de Leucata in tali convenientia, ut in omni anno in calendis Madii cantent omnes presbyteri Crassensis ecclesiæ missas pro animabus patris & matris eorum, & omnium parentum ejus, & exeant omnes fratres super sepulcra eorum.

XXXIII.

Venditio Raimundæ de Villa-Longa, facta Guillelmo Raimundo abbati de Villa-Longa.

1177.

ANno MCLXXVII. Incarnationis Dominicæ V. idus Martii Luna XIX. & in Sabbato, Ludovico rege regnante. Ego Raymunda filia Engelberti de Villa-Longa, & vir meus Petrus Garibertus, & filius noster Bernardus per nos, & per omnes infantes, ac posteros nostros, bona fide, & sine inganno, & gratuito velle nostro & absque vi donamus & vendimus tibi Guillelmo Raimundo abbati S. Johannis de Villa-Longa, & omnibus habitantibus ejusdem domus præsentibus & futuris, & cum hac carta tradimus vobis sine omni nostro retentu totum illum honorem, & illam tenentiam, atque hereditatem, quam pater meus dedit mihi, quando collocavit me in matrimonio, quem habemus vel ulla voce habere debemus in toto decimario, in toto terminio S. Johannis Villæ-Longæ, cultum scilicet & incultum, sicut melius dici & intelligi potest, totum damus, & concedimus vobis propter XV. solidos Tolosanos, & unum sextarium frumenti, tali equidem ratione & pacto, quod dum habeatis & teneatis ac pro vestro proprio jure cum in .... possideatis vos & omnes successores vestri, ad totum vestrum velle faciendum. Et ego Raimunda prædicta tenebo hanc venditionem & hoc donum, sicut in hac carta prænotatum est, & hoc juro supra sacrosancta quatuor Evangelia. Hujus rei sunt testes Pontius Ato, Arnaldus Bernardus, Raimundus Bernardus, Benedictus de Vur, atque Vitalis Caput de Lupo, quorum omnium prædictorum jussu Pontius Alauriacensis hæc scripsit.

XXXIV.

Ex autogr.

Oto episcopus Carcassensis dat monasterio Villæ-Longæ ecclesiam S. Johannis & B. Mariæ Villæ-Longæ.

1180.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi anno ab Incarnatione Domini MCLXXX. Ego Oto gratia Dei Carcassensis episcopus gratis ac libera voluntate pro amore Dei & remissione peccatorum meorum, & antecessorum, & successorum meorum, dono vobis domno Raimundo abbati monasterii beatæ Mariæ Villæ-Longæ, & successoribus vestris abbatibus, & monachis, & fratribus ibidem Deo servientibus tam præsentibus quam futuris ipsam ecclesiam S. Johannis & beatæ Mariæ Villæ-Longæ, cum suis omnibus decimis, ac primitiis illius termini, & tantum quantum episcopus in jam dicta ecclesia, & in illa villa, & in suis omnibus terminiis habet vel habere debet ulla voce, sicut superius dictum est, sic per me ac per successores episcopos bona fide, & bono animo, & secundum consuetudinem monasterii Cisterciensis facio vobis prædictum donum, & in possessionem meorum vos mitto, & meam potestatem ac successorum meorum in vestra potestate tradimus; ita quod ego, neque ullus successor meus episcopus, neque ulla persona per nos ad id quicquam non requiramus, vel requirere in perpetuum nullo modo faciamus, & sic istud donum facio, ut firmum ac stabile omni tempore permaneat. Signum Raimundi archidiac. sign. Guillelmi de Peiriaco, & Raimundi de Rivo; sign. Pontii de Campeduco, & Petri de villa Maurino, & aliorum canonicorum sedis S. Nazarii, qui sic istam cartam firmaverunt. S. Arnaldi capellani de S. Vincentio, & Guillelmi Michaelis; sign. Laurentii Xatinarii, & Pontii de Monte-Longo. Petrus Bannus hanc cartam scripsit jussione omnium prædictorum XIV. calend. April. feria II. regnante Philippo rege Francorum.

XXXV.

Ex autographo Rivi-nitidi.

Charta Otonis episcopi Carcassonensis ecclesiam & locum Rivi-nitidi cum decimis & primitiis Guillelmæ abbatissæ concedentis.

1183. IN nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Anno MCLXXXIII. ego Oto gratia Dei Carcassensis episcopus dono Deo, & beatæ Mariæ, & vobis dominæ Guillelmæ abbatissæ monasterii B. Mariæ Rivi-nitidi, & aliis sanctimonialibus ejusdem monasterii tam præsentibus quam futuris, ecclesiam B. Mariæ de Rivonitido, & locum in quo illa ecclesia ædificata est, cum suis decimis, ac primitiis totius terminii jam dictæ ecclesiæ. Terminus confrontatur de Altano in termino de Molera, & in ipsa serra de Monteingres, de meridie in termino sancti Pauli de Vilar, & in illa serra de Circio, in termino de Vilar de Guert, ab aquilone in termino S. Andreæ, sicut superius prædictus terminus præfinitæ ecclesiæ a jam dictis affrontationibus includitur. Sic totum quantum ibi episcopus habet, terras, vineas, aquas, riparias, boschos, garrigas, dominia, feudos, & quantum infra omnes affrontationes ullus homo vel femina de me ibi tenent, sive pro feudo sive alio modo; & prata, pascua, cultum & incultum, introitus & regressus, & omnia alia jura nostra quæ in prædicta ecclesia & infra prædictas affrontationes habeo & ulla voce habere debeo, per me & per successores meos episcopos, dono vobis, & eidem jam dictæ ecclesiæ, absque ulla dominatione quam ibi non retineo, nisi unam libram ceræ quam annuatim pro synodo, sacristano ecclesiæ beati Nazarii sicut prædictam ecclesiam, & jam dictum honorem franca mente & libere in perpetuum ten...... sic meam potestatem, quam in prædicta ecclesia & in prædicto honore ulla voce habeo & habere debeo, in vestra potestate trado, ut totum teneatis ad servitium Dei faciendum vos & illæ quæ post vos venerint perenniter. Quod si aliquid adquirere potueritis de aliis hominibus infra prædictis terminiis, illud totum vobis dono, & istam cartam sic firmo ac laudo, & sub dictis testibus firmare rogo. Signum Raimundi archidiaconi atque sacristæ jam dictæ sedis, qui sic istam cartam firmavit; sign. Bernardi de villa Fleurano archipresbyteri; sig. Berengarii archidiaconi, & Guillelmi de Piriaco, & Guillelmi Martini canonici, & Arnaldi Morlane, & Petri Gros, & Gervasii, & Arnaldi Domederii, & Remundi de Fano. Quod si homo vel femina in prædicto dono vobis aliquid amparaverit, ego ac successores mei episcopi inde erimus vobis boni guirenti, ut ista carta & donum firmum ac stabile permaneat. Petrus Barraus scripsit jussione domni Otonis episcopi, & jam dictorum omnium IV. cal. Madii feria V. regnante Philippo rege.

XXXVI.

Ex archivis ecclesiæ Carcassonensis.

Testamentum Udalguerii de Punciano in gratiam episcopi Otonis & canonicorum Carcassensium.

1183. IN nomine Domini Jesu Christi in anno ab Incarnatione Domini MCLXXXIII. Ego Udalguerius de Punciano in infirmitate positus, memoriæ plenus, timore mortis perterritus, omnia quæ habeo & habere debeo dispono, & facio sic meum testamentum. In primis dono & trado meipsum Domino Deo & B. Nazario sedis Carcassonæ, domno Otoni episcopo, & vobis canonicis ejusdem sedis, videlicet Petro de Aragone præposito honoris S. Nazarii de Villa-alba, ceterisque canonicis ejusdem jam dictæ sedis, & omnibus aliis tam præsentibus quam futuris per canonicum, ut ibi vobiscum permaneam canonicus ad servitium Dei faciendum omnibus diebus vitæ meæ. Et propter injuriam quam hucusque feci prædictæ ecclesiæ sancti Nazarii de honore de Talabois, quem scienter & injuste prædictæ ecclesiæ abstuleram, emendo meipsum, & trado prædictæ ecclesiæ, & reddo prædictæ ecclesiæ, & canonicis ibidem Deo servientibus totum ipsum honorem quem eis amparabam in jam dicta de Talabois, & in suis terminiis, videlicet condaminam de Blaud, quam liberabitis pro septuaginta solidis [a] Ugo de illo pignore, in quo hodie est, & Casalagge Guillelmi Augerii, & Faurgam, & ipsam partem agrariorum, qui sunt in pignore pro quadraginta solidis Ugo. & condamina quæ est in pignore pro centum solidis Ugo. & condamina de Monte-ferran, quæ est tota sancti Nazarii, & hortatem dominicalem medietas cujus est in pignore pro sexdecim solidis Ugo. cum aliis honoribus, & Casalagge Guillelmi Augerii, qui est in pignore pro centum solidis Ugo. sicut superius dictum est, & totum quantum in prædicta villa, & in omnibus suis terminiis prædictæ ecclesiæ, & vobis canonicis ejusdem ulla voce requirebam. Omnibus hominibus manifestum fieri volo, quod maligne & injuste faciebam, unde totum qualicumque voce in prædicta villa & in suis terminiis tenebam, & visus sum tenere ibi & habere, & ibi habeo & habere ulla voce debeo, homines & feminas, terras, atque vineas, quartos, agrarios, census ac usaticos, dominia, cultum & incultum, feudos & adempramenta, & omnia alia jura mea usui hominum pertinentia, quæ in præscripta villa & in suis terminiis ulla voce habeo & habere debeo, totum præfinitæ ecclesiæ & vobis gratis ac libera voluntate reddo, dono, dimitto, atque bono animo trado & in possessionem mitto, & potestatem quam in illo honore habebam vobis canonicis tam præsentibus quam futuris, & præfinitæ ecclesiæ dimitto: ita quod nullus ex hæredibus meis aliquid ulla voce ibi requirere possit. Et cognosco & testifico, & notum fieri omnibus hominibus volo, quod prædicta omnia de Talabois, quæ ego ibi habeo vel habui, vel homo vel femina per me habet ibi, vel habuit a S. Nazario, a canonicis ejus habui & tenui, & omnes antecessores mei, & omnes pariarii mei, quæ omnia modo illis reddo, dono, & solvo. Totum alium meum honorem omnesque alias rectitudines, ubicumque illas habeo & habere debeo, in comitatu Redensi, & in toto episcopatu Tolosano, castra, villas, dominia, feudos & omnia jura mea usui hominum pertinentia, ubicumque illa habeo & habere debeo, excepto jam dicto honore de Talabois, quem, ut superius dixi, reddo & dono prædictæ ecclesiæ & jam dictis canonicis, totum alium honorem ubicumque sit dono domno Rogerio de Biterri: ita quod Udalguerius filius meus & sui ipsum honorem teneant ad feudum de domno Rogerio de Biterri. Tamen si de filio meo Udalguerio decesserit sine infante legitimo, totum honorem quem prædicto filio meo dimittebam laxo Blanchæ filiæ meæ, & posteritati illius, quem videlicet illa vel sui habeant, & teneant illum honorem similiter ad feudum Onrad de domino Rogerio, sicut superius dictum est. Sic facio meum testamentum, & volo, & deprecor dominum Rogerium, quatinus istud testamentum, sicut superius præordinavi, faciat bonum stare, & sit bonus defensor, & manuteneat de omnibus hominibus qui aliquid removere conati fuerint, & requirere voluerint in honore præscripto istius testamenti, præter id quod ordinavi, & sic firmo ac laudo, & subdictis testibus firmare rogo. S. de me Udalguerio filio jam dicti Udalguerii, qui gratis ac libera voluntate præcepto domini prope dicti Udalguerii patris mei honorem jam dictum de Talabois & de suis omnibus terminiis diffinio, laxo, reddo, omnibusque modis dimitto Domino Deo & ecclesiæ B. Nazarii, & vobis jam dictis canonicis tam præsentibus quam futuris, recognoscens me certissime esse quatuordecim annorum & plurium, & quod nunquam contra prædictam voluntatem patris mei veniam, vel veniri faciam firmiter promitto, abrenuncians omni auxilio & omni remedio ex certa scientia, & omni juri tam divino quam humano, tam scripto quam non scripto, ad hoc infringendum mihi competenti vel

[a] *l.* Ugonensibus.

competituro; & sicut dico sic tenebo & observabo, & non movebo, nec movere ab aliquo faciam nec permittam; sicque supra sancta Dei Evangelia corporaliter juro. S. domni Rogerii Bitterrensis & Carcassonensis vicecomitis, qui sic istam cartam firmavi. S. domni Otonis Carcassonæ episcopi, in cujus manu hoc totum factum est, qui sic firmavit istud testamentum. Hujus testamenti testes Petrus Vassal, & Pontius Ferrol..... Morlane, & Petrus Guairaudus, & Guillelmus Brunetus, & Guillelmus de Calavo, & Arnaldus de Molino, & Guillelmus de Peiriaco, & Raimundus de Monte-Longo, qui omnes isti rogati ex præcepto prædicti Udalguerii & filii ejus Udalguerii sic istam cartam firmaverunt. Petrus Barraus hanc cartam scripsit vice Petri Barravi magistri sui istam cartam dictantis, qui omnes jam dicti sic istam cartam scribi jusserunt calendas Martii feria quarta regnante Philippo rege.

XXXVII.

Ex archiv. Villæ-Long.

Symon comes Leycestriæ dat abbati Villæ-Longæ villam S. Martini veteris.

1212.

SYMON comes Leycestriæ dominus Montis-fortis divina providentia Biterris & Carcassonæ vicecomes, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestræ notum facimus, quod nos damus & concedimus abbati Villæ-Longæ & monachis & fratribus ibidem Deo servientibus pro anima nostra & successorum nostrorum villam S. Martini veteris, sicut includitur infra territorium ejusdem villæ in mera & pura elemosina libere in perpetuum possidendam, salva tamen justitia corporali ad principem pertinente. Quod ut ratum sit, præsens scriptum sigilli nostri munimine confirmamus. Datum Vauri anno Domini MCCXII. die festo S. Agnetis virginis.

XXXVIII.

Ex archiv. S. Hilarii.

Transactio inter Alboynum abbat. sancti Hilarii & S. Dominicum de monasterio sancti Hilarii, quod ipsi Alboyno & monachis relinquitur, excepta tamen ecclesia de Limoso, quæ assignatur Fratribus Prædicatoribus.

1217.

NOtum sit omnibus hominibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Alboynus Dei gratia abbas sancti Hilarii & prior noster Anselmus, cum consilio & voluntate conventus ejusdem monasterii sancti Hilarii approbamus & confirmamus transactionem factam inter nos ex una parte, & fratrem Dominicum priorem sancti Romani, & G. Claretum & alios fratres prædicationis ecclesiæ sancti Romani ex altera, in manu & potestate scilicet Tidisii episcopi Agathensis, in quo a nobis & ab ipsis fuerat compromissum sub pœna centum marcharum argenti, quæ compositio seu transactio talis est, quod nos abbas jam dictus & conventus monasterii sancti Hilarii & successores nostri pleno jure habeamus & possideamus in perpetum monasterium sancti Hilarii, cum omnibus juribus & pertinentiis suis ubicumque sint, excepta ecclesia de Limoso, quam frater Dominicus prædictus prior sancti Romani, & G. Clareti & alii jam dicti fratres prædicationis habeant & teneant in perpetuum cum omnibus juribus suis & pertinentiis sub annuo censu præstando nobis & jam dicto monasterio & nostris omnibus successoribus, ab ipsis & ab omnibus eorum successoribus in perpetuum, videlicet trium modiorum frumenti ad mensuram de Limoso, quas nobis plenarie debent deferre singulis annis sine aliquibus sumptibus nostris in monasterio antedicto. Quod ut hæc omnia in perpetuum observentur firmiter, præsentem cartam sigilli nostri munimine roboravimus, & nos frater Dominicus prior sancti Romani, & G. Clareti cum consilio & voluntate totius capituli, & fratrum nostrorum sancti Romani, & de Prolano prædicta omnia concedimus, approbamus, & confirmamus per hanc publicam scripturam, & promittimus in verbo veritatis quod contra non veniamus aliquo jure divino vel humano. Et ut hæc omnia in perpetuum robur obtineant, præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine communimus, & ego jam dictus abbas sancti Hilarii, & prior noster Anselmus, & conventus promittimus in verbo veritatis quod contra prædictam compositionem seu transactionem non veniamus aliquo jure divino vel humano; & nos Dei gratia abbas Clusinus, & sancti Salitoris minister cum consilio & voluntate conventus nostri prædictam compositionem seu transactionem concedimus, approbamus & confirmamus. Quod ut perpetuo & inviolabiliter observetur, præsentem cartam impositione sigillorum nostrorum & capituli roboramus. Factum est hoc anno Dom. MCCXVII. mense Martii regnante Philippo rege.

XXXIX.

Charta de renovatione basilicæ Crassensis.

Circa ann. 1220.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Quoniam pietatis opera exercere, consensu, verbo, & opere promovere, præsentis vitæ subsidium & æternæ retributionis præmium noscitur obtinere, nos G. Dei gratia Crassæ abbas videntes monasterium nostrum in ædificiis antiquatum, in tantum quod ruinam & interitum præ antiquitate nimia comminatur, & præsertim ecclesia, quam recolendæ memoriæ Carolus imperator inclitus construxit in honorem Virg. Mariæ & apostolorum Petri & Andreæ, eamque bonis plurimis dotavit & ditavit, cupientes eam reficere Domino adjuvante ad honorem ejus, cujus nomine primitus fuit huic dedicata, conferimus quamdam mulam, & semper sibi annonam & victum duobus magistris ad opus ecclesiæ construendæ. Reddimus etiam plenarie honorem quemdam operi assignatum; & concedimus insuper omnes omnino decimas noviter adquisitas ad nostrum monasterium pertinentes: volentes ut omnia membra monasterii, priores videlicet, præpositi, & cæteri confratres nostri nostras administrationes habentes, subsidium competens faciant ad tam salubre, tam laudabile, tam honorabile ædificium peragendum. Nos igitur P. R. præpositus Leziniani & B. sacrista & B. prior Ruydazarii, & P. G. præpositus Cominiani, unusquisque nostrum promittimus sigillatim medium modium frumenti & medium ordei, & modium vini puri ad opus ecclesiæ construendæ. Solvemus annuatim, P. prior Camboni [a] unum modium frumenti; præpositus Pediliani medium modium frumenti & medium ordei: præpositus sancti Michaelis [b] medium modium, partem frumenti & partem ordei: eleemosynarius medium modium vini & medium modium ordei: præpositus Rubiani [c] medium modium frumenti & medium modium ordei [d]: prior S. Martini [e] v. solidos: præpositus S. Petri [f] v. solidos: infirmarius v. solidos: P. de Cominiano quandiu Tornixarnum [g] tenuerit, unum sextarium frumenti & unum sextarium ordei: præpositus de Claromonte unum sextarium frumenti & unum sextarium ordei: prior Paleriæ [h] CCCC. solidos in præsenti: P. camerarius C. solidos melgorienses annuatim: abbas S. Andreæ XXX. solidos annuatim. Nos omnes superius nominati ista promittimus solvere annuatim a nobis ipsis juxta vires viriliter inchoantes, ne ab aliis subsidium postulantes onus subterfugere videamur. Quia vero ad consummationem tanti tamque necessarii operis vires nostræ non possunt sufficere, ab omnibus Christi fidelibus consilium & auxilium dignum duximus implorare, ut quod ad omnium salutem pertinet, ab omnibus adjuvetur. Nos ergo confidentes de omnipotentis Dei misericordia, & gloriosæ Virginis matris Dei cujus negotium geritur, omnes benefactores hujus operis, qui consilio vel opibus in persona vel orationibus, vel alio modo

[a] Camon.
[b] *Vulgo* Nahuze.
[c] *V.* Roubian.
[d] *al.* vini.
[e] *V.* Saint Martin del Poux.
[f] *V.* Saint Peyre.
[g] Tournicharn.
[h] *V.* Paleyrac.

tam laudabile opus adjuvabunt, in confraternitate & societate nostra recipimus, in missis, in vigiliis, in eleemosynis, jejuniis, orationibus, & cæteris bonis operibus, quæ tam in capite quam in membris per nos & successores nostros licet indignos Dominus voluerit operari: statuentes ut missa pro omnibus qui se in perpetuum vel ad tempus Deo & operi obtulerint, vel se ad adjuvandum opus, secundum quod sibi Dominus inspiraverit, obligaverint, diebus singulis in monasterio decantetur, & qualibet hebdomada unum psalterium; & quilibet sacerdotis fungens officio tam in capite quam in membris missam pro hujusmodi confratribus semel, aut iterum annis singulis celebrabit; diaconi vero & cæteri quilibet in monasterio litterati unum psalterium, conversi vero & alii laïci confratres monasterii centum quinquaginta vicibus orationem Dominicam decantabunt. Cum autem quæstores circuierint diœceses sibi ad quærendum assignatas, nomina defunctorum omnium fratrum operis in capitulo recitari facient & absolvi, pro quibus omnibus mysterium defunctorum sequenti die, vel alia, juxta quod visum fuerit conventui, facient celebrari.

X L.

Biblioth. Colbert.

Donum Bernardi episcopi Carcassensis factum domui Villæ-Longæ in maximis angustiis positæ.

1220. BERNARDUS Dei gratia Carcassonæ episcopus omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint salutem, & bonis operibus abundare. Quia nostrum est viros religiosos & honestos, maxime quos novimus inter multiplices anxietatis pœnas tam raptorum, quam latronum, quam etiam schismaticorum versutias bonæ conversationis esse; & quanto magis opprimuntur, tanto desiderabilius Christi servitio eriguntur, visitare, & pro posse nostro eis intuitu pietatis subvenire; ideo nos magnæ religionis viro Dei gratia abbati Villæ-Longæ, & conventui ejusdem ecclesiæ medietatem decimarum villæ sancti Martini olim laïcis pertinentem ad construendam ecclesiam & officinas ejusdem loci in perpetuum assignamus. Datum apud Montem-olivi VIII. idus Julii anno Domini MCCXX.

X L I.

Ermengaudus abbas Montis-olivi consuetudines & privilegia urbis seu universitatis Montis-olivi sancit.

1231. NOverint universi præsentes pariter & futuri quod nos Ermengaudus Dei gratia abbas Montis-olivi, & conventus ejusdem monasterii, videlicet Raimundus de Lauris infirmarius, &c. (*10. numero*) per nos & per totum conventum nostrum præsentem atque futurum communicato consilio, visa & inspecta atque cognita magna utilitate monasterii nostri in præsenti, & maxima in futuro, ad honorem Dei omnipotentis & beatæ ac gloriosæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, & B. Johannis Baptistæ, atque omnium sanctorum Dei, ad preces multimodas totius universitatis villæ Montis-olivi, volentes universis & singulis retribuere quod bene in nostris necessitatibus meruerunt, sicut in recuperatione villæ prædictæ, quæ nobis ab inimicis pacis tunc & fidei fuerat ablata, in qua sustinendo multas angustias & damna invenimus ipsos nobis propitios & fideles, statuimus, & in perpetuum volumus observari, quod omnes inhabitantes villam Montis-olivi, mares & feminæ, & qui ad inhabitandum ibidem venerint undecunque, & quicunque sint, latronibus exceptis, raptoribus, ruptariis, infractoribus pacis, homicidis, proditoribus, atque hereticis, quandiu in eadem habitaverint, gaudeant, & heredes eorum libertate & immunitate perpetua ab omnibus talliis, seu quistis, forciis, atque toltis. Volumus etiam & statuimus, quod si aliquis de inhabitantibus villam prædictam, se transferre ad inhabitandum voluerit, privetur immunitate & libertate prædicta, licentiam tamen habeat exeundi, & transferendi se cum omnibus bonis suis integre & absolute ubicunque, & ad quamcunque partem voluerit, sine arrestatione, & contradictione nostra; possit etiam vendere atque detrahere possessiones suas universas, vel retinere, si voluerit, tamen cum consilio nostro & jure in omnibus nostro atque dominio in omnibus nobis salvo, qui secundum posse nostrum, securum ducatum præstabimus in tota villa versus illam partem qua ire voluerit per unam leucam circa villam nostram præfatam. Statuimus etiam quod nullus inhabitans supra dictam villam possit vel debeat ab aliquo capi, forciari, vel pignorari infra terminos subscriptos nostræ jurisdictionis: sed si quis extraneus vel privatus sciat, vel credat aliquem de dicta villa esse sibi obligatum in aliquo, vel sibi deberi aliquid, per nos vel per nostrum bajulum repetat ut debebit. Termini autem sunt tales, videlicet usque ad Meselairiam, & usque ad carreriam Saissaquesam, & usque ad Ganuc Morgue, & usque ad Prunairols, & usque ad Pinum de Regina, & usque ad furnum Teuliz, & usque ad collum Ferriol, & usque ad vallem quæ dividit terras Arnaldi de Molendino, & Malolium Eleazarii, & usque ad molinum Petri Aulini qui fuit. Volumus insuper & mandamus quod bajulus noster, quicunque fuerit per nos institutus, juret in sui nova institutione nobis coram consulibus & probis hominibus villæ, quod omni gratia, odio, amore, prece, & pretio postpositis omnibus justitiam exhibebit, & quod servabit has nostras consuetudines & statuta. Item statuimus, quod nullus de inhabitantibus villam præfatam ducatur per violentiam, nec incarceretur a nobis, vel a nostris bajulis, vel res ejus capiantur, dum tamen paratus sit idoneos dare fidejussores de parendo juri; nisi sit latro, adulter, homicida, seu talis, qui talam vel talas fecerit, vel crimen perpetraverit quod irrogat pœnam sanguinis, quos incarcerari præcipimus, qui incarcerati, si dare fidejussores voluerint de parendo juri, dentur ad manum levandum. Item statuimus, quod omnia crimina seu delicta quæ irrogant pœnam sanguinis, secundum judicium nostri bajuli, cum consilio tamen consulum & proborum hominum villæ puniantur. Item statuimus, quod quæcunque facta seu laudata fuerint per nostrum bajulum, quantum ad temporalem jurisdictionem nostram, rata sint & firma per nos & nostros successores, & ea decernimus perpetuo firmiter observari. Excipimus tamen, quod de cetero non liceat bajulo nostro alienare, dare ad acapitum, vel vendere, seu impignorare possessiones, vel escadutas nostri monasterii absque nostro consilio & voluntate expressa. Item statuimus de voluntate atque assensu totius universitatis, & præcipimus universis & singulis firmiter observari, quod non faciant aliquem dominum per homagium corporis & servitutis, quandiu in dicta villa voluerint commorari: quod si quis hoc facere attentaverit, bonis suis & juribus amissis, & a nobis perpetuo confiscatis privetur immunitate & libertate prædicta. Item statuimus, quod inhabitantes villam prædictam, conjurationes, confratrias, colligationes, seu conventiones illicitas non faciant, nisi de nostro consilio & assensu. Quod si fecerint, bona sua amittant, & nostro dominio applicentur. Statuimus etiam, quod talæ quæ factæ fuerint alicui vel aliquibus de inhabitantibus villam qui libertate & immunitate prædicta gaudebunt, ab hominibus villæ communiter emendentur. Statuimus etiam, quod consules præfatæ villæ, & eorum consiliarii, quotquot fuerint, sint ad minus sex mensium vel annuales; quibus damus licentiam alios creandi, & substituendi sibi consules & consiliarios de assensu nostri bajuli bona fide. Item volumus & mandamus, quod consiliarii eligantur qui justitiam diligant, & qui secundum fidem & legalitatem videbuntur in consiliis meliores. Item volumus & mandamus, quod tam consules quam eorum consiliarii, tempore quo electi fuerint, jurent in manu nostra vel nostri bajuli, quod omni gratia, timore, &

amore, prece & pretio postpositis, utantur suo officio ad nostrum honorem & utilitatem villæ, prout melius & justius eis expedire videbitur bona fide; quibus plenariam concedimus potestatem, ut custodes villæ & foresterios hortorum, & vinearum, agrorum, & aliarum possessionum possint instituere, & de pœna infractorum quæ communitatis est villæ ordinare, de consilio tamen nostri bajuli & assensu. Statuimus etiam, quod consules & consiliarii in depositione sui officii reddant & faciant computum in præsentia nostri bajuli, de omnibus quæ ad communitatem villæ spectabunt, consulibus & consiliariis substitutis. Item statuimus, quod quilibet de inhabitantibus villam prædictam, possit facere testamentum, & disponere, atque ordinare absolute de bonis suis sine nostra & successorum nostrorum contradictione, salvo tamen in omnibus jure nostro. Item volumus & statuimus, quod si aliquis intestatus decesserit, & sine liberis, bona ejus & jura transeant ad sibi propinquiores usque ad tertium gradum. Quod si habere propinquiores dubium fuerit, bona & jura illius reserventur per annum per consules & nostrum bajulum villæ bona fide: elapso anno & die, si aliquis propinquorum non apparuerit, ut dictum est, usque ad tertium gradum, bona ejus & jura nostro dominio applicentur. Item volumus & mandamus, quod carnifices seu macellarii flequeriæ, & tabernarii, & omnes qui tenent pondera & mensuras legaliter suis officiis utantur. Quod si aliquis, vel aliqua culpabilis in hoc repertus fuerit, ad arbitrium nostri bajuli & consulum villæ puniatur. Item ad honorem inhabitantium villam prædictam solvimus, & deffinimus toti universitati ejusdem villæ illas palmatas salis, quas milites per toltam & forciam consueverunt percipere in mercato. Item statuimus, quod leudæ seu pedagia in prædicta villa non instituantur de novo, sed tam leudæ, quam sestairagium, & alia quæ ad perceptionem nostri dominii spectant, dentur & percipiantur, secundum quod antiquitus & usquemodo est a nobis & a nostris antecessoribus observatum. Item volumus quod omnes bonæ consuetudines, quæ a nobis & a nostris antecessoribus olim statutæ & observatæ fuerunt, a nobis & a nostris successoribus perpetuo irrefragabiliter observentur. Hæc sunt nomina juratorum qui per se & suos successores prædictas consuetudines universas & singulas juraverunt perpetuo observare. Petrus de Mirmon vicarius domini abbatis jam dicti, Isarnus de Villario, &c..... & omnis universitas ejusdem villæ. Actum est hoc in capitulo sancti Johannis anno ab Incarnatione Christi MCCXXXI. rege Lodoico Francorum.

XLII.

Ex archivo Montis-olivi.

Transactio inter Ermengaldum abbatem Montis-olivi & universitatem ejusdem villæ.

1240.

PAteat universis præsentibus & futuris quod orta dissentione & controversia mota inter dominum Ermengaldum Dei gratia abbatem & conventum monasterii Montis-olivi ex parte una, & universitatem ejusdem villæ ex parte altera, super pluribus damnis datis & diversis injuriis irrogatis ipsi abbati & conventui, ut dicunt, a Trencavello dicto vicecomite Biterris, & complicibus suis, inimicis ecclesiæ fidei, atque pacis, & domini regis Francorum, tempore quo terram ipsius domini regis in Narbonensi & Carcassensi diœcesibus ausu temerario inimicabiliter invadendo, & usurpando in eisdem castra & villas plurimas, quæ ad ipsos malitiose divertebant, castrum, villam ac monasterium prædictum Montis-olivi culpa inhabitantium paucis exceptis occuparunt. Qui quidem Trincavellus & ceteri inimici ecclesiæ fidei atque pacis, & qui cum eo erant appropriantes sibi jura ipsius monasterii cum villa jam dicta, turrim domini abbatis, & domos quasdam sitas infra ambitum ipsius monasterii diruerunt, fregeruntque hostia ceterarum domorum, & vasa aliqua cellarii asportarunt, plura utensilia monachorum dissipantes. Quamobrem procedente tempore post paucos dies fugatis inimicis prædictis de terra jam dicta per potentiam domini regis & succursum, castrum sæpe dictum & villa tota Montis-olivi ad mandatum domini regis prædicti & suorum diruta fuerunt pœnitus & destructa. Post hæc autem elapso modico temporis spatio quando R. comes Tolosæ & sui fautores contra suam matrem ecclesiam atque dominum regem Franciæ suum calcaneum erexerunt, villam Montis-olivi & fere totam terram domini regis in istis partibus occupantes, abbatem prædictum & conventum ejusdem monasterii de ipsa villa & de omnibus eorum juribus penitus spoliarunt, asportantes de dicto monasterio bladum, & vinum, & alias res quæ ibidem repertæ fuerunt non in modica quantitate: quas injurias & damna suprascripta abbas & conventus jam dicti ab universitate villæ prædictæ sibi resarciri & emendari petebant; e contrario universitas respondebat se non teneri ad emendam aliquam tanquam non culpabiles domino abbati & conventui pro prædictis, pro eo quod muri villæ diruti fuerant & destructi non culpa ipsius universitatis, sed de mandato domini abbatis supradicti, nec etiam poterat se deffendere tantæ multitudini bellatorum, quæ tunc dicto vicecomiti adhærebat. Cum igitur super hiis de pace inter partes & concordia reformanda per aliquas personas habiti fuissent diversi tractatus, tandem utraque pars pari voluntate & assensu omnia suprascripta, universa & singula, & omnes quæstiones seu querelas quæ ex hiis omnibus hinc inde nasci poterant commiserunt arbitratui & ordinationi voluntariæ G. de Altiniaco sacristæ præfati monasterii, Petri de Mirmon militis & vicarii dictæ villæ Montis-olivi, magistri R. de Monte-olivo canonici S. Pauli Narbonæ, Bernardi de Aragone, Bernardi Ronderii, Bernardi Maurini, & Guilelmi de Gibello tenendæ perpetuo & servandæ sub pœna ducentarum marcharum argenti solvenda & præstanda ab illa parte, quæ ordinationi vel voluntati ipsorum parere nollet vel adquiescere; ipsi vero ut viri providi & discreti auditis petitionibus & querelis a parte domini abbatis & conventus propositis, atque responsionibus, & deffensionibus dictæ universitatis summatim & de plano, factaque inquisitione diligenti super præmissis & ceteris quæstionibus seu querelis quæ ab utraque parte fiebant, cognita etiam veritate ab eisdem de damnis & injuriis quas passi sunt abbas & conventus a supradictis inimicis ecclesiæ fidei atque pacis, pacem amicabilem & concordiam de utriusque partis assensu perpetuo observandam fecerunt de omnibus supradictis, sub hac forma videlicet, quod dominus abbas & conventus, atque eorum singuli reconcilient ad suam bonam gratiam & amorem omnes tam mares, quam feminas, & singulos de universitate Montis-olivi, solvantque eis, & definiant, ac condonent omnes injurias, & rancores quas contra ipsos conceperunt; pro prædictis insuper eis restituant omnes possessiones, & jura in ea libertate, & jure, atque statu in quo ea habebant & possidebant tempore quo Trencavellus & complices sui prædicti castrum & villam ac monasterium Montis-olivi temere usurparunt. Anno videlicet Incarnationis Domini MCCXL. mense Augusti.

XLIII.

Litteræ Innocentii papæ IV. ad regem Francorum pro ecclesia Carcassonensi.

1244.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio........... regi Francorum, salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii.... capitulum Carcasson. nobis exponere curaverunt quod tu quasdam terras, possessiones, & alia bona, quæ nonnulli ab ecclesia ipsa tenebant in feudum, feudatariis ipsis, ut pote pacis & fidei inimicis tam per inclitæ recordationis............ patris tui quam per tuam etiam potentiam de partibus illis expulsis ad manus tuas recipiens

recipiens & tuæ ſubiciens ditioni, illa detines in ipſorum non modicum præjudicium & eccleſiæ leſionem. Quare nobis humiliter ſupplicarunt, ut eorum & eccleſiæ indempnitati in hac parte conſulere miſericorditer curaremus. Cum igitur eadem eccleſia occaſione guerrarum nobilis viri............ comitis Tholoſani enormiter ſit collapſa, & tu bonis non egeas alienis, qui habunde de manu Domini recepiſti, nec credaris rerum eccleſiaſticarum cupidus, quarum ſtatus & honoris zelator es potiſſimus inter alios principes orbis terræ, ſerenitatem tuam rogandam duximus attentius & monendam, quatinus ob Jeſu Chriſti reverentiam atque noſtram, qui te inter alios mundi principes prerogativa dilectionis amplectimur ſpeciali, circa reſtitutionem prædictorum te præfatis capitulo ſic exhibeas liberalem, quod divine retributionis meritum exinde merearis, noſque tibi proinde ad gratiarum actiones uberes teneamur. Datum Laterani IV. kal. Martii pontificatus noſtri anno primo.

XLIV.

Compromiſſum inter Clarinum Carcaſſonenſem epiſcopum & capitulum ex una parte, & conſules Carcaſſonenſes ex altera in Guillelmum Narbonenſem archiepiſcopum, & Johannem de Cranis ſeneſcallum ſuper damnis eccleſiæ illatis in publica civium in regem rebellione, cum arbitrorum ſententia.

1248. IN nomine Domini. Cum univerſitas burgi Carcaſſonæ in rebellione & guerra, quam fecerat contra dominum regem Francorum & eccleſiam, multa damna enormia & quaſi irreparabilia irrogaſſent domno Clarino epiſcopo, & capitulo Carcaſſonæ & univerſo clero civitatis & burgi ejuſdem villæ, & multis aliis clericis, & viris religioſis ejuſdem diœceſis ; tandem redeuntes ad cor, & volentes captare gratiam ſanctæ matris eccleſiæ, & ſatisfacere de prædictis, promiſerunt & juraverunt omnes & ſinguli ſtare ſuper prædictis emendandis dicto & voluntati omnimodæ domini Guillermi Dei gratia archiepiſcopi Narbonæ, & nobilis viri domini Johannis de Cranis ſeneſcalli Carcaſſonæ, obligantes ſe & ſua, habita & habenda, quilibet in ſolidum, renunciantes ex certa ſcientia in hoc epiſtolæ divi Adriani, & omni alii juri per quod tueri ſe poſſent. Poſt hæc nihilominus ut ſupra dicta majorem habeant firmitatem, anno Dom. MCCXLVIII. decimo octavo cal. Februarii, dominus Clarinus Dei gratia epiſcopus & capitulum Carcaſſonæ pro ſe & clero aliiſque viris religioſis eidem ſubjectis ſuæ diœceſis ex una parte, ſuper damnis datis dictis epiſcopo, capitulo, & clero, ſeu viris religioſis in rebellione dicta & guerra facta ab hominibus prædictis contra dominum regem & eccleſiam : & conſules pro ſe & tota univerſitate ex altera compromiſerunt ſub pœna mille marcharum argenti ad invicem ſtipulata, ſtare ſuper omnibus & ſingulis prædictis emendandis, attendendis, & obſervandis dicto & omnimodæ voluntati prædictorum domini archiepiſcopi & domini ſeneſcalli. Item dominus epiſcopus pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus ex una parte, & conſules burgi Carcaſſonæ pro ſe & tota univerſitate ejuſdem burgi, & Guillelmus Ferrolli pro ſe ac uxore ſua & hæredibus ſuis ex altera compromiſerunt in arbitros ſupradictos, ſub pœna & juramento prædictis quod ſtent per omnia omnimodæ voluntati dictorum arbitrorum, quod quicquid quocumque modo dixerint, voluerint, ſtatuerint, ordinaverint, pronunciaverint, ſeu arbitrati fuerint ſuper caſtro & villa de Roffiacho cum pertinentiis ejuſdem ſolvenda, definienda, quittanda domino epiſcopo Carcaſſonæ & ſucceſſoribus ſuis, vel aliis nomine dicti epiſcopi per viam venditionis, vel alio modo, ratum firmum habebunt, & perpetuo inviolabiliter obſervabunt, & facient obſervari. Fuit etiam actum ut quotieſcumque ab alterutra partium non obſervaretur dictum arbitrorum, vel contra fieret in toto, vel in parte, pœna prædicta committeretur danda a parte inobedicnte parti obedienti, rato nihilominus manente dicto arbitrio dictorum arbitrorum, & quod poſſint lite conteſtata, & inquiſita veritate vel non inquiſita, juris ordine obſervato vel non obſervato, partibus præſentibus ſive abſentibus, ſimul vel ſeparatim, de omnibus quæſtionibus vel circumſtantiis eorumdem pronunciare, dicere, ſeu ordinare, prout placuerit eiſdem ; ſi quæ vero dubietas a dicto vel ex compromiſſo arbitrorum oriretur, placuit partibus, quod ſtetur declarationi & expreſſioni eorum infra annum, vel declarationi & expreſſioni ſolius domini archiepiſcopi ſupradicti, ſi contingeret dominum ſeneſcallum abeſſe. Actum etiam fuit quod dominus archiepiſcopus & ſeneſcallus prædicti per ſe, non expectato altero, poſſent compellere partes & fidejuſſores ad ſervandum dictum ſuum, quibuſcumque modis voluerint : rata nihilominus manente pœnæ commiſſione pro omnibus prædictis attendendis & complendis. Juravit pro domino epiſcopo in animam ejus Guillelmus Radulfi archidiaconus major eccleſiæ Carcaſſonæ. Fidejuſſerunt nihilominus pro eo Guillelmus Arnaldi archidiaconus ejus eccleſiæ, & R. ſacriſta, ſindici dicti capituli Carcaſſonæ. Pro capitulo vero juravit idem Guillelmus Arnaldi archidiaconus, & fidejuſſit pro eo dominus epiſcopus ante dictus. Bernardus de Palaiano, Bertrandus de Lerida, Raimundus de Goyano, Poncius Reſtollus, Bernardus Johannes, Arnaldus Furnerius conſules juraverunt pro ſe & tota univerſitate burgi Carcaſſonæ, ſuiſque ſucceſſoribus, & fidejuſſerunt & juraverunt pro eis Poncius Ferrolli, Petrus Berengarii de Tribus-bonis, Jordanus Ferrolli, Raimundus Morlana, Guillelmus Ferrolli, Bernardus Tallaric, Jacobus Chatinar, Raimundus de Aqua-mortua, Guillelmus Arnaldi Guit, Guillelmus Lucius, Rogerius Brunet, Guillelmus Arnaldi Miloſſa, Rogerius Teronus Mancipii, Arnaldus Raimundi de Fano-jovis, Guillelmus Martini de Cabareto, Raimundus Alacer, Johannes Paſchalis, Guillelmus Niger notarius, Guillelmus Aimerici Capra, & tenetur unuſquiſque pro toto ſub obligatione omnium bonorum ſuorum. Guillelmus Ferrolli juravit, & fidejuſſerunt pro eo Raimundus Morlana, & Jordanus Ferrolli. Nos vero arbitri ſupradicti præmiſſum compromiſſum recipientes, & pacem ac concordiam inter dominum epiſcopum Carcaſſonenſem & ſuos parochianos prædictos reformare volentes, auditis & intellectis partium rationibus, habitoque prudentium conſilio pronunciamus, volumus, & arbitramur mandantes, quod conſules burgi Carcaſſonæ pro ſe & tota univerſitate ejuſdem burgi, in recompenſatione damnorum datorum ipſi epiſcopo ab eiſdem, ſolvant, diffiniant, quitent, & liberum ac immunem omnino reddant tam a ſe quam ab aliis quibuſcumque ſolum, in quo burgus ædificatur & ædificabitur de conſilio domini epiſcopi & ſeneſcalli, ac conſulum dicti burgi limitandum : ut ſic ipſum ſolum burgi liberum domino regi remaneat pro excambio quod habet, ſeu habiturus eſt propter hoc ab ipſo domino rege Francorum dominus epiſcopus antedictus. Item volumus & mandamus in recompenſatione damnorum datorum ipſi epiſcopo, quod conſules ante dicti pro ſe ac tota univerſitate burgi Carcaſſonæ dent duodecim millia ſolidorum Melgorienſium, & ſolvant nomine dicti domini epiſcopi Guillelmo Ferrolli, vel aliis qui nomine dicti epiſcopi caſtrum ſeu villam de Roffiacho emerint ab eodem Guillelmo per terminos infra ſcriptos. Præcipientes propterea ut idem Guillelmus pro ſe & uxore ſua ac heredibus ſuis ſolvat, diffiniat & quitet caſtrum ſeu villam de Roffiacho cum pertinentiis ſuis & juribus ; & inſtrumenta, quæ exinde habet, reddat ipſi epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis, vel aliis nomine dicti epiſcopi de prædicto pretio ſibi ſatisfacientibus. Præterea hoc etiam volumus & mandamus quod dicti conſules pro ſe & univerſitate burgi Carcaſſonæ dent & ſolvant in recompenſationem damnorum quingentas libras Melgorienſes

episcopo ante dicto per terminos infra scriptos. Item volumus & mandamus quod prædicti consules pro se & universitate burgi Carcassonæ dent & solvant capitulo Carcassonæ in recompensatione multorum & magnorum damnorum eisdem datorum, mille libras Melgorienses per terminos infra scriptos. Item volumus & mandamus quod dicti consules pro se & universitate burgi Carcassonæ dent & solvant quingentas libras Melgorienses pro damnis datis clero, & religiosis diœcesis Carcassonensis, Guillelmo Arnaldi archidiacono Carcassonæ, domino Johanni de Gradano, & Geraldo capellano de Aqua-viva nomine dictorum cleri & religiosorum recipientibus prædictam quantitatem pecuniæ, quam inter eos dividant & distribuant, prout æquum fuerit, & eis visum fuerit expedire. Et sit certum quod in istis emendis non intelligimus dirutiones ecclesiarum burgi compensari. Termini autem solutioni sunt hi. In primis volumus & mandamus quod dicti consules pro se & universitate burgi Carcassonæ dent & solvant prædicto Guillelmo Ferrolli, vel aliis qui nomine dicti episcopi emerint castrum seu villam de Roffiacho, ducentas quinquaginta libras Melgorienses in festo omnium Sanctorum proxime venienti. Item volumus & mandamus quod iidem consules pro se & universitate burgi prædicti dent & solvant in alio festo omnium Sanctorum anno devoluto eidem Guillelmo Ferrolli, vel aliis qui nomine dicti episcopi emerint castrum seu villam de Roffiaco, alias ducentas quinquaginta libras Melgorienses. Item volumus & mandamus quod sæpedicti consules pro se & universitate burgi prædicti dent & solvant in sequenti festo omnium Sanctorum anno eodem modo revoluto ducentas libras, centum videlicet solvendas dicto Guillelmo Ferrolli, vel aliis qui nomine dicti episcopi emerint castrum seu villam de Roffiaco, & alias centum libras Melgorienses episcopo & capitulo & clero supradictis: videlicet vigintiquinque libras Melgorienses domino episcopo, & viginti-quinque libras Melgorienses clero, & quinquaginta libras Melgorienses capitulo. Postmodum per singulos sequentes annos in eodem festo omnium Sanctorum dent & solvant iidem consules pro se & universitate sæpe dicti burgi Carcassonæ ducentas libras Melgorienses, scilicet centum capitulo, & quinquaginta libras illis qui pro clero & religiosis recipient, quousque de prædictis summis sit plenarie satisfactum. Et cum his emendis volumus quod episcopus, capitulum, clerus, & religiosi prædicti sint contenti: & quod omnes homines burgi tam clerici, quam laici habeant, teneant, & possideant libere & quiete omnes possessiones suas, quas solebant habere ante invasionem vel subversionem dicti burgi, sicut melius habere consueverunt, exceptis solo burgi & villa de Roffiaco. Hæc autem omnia prædicta & singula nos arbitri antedicti, prout a nobis superius distincta & ordinata sunt præcipimus sub pœna mille marcharum prædicta, & in virtute præstiti juramenti a partibus irrefragabiliter observari. Hoc autem arbitrium lectum, & plene intellectum nos Clarinus Dei gratia episcopus & capitulum Carcassonæ pro nobis & clericis & aliis viris religiosis supradictis nostræ diœcesis, & ego Guillelmus Ferrolli pro me & uxore mea & heredibus meis, ac nos Bertrandus de Lerida, Raimundus de Gaiano, Poncius Rostellus, Bernardus Johannes, Arnaldus Furnerius consules dicti burgi pro nobis & successoribus consulibus ac tota universitate ipsius burgi omnia prædicta & singula approbamus, laudamus & confirmamus. Et nos similiter Poncius Ferrolli, Petrus Berengarii de Tribusbonis, Jordanus Ferrolli, Raimundus Morlana, Guillelmus Ferrolli, Bernardus Tallaric, Jacobus Chastinar, Raimundus de Aqua-mortua, Guillelmus Arnaldi Guit, Guillelmus Lucius, Rogerius Brunet, Guillelmus Arnaldi Milossa, Rogerius Bonus Mancipii, Arnaldus Raimundi de Fano-Jovis, Guillelmus Martini de Cabareto, Raimundus Alacer, Johannes Paschalis, Guillelmus Niger notarius, & Guillelmus Aimerici Capra pro dictis consulibus & nobis, & tota universitate dicti burgi Carcassonæ præsente & futura, omnia prædicta & singula approbamus & laudamus & confirmamus: Promittentes sub pœna & juramento prædictis quod universa & singula supradicta perpetuo inviolaliter observabimus, & per nos, vel per nostros, vel per alios, aliquo jure, arte, vel machinatione contra nullo unquam tempore veniemus, asserentes quod nihil fecimus vel faciemus quominus omnia supradicta, & singula plenam obtineant firmitatem. Et tenemur quisque nostrum in solidum, ita quod nullus poterit se excusare vel tueri, renunciantes in omnibus prædictis epistolæ divi Adriani & novis constitutionibus & omnibus juribus, legibus, consuetudinibus & omnibus aliis auxiliis, quibus nos & nostra tueri possemus, vel juvari vel contraire possemus. Acta fuerunt hæc anno a Nativitate Christi millesimo ducentesimo quadragesimooctavo, decimo septimo calendas Februarii in præsentia & testimonio domini J. abbatis S. Afrodisii Biterris, domini O. abbatis Fontis-Frigidi, domini Johannis de Grazano, domini Caroli canonici Narbonæ, Pauli officialis Redensis, Bernardi Augerii clerici, magistri Ademarii canonici Narbonæ, magistri Petri officialis domini episcopi Carcassonæ, Guillermi magistri de Villamostantione, domini Roberti de Terro, & mei Petri Pontii publici Biterris & Carcassonæ notarii, qui rogatus a prædictis hæc scripsi.

XLV.

S. Hilarii cœnobium monachis contra priorissam de Pruliano adjudicatum.

Ex archivis S. Hilarii. 1253.

IN Dei nomine, amen. Legem statuit Dominus humani generis creaturæ, ut ministerio vitæ naturalis edocta, ruditatis abjecta labe, fieret discretionis luciditate præclara: resultat enim ex lege justitia, cum sui debitum exercet officii, obscura quæque dilucidat, inordinata reformat, tollit injurias, jus suum largitur cuilibet indefesse. Porro cum judicum terrenorum interesse noscatur, ut eam in judiciis præviam pura debeant æquitate sectari, ad id vigilantia nostra, prout ex alto permittitur, studium ex alto poscit, ut non quid dubium voluntatis arbitrium, sed quid certa juris appendat, libertatis moderamen avertat, supponens clavibus justitiæ humeros, & legis subjiciens potestatem, dum libitum refrænat sub debito, & pares judicantibus laxat habenas, censendo simili censura dissimiles, & pacificando pariter æqua libra. Sane inter religiosas personas priorissam & conventum monasterii S. Mariæ de Pruliano Tolosanæ diœcesis ex parte una, & abbatem & conventum monasterii S. Hilarii diœcesis Carcassonensis ex altera super ipso monasterio S. Hilarii & pertinentiis ejusdem suborta jam dudum materia quæstionis, eisdem partibus propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, olim magister Henricus procurator prædictarum priorissæ & conventus quondam Johanni de Spoleto procuratori dictorum abbatis & conventus coram magistro Johanne Astensi domini papæ capellano partibus auditore concesso, obtulit formam hujusmodi continentem. Coram vobis magistro Johanne Astensi domini papæ capellano, & tibi proponit magister Henricus nomine priorissæ & conventus B. Mariæ de Pruliano, quarum procurator existit contra abbatem & conventum monasterii S. Hilarii, quod cum priorissa & conventus de Pruliano possiderent dictum monasterium S. Hilarii cum pertinentiis ejusdem vel quasi, quidam monachus Alboinus nomine, qui se dicti monasterii dicebat abbatem, & monachi sui, vel alii de mandato ipsorum dictas priorissam & conventum de Pruliano dicto monasterio S. Hilarii temere spoliarunt, vel spoliationem ab aliis eorum nomine factam, ratam habuerunt: cui Alboino Guillelmus Petri nomine abbas dicti monasterii cum monachis suis succedentes in vitium spoliationis prædictæ, dictum

monasterium detinent occupatum, non absque juris injuria, & in præjudicium priorissæ & monialium prædictarum: quare petit procurator prædictus se nomine prædictarum priorissæ & monialium ab eisdem abbate & conventu monasterii S. Hilarii in possessionem ejusdem monasterii & pertinentiarum vel quasi restitui, & restitutum in ipsa deffendi: petit etiam fructus & proventus a tempore spoliationis inde perceptos, & qui percipi potuerunt, quos suo loco & tempore declarabit, & ipsorum æstimationem: petit insuper expensas factas, & protestatur faciendas, & ad prædicta petit dictos abbatem & conventum per hoc sententialiter condemnari, & compelli salvo jure, & cetera. Protestatur quod non astringit se ad probandum singula in libello contenta, sed ad ea quæ sufficere possunt. Cum igitur coram eodem auditore super dicto libello per procuratores prædictos lite legitime contestata, & de veritate dicenda præstito juramento, factis quoque depositionibus & responsionibus, ad easdem productis hinc inde testibus, & eorum attestationibus publicatis, demum causa ipsa coram diversis auditoribus diutius agitata, dominus papa nobis Guillelmo Bardino præposito Forojuliensi cappellano suo eandem causam commiserit audiendam, nos tandem visis & auditis juribus, & rationibus, necnon & probationibus partium earundem, ac universo processu habito in dicta causa diligenter examinato, & plenius recensito, eisque fideliter domino papæ relatis, de speciali mandato ipsius, & fratrum suorum consilio, coram quibus hæc pluries discussa fuerunt, magistro Thoma de Benevento dictorum abbatis & conventus, ac Salustio de Gallutio earundem priorissæ & conventus constitutis procuratoribus ab eisdem post decessum antedictorum procuratorum præsentibus, eundem magistrum Thomam procuratoris nomine ipsorum abbatis & conventus, ac ipsos abbatem & conventum per eundem ab impetitione priorissæ ac conventus monialium prædictarum & ejusdem Gallutii earum procuratoris per definitivam sententiam absolvimus, antedicti expensarum quæstionem ipsius domini papæ arbitrio reservantes. In cujus rei testimonium præsentem paginam per subscriptum notarium autenticari fecimus, & nostro sigillo muniri. Datum Asilii anno Domini MCCLIII. quinto idus Julii indictione undecima, pontificatus domini Innocentii papæ quarti anno XI. præsentibus domino Tedisio archipresbytero de Monticulis, & magistro Petro de Lemovicis domini papæ cappellanis, Guillelmo Moysiacensis & B. Exiensis monasteriorum abbatibus, &c. Ego Egidius Adjuti de Spoleto apostolica auctoritate notarius prolationi sententiæ hujus interfui, & eam de mandato & autoritate præfati auditoris scripsi, & in publicam formam redegi.

XLVI.

Litteræ supplices G. archiepiscopi Narbon. P. R. & G. Agathensis, Biterrensis & Carcasson. episcoporum ad Ludovicum Francorum regem, in gratiam B. abbatis Crassensis.

Circa 1253.

EXcellentissimo ac reverentissimo domino Ludovico Dei gratia Francorum regi illustri, G. eadem gratia S. Narbon. ecclesiæ archiepiscopus, P. R. & G. Agathensis & Biterrensis & Carcassonensis episcopi, cum speciali honore ac reverentia promptum ad obsequia famulatum. Cum religiosus & venerabilis vir B. Dei gratia abbas Crassensis, postquam fuit in officio abbatis, multum laboraverit & impenderit pro recuperandis juribus monasterii, quod nunc venerabili B. episcopo Massiliensi, tunc abbati Crassensi existenti, & dicto monasterio liberaliter reddiderat & concesserat SS.[æ] recordationis dominus rex Francorum pater vester, secundum quod per ejus patentes litteras clare patet, & postea facta fuit compositio apud Aquasmortuas cum dicto monasterio per vos, domine Rex, mediante R. de Cane-suspenso, sicut in vestris patentibus litteris continetur, & dominæ quondam matris vestræ scriptas litteras patentes, quod sicut videtur in vestris patentibus litteris contineri dictam compositionem, seu ordinationem, necnon & concessionem a vobis factam eidem monasterio faceret & mandaret firmiter observari, & ea quæ in prædictis continentur litteris adimpleri, dominationis vestræ magnificentiæ supplicamus, quatenus si idem abbas, ut proponit, ad vos super hoc venerit, vel si contingeret ad vos ipsum non posse contendere, casu aliquo contingente, ejus procuratores latores præsentium, pietatis intuitu & honore regiæ dignitatis super exequenda & observanda compositione prædicta dignemini favorabiliter & misericorditer exaudire, parcere nimiis abbatis & monasterii laboribus & expensis, attendentes quod inter alias prærogativas, quas dominis regibus Francorum contulit, in hoc eos specialiter decoravit, quod conservaverunt dotatas & dicatas religiones & ecclesias, ac immunitatibus ampliarunt, & vos ipsi consuevistis, ut nos ipsi vidimus, hujusmodi magnalia imitari: & ideo ne vestram laudabilem imitationem valeant retrahere illorum oblocutores calumniose, qui dictam compositionem nituntur evertere, suum potius commodum quam vestrum attendentes, super hoc circumspectam vestram serenitatem fiducialius exoramus. Bonæ & memoriæ domina Regina mater vestra quondam, quam abbas super hoc quinquies, ut intelleximus, visitavit, propter prædictorum calumniosas oblocutiones dictam compositionem distulit executioni mandare, & cum in Purificatione B. Virginis transacta ad expediendam dictam compositionem diem abbati aliam assignasset, præventa morte eam non expedivit, ut deceret. Quare propter præmissa & propter fidele servitium, quod in guerris transactis dictus abbas vobis exhibuit & genti vestræ, & quia nobilis vir frater suus in vestro interfectus fuit servitio, necnon & quia tot exstant litteræ patentes tam vestræ, quam genitoris vestri de dicto negotio, saluti animæ vestræ & vestro honori credimus expedire, si dictum negotium coram vestra præsentia hac vice fine debito terminetur; credentes, si placet, latoribus præsentium quantum in prosecutione dicti negotii dictum monasterium tot debitis aggravatum.

Omnipotentis Dei misericordia ad regni regimen & *suppeditandas* barbaras nationes sanum & incolumem per multa tempora vos conservet.

XLVII.

Compositio inter S. Ludovicum regem Francorum & abbatem Crassensem.

Ex cod. MS. Colbert. 2669. & 2670.

1253.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus præsentibus & futuris, quod cum Bernardus abbas monasterii Crassæ coram nobis diceret pro se & conventu suo, quod felicis recordationis genitor noster Ludovicus quondam rex Francorum illustris donaverat ad proprietatem monasterii Crassæ omnia feuda quæ movebant de dicto monasterio, quæ tenuerat Amalricus quondam comes Montis-fortis, & sui milites, hæreses & faidimenta quæ cadent in commissum tam in domaniis quam in feudis abbatis & conventus, de quibus idem abbas habebat litteras prædicti genitoris nostri, ut dicebat, tandem quia non erat liquidum quæ erant illa feuda, quæ de dicto moverent monasterio, idem abbas motus ex hac causa & aliis, nobis supplicavit, ut super prædictis quæ a nobis petebat, intendere vellemus ad pacem. Post aliquos vero tractatus super hoc habitos, de bonorum consilio composuimus in hunc modum; videlicet quod idem abbas pro se & conventu suo mera & spontanea voluntate quittavit in perpetuum nobis & heredibus nostris omnia feuda supradicta, hæreses, & faidimenta quæ ceciderunt in commissum usque ad præsentem diem tam in feudis quam in domaniis eorum, quæ nos tenemus, vel alter ex dono piæ recordationis genitoris nost[ri] seu nostro, & quicquid genitor noster seu nos ex p

feudis recepimus, vel alius per donum genitoris nostri sive nostrum. Omnia vero feuda baronum & militum ac nobilium quæ de cetero cadent in commissum propter hæresim & faidimentum tam in feudis quam in domaniis abbatis & conventus, quicumque ea tenuerit, miles, burgensis, vel alius, in toto vel in parte habebimus & nostra erunt. Et si bona mobilia fuerint in dictis feudis, quæ cadent in commissum propter hæresim vel faidimentum, ad nos pertinebunt cum feudis prædictis. Abbas vero & conventus habebunt in castris & villis propriis suis vilanagia & burgesias quæ propter hæresim seu faidimentum cadent in commissum, si ab ipsis teneantur, quicumque ea tenuerit, villanus, miles, vel alius in toto vel in parte, & habebunt abbas & conventus mobilia quæ erunt in villanagiis & burgesiis suis, in castris & villis propriis, si propter hæresim vel faidimentum cadent in commissum: si magnam justitiam ibi habeant, exceptis bonis mobilibus baronum, militum & nobilium, quæ si cadent in commissum ubicumque fuerint nostra erunt. De hæresibus vero & faidimentis quæ ad manum nostram devenient, & ab abbate & conventu tenebuntur, faciemus fieri conventui redeventias debitas secundum quod consuevimus communiter facere de hæresibus & faidimentis aliis prælatis senescalliæ Carcassonæ; si vero ea extra manum nostram posuerimus, abbas & conventus de illis feudis redeventias & homagia habebunt, sicut habebant antequam ad manum nostram devenissent. Præterea idem abbas pro se & conventu suo renunciavit penitus & expresse omni juri, si quod habebant abbas & conventus, in hiis quæ idem abbas nobis quittavit, & litteris quantum ad hoc genitoris nostri prædictis & donationi, si quam eis fecerat de feudis, hæresibus & faidimentis antedictis. Renunciavit etiam idem abbas pro se & conventu suo cuidam compositioni, quam super præmissis cum eodem abbate alias fecimus in Aquismortuis, & litteris nostris, quas super ea eidem tradidimus, quas per istam compositionem nobis reddere tenetur. Et nos pro bono pacis tenemur assignare abbati & conventui pro prædictis trecentas libras Turonenses annui reditus in terra nostra. Ceterum idem abbas promisit pro se & conventu suo quod ipse vel ejus conventus, seu eorum successores contra hanc compositionem non venient in futurum, nec aliquid quocumque jure sive litteris reclamabunt in his quæ nobis quittavit idem abbas, nec facient reclamari. Promisit etiam nobis idem abbas quod istam compositionem a suo faciet ratificare conventu, & litteras tam de se quam de suo conventu nobis tradet de præmissis in perpetuum firmiter observandis. Litteras vero piæ recordationis genitoris nostri prædictas nobis tenetur reddere idem abbas, quandocumque per nos vel per certum mandatum nostrum fuerit requisitus, & postquam eas nobis reddiderit, nos tenemur tradere abbati & conventui litteras nostras de libertatibus monasterii prædicti contentis in eisdem, quas genitor noster eisdem fecit, salva tamen compositione prædicta. Actum in castris juxta Sydonem anno MCCLIII. mense Augusti.

XLVIII.

Ex cod. MS. Colbert. 2225.

1253.

Litteræ S. Ludovici regis pro abbate Crassensi.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex senescallo Carcassonæ salutem. In vernali passagio nuper præterito ad nos accessit abbas Crassæ & nobiscum composuit de feudis quæ tenuit A. quondam comes Montis-fortis, & hæresibus & faidimentis quæ ceciderunt in commissum, & adhuc cadent tam in feudis quam in domaniis abbatis & conventus; unde vobis mandamus quatinus cum abbas & conventus monasterii Crassæ vobis tradiderint litteras suas de dicta compositione tenenda sub forma quam vobis mittimus per Petrum Grandem clericum nostrum de contra sigillo nostro sigillatam, & reddiderint vobis litteras compositionis quam fecimus cum abbate in Aquis-mortuis, cui compositioni idem abbas renuntiavit, vos extunc litteras nostras patentes factas super compositione habita de novo inter nos & abbatem, quas vobis per dictum clericum nostrum destinamus, abbati & conventui tradatis, & infra tres menses postquam hæc facta fuerint eisdem abbati & conventui assignetis trecentas libras Turon. annui reditus in terra nostra, quas eis dedimus per compositionem prædictam, assignantes eis dictum redditum pleno jure & in duobus vel tribus locis & prope monasterium, sicut melius sine magno incommodo nostro videritis faciendum. Cæterum quia concessimus eidem abbati & conventui assignari in domaniis suis de illis trecentis libris septuaginta & quinque libras, volumus & mandamus, quod si aliquibus militibus aliqua dedimus in domaniis abbatis & conventus, quod assignetur abbati & conventui pro quanto militibus vel aliis fuerint tradita vel concessa, & terram militibus vel aliis alibi assignetis, ita quod non damnificentur dicti milites vel alii. Et si hæc non sufficient, & nos aliquid tenemus in domaniis abbatis & conventus, volumus & mandamus eis assignari illa, quousque septuaginta-quinque libræ assignatæ fuerint abbati & conventui in domaniis eorumdem. Si vero infra tres menses prædictos non assignaretis abbati & conventui trecentas libras prædictas, præcipimus vobis, quod de deffectu, si quis esset, satisfaciatis eis, ita quod quolibet anno ad plenum habeant trecentas libras supradictas. De locis ubi assignaveritis terram abbati & conventui nos certificetis, & super hoc abbati & conventui litteras nostras continentes loca & valorem eorum* assignaveritis trecentas libras prædictas tradatis patentes sigillo nostro sigillatas. Actum in castris juxta Sydonem an. Dom. MCCLIII. mense Septembris.

* deest aliquid.

XLIX.

G. Carcassonensis episcopus duos instituit presbyteros in ecclesia Carcasson.

Ex autographo.

1255.

NOverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos G. Dei gratia Carcassensis episcopus in bono sensu & memoria constituti, non illecti, nec decepti, nec ab aliquo circumventi, sed gratis, ac mera & spontanea voluntate, amore Dei, & pro salute animæ nostræ, ac prædecessorum nostrorum, in elemosinam ac in recompensationem bonorum, quæ actenus habuimus, & recepimus a capitulo S. Nazarii Carcassonæ, tam de manso Cabardesii, quam de aliis locis diversis, ob honorem Dei, ac beatæ virginis Mariæ, & SS. Nazarii & Celsi, concedimus, & conferimus quidquid juris habemus, vel habere debemus, seu visi sumus habere & percipere supra ecclesiam beatæ Mariæ de Alsona nostræ diœcesis vobis B. Arnaldi priori ac præcentori ecclesiæ beati Nazarii, & Rogerio priori B. Mariæ burgi Carcassone recipientibus pro vobis, & nomine totius capituli ecclesiæ memoratæ, cathedratico excepto, & cum hac præsenti charta cum nostro annulo aureo vos investimus. Prædictam vero concessionem & assignationem vobis facimus, quod illam nunc & semper habeatis & possideatis vos & totum capitulum antedictum, vobis concedentes quod quotiescunque vobis placuerit, auctoritate nostra possitis propria auctoritate intrare, recipere, & habere fructus, redditus, obventiones, & proventus, & omnia alia jura, quocunque nomine censeantur, nobis pertinentia in ecclesia memorata, licentia non expectata aliquorum seu alicujus, promittentes bona fide, quod contra prædicta per nos, vel per aliquam interpositam personam nunquam veniemus, nec veniri faciemus quoquomodo, sed ratam & firmam illam habere volumus nunc & semper. Hanc autem concessionem & assignationem facimus in præsenti, & constituimus quod pro salute animæ nostræ ac prædecessorum nostrorum in ecclesia S. Nazarii Carcassonæ duo presbyteri instituantur a

capitulo sæpius nominato, qui presbyteri seu sacerdotes pro redemptione animæ nostræ & prædecessorum nostrorum teneantur perpetuo pro defunctis ibidem divina officia celebrare, quibus de redditibus dicti loci seu proventibus per capitulum provideatur. Quam concessionem, constitutionem, & ordinationem nos B. Arnaldi prior, ac præcentor, & R. prior B. Mariæ memorati pro nobis & toto capitulo gratam & ratam habentes acceptamus, promittentes universa & singula, prout sunt superius annotata, tam per nos quam per capitulum nostrum constitui, ordinari, attendi, & compleri. Et ad majorem omnium præcedentium firmitatem perpetuo obtinendam, nos episcopus antedictus huic præsenti chartæ sigillum nostrum duximus apponendum, mandantes etiam quod inde fiat publicum instrumentum. Actum apud mansum nostrum de Turribus in præsentia & testimonio domni Sancii abbatis Fuxensis, fratris R. Barravii ordinis Minorum, Guillelmi Isarni Morlanensis, Guillelmi Stephani Barravii, Guillelmi & Stephani Morlanensis, Ariberti de Arzincho, Petri Guillelmi Morlan. & Hugonis Ferroli rectoris ecclesiæ de Gradan. magistri R. Grassi, & mei Guillelmi Arnaldi publici notarii Carcassonæ pro domino rege Francorum, qui de mandato domni episcopi antedicti, & omnium prædictorum hæc omnia scripsi, & signum meum apposui anno Domini MCCLV. cal. Sept. regnante Ludovico rege.

L.

Ex archivio inquisitionis Narbonæ.

Clemens IV. inquisitori Narbonensis provinciæ mandat ne Arnaldum S. Hilarii electum abbatem propter hæresim inquietet.

1265.

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio fratri Stephano de Vastino ordinis Prædicatorum, inquisitori hæreticæ pravitatis in provincia Narbonensi a sede apostolica deputato, salutem & apostolicam benedictionem. Constitutus in præsentia nostra dilectus filius frater Arnaldus abbas monasterii S. Hilarii ordinis S. Benedicti, Carcassonensis diœcesis, nobis exposuit quod eodem monasterio abbatis regimine destituto, dilecti filii conventus ejusdem monasterii convenientes in unum, Spiritus sancti gratia invocata, eum in abbatem ejusdem monasterii canonice ac concorditer elegerunt, cujus electionem venerabilis frater noster Carcassonensis episcopus præsentatam sibi exigente justitia confirmavit, benedictionis munere ei non impenso. Porro tu prætendens quod quondam mater ipsius Arnaldi fuerat de heresi condemnata, & quod idem Arnaldus prædicationi hereticorum interfuit, dum undecim vel duodecim annorum esset, quodque quondam pater ipsius fuerat de dicta pravitate suspectus, & quod quidam frater dicti Arnaldi, & quidam consobrinus ipsius condemnati fuerant de pravitate præfata, & propter hoc traditi seculari judici, & combusti, prædictum Arnaldum ante confirmationem electionis suæ super hoc ad tuam præsentiam evocasti, & super præmissis ad inquisitionem descendens, inquisitionis super hoc habitæ ad nostram præsentiam destinasti processum. Sane in inquisitione hujusmodi, quam diligenter inspeximus, continetur, quod prædictus Arnaldus cum hujusmodi prædicationi hæreticorum interfuit, undecim vel duodecim annorum erat, & quod dictus pater suus in catholica fide decessit, quamvis quidam testes in dicto suo singulares, asseruerint, quod ipse pater aliquando hæreticos adoravit, & alias participavit eisdem. Quare prædictus Arnaldus nobis humiliter supplicavit, ut cum super reatu prædictæ matris suæ cum eo per sedem apostolicam fuerat dispensatum, videlicet, ut eo nonobstante ad administrationes & dignitates sui ordinis posset assumi, & hujusmodi ejusdem Arnaldi seu ipsius patris excessus aut delictum fratris & consobrini prædictorum non debeant promotionem dicti Arnaldi aliquatenus impedire, cum patris crimen, ut præmittitur, probatum non fuerit, sed sola suspicio, collateralium vero delicta ei non debeant imputari, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus; unde nos quibus de dispensatione & inquisitione prædictis plene constitit, attendentes quod memorato Arnaldo a pluribus fide dignis laudabile testimonium perhibetur, eidem episcopo nostris damus litteris in mandatis ut eidem abbati, cui gratiam volumus facere specialem, præmissis nequaquam obstantibus, hujusmodi munus benedictionis impendat. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictum Arnaldum prædictorum occasione in aliquo non molestes. Datum Perusii secundo calend. Aug. pontificatus nostri anno primo.

L I.

Castrum de Malast Regi adversus abbatem Montis-olivi adjudicatur in curia Parlamenti.

Ex regio Carcasson. tab.

1308.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex universis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus, quod cum procurator noster coram auditoribus datis ab inquisitoribus deputatis a nobis in senescallia Carcassonæ contra abbatem Montis-olivi proposuisset, quod licet locus quidam prope Montem-olivum existens, in quo quidem fuerat castrum dictum de Malast, qui locus quondam fuerat Trencavelli vicecomitis Biterrensis inimici, & faiditi, atque rebellis progenitorum nostrorum, nobis fuisset certis ex causis cum locis eisdem vicinis & contiguis commissus, & postea per gentes progenitorum nostrorum omnino destructus, & aratro immisso heremus factus fuisset, tandem abbas prædictus Montis-olivi in præjudicium nostrum locum prædictum occupando, pluribus illicite concesserat licentiam ibidem construendi, propter quod petebat dictus procurator noster prædicta sic usurpata & contra nos facta, emendari, & locum prædictum cum ædificiis sibi factis nobis esse commissum pronuntiari, abbate prædicto plures rationes in contrarium proponente, & ita fieri non debere. Visa inquesta super hoc facta pronuntiatum fuit per curiam nostram judicium, locum prædictum, prout se comportat a capite castri de Malast usque ad portale vocatum de Nandreia, quod est subtus & prope quandam ulmum, & sicut includitur per aquas de Alzano & de Dura, nobis tanquam commissum cum suis ædificiis, remanere & confiscari debere, & de edificiis prædictis ibidem factis & de totali loco prædicto per nos esse ordinandum, prout nostræ placuerit voluntati. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis in Parlamento nostro die Martis post Conversionem S. Pauli anno Dom. MCCCVIII.

L I I.

Johannes XXII. rogat canonicos Carcassonenses ut Eremitarum S. Augustini translationem non impediant.

Ex autographo in archivis PP. Eremitarum ord. S. Aug. apud Carcassonam asservato.

1329.

JOHANNES episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo ecclesiæ Carcassonensis salutem & apostolicam benedictionem. Firmam gerimus de sinceritate vestra fiduciam, quod in iis quæ pietatem sapiunt, & animarum profectum, ac divini cultus augmentum respiciunt, studeatis vos promptos & favorabiles exhibere. Sane dudum dilectorum filiorum prioris & fratrum ordinis heremitarum S. Augustini Carcassonæ, ad quos specialis gerimus dilectionis affectum, precibus inclinati, ipsos recipiendi quendam locum eis aptum & bene constructum, situatum in suburbio civitatis Carcassonensis, cum convenienti distantia ab aliis ecclesiis separatum, seque ad illum licite transferendi,

& in eo perpetuo commorandi, & habendi ibidem oratorium cum cimeterio & aliis officinis, ac disponendi de loco alio, quem extra dictam civitatem ejusque suburbium habere noscuntur per alienationis seu venditionis contractum, per nostras certi tenoris litteras concessimus facultatem, sine juris tamen præjudicio alieni. Verum sicut ex eorum relatione percepimus, vos hujusmodi gratiam impugnantes, asseritis quod locus seu hospitium, quod dicti prior & fratres erant per concessionem nostram hujusmodi recepturi, a vobis sub certo censu jure emphiteotico retinetur, propter quod dicti prior & fratres nullum fuerunt commodum ex concessione hujusmodi consecuti. Quocirca discretionem vestram requirimus & rogamus attente, vobis in remissionem peccaminum injungentes, quatenus obtentu beati Augustini gloriosissimi confessoris, cujus regulam tam præfati prior & fratres, quam vos nosci mini profiteri, & ut bonorum quæ dicti prior & fratres facient participes specialiter fieri mereamini, ab hujusmodi impedimento omnino cessetis, & eos in hac parte prosequamini benevolentia speciali, præsertim cum nos velimus quod pro statu salubri Carcassonensis ecclesiæ & personarum, ipsi dicti prior & fratres in singulis missis eorum teneantur memoriam facere specialem. Datum Avenione XVII. kal. April. pontificatus nostri anno tertio-decimo.

LIII.

Ex authentico Montis-olivi.

Clemens VI. Raimundo abbati Montis-olivi, dat licentiam condendi testamentum.

1343.

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Remundo abbati monasterii Montis-olivi ordinis S. Benedicti, Carcassonensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Quia præsentis vitæ tempus cursum habet instabilem, & ea quæ visibilem habent essentiam, tendunt visibiliter ad non esse, tu hæc salubri meditatione præmeditans, diem hujus peregrinationis extremum dispositione suprema desideras prævenire. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus a te per monasterium Montis-olivi, ordinis sancti Benedicti, Carcassonensis diœcesis, cujus regimini præesse dignosceris, licite acquisitis, quæ altaris vel altarium ipsius monasterii ministerio, seu alicui speciali eorumdem divino cultui vel usui non fuerint deputata, pro decentibus & honestis expensis funeris tui, & pro remuneratione illorum, qui tibi viventi servierunt, sive sint consanguinei, sive alii, juxta servitii meritum, moderate tamen, disponere & erogare possis, & alias in pios usus ac licitos convertere valeas, nonobstante quod præfati ordinis sancti Benedicti professor existis. Prius tamen de omnibus prædictis bonis ære alieno, & hiis quæ pro reparandis domibus, seu ædificiis consistentibus in locis dicti monasterii culpa vel negligentia tua, seu tuorum procuratorum destructis seu deterioratis, necnon restaurandis aliis juribus eorumdem monasterii deperditis ex culpa seu negligentia supradictis fuerint oportuna, deductis, tibi plenam & liberam auctoritate præsentium concedimus facultatem. Volumus autem quod in eorumdem dispositione bonorum juxta quantitatem residui erga dictum monasterium te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit & saluti animæ tuæ videris expedire. Datum Avenione XIII. cal. Martii pontificatus nostri anno primo.

LIV.

Epistola Petri de Abzaco archiepiscopi Narbonensis ad Regem Hispaniæ & Aragoniæ pro Crassensi cœnobio.

Circa 1495.

ILlustrissime ac serenissime princeps, ac excellentissime rex humillimam commendationem usque ad dignissimarum oscula manuum. Quanto magis ea, quæ nunc a majestate vestra regia petiturus sum, justissima esse cognovi, tanto magis confidenter ab eadem consequi minime dubito. Justissimum enim regem omni devotione, & religione christiana ornatissimum humillimis precibus meis supplex & confidens aggredior. Novit, ut reor, serenissima Majestas vestra devotissimum cœnobium B. M. de Crassa, ordinis almi patris Benedicti, situm in confiniis Franciæ & vestri principatus Catalauniæ, per gloriosissimum Carolum magnum Romanorum imperatorem & Francorum regem opulentissime fundatum exstitisse super ea conquesta, quam fecit contra Mauros infideles post irruptionem per eos factam, & vastationem fere omnium Hispaniarum ob medium damnatissimæ perditionis infelicissimi Juliani comitis cœptæ, cum potenti manu eos dejecit a toto Catalauniæ principatu, quem tunc allodialiter principibus ipsis dereliquit & dedit possidendum; qui siquidem principatus decursis temporibus multis in nobilissimam domum regiam vestram Aragonensem legitimo titulo pervenit, prædictoque monasterio Crassensi castra & loca de Pediliano, de Cornillano, de Ripisaltis, de Estagello in Rossilione, & castrum de Prata in Confluente, idem Christianissimus imperator & rex liberaliter ac piissime pro suorum remedio peccatorum abbati & monachis in dicto monasterio die ac nocte Deo famulantibus donavit, atque concessit, ut ex fructibus dictorum castrorum tam spiritualibus quam temporalibus sustentarentur, vestirentur, & sine mendicitate vivere, ac devotissime famulari possent. Nec fefellit clementiam dicti principis serenissimi sua devotissima oblatio; nam certum est monasterium ipsum religione & regulari disciplina inter alia monasteria regni Franciæ pollere, omniaque humanitatis ac pietatis officia, quæ misericordiæ opera dicimus, erga pauperes Christi ex omni parte mundi ad ipsum confluentes larga ac liberalissima manu ibidem exerceri. Quod siquidem monasterium inclyti progenitores vestri Aragoniæ reges ac Catalauniæ principes multis redditibus & privilegiis ampliarunt, pro quorum salute plura anniversaria in eo fundarunt, quæ sine defectu quocumque solemniter ibidem fiunt, prædictisque castris & redditibus a tempore dictæ donationis plene, pacifice & inconcusse gavisum est monasterium prædictum, prout notorium est in toto comitatu Rossilionis & partibus Catalauniæ circumvicinis. Verum, excellentissime rex, præmissis non obstantibus, quidam de Ulmis clericus secularis de prædicto comitatu Rossilionis oriundus, sub colore & occasione concessionis vestræ subreptitiæ, obtenta ab anno citra dicta castra, & eorum jura, & proventus sacrilege & damnabiliter prædicto monasterio & religiosis ejus abstulit, & de eisdem disponit & disposuit, omni timore divino postposito, pro suæ libito voluntatis: ex quo non mediocre scandalum in populo Christiano venit, denigraturque nomen & fama justissimæ pietatis vestræ, quæ inter ceteros totius mundi principes justitiam sectatur & colit, diminuiturque cultus divinus in prædicto tam devoto monasterio, & monachi fere nudi sine vestitu & habitu incedere coguntur. Igitur humillime & devotissime supplicant excellentissimæ vestræ Regiæ majestati ejusdem monasterii devotissimi oratores abbas & monachi ipsius, & ego humillimus ac devotissimus orator ejusdem, qui prædicto monasterio minus quam laudabiliter XXX. annis præfui, & pro ipsis juramentum fidelitatis præstiti, quatinus dicta castra, in quibus nullum est separatum fortalitium ab ambitu communi murorum, ubi rustici habitant, & qui prædictorum murorum & portarum eorum clavem & omnem custodiam habent, prædictis abbati & monachis restituere, & per eos libere possidendos dimittere dignetur, mandando ex auctoritate vestra regia gubernatori & viguerio Rossilionis & Confluentis sub magnis pœnis fisco vestræ regiæ majestatis applicandis, dicto de Ulmis invasori & aliis, quibus hoc negotium tangere potest, quatenus ipsum invasorem a dictis castris & eorum

iniqua detentione ejiciat, & compellat, redditusque quoscumque per ipsum inique ac violenter receptos, & perceptos, & qui percipi potuerunt, dictis abbati & monachis plene restituat, ut de ipsis libere dispo- nant, sicuti ante prædictam invasionem faciebant & facere poterant. Quod siquidem, serenissime Rex, non dubito, quin confestim faciat serenissima majestas vestra, tum ob amorem justitiæ suæ, quæ ab Aquilone & mari usque ad mare prædicatur, tum etiam formidine pœnæ a sacris canonum sanctionibus, de quibus unam hîc inserere placuit, quæ talis est : *Valde enim iniquum & ingens sacrilegium est, ut quæcumque vel pro remedio peccatorum, vel pro salute ac requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, ab iis, quibus maxime servari convenit, id est Christianis & Deum timentibus hominibus, in aliud transferri vel converti perniciter; propterea qui hoc præviderit, & aliter quam scriptum est, prædia ecclesiæ tradita perceperit, vel acceperit, aut posse- derit, nisi se cito correxerit, eo, quo Deus animas percutit, anathemate feriatur, C. XII. q. n. C.* Un- dique sonet, obsecro, serenissime Rex, in auribus tuis nocte dieque præclara illa vox & tanto principe digna illius invictissimi Alarici Gothorum regis & Romano- rum domitoris, de quibus clarissimo sanguine proge- niem te traxisse gloriaris, qui audiens devicta Roma, virginem Romanam jocalia auri & argenti beato Petro apostolo, seu ejus ecclesiæ dedicata deferentem, a quo- dam nobili Gotho deprædata fuisse, omnia ipsi ecclesiæ restitui fecit, dicens, *nobis cum Romanis non cum apostolis bellum est.* Hoc ideo dixerim, quod etsi inter Majestatem Christianissimi regis Francorum & tuam nunc, proh dolor ! guerra vigeat, quam Deus sui clementia brevi sedare faciat, non debet tamen ex hoc Deo & sanctis ejus præjudicari, neque viri eccle- siastici ejus obsequio deputati, quorum arma sunt ora- tiones & lachrymæ, inde eluere pœnas debent. Sere- nissime ac justissime princeps, Majestatem vestram Re- giam cum excellentissima consorte, & tota nobilissima prole regia, conservet Altissimus per infinita secula seculorum.

L V.

Majoris consilii decretorio consulto asseritur abbatia Rivi-nitidi Elisabethæ de Levi contra Villæ- longæ abbatem.

1665. LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A tous ceux qui ces presentes lettres verront, SALUT. Sçavoir faisons, comme par arrest cejourd'huy donné en nostre grand Conseil, entre nostre très-cher & bien amé Jean de S. Jean de Moussolens, l'abbé de l'abbaye de Villelongue, ordre de Cisteaux, diocese de Carcassonne, demandeur en requeste & com- mission de nostre Conseil du 15. jour de Janvier 1654. suivant l'exploit du 18. Fevrier audit an, aux fins, que sans avoir égard à la complainte formée en nostre Par- lement de Tholose, pour la mestairie & fief de Rieu- nette, comme d'un titre de benefice uni à ladite abbaye de Villelongue, il soit ordonné qu'il jouira de ladite mestairie & fief de Rieunette, comme domaine de son abbaye, avec deffenses de l'y troubler, restitution des fruits, dommages & interests, & renvoyé en nostre Conseil par arrest de nostre Privé Conseil du 10. Sep- tembre 1655. d'une part; Et dame Elisabeth de Levi, religieuse professe dudit ordre, pourvûë de l'abbaye de Nostre-Dame de Rieunette, subrogée aux lieu & droits de sœur Cecile de Noé, vivante abbesse de ladite ab- baye, deffenderesse d'autre : Et entre ladite de Levi, demanderesse & requerante l'enterinement d'une re- queste presentée à nostredit Conseil par ladite de Noé le 5. Janvier 1657. tendante afin que conformement à l'arrest de nostredit Parlement de Tholose du 27. Mars 1654. deffenses soient faites audit de S. Jean de Moussolens, ses religieux, domestiques & autres, de la troubler en la possession & jouissance de ladite ab- baye de Rieunette, à peine de dix mille livres d'amende, dépens, dommages & interests; & qu'il luy soit permis de se faire assister de tel nombre d'officiers que besoin sera, pour l'execution dudit arrest, d'une part; & ledit de Moussolens deffendeur, d'autre : Et entre ledit de Moussolens, demandeur & requerant l'enterinement des lettres en forme de requeste civile du 18. Avril 1657. aux fins d'estre remis en tel estat qu'il estoit au- paravant ledit arrest de nostre Parlement de Tholose du 27. Mars 1654. ce faisant, qu'il soit ordonné qu'il jouira du fief de Rieunette, comme dépendant de la- dite abbaye de Villelongue, avec dépens, dommages & interests, mesme des reservez par ledit arrest de renvoy, d'une part; & ladite de Levi deffenderesse, d'autre : Et entre ledit de Moussolens demandeur & requerant l'enterinement d'une requeste par luy pre- sentée à nostredit Conseil le 5. Novembre 1657. tendante afin d'estre reçû opposant à la prise de pos- session de Rieunette, faite par ladite deffunte de Noé, & appellant comme d'abus de l'execution de ses bulles de provision; ce faisant, qu'il soit dit qu'il a esté mal, nullement, & abusivement procedé à ladite execution, & ordonné qu'il continuëra la possession & jouissance dudit ancien monastere de Rieunette, comme uni à celuy de Villelongue, avec deffenses de l'y troubler, d'une part; & ladite de Levi, deffenderesse d'autre : Et entre ladite de Levi, demanderesse en requeste verbale par elle faite en l'audience de nostredit Conseil le 9. Avril 1665. tendante afin que ledit de S. Jean de Moussolens soit débouté de sesdites lettres en forme de requeste civile, opposition & appel comme d'abus, & ladite de Levi maintenuë en la possession & jouissance de ladite abbaye de Rieunette, conformement audit ar- rest de nostre Parlement de Tholose, fruits, profits, revenus & émoluments, avec restitution de ceux pris & perçûs, & que ladite de Noé eust pû prendre & percevoir, cessant le trouble dudit de Moussolens, dépens, dommages & interests, mesme les reservez par les arrests de renvoy de nostredit Conseil Privé du 10. Septembre 1655. & Conseil d'Estat du 14. Octobre 1664. d'une part; & ledit de Moussolens, deffendeur d'autre : Et entre ladite de Levi, appellante comme d'abus de la pretenduë union de ladite abbaye de Rieu- nette à celle de Villelongue, d'une part; & ledit de Moussolens, intimé d'autre : Et entre ledit de Mous- solens, demandeur en faux contre un procès-verbal, dans lequel est inseré un prétendu acte d'union de la- dite abbaye de Rieunette à celle de Villelongue, faite par un abbé de Morimond, en date du 7. Novembre 1432. produit par ladite de Levi, sous la cotte *R.* de sa production, d'une part; & ladite de Levi, deffen- deresse d'autre. Vû par nostredit grand Conseil les escritures des parties, lesdites requestes, ladite commis- sion, lesdits arrests de renvoy desdits jours 10. Sep- tembre 1655. & 14. Octobre 1664. par le dernier desquels, sans s'arrester aux arrests de nostredit Conseil Privé des 3. Octobre 1661. & 28. Septembre 1663. les parties sont renvoyées à nostredit grand Conseil, pour y proceder comme auparavant l'arrest de partage de no- stredit Conseil; lesdites lettres en forme de requeste ci- vile, ledit arrest de nostre Parlement de Tholose du 27. Mars 1654. rendu entre ladite de Noé, le syn- dic de Villelongue, messire Henry de Marcassus abbé de Villelongue, & les tenanciers de Rieunette; par le- quel, sans avoir égard aux lettres desdits Marcassus, syndic & tenanciers, faisant droit sur les lettres & re- questes de ladite de Noé, est declaré n'y avoir abus en l'execution des bulles de ladite de Noé; ledit syndic appellant condamné en l'amende ordinaire envers Nous, moitié moins envers la partie; ce faisant, ladite de Noé est maintenuë & gardée au possessoire de ladite abbaye de Rieunette, fruits, profits, revenus, émoluments, & biens en dépendant, avec deffenses ausdits Marcas- sus, syndic, fermiers, & tous autres de l'y troubler;

ledit syndic, & tous autres détenteurs desdits biens, condamnez, & par corps, à réintegrer ladite de Noé des fruits, grains, bois, & autres choses qui se trouveront avoir esté prises & enlevées des dépendances de ladite abbaye ; lesdits Marcassus & syndic condamnez aux dépens, tant de nostredit Conseil Privé, que de nostredit Parlement, envers ladite de Noé : Lettres patentes de don de ladite abbaye de Rieunette à ladite de Noé, vacante par la mort d'Antoinette de Palaja, derniere abbesse, du 7. Juillet 1648. Bulles du pape Innocent X. de provision de ladite abbaye, sur lesdites lettres, en faveur de ladite de Noé du 20.* Avril 1650. Commission pour l'execution desdites bulles, adressée aux archevesque de Narbonne, & evesques de Carcassonne & de Besiers, dudit jour & an. *Forma juramenti*, & reception d'iceluy par ledit evesque de Carcassonne du 2. Juin 1651. Procès-verbal de fulmination desdites bulles par l'official de Carcassonne, du 15. Septembre 1650. Procès-verbal de prise de possession de ladite abbaye de Rieunette par le procureur de ladite de Noé, contenant l'opposition du syndic de Villelongue, dudit jour 15. Septembre 1650. Acte de profession de ladite de Noé du 9. Decembre 1639. avec l'attestation d'icelle, par l'abbesse de Salenques, & par le vicaire general de l'ordre de Cisteaux, du 8. Janvier 1657. Informations faites par maistre Bernard Medon conseiller au seneschal de Tholose, des violences commises à ladite de Noé, des 27. Septembre, 11. & 12. Octobre 1656. Nostre brevet de don de ladite abbaye à ladite de Levi, vacante par la mort de ladite de Noé, du 20. Avril 1662. Arrest de nostredit Conseil du 27. Juin 1662. par lequel il est permis à ladite de Levi de prendre possession de ladite abbaye pour la conservation de ses droits, du 27. Juin 1662. Acte de prise de possession dans une chapelle de S. Germain de l'Auxerrois, dudit jour & an : Bulles de provision de ladite abbaye en faveur de ladite de Levi, du 26. Septembre audit an 1662. Fulmination desdites bulles par l'official de l'evesché de Mirepoix, du 10. Mars 1664. Procès-verbal de prise de possession de ladite abbaye par le procureur de ladite de Levi, tant dans le monastere de Carcassone, qu'en ladite abbaye, du 22. Mars audit an : Profession de ladite de Levi entre les mains de ladite de Noé au lieu de Rieunette, du 6. Novembre 1652. Acte de notorieté du 2. Septembre 1665. pardevant le seneschal de Carcassonne, contenant que ladite de Levi a fait profession dans la chapelle & hospice des religieuses de Rieunette, ledit jour 6. Novembre 1652. Pareille profession de sœur Elisabeth de Loret, religieuse dudit ordre, audit lieu de Rieunette, de l'année 1654. Copie du bref de cour de Rome, de dispense de ladite de Levi, du 25. Septembre 1662. *Sumptum* de ladite cour de Rome dudit bref de dispense : Procez-verbaux de Pagès & Arnault notaires royaux, contenant les refus faits au procureur de ladite de Levi par l'evesque de Carcassonne & son official, de fulminer ledit bref, des 2. Juin, 23. 27. & dernier Juillet 1663. Commission de cour de Rome sur lesdits refus, adressante au plus prochain evesque, pour la fulmination dudit bref, du 16. Octobre audit an : Procez verbal du 11. Decembre audit an 1663. d'autres refus dudit official de Carcassonne de fulminer ledit bref : Commission de l'evesque de Mirepoix, portant citation pardevant luy ou son official, faite audit official de Carcassonne, pour dire les causes dudit refus, des 15. & 17. Decembre 1663. Ordonnance dudit official de Mirepoix, portant réassignation audit official de Carcassonne, des 8. & 10. Janvier 1664. Autre ordonnance & réassignation des premier & 4. Fevrier audit an : Conclusions du promoteur de l'officialité de Mirepoix, pour la fulmination dudit bref: Extrait des procedures & deffauts obtenus en ladite officialité contre ledit official de Carcassonne, des 8. 13. Janvier, 7. & 8. Fevrier 1664. Sentence dudit official de Mirepoix de fulmination dudit bref de dispense, dudit jour 8. Fevrier 1664. Certificat de du Chesne, banquier expeditionnaire de cour de Rome, contenant qu'il a fait expedier ledit bref de dispense & bulles de ladite de Levi sous plomb, dès le 25. Septembre 1662. lesquelles il luy a delivré le 8. Mars 1663. ledit acte d'union de l'abbaye & monastere de Rieunette à celle de Villelongue, pour les causes, & aux clauses y contenuës, par Guido abbé de Morimond, se disant reformateur general de tous les monasteres de Languedoc, & député par le chapitre general dudit ordre, des 11. Juillet & 7. Novembre 1432. Acte d'inscription en faux faite au greffe de nostredit Conseil par ledit de Moussolens, contre ledit acte d'union du 7. Aoust 1665. Arrest de nostredit Conseil, contenant acte de la declaration de ladite de Levi, qu'elle n'a produit ledit acte d'union que pour en faire voir les nullitez ; que si ledit de Moussolens en a un autre, il le doit rapporter, comme estant tout son droit estabili sur ladite union, & qu'elle soustient ladite piece veritable, quant à son escriture, & nulle en son contenu, & de la declaration dudit de Moussolens, qu'il a prescrit contre ladite de Levi, & restraint tout son droit à la seule possession, & jointe au procès : Ensemble la requeste dudit de Moussolens du 20. Aoust 1665. ladite requeste du 7. dudit mois, aux fins que ladite de Levi eust à faire sa declaration, si elle entendoit soustenir ledit acte d'union veritable, & si elle s'en vouloit aider : Arrest de nostredit Conseil du 27. Juillet audit an 1665. par lequel ladite de Levi est reçûë appellante comme d'abus de ladite union : Acte judiciaire pardevant le seneschal de Tholose, du 2. Septembre audit an, contenant la declaration du sieur Pavie de Fourquevaux, qu'en l'année 1661. au mois de Juillet, il remit ès mains du nommé Roques prestre, ledit titre d'union, & autres titres, concernant ladite terre de Villenouvette, dont ses predecesseurs avoient joüi : Requeste presentée audit seneschal par ladite de Levi : Ordonnance & assignation audit Fourquevaux pour venir faire ladite declaration, des 23. Juin & 9. Aoust 1665. Copie collationnée sur l'original representé par le syndic de Villelongue, de la donation faite par la dame Risclovendis, Arnault & Pierre Sigar ses enfans, à Reyne superieure de Rieunette, Bernard Alairac son confrere audit lieu, & à toutes les religieuses, des terres & droits qu'ils avoient audit lieu pour y bastir, du 6. Novembre 1162. Autre copie collationnée, partie appellée, d'un acte, par lequel Arnault Toirozella, & Sigar son neveu, engagent à ladite Reyne & à ses religieuses, toutes les dixmes qu'ils avoient audit lieu, moyennant deux cens sols milgranois*, du 30. Octobre 1165. Autre copie collationnée sur l'original representé par ledit syndic, d'une donation faite à Rieunette, & aux religieuses dudit lieu, par Bernard de Villedeguert, sa femme, & leurs enfans, des droits honorifiques qu'ils avoient audit lieu, pour l'entrée audit monastere de Pagane leur fille, de l'année 1174. Contract en parchemin, contenant la vente faite par Pierre abbé de S. Agnan, à Guillemette abbesse de Rieunette, de la terre & droits que l'abbaye de saint Agnan possedoit au lieu de Villenouvette, en presence d'Hermingarde vicomtesse de Narbonne, & autres, aux clauses y contenuës, du mois d'Avril 1175. Autre contract de vente faite à ladite Guillemette, & à tout le monastere de Rieunette, par Beranger Boltenac & ses enfans, des biens & droits qu'ils avoient au lieu de Codane, près Villenouvette, du consentement de ladite Hermingarde, de l'année 1177. Donation faite par Claude André evesque d'Alby, à Guillemette abbesse de Rieunette, & à ses sœurs, des droits qu'il avoit au lieu de Carsac dans Carcassonne, à la charge d'un cordon de chapeau par chacun an, de l'année 1183. confirmée par Pierre son successeur, le 21. May 1302. Autre donation faite par Othon evesque de Carcassonne, à ladite Guillemette, de l'eglise, dixmes, & autres biens & droits qu'il avoit à Rieunette,

*18. in alio edito.

* l. Melgoriens.

à Rieunette, à la charge d'une livre de cire, de ladite année 1183. confirmée par Pierre son successeur, ledit jour 21. May 1302. Copie collationnée sur l'original representé par ledit syndic, d'autre donation faite à ladite Guillemette & à ses religieuses par Jordain de Caparès, des droits de justice & autres biens qu'il avoit à Rieunette, du 27. Avril 1183. Acte de donation faite à Guillemette abbesse, & audit convent de Rieunette, d'un jardin situé près Rieunette, pour l'entrée audit convent d'une fille nommée Sicarne, de l'année 1192. Copie collationnée sur l'original representé par ledit syndic, d'un acte contenant la confirmation d'une donation faite par Chirpagez & Geraude sa femme, de ce qu'ils avoient à Rieunette, de l'année 1196. Vente faite à Guillemette, & à tout le monastere de Rieunette, par Beranger Boltenac & ses enfans, de tous les biens & droits qu'ils avoient à Villenouvette, de l'année 1190. Copie collationnée sur l'original representé par ledit syndic, d'une reconnoissance faite par Jeanne de Valombre abbesse de Rieunette, à l'abbé de Fonfroide, des biens appartenans à ladite abbaye de Rieunette au lieu de Valderos, autrement Cominal, du 23. Septembre 1192. Autre copie collationnée sur l'original representé par le syndic de ladite abbaye de Fonfroide, d'un acte de foy & hommage rendu par Mathilde abbesse de Rieunette, assistée de trente-trois religieuses, audit abbé de Fonfroide, des biens situez audit lieu de Valderos, du jour S. Pierre & S. Paul 1299. Copie d'autres hommages rendus aux abbez de Fonfroide par Amelie, Garsendis de Cruzio, Geraude de Santone, & autres abbesses de Rieunette, à cause du fief de Valderos & Cominal, ès années 1304. 1318. 1334. 1336. 1345. 1346. & 1398. Copie collationnée sur l'extrait representé par ledit syndic de Villelongue, d'un acte de division & confrontation des terres de la Vaur & de Villedeguert, du 25. Juin 1295. Copie d'un procès-verbal de visite faite par Bernard abbé de Villelongue, en qualité de pere immediat en ladite abbaye de Rieunette, contenant ses reglemens, du 11. Juillet 1346. Copie de bail à ferme fait par Antoinette de Palaja, des mestairies de Rieunette & la Vaur, du 20. Octobre 1524. Inventaire en langue vulgaire de Languedoc, des meubles & ornemens de ladite abbaye & eglise de Rieunette, du 29. Aoust 1528. Copie d'une commission de Jean abbé de Cisteaux, à Pierre Rular religieux dudit ordre, pour contraindre les abbez de Gimont & d'Eunes, de rendre aux religieuses de l'Oraison leurs biens & immeubles, du 27. Juillet 1548. Deux arrests, l'un de nostre Conseil Privé, & l'autre de nostre Parlement de Paris, portant entr'autres choses, que les monasteres de filles dudit ordre ruinez par les guerres, seront restablis, des 8. Juillet & 17. Septembre 1568. Transaction entre les abbez & religieux de Villelongue, pour le partage de leurs biens, du 8. Septembre 1598. Autre transaction entre les religieux de Villelongue & le curé de Ladern, pour raison des dixmes de Villedeguert dépendantes de Rieunette, du 7. Aoust 1613. Arrest de nostre Parlement de Tholose, de maintenue en la possession dudit territoire de Villedeguert, au profit desdits religieux de Villelongue. Commission & procès-verbal fait en consequence, des 11. Avril, 5. & 17. May 1631. Copie de donation de la mestairie de Pechalibert à l'abbaye de Villelongue, du 2. May 1202. Contract de vente faite à Guillemette abbesse de Rieunette & de Villenouvette, par Hermingarde veuve de Pelegrini Monderii, & ses enfans, d'un moulin sis près Villenouvette, sur la riviere d'Orbion, appellé Carsac, de l'année 1203. Donation entre-vifs, faite par Raymond de saint Martin, à Lombarde abbesse, & convent de Rieunette, de tous les biens & droits qu'il possedoit audit lieu de Cominal & Valderos, du 3. Octobre 1237. Bref du pape Innocent IV. d'excommunication, contre ceux qui attenteront aux personnes, domestiques, biens & droits des abbesses & religieuses de Rieunette, du 17. Octobre 1248. Vente faite à Lombarde abbesse, & audit monastere de Rieunette, par les abbé & religieux de Villelongue, du consentement de l'evesque de Carcassonne, du fief, seigneurie, biens & droits de Cassanels & Villars, comme plus offrantes, aux clauses y contenues, du 19. Decembre 1259. Donation faite à Raymonde abbesse, & à tout le monastere de Rieunette, de trente-sept seterée de terre situées au lieu de Salvaza, par Geraud seigneur de Salvaza, dans lequel acte l'abbé de Villelongue est qualifié pere immediat, tuteur & dispensateur du monastere de Nostre-Dame de Rieunette, du 14. Mars 1265. Donation faite par Rica de Taurizane à Gencer abbesse de Rieunette de Tasques, des vins, bleds, & autres droits, de l'année 1302. Bail à ferme fait par Guillaume Pernonet procureur general de la Grange de Villenouvette, du monastere de Rieunette, des biens y mentionnez, à Guillaume Brice, du 19. Janvier 1291. Lettres patentes du Roy Philippe le Bel, contenant confirmation de la vente ou infeodation faite par le seneschal de Carcassonne à Mathilde abbesse, & audit monastere de Rieunette, de la forest de la Vaur, & territoire de Villedeguert moyennant deux cens livres une fois payées, & dix livres de cens par chacun an, payables au receveur du Domaine de Carcassonne, du 2. Decembre 1292. Comptes & extraits des comptes rendus par les receveurs du Domaine de Carcassonne, ès années 1407. 1472. 1482. 1490. 1506. 1507. 1508. 1509. 1511. & 1522. dans lesquels il est fait recette de dix livres de cens annuel reçûes de l'abbesse de Rieunette, à cause de la forest de la Vaur, & dépense de vingt livres pour aumosne donnée par S. Louis à ladite abbaye de Rieunette. Treize quitances desdits receveurs du domaine de Carcassonne, de ladite redevance de dix livres reçûes de l'abbé de Villelongue, des années 1464. 1484. 1493. 1496. 1497. 1498. 1501. 1502. 1505. 1512. 1514. 1518. & 1520. Sept quittances des droits d'une livre de cire dûe par chacun an, par ladite abbaye de Rieunette, à l'eglise de S. Nazaire de Carcassonne, à cause des dixmes & premices de Villedeguert & Rieunette, reçûes des Religieux de Villelongue, comme procureurs des abbesses de Rieunette, ès années 1294. 1302. 1337. 1431. 1439. 1498. & 1506. Copie de compromis entre Mathilde abbesse, & religieuses de Rieunette, & les habitans de Villeflour, avec la sentence arbitrale rendue par l'evesque de Carcassonne pour raison des droits y mentionnez, du 15. Fevrier 1294. Autre compromis & sentence arbitrale faite entre lesdites abbesse & religieuses de Rieunette, & les habitans du village de Ladern, pour raison d'autres droits, du 6. May 1302. Copies collationnées, partie appellée, d'hommages & reconnoissances rendues aux abbesses & religieuses par les tenanciers de Rieunette, Villedeguert & Villenouvette, des années 1293. 1335. 1402. & 1404. Contract d'eschange fait entre Garsendis de Cruzio abbesse de Rieunette, Bernard de Belmont, & Abraham de Fanjaux, coseigneurs de Ladern, pour raison des droits de lots & ventes, champarts & autres, du 27. Avril 1322. Sauvegarde du Roy Philippe à l'abbesse & religieuses de Rieunette, du 9. Avril 1445. Denombrement baillé au seneschal de Carcassonne par l'abbé de Villelongue, en l'année 1504. Extrait des archives de l'abbaye de Villelongue, d'une obedience donnée par Jean Martin abbé, à Pierre de Lassus, religieux de Villelongue, pour aller au prieuré & grange de Rieunette administrer les necessitez, & en faire revenir Isaac Marge pour rendre ses comptes, du 11. May 1431. Vingt-trois reconnoissances baillées par divers particuliers aux abbez de Villelongue, à cause de l'union de Rieunette, du 3. Janvier 1457. Extrait en vertu du compulsoire des archives de Villelongue, lesdites lettres de compulsoire & procez-verbaux en consequence, des 4. Janvier & 23. May 1657. Denombremens à nous fournis pardevant le seneschal de

Carcaſſonne lors des ſubventions, par les abbé & religieux de Villelongue, dans lequel le fief de Rieunette eſt compris ès années 1521. 1541. & 1555. Procès-verbal du juge-mage de Carcaſſonne, contenant l'expoſition en vente de Rieunette, comme dépendant de Villelongue, du 16. May 1575. Acte d'offres fait à la requeſte deſdits religieux au ſieur de Grave, pour le rachapt de Rieunette aliené pour ſubvention, du 17. Juillet 1615. Arreſt de noſtre Parlement de Tholoſe, rendu entre l'abbé & les religieux de Villelongue, par lequel eſt ordonné que le retrait de Rieunette ſera au profit dudit abbé, en rembourſant leſdits religieux, du 24. Juillet 1634. Atteſtation du prieur clauſtral de Villelongue, contenant que ladite abbaye & archives d'icelle ont eſté bruſlez aux dernieres guerres des Huguenots, du 29. Novembre 1572. Arreſt de noſtredit Parlement de Tholoſe, portant deffenſes à ladite de Noé de s'eſtablir en la ville de Caſtelnaudari, du 29. Juillet 1647. Copie du decret du chapitre general de Ciſteaux, portant deffenſes à ladite de Noé de faire fonction d'abbeſſe au lieu de Rieunette uni à Villelongue, du 8. May 1651. Arreſt de noſtre Conſeil Privé, par lequel, du conſentement de Henry de Marcaſſus, ledit de Mouſſolens eſt maintenu en la poſſeſſion de ladite abbaye de Villelongue, du 26. Aouſt 1653. Actes de notorieté contenant les atteſtations des conſuls, preſidiaux & habitans de Carcaſſonne, que ladite de Noé & ſes religieuſes y vivoient en regularité, des années 1654. & 1655. Procès-verbal de rebellion faite à l'huiſſier, porteur de l'executoire de rembourſement d'épices de l'arreſt de noſtre Parlement de Tholoſe, de maintenue, au profit de ladite de Noé, du 16. Septembre 1654. Copie d'inventaire deſdits religieux de Villelongue à noſtredit Parlement, du 30. Fevrier 1654. Deliberation conſulaire de Carcaſſonne, portant que ladite de Noé y ſera reçûe ſur la remontrance & priere de l'eveſque, du 14. Septembre 1650. Miſſive de l'eveſque de Carcaſſonne à l'archeveſque de Tholoſe, ſur les bulles de ladite de Noé, du 17. dudit mois & an. Autre miſſive de l'abbé de Ciſteaux à ladite Noé, du 17. Decembre audit an: Procès verbal de rebellion faite à maiſtre François de Turles conſeiller en noſtre Parlement de Tholoſe, commis pour l'execution de l'arreſt de maintenue de ladite de Noé, du 9. Aouſt 1654. Procuration des religieuſes de Rieunette, pour intervenir au procès pendant en noſtredit Conſeil, du 29. Juin 1657. Declaration de Jean Fages habitant de Rieunette, faite à ladite de Noé, portant qu'il eſt troublé en la jouiſſance de la meſtairie de la Vaur par l'abbé de Villongue, du 7. Aouſt 1656. Concluſions de noſtre procureur general en noſtredit Parlement de Tholoſe, ſur leſquelles l'arreſt de maintenue de ladite de Noé eſt intervenu. Aſſignation à noſtredit Parlement de Tholoſe à ladite de Noé, à la requeſte de Jean Cabanac, du 29. Septembre 1657. Revocation de la procuration donnée à Jean Cauſſerouge religieux de ladite abbaye par le ſyndic, portant deſaveu des pourſuites qu'il feroit contre ladite de Noé, du 20. Novembre 1654. Pareille revocation & deſaveu du prieur de ladite abbaye, du 9. Avril 1655. Requeſte deſdits religieux à noſtredit Parlement de Tholoſe, à ce que deffenſes fuſſent faites audit Cauſſerouge de prendre la qualité de ſyndic, du 12. Juin 1655. Arreſt & commiſſion de noſtredit Parlement ſur ladite requeſte, dudit jour & an: Procuration du prieur & ſyndic de Villelonge, contenant ſa declaration, qu'il n'a jamais entendu ſe pourvoir contre l'arreſt de ladite de Noé, du 18. May 1655. Acte de declaration deſdits religieux audit Cauſſerouge, ſur ſa ſortie dudit monaſtere, du 6. May 1656. Copie de miſſive du vicaire general de l'ordre de Ciſteaux audit Cauſſerouge, du 27. Juin 1654. Ordonnance dudit vicaire general, portant deffenſes auſdits religieux de Villelongue de recevoir ledit Cauſſerouge, pour les cauſes y contenues, du 27. Novembre 1654. Requeſte de ladite de Noé à l'abbé de Morimond ſuperieur dudit ordre, contenant ſa plainte contre ledit Cauſſerouge, du 20. Septembre 1660. Ordonnance de l'abbé de Ciſteaux, portant révocation de l'obedience donnée audit Cauſſerouge, du 12. Aouſt audit an. Autres ordonnances de l'abbé de Clairvaut, portant injonction audit Cauſſerouge de ſe retirer pardevers dom Vaiſſiere religieux de Belleperche, ſinon permis de l'y contraindre par corps, des 17. Novembre 1660. & 9. May 1661. Pareatis du lieutenant civil au chaſtelet de Paris, pour l'execution deſdites ordonnances, du 2. Septembre 1664. Requiſition dudit Cauſſerouge aux religieux de Villelongue, à ce qu'ils euſſent à declarer s'il n'eſt pas venu en cette ville de leur conſentement, contenant leur reſponſe, du 12. Janvier 1656. Arreſt de noſtredit Conſeil, portant ſurſeance aux ordonnances de l'abbé de Ciſteaux contre ledit de Cauſſerouge, juſqu'en fin de jugement du procès, du 26. Novembre 1661. Sommation dudit de Mouſſolens au nommé Hacour, ſur la qualité de ſyndic de Villelongue à luy donnée par ladite de Noé, dans les extraits & collations par elle rapportez, contenant ſa reſponſe, qu'il n'a jamais eu ladite qualité, & qu'il n'y a que deux ans qu'il demeure à Villelongue, du 18. Octobre 1653. Proteſtation de Dauſergue ſyndic contre l'arreſt ſignifié à ladite de Noé, du 10. Mars 1654. Copie du réſultat de noſtre Conſeil de conſcience, pour la révocation du brevet de ladite de Noé, du 26. Janvier 1655. Moyens de faux dudit de Mouſſolens, contre une quittance du 3. Juillet 1519. ſignée l'Huilier, produite par ladite de Noé. Arreſt de noſtredit Conſeil, du 23. Novembre 1657. par lequel, après la declaration de ladite de Noé, qu'elle ne veut ſe ſervir de ladite piece, eſt ordonné qu'elle ſera rejettée du procès: Arreſt de noſtredit Conſeil du dernier Mars 1635. par lequel dame Marie Froment eſt maintenue en la poſſeſſion de l'abbaye de Guiſnes contre l'abbeſſe de Bourbourg. Arreſt de noſtre Parlement de Paris, concernant la cure de S. Saturnin de Chartres, du 24. Mars 1664. Arreſt & reglement de noſtredit Conſeil, du 9. Avril 1665. contenant la requeſte verbale de ladite de Levi. Requeſte verbale dudit de Mouſſolens, afin que ladite de Levi fuſt tenue de remplir les productions dudit de Mouſſolens, & rapporter quatre cahiers d'informations faites à ſa requeſte contre ladite de Noé, un arreſt de noſtre Parlement de Tholoſe de 1615. & des ſalvations & additions de ſalvations ſouſtraites du procès, ſinon condamnée à luy payer dix livres par jour, juſqu'à ce qu'elle y ait ſatisfait. Arreſt de noſtredit Conſeil du 6. Juillet 1665. de jonction de ladite requeſte au procès. Contredits & ſalvations des parties. Concluſions de noſtre Procureur general, & tout ce que par leſdites parties auroit eſté produit pardevers noſtredit Conſeil. Iceluy noſtredit grand Conſeil, faiſant droit ſur leſdites inſtances, ſans avoir égard à la requeſte verbale, oppoſition, & lettres en forme de requeſte civile dudit de Mouſſolens, a ordonné & ordonne, que l'arreſt du Parlement de Tholoſe, du 27. Mars 1655. ſera executé ſelon ſa forme & teneur; ce faiſant, a maintenu & gardé, maintient & garde ladite de Levi en la poſſeſſion & joüiſſance de ladite abbaye de Noſtre-Dame de Rieunette, fruits, profits, revenus & émoluments d'icelle; & ſur le ſurplus des inſtances & faux, a mis & met les parties hors de cour & de procès ſans dépens. Si donnons en mandement au premier de nos amez & feaux Conſeillers de noſtredit grand Conſeil, trouvé ſur les lieux, & en ſon abſence, refus ou legitime empeſchement, au premier juge royal deſdits lieux ſur ce requis, qu'à la requeſte de ladite dame Eliſabeth de Levi, le preſent arreſt il mette à dûë & entiere execution, de point en point, ſelon ſa forme & teneur, en contraignant à ce faire, ſouffrir & obéir tous ceux qu'il appartiendra; comme auſſi mettre ladite dame de Levi en pleine poſſeſſion & jouiſſance de ladite abbaye de Noſtre-Dame de Rieunette, fruits,

profits, revenus & émoluments d'icelle, suivant & conformement au susdit arrest, nonobstant oppositions ou appellations quelconques; pour lesquelles, & sans préjudice d'icelles, ne voulons estre differé; de ce faire, vous donnons pouvoir. Mandons en outre au premier des huissiers de nostredit grand Conseil, en ce qui est executoire à nostre cour & suite, & hors d'icelle, au premier desdits huissiers, ou autre nostre huissier ou sergent sur ce requis, faire pour l'execution des presentes tous exploits de significations, commandemens, contraintes, & autres actes de justice requis & necessaires; de ce faire te donnons pareillement pouvoir, sans pour ce demander placet, visa, ne pareatis. En tesmoin de quoy nous avons fait mettre nostre seel à cesdites presentes. Donné en nostredit grand Conseil, monstré à nostredit Procureur general, & prononcé aux procureurs desdites parties, à Paris le trentieme jour de Septembre, l'an de grace mil six cens soixante-cinq, & de nostre regne le vingt-troisieme. Collationné. Signé, par le Roy, à la relation des gens de son grand Conseil, LE COQ. Et scellé.

L V I.

Transfertur abbatia Rivi-nitidi in civitatem Carcassonensem.

1668. LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre: A tous presens & à venir, SALUT. Nos cheres & bien amées Elisabeth de Levi abbesse, & les religieuses, prieure & convent de l'abbaye Nostre-Dame de Rieunette, ordre de Cisteaux, diocèse de Carcassonne, Nous ont fait très-humbles remonstrances, que ladite abbaye ayant esté fondée en l'année 1162. par le sieur Arnaud Seguier, la dame Risclovendis sa mere, & le sieur Pierre Seguier son neveu, au milieu de la forest de Rieunette, elle auroit esté ensuite l'objet de la protection du S. Siege, de la liberalité des Rois S. Louis, Philippe de Valois, & Philippe le Bel nos predecesseurs; de la charité des sieurs evesques de Carcassonne & d'Alby, & de plusieurs personnes de qualité de nostre province de Languedoc: Que ladite abbaye & religieuses auroient subsisté plusieurs siecles dans les lieux de sa premiere fondation, avec grand zele & communauté celebre: mais les guerres civiles du dernier siecle, qui ont duré fort long-temps, les ayant necessitées d'abandonner leur monastere, & de prendre leur retraite dans nostre ville de Carcassonne, pour se garantir de la fureur des guerres de ceux de la religion prétendue-reformée; & pendant ces desordres leur abbaye ayant esté démolie, elles auroient achevé de finir leurs jours sans pouvoir se restablir, & tous leurs biens & revenus auroient esté ensuite usurpez & alienez par les abbez & religieux de Villelongue. Mais lesdites guerres ayant pris fin par les glorieuses conquestes du feu Roy nostre très-honoré seigneur & pere d'heureuse memoire, de l'avis & conseil de la feuë Reine, lors Regente de nostre royaume, nostre très-honorée dame & mere, Nous aurions fait don de ladite abbaye à deffunte sœur Cecile de Noé, laquelle ayant esté pourvûe en cour de Rome, & en consequence pris possession d'icelle, & establie avec sa communauté, composée de quinze ou seize religieuses, en la cité de Carcassonne par le deffunt sieur evesque dudit lieu, du consentement general des habitans & de leurs superieurs; ensuite auroient acheté les maisons & lieux necessaires pour la construction d'une eglise & convent: Et ayant esté troublées en la possession & jouissance des biens & revenus de ladite abbaye, elles y auroient esté maintenues, & generalement en ses dépendances, par arrest contradictoire de nostre Parlement de Tholose de l'année 1654. à l'execution duquel auroit esté formé opposition avec grande violence de la part du sieur abbé & religieux de Villelongue, avec un attroupement de quatre ou cinq cens hommes; & les bastimens qui avoient esté construits au lieu de l'ancienne fondation de Rieunette, par les soins de ladite deffunte de Noé, auroient esté bruslez, & ladite de Levi lors religieuse professe, blessée d'un coup dangereux, dans l'eglise dudit Rieunette, & quelques domestiques; ce qui auroit obligé les exposantes de retourner dans leur establissement fait dans la cité de Carcassonne, & ladite de Noé accompagnée de ladite de Levy, & d'une autre de ses religieuses, auroit porté sa plainte à nostre Conseil, pendant lequel temps estant decedée, Nous aurions pareillement fait don de ladite abbaye à ladite de Levi; après quoy elle auroit esté pareillement maintenue en la possession de ladite abbaye & ses dépendances: mais l'exposante & ses religieuses ayant esté troublées de nouveau dans ledit establissement de Carcassonne par le sieur de Nogaret de la Vallette, à present evesque de nostredite ville de Carcassonne, elles y auroient esté maintenues par arrest de nostre Conseil Privé, rendu sur les requestes respectives dudit sieur evesque, & de ladite de Levy, le 29. May de la presente année; par lequel, entr'autres choses, Nous aurions ordonné qu'en consequence du consentement dudit deffunt sieur evesque, & des habitans de Carcassonne, ledit monastere de l'abbaye de Rieunette seroit transferé dans ladite cité de Carcassonne, au lieu où ladite abbesse & religieuses sont presentement leur demeure, pour y vivre sous la mesme discipline & jurisdiction à laquelle elles estoient soumises dans le lieu de Rieunette, & qu'à cet effet seroient lettres patentes expediées aux exposantes. Mais ledit establissement & translation des titres & revenus de ladite abbaye, ne pouvant avoir son effet sans estre de Nous authorisez, les exposantes se sont retirées pardevers Nous pour leur estre pourvû de nos lettres à ce necessaires, humblement requerant icelles. A ces causes, & ayant esté pleinement informez que ladite abbaye de Rieunette est située au milieu d'une forest, & entourée de deux grandes montagnes, entre les lieux de Ladern, Greffeil & Molieres, & qu'elle est inhabitable, à cause du démolissement general qui en fut fait, non seulement en 1568. par les heretiques du dernier siecle, mais encore depuis par celuy de 1656. fait par l'abbé de Villelongue, avec un pillage general de tous les meubles & autres choses appartenantes auxdites religieuses. Et voulant favorablement traiter les exposantes, & pourvoir à leur entiere sureté, tant en consideration de la dotation faite par les Rois nos predecesseurs, que de la protection qu'elles ont reçûe de la feue Reine nostre très-honorée dame & mere, Nous avons, de nostre propre mouvement, grace speciale, pleine puissance, & authorité royale, approuvé & confirmé, approuvons & confirmons par ces presentes signées de nostre main, l'establissement & translation desdites exposantes dans la cité de Carcassonne, & dans la mesme maison où elles sont presentement leur demeure, suivant & conformement audit arrest de nostre Conseil dudit jour 29. May de la presente année 1668. & aux contracts d'achat de ladite maison ou constitution de dot desdites religieuses, qu'elles ont cy-devant faits les 11. Janvier & 6. Fevrier 1652. Avons transferé & transferons en icelle maison le corps & titre de ladite abbaye Nostre-Dame de Rieunette, du lieu de son ancienne fondation, avec les biens & domaines, privileges, franchises & exemptions, pour le tout y demeurer uni & incorporé, & en jouir, faire & disposer par les exposantes, sous le mesme titre de Nostre-Dame de Rieunette, ainsi qu'elles ont cy-devant fait ou dû faire, conformement à leur regle & constitutions, & à nos ordonnances. Avons permis, accordé & octroyé, permettons, accordons & octroyons aux exposantes de faire construire & édifier au lieu & place de ladite maison & lieux dépendans & adjacens un monastere, closture, dortoir, eglise, jardins, & autres demeures convenables & necessaires à leurs prieres & devotions, & y faire continuer la celebration du service divin selon leur ordre,

Laquelle maiſon & places en dépendans & lieux adjacens A Nous avons à cette fin amortis & amortiſſons, comme à Dieu dediez, pour en jouir par les expoſantes & les religieuſes qui leur ſuccederont à l'avenir, en main-morte, pleinement, paiſiblement & perpetuellement, ſans qu'elles ni les religieuſes qui leur ſuccederont, ſoient tenues en vuider leurs mains, ni les bailler à homme vivant & mourant, ni tenues Nous en payer, ni à nos ſucceſſeurs Rois aucune finance ni indemnité; de laquelle, à quelque ſomme qu'elle ſe puiſſe monter, Nous leur en avons fait & faiſons don par ces preſentes; à la charge toutefois de l'indemnité envers les autres ſeigneurs, deſquels pourroient relever ladite maiſon & ſes dépendances, & lieux adjacens, & de payer les droits qui leur pourroient eſtre dûs. Permettons en outre aux expoſantes de tenir, poſſeder & joüir des he- B ritages à elles appartenans, dependans de ladite abbaye de Rieunette, tout ainſi qu'elles en ont bien & dûment joui ou dû jouir par le paſſé, ſans qu'elles y puiſſent eſtre troublées par quelque perſonne que ce ſoit, ſous pretexte de ladite tranſlation, ou autrement: Prenant le tout enſemble, leſdites abbeſſe & religieuſes, prieure & convent dudit Rieunette, ſous noſtre protection & ſauvegarde; à la charge qu'elles ſeront obligées de continuer dans la maiſon où elles ſont eſtablies à preſent en ladite cité de Carcaſſonne, les prieres ordinaires accouſtumées, & ordonnées par les Rois nos predeceſſeurs, dotateurs de ladite abbaye, & meſme de faire tenir en eſtat l'egliſe de l'ancienne fondation d'icelle, & d'y faire celebrer une meſſe baſſe tous les dimanches & feſtes de l'année, par un preſtre qui y ſera tenu à C leurs dépens; & en outre de payer toutes les autres charges auxquelles elles peuvent eſtre obligées par leur fondation & dotation. Si donnons en mandement à nos amez & feaux Conſeillers, les gens tenans noſtre grand Conſeil, Chambre de nos comptes à Montpellier, ſeneſchal de Carcaſſonne, & autres qu'il appartiendra, que ces preſentes ils ayent à faire lire & regiſtrer, & du contenu en icelles faire jouir & uſer ladite abbeſſe & religieuſes preſentes & à venir, pleinement, paiſiblement & perpetuellement, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire; Car tel eſt noſtre plaiſir. Et afin que ce ſoit choſe ferme & ſtable à toûjours, Nous avons fait mettre noſtre ſcel à ceſdites preſentes. Donné à Saint Germain-en-Laye au mois de Septembre, l'an de grace mil ſix cens ſoixante-huit, & de noſtre regne le vingt-ſixieme. D Signé Louis, & ſur le repli, par le Roy, ſigné Phelypeaux, & au bout viſa, ſigné Seguier. Pour ſervir aux lettres de confirmation d'eſtabliſſement de l'abbaye de Rieunette, avec amortiſſement. Et ſcellées du grand ſceau de cire verte, en lacs de ſoye rouge & verte.

L V I I.

Tranſlatio Rivi-nitidi decreto amplioris conſilii confirmata.

1668. SUR la requeſte preſentée au Conſeil par dame Eliſabeth de Levi abbeſſe & religieuſes, prieure & convent de l'abbaye de Noſtre-Dame de Rieunette, ordre de Ciſteaux, dioceſe de Carcaſſonne, tendante E à fin que les lettres patentes du Roy, à elles accordées, contenant la confirmation de leur eſtabliſſement dans la cité de Carcaſſonne, & de la tranſlation du corps & titre de ladite abbaye, du lieu de ſon ancienne fondation dans celuy qu'elles occupent à preſent en ladite cité, avec amortiſſement, du mois de Septembre 1668. enſemble autres lettres deſdits mois & an, contenant ratification & approbation du contract d'infeodation à perpetuité paſſé par le commiſſaire à ce député en 1292. des fiefs & terres de Villedeguert & Lavaur, en leur faveur, & des lettres de confirmation de ladite infeodation à elles accordées par le Roy Philippe le Bel en ladite année, ſoient enregiſtrées ès regiſtres du Conſeil, pour jouir par leſdites abbeſſe & religieuſes de l'effet du contenu en icelles, ſelon leur forme & teneur. Vû par le Conſeil ladite requeſte, leſdites lettres par leſquelles le Roy pleinement informé que ladite abbaye de Rieunette eſt ſituée au milieu d'une foreſt, & environnée de deux grandes montagnes, entre les lieux de Ladern, Greffeil & Molieres, & qu'elle eſt inhabitable, à cauſe du démoliſſement general qui en fut fait en 1568. par les heretiques, & depuis en 1656. par l'abbé de Villelongue, avec un pillage general de tous les meubles & autres choſes appartenant auſdites abbeſſe & religieuſes; & pour pourvoir à leur entiere ſûreté, auroit approuvé & confirmé leur eſtabliſſement & tranſlation en la cité de Carcaſſonne, & dans la meſme maiſon où elles ſont à preſent leur demeure, ſuivant & conformement à l'arreſt du Privé Conſeil du 29. May 1668. & aux contracts d'achat de ladite maiſon, ou conſtitution de dot deſdites religieuſes, qu'elles ont cy-devant fait les 11. Janvier & 6. Fevrier 1652. meſme auroit transferé en ladite maiſon le corps & titre de ladite abbaye du lieu de ſon ancienne fondation, avec les biens & domaines, droits, privileges, franchiſes & exemptions; pour le tout y demeurer uni & incorporé, & en jouir, faire & diſpoſer par leſdites impetrantes, ſous le meſme titre de Rieunette, avec permiſſion de conſtruire & édifier au lieu & place de ladite maiſon & lieux en dépendans & adjacens, un monaſtere, cloſture, dortoir, egliſe, jardins & autres demeures convenables & neceſſaires à leurs prieres & devotions, & y continuer la celebration du ſervice divin ſelon leur ordre; laquelle maiſon & places en dépendans & lieux adjacens demeurent amortis, comme dediez à Dieu, pour en jouir par leſdites abbeſſe & religieuſes, & celles qui leur ſuccederont à l'avenir en main-morte, pleinement, paiſiblement & perpetuellement, du mois Septembre 1668. Autres lettres deſdits mois & an de confirmation de l'infeodation à perpetuité, faite auſdites abbeſſe & religieuſes de Rieunette par le commiſſaire à ce député par contract de l'an 1292. deſdites terres & fiefs de Villedeguert & la Vaur; & des lettres de Philippe le Bel d'approbation & confirmation de ladite année, aux charges y contenuës: Copie de la donation faite à ladite abbaye par Arnaud Seguier, Riſclovendis ſa mere, & Pierre Seguier, des choſes y contenuës, avec pouvoir de baſtir & conſtruire les édifices qui ſeroient neceſſaires, du 6. Novembre 1162. Acte de déliberation conſulaire des habitans de Carcaſſonne ſur la remonſtrance de meſſire Vital de Leſtang, lors eveſque dudit Carcaſſonne, portant qu'il ſera baillé à l'abbeſſe & religieuſes maiſon & logement propre & commode par maniere d'hoſpice juſqu'à un parfait eſtabliſſement, dont ils s'en remettent à la volonté dudit eveſque, du 14. Septembre 1650. Copie d'ordonnance dudit eveſque ſur la requeſte de dame Cecile de Noé, abbeſſe de Rieunette, portant permiſſion de prendre les maiſons & lieux qui luy ſeront convenables pour conſtruire une egliſe & convent dans les murs de ladite cité, & y faire l'exercice & fonction de leur regle à la plus grande gloire de Dieu & du public, du 8. Janvier 1652. Copie de contract de vente faite à ladite de Noé par Paul de Bonnafoux d'une maiſon & lieux y déſignez, ſiſe en ladite cité de Carcaſſonne, pour ſervir à perpetuité de convent ou monaſtere de l'ordre de Ciſteaux, qui avoit eſté jadis au lieu de Rieunette, & conſtitution de dot pour Marguerite de Bonnafoux ſœur dudit vendeur, du 11. deſdits mois & an: Copie d'autre contract d'achat fait par ladite de Noé, d'une ruelle commune entre elle & les vendeurs, du 6. Fevrier audit an: Copie de donation faite par ladite Iſabeau de Bonnafoux à ladite abbeſſe de tous ſes biens, à la charge qu'elle ſera reçûe profeſſe, nourrie & entretenue le reſte de ſes jours en ladite abbaye, du 14. Aouſt 1654. Copie d'arreſt du Parlement de Tholoſe, par lequel, entr'autres choſes, ladite de Noé eſt maintenuë au plein poſſeſſoire de

ladite abbaye & biens en dépendans, du 27. Mars 1654. Copie d'arrest du Conseil entre messire Jean de Moussolens, abbé de Villelongue, & ladite de Levi, abbesse de Rieunette, par lequel est ordonné que ledit arrest du Parlement de Tholose sera executé selon sa forme & teneur; ce faisant, ladite de Levi maintenuë & gardée en la possession & jouissance de ladite abbaye, du 30. Septembre 1665. Copie d'attestation des consuls & magistrats de Carcassonne, de la bonne conduite desdites religieuses, du 7. Decembre 1667. Copie de confirmation dudit establissement baillée par l'abbé de Morimond, superieur immediat de ladite abbaye de Rieunette, du 2. Janvier 1668. Arrest du Privé Conseil rendu sur les requestes respectivement presentées par ladite de Levi, & par messire Louis de Nogaret de la Valette à present evesque de Carcassonne; par lequel, en consequence du consentement du precedent evesque, & des habitans dudit Carcassonne, est ordonné que le monastere de l'abbaye de Rieunette sera transferé en la cité de Carcassonne, au lieu où lesdites abbesse & religieuses sont à present leur demeure, pour y vivre sous la mesme discipline & jurisdiction, à laquelle elles estoient soumises dans ledit lieu de Rieunette; & pour cet effet que toutes lettres seront expediées, du 29. May 1668. Ladite infeodation faite par le commissaire député par le Roy à Mathilde abbesse & convent dudit Rieunette desdits fiefs & terres de Villedeguert & la Vaur; à la charge, entr'autres choses, de payer dix livres de rente par chacun an au domaine du Roy, & confirmation d'icelles par le Roy Philippe le Bel, du mois de Decembre 1292. Reconnoissances passées à ladite abbesse, à cause desdits fiefs de Villedeguert & la Vaur, de l'an 1293. Extrait des comptes rendus par les receveurs du domaine de Carcassonne, portant que ladite somme de dix livres leur a esté payée par lesdites abbesses de Rieunette, ès années 1409. 1471. 1481. 1489. 1505. 1506. 1507. 1508. 1510. & 1522. Quittance de deux années de ladite rente, du 10. Juillet 1668. Copie d'arrest du Conseil, obtenu par ladite de Levi, à l'encontre d'Olivier de S. Jean de Voisins, baron de Moussolens, pour la terre de Villenouvete, du 30. Septembre 1667. Copies d'arrests du Privé Conseil, du renvoy au Conseil, pour raison des biens de ladite abbaye de Rieunette, des 10. Septembre 1655. 5. Aoust 1661. 14. Octobre 1664. 5. Mars & 20. Octobre 1666. Conclusions du procureur general du Roy: le Conseil ayant égard à ladite requeste, a ordonné & ordonne que lesdites lettres seront registrées ès registres du Conseil, pour estre gardées, observées & executées, & jouir par lesdites abbesses & religieuses de Rieunette de l'effet du contenu en icelles, selon leur forme & teneur, à la charge d'obtenir bulles de confirmation de ladite translation dans six mois. Fait audit Conseil à Paris le huitieme jour de Novembre mil six cens soixante-huit. Collationné. Signé HERBIN, avec paraphe.



INSTRUMENTA ECCLESIÆ HELENENSIS.

I.

Ex autographo Arulensi.

Privilegium Ludovici Pii imperatoris quo Arulensis monasterii fundatio confirmatur.

Editum Marca Hispan. col. 766.

821. IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Chr. Ludovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum solertia, quia vir venerabilis Castellanus abbas monasterii S. Mariæ veniens ad nos innotuit quod ipse cum fratribus suis in valle quæ dicitur Asperia monasterium in ædificia antiqua construxerit, in quo nunc Deo opitulante cum turbis monachorum sub sancta regula militat, obsecrans ut prædictum monasterium & cellulas, quas ipsi ab heremo construxerunt, & nunc ibidem aspiciunt, id est ecclesiam S. Petri in Arulas, & ecclesiam S. Johannis in Riardo, & ecclesiam S. Juliani super Buciacum rivolum, & ceteras res ad prædictum monasterium S. Mariæ pertinentes vel aspicientes sub nostro susciperemus mundeburdo atque tuitione, quatenus iidem monachi cum omnibus ad eos pertinentibus quiete & secure viverent: cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam divini cultus aurem accommodare placuit, & hos nostræ auctoritatis imperiales apices fieri decrevimus, per quos præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus aut quislibet ex judiciaria potestate in prædictas cellulas aut in rebus ad prædictum monasterium legaliter aspicientibus ingredi temerario ausu, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii distringendos, aut ullas redhitiones aut inlicitas occasiones requirere aut exactare præsumat; sed liceat prædictum abbatem & successores suos cum suis rebus præsenti tempore ad præfatum monasterium aspicientibus sub nostra defensione quiete vivere & residere. Et quando quidem divina vocatione memoratus abbas de hac luce migraverit, quamdiu ipsi monachi inter se tales invenerint, qui eos secundum regulam S. Benedicti regere valeant, licentiam habeant eligendi abbates, quatenus ipsos monachos pro nobis, conjuge, proleque nostra & pro stabilitate totius imperii nostri jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subterfirmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Ludovici serenissimi imperatoris, Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi & SS. Data XV. calendas Octobris anno Christo propitio VII. imperii domini Ludovici piissimi augusti indictione XIV. Actum Vern. palatio in Dei nomine feliciter, amen.

II.

Ex chartario Arulensi.

Caroli-calvi Francorum regis diploma Recesindo abbati Arulensi concessum.

844. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei rex. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternæ renumerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum solertia, quia vir venerabilis Recesindus abba monasterii S. Mariæ in Arulas veniens ad nos, obtulit obtutibus nostris auctoritatem domni & genitoris nostri Ludovici imperatoris: qua continebatur, qualiter prædictum monasterium ædificatum a Castellano quondam in valle quæ dicitur Asperia sub sua immunitate atque defensione cum monachis ibidem Deo famulantibus, & omnibus rebus ad se pertinentibus plenissime suscepit,

Unde prænominatus abba Recesindus nostram deprecatus est clementiam, ut prædictum monasterium denuo cum monachis ibidem consistentibus & cum cellulis ibidem aspicientibus, id est cum ecclesia S. Martini ad ipsas Felonicas in via quæ decurrit ad ipsas Clusas, cum ceteris rebus ad prædictum monasterium S. Mariæ pertinentibus vel aspicientibus, sub nostro reciperemus mundeburdo atque tuitione...... quatenus iidem monachi cum omnibus ad eos pertinentibus quiete atque secure viverent. Cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam divini cultus aurem accommodare placuit; & hos nostræ auctoritatis regales apices fieri decrevimus, per quos præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, aut quislibet ex judiciaria potestate in prædictas cellulas, aut in rebus ad prædictum monasterium legaliter aspicientibus ingredi temerario ausu, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores faciendos, aut homines ejusdem monasterii distringendos, aut ullas redhibitiones, aut inlicitas occasiones requirere, aut exactare præsumat, sed liceat prædictum abbatem & successores suos cum his rebus præsenti tempore ad præfatum monasterium aspicientibus, seu etiam a bonorum hominum largitione ab hinc delatis, sub nostra defensione quiete vivere ac residere. Et quando quidem divina vocatione memoratus abba de hac luce migraverit, quandiu ipsi monachi inter se tales invenerint, qui eos secundum regulam S. Benedicti regere valeant, licentiam habeant eligendi abbates, quatenus ipsos monachos, pro nobis, conjuge, proleque nostra, vel pro stabilitate totius regni nostri jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subterfirmavimus & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Caroli gloriosissimi regis. Jonas diaconus ad vicem Ludovici. Data VII. calendas Julii anno IV. indictione VII. regnante Karolo glorisissimo rege. Actum in monasterio S. Saturnini dum obsideretur Tolosa in Dei nomine feliciter, amen.

III.

Præceptum Caroli-calvi regis pro abbatia S. Andreæ de Sureda.

Edit. in append. Marc. Hisp. col. 792.

869. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei rex. Quidquid pro Dei sanctorumque amore agimus, profuturum nobis ad præsentis vitæ lubrica curricula felicius transigenda, & ad futuræ beatitudinis præmia facilius obtinenda non dubitamus. Comperiat igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque præsentium & futurorum solertia, quia dum quidam venerabilis abba monasterii S. Andreæ apostoli in pago Elenensi super fluvium Taciolim siti nomine Johannes ad nostram accedens magnitudinem ostendit nobis auctoritatis præceptum, in quo continebatur, quod piæ recordationis genitor noster, & nos idem monasterium cum eisdem abbatibus & monachis, omnibus ad illud pertinentibus in suæ nostræque immunitatis tuitione mansisse, humiliter postulans ut rerum eamdem immunitatis auctoritatem renovare dignaremur. Cujus postulationibus ob Dei sanctique Andreæ apostoli honore & amore assensum præbentes, suscipimus nominatum abbatem cum suo monasterio ac monachis ibidem degentibus sub nostræ immunitatis præcepto cum omnibus cellulis ad eum pertinentibus in supradicto pago Elenense, unam videlicet in honore sancti Martini sitam in qua primitus Miro quondam abba habitare cœpit, ipsamque vallem cum præfata cellula cum omni integritate concedimus. Necnon & aliam cellulam concedimus in honore S. Vincentii constructam, seu & villare quod dicitur Garricis cum ipsis domibus, quas Sisegutus quondam abba ædificavit per jussionem domini Ludovici imperatoris, cum ipsis fiscalibus, terris, cum terminis, vel adjacentiis suis vel omnia quæque ad eorum pertinent dominium, cum domibus, ædificiis, curtiferis, viridigariis, hortis, vineis, silvis, terris, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, piscatoriis, exitibus & regressibus, perviis, adjacentiis, & quicquid aut regali, aut aliorum Deum timentium donatione, aut emptione aut commutatione, aut eorumdem monachorum manuum propriarum apprehensione, aut quolibet attracto vel adquisito juste & rationabiliter possident, aut in futuro adquirere potuerint in nostræ immunitatis tuitione ac mundeburdam recepimus, & in futuro firmiter tenebimus. Quapropter præcipimus atque firmamus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesiis, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, ad causas audiendas, vel injusta freda exigenda, vel paratas faciendas, aut ullas redhibitiones, vel inlicitas occasiones requirendas, aut fidejussores tollendos, vel homines illorum distringendos ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat: sed liceat præfato abbati suisque successoribus absque alicujus inquietudine quiete vivere & Domino deservire, & pro nobis, conjuge, proleque, totiusque regni nostri statu Deum exorare. Et quandocumque divina vocatione memoratus abba, aut successores ejus de hac luce migraverint, quandiu inter se tales invenire potuerint, qui eos secundum regulam S. Benedicti regere & ordinare valeant, licentiam habeant ex se ipsis eligendi abbates. Ut autem hæc nostræ auctoritatis præceptio inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus & annuli nostri impressione sigillari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Atagarius notarius ad vicem Goslini recognovi. Data VII. calendas Martii indictione secunda anno vigesimo nono regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in monasterio S. Dionysii in Dei nomine feliciter, amen.

IV.

Fundatio monasterii sancti Michaelis de Coxano ordinis S. Benedicti.

Ex chartario Coxanensi.

Edit. Spicileg. tom. VIII. pag. 349.

871. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus gratia Dei rex: omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, actionariis, missis nostris discurrentibus, vel cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, nostrisque, præsentibus scilicet & futuris notum sit, quia si erga loca divino cultui mancipata tuitionem impertimur, non solum regalem consuetudinem exercemus, verum etiam ad æternæ retributionis mercedem nobis talia facta profutura confidimus. Proinde comperiat omnium vestrorum præsentium scilicet & futurorum solertia, quoniam sacerdotes septem liberi genere, id est Witiza, Protasius, Victor, Lucanus, Guntefridus, Recceswindus, Sanctiolus, venientes ex parochia civitatis, quæ vocatur Orihel, accepta a Wisado ipsius civitatis episcopo licentia, verum & adjutorio, sed & alii post eis conjuncti homines liberi, Attila, Baro, Leudomirus, cum reliquis eis se conjungentibus, secesserunt ad locum qui dicitur Exalada juxta fluvium nomine Tete, in capite vallis Confluentis, & emerunt de rebus propriis & facultatibus fidelium sibi liberaliter conlatis, locum servis Dei aptissimum, ibique construxerunt monasterium in honore S. Andreæ apostoli, sed & aliorum apostolorum Petri, Johannis, & Thomæ: quod monasterium ditaverunt, emptis, commutatis vel conlatis sibi rebus in locis subterpositis, id est in Tresvalles, in Ocenias, in Canabellas, cum finibus suis, terris & vineis, villare in Coxiano, in Cotaleto, in Edio, in Saltone, in Maridianas, in Agnerra, in Tauriniano, in Monte-Aliberga, ipsumque monasterium Deo cooperante ad effectum usque perduxerunt: qui locus supradictus est situs in confinio Ceridaniæ

marchiæ nostræ, sub diœcesi Fredaldi Narbonensi archiepiscopi, & parochia Audesindi Elnensis episcopi. Unde nostram excellentiam petierunt, ut eumdem locum sub nostra immunitate, & deffensione, ac mundeburde susciperemus, & per præceptum nostrum illis & suis successoribus, & eidem loco præsentibus & futuris temporibus tale privilegium concedamus, quatenus post Deum sub manu & potestate nostra ac successorum nostrorum ipse locus, & inibi habitantes sub regia potestate perpetuo maneant, & in eodem loco degentes sub monastico ordine vivant: atque ut licentiam eligendi abbatem ex ipsis secundum regulam S. Benedicti omni tempore habeant, & ut nullus paraveredum, aut pascuarium, vel mansionaticum, aut aliquam indebitam exactionem ab eis vel suis successoribus de eodem loco, vel de rebus ad eumdem locum pertinentibus tam præsentibus quam futuris temporibus exigat; sed quiete liceat eis pro statu sanctæ Dei ecclesiæ, & regis ac regni stabilitate orare. Quorum petitionem rationabilem judicantes, eis in omnibus annuere judicavimus: decernentes, ut tam præsentibus quam futuris temporibus idem monasterium cum omnibus rebus ad se nunc pertinentibus, & quæ futuris temporibus ad eumdem locum conlatæ fuerint, vel quas in eodem monasterio degentes juste & rationabiliter acquirere quocumque modo potuerint, privilegium & immunitatem habeat, & sub defensione ac mundeburde regiæ potestatis permaneat, & in eodem loco habitantes sub monastico ordine vivant, & licentiam eligendi ex se ipsis secundum regulam S. Benedicti abbatem omni tempore habeant: in cujus abbatis regulari ordinatione episcopus ipsius civitatis, in cujus parochia est monasterium, nullam difficultatem exhibeat, vel quamcumque exactionem contra regulas sacras eidem loco imponat, nec pro ordinatione ecclesiasticorum ministrorum, vel pro largitione consecrati olei vel chrismatis quodcumque emolumentum contra canones sacros ab abbate vel a monachis monasterii ipsius requirat, & nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, seu aliquis ex fidelibus regni nostri, vel successorum nostrorum paraveredum, aut pascuarium, vel mansionaticum, aut aliquam indebitam exactionem ab eis vel eorum successoribus exigat; neque in ecclesias, aut ad loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii ubi & ubi constitutas, quas nunc habere videtur, vel de cetero per futura tempora idem monasterium adquirere potuerit, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, aut paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii injuste distringendos, vel paraveredos, aut pascuarios exigendos, nec ullas redibitiones vel illicitas occasiones requirendas, aut quamcumque inquietudinem ipsi loco & ejus habitantibus inferendam, licentiam habeant, vel ad ejus monasterii loca ullo umquam tempore ingredi valeant, vel exactare præsumant, sed liceat memorati monasterii abbati suisque successoribus & omni congregationi res præfati monasterii cum omnibus quæ in sua ditione habuerint sub immunitatis tuitione quieto ordine possidere; atque pro statu sanctæ Dei ecclesiæ, & pro stabilitate regiæ potestatis, & regni nostri, atque pro populo nobis subjecto Domini misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria eam subterfirmavimus & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum Caroli gloriosissimi regis. Adalgarius notarius ad vicem Goslini recognovit. Data nonas Augusti indictione IV. anno XXXII. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Doziaco palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

V.

Translatio monachorum sancti Andreæ de Exalada ad monasterium Coxanense.

Ex chartar. Coxanensi.

878.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Nos omnes in commune fratres Protasius conversus vel presbyter avocatus abba, Daniel presbyter, Gontefredus presbyter, Sangoli presbyter, Asenarius monachus, Theodemarus diaconus vel monachus, Tructulfus clericus vel monachus, Baro diaconus vel monachus, Egmericus clericus vel monachus, Egica clericus vel monachus, Sabicellus clericus vel monachus, Orilio clericus vel monachus, Agila clericus vel monachus, Ardaricus clericus vel monachus, item Agila clericus vel monachus, Artimarius clericus vel monachus, Ermemirus clericus vel monachus, Elduvisus clericus vel monachus, Santulus clericus vel monachus, Natalinus clericus vel monachus, Ersindus clericus vel monachus, Recesindus clericus vel monachus, Bradila clericus vel monachus, Canpio clericus vel monachus, Vincentius clericus vel monachus, Moreta clericus vel monachus, Sintilla clericus vel monachus, Salomon clericus vel monachus, Atalamundus clericus vel monachus, Eldubinus clericus vel monachus, Ermemirus clericus vel monachus, Gerolimus clericus vel monachus, Amarbani clericus vel monachus, Centullus clericus vel monachus, vel omnes nos, vel ceteri qui futuri sunt quandoque, qui hic signum inpresserunt, aut subscriptores fuerint, parique voluntate affuerint, sicut nos suprascripti omnes unanimes atque concordes simul obtineamus firmitatem in Domino & in secula, & nos omnes suprascripti, qui regulariter traditi fuimus, & evasimus penuria vel naufragio S. Andreæ apostoli, qui situs erat in diœcesi metropolitanæ sedis Narbonensis & parochia sedis Elenensis, in locum qui nuncupatur Exalata, & perierunt chartas donationis nostræ, qui factas erant regulariter secundum instituta & decretum patruum sancti Benedicti, & præceptum gloriosissimi Caroli regis, qui nobis ad mercedem suam vel successoribus nostris fieri jussit ad deprecationem domno Mirone seniore nostro. Nos autem, vel qui venturi sunt, spiratione omnipotentis Dei eligimus locum S. Germanum, qui situs est in villare Coxano, & fundatus a Protasio converso in suo proprio, & nos pleniter construximus, & traditum ab illo nobis vel successoribus nostris cum omnibus rebus quæ possidet, ut monastice vivamus simul cum omnia quæ possidemus in ecclesias ibidem sublectas, id est Tres-valles, & sanctum Johannem, & sanctum Petrum, & S. Tome, quod nos consecrare jussimus, vel restaurare ad pontifice qui residui sumus tradimus nos, & res nostras, vel alodes nostros, vel omnia quæ possedimus, conquestum, vel ad conquirere cum omni voce oppositionis nostræ in jure supra dicta ecclesia S. Germani, vel in aliis ecclesiis suprascriptis, quod in nostro præcepto resonat. Nam ego Protasius presbyter dono Deo, vel prædicta ecclesia sancti Germani quod habeo in villa Tauriniano, Cuxano, Cotaleto, Fangano, Kassaneto, Orgarese, Pommario, Lecco, Occenias, Kanavellas, & in Tres-valles, vel in ceteris locis, ubi aliquid emptum habeo, & invenire potueritis, vel quod mihi conlatum fuit, rogantes ad comite venerantissimo Mirone, vel fratrum suorum in honore Dei & S. Germanum sacrationem, vel valle Cerdania quod nobis conlatum fuit ab amicis, vel ex quacunque facto conquirere potui juste & rationabiliter, sicut superius insertum est, infra istos prædictos locos dono juri meo supradicta ecclesia, vel monachis præsentibus & futuris ad proprium, potestati meæ nihil reservo nisi regulariter omnes ex illo vivamus, & ut merces nos consequatur ante tribunal Christi, qui nos plena voluntate edita ista donatione facimus, nullius cogentis imperio, nec suadentis ingenio, sed propria nostra hæc elegit bona

voluntas, ut nos subjiciamus regulari more, stabilitate, & obedientia, sicut canon a majoribus adprobatum continet, & occasionem suadente diabolo nullus opponat exeundi de monasterio, & si aliter fecerit, se a Deo damnatum sciat quem irridet, & insuper regulariter districtus subjaceat. Et iste factus noster firmus & stabilis permaneat in Domino, & in ecclesias superius scriptas ævo perenne. Facta scriptura donationis nostra vel traditionis monasticæ vivere ut merces nos consequatur ante Dominum, & ut unus ab alio hereditatem recipiat, quanti ista charta firmaverint quandoque æquali sicut superius scriptum est omnes obtineant firmitatem in isto facto qui factus est a nobis XIII. cal. Julii anno primo, quo obiit Ludovicus rex. Protasius presbyter advocatus abba qui ista donatione in mea voluntate edita feci & signavi, & testes in commune rogavimus firmare. Daniel presbyter signavit, Gotefridus presbyter sig. Afenarius sig. Sangolinus presbyter & monachus sig. Tructulfus clericus sig. Egica sig. Signum Orilioni, sig. Agilani, sig. Ardarici, sig. Artimii, sig. Ermemiri, sig. Eldevisi, sig. Sanctili, sig. Natulini, sig. Ersindi, sig. Recesindi, sig. Bradilani, sig. Campioni, sig. Vincentii, sig. Sintilani, sig. Salomonis, sig. Eldubini, sig. Gerolimi, sig. Ansefredi. sig. Galindoni, sig. Amarbani. sig. Centulli, Thedemarus levita sig. Wifredus presbyter subs. sig. Martino monachus, sig. Argiricus monachus, Savicellus monachus signavi, sig. Sesuldi, Armentarius signavi, sig. Wimarani, sig. Bunnoni, sig. Guifredi monachi, sig. Menarii, sig. Buliarane monachus, sig. Rodulfo monacho, Adalmandus sig. Ermemirus monachus sig. Agila monachus signavi, sig. Guifredus, sig. Guitarii, sig. Donati, signum Centulli, Malagnaicus presbyter, qui hanc voluntatem VIII. cal. Nov. anno V. regnante Carolomanno rege. Fredelau presbyter, qui hanc voluntatem fecit VIII. calend. Madias anno III. regnante Carolomanno rege signavi, sig. Eles monachus, sig. Eschrebongno monachus, S. Ermemirus, Lucanus presbyter signavi, sig. Arnato monachus. Hic testes Samuel presbyter sig. Trasemundus presbyter sig. P. Froisindus presbyter signavi, Teudmus presbyter signavi, Goifredus signavi, sig. Odini, sig. Borelli, Ermemirus monachus signavi, Dato monachus signavi, sig. Eliæ monachus, sig. Raunero monachus, Eldesindus presbyter qui ista charta donationis vel traditionis regulariter rogatus scripsi & signavi, die & anno quod supra.

VI. VIII

Ex chartario Arulensi.

Johannis papæ VII. litteræ pro monasterio Arulensi.

879. JOHANNES episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus præsentibus & futuris salutem in Domino perpetuam. Si semper concedenda sunt quæ piis desideriis congruunt, vel quanto magis ea quæ pro divini cultus constantia pertinere noscuntur, omnimodo non sunt neganda. Et ideo sciat omnium vestrorum bonitas atque industria, quia vir Deum timens inclitus comes Oliba veniens oratum Romam ad beatissimorum apostolorum Petri & Pauli sacratissima corpora, postulavit a nobis ut monasterium, quod vocatur Arulas, constructum a fratre avi sui ad honorem Dominæ & semper virginis Dei genitricis Mariæ, positum territorio comitatu Rossilionensis, in loco qui Vallis asperi vocatur, qui juxta ripam fluminis Tixsi, quod vulgaris nomine etiam nuncupatur, sub jure & perpetua immunitate sanctorum patrum, cum defensione sanctæ nostræ sedis apostolicæ manendum decernimus, cum omnibus rebus & possessionibus sibi pertinentibus. Unde inclinati precibus ejus humilitatis, per hanc nostram apostolicam & inviolabilem præceptionem statuimus, id ipsum Dei genitricis monasterium ex integro pro sua stabilitate perpetualiter ad ditionem atque tuitionem sanctæ Romanæ matris ecclesiæ persisti debere, confirmantes illi omnes res quæ jure & rationabiliter sibi a principio pertinent, & usque in finem seculi pertinere debent in cellis, ecclesiis, & ornamentis, sacris vasis, & utensilibus, in villis, casis, casalibus, terris, ancillis, liberis, & affrontitiis, aquis cum ripis aquarum ex utraque parte riparum, verdigariis & circumjacentiis, terris & aquimolis, cum suis capdaquis, & ipsis aquæ ductibus, ac piscatoriis, omnibusque locis cultis & incultis, & cum universis usibus, reditibus, seu decimationibus, & tributis. Promulgantes etiam hæc omnia, & quæcumque legaliter dici & nominari possunt per fines & terminos suos, inconcussa & indiminuta manere ad dominium ipsius sacri cœnobii, & utilitatem regularis abbatis seu monachorum ibidem Deo servientium quoquo tempore, nequaquam licentia sit alicui episcopo, duci, comiti, sive vicecomiti, aut ullæ hominum magnæ parvæque personæ aliquid de omnibus quæ ei pertinent & inantea pertinere debent, tollere aut violenter possidere, sive in quoquam molestiam & contrarietatem facere; sed cuncta mobilia & immobilia generaliter, & in integro salva seu integra persistant ad usum & incrementum ipsius sacri monasterii sub protectione nostræ sedis apostolicæ perpetuis temporibus. Præsenti XII. indictione adjicimus etiam ut abbas qui ibidem pro tempore fuerit, si, quod absit, a regulari proposito & institutione B. Benedicti deviaverit, sive res monasterii ejusdem alienaverit, licentiam habeat prædictus comes Oliba, sive sui eumdem abbatem expellendi foras, & quod ab eo alienatum fuerit, ad proprium jus revocandi & pro ipso alium Deo dignum abbatem constituendi, approbata rei veritate, constituentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, hæc quæ a nobis decreta sunt perpetuis temporibus inviolabiliter ab omnibus observanda. Si quis autem, quod non credimus, temerario ausu adversus hujus nostræ præceptionis seriem contraire præsumserit, sciat se, nisi resipuerit, judicio Dei omnipotentis & prædictæ semper virginis Dei genitricis Mariæ beatissimorumque apostolorum Petri & Pauli, & omnium episcoporum, nostræque apostolicæ humilitatis auctoritate cum omnibus impiis perpetuo incendio & indissolubili anathemate damnatum. At vero qui observator & custos ejus in toto extiterit, gratiam & medicinam a cælesti rege obtineat, omniumque peccatorum suorum in præsenti absolutionem, & in futuro æternam gloriam cum sanctis angelis consequatur. Scriptum per manum Leonis notarii regionarii atque scriniarii sanctæ sedis apostolicæ in mense Decembris & indictione XII. Bene valete.

VII.

Electio Riculfi episcopi Helenensis confirmata in concilio Narbonensi.

Edit. Capitularium tom. 2. col. 634.

947. CUm inter præclues ac prosperos antistites fierent sancta concilia in Justi delubris atque Pastoris, quæ sunt sita infra metropolis Narbonæ mœnia anno Dom. Incarn. DCCCCXLVII. quipote Aimiricum memoratæ urbis Archiopilionem, ac Rodallum Biterrensem, Gisaudum Carcassensem, Dacbertum Agathensem, Poncionem Magalonensem una proruperunt. Sic rebus de ecclesiasticis cum instanti statuissent studio, illos potissimos atque præclaros bearet adjectio, vel quod magis loquax & *rivatim dissultaret humanitas & hoc ex eisdem patres inter se connexæ caritatis ardore multis ex quibusdam theophariis ecclesiarum diebus sunt potiti. Infra hos præclarissimos patres aderant topicorum multorum primates, qui nihilominus de statu regendæ ecclesiæ cum ipsis consulebant & inter agendum cum conspicarentur suorum affectiones optime promptas de ecclesiarum bene *regendis rebus, etiam cum inventa foret una eademque voluntas, ne viduata basilicarum aliqua

* trivatim dissultaret.

* gerendis.

aliqua proprio patrono illorum in potestate remaneret, editum est Helenensem ecclesiam adfore orbatam pastorali consortio Wadaldi episcopi. Cui affatim condolentes, eo quod exuisset hominem, abunde consolatoris apotesia spiritus repleti, ipsa* inquisivere in sacra synodo quis quivisset ex hac prænominata ecclesia regimen vindicare illius episcopii. Hic in illa hora egressa est in Riculfum digna & affabilis clericorum electio, ac conclamatio omnium populorum Helenensis ecclesiæ, & in hac acclamatione addunt laudibus ejus haud illum esse degenerem, necnec* neofitum, nec idiotam, sed esse illum modestum, sobrium, castum, benevolum, hospitalem, &c. Et quid plura! abundanter attribuunt ei laudes apostolicas quas convenit habere unicuique episcoporum. Hoc audientes memorati patres assenserunt illorum vocibus, nec ausi sunt contraire, quem electio atque acclamatio prosequebatur, & præsertim assensum præbuit fatibus illorum domnus Aimericus archipræsul, quo statim studuisset* sublimare jam prædictum presbyterum fore episcopum in hujusmodi episcopatus Helenensis ecclesiæ decore. Quod omnimode volentes, supernoque regi debitas grates gnaviter solventes, conjunctim liberaliterque, uti soliti sunt, cupitæ ministerium affectionis canonicæ in Riculfum adimplevere, confirmantes ejusdem electionem, & acclamationem manu propria exarando, & roborationis titulo per hanc membranulam nomina deduxere suorum. Acta in publico conventu sanctorum episcoporum, necnon & præcluium primatum, & roboratum in loco SS. Justi & Pastoris VI. calendas Aprilis indictione instantis cronois habens lustrum unum annos *II. Aimericus archipræsul. sig. Gisaudi episcopi, sig. Dacberti episcopi, sig. Pontii episcopi, sig. Alexandri abbatis.

* ipsam.

* necne.

* studuissent.

* annosque duos.

VIII.

Donatio facta monasterio Sancti Genesii de Fontanis.

990.

IN nomine Domini. Ego Asenarius, & uxor mea Dacholina, donatores sumus ad cœnobium S. Genesii, & S. Maria matre Domini, & ad S. Michaele archangelo, quæ sunt fundatæ in comitatu Rossilionensi, & in vilarium quem vocant Fontanas, super alveum Teco, vel a Viumarane abbate, vel ad ipsam congregationem, quæ ibidem Deo serviunt; donamus nos jam dicti omnem alodem nostrum, quod nos habemus in comitatu Confluente in villa Soanies, vel infra ejus fines & terminos, id est cassas, cassalibus, curtis, curtalibus, ortis, terras, & vineas, & vinealibus, pratis, pascuis, silvis, garricis, aquis, aquarum sive ductibus, vel reductibus earum, omnia & in omnibus quantum quod nos ibidem habemus, & hæreditare debemus, pro qualicumque voce oppositionis nostræ, vel quantum nos de hodie in antea comparare vel augmentare potuerimus, sive per donatum de ullum hominem vel de ulla femina invenire potuerimus. Et in villa Maradanus vel infra ejus fines & terminos similiter; & in villa Asearum, vel infra ejus fines & terminos similiter; & in comitatu Cerdaniense in villa Lubium, vel infra ejus fines & terminos similiter, quantum infra istos jam supra scriptos comitatos vel villulas earum nos habemus vel invenire potuerimus; sic donamus nos ad jam supradictas ecclesias, vel ad servientes ibidem Domino, misericordiam Dei deprecantes, ab omni integritate, sine ulla occasione, vel sine ulla reservatione. Quæ vero ista omnia superius scriptæ partes de nostro jure in vestro trademus dominio & potestate, pro habendi, vendendi, dandi, vel etiam commutandi, & quoquod exinde facere volueritis, liberam in Dei nomine habeatis potestatem in ejus conventum, vel in ejus rationem, ut dum nos vivemus teneamus ego Assenarius, & uxor mea Dacholina omnibus diebus vitæ nostræ ipsos alaudes jam supra scriptos ab omni integritate, & per unum quemque annum de ipsum alodem jam supra scriptum in servitium donemus pernam unam valentem denarios duos. Quod si nos donatores, aut ullus homo, aut ulla sæcularis potestas, qui contra istam hanc chartam donationis venerit pro inrumpendum, non hoc valeat vindicare, sed in duplo vel in triplo vobis componere faciat, & in antea istam donationis firmam optineat roborem. Facta ista scriptura donationis VIII. calendas Augusti anno IV. quod obiit Ludovicus rex Leoterii regis filius, Christum regnantem regem expectantem. Signum Asenarius, sig. Dacholina, qui ista charta donationis fecimus, & testes firmare rogavimus, sig. Alaraicus, sig. Suniarius, Adalvertus presbyter, Segarius levita, Senioredus levita, qui ista scriptura donationis scripsi, & sub die & anno quod superius.

IX.

Alia donatio seu restitutio facta eidem monasterio.

1068.

IN nomine Domini. Nos simul in unum Gaufredus Rossilionensis, & ipsius uxor Adalaicis comitissa tradimus, donamus, atque consignamus Omnipotenti & monasterio S. Genesii martyris, cujus monasterium fundatum est in comitatu Rossilionensi, in loco vocatum Fontanas, ubi sunt consecrata altaria in honore S. Dei genitricis Mariæ, & S. Michaelis archangeli, alodem, qui est in præfato comitatu, vel infra terminos parochiæ S. Petri vel S. Laurentii de Argelet. Manifestum est enim quia quondam gloriosus Ludovicus imperator augustus, & Hlotarius Francorum rex, & alii homines donarunt Deo, & jam dicto monasterio prædictum alodem qui est in suprascriptis parochiis, &c... Nos vero subscripti Gaufredus & uxor ejus Aldalaicis extimabamus quod aliquam vocem haberemus in dicto alode; sed nunc scimus & recognoscimus quia ullam vocem aut ullum directum in jam dicto alode non habemus, sed est proprius alodiasis monasterii jam dicti S. Genesii; & si aliquam vocem habemus vel habere debemus, sicut supradictæ affrontationes includunt, in potestate Pontii abbatis prædictam alodem cum omnibus adjacentiis vel pertinentiis suis, videlicet cum ecclesia sancti Petri & cum ecclesia herema sancti Jacobi, & cum omnibus mansionibus & condirectionibus, vineis, & terris cultis & eremis, pratis, pascuis, silvis & garrigiis, fontibus & aquis, molendinariis, exitibus & regressibus, & quicquid dari vel nominari possit, quæ ad usum hominis pertineat, vel pertinere possit, totum integraliter tradimus, consignamus, donamus, & largimur omnipotenti Deo, & jam dicto monasterio S. Genesii martyris ad proprium & francum alodem omni tempore usque in finem sæculi possidendum in potestate omnium abbatum & monachorum ibidem Deo servientium. Quod si nos præscripti comes & comitissa, vel alius quilibet homo aut femina prædictam alodem, vel ullam rem de prædicto alode a potestate & dominatione prædicti monasterii, & abbatis, vel monachorum ipsius tulerimus, vel tulerint, ille qui hanc injuriam Deo intulerit.... quæ tulerimus in duplo jam dicto monasterio componat, & insuper sacrilegus satisfaciat, aut sicut Dathan & Abiron ab inferis absorbeatur, vel cum Juda Domini & magistri sui traditore, ac sacrorum fure perpetualiter inferni flammis concremetur...... Deus ut resipiscat & digne satisfaciat. Facta scriptura XI. calendas Aprilis anno ab Incarnatione Christi MLXVIII. anno IX. regnante Philippo rege. Signum Gaufredi comitis. Signum Aldaicis comitissæ, qui hanc donationem vel definitionem fecimus, & testes firmare rogavimus, signum Deusde Alboni, signum Grimaldi Coalbi. Signum Poncii Gobet, &c.

A

X.

Bernardus comes Bisildunensis abbatiam B. Mariæ de Arula abbatibus Cluniacensi & Moyssiacensi dimittit.

Habetur integra hæc charta, app. Marc. Hisp. col. 1168.

1078. EGo in Dei nomine Bernardus comes Bisildunensis videns quædam monasteria quæ mihi succedebant ex propinquitate antecessorum meorum, a monastico ordine & vita penitus deflexisse, salubri consilio accepto dedi electionem monasterii S. Petri campi rotundi, & monasterii sanctæ Mariæ quod dicitur *Arulas*, & monasterii sancti Pauli vallosæ disponendam abbati Ciuniacensi & domno Hunaldo abbati Moyssiacensi consobrino meo. Abbatiam quoque sanctæ Mariæ de Arula quam redemi a Gifredo Narbonensi archiepiscopo centum uncias auri, abbatiam etiam S. Pauli quam a Petro vicecomite Fenolensium acquisivi, & malas consuetudines, usaticos, albergas, & omnes torturas quas in eisdem abbatiis faciebam, penitus dimitto, ut ibi monachi quiete & secundum regulam sub regimine prædictorum abbatum Deo serviant, &c. Factum est hujus cessionis meæ testamentum in manibus charissimi mei consobrini domni Hunaldi abbatis Moyssiacensis & aliorum, anno Incarnationis Dominicæ MLXXVIII.

XI.

Ex autographo. *Agnes comitissa Rossilionensis Leoni abbati Crassensi abbatiam S. Andreæ de Sureda donat.*

Edit. in app. Marc. Hisp. col. 1234.

1109. DIvinitatis oraculis, &c. ut *in sequenti charta.* Unde supernæ pietatis causa, in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ego Agnes Rossilionensis comitissa cum consilio domni Ermengaudi Elenensis episcopi, & clericorum sibi subjectorum, ceterorumque fidelium clericorum atque laicorum, trado, laudo, atque confirmo Domino Deo, & B. Mariæ monasterii Crassæ, & domno abbati Leoni & monachis ipsius loci præsentibus & futuris, monasterium S. Andreæ, quod est fundatum in comitatu Rossilionensi, quod nostri juris esse creditur, ad gubernandum & regendum secundum regulam S. Benedicti in perpetuum. Et ego supradicta Agnes comitissa contestor Deum & sanctos ejus, quod si dominus meus Girardus, opitulante Dei misericordia, ex sancto Sepulcro redierit, faciam ei chartam donationis laudare atque confirmare. Et hæc facio ut locus ille, qui destructus esse videtur, restauretur, & reintegretur, atque melioretur ad servitium Dei omnipotentis, & B. Mariæ, atque S. Andreæ, & ut Deus omnipotens mihi & marito meo domno videlicet Girardo, & filiis, & filiabus nostris, & omni posteritati nostræ in præsenti & futuro sæculo suam misericordiam concedere dignetur. Facta charta donationis hujus V. calendas Octobris anno ab Incarnatione Domini MCIX. regnante Ludovico rege. Signum Agnetis comitissæ, quæ propter Deum & remedium animæ suæ hanc chartam fieri jussit, firmavit, & testes firmare rogavit. Signum domni Ermengaudi venerabilis episcopi, sig. domni Petri Arnalli archidiaconi, sig. domni Petri Bernardi archidiaconi, sig. Olivarii de Terme, sig. Ermengaudi de Vernerd, sig. Willelmi Bernardi de S. Christophoro, sig. Poncii Oliba de Tern, sig. Bernardi Beringeri de Vilarnou, sig. Gausberti Willelmi de Tonelas, sig. Gibili de Marmoreras. Willelmus monachus scripsit die & anno quo supra.

XII.

Gauffredus comes Rossilionensis abbatiam S. Andreæ de Sureda Crassensi monasterio reddit. Ex autographo.

1139. DIvinitatis oraculis instructi, didicimus christianæ esse pietatis, ut alter alterius divino respectu onera portet, & si patitur unum membrum, compatiantur cetera membra, & hoc esse pium quemque omnino satagere, ut ante tribunal tremendi examinis non solum pro se, sed etiam pro aliquo suo studio vel amonitione correcto, coronam vitæ habere. Etenim si unius peccatoris conversio operit multitudinem peccatorum, convertentis multorum salutem quæsisse, quærendo paravisse, parando fecisse multo laudabile est. B Efficiuntur autem ista sacra prædicatione, efficiuntur pii exempli opere, fiunt sacrorum locorum constructione, fiunt eorumdem pia restauratione. Videtur enim apud divinitatem pene æquipararі, & pio animo sacra ovilia Christi ovibus ædificare, & eadem luporum invisibilium vel visibilium rapacitate dilaniata, pia mente iterum Christi ovibus replere, & præsentium & futurorum saluti commoda secundum nosse & posse efficere. Unde supernæ pietatis causa, in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ego Gauzfredus Rossilionensis comes, & uxor mea nomine T. & filius noster Guirardus, una cum consilio venerabilis Udalgarii Helenensis episcopi, & clericorum sibi subjectorum, ceterorumque fidelium, clericorum atque laicorum, reddimus, & concedimus, & inpræsentiarum potentialiter tradimus Deo, & B. Mariæ monasterii Crassæ & domno abbati Berengario, & monachis ipsius loci præsentibus & futuris monasterium S. Andreæ cum omnibus sibi pertinentibus, quod est fundatum in comitatu Rossilionensi, quod nostri juris esse creditur, ad possidendum & regendum secundum Deum & B. Benedicti regulam in perpetuum. Hæc autem ideo facimus, ut locus ille qui destructus pene videtur, restauretur atque melioretur ad servitium Dei omnipotentis, & B. M. sanctique Andreæ, & ut omnipotens Deus nobis & omnibus parentibus nostris omnique posteritati nostræ misericordiam concedere dignetur. Prædictum autem donum ita facimus, ut in monasterio S. Andreæ nullus in perpetuo alter inthronizetur abbas, nisi quem commune consilium & voluntas monachorum S. Andreæ elegerit ex claustro Crassensis monasterii, excepto abbate & priore, si tamen electum abbas cognoverit esse idoneum, consulto tamen prius Elenensi episcopo atque comite. Honorem vero S. Andreæ nulli abbatum vel monachorum sit licitum alicui militum dare, vel impignorare inconsulto comite. Sane, quod absit, si aliquo eventu quemque Crassensium contigerit aliquid nimium indecens in honore S. Andreæ forisfacere, vel eumdem, si requisitus abbas Crassensis infra spatium XL. dierum eversum monachis S. Andreæ ammonitione episcopi vel comitis satisfacere noluerit, expectatis aliis XL. diebus, hic si tunc satisfacere nequiverit, tandiu prædicto monasterio S. Andreæ careat, donec eversa, vel quæ ablata fuerint ejus negligentia monasterio S. Andreæ, ejusdemque loci monachis canonice restituantur. Si quis vero ecclesiastica sæcularisve persona contra hoc nostræ paginæ decretum ad inrumpendum venerit, non hoc valeat vindicare quod præsumserit, sed pro sola præsumtione, quod forisfecerit tripliciter emendet, & insuper tandiu a liminibus ecclesiæ sit exclusus, donec canonice pœniteat. Facta charta restitutionis vel donationis hujus III. idus Maii anno ab Incarn. Dom. MCXXXIX. secundo anno regni regis junioris Lodoici in Francia. Signum Gauffredi comitis, sig. Trencavelæ uxoris ejus, sig. Guirardi filii eorum, sig. Bernardi Berengarii vicecomitis, sig. Ugo, sig. Bernardi de Monte-Eschui, sig. Raimundi de S. Andrea, sig. Chabot, sig. Petrus Lupi, sig. Reambalsi, P. Ausonensis sedis caput scolæ. Bernardus subdiaconus die & anno quo supra scripsit.

XIII.

Ex chartario Arulensi.

Ildefonsi Aragonum regis diploma Roberto abbati Arularum concessum.

1188. CLareat cunctis tam præsentibus quam futuris, quod ego Ildefonsus Dei gratia rex Aragonum, comes Barchinonæ & marchio Provinciæ dono licentiam tibi Rodberto Arelatarum abbati & successoribus tuis in perpetuum, quod possis facere & ædificare fortitudinem quam velis in parochia S. Martini de Forquis, ubicumque plus velis, in alodio S. Mariæ, ubi homines tui stare possint, & quæ voluerint ædificare, salva tamen in omnibus nostra nostrorumque fidelitate per sæcula cuncta. Recipio autem sub protectione & defensione nostra prædictum locum, & fortitudinem, & homines, & feminas ibi cohabitantes, & omnes res eorum, tam mobiles quam immobiles, ubicumque sint. Mando insuper omnibus vicariis & bajulis nostris & præcipue illis de Perpiniano & Tuir, quod prædictum locum & omnes ibi cohabitantes, ut superius dictum est, tamquam propria protegant & defendant. Si quis vero ausu temerario istud in aliquo contradiceret vel impediret, iram meam incurreret, & mille solidos mihi prestaret. Actum est hoc apud Gerundam mense Augusto anno Domini MCLXXXVIII. Signum Ildefonsi regis Aragonum comitis Barchinonæ & marchionis Provinciæ. Teste Poncio Ugone comite Empuriarum, Gaufredo de Rocabertino, Arnaldo de Palatiolis & multis aliis. Ego Bernardus de Valle domini regis notarius hoc scripsi mandato ejusdem, & hoc signum feci mense & anno quo supra.

XIV.

Ex chartario minori Coxan.

Privilegium Ildefonsi regis Aragonum Arnaldo abbati Coxanensi concessum.

1194. AD notitiam præsentium & futurorum perveniat, quod nos Ildefonsus Dei gratia rex Aragonum comes Barchinonæ & marchio Provinciæ, donamus, concedimus & per præsentem conscriptionem confirmamus, atque promittimus Deo, & S. Michaeli de Coxano, & tibi Arnallo abbati & conventui ejusdem loci præsenti & futuro, quod numquam donemus seu alienemus, neque dari sive alienari faciamus aliquod castrum, sive aliquam munitionem pertinentem ad ipsum monasterium S. Michaelis de Coxano, & specialiter promittimus de non dando sive alienando castro de Arriano, neque tu neque conventus habeatis licentiam aliquod ex dictis castris sive munitionibus dandi sive alienandi aliquo modo, neque super castro de Arriano teneamini alicui respondere, nisi in propria curia nostra. Data apud Perpinianum mense Martii per manum Johannis Beraxnensis notarii domini regis, & mandato ejus scripta sub anno Dominicæ Incarnationis MCXCIV. Signum Ildefonsi Dei gratia regis Aragonum comitis Barchinonæ & marchionis Provinciæ. Testes sunt Raimundus de Urgio, Petrus de Domenova, Petrus Macip domini regis bajulus, Girardus, Bernardus Guillermi de Villa-franca.

XV.

Petrus rex Aragonum monasterium Cuxanense collapsum restaurat.

1203. PETRUS Dei gratia rex Aragonum & comes Barchinonæ, universis hominibus de terra nostra, quibus præsentes directæ fuerint litteræ, salutem. Notum vobis facimus, quod quia monasterium S. Michaelis de Cuxano ad tantam venerat destructionem & inopiam, quod nec Dei, nec hominum ibidem digne servitium fieri poterat, de communi & unanimi voto fratrum ejusdem loci ad honorem Dei electus est ibi Petrus Sancti Martini abbas, ut per eum, Dei interveniente gratia, idem possit monasterium reparari, quod

A quia sine nostro non videbatur posse fieri adjutorio, habito magnatum & sapientum nostræ curiæ consilio, donationes prædiorum & venditiones, & honorum & possessionum alienationes ab Arnaldo ejusdem loci quondam abbate factas, omnes irritas esse decernimus, & prorsus evacuamus, & præsentis scripti authoritate emparamus, & prædicto restituimus monasterio. Mandamus autem omnibus emptoribus, & donatariis, ut de pretio, si quid prædicto quondam abbati dederunt, stent arbitrio & cognitioni Guillermi Ausonen. episcopi, & Petri ejusdem sacristæ, & Guillermi Durfortis: vel si omnes interesse non poterint, duorum cognitioni. Scituris ipsis emptoribus & donatariis pro certo, quod si eis non adquieverint, prædictum monasterium ab omni eorum petitione absolvimus, & ne aliquid eis B postea ex hoc facere teneatur, præcipimus & mandamus. Insuper firmiter & districte jubemus omnibus creditoribus de terra nostra, quibus ab eodem monasterio aliquid debetur, ut tam de pignoribus, quæ inde habent & tenent, quam de alio debito, usurario, vel non usurario, prædictorum trium vel duorum stent per omnia cognitioni. His etenim plenariam eis super his disponendis concessimus licentiam & potestatem. Præsenti autem rescripto nullæ litteræ a nobis impetratæ seu impetrandæ numquam in aliquo obesse valeant ullo modo: sed hujusmodi mandatum nostrum perpetuam obtineat firmitatem. Datum in villa Grassa die Mercurii ultima Aprilis per manum Johannis de Berax domini regis notarii de mandato ejus scripta sub anno Dom. MCCIII.

C

XVI.

Ex archivo Fontis-frigidi in cod. Colbertino ms.

Fundatio Vallis-bonæ Ordinis Cisterciensis.

1242. IN Dei nomine. Notum sit cunctis quod nos frater P. R. dictus abbas & totus conventus Fontis-frigidi desiderantes magno desiderio in visceribus caritatis generare nobis filiam specialem, quæ ex sua fecunditate fructum reddat gratissimum, & filios humiles, castos, & sobrios concipiat Jesu Christo, ideo invocata Spiritus sancti gratia, gratam & favorabilem filiam procreamus, si abbatiam S. Mariæ Vallis-de-bona, quæ in Elenensi diœcesi noscitur esse sita, quam quidem filiam cum in primordio suæ creationis sit multum nova, & tenerrima, & per consequentiam forti & magno indigeat nutrimento, de bonis a Deo nobis concessis ditare D cupimus & dotare, ne pro defectu dotis & penuria ipsam opporteat mendicare, & ut jocundo animo possit illud verbum dare cum effectu: *dotavit me Dominus dote bona.* (*Genes. 30. 20.*) In primis siquidem ad honorem Domini Jesu Christi, & beatissimæ matris ejus virginis Mariæ, & in remissione peccatorum nostrorum damus inter vivos cum hac charta perpetuo valitura per nos & per omnes successores nostros tibi fratri Gitardo primo abbati dictæ novæ abbatiæ S. Mariæ Vallis-de-bona, quæ semper erit filia monasterii Fontis-frigidi, & sub ejus disciplina & devotione, Deo dante, consistet, & toti conventui dictæ abbatiæ novæ, & omnibus successoribus vestris præsentibus & futuris totum illum honorem de Turnebut, quem abbas & conventus *S. Querici de Coleira cum consilio & assensu domini episcopi E Gerundensis, in cujus diocesi dictum monasterium est constructum, nobis & nostro monasterio vendiderunt, sicut in instrumentis inde confectis plenius continetur, quæ instrumenta vobis reddimus in præsenti, & in possessionem dicti honoris tam facti quam juris vos mittimus. Damus similiter vobis ecclesiam, quæ in prædicto honore de Turnebut est sita, cum omnibus juribus suis, sicut eam melius nobis concessit dominus episcopus Elenensis, in cujus diœcesi dicta eccclesia est constructa; & est verum quod de pecunia nobilis viri G. de Porcella, qui dictæ novæ abbatiæ est patronus & fidelis adjutor, dictus honor de Turnebut fuit emptus, pretio scilicet 4000. solidorum, quam quidem pecuniam dictus nobilis prædictæ novæ abbatiæ in elemosinam est

* Ruerici.

largitus. Damus prætera dictæ novæ abbatiæ duos campos, qui fuerunt olim Berengarii Rubei de Tamano, ut fratres ibi degentes inde valeant sustentari; sed est verum quod de pecunia dictæ novæ abbtiæ dicti duo campi fuerunt redempti ab honere, quo erant obligati, scilicet pro mille & octingentis solidis, sed proprietatem dictorum duorum camporum damus in perpetuum dictæ novæ abbatiæ. Item damus sæpe dictæ abbatiæ ad sustentationem fratrum ibidem Deo servientium 50. eminas frumenti, & 100. oves, & unum calicem argenti, & trecentos solidos in denariis, & unum mulum, & octodecim vestimenta sacerdotalia cum apparamentis suis, & sex culcitras, & decem flaciatas, & sex auricularia, & sex capitalia, & quatuor gausape, & sex manutergia, & tres bacinos, & duos conquas ereas, & unum calicem parvum argenti, & unum lignum Domini, & centum caseos, & tres sestarios olei, & unum Tarusbulum *, & duas aras, & apparamenta trium altarium, scilicet de pannis lineis. Damus item dictæ vestræ abbatiæ in remissione peccatorum nostrorum, & ut fratres possint liberius sanctæ contemplationi vacare & studio, sexaginta librorum volumina, quæ ut melius discernantur, propriis vocabulis duximus exprimenda: in primis damus regulam S. Benedicti, & librum consuetudinum, & textum, & epistolare, & unum collectaneum, & duo gradualia, & tria responsoria, & duo antiphonaria, & duo hymnaria, & Heptateucum, & Regum in uno volumine, & Isaias, & cetera quæ in eo continentur in alio, & testamentum novum, & damus primam partem & secundam Rabaim, & librum aurora, & homilias magistri Odonis, & librum de conflictu vitiorum, & quemdam librum super *beatus vir*, & sermones *cum appropinquasset*, & librum in quo est vita S. Marthæ, & S. Margaritæ, & S. Mauri abbatis, & super Isaiam, & sermones de Assumptione, & Annuntiatione beatæ Mariæ, & damus sermones S. Macarii, & librum super Marcum de doctrina christiana, & sententias magistri Petri in uno volumine, & homilias evangeliorum, item super apocalypsa, & epistolas Hildeberti episcopi Cenomanensis, item super Job, & vitam S. Bertrandi, & tractatus sermonum, item Abel, item sermones per totum annum de vilitate humanæ miseriæ, & vitas patrum, & Lucidarium, & de situ terræ, & prophetias Merlini, item super Matthæum, & tractatum sermonum, & de studio legendi, & super canonem missæ, item epistolas canonicas, & *quot monitionis, item sententias super apocalypsi, & dialogo, & Effrem, item librum prophetarum Isaiæ, Jeremiæ, Iesech*. Daniel, & duodecim prophetarum, item novum testamentum, item librum epistolarum canonicarum cum apocalypsi, & Boetius consolationum, item Eptaticum, item expositiones super duodecim prophetas, item breviarium dominicale, item epistolas glossatas Pauli apostoli, item sermones per totum annum, item librum passionarii in prima parte & secunda, item tria missalia, item homilias magistri J. Albæ-villæ, item librum historiæ scolasticæ, item volumen in quo continentur libri Salomonis, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, liber Sapientiæ, item filii Sirac, Job, Paralipomenon, Tobias, Judith, Esteri, Esdras, duo Machabeorum, item duo breviaria, & tres diurnales, item bibliam integram, quæ fuit magistri Guillelmi, & damus duos libellos, unum in quo est exorcismus aquæ, & alium in quo est officium extremæ-unctionis. Hæc quidem omnia prædicta nos dictus frater P. R. dictus abbas & totus conventus Fontis-frigidi damus dictæ abbatiæ novæ S. Mariæ Vallis-de-Bona amore Dei & in remissionem peccatorum nostrorum perpetuo & irrevocabiliter. Et ad majorem firmitatem omnium prædictorum nos dictus P. R. abbas Fontis-frigidi chartam istam nostro sigillo duximus roborandam. Actum est hoc mense Augusti anno Domini MCCXLII.

* f. thuribulum.

* f. commonitorium vel aliquot monitiones.

* Ezechiæ.

XVII.

Testimonium de reliquiis S. Eulaliæ quod serventur in ecclesia Helenensi.

Ex chartar. Helenensi.

1286.

NOverint præsentes pariter & futuri, quod ego Guillelmus Cerra clericus civitatis Narbonæ, profiteor, & in veritate recognosco tibi Pontio Peytavini canonico ecclesiæ B. Mariæ de Spirano & rectori ecclesiæ Opulo, quod quando destructa fuit civitas Elnensis per hostem illustrissimi domini nostri regis Franciæ, quando ego eram ibi præsens, & vidi fregi seu dirrui quandam capsiam, ceu arcam fusti coopertam de argento super deauratam cum imaginibus quæ erant super altare ex parte dextra, in qua caixia seu arca erant ossa corporis S. Eulaliæ virginis, & hoc fuit in ecclesia Elnensi beatæ virginis supradictæ, quam caixiæ Francigenæ de hoste dicti domini regis nostri fregerunt & dirruerunt in præsentia mea, & me vidente, & tota ossa corporis B. Eulaliæ virginis spargerunt, & projacerunt a dicta caixia per terram juxta altare dictæ virginis: & hoc facto, ego veni, & appropiavi me a dicta ossa, & accepi devote & benigne cum manibus meis propriis duas agullas de duobus brachiis beatæ Eulaliæ virginis, scilicet a quolibet brachio unam, & hoc facto in continenti ego volui esse certus cujus sancti seu sanctæ dicta ossa seu reliquiæ erant, & inveni in dicta ecclesia dominum Daganum Elnensem & sacerdotes dictæ ecclesiæ, & plures alios, & petii ab ipsis cujus sancti seu sanctæ erant, & ipsi responderunt, & dixerunt mihi, quod illa ossa & reliquiæ erant vere & certo modo corporis beatæ Eulaliæ virginis, & hoc dixerunt, & affirmarunt coram me, & me audiente ipsi, & plures alii in periculo animarum suarum. Et quia ego vidi, & video quod tam benigna ossa seu reliquias non debeo tenere, neque dignus sum tenendi, cum hoc publico instrumento firmo & valituro habens erga te dilectum meum Pontium Peytavini supradictum dilectionem & amorem, dono & trado tibi dicto Pontio Peytavini modo de præsenti & propter hoc, quia tu curabis, quod prædicta ossa & reliquiæ erunt & sint amore Dei & ad honorem dictæ sanctæ in hoc sæculo honoratæ per S. matrem ecclesiam, & hoc facto ad honorem omnipotentis Dei, & B. Mariæ virginis matris ejus, & prædictæ S. Eulaliæ, & in remissionem peccatorum meorum, & nunquam contraveniam, nec tibi, seu tuis petam, neque petere faciam per firmam stipulationem interpositam tibi & Deo omnipotenti promitto sub obligatione omnium bonorum meorum. Et ego dictus Pontius Peytavini habeo juramentum fidei & veritatis a te dicto Guillelmo Cerra clerico, quod dicta ossa seu reliquiæ erant & sunt corporis S. Eulaliæ virginis prædictæ. Acta fuerunt hæc in Narbona in operatorio notarii infrascripti anno Domini MCCLXXXVI. rege domino Philippo regnante VI. idus Augusti in præsentia & testimonio Dominici & Petri Ros sartorum, & Bernardi Cerra clerici, & mei Guillermi Johannis de Longotio notarii Narbonensis publici, qui hæc omnia rogatus scripsi. In quorum fidem ego Franciscus Diego notarius meum artis notariæ solitum appono signum.

XVIII.

Berengarius episc. Helenensis determinat numerum canonicorum in ecclesia Helenensi.

Ex chartar. Helen.

1287.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Et temporis qualitas quo dura commotione guerrarum facultates ecclesiæ Elnensis non modicum sunt collapsæ, & circunvicinarum cathedralium ecclesiarum exempla nos ammonent, ut effrænis canonicorum numerositas, quæ cum discrimine memoratæ ecclesiæ ultra vel circa debitum limitem fuit hactenus evagata, juxta modum

facultatum ecclesiæ certo canonicorum numero concludatur : cum non solum patrum decreta sanctorum tot jubeant in ecclesiis servitores, ad quot sufficiunt facultates ; verum etiam ipsa lex civilis determinatum sanxit esse numerum clericorum. Hinc est igitur quod nos Berengarius Dei gratia Elnensis episcopus, & capitulum ejusdem ecclesiæ, scilicet Bernardus Hugonis de Urgio archidiaconus Elnensis, Hualguerius de Pontonibus archidiaconus Vallispirii pro nobis, & Bernardo de Vallibus sacrista Elnensis, cujus vices gerimus, Arnaldus de Petramola præcentor, Ermengaldus Olibæ, Berengarius Bajuli succentor, magister Girardus, Raimundus Guillelmi pro me & Berengario de Palma sacrista Perpiniani, Raimundus Olivarii, & Berengarius de Codaleto, habito pluries super hiis tractatu, vocatis qui ad hos tractatus soliti sunt vocari, pensatisque præfatæ ecclesiæ facultatibus, per nos & successores nostros constituimus in ecclesia Elnensi, quod de cetero sit certus canonicorum numerus in eadem, videlicet quod sint perpetuo in eadem ecclesia quindecim canonici præter episcopum dictæ ecclesiæ, quem non intelligimus in numero supradicto, quibus & portionariis ac aliis clericis detur canonica portio, sicut est in dicta ecclesia antiquitus consuetum. Constituimus insuper quod si contigerit nos ultra dictum terminum aliquem canonicum vel canonicos recipere mandato summi pontificis vel ejus legati vel delegati, seu per aliquem alium, dicti canonici, qui recepti fuerint ultra numerum dictorum quindecim, expectent receptionem distributionis canonicalis, & non admittantur, nec vocentur ad electiones, vel ad communes tractatus capituli & ecclesiæ supradictæ, vel ad exemtiones canonicorum, nec aliquis dignitates, personatus, vel præposituras habeat, donec sint infra numerum prædictorum quindecim constituti : & cum in præsenti sint in dicta ecclesia ultra numerum supradictum, constituimus quod morientibus aliquibus de nunc viventibus, in locum mortui vel renuntiantis de jure seu de facto alius vel alii non subrogentur, donec perventum fuerit ad numerum XV. prædictorum ; nec tunc, nisi aliquis de dictis XV. moreretur, vel dimitteret canoniam. Quem numerum & constitutiones prædictas promittimus per nos & successores nostros perpetuo observare, & in nullo contra venire. Nos vero Berengarius Dei gratia Elnensis episcopus propositis coram nobis, & nos supra nominati canonici, tactis corporaliter sacrosanctis quatuor Dei evangeliis, hæc omnia prædicta & singula juramus. Actum est III. idus Julii anno Domini MCCLXXXVII. Signa Berengarii Dei gratia Elnensis episcopi, Bernardi Hugonis de Urgio archidiaconi Elnensis, Hualgerii de Pontonibus archidiaconi Vallispirii, Arnaldi de Petramola præcentoris, & Ermengaldi Olibæ, Berengarii Bajuli succentoris, magistri Gerardi, Raimundi Guillelmi, Remundi Olivarii, Berengarii de Codaleto canonicorum prædictorum, qui hæc omnia laudamus & confirmamus. Signa Raimundi comitis & aliorum testium. Signum Raimundi Petri canonici, qui hæc omnia laudavit.

X I X.

Electio & confirmatio Pontii de Podio abbatis S. Andreæ de Sureda.

1288. IN nomine Domini, amen. Anno MCCLXXXVIII. Philippo rege Francorum regnante idibus Januarii. Noverint universi præsentem paginam inspecturi, quod religiosi viri frater Raimundus Petri prior claustralis monasterii S. Andreæ de Sureda Elnensis diœcesis, fr. Bernardus Petri, fr. Johannes Guirodi, fr. Raimundus Martini monachi dicti monasterii S. Andreæ supplicaverunt R. P. in Christo D. Augerio abbati monasterii Crassensis, ut ipse rogaret D. Pontium de Podio monachum & infirmarium dicti monasterii Crassensis electum in abbatem monasterii S. Andreæ ibi præsentem, ut consentiret electioni seu postulationi de ipso factæ in abbatem monasterii S. Andreæ prædicti; & ibidem ipsi monachi S. Andreæ flexis genibus coram dicto domino electo se prostrantes supplicaverunt eidem, ut ipse dictæ electioni consentiret ; qui dictus electus post multas preces, inductiones & instantias sibi factas tam per dictos monachos, quam etiam per dictum D. abbatem Crassensem, & quam etiam per DD. monachos Crassenses infra scriptos, & ad speciale mandatum dicti D. abbatis Crassensis in virtute sanctæ obedientiæ pluries sibi factum, consensit electioni seu postulationi prædictæ. Actum est hoc in camera dicti D. abbatis in dicto monasterio Crassensi in præsentia & testimonio virorum religiosorum DD. Rainardi de Oviliano prioris claustralis monasterii Crassensis, Bernardi Maderii prioris S. Stephani, Berengarii majoris præpositi de Lesignano, Bertrandi de Merlaco prioris S. Petri de Burgalis, fratris Raimundi Thomæ prioris de Suppleuntis, Petri Columbi præpositi Pediliani, Berengarii Bedossii prioris de Palatio, Isarni de S. Quintino præcentoris Crassensis monasterii, Gallardi de Bisturre, Rogerii Amelii, & Petri de Monte-alto monachorum Crass. & mei Guillelmi Pictavini notarii publici villæ & terræ monasterii Crassensis, qui rogatus hanc chartam scripsi & signo meo signavi.

X X.

Instrumentum visitationis abbatiæ B. M. de Eula factæ ab Antonio abbate Fontis-frigidi.

Ex archivis Fontis-frig.

1338. IN Dei nomine anno Incarn. Christi MCCCXXXVIII. die VIII. mensis Martii. Nos frater Anthonius Dei gratia abbas monasterii Fontis-frigidi Cisterciensis ordinis Narbonæ diœcesis visitantes monasterium de Eula, filiam nostram dicti ordinis, Helenensis diœcesis, ea quæ sequuntur duximus statuenda, & inviolabiliter observanda : in primis cum per beatum Benedictum patrem nostrum nihil sit divino operi præponendum, statuimus ut moniales hujus monasterii melius more solito intersint missis & aliis horis canonicis in choro ex integro, nisi evidens necessitas immineret, & tunc fiat de licentia præsidentis : quæ contrarium fecerit pro qualibet vice a vino una die abstineat, & in capitulo accipiat disciplinam. Hoc idem de silentio statuimus, ut in locis & horis consuetis melius more solito observetur ; transgredientes pœnitentiam panis & aquæ irremissibiliter sustineant una die. Item cum religiosis præ ceteris sit omnis mali occasio præcludenda, idcirco ordinamus, & sub pœna excommunicationis mandamus, quod nulla persona secularis tempore meridiano & prius vesperas intret infra januam claustri, nisi duntaxat servitrices dominarum, nisi talis immineret necessitas, quod absque scandalo vitari non posset, & tunc fiat de licentia abbatissæ, vel in ejus absentia, priorissæ, & trium vel quatuor seniorum. Item sub eadem pena mandamus, quod in porta majori & claustri fiant bonæ serraturæ, quæ horis nocturnis claudantur, & major janua, quando conventus comedet : cum etiam inter alia claustrum minetur ruinam & in muris monasterii sint aliqua minus bona, idcirco volumus & mandamus ut hinc ad festum Paschæ sit claustrum præparatum, & foramina muri decenter aptata : alias ex tunc priorissa, subpriorissa, & bursariæ omni sexta feria sint in pane & aqua, donec compleverint quod mandatur. Hanc autem chartam tradimus priorissæ, quam quater in anno legi volumus & mandamus, ne aliqua se valeat de negligentia excusare.

XXI.

Bulla Leonis X. ecclesiam Helenensem Narbonensi iterum subjicientis.

Edit. in append. Marc. Hisp. col. 1482.

1517. LEO episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus pontifex & pacis justitiæ perpetuus auctor & conservator, in quo plenitudo consistit potestatis, de statu ecclesiarum omnium, præsertim metropolitanarum insignium, quæ excellentiori sunt dignitate præditæ, feliciter & prospere conservando sollicitis studiis intendens, ea quæ in ecclesiarum ipsarum & illis præsidentium personarum, quas in partem sollicitudinis evocavit Altissimus, ac eorum jurisdictionis metropoliticæ præjudicium vel læsionem per importunitatem vel alias processisse comperit, rationabilibus suadentibus causis revocat, cassat & annullat, ac alias ad æquitatis & justitiæ semitas reducit, prout rerum, temporum, personarum & locorum conditionibus & qualitatibus diligenter pensatis id conspicit in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem a felicis recordationis Julio papa II. prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis.

JULIUS episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus pontifex in quo potestatis plenitudo consistit, & cui ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum omnium cura superna est dispositione commissa, ad ea semper invigilat, eaque potissimum sollicitudine premitur, ut per suæ providentiæ ministerium ipsarum ecclesiarum prælati, præsertim pontificali dignitate præditi, sublata inter eos & eorum subditos dissidiorum materia, ecclesiis quarum regiminibus sunt præfecti in pacis & quietis amoenitate præsideant, commissosque sibi greges destructis errantium saltibus & diverticulis occupatis, intra ovilis dominici septa possint pastorali baculo feliciter regere & prospere gubernare. Accepimus siquidem quod licet collationes, provisiones, institutiones, & aliæ dispositiones beneficiorum ecclesiasticorum in civitatibus & dioecesibus episcopalibus consistentium, dum pro tempore vacant, devolutio, ac cognitio ac decisio, causarum civilium, criminalium & mixtarum de foro ecclesiastico existentium, appellationibus cessantibus, ad earumdem civitatum & dioecesum episcopos eorumque officiales & vicarios jure ordinario immediate pertineant, metropolitanique de iis immediate se intromittere de jure nequeant, tamen ab aliquo tempore citra archiepiscopus Narbonensis qui pro tempore fuit, ejusque officiales & vicarii in spiritualibus generales personas etiam minus idoneas ad beneficia ecclesiastica pro tempore vacantia, & ad meram ac puram collationem pro tempore existentis episcopi Elnensis, qui & ecclesia Elnensis præfato archiepiscopo jure metropolitico subesse noscuntur, legitime spectantia, per quosvis se esse patronos falso asserentes malitiose & de facto, seu alias per veros patronos, tamen extra tempus eis ad præsentandum a jure concessum, præsentatas ad præsentationes hujusmodi sic nullas vel non canonicas frivolarum notorie appellationum ab ipsis sic de facto præsentatis & jure institui recusatis, aut falsis, seu veris, sed extra tempus hujusmodi illos præsentantibus patronis ad eos forsan interpositarum prætextu instituunt, seu de ipsis beneficiis per unius mensis spatium vix vacantibus, tanquam jure conferendi ea vice ad eos devoluto disponunt, deque causis pro tempore criminalibus seu mixtis de foro dicti episcopi existentibus per viam simplicis querelæ se intromittunt atque cognoscunt, aliasque pro tempore existenti episcopo Elnensi ejusque officialibus & vicariis cæterisque ministris in jurisdictionem suam episcopalem tam voluntariam quam contentiosam concernentibus quotidiana inferunt præjudicia. Quo fit ut sæpe beneficia ecclesiastica in eorum qui ad illa sic aspirant animarum perniciem indebite occupentur, & facinorosi homines per hujusmodi proprii eorum fori & ordinarii judicis affectata subterfugia suorum scelerum veniam consequantur, vel saltem longe debito leviores sustineant poenas, sicque per impunitatis audaciam efficiantur nequiores. Atque id totum ex eo facile provenire conspicimus, quod Narbonensis Francorum, Elnensis vero civitates & dioeceses Aragoniæ & Siciliæ regum pro tempore existentium temporali dominio in ipsisque Franciæ & Aragoniæ confinibus sunt subjectæ, & inter dictorum regum subditos, præsertim finitimos, uti finitimorum fere omnium mos est, propter bella quæ inter tunc Francorum & Aragoniæ reges retroactis temporibus viguere, raro pax & concordia viget, ipsaque dominiorum ac nationum & linguarum diversitas, & in tanta diversitate vicinitas personis inibi jurisdictioni & regimini præsidentibus novorum quotidie dissidiorum & scandalorum materiam subministrat. Quare nos prout ex pastoralis officii debito astringimur, episcopi Elnensis jura & jurisdictionem conservare ac dissentionum & scandalorum hujusmodi, quæ etiam possent reges ipsos ad arma de facili provocare, materiam summovere, & venerabilibus fratribus nostris Guillelmo Prænestinensi qui Narbonensi, & Jacobo Albanensi qui Elnensi ecclesiis ex concessione & dispensatione apostolica præsunt episcopis, eorumque successoribus qui pro tempore fuerint, eorumque officialibus, vicariis & ministris se mutuo injuriandi occasionem tollere, aliasque in præmissis opportune providere volentes, motu proprio, non ad ipsius Jacobi episcopi aut alicujus alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra mera deliberatione & certa nostra scientia ac de apostolicæ potestatis plenitudine, ex præmissis & pluribus aliis nobis cognitis legitimis causis dictam ecclesiam Elnensem ejusque civitatem & dioecesim ac omnia & singula in illis nunc & pro tempore consistentia, ecclesias, monasteria, prioratus, præposituras, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus & præbendas, cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, secularia & ordinum quorumcumque regularia, cum omnibus juribus & pertinentiis suis ac bonis mobilibus & immobilibus quæ nunc possident, & dante Domino possidebunt, ac pro tempore existentem episcopum Elnensem ejusque officiales, vicarios & ministros, necnon clerum & populum civitatis & dioecesis earumdem ab omni superioritate, dominio, potestate, jurisdictione, correctione & authoritate præfati Guillelmi episcopi, & pro tempore existentis archiepiscopi Narbonensis ejusque officialium & vicariorum, auctoritate apostolica tenore præsentium prorsus eximimus & totaliter liberamus, ac quoad ea omnia & singula in quibus præfato archiepiscopo ejusque jurisdictioni metropoliticæ hactenus suberant & subesse poterant, in jus & proprietatem B. Petri & apostolicæ sedis & sub eorum ac nostra speciali & immediata protectione suscipimus, nobis & eidem sedi immediate subjicimus, ita quod ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus pro tempore existens archiepiscopus Narbonensis ejusque officiales, & vicarii nullam in ecclesia Elnensi ejusve civitate & dioecesi, aut in illis nunc & pro tempore consistentia, ecclesias, monasteria, prioratus, præposituras, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, & præbendas, cæteraque beneficia ecclesiastica, illorumque jura & bona, necnon pro tempore existentem episcopum Elnensem aut ejus officiales, vicarios vel ministros, seu clerum, vel populum hujusmodi, aut eorum aliqua sic exempta superioritatem, dominium, correctionem, visitationem, potestatem, jurisdictionem, aut aliam quamvis auctoritatem, etiam ratione delicti & contractus vel rei sitæ ubicumque committitur delictum, initur contractus, & res ipsa consistat, exercere, nullusque in pro tempore existentem episcopum Elnensem ejusque officiales, vicarios &

ministros excommunicationis, interdicti, aliasque sententias, censuras & pœnas promulgare valeat, sed teneantur episcopus, ejusve officiales, vicarii & ministri coram dicta sede duntaxat vel ejus legatis de se querelantibus in justitia respondere; decernentes ex nunc irritum & inane totum id & quidquid secus super iis per archiepiscopum Narbonensem ejusque officiales & vicarios pro tempore existentes, & quosvis alios quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nonobstantibus præmissis ac felicis recordationis Innocentii papæ IV. prædecessoris nostri contra exemptos edita, quæ incipit *Volentes*, & aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, indultis & litteris apostolicis archiepiscopo Narbonensi etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, ac quibusvis aliis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque decretis concessis, confirmatis & etiam iteratis vicibus innovatis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & individua, non autem per clausulas generales etiam id importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis quoad alia in suo robore permansuris, authoritate, scientia, & potestatis plenitudine ac motu supradictis harum serie specialiter & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, susceptionis, subjectionis, decreti & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXI. X. cal. Augusti, pontificatus nostri anno octavo.

1511.

Cum autem, sicut accepimus, exemptio, liberatio, susceptio, subjectio, & decretum ac alia in præinsertis litteris contenta in evidentissimum dictæ ecclesiæ Narbonensis, cujus præfata ecclesia Elnensis ab immemorabili tempore suffraganea extitit, ac dilecti filii nostri Julii tituli sancti Laurentii in Damaso presbyteri cardinalis sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarii, qui eidem ecclesiæ Narbonensi ex concessione & dispensatione apostolica præesse dignoscitur, & pro tempore existentis archiepiscopi Narbonensis & jurisdictionis suæ metropoliticæ præjudicium cesserint & cedant, ac ex eis plurimum gravatur, nos ad quos ex debito nobis commissi pastoralis officii, quo universis ecclesiis ac eis præsidentibus personis astringimur, ac in suis conservandis juribus debitores sumus, pertinet, ea quæ in ecclesiarum & personarum earumdem injuriam atque damnum processerunt ad debitum statum reducere volentes, præfatæ ecclesiæ Narbonensis ac ejusdem Julii cardinalis & pro tempore existentis archiepiscopi Narbonensis statui & indemnitati super iis providere, motu proprio, non ad ipsius Julii cardinalis vel alicujus alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione & ex certa scientia ac de apostolicæ potestatis plenitudine exemptionem, liberationem, susceptionem, subjectionem ac decretum & litteras hujusmodi, necnon omnia & singula in dictis litteris contenta, ac processus per easdem litteras forsan habitos, & inde secuta quæcumque auctoritate apostolica tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, & annulamus, illaque omnia pro infectis haberi & censeri nulliusque roboris vel momenti fuisse & esse, ac eisdem litteris & processibus nullam fidem in judicio vel alibi adhiberi debere, necnon ecclesiam Elnensem ejusque civitatem, & diœcesim ac in illis nunc & pro tempore consistentia, ecclesias, monasteria, prioratus, præposituras, præpositatus, dignitates, personatus, administrationes, vel officia cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, secularia, & ordinum quorumcumque regularia, illorumque jura, pertinentias, & bona mobilia & immobilia, præsentia & futura, necnon venerabilem fratrem nostrum modernum & pro tempore existentem episcopum Elnensem ac ejus officiales, vicarios & ministros pro tempore existentes, necnon clerum & populum civitatis & diœcesis Elnensis hujusmodi & eorum singula præfato Julio cardinali & pro tempore existenti archiepiscopo Narbonensi semper subjecta fuisse & esse, prout ante exemptionem, liberationem, susceptionem & subjectionem ac decretum prædicta erant, decernimus & declaramus; necnon ecclesiam Narbonensem & Julium cardinalem ac pro tempore existentem archiepiscopum Narbonensem adversus exemptionem, liberationem, susceptionem, subjectionem & decretum prædicta, illosque ac ecclesiam Elnensem, necnon civitatem & diœcesim, ac in illis nunc & pro tempore consistentia, ecclesias, monasteria, prioratus, præposituras, dignitates, personatus, administrationes, & officia & cætera beneficia ecclesiastica, illorumque jura & pertinentias, ac bona mobilia & immobilia, præsentia & futura, necnon modernum & pro tempore existentem episcopum Elnensem ac ejus officiales, vicarios & ministros clerum & populum prædicta in pristinum & eum statum in quo ante exemptionem, liberationem, susceptionem & subjectionem ac decretum Julii prædecessoris hujusmodi erant, auctoritate apostolica & tenore prædictis restituimus, reponimus & plenarie reintegramus, ac pro potiori cautela ecclesiam Elnensem, civitatem & diœcesim, ac in illis nunc & pro tempore consistentia, ecclesias, monasteria, prioratus, præposituras, dignitates, personatus, administrationes & officia cæteraque beneficia illorumque jura, pertinentias ac bona mobilia & immobilia præsentia & futura, necnon pro tempore existentem episcopum Elnensem ac ejus vicarios, officiales & ministros, necnon clerum & populum hujusmodi jurisdictioni, subjectioni, visitationi, correctioni Julii cardinalis & pro tempore existentis archiepiscopi Narbonensis, de novo præfata auctoritate apostolica earumdem præsentium tenore submittimus & etiam subjicimus, districtius inhibentes moderno & pro tempore existenti episcopo Elnensi sub interdicti ingressus ecclesiæ & suspensionis a divinis, necnon ejus officialibus, vicariis, ministris, clero ac populo præfatis sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, quas, si secus fecerint, eos & eorum quemlibet eo ipso absque alia declaratione seu monitione incurrere volumus, ne litteris exemptionis & liberationis hujusmodi ac in illis contentis de cætero uti aut illis se in aliquo juvare præsumant; ac decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Mirapicensi & Lodovensi episcopis, ac dilecto filio abbati monasterii S. Tiberii Agathensis diœcesis per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi aut unus eorum per se vel alium seu alios, præsentes litteras & in iis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quotiens pro parte præfati Julii cardinalis & pro tempore existentis archiepiscopi Narbonensis desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis deffensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra litteras nostras & in eis contenta hujusmodi per interdicti, suspensionis & excommunicationis hujusmodi & alias censuras & pœnas ecclesiasticas firmiter observari; non permittentes eos desuper per modernum & pro tempore existentem episcopum Elnensem aut ejus officiales, vicarios & ministros, clerum & populum præfatos, seu quoscumque alios quavis auctoritate fungentes quomodolibet molestari, impediri, inquietari, seu etiam perturbari; contradictores, molestatores, perturbatores quoslibet & rebelles cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, per easdem censuras & pœnas ac alia juris remedia, appellatione postposita, compescendo.

Nos enim eisdem episcopis & abbati & ab eis deputandis seu subdelegandis quoscumque contradictores, molestatores, perturbatores, & rebelles, constito eis summarie de non tuto accessu, per edicta publica locis affigenda publicis quæ ipsos perinde arctent, ac si eisdem contradictoribus, molestatoribus, perturbatoribus, rebellibus forent personaliter intimata, citandi & monendi, ac eis etiam sub censuris & pœnis prædictis inhibendi, ac eos quos præsentes litteras & in eis contenta prædicta minime observasse & illis contravenire constiterit, interdicti, suspensionis & excommunicationis ac alias censuras & pœnas prædictas incurrisse declarandi, & in eventum declarationis ejusdem, necnon legitimis super iis servatis processibus censuras & pœnas ipsas, quotiens opus fuerit, iteratis vicibus aggravandi, necnon loca in quibus eos morari seu ad quæ declinare contigerit ecclesiastico interdicto subjiciendi, ac auxilium brachii secularis, si opus fuerit, invocandi plenam & liberam eisdem tenore præsentium facultatem concedimus; ita tamen quod a data præsentium eisdem episcopis & abbati circa præmissa sit perpetuata potestas & jurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possint in præmissis omnibus præsentibus & futuris & pro prædictis procedere & deffendere, ac si potestas ipsorum in prædictis omnibus & singulis per citationem vel alium modum legitimum perpetuata extitisset. Nonobstantibus piæ memoriæ Bonifacii papæ octavi etiam prædecessoris nostri, quibus cavetur ne quis extra suam civitatem vel diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices & conservatores a sede prædicta deputati extra civitatem & diœcesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in concilio generali edita ac aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon dictæ ecclesiæ Elnensis juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, ac quibusvis privilegiis, indultis, ac litteris apostolicis ecclesiæ & episcopo Elnensibus præfatis sub quibuscumque tenoribus & formis, etiam per modum statuti & ordinationis perpetuorum, ac etiam cum quibusvis efficacissimis & insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis irritantibusque & aliis decretis etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, etiam ex quibusvis causis, etiam regum, reginarum, ducum, & aliorum principum contemplatione vel intuitu, & alias quomodolibet pro tempore concessis & confirmatis, quibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si moderno & pro tempore existenti episcopo Elnensi officialibus, vicariis, ministris, clero & populo præfatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, cassationis, irritationis, annullationis, decreti, declarationis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, submissionis, subjectionis, inhibitionis, voluntatis, mandati, concessionis & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac B. B. Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXVII. XI. calendas Februarii pontificatus nostri anno V.

Petrus episcopus S. Papuli consecrat ecclesiam Clarissarum de Lesignano.

1432. IN nomine Domini, amen. Anno incarnationis ejusdem Domini 1431. die 11. mensis Febr. illustrissimo principe domino Carolo Dei gratia Francorum rege regnante : noverint universi quod reverendus in Christo pater & dominus dominus Petrus miseratione divina episcopus S. Papuli commissarius deputatus per venerabile capitulum S. ecclesiæ Narbonensis, sede *vacante, ad benedicendum & consecrandum ecclesiam & conventum, & cœmeterium novum & de novo constructum in loco de Lesignano Narbonensis diœcesis per illustrissimum principem & dominum dominum Jacobum Dei gratia Hungariæ, Jerusalem & Siciliæ regem, comitatusque Marchiæ & Castrensis ad honorem & laudem Dei & B. Mariæ virginis ejus matris, ac religionis & observantiæ B. Francisci & SS. Annæ & Claræ ; de qua commissione constat per litteras a dicto venerabili capitulo emanatas, & sigillo ejusdem venerabilis capituli ceræ viridis cum duplici cauda sigillatas, quarum tenor sequitur sub his verbis: *Capitulum, &c.* Petrus dominus episcopus & commissarius prædictus post benedictionem per ipsum factam de dicta ecclesia, protestatus est quod ipse non intendit, nec intentionis est, neque fuit in benedictione per ipsum nuper facta de dicta ecclesia metas suæ commissionis egredi, nec dictam benedictionem confecisse, nec facere in præjudicium ecclesiæ & cœmeterii ecclesiæ parochialis SS. Felicis & Nazarii de Lesignano, sed solum dictam ecclesiam benedicere intendit ad sepeliendum intus dictam ecclesiam superius benedictam, & cœmeterium ac claustrum per ipsum dominum benedictum & consecratum, corpora fratrum & sororum religionis prædictæ in dicto loco de Lesignano residentium, & decedentium, & non pro sepeliendo parochianos, nec parochianas ecclesiæ parochialis de Lesignano, nec corpora aliarum personarum in dicto loco decedentium, non residentium in dicto conventu, & qui non essent de dicta religione. De qua quidem protestatione dictus dominus episcopus petiit & requisivit recipi & relinqui ac sibi tradi, si opus sit, publicum instrumentum per me notarium infra scriptum. Acta fuerunt hæc in dicto loco de Lesignano & intus dictam ecclesiam in præsentia & testimonio Benedicti Versillan mercatoris, Jacobi Versillan ejus filii & plurium aliarum personarum ejusdem loci testium ad præmissa vocatorum, & per dictum dominum rogatorum, & me Johannis Labalene notarii loci de Lesignano, qui hoc recepi instrumentum.

* Nota.



INDEX

INDEX GENERALIS.

A

Borzon

C

D

G

Gaufredi

H

M

N

O

Ludovicus

S

V

INDEX ARCHIEPISCOPORUM.

INDEX ARCHIEPISCOPORUM.

INDEX EPISCOPORUM.

de Montbrun

INDEX DECANORUM, PRÆPOSITORUM ET ARCHIDIACONORUM.

INDEX DECANORUM, PRÆPOS. ET ARCHIDIAC.

INDEX ABBATUM ET PRIORUM.

INDEX ABBATUM ET PRIORUM.

C

D

H

I

INDEX ABBATISSARUM ET PRIORISSARUM.

INDEX ABBATISSARUM ET PRIORISSARUM.

INDEX ARCHIEP. EPISC. PRÆPOS. DECAN. ARCHID.

ABBATUM ET ABBATISSARUM,

ad alios tomos pertinentium, quorum in præfenti fit mentio.

ARCHIEPISCOPI

ALBIENSES.

AQUISEXTIENSES.

ARELATENSES.

AVENIONENSES.

AUSCIENSES.

BITURICENSES.

BURDEGALENSES.

CAMERACENSES.

EBREDUNENSES.

ELUSANUS.

LUGDUNENSES.

PARISIENSES.

REMENSES.

PRÆPOSITI, DECANI ET ARCHIDIACONI.

ABBATES.

Vezeliaci,

ABBATISSÆ.

ERRATA.

Col. 12. D. lin. 2. Hilpericus *lege* Hildericus.
Col. 70. A. lin. 12. necnon P. *lege* B.
Col. 178. E. lin. 2. Innocentii papæ IV. *lege* Eugenii
Col. 219. B. lin. 11. argitur *lege* arguitur.
Col. 220. B. lin. 11. Johannes Johanna *lege* Johanna Johannes.
Col. 234. E. lin. ult. P. Villæ magnæ *al.* R.
Col. 263. A. n. XXX. lin. 3. Fontis calidi *dele*.
Col. 280. D. lin. 7. Petrus *lege* Guillelmus.
Col. 293. a Domitio *lege* Domitiano.
Col. 297. C. lin. 2. an Sedato Narbonensi *lege* Nemausensi.
Col. 319. A. lin. 9. concedti *lege* concedit.
Col. 328. lin. 11. B. de Malagas *lege* de Magalas.
Col. 371. A. lin. 3. Annæ Plantavitiæ *lege* Franciscæ.
Col. 381. E. lin. 4. de Rupetira *al.* de Rupefixa.
Col. 396. B. lin. 1. avæ *lege* aviæ.
Col. 399. A. n. IV. lin. 3. anno XVII. *lege* XVIII. ch. VI. col. 172.
Col. 408. C. n. XIX. lin. 2. Carolo *lege* Philippo.
Col. 412. n. XLI. D. lin. 1. Raimundi *lege* Rainaldi.
Col. 440. E. lin. 3. Tolosæ *lege* Toletanæ.
Col. 442. lin. antepenult. de Levi *al.* de Leques.
Col. 444. n. XXXIV. lin. 3. anno 1212. *adde* mense Jan. hoc est 1213.
Col. 449. lin. ult. Quierchi *al.* Quierret.
Col. 454. C. n. LII. lin. 3. Junii *al.* Julii.
Col. 460. C. n. LXVIII. lin. 3. de S. Belin *lege* de S. Felix.
Ibid. E. lin. 9. Leutevensem *al.* Uceticensem.
Col. 467. B. n. XXII. lin. 2. 14. Maii *adde* & 1337.
Col. 474. C. n. XI. lin. 3. Hic autem &c. *Totam hanc phrasim dele.*
Col. 478. C. lin. 1. ex *transfer ad lineam sequentem.*
Col. 492. C. lin. 5. P. Ucetic. *lege* B.
Col. 503. D. lin. 1. 1482. *lege* 1483.
Col. 521. A. lin. 1. de Salve *vel* de Sauve.
Col. 528. E. lin. 5. Tarasconensis *lege* Tarraconensis.
Col. 545. B. lin. XI. Anno 1244. *lege* 1247. *aliis intactis.*
Col. 549. A. lin. 1. Subscripsit an. 1283. *lege* 1273. & *refer ad Raimundum antecessorem.*
Col. 630. B. lin. 8. Gaujac *lege* Joyeuse.
Col. 646. D. lin. 9. Rothomag. *lege* Andegav.
Col. 657. E. lin. penult. tempora *lege* temporum.
Col. 742. E. lin. 5. Averniam *lege* Arverniam.
Col. 749. A. lin. 2. Urbano II. *lege* Innoc. II.
Col. 775. A. lin. 6. *post* Azonemque *adde* &
Col. 778. C. lin. 1. & marescallo Mirapicensi *lege* marescallo Mirapic. &
Col. 786. E. lin. 3. Innoc. IV. *lege* VI.
Ibidem lin. 4. de Beyssaco *al.* Beythaco.
Col. 841. A. lin. 5. a Podioabono *dele* a
Col. 848. D. lin. 9. *dele* an. 1422.
Col. 861. A. lin. 5. de Terine *lege* de Ternie.
Col. 874. C. lin. 4. cum Bernardo *lege* cum Bermundo.
Col. 889. C. lin. 9. cum Geraldo abbate *dele* Geraldo.
Col. 903. C. lin. 9. in margine, Sarmm. *lege* Samm. hoc est, Sammarthani.
Col. 915. lin. ult. serviti *lege* servitia.
Col. 937. E. lin. 2. principum *lege* principatum.
Col. 962. D. lin. 4. A. S. Polycarpi *lege* B.
Ibid. lin. 7. A. *lege* G.
Col. 1045. D. lin. 5. impignoravit *lege* oppigneravit.
Col. 1052. B. lin. 12. cum Berengario *lege* Bernardo.
Col. 1077. B. n. X. lin. 1. post Artaldum episcopum &c. *Ita Marca Hispan. col. 1258. Attamen in serie episcoporum omissus Artaldus est ad annum 1121. seu 1122. quo sedisse diximus Petrum Bernardi & ante & post. Ergo vel hæc charta falsa, vel data prius est, nempe anno circiter 1096. cui subscripsere alii in signum confirmationis anno 1122.*
Col. 1080. E. lin. 8. Berengarium inter *lege* Benedictum.
Col. 1090. A. lin. 7. saccrdotale *lege* sacerdotale.

Instr. col. 11. lin. Aurelionis *lege* Aurelianis.
Col. 13. ch. XII. lin. 7. Cauclicensis *lege* Cavelicensis.
Col. 16. ch. XVI. lin. 9. prædicatornm *lege* prædicatorem.
Col. 21. ch. XXII. lin. 2. Ricars *lege* Garsindis.
Col. 28. B. lin. 12. & fratres *lege* ut fratres.
Col. 30. C lin. 9. Sextari *lege* Sextario.
Col. 31. C. ch. XXXV. in margine circa 1118. *lege* circa 1107.
Col. 33. B. lin. 7. in spiritibus *lege* in spiritualibus.
Col. 36. B. lin. XI. Bernardus *lege* Bermundus.
Col. 40. B. ch. LXVII. *lege* XLVII.
Col. 45. E. ch. LII. in titulo, Fontisfrigido *lege* Fontifrigido.
Col. 53. C. lin. 7. ecclerum *lege* ecclesiarum.
Col. 64. lin. 3. consuta *lege* consueta.
Col. 74. A. lin. 7. fruitiones *al.* functiones.
Col. 75. B. lin. 1. municipiis *lege* mancipiis.
Col. 76. C. lin. 12. S. Mazarii *lege* S. Nazarii.
Col. 80. A. ch. VI. in margine, circa 1080. *lege* ante 1077.
Col. 84. A. ch. X. in titulo, Tomeriarum *dele*, & in margine circa 1120. *lege* circa 1129.
Col. 89. A. lin. 12. eorum *lege* earum.

ERRATA.

Col. 95. A. lin. 9. absoluentes *lege* absolventes.

Col. 105. A. lin. 8. annoque *lege* anno m. hoc est millesimo. Ibid. B. lin. 5. pro SS. *lege* Ego

Col. 108. D. ch. VIII. in margine, 1120. *lege* 1119.

Col. 109. A. lin. penult. MCXX. *lege* MCXIX.

Col. 111. C. lin. 6. præstitistis *lege* perstitistis.

Col. 172. D. Iskericus *lege* Askericus.

Col. 173. E. lin. penult. & 175. A. lin. 5. Salveus *lege* Salvens.

Col. 178. D. lin. 7. octavo cal. *lege* decimo octavo cal.

Col. 181. D. lin. 3. feria VI. *lege* III.

Col. 183. C. ch. XVII. lin. 3. retineat volo *adde* Cum ab

Col. 184. E. lin. 7. Psassilliensi *lege* Massiliensi.

Col. 187. D. lin. 8. S. Ascifeli *lege* Asciscli.

Col. 222. E. lin. XI. confecimus *lege* conferimus.

Post col. 236. leguntur col. 227. 228. 229. 230. pro quibus *lege* 237. &c.

Col. 249. C. lin. 7. amovilibus *lege* amovibilibus.

Col. 286. C. ch. XXXIV. *lege* XXIV.

Col. 309. B. lin. 6. Uceticensis *lege* Vicensis.

Col. 317. C. ch. VI. lin. 2. tituli, condominam *lege* condaminam. Ibidem in margine, 1117. *lege* 1127.

Col. 318. C. lin. 2. 1117. *lege* 1127.

Col. 319. B. lin. 2. & 15. & L. *lege* & I. Ibid. lin. XI. habita *lege* habito.

Col. 321. C. lin. 4. G. Uticensi *lege* E. seu Ebrardo. Ibid. E. lin. penult. Guilielmus, & Frezol *lege* Guill. de Frezol.

Col. 336. B lin. 8. baculum *lege* bajulum.

Col. 426. B. lin. 6. præstito *lege* postero, *ut in præfatione tom. 2. Julii Bolland. pag. LXXXI.*

Col. 434. A. in margine, 1119. *lege* 1118. *& similiter in fine chartæ col. 436. A. lin. penult.*

Col. 480. D. ch. VI. Johannis papæ VII. *lege* VIII.

Col. 490. A. lin. 9. & Bernardo *lege* & Bernardus.